COMMENTARIA

IN

SCRIPTURAM SACRAM

R. P. CORNELII A LAPIDE

E SOCIETATE JESU,

SANCTÆ SCRIPTURÆ OLIM LOVANII, POSTEA ROMÆ PROFESSORIS,

ACCURATE RECOGNOVIT AC NOTIS ILLUSTRAVIT

JOS. MAX. PERONNE

CANON. DIŒCESIS SUESSIONENSIS, OLIM SCRIPTURÆ SACRÆ PROFESSOR

EDITIO NOVA

ACCURATE EXPURGATA MENDIS QUÆ IN PRIOREM IRREPSERANT

TOMUS DUODECIMUS

IN JEREMIAM, THRENOS, BARUCH ET EZECHIELEM

PARISIIS

APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM

13, VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 13

M DCCC LXXVII

COMMENTARIUS

IN JEREMIAM.

ARGUMENTUM.

Jeremias, ait S. Hieronymus in cap. I, hic, imminente captivitate, Dei clementia mittitur ad populum, ut eum ad pœnitentiam excitet, itaque ipse captivitatem Babylonicam jam instantem evadat. Sub idem tempus prophetavit Ezechiel: sed Jeremias, quasi columna labentis urbis et regni, ut patet cap. I, vers. 18, ante in Juda, Ezechiel post Jeremiam, anno 35, in Babylone captus, vaticinatus est.

Quæst. 1. Quando prophetavit Jeremias?

QUÆSTIO I. Quæres *primo*, quo anno cœperit prophetare, quo desierit Jeremias? Respondeo *primo*, ex cap. I, 2, patet eum cœpisse anno 13 Josiæ regis, cum esset adhuc puer, ait S. Hieronymus et alii, idque patet cap. I, 7. Cœpit ergo prophetare existens annorum 14, aut 13, cum Medis, teste Eusebio, imperaret Phraortes, Romanis Ancus Martius, Ægyptiis Psammetichus Senior, Olympiade 36, anno mundi 3318; in hunc enim annum mundi incidit annus 13 Josiæ, qui fuit ante Christi nativitatem annus 632. Hinc sequitur Jeremiam cœpisse prophetare, post Isaiam anno 165; ante Ezechielem (qui cœpit anno 5 transmigrationis Joachin, *Ezech.* I, 2), anno 34; ante Danielem (qui cœpit anno 5 ab excisa Jerusalem), anno 54.

Respond. sub Josia, Phraorte et Anco Martio Romano ante Christum, anno 632.

Prophetavit sub quinque regibus.

Secundo, prophetavit Jeremias sub quinque regibus, scilicet sub Josia annos 19, sub Joachaz filio Josiæ tres menses: sub Joakim fratre Joachaz, et filio Josiæ, annos 11, sub Joachin filio Joakim tres menses: sub Sedecia fratre Joachaz et filio Josiæ annos 11, usque ad mensem 5 anni illius undecimi, quo capta est a Chaldæis Jerusalem, in qua et Jeremias captus est, sed liberaliter habitus a Nabuchodonosore; quia ejus victoriam contra Judæos prædixerat, eisque suaserat ut ei se dederent, cap. XXXIX, 11. Prophetavit ergo annis 41 in Judæa: in qua per Chaldæos eversa remansit, ut reliquiis populi esset solatio (1).

Tertio, ex Judæa Judæis fugientibus Chaldæos contra jussum Domini in Ægyptum abductus est ab eis Jeremias, ibique in Taphnis (urbe regia, ubi Moses coram Pharaone fecit miracula) prophetavit, ut patet cap. XLIII et XLIV, per annos 4, scilicet usque ad annum 4 captivitatis et excidii Jerusalem, qui erat Nabuchodonosoris 23, quo prædixit Jeremias Pharaonem, qui dictus est Ephree, vel Vaphre, regem Ægypti, a Nabuchodonosore vincendum et occidendum, quod contigit anno sequenti, teste Josepho, X *Antiq.* XI. Quare universim prophetavit Jeremias annis 45, cumque cœperit puer 15 circiter annorum, sequitur eum occisum esse sexagenarium, anno mundi 3363.

Per annos 45, ad annum ætatis 60.

Quarto, cum in Taphnis Jeremias suis Hebræis et toti Ægypto cladem minaretur, quæ mox per Nabuchodonosorem evenit, a suis concivibus lapidibus obrutus, martyr occubuit. Ita S. Hieronymus, Tertullianus, Dorothæus, Epiphanius, *De Vita Prophetarum*; Isidorus, *De Vita et morte Sanctorum*. Perperam ergo R. Salomon, ex cap. XLIV, 28, opinatur Jeremiam cum Baruch ex Ægypto in Judæam rediisse.

Jeremias in Taphnis lapidatus, martyr occubuit.

Addunt Dorothæus, Epiphanius et Isidorus, penes quos sit fides, Jeremiam in Taphnis sepultum, et in magno honore ejus sepulcrum ab Ægyptiis habitum fuisse: eo quod ipse suis precibus inde aspides, crocodilos et immanes feras profligasset, et in dies pulvere e sepulcro suo accepto profligaret. Porro Joannes Moschus in *Prato spirituali*, tradit, cap. LXXVII, ossa Jeremiæ inde ab Alexandro Magno translata esse Alexandriam, urbem ab eo conditam, ibique coli in Tetrapylo. Addit Chronicum Alexandrinum vetustum, sed nuper editum a Nostro Radero, Alexandrum illustre monumentum Jeremiæ cineribus excitasse: sicut Nicephorus, lib. VIII, cap. XXX, narrat simile illi erectum a S. Helena matre Constantini.

Denique adjiciunt Dorothæus et Epiphanius, quod Jeremias in Ægypto sacerdotibus Ægyptiis prædixerit futurum, ut omnia eorum simulacra conciderent, cum Virgo mater in Ægyptum cum suo ascenderet infante, idque ita accidisse, cum Deipara ducens puerum Jesum Ægyptum intravit; de quo plura cap. XLIV, in fine. Jeremias catalogo Sanctorum in Martyrologio adscriptus est

(1) Recte vero observat Abarbenel quod in enumeratione regum Judæ quibus regnantibus Jeremias vaticinia edidit, non memoratur Joachaz qui ante Joakim regnavit, rationem esse hanc, quod Joachaz tres duntaxat menses regnavit, qui sub annis Joakim comprehenduntur, quemadmodum nec Jechoniæ, qui Joakim successit, mentio fit, quod is quoque non nisi tribus mensibus regnum administravit.

1 maii. Sic enim eo die legimus in *Romano Martyrol.* : « In Ægypto S. Jeremiæ Prophetæ, qui a populo lapidibus obrutus, apud Taphnas occubuit, ibique sepultus est : ad cujus sepulcrum fideles (ut refert S. Epiphanius) supplicare consueverunt, indeque sumpto pulvere, aspidum morsibus medentur. »

Quæst. 2. Quis et qualis fuit Jeremias? Resp. primo. fuit filius Helciæ.

QUÆSTIO II. Quæres *secundo*, quis et qualis fuerit Jeremias?

Respondeo *primo*, fuit filius Helciæ : an Pontificis illius celebris sub Josia, dicam cap. I, 1. Oriundus fuit ex Anathoth, quæ erat urbs in tribu Benjamin, tribus milliaribus distans a Jerusalem, eratque sacerdotibus attributa, ut patet *Josue* XXI, 18.

Secundo, in utero matris fuit sanctificatus. Mansit virgo.

Secundo, Jeremias in utero matris fuit sanctificatus et consecratus Propheta, ut patet cap. I, 5; hinc tota vita mansit virgo, teste S. Ignatio, epist. *ad Philadelph.*, et Isidoro, *De Vita et morte Prophetarum*, cap. XXXVIII, idque satis liquet ex cap. XVI, 2, quamvis Chaldæus Interpres, cap. XXXVII, 12, eum filios habuisse putet. Quocirca S. Hieronymus, prologo *in Jeremiam*, de eo sic ait : « Virginitate sua Evangelicum virum Christi Ecclesiæ dedicans. » Idem, lib. I *Contra Jovinian.*, virginitatis merito tribuit, quod omnibus in Babylonem ductis, ac cæteris omnibus, etiam templo, solo æquatis, solus Jeremias non modo servatus, sed victorum dono stipendiatus sit. Et « cum Nabuchodonosor, ait, Nabuzardano de Sanctis sanctorum non præceperit, præcepit tamen de Jeremia servando. » Rursum Jeremias omnis criminis per totam vitam expers fuit, ait S. Athanasius, serm. 4 *Contra Arianos*. Crimen est peccatum lethale, non veniale (1).

Omnis criminis per totam vitam expers.

Tertio, fuit sacerdos, doctor, propheta et apostolus.

Tertio, Jeremias fuit sacerdos (2), doctor, propheta et apostolus immediate a Deo missus, qui humanitate et condolentia in proximos, Prophetas omnes superavit, atque, ut ait Nazianzenus, orat. 17 *ad Cives Nazianzi*, initio : « Prophetarum omnium ad commiserationem fuit propensissimus. » Ipse enim solus solo Deo nixus, in summa reipublicæ perturbatione, urbis obsidione et excidio, fratrum salutem ardentissime, quasi alter Paulus, procurabat, idemque fecit post mortem, II, *Mach.* XV, 14, ubi Onias Judæ Machabæo dixit: « Hic est, qui multum orat pro populo, et universa sancta civitate, Jeremias propheta Dei. » Fuit etiam illustris scriptor hagiographus : multa enim scripsit vel dictavit, scilicet hanc prophetiam, item *Threnos*, librum *Baruch*, librum III et IV *Regum*. Hos enim usque ad Hierosolymæ excidium, ex publicis diariis et chronicis collegisse Jeremiam docent Procopius Gazensis, Isidorus et Moses Kimchi, quos refert Sixtus Senensis, lib. I. Idipsum confirmat, quod caput ultimum *Jeremiæ*, ultimum quoque est lib. IV *Regum*. Addit Abulensis in lib. *Judicum*, cap. XVII, vers. 4, Jeremiam etiam duos primos *Regum* libros composuisse. Addunt alii, *Psalm.* LXIV : « Te decet hymnus, » et *Psalm.* CXXXVI : « Super flumina Babylonis, » a Jeremia esse conscriptos, aliaque plura, quæ congerit Sixtus Senensis, lib. II. *Biblioth.*, verbo *Jeremias*, et a Castro hic. In bibliotheca Vaticana, vidi Paralipomena Jeremiæ græco sermone, in quibus erant litteræ Baruch et Abdemelech Æthiopis ad Jeremiam, et vicissim Jeremiæ ad istas responsoriæ. Verum cum harum veteres non meminerint, nec codex Vaticanus Epiphanium, Dorothæum, aut aliquem veterum citet, qui hæc Paralipomena posteritati consignarit aut probarit; hinc ea omittere malui, quam incerta cum certis commiscere. Denique plura scripsisse Jeremiam quæ temporum injuria interciderunt, patet ex *Descriptionibus Jeremiæ*, quæ citantur II *Machab.* cap. II, 1, et nunc nusquam inveniuntur.

Quarto, fuit calamitosissimus et constantissimus, typusque Christi crucifixi.

Quarto, Jeremias Judæis rebellibus minabatur excidium urbis, ideoque dirissima ab eis passus, scilicet probra, alapas, verbera, famem, carcerem; sæpe a toto populo reus mortis proclamatus fuit, ac tandem occisus; itaque Christi a Judæis afflicti et crucifixi, expressissimus fuit typus; unde de eo æque ac de Christo dicunt Judæi, cap. XI, 19 : « Mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium. » Hinc Jeremias apte hebraice vocatur ירמיהו *Iirmiahu*, id est *excelsus*, vel *sublimitas Domini*, ait Hieronymus, aut *extollens Dominum*, a radice רום *rum*, id est altus fuit. Rursum Jeremias idem est quod projectio Domini, si nomen hoc deducas a radice רמה *rama*, id est projecit, et יה *ia*, quod est abbreviatum *Iehova*, id est Dominus : fuit enim Jeremias (ut ait Isidorus Pelusiota discipulus S. Chrysostomi, libr. I, *epist.* 298), πολυπαθέστατος, id est calamitosissimus, atque in summa et longa calamitate ingentem ostendit animi constantiam et celsitudinem, suoque exemplo docuit nos illud Antonii in *Melissa*, part. II, *serm.* 89 : Dum cæderis, firmiter quasi incudi stato; generosi est athletæ cædi et vincere, maxime vero propter Deum omnia nobis patiendi sunt, ut et ipse nos patiatur. » Addit Ecclesiasticus cap. XLIX, vers. 8, Jerusalem esse excisam a Chaldæis, ob male tractatum Jeremiam : « Incenderunt, inquit, electam sanctitatis civitatem, et desertas fecerunt vias ipsius in manu Jeremiæ. Nam male tractaverunt illum, qui a ventre matris consecratus est Propheta, evertere, et erue-

(1) Omnis eum lethalis culpæ expertem facit cum S. Athanasio S. Hieronymus, Origenes, S. Ambrosius, S. Gregorius Nazianzenus, S. Leo, S. Petrus Damianus et S. Thomas, qui omnibus in utero sanctificatis id commune facit. Vide cap. I, vers. 4.

(2) Sacerdotium obire potuisse Jeremiam utpote sacerdotali stirpe oriundum, haud merito quisquam in dubium vocaverit, obiisse vero et sacrificiis in templo operam dedisse, nullo argumento demonstrari potest. Potiores sane partes ipsi in prophetico munere fuerunt, cui admodum juvenis admovebatur, quod cum ex eo quod munus sibi imponendum ob juvenilem ætatem deprecaretur (I, 6), tum ex temporis quo officio suo præfuit spatio satis diuturno, colligere licet. (Rosenmuller.)

re, et perdere, et iterum ædificare, et renovare.»

Quinto, Jeremias, ut dixi, fuit martyr. Unde Tertullianus in *Scorpiaco*, cap. VIII : « Jeremias, ait, lapidatur, Isaias serratur, Zacharias inter ædem et altare occiditur, perennes cruoris sui maculas silicibus assignans, et utique qui spiritu Dei agebantur, ab ipso in martyria dirigebantur, etiam patiendo quæ et prædicassent.» Unde illud *Hebr.* XI, 37 : « Lapidati sunt, » multi Interpretes referunt ad Jeremiam. Merito ergo Jeremias defunctus et in limbo existens, apparuit Judæ Machabæo, « ætate et gloria mirabilis, et magni decoris habitudine » vallatus, II *Machab.* XV, 13.

Sexto, aliqui censent eum vivere in paradiso.

Sexto, Victorinus Martyr censuit Jeremiam in paradiso vivere, atque venturum cum Elia, ut prophetet et opponat se Antichristo : cujus sententiæ meminit quoque S. Hilarius, Canon. XX *in Matth.* Probant id ex cap. I, 15. Sed alius illius loci est sensus, ut ibi dicam ; ex dictis enim liquet Jeremiam non vivere, sed occisum esse in Taphnis.

Quæst. 3. Quod sit argumentum Jeremiæ? Resp. primo. prædicit futura; secundo, vitia carpit; tertio, suos consolatur; quarto, scribit gesta sui ævi.

QUÆSTIO III. Quæres *tertio*, quod sit Jeremiæ argumentum, quidque ipse hoc libro agat?

Respondeo *primo*, partim prædicit futura, maxime Nabuchodonosoris adventum, urbis excidium et aliarum gentium ; partim hortatur ad virtutes vitæque emendationem ; partim increpat peccata, maxime idololatriam ; minatur, et sæpe lamentatur, totusque est patheticus. *Secundo*, consolatur suos, prædicitque post 70 annos liberationem e captivitate. *Tertio*, gesta sui temporis, tum regum, tum populi, tum sua dicta et facta sigillatim enarrat. *Quarto*, vaticinatur de Christi Ecclesia, vocatione Gentium, gratia et felicitate novi Testamenti. Idem argumentum tractant Ezechiel et Abdias. Unde magna pars Abdiæ in Jeremia continetur, ait S. Hieronymus in *Abdiam*, sub initium (1).

Dictavit hæc Jeremias scripsit vero, Baruch,

Secundo, dictavit hæc Jeremias afflatu spiritu Dei ; scripsit vero ea, dictante Baruch ejus scriba, ut patet cap. XXXVI, vers. 4, qui et prophetias Jeremiæ diverso tempore editas, in hoc volumen collegit, neglecto tamen ordine, unde priores sæpe postponit : qua de causa hic in Jeremia sæpe præposterus et perturbatus est ordo, vide *Can.* II. Hinc etiam ultimum caput additum est a Baruch ex cap. ult. lib. IV *Regum*. Hæc etiam est causa, cur Septuaginta subinde ordinem capitum qui est in Hebræo et Latino, commutarint, ut cap. XXIX, nostrum est XXXVI : apud Septuaginta cap. XXX, nostrum est XXXVII ; apud Septuaginta cap. XLVIII, nostrum est XXXI, apud Septuaginta, etc.

Tertio, quod ad stylum, Jeremias « quantum in verbis simplex videtur et facilis, tantum in majestate sensuum profundissimus est, » ait S. Hieronymus in Procœmio in lib. VI *Commentar. in Jeremiam* : ac more Hebræo, per varias similitudines et parabolas res ob oculos ponit, uti et Christus. Hebræum ejus idioma purum est, nec Chaldæo permixtum. Scripsit enim Jeremias ante captivitatem Babylonicam, ac consequenter ante corruptionem linguæ Hebraicæ, quæ facta est in Babylone : ibi enim cum Chaldæis chaldaizare cœperunt Judæi captivi (1). Ego more meo in Jeremiæ explicatione, duo maxime præ oculis habui, veritatem et brevitatem : illam secutum me scio, hanc assecutum.

Tradunt Hebræi Jeremiam prophetasse cum Sophonia et Olda : sed Jeremiam in vicis et plateis, Sophoniam in synagogis, Oldam in cœtu mulierum. Ridet hoc Ribera. Sonat enim fabellam Rabbinicam : talia enim tamque lepida

(1) Tres constitui possunt Jeremiæ prophetiarum partes generales. *Prima* vaticinia continet Judæos spectantia, quæ a Josiæ anno decimo tertio usque ad excidium urbis edita sunt, cap. I–XXXIX, itemque cap. XLV. *Secunda* vero ea amplectitur, quæ post urbis excidium ad Judæorum reliquias, partim in Judæa, partim forsan in Ægypto, edidit Jeremias, aspersis eorumdem temporum historiis, cap. XL–XLIV. *Tertia* tandem vaticinia comprehendit contra alias gentes, veluti Ægyptios, Philistæos, Moabitas, Ammonitas, Idumæos, Damascenos, Cedarenos, Ælamitas et Babylonios, cap. XLVI–LI. Toti operi, cap. LII, additur epilogus historicus, quo urbis excidium et quæ illud sunt consecuta, enarrantur.

(1) Jeremiæ conciones, ut bene notarunt omnes fere critici : Abarbenel, *Præf. Comm. in Jerem.*; Rosenmuller, *Prolegom. in Jerem.*, III ; Lowht, *De Poesi sacra Hebræor.* Prælect. XXI ; Eichornius, *Einleit. Band*, IV, ff. 154, 155 ; De Wette, *Lehrbuch der historisch-kritischen Einleitung*, § 217, etc., luctuosam temporum suorum conditionem, tristemque tunc populi sui statum referunt. Animum produnt acerbissimo dolore commotum perturbatumque, sensuque malorum, quæ miseræ patriæ vel imminerent, vel jam ingruerent, pene oppressum ; ita ut de illo dici queat quæ de tristi et lugubri Simonidis stylo feruntur : *Tristius lacrymis Simonideis*. In sententiis plerumque laxior est et solutior ; et genus dicendi quo utitur pedestre ut plurimum est atque remissius, multumque abest, ut assurgat ad sublimitatem admirabilemque orationis nitorem, quo eminet Isaias, imo habet aliquam negligentiæ et redundantiæ speciem. Cujus rationem hisce verbis explanat S. Hieronymus, *Prolog. ad Jerem.* : « Jeremias propheta sermone quidem apud Hebræos, Isaia et Osee et quibusdam aliis prophetis videtur esse rusticior ; sed sensibus par est, quippe qui eodem spiritu prophetaverit. Porro simplicitas eloquii de loco ei in quo natus est accidit. Fuit enim Anathotites, qui est usque hodie viculus.» Ubi tamen erant, inquit Rosenmuller, quæ ipsius animum vehementius afficerent, se altius extulit haud raro, magnumque patefacit dictionis poeticæ, ejusdemque elatioris impetum, quem tunc maxime ostendit, quando mala hostibus suæ gentis prænuntiabat, cap. XLVI-LI, in quorum contemplatione nihil erat quod leniores sensus excitaret ; cæterum in Jeremiæ oraculis frequentiores quam in reliquorum vatum scriptis, occurrunt voces et formæ quæ Aramæis sunt propriæ, ut v. g. *iod* quiescens adfixum secundæ personæ femininæ præteriti, veluti למדתי *docuisti*, II, 33 ; XIII, 21, etc. Item pronomen femininum אתי, IV, 30 ; et suffixum femininum כי in רעתכי *malitia tua*, XI, 15. Forma Aramaica est תזלי pro תאזלי *abit*, II, 36, הגלת pro הגלתה *captiva abducta est*, XIII, 19. Vox Aramaica est לפים *petræ*, IV, 29. Versus integer Chaldaico sermone expressus legitur X, 11. Quæ pro hebraicæ linguæ peritis notanda [illegible] animus.

solent esse Rabbinorum acumina et commenta.

S. Ambrosius, et ex eo S. Augustinus, lib. II *De Doctrina Christiana*, cap. XXVIII, asserunt Platonem tempore Jeremiæ in Ægypto fuisse, et ab eo didicisse quæ scripsit : « Nonne, inquit, memoratus Episcopus (Ambrosius) considerata historia gentium, cum Platonem reperisset Jeremiæ temporibus profectum fuisse in Ægyptum, ubi tum ille Propheta erat, probabilius esse ostendit, quod Plato potius nostris litteris per Jeremiam imbutus sit, ut illa posset docere vel scribere, quæ jure laudantur ? » Quocirca Genebrardus in *Chronolog.*, et ex eo Antonius Fernandius, lib. *De Vision. S. Script.* visione 11, in Procemio : « Jeremias, inquiunt, in Taphnis philosophiæ incunabula posuit, secretiore sapientia Hierophantas imbuens. Ejus fama excitati Græci, peregrinationes in Ægyptum susceperunt, et post septuaginta fere annos philosophiam in Græciam derivarunt. » Quæ cum grano salis accipienda sunt : nam, ut de Thalete, qui floruit sub Cyro, concedamus eum juvenem potuisse videre et audire Jeremiam in Ægypto ; certe Plato, qui ducentis annis Jeremiæ fuit posterior (vixit enim sub tempora Alexandri Magni), eum videre et audire non potuit : profectus tamen fuit in Ægyptum, ut sapientiam quam Ægyptii a Jeremia et Hebræis hauserant, perdisceret. Quocirca S. Augustinus suum dictum ita candide retractat, lib. I *Retract.* cap. IV : « In eo, inquit, quod dixi de temporum historia, tanquam coætanei fuerint Plato et Jeremias, fefellit memoria (1).»

Scripsit in varias e Jeremia sententias Origenes homilias 14, quæ exstant tom. I Origenis, quas in Latinum vertit S. Hieronymus. Scripsit quo-

qua ratione quæ prælegisset Jeremias prophetias litteris mandasset, sic respondit : « Ex ore suo loquebatur quasi legens ad me omnes sermones istos, et ego scribebam in volumine atramenti.» Verbum קָרָא *prælegendi* significatu usurpatur hujus ipsius capitis vers. 14; vide *Exod.* XXIV, 7; *Deut.* XVII, 19. Schnurrerus quidem in *Observatt. ad vaticinia Jeremiæ*, ad verba antea allata XXXVI, 18, hæc notat : « Quod autem Jeremias dictando rem omnem absolvit, haud obscurum indicium est, ex memoria nunc omnia ipsi haurienda fuisse et quasi repetenda; etenim scriptum quidquam si penes se habuisset, non erat cur dictaret Baruch, sed poterat illi quod scriptum esset tradere exscribendum.» Verum, ut bene notat Rosenmuller, potuit Jeremias Baruch quæ litteris essent mandanda prælegendo ideo dictare, ut caveret, ne forte Baruch alia a manu vatis rudioribus litteris exarata sinistre legens falso scriberet, alia per errorem oculi omitteret.

Alterutrum horum vero sumas, hoc certum videtur, illo quod Baruch dictante Jeremia exaravit volumine, vaticinia alio plane quam quo hodie comparent, ordine disposita fuisse. Nam qui nunc exstat Jeremiæ liber in parte priori (cap. I-XXXV) plura exhibet vaticinia, quæ Sedeciæ demum tempore sunt edita (cap. XXI, XXIV, XXVIII, XXIX, XXX, 2; XXXII, XXXIII, XXXIV), quæ sane ei volumini, quod Baruch quarto Joakimi anno scripsit, inesse non poterant. Contra, haud pauca, quæ illud continere debuerat, utpote quarto Joakimi anno jam edita, in eo quem nos possidemus Jeremiæ libro, partem ejus posteriorem occupant.

Secundo, illa prior quæstio huic sequenti viam facit, scilicet an quæ Jeremiæ libro continentur vaticinia sint secundum temporis, quo sunt edita, ordinem disposita. Cui quidem quæstioni respondemus negative, nam, inquit Rosenmuller, Jeremiæ librum pervolventi mox in oculos incurrere necesse est, mire turbatum esse vaticiniorum ordinem, nec eorum seriem regum successioni temporumve ordini respondere. Argumento sunt omnia fere quæ anni, quo sunt edita, notam præfixam habent oracula, quod quæ antecesserant, in ultimum pene locum, aut dudum post medium sint rejecta, rursusque postremo pronuntiata sub Sedecia, regum ultimo, priori loco posita compareant....

Porro, quæ sit causa hujus perturbati ordinis, non una est omnium interpretum sententia. Nam alii eam repetunt inde quod, cum rite prius inter se disposita fuissent vaticinia, casu deinde, vel librariorum incuria ad hunc modum essent confusa. Vitringa sparsim editas schedisque singulis inscriptas Jeremiæ prophetias, post ejus demum excessum a Baruch collectas turbatoque annorum numero in unum volumen coaluisse censet; sed quæ species veritatis Baruch Jeremiæ coævum ista oracula in ordine quo nunc sunt, nullum temporum habita ratione, collegisse? Juxta Eichornium (*Einleit. in das alte Testam.* tom. III) vates quarto demum Joakimi anno vaticinia, quæ usque ad hoc tempus edidit, litteris mandari curavit, nec tamen temporis quo edita essent, ordine servato, quod ea memoriter dictasset. Illa singulis schedis, ut Eichorni fert opinio, a Baruch inscripta vaticinia temporis successu novis adaucta post dirutam urbem conscribi in unum volumen curavit, quod exsulibus Babyloniam miserit. Quas vero secum retinuisset chartas, vatem in Ægyptum delatum existimat Eichornius retractasse, et alia vaticinia, nec tum tamen secundum temporis ordinem disposita, limasse et interpolasse, alia auxisse et amplificasse, aliis subinde adjecisse, quæ ad ea clariora reddenda et melius intelligenda facerent, quædam et plane nova addidisse, atque hæc omnia serie continua in unum volumen perscribi

(1) Authenticitas prophetiarum quæ nomine Jeremiæ inscribuntur, iis omnibus momentis nititur, quæ alius quilibet liber vere authenticus sibi vindicare potest, inquit Carpzovius, *Introd. ad lib. Vet. Testam.* part. III, cap. III, § 3, scilicet argumentis *extrinsecis* ex scriptoribus sacris et traditione depromptis, *intrinsecis*, ex nomine Prophetæ, de se semper ut oraculorum auctore loquentis, ex convenientia temporis, et omnibus circumstantiis historicis quibus alludit, et *indirectis*, eo quod impossibile sit ad aliud tempus vel ad alium auctorem hujus libri originem referre.

Attamen quæstionem movent hæ tres difficultates quæ serio legenti Jeremiæ prophetias occurrunt. *Primo*, quæ nunc exstant Jeremiæ vaticinia sunt ne eadem quæ dictante vate excepit, litterisque mandavit Baruch? Nam legimus, cap. XXXVI, Jeremiam quarto Joakimi anno jussum a Deo, ut quæ ejus mandato edidisset oracula in librum conscriberet, publice postea in templo Judæis prælegendum, ad se arcessisse Baruch filium Neriæ, scribam, cui dictarit calamo excipienda quæcumque inde ab eo tempore quo vatem agere cœpit, usque ad quartum Joakimi annum tam in Judæos quam in alias gentes pronuntiasset; discisso vero et in ignem conjecto a Joakimo rege volumine illo (vers. 23) vatem adornasse novum codicem, cui eadem, quæ priori oracula a Baruch denuo inscribi et novis augeri curasset (vers. 31, 32, conf. XXV, 1-3; XLV, 1). Incertum est, recitaritne memoriter quæcumque recordaretur ex iis oraculis, quæ per viginti trium annorum spatium edidit, an vero prælegerit Baruch e volumine sua ipsius manu scripto, in quo vaticinia et singula ediderat, litteris mandavit. Verba quidem hebraica vers. 18 utrumque admittunt. Rogatus enim Baruch, XXXVI, 18,

que in Jeremiam S. Hieronymus usque ad cap. XXXII. Dubitarunt nonnulli an hic Commentarius sit S. Hieronymi, eo quod ejus vigorem et acrimoniam non referat. Verum Rabanus, Cassiodorus, Marianus, Trithemius, Sixtus Senensis, Doctores Lovanienses et alii passim tribuunt eum S. Hieronymo. Quinimo Rabanus fatetur se suum Commentarium *in Jeremiam* usque ad cap. XXXII, confecisse ex hoc Commentario S. Hieronymi paucis additis ex suo, et ex Origene et S. Gregorio. Quare Commentarius Rabani non est idem cum Commentario S. Hieronymi, sed ex eo depromptus, eoque auctior, ut patet utrumque conferenti. Porro minus acrem hic esse S. Hieronymum non mirum; erat enim ipse hæc scribens, morbis, laboribus et ætate confectus; fuit enim hoc ejus ultimum opus in Prophetas, ut ipse fatetur in Procœmio, dum sic orditur : « Post explanationem duodecim Prophetarum, et Isaiæ, Danielis et Ezechielis, ad extremum in Jeremiam manum mittimus. » Adde, brevior cæteris est hic ejus Commentarius, et imperfectus : finitur enim cap. XXXII.

Scripserunt insuper in totum Jeremiam Theodoretus, Rupertus, S. Thomas, Hugo, Lyranus, Dionysius, Vatablus, Andræus Capella; atque novissime exactissimeque Christophorus a Castro, Joannes Maldonatus et Gaspardus Sanchez, omnes e Societate nostra (1).

curasse, quod syntagma a Judæis Palæstinensibus postea inter suos libros sacros relatum, id ipsum esse quod nos hodie legimus. Quæ quidem Eichornii sententia longe absonior Vitringæ opinione. Nam admisso quod non probatur, Jeremiam memoriter dictasse sua oracula, non inde sequitur illa confuso ordine scribenda dictasse. Aliunde, si revera duas plane diversas suorum oraculorum dederit Jeremias (quæ hypothesis mere gratuita dici potest) unam breviorem et minus perfectam quam secum in Ægyptum asportaverit, et quæ versioni Septuaginta textum præbuerit; alterum fusiorem, simulque correctiorem quæ Judæis in Babyloniam missa fuit, et unde venit textus hebraicus qualem nunc habemus, quis admittet Jeremiam in secunda editione quam ut correctiorem præbent non convenientiori ordine sua oracula disposuisse?

Quod si a nobis vera hujus perturbati ordinis quæratur, respondemus nos dubitare veram rationem ordinis, quo hæc vaticinia hodie comparent, conjectura quemquam assequi posse. Attamen hæ duæ explanationes majorem probabilitatem habere nobis videntur. Vel *primo*, sparsa permixtaque, quibus vaticinia inscripta fuerunt, folia multo post a compilatore quodam, nulla habita temporum ratione, tumultuarie opera fuere collecta; vel *secundo*, passim plures non uno tempore habiti sermones juncti sunt ob argumenti similitudinem; quamvis omnes absolute Jeremiæ conciones ita dispositas fuisse, ut quæ vicini sint argumenti sint conjunctæ demonstrari vix possit.

Tertio, græca Septuaginta hujus libri interpretatio textum hebræum non per omnia accurate reddit. *Primum* enim vaticinia inde a cap. XXV, 15, usque ad libri finem in illo ordine plane alio quam in hebræo, sunt disposita, ut videre est duos textus, hebræum et græcum inter se conferendo. Præterea desiderantur in hac versione non modo multæ singulæ voces (vid. I, 11; II, 17; III, 1, 9, 10; V, 13, 15; VII, 13, 21; VIII, 4, 10, 13, 17; IX, 12, 16, 22, 25; XI, 22; XV, 11, 15; XVI, 1, 5, 6). Verum et integri versus (veluti VII, 1, 2; XXXIV hebr. XXVII, 12, 13, 14, 19, 22; XXXVI hebr. XXIX, 13, 21), et loca quoque longiora (ut XL hebr. XXXIII, 14, 26; XLVI hebr. XXXIX, 4, 15), contra subinde græca interpretatio exhibet quæ in textu hebraico non exstant (vid. II, 28, 30, 31; III, 7, 17, 18; IV, 2, 26, 29; V, 17, 18; VII, 4, 10; XXXV hebr. XXVIII, 10; XXXVI hebr. XXIX, 1, 8). Quæ quidem discrepantiæ græcæ interpretationis ab ea in qua nunc nostri codices omnes consentiunt, textu hebræo, jam ab Origene commemoratæ, et in antiquis latinis versionibus e græca factis ab Hieronymo repertæ, tam sunt frequentes, ut neque librariorum oscitantiæ, nec interpretis aut negligentiæ, aut consilio deberi credibile sit, inquit Rosenmuller, quæ tamen est S. Hieronymi opinio in *Præf. ad Comment. in Jerem.* Igitur textum hebræum quo Græcus interpres usus est in pluribus locis aliter et brevius quam noster, comparatum et dispositum fuisse necesse est. Videtur jam tum, addit idem auctor, cum Jeremiæ liber primum in græcum sermonem est translatus, duplex potissimum textus illius recensio in codicibus exstitisse, altera magis germana inter Palæstinenses Judæos propagata, quam nostri hebræi codices exhibent, altera negligentius procurata, mutila et passim interpolata, qua Judæi Ægyptii utebantur, e qua Græca Alexandrina interpretatio est confecta.

Istam sententiam cui et ipse Eichornn assentitur, rejicit Michaelis et e contra illam editionem e qua græca interpretatio fluxit, genuinam et ab intrusis scholiis puram esse censet, nostrum vero textum hebraicum depravatum fuisse variis additamentis autumat; prorsus abjudicanda est ista Michaelis opinio quæ Vulgatæ nostræ, quam expressis terminis concilium Tridentinum authenticam declaravit auctoritatem, labefactat et destruit.

Admitti igitur potest textum hebræum quem transtulit Græcus Interpres, minus integrum fuisse quam ille quo utimur, et *secundo*, forsan addi potest sive Græcum Interpretem plurimos locos prætermisisse vel inadvertentia, vel quia alibi inveniebantur, sive amanuensium incuria, vel temeritate, hæc ut superflua et redundantia circumcisa fuisse. Nemo est enim qui non fateatur Septuaginta versionem permultas hujus generis correctiones pertulisse. Cæterum istæ prætermissiones nullo modo authenticitati græcæ versionis præjudicari possunt; nam non sunt magni momenti, et quæ prætermittuntur sæpe in aliis hujus libri locis reperiuntur, ita ut ista versio generaliter sumpta sufficienter substantiam et vim inspirati textus referat, saltem in his quæ ad fidem vel ad mores pertinent.

De auctoritate divina et canonica hujus libri nihil dicemus, nisi quod Jeremiam sua vaticinia divino instinctu afflatum edidisse, adeoque jure merito inter libros sacros illa locum obtinere, Hebræis et Christianis omni tempore persuasum fuerit. Nam et Christus ipse dictis suis ex Jeremiæ vaticiniis lucem fœneratur, eorumque auctoritatem calculo suo comprobat, veluti in admonitione illa *Matth.* XI, 29, ex *Jerem.* VI, 16, in exprobranda domus suæ profanatione, *Matth.* XXI, 13; *Marc.* XI, 17; *Luc*, XIX, 46; *Joan.* II, 16, ex *Jerem.* VII, 11. Apostoli denique sæpius suis dictis auctoritatem et firmamentum adjungunt Jeremiæ affatis, veluti Paulus, *Rom.* IX, 21, ex *Jerem.* XVIII, 6; I *Cor.* I, 31, ex *Jerem.* IX, 24; II *Cor.* VI, 16, ex *Jerem.* XXXI, 1; *Hebr.* X, 15, ex *Jerem.* cap. XXXI, vers. 31.

(1) His interpretibus, aliosrecentiores, saltem celebriores, qui non sine fructu consulendi sunt, indigitare opportunum judicamus.

Inter Catholicos, Michael Ghislerus, Theatinus, qui Lugduni 1623 opus egregium edidit, cui titulus : *In Hieremiam Prophetam Commentarii juxta sensum litteralem, mysticum et moralem, et juxta lectiones, vulgatam, he-*

CHRONOTAXIS ORACULORUM, SIVE ORDO CAPITUM ET GESTORUM JEREMIÆ.

Quia ordo capitum et oraculorum in Jeremia valde perturbatus est, uti dixi, hinc ea suo ordine digeram, eaque seriatim in quatuor partes distribuam. Sequar Abulensem in fine lib. IV *Regum*, Torniellum, et maxime Christophorum a Castro, qui in Proœmio exactam habet chronotaxin.

Oracula Jeremiæ anno primo Joakim.

Prima ergo pars complectitur ea quæ Jeremias prophetavit sub Josia rege, quibus carpit idololatriam et vitia populi, minaturque excidium per Chaldæos. Incipit hæc a cap. I, et protenditur usque ad cap. XVII, exclusive, excepto cap. X, quod ad Sedeciæ, et cap. XIII, quod ad Joakim, et a vers. 18, ad Sedeciæ, tempora pertinet, uti mox dicam.

Secunda pars est eorum quæ prophetavit sub Joakim filio Josiæ, et Joachin, sive Jechonia filio Joakim : mortuo Josia, et amoto Joachaz filio ejus, adhuc funebri planctu durante, mittitur Jeremias ad Joakim, monetque ne fleat Josiam, sed potius Joachaz non rediturum ex Ægypto, et seipsum, eo quod sepultura asini sit sepeliendus. Huc ergo pertinet cap. XXII, a vers. 1 ad vers. 24, ut patet ex vers. 10 ibid.

Sub idem tempus, prophetans in atrio templi excidium urbis et templi capitur, et reus mortis agitur; sed ab Ahicam liberatur, uti narratur cap. XXVI; hic ergo collocandum est cap. XXVI.

Sub idem tempus, jubetur sumere catenas, postea sub Sedecia mittendas vicinis gentibus, ut patet cap. XXVII, a vers. 1 ad 4.

Sub idem tempus, prophetat ea quæ habentur cap. XVII, scilicet peccatum Juda esse indelebile, quod suppetiis Ægypti confisus, nollet se subjicere Babylonio jam se ad bellum paranti.

Anno 4 Joakim prophetat ea quæ habentur cap. XXV, de calice, id est clade activa Chaldæorum, quodque eis servient gentes 70 annis.

Eodem anno contigerunt ea quæ dicuntur cap. XLVI, a vers. 2 ad 12, de Pharaone Nechao cædendo, et paulo post cæso a Nabuchodonosore juxta Charcamos, eaque occasione mox pergit prophetare, Ægyptum subjugandam a Nabuchodonosore, ibidem, vers. 3 usque ad fin. cap.

Eodem anno contigerunt quæ dicuntur cap. XXXVI, de oraculis et minis Jeremiæ scribendis, et a Baruch legendis populo ex libro quem combussit Joakim, sed restauravit Jeremias, et quæ cap. XLV dicuntur de Baruch timente et confortato a Deo.

Anno circiter 7 Joakim contigerunt ea quæ narrantur cap. XXXV, de Rechabitis, et quæ dicuntur cap. XIII, a vers. 1 ad 18, de lumbari lineo, quod tulit ad Euphratem, deque laguncula contrita in signum cladis futuræ.

Mox secuta sunt dicta sub Joachim sive Jechonia filio Joakim. Nimirum cap. XXII, a vers. 24 ad finem, prophetat Jechoniam ducendum esse in Babylonem, et inde nunquam rediturum.

Cap. XXIII, invehitur in regum negligentiam, quod illa fuerit causa excidii et captivitatis populi, atque novam reipublicæ formam per Christum et Apostolos pollicetur.

Tertia pars continet oracula dicta sub Sedecia, qui Jechoniæ successit, usque ad excidium urbis inclusive.

Anno 1 Sedeciæ dicta sunt quæ habentur cap. XXIV, de duobus calathis ficuum, qui significabant bonam Jechoniæ et aliorum transmigrantium sortem; miseram vero Sedeciæ et aliorum Hierosolymæ manentium, et Chaldæis rebellantium.

Et quæ cap. XXIX scribuntur ad Jechoniam et alios in Babylone, quod ibi mansuri sint 70 annis.

Et quæ cap. XXX et XXXI prædicit de solvenda captivitate, tum temporali per Cyrum, tum spiritali per Christum.

Et quæ cap. XVIII habentur de figulo, cujus adinstar Deus potest populum fingere et refingere, eumque libertati restituere.

Et epistola quæ habetur cap. X, qua monet transmigratos, ne colant signa cœli et idola Chaldæorum.

bræam, paraphrasis Chaldaicæ, et Græcas, cum catena Græcorum Patrum, græce et latine, etc., etc., 3 in-fol.

Inter heterodoxos, Sebast. Schmidh edidit : *Commentarium in librum prophetiarum Jeremiæ, in quo textus exquisitiori analysi resolvitur, annotationibus ad singulos versus illustratur, singulis etiam deinde istis certi loci communes subjiciuntur.* Argentorati, 1685, in-4°, dein Francofurti ad Mœn. 1697 et 1705, duob. tom. in-4°. Ex hoc isto egregio commentario ex magna parte depromptæ sunt annotationes Bibliæ Joan. Henrici Michaelis.

Herm. Venema *Commentarius ad librum prophetiarum Jeremiæ, quo conciones rite distinguuntur, scopus, nexus et series sermonis accurate investigatur, perpetua paraphrasi exponitur et selectis observatis voces et phrases illustrantur, ac implementi demonstratione ubi opus fuerit confirmantur,* in lucem prodiit Leovardiæ 1765, 2 in-4°.

Commentarium Joan. Henr. Pareau, Leydæ edidit, 1790, in-8° inscriptum : *Threni Jeremiæ philologice et critice illustrati*, quem magni faciunt Scripturæ sacræ professores.

Em. Frid. Car. Rosenmuller, *Scholia in Jeremiæ vaticinia et Threnos,* 2 in-8°, Lipsiæ 1826 prodierunt, in quibus auctor non parvam utilitatem ex interpretibus qui ante scripserunt, duxit.

Joannes Georgius Dahler, Argentorati edidit 1825-1830, opus in Jeremiam, cui titulus : *Jérémie, traduit sur le texte original accompagné de notes explicatives, historiques et critiques,* quod satis elucidat Jeremiæ prophetias.

Addendi sunt ii Jeremiæ interpretes qui vel omnes veteris Testamenti libros, vel prophetas cunctos verterunt et commentariis explanarunt, et quidam alii qui aliquas tantum partes Jeremiæ prophetiarum exolanarunt, ut Hengstenberg qui in tertia parte *Christologiæ* in oracula quæ ad Christum referuntur annotationes philologicas scripsit bonæ frugis plenissimas.

Et quæ habentur cap. XXVII, 3, usque ad finem, de catenis missis ad vicinos reges; quæque habentur cap. XXVIII de earum confractione per Hananiam, et commutatione in ferreas.

Unde sub idem tempus, videntur dicta ea quæ cap. XLVIII et XLIX prophetat contra vicinos reges et gentes, scilicet contra Moab, Ammon, Idumæam, Damascum, Cedar et Ælam.

Sub annum 4 Sedeciæ. Cap. XIX, confregit lagunculam in atrio templi, ut ostenderet populum sic esse conterendum; hinc cap. XX, incarceratus a Phassur, minatur ei interitum; atque ex tædio vitæ, et ærumnarum acerbitate, maledicit diei nativitatis suæ.

Anno 4. Mox cap. L et LI, prophetat excidium Babylonis, per Cyrum et Darium : quod enim id factum sit anno 4 Sedeciæ, patet *Jeremiæ* LI, 59.

Anno 9. Cap. XIII, 18, mittitur Jeremias ad Sedeciam rebellantem Nabuchodonosori, et ad reginam, ut nuntiet eis regni eversionem. Patet id IV *Reg.* cap. XXIV, 20, et cap. XV, 1, et ex Josepho, lib. X *Antiq.* cap. X.

Cap. XXXIV, obsessa jam Jerusalem, cum Judæi fœdus cum Deo renovassent (ideoque Chaldæi recessissent pugnaturi contra Ægyptios), sed mox illud violassent, prædicit Chaldæorum reditum.

Cap. XXXVII, idem significat Sedeciæ; cumque egrederetur in Anathoth a Jeria captus, detrusus fuit in carcerem.

Cap. XLVII, prophetat Palæstinos vastandos per Chaldæos : hoc enim factum esse anno nono Sedeciæ, patebit cap. XLVII, 1.

Anno 10. Cap. XXI, cum rediisset Nabuchodonosor ad obsidionem Jerusalem, Sedeciæ mittenti, ut pro recessu hostis oraret, respondit Jeremias eum non recessurum, sed si salvus esse velit, ei se dedat.

Cap. XXXII, Jeremias in carcere jubetur emere agrum sui patruelis, ut per hoc significet, captivos e Babylone redituros ad suos agros.

Cap. XXXIII, promittit felicitatem post tempus captivitatis.

Sub annum undecimum. Cap. XXXVIII, conjicitur in lacum, cum prædicaret transfugientibus ad Chaldæos salutem, et interitum remanentibus, sed eductus ab Abdemelech, et collocutus cum rege, mansit in vestibulo carceris.

Cap. XXXIX, a vers. 15 usque ad finem, promittit Abdemelech incolumitatem in excidio urbis.

Mox cap. XXXIX, a vers. 1 usque ad vers. 15, capitur Jerusalem, Sedecias excæcatur, filii et principes occiduntur.

Quarta pars complectitur oracula et gesta post excidium Hierosolymæ.

Cap. XL, Nabuzardan commendat Jeremiam Godoliæ, quem Nabuchodonosor constituerat præsidem Judææ. Anno 1 ab excidio, qui annus explevit annum undecimum Sedeciæ.

Liber jam Jeremias videtur scripsisse epistolam ad abducendos Babylonem, de non colendis idolis Chaldæorum, quæ habetur cap. VI *Baruch.*

Urbe eversa, videtur composuisse Threnos.

Cap. XLI, Ismael mense septimo occidit Godoliam; et Johanan reducit et colligit reliquias populi, cogitatque fugam in Ægyptum.

Cap. XLII, principes consulunt Jeremiam, ille vetat fugam, aitque si fugiant in Ægyptum, eos ibi vastandos a Nabuchodonosore.

Cap. XLIII, principes non credentes Jeremiæ, et cogentes Jeremiam omnesque Judæos secum fugere in Ægyptum, perveniunt in Taphnis, ubi Jeremias prophetat excidium Ægypti per Chaldæos. Anno 2, qui erat 20 Nabuchodonosoris.

Cap. XLIV, Judæis in Ægypto, et Pharaoni Ephree minatur captivitatem : unde hac de causa videtur a Judæis paulo post fuisse lapidatus ante excidium Ægypti : hic enim finitur ejus prophetia, nec deinceps Jeremiæ fit mentio. Anno 4.

Nabuchodonosor invasit et occupavit Cœlesyriam, Ammonitas, Moabitas, et alias gentes, uti prædixerat Jeremias. Ita Josephus, lib. X *Antiq.* XI.

Eodem anno occupavit Ægyptum, Pharaonem Ephree occidit, Amasim regem constituit, Judæosque 745 captivos duxit Babylonem, ut patet *Jeremiæ* LII, 30, et ex Josepho. Inter eos ductus est Baruch; nam Jeremias jam erat occisus. Ita a Castro et alii. Sed verius videtur Ægyptum subactam esse a Nabuchodonosore post 12 annos, scilicet anno regni ejus 35, uti dicam *Ezech.* XXIX, 17.

Anno 6, qui erat quintus eversionis Jerusalem, et Nabuchodonosoris 26, die 17 mensis quinti, librum a se scriptum legit Baruch Babylone coram Jechonia, et toto populo, *Baruch* I.

QUOT ET QUIBUS IN REBUS JEREMIAS FUERIT TYPUS AUT PROPHETA CHRISTI (1).

JEREMIAS.	CHRISTUS.
I. Jeremiæ dicit Deus, cap. I, 5 : «Priusquam te formarem in utero, novi te : et antequam exires de vulva, sanctificavi te. »	Sic de Christo ait S. Matthæus, cap. I, 18 : « Inventa est (B. Maria mater Jesu) in utero habens de Spiritu Sancto. » Et Angelus, vers. 20 : « Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. » Item Angelus, *Lucæ* cap. I, 35 : « Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. » Denique Isaias, cap. XLIX, 1, de Christo ait : « Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei. »
II. Jeremiæ dicit Deus, cap. I, 5 : « Prophetam in gentibus dedi te; » et vers. 9 : « Ecce dedi verba mea in ore tuo : ecce constitui te hodie super gentes, et super regna, ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et ædifices, et plantes. »	Sic de Christo ait Isaias, cap. LI, 16 : « Posui verba mea in ore tuo... ut plantes cœlos, et fundes terram, et dicas ad Sion : Populus meus es tu; » et David, *Psalm.* II, 6 : « Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus; » et vers. 8 : « Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ. » Et Isaias, cap. XLIX, 6 : « Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ. »
III. Jeremiæ dicit Deus, cap. I, 18 : « Ne formides : ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam, et in columnam ferream, et in murum æreum super omnem terram. »	Sic Christus dicit de se : « Posuit (Dominus) os meum quasi gladium acutum : in umbra manus suæ protexit me, et posuit me sicut sagittam electam, » *Isaiæ* XLIX, 2.
IV. Jeremias ait, cap. I, 11 : « Virgam vigilantem ego video. »	De Christo dicitur, *Psal.* II, 9 : « Reges eos in virga ferrea, et tanquam vas figuli confringes eos. » Et *Psal.* XLIV, 7 : « Virga directionis virga regni tui. »
V. Jeremias ait, cap. II, 13 : « Ollam succensam ego video. »	De Christo judice dicitur, *Psal.* XCVI, 3 : « Ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus; » et *Luc.* III, 17 : « Paleas comburet igni inexstinguibili. »
VI. Jeremiæ, cap. I, 16, ait Deus : « Loquar judicia mea cum eis (gentibus) super omnem malitiam eorum. »	Christus constitutus est judex vivorum et mortuorum, atque in die judicii Sanctis dicet : « Venite, benedicti Patris mei, » impiis vero : « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, » *Matth.* cap. XXV, 30 et 41.
VII. Cap. II, 21, Deus per Jeremiam ait Synagogæ : « Ego plantavi te vineam electam, omne semen verum : quomodo ergo conversa es mihi in pravum, vinea aliena? »	Sic Christus eidem ait : « Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam, etc., et locavit eam agricolis : » illi autem servos, quin et filium heri occiderunt; ipse ergo « malos male perdet, » *Matth.* XXI, 33, 41.
VIII. Cap. III, clamat Deus per Jeremiam : « Aversatrix Israel, et prævaricatrix Juda, revertere ad me, sanabo aversiones tuas. »	Christus clamat, *Matth.* XI, 28 : « Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos. »
IX. Cap. VI, 6, Jeremias dicit Hierosolymæ : « Hæc est civitas visitationis; » id est punitionis et excidii, « omnis calumnia in medio ejus. »	Christus, videns Jerusalem, flevit super eam, dicens : « Quia si cognovisses et tu, etc., quia venient dies in te : et circumdabunt te inimici, etc., et ad terram prosternent te, etc., eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ, » *Luc.* XIX.
X. Cap. VII, 11, Jeremias ait : « Numquid spelunca latronum facta est domus ista, in qua invocatum est nomen meum? »	Christus ait, *Matth.* XXI, 13 : « Scriptum est : Domus mea domus orationis vocabitur; vos autem fecistis illam speluncam latronum. »

(1) Quæ fuerint similitudinis relationes inter Jeremiam et Christum luculenter et pie exponit Bossuet, in opere aureo cui titulus : *Méditations sur l'Evangile,* in ultima Christi hebdomada a die 98 ad 109.

XI. Cap. IX, 23, ait Dominus per Jeremiam : « Non glorietur sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis; sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire et nosse me, quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam et judicium, et justitiam in terra. »

Christus ait per Paulum, I *Cor.* I, 27 : « Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes : et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia : et ignobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret; ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus. Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio; ut quemadmodum scriptum est : Qui gloriatur, in Domino glorietur. »

XII. Cap. XI, 19, ait Jeremias : « Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam : et non cognovi. »

De Christo ait Isaias, cap. LIII, 7 : « Sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se, obmutescet, et non aperiet os suum. »

XIII. Ibidem ait Jeremias : « Cogitaverunt super me consilia, dicentes : Mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium. »

Judæi cogitaverunt Christum crucifigere, et acclamarunt Pilato : « Crucifige, crucifige eum, » *Joan.* XIX, 6.

XIV. Cap. XIV, 8, Jeremias ait Deo : « Exspectatio Israel, salvator ejus in tempore tribulationis; quare quasi colonus futurus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum? »

Talis viator fuit Christus, qui per omnem Judæam discurrit evangelizando, et post tres annos prædicationis, relicta terra quasi hospitio, ad suum rediit cœlum.

XV. Cap. XV, 10, ait Jeremias : « Væ mihi, mater mea! quare genuisti me virum rixæ, virum discordiæ in universa terra? omnes maledicunt mihi. »

De Christo ait Simeon : « Positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur, » *Luc.* cap. II, vers. 34.

XVI. Cap. XVI, 16, ait Deus Jeremiæ : « Ecce, ego mittam piscatores multos; et piscabuntur eos. »

Christus vocavit Petrum et Andream piscatores dicens : « Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum, » *Matth.* IV, 19.

XVII. Cap. XVIII, 6 et 11, ait Deus : « Sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea, domus Israel. Ecce, ego fingo contra vos malum. »

Sic Christus ex eodem luto et massa generis humani, facit « aliud vas in honorem, aliud in contumeliam, » *Rom.* IX, 21 et 22.

XVIII. Cap. XVIII, 18, dixerunt Judæi : « Venite, et cogitemus contra Jeremiam cogitationes : et percutiamus eum lingua. »

Sic Judæi contra Jesum consilium inierunt, ut eum in sermone caperent, utque eum dolo tenerent; imo falsos testes contra eum quæsiverunt et subornarunt, *Matth.* cap. XXII, 15, et *Matth.* cap. XXVI, 59.

XIX. Cap. XX, 2, Phassur percussit Jeremiam Prophetam.

Sic « unus ministrorum dedit alapam Jesu, dicens : Sic respondes Pontifici? » *Joan.* cap. XVIII, vers. 22.

XX. Cap. XX, 7, ait Jeremias : « Factus sum in derisum tota die, omnes subsannant me. »

Sic Christus ait, *Psalm.* XXI, 7 : « Ego autem sum vermis, et non homo, opprobrium hominum, et abjectio plebis; omnes videntes me, deriserunt me : locuti sunt labiis, et moverunt caput. »

XXI. Cap. XXVI, 11, Jeremias, quia prophetat excidium urbis et templi, audit : « Judicium mortis est viro huic. »

Christus, quia dixisse ferebatur : « Possum destruere templum Dei, » etc., audit a Caipha totoque concilio : « Reus est mortis, » *Matth.* XXVI 61 et 66.

XXII. Cap. XXVI, 15, Jeremias ait : « Si occideritis me, sanguinem innocentem tradetis contra vosmetipsos, et contra civitatem istam. »

Judæi clamantes contra Christum : « Crucifige eum, » dicunt Pilato Christum innocentem liberare volenti : « Sanguis ejus super nos, et super filios nostros, » *Matth.* XXVII, 25.

XXIII. Cap. XXXI, 15, Jeremias ait : « Vox in excelso audita est lamentationis, luctus et fletus Rachel plorantis filios suos et nolentis consolari super eis, quia non sunt. »

Matth. II, 17, in infanticidio Herodis ait : « Tunc adimpletum est quod dictum est per Jeremiam prophetam dicentem : Vox in Rama audita est, ploratus et ululatus multus, Rachel plorans filios suos, et noluit consolari, quia non sunt. »

XXIV. Cap. 31, 22, ait Jeremias : « Creavit Do-

Isaias, cap. VII, 14, et ex eo *Matth.* I, 23, de Chri-

minus novum super terram : FEMINA CIRCUMDABIT VIRUM. »

XXV. Cap. XXXI, 31, ait Dominus Jeremiæ : « Ecce dies venient, et feriam domui Israel et domui Juda fœdus novum. »

XXVI. Cap. XXXVI, 26 : « Præcepit rex Joakim, ut comprehenderent Baruch scribam, et Jeremiam Prophetam ; abscondit autem eos Dominus. »

XXVII. Cap. XXXVII, 14, Principes Jeremiam cecíderunt, et miserunt in carcerem.

XXVIII. Cap. XXXIX, Jeremias, a suis neci destinatus, a Nabuchodonosore et Chaldæis honorifice susceptus est.

XXIX. Cap. XLIII, 5, Johanan timens Nabuchodonosorem fugit, duxitque Jeremiam secum in Ægyptum.

sto et virgine matre dicunt : « Ecce Virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel, id est Nobiscum Deus. »

Christus hoc fœdus et testamentum instituit *Hebr.* VIII ; *Matth.* XXVI, 28.

Sic Judæi quæsierunt sæpe comprehendere Jesum : « Ipse autem abscondit se, et transiens per medium illorum ibat, » atque sub finem vitæ, secessit in civitatem Ephrem, *Joan.* XI, 54.

Sic Judæi Christum ceperunt, colaphizarunt et flagellarunt.

Ita Christus « in propria venit, et sui eum non receperunt : » scilicet Judæi eum occiderunt, sed Gentes eum susceperunt et coluerunt.

Sic Joseph, timens Herodem infanticidam, puerum duxit in Ægyptum, *Matth.* II, 14.

Denique audi Esdram, vel quisquis est auctor, lib. IV *Esdræ*, cap. II, 18 : « Mittam tibi adjutorium pueros meos : Isaiam et Jeremiam, ad quorum consilium sanctificavi et paravi tibi arbores duodecim, gravatas variis fructibus, et totidem fontes fluentes lac et mel, et montes immensos septem, habentes rosam et lilium, in quibus gaudio implebo filios tuos. » Per arbores et fontes duodecim, duodecim Apostoli, et duodecim Symboli eorum articuli ; per septem montes, septem Ecclesiæ Sacramenta significari videntur, quibus novam Christi Ecclesiam ornandam prædixerunt Isaias et Jeremias. Esto enim hic Esdræ liber non sit in canone sacræ Scripturæ ; habet tamen suum auctoritatis pondus, idque majus quam aliorum Doctorum libri : unde et Ecclesia illum libris canonicis proxime subnectit.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Est hoc caput proœmium totius libri : docet enim Jeremias, quomodo a Deo ad munus prophetiæ destinatus sit, et quasi consecratus ab utero, idque ad hoc, ut attentionem sibi conciliet. Unde secundo, vers. 6, *vocatus a Deo ad prophetandum se excusat, dicens :* Quia puer ego sum. *Cui Deus :* Ecce dedi verba mea in ore tuo : Ecce constitui te hodie super gentes, et super regna. *Tertio, vers.* 11, *videt virgam vigilantem, et ollam succensam, per eaque portendi excidium Judææ per Chaldæos audit. Denique, vers.* 18, *eum roborans Deus ait :* Dedi te hodie in civitatem munitam, et in columnam ferream, et in murum æreum, *ut fortior sis regibus et principibus omnibus* (1).

1. Verba Jeremiæ filii Helciæ, de sacerdotibus, qui fuerunt in Anathoth, in terra Benjamin. 2. Quod factum est verbum Domini ad eum in diebus Josiæ filii Amon regis Juda, in tertio decimo anno regni ejus. 3. Et factum est in diebus Joakim filii Josiæ regis Juda, usque ad consummationem undecimi anni Sedeciæ filii Josiæ regis Juda, usque ad transmigrationem Jerusalem, in mense quinto. 4. Et factum est verbum Domini ad me, dicens : 5. Priusquam te formarem in utero, novi te : et antequam exires de vulva, sanctificavi te, et prophetam in Gentibus dedi te. 6. Et dixi, A, a, a, Domine Deus : ecce nescio loqui, quia puer ego sum. 7. Et dixit Dominus ad me : Noli dicere : Puer sum : quoniam ad omnia, quæ mittam te, ibis : et universa, quæcumque mandavero tibi, loqueris. 8. Ne timeas a facie eorum : quia tecum ego sum, ut eruam te, dicit Dominus. 9. Et misit Dominus manum suam, et tetigit os meum : et dixit Dominus ad me : Ecce dedi verba mea in ore tuo : 10. ecce constitui te hodie super gentes, et super regna, ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et ædifices, et plantes. 11. Et factum est verbum Domini ad me, dicens : Quid tu vides, Jeremia? Et dixi : Virgam vigilantem ego video. 12. Et dixit Dominus ad me : Bene vidisti, quia vigilabo ego super verbo meo ut faciam illud. 13. Et factum est verbum Domini secundo ad me, dicens : Quid tu vides? Et dixi : Ollam succensam ego video, et faciem ejus a facie Aquilonis. 14. Et dixit Dominus ad me : Ab Aquilone pandetur malum super omnes habitatores terræ. 15. Quia ecce ego convocabo omnes cognationes regnorum Aquilonis, ait Dominus : et venient et ponent unusquisque solium suum in introitu portarum Jerusalem, et super omnes muros ejus in circuitu, et super universas urbes Juda. 16. Et loquar judicia mea cum eis super omnem malitiam eorum qui dereliquerunt me, et libaverunt diis alienis, et adoraverunt opus manuum suarum. 17. Tu ergo accinge lumbos tuos, et surge, et loquere ad eos omnia quæ ego præcipio tibi. Ne formides a facie eorum : nec enim timere te faciam vultum eorum. 18. Ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam, et in columnam ferream, et in murum æreum, super omnem terram, regibus Juda, principibus ejus, et sacerdotibus, et populo terræ. 19. Et bellabunt adversum te, et non prævalebunt : quia ego tecum sum, ait Dominus, ut liberem te.

Vers. 1. 1. VERBA JEREMIÆ. — Titulus libri est, sicut ille apud *Isaiam*, cap. I, « visio Isaiæ, » *q. d.* Hic liber continet verba Jeremiæ, puta verba Dei, scilicet oracula quæ locutus est Deus ad Jeremiam, quæque Jeremias audivit a Deo; unde Septuaginta vertunt, *verbum Dei quod factum est ad Jeremiam*.

(1) Istud proœmium est : PRIMO, *biblicum*, notans *primo*, auctoris nomen et genus, 1; *secundo*, libri titulum, et prophetiæ ac scriptionis tempus, 2, 3. SECUNDO, *historicum*, enarrans, *primo*, Dei Jeremiam in Prophetam antequam natus esset destinantis, vocationem, 4, 5; *secundo*, Jeremiæ pueritiam suam obtendentis ex-

Ita S. Hieronymus, Theodoretus et Rabanus. *Secundo*, planius et plenius, *q. d.* Hæc sunt verba, id est prophetiæ, quas a Deo acceptas Jeremias dixit et prolocutus est ad populum. Ita Chaldæus, Lyranus et Vatablus.

Helcias pater Jeremiæ, fuitne pontifex? Asserunt aliqui.

FILII HELCIÆ. — Clemens Alexandrinus, libro I *Strom.*, S. Hieronymus vel quisquis est auctor *Quæst. Hebr.* in lib. I *Paral.*, Paulus Burgensis, Maldonatus et Hebræi putant Helciam hunc Jeremiæ patrem fuisse summum pontificem, qui, anno 18 Josiæ (qui erat sextus ab eo tempore quo prophetare cœpit Jeremias), invenit in arca librum *Deuter.*, IV *Reg.* XXII, 8. Hic Helcias genuit Azariam, Azarias Saraiam, Saraias Esdram, I *Esdr.* VII, 1; ita ut Jeremias fuerit patruus Esdræ, utpote frater avi ejus, puta Azariæ.

Negant alii, idque verius est.

Verum, si Helcias fuisset summus pontifex, sane hoc non tacuisset Scriptura hic; quia hoc facit ad magnam Jeremiæ tum notitiam, tum dignitatem. *Secundo*, τὸ *de sacerdotibus*, plane significat eum vulgarem fuisse sacerdotem, non pontificem. *Tertio*, pontifices habitabant Hierosolymæ juxta templum, teste Josepho lib. XX *Antiq.* cap. XVIII; hic autem Helcias habitabat in Anathoth, unde tempore vicis suæ veniebat Hierosolymam, ut sacerdotio fungeretur. Ita Chaldæus, qui addit eum fuisse unum ex viginti quatuor præpositis templi. Ita et Sanchez in Procemio.

Vers. 2.

2. QUOD FACTUM EST, — est anastrophe: sic enim hæc ordinanda sunt, « verbum quod factum est.» Particulatim hic explicat titulum libri, scilicet τὸ *verba Jeremiæ*; est ergo hic sensus horum omnium usque ad vers. 4, *q. d.* Hæc « verba, » id est hæ prophetiæ, Jeremiæ sunt, et complectuntur omne verbum quod a Deo factum est ad Jeremiam in Judæa successive per 41 annos, scilicet a 13 Josiæ, et deinde sub Joakim usque ad mensem quintum anni undecimi Sedeciæ, quo capta est Jerusalem. Nota: Omittit Joachaz et Joachin, quia hi tantum tres menses regnaverunt. Aliter explicant Lyranus, Hugo, Dionysius, « quod, » id est quia, « factum est verbum, » etc. Sed hoc non fert sermo Latinus; alioqui ex Hebræo verti potest cum Vatablo, *secundum quod*, vel *quemadmodum factum est verbum Domini ad eum*.

IN TERTIO DECIMO ANNO REGNI — Josiæ. Nota: Ab hoc anno cœpit prophetare Jeremias; quia eodem anno videtur eversa fuisse Ninive a Cyaxare rege Medorum et a Nabuchodonosore seniore, qui fuit pater Nabuchodonosoris junioris sive Magni, eversoris Hierosolymæ; nam non post, sed ante Jerusalem, eversam fuisse Ninivem sub Josia diserte docet S. Hieronymus, Præfat. *in Jonam*, et Eusebius in *Chronico*, idemque colligitur ex Josepho, libro IX *Antiq.* cap. XI, ubi a tempore Joathan regis Juda, sub quo ipse ait Nahum prædixisse interitum Ninive, usque ad ejusdem eversionem effluxisse scribit annos 115. Atqui 13 annus Josiæ est 115, ab anno ultimo regni Joathan; quare hoc anno 13 Josiæ videtur eversa Ninive. Audi S. Hieronymum plures testes citantem: « Et revera, inquit, quantum ad Historias tam Hebræas quam Græcas pertinet, et maxime Herodotum; legimus Ninivem regnante apud Hebræos Josia et Astyage rege Medorum fuisse subversam. » Constat autem eam subversam a Chaldæis, adjuvantibus Medis, puta a Nabuchodonosore seniore, qui hoc anno 13 Josiæ regnare cœpit. Idem confirmat Tobias cap. ult. vers. 6, juncto cum vers. 10 et seq., ubi dicitur Tobiam juniorem antequam moreretur, audivisse perditionem Ninive, quam captivavit Nabuchodonosor, et Assuerus sive Cyaxares, ut habent Septuaginta; Tobias enim mortuus est anno ætatis 99, et puer sex vel septem annorum cum patre in Assyriam abductus est, anno 6 Ezechiæ; deme hos 7 annos a 99, habebis 92, quot sunt a 6 Ezechiæ ad 13 Josiæ, quo fit ut Tobias videatur mortuus esse hoc anno 13 Josiæ, paulo post eversionem Ninive. Jeremias ergo, quia hoc anno 13 Josiæ vidit monarchiam et sceptrum a Ninive et Assyriis transferri in Babylonios, hinc vidit eodem anno virgam eorum vigilantem, incubantemque Judææ, et aliis Gentibus; hinc omnibus inclamat: Consulite vobis; ecce enim « ascendit leo de cubili suo, prædo Gentium se levavit; egressus est de loco suo, ut ponat terram tuam in solitudinem, » cap. IV, vers. 7. Ita docent recentiores quidam exacti chronologi. Verum *Nahum* II, 2, ostendi Ninivem eversam esse 27 annis post mortem Josiæ, nimirum anno 24 Nabuchodonosoris junioris sive Magni. Probabilior ergo causa, cur anno 13 Josiæ cœperit prophetare Jeremias, est, quod sub hunc annum cœperit regnare Cyaxares in Media, et Nabuchodonosor senior in Babylonia, cujus filius Nabuchodonosor junior postea conjunctis copiis cum Cyaxare Niniven evertit, et monarchiam ab Assyriis ad Babylonios transtulit, ac consequenter Judæos aliasque omnes gentes armis sibi subjugavit. Hic enim est virga vigilans, quam anno 13 Josiæ vidit Jeremias. Adde: Probabile est quod Cyaxares cum Nabuchodonosore seniore cœperit obsidere Niniven sub annum 13 Josiæ, sed coactus est solvere obsidionem ob incursionem Scytharum; deinde eam resumpsit cum Nabuchodonosore juniore sub annum quintum ab excidio Hierosolymæ, tuncque eam expugnavit, de quo plura *Nahum* cap. II, vers. 2.

Anno 13 Josiæ, videtur eversa Ninive a Nabuchodonosor, idque tum ejus virgam vigilantem vidit Jeremias.

cusationem et deprecantis; munus sibi oblatum, cui se imparem sentiat, 6; *tertio*, Dei excusationem dissolventis responsum, protectionem spondentis promissionem, Prophetam initiantis symbolum, et munus explicantis mandatum, 7-10.

TERTIO, *propheticum*, *primo*, proponens visionem tum virgæ vigilantis, ad vigilem Dei curam in promissionibus et minis suis implendis significandam, 11, 12; tum ollæ succensæ ad excidium corruptissimo populo Judaico a Chaldæis imminens significandum, 13, 14; *secundo*, exponens postremi vaticinii argumentum et causam, 15, 16; *tertio*, repetens commendationem muneris obeundi, et promissionem auxilii præstandi, 17-19.

3. USQUE AD TRANSMIGRATIONEM. — Prophetavit etiam post transmigrationem, in Ægypto, ut patet cap. XLIV et seq. Verum plures et potiores ejus prophetiæ sunt de gentis suæ transmigratione et excidio, ideoque illi præviæ. Hinc eis hunc titulum præfixit, præsertim quia urbe et gente excisis, rebusque plane deploratis, putabat Jeremias se amplius non prophetaturum, utpote qui prophetiæ suæ videret jam finem et exitum. Sed secus accidit : prophetavit enim postmodum in Ægypto, illæque prophetiæ prioribus, quibus hunc titulum jam præfixerat, additæ sunt. Hinc factum est ut titulus hic jam ante operi præfixus manserit. Ita Sanchez.

Vers. 4. 4. ET FACTUM EST, — *q. d.* Fieri autem cœpit ad me verbum Domini. Cœpit Dominus ad me loqui, anno 13 Josiæ, dicens: « Priusquam te formarem in utero novi te. » Τὸ enim *factum est,* hic significat actum inchoatum, cum vers. 3, significet actum continuatum. Rursum τὸ *et* capitur pro *autem.*

Vers. 5. 5. PRIUSQUAM TE FORMAREM. — Tertullianus, lib. *De Anima,* cap. XXVI, legit, *priusquam te fingerem,* scilicet quasi figulus, uti ex luto finxi Adamum; hoc enim significat Hebræum יצר *iatsar.*

NOVI TE, — notitia approbationis, qua præscivi et prædestinavi te formare, id est creare hominem, atque efficere mei verbi ministrum et prophetam; cognoscere enim, scire aut præscire, pro prædestinare aliquando ponitur, ut *Rom.* XI, 2 : « Non repulit Deus plebem suam quam præscivit. » Ita S. Chrysostomus, hom. *De Jeremia,* tom. I, Origenes et Chaldæus. Censet Maldonatus idem esse hæc tria, « novi te, sanctificavi te, Prophetam in Gentibus dedi te. » Verum hæc distinguenda esse mox patebit.

Tropologice, nota hic magnos Sanctos a puero designari et destinari ad magna, idque sæpe per mira præsagia. Admiranda est S. Eucherii Aurelianensis historia. Nocte quadam illius genitrix, cum ab ecclesia, expletis nocturnis hymnis, domum rediisset, proprium ingressa cubiculum, quieti se dedit; viditque in somnis toro suo virum adstantem miri candoris vestibus indutum, capitis veneranda canitie splendidum, oculis instar gemmarum coruscantibus terribilem, sibique dicentem : « Ave, Deo dilecta, benedictum in utero tuo ferens puerum, olim in hac urbe a Deo electum futurum Antistitem. » Cui venerabilis matrona : « Obsecro te, inquit, ut benedictionem tuo ore mihi largiaris, priusquam a me discedas. Intueor enim vultum tuum veluti angelicum. » Ait illi Angelus : « Recte quidem cernis; ego enim angelus Dei sum, missus ab eo, ut benedicam proli, quæ est in utero tuo. Et quia admonenti ambiguitatem non opposuisti, sed a Deo missum me credidisti, jam benedicam tibi, et semini tuo ex te nascituro. » At illa expergefacta immensas SS. Trinitati referebat gratias, atque marito suo tantæ revelationis gaudia per ordinem explicavit. Ille vero hæc audiens, timore et gaudio perfusus, in gratiarum actione permanens, rei exspectabat eventum. Natum puerum baptizavit, et de sacra unda suscepit Ausbertus Augustodunensis Episcopus. Ita habet *Vita S. Eucherii,* 20 februarii.

Anno Domini 989, uti ex *Vita S. Stephani* refert Baronius, Geisa primus Hungarorum dux baptizatus, cum suos Hungaros ad fidem Christi traducere, ibique episcopatus fundare cogitaret, apparuit illi angelus dicens, ei nasciturum filium qui hoc perageret. Uxori quoque ejus, cum partui vicina esset, apparuit B. Levita et protomartyr Stephanus, Levitici habitus insignibus ornatus, ita eam compellans : « Confide, mulier, in Domino, et certa esto te filium parituram, cui primo hujus gentis et regnum et corona debetur. Tu vero illi nomen imponas meum. » Cum autem femina non sine admiratione sciscitaretur ab eo quisnam esset, aut quomodo vocaretur? sic respondit : « Ego sum Stephanus protomartyr, qui primus pro Christi nomine martyrium obivi. » His dictis disparuit. Nascitur itaque (ut prædictum erat) filius principi, notus Domino, secundum Prophetam, priusquam in utero conciperetur, et per Stephanum protomartyrem a Domino appellatus, antequam natus. Eum vero beatus et Deo dilectus Episcopus Adalbertus baptizavit, et nomen Stephani ei impositum est.

Cum B. Eligius (ut habet B. Audoenus Rothomagensis Episcopus in *Vita S. Eligii,* apud Surium 1 decembris), Noviomensis Episcopus matris adhuc alvo esset inclusus, vidit genitrix ejus visionem miram. Videbat quasi aquilam valde pulchram, supra suum volitantem stratum, ac se tertio inclamantem, sibique nescio quid pollicentem. Cumque ex reciproca voce evigilasset, perterrita nimis, cœpit mirari quænam esset hæc visio. Interea venit tempus pariendi, et præ magnitudine doloris cœpit mater periclitari. Vocaverunt autem quemdam religiosum presbyterum, boni testimonii virum, ut pro eadem oraret. Qui cum venisset ad eam, quasi propheticum mox usurpans verbum, ait ad illam : « Noli, inquiens, mater, timere, quoniam benedictum partum tibi Dominus dignabitur largiri. Erit enim vir sanctus, ac de gente sua electus, vocabiturque magnus in Ecclesia Christi sacerdos. »

Mater Æneæ Sylvii matrona nobilis, cui Victoria nomen erat, cum proxima esset partui, in somnis sibi visa est puerum se parere mitram in capite gestantem; quæ, ut pronæ semper in pejus mentes hominum sunt, verita est ut somnium illud puero et familiæ ignominiam portenderet; neque prius potuit hujusmodi suspicione levari, quam postquam intellexit, filium suum Episcopum Tergestinum designatum. Quo nuntio, omni prorsus metu liberata, immortali Deo gratias egit. Is postea fuit Pontifex Maximus, quem Pii II appellatione nostra vidit ætas, inquit Aventinus in *Vita Pii II.*

Audi Marcellinum presbyterum in *Vita S. Swi-*

berti Episcopi Werdensis, cap. I : « Adveniente hora, qua benedictus puer Swibertus a clarissima genitrice nasceretur, subito totam cameram, in qua felix Bertha pareret, fulgor nimius replevit, stupentibus et mirantibus cunctis, mansitque irreverberatis radiis protensus, donec peperit filium suum; quo nato, paulatim claritas recessit. Matronæ vero illic cum obstetricibus congregatæ glorificantes Deum, ubique promulgarunt magnalia claritatis piæ Comitissæ. »

Tempore Ethelredi, regis Merciorum, nobilis quidam regali progenie ortus, ex uxore sua nomine Tecta S. Guthlacum servum Dei progenuit. Ea vero hora, qua Dominus eum segregavit ex utero matris, cœlesti prognostico est designatus : manus enim quasi hominis, rubri nitoris, cœlitus missa, et ad ostium domus extensa, ineffabili fulgore coruscare visa est. Quæ signaculo crucis ostium muniens, felici præfiguravit auspicio, quod ille ad ortum procederet, qui constanti perseverantia Christi crucem in suo corpore circumferret. Hominum autem multitudo novitate miraculi stupefacta accurrens, inauditæ visionis prodigium, magnum divinæ dispensationis fore mysterium asserebat. Cumque stupore magno, secundum varios animi motus, opinionibus ambiguis fluctuarent, una obstetricum, de domo egrediens, infantem jam natum proclamat. Natus baptizatur, et Guthlacus vocatur, quod sonat, Belli donum, vel bonum donum, juxta idioma Anglorum. A Deo enim donatus est parentibus, ut contra oppressores eorum bella gereret, ac de illis cum victoria titulos triumphales reportaret, inquit auctor *Vitæ*.

S. Bernardi mater gravida visa est sibi videre se gestare utero catulum latrantem; et S. Dominici mater vidit se gestare catulum, facem accensam ore gestantem.

Refert Rodericus, Toletanus et Vasæus in *Chron.* anno Domini 860, quod mortuo Enechone Arista Navarræ rege, regnavit Garsias ejus filius, vir non minus integritate vitæ, quam armis præstans, qui uxorem ducit Urracam, feminam primariam; cum qua jam gravida ac partui vicina, dum incautius per montes iter faceret, inopinato hostium Arabum supervenientium insultu oppressus, fortiter pro fide dimicans, interiit. Accidit vero ut, digressis Barbaris, nobilis quidam, cui Guevarra nomen fuisse affirmant, qui a tempore Enechonis Aristæ adhæserat regi Garsiæ, ad eum locum forte accederet, et infantem per vulnus manum extendentem, et velut eluctantem conspicaretur. Miseratus utriusque vicem, cæso matris utero, eduxit infantem, ac domi suæ diligenter educavit. Quod non sine testibus factum est, ut, quando res ipsa posceret, facto fides constaret. Qui transactis infantiæ et pueritiæ annis, cum ad adolescentiam pervenisset, ætatem indole, et indolem strenuis operibus superabat, et successit in regnum regi Garsiæ æra 918.

E contrario, anno Domini 1051, ex Lamberto Scafnæo narrat Baronius, quod eo anno Henricus Imperator auctus sit filio, eidemque nomen Henrici imposuerit, sed plane magno Ecclesiæ damno hunc genitum prævidit per visum, quæ ipsum gestabat in utero Agnes Augusta : vidit enim se parere draconem virulentum. Quod ipsum, eadem sæpe testata, scribitur ab Auctore *Vitæ* S. *Mathildis*, qui sub idem tempus vixit. At quam ista vera fuerint, ipsa declararunt eventa.

SANCTIFICAVITE, — selegi te mihi ex hominibus, præordinavi te, deputavi, præparavi te muneri prophetico, quod sacrum est et sanctum, idque cum adhuc esses in matris utero, imo ab æterno. Ita Chaldæus et Hieronymus, in cap. I *ad Galat.*, Abulensis, *Quæst.* XVII in cap. XIII *Judicum*, Theodorus a Castro et Sanchez.

Addunt aliqui : « Sanctificavi te, » id est ad rem magnam et eximiam selegi te. Sanctum enim, inquiunt, subinde significat magnum quid et eximium; quia sanctitas in Deo et creaturis, est dos magna et eximia. Est catachresis. Sic canit B. Virgo : « Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum, » id est magnum, augustum, sacrum, « nomen ejus. »

Secundo, S. Augustinus, *epist.* 57 : « Sanctificavi, » inquit, id est prædestinavi te sanctificare. Augustinum sequuntur Jansenius in *Concordia Evang.* cap. II, et Salmeronius, tom. II, *tract.* 34. Sic *Joan.* cap. XI, 52, dicuntur filii Dei, qui adhuc erant infideles.

Tertio et optime : « Antequam exires de vulva, » id est in ipsa matris vulva te jam conceptum, sed necdum natum, « sanctificavi, » quia uti Joanni Baptistæ, ita et tibi, o Jeremia! in utero remisi peccatum originale, et infudi gratiam sanctificantem, qua simul te constitui et consecravi in S. Prophetam; unde hoc explicans subdit : « Prophetam in gentibus dedi te; » utrumque enim significat vox *sanctificare*, scilicet *primo*, a communi et profano segregare, Deique ministerio deputare et consecrare. Sic sanctificantur sacerdotes, prophetæ et reges, quasi Dei providentiæ et justitiæ sacræ administri. *Secundo*, a peccato segregare, ut pure et sancte Deo serviat quisque in suo gradu et vocatione, uti hic Jeremias in utero vocatur et sanctificatur, ut sit Propheta. Utramque significationem complectitur Macrobius, lib. III *Saturn.* III, cum ait : « Sanctum est, vel idem quod sacrum aut religiosum, vel quod incorruptum et culpæ nescium. » Vide D. Thomam in IV, dist. I, *Quæst.* I, art. 5; *Quæst.* I, ad 1, et III part. *Quæst.* XL, art. 1, ad 2. Hæc expositio probatur *primo*, quia hoc proprie significat vox « sanctificavi, » et, « antequam exires de vulva, » id est in ipsa vulva. *Secundo*, quia alia est phrasis qua dixit : « Priusquam te formarem in utero, novi te, » significans, ab æterno præscivi, amavi, prædestinavi te ad sanctitatem et munus propheticum; alia est hic, cum dicit : « Antequam exires de vulva, » id est in vulva,

Jeremias fuit sanctificatus in utero.

Probatur primo.

Secundo.

« sanctificavi te. » Hæc enim significat exsecutionem et effectum cognitionis et prædestinationis divinæ, *q. d.* In vulva reipsa propositum meum æternum exsecutus sum, infundendo tibi jam concepto gratiam et sanctitatem, ad quam ab æterno te cognovi et prædestinavi, ut scilicet dignus et selectus mihi sis Propheta, sanctitatem eximiam in pessimos Judæos et Gentes spirando et afflando; sicut ex tunc, id est ex vulva, Prophetam in Gentibus te dedi, id est constitui. Sanctitas enim eximia est optima præparatio ad prædicandum, infidelibus præsertim et rebellibus, quales erant hi Judæi; sine qua doctrina, eloquentia aliaque dona parum valuissent, et etiamnum parum valent. *Tertio*, quia *Ecclesiastici* cap. XL, 9, dicitur Jeremias « a ventre matris consecratus propheta. » Quomodo consecratus? non per prophetiæ, ut patet, sed per gratiæ sanctificantis infusionem, qua simul constituebatur propheta, Deo specialiter ita ordinante. Illa enim verba Ecclesiastici hisce Dei ad Jeremiam, sunt antistropha. *Quarto*, quia hoc speciale privilegium ex hoc loco tribuunt Jeremiæ S. Athanasius, S. Hieronymus, S. Leo, S. Nazianzenus, Origenes, Ambrosius, Petrus Damianus, S. Thomas, III part. *Quæst.* XXVII, art. 6, ubi ad 1 addit: « Sanctificatis in utero creditur præstitum esse, ut de cætero mortaliter non peccarent, divina eos gratia protegente. » Idem docent S. Bernardus et communiter Patres et Scholastici, quos citant et sequuntur Franciscus Suarez, III part. *Quæst.* XXVII, art. 2, disp. 3, sect. 1, et Sebastianus Barradius in *Luc.* cap. 1, 44. Videturque hic communis Doctorum et fidelium sensus, ita ut de eo jam dubitare non liceat, ait Antonius Fernandius, *Visione* 11. Ratio est, quia præ aliis Prophetis, Jeremias unus delectus est, qui sua sanctitate urbem et Ecclesiam labantem sustineret, in summa rerum omnium confusione et vastitate; unde ab utero gratiam, constantiam et virtutes alias ad tantum prophetiæ munus necessarias accepit ex speciali privilegio, et ad majorem auctoritatem ei apud populum conciliandam. Quare minus probabiliter S. Ildephonsus, lib. *De Perpet. virgin.* B. Mariæ, ex eo quod Jeremias, cap. XX, 14, diem in qua natus est, vocat maledictam, colligit eum in matris utero non fuisse a peccato originali purgatum, quod et sentit Abulensis in cap. XIII. *Judic.* Quæst. XVI.

Tertio.

Quarto.

Cur?

Simile quippiam de Asella virgine innuit S. Hieronymus, epist. 15 *ad Marcellam* : « Prætermitto, ait, quod in matris utero benedicitur ei, antequam nascatur; quod in phiala nitentis vitri, et omni speculo purioris, patri virgo traditur per quietem; quod adhuc infantiæ involuta pannis, et vix annum decimum ætatis excedens honore futuræ beatitudinis consecratur. Sit gratiæ omne, quod ante laborem fuit, licet Deus præscius futurorum et Jeremiam sanctificet in utero, et Joannem in alvo matris faciat exsultare, et Paulum ante constitutionem mundi separet in Evangelium Filii sui. » Sic Mosen sanctificatum fuisse in utero matris censuit S. Ephrem in orat. *De transfig. Christi*; et Jacob patriarcham, qui collisus in utero supplantavit Esau, tunc fuisse justificatum censuit S. Ambrosius, lib. IV *De Fide*, cap. IV. Idem, de Samsone, S. Joseph, Jacobo fratre Domini, et aliis censuerunt nonnulli, sed sine fundamento.

Moraliter, nota hic ordinem, quem Deus servat in idoneis Ecclesiæ ministris sibi cooptandis, nimirum ut ante omnia gratia sua eos imbuat, eosque sibi amicos et familiares efficiat. Idcirco enim, uti advertit S. Augustinus, Doctor Gentium, seipsum describens, *Rom.* cap. 1, 5, ait: « Per quem accepimus gratiam et apostolatum, » gratiæ primas dedit, apostolatui secundas. « Sic enim tuba Evangelica (ait Nazianzenus in orat. *De episcopatu Zazymorum*) aptam reddidit harmoniam ab interiori homine optime secundum Deum composito, convenienter emisso Spiritu Sancto. » Idcirco et Saulis prophetationem in proverbium irrisorium abiisse ait, quoniam organum pravum ac dissolutum, decorem et harmoniam edere nequit. Merito ergo Deus hic antequam pronuntiaret de Jeremia illud: « Et Prophetam in Gentibus dedi te; » præmisit : « Priusquam te formarem in utero, novi te. » Apte autem, non prædicatorem, sed prophetam dixit; quia ut propheta sine spiritu prophetiæ prophetare nequit, ita nec prædicator prædicare potest sine spiritu et gratia prædicandi. Quare S. Chrysostomus, homil. 19 *in Matth.*, dans causam, quare doctores christiani vocentur Prophetæ, quia ut Prophetæ, inquit, olim ungebantur, ita doctores christianos ungi prius oportet unctione gratiæ.

Jeremias Propheta ex utero, quomodo?

Nota prophetiam non esse habitum permanentem, nec actu datum fuisse Jeremiæ in utero, sed tantum per specialem *primo* Dei ad hoc deputationem; et *secundo*, sanctificationem ad hoc ordinatam; ac *tertio*, per Dei auxilium et inspirationem Jeremiæ præparatam, ut tempore opportuno prophetaret; hæc enim Jeremiæ in utero non data, sed destinata tantum et præparata fuit a Deo.

ET PROPHETAM IN GENTIBUS DEDI TE. — *Primo*, Origenes, Cyprianus, lib. I *Contra Judæos*, cap. XXI; Gregorius Nyssenus, lib. *Contra Judæos*; Ambrosius, in vers. 3 *Psalm.* XLIII, hæc intelligunt de Christo, qui gentes vocavit ad se. Sed hic sensus allegoricus est, non litteralis.

Venietne cum Elia?

Secundo, Victorinus Martyr in *Apocal.* cap. XI, putat Jeremiam cum Elia venturum contra Antichristum, ut Gentibus prædicet; nam dum viveret, tantum Judæis prædicavit. Unde et mortem ejus taceri in Scriptura, quasi vivat in paradiso. Hinc et *Matth.* XVI, 14, quidam putabant Christum esse Jeremiam; et Josippus filius Gorion, lib. I *Hist. Judaicæ*, cap. XVII: Jeremias, ait, cum arcam abscondisset, dixit: « Non sciet homo, neque co-

gnoscetur locus, donec venero ego, et Elias propheta, tunc restituemus arcam in locum suum in Sancta sanctorum. » Sed communis Patrum traditio est, solum Henoch cum Elia venturum, uti dicam *Eccli.* cap. XLIV, 16, et cap. XLVIII, 10.

Respondeo ergo : « Prophetam dedi te in Gentibus, » id est Gentibus vel ad Gentes. Ita Pagninus, vel, ut Hugo et Vatablus, contra Gentes. Jeremias enim licet inter Judæos ageret, tamen de Ægyptiis, Babyloniis, aliisque Gentibus etiam prophetat, eisque excidium intentat, ut patet cap. XXV et cap. XXVII; itaque se explicat Jeremias hic vers. 10. Ita S. Hieronymus, Theodoretus et Origenes. Addit Maldonatus, « in Gentibus, » inquit, id est ut prædicat Chaldæorum aliarumque Gentium victoriam contra Judæos, uti explicatur vers. 15 : « Quia ecce ego convocabo omnes cognationes regnorum Aquilonis, etc., super universas urbes Juda. » Denique Jeremias reipsa prophetavit « in Gentibus, » quando in Taphnis Ægyptiis prædixit, quod vastandi essent a Chaldæis, ut patet cap. XLIV, vers. 1 et seq.

Vers. 6. 6. ET DIXI, A, A, A. — Viegas in *Apoc.* IV, sect. V, num. 4, SS. Trinitatis mysterium hic innui putat. Ter enim, inquit, dixit A, quæ balbutientis et infantis adhuc pueri vox est, propter tres personas divinas; ut indicaret se comparatione ejus mysterii infantem esse et nescientem adhuc articulate loqui. Loquebatur enim cum eo SS. Trinitas : Pater dicens : « Novi te; » Filius dicens : « Sanctificavi te; » Spiritus Sanctus dicens : « Prophetam dedi te. » Verum hic sensus, uti symbolicus est, ita subtilior est, quam solidior; non enim agitur hic de Trinitatis mysterio, nec ad illud promulgandum mittebatur Jeremias, deinde pro *a, a, a,* in Hebræo unica est vox, ut jam dicam.

A, A, A, — Hebræum אהה *aha* una vox est et interjectio, noster Interpres videtur cuique consonanti (sunt enim tres) subjecisse vocalem sic, אהה *a ha ha. Aha* autem Hebræis est interjectio admirantis et dolentis, ut cum quis pusillanimis, onus impositum quasi viribus suis impar, gemens, dolens et stupens excutere nititur, sicut facit hic Jeremias. Quare quod S. Thomas, vel potius Thomas Anglicus, per trinum A, A, A, putat notari tres defectus, qui Jeremiam ineptum reddebant ad prophetandum, scilicet defectum ætatis, scientiæ et eloquentiæ, subtilius est quam solidius. De voce *aha* plura dicam *Joelis* I, 15. Septuaginta pro *aha* legerunt אדוני *eiie*; vertunt enim : ὁ ὢν δέσποτα, Κύριε, *qui es Dominator, Domine.* Τὸ enim *qui es,* est nomen Dei, *Exodi* III, 14.

NESCIO LOQUI (id est vaticinari, inquit Chaldæus), QUIA PUER EGO SUM, — *q. d.* Præ pueritia nescio loqui res tantas, et præ timore puerili non audeo apud viros et principes. Unde priori ejus excusationi respondet Deus, vers. 7 : « Ad omnia quæ mittam te, ibis et, etc. loqueris, » id est ire et loqui poteris. Posteriori vers. 8 : « Ne timeas, etc., quia tecum ego sum. » Deus enim animos æque ac verba quælibet suppeditat : « Sufficientia enim nostra ex Deo est, » II *Corinth.* cap. III, 5, *q. d.* Ne timeas tuam infantiam, ego te faciam virum idoneum, facundum et audacem. Videtur ergo Jeremias, aiunt a Castro et Antonius Fernandius, *Visione* 11, tunc cum cœpit prophetare, fuisse 14 aut 15 annorum (1) : talis enim est puer. Didicerat Jeremias illud Sapientis : « Puer, tace et audi. Sicut enim rosa est purpura veris; sic silentium ruborque verecundiæ sunt purpura adolescentiæ. »

Jeremias circiter anno 15 cœpit prophetare.

Nota : Deus elegit pueros, Danielem et Jeremiam ad prophetandum, ut certo scirent homines Deum esse, qui tam grandia per pueros loqueretur.

Tropologice, quomodo detrectari vel suscipi debeat munus prædicationis, vide apud S. Gregorium, part. I *Pastor.* cap. VII.

Rursus discant hic electi aut destinati a Deo ad magna, agnoscere suam ruditatem et infantiam, discant se omnibus etiam pueris postponere. Ita fecit S. Bernardus, qui, ut habet auctor *Vitæ,* lib. II, cap. IV : « Superbiæ fuit infensissimus hostis, cum enim facta ejus et verba confirmarentur miraculis, nunquam excessit, nunquam supra se in mirabilibus ambulavit; sed de se semper humiliter sentiens, venerabilium operum non se auctorem credidit, sed ministrum; et cum esset omnium judicio summus, suo sibi judicio constitit infimus : soli Deo quidquid fecit ascripsit; imo se nihil boni aut velle aut posse, nisi inspirante et operante Deo, et sensit et dixit. » Idem, capite VII, eumdem suos hoc docuisse tradit : « Judicari ab humano die non multum curetis; neque vestra propria, neque aliena judicia approbantes, sub timore Dei sic state, ut nec vos quempiam judicantes, aliquando extollamini, nec aliorum curantes judicia excidatis in nugas, singula vero prosequentes, vos servos inutiles reputetis. » Hac de causa ipse singularitatem et admirationem fugiebat, ideoque cilicium quod occulte gestaverat, cognitum deposuit. Sermone vero 37 *in Cantic.* sic ait : « Noli te, homo, comparare majoribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli uni. Quid scis enim, o homo! si unus ille, quem forte omnium vilissimum atque miserrimum, et tanquam omnium sceleratissimum reputas, melior te, mutatione dexteræ Excelsi futurus in se quidem sit, in Deo vero (in Dei prædestinatione) jam sit? hinc jussit Dominus te recumbere non penultimo, sed novissimo loco, ut non tantum nemini te præponas, sed nec comparare præsumas. »

Moraliter, ut quis evehatur a Deo, humiliet se fiatque puer.

Porro id maxime locum habet in prædicatore, cujus munus est difficillimum : « Quale, inquit

(1) Vel viginti circiter annorum, ejus igitur ætatis, ut experientiam nondum habuerit, cum regibus, principibus et quibusvis hominibus agendi. (Rosenmuller.)

Nazianzenus in *Apologetico*, est multarum filium instrumentum musicum, pluribus simul pulsibus ad harmoniam percutere. Quis enim tot voluntates, quot sunt auditores, concinnabit apte, ad reddendam Deo convenientem harmoniam?» Difficilius est quod subdit: « Concionatores opifices esse superno mundo, » qui videlicet homines eo dignos, sua concionandi vi effingere debeant. Sane hæc homines divinos requirunt. Hoc est quod ait Psaltes, *Psalm.* LXVII, 12: « Dominus dabit verbum evangelizantibus, virtute multa. » Ab ore enim Dei procedunt verba spirantia divinitatem.

8. NE TIMEAS A FACIE EORUM, — ne timeas eos ad quos scilicet mittam te; dices enim: « Dominus mihi adjutor: non timebo quid faciat mihi homo,» *Psal.* CXVII, vers. 6. Faciei meminit, quia pueri et simplices maxime vereri et revereri solent vultus virorum nobilium et potentium; majestas enim hominis, æque ac ira et indignatio, maxime appareret in vultu.

Vers. 9. 9. ET MISIT (extendit) DOMINUS MANUM SUAM. — Nota cum S. Hieronymo et Rabano, Deum misisse angelum, qui in corpore assumpto manu tangeret os Jeremiæ, et diceret: « Ecce, dedi verba mea in ore tuo, » idque *primo*, ut eum hoc tactu quasi consecraret Prophetam, et os aperiret ad prophetandum. *Secundo*, ut confidentiam et animum daret, Dominum cum eo fore, et verba ejus directurum: sic ad Isaiam, cap. VI, mittitur Seraphim. *Tertio*, ut sciret Jeremias ea quæ prædicturus erat, non sua, sed Dei esse verba in os suum immissa. *Quarto*, ut tactum et plagas manus humanæ non formidaret, inquiunt S. Hieronymus et Origenes, multa enim a Judæis passurus erat. Unde hoc tactu angelico præmunitur et corroboratur (1).

Angelus tetigit os Jeremiæ ob causas quatuor.

ECCE. — Hebraice רְאֵה *ree*, id est vide, vel attende; animum scilicet, ad ea quæ dicturus sum applica.

10. CONSTITUI TE HODIE (et ex nunc Prophetam te constituo) (ponitur præteritum pro præsenti) SUPER GENTES ET SUPER REGNA (tam Judæorum, quam aliarum circumquaque nationum), UT EVELLAS. — Id est ut intermineris hostibus meis («quos» in regionibus suis « plantavi, » id est firmiter collocavi, et « ædificavi, » id est prole, familia, domibus, urbibus et opibus auxi et stabilivi, ut est cap. XLV, vers. 4, infra) me inde per bella et captivitates Chaldæorum eos evulsurum, nisi resipuerint, uti factum patet cap. XLV et sequent. Et contra, me ædificaturum rursus, et plantaturum eos quos destruxero et evulsero si pœniteant, uti factum patet cap. XLII, vers. 10. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Rabanus, Lyranus, Vatablus, Dionysius Carthusianus et alii.

Nota: Partim hic esse metaphoram ab hortulanis; sicut enim hortulanus plantat et evellit arbores; ita Deus plantat et evellit gentes: partim hebraismum, quo verba realia per mentalia aut verbalia exponuntur. Nam Jeremias reipsa non plantavit nec evulsit gentes: ergo « ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et ædifices, et plantes; » idem est quod, ut has gentes evellendas, destruendas, disperdendas et dissipandas; illas ædificandas et plantandas esse a Deo, mineris et prædicas. Vide *Can.* XXIX.

Sic tropologice, ait S. Gregorius, III part. *Pastor.* XXXV, concionator evellit ex homine regnum superbiæ, luxuriæ, etc., ut plantet regnum castitatis, humilitatis, etc.; additque prius dici: « Ut evellas et destruas; deinde, ædifices et plantes. Quia, nisi, inquit, perversa destrueret, ædificare utiliter recta non posset, quia, nisi ab auditorum suorum cordibus spinas vani amoris evelleret, nimirum frustra in eis sanctæ prædicationis verba plantaret. » Doctor ergo ut auditores utiliter possit docere bona, debet eos prius dedocere mala. Unde S. Augustinus, lib. IV *De Doctrina Christiana*, doctores Ecclesiasticos vocat rectæ fidei satores, et debellatores errorum. Porro: « Facilius est rudi adhuc animæ, ac instar ceræ nondum signatæ, veritates imprimere, quam conscriptis jam quasi litteris, hoc est pestiferis opinionibus, superducere quæ vera sunt, » ait Nazianzenus in *Apologetico*. Ad hoc ergo opus est ingenti zelo, spiritu, conatu et efficacia, ait S. Gregorius loco citato.

Vers. 11. 11. VIRGAM VIGILANTEM EGO VIDEO. — Ita Aquila et Symmachus. « Vigilantem, » id est minantem, librantem et agitantem se, ac paratam percutere, ait Rupertus. *Secundo*, Septuaginta vertunt: *ego video baculum nuceum*; Theodotion, *ego video virgam amygdalinam*, quæ primo inter arbores evigilat, id est sollicita est, ut suos flores emittat; ideo enim amygdalus hebraice dicitur שָׁקֵד *scaked*, id est vigilans, *q. d.* Ramum amygdali antevertentem alias arbores, et antelucantem in proferendis floribus (2), ego video, hoc est, video flagellum repente occupaturum Judæos imparatos, quod multo citius quam putatis, o Judæi! antevertet timorem vestrum. Ita Vatablus, Pagninus, R. Salomon et alii. Unde Syrus vertit, *virgam amygdali video. Et dixit mihi Dominus: Bene vidisti, quia festino ego super verbo meo ad faciendum illud*; et Arabicus, *vidi virgam de arboribus amygdalorum. Et dixit mihi Dominus: Quam bene vidisti, o Jeremia! Innuit per virgam amygdali, quod, sicut recens est amygdalus in viriditate sua celeriter ante omnes arbores, sic festinabit judicium meum*, id est supplicium meum. Advertit Theodoretus. Sicut nux vel amygdalum amarum habet corticem, sed nucleum suavem; ita disciplina et

Virga vigilans, est amygdalina, cur?

(1) Symbolica fuit hæc Prophetæ inauguratio. Quemadmodum pruna ardens de altari attigit os Isaiæ, VI, 7, et Ezechieli liber datus est comedendus, II, 8, 9, 10, ita Jeremiæ os tetigit manus divina. (Rosenmuller.)

(2) Virga cogitanda est saltem foliis, si non floribus, vestita, alioqui non vidisset cujusnam arboris esset. (Rosenmuller.)

castigatio primo molesta est; sed deinde fructum dat, suavitatem morum.

Tertio, Viegas in *Apocal.* cap. XV, Comment. I, sect. I, proprie *vigilantem* exponit *oculatam*, vel *oculos apertos et vigiles habentem*. Significat enim Dei providentiam et justitiam, quæ tota oculata est, nec per errorem supplicium infert, sed maximo judicio et examine verberat, ut magnitudo pœnæ magnitudinem culpæ non superet, imo nec adæquet. Unde

Significat primo, providam Dei vigilantiam.

Nota : Hæc virga vigilans significat *primo*, Dei potentiam et imperium; item vigilantiam ac providentiam. Quocirca *virga Aaronis* amygdalina quæ floruit, eique pontificatum consignavit, symbolum fuit vigilantiæ sacerdotalis, ut ex Cyrillo et aliis dixi, *Num.* XVII, 8. Sic Ægyptii pingebant Deum quasi oculum baculo innixum, ut significarent ejus omniscientiam et pervigilem curam, quasi pastoralem, tanquam qui omnia videat et regat quasi pastor et rex, cujus insigne est sceptrum vel virga, qua bonos pascit, malos percutit. Ita Cyrillus, lib. IX *Contra Julian.*, post initium.

Deus pingitur quasi oculus baculo innixus: cur?

Sic Osirim quasi regem omnia conspicientem Ægyptii pingebant tanquam sceptrum, habens in se oculum insculptum, aiunt Macrobius, lib. I, cap. XXI, et Plutarchus, lib. *De Iside et Osiride*, ubi addunt Phryges Deum, qui omnia moderatur, pinxisse quasi virgam sole exornatam. Unde et Græci : Θεὸν ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι a videndo nominant : est enim Deus, ait Homerus, ἥλιος, ὃς πάντ' ἐφορᾷ καὶ πάντ' ἐπακούει : *Sol qui omnia videt et qui omnia audit.* Et multi veterum, ait Pierius, lib. XXXIII *Hieroglyph.*, Deum figurabant quasi baculum stantem; quia Deus stat immobilis omnia sustinens et firmans, ait Cyrillus supra. Quanta ergo cæcitas est hominum, qui in oculis hujus oculi vindicis lucidissimi, peccare audent! Nam, ut ait Plinius : « Deus totus est sensus, totus est visus, totus est auditus, totus animæ, totus animi, totus sui. » Ita ipse, lib. II *Natur. Histor.* cap. VII. Et Tertullianus, lib. *De Trinit.*, Deum totum oculum dixit, qui totus totum videt : et alibi Dei oculum ait somni expertem, quoniam est ipsa lux, vigilia nimirum ex ipso naturæ ordine deputata.

Secundo, celerem Dei ultionem.

Secundo et proprie, hæc virga vigilans significat celerem Dei ultionem; hoc est enim quod explicans hanc virgam Dominus subdit, vers. 12 : « Bene vidisti, quia vigilabo ego super verbo meo ut faciam illud. » Ita S. Hieronymus et Theodoretus. Unde Chaldæus clare vertit : *Ego video regem Chaldæorum, festinantem ad malefaciendum et percutiendum Judæos et alias gentes.* Hinc rursum ex Hebræo cum nonnullis verti potest : *Ego video virgam vigilantis*, scilicet Dei. Sic Attila dicebat se esse flagellum Dei, et de rege Assyriorum ait Dominus, *Isaiæ* X, 5 : « Væ Assur, virga furoris mei et baculus ipse est, in manu eorum indignatio mea. » Sic *Ezechiel.* cap. VII, vers. 10 : « Ecce, inquit, dies, ecce venit : egressa est contritio, floruit virga (prævisa et prædicta a Jeremia) germinavit superbia, » etc. Hac ergo visione virgæ amygdalinæ et vigilantis, significavit Deus Jeremiæ, se cito acceleraturum pœnas et captivitatem Babylonicam, quam Judæis comminatus fuerat. Nam anno abhinc vigesimo tertio, puta anno tertio Joakim, Nabuchodonosor cepit Joakim et Danielem aliosque abduxit : anno vero abhinc quadragesimo, Jerusalem vastavit, et templum concremavit. Hæc ergo virga vigilans ostensa Jeremiæ, fuit similis ostento vel portento cometæ, qui specie virgæ aut gladii apparens, pestem, bellum et vastitatem, quasi index iræ Dei portendit hominibus.

Simili modo magnus ille Simeon Stylites vidit virgam portendentem orbi famem et pestem. Audi Theodoretum, oculatum testem, in *Historia Patrum*, cap. XXVI : « Siccitatem et magnam illius anni sterilitatem, et eam quæ consecuta est simul famem et pestem duobus annis ante prædixit, dicens se prævidisse virgam quæ infligitur hominibus, et flagella quæ per eam intentantur. » Et paulo post : « Aliquando, inquit, ei visæ sunt duæ virgæ, quæ ferebantur quidem de cœlis, in terram autem Orientalem cadebant et Occidentalem. Hanc autem Persicæ et Scythicæ gentis in Imperium Romanum insurrectionem significavit vir divinus, et iis qui aderant effatus est visionem, multisque lacrymis et precibus assiduis repressit plagas, quarum intentabantur minæ in orbem terræ. Gens certe Persarum jam armata, et parata ad Romanos invadendos, eis divina adversante voluntate, a cœpto est retardata, et intrinsecus in malis propriis occupata. » Utinam similes haberemus Simeones, qui virgas Dei cohiberent, aut discuterent!

Moralis. Deus vindictam vigilat ad peccata.

Moraliter, discant hic peccatores Deum, Deique vindictam ad peccata excubare et vigilare, ut ea cito plectat et puniat. Ita Baltasar sacrilegus et temulentus mox vidit manum scribentem in pariete : *Mane, thecel, phares*, quæ eadem nocte ipsi et regno exitium attulit, *Daniel.* cap. V : Ita « vigil et sanctus de cœlo descendit, clamavit fortiter, et sic ait : Succidite arborem, » id est Nabuchodonosorem superbum regno ad bestias ejicite, *Daniel.* IV, 10 et 14. Ita ad Caini parricidium vigilavit Deus, dicens : « Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra : nunc igitur maledictus eris super terram, vagus et profugus, » etc.; idque ante illi prædixerat Deus : « Si bene, inquit, egeris, recipies; sin autem male, statim in foribus peccatum (pœna peccati) aderit, » *Genes.* IV, 7, 10 et 11. Vide ibi dicta.

Idem senserunt et experti sunt Gentiles. Ita Melitenses, videntes viperam invadere manum S. Pauli, dicebant : « Utique homicida est homo hic, qui cum evaserit de mari, ultio non sinit eum vivere, » *Actor.* XXVIII, 4. Ita Calippus eodem pugione, quo Dionem sub amici specie interfecit, a sociis suis necatus est. Ita cum Mitius Argivus in seditione esset interemptus, ærea statua in foro, cum ederentur spectacula, incidit in percussorem Mitii,

Fin de l'aperçu

La suite du livre est en qualité visuelle diminuée. Le livre est toutefois complet.

Il est possible de se procurer à prix abordable une édition papier du livre en visitant le site suivant :

canadienfrancais.org

Ce PDF peut être distribué librement. Plus de détails à la dernière page.

eumque occidit. Ita Bessus cum patrem necasset, diuque id scelus clam fuisset, tandem in hospitio quodam cœnaturus, nidum quemdam hirundinum hasta dejecit pullosque occidit; cumque ii qui aderant rogarent cur id fecisset? « Non, inquit, auditis hirundines falso de me vociferari et testari, me patris mei esse interfectorem? » Mirati qui intererant, hunc sermonem ad regem detulerunt, reque certis indiciis comperta, pœnas luit Bessus. Refert hæc Plutarchus, lib. *De Sera Numinis vindicta.* Peccatum ergo pœnam suam secum trahit, eique colligatum est, et sicut carnifex reum fune ligatum tenet, ducitque ad supplicium; ita Dei vindicta peccatorem ad pœnam perurget et pertrahit. Porro hæc virga vigilans peccatores terrendo excitat, et a somno peccatorum evigilare facit, juxta illud: « Evigilate, justi, et nolite peccare, » I *Cor.* XV, 34. Et : « Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus, » *Ephes.* V, 14. Unde aliqui pro *virgam vigilantem* vertunt, *virgam vigilare facientem,* ut *cal* ponatur pro *hiphil* more Hebræo. Ergo « vita mortalium sit vigilia, » uti monuit Christus : « Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit, » *Matth.* XXIII, 42. Satius enim est in modico labore hic evigilare, quam vigilare in incendiis gehennæ, præsertim quia vigilia hæc ducit ad vigilans et perenne in cœlis gaudium.

Vers. 13. Olla succensa, quid? Respondeo primo.

13. OLLAM SUCCENSAM, — id est in Jerusalem a Nabuchodonosore per Nabuzardan succensam; vel, ut hebraice est, *sufflatam* : sic enim vocatur Jerusalem, *Ezech.* XI, 7, et cap. XXIV, 3. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Rabanus, Hugo, S. Thomas, Lyranus, Dionysius. Alludit ad sartagines et ollas reorum et martyrum, quales fuerunt illæ Machabæorum, lib. II, cap. VII, 3, quas et Amos Judæis minatur cap. IV, 2. Talis fuit et taurus Phalaridis (1).

Secundo.

Secundo, melius, ut ait Hieronymus Prado, potest olla accipi, ut sit idem quod virga, scilicet Dei pectus, bilem coquens et fervens, ex quo ebulliit iste furor et flatus indignationis Dei, de quo *Ezech.* I, 4. Unde Syrus vertit, *ollam dispositam* (constitutam super ignem) *ad coquendum video.*

Tertio et optime. Nabuchodonosor.

Tertio et optime, Chaldæus, Pagninus et Vatablus, hebræum נפוּחַ *naphuach,* non quasi participium, ut significet sufflatam, sed quasi nomen, vertunt : Ollam succensam, ferventem, ebullientem ego video, scilicet Nabuchodonosorem cum suo exercitu, ignem furoris efflantem et ebullientem contra Judæos; hæc enim olla venit ex Aquilone, id est, ex Chaldæa, ut Jerusalem aliaque regna combureret et vastaret.

Nota: Olla eamdem vindictam significat et confirmat quam virga, sed graviorem. Sic Joseph famem quam *primo* vidit per spicas, significari; *secundo,* per vaccas vidit confirmari et accelerari, *Genes.* XLI, 32.

In olla accensa videtur alludere ad focum et ignem, qui in concha vel olla, ne vento exstingueretur, præferebatur regibus Chaldæorum et Persarum; illi enim ignem quasi Deum colebant; unde reges eorum affectantes honores divinos, ignem sibi præferri curabant, *q. d.* Adventat ignis prævius, et consequenter ipse Nabuchodonosor, qui quasi ignis in vos, o Judæi, sæviet vosque comburet. Ita Sanchez.

Tropologice Origenes, Rupertus et Ambrosius in *Psalm.* XXXVIII, sub finem : Prius Deus hic pœnitentibus exhibet virgam correctionis; quam si nolint, impœnitentibus reservat ollam gehennæ, uti Theodoricum regem post mortem in Vulcani ollam projici vidit sanctus ille eremita, apud S. Gregorium, IV *Dialog.* cap. XXX. Tropologice, significat ollam gehennæ.

Secundo, S. Gregorius, XVIII *Moral.* cap. XI, et lib. XXXIII, cap. XL : « Olla, inquit, succensa, est cor humanum carnalibus desideriis et anxietatibus æstuans, a diabolo succensum, et fervens per consensum, cum tot undas quasi fervendo projicit, quot nequitias desideriorum ad opera exteriora extendit. » Et animam peccatricem.

Et S. Thomas : « Anima, inquit, peccatrix dicitur olla : *primo,* propter concupiscentiæ fervorem, *Job.* XLI, 22. Fervescere faciet quasi ollam profundum mare; *secundo,* propter operis carnalitatem, *Michææ* III, 3 : Ossa eorum confregerunt et conciderunt sicut in lebete, et quasi carnem in medio ollæ; *tertio,* propter maculæ nigridinem, *Nahum* II, 10 : Facies omnium eorum sicut nigredo ollæ. Porro hæc olla succenditur igne, *primo,* amoris, *Psalm.* LXXIX, 17 : Incensa igni, et suffossa ab increpatione vultus tui peribunt; *secundo,* iræ et contentionis, *Isaiæ* cap. L, 11 : Ecce vos accendentes ignem accincti flammis; *tertio,* æternæ damnationis, *Deut.* XXXII, 22 : Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima. » Hucusque D. Thomas.

ET FACIEM EJUS A FACIE AQUILONIS, — id est ipsa olla veniebat ab Aquilone, puta a Chaldæa tendebat in Judæam. *Facies* enim Hebræis per synecdochen idem est quod *persona;* hæc enim per faciem dignoscitur : rursum persona per metaphoram sumitur pro re etiam inanimi; huic enim Hebræi figurate attribuunt os, faciem, personam, etc.

Secundo, Maldonatus per *faciem* accipit os ollæ; hoc enim vomens flammas, e Chaldæa veniens, spectabat Judæam. Verum prior sensus simplicior est; pari enim modo *faciem Aquilonis* vocat ipsum Aquilonem, uti explicat vers. sequenti. Chaldæus explicat quid facies hæc significet, dum vertit, *et vexillum exercitus ejus* (Nabuchodonosor) *qui ducitur et venit a facie Aquilonis.*

14. AB AQUILONE, — a Babylone, quæ licet sit Orientalis, tamen respectu Jerusalem est Septentrionalis; quia quatuor gradibus magis est æqui-

(1) Olla tumide effervescens Arabibus figura est belli gravissimi magno fervore animorumque ira gesti.

noctialis quam Jerusalem. Ita Theodoretus, Dionysius et Vatablus. Vel potius quia Nabuchodonosor *primo*, Niniven, quæ ad Aquilonem erat Chaldææ, hoc 13 anno Josiæ obsedit et cepit, uti multi censent; inde Syriam circumiens, et Aquilonares nationes in suum exercitum cogens, per Dan, quæ Aquilonaris est respectu Jerusalem, ingressus est Judæam; sic enim se explicat Jeremias, vers. seq., et cap. IV, 6 et 15. Ita Hugo, Lyranus et a Castro.

Aquilo tristia, Auster læta significat.

Symbolice, Aquilo est frigidus, asper, et læva mundi regio; hinc læva, tristia et diram Dei vindictam significat : Auster vero calidus est, suavis, et dextera mundi regio; hinc significat manum Dei benignam, Deique opem et favorem; unde Deus dedit Judæis legem in Sina, quæ ad Austrum est Judææ, et hoc est quod dicitur *Habacuc* III, 3 : « Deus ab Austro veniet. » Aquilo ergo symbolum est mortis, mortemque plantis affert; Auster vitæ. Frigus enim inimicum, et, ut Cardanus ait, diabolus est naturæ; vita vero in calore consistit : quocirca sol est vita universi. Aquilo ergo significat tempestatem, id est, calamitatem fore maximam. Nullus enim ventus tam vehemens quam Aquilo, nullus tam rapidus, tam frigidus, tam urens; unde *Eccli.* XLIII, 22 : « Frigidus, ait, ventus Aquilo flavit, et gelavit crystallus ab aqua; super omnem congregationem aquarum requiescet, et sicut lorica induet se aquis. Et devorabit montes, et exuret desertum, et exstinguet viride sicut igne. »

PANDETUR, — spargetur, erumpet; Chaldæus, *venire incipiet*; hebraice est, *aperietur*, quasi hactenus clausum in antris et thesauris Dei, jam solvetur et emittetur grande malum, grandis clades et calamitas, quam Chaldæi afferent Judæis, aliisque vicinis gentibus eas subigendo et vastando.

Alludit ad hebræum צפון *tsaphon*, id est Aquilo, *q. d.* absconditus, a radice צפן *tsaphan*, id est *abscondit*. Fama enim erat, quod propter frigus nulli essent aut rari Hyperborei; aut certe, quod Judæis incogniti essent Aquilonares populi, nec cum eis haberent commercium, inquit Forerius in *Isaiæ* cap. XLIX, 12. Hinc mystice S. Augustinus Aquilonem ait esse sedem diaboli et hæreticorum, prout hodie eos in Germania, Anglia, Scotia, aliisque Aquilonaribus regionibus grassari constat. Unde *Cantic.* cap. IV, 16, dicitur : « Surge, Aquilo, et veni, Auster, perfla hortum meum, et fluant aromata illius. » Quem locum explicans S. Augustinus, epist. 20 *ad Honoratum* : « Diabolus, ait, et angeli ejus a luce atque fervore charitatis aversi, et nimis in superbiam invidiamque progressi, velut glaciali duritia torpuerunt, et ideo per figuram tanquam in Aquilone ponuntur. »

Hisce enim mystice convenit id quod de Borea et Borealibus physice scribit Solinus, cap. XX : « Damnata, ait, pars mundi, et a rerum natura in nubem æternæ caliginis mersa, ipsisque prorsus Aquilonis conceptaculis rigentissima, sola terrarum non novit vices temporum; nec de cœlo aliud accipit quam hiemem sempiternam. » Hinc consequenter, ut ibi infligatur pœna ubi commissa est culpa, et præmium detur ubi floruit virtus; symbolici docent Deum habere duo tribunalia, unum clementiæ et felicitatis in Meridie, alterum severitatis et vindictæ in Aquilone. De priori dicitur *Cantic.* I : « Ubi pascas, ubi cubes in Meridie? » Hinc volens Deus pie mederi peccato Adæ, ambulat leniter ad Meridiem, *Genes.* III, 8. Alterum esse ad Aquilonem patet, quia inde dejectus est Lucifer, qui dixerat : « Sedebo in monte Testamenti, in lateribus Aquilonis, » *Isaiæ* cap. XIV, 13. Ibi quoque, puta a sinistris (sinistra enim pars mundi est Aquilonaris, dextra Australis) consistentibus reprobis dicet Christus in die judicii : « Ite, maledicti, in ignem æternum. »

TERRÆ — Judææ; de ea enim hic agitur. Simile est cap. XXV, 9.

Vers. 15. 15. PONENT UNUSQUISQUE SOLIUM SUUM (id est tentorium suum, vel sedem suam) IN INTROITU PORTARUM (id est ad portas, juxta portas) JERUSALEM, — ut eam obsideant. Ita S. Hieronymus, Rabanus, S. Thomas et alii. Solus Lyranus aliter explicat : sic videlicet, *q. d.* Parta victoria, Chaldæi ponent solium judicum de more in porta, ut Judæos qui sibi restiterunt, judicent et puniant.

Vers. 16. Loqui judicia, significat tria. Primo.

16. LOQUAR JUDICIA MEA CUM EIS, — scilicet Judæis, id est objurgabo et increpabo per Nabuchodonosorem, Sedeciam et Judæos quasi ingratos, rebelles, fœdifragos et perjuros, additque Josephus, lib. XL *Antiq.* cap. X, dixisse Nabuchodonosorem Sedeciæ : « Magnus Deus odio habens tuam nequitiam, nostro te subjugavit imperio; » idque patet IV *Reg.* XXV, 6, infra, cap. IV, 12, et cap. XII, 1.

Secundo. *Secundo*, S. Hieronymus, Rabanus, Hugo et Maldonatus : « Loquar, inquiunt, judicia, » id est reipsa eis ostendam me justis de causis, scilicet ob scelera eorum, pœnas de ipsis sumere.

Tertio. *Tertio*, S. Thomas, Lyranus et Dionysius : « Loquar, » id est decernam, et mandato meo infligam eis judicia, id est justa et merita supplicia. Primus sensus hoc loco simplicissimus est et verissimus.

LIBAVERUNT, — id est, ut Septuaginta, ἔθυσαν, sacrificaverunt; Hebraice יקטרו *iekatteru*, id est suffitum incenderunt, thurificarunt, quod eodem redit : in sacrificiis enim caro Deo incendebatur, perque ignem et fumum ascendebat ad Deum, utque hoc significarent, thus victimis imponebant, cum eisque cremabant; thura enim Deo debentur et adolentur.

Vers. 17. 17. TU ERGO ACCINGE LUMBOS TUOS, — id est, *primo*, festina, expedi te (1). Sic dicitur *Luc.* XII, 35 :

(1) Hæc phrasis sæpius in S. Scripturis obvia, inde desumpta est, quod in Orientis terris viatores, aut quicum-

« Sint lumbi vestri præcincti; » *secundo,* corrobora te, forti esto animo. Sic dicitur *Job* XL, 2 : « Accinge sicut vir lumbos tuos. » Hinc patet minus esse litterale et genuinum, quod vulgo censent per accinctionem lumborum præcipi Prophetæ et concionatori castitatis studium.

NEC ENIM, — hebraice פֶּן *pen*, id est *ne forte;* sed aliquando *pen* simpliciter significat negationem *non*, ut *Proverb.* V, 6; *Isaiæ* XXVII, 3. Idem hic significat; unde Noster vertit, *nec.*

NEC ENIM TIMERE TE FACIAM. — Est Hebræa miosis et anastrophe, *q. d.* Faciam ut non timeas, amoliar omne periculum quod timere posses; potest secundo verti ex Hebræo : *Ne timere te faciam*, vel, *ne conteram*, aut, *perdam te coram illis*, *q. d.* Si mihi non fidas, deseram te, tradam et permittam, ait S. Hieronymus, te timori, imo perdam te, ob ignominiam qua afficis me Deum tuum, quod in ejus fide tibi data hæsites. Sic punit Deus Mosen hæsitantem, *Numer.* XX, 12, et Petrum timentem ventum validum increpat dicens : « Modicæ fidei, quare dubitasti? » *Matth.* XIV, 31. Ita vertunt Chaldæus, Pagninus et Vatablus, quin et Septuaginta apud S. Hieronymum.

18. DEDI TE (do, constituo. Simile vidimus in vers. 9 et 10) IN CIVITATEM, — velut civitatem, columnam et murum æneum; nam præpositio ל *lamed*, et ב *beth*, id est *in*, ponitur pro כ *caph*, id est *sicut*. Unde Arabicus vertit : *Et jam feci te hodie ut civitatem potentem* (vel fortem, vel gloriosam) *ad quam impossibilis est accessus : et sicut ferrum, et feci te murum æris super universam terram.* Sensus est, *q. d.* Reddo et efficio te hodie fortissimum contra omnes adversarios, ut sis, *primo*, quasi civitas munita, quæ se optime propugnat; *secundo*, quasi columna ferrea, quæ omnia onera sibi imposita sustinet; *tertio*, quasi murus æreus, qui bellica tormenta sine læsione fert et repellit; quique, ut ait Hieronymus, nulla violatur rubigine, nec cæsus imbribus deperit, sed vetustate fit fortior. Præco ergo Dei, et pastor bonus sit columna sustentans infirmos, *Rom.* XIV, 1; sit murus objiciens se periculis pro ovibus; non mutus, sed æneus sono prædicationis. Murus, qualem requirit Deus, *Ezech.* XIII, 5 : « Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini. » Et Poeta :

> Hic murus aheneus esto
> Nil conscire sibi.

Et Seneca in *Troad.* :

> Tu præsidium Phrygibus fessis,
> Tu murus eras, humerisque tuis
> Stetit illa decem fulta per annos.

Ita Delrio, *adag.* 817.

quæ aliquod operosum moliuntur, prolixiores vestes cingulo lumbis astringunt, ut expeditior incessus vel opera sit. (Rosenmuller.)

Sapienter dixit Agathon Abbas in *Vitis Patrum*, lib. VII, cap. XLII : « Si habitas cum proximo, esto sicut columna lapidea; quæ si injuriatur, non irascitur; si glorificatur, non extollitur. »

Pollicetur Deus, ait Theodoretus, Jeremiæ non pacem, nec quietem, sed certamina et victoriam, uti Christus Apostolis, *Joan.* cap. XVI, 1 et seq. Hinc tanta fortitudo et libertas Jeremiæ contra principes et reges, scilicet ex una hac Dei promissione : quia « ego tecum sum; » si enim Deus pro nobis, quis contra nos? En quid facit spes in Deum, quantas habet vires! « Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur, » et quæ toto *Psal.* XC sequuntur, huc pertinent. Tales fuerunt prisci Ecclesiæ doctores, principes et heroes.

Spei et constantiæ Sanctorum exempla.

Ita S. Ambrosius Deo nixus et corroboratus, Valentiniano Imperatori ejusque matri Justinæ, petentibus templum dari Arianis, fortiter restitit : cumque comites et tribuni urgerent Imperatorem, uti jure suo, quod in potestate ejus omnia forent, respondit Ambrosius : « Si Imperator a me petat quod meum est, id est fundum meum, argentum meum, non recusabo; quanquam omnia, quæ mea sunt, pauperum sunt : verum quæ Dei sunt, imperatoriæ potestati non sunt obnoxia. Si patrimonium affectatis, invadite : si corpus, accurrite; vultis in vincula ducere? vultis ad necem? ludus est : non ego me vallabo stipatione populorum, nec altaria tenebo, vitam deprecans, sed pro altaribus victimam me præbebo. » Invasit eum Calligonus : « Tune, inquit, me vivo, Valentinianum contemnis? ego tibi caput abscindam. » Cui Ambrosius : « Deus permittat tibi ut impleas quod minaris. Ego enim patiar quod Episcopi : tu facies quod spadones. » Vide eum, *epist.* 32 et 33.

Ita Mathathias commemorans fortia Patrum, Deo duce, facta, hortatur suos ut resistant Antiocho regi, qui volebat Judæos traducere ad gentilismum : « Nunc ergo, o filii, inquit, æmulatores estote legis, et date animas vestras pro testamento patrum, etc.; quia omnes qui sperant in Deum, non infirmantur. Et a verbis viri peccatoris ne timueritis; quia gloria ejus stercus et vermis est : hodie extollitur, et cras non invenitur, » I *Machab.* cap. II, 50 et 61.

Ita S. Theodorus Martyr, teste Gregorio Nysseno in ejus *Vita*, cum carnifices ei immanes cruciatus minarentur, ni fidem Christi abjuraret, in hanc vocem erupit : « Pro fidei Christianæ confessione qui vulnerat, incidat; et qui verberat, laceret; et qui cremat, flammam adjiciat; et qui his verbis offenditur, linguam eximat. »

Ita S. Vincentius, teste Prudentio in ejus Hymno, provocans carnifices, et lætus vadens ad rogum, ait tyranno :

> Quem tu maligne, mysticis
> Minitaris ignem litteris,
> Flagrabis ipse hoc justius;

Citoque ad ignis grabatum festinans :

Hunc sponte conscendit rogum
Vir sanctus ore interrito,
Ceu jam coronæ conscius
Celsum tribunal scanderet.

Ita S. Basilius, cum ei Præses Valentis Imperatoris Ariani, ob fidem exitium minaretur : « Utinam, inquit, hoc mihi vere accidat, ut pro veritate ex his corporis vinculis eripiar! » Urgente Præside, ut rem maturius consideraret, Basilius respondit : « Ego quidem hodie et cras idem sum; atque utinam tu non mutes sententiam! » Ita Socrates, lib. IV, cap. XXI.

Jeremias ergo, et justus quivis fortis et constans, adversis cunctis est superior, talisque est qualem depingit Virgilius :

Ille velut pelagi rupes immota resistit.
Ut pelagi rupes magno veniente fragore,
Quæ sese multis circumlatrantibus undis
Mole tenet, scopuli nequicquam et spumea circum
Saxa fremunt, laterique illisa refunditur alga.

Talis fuit S. Lucia virgo et martyr, quæ nec precibus, nec minis a fide et castitate abduci potuit, sed intrepide Paschasio præfecto restitit, freta ope Spiritus Sancti; cumque Paschasius interrogasset : « Estne in te Spiritus Sanctus? » respondit : « Caste et pie viventes templum sunt Spiritus Sancti. » At ille : « Jubebo te ad lupanar duci, ut te Spiritus Sanctus deserat. » Cui virgo : « Si invitam jusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam. » Quare Paschasius indignans Luciam eo trahi jussit : sed divinitus factum est ut firma virgo ita consisteret, ut nec bobus, nec ulla vi de loco dimoveri posset. Ergo præfectus circum ipsam pice, resina, ac ferventi olea perfusam, ignem accendi imperavit; sed, cum ne flamma quidem eam læderet, multis tormentis excruciatæ guttur gladio transfigi jubet. Quo vulnere accepto, Lucia prædicens Ecclesiæ tranquillitatem, quæ futura erat Maximiano et Diocletiano mortuis, Idibus decembris spiritum Deo reddidit. Merito ergo illi accinit Ecclesia : « Columna es immobilis, Lucia, sponsa Christi; quia omnis plebs te exspectat, ut accipias coronam vitæ. » Et rursum : « Tanto pondere eam fixit Spiritus Sanctus, ut virgo Christi immobilis permaneret. »

CAPUT SECUNDUM.

Est hoc caput plenum querelæ, et quasi continuum pathos. Nam Deus sponsus plebem Israel, quasi sponsam increpat; quod se relicto, adulteris, id est, idolis et idololatris, adhæreat, quasi Deus sit impotens aut negligat suos. Idem recte aptes Christianis, qui spes non in Deo, sed homine, opibus, potentia defigunt, imo id facit omnis peccator (1).

1. Et factum est verbum Domini ad me, dicens : 2. Vade, et clama in auribus Jerusalem, dicens : Hæc dicit Dominus : Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam, et charitatem desponsationis tuæ, quando secuta es me in deserto, in terra, quæ non seminatur. 3. Sanctus Israel Domino, primitiæ frugum ejus : omnes, qui devorant eum, delinquunt : mala venient super eos, dicit Dominus. 4. Audite verbum Domini domus Jacob, et omnes cognationes domus Israel. 5. Hæc dicit Dominus : Quid invenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia elongaverunt a me, et ambulaverunt post vanitatem, et vani facti sunt? 6. Et

(1) Prima pars Jeremiæ prophetiarum quæ ad populum Judaicum pertinent in quatuor sectiones dividi potest : Porro prima sectio juxta P. Kilber tres sermones diversos complectitur, *primum* Dei jussu et nomine habitum, cap. II, cap. III, 1-5; *secundum*, tempore Josiæ regis dictum cap. III, a vers. 6, — IV, V, VI; *tertium* post restauratum a Josia templum pronuntiatum cap. VII, VIII, IX.

PRIMO igitur, Deus veluti in exordio revocat in memoriam prædilectionem suam erga Israelem, 2, 3; et excitat attentionem, 4.

SECUNDO, aggrediens *argumentum* ut ita dicam sermonis, *contestatur litem*, asserendo suam innocentiam, objiciendo populo et sacerdotibus oblivionem divinorum beneficiorum, et conversionem ad idola, 5-9.

TERTIO, *probat causam, primo*, ostendendo gentium ad idola majorem, quam Judæorum ad verum Deum adhæsionem, 10, 11; *secundo*, exponendo duplicem in hoc peccato malitiam, 12, 13; *tertio*, aperiendo suppliciorum immissorum originem natam ex neglectu Dei, 14-17.

QUARTO, *amplificat probationem, primo*, exprobrando præsentem defectionem, 18, 19; *secundo*, objiciendo antiquam jam et progressam jam rebellionem et nulla dissimulatione excusandam improbitatem, 20-25; *tertio*, præmonendo de futura frustratione auxilii ab idolis separati, 26-28.

QUINTO, *refutat exceptionem, primo*, indicando monitiones interemptis prophetis, objectas, 29, 30; *secundo*, adjiciendo beneficentiam oblivione contemptam, 31, 32; *tertio*, detegendo malitiam operum, sub speciosis verbis et jactata confidentia latebras quærentem, 33-37.

SEXTO, *in conclusione, primo*, cohortatur, oblata gratia, ad pœnitentiam cap. III, vers. 1; *secundo*, exhibet pristinæ vitæ malitiam hactenus non emendatam, 2-3; *tertio*, repetit cohortationem, et suggerit deprecationis formulam, 4-5.

non dixerunt : Ubi est Dominus, qui ascendere nos fecit de terra Ægypti : qui traduxit nos per desertum, per terram inhabitabilem et inviam, per terram sitis, et imaginem mortis, per terram, in qua non ambulavit vir, neque habitavit homo? 7. Et induxi vos in terram Carmeli, ut comederetis fructum ejus, et optima illius : et ingressi contaminastis terram meam, et hæreditatem meam posuistis in abominationem. 8. Sacerdotes non dixerunt : Ubi est Dominus? et tenentes legem nescierunt me, et pastores prævaricati sunt in me : et Prophetæ prophetaverunt in Baal, et idola secuti sunt. 9. Propterea adhuc judicio contendam vobiscum, ait Dominus, et cum filiis vestris disceptabo. 10. Transite ad insulas Cethim, et videte : et in Cedar mittite, et considerate vehementer : et videte si factum est hujuscemodi. 11. Si mutavit gens deos suos, et certe ipsi non sunt dii : populus vero meus mutavit gloriam suam in idolum. 12. Obstupescite, cœli, super hoc, et portæ ejus, desolamini vehementer, dicit Dominus. 13. Duo enim mala fecit populus meus : Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. 14. Numquid servus est Israel, aut vernaculus? quare ergo factus est in prædam? 15. Super eum rugierunt leones, et dederunt vocem suam, posuerunt terram ejus in solitudinem : civitates ejus exustæ sunt, et non est qui habitet in eis. 16. Filii quoque Mempheos et Taphnes constupraverunt te usque ad verticem. 17. Numquid non istud factum est tibi, quia dereliquisti Dominum Deum tuum eo tempore, quo ducebat te per viam? 18. Et nunc quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam? et quid tibi cum via Assyriorum, ut bibas aquam fluminis? 19. Arguet te malitia tua, et aversio tua increpabit te. Scito, et vide, quia malum et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum, et non esse timorem mei apud te, dicit Dominus Deus exercituum. 20. A sæculo confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, et dixisti : Non serviam. In omni enim colle sublimi, et sub omni ligno frondoso, tu prosternebaris meretrix. 21. Ego autem plantavi te vineam electam, omne semen verum : quomodo ergo conversa es mihi in pravum vinea aliena? 22. Si laveris te nitro, et multiplicaveris tibi herbam borith, maculata es in iniquitate tua coram me, dicit Dominus Deus. 23. Quomodo dicis : Non sum polluta, post Baalim non ambulavi? vide vias tuas in convalle, scito quid feceris : cursor levis explicans vias suas. 24. Onager assuetus in solitudine, in desiderio animæ suæ attraxit ventum amoris sui : nullus avertet eam : omnes, qui quærunt eam, non deficient : in menstruis ejus invenient eam. 25. Prohibe pedem tuum a nuditate, et guttur tuum a siti. Et dixisti : Desperavi, nequaquam faciam : adamavi quippe alienos, et post eos ambulabo. 26. Quomodo confunditur fur quando deprehenditur, sic confusi sunt domus Israel, ipsi, et reges eorum, principes, et sacerdotes, et prophetæ eorum, 27. dicentes ligno : Pater meus es tu; et lapidi : Tu me genuisti; verterunt ad me tergum, et non faciem, et in tempore afflictionis suæ dicent : Surge, et libera nos. 28. Ubi sunt dii tui, quos fecisti tibi? surgant et liberent te in tempore afflictionis tuæ : secundum numerum quippe civitatum tuarum erant dii tui Juda. 29. Quid vultis mecum judicio contendere? omnes dereliquistis me, dicit Dominus. 30. Frustra percussi filios vestros, disciplinam non receperunt : devoravit gladius vester prophetas vestros, quasi leo vastator. 31. Generatio vestra : Videte verbum Domini : Numquid solitudo factus sum Israeli, aut terra serotina? quare ergo dixit populus meus : Recessimus, non veniemus ultra ad te? 32. Numquid obliviscetur virgo ornamenti sui, aut sponsa fasciæ pectoralis suæ? populus vero meus oblitus est mei diebus innumeris. 33. Quid niteris bonam ostendere viam tuam ad quærendam dilectionem, quæ insuper et malitias tuas docuisti vias tuas, 34. et in alis tuis inventus est sanguis animarum pauperum et innocentum? non in fossis inveni eos, sed in omnibus quæ supra memoravi. 35. Et dixisti : Absque peccato et innocens ego sum : et propterea avertatur furor tuus a me. Ecce ego judicio contendam tecum, eo quod dixeris : Non peccavi. 36. Quam vilis facta est nimis, iterans vias tuas!

et ab Ægypto confunderis, sicut confusa es ab Assur. 37. Nam et ab ista egredieris, et manus tuæ erunt super caput tuum : quoniam obtrivit Dominus confidentiam tuam, et nihil habebis prosperum in ea.

Methodus concionandi Jeremiæ.

Nota methodum concionandi, quam hic servat Jeremias; nam *primo*, ostendit Dei in populum miram bonitatem, jugemque beneficentiam; *secundo*, populi ingratitudinem, idololatriam et scelera; *tertio*, hortatur ut redeat ad pristinam cum Deo amicitiam, ni velit hostibus tradi, uti reipsa postmodum traditus est : nec speret in ope Ægyptiorum, quia ab iis ita tractabitur, uti parentes ejus tractati sunt ab Assyriis, ad quos confugiebat. Hæc enim tria inculcare debet concionator. Loquitur autem de futura captivitate, tanquam jam præterita, ob ejus et prophetiæ hujus certitudinem.

Urget Deus Israelem sedecim argumentis.

Urget ergo hic Deus Israelem sedecim argumentis sive stimulis : *primo*, vers. 2, objicit quod reliquerit desponsationem et fœdus cum Deo initum in Sina, ubi Israel quasi sanctus et quasi primitiæ consecratus fuit Deo; *secundo*, vers. 5, Quid invenistis, ait, in me iniquitatis, ut vana idola sequeremini; *tertio*, vers. 6, Ego vos ex Ægypto per desertum horridum deduxi in terram fertilem : cur ergo me spernitis? *quarto*, vers. 10, Gentes non mutant suos deos falsos; cur tu mutas Deum verum? *quinto*, vers. 12, Obstupescite, ait, cœli, quia Israel reliquit me fontem aquæ vivæ, et fodit sibi cisternas dissipatas; *sexto*, vers. 14, Ob idololatriam datus es flammæ, et prædæ leonibus, id est Assyriis, ergo resipisce; *septimo*, vers. 20, A sæculo confregisti jugum : hinc ab uno idolo in aliud, ab uno scelere in aliud dilapsus es; *octavo*, vers. 21, Ego plantavi te vineam electam, quomodo facta es adulterina? *nono*, vers. 24, Sicut onager ad onagrum furit, ita tu ad idola; *decimo*, vers. 25, Idola te ad nuditatem, sitim et pauperiem deducunt; *undecimo*, vers. 27, Stulte, cur ligno dicis : Pater meus es tu? quod ab hostibus non liberabit te; *duodecimo*, vers. 30, Prophetas, quos misi ut te revocarent, occidisti; *decimo tertio*, vers. 32, Virgo non obliviscitur suæ fasciæ : tu oblivisceris Dei tui; *decimo quarto*, vers. 33, Docuisti alios malitias tuas, et infantes tuos concremasti idolo Moloch; *decimo quinto*, vers. 36, Quam vilis facta es nimis! *decimo sexto*, vers. 37, Adimam tibi omnem prosperitatem omnesque spes tuas.

Ex hisce colligas peccatum varias continere malitias; sed maxime quinque : *prima* est quod sit contra rectam rationem, seu dedecens naturam rationalem. Unde Seneca dicebat : « Etiam scirem homines ignoraturos, et Deum ignosciturum, tamen peccare nollem ob peccati turpitudinem. »

Secunda, quod sit contra hanc vel illam virtutem in particulari, v. g. superbia contra humilitatem, etc.; virtutes autem sunt bonum et perfectio hominis et angeli.

Tertia, quod afficiat nos damnis temporalibus, v. g. infamia, morbo, pœna, etc.

Quarta, quod sit offensa et malum quoddam Dei, contrarium ejus honori; peccator enim, relicto Creatore, adhæret creaturæ, v. g. feminæ, vino, honori, eamque præfert Creatori, ideoque tacite et interpretative summum suum bonum in ea ponit, ac consequenter privat Deum sua quasi bonitate summa et divinitate; ita ut si Deus aliquo telo aut gladio perimi posset, non alia perimeretur quam peccato. Ut merito sancta quædam virgo moriens, dixerit : Discedo ex hoc mundo cum hac sola incapacitate, quod nequeam comprehendere quomodo creatura possit deliberate committere peccatum mortale contra suum Creatorem.

Quinta, quod privet nos vita æterna, et addicat ignibus et pœnis sempiternis.

Unde, *secundo*, colligas hæc axiomata de peccati malitia.

Primum, peccatum est fons et parens omnium malorum quæ sub sole sunt, fuerunt et erunt. Quis ex angelo fecit dæmonem et Luciferum? peccatum. Quis Adam et homines paradiso et cœlo ejecit in hanc vallem miseriarum? quis eos morti et inferno addixit? peccatum. Quis diluvium sub Noe toti orbi induxit? peccatum. Quis Pentapolim igne cœlesti concremavit? peccatum.

Secundum, peccatum unum, etiam veniale, est majus malum, quam omnia mala pœnæ in unum collata. Illud enim est malum culpæ, hæc pœnæ; malum autem culpæ altioris est ordinis quam omnia mala pœnæ.

Tertium, omnia cætera mala peccato collata mala non sunt, sed bona; manant enim ex bono et virtute justitiæ vindicativæ, quæ per pœnam peccatum corrigit, et in ordinem reducit.

Peccatum est deicidium

Quartum, peccatum est deicidium; peccatum enim est unicum virus, unicus pugio, quo Deus optimus maximus posset e medio tolli, si quid esset quod inexhaustum illud vitæ atque essentiæ pelagus e medio tollere posset.

Quintum, fuit consentaneum magis Dei Filium hominem fieri, et tam indigna pati, quam peccatum inultum relinqui. Quis Christum ita speciosum instar leprosi deformavit, flagellis concidit, spinis coronavit, crucifixit, occidit? peccatum. Peccatum ergo est christicidium.

Sextum, etiamsi omnes angeli, boni et mali, omnisque creatura, atque adeo Creator ipse, in te conjurassent, omnemque affligendi potentiam in te expromere statuissent : nequaquam tantum tibi nocere etiam de absoluta Dei potentia possent, quantum ipse tibi noces, dum unum peccatum, etiam veniale tantum, admittis.

Septimum, peccati malitia nullo bono creato

compensari potest; adeo ut nequidem ad convertendum totum mundum licitum sit vel unum peccatum veniale facere. Plane ut malitia ejus non modo ineffabilis, sed etiam incomprehensibilis dicenda sit.

Merito ergo Martyres et Sancti usque ad mortem restiterunt peccato. Vide eorum dicta *Hebr.* cap. XII, 4.

Denique aurea est gnome S. Augustini in *Sententiis*, Sententia 159 : « Unum est summum bonum; aliud autem summum malum : » hoc est peccatum, illud Deus. « Illud, propter quod appetenda sunt bona cætera; ipsum autem propter seipsum : hoc propter quod declinanda sunt mala cætera; ipsum autem propter seipsum.

2. VADE — ex Anathoth in Jerusalem, quam hic quasi sponsam et feminam alloquor. Porro Jerusalem vocat incolas Jerusalem, metonymice.

RECORDATUS SUM TUI, MISERANS (cum miseratus sum) ADOLESCENTIAM TUAM. — Ita vocat primam ætatem patrum et Synagogæ, *q. d.* Recordor et reduco tibi in memoriam primam illam ætatem, qua ego Deus, non ob tuam pulchritudinem, sapientiam, opes, gratiam, meritum; sed mera misericordia, te pauperem et misellam, in Ægypto et deserto, in sponsam mihi assumpsi, eduxi, protexi, et instar sponsaliorum et dotis, legis, tabernaculi et sacerdotii tibi ornamenta distribui, ut mihi eam fidem servares, quam sponsæ, maxime novellæ et adolescentulæ, servant suis maritis. Ita S. Hieronymus et Theodoretus. Vere dixit B. Nazianzenus : « Israel æternæ providentiæ tulit primitias. »

Charitas desponsationis duplex.

ET CHARITATEM DESPONSATIONIS TUÆ. — Nota : *Charitas desponsationis* potest accipi tam charitas Dei qua Synagogam sibi desponsavit, ita S. Hieronymus, Rabanus, S. Thomas, Vatablus, quam charitas Synagogæ sponsæ, quæ tot allecta beneficiis, sponso Deo in amore, obedientia et obsequio mutuo respondit, eumque deperiit, ac per desertum secuta est. Ita Chaldæus, Theodoretus, Hugo, Lyranus, Dionysius a Castro, *q. d.* Recordare et vide quam utrimque suave fuerit ac dulce primum connubium nostrum, quamque prior tu a primo amore recesseris. Hoc refricat ut efficacius et plenius sponsam vulneret. Posteriori sensui favet id quod sequitur : « Quando secuta es me in deserto; » et Septuaginta qui vertunt, *recordatus sum dilectionis perfectionis tuæ* ; sicut enim sponsæ in nuptiis omni pulchritudine et ornamentis perficiunt se et comunt, ut diligantur a sponsis : ita et Synagoga Judæorum, initio, scilicet tempore Mosis, Aaronis, Josue, etc., fide et cultu unius Dei ornata fuit et perfecta, ut mereretur diligi vicissim a Deo. Hinc Syrus vertit, *recordatus sum tibi gratiæ* (beneficentiæ) *pueritiæ tuæ, charitatis patientiæ tuæ, quia ambulasti post me in deserto, et in terra quæ non seminatur*; et Arabicus, *recordatus sum tibi, o Jerusalem! gratiæ adolescentiæ tuæ, et status tui in blanditiis, et dilexi tolerantiam tuam, quia tu secuta es me in deserto, ubi sanctificavi Israel, etc.* (1).

3. SANCTUS ISRAEL DOMINO (« sanctus » per gratiam et charitatem, aiunt Theodoretus et Hugo. *Secundo* et melius, Hebraice *sanctitas fuit Israel Domino*, id est Israel fuit quasi res sancta et dicata Domino, quæ non debet pollui, *Exodi* XIX. Ita S. Hieronymus, S. Thomas, Lyranus, Vatablus. Rursum Israel fuit quasi) PRIMITIÆ FRUGUM EJUS,— scilicet Dei : id est Israelitæ fuerunt quasi primitiæ ex omnibus nationibus, Dei cultui dicatæ, sicut primitiæ frugum Deo offerebantur et dicabantur; unde laicus, qui eas comedebat, delinquebat eratque reus mortis, *Levit.* XXII, 3. Sic et hostes Israelis, « qui eum, » utpote rem quasi Deo sacram, deprædantur et « devorant, » etiamsi Dei voluntate id faciant, « delinquunt, » et « mala, » Deo ultore, « venient super eos. » Ita Chaldæus et S. Hieronymus. Porro cœpit Israel esse sanctus et quasi primitiæ frugum Deo, jam inde a principio, cum per Mosen in deserto Dei legem et cultum accepit, atque in hujus rei signum jussus est primitias frugum dependere et offerre Deo. Id clare significat versio Arabica, quæ sic habet : *Ubi* (in deserto) *sanctificavi Israel, et adscripsi* (vindicavi) *illum mihi, et præcepi illi ut separaret in conspectu meo initium* (primitias) *frugum suarum. Et dixi, in eos qui volunt comedere bona eorum, adducam malum.* Sensus ergo est, *q. d.* Israel non est populus profanus ut cæteri, sed Deo consecratus; quare qui eum læserit aut in servitutem redegerit, sacrilegii reus erit, et ut sacrilegus punietur a Deo. Sic Assyrios qui vastarunt decem tribus, Deus punivit per Medos, et Chaldæos qui vastarunt duas tribus, punivit et evertit per Cyrum. Hinc pro Israele orat David dicens *Psalm.* LXXIII, 2 : « Memor esto congregationis tuæ, quam possedisti ab initio. »

4. AUDITE, — *q. d.* Vos, o Israelitæ, constituo judices, ut judicetis an culpa hujus divortii sit in me, an in vobis. Ita S. Chrysostomus, serm. 4 *De Providentia* (2).

(1) Sed ut vere observat Dathius, quo minus sensum illum genuinum habeamus, et historia vetat, quæ Israelitas vixdum Ægypto egressos refractarios et ad aliorum deorum cultum pronos sistit, quod iis exprobratur, *Deut.* IX, 6, 24; *Isai*, XLVIII, 8; *Amos*, V, 25-26; *Psal.* CVI, 7, et prophetæ scopus, qui est, Dei beneficia commemorare, quibus male respondit populus. Quare loci sensus est potius hic : memini collata in te juvenem sponsamque beneficia, atque amorem, quo te sum amplexus. Recta Hieronymus : « Totum hoc non ad meritum ejus refert, sed ad suam misericordiam, per quam et charitatem consecuta est..... « Quando secuta es me in deserto; » quæ verba consequenter juxta S. Chrysostomum pertinent ad Deum, Israelitas per desertum ducentem atque præeuntem, scilicet, inquit S. Doctor, in hoc misericordiam demonstravi, dum effeci, ut me sequereris, dum me tibi ducem præbui, dum iter capesserem, tibique diversoria pararem in terra, quæ sementem non admittebat.

(2) Utrumque nomen Jacob et Israel ponitur non se-

Vers. 5. 5. INIQUITATIS, — id est *primo*, infidelitatis; *secundo*, crudelitatis, *q. d.* Qua in re male tractavi sponsam meam, scilicet vos, o Judæi?

AMBULAVERUNT POST VANITATEM, — id est post idola, quæ quia vani et falsi sunt dii, quos Deo vero opposuistis, hinc pariter vanos et falsos effecerunt vos cultores suos, æque ac cultum et religionem, imo superstitionem vestram. Ita S. Hieronymus, Chaldæus, Theodoretus, Hugo, S. Thomas, Lyranus. Potest tamen, *secundo*, hic omnis alia vanitas, quæ in quolibet est peccato, accipi: omne enim peccatum est amor rei vanæ.

VANI FACTI SUNT, — id est similes idolis suis facti sunt, sine ratione, sine sensu, sicut imprecatur eis David *Psalm.* CXIII, 8: « Similes illis (idolis) fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis: » sic pariter quilibet peccator vanus fit et brutus, dum vanas et brutas sectatur voluptates.

Peccatum est vanitas quadrupliciter.

Peccatum, ait D. Thomas hic, dicitur « vanitas, *primo*, quia phantasticum est in eligendo, *Psalm.* XXXIX, 5: Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus, et non respexit in vanitates et insanias falsas; *secundo*, quia transitorium est in permanendo, *Psalm.* LXXVII, 33: Defecerunt in vanitate dies eorum; *tertio*, quia fallax est in exspectando, *Eccli.* XXXIV, 1: Vana spes, et mendacium viro insensato: et somnia extollunt imprudentes; *quarto*, quia infructuosum est in consequendo, ut recte usurpent illud *Isaiæ* XLIX, 4: In vacuum laboravi, sine causa, et vane fortitudinem meam consumpsi. » Hucusque D. Thomas.

6. NON DIXERUNT, — *q. d.* Non sunt recordati Dei ductoris sui per desertum in Chanaan, a quo tot malis erepti, et tot bonis cumulati sunt.

PER TERRAM SITIS, — per terram aridam, siticulosam, et quæ homines sitire facit: unde Septuaginta vertunt, *per terram sine aqua.*

ET IMAGINEM MORTIS. — Theodoretus, Vatablus et Pagninus vertunt, *umbram mortis*, tum quia in deserto non erat germen, non fructus, nil vitale, unde Septuaginta vertunt, *infructuosam;* tum quia solitudo erat horrida, et periculis mortis, puta venenatis animalibus, scilicet scorpiis et serpentibus, plena, ut patet *Deuter.* IV, 15. Ita S. Hieronymus, Rabanus, Hugo, S. Thomas, Lyranus. Adde, *tertio*, hostes qui in deserto hoc occurrerunt Israeli, ut eum perderent et delerent: ob hos enim desertum Hebræis fuit formidolosum, quasi umbra mortis.

7. INDUXI VOS IN TERRAM CARMELI. — Nota hebræum *Carmel* aliquando esse nomen proprium, significans montem terræ sanctæ fertilissimum, et vini feracissimum, *Josue* cap. XIX, 26, ubi Elias frequenter versabatur, III *Reg.* XVIII, 19, inde aliquando transferri ad similia, esseque nomen commune omnis agri fertilis et amœni; hinc *Carmelus* significat fertilitatem, et omnium rerum abundantiam, sive terram feracissimam, qualis erat Judæa. Sic sumitur *Isaiæ* XXIX, 17: « Convertetur, ait, Libanus in Charmel. » Ita S. Hieronymus et Vatablus. Carmelus ergo, æque ac Tempe et Hesperidum horti apud Poetas, fecunditatis et deliciarum est symbolum.

Carmelus in Scriptura significat terram fertilem.

Utroque modo hic *Carmelus* accipi potest: significat enim Judæam fertilissimam, vel nomine communi, vel proprio; scilicet ex monte fertili intelligens totam Judæam æque fertilem, per synecdochen ex parte significans totum. *Tertio*, Chaldæus, subaudiendo *sicut*, vertit: *Induxi vos in terram Israel, quæ erat plantata sicut Carmelus.*

Nota: In Judæa duo erant Carmeli montes, unus sterilis in sorte Ephraim, ubi habitabat Nabal; alter in tribu Aser, juxta Ptolemaidem, fertilis, de quo hic agitur.

ET HÆREDITATEM MEAM (terram, quam vobis dedi, puta Judæam, quæ mea fuit quasi hæreditas; quia eam selegi ut in ea colerer, haberemque templum) POSUISTIS IN ABOMINATIONEM, — puta in idolium, id est, in domum et templum idolorum. Ita Chaldæus.

8. SACERDOTES (non tantum plebs imperita, quam ignorantia aliquo modo excusare poterat, sed sacerdotes etiam et legisperiti, quin etiam) PASTORES (id est reges et principes, aiunt Chaldæus, Theodoretus, Hugo, S. Thomas, Lyranus) PRÆVARICATI SUNT IN ME. — Ita vixerunt ac si me non cognovissent.

PROPHETÆ PROPHETAVERUNT IN BAAL, — ex Baal, *q. d.* Oracula et futura sciscitati sunt, non ex me, sed ex idolo et dæmone Baal, eaque pro veris prophetiis venditarunt.

9. JUDICIO CONTENDAM VOBISCUM, — in eoque vos transgressores convincam, ait Theodoretus. Patet ex sequenti.

10. TRANSITE AD INSULAS CETHIM. — *Cethim* urbs erat in Cypro; unde Zeno, princeps Stoicorum oriundus, dictus est Citicus, inde Cyprus, aliæque insulæ, Italia etiam, ut patet *Num.* XXIV, 24, et Græcia, I *Machab.* I, 1, dictæ sunt *Cethim.* Hebræi enim populos a se mari Mediterraneo discretos, *Insulanos* vocabant, quod ad se in continente habitantes navibus accederent, uti Itali omnes trans Alpes morantes, vocant *Tramontanos.* Ita S. Hieronymus, Theodoretus et Josephus, lib. I *Antiq.* XI. Addit Theodoretus in XXVII *Ezech.* et Josephus, lib. I *Antiq.* VI, quod Cethim filius Javan, filii Japhet, filii Noe, primus occupaverit Cyprum, indeque Cyprum vocatam esse Cethim.

Vers. 10 Cethim quid?

CEDAR — regio est Arabiæ, dicta a Cedar secundo Ismaelis filio, *Gen.* XXV, 13. Ita S. Hieronymus, Rabanus, Hugo et Vatablus. Verum Theodoretus per *Cedar* omnes Orientales accipit, sicut per *Cethim* Occidentales, *q. d.* Durius et iniquius me tractatis, quam gentes quævis, licet barbaræ, idola sua tractent.

cundum duas et decem tribus, sed juxta omnem populum, quum et ipse Jacob postea appellatus sit Israel. (S. Hieronymus.)

11. CERTE IPSI NON SUNT DII, — *q. d.* Studiosiores fuerunt omnes gentes in retinendis colendisque diis falsis, quam vos in Deo vero.

MUTAVIT GLORIAM SUAM IN IDOLUM. — « Gloriam » vocat Dei veri cultum, quo gloriosus erat Israel : hunc ipse transtulit in idolum. Ita Chaldæus. *Secundo* et aptius, « gloriam » vocat Deum gloriosum : ipse enim est Israelis, imo totius mundi gloria, in eoque solo gloriandum est cum Davide *Psalm.* III, 4 : « Tu, Domine, susceptor meus es, gloria mea ; et exaltans caput meum. » Hinc et Apostolus huc alludens ait *Rom.* I, 23 : « Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, » quia videlicet gloriosam majestatem, titulos et honores divinitatis Deo vero eripuerunt, et in idolum transtulerunt. Ita Hugo, Lyranus, Dionysius et Vatablus.

12. OBSTUPESCITE, COELI, SUPER HOC — portento malitiæ, quod jam dicturus sum.

PORTÆ EJUS. — Jam Hebræa habent, שערו *saaru*, id est, inhorrescite. Ita Septuaginta et Noster legunt per *chin* שערו *scaaraf*, id est, *portæ ejus*, id est eorum, puta cœlorum, de quibus præcessit. Cœlum enim nunc singulariter, nunc pluraliter nuncupamus : idemque sunt cœli quod cœlum.

DESOLAMINI, — id est, more desolatorum mœstitiam indicate, præ stupore et horrore tantæ impietatis Israel, ciete pluvias, quasi lacrymas ; fulgura et tempestates excitate, quasi indices doloris, et vindices injuriæ Creatoris vestri. Ita S. Hieronymus, Vatablus, Lyranus et Maldonatus qui addit : *Desolamini*, inquit, id est, *rumpimini fulguribus, in signum iræ Dei.* Est prosopopœia ad pathos ; similis est *Isaiæ* I, 2, et *Deut.* IV, 26.

Nota : Pro *desolamini* hebraice est חרבו *charabu*, id est, exarescite, ut vertit Leo Hebræus. Desolatio ergo hæc non est ea quæ directe opponitur consolationi, ac tristitiam et mœrorem significat ; sed est ea quæ opponitur copiæ et multitudini. Desolari enim idem est quod solum relinqui, ad solitudinem redigi, destrui, vastari. Sic enim dicimus desolari agros, urbes, regna cum ab hoste vastantur. Sic Plinius, lib. XVII, cap. XII, de bubone ait : « Deserta incolit, nec tantum desolata, sed etiam dira et inaccessa. » Desolare ergo non est idem quod solo æquare ; non enim a *solo* substantive sumpto, quod terram significat, deducitur : sic enim *solum* primam habet brevem, cum illa in *desolor* sit longa : sed a *solo* adjective sumpto, idemque est quod solum effici, destitui, privari sua copia et gloria : inde tamen sequitur desolatio consolationi opposita, id est mœror et luctus ; ex quo rursum sequuntur lacrymæ, gemitus, etc.

Est ergo metalepsis : ex desolatione enim et ariditate tristitiam, ex tristitia lacrymas intelligit, *q. d.* Vos, o cœli, cœlorumque portæ, id est cardines, aut extima superficies, per quam quasi per portas, cœlorum vis et influxus in terras egreditur ! obstupescite et inhorrescite ad tantam terrigenarum malitiam et ingratitudinem, ut præ stupore quasi attoniti contremiscere, et e cardinibus convelli ac concuti videamini. Rursum lugete et plorate, ciendo pluvias, fulgura et tonitrua, ut præ luctu et dolore desolari, id est tabescere, exarescere et evanescere videamini : ipsi enim me desolarunt, id est solum reliquerunt, cum eis sim fons aquæ vivæ, euntes ad cisternas dissipatas. Quocirca juste eis repensum est ut leones ponerent terram eorum in solitudinem : unde « civitates exustæ sunt, et non est qui habitat in eis, ut sequitur vers. 15. Hanc ergo tam meam, quam terræ desolationem, vestra desolatione repræsentate, et duris terrigenis in os et faciem ingerite, si forte aperiant oculos, conterantur et resipiscant. Hinc pro *desolamini*, Syrus vertit, *contremiscite* ; Arabicus, *pavore dissolvimini.*

Aliter Sanchez : ipse enim desolari censet idem esse quod solo æquari ; et per portas cœli, accipi ortum et occasum ; aut solem, lunam et stellas. His dicitur, « desolamini, » id est splendorem et speciem vestri subducite, ut non appareatis, et periisse videamini.

Aliter quoque Theodoretus, Hugo, S. Thomas, Lyranus. Cœli, inquiunt, id est Angeli, in cœlis obstupescite ; et portæ, id est Angeli principes, et quasi judices aliorum, ait S. Thomas, desolamini.

13. DUO ENIM MALA (contraria duobus bonis, quæ illis præceperam, ut declinarent a malo, et facerent bonum, *Psalm.* XXXVI, 27), FECIT POPULUS MEUS. *Primum* : ME DERELIQUERUNT FONTEM AQUÆ VIVÆ. — « Vivæ, » id est perpetuo fluentis, vitalis, vitam dantis. Arabicus vertit, *fui illis fons aquæ dulcis et laudabilis*, omni vitio carentis. Hic ergo fons perennis aquæ, id est gratiæ et bonorum omnium, est Deus, *Psalm.* XXXV, 10 : « Quoniam apud te est fons vitæ. »

Viderunt idipsum Gentiles ; unde Trismegista, *Dialog.* 7 : « Respicite, ait, o mortales, et resipiscite, et ad fontem vitæ recurrite. » Et Alcinous, lib. *De Doctrina Platonis* : « Nostrum bonum, inquit, si quis Platonis libros accurate legerit, in ipsa primi boni contemplatione posuisse reperiet : quod quidem primum bonum, et Deum, et primam mentem vocare licet. » Hoc Prophetæ adagium pulchris similibus parabolis explicat S. Ephrem, tract. *De Divina gratia*, tom. I : « Qui, inquit, fontem habent, gutta non indigent. Lacte non egent, qui gregem pascunt. Qui panem frangunt, micis opus non habent. Qui mel conficiunt, eos mellis saporem explorare non est necesse. Qui margaritam habent, de obolo acquirendo non laborant. »

Secundum : FODERUNT SIBI CISTERNAS, CISTERNAS DISSIPATAS. Syrus vertit, *conquassatas* ; Arabicus, *scissas in quibus congregatur aqua, neque*

durat, id est permanet. Hæ cisternæ, aiunt S. Hieronymus et Theodoretus, sunt idola; *primo*, quia nullam habent divinitatem aut potentiam, nisi quæ eis infertur ab humana ignorantia.

Secundo, sicut cisterna ex aquis turbidis completur; ita quod idola, quod dæmones dant, turbidum est.

Tertio, idola sunt cisternæ fractæ, rimosæ, male conglutinatæ, quæ aquam non continent, quia ab eis nihil quod sitim animæ levet, exspectandum est. Rursum cisternæ dissipatæ sunt gentes idololatræ, puta Ægyptii et Assyrii, a quibus alternatim bellis pressi opem petebant Judæi. Id patet ex vers. 18.

Peccator fodit cisternas dissipatas.

Tropologice omnis peccator, relicto fonte, quærit cisternas, quia in omni peccato, est *primo*, aversio a Deo, bono increato et immenso; atque conversio ad bonum caducum, fragile, exile, turbidum; *secundo*, est contemptus Dei, præ honore et amore creaturæ; *tertio*, peccator peccando, quasi titulum et esse finis ultimi Deo adimit, eumque et spes suas omnes quasi transfert in creaturam. Nonne hæc est summa contumelia Dei? summa stoliditas et insania peccatoris? dicit enim et verbis et factis illud, quod fatuus ille avarus aqud Nazianzenum, tractat. *De Fortuna et prudentia* : « Gutta bonæ sortis (fortunæ) mihi potior est mentis (prudentiæ) cado. » Quod apte refutat et retorquet prudens, dicens : « Gutta bonæ mentis mihi potior est bonæ sortis cado. » Peccator enim glebam terræ toti cœlo, creaturam Creatori, momentum æternitati stulte præfert et anteponit. Contrarium faciunt prudentes et Sancti.

Hinc, *primo*, hoc adagium recte adaptatur hæreticis : hi enim purum doctrinæ fidei in Ecclesia fontem deserunt, et fodiunt sibi cisternas cœnosas falsorum dogmatum. Ita S. Irenæus, lib. III, cap. XL, S. Cyprianus, *epist.* 70, et S. Athanasius, serm. *Contra omnes hæreses*.

Secundo, B. Petrus Damianus citatus in Allegoriis Tilmanni idipsum adaptat Monachis loquacibus, qui relictis Dei laudibus, piisque sermonibus, quasi fonte vitali, ora sua faciunt cisternas, ex quibus non novi, sed veteris hominis verba futilia proferunt, easque dissipatas : quia labia sua moderata discretione nesciunt cohibere.

Tertio, Hugo : Avarus, inquit, est cisterna vetus et rimosa, quæ nunquam aquis, id est opibus, impleri potest. *Secundo*, est clericus, qui relicto studio sacræ Scripturæ, vanis scientiis dat operam. *Tertio*, est Religiosus, qui in tentatione quærit humana solatia futilia, nec poscit a Deo vera et solida. « Hoc autem fit, inquit, quando in tentationibus oratio fastiditur, et pro iisdem mitigandis, jocosis et inutilibus verbis vacatur. »

Denique S. Augustinus, in *Sententiis*, Sententia 289 : « Quantum, ait, et quale bonum sit Deus, etiam ex hoc evidenter ostenditur, quod nulli a Deo recedenti bene est, quia et qui gaudent in mortiferis voluptatibus, sine doloris timore esse non possunt. Et qui omnino malum desertionis suæ majore superbiæ tumore non sentiunt, aliis qui hoc noverunt discernere, quanta sit miseria, apparet. » Quia ergo in solo Deo est omnis vera delectatio, hinc peccator eo se privans, sentit omnem amaritudinem : quia relicto fonte vitæ, velit nolit, adhæret fonti mortis et omnium malorum.

14. NUMQUID SERVUS. — Sunt verba non Hierosolymæ de sua sorte querentis, ut vult Vatablus, sed Dei; *q. d.* Israel est primogenitus Abrahæ, et Dei filius, *Exodi* IV, 22, non servus, id est mancipium emptitium, aut vernaculus, id est servus ex serva domi natus : cur ergo leonibus, id est Sennacherib, Assyriis et Ægyptiis, ac tropologice, diabolis, datus est in prædam? *q. d.* Non provenit hoc ex servili ejus conditione, non ex crudelitate domini, sed ex peccato, quia Deum offendit, uti respondet vers. 17 : « Numquid non istud factum est tibi, quia dereliquisti Dominum Deum tuum? » Et vers. 19 : « Arguet te malitia tua. »

FACTUS EST IN PRÆDAM? — S. Hieronymus, Chaldæus, Rabanus, Hugo, hæc exponunt de futura vastatione per Chaldæos et Ægyptios, qui reliquias Judæorum afflixerunt. *Secundo* et planius, Theodoretus, Hugo, Lyranus, Dionysius, hæc accipiunt de præterita Judæorum clade, accepta a Sennacherib, Assyriis et Ægyptiis, *q. d.* Noli, o Israel! Deo tuo relicto, sperare et confugere, ut soles, ad Assyrios et Ægyptios, quia hi quasi leones te laniarunt et vastarunt.

15. SUPER EUM (contra eum) RUGIERUNT LEONES. — Id est, Assyrii et Ægyptii inhiarunt ei, tanquam leones rugientes in ejus prædam et lanienam.

16. FILII QUOQUE MEMPHEOS ET TAPHNES (id est, Ægyptii; *Memphis* enim urbs est Ægypti, quæ nunc Cayrus dicitur; sic *Taphnes* vel Tanes regia erat Pharaonum), CONSTUPRAVERUNT TE USQUE AD VERTICEM, — id est totum te imbuerunt cultu idolorum, quod est spirituale stuprum et fornicatio, itaque vocatur a Prophetis; ita ut a planta pedis usque ad verticem, non sit in te sanitas. Sic vers. 20 idololatras vocat meretrices. Ita S. Hieronymus et Rabanus. Hæc referenda sunt ad vers. 13.

Aliter S. Thomas : stuprum enim proprie accipit, *q. d.* Assyrii et Ægyptii, quasi domini et victores, obscœne Judæis tam puæris quam puellis abusi sunt. Aliter Hugo, Dionysius, Maldonatus et Sanchez : per stuprum enim accipiunt servitutem, oppressionem, omnemque calamitatem quam Assyrii et Ægyptii Judæis subactis irrogabant. Hic sensus sequitur ex primo, eumque perficit et adimplet : quia enim Judæi sponte culpæ Assyriorum et Ægyptiorum, hinc et pœnæ ac vexationi, sed inviti, succubuerunt. Unde pro *constupraverunt te*, hebraice est ירעוך *iiruch*, id est paverunt te, hoc est rexerunt te, imperarunt tibi.

Sic enim vers. 8 reges vocavit « pastores. » Verum Noster, Septuaginta, Chaldæus et alii aliis punctis legerunt ירעוך *ierouch*, id est malefecerunt tibi, id est constupraverunt : loquitur enim de Israele quasi de virgine, cujus summum malum est stuprum : unde Septuaginta vertunt, κατέπαισόν σου, illuserunt tibi. Forte etiam pro *iod* legerunt *caph*, scilicet pro *ierouch*, כרעוך *careuch*, id est curvaverunt te, prostraverunt te, scilicet ad stuprandum. Denique alii vertunt prophetice, *malefucient*, id est conterent, confringent, conquassabunt tibi caput et verticem, id est Josiam regem tuum cum populo trucidabunt. Ita Hugo, Lyranus, Dionysius. Unde Chaldæus vertit, *occident fortes tuos, et diripient facultates tuas* (1).

Vide hic qualem quamque vilem se faciat meretrix, et mulier aliis compta : nimirum foris est splendida, intus stupris sordida et putida : foris est Helena, intus Hecuba : foris pappus et pompa, intus nuba, inanis et chaos : foris dea, intus cloaca. Tropologice talem se facit anima dum peccat, ac relicto Creatore fornicatur cum creaturis, nimirum facit se sepulcrum dealbatum. Hic verum est vetus dictum : « Ubi uber, ibi tuber : ubi mel, ibi fel : ubi montes, ibi valles : ubi aurum, ibi aurugo et scoria. »

Vers. 17. 17. DERELIQUISTI DOMINUM DEUM TUUM EO TEMPORE, QUO DUCEBAT TE PER VIAM, — scilicet deserti, duce columna ignis et nubis. « Dereliquisti, » quia in Sina fecisti et adorasti vitulum aureum. Ita Theodoretus, Hugo, Lyranus, *q. d.* Quia noluisti Deum sequi, dum te per viam planam et facilem duceret, permisit te deerrare per vias difficiles : quia noluisti uti rebus prosperis sequens Deum, permisit te adversas experiri idola sequentem, inquit Maldonatus.

Secundo, S. Hieronymus, Chaldæus, Rabanus, Hugo, Vatablus, per *viam* intelligunt viam mandatorum Domini, puta vitam sanctam, quam eis suis concionibus et prophetiis ostendebat Jeremias, *q. d.* Dereliquisti viam rectam in cœlum, quam tibi Deus per legem suam, et per conciones Jeremiæ commonstrabat.

18. QUID TIBI VIS IN VIA ÆGYPTI (quorsum is et fugis in Ægyptum)? ET QUID TIBI CUM VIA ASSYRIORUM? — quorsum vadis in Assyriam? Solebant enim, ait S. Hieronymus, Judæi ab Ægyptiis oppressi, confugere ad Assyrios; et ab Assyriis pressi, confugere ad Ægyptios (2).

UT BIBAS AQUAM TURBIDAM — Nili, qui quia limosus est, et oblimans Ægyptum, hinc hebraice שיחור *sichor*, græce μέλας, id est niger dicitur : hinc vocatur turbidus. Septuaginta vertunt, *Geon* : Nilus enim dicitur *Geon*, hebraice גיחון *gichon*, a radice גוח *goach*, id est pectus quod suo quasi ventre et pectore incubet Ægypto, cum exundat, itaque eam fecundet. Sic *aqua fluminis* Assyriorum est Euphrates, *q. d.* Cur vadis frustra, ut petas auxilium ab Ægyptiis et Assyriis, ut relicta

(1) Forsan textus hebraicus ירועך קוקו melius verteretur *depascent te quoad verticem*, facient te calvam, summa te, spe delusa, ignominia afficient. Est enim, inquit Rosenmuller, רעה *pavit*, deinde *depavit*, sæpiusque a pratis repetita metaphora ad varias transfertur res ita quidem, ut pratorum flores atque gramina consumendas. Luculenter hoc probat locus *Mich.* v, 15, ubi verbum de regione dicitur, cujus incolas hostium enses, quemadmodum greges pastorum flores abrepturi sint. Simili modo hoc loco de vertice capillos suos amissuro calvoque reddendo dicitur. Omnem enim populum Judaicum sub unica, quam fingit, persona complectitur, eique calvitiem minatur. Maxima ignominia affectum iri eumdem ita indicaturus erat, calvo capite ob lepræ suspicionem, quam movebat, hebræis vel maxime ignominioso (II *Reg.* II, 23), ideoque pro pœna a Jova afflicto, Cf. *Jerem.* XLVII, 5, XLVIII, 37.

(2) Plerique interpretes eo Judæos carpi existimant ob fœdera cum Ægyptiis Assyriisque inita, in quorum auxilio fiduciam unice ponerent, neglecto Jova. Sic itinere Judæorum in Ægyptum et Assyriam, eorum fœdus cum Ægyptiis et Assyriis ineundi studium, potu vero aquarum Nili et Euphratis damna, quæ sibi ex insano illo auxilii studio sint contracturi, indicari existiment quod videlicet futurum sit, ut ad illos fluvios quondam captivi deportentur. Recentioribus vero interpretibus *bibere aquam* fere est suppetias petere, collato vers. 13. Porro quominus fœdera cum Ægyptiis Assyriisque hoc loco reprehendi statuamus, cum Rosenmuller putamus obstare temporum, quibus hæc locutus est vates, rationem. Josias enim, quo regnante concionem hanc habitam fuisse verisimile est, tam longe aberat, ut cum Ægyptiis fœdus iniret, ut potius Nechaoni, Chaldæos aggressuro, cum exercitu hostes obviam iret, et prælio prope Mageddo commisso cæderetur, II *Reg.* XXIII, 29. Cum Assyriis vero Jeremiæ tempore fœdus iniri haudquaquam poterat, quod illorum regnum tum jam interierat. Fatemur equidem, quemadmodum supra vers. 13, Deum quem solum salutis auctorem colere debebant Hebræi, *fons aquæ vivæ* appellatur, ita et hic cognata similitudine, *aliquo potatum ire* suppetias petere indicare credibile est. Attamen nobis potius videtur verbum דרך *Via* hic de cultu religioso, ut proxime antea vers. 17, extremo, et *Psal.* CXXXIX, 24 (Cf. ὁδός; *Act.* IX, 2; XIX, 9, 23) intelligere. Quemadmodum igitur *Amos*, VIII, 14, *via Bersabee* significat ritus et sacra idoli, quod Bersabee colebatur, ita hic via Ægypti et Assyriæ indicari vix dubitamus cultum idolorum Ægyptiorum et Assyriorum, et omnino populorum vicinorum, quorum superstitiones Hebræi tunc sectabantur; ut hæc sit loci sententia : Quid tibi erit de Ægypti religione? id est qualia tandem Ægyptiorum suscepta religio tibi perfida gens, afferet commoda? Num forsan *Nili aquas bibere*, id est ad Nili ripas e terra tua ab Ægyptiis transponi cupis? Quidnam utilitatis ex Assyriorum religione accepta in te redundabit? Num forte id, ut ex Euphrate aquam haurire possit, eumque olim accolas scilicet patria libertateque privandos esse Judæos, si fictorum numinum cultui sese daturi sint, monet propheta.

Sunt qui existimant (Harmer in *Observatt. super Oriente*, tom. II, pag. 309, et J. E. Faber in *Annotatione* ad illum, pag. 311) Jeremiam spectasse hic ad aquarum Nili et Euphratis qualitatem, quæ etsi ita lutulentæ et turbidæ, ut nonnisi percolatæ bibi possint, tamen ab accolis summis laudibus celebrantur, ut post Strabonem et Morison notat Calmetus, qui addit Ægyptios Nili aquam servare in testaceis doliis quin computrescat. Aliunde ex Julio Firmico Materno discimus Ægyptos incolas aquarum beneficia percipientes aquam colere, aquis supplicare, aquas superstitiosa veterum continuatione venerari.

Deo fonte perenni quem domi habes, mendices aquas eorum turbidas et deficientes, id est opem Ægyptiorum et Assyriorum, qui tibi opitulari non poterunt, sed mille turbis et cladibus te involvunt? Ita passim Interpretes.

Rursum in Nilo sunt crocodili exitiales, qui sunt symbolum impudentiæ, de quo Clemens Alexandrinus, lib. V *Stromat.* : « Diospoli, ait, quæ est urbs Ægypti, expressus est puellus signum generationis; senex vero, interitus : et rursum Dei symbolum accipiter, ut piscis symbolum odii, crocodilus impudentiæ. Videtur ergo universum hoc symbolum simul positum hoc significare : O qui nascimini et interitis, Deus odio impudentiam habet! » quam Israeli fugienti ad Ægyptios eorumque deos exprobrat hic Deus, vers. 16 et 20. Solus Hugo sic explicat, *q. d.* Cur peccata committis, quæ te cogunt duci captivum in Ægyptum, vel ad Assyrios? Sic fere Chaldæus.

19. ARGUET TE MALITIA TUA. — Hebraice תיסרך *teiasserech, castigabit te,* id est causa erit ut castigeris : ex quo disces quam malum et amarum sit Deum tuum reliquisse.

AVERSIO TUA (a Deo) INCREPABIT TE. — Idem dicit aliis verbis, more Hebræo.

20. A SÆCULO (ab olim, ab antiquis temporibus) CONFREGISTI JUGUM MEUM — legis meæ. Septuaginta vertunt, *jugum tuum, vincula tua* : quia lex, sicut erat jugum Dei, imponentis illud cervicibus populi : ita erat et populi illud portantis.

Secundo et aptius, per *jugum* accipe conjugium, *q. d.* Violasti conjugale fœdus, quo mihi fueras copulata : loquitur enim de Israele quasi de conjuge sua Deus, ut patet vers. 2. Ita Maldonatus. Maritus enim, ac præsertim Deus, est dominus uxoris suæ, eamque legibus et vinculis quibus vult, astringere pro imperio potest : unde Synagoga ita erat uxor, ut tamen esset et serva Dei. Hebraice est, *a sæculo fregi jugum tuum, dirupi vincula tua;* tanquam sint verba Dei, *q. d.* Ego Deus vincula Ægyptiacæ servitutis dirupi de collo tuo, o Israel! Sed noster Interpres hæc verba accipit per mimesim, quasi sint verba populi, de quo sequitur : « Et dixisti : Non serviam. » *q. d.* Sicut « dixisti : Non serviam, » scilicet Domino et marito meo, puta Deo, inquit S. Hieronymus, ita pariter gloriando et jactando dixisti : Fregi jugum tuum, et vincula tua, quibus me tibi, o Domine! astrinxeras; puta jugum connubii, et consequenter jugum legis tuæ. Deus enim cum Israele connubium iniit hac conditione et pacto, ut Israel legem Dei servaret, Deus vicissim Israelem aleret et protegeret. Vere S. Augustinus, *Sententia* 381 : « Quid tam dignum misericordia, quam miser? quid tam indignum misericordia, quam superbus miser? »

RUPISTI VINCULA, — quasi juvenculus aut bos indomitus, qui sagitta ictus recalcitrat, aut potius quasi vacca amore furens in taurum, quæ jugum a cervice excutit fractis vinculis, et ad amasium suum procurrit : ita enim et tu ruptis vinculis connubii et legis meæ, ad idola, quasi ad adulteros insane procurristi.

IN OMNI ENIM COLLE. — Meretricium vocat idololatriam : solebant enim idololatræ in collibus et sylvis sub arboribus, idolis suis immolare. Quinmo subinde ipsos montes excelsos pro diis habebant et colebant, uti Macedones fecisse testatur Maximus Tyrius, *serm.* 38. Et hodie in Peru sunt Indi, qui quemcumque montem, si paulo sublimior et speciosior sit, Deum existiment. Audi Virgilium de monte in quo fuit Capitolium, lib. VIII *Æneid.* :

> Hoc nemus, hunc, inquit, frondoso vertice collem
> (Quis Deus, incertum est) habitat Deus, Arcades ipsum
> Credunt se vidisse Jovem.

Quin et arbores diis sacras esse voluerunt. Hinc Virgilius, *eclog.* VII :

> Populus Alcidæ gratissima, vitis Iaccho,
> Formosæ myrtus Veneri, sua laurea Phœbo.

Sic et fontes ac flumina quasi deos coluerunt. Vide dicta *Isaiæ* XLII, vers. 15. Atque inde a Virgilio et Poetis vocantur « sacri fontes. »

PROSTERNEBARIS. — Hebraice est תעי *tsoa,* id est vagabaris; Pagninus, *discurrebas;* Septuaginta, *diffundebaris, q. d.* Discurrebas ex una arbore in aliam, ex uno idolo in aliud, ut meretrices ab uno amasio ad alium discurrunt.

21. PLANTAVI TE VINEAM ELECTAM. — Hebræum שרק *sorec* significat speciem vitis optimæ, de qua *Isaiæ* V, 2.

OMNE SEMEN VERUM. — Hebraice, *cujus omne semen verum erat.* « Semen » vocat palmites, ex quibus quasi ex radice et sémine, vites et uvæ succrescunt : vites enim raro per semen, sæpius per palmites seruntur et plantantur : hi ergo palmites sunt instar seminis, vocanturque semen verum, id est genuinum, non adulterinum, *q. d.* Deus te, o Israel! quasi vineam electam, id est quasi Ecclesiam suam plantavit, seminans in te probum et germanum ejus semen, scilicet veræ fidei et religionis, in sanctis patriarchis Abraham, Isaac, Jacob, Mose, Josue, etc. *Psalm.* LXXIX, 9, aiunt S. Thomas, Hugo, Lyranus : « Quomodo ergo nunc conversa es mihi in pravum? » id est, ut Vatablus, in palmites degeneres vitis alienæ, quæ scilicet a sua natura, nativoque succo et probitate degeneravit, uvasque non veras, cultas et suaves; sed falsas et adulterinas, scilicet baccas agrestes, amaras et acerbas, infidelitatis, apostasiæ aliorumque scelerum profert. In Hebræo pulchra est paronomasia : vitis *sorec* versa est סורי *in sure,* id est in pravam; perinde ac si Flandrice dicas : Ghy foete bzuyue, hoe zut ghy in eene fuere berandert!

Secundo et aptius, « semen verum, » vocat semen perfectum, id est optimarum vitium propa-

gines. Erat enim hæc vinea electa, uti præcessit. Recte enim advertit Alcazar in cap. III *Apocal.* 7, sæpe in Scriptura verum non opponi falso, sed imperfecto, ut *Eccli.* cap. XXV, 12: « Beatus, qui invenit amicum verum; » *Joan.* cap. I, 9: « Erat lux vera; » et cap. IV, 23 : « Veri adoratores; » cap. VI, 32 : « Panem de cœlo verum; » cap. XV, 1 : « Ego sum vitis vera; » I *Timoth.* cap. VI, 19 : « Ut apprehendat veram vitam; » I *Petri* V, 12 : « Hanc esse veram gratiam Dei; » I *Joan.* cap. II, 8 : « Verum lumen jam lucet. » Sic verum Religiosum dicimus, qui perfectus est, uti Christus, *Joan.* cap. I, 47, dixit : « Ecce vere Israelita. »

Verum pro perfecto ponitur.

Vers. 22. 22. SI LAVERIS TE NITRO. — *Nitrum*, ait Plinius lib. XXXI, cap. X, non multum a sale distat, sordes erodit et expurgat: inde hebraice dicitur נתר *neter*, eo quod maculas vestium et corporum removeat. Hinc nitrum esse salis speciem multi censent, licet alii alumen esse velint. Sicut enim salem in littore maris fervor conficit solis, durando in petram aquas marinas : ita in Nitria (unde nitrum dictum esse multi contendunt), ubi æstate pluviæ prolixiores tellurem infundunt, ardor nimius aquas excoquit in petram sali simillimam, sed nihil gelidi rigoris, nihil salsi saporis habentem; quæ tamen juxta naturam salis durare in caliditate, et nubiloso aere liquescere et fluere solet (1).

Hodie nitrum non habemus : sed ejus loco utuntur nostri pharmacopolæ sale petræ quem vocant. Porro mulieres nitoris studiosissimas solere uti ad id nitro docent Isidorus, lib. XVI *Etymol.* cap. II, et Athanasius, lib. *De Virginit.*, sub medium, ubi eas ab his lautitiis avocat, jubetque ut pura aqua se lavent. Quin et nitro tubera abradi docet Ovidius, lib. *De Medicam. faciei;* item pustulas ac nævos, docet ex Drogone Hostiensi Delrio, *adagio* 819.

Borith quid?

ET, etc., BORITH. — *Borith* est herba fullonum, qua scilicet ipsi pannorum sordes abluunt et purgant; eamdem enim vim habet cum nitro, ait S. Hieronymus; *Borith* enim descendit a בור *bur*, id est depuravit; inde בר *bar*, id est purus; electus; item *bar*, id est far, frumentum a paleis expurgatum. Syrus et Arabicus pro *borith* vertunt, *sulphur*, quod valide sordes expurgat: eas enim cum materia cui inhærent, exurit.

MACULATA ES (hebraice נחתם *nichtam*, id est insignita es) IN INIQUITATE TUA, — *q. d.* Emblematis et figuris tuorum scelerum respersa es, impressæ in te remanent peccatorum vestigia, velut expressæ historiæ alicujus imagines; nam, ut dicitur in cap. XVII, 1, « peccatum Juda scriptum est stylo ferreo, etc., super latitudinem cordis eorum, » *q. d.* Ita maculata es in anima coram Deo, ita maculas imbibisti, ut nullo nitro, sapone, aut borith emaculari et purificari possis. Quocirca ex hoc loco recte docent Theologi, quod actus peccati transiens post se relinquat maculam habitualem in anima, quæ formaliter eam peccatricem, Deoque exosam et abominabilem constituat, de qua dicitur *Josue* XXII, 17 : « Peccastis in Beelphegor, et usque in præsentem diem macula hujus sceleris in nobis permanet; » et de Salomone : « Dedisti maculam in gloria tua, » *Eccli.* XLVII, 22; et de Ecclesia : « Ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, » *Ephes.* cap. V, 27. Vide D. Thomam et Scholasticos, I II, *Quæst.* LXXXVI.

Symbolice, per *nitrum* et *borith* notat lustrationes legales, baptismata et sacrificia, quibus omnia peccata expiari putabant Judæi, sed falso; illa enim corpus, non animam purificabant. Ita Theodorus, Hugo et Lyranus. Maldonatus vero per *nitrum* et *borith* accipit humanas excusationes, *q. d.* Quidquid dicas, quidquid te excuses, dicens vers. sequenti : « Non sum polluta, » non poteris te apud me justificare.

Nitrum est pœnitentia.

Tropologice Christianorum spirituale nitrum et herba fullonis, est pœnitentia, quæ non corpus, sed animam purificat. Ita S. Hieronymus. Rursum animæ nitrum est morbus, paupertas, calumnia, et quævis tribulatio. Quocirca in *Vitis Patrum* de magno illo Abbate S. Joanne legimus, quod, cum quidam monachus gravi febri æstuans, ab eo sibi a Deo sanitatem impetrari postulasset, responderit : « Rem tibi necessariam cupis abjicere : ut enim corpora nitro abluuntur a sordibus, ita animæ languoribus, aliisque hujusmodi castigationibus purificantur. »

Vers. 23. 23. VIDE VIAS TUAS IN CONVALLE, — *q. d.* Respice gehennam, id est convallem filiorum Ennom, aiunt S. Hieronymus, Rabanus, Hugo, S. Thomas, Lyranus, quæ Siloe fontibus irrigatur, in qua filios idolo Moloch concremabas; ibi videbis tuas sordes idololatriæ testes, et monumenta tuæ impietatis. Unde Septuaginta pro *in convalle* vertunt, ἐν τῷ πολυανδρίῳ, id est in sepulcro multitudinis, id est multorum infantium : sic infernus est πολυάνδριον, id est sepulcrum multitudinis hominum.

SCITO QUID FECERIS : CURSOR LEVIS (Hebraice בכרה *bichra* significat animal velox, huc illucque discurrens (unde Aquila, Symmachus et Theodotion vertunt, δρομεὺς καύφη, per quod Chaldæus hic camelum feminam seu dromedariam, quæ cum

(1) Hebræum נתר *neter* invitante soni similitudine tum antiqui interpretes, tum recentiores verterunt. Ac nitro quo olim usos veteres ad abluendum purgandumque, vel ex eo liquet, quod inde Græcis percrebuerit ἐκνιτροῦν, intro eluere, intro perfrictum expurgare. Tum Forskalio teste (*Flora Ægyptio. Arab.*, part. XLVI) usus lotorius inter adhuc Ægyptus vulgaris est. Quum tamen ab eo quod hodie *nitrum*, valde esset diversum istud, quod eodem nomine insignaverunt veteres, judice physico et chemico Gaubio apud Schultensium, *Comment. ad Proverb.* XXV, 20, foret hoc loco *nitrum* æquivocum. Nempe inter notas complures quæ alterum ab altero distinguunt, hanc quoque ultimo apposuit vir experientissimus : nostrum inutile detersioni, veterum utilissimum. Juxta Michaelem et Aurivillium נתר est *natrum* seu alcali fossile et naturale quale in nitrariis Ægypti desertis reperitur. (Ex Rosenmuller.)

sit celerrima, dum agitur æstu libidinis, quaquaversum procurrit, donec mares camelos inveniat, cum quibus suam libidinem expleat, intelligit; Vatablus, camelopardalim; S. Hieronymus, capream. Cursor ergo levis est caprea, aut potius camela velox, *q. d.* Sicut caprea, aut camela, velox fertur ad pabula, aut potius ad mares, dum œstro libidinis furit, ideoque huc illucque cursitat), EXPLICANS VIAS SUAS,—hebraice *gyrans* aut circumiens « vias suas » sic tu, o Israel, ad varia idola huc illucque vagata es, et magno impetu petulanter discurristi. Explicat quod vers. 20 hebraice dixerat, *vagabaris ut meretrix*, ejusque mores hic depingit; uti Salomon, *Proverb.* cap. VII, vers. 11: « Quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta angulos insidians. »

24. ONAGER ASSUETUS IN SOLITUDINE. — Comparavit Israel capreæ, nunc comparat onagro, id est asino sylvestri, *q. d.* Sicut onager mas vel femina, animal sylvestre, est salacissimum, efferum ac velocissimum, testibus Plinio, Oppiano, Æliano et aliis, quod « in desiderio animæ suæ, » scilicet cum æstuat « attrahit ventum, » et auram quam maxime amat (1); aut potius cum libidine incenditur, summa montium conscendit, teste Oppiano, ad odorandam et captandam auram feminæ quam amat, et in eam totus fertur, ut nullus eum avertere possit, adeo ut in rabiem, et proprii pulli perniciem agatur : sic Israel olfecit, ubicumque idolum aliquod esset, ac toto impetu, ut nullis monitis aut minis averti posset, ad libidinem idololatriæ ferebatur. Ita S. Hieronymus.

Nota : Pro *ventum amoris* hebraice est *spiritum occasionis*, vel *impulsionis*, vel *coarctationis*, id est libidinis suæ : radix enim אנן *ana* significat aliqua gravi causa affici aut impelli.

Secundo, Hebraice פרה *pere* significat onagrum marem et feminam, de utroque hic potest accipi : unde in Hebræo participium *assuetus* masculus est, et onager magis furit ad onagram, quam onagra ad onagrum; affixa tamen omnia sunt feminina; et sequentia, scilicet menstrua, feminæ conveniunt, non mari. Tam ergo de onagra, quam de onagro; loquitur, *q. d.* O uxor adultera! furens quasi onagra, currensque ad amasios per saltus et nemora, quo properas? quo te is perditum? quis te agit æstus? lacerasti pallam meam auro textam inter vepres et sylvas, calceos attrivisti hyacinthinos, pedes nudos cruentasti, et adhuc curris anhela et sitibunda? ego maritus te insequor, redi ad me.

(1) Anhelat, cum cursu, tum furore venereo, attracto violentius ore naribusque vento, quod fieri in brutis animantibus, equis præsertim, dum exstimulat libido, observatum fertur. Cf. infra XVIII, 5. De equabus Virgilius, *Georg.* III, 474 et seqq.

Continuoque avidis, ubi subdita flamma medullis
Vere magis, quia vere calor redit ossibus, illæ
Ore omnes versæ in Zephirum stant rupibus altis
Exceptantque leves auras.

Moraliter, disce hic quam cupiditas et voluptas brutum, cæcum et vesanum faciant hominem, ut instar onagri et equi rapiatur ad suas turpes illecebras et amasias. Vere dixit Plutarchus : « Voluptas est malorum esca. » Et Cicero : « Blandissimæ dominæ sunt voluptates, » quæ scilicet facillime sibi hominem obsequentem faciunt. Cato apud Ciceronem, lib. *De Senectute* : « Accipite, ait, optimi adolescentes, veterem orationem Architæ Tarentini. Nullam capitaliorem pestem, quam corporis voluptatem hominibus dicebat a natura datam, cujus voluptatis avidæ libidines temere et effrenate ad potiundum incitarentur. Hinc patriæ proditiones, hinc rerumpublicarum eversiones, hinc cum hostibus clandestina colloquia nasci dicebat; nullumque scelus aut facinus esse, ad quod suscipiendum non libido voluptatis impelleret. » Antisthenes apud Laertium, lib. VI, cap. I, dicebat, « se malle insanire quam affici voluptate. Insaniam enim aufert medicus : voluptas, cum mentem eripiat homini, vix sanabile malum est. » Socrates apud Platonem in *Phædone* ait : « Voluptas quasi clavum tenens, animum corpori conjungit atque affigit, efficitque ut infectus corporea specie, ea putet esse vera quæ suadet corpus. » Plato ipse voluptatem a natura deorum sequestratam esse dicebat. Democritus voluptati deditos morbo comitiali correptis comparabat. Nyssenus, homil. 2 *in Ecclesiasten*, ostendit Salomonem de voluptate, quam ex variis rebus studiose captaverat, pronuntiare eam esse vanitatem vanitatum, meramque hominum deceptionem. Poetæ voluptates significarunt Circes poculo et Sirenum cantu, quæ blande homines alliciebant, et mox enecabant. Euripides in Hecuba Venerem amentiæ præfectam esse dicit. Nota sunt exempla Samsonis depereuntis Dalilam, Salomonis concubinas, Davidis Bethsabee. Hæc Herculi Jovis filio, virtute omnes excedenti, et cœlis destinato clavam (quam nec leo, nec hydra, nec Cerberus ei eripere potuerant) extorsit, ac pro ea pensum et fusum digitis ejus aptavit, cum consuetudinem Ioles sequeretur. Voluptas Romana Annibalem victorem effecit, quia vires et virtutem Romanorum enervavit, inquit Livius, *Decad.* III, lib. III. Claudius Cæsar, teste Suetonio in ejus *Vita*, ventri et voluptatibus deditus, in tantum mentis stupiditatem et oblivionem devenit, ut occisa Messalina paulo post mensæ assidens quæreret, cur domina non veniret; atque multos ex his quos capite damnaverat, postero die in concilium et ad aleæ lusum invitaret.

Moraliter quam bruta et vesana sit cupiditas.

Modum voluptates superandi dat Aristoteles, II *Ethic.* cap. ult., ut circa voluptates nos geramus sicut Trojani proceres circa Helenam, qui eam dimittendam censebant, ne belli damna et excidium incurrerent. Et Epictetus, cap. LVI : « Si voluptatis, inquit, alicujus imaginem animo conceperis, moderare tibi, ne ab ea movearis; sed et rem examina, et tibi ipsi præbe deliberandi spatium :

deinde utriusque temporis memento, tum ejus quo voluptate perfrueris, tum ejus quo percepta jam voluptate dolebis, teque ipse objurgabis. Atque his illa confer : si abstinueris fore ut gaudeas, teque ipse collaudes. Quod si tibi suscipiendæ rei videbitur esse tempus, cave ne te vincant ejus blanditiæ, et suavitatis illecebræ; sed illud oppone, quanto præstantior sit talis victoriæ conscientia. » Et Horatius :

Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas.

Demosthenes cum Laidis oraret noctem, illaque ingentem peteret mercedem, ad se rediens, inquit : « Ego tanti pœnitere non emo. »

Secundus modus est, si obfirmes animum ut resistat voluptati, cogitando eam esse tuum mortiferum hostem, omniumque malorum causam. Itaque severe tibi ipsi imperes, ne hosti tuo blande irrepenti cedas, sed ei constanter obsistas, ut ratio suum dominatum retineat, nec se subdat quasi mancipium cupiditati. Agesilaus rogatus, « quid Spartæ contulissent leges Lycurgi? » respondit : « Contemnere voluptates. » Testis est Plutarchus in *Lacon.* Vere Virgilius, lib. IX *Æneid.* :

Sua cuique Deus fit dira cupido.

Et alius :

Heu! quam dulce malum mortalibus additum,
Mellis dulcis amor!

Vide apologum monocerotis apud Damascenum in *Histor. Barlaam*, cap. XII.

Tertius est, si veram virtutis voluptatem ames, vanam concupiscentiæ fastidias. Cyrus, teste Xenophonte, a voluptatibus minoribus abstinendum dicebat, ut majores caperentur ac diuturniores : quocirca laborem jucundæ vitæ ducem appellabat; ab illo enim et cibum, et potum, et somnum jucundissimum reddi. Hinc Hesiodus virtutis viam asperam dicebat; ei tamen qui ad summum ejus pervenisset, omnia læta esse et jucundissima. Socrates et Chrysippus studiis intenti, tanta voluptate perfundebantur, ut corpore avolasse viderentur. Archimedes in sua mathesi defixus, nec patriæ excidium, nec civium lamenta, nec hostium clamores et gladios, quibus ipse confossus est, sensit. Quantam ergo voluptatem haurient Christiani et Sancti ex Dei contemplatione, spe et amore, ex Angelorum consortio, ex solatiis Spiritus Sancti! S. Augustinus, tract. 15 *in Joan.*, aquam de qua Christus dixit, *Joan.* cap. IV : « Qui biberit ex hac aqua sitiet iterum, » ait esse mundanam voluptatem : « Pone, ait, hydriam esse cupiditatem, et aquam de profundo esse voluptatem. Cum pervenerit quisque ad voluptatem sæculi hujus, cibus est, potus est, spectaculum est, etc., numquid non iterum sitiet? sitiet iterum : si autem acceperit a me aquam, non sitiet in æternum. Satiabimur, inquit Psaltes, in bonis domus tuæ : quoniam apud te est fons vitæ. »

OMNES QUI QUÆRUNT EAM, NON DEFICIENT, — hebraice, *non fatigabuntur*; Septuaginta, *non laborabunt, q. d.* Sicut onagræ et camelæ, licet velocissimæ sint, quia facillime respirant, capiuntur tamen cum generationi vacant, et cum inde fœtu vel menstruis gravantur, ita facile invenient amasii, id est gentes idololatræ, hanc meretricem, scilicet plebem Israeliticam, quæ nihil nisi amasios tales quærit; eam, inquam, invenient, sed in lupanari, id est in templis et aris idolorum cum eis fornicantem.

IN MENSTRUIS, — id est in sordibus sanguinis, ossium et cadaverum infantum et victimarum a se oblatarum, quarum voluptate nunquam satiatur, sed sicut scarabæus earum fimo et sordibus vivit. Sicut enim opifices in suis officinis, ebrii in tabernis, adulteri in ganeis, ita impii Israelitæ non in templo, non in urbe sancta, non in proborum domibus, sed in Ægypto et Assyria in domibus idolorum inveniebantur (1).

Secundo, Septuaginta pro *in menstruis* vertunt, *in humilitate*, abjectione, paupertate : ibi enim inveniuntur lascivi, qui sua cum meretricibus decoquunt, sicuti filius prodigus inventus est inter porcos, *Luc.* XV, 15.

Tertio, R. Salomon, Symmachus et Vatablus vertunt, *in mense suo*. Hebraice enim חדש *chodes*, et mensem, et novilunium et menstrua significat; quia, ait R. Salomon, onager uno mense anni dormit, tunc capitur, cum cæteris vigilet, et ob velocitatem capi nequeat : sic filia Israel, cum dormiret in cultu idolorum, Dei oblita, capta est a Chaldæis mense quinto. Sic diluvium obruit homines in peccatis dormientes, *Matth.* XXIV, 38. Verum, quod onager uno tantum mense dormiat, nec Plinius, nec Oppianus, nec alii apud Gesnerum in onagro meminerunt : quocirca fabulosum videtur.

Denique Vatablus sic quoque vertit, *onagra capietur cum gravida erit*, id est Israel capietur, cum ad summum peccatorum pervenerit.

Tropologice S. Gregorius, homil. 29 *in Ezech.* : « Maligni spiritus, inquit, in menstruis suis animam inveniunt, quando in pollutis cogitationibus positam facile ad perversam operationem trahunt. »

25. PROHIBE PEDEM TUUM A NUDITATE, — ne calceamenta atteras, ut eas nudus, vel ne nudes pedes ut transeas Nilum vel Euphratem : neve te siti maceres, currendo in Ægyptum vel Assyriam, quærendo idolorum et idololatrarum auxilium, cum illa te juvare non possint : noli ergo tanto

(1) Rosenmuller satis recte existimat vocem חדש eo minus ibi de menstruis mulierum usurpari, quod menstrua quæ solis feminis humanis sunt propria, non cadunt in onagram de qua hic agitur. Ideo cum Bocharto in *Hieroz.* part. I, lib. III, cap. XVI, interpretatur, *eam in mense suo invenient*, id est quo mense solent sylvestres asinæ maris appetitu fervere, constat enim animalia libidinis suæ certa habere tempora.

labore frustra te fatigare, sed redi ad me. Respondet sponsa, id est plebs Israel : « Desperavi, » scilicet salutem et auxilium et reconciliationem, quod scilicet post adulterium cum idolis, in gratiam recipiar a Deo vero sponso meo; unde nolo ad eum redire, ideo ad alienos quos adamo, pergo. Ita Chaldæus, Vatablus et S. Hieronymus (1).

Aliter explicant S. Thomas, Lyranus, Dionysius, *q. d.* Cave, o Israel, idololatriam, ne captivus duci cogaris nudis pedibus, et præ siti aridus in Babylonem. Sed prior sensus magis genuinus est, ut patet ex sequentibus.

Aliter quoque explicat Noster Pineda in cap. XXXI *Job*, 10, num. 8, *q. d.* « Prohibe pedem tuum a nuditate, » ne scilicet crura tua et femora denudes adultero, eique te prostituas : « et guttur tuum, » id est membrum, « a siti, » hoc est ab intemperanti æstu libidinis. Sic enim dicitur, *Proverb.* cap. XXX, vers. 15 : « Tria sunt insaturabilia, etc., os vulvæ; » et *Proverb.* V, 15 : « Bibe aquam de cisterna tua, et fluenta putei tui, » id est tu solus fruere uxore tua. Unde explicans subdit : « Lætare cum muliere adolescentiæ tuæ; ubera ejus inebrient te in omni tempore, in amore ejus delectare jugiter. » Primus sensus uti castissimus, ita et simplicissimus maximeque genuinus est. Præcessit enim : « Post Baalim non ambulavi : vide vias tuas in convalle : cursor levis explicans vias suas. » Et sequitur : « Post eos (amasios) ambulabo. » Ergo in pedibus hic intelligitur ambulatio ad scortandum, non autem ipsa denudatio et scortatio.

DESPERAVI, — hebraice נוֹאַשׁ *noas*, id est *actum est de me, desperatum est, nequaquam* scilicet *faciam*, id quod suadet Deus sponsus, ut ad eum redeam.

Potest, *secundo*, per interrogationem sic verti, *desperatum est? minime quia alienos* (deos, quasi amasios) *amo, et post illos ibo* : illi me tutabuntur. Unde hoc elidens subdit, *sed confunderis, meretrix.*

Tertio, Vatablus hebraice *noas* vertit, *exspectoratum est*, id est abhorrens est, et quasi evulsum, scilicet cor meum a Deo marito meo. Vide quo progrediatur impietas, et impia voluptas.

E contrario sponsus ad sponsam sui amantem, sibique fidam, ait *Cantic.* IV, 9 : « Vulnerasti cor meum (hebræum לִבַּבְתִּינִי *libbittini*, id est abstulisti cor meum, excordiasti me, rapuisti cor meum), soror mea sponsa. » Amor enim amantes ita conglutinat, ut, qui unum ab altero separare velit, dimidium ei animæ auferre videatur. Quocirca libidini et concubinis assueti, vix eas relinquere possunt, ac pene sunt incorrigibiles. Hoc est quod ait *Osee* cap. V, vers. 4 : « Non dabunt cogitationes suas ut revertantur ad Deum suum; quia spiritus fornicationum in medio eorum. » Ita et meretrix hæc ait : « Desperavi, nequaquam faciam; adamavi quippe alienos : » libidinata enim assidue, nil nisi libidinari cogitat.

26. QUOMODO CONFUNDITUR FUR QUANDO DEPREHENDITUR (Chaldæus, *sicut confusio viri, qui cum habitus fuerit fidelis, invenitur latro*), SIC CONFUSI SUNT, — sic confundentur Israelitæ, quando capientur a Nabuchodonosore : tunc scelus adulterii, id est idololatriæ, eorum patebit, quodque ob illud juste puniantur a Deo, quodque frustra ab idolis opem petierint. Ita Theodoretus, Hugo, S. Thomas, Lyranus.

30. FILIOS VESTROS. — Id est cives vestros : loquitur enim congregationi Judæorum generatim, quæ mater fuit tam percussorum, id est peremptorum sub Sennacherib et Manasse, quam adhuc viventium. Vers. 30.

DISCIPLINAM NON RECEPERUNT, — *q. d.* Castigati a me, non estis facti meliores; imo Prophetas, per quos vos admonebam, occidistis; hoc enim est quod subdit :

DEVORAVIT GLADIUS VESTER PROPHETAS VESTROS, — scilicet Dei veri. Manasses enim quotidie prophetam aliquem perimebat, ait Josephus X *Antiq.* IV. Ita Hugo, Lyranus, Dionysius. S. Hieronymus tamen, Theodoretus, Rabanus, S. Thomas, τὸ *vester* capiunt passive, *q. d.* Gladius, qui vos devorabit, devorabit et falsos vestros prophetas, qui vos seduxerunt : ut sit prophetia et comminatio.

QUASI LEO VASTATOR (fuit) 31. GENERATIO VESTRA. Vers. 31. — Ita Romana. Hebraice est, *quasi leo vastator generatio hæc*, scilicet *vos ipsi*, id est, ut S. Hieronymus, sicut leo vastator sævit in transeuntes, ita vos in Prophetas Dei desævistis, confirmat enim id quod paulo ante dixit : « Devoravit gladius vester prophetas. » Hebræa, Chaldæus, Vatablus, Pagninus et alii hæc divellunt et interpungunt hoc modo, *devoravit gladius vester prophetas vestros, sicut leo*, punctum; *o generatio*, vel *o sæculum!* id est o homines hujus ætatis, scilicet vos ipsi qui hæc auditis, videte quid vobis dicat Dominus. Aliter hæc explicat Maldonatus.

NUMQUID SOLITUDO, — *q. d.* Numquid tam inutilis fui populo huic, ut est inutilis solitudo, quæ nullum fert fructum; aut tam tardus in opitulando, quam est terra serotina, quæ omnia intus retinet, et nihil extra producit, aut sero? *q. d.* Non, quia quamdiu Israel me coluit, nunquam ei defui, sed abundantiam omnium dedi. Ita Theodoretus.

Nota ! Pro *serotina* hebraice est מַאְפֵלָיָה *mapeleia*, id est caliginosa : nam terra quæ non est soli exposita, aut sub libero cœlo, nihil profert, aut sero profert : unde Septuaginta vertunt, κεχερσωμένη, id est *plena sentium.*

Alii sic explicant, *q. d.* Cur meum templum deserunt, et solum relinquunt?

Tertio, Tertullianus, lib. IV *Contra Marc.* XXXI, sic explicat, *q. d.* Putat hic populus, cum me de-

(1) Pedum appellatione crura et pudenda significantur ut *Genes.* XLIX, 10; *Deut.* XXVIII, 57; *Ezech.* XVI, 25. Sunt igitur verba Dei revocantis et per euphemismum scelesta adulteria reprehendentis.

spicit, me solum remansurum absque cultoribus, uti est solitudo absque incolis : non, non; habeo cæterum mundum; imo mille mundos si volo, e quibus servos mei cultores evocem.

RECESSIMUS. — Chaldæus, *migravimus*, scilicet ad alias gentes et deos. Potest, *secundo*, aliis punctis legi רדינו *radinu*, ac verti cum Pagnino, Vatablo, Kimchi, *dominamur*, vel *dominium accepimus*, id est habemus alios reges, scilicet Ægypti vel Assyriorum, tuo dominatu non indigemus.

Vers. 32. 32. NUMQUID OBLIVISCETUR, — *q. d.* Femina pluris facit ornamenta sua, quam populus meus me.

FASCIÆ — quia pectus ornat, et ex qua bullas, annulos, monilia e collo suspendit, et in pectore gestat. Hieronymus Prado in *Ezech.* XVI, pag. 187, per has fascias accipit eas, quibus mamillæ stringuntur : illæ enim signum sunt illibati floris virginalis, sicut subacta ubera signum sunt fornicationis : hæc ergo fasciæ a sponso datæ sponsæ, admonent illam fidei conjugalis, et puritatis cordis, ut scilicet mamillas, quæ sunt cordis diverticula, id est affectus ejus continentia, coerceat, seque mundam toro sponsi conservet, dicatque illud *Cantic.* II : « Dilectus meus mihi, et ego illi; » et cap. I : « Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. »

Potest *secundo*, Hebræum קשרים *kiscurim* verti, monilia, torques, catenæ aureæ, quæ sponsa accipit a sponso, ut eam sibi astringat, ut ipsa illa et per illa sponsum, quasi semper gestet in pectore.

Mira oblivionis exempla, sed major est peccatoris. Narrat Plinius, lib. VII, XXIV, quemdam ex præalto tecto lapsum, matris et affinium propinquorumque cepisse oblivionem : Messalam vero Corvinum oratorem sui nominis oblitum esse. Idem, lib. VIII, cap. XXII, narrat genus esse luporum adeo obliviosum, ut, « quamvis in fame mandenti, si respexit, oblivionem cibi surrepere aiant, digressumque quærere aliud. » Fabulantur Poetæ apud inferos fluvium esse, nomine Lethe, cujus aquas si quis gustaverit, omnium præteritarum rerum obliviscatur : idcirco ἀπὸ τῆς λήθης, id est ab oblivione, nomen habere, de quo Lucanus, lib. IX :

> Quam juxta Lethes tacitus perlabitur amnis,
> Infernis (ut fama) trahens oblivia venis.

Et Ovidius, lib. II *De Ponto*, eleg. IV :

> Non ego, si biberes securæ pocula Lethes,
> Excidere hæc credam pectore posse tuo.

Rursum Lucanus, lib. III :

> Non me Lethææ, conjux, oblivia ripæ
> Immemorem fecere tui.

Quin et Plinius, lib. XXXI, cap. II, narrat in Bœotia fluvium esse, qui oblivionem inducat. Scribunt medici, et experientia constat, lethargum morbum esse, provenientem ex pituita humidiore frigidioreque cerebrum madefaciente, ac cerebri ventriculos, in quibus sedes est memoriæ, opplente, qui λήθην, id est oblivionem rerum omnium, inducit. Longe majori lethargo laborat peccator, qui ipsam Lethen, id est oblivionem, imbibisse videtur, dum non matris, non propinquorum, non nominis sui duntaxat, sed Dei Creatoris, Redemptoris et Salvatoris sui, in quo vivimus, movemur et sumus, qui magis cuique intimus est, quam ipsa cujusque essentia et existentia, imo est vita vitæ, et anima animæ cujusque, obliviscitur.

Vers. 33. 33. QUID. — *q. d.* Quid verborum fuco et operibus externis niteris te ostendere innocentem, ut captes meam benevolentiam, cum alios doceas impietatem, et sanguinem innocentem fuderis? Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Rabanus, Hugo, S. Thomas, Lyranus.

Aliter vertunt Chaldæus, Vatablus, Isidorus, *q. d.* Quid dirigis vias tuas ad gentes, ut quæras earum amicitiam? hoc ipso enim ostendisti vias tuas esse malas, quia te obligasti earum pessimis moribus, eisque vicissim tuos pessimos mores manifestasti.

MALITIAS TUAS DOCUISTI VIAS TUAS. — Est appositio, id est docuisti alios vias tuas, quæ sunt puræ malitiæ.

Vers. 34. 34. IN ALIS — in vestium oris. Est metaphora ab avibus rapacibus, uti sunt accipitres, quarum alis adhæret sanguis avium raptarum. Quod enim avi sunt plumæ et alæ, hoc homini sunt vestes. Septuaginta vertunt, *in manibus* : nam pro בכנפיך *becanpecha*, legerunt בכפיך *beccapecha*, aut certe *manus* vertunt pro *alis*, quia manus homini sunt, quod avi alæ, *q. d.* Vestes et manus tuæ aspersæ sunt sanguine, tum Prophetarum, tum innocentium, quos Moloch et corpore et anima immolabas. Ita Theodoretus et S. Hieronymus.

NON IN FOSSIS, — *q. d.* Non inveni occisos tuos in foveis, quasi latronum necatos insidiis, sed sub quercu idolis immolatos publice. Hebræum enim מחתרת *machteret*, non tantum perfossionem, sed et foveam et foramen significat (1).

Secundo, aptius ex Hebræo sic explices, *non inveni occisos tuos in fossis*, id est in perfossione domorum, quasi fures aut latrones, ut juste possent interfici; sed in lucis et sylvis idolorum, quasi victimas, ut *supra memoravi*; vel, ut S. Hieronymus, in « omnibus quæ supra memoravi, » scilicet in omnibus increpationibus, id est quia te increpabant Prophetæ de idololatria, ideo occidisti eos.

Alii sic explicant : Non inveni eos latenter in fossis peccantes, sed publice in plateis, vallibus et sylvis idololatrantes. Ita Theodoretus.

(1) Vertunt aliqui Hebræum, *non invenisti in suffossione* alludendo ad legem *Exodi* XXII, 1, qua permissum erat ut fur in ipso facto deprehensus impune occideretur, ita ut sensus esset : Quos certe non in perforatione ædium ipsoque in facto deprehendisti, ubi cædes licita est. Calmetus sic explicat : Tam parum caute eos occidisti ut nequidem corpora vel sanguinem eorum humo obtegere curasti, sed in loco ipso ubi eum effudisti, inveni.

Nota : R. Salomon, Lyranus, Vatablus, Pagninus vertunt : *Non invenisti eos, scilicet quasi perfossores et latrones, ut jure posses eos occidere.* Verum hebraice est לא מצאתים *lo metsatim*, id est non inveni eos, in prima persona, non in secunda.

Secundo, pro *in omnibus*, quod hebraice est אלה *elle*, id est illis, Septuaginta aliis punctis legerunt אלה *ela*, id est quercus : unde vertunt, *in omni quercu, scilicet idolis sacra, inveni eos idololatrantes.*

Vers. 35. 35. ET DIXISTI : ABSQUE PECCATO ET INNOCENS EGO SUM. — Indignatur Deus Israel non tam ob scelera, quam quod ea nolit confiteri, ac se innocentem clamet. Quocirca subdit : « Ecce ego judicio contendam tecum (judicabo et convincam te reum multorum scelerum per Jeremiam aliosque Prophetas) eo quod dixeris : Non peccavi. » « Innocentia vera, ait S. Augustinus in *Sent.* numer. 1, est quæ nec sibi, nec alteri nocet. Quoniam qui diligit iniquitatem, odit animam suam, et nemo non prius in se, quam in alterum peccat; » et num. 117 : « Eam Deus innocentiam probat, qua homo non metu pœnæ fit innocens, sed amore justitiæ. Nam qui timore non peccat, quamvis non noceat cui vult nocere, tamen plurimum nocet; et abstinens ab iniquo opere, sola tamen reus est voluntate. »

Vers. 36. 36. QUAM VILIS FACTA ES! — Recte vertit Interpres, quia תזלי *tezeli*, vel potius תולי *tazuli* (ita enim punctandum est), a radice זול *zul*, id est vilis fio, descendit : recentiores vertunt : Cur ita discurris iterando vias tuas? quia *tezeli* ab אזל *azal*, id est abiit, ambulavit, deducunt. Verum sic *tezeli* deberet scribi per *aleph*; hic autem caret *aleph*.

Nota : Peccatum est animæ spiritalis summa spurcitia et vilitas, sicut summum virginis probrum est corruptio, qua perdit virginitatem. Præclare S. Augustinus, in *Sentent.* num. 287 : « Quam excellens, inquit, bonum natura humana sit, ex hoc maxime apparet, quod datum ipsi sit ut possit summi et incommutabilis boni adhærere naturæ. Quod si noluerit, bono se privat, et hoc ei malum est : unde per justitiam Dei etiam cruciatus consequetur. Quid enim tam iniquum, quam ut desertori boni bene sit? Aliquando amissi superioris boni non sentitur malum, dum habet quod est amatum inferius bonum. Sed divina justitia est, ut qui voluntate amisit quod amare debuit, amittat cum dolore quod amavit. » Quia enim peccator non sentit vilitatem culpæ, hinc facit Deus ut eamdem sentiat per vilitatem et cruciatum pœnæ.

AB ÆGYPTO CONFUNDERIS, → *q. d.* Ægyptus non poterit tibi opitulari, uti non potuerunt Assyrii. Solebant Judæi ab hostibus pressi ad Ægyptios vel Assyrios confugere, non ad Dominum. Sic Achaz petiit opem a Teglatphalasar rege Assyriorum, IV *Reg.* XVI, 7, qui licet tunc eum juverit contra regem Syriæ, postea tamen Assyrii oppresserunt Judæos, maxime cum Manassen ceperunt.

Ita S. Thomas, Lyranus, Dionysius, *q. d.* Fugis, o Israel, jam ad Ægyptios, jam ad Assyrios; sed frustra : nam sicut ex Assyria, sic ex Ægypto confusa regredieris, complicatis super caput tuum manibus, in signum pudoris et doloris. Ita S. Hieronymus et Theodoretus.

Sic accidet iis qui confidentes in amicis, opibus, fortitudine, Deum deserunt : horum enim confidentiam et spes Deus obteret et confundet, ut nihil prosperum habeant in eis.

Moraliter ergo, hic disce veram amicitiam esse cum Deo, et cum iis qui Deo conjuncti sunt; cum cæteris amores esse fallaces et meretricios. Soli enim Deo virisque divinis convenit illud veri amici symbolum ac tessera quam dant sapientes, ut Salomon, *Proverb.* XVII, 17 : « Omni tempore diligit qui amicus est : et frater in angustiis comprobatur. » Et *Eccli.* cap. XII, 8 : « Non agnoscetur in bonis amicus, et non abscondetur in malis inimicus. » Et Augustinus, lib. LXXXIII, *Quæst.* LXXI : « Nihil sic probat amicum, quemadmodum oneris amici portatio. » Et Isidorus, lib. III *De Summo bono* : « In prosperitate incerta est amicitia, nec sentitur utrum persona, an felicitas diligatur. » Et Boetius lib. III *De Consolat.* : « Quem felicitas amicum facit, infortunium facit inimicum. » Et Aristoteles, VII *Ethic.* : « Tempus indicat quis sit qui vero amore amicum prosequatur. » Et Ovidius lib. I *Trist.* : Vera amicitia tantum est cum Deo.

> Donec eris felix, multos numerabis amicos :
> Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Ut hirundines vere accedunt, sed hieme adveniente recedunt : ita adulatores in prosperis adsunt, in adversis fugiunt. Tales sunt opes, deliciæ, honores, idola, quin et homines naturaliter amici : omnes enim quærunt quæ sua sunt, nisi Dei charitatem et amicitiam induant. Hæc ergo cum Deo sola vera et perfecta est amicitia.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Persistit in materia et metaphora adulteræ repudiatæ, per quam Synagogam idololatrantem intelligit, eamque invitat ad pœnitentiam. Secundo, vers. 7, ostendit gravius peccasse Judam quam Israel. Tertio, vers. 14, avolat ad Christum, per eumque Judæis veniam, gratiam et gloriam promittit. Quarto, vers. 20, redit ad sua tempora, et Judæos hortatur, ut ad Deum redeant, formamque pœnitentiæ eis præscribit, quam amplexi sunt Judæi duce Josia pio rege, quo regnante hæc prophetavit Jeremias.

Tropologice hæc facile est adaptare cuivis animæ peccatrici, juxta Canon. XLV (1).

1. Vulgo dicitur : Si dimiserit vir uxorem suam, et recedens ab eo, duxerit virum alterum : numquid revertetur ad eam ultra ? numquid non polluta et contaminata erit mulier illa ? tu autem fornicata es cum amatoribus multis : tamen revertere ad me, dicit Dominus, et ego suscipiam te. 2. Leva oculos tuos in directum, et vide ubi non prostrata sis : in viis sedebas, exspectans eos quasi latro in solitudine : et polluisti terram in fornicationibus tuis, et in malitiis tuis. 3. Quam ob rem prohibitæ sunt stillæ pluviarum, et serotinus imber non fuit : frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. 4. Ergo saltem amodo voca me : Pater meus, dux virginitatis meæ tu es : 5. numquid irasceris in perpetuum, aut perseverabis in finem? Ecce locuta es, et fecisti mala, et potuisti. 6. Et dixit Dominus ad me in diebus Josiæ regis : Numquid vidisti quæ fecerit aversatrix Israel ? abiit sibimet super omnem montem excelsum, et sub omni ligno frondoso, et fornicata est ibi. 7. Et dixi, cum fecisset hæc omnia : Ad me revertere : et non est reversa. Et vidit prævaricatrix soror ejus Juda, 8. quia pro eo, quod mœchata esset aversatrix Israel, dimisissem eam, et dedissem ei libellum repudii : et non timuit prævaricatrix Juda soror ejus, sed abiit, et fornicata est etiam ipsa. 9. Et facilitate fornicationis suæ contaminavit terram, et mœchata est cum lapide et ligno. 10. Et in omnibus his non est reversa ad me prævaricatrix soror ejus Juda in toto corde suo, sed in mendacio, ait Dominus. 11. Et dixit Dominus ad me : Justificavit animam suam aversatrix Israel, comparatione prævaricatricis Judæ. 12. Vade, et clama sermones istos contra Aquilonem, et dices : Revertere, aversatrix Israel, ait Dominus, et non avertam faciem meam a vobis : quia sanctus ego sum, dicit Dominus, et non irascar in perpetuum. 13. Verumtamen scito iniquitatem tuam, quia in Dominum Deum tuum prævaricata es : et dispersisti vias tuas alienis sub omni ligno frondoso, et vocem meam non audisti, ait Dominus. 14. Convertimini, filii revertentes, dicit Dominus ; quia ego vir vester : et assumam vos unum de civitate, et duos de cognatione, et introducam vos in Sion. 15. Et dabo vobis pastores juxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina. 16. Cumque multiplicati fueritis, et creveritis in terra in diebus illis, ait Dominus : non dicent ultra : Arca testamenti Domini : neque ascendet super cor, neque recordabuntur illius : nec visitabitur, nec fiet ultra. 17. In tempore illo vocabunt

(1) In hoc secundo sermone qui usque ad finem cap. VI continuatur, præmissa objurgatione fit cohortatio ad pœnitentiam, cap. III, 6, 25 ; cap. IV ; ostenditur vindictæ sumendæ justitia, cap. V, et denuntiatur executio cap. VI. Dicta videtur hæc oratio haud longe postquam Josias sacra emendasset, et cultum Dei puritati suæ restituisset, cum populus, quamvis necdum melior factus, spem feliciorum temporum conciperet. Eam vero irritam fore vates hac oratione ostendit, nisi vita moribusque in melius mutatis mala sibi imminentia averterint.

Præmissa igitur objurgatione, ubi Propheta exponit Israelitarum idololatriam et impœnitentiam, 6, 7 ; et exaggerat Judæorum majorem et aliis sceleribus auctam malitiam, 8-11 ; cohortatur ad pœnitentiam :

PRIMO, propositis ratione et modo conversionis, 12-14.

SECUNDO, additis promissionibus, tum de populo reducendo in patriam, et regendo a pastoribus melioribus, 14, 15 ; tum de Ecclesia liberanda a legalibus, et amplificanda a gentibus, et adunanda ex Judæis et Israelitis, 16-18.

TERTIO, insertis documentis, *primo*, de divina clementia, per tolerantiam diu frustratæ exspectationis, 19, 20 ; *secundo*, de peccantium miseria, per hypotyposin agnoscentium suam confusionem, 21-25.

Jerusalem Solium Domini : et congregabuntur ad eam omnes gentes in nomine Domini in Jerusalem, et non ambulabunt post pravitatem cordis sui pessimi. 18. In diebus illis ibit domus Juda ad domum Israel, et venient simul de terra Aquilonis, ad terram quam dedi patribus vestris. 19. Ego autem dixi : Quomodo ponam te in filios, et tribuam tibi terram desiderabilem, hæreditatem præclaram exercituum Gentium? Et dixi : Patrem vocabis me, et post me ingredi non cessabis. 20. Sed quomodo si contemnat mulier amatorem suum, sic contempsit me domus Israel, dicit Dominus. 21. Vox in viis audita est ploratus et ululatus filiorum Israel : quoniam iniquam fecerunt viam suam, obliti sunt Domini Dei sui. 22. Convertimini, filii revertentes, et sanabo aversiones vestras. Ecce nos venimus ad te : tu enim es Dominus Deus noster. 23. Vere mendaces erant colles, et multitudo montium : vere in Domino Deo nostro salus Israel. 24. Confusio comedit laborem patrum nostrorum ab adolescentia nostra, greges eorum, et armenta eorum, filios eorum, et filias eorum. 25. Dormiemus in confusione nostra, et operiet nos ignominia nostra : quoniam Domino Deo nostro peccavimus nos, et patres nostri, ab adolescentia nostra usque ad diem hanc : et non audivimus vocem Domini Dei nostri.

Vers. 1. 1. VULGO DICITUR. — Hebraice לאמור *lemor*, id est *dicendo*, supple, dicitur; licet Vatablus et Hebræi id referant ad finem cap. præced. : « Obtrivit Dominus confidentiam tuam, » scilicet *dicendo* quod sequitur : « Si dimiserit » etc. Verum minus recte : nam dicere, *revertere*, non est confidentiam obterere, sed augere.

POLLUTA ET CONTAMINATA ERIT MULIER ILLA. — Hebraice, *terra illa*, *q. d.* Censeretur terra polluta talis mulieris repudiatæ commercio, si eam vir prior reciperet, ut dicitur *Deuter.* XXIV, 4. Ita Vatablus. Noster pro *terra* vertit, *mulier*, quia mulier polluta polluebat terram, idque apte respondet plebi Israeliticæ repudiatæ et pollutæ; *q. d.* Semel repudiata nec revocari, nec sine peccato et infamia probroque utriusque, imo totius terræ, redire potest ad maritum, juxta legem *Deuter.* cap. XXIV, 5; tu tamen non tantum repudiata, sed et adultera redi ad me; ego te recipiam libens, imo infamiam hanc sustinebo, hoc dedecus feram, quinimo si opus fuerit te redimam. Maldonatus vero censet mulierem metaphorice terram appellari, quod a viro quasi ager colatur, seminetur, et fructus ferat. Sed prior sensus commodior est et planior.

CUM AMATORIBUS. — Septuaginta, *cum pastoribus* : pro רעים *reim* enim legerunt רעים *roim*.

Vers. 2. 2. LEVA OCULOS TUOS IN DIRECTUM. — Hebraice שפים *sephaim*, id est in colles et loca excelsa, *q. d.* Circumspice quaquaversum montes et colles, quantum potes visu assequi, et ubique videbis tuæ fornicationis, id est idololatriæ, vestigia.

EXSPECTANS EOS QUASI LATRO. — Hebraice כערבי *caarabi*, id est sicut Arabs, id est sicut latro, quia Arabes uti nunc, ita et tunc, latrociniis erant dediti, ait S. Hieronymus. Septuaginta legunt כערב *keoreb*, id est sicut cornix, aut potius corvus, qui sedet in viis, ut ibidem projecta asinorum vel equorum cadavera depascatur : ita enim et tu diis mortuis, quasi cadaveribus, colendis inhiabas. Nostræ versionis sensus est, *q. d.* Sedisti, o meretrix, in viis quasi latro ad vesperam, ut concubitu tuo animas interficeres fornicantium, *Proverb.* cap. VII, 9, puta civium et externorum, quos ad idola tua abducebas, sicut Galaaditæ armati abducebant euntes in Jerusalem, ad suos vitulos aureos, *Osee*, cap. VI, vers. 8 et 9.

Secundo, alii sic explicant : Sedisti *quasi Arabs*, scilicet mercator, qui in viis publicis tentorium figit, ut vendat sua vel emat a transeuntibus : ita enim tu, o Israel! tua idola exposuisti publice, ut ad eorum cultum omnes transeuntes impelleres. Ita Isidorus, Theodoretus, S. Thomas, Hugo et Lyranus. Prior sensus germanior et efficacior est. Hoc est quod ait Ezechiel, cap. XVI, 31 : « Fabricasti lupanar tuum in capite omnis viæ. »

Vers. 3. 3. QUAMOBREM PROHIBITÆ SUNT STILLÆ PLUVIARUM, ET SEROTINUS IMBER NON FUIT, — *q. d.* Sceleribus tuis tibi cœlum clausisti ne plueret; itaque tibi famem et sterilitatem accersivisti.

Disce hic publicum peccatum, dum non punitur, totam terram et rempublicam contaminare, ideoque publica clade a Deo puniri. Nam, ut recte ait Sanchez, in publico peccato publice ab omnibus peccari censetur, dum alii ferunt, alii dissimulant, alii annuunt, alii defendunt, alii etiam imitantur.

Imber serotinus et matutinus, quis? Nota : In Scriptura « serotinus imber » vocatur is qui in Palæstina decidit tempore veris (in martio) quo fruges maturescunt; sicut « matutinus » vocatur is qui in octobri decidit statim post sationem, et semina sata rigat, eaque germinare facit, scilicet per stillas, ut hic dicitur, assiduas et lente cadentes; unde vocatur hic : « Stillæ pluviarum, » his enim duobus temporibus pluvia frugibus maxime est necessaria.

Impudentiæ exempla. FRONS MERETRICIS FACTA EST TIBI, NOLUISTI ERUBESCERE. — Alludit ad meretrices impuden-

tes, quæ nomen non tantum cellis suis in fornice, sed et fronti inscribebant, uti fecit purpurata meretrix Babylon, *Apoc.* XVII, 5. Vide ibi dicta, vide et Martinum de Roa, lib. IV *Singul.* cap. X : « Ingratitudini, inquit Xenophon lib. I *Pædiæ Cyri*, potissimum impudentia videtur esse comes, quæ ad omnem turpitudinem maxima dux est. » Et Menander :

Qui vero nec erubescere scit, nec metuere,
Ille primas universæ tenet impudentiæ.

Caligula Imperator dicebat « se nihil magis in sua natura probare, quam ἀδιατρεψίαν, id est inverecundiam. » Vox carnifice quam Imperatore dignior. Pudor enim multos, etiam improbos a turpibus revocat.

Sic Achilles apud Homerum vocat Agamemnonem κύνοπα, id est canino vultu. Et rursum : κυνὸς ὄμματ' ἔχων, καρδίην δ' ἐλάφοιο,

Canis habens oculos, cor cervi.

impudentiam significans cum timiditate conjunctam.

Aristogiton, orator Atheniensis, ob impudentiam vocatus est Canis. Ita Volaterranus lib. XIII, cap. IV.

Vatinius, qui bis a Cæsare sibi reconciliato in judiciis publicis defensus est, impudentissimus fuit. Assiduo enim, ut Seneca ait, convicio depudere didicerat.

Nota est Diogenis et Cynicorum inverecunda et in propatulo libido instar canum.

« Fuit C. Fimbria perditissimæ audaciæ homo, qui Crassum interemit, quique in funere C. Marii, Q. Scævolam virum sanctissimum vulnerandum curavit; et ubi ferrum non alte in corpus descendisse accepisset, diem illi dixit. Admirantibus cunctis quod Pontifex maximus optimum totius civitatis civem accusaret, crimen exspectantibus dixit se illum accusare, quod non totum telum corpore excepisset, » inquit Cicero *pro Roscio*. Denique S. Gregorius in *Psalm.* I *Pœnitent.* : « Illud, ait, verum est apertæ desperationis indicium, si verecundia non sequitur peccatum. » Vide cætera.

4. ERGO SALTEM AMODO (ex nunc a me invitata et rogata) VOCA ME, PATER MEUS, DUX VIRGINITATIS MEÆ TU ES, — id est, tu es mihi pater, qui a pueritia, cum virguncula essem a matre et patre neglecta, et in sordibus abjecta et projecta, quasi pater suscepisti, educasti et rexisti me. Potest, *secundo*, dux virginitatis accipi sponsus, *q. d.* Tu sicut mihi es pater, ita es et sponsus, quem virgo et adolescentula duxi, ideoque maxime adamavi : sponsus enim in parentis locum et curam succedit. Parens enim curam filiæ suæ in sponsum transcribit, cum eam illi desponsat, et in domum suam deducendam tradit. Sponsus ergo sponsæ virgini est instar patris. Ita Theodoretus ac Sanchez. Ac forte alludit ad primam feminæ originem ex viro; Eva enim uxor Adæ, cum ex ejus latere formata sit, videtur mariti sui fuisse filia. Jeremiæ consentit Trismegistus, cujus in *Pimandro* hæc de Deo est vox : « Deus in verbo sancto clamavit : Vos, quibus mentis portio concessa est, recognoscite genus vestrum, vestramque immortalem naturam considerate : qua de causa qui seipsum cognoscit vita et luce compositum, transit in Deum; quoniam vita et lux est omnium pater, ex quo natus est homo. » Hinc ortum videtur illud : « Nosce teipsum; » quo monetur homo ut, divinæ suæ originis memor, divinas et Deo dignas suscipiat actiones.

Dux virginitatis est sponsus.

5. NUMQUID IRASCERIS IN PERPETUUM, AUT PERSEVERABIS IN FINEM? — Chaldæus, S. Thomas, Vatablus et a Castro sic explicant, *q. d.* O Domine! ne mihi semper irascaris, neque perseveres in recordatione et ultione peccatorum meorum. Verba sunt Dei, quæ docet populum sibi dicere, iisque se invocare, ut ejus misereatur. Avidior enim est Deus reconciliationis, quam sint ipsi peccatores, ait S. Chrysostomus hom. 44 *in Genes.* Hæc est enim incredibilis ejus misericordia, ut, cum nobis ob peccata nostra iratus est, orationem nobis componat, qua eum placemus; pendent enim hæc verba a præcedentibus : « Voca me, Pater meus, » etc. Vers. 5.

Secundo tamen probabiliter, Theodoretus, Lyranus, Dionysius et Sanchez de sponsa sic explicant, *q. d.* Numquid, o Juda, in perpetuum offensus et iratus recedes et fugies a me? numquid in æternum custodies hanc tuam peccandi voluntatem? Unde Septuaginta vertunt : *Numquid permanebit in perpetuum, aut conservabitur in victoriam?* supple, *mendacium et illusio tua*, ait Theodoretus, *q. d.* Perseverabitne jugiter illusio tua, quasi inde speres te victricem futuram, ut tua pertinacia me meamque patientiam vincas, egoque tædio affectus te dimittam et negligam?

ECCE, LOCUTA ES, — *q. d.* Ecce, mox ut hæc quæ dixi locuta fueris, et oraveris, quamvis multa mala feceris; « potuisti, » id est poteris, id est prævalebis contra me, vinces et flectes me, ac flagellum quod tibi intento, e manu mea extorquebis, meque in pristinum tui amorem rapies. Prophetice ponuntur præterita pro futuris.

Secundo, Sanchez juxta expositionem paulo ante datam sic explicat, ut sit severa dictorum factorumque sponsæ meretricantis reprehensio, quod impie et turpiter non tantum locuta, sed et operata sit, quodque se nequiter facturam dixerat, hoc opere compleverit; nec tamen satiata, lassata aut viribus exhausta sit, quin novis rursum sceleribus animo et corpore inhæreat. Hoc est enim τὸ *et potuisti*, id est, potens es adhuc, et indefesso integroque ad peccandum animo.

6. AVERSATRIX. — Ita dicitur Israel, sive decem tribus, quod ab initio sui schismatis et regni, palam et communi consensu, eoque jugi et perenni, aversatæ sint Deum verum ejusque cul- Vers. 6. *Israel dicitur aversatrix, cur?*

tum, idque continuo per tria sæcula : unde omnes reges habuerunt impios et idololatras. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Augustinus, lib. XVII *Civit.* XXIII, Rabanus et Isidorus. Vera enim Ecclesia et religio inclusa fuit in Juda et regno Davidis; voluit enim Deus, uti regnum, ita templum et sacerdotium collocare in Juda et Sion, propter Christum ex Juda nasciturum; sicut jam Ecclesia vera collocata est Romæ et in Romano Imperio : eo deficiente magna parte deficiet, et veniet Antichristus. Unde Optatus Milevitanus, lib. III *Contra Parmen.*, dixit « Rempublicam non esse in Ecclesia, sed Ecclesiam esse in Republica, » id est in Romano Imperio. Hinc Ecclesia, ait Eusebius, lib. III *Demonstr.*, semper orat pro conservatione Romani Imperii, ut scilicet cum eo servetur et propagetur Ecclesia. Israel ergo « abiit sibimet, » id est, quo eum ducebat sua cupido et libido.

Vers. 7. Juda prævaricatrix.

7. PRÆVARICATRIX SOROR EJUS JUDA. — Israel dicitur « aversatrix, » Juda vero « prævaricatrix, » quia Dei cultum retinuit, licet ab eo sæpius privatim et occulte ac subdole, aliquando etiam publice, ad idola desciverit, sub Manasse, Achaz et aliis impiis regibus : hæc enim est prævaricatio Juda.

Vers. 9. 9. ET FACILITATE, — quia tam prona et facilis erat ad fornicationem, id est ad colendum idola.

Vers. 10. 10. IN MENDACIO, — id est ficte et simulate.

Vers. 11. 11. JUSTIFICAVIT, — *q. d.* Minus peccavit Israel, id est decem tribus, quam Juda, id est duæ reliquæ tribus, ut præ hac illa videri possit justa. Sic *Luc.* XVIII, 14, dicitur : « Descendit hic (Publicanus) justificatus in domum suam ab illo, » præ Pharisæo. Sic « non justificabitur in conspectu Dei omnis vivens, » *Psal.* CXLII, 2, id est « comparatione Dei, » ut ait *S. Job* cap. IV, 17. Simili omnino schemate duarum suarum meretricum, Oollæ, id est decem tribuum, et Oolibæ, id est Jerusalem, hujus præ illa fornicationem, id est idololatriam, narrat et damnat, Ezechiel cap. XXIII, et cap. XVI, 51, et dicit quod hæc illam, imo Sodomam, justificaverit. Licet enim plura fuerint Israelis peccata, et continua idololatria; tamen in Juda gravior fuit : *primo*, quia in eo erat major cognitio Dei et veritatis : in eo enim Deus quasi sua domo constituerat regnum, sacerdotium, templum, prophetas et doctores; *secundo*, quia, cum videret Israelem a Deo puniri, et in captivitatem duci ob idololatriam, eam tamen secutus est; *tertio*, quia majori ardore subinde, puta sub Manasse, ea coluit quam Israel, imo tunc omnes Dei prophetas occidit, hoc significat vox *insanivit*.

Juda peccavit magis quam Israel ob tres causas.

Vers. 12. 12. VADE, ET CLAMA SERMONES ISTOS CONTRA AQUILONEM. — Putat R. Salomon Jeremiam fuisse in Babylone, Hugo et Lyranus in Israel, alii eo legatum misisse. Sed dico per *vade et clama* tantum hic juberi ut faciem æque ac pedes (unde Sanchez : *vade*, ait, *q. d. agedum*, ut sit quasi adverbium excitantis) convertat ad Israel, id est decem tribus (hæc enim est aversatrix) ad Aquilonem, id est in Assyria Aquilonari captivas; ita Lyranus, Dionysius et alii; easque stentorea voce exhortetur et invitet ad Dei cultum, ut sic ad æmulationem provocet Judam, eique minetur, nisi resipiscat, se eo relicto ad Israel abiturum, ut ab eo colatur. Sic Christus a Judæis abiit ad gentes. S. Hieronymus, Rabanus et Hugo Cardinalis putant hic sermonem fieri ad duas tribus in Chaldæa captivas, et ad decem tribus in Assyria degentes, earumque prædici liberationem et reversionem. S. Thomas vero et Vatablus putant hic sermonem fieri ad decem tribus, prædicique eis quod redibunt ex spirituali captivitate, per Christum et Apostolos. Sed quod dixi, verius est.

QUIA SANCTUS EGO SUM. — Hebraice quia חסיד *chasid;* Septuaginta, ὅτι ἐλεήμων, id est *quia misericors* ego sum, ut in vos miseros meam gratiam et benevolentiam effundam, si resipiscatis, et ad me redeatis.

Vers. 13. 13. DISPERSISTI (Chaldæus, *corripuisti;* Septuaginta, *effudisti*) VIAS TUAS, — ut scilicet dispergeres te, et vagareris eundo nunc ad hoc, nunc ad aliud idolum. Aliter Lyranus et a Castro, *vias*, inquit, id est pedes, quibus imus per vias, *q. d.* Dispersisti, id est divisisti quasi meretrix pedes tuos cuique fornicario, *Ezech.* XVI, 25. Significat hac metaphora profusam idololatriam Judæorum.

14. CONVERTIMINI (non ex Babylone, sed ab idololatria) FILII REVERTENTES, — id est recedentes a me; Septuaginta, *apostatæ*. Loquitur non ad Israel, ut vult Vatablus, sed redit ad Judam, ad quem cœpit loqui vers. 1 et seq. Aliter Sanchez, *convertimini*, inquit, *revertentes;* id est convertimini serio, ut toto animi conatu revertamini ad me.

Præclare S. Augustinus in *Sentent.* tom. III, Sent. 71 : « Remedia, ait, conversionis ad Deum nullis cunctationibus sunt differenda, ne tempus correctionis pereat tarditate. Qui enim pœnitenti promisit indulgentiam, dissimulanti diem crastinum non spopondit. » Et *Sent.* 235 : « Nullus in Deo locus est, nec est quo fugiatur ab ipso, nisi ad ipsum. Qui vult evadere offensum, confugiat ad placatum. » Et *Sent.* 240 : « Apud misericordiam Dei plurimum valet confessio pœnitentis, qua facit peccator confitendo propitium, quem negando non facit nescium. »

EGO VIR VESTER. — Hebraice בעלתי *baalthi*, id est *ego maritatus sum vobis*, ego quasi maritus vos possedi, et, ut Septuaginta, *vobis dominatus sum*, scilicet per legem veterem. Ita Theodoretus et Hugo. Licet Lyranus, Dionysius, Vatablus putent Jeremiam loqui Ecclesiæ Christi : hujus enim Deus in Christo futurus erat maritus. Verum hebraice præteritum est, non futurum. Prior ergo sensus simplicior est et planior.

ASSUMAM VOS UNUM DE CIVITATE, ET DUOS DE COGNATIONE, ET INTRODUCAM VOS IN SION, — *q. d.* Paucos ex singulis urbibus et cognationibus Judæo-

rum eligam, ut reliquiæ eorum salvæ fiant per Christum. Nota : Propheta, aut potius Deus, hic non loquitur de reditu Judæorum ex Babylone sub Cyro et Esdra, ut volunt Hebræi, Theodoretus, Hugo et S. Thomas : tunc enim non unus aut duo, sed 42 millia redierunt, nec tunc arca fuit despecta, nec omnes gentes congregatæ fuerunt ad Dominum (alludit tamen eo, illaque obiter perstringit); sed assurgit et avolat ad Christum, ut patet ex seq., maxime vers. 18 et 19; unde per Sion Ecclesiam accipit, per pastores Apostolos, et similes viros : magna enim pars felicitatis populi est bonos habere pastores et rectores. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Rabanus, Hugo, Lyranus, Vatablus, R. Salomon et omnes Hebræi, ait Vatablus. Unde R. Samai apud Galatinum, lib. IX, cap. II, censet alludi hic ad Josue et Caleb, qui duo soli ingressi sunt terram promissionis, *q. d.* Pari modo tempore Messiæ, paucissimi Judæi eum recipient, et in cœlestem illam terram promissionis ingredientur. Vide quoque Eusebium, lib. II *Demonstr.* cap. LIV.

16. NON DICENT ULTRA : ARCA TESTAMENTI. — Per arcam omnia sacrificia et sacramenta vetera et legalia accipe : hæc ergo cum arca cessabunt quasi umbræ, cum Christus, qui verissima est arca sapientiæ et gratiæ divinæ, apparuerit, aut potius, cum arcæ operculum, id est propitiatorium, apparuerit, scilicet Christus, arcæ, id est Ecclesiæ, Deum reconcilians.

NEQUE ASCENDET SUPER COR. — Nemo de ea cogitabit, nemo de ea loquetur, *q. d.* Tempore Christi non amplius jactabunt Judæi cæremonias legis Mosaicæ.

NEC VISITABITUR. — Solebant enim arcam visitare, quasi oraculum, ut responsa et beneficia a Deo peterent.

NEC FIET ULTRA, — scilicet arca, aut quid simile legale. Ita Lyranus, Dionysius, Vatablus. Aliter Chaldæus : Non visitabitur, ait, arca tempore belli, nec fiet prolatio arcæ ad prælia, uti sub Heli factum est. Alii, *non fiet*, id est non sacrificabitur amplius; sic enim ait Virgilius, *Ecloga* III :

Cum faciam vitula pro frugibus, ipse venito.

Sed primus sensus est planissimus.

17. IN TEMPORE ILLO VOCABUNT JERUSALEM SOLIUM DOMINI. — Aliqui per *Jerusalem* accipiunt ipsam urbem, cujus nomen Deus celebre fecit post reditum Judæorum ex Babylone. Ita S. Thomas et Hugo. *Secundo*, S. Hieronymus, Rabanus, Hugo, Vatablus et Lyranus accipiunt Jerusalem spiritualem, id est Ecclesiam Christi, ad quam confluunt omnes gentes in nomine Domini, quod in ea invocant. *Tertio* et optime, accipias ipsam urbem Jerusalem, quatenus in ea, quasi solio, Christus consedit, regnavit et docuit, indeque misit Apostolos ad prædicandum. Unde ipsa dicitur Mater Ecclesiæ, et Fons gratiæ, « quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem, » perinde ac olim arca testamenti cum Cherubim erat solium Dei, ideoque Deo dicebatur : « Qui sedes super Cherubim; » arca enim erat typus Ecclesiæ.

Tropologice, anima justi est thronus et solium Dei. Ita Hieronymus.

18. IBIT DOMUS JUDA, — *q. d.* Dissensio, quæ solet esse inter Judam et Israel, non erit amplius; sed omnes, positis odiis, ad Ecclesiam venient, in eaque unientur. « Ibit ergo domus Juda, » id est ibunt Apostoli et alii Judæi Christiani, ad Israelitas, qui in Aquilonem, id est Assyriam, olim abducti sunt; rursum, qui mystice in terra Aquilonari peccati frigent et rigent, atque eos in Jerusalem, id est ad Ecclesiam, deducent, ut bonis omnibus spiritualibus, patribus eorum promissis, in ea fruantur, ac tandem Jerusalem cœlesti potiantur. Ita S. Hieronymus, Rabanus, Lyranus, Vatablus. Vers. 18.

AD TERRAM QUAM DEDI PATRIBUS VESTRIS. — Nota : Terra promissa et data patribus est Jerusalem, ad quam multi Judæi et Israelitæ venerunt, cum primo ibi cœpit Ecclesia Christi, et Apostoli ad novem annos in ea se continuerunt, deinde Jerusalem, id est Ecclesia quæ in ea cœpit, sparsa est per omnes gentes, et sic ubicumque gentes convertuntur, ibi veniunt ad Jerusalem patribus promissam, id est ad Ecclesiam, quæ in Jerusalem cœpit. Hinc sæpe a terrena Jerusalem ad spiritualem assurgunt Prophetæ.

Mystice, Aquilo frigidus significat regnum diaboli; Assyria, regnum mundi, in quo diabolo, peccato et concupiscentiæ servimus; terra promissa est regnum Christi et paradisus, inquit S. Hieronymus. Aquilo mystice est regnum diaboli.

19. QUOMODO PONAM TE IN FILIOS? — Sunt verba Dei quasi exsultantis et admirantis, *q. d.* Quam multos, o Sion, id est Ecclesia, quæ in Sion ex Judæis incipies, dabo tibi filios, et quam pulchram et desiderabilem (hoc enim est hebraice צבי *tsebi*, de quo *Daniel.* cap. VIII, 9), « hæreditatem, » scilicet totam terram « exercituum » (ita legendum est cum Romanis), id est fortissimarum, bellicosissimarum et numerosissimarum « gentium! » Ita S. Hieronymus. Vers. 19.

Theodotion vertit, *tribuam tibi hæreditatem inclytam fortitudinis robustissimi gentium*, id est Ecclesiam Christi, qui ductor et dominator est universarum gentium sibi credentium, ait S. Hieronymus. Alii nomine « exercituum » intelligunt angelos, qui duces sunt et custodes gentium. Septuaginta vertunt, *dabo tibi terram electam, hæreditatem Dei omnipotentis gentium*, puta hæreditatem gentium, quæ est hæreditas Dei omnipotentis, qui est Rex regum, et Dominus dominantium.

Anagogice, tribuam tibi hæreditatem cœlestem, in qua vidit S. Joannes turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat. Ita Vatablus, Dionysius et alii.

Hæreditas cœlestis est præclara sextupliciter.

Hæreditas patriæ cœlestis, inquit D. Thomas est præclara : *primo*, splendore divinæ visionis, *Psalm.* XXXV, 10 : « In lumine tuo videbimus lumen ; » *secundo*, dulcedine divini amoris, *Psalm.* XXII, 5 : « Calix meus inebrians quam præclarus est ! » *tertio*, familiaritate divinæ allocutionis, *Sap.* VIII, 18 : « Præclaritas in communicatione sermonum ipsius ; » *quarto*, magnificentia operationis, *Eccli.* XLIII, 27 : « Illic præclara opera et mirabilia ; » *quinto*, magnitudine exsultationis, *Zachar.* cap. VIII, 13 : « Salvabo vos, et eritis benedictio ; » *sexto*, solatio societatis, *Ezech.* XXXI, 9 : « Æmulata sunt eum omnia ligna voluptatis, quæ erant in paradiso Dei, » etc.

PATREM VOCABIS ME, — scilicet Deum tuum, non idola. Ita communiter Interpretes : S. Hieronymus tamen, Rabanus et Lyranus putant hæc esse verba Christi, unde per *me* accipiunt Christum.

Deus est Pater quadrupliciter.

Moraliter, Deus dicitur Pater, inquit D. Thomas : *primo*, creatione, *Matth.* XI, 25 : « Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ ; » *secundo*, adoptione, *Roman.* VIII, 15 : « Accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus : Abba Pater ; » *tertio*, instructione, *Isaiæ* XXXVIII : « Pater filiis notam faciet veritatem tuam ; » *quarto*, correctione, *Proverb.* III, 12 : « Quem enim diligit Dominus, corripit ; et quasi pater in filio complacet sibi. » Præclare S. Augustinus, in *Sentent.* sent. 237 : « A quo, inquit, habet homo ut sit, apud illum habet, ut bene ei sit. » Et *Sent.* 236 : « Duæ vitæ sunt, una corporis, altera animæ. Sicut vita corporis, anima ; ita vita animæ, Deus. Et quomodo si anima deserat, moritur corpus ; sic anima moritur, si deserat Christus. »

Vers. 21. 21. VOX IN VIIS AUDITA EST. — Verba sunt Dei, desiderantis Judæorum conversionem ab idolis, uti a Jeremia et Prophetis multi, præsertim cum in captivitatem aliasque calamitates incidissent, ideoque plorarent et gemerent, conversi sunt. Ita Theodoretus, Rabanus et Hugo. Alii accipiunt hæc de Judæis pœnitentibus, quod Christum crucifixissent, *Actor.* II, 37. Lyranus et Dionysius accipiunt hæc de captis a Tito post Christi cædem. Verum quod dixi est verius ; redit enim de more Propheta ad Judæos sui temporis, iisque concionatur. Vide *Canon.* IV et V.

Vers. 22. 22. CONVERTIMINI, FILII, REVERTENTES, — id est pœnitentes. Ita S. Hieronymus, Rabanus, Hugo, Lyranus. Verum Hebraice est שובבים *scobabim*, id est avertentes, vagi, inconstantes, revertentes ad vomitum ; Septuaginta vertunt, *apostatæ* ; Chaldæus, *qui vos obfirmatis ne convertamini*.

ET SANABO AVERSIONES VESTRAS, — vestra peccata idololatrias, quibus a me conversi estis ad idola, mihique rebellastis, *q. d.* Condonabo vobis omnes præteritas rebelliones vestras. In Hebræo pulchra est allusio inter שובו *scubu*, id est revertimini, שובבים *scobabim*, id est avertentes vos sive rebelles ; et משובתיכם *mescubothechem*, id est aversiones sive rebelliones vestras.

ET (supple, dicite) : ECCE NOS VENIMUS AD TE. — Est mimesis, qua eis modum et formam pœnitentiæ præscribit. Ita S. Hieronymus. Hanc amplexi sunt Judæi, reque ipsa peregerunt sub Josia rege, IV *Reg.* XXII et XXIII.

Vers. 23. 23. VERE MENDACES ERANT COLLES. — Vere mendaces erant dii plurimi, quos in montibus et collibus colebamus. Est metonymia. Hebraice est, *frustra a collibus*, id est ab idolis collium, supple, speravimus auxilium, nunc experientia tot malorum edocti agnoscimus et profitemur, quod « vere in Domino Deo nostro sit salus Israel, » non in idolis.

Vers. 24. 24. CONFUSIO COMEDIT LABOREM PATRUM NOSTRORUM, — id est idololatria, quæ nos confundit, causa fuit cur patres nostri sint puniti, et omnibus in rebus vastati ; vel, ut Theodoretus, cur omnia bona, etiam filios et filias, idolis insumpserint et sacrificarint. Unde Pagninus vertit : *Baal consumpsit labores patrum nostrorum*. Sic hodie Bacchus et Venus consumunt labores et opes multorum. Tyrannus, inquit Plutarchus, permittit et facit ut sui cives ditentur ; sed deinde opes ab eis collectas per tributa exsugit, iisque se ditat ; ita facit et dæmon, qui est primus et summus tyrannus, omniaque suorum bona sibi diripit et expilat. S. Hieronymus, Rabanus et Lyranus intelligunt hæc de peccato christicidii, ob quod Judæi cum bonis suis omnibus perierunt. Hoc verum est, sed allegoricum.

Baal comedit labores peccatorum.

Secundo et magis genuine, Maldonatus et alii sic explicant : *Confusio*, id est vastatio et calamitas confusionem et pudorem peccatorum afferens, *comedit laborem patrum nostrorum ab adolescentia nostra, q. d.* Jam inde a pueritia nostra experimur frustra patres nostros laborare ; omnia enim male illis succedunt, omnia vastantur, quia a Domino discesserunt. Sapiamus ergo parentum malo, et ad Dominum revertamur. Alioqui « dormiemus in confusione nostra, » id est in paupertate et vastatione nostra miseri, anxii, confusi, quasi ludibrium et probrum Dei et hominum, « dormiemus, » ita ut nec nocte sit nobis quies a miseriis. *Secundo*, « dormiemus, » id est moriemur in iisdem : « Et operiet nos ignominia nostra ; quoniam Domino Deo nostro peccavimus. » Unde patet confusionem hanc, vers. 24, non esse ipsum peccatum, sed peccati effectum et pœnam.

Moraliter, de pœnitentia quæ facit alium hominem.

Moraliter, disce hic quid sit pœnitentia, quamque peccatores in alios viros commutet. Pœnitentia est, quæ anteactæ vitæ errata corrigit, Deum conciliat, scandala emendat, mentem immutat, adeoque alium hominem efficit. Isæus cum primam ætatem voluptatibus consecrasset, ut ad virilem pervenit, tanquam alius factus, miram morum severitatem induit. Quare percunctanti cuidam « num aurum fulgens, quod ostendit, gratum oculis esset : Desii, respondit, male habere ab oculis. » Idem interrogatus « quis

piscis, aut quæ avis esset ad vescendum suavissima: Desii iterum, respondit, ejusmodi aucuparі. » Addiditque : « Sensi enim me fructus colligere a Tantali hortis; » indicans omnes ejusmodi voluptates, quibus juventus capitur, nihil aliud esse quam somnia et umbras. Ita Philostratus, *De Vitis Sophistarum.*

Perditæ luxuriæ Athenis adolescens Polemon, neque illecebris tantummodo, sed etiam ipsa infamia gaudens; cum e convivio non post occasum solis, sed post ortum surrexisset, domumque rediens, Xenocratis philosophi patentem januam vidisset; vino gravis, unguentis delibutus, sertis capite redimito, pellucida veste amictus, refertam turba doctorum hominum scholam ejus intravit, nec contentus tam deformi introitu, consedit etiam, ut clarissimum eloquium et prudentissima præcepta temulentiæ lasciviis eluderet. Orta deinde, ut par erat, omnium indignatione, Xenocrates vultum in eodem habitu continuit, omissisque de quibus disserebat, de modestia ac temperantia loqui cœpit. Cujus gravitate sermonis resipiscere coactus est Polemon; primum coronam capite detractam projecit, paulo post brachium intra pallium reduxit, procedente tempore oris convivalis hilaritatem deposuit; ad ultimum totam luxuriam exuit, unius orationis saluberrima medicina sanatus, ex infami ganeone maximus philosophus evasit. Peregrinatus est hujus animus in nequitia, non habitavit. Ita Cicero, lib. IV *De Finibus*, Valerius Maximus, lib. VI, cap. XI, Laertius in *Vita Polemonis*, lib. IV, Horatius, *satyra* 3, lib. II, et Suidas.

Illustre est exemplum de juvene, quem S. Joannes Apostolus commisit cuidam Episcopo, a quo laxius habitus, a pravis seductus, tandem factus est princeps prædonum; quem postea requirens S. Joannes, sua charitate et lacrymis ita convertit, ut totus sanctus effectus, dignus habitus sit qui ab eodem Ecclesiæ præficeretur. Quare recte S. Augustinus, lib. *De Pœnitentia* : « Pœnitentia, ait, languores sanat, leprosos curat, et mortuos suscitat, sanitatem auget, gratiam conservat, claudis gressum, cæcis restituit visum, vitia fugat, virtutes exornat, mentem munit et roborat. » Audi et Petrum Chrysologum : « Quis, ait, in sæculo peccavit enormius Paulo? quis in religione gravius Petro? illi tamen per pœnitentiam meruerunt assequi non solum ministerium, sed etiam magisterium sanctitatis. » Otto IV Imperator, excommunicatus ab Innocentio III, æmulum nactus est Fredericum II, nunquam postea felix; sub finem vitæ, ineffabili contritione compunctus, a Sifrido Hildeshemensi Episcopo absolutus, in pace quievit, quam absolutionem Honorius Papa ratam habuit. Tanta autem fertur fuisse morituri pœnitudo, ut coquinariis suis juberet collum suum calcaneis premere, seque ut vilissimam creaturam conculcare. Ita Crantzius, lib. VII *Saxon.* cap. XXXVII.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Invitat Judæos ad pœnitentiam non fictam et simulatam, sed veram et seriam : ni eam faciant, minatur excidium per Chaldæos, idque describit depingendo terribilem eorum, primo, exercitum et adventum, vers. 7; *secundo, obsidionem Hierosolymæ, vers.* 16; *tertio, vastationem Judææ, vers.* 23.

Hæc omnia facile concionator adaptabit cuivis bello et cladi divinæ, ac præsertim excidio orbis et diei judicii. Discant hic a Jeremia concionatores plagas imminentes reipublicæ et prudenter prævisas prædicere, comminari et inculcare, iisque terrere et urgere populum ad pœnitentiam (1).

1. Si reverteris, Israel, ait Dominus, ad me convertere : si abstuleris offendicula tua a facie mea, non commoveberis. 2. Et jurabis : Vivit Dominus in veritate, et in judicio, et in justitia : et benedicent eum gentes, ipsumque laudabunt. 3. Hæc enim dicit Dominus viro Juda et Jerusalem : Novate vobis novale, et nolite serere super spinas : 4. circumcidimini

(1) Pergit Propheta in hoc capite quod in præcedenti incœpit, et ut efficacius ad pœnitentiam cohortetur, postquam rationem, modum, fructus et necessitatem conversionis demonstravit. et in quatuor prioribus hujus capitis versibus pœnitentiæ sinceritatem per emendationem vitæ exposuit.

QUARTO, novum motivum addit de malis in obduratos venturis depromptum, scilicet *primo*, trepidatione et fuga, 5-8; *secundo*, stupore et inopia consilii, 9, 10; *tertio*, oppressione hostili subitanea, 11-13.

QUINTO, ut tantum periculum quod est in mora effugiant, suadet pœnitentiæ maturationem, 14, quam si apprehendere morantur, nuntiat imminentis vindictæ irruptionem, 15-17; et indicat pœnam hanc a peccatis provocatam, 18.

SEXTO, Propheta gentis suæ miseriam conquerens, *primo*, amplificat cum dolore, contra vecordes denuntiationes vastationis, direptionis et subversionis instantis, 19, 20; *secundo*, interroganti quamdiu hæc belli calamitas, sit duratura, respondet Deus, non posse aliter fieri, quam

Domino, et auferte præputia cordium vestrorum, viri Juda, et habitatores Jerusalem : ne forte egrediatur ut ignis indignatio mea, et succendatur, et non sit qui exstinguat, propter malitiam cogitationum vestrarum. 5. Annuntiate in Juda, et in Jerusalem auditum facite : loquimini, et canite tuba in terra : clamate fortiter, et dicite : Congregamini, et ingrediamur civitates munitas. 6. Levate signum in Sion. Confortamini, nolite stare, quia malum ego adduco ab Aquilone, et contritionem magnam. 7. Ascendit leo de cubili suo, et prædo Gentium se levavit : egressus est de loco suo, ut ponat terram tuam in solitudinem : civitates tuæ vastabuntur, remanentes absque habitatore. 8. Super hoc accingite vos ciliciis, plangite et ululate : quia non est aversa ira furoris Domini a nobis. 9. Et erit in die illa, dicit Dominus : Peribit cor regis, et cor principum : et obstupescent sacerdotes, et prophetæ consternabuntur. 10. Et dixi : Heu, heu, heu, Domine Deus, ergone decepisti populum istum et Jerusalem, dicens : Pax erit vobis; et ecce pervenit gladius usque ad animam? 11. In tempore illo dicetur populo huic et Jerusalem : Ventus urens in viis, quæ sunt in deserto viæ filiæ populi mei, non ad ventilandum et ad purgandum. 12. Spiritus plenus ex his veniet mihi : et nunc ego loquar judicia mea cum eis. 13. Ecce quasi nubes ascendet, et quasi tempestas currus ejus : velociores aquilis equi illius : væ nobis, quoniam vastati sumus! 14. Lava a malitia cor tuum, Jerusalem, ut salva fias : usquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ? 15. Vox enim annuntiantis a Dan, et notum facientis idolum de monte Ephraim. 16. Dicite gentibus : Ecce auditum est in Jerusalem custodes venire de terra longinqua, et dare super civitates Juda vocem suam. 17. Quasi custodes agrorum facti sunt super eam in gyro ; quia me ad iracundiam provocavit, dicit Dominus. 18. Viæ tuæ, et cogitationes tuæ fecerunt hæc tibi : ista malitia tua, quia amara, quia tetigit cor tuum . 19. Ventrem meum, ventrem meum doleo, sensus cordis mei turbati sunt in me : non tacebo, quoniam vocem buccinæ audivit anima mea, clamorem prælii. 20. Contritio super contritionem vocata est, et vastata est omnis terra : repente vastata sunt tabernacula mea, subito pelles meæ. 21. Usquequo videbo fugientem, audiam vocem buccinæ? 22. Quia stultus populus meus me non cognovit : filii insipientes sunt, et vecordes : sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nescierunt. 23. Aspexi terram, et ecce vacua erat, et nihili : et cœlos, et non erat lux in eis. 24. Vidi montes, et ecce movebantur : et omnes colles conturbati sunt. 25. Intuitus sum, et non erat homo : et omne volatile cœli recessit. 26. Aspexi, et ecce Carmelus desertus : et omnes urbes ejus destructæ sunt a facie Domini, et a facie iræ furoris ejus. 27. Hæc enim dicit Dominus : Deserta erit omnis terra, sed tamen consummationem non faciam. 28. Lugebit terra, et mœrebunt cœli desuper : eo quod locutus sum, cogitavi, et non pœnituit me, nec aversus sum ab eo. 29. A voce equitis et mittentis sagittam fugit omnis civitas : ingressi sunt ardua, et ascenderunt rupes : universæ urbes derelictæ sunt, et non habitat in eis homo. 30. Tu autem vastata quid facies? cum vestieris te coccino, cum ornata fueris monili aureo, et pinxeris stibio oculos tuos, frustra componeris : contempserunt te amatores tui, animam tuam quærent. 31. Vocem enim quasi parturientis audivi, angustias ut puerperæ : Vox filiæ Sion intermorientis, expandentisque manus suas : væ mihi, quia defecit anima mea propter interfectos!

Vers. 1. 1. SI REVERTERIS (est futurum); ita Hebræa et Romana, scilicet ab idolis et a peccatis tuis, ad me serio et constanter, non ficte aut leviter et inconstanter, uti hactenus fecisti), CONVERTERE. — Ita Romana in imperativo. Licet enim in Hebræo sit futurum, tamen illud sæpe capitur pro imperativo : Vatablus tamen et a Castro accipiunt in futuro *convertere*, id est mecum in gratiam redibis, ut apud me quiescas, et securus sis ne ab

ut continuis malis populum exerceat, cum in sua stultitia perseveret, nec ad meliorem frugem redeat, 22; *tertio*, divino responso accepto vates filum orationis repetit, horridamque terræ prorsus devastandæ faciem, solitudinem consequentem, 22-29; vanum calamitatis remedium, soem omnem frustrantis vividis coloribus depingit, 30, 31.

hostibus capiaris. Septuaginta vertunt : *Si reverteris ad me, revertetur*, supple, Deus ad te.

SI ABSTULERIS OFFENDICULA TUA, — id est idola. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Rabanus, S. Thomas. *Secundo*, Lyranus et Dionysius, *offendicula*, inquiunt, id est peccata quibus Deum offendis; vel quæ te faciunt offendere et impingere in varios lapsus, mala et ærumnas.

NON COMMOVEBERIS. — Hebraice, *non emigrabis*, ut eas in captivitatem Babylonicam, quæ alioqui tibi impendet.

2. ET JURABIS : VIVIT DOMINUS. — « Jurabis, » id est coles Deum, jurando per Deum vivum, vel per vitam veri Dei (hoc enim significat hebraice, *vivit Dominus*), non per vitam idolorum, quæ sunt mortua. Nota : Per juramentum accipit omnem publicum Dei cultum; est synecdoche; pars enim latriæ et cultus Dei est juramentum. Sic *Psalm.* LXII, 12, dicitur : « Laudabuntur omnes qui jurant in eo, » id est qui colunt eum. Ita S. Hieronymus et Theodoretus.

Juramentum licitum habeat: primo, veritatem; secundo, judicium; tertio, justitiam.

Advertit hic S. Hieronymus juramentum, ut sit licitum, debere tres habere comites : *primo*, veritatem, ne sit mendax, id est ne jures falsum, dubium, incertum, aut ficte, dolose, amphibologice; *secundo*, judicium, ne sit incautum; ut scilicet fiat ex necessaria causa, discrete, præmeditate, provide, reverenter. Unde Philo, lib. *De Decalogo*, post medium : « Juraturus, ait, se consideret quam purus sit anima, corpore, lingua; illa ab iniquitatibus, hoc a piaculis, hæc a maledicentia; nefas est enim per os quo profertur nomen illud sanctissimum, quidquam turpe progredi : deinde, ut fiat non loco profano et impuro, sed loco et tempore congruo. Qui hæc contemnit, sciat se scelestum, impurum, et diris ultricibus puniendum. » Ita Philo. *Tertio*, justitiam, ne sit iniquum, ne cui injuste noceamus, aut nocere juremus; alioqui si quid horum trium desit, non est juramentum, sed perjurium, id est iniquum et impium juramentum, ait S. Hieronymus, et habetur XXII, *Quæst.* II, cap. *Advertendum.* Ita et D. Thomas hic, et II II, *Quæst.* LXXXIX, art. 3.

BENEDICENT EUM GENTES. — « Eum, » scilicet populum Israel. Ita Chaldæus, S. Hieronymus, Rabanus, Vatablus; et in eo Deum eorum. Ita Septuaginta et Theodoretus, *q. d.* Gentes videntes Israelem, ita Dei sui cultorem, tam religiose per eum jurare, dicent : Quam pius et probus est Israel! faciat mihi et meis Deus, sicut Israeli : benedictus sit Israel et Deus Israelis; cumque probum quem viderint, dicent : Iste est similis Israeli. Ita Vatablus.

Vers. 3. 3. NOVATE VOBIS NOVALE, — *q. d.* Sicut fit novale, id est sicut terra inculta de novo aratro proscinditur, et a spinis ac sentibus expurgatur ut in ea seminetur; ita agrum cordis vestri ab idololatria et vitiis quasi spinis per pœnitentiam expurgate, ut seratur in eo verus Dei cultus, et semen verbi legis ac gratiæ Dei, fiatisque nova Dei creatura, *Galat.* VI, 15 : « Ut munda semina munda arva suscipiant. Quomodo enim potest audire sermonem Dei, et concipere semina, et fructum facere, cujus animus ærumnis mundi plenus est? » aiunt S. Hieronymus et Theodoretus. Unde Tertullianus, lib. I *Contra Marcion.* cap. XX, legit : « Renovate vobis novamen novum; » et lib. *Contra Judæos*, cap. III : « Innovate vobis novitatem. » Hinc et allegorice S. Justinus, *Contra Tryphon.*, ait Judæos hic moneri ut agnoscant Christum, qui erit ipsis novale pulchrum et pingue in cordibus eorum. Chaldæus vertit, *facite vobis opera bona, et non quæratis salutem in peccatis.* Apposite hæc referas ad renovationem spiritus et votorum, quam identidem Religiosi, et omnes profectus spiritalis avidi, faciant oportet. Vide circa hunc locum Viegas in cap. XII *Apoc.* Comment. III, sect. XVIII, num. 8.

4. CIRCUMCIDIMINI DOMINO, — circumcidimini corde, non carne : intrinsecus, non extrinsecus, Deus enim cor intuetur et respicit, cum homines externa respiciant. Unde explicans subdit : Vers. 4.

Circumcisio cordis, quæ?

AUFERTE PRÆPUTIA, — id est immunditias et peccata cordium vestrorum : Judæis enim immundum erat præputium, et gentes præputiatæ. Quare Symmachus vertit : *Purificamini Domino, et auferte malitias cordium vestrorum.* Nimirum hæc est circumcisio de qua Apostolus, *Rom.* II, 28, ait : « Non enim qui in manifesto, Judæus est, neque quæ in manifesto in carne, est circumcisio; sed qui in abscondito, Judæus est, et circumcisio cordis in spiritu, non littera; cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est, » scilicet ea demum vera Deoque accepta est circumcisio. Oculos ergo oportet circumcidere, manus, pedes, linguam; sed maxime cor, id est voluntatem, intellectum et memoriam, ab oculis vani, fallaces turpesque aspectus, a manibus tactus, a pedibus itinera, a lingua juramenta, mendacia, detractiones, obscena verba, a voluntate pravitas, durities, carnalitas, et quidquid Deo displicet, resecandum est. Ad hoc autem requiritur continua reflexio, lucta et mortificatio. Nam, ut ait S. Ephrem, *Adhort. ad pietatem*, tom. I : « Bellum militum breve, sed monachi (pariter et christiani) donec emigret ad Dominum, durat. » Rursum, fortis resolutio, ingensque vitium resecandi cupido. Sapienter Ephrem *ibidem* : « Si leonem, ait, jugulare vis, firmiter apprehende, » *q. d.* Si vitium resecare vis, fortiter et directe illud aggredere, ut stirpitus evellas. Si subinde vincatur quis et cadat, mox generose surgat et vincat : « Vulnerata es, o anima, ne teipsam desperes. Nam sæpe licet pugil ceciderit, tandem adhuc coronam refert, » ait idem Ephrem *parænesi* 42, tom. II.

ET SUCCENDATUR. — Alludit ad spinas, quæ facile flammam concipiunt. Sic enim peccata iram Dei accendunt. *Isaiæ* IX, 18 : « Succensa est quasi

ignis impietas, veprem et spinas vorabit. » Et *Isaiæ* cap. X, 7 : « Et erit lumen Israel in igne, et sanctus ejus in flamma, et devorabitur spina ejus et vepres. »

Vers. 5. 5. CLAMATE FORTITER. — Hebræa, *clamate, implete,* id est plene et fortiter clamate hostes Chaldæos imminere. Hebræi enim sæpe ponunt verbum pro adverbio.

Vers. 6 6. LEVATE SIGNUM, — ut qui in agro sunt, sciant hostem imminere, et se in urbem recipiant (1).

CONFORTAMINI, NOLITE STARE, — *q. d.* Nolite animo aut corpore consternari, sed fortiter et celeriter fugite in urbem et loca tuta; solent enim qui animo consternantur, stare stupefacti aut cunctabundi. Potest *secundo,* cum Septuaginta, Chaldæo et Recentioribus verti : *Festinate, ne cunctemini recipere vos.*

Hugo, Lyranus et Dionysius putant hæc ironice dici, quia frustra in urbem fugiebant ibi capiendi, nisi ad pœnitentiæ munimen confugissent.

QUIA MALUM (id est Chaldæos vastatores) EGO ADDUCO AB AQUILONE, — id est a Chaldæa per Syriam et Dan, quæ sunt ad Aquilonem Judææ; hac enim via in Judæam venerunt Chaldæi.

Vers. 7. 7. ASCENDIT LEO (id est Nabuchodonosor sævus et crudelis ut leo; ipse enim est) PRÆDO (Hebræus משחית *maschit*, id est interfector et excisor) GENTIUM. — Audi Lucanum, lib. I, iras et gestus leonis bellum parantis graphice depingentem :

> Sicut squalentibus arvis
> Æstiferæ Libyes viso leo cominus hoste,
> Subsedit dubius, totam dum colligit iram :
> Mox ubi se sævæ stimulavit verbere caudæ,
> Erexitque jubas, vasto et grave murmur hiatu
> Infremuit, tum torta levis si lancea Mauri
> Hæreat, aut latum subeant venabula pectus,
> Per ferrum tanti securus vulneris exit.

Quocirca Ægyptii significantes terribilem et formidandum, pingebant leonem : « Quia cum viribus maxime polleat animal hoc, omnibus qui eum inspexerint, metum injicit, » inquit Horus Apollo, *hierogl.* XX.

Vers. 9. 9. PERIBIT COR REGIS — Joakim, Joachin et Sedeciæ. Ita Theodoretus, *q. d.* Adventante Nabuchodonosore reges Juda, principes et sacerdotes pavore percellentur, ut nec consilio, nec armis possint populum juvare et tueri.

ET PROPHETÆ. — pseudoprophetæ, qui prospera prophetarunt Judæis, videntes se falli, et hostem adesse, consternabuntur. Ita Chaldæus, Hugo, Lyranus et Dionysius.

Vers. 10. 10. HEU, HEU, HEU! — Hebraice est una vox dolentis et admirantis *aha,* de qua cap. I, 6.

DECEPISTI (id est decipi permisisti) POPULUM ISTUM, — per pseudoprophetas, de quibus versu præcedenti, prædicentes pacem Hierosolymæ. Ita Theodoretus, Chaldæus, Hugo, Lyranus.

Secundo, S. Hieronymus : « Decepisti me, » inquit, quia cap. præced., vers. 17, pacem promisisti, cum hic mineris excidium; non enim intelligebat Jeremias illud cap. præcedenti promitti, pro suo, sed pro Christi tempore; verum hoc parum videtur probabile.

ET ECCE PERVENIT GLADIUS USQUE AD ANIMAM, — usque ad vitam vitæque amissionem, vel usque ad intima, usque ad cor. *Tertio,* usque ad principes ipsos, sacerdotes et Prophetas, qui quasi anima sunt populi, inquit Maldonatus.

Vers. 11. 11. VENTUS URENS, — id est exercitus Chaldæorum, qui omnia vastabit ut ventus urens, veniet a « deserto » (2).

VIÆ FILIÆ POPULI MEI, — id est a deserto quod a Babylone via est, id est ducit, ad filiam meam, id est ad Jerusalem, idque « non ad ventilandum et ad purgandum, » sed ad perdendum eam, ut omnia depopuletur, vastet et exurat. Ita S. Hieronymus.

Vers. 12. 12. SPIRITUS PLENUS (id est multus, perfectus, validus, spiritus turbinis et tempestatis bellicæ Chaldæorum, qua Judæos involvam) EX HIS VIIS (deserti) VENIET MIHI — in obsequium meum. Vox est Dei. Ita S. Hieronymus.

Secundo, ex Hebræo efficacius verti potest cum Vatablo, *spiritus plenior et vehementior,* scilicet quam sit spiritus ad purgandum et ventilandum, mihi veniet. Notandum enim duplici vento, id est supplicio uti Deum, uno ad ventilandum, purgandum, corrigendum; secundo, ad omnino perdendum. Priori usus fuit, cum Manassen, aliosque sæpe Judæos punivit; posteriori, cum per Nabuchodonosorem Jerusalem, et Judææ regnum evertit.

Spiritus iræ Dei duplex.

NUNC EGO LOQUAR JUDICIA MEA CUM EIS. — Vata-

(1) In locis altis, ut supra diximus, vexilla erigebantur, tanquam signa, ad quæ homines convenire debebant, sic etiam hoc loco vexillum erigi jubetur, quo significetur locus, ad quem exercitui in fugam verso tanquam ad asylum concurrendum erat.

(2) Malum præ cæteris terribile quo Judæa vexatur est ventus qui ab Arabibus dicitur Samum, a Turcis *Samyel,* et ab Hebræis זלעפה, *Psalm.* XI, 6; CXVII, 53, רוח צה, *Jerem.* IV, 11, etc. Spirat in Persia, Babylonia, Arabia, et in desertis Ægypti, mensibus junio, julio et augusto; in Nubia vero quoque martio et aprili, atque septembri, octobri et novembri. Nunquam quidem ultra septem vel octo, ex relatione vero Olivier (in *Descriptione itineris sui per imperium Turcicum*), raro ultra duo vel tria minuta instat, ast omnes homines qui in campo sub dio erecti stant, momento intereunt. Mortui primum dormientibus similes jacent, verum arrepta forte manus ut excitentur, abrumpitur, paulo post cadavera nigrum colorem induunt. Ventus hic nec alte in aerem, neque infra altitudinem duorum pedum a terra spirat, hinc homines, cum illum imminere observant, proni in faciem procidunt pedibus plagæ, ex qua venit obversis, ore ad terram firmiter applicato, atque quod minimum fieri potest, respirantes, ne quidquam de aura mortifera sorbeant. Indicia autem spiraturi Samum sunt nebulæ, fere ut iris, subrubræ, in aere a longinquo apparentes, et strepitus quipiam, de quo autem alii nihil referunt, imo referente Olivier aer est tranquillus et æstus fere intolerabilis, antequam spirare incipiat Samum. (Jahn, *Archæol. Biblic.* part. I, cap. I.)

blus, Isidorus et a Castro putant esse verba Jeremiæ. Melius S. Hieronymus, Rabanus, Hugo, S. Thomas et Lyranus censent esse verba Dei, uti et præcedentia; hoc enim est quod ait: « Et nunc, » id est *tunc* (loquitur enim perinde ac si tempus illud jam adesset) « loquar judicia mea, » id est justas increpationes meas cum eis. Loquar, inquam, non voce, sed facto; non verbis, sed verberibus, scilicet infligam eis justas et meritas pœnas. Vide *Canon.* XXIX.

Vers. 13. 13. ECCE QUASI NUBES (scilicet tenebrosa, et densa et tristis) ASCENDET, — densus et ater exercitus Chaldæorum.

VELOCIORES AQUILIS EQUI ILLIUS. — Sicut aquilæ, magno impetu, celeriter, potenter, sublimiter volant, et in alias aves involant, easque sternunt et laniant; sic et Chaldæi equites in Judæam involabunt, eamque sternent et laniabunt.

Nota: Chaldæi hic comparantur *primo*, leoni, vers. 7; *secundo*, vento urenti, vers. 11; *tertio*, nubi et turbini, vers. 13; *quarto*, aquilis, ibidem; *quinto*, custodibus agrorum, vers. 17.

Vers. 14. 14. USQUEQUO MORABUNTUR (Hebraice תלין *thalin*, morari facies, id est retinebis in animo) COGITATIONES NOXIÆ? — Pro *noxiæ* Aquila pariter vertit, ἀνωφελείας, id est *damni*; Symmachus, ἀδικίας, id est *injustitiæ*; Septuaginta, πόνων, id est *laborum et dolorum*. Hæc omnia enim significat hebræum און *on* vel *aven*.

Vers. 15. 15. VOX ENIM ANNUNTIANTIS A DAN. — Nota: « Dan, » quæ *primo* Lais, postea Paneas, deinde a Philippo Tetrarcha, in gratiam Tiberii Cæsaris, dicta est Cæsarea Philippi, teste Josepho XVIII *Antiq.* III, terminus est Judææ Aquilonaris versus Babylonem, sicut Bersabee est terminus Judææ Australis. Unde dicitur, « a Dan usque ad Bersabee, » id est per totam Judæam. *Secundo*, post tribum Dan succedit tribus Ephraim, per quam venitur Jerusalem, *q. d.* Hostis Nabuchodonosor imminet, videor jam videre profugos, et audire nuntios ex Dan, quod Babylonii adventent; imo nuntios ex Ephraim, qui nuntient « idolum, » id est vexilla Chaldæorum idolo Bel insignita, adventare. Ita Theodoretus et S. Hieronymus. Potest per *idolum* quoque accipi ignis, quem colebant Chaldæi castrisque præferebant. Hic enim eminus speculatoribus erat conspicuus. Ita Sanchez. Alii, ut Maldonatus, per *idolum* accipiunt idololatras Chaldæos, aut ipsum Nabuchodonosorem, qui se quasi idolum adorari fecit in statua aurea, *Daniel.* III, 5. Verum hoc sui idolum postea ab eo erectum est.

Nota: Pro *idolum* hebraice est און *aven*, quod significat *primo*, afflictionem, dolorem; unde alii vertunt: *Vox nuntiantis afflictionem*, sive calamitatem, *venientem ex monte Ephraim*. Secundo, *aven* significat peccatum, et idolum quod causa est afflictionis et doloris.

Mystice, « Dan » hebraice idem est quod judicium, « Ephraim, » ubertas: veniet ergo judicium Domini in Judam, id est terram delinquentem Domino, de Ephraim, id est de ubertate iræ Dei cum ubertate supplicii.

Vers. 16. 16. DICITE GENTIBUS. — Ita legendum cum Romanis, non, *concitate gentes*, uti legunt Plantiniana et alia. Sensus est, *q. d.* Omnes gentes ex punitione Jerusalem recipiant disciplinam et cautionem, ut sibi caveant a Nabuchodonosore et Chaldæis, dum videbunt eos Judæam obsidere tam arcte, diligenter et obstinate, ut non tam homines, quam agrorum vinearumque « custodes » esse videantur: idque fiet non tam ipsorum viribus et destinatione, quam culpa Jerusalem, scilicet ob ejus delicta. Ita S. Hieronymus et Theodoretus.

Vatablus et Isidorus vertunt: *Narrate de gentibus*, scilicet Chaldæis, *prædicate in Jerusalem venire custodes*, hebraice נוצרים *notserim*, id est milites custodes Nabuchodonosoris, qui scilicet eum custodiunt, uti jam Helvetii vocantur et sunt stipatores et custodes principum. Unde sicut a Cæsare vocantur Cæsariani, a Prætore Prætoriani, ita a Nabuchodonosore, qui hebraice vocatur *Nebuchadnetser* vel *notser*, decurtato, vocantur *notserim*, quasi dicas, Nabuchodonosoriani. Ita Vatablus. Chaldæus vertit, *exercitus populorum, rapientes instar vindemiatorum*. Accepit ipse *notserim* pro בצרים *botserim*, id est vindemiatores: litteræ enim נ et ב similes sunt.

Vers. 18. 18. VITÆ TUÆ (id est actiones tuæ malæ et peccata) FECERUNT HÆC TIBI.

ISTA MALITIA TUA: QUIA AMARA, QUIA TETIGIT COR TUUM, — *q. d.* Amara tua malitia cor tuum et animæ tuæ intima penetravit. Nota: Hebræum כי *ki*, id est *quia*, redundat pleonasmo. Aliter Maldonatus: *Ki*, inquit, idem est quod *quamobrem*; unde ipse sic vertit et explicat: Malitia tua in causa fuit quare מר *mar*, id est amarum hoc, puta calamitas hæc, penetravit usque ad cor tuum, sicut vers. 10 dixit pervenisse gladium usque ad animam.

Vers. 19. 19. VENTREM MEUM DOLEO. — Hebraice est *viscera mea, viscera mea doleo*. Nota hæc non esse verba Dei, ut vult S. Hieronymus, sed Jeremiæ, *q. d.* Ex hac calamitate populi mei ego Jeremias illi compatiens, totus quasi intimis animi sensibus percellor, ut venter et reliqua viscera mea inde indoleant, concutiantur, et torminibus quasi lugubri cithara resonent, ut ait Isaias de Moab, cap. XI, vers. 11. Ita S. Hieronymus et Theodoretus. Hinc aliqui per *ventrem* accipiunt cor: cor enim est venter, id est vas et receptaculum animæ; unde explicans subdit: « Et sensus cordis mei turbati sunt, » inquit Hesychius.

Nazianzenus, orat. 40 *in sanctum Baptisma*, et Gregorius, homil. 10 in *Ezechiel.*, per *ventrem* accipiunt mentem: « Ventrem doluit, qui mentis afflictionem sensit; » unde subdit: « Et sensus cordis mei conturbati sunt, » inquit S. Gregorius. Sed hoc videtur mysticum: nam ad litteram proprie venter hic accipitur.

SENSUS CORDIS MEI TURBATI SUNT. — Hebraice: *Pa-*

rietes cordis mei, id est præcordia, repete *doleo, tumultuans mihi est cor meum,* id est saltitat et palpitat, ut in pavidis et perculsis fieri solet. Unde Aquila vertit, ὀκλάζει, id est *tumultuatur;* Septuaginta, μαιμάσσει, id est *fluctuat* (licet Complutenses legant μὲ μάσσει, id est *me premit*) *anima mea.*

QUONIAM VOCEM BUCCINÆ (Chaldæorum) AUDIVIT ANIMA MEA. — Non dicit se buccinam oculis vidisse, sed audivisse animo; quia per prophetiam tantum eam in spiritu prævidit.

Vers. 20. 20. CONTRITIO SUPER CONTRITIONEM VOCATA EST, — *q. d.* Post famem invasit Judæos gladius, inquit Lyranus, et post obsidionem captivitas, inquit Maldonatus. *Secundo,* Vatablus et Hugo, *q. d.* Vastatio duarum tribuum venit post vastationem decem tribuum. *Tertio* et planissime, significat hæc phrasis congeriem calamitatum sibi invicem succedentium, non casu, sed a Deo quasi evocatarum et immissarum in impios Judæos. Ita S. Hieronymus.

VASTATA SUNT TABERNACULA MEA, SUBITO PELLES MEÆ, — id est vastatum est templum, quod erat instar tabernaculi Mosis, operti pellibus, inquiunt Lyranus et Dionysius. *Secundo,* tabernacula sunt domus et urbes munitæ, quas Chaldæi tam facile diruent, quam tabernacula e pellibus, inquit a Castro. *Tertio* et simplicissime, *q. d.* Omnis terra, id est omnes agri vastati sunt, et quæ in eis fiunt e pellibus tentoria ad excubandum, sive ad greges, sive ad uvas et fructus custodiendum, pariter vastata sunt.

Nota: Τὸ *pelles* idem est quod tabernacula vel tentoria e pellibus facta. Denique per catachresin, tabernacula et pelles hic significare possunt quasvis domos et urbes. Primæ enim Patriarcharum peregrinantium domus fuerunt tabernacula. Ita Maldonatus.

Primæ orbis domus erant e pellibus.

Vers. 21. 21. USQUEQUO VIDEBO FUGIENTEM? — Ita quoque vertunt Septuaginta, *fugientem,* scilicet populum Judaicum a facie Chaldæorum. Recte: legerunt enim נס *nas,* jam aliis punctis legunt נס *nes,* id est vexillum. Ita Chaldæus et Vatablus, *q. d.* Usquequo videbo vexillum, et audiam tubam turbamque hostium: id est quamdiu durabit bellum, bellique strepitus, metus et horror?

Vers. 22. 22. QUIA STULTUS. — Respondet Deus, *q. d.* Tamdiu durabit, quamdiu Judæi in sua stultitia perseverabunt, ut me non agnoscant.

SAPIENTES SUNT UT FACIANT MALA, BENE AUTEM FACERE NESCIERUNT. — Ita peccatores et mundani terrena et caduca clare vident et intelligunt, cœlestia et æterna non pervident: ad vitia perpetranda sapientes sunt, ad virtutes comparandas imperitissimi: in mundanis lyncei, in cœlestibus talpæ sunt. S. Basilius, homil. 8 *Hexam.,* tales comparat noctuis, quæ in tenebris acie oculorum pollent, in luce cæcutiunt. Id facit diabolus. Hujus rei typus fuit Naas rex Ammon, qui ad cives Jabes Galaad ait, I *Regum* XI: « In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrum oculos dextros. » *Naas* enim hebraice idem est quod serpens, puta diabolus. Oculus sinister est, quo terrena; dexter, quo cœlestia et æterna intuemur. Fœdum ergo hoc fœdus cum multis percutit Naas tartareus, ut dextrum oculum eruat, sinistrum reservet: ut in humanis acutum videant, in divinis cæcutiant. E contrario viri sancti mundo cæci sunt, Deo videntes, de quibus S. Chrysostomus, homil. 24 *in Gen.*: « Oculi fidei, inquit, quando vident ineffabilia illa bona, ne sentiunt quidem hæc visibilia; » et homil. 52 *in Acta*: « Nullus invisibilia videns, videt visibilia. »

Mundani in terrenis sunt lyncei, in divinis talpæ.

Vers. 23. 23. ASPEXI TERRAM, ET ECCE VACUA ERAT, ET NIHILI. — Verba sunt Prophetæ, *q. d.* Ego Jeremias tantam prævideo Judææ calamitatem, ut terra omnino sit desolanda ab omnibus jumentis et feris, ita ut et aves inde avolent, utque hominibus afflictissimis et turbatissimis sol et cœlum obtenebrescere, montes et colles moveri videantur; utque cœlum triste et nubilum, ac terra desolata lugere videantur hanc hominum cladem. Ita S. Hieronymus et Theodoretus. Vide *Can.* XXXIII.

Aliter Vatablus et Lyranus: Terra, inquiunt, et montes, id est incolæ terræ et montium; vel montes, id est principes; et colles, id est homines inferioris ordinis, commoti et conturbati sunt.

Nota: Pro *vacua et nihili* hebraice est תוהו ובוהו *tohu vavohu,* quod *Genes.* I, 2, vertit Interpres noster, « inanis et vacua; » Chaldæus, *vacua et desolata;* Symmachus, συγκεχυμένη, id est *confusa, q. d.* Chaldæi Judæam redigent ad illam vastitatem et solitudinem, in qua terra creata fuit a Deo, *Genes.* I., ut videatur ipsa ad primum suum redire chaos.

Tropologice, vir quidam sapiens meditando de cœli gloria et magnitudine, cum eo mente conscenderet, ac terram deinde instar puncti aspiceret et despiceret: « Aspexi, inquit, terram, et ecce vacua erat et nihili. »

25. INTUITUS SUM, ET NON ERAT HOMO. — Quia omnes pene homines in Judæa, a Chaldæis vel occisi vel abducti sunt, aut fuga dilapsi.

Symbolice, hunc locum eleganter tractat Cosmas Magalianus in II *ad Timoth.* cap. IV, vers. 5, not. 2: Terra, inquit, est vacua, cum hominibus virtute præditis, quibus condita est, caret; cum ergo in leones superbos, harpyas tenaces, voraces lupos pro veris hominibus passim incidamus, an non terra inanis videtur et vacua? nam, ut ait Epictetus: « Hominis nomine dignus non est, qui virtutis studiosus non est. » Hinc ait Jeremias: « Intuitus sum, et non erat homo. » Diogenes Cynicus in Atheniensi foro media luce, præeunte lucerna inambulans, rogatus quid ageret: « Hominem, inquit, quæro, nec invenio. » Verus ergo homo est ille quem describit *Eccles.* XII, 13: « Deum time, et mandata ejus observa: hoc est enim omnis homo; » vel, ut Septuaginta vertunt: *In hoc consistit omnis homo.* Qui ergo Deum timet, hic solus verus est homo; cæteri ut asoti et intem-

Hom vitiosus non est homo, sed quasi bestia.

perantes, ficti tantum hominis larvam gerunt (1).

Vers. 26. 26. ET ECCE CARMELUS, — mons Judææ fertilissimus, sub quo totam Judæam intelligit, ut dixi cap. II, vers. 7.

DESERTUS. — Id est deserendus est, quia vastandus. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Rabanus, Hugo, Lyranus. Sed Vatablus et Pagninus τὸ *Carmelus* accipiunt quasi appellativum, vertuntque : *Ecce locus pascuus aut fertilis desertus est.* Sed eodem redit sensus, quem clare exprimit Chaldæus vertens : *Ecce terra Israel, quæ plantata erat sicut Carmelus, conversa est in desertum.*

Vers. 27. 27. CONSUMMATIONEM NON FACIAM. — Non funditus perdetur, nec consumetur Judæa, quia in ea Chaldæi reliquerunt aliquos ad terram colendam : vel potius, quia Judæi post septuaginta annos e captivitate reducti sunt. Ita S. Hieronymus, Theodoretus et alii.

Vers. 28. 28. LUGEBIT TERRA, ET MOERENBUNT COELI, — *q. d.* Terra præ solitudine et squalore lugere videbitur. « Lugebit » ergo, id est desolabitur. « Cœli mœrebunt, » id est obtenebrescent, ut vertunt Septuaginta et Chaldæus, ita ut aer et cœli Judæis adeo afflictis tenebricosi videantur, et mœrorem hominibus incutere. Vide dicta vers. 23.

EO QUOD LOCUTUS SUM, COGITAVI, ET NON POENITUIT ME, — *q. d.* Hæ plagæ et terrores certo Judæis obvenient : quia ego eas locutus sum et comminatus, non temere, nec ex subita cholera, sed post maturam cogitationem et deliberationem ; ideoque decreti mei et comminationis me non pœnitebit, illud non mutabo, nec revocabo.

NEC AVERSUS SUM AB EO. — Non avertar, non desistam a meo proposito vindicandi et puniendi Judæos.

Vers. 29. 29. INGRESSI SUNT ARDUA. — In ardua nemora et montes receperunt se Judæi, fugientes Chaldæos. Hebraice est, ingressi sunt עבים *abim*, nubes, id est loca alta sicut nubes. *Secundo*, Chaldæus, Vatablus et Pagninus, *abim* a radice עבה *aba*, quæ significat densare, deducentes, vertunt, *ingressi sunt in densa nemora, aut sylvas*; Septuaginta, *in speluncas.*

30. CUM VESTIERIS TE COCCINO. — Alludit ad Jezabel, quæ intrante Jehu hoste in Samariam, « depinxit oculos suos stibio, et ornavit caput suum, » ut quasi meretrix in sui amorem illiceret Jehu : sed frustra ; Jehu enim quærebat ejus animam et regnum. Sensus ergo est : O Israel, olim gens mea, quæ jam te tam accurate ornas vestibus, torquibus, annulis, stibio, quasi meretrix, amatoribus tuis putas tunc propitios vel auxiliares eos te habituram ? erras, quia illi ipsi te vestibus et bonis spoliabunt omnique ornatu. Frustra ergo « componeris ; » hebraice תיתפי *titiappi*, id est fucabis te, fuco tibi formam accerses, ut videaris esse pulchra et speciosa.

Nota : Hi amatores sunt exteræ gentes, maxime Chaldæi, quorum amicitiam sibi conciliabant Judæi, colendo idola eorum. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Rabanus.

ANIMAM (vitam) TUAM QUÆRENT, — ut eam perdant.

31. VOCEM ENIM QUASI PARTURIENTIS AUDIVI. — Vox est Jeremiæ de civitate vastata, afflicta et dolente instar parturientis.

ANGUSTIAS UT PUERPERÆ, — Hebraice et Chaldaice, *mabkira*, primogeniantis, id est parientis primogenitum : בכור *bechor* enim est primogenitus. Hinc Septuaginta vertunt πρωτοτοκούσης, *primiparæ*, id est primo parientis, quæ necdum partum experta, in primo pene dolore emoritur, et vix respirare potens, sparsis et expansis manibus collabitur præ deliquio. Pari modo faciet filia Sion, id est Jerusalem, cum viderit suos liberos interfectos.

(Vox ergo ejus) INTERMORIENTIS EXPANDENTISQUE (sic enim legendum est cum Romanis, Hebræo et Septuaginta, non *intermorientes expandentesque*, uti legunt Plantiniana, erit hæc) : VÆ MIHI, QUIA DEFECIT ANIMA MEA. — Ita S. Hieronymus Sionem, sive Jerusalem vocat indigenas, puta cives, et matres Hierosolymitas. Vatablus et Rabbini pro *expandentis* vertunt, *complodentis manus suas præ dolore.*

PROPTER INTERFECTOS. — Noster legit הרגים *harugim*, ita et Septuaginta. Jam aliis punctis legunt הרגים *horegim*, id est interfectores, *q. d.* Maxime dolebit Jerusalem ob Chaldæorum interficientium Judæos crudelitatem. Ita Vatablus, Chaldæus et Pagninus.

(1) Et omne volatile cœli recessit. » Quod Grotius refert ad fugatas aves concusso per clamorem militarem aere. J. D. Michaeli imago petita videtur ab horribili tempestate, qua ingruente volucres etiam aufugiunt aut se abscondunt. Sed melius diceretur pertinere hoc ad descriptionem summæ vastitatis. « Intuitus est, inquit S. Hieronymus, et huc illucque circumspexit, et ne avis quidem potuit inveniri. Hoc verum esse, nunc totus orbis demonstrat, ut cæsa hominum multitudine volatilia quoque, quæ solent habitatores sequi, abierint et perierint. »

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit insectari Judæorum scelera, quod ne unus quidem inter eos sit vir, justus scilicet : vers. 3, *eorum obdurationem; vers.* 7, *luxuriam; vers.* 12, *atheismum. Hinc, vers.* 14, *minatur eis excidium terribile per Chaldæos truces et sævos, qui atrociter in Judæos, eorumque prædia, opesque et familias grassabuntur. Tertio, vers.* 21, *hortatur ut timeant Deum, ob ejus potentiam et beneficentiam, quam ipsos suis dolis et sceleribus a se avertisse docet. Unde per epiphonema exclamat et concludit* : Stupor et mirabilia facta sunt in terra, quia pseudoprophetis et sacerdotes et populus applauserunt (1).

1. Circuite vias Jerusalem, et aspicite, et considerate, et quærite in plateis ejus, an inveniatis virum facientem judicium, et quærentem fidem : et propitius ero ei. 2. Quod si etiam, Vivit Dominus, dixerint : et hoc falso jurabunt. 3. Domine, oculi tui respiciunt fidem : percussisti eos, et non doluerunt : attrivisti eos, et renuerunt accipere disciplinam : induraverunt facies suas supra petram, et noluerunt reverti. 4. Ego autem dixi : Forsitan pauperes sunt et stulti, ignorantes viam Domini, judicium Dei sui. 5. Ibo igitur ad optimates, et loquar eis : ipsi enim cognoverunt viam Domini, judicium Dei sui, et ecce magis hi simul confregerunt jugum, ruperunt vincula. 6. Idcirco percussit eos leo de sylva, lupus ad vesperam vastavit eos, pardus vigilans super civitates eorum : omnis, qui egressus fuerit ex eis, capietur; quia multiplicatæ sunt prævaricationes eorum, confortatæ sunt aversiones eorum. 7. Super quo propitius tibi esse potero? filii tui dereliquerunt me, et jurant in his qui non sunt dii : saturavi eos, et mœchati sunt, et in domo meretricis luxuriabantur. 8. Equi amatores et emissarii facti sunt : Unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat. 9. Numquid super his non visitabo, dicit Dominus? et in gente tali non ulciscetur anima mea? 10. Ascendite muros ejus, et dissipate, consummationem autem nolite facere : auferte propagines ejus, quia non sunt Domini. 11. Prævaricatione enim prævaricata est in me domus Israel, et domus Juda, ait Dominus. 12. Negaverunt Dominum, et dixerunt : Non est ipse; neque veniet super nos malum : gladium et famem non videbimus. 13. Prophetæ fuerunt in ventum locuti, et responsum non fuit in eis : hæc ergo evenient illis. 14. Hæc dicit Dominus Deus exercituum : Quia locuti estis verbum istud, ecce ego do verba mea in ore tuo in ignem, et populum istum in ligna, et vorabit eos. 15. Ecce ego adducam super vos gentem de longinquo, domus Israel, ait Dominus; gentem robustam, gentem antiquam, gentem, cujus ignorabis linguam, nec intelliges quid loquatur. 16. Pharetra ejus quasi sepulcrum patens, universi fortes. 17. Et comedet segetes tuas, et panem tuum : devorabit filios tuos, et filias tuas : comedet gregem tuum, et armenta tua : comedet vineam tuam, et ficum tuam : et conteret urbes munitas tuas, in quibus tu habes fiduciam, gladio. 18. Verumtamen in diebus illis, ait Dominus, non faciam vos in consummationem. 19. Quod si dixeritis : Quare fecit

(1) Post motiva ad Deum conversionis, de malis mox eventuris desumpta, ne quis cogitet populum Judaicum justo gravioribus suppliciis castigari, ostendit hic Propheta *vindictæ sumendæ justitiam.*

PRIMO, *per peccantium perversitatem, primo,* communem omnibus ne uno quidem excepto, 1, 2; *secundo,* induratam, nec pœnis emendat m, 3; *tertio,* diffusam per optimates non minus quam plebeios, 4, 5; *quarto,* auctam numero, malitia et libidine; atque hinc indignam indulgentia, 6-9.

SECUNDO *per vindicis auctoritatem, primo,* jussu jam dato interpositam, 10, 11; *secundo,* ab incredulis dissimulatam et spretam, 12-15; *tertio,* nova ultionis indictione declaratam, 16-18.

TERTIO, *per judicis æquitatem, primo,* ad talionis leges comparatam, 19; *secundo,* minus resistentiæ in rebus inanimatis expertam, 20-23; *tertio,* hactenus sola penuria, in fertilitatis contemptæ vicem substituta, contestatam, 24, 25.

QUARTO, *per repetitam commemorationem, primo,* tum perversitatis peccantium, 26-28; *secundo,* tum æquitatis in vindice ac judicio, 29, 30.

nobis Dominus Deus noster hæc omnia? dices ad eos: Sicut dereliquistis me, et servistis deo alieno in terra vestra, sic servietis alienis in terra non vestra. 20. Annuntiate hoc domui Jacob, et auditum facite in Juda, dicentes: 21. Audi, populo stulte, qui non habes cor: qui habentes oculos, non videtis; et aures, et non auditis. 22. Me ergo non timebitis, ait Dominus: et a facie mea non dolebitis? Qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum, quod non præteribit: et commovebuntur, et non poterunt: et intumescent fluctus ejus, et non transibunt illud: 23. populo autem huic factum est cor incredulum et exasperans, recesserunt et abierunt. 24. Et non dixerunt in corde suo: Metuamus Dominum Deum nostrum, qui dat nobis pluviam temporaneam et serotinam in tempore suo; plenitudinem annuæ messis custodientem nobis. 25. Iniquitates vestræ declinaverunt hæc: et peccata vestra prohibuerunt bonum a vobis: 26. quia inventi sunt in populo meo impii insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes et pedicas ad capiendos viros. 27. Sicut decipula plena avibus, sic domus eorum plenæ dolo: ideo magnificati sunt et ditati. 28. Incrassati sunt et impinguati: et præterierunt sermones meos pessime. Causam viduæ non judicaverunt, causam pupilli non direxerunt, et judicium pauperum non judicaverunt. 29. Numquid super his non visitabo, dicit Dominus? aut super gentem hujuscemodi non ulciscetur anima mea? 30. Stupor et mirabilia facta sunt in terra: 31. Prophetæ prophetabant mendacium, et sacerdotes applaudebant manibus suis: et populus meus dilexit talia: quid igitur fiet in novissimo ejus?

1. CIRCUITE VIAS (hebraice est, *scrutamini plateas*), AN INVENIATIS VIRUM, — *q. d.* Si, uti in Sodomis requisivi decem justos, *Genes.* XVIII, 32; sic in Jerusalem invenirem unum insignem virum justum, parcerem, et propitius essem ei, id est toti urbi. Patet ex Hebræo לָהּ *la*, quod est femininum, ideoque Jerusalem respicit. Vide hic et obstupesces, quanta sit Dei, gravissime licet offensi, ad parcendum et miserendum propensio et clementia: item « amor justitiæ, ut non pro decem justis, sicut olim ad Abraham dixit Deus, liberet civitatem; sed si inveniret unum in Jerusalem, misereatur civitatis, » ait Rabanus. Vide rursum impietatem Hierosolymæ, in qua nullus insignior justus inventus sit, ut merito et justissime ipsa a Deo sit eversa. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Rabanus, Hugo, S. Thomas.

Quomodo Jeremias quærat in Jerusalem virum?

Objicit Œcolampadius: Ergo omnes omnino homines sunt peccatores, et tantum exterius, per imputatam eis justitiam Christi, sunt justi: nam si sancta civitas nullum virum justum habuit, ubi eum invenies?

Respondeo primo.

Respondent *primo*, Lyranus et Isidorus esse hyperbolem: si unum, id est si paucos, invenirem: nam patet Jeremiam tum fuisse justum, uti et Baruch, et Æthiopem Abdemelech, et Josiam regem, *Eccli.* XLIX, 1, aliosque Prophetas, qui hoc tempore prophetarunt.

Secundo.

Secundo, Jerusalem tunc sceleratissima erat: ergo facilius erat extra eam, quam intra, tum in Judæa, tum alibi reperire justos.

Tertio, ei optime, vir est insigniter justus.

Tertio, melius parcerem urbi, si in ea reperirem vel unum virum, id est insignem et eminenter in lege complenda et veritate tuenda justum, qui populum suo exemplo et auctoritate in officio contineret, et Deo irato quasi sepem se opponeret, *Ezech.* XXII, 30, instar Mosis et Samuelis. Sic enim hebraice vocantur *filii viri*, id est inclyti, potentes, quales viros describit Ecclesiastici cap. XLIV et seq. Similem virum quærebat Diogenes, uti dixi cap. præced., vers. 25. Sic ait Herodotus in *Polyhymn.*: « Homines permulti, viri perpauci. » Et Lacæna apud Plutarchum dicebat, « solas Lacænas viros parere. » Adde hæc referri ad tempus excidii, cum solus prophetaret Jeremias, qui cum Dei vice hic loquatur, hoc numero se non comprehendit: tunc enim pauci erant Hierosolymæ quomodolibet justi.

Moraliter, nota hic: Deus viros quærit, heroes quærit. Ita una virago B. Virgo invenit gratiam in oculis ejus, eumque e cœlo in suum uterum pertraxit. Ita unus Joannes Baptista electus est, ut esset paranymphus et præcursor Christi, quia « magnus fuit coram Domino, » quia vir atque heros fuit; nimirum fide splendebat, spe attollebatur, charitate flagrabat, virginitate nitebat, admirabili abstinentia lucebat, paupertate ditescebat, solitudine grandescebat, omniumque virtutum incremento cœlestis quidam gigas efficiebatur, ut de eo vere dixeris: « Exsultavit ut gigas ad currendam viam. » De eo ergo ait Christus: « Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista. » Unde S. Augustinus, serm. 4 *De S. Baptista*: « Quisquis, inquit, Joanne plus est, non tantum homo, sed et Deus est. »

Pluris coram Deo est unus vir, unus Baptista, quam mille feminæ, imo mille homines. Talis vir fuit inclytus ille martyr, qui tanta animi celsitudine tyranno restitit, ut ne nomen quidem suum, vel gentis, vel civitatis voluerit edicere, sed ad omnia rogata tantum dixit: « Christianus sum. » Et Blandina, quæ in omnibus tormentis invicta,

clamansque : « Christiana sum, » hoc ipso tormentorum dolorem leniebat, imo superabat. Testis Eusebius, lib. V *Hist.* cap. 1.

Talis vir fuit S. Athanasius, qui pro Deo et fide toti orbi Ariano se opposuit, et de eo triumphavit.

Talis vir fuit B. Gregorius Nazianzenus, qui in cœlo habitans dicebat, *orat.* 28 : « Mihi omnis terra, et nulla terra patria est. »

Talis vir fuit S. Paulus, qui totum pene orbem Dei fide et religione imbuit et illustravit.

Tales viri fuerunt S. Chrysostomus, S. Basilius, S. Augustinus, S. Gregorius, S. Ambrosius, S. Leo, aliique qui pro Deo steterunt usque ad mortem, Deumque orbi propitiarunt. Plures tales viros recensui, *Exodi* VI; in fine capitis.

FACIENTEM JUDICIUM. — « Facientem » id quod rectum, æquum et justum est secundum legem. Ita Theodoretus.

ET QUÆRENTEM FIDEM.—Hebraice, *quærentem veritatem* vel *fidelitatem*, qui scilicet fidelis sit Deo et hominibus. Unde sequitur, « quod si etiam, » *q. d.* Adeo perfidi sunt et mendaces Judæi, ut etiamsi jurent per vitam veri Dei, id falso et simulate jurent, quasi me colentes, cum cor eorum sit a me aversum. Ita S. Hieronymus. Aliter Maldonatus, *q. d.* Si juraverint per Deum viventem, data opera falsum jurabunt, ut illi faciant injuriam.

Moraliter, disce hic quam ab hominibus exsulet fides. Vere Aristoteles apud Laertium :« O amici, nemo amicus. » Et Seneca in *Hercule Œtæo* :

> Licet omne tua vulgus in aula,
> Centum pariter limina pulset :
> Cum tot populis stipatus eas,
> In tot populis vix una fides (1).

3. DOMINE, OCULI TUI RESPICIUNT FIDEM. — « Fidem, » id est fidelitatem, ut dixi vers. 1. *Secundo*, S. Hieronymus, Rabanus, Hugo et Dionysius intelligunt fidem qua credimus Deo. *Tertio*, S. Thomas, « fidem, » inquit, id est id quod rectum est. *Quarto*, Theodoretus, « respiciunt fidem, » inquit, hoc est, *q. d.* Tu, o Domine, cujus oculis omnia conspicua sunt, scis me vera dicere, tu fidem facis dictis meis. *Quinto*, Pagninus et aliqui Hebræi, Hebræum אמנה *emuna*, vertunt, *stabilitatem*, *q. d.* Tu, Domine, semper intentus es, ut res quas creasti, stabiles conserves : quod ergo Judæos vis destruere, præter morem facis, et coguntur te eorum scelera. Hic sensus aptus est, tertius aptior, primus aptissimus.

PERCUSSISTI EOS, ET NON DOLUERUNT. — Hippocratis aphorismus est : « Cum corpus ægrum vel afflictum suas plagas vel dolores non sentit, certum est signum mentem ægrotare, » laborare scilicet amentia, delirio, vel stupore. Ita vidi deliros, qui acria frigora et cruciatus non sentiebant. Pari modo Judæi hi, plagas Dei non sentientes, laborabant mentis stupore, et amenti pertinacia. Sic videmus pueros nequam contra flagella obdurare se, ac ea non curare, nec sentire, induereque quamdam ἀναλγησίαν sive dedolentiam.

INDURAVERUNT FACIES SUAS SUPRA PETRAM, — magis quam petra, petra duriores, effrontes et impudentissimi fuerunt. Sic latine *os durum*, dicitur impudentia.

4. FORSITAN PAUPERES (id est plebeii et tenuis conditionis) SUNT, — *q. d.* Forte est imperita multitudo, quæ legem Dei non didicit, quæque tardo est et rudi ingenio ad verba Dei capienda. Hi ergo in prævaricatione sua excusationem et veniam merentur. « Ibo igitur ad optimates (2). » Vers. 4.

5. CONFREGERUNT JUGUM (legis), RUPERUNT VINCULA — mandatorum Dei. Vers. 5.

6. PERCUSSIT (percutiet) EOS LEO DE SYLVA, — id est Nabuchodonosor ex Syria quasi sylva, et Libano sylvoso egrediens. Ita S. Hieronymus, Theodoretus et alii passim. Vers. 6.

Porro « lupus » est Nabuzardan, ait Theodoretus, « pardus » est exercitus Chaldæorum. Pardus leo, lupus qui?

Secundo, S. Hieronymus, Rabanus, Hugo, S. Thomas, Lyranus : « Lupus, » inquiunt, significat Persas et Medos, ob ingluviem tum escarum, tum regnorum, a qua et semiasini sunt dicti, ut dixi *Isaiæ* cap. XXI, 7. « Pardus » est Alexander, aiunt S. Hieronymus, Rabanus et Hugo, ob morum varietatem, et quia variis et plurimis sibi subditis gentibus contra Medos et Persas dimicavit. Unde et Daniel, cap. VII, vers. 6, eumdem pardo assimilat. Hic pardus est vigilans, quia Alexander veloci impetu ab Occidente ad Indiam usque omnia pervasit; Judæos non vastavit, sed terruit; iisque supplicibus propter Jaddum Pontificem pepercit. Ita Josephus, XI *Antiq.* VIII. Theodoretus tamen, Lyranus et S. Thomas per *pardum* intelligunt Antiochum Epiphanem, qui valde Judæos afflixit; unde quod sequitur : « Omnis qui egressus fuerit, ab eis capietur, » sic explicant : « ab eis, » scilicet a Romanis; post Græcos enim Pompeius, Cæsar, Vespasianus et Titus Judæos ceperunt et vastarunt. Respondeo primo. Secundo.

Tertio et optime; Nabuchodonosor cum suo Tertio et

(1) Vers. 2. « Quod si etiam, vivit Dominus, dixerint, et hoc falso jurabunt. » Quod J. D. Michaelis male de judicum jurejurando intelligit, quo ad jus dicendum obstringantur. *Per Deum* aliquem *jurare* valere, se illius cultorem profiteri vidimus supra ad cap. IV, 2. Cum igitur vates Hierosolymitanos adhibito in jurejurando Jovæ nomine pejerare dicit, hoc vult, illos verbis quidem et externo cultu Jovæ honorem deferre, minime vero eum sincero animo venerari et colere. (Rosenmuller.)

(2) *Stulte agunt* qui occupantur magis in agris et vineis colendis, quam in lege, etc., qui obtendunt sibi non dari otium, nec se ad res magnas natos esse. Hoc dicit quasi per concessionem, ut eos gravius premat, non hoc sentit Propheta, sed ut quasi sub viva pictura ostenderet omnes corruptos esse, etc. Propheta loquitur ex communi more; interea non extenuat culpam inscitiam obtendentium, quia Deus legem suam toti populo prodesse voluit. (Synopsis.)

optime, leo, lupus et pardus est Nabuchodonosor.

exercitu dicitur « leo » ob ferociam; idem vocatur « lupus » ob avaritiam et voracitatem : unus enim lupus innumeras perdit oves; unde vulgo dicitur : « Lupus non curat numerum; » idem vocatur « pardus, » ob capiendi dexteritatem et celeritatem. Ita S. Thomas, Vatablus, Isidorus et Maldonatus. Semper enim Jeremias minatur Judæis Chaldæorum adventum, non Alexandri, non Antiochi Epiphanis.

LUPUS AD VESPERAM. — Septuaginta vertunt, *lupus Arabiæ*, id est lupus prædo et latro : Arabes enim latrociniis erant infames. S. Hieronymus, *lupus occidentis*; Vatablus, *lupus solitudinum* vel campestrium; hæc enim omnia significat Hebræum ערב, si alia et alia puncta substituas : si enim ערב *ereb* legas, significat vesperam et occidentem; si ערב *arab*, significat Arabiam; si ערב *oreb*, significat solitudinem : inde enim mons et desertum Sina vocatur *Oreb*.

Lupi vespertini qui?

Quæres, quis sit « lupus ad vesperam? » Putant aliqui esse certam et distinctam ab aliis luporum speciem, vel esse hyænam. Ita Guevarra in *Habacuc* I; sed hyæna non est lupus. Vide Delrio, *adagio* 824.

Respondeo ergo τὸ *ad vesperam* esse epitheton commune lupis; quia enim lupi præ aliis bestiis voraces sunt, hinc per diem ob metum venatorum in antris latent jejuni, ex quibus vespere, magna exciti fame, quasi rabidi ad prædam egrediuntur; diuturna enim esurie efferati, maxime sæviunt suntque celerrimi, ideoque vocantur vespertini. Ita Oppianus, S. Hieronymus, Rabbini, Hugo, Vatablus, Dionysius, Delrio jam citatus, Ribera et alii. Unde Arabicus vertit, *dicendent ventres eorum lupi vesperæ*, præ fame rabidi; Syrus vertit, *ursi vesperarum confodient eos*; sed videtur esse mendum, ac pro דבא *debo*, id est ursus, legendum דאבא *dibo*, id est lupus, ut habent Hebræa, Septuaginta et alii.

Alii insuper lupi edaciores, nocte consumpta præda vespertina, mane ad prædam rursum egrediuntur, dicique possunt matutini.

Nota : Hebræi *vesperam* vocant noctem; lupi enim non vespere, sed, ut Oppianus et alii (qui inde λύκον νυκτιπόρον, id est noctuambulonem vocant), noctu prædantur, et maxime media nocte, quia tunc pecora post nocturnum pastum et ruminationem usque ad mane quiescunt.

Hinc Virgilius, IX *Æneid.* :

> Ac veluti pleno lupus insidiatus ovili...
> Nocte super media, tuti sub matribus agni
> Balatum exercent, ille, asper et improbus ira,
> Sævit in absentes.

Et Statius, lib. X *Thebaid.* :

> Rapidi sic agmine mixto
> Sub noctem colere lupi.

Et Propertius lib. IV :

> Et sua nocturno fallere terga lupo.

Lupus dicitur λύκος a luce, quia noctu quasi in luce videt.

Adde nocturnos dici lupos, quia lupi hoc habent singulare, quod oculorum acie tenebras evincant. Ita Ælianus, lib. X, cap. XVII, et alii. Unde Macrobius, lib. I *Saturnal.* XVII : Lupus, inquit, ἀπὸ τῆς λύκης, id est a luce, græce dicitur λύκος, id est lucens : et Apollo, id est sol, ejus nomine dictus est λύκος, quod tenebras sorbeat et expellat. Hinc et Græci primam lucem quæ solis ortum anteit, vocant λύκην a lupo; unde Homerus matutinum crepusculum nuncupat ἀμφιλύκην νύκτα, eo quod tunc lupus videat, et prædatum exeat; quin et idem tempus exinde vocatur λυκοφῶς, lupi lux. Tunc enim lupi matutini, quia voraces, rursum venatum egrediuntur : nam, teste Ælianno, lupi etiam illuni nocte cernunt acutissime; licet Macrobius loco citato censeat Græcos primam lucem vocasse λύκην ἀπὸ τοῦ λευκοῦ, ab albedine, quia alba est et dicitur, indeque, inquit, λυκοφῶς cognominatur. Utrumque verum.

Porro Nabuchodonosor apte vocatur lupus vespertinus, id est nocturnus; quia noctu invasit et cepit Jerusalem, ut patet *Jerem.* cap. V, 72, et quia sæviit in Judæos instar lupi vespertini et famelici.

Tropologice, lupi vespertini sunt dæmones, qui noctu maxime grassantur hominesque ad libidines, cædes aliaque scelera sollicitant. Ita S. Hieronymus in *Habacuc* I, 8. Item principes, prælati et judices avari et iniqui, de quibus ait Sophonias, cap. III, 3 : « Judices ejus lupi vespere; quia quasi in nocte et nullo vidente omnia populantur, et, cum luporum more cuncta diripiant, ne parvos quidem cibos indigentibus derelinquunt, » ait ibidem S. Hieronymus.

Maxime vero, teste Christo, lupi sunt hæretici. Nam, ut ait S. Ambrosius, in cap. X *Lucæ* : « Lupi somnum canum, absentiam aut desidiam pastorum explorant. Nonne lupo hæretici isti comparandi sunt, qui insidiantur ovibus Christi, fremunt circa caulas nocturno magis tempore quam diurno ? » Hinc et conventicula sua noctu agere eos in Belgio vidimus, et in Francia Arabum more latrociniis et cædibus grassatos esse scimus. Adhæc ovium speciem induunt, simulant se pietatis et veritatis amantes, ut decipiant, et tenebras menti offendant. Lucis ergo nomen quasi lupi sibi arrogant, sed reipsa sunt nocturni et tenebricosi.

Pardus qualis?

PARDUS. — Fera est sæva ut leo, pellem habet respersam maculis, frondibus se occultat, et odorem gratum emittit, dorcades, capreas aliasque bestias ad se allicit, arripit, lacerat. Ita Plinius, lib. VIII, cap. XVI, et Ælianus, lib. V, cap. XL (1).

Nota : Pro *vigilans* alii vertunt, *festinans*, celer, velox, id est Nabuchodonosor, ut dixi, qui vigilat, id est observat civitates Judæorum, dum eas

(1) Sunt qui leonem, lupum et pardum distinguunt, id est tres diversas hostium irruptiones indicari existimant. Venema ad tres Chaldæorum expeditiones refert. Hieronymus uti et Jarchi, ad Chaldæos, Persas et Græcos.

arcte obsidet et excubat, ita ut nemo ex iis egredi possit, quin protinus ab eo capiatur.

Tropologice, pardus est dæmon, qui objectis odoriferis deliciis, et pellis, id est speciei externæ, v. g. corporis muliebris, fucata varietate ac pulchritudine incautos decipit, et « circuit quærens quem devoret. »

CONFORTATÆ SUNT AVERSIONES (rebelliones) EORUM, — *q. d.* Valide contra me rebellarunt.

Vers. 7. 7. SUPER QUO (qua de causa, quo merito, quo titulo, quo respectu) PROPITIUS TIBI ESSE POTERO? — Quid habes quod veniam et clementiam, ac non magis iram meam et indignationem provocet et accendat? Maldonatus et alii Hebraice אי לזאת *e lazot*, id est super quo, accipiunt pro איך *ech*, id est quomodo.

MOECHATI SUNT. — Proprie et corporaliter, patet ex seq. Ita Theodoretus, Rabanus, S. Thomas. Aliter Hugo, Lyranus et Dionysius, *mœchati sunt*, inquiunt, spiritualiter cum idolis : ita ruunt ad idola, uti mœchi saturi ad meretrices.

Vers. 8. 8. EQUI AMATORES. — Hebraice מוזנים *muzanim*, id est saturi, bene pasti, indeque lascivientes, et, ut Noster vertit, *amatores*; quia æstu libidinis irruunt hinniuntque in feminas. Unde Septuaginta vertunt : *Equi furentes in feminas; muzanim* enim descendit a radice זון *zun*, id est alere, pascere, saturare. Ita R. Jacob, Vatablus, Pagninus. Unde et Chaldæus vertit, *equi robusti*, feroces vel efferati. Quare minus recte R. David Kimchi pro *muzanim* legit מוזנים *mevuzzanim*, id est, ait, armati, phalerati, a radice יזן *iazan*; hæc enim radix alibi non reperitur. Quare scribarum errore factum est, ut hic pro *muzanim* irrepserit *mevuzzanim*, et in margine *meiuzanim*, ut recte advertit Forsterus, licet heterodoxus, in *Lexico*.

ET EMISSARII. — Sunt equi communes, qui servantur ad hoc, ut ad eos equas adducant, quas impleant. Hebræum משכים *moséchim*, quod ait S. Hieronymus, Græci omnes vertunt ἕλκοντες, id est trahentes, scilicet genitalia præ magnitudine, in magnæ libidinis indicium, juxta *Ezech.* XXIII, 20 : « Quorum carnes sunt ut carnes asinorum. »

Secundo, Rabbini legunt *mezachim*, *q. d.* Prodeuntes ex regione Mosoch (qui fuit filius Japhet, *Genes.* X, 2), id est ex Moscovia; vel, ut Josephus, I *Antiq.* cap. XI, ex Cappadocia; vel, ut R. Abraham, ex Tuscia; vel potius ex Arabia juxta Cedar, ut patet *Ezech.* XVII, 13; inde enim equi fortes, et proni in feminas prodibant.

Tertio, R. Kimchi, Vatablus et Pagninus legunt משכים *maskim*, id est manicantes, a radice שכם *sacham*, id est mane surgere, *q. d.* Ut equi noctu somno et cibo pasti, mane cum exeunt, hinniunt ad equas : sic et Judæi ad feminas.

Porro quanta sit equorum libido, et in equas ardor, docet Aristoteles, lib. VI *De Histor. animal.* cap. XXII. Unde homines in Venerem projecti vocantur ἱπποπόρνοι et dicuntur ἱππομανεῖν, id est instar equi ardere et furere. Unde S. Basilius, lib. *De Virgin.*, docet hominem creatum esse quasi centaurum, ut supera parte sit homo et rationalis, infera equus concupiscens ardens cupiditate (1).

Vers. 10. 10. ASCENDITE (o Chaldæi, milites mei) MUROS EJUS, — Hierosolymæ. Loquitur hic Deus quasi dux imperans Chaldæis, ut Jerusalem evertant.

CONSUMMATIONEM AUTEM NOLITE FACERE, — *q. d.* Ne penitus eam destruatis, ut reliquiæ serventur et salvæ fiant, *Isaiæ* X, 20.

AUFERTE PROPAGINES EJUS (*q. d.* Nolite radicitus populum exstirpare, sed propagines tantum tollite, quæ) NON SUNT DOMINI, — puta improbos Judæos, qui se idolis et dæmoniis tradiderunt, ideoque a Deo quem deseruerunt deserti sunt, ait S. Hieronymus. « Omnis enim plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur, » ait Christus, *Matth.* XV, 13.

Secundo, quia Hebræum נטש *natas* significat dimittere, extendere : hinc Septuaginta vertunt : *Aufer sustentacula ejus*; Chaldæus, *palatia ejus*; Vatablus, *dentes murorum ejus*, id est minas seu pinnas, quæ e muris eminent ne hostes ascendant. Christophorus a Castro vertit : *Auferte dimissa* seu *derelicta a me*, ac consequenter, illa, cum non habeant dominum, erunt primo occupantis. Sic qui Deum dereliquit, hominum et dæmonum expositus est prædæ et dominio.

Tertio, Theodoretus et Eusebius, lib. II *Demonstr.* cap. LV, repetunt ex Hebræo negationem *non*, *non faciatis*, non auferatis propagines ejus, *q. d.* Relinquite Zorobabel et aliquot alios, qui gentem Judæorum propagent, ne intereat. Ita Theodoretus. Vel, ut Eusebius, relinquite Christum et Apostolos in reliquias et fulcimentum Judæorum.

Vers. 12. 12. DIXERUNT : NON EST IPSE, — scilicet Dominus, qui habet nostri providentiam, qui nos puniat, si male; aut præmiet, si bene egerimus. Itaque non evenient mala, quæ nobis ipse minatur. Ita S. Hieronymus, Rabanus, Hugo, S. Thomas, Lyranus.

Vers. 13. 13. PROPHETÆ (scilicet Dei veri) FUERUNT IN VENTUM (id est frustra tibi) LOCUTI, — quia noluisti eos audire. Ita S. Hieronymus, Rabanus et Hugo.

Secundo, Theodoretus et Vatablus : Falsi prophetæ fuerunt in ventum locuti, id est inania et falsa tibi prædixerunt.

Tertio et optime, sic hæc accipias, ut pergant impii Judæi loqui, dicantque : « Prophetæ, » ut Jeremias et alii, « in ventum, » id est inania et temere sunt locuti : « responsum, » id est oraculum Dei, « non fuit in eis : hæc ergo » mala quæ nobis minati sunt, « evenient eis : » id est optamus ut eis eveniant, et in eorum recidant caput.

(1) Libido equorum maxime celebratur a veteribus, vide ex. gr. Virgilii *Georg.* III, 250 et seq.; hinnitum porro libidinis testem esse constat, vide *Eccli.* XXXIII, 6.

Unde hebraice est, *sic fiat eis,* scilicet sicut nobis comminati sunt, licet S. Hieronymus τὸ *ergo evenient eis,* putet esse verba Jeremiæ, *q. d. Hæc,* id est sequentes pœnæ, *evenient eis.*

Vers. 14. Verba Prophetæ efficacia ut ignis.

14. ECCE EGO DO VERBA MEA IN ORE TUO IN IGNEM,— *q. d.* Ego inspiro tibi oracula efficacia instar ignis; quia efficio ut ore tuo, o Jeremia, prædicas certo certius venturum Nabuchodonosorem, qui efficaciter quasi ignis consumet populum, quem, quasi ligna igni, deseram, et Chaldæis consumendum exponam.

Nota : Ita loquitur ac si Jeremias suis verbis eos sit combusturus, idque *primo,* ut significet efficaciam et certitudinem prophetiæ, retundatque illam vocem Judæorum, vers. 13 : «Prophetæ fuerunt in ventum locuti;» his enim ait Jeremiam non in ventum, sed in ignem vaticinari; *secundo,* ut significet Jeremiam non ex se vaticinari, sed ex Deo, adeoque eum loqui quasi in persona Dei, qui suo jussu et decreto populum quasi ligna traditurus erat igni, id est ultioni Chaldæorum. Ita Vatablus, Lyranus et Hugo.

Aliter S. Hieronymus, Rabanus, S. Thomas, *q. d.* Intenta eis minas tam efficaces, ut sibi angi, exarescere, ignique comburi videantur, ut sit catachresis.

Vers. 15.

15. ADDUCAM SUPER (contra) VOS GENTEM DE LONGINQUO, — ex Chaldæa.

ANTIQUAM, — quæ ab antiquo bellare, occidere, rapere didicit et consuevit; scilicet a tempore Nemrod, qui primus regnavit in Babylone, anno 170 post diluvium, uti ostendi *Gen.* x, 18. Ex tunc ergo cœpit Chaldæorum imperium, quod una cum regno Assyriorum obtinuit Belus pater Nini, et sequentes Assyriorum reges pene usque ad Nabuchodonosorem (1).

CUJUS IGNORABIS LINGUAM, — *q. d.* Adducam contra te Chaldæos, gentem barbaram inintelligibilem, inexorabilem; nec enim tuas preces intelliget, nec tu ejus postulata. Id minatus eis est Moses, *Deuter.* XXVIII, 49.

Vers. 16. Pharetra Chaldæorum vocatur sepulcrum quintupliciter. Primo. Secundo. Tertio Quarto.

16. PHARETRA EJUS QUASI SEPULCRUM, — id est « pharetra » Chaldæorum non satiabitur occisione, sicut nec sepulcrum patens saturatur, id est expletur cadaveribus. Ita Hugo, *q. d.* Chaldæi plurimos suis sagittis conficient. Ita Vatablus.

Secundo, S. Thomas : Ut sepulcrum patens cadaverum horrore percellit : sic et sagittæ sanguine occisorum infectæ in pharetris Chaldæorum intuentes percellent.

Tertio, Lyranus : « Pharetra, » id est per metonymiam sagittæ eorum, certo configent quos voluerint : sicut certo sunt mortui, quos excipit sepulcrum.

Quarto, a Castro et Theodoretus: « Pharetra, » id est sagitta Chaldæorum, est « sepulcrum, » id est sepulcralis, funerea, lethifera, id est certo necem inferens, et in sepulcrum patens inducens.

Quinto et planissime, « pharetra, » Chaldæorum est «sepulcrum,» id est formam et speciem habet sepulcri; sicut enim sepulcrum continet mortuos, eosque consumit et incinerat sine fine et numero : sic pharetra eorum continet mortem, id est sagittas plurimas mortiferas, quæ plurimis mortem afferent, ita ut pharetra sepulcrum, sagittæ omnes emortui esse videantur. Significat ergo hæc phrasis Chaldæos sagittas habere fortes et penetrantes, eosque sagittandi esse peritissimos, ut quot habent sagittas in pharetra, tot homines se interfecturos sciant. Ita Maldonatus. Quintus hic sensus plenissimus est, quia tertium et quartum involvit et complectitur. Sic S. Ambrosius divites, qui pauperum fortunas absorbent, eorumque arcas, vocat « sepulcra pauperum. »

UNIVERSI FORTES, — *q. d.* Nec id mirum, quia universi ipsi Chaldæi sunt viri fortissimi : sagittis ergo suis plurimos in mortem et sepulcrum adigent.

Vers. 17.

17. DEVORABIT, — Chaldæus, *occidet.*

CONTERET (hebraice ירשש *ieroses,* id est eradicabit, id est evertet) URBES TUAS.

Vers. 18.

18. NON FACIAM VOS IN CONSUMMATIONEM, — non omnino vos consumam.

Vers. 19.

19. SERVISTIS DEO ALIENO IN TERRA VESTRA, SIC SERVIETIS ALIENIS IN TERRA NON VESTRA. — Opponit diis alienis dominos alienos, id est Chaldæos, quibus Judæi servient. Rursum, terræ suæ opponit terram non suam; major enim culpa fuit Judæorum quod diis alienis in terra sua servierint, quam si id coacti e rege in aliena fecissent: hinc

(1) Sunt quibus hæc verba «gentem antiquam » descriptioni Chadæorum ab Isaia facta, cap. XXIII, 13, ubi iste populus recens ortus dicitur contraria videntur. Cui difficultati sic occurrit Michaelis (*Spicil. Geogr. Hebr.,* ext. part. II, p. 82). « Id quidem de Chaldæis universim dici nequit, Abranami jam tempore inclytis, et quorum summam antiquitatem laudat Jeremias; at potuerunt in Chaldæa prope Babylonem novi et recentes esse; videturque colonia eorum, nomadum antea errantium, certas ibi sedes ab Assyriorum regibus paulo ante Isaiam accepisse. » Venema hic non solum Chaldæos intelligit, sed maxime Scythas quorum in Asiam, Ægyptum usque, irruptionem describit Herodotus, libro I, cap. CV, CVI. Et revera Scytharum in Palæstinam incursionem Josiæ regis temporibus accidisse, chronographi fere consentiunt (vide Osterii *Annal Vet. Testam.* p. 62; Prideaux, *Connex* t. I, p. 47 et J. G. Frankii, *Nov. System Chron. fundament.* p. 194.) quibus, inquit Rosenmuller, haud refragamur. Illos vero tantam populationem et vastitatem Judææ intulisse, quantam, cap. IV, V, VI, a vate nostro descriptam legimus, vehementer dubitamus, cum et veteris Testamenti libri historici istam Scytharum incursionem plane sileant, et Herodotus plerosque illorum revertentes nullo damno illato Palæstinam transiisse dicat. Præterea non præsentem aut nuperam terræ devastationem vatem describere, sed futuram comminari, universus orationis habitus ostendit, Cf. IV, 11; VI, 11, 15, 21. Cum vers. 4 cap. IV, quæ inde a cap. IV, 5, sequuntur, arcte cohærent, cum quæ cap. IV, 4, denuntiantur mala Judæis immittenda, vers 5 et seqq., vividis coloribus depigantur.

pariter major eis fuit pœna servire in terra aliena, quam in sua. Ita Maldonatus.

Vers. 20. 20. ANNUNTIATE (o Prophetæ) HOC DOMUI JACOB (id est duabus tribubus hæc dicite; unde explicat, subdens) : ET AUDITUM FACITE IN JUDA. — Idem enim est Juda et domus Jacob. Loquitur enim duabus tribubus; non autem aliis decem, utpote quæ jampridem in Assyriam abductæ erant.

Vers. 21. 21. AUDI, POPULE STULTE, QUI NON HABES COR. — Qui non habes sensum, mentem, intelligentiam, sapientiam; qui insipienter, imprudenter et stulte loqueris et agis. Sic *Osee* VII : « Ephraim » vocatur « columba seducta non habens cor; » et *Proverb.* XI : « Qui despicit amicum suum, indigens corde est. »

Cor symbolum est sapientiæ Nota : Cor symbolum est, et secundum Galenum, sedes sapientiæ; unde Poeta :

> Cor sapit, et pulmo loquitur, fel commovet iram,
> Splen ridere facit, cogit amare jecur.

Vers. 22. 22. ME ERGO NON TIMEBITIS? AIT DOMINUS; — si enim ego Dominus vester, ubi timor meus?

ET A FACIE MEA NON DOLEBITIS? — non pœnitebitis; Chaldæus, *non contremiscetis*; Septuaginta, *non formidabitis*. Deus a peccatoribus duo exigit, scilicet timorem et pœnitentiam.

QUI POSUI ARENAM TERMINUM MARI, *q. d.* — Non timebitis me, qui tam validus sum, ut arena re exigua et infirma, quasi muro, totum mare omnesque ejus fluctus coerceam?

ET COMMOVEBUNTUR (fluctus maris, ut sequitur), ET NON POTERUNT, — non prævalebunt termino et littori suo, a Deo præstituto, ut illud transeant et transiliant.

Vers. 23. 23. POPULO AUTEM HUIC FACTUM EST COR INCREDULUM. — Hebraice est לֵב סוֹרֵר וּמוֹרֶה *leb sorer umore*, id est cor recedens et amaricans; quia a me ad idola desciscunt, itaque me exasperant. Septuaginta καρδία ἀνήκοος καὶ ἀπειθής, cor non audiens, neque obediens, *q. d.* Insani maris fluctus mihi obediunt, littoraque et terminos sibi a me præstitutos transgredi non audent; Judæi autem, cum sint homines sani et sapientes, mihi rebellant, mihi, inquam, qui sum potens æque ac liberalis in eos, adeo ut statam perennemque eis dem pluviam, fruges et messem. Unde sequitur:

Vers. 24. 24. QUI DAT NOBIS PLUVIAM TEMPORANEAM (id est autumnalem tempore sementis; ET SEROTINAM, — id est vernam ad messem. Vide dicta capite III, vers. 3.

Quadruplex hujus loci versio. Prima. PLENITUDINEM ANNUÆ MESSIS CUSTODIENTEM NOBIS. — Clare vertit Interpres; Hebræa enim sic habent ad verbum : *qui*, scilicet Deus, *hebdomadis statis messem* (scilicet integram) *servat nobis*.

Secunda. *Secundo*, Aquila, Symmachus et Vatablus vertunt : *Qui hebdomadas statutas* (a se et a natura) *messis custodit nobis*, scilicet hebdomades septem, quæ a Paschate sunt usque ad Pentecosten. Pentecoste enim erat festum hebdomadum, in eaque erat apud Judæos tempus messis; unde ipsi tunc panes primitiarum offerebant. Hic sensus huic loco valde proprius est, eique favent Septuaginta et Chaldæus.

Tertia. Hinc *tertio*, plenius Maldonatus sic vertit, *qui* (scilicet Deus) *hebdomadas præceptorum custodit nobis*, id est reservat nobis serenum tempus ac sudum, spatio septem hebdomadum, quas nos ab oblatione primarum frugum in Paschate, usque ad Pentecosten numerare et observare præcepit, ad ejus providentiam conciliandum, itaque maturandam messem triticeam, utque illa nulla tempestate lædatur.

Quarta. *Quarto*, alii vertunt, *qui juramentis statutis servat nobis messem* (Hebraice enim שְׁבוּעַ *scabua*, significat *primo*, septem; *secundo*, hebdomadam; *tertio*, juramentum : quia olim jurabant per septem, uti dixi *Genes.* XXI, 29, et *Genes.* XXVI, 33), id est qui juxta promissa et juramenta sua, *Genes.* VIII, 22, *Levit.* XXVI, custodit nobis messem.

Vers. 25. 25. INIQUITATES VESTRÆ DECLINAVERUNT HÆC, — averterunt, scilicet statam pluviam et messem a vobis, uti dixi cap. III, 3. Ita S. Hieronymus et Theodoretus.

Vers. 27. 27. SICUT DECIPULA PLENA EST AVIBUS. — *Decipulam* vocat caveam aucupum, in qua ipsi collocant aves cicures, ut alias sua specie et cantu ad se alliciant, itaque illæ in caveam ingressæ capiantur. Unde cavea dicitur *decipula*, eo quod aves decipiat, *q. d.* Sicut decipula aucupum plena est avibus tum decipientibus, tum deceptis : ita domus Judæorum plenæ sunt dolo, id est usuris et fraudibus, itemque bonis per usuras et fraudes partis. Ita S. Hieronymus et Theodoretus, et patet ex sequent.

Vers. 28. 28. PRÆTERIERUNT SERMONES MEOS PESSIME, — *q. d.* Leges meas violarunt pessimis et sceleratissimis suis moribus. Noster Interpres legit דִּבְרֵי *devarai*, id est sermones meos; jam aliis punctis legunt דִּבְרֵי *divre*, idque connectunt cum seq. רַע *ra*, id est *malitiæ*. Unde Maldonatus vertit, *præterierunt verba malitiæ*, id est tam male vixerunt, ut nullis verbis eorum improbitas explicari possit; Vatablus vero, Pagninus et Kimchi vertunt, *superarunt res et facta malitiæ*, id est pessimi cujusque.

Vers. 30. 30. STUPOR ET MIRABILIA (hebraice, *stupor et turpitudo*; Septuaginta, *stupor et horribilia*; Chaldæus, *admiratio et fœditas*, id est res stupendæ et fœdissimæ) FACTA SUNT IN TERRA, — puta in Judæa, nimirum, Prophetæ et Sacerdotes, qui populo debebant esse duces ad bonum, facti sunt ei duces ad malum.

Vers. 31. 31. ET SACERDOTES APPLAUDEBANT. — Sic et Septuaginta et Theodoretus; sed Vatablus, Pagninus, Kimchi et Isidorus vertunt, *sacerdotes accipiebant munera in manibus suis*, vel, *per manus eorum*, scilicet falsorum prophetarum; quia scilicet participes fiebant eorum quæ a populo donabantur, et exigebantur a pseudoprophetis.

Tertio, alii vertunt, *et sacerdotes dominabantur*

(populo) *per manus eorum*, quia scilicet pseudoprophetæ faciebant populum sacerdotibus ad omnia etiam iniqua obsequentem.

QUID IGITUR FIET IN NOVISSIMO EJUS? — Quis erit finis, quæ merces tantorum scelerum? nimirum digna et justa merces erit, extrema calamitas et excidium gentis per Chaldæos. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Hugo, Rabanus et alii.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Proposita crudelitate Chaldæorum, invitat Judæos ad pœnitentiam; sed frustra, quia ipsi protervi a Deo reprobantur. Quare primo, Chaldæis quasi classicum canit ad expugnationem Hierosolymæ. Secundo, vers. 6, eam vocat urbem visitationis, id est, punitionis. Tertio, vers. 9, ait eam racemandam esse. Quarto, vers. 12, direptionem eis intentat ob avaritiam. Quinto, vers. 16, hortatur ut vias patrum antiquas considerent. Sexto, vers. 20, respuit eorum victimas. Septimo, vers. 23, Chaldæorum ferociam describit. Octavo, vers. 27, Judæos inexpiabiles et incorrigibiles vocat argentum et æs reprobum. Nota : In Jeremia est continua quasi declamatio contra peccatum. Hoc enim facem incendii urbis et templi, ac excidii gentium omnium, passim ipse vociferatur, et ad ravim nauseamque pene ingeminat (1).

1. Confortamini, filii Benjamin, in medio Jerusalem, et in Thecua clangite buccina, et super Bethacarem levate vexillum : quia malum visum est ab Aquilone, et contritio magna. 2. Speciosæ et delicatæ assimilavi filiam Sion. 3. Ad eam venient pastores, et greges eorum : fixerunt in ea tentoria in circuitu : pascet unusquisque eos, qui sub manu sua sunt. 4. Sanctificate super eam bellum : consurgite, et ascendamus in meridie : væ nobis! quia declinavit dies, quia longiores factæ sunt umbræ vesperi. 5. Surgite, et ascendamus in nocte, et dissipemus domos ejus. 6. Quia hæc dicit Dominus exercituum : Cædite lignum ejus, et fundite circa Jerusalem aggerem : hæc est civitas visitationis, omnis calumnia in medio ejus. 7. Sicut frigidam fecit cisterna aquam suam, sic frigidam fecit malitiam suam : iniquitas et vastitas audietur in ea, coram me semper infirmitas et plaga. 8. Erudire, Jerusalem, ne forte recedat anima mea a te, ne forte ponam te desertam, terram inhabitabilem. 9. Hæc dicit Dominus exercituum : Usque ad racemum colligent quasi in vinea reliquias Israel : converte manum tuam quasi vindemiator ad cartallum. 10. Cui loquar? et quem contestabor ut audiat? ecce incircumcisæ aures eorum, et audire non possunt : ecce verbum Domini factum est eis in opprobrium, et non suscipient illud. 11. Idcirco furore Domini plenus sum, laboravi sustinens : effunde super parvulum foris, et super consilium juvenum simul : vir enim cum muliere capietur, senex cum pleno dierum. 12. Et transibunt domus eorum ad alteros, agri et uxores pariter : quia extendam manum meam super habitantes terram, dicit Dominus. 13. A minore quippe usque ad majorem omnes avaritiæ student : et a propheta usque ad sacer-

(1) Cum Judæos obstinatis animis in malitia perseverantes non pungebant minæ, nunc pœnas quasi ante oculos subjicit, hostesque illas exsecuturos jam adventantes sistit. Igitur hoc caput inscribi potest : *Executionis denuntiatio*, quæ ita fit :

PRIMO, dat Propheta certa ruinæ indicia, *primo*, ex imperitia ac imbelli Judæorum resistentia, 1-3; *secundo*, ex hostium conspiratione et incitatione mutua ad expugnandam Hierosolymam, 4, 5; *tertio*, ex divino ad urbem destruendam et Judæos ad internecionem disperdendos promulgato mandato, 6-9.

SECUNDO, ne alicui videretur nimis rigidus esse Propheta in annuntiandis Dei judiciis, addit pro decreti justitia rationes, quales sunt : *primo*, obduratio communis omni sexui et ætati, et hinc universim castiganda, 10-12; *secundo*, avaritia sacerdotum et mendacitas pseudoprophetarum, 13-15; *tertio*, malitia utriusque sceleris reluctans divinis monitionibus, 16, 17.

TERTIO, tales adhibet judicii solemnitates, scilicet *primo*, evocatis ad sententiam audiendam gentibus et orbe universo, 18, 19; *secundo*, declaratis Judæis inobedientiæ et hypocrisis reis, vers. 19, 20; *tertio*, pronuntiata in hos sententia perditionis, ab hoste barbaro inferendæ, vers. 21-23.

QUARTO, subnectit additiones, *primo*, de consternatione, vastatione et luctu, hoc Judæorum fatum secuturis, 24-26; *secundo*, de contestata Prophetæ hæc denuntiantis auctoritate, 27; *tertio*, de repetita ut summa totius concionis, exprobratione criminum et reprobatione populi, 28-30.

dotem cuncti faciunt dolum. 14. Et curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia, dicentes : Pax, pax : et non erat pax. 15. Confusi sunt, quia abominationem fecerunt : quin potius confusione non sunt confusi, et erubescere nescierunt. Quam ob rem cadent inter ruentes : in tempore visitationis suæ corruent, dicit Dominus. 16. Hæc dicit Dominus : State super vias, et videte, et interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, et ambulate in ea : et invenietis refrigerium animabus vestris. Et dixerunt : Non ambulabimus. 17. Et constitui super vos speculatores. Audite vocem tubæ. Et dixerunt : Non audiemus. 18. Ideo audite, Gentes, et cognosce, congregatio, quanta ego faciam eis. 19. Audi, terra : Ecce ego adducam mala super populum istum, fructum cogitationum ejus : quia verba mea non audierunt, et legem meam projecerunt. 20. Ut quid mihi thus de Saba affertis, et calamum suave olentem de terra longinqua? holocautomata vestra non sunt accepta, et victimæ vestræ non placuerunt mihi. 21. Propterea hæc dicit Dominus : Ecce ego dabo in populum istum ruinas, et ruent in eis patres et filii simul, vicinus et proximus peribunt. 22. Hæc dicit Dominus : Ecce populus venit de terra Aquilonis, et gens magna consurget a finibus terræ. 23. Sagittam et scutum arripiet : crudelis est, et non miserebitur, vox ejus quasi mare sonabit : et super equos ascendent, præparati quasi vir ad prælium, adversum te, filia Sion. 24. Audivimus famam ejus, dissolutæ sunt manus nostræ : tribulatio apprehendit nos, dolores ut parturientem. 25. Nolite exire ad agros, et in via ne ambuletis : quoniam gladius inimici, pavor in circuitu. 26. Filia populi mei, accingere cilicio, et conspergere cinere : luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum, quia repente veniet vastator super nos. 27. Probatorem dedi te in populo meo robustum : et scies, et probabis viam eorum. 28. Omnes isti principes declinantes, ambulantes fraudulenter, æs et ferrum : universi corrupti sunt. 29. Defecit sufflatorium, in igne consumptum est plumbum, frustra conflavit conflator : malitiæ enim eorum non sunt consumptæ. 30. Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus projecit illos.

1. CONFORTAMINI, FILII BENJAMIN, IN MEDIO JERUSALEM, — ut resistatis Chaldæis. Loquitur ac si Chaldæi jam adessent, ut obsiderent Jerusalem, et ac si dux cives ad urbis defensionem hortaretur. Ita Hugo, S. Thomas et Lyranus. Est ironia. Sciebat enim Jeremias Chaldæos urbem expugnaturos, nec Judæos posse eis resistere. *Secundo*, Chaldæus, Vatablus et Pagninus Hebræum העזו *haizu*, a radice עיז *aiaz*, id est confugere, deducentes, vertunt : *Fugite de medio Jerusalem in arcem Sion*, vel loca tuta, quia hostis adest (1).

FILII BENJAMIN. — Quia, ut ait S. Hieronymus, Jerusalem erat in tribu Benjamin, *Josue* XVIII, 28. Sed Benjamin commixtus erat cum Juda : unde arx Sion dicta est « civitas David, » qui erat ex Juda. Nominat potius « Benjamin » quam Judam, quia Jeremias erat ex Anathoth vico Benjamin, unde cives suos alloquitur.

IN THECUA CLANGITE BUCCINA. — « Thecua » urbs erat non in tribu Zabulon, ut censuit Epiphanius; sed in Juda et Benjamin, sita in monte, sex millibus passuum distans a Bethlehem, et duodecim a Jerusalem : ex qua oriunda fuit sapiens illa mulier Thecuitis, quæ pro Absalone Davidem exoravit, II *Reg.* XIV, 1; huic urbi adjacebat desertum Thecuæ vastissimum, ait S. Hieronymus (2).

Quæres, cur in Thecua clangi jubet? Respondet Lyranus : Quia Thecua erat ad Aquilonem Jerusalem, unde venturus erat Nabuchodonosor. Sed fallitur. Nam S. Hieronymus asserit Thecuam fuisse ad meridiem Hierosolymæ. Respondeo ergo : Causa vera est, quod Thecua munitissima erat et situ, utpote in monte, et muris, et armamentario hastarum, quod ibi constituit Roboam, II *Paralip.* XI, 12, *q. d.* Ibi delectum facite, ibi ex armamentario arma depromite ad repugnandum Chaldæis. Nota : In Hebræo pulchra est paronomasia, in Thecua תיקו *ticu*, *q. d.* In tuba tubificate.

(1) Male hic Septuaginta et Vulgatus, inquit Rosenmuller, verterunt ἐνισχύσατε, *corroboramini*. Videtur quidem illis favere quod sequitur, *medium Hierosolymæ*; verum non est בקרב, *in medio*, ut vertit Vulgata, sed מקרב *de medio*, consentientibus cum impressa lectione non Syro modo et Chaldæo, sed ipsis Septuaginta, ἐκ μέσου vertentibus. Sententia ergo hæc est, ne in ipso quidem Hierosolyma tutos futuros esse Benjaminitas, obsessum ivi urbem, adeoque fugiendum esse. Et tamen Hierosolymam omnes confugisse videntur, in qua tolerarunt obsidionem.

(2) Thecuæ jubet clangendum, ut hoste jam circa Hierosolymam versante aufugiant pastores in altiora deserta. Sita est enim Thecua ad initium deserti Arabici, ut ex Hieronymo in *Amos* liquet : « Ultra non est viculus, ne agrestes quidem casæ, usque ad mare Rubrum. »

ET SUPER BETHACAREM LEVATE VEXILLUM. — « Bethacarem » vicus est medius inter Jerusalem et Thecuam in monte; a vinetis dictus est « Bethacarem, » id est domus aut villa vineæ, *q. d.* O Hierosolymitæ, arma corripite, et in Thecua clangite, et in Bethacarem levate vexillum, colligite milites ad resistendum hosti.

Nota : Pro *vexillum* hebraice est משאת *maset*, id est elevatio; Septuaginta vertunt, *signum*; Pagninus, *turrim;* Vatablus, *ignem et fumum*, ut scilicet eo in altum elevato, moneant vinitores et agricolas hostem adesse, ut se in urbem et in tuta loca recipiant.

2. SPECIOSÆ ET DELICATÆ (mulieri) ASSIMILAVI FILIAM SION. — Ita vertunt S. Hieronymus, Chaldæus et Theodoretus; sed Kimchi, Vatablus et Pagninus pro *speciosæ* vertunt : *mulieri quæ habitat in tentorio suo cum summa tranquillitate :* utrumque enim significat Hebræum נוה *nava, q. d.* Filiam Sion, id est Jerusalem, similem feci mulieri pulcherrimæ, ob ædificia et arcem Sion pulcherrimam; et delicatæ, quia cives ejus ditavi; unde ipsi divites in deliciis vivunt, *q. d.* Sicut mulieres delicatæ, teneræ et pulchræ, consternantur ad hostis et tubæ sonum : ita et Hierosolymitani ad adventum Nabuchodonosoris percellentur, quia otio et deliciis assueverunt. Ubi nota, τὸ *assimilavi* tam significare, similem effeci, quam similem esse pronuntiavi, juxta *Can.* XXIX.

3. AD EAM VENIENT PASTORES (id est principes et duces Nabuchodonosoris), ET GREGES (id est turmæ et exercitus) EORUM (quisque principum) : PASCET (id est reget) EOS QUI SUB MANU SUA SUNT, — ut figant tentoria sua circa Jerusalem ad ejus obsidionem. Ita S. Hieronymus, Theodoretus et Chaldæus.

Nota : Pro רעים *roim*, id est *pastores*, legi potest רעים *reim*, id est amatores, venient, *q. d.* Chaldæi, quasi amasii, per gladios et tela ruent, ut potiantur Sion quasi sponsa tam speciosa et opulenta.

Secundo, pro *pascet unusquisque eos qui sub manu sua sunt*, hebraice est, *pascet quisque manum*, id est aciem et turmam, *quæ sub ejus est manu*, id est potestate ac imperio. Ita S. Hieronymus et Theodoretus. Aliter Kimchi, Pagninus et Vatablus, *manum*, inquiunt, id est locum suum, *quisque principum depascet*, id est quisque suam urbem vel locum urbis sibi assignatum expugnabit.

4. SANCTIFICATE. — Id est solemni et publico ritu bellum hoc contra Judæos quasi sacrum indicite, et, ut Septuaginta ac Chaldæus vertunt, *præparate;* Syrus et Arabicus, *parate, congregate.* Sic *sanctificare jejunium, Joel.* I, 14, est solemne et sacrum jejunium omnibus indicere. Verba sunt Chaldæorum, quæ ideo Propheta recitat, ut ostendat quam avide contra Jerusalem pugnaturi sunt, ut non tantum die, sed et nocte contra eam dimicent.

Bellum contra Judæos sanctum erat tripliciter. Primo. Secundo.

Nota Chaldæos bellum contra Jerusalem vocare sanctum. *Primo*, quia censent se pro Deo ejus injurias ulcisci, eique quasi restituere honorem et sanctitatem, puniendo ejus violatores Judæos.

Secundo, quia erant quasi Dei milites et consecrati sacerdotes, ut ejus sanctam voluntatem et justam sententiam implerent, ut scilicet Judæos, quasi hostias piaculares, Deo jugularent. Ita S. Hieronymus et D. Thomas.

Tertio, vocant hoc bellum sanctum, id est quod violare, a quo discedere non licet, nisi facta ultione : sicut muri dicuntur sancti, quos transilire non licet. Unde, ascendamus, inquiunt, in meridie et in nocte, id est etiamsi urgeat æstus, etiamsi nox gelida, urgeamus oppugnationem. Ita Lyranus : Bellum, inquit, hoc erat sanctum, id est firmum et inviolabile. Tertio.

Nota : Hanc Dei voluntatem de punienda per Chaldæos Jerusalem, intelligere potuerunt Chaldæi ex scriptis *Jeremiæ*, vers. 5 et 6, et aliorum Prophetarum. Unde Nabuchodonosor, capta Jerusalem, omnia quæ Jeremias petiit, et indulsit, cap. XXXIX, 11.

Sic Cyrus ex Isaia sibi a Judæis ostenso, cognovit se monarchiam Babylonis eversurum, ut dixi *Isaiæ* XLV, 1.

Sic Alexandro victoriam contra Persas ex prophetia Danielis promiserunt Judæi, et Jaddo pontifex in visione ei apparens hortatus est ad idem bellum, eique Asiæ imperium addixit, teste Josepho, lib. XI *Antiq.* VIII. Cyrus et Alexander ex Isaia et Daniele præsciverunt suas victorias.

Nota, *secundo*, hanc Dei voluntatem non dedisse jus aut potestatem Chaldæis invadendi Judæos, sed præsupposuisse eorum tyrannidem et dominandi libidinem, eaque uti voluisse, eamque ordinasse ad punitionem Judæorum. Est itaque hic et alibi tantum prophetia seu prædictio futuræ per eos vastationis, ejusque ordinatio ad punienda Judæorum scelera. Sic Totila, Gensericus et alii fuerunt flagellum Dei, uti nunc Turcæ.

Adde, etiamsi fuisset Dei voluntas jubens Chaldæis ut everterent Jerusalem, Chaldæos tamen, non ut Dei voluntati, sed ut suæ ambitioni satisfacerent, invasisse Jerusalem. Vide *Can.* XXXVI.

VÆ NOBIS! — Sunt Chaldæorum verba, ut dixi, dolentium valde ex nimio desiderio capiendæ Jerusalem de expugnationis mora, *q. d.* Væ nobis, quia non expugnavimus Jerusalem ante vesperam cum longiores sunt umbræ! surgite, ascendamus rursum nocte, ut rem conficiamus. Ita Theodoretus, Hugo, Lyranus, Vatablus. Aliter S. Hieronymus, S. Thomas et Sanchez explicant, ut sint querelæ et verba populi obsessi, *q. d.* Si per diem hæc patimur, quid de nocte in tenebris, cum nullus fugæ aut pugnæ est locus, patiemur? Insuper Sanchez per meridiem accipit prosperitatem, per noctem adversitatem. Hoc mysticum videtur.

6. QUIA HÆC DICIT DOMINUS — Chaldæis. Innuit Deum Chaldæos adduxisse, eisque per naturalem instinctum et dictamen artis bellicæ suggessisse modum capiendi Jerusalem, dicendo : « Cædite lignum ejus, » id est arbores quæ circa Jerusalem Vers. 6.

sunt, ut ex lignis aggeres faciatis, ex quibus contra eam dimicetis.

HÆC EST CIVITAS VISITATIONIS, — id est punitionis : Chaldæus, *cujus peccata visitantur, q. d.* Hæc urbs punienda est a Deo, et pœnæ ac excidio addicta, est piaculum, est catharma : quia omnis calumnia, oppressio et injustitia regnaverunt in ea.

Vers. 7. 7. SICUT FRIGIDAM FECIT CISTERNA AQUAM SUAM (cisterna enim aquam infrigidat, itaque conservat), (sic) FRIGIDAM FECIT (Jerusalem) MALITIAM SUAM, — scilicet in operibus suis malis omnem calorem virtutis, et vitam gratiæ exstinguens. Ita S. Hieronymus. *Secundo*, sicut cisterna, ait Theodoretus, mutat pluviam, et aquam etiam calidam in frigidam : ita Jerusalem bonitatem mutavit in malitiam. *Tertio*, Chaldæus, *sicut cisterna sustentat et conservat frigidam : ita Jerusalem recipit, fovet et tuetur* (datque asylum) *impios*. *Quarto* et nervose, Sanchez : Sicut cisterna lapidea in hieme stringit et conglaciat aquam in se stantem, et quasi stagnantem : ita Jerusalem, et quivis animus, in quo aliquandiu insedit peccatum, concrescit in glaciem, aut instar crystalli vel adamantis ita durescit, ut neque ab igne aut sole emolliri, neque malleo conteri et frangi queat : ea est vis consuetudinis, præsertim diuturnæ et inveteratæ. Hinc et Galfridus, et ex eo Delrio, *adagio* 825 : « Frigidam, inquit, facit cisterna aquam, quoties in quadam insensibilitate perpetratam conservat mens obstinata malitiam, » nec tantum conservat, sed et auget instar cisternæ; quæ quo profundior est, eo plures et frigidiores habet aquas : ita obstinatus profunde peccatum in corde defodiens, illud adauget, præsertim hæreticus, ait Hugo; hic enim auditores infrigidat, esto zelum præ se ferat.

Notat S. Thomas peccatum dici *frigus*, *primo*, quia exstinguit calorem dilectionis; *secundo*, quia congelat humorem devotionis; *tertio*, quia retardat motum bonæ operationis; adde *quarto*, quia inducit gelu obdurationis.

Nota *secundo*, Hebræum הקיר *hakir* a radice קור *kur*, significat venam aquæ fodere, scaturire, ebullire. Unde *secundo*, sic efficacius verti potest : Sicut fons vel puteus fundit, ebullit et scaturire facit perennem aquam frigidam : sic Jerusalem perennem fundit et ebullit malitiam. Ita R. Salomon, Kimchi, Pagninus, Vatablus, Lyranus et Maldonatus.

INIQUITAS. — Hebraice חמס *chamas*, id est violentia, vis, rapina.

VASTITAS. — Hebraice שוד *scod*, id est vastatio, spoliatio, qua scilicet potentes opprimunt pauperes, semper est in Jerusalem : sicut aqua semper est in puteo. Aliter Sanchez : censet enim hæc quatuor attribui Deo punienti; iniquitatem enim sumi pro iniquitatis supplicio.

CORAM ME SEMPER INFIRMITAS. — Septuaginta *dolor*, quem scilicet sustinent pauperes afflicti et attriti a potentioribus.

ET PLAGA. — Hebraice מכה *macca*, id est percussio qua potentes feriunt et flagellant pauperes, *q. d.* Jugiter video Judæos affligere et percutere paupères et innocentes. Enumerat scelera Jerusalem. Chaldæus tamen et Hugo duo ultima, scilicet *infirmitas et plaga*, quibus scilicet percutiam Jerusalem, referunt ad pœnam duorum scelerum præcedentium, scilicet iniquitatis et vastitatis.

8. ERUDIRE, JERUSALEM (resipisce, ad mentem redi, mores commuta), NE FORTE RECEDAT ANIMA MEA A TE. — « Anima, » id est affectus, amor, favor, cura, *q. d.* Ne te abjiciam, tradamque hostibus vastandam (1).

9. USQUE AD RACEMUM COLLIGENT, — *q. d.* Sicut Vers. 9. post vindemiam racemi reliqui leguntur in cartallo, id est canistro, ut ferantur ad torcular, vel potius ut comedantur : ita plerique omnes Judæi, etiam qui alias captivitates sub Joakim et Joachim evaserint, sub Sedecia captivi trahentur in Babylonem. Ita S. Hieronymus.

CONVERTE MANUM TUAM AD CARTALLUM. — Sunt verba Dei ad Chaldæos, ait Lyranus, vel Chaldæorum ad se invicem, ut subaudiatur, *dicentes, Converte*, etc.

Pro *cartallo* Lyranus vertit, *iteratas scrutationes;* quasi hortentur se Chaldæi, ut secundo et tertio scrutentur vineam, id est Jerusalem, an qui racemi, id est cives, sint reliqui, *q. d.* Sicut vindemiator postquam vindemiavit redit, et racemat, id est colligit racemos, si quos reliquerat, in cartallo, id est canistro : sic Chaldæi, cum primores civitatis captivos duxerint, ducent etiam infimos quosque. Ita Maldonatus.

Tropologice, hic vindemiator et racemator est dæmon, qui semper « circuit quærens quem devoret, » ut residuos homines, vel opera bona quæ prius præterierat, disperdat.

10. CUI LOQUAR? (Verba sunt Dei, vel Jeremiæ, Vers. 10. *q. d.* Cum hæc ita sint uti vociferor, frustra tamen eis loquar, quia) AURES EORUM (sunt) INCIRCUMCISÆ. — Chaldæus, *obturatæ*, ideoque ad audiendum ineptæ. Vide dicta cap. IV, vers. 4.

VERBUM DOMINI FACTUM EST EIS IN OPPROBRIUM, — id est rident illud, et habent probro ac contumeliæ.

11. IDCIRCO FURORE DOMINI PLENUS SUM. — Possunt Vers. 11.

(1) Hierosolymam frequenter arguit ignorantiæ et cæcitatis; monet hic ut erudiatur, discat quid officii sui sit, docilem sese ac subjectam exhibeat, nisi a Deo destitui velit. Nulla est ex ignorantia excusatio, ubi ignorantiam sponte et consulto velis; novum potius ex ea peccatum oritur, quo fit ut Deus ab homine secedat. Non una est illi homines docendi ratio. Rebus prosperis erudit et adversis, bonorum hominum opera et malorum; interius loquitur exteriusque. Væ qui audire negligunt, et animum obdurant! Certum usque ad finem patienti animo fert; at deinde hominem in sua ipsius libidine relinquit : « Non audivit populus meus vocem meam, et Israel non intendit mihi : et dimisi eos secundum desideria cordis eorum; » alibi : « Curavimus Babylonem, et non est sanata : derelinquamus eam. » (Calmetus.)

hæc accipi quasi verba Dei, *q. d.* Quia tanta est Judæorum malitia, idcirco furore Domini, id est ira vehementi, plenus sum; ita ut in corde meo eam cohibere et compescere nequeam; do ergo illi habenas: quare ensem evaginabo, distringam illum, et effundam naso flatum, vultu flammas, manu hostium meorum sanguinem. Sed verius est hæc esse verba Prophetæ, *q. d.* Nolunt viri audire verbum Dei; ideo indignor, et furore, id est zelo justitiæ, angor, vim facio ut verbum Domini apud me contineam, sed non valeo. Addit Sanchez : Furor, ait, est vehemens ille Spiritus, qui Prophetæ animum ad prophetandum exstimulat, urget, nec sinit esse quietum. Unde et Cicero, lib. I *De Divinat.* : « Interest, inquit, animis præsagitio intrinsecus injecta, atque inclusa divinitus; ea si exarsit acrius, furor appellatur, cum a corpore animus abstractus divino instinctu concitatur. » Verum Gentilium fuit iste cæcus et impotens, utpote a dæmone abreptitiorum, furor in divinando, non Prophetarum Dei, uti dixi in Proœmio. Furor ergo hic est ira et zelus vindictæ, Jeremiæ aspiratus a Deo, ad arguendum sceleratos, eisque intentandum minas et plagas cœlestes.

LABORAVI SUSTINENS (id est non possum me continere; hinc mihi ipsi dico) : EFFUNDE (o Jeremia, hunc furorem et funestum verbum Domini, in) PARVULOS (et in) CONCILIUM (id est cognationem) JUVENUM,— ut ipsi illud patribus et avis narrent; aut saltem sciant et doleant se cum patribus rebusque omnibus capiendos. Septuaginta addunt, *et non consumpsi eos.*

12. EXTENDAM MANUM MEAM, — percutiam incolas Judææ.

Vers. 13. 13. QUIPPE OMNES AVARITIÆ STUDENT. — « Omnes, » id est plerique, multi. Nota τὸ *quippe* : dat enim causam præcedentium, significatque avaritiam Judæorum, usuras et fraudes, causam esse cur eorum domus et bona diripienda sint a Chaldæis. Ita excubat Dei justa vindicta, ut in quo quis peccat, in eo et puniatur : rapis bona proximi, scito alium quoque tua direpturum : calumniaris, calumniam patieris : occidis, occideris.

14. ET CURABANT (Prophetæ et sacerdotes, id est curare et avertere nitebantur) CONTRITIONEM, — id est plagam, puta vastationem et captivitatem imminentem et incipientem. Rursum curare, id est consolari, nitebantur « contritionem, » id est dolorem; quem instante vastatione, quam illi comminabar, populus concipiebat. Sed « cum ignominia, » id est ignominiose; Chaldæus, *mendaciter;* Vatablus, *verbis leviculis,* quasi per jocum; Septuaginta, *parvi pendentes* vel contemnentes, scilicet minas meas et Prophetarum, vel « cum ignominia, » id est ad ignominiam, uti vertit Noster cap. VIII, vers. 11, et confusionem, qua populus ab eis deceptus confundetur et pudefiet; dicunt enim : Pax erit nobis, non veniet Nabuchodonosor; sed mentiuntur. Quocirca « dum repromittunt prospera, et clementem prædicant Deum, magis illos supplicio et iracundiæ præparant, » ait S. Hieronymus. Unde pudefient omnes, cum se falsos, ac reipsa vastari capique videbunt. Vere S. Augustinus, in *Sententiis,* num. 77 : « Sicut præpostera securitas in periculum impellit, ita ordinata sollicitudo securitatem parit; » et num. 199 : « Nunquam secura esse debet felicitas, quia periculosiora sunt animo secura quam corpori adversa; prius enim corrumpunt prospera, ut inveniant adversa quem frangant. »

15. CONFUSI SUNT, — confundentur in vastatione futura : ita Lyranus et S. Thomas; vel, ut Theodoretus « confusi sunt, » quia tunc patebit eos falso dixisse : Pax erit Judæis.

QUIN POTIUS CONFUSIONE NON SUNT CONFUSI, — quia, cum eos scelerum et cladium imminentium admonui, non eos puduit, non pœnituit.

Secundo, S. Hieronymus, Rabanus, Hugo, Pagninus et Vatablus apte legunt per interrogationem : Numquid confusi sunt, cum tot abominationes fecerint? numquid erubuerunt? et respondet : Quin potius confundi et erubescere nescierunt.

Huc pertinet explicatio Sanchez, qui assertive legit, sed sic explicat : « Confusi, » id est confusione digni, « sunt, » sed actu et reipsa « non sunt confusi, » *q. d.* Confundi debuissent Judæi, si sua scelera, ut par est, perpendissent et ponderassent : sed tanta est eorum nequitia aut stupor, ut nolint aut nesciant confundi, vel erubescere.

IN TEMPORE VISITATIONIS, — cum eos puniam. Prophetæ enim sæpe *visitare* ponunt pro *punire,* per metalepsin : prætor enim dum visitat sontes, eos plectit.

16. HÆC DICIT DOMINUS : STATE SUPER VIAS, — *q. d.* Speculamini et considerate vias, id est vivendi rationes, et « semitas antiquas, » id est quomodo vixerint majores vestri et Patriarchæ, ac imitamini fidem Abrahæ, Isaaci obedientiam, Jacobi labores, Josephi castitatem, Mosis mansuetudinem, Jobi patientiam, Davidis sanctitatem. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Rabanus, Hugo et Vatablus. Vere Poeta :

> Qui veteres linquit calles, sequiturque novatos,
> Sæpius in fraudes incidet ille suas.

Secundo, S. Thomas, Lyranus et Dionysius, *q. d.* Speculamini quasi ex edito loco, quæ sit optima via ac vivendi ratio; considerate majorum vestrorum et bonorum et malorum bonos vel malos, felices vel infelices exitus; et videte an bonos sequi cum bono exitu, an malos cum malo velitis.

Hæc verba sibi dicta putent singuli fideles : Christianus es? speculare vias antiquas, vide quomodo vixerit Christus et primi christiani, quam fuerint humiles, sobrii, amabiles, patientes, zelosi, eosque imitare. Pastor es? Episcopus es? speculare vias antiquas, vide quomodo vixerint Apostoli, et primi Pastores ac Episcopi, S. Ignatius, Polycarpus, Dionysius, etc. Vide quomodo non

sua lucra, non suos honores quæsierint, sed fidelium saluti se totos, vitamque ipsam per martyrium impenderint, eosque imitare. Religiosus es? speculare vias antiquas, quomodo vixerint S. Marcus, Esseni, S. Antonius, S. Basilius, S. Hieronymus, Bernardus, Dominicus, Franciscus, S. Thomas, quam mortui fuerint et crucifixi mundo, quam eorum vita et conversatio fuerit angelica et cœlestis, eosque imitare.

Vers. 17. 17. ET CONSTITUI SUPER VOS SPECULATORES, — Prophetas et Doctores, qui futura prævident et prænuntiant, ut eorum vocem quasi tubam meam audiatis. Ita S. Hieronymus, Chaldæus et Theodoretus. Alii, ut Vatablus sic exponunt, *q. d.* Speculatores, id est Prophetæ, prænuntiant vobis vocem Chaldæorum tuba concrepantium; illam ergo tubam audite.

Vers. 18. 18. COGNOSCE, CONGREGATIO (scilicet omnium gentium), QUANTA EGO FACIAM EIS. — Hebraice *quæ eis*, scilicet Judæis, supplicia a me imminent.

Vers. 19. 19. FRUCTUM COGITATIONUM. — Chaldæus retributionem operum, id est supplicia machinationibus ejus digna infligam.

20. UT QUID MIHI THUS DE SABA AFFERTIS? — Thus enim gignitur in Arabia Sabæa. Porro omnium gentium usu thus adoletur Deo : unde thus dicitur ἀπὸ τοῦ θύειν, a sacrificando. Alludit Saba (imo nonnulli putant hoc ejus esse etymon) ad σέβειν et σέβεσθαι, id est venerari et revereri; quia thus mittit, quo Deum veneramur. Hinc et Sabim Arabes Deum appellant, illique decimas mensura, non pondere persolvunt : sicut prisci Italiæ indigenæ et Aborigenes, a religione et deorum cultu dicti sunt Sabini, quasi Sebini, ἀπὸ τοῦ σέβειν, ait Plinius, lib. III, cap. XII, licet Silius, lib. III, a Sabo gentis auctore Sabinos dici putet. Sunt qui dicant Saba, Arabum lingua, significare mysterium. Hebraice Saba significat conversionem, uti Sabæi ab idolis dicuntur convertendi ad Christum, *Isaiæ* cap. LX, 6. Ita S. Hieronymus.

ET CALAMUM SUAVE OLENTEM (id est calamum aromaticum), DE TERRA LONGINQUA; — afferebatur enim ex India, inquit S. Hieronymus.

Nota : Pro *calamo* Septuaginta et Theodotion vertunt, *cinnamomum*. Sed קנמון *kinnamon*, id est cinnamomum (unde perperam nonnulli *cinnamomum* dictum putant quasi *Chinæ amomum*, præsertim cum non e China, sed ex India advehatur), a קנה *kane*, id est calamo, distinguitur *Exodi* cap. XXX, vers. 23. Alii calamum putant esse cannam, sive casiam fistulam; sed ab hac pariter distinguitur calamus, *Exodi* XXX, 23. Ex quo loco patet, hic calamum aromaticum accipi debere : ex eo enim cum cinnamomo, myrrha, casia et oleo commixto, fiebat non thymiama, sed unguentum, quo ungebantur et consecrabantur tam sacerdotes, quam vasa tabernaculi, uti dixi *Exodi* XXX, 23.

Jam sensus est, *q. d.* Frustra ex lege mihi offertis holocausta, thus et unguenta vestra, quia meam voluntatem in lege expressam non facitis : ego enim magis morum emendationem, quam sacrificiorum et unguentorum oblationem specto et jubeo. Ita S. Hieronymus. Idem habet Isaias, cap. I, vers. 11 : « Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? » etc.

21. DABO IN POPULUM ISTUM RUINAS, — strages scilicet et clades, in quas incident et corruent. Potest, *secundo*, esse hypallage : « Dabo in populum ruinas, » id est dabo populum in ruinas, quibus prosternetur et corruet. Sic dicunt Hebræi : Miserunt civitatem in ignem, id est miserunt ignem in civitatem; habuerunt calceamenta in pedibus, id est habuerunt pedes in calceamentis. Vers. 21.

23. PRÆPARATI (venient Chaldæi) QUASI VIR AD PRÆLIUM. — Septuaginta, *quasi ignis ad bellum*, quia pro איש *is*, id est *vir*, legerunt אש *es*, id est ignis. Vers. 23

24. AUDIVIMUS FAMAM, — *q. d.* Solo rumore et fama adventus et ferocitatis Chaldæorum perculsi, et pene exanimati sumus. Verba sunt Jeremiæ et Prophetarum sociorum Jeremiæ, qui hic loquuntur in persona Judæorum. Est ergo ethopœia : imitatur enim et exprimit affectus et voces populi, ad famam hostium trepidantis, mortemque et dira quæque præstolantis. Vers. 24.

25. NOLITE EXIRE AD AGROS. — Inducit Judæos loquentes alios aliis, ac si hostes jam obsiderent Jerusalem. Vers. 25.

QUONIAM GLADIUS INIMICI, PAVOR (id est hostis armatus, pavendus et pavorem incutiens, est) IN CIRCUITU — Jerusalem.

26. FILIA POPULI MEI (o Jerusalem! o populo mi dilecte ut filia), ACCINGERE CILICIO. Vers. 26.

LUCTUM UNIGENITI. — Id est vehementissimum, qui solet fieri mortuo unigenito.

FAC TIBI. — Verba sunt aut Prophetæ aut Dei.

27. PROBATOREM DEDI TE. — Vatablus *excoctorem dedi te* : hoc enim est בחון *bachon*; Syrus vertit, *scrutatorem*; et Arabicus, *feci* (constitui) *te ut scruteris et consideres opera populi mei*. Aliter vertit Chaldæus, *electum posui te in populo, quasi munitionem fortem*. Aliter quoque Pagninus et Kimchi : Munitionem vel arcem et turrim munitissimam et probatam dedi te. Verba sunt Dei, *q. d.* In te, o Jeremia, sua tela, et odia et maledicta conjicient Judæi, quasi in rupem vel propugnaculum, ac probatus evades et probator eorum. Sicut enim ad lydium lapidem affricando probatur aurum : sic mores et malitia Judæorum, tibi quasi lapidi probato et robusto affricta, tuam invincibilem constantiam et veram prophetiam, ipsorum vero malitiam et apostasiam ostendet; hoc enim est quod subdit : « Et scies et probabis viam eorum. » *Secundo*, et potius, « probatorem » id est conflatorem, ut jam patebit ex sequentibus. Vers. 27.

ROBUSTUM. — Aquila vertit, *munitum*; Symmachus et Septuaginta, *clausum et circumdatum*; « robustum » ergo, id est interritum et impavidum ad omnem vim et minas, utpote Dei ope vallatum, qui simul tibi animos et audaciam hanc aspirat et indit,

Vers. 28. 28. OMNES ISTI PRINCIPES DECLINANTES. — Hebræus, *omnes isti principes rebellium*; aut rebelles rebellium, id est nobilissimi et maximi rebelles sunt.

ÆS ET FERRUM : UNIVERSI CORRUPTI SUNT. — Sicut æs vitiatur et chalybs cum ferro miscetur, videtur enim totum esse chalybs, cum mixtum ferro: ita hi Judæi commixti sunt, et pleni fraude et dolo. Ita Chaldæus et alii. Unde Theodotion, *adulterini*, ait, *sunt, nihil habentes probi*.

Secundo, Vatablus, S. Thomas et Lyranus sic explicant, *q. d.* Duri sunt et impudentes, uti æs et ferrum, quod pulsatum, resonat fortissime. Hinc et Hugo censet in ære quod percussum remurmurat, notari impatientiam; in ferro, quod ad incudem magis induratur, et in igne magis denigratur, eorumdem in sceleribus obdurationem. Simile est *Job* XL, 13.

Tertio, pro *corrupti* cum Chaldæo verti potest, *corrumpentes*, *q. d.* Sicut æs mixtum argento, illud corrumpit; et sicut ferrum æri mixtum, illud corrumpit: sic Judæi hi et se et alios corrumpunt. Plato apud Eusebium, lib. XII *Præp.* cap. XXV : Omnes, ait, in urbe fratres sumus : sed cum Deus nos fingeret, aurum cum illis miscuit, qui apti sunt ad gubernandum; argentum cum illis, qui armis urbem defendunt; ferrum et æs agricolis et opificibus infudit : quod si aurum, id est magistratus, in argentum; aut argentum, id est milites, in æs, id est agricolas, degeneret, civitas destruetur.

Homines alii ex auro, alii ex argento, alii ex ære.

Quarto, Delrio, *adagio* 229, explicat, *q. d.* Qui argentum doctrina, et aurum charitate et vita esse debebant, hi vita et moribus se ferrum, doctrina vero æs tinnulum exhibuerunt, videbantur esse quod non erant.

Quinto, Isidorus Clarius exponit de ministris, qui dominorum suorum jussa inhumana exsequebantur contra inopes : æs enim et ferrum ad arma fabricanda conjunguntur. Sensum ergo esse, *q. d.* Alter alteri copulatur ad perpetranda scelera, ad eaque vires, studia et arma conjungunt.

Vers. 29. 29. DEFECIT SUFFLATORIUM. — Syrus, *abrasum est* (exutum, corruptum est, defecit) *sufflatorium ab igne*. Nota, *primo*, Jeremiam hic a Deo statui probatorem, id est conflatorem, ut scilicet probet et purget viam et mores populi delinquentis; populum vero quasi argentum firmissimo ære commixtum nulla ratione potuisse purgari. Unde nota *secundo*, argento aliisque metallis adulteratis, ut per conflatorium vi ignis separetur scoria, et materia aliena, admisceri plumbum : et sic melius fluit argentum, et minori detrimento repurgatur. Dum enim ignis agit in plumbum, illique quasi pabulo sibi congruo totus incubat, minus agit in argentum; unde illud illæsum evadit, sed repurgatum; quocirca mystice multi per plumbum, utpote metallorum imum et maxime terrestre, accipiunt memoriam mortis, quæ animum humiliando, facit ut vincamus omnes tentationes carnis et mundi. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, S. Thomas et alii. Ita olim fiebat antequam nota esset argenti vivi efficacia ad id ipsum præstandum. Plumbum enim magnam vim habet separandi scoriam aliaque mixta, quia vim habet liquandi. Audi Mathiolum in *Dioscor.* lib. V, cap. LVIII : « Plumbum, inquit, miscetur conflationi, quia plumbi adminiculo facilius metalla igni cedunt. » Quod si argentum purgandum ita pertinax sit, ut hac ratione non purgetur, tum plumbum omne si semper in igne persistat, tandem consumitur, et in fumum abit ac evanescit, nulla facta circa argentum et aurum operatione aut purgatione. Nam alias signum plenæ purgationis auri vel argenti ab ære et scoria est, cum plumbum plane cum ære et scoria in fumum abiit : tunc enim reliquum est solum purum aurum vel argentum. Plumbo liquari et purgari metalla docet quoque Nicetas in orat. 44 *Nazianzeni*, et S. Cyrillus in *Zachar.* IV, 10, qui et addit plumbo frangi adamantem; quod tamen gemmarii et conflatores negant. Rursum S. Hieronymus in *Zachar.* IV, 20, asserit stanno (cui affine est plumbum) liquari et purgari metalla. Verum aurifices Romani, qui præcellentes sunt, a me consulti, constanter de stanno id negant; de plumbo affirmant, eo scilicet purgari aurum et argentum ab ære admixto : æs enim cum plumbo in fumum abire, itaque remanere purum aurum et argentum.

Plumbi in conflando olim usus.

Unde *tertio*, Jeremias est conflator; follis seu sufflatorium est os Jeremiæ; flatus est ipsa ejus a Deo afflata increpans prophetia; plumbum est assiduitas et diligentia in prædicatione, sive instantia et pondus verborum et minarum, argentum impurum et adulteratum sunt Judæi; æs et ferrum sunt eorum doli et nequitiæ duræ pertinaces, impudentes. Follis defecit, id est vox Prophetæ rauca facta est : plumbum consumptum est, id est omnis diligentia prædicandi inanis fuit, omnis exhortatio Dei et Prophetarum apud Judæos periit, quia ipsi audire contempserunt, ideo malitiæ eorum non sunt consumptæ. Unde « argentum reprobum vocate eos, » quia impurgabiles et inexpiabiles sunt. Ita S. Hieronymus, Lyranus, D. Thomas et Vatablus. Similem allegoriam et sententiam habet Ezechiel, cap. XXIV, 12. Hinc infert S. Thomas : « Quod ergo aliquis frequenter rigetur præceptis salutaribus, signum est reprobationis si persistat in peccatis : » idque probat ex S. Paulo, *Hebr.* VI, 7 et 8.

Pulchra allegoria conflationis et prædicationis.

Jeremias est probator et conflator populi.

Aliter Maldonatus : Follis, inquit, erant Chaldæi; prunæ erant eorum cædes et rapinæ; iis enim quasi carbonibus Deus excoquebat Judæorum peccata; ignis erat ira Dei; plumbum erant corpora et bona omnia Judæorum, in quibus a Deo puniebantur : multo enim plumbo parum argenti misceri solet, quod excoquendo separatur : sic inter multos impios Judæos pauci pii separati et servati sunt. Hic sensus priori, qui aptior et plenior est, aptari et connecti potest. Jeremias enim erat probator et conflator Judæorum, hoc ipso quo Chaldæorum vastationem eis intentabat.

Allegorice Hugo Cardinalis : Plumbum, inquit, est humanitas Christi, quæ in fornace passionis consumpta est, ut omnes peccatorum fæces a nobis separaret; et tamen jure optimo conqueri potest, quod malitiæ non sint consumptæ, et quod conflator frustra conflaverit, eo quod pauci purgati fuerint. Qua de re ipse per Isaiam conqueritur cap. XLIX, 4 : « In vacuum laboravi, sine causa et vane fortitudinem meam consumpsi. »

Tropologice, Prælati officium est, subditorum virtutem probare, an vera sit, an simulata, uti docet S. Gregorius, II part. *Pastor.* cap. X.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jubet Deus Jeremiæ, ut stet in porta templi, ibique increpet Judæorum idololatriam, asseratque eos nec ob templi sanctitatem, nec ob sacrificiorum frequentiam, excidium evasuros. Primo ergo, vers. 1, *obterit vanam confidentiam dicentium,* Templum Domini. *Secundo, vers.* 11, *dicit eos templum fecisse speluncam latronum; illi ergo excidium simile Silo comminatur. Tertio, vers.* 16, *vetat ne Jeremias pro eis oret, suæque iræ obsistat, eo quod placentas offerant reginæ cœli. Quarto, vers.* 21, *respuit eorum victimas. Quinto, vers.* 30, *dicit eos occidendos in Topheth, eo quod ibi filios cremarint idolo Moloch* (1).

1. Verbum, quod factum est ad Jeremiam a Domino, dicens : 2. Sta in porta domus Domini, et prædica ibi verbum istud, et dic : Audite verbum Domini, omnis Juda, qui ingredimini per portas has, ut adoretis Dominum. 3. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel : Bonas facite vias vestras, et studia vestra : et habitabo vobiscum in loco isto. 4. Nolite confi-

(1) Hic incipit sectionis primæ sermo tertius nova signatus inscriptione, qui usque ad finem capitis IX continuatur, quod arguit æquabilis, qui in tribus hisce capitibus servatur argumenti et sermonis tenor.

Porro hæc concio non fuit, ut duæ quæ præcedunt tempore Josiæ regis, habita haud longe post restauratum a Josia templum et repurgata ab eo sacra, sed probabiliter primis Joakim, filii ejus regnantis, annis; quod argumentis plurimis comprobavit Venema : « Primum enim, inquit, casus Jeremiæ, quo in discrimen vitæ venit, infra cap. XXVI, 1-6, narratus, in principio regni Joakim, diserte a concione repetitur in atrio templi habita, qua, templum esse desolandum, et urbem destruendam instar *Silo*, declaraverat nomine Dei. Quod nusquam tam expresse factum legimus, quam in hac concione, cap. VII, 2, 12. Accedit, cap. XXVI, non recitari concionem, sed digitum tantum in eam intendi, et narrari, quid ea occasione evenerit Jeremias. Concio itaque, cujus summa tantum, cap. XXVI, 2-6, traditur, ut ratio et occasio fati Jeremiæ cognosceretur, alibi quærenda est. Deinde nonnulla in hac concione se offerunt, quæ in tempus Josiæ minus quadrant. Cum enim post reformationem jam peractam statui debeat habita, quod interpretes quoque admittunt, cum quod sacra in templo hic memorentur rite exerceri, cap. VII, 21 et seq., tum quod *Liber legis* jam ponatur inventus, et in manus populi traditus, ut ex cap. VIII, 8, colligitur, ubi Judæi dicunt : Lex Domini nobiscum est, nonnulla a Josiæ tempore aliena in hac concione reperiuntur. Illius enim regis tempore vates nondum Hierosolymæ habitavit; quo tempore autem hanc concionem habuit, sedes illic jam firmæ erant. Quod inde colligimus, quod cap. VII, 2, simpliciter jubetur *consistere in atrio*, non vero, *adire Hierosolymam et consistere*, cum supra cap. II, 1, jubeatur *ire* et *pronuntiare coram Hierosolymitanis*, quia tunc nondum ibi habitabat. Deinde idololatria habitæ hujus concionis tempore publice exercebatur non tantum *in urbibus Judææ*, verum et *in vicis Hierosolymæ* cap. VII, 17, imo in ipso templo, cap. VII, 30, quod primis post cultum a Josia restitutum annis et vivente eo rege locum non tenuit. Porro *in valle Hinnom* tunc liberi in honorem Molochi cremabantur, cap. VII, 31, aris quas Josias destruxerat, denuo erectis. Præterea Judæi diserte dicuntur Jeremiæ cohortationes respuere, cap. VII, 27, quod item e Josiæ illo tempore abhorret, quo verba legis recitata fuerunt, et fœdus Deum inter et populum solemni ritu renovatum. Denique nota aliqua temporis Joakimi mihi in eo deprehendere videor, quod cap. IX, 24, 25, excidium Judæorum et populorum vicinorum per Chaldæos connectitur, quod Jeremias demum tempore Joakim facere cœpit, ut ex cap. XXIV et aliunde constat. Quid vero concionis loco movendæ occasionem dederit? Fueritne illud studio, an casu et errore factum? Non liquet. » (Venema, *Commentarius ad lib. Prophet. Jerem.* in hunc locum). Huic sententiæ adstipulati sunt Dathius, Eichornius, Rosenmuller et Dahler (*Jérémie traduit sur le texte original accompagné de notes explicatives historiques et critiques*, Strasbourg, 1825, pag. 83 et seq.).

Hujus concionis sunt veluti duæ partes, *prior* confutans Judæorum falsas securitatis præsumptiones, cap. VII et VIII, vers. 1-17; *posterior* convincens Judæos de certitudine et justitia pœnæ imminentis cap. VIII, vers. 13-22; cap. IX, 1-26.

Præmisso igitur præambulo vel exordio ad sermonem quo a Deo mandatum accepisse de statione ad ingressum templi capienda, et allocutione ad ingressuros facienda, 1, 2; et summario dato hortationis et promissionis, 3; priorem partem aggreditur Judæorum falsas securitatis præsumptiones confutando.

PRIMO, *fiducia reposita in templo.* Hæc dissipatur, ostendendo *primo*, gratias templo promissas, conjunctas intelligi cum frequentantium religione, 4-7; *secundo*, easdem minime exspectandas ab illius profanatoribus, 8-10; *tertio*, pœnas hic potius imminere certas, et exemplo simili jam præmonstratas, 11-15; *quarto*, hanc judicii formulam sic a Deo decretam, ut nec Prophetæ

dere in verbis mendacii, dicentes : Templum Domini, templum Domini, templum Domini est. 5. Quoniam si bene direxeritis vias vestras et studia vestra : si feceritis judicium inter virum et proximum ejus, 6. advenæ, et pupillo, et viduæ non feceritis calumniam, nec sanguinem innocentem effuderitis in loco hoc, et post deos alienos non ambulaveritis in malum vobismetipsis : 7. habitabo vobiscum in loco isto; in terra, quam dedi patribus vestris a sæculo et usque in sæculum. 8. Ecce vos confiditis vobis in sermonibus mendacii, qui non proderunt vobis; 9. furari, occidere, adulterari, jurare mendaciter, libare Baalim, et ire post deos alienos, quos ignoratis. 10. Et venistis, et stetistis coram me in domo hac, in qua invocatum est nomen meum, et dixistis : Liberati sumus, eo quod fecerimus omnes abominationes istas. 11. Numquid ergo spelunca latronum facta est domus ista, in qua invocatum est nomen meum in oculis vestris? ego, ego sum : ego vidi, dicit Dominus. 12. Ite ad locum meum in Silo, ubi habitavit nomen meum a principio : et videte quæ fecerim ei propter malitiam populi mei Israel : 13. et nunc, quia fecistis omnia opera hæc, dicit Dominus : et locutus sum ad vos mane consurgens, et loquens, et non audistis : et vocavi vos, et non respondistis : 14. Faciam domui huic, in qua invocatum est nomen meum, et in qua vos habetis fiduciam; et loco, quem dedi vobis et patribus vestris, sicut feci Silo. 15. Et projiciam vos a facie mea, sicut projeci omnes fratres vestros, universum semen Ephraim. 16. Tu ergo, noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem et orationem, et non obsistas mihi : quia non exaudiam te. 17. Nonne vides quid isti faciunt in civitatibus Juda, et in plateis Jerusalem? 18. Filii colligunt ligna, et patres succendunt ignem, et mulieres conspergunt adipem, ut faciant placentas reginæ cœli, et libent diis alienis, et me ad iracundiam provocent. 19. Numquid me ad iracundiam provocant, dicit Dominus? nonne semetipsos in confusionem vultus sui? 20. Ideo hæc dicit Dominus Deus : Ecce furor meus, et indignatio mea conflatur super locum istum, super viros, et super jumenta, et super lignum regionis, et super fruges terræ, et succendetur, et non exstinguetur. 21. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel : Holocautomata vestra addite victimis vestris, et comedite carnes. 22. Quia non sum locutus cum patribus vestris, et non præcepi eis, in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocautomatum, et victimarum. 23. Sed hoc verbum præcepi eis, dicens : Audite vocem meam, et ero vobis Deus, et vos eritis mihi populus : et ambulate in omni via, quam mandavi vobis, ut bene sit vobis. 24. Et non audierunt, nec inclinaverunt aurem suam; sed abierunt in voluntatibus, et in pravitate cordis sui mali : factique sunt retrorsum et non in ante, 25. a die qua egressi sunt patres eorum de terra Ægypti, usque ad diem hanc. Et misi ad vos omnes servos meos prophetas per diem consurgens diluculo et mittens. 26. Et non audierunt me, nec inclinaverunt aurem suam; sed induraverunt cervicem suam : et pejus operati sunt, quam patres eorum. 27. Et loqueris ad eos omnia verba hæc, et non audient te : et vocabis eos, et non respondebunt tibi. 28. Et dices ad eos : Hæc est gens, quæ non audivit vocem Domini Dei sui, nec recepit disciplinam : periit fides, et ablata est de ore eorum. 29. Tonde capillum tuum, et projice, et sume in directum planctum : quia projecit Dominus, et reliquit generationem furoris sui, 30. quia fecerunt filii Juda malum in oculis meis, dicit Dominus. Posuerunt offendicula sua in domo, in qua invocatum est nomen meum, ut polluerent eam : 31. et ædificaverunt excelsa Topheth, quæ est in valle filii Ennom : ut incenderent filios suos,

de justitia convicto fas sit intercedere, nec sperare ut deprecando pro populo propter paucos, qui in eo sint, pios, decretum illi exitium avertere possit, omnes enim æque corruptos esse, et omnis ætatis et sexus homines in parandis sacrificiis, quæ falsis diis sint offerenda, summo studio occupatos, 16-20.

SECUNDO, *spes capta a sacrificiis.* Hæc eripitur, indicando : *primo*, obedientiæ pretium a Deo haberi majus quam victimarum, 21, 22; *secundo*, inobedientiæ crimen apud Judæos hactenus fuisse commune et in præsens repetitum, 24-28; *tertio*, profanationem idololatricam, templo et viciniæ inductam, esse causam tum imperati Prophetæ luctus, 29-31, tum decreti vivis excidii, 32-34; tum inferendæ mortuorum sepulcris et ossibus violationis, cap. VIII, 1, 2; tum denique secuturæ residuorum desperationis, 3.

et filias suas igni : quæ non præcepi, nec cogitavi in corde meo. 32. Ideo ecce dies venient, dicit Dominus, et non dicetur amplius, Topheth, et Vallis filii Ennom : sed Vallis interfectionis et sepelient in Topheth, eo quod non sit locus. 33. Et erit morticinum populi hujus in cibos volucribus cœli, et bestiis terræ, et non erit qui abigat. 34. Et quiescere faciam de urbibus Juda, et de plateis Jerusalem, vocem gaudii et vocem lætitiæ, vocem sponsi et vocem sponsæ : in desolationem enim erit terra.

Vers. 2. 2. STA IN PORTA DOMUS DOMINI (sta in porta Orientali templi, quæ celeberrima erat et maxime frequentata, inquiunt Vatablus et Isidorus), ET PRÆDICA IBI, — ut ab omnibus egredientibus et ingredientibus audiaris.

Vers. 3 et 4. 3 et 4. BONAS FACITE VIAS VESTRAS (corrigite mores vestros). NOLITE CONFIDERE IN VERBIS MENDACII (quæ vobis ingerunt falsi prophetæ) DICENTES : TEMPLUM DOMINI IPSI — (ita Hebræus), scilicet Judæi sunt, id est ad templum Domini pertinent : quia in sua urbe habent templum, in eoque Deum colunt, *q. d.* Ergo non vastabuntur a Chaldæis : nec enim sinet Deus templum suum pollui. Sed falluntur : Deus enim non propter locum gentem, sed propter gentem locum elegit, II *Machab.* v, 19. Quærit enim Deus templum spiritale, in quo habitant vera fides, sancta conversatio omniumque virtutum chorus, ait S. Hieronymus, *q. d.* Personata hæc sanctimonia aut templum vobis non proderit, nisi cessetis a furtis, adulteriis, cædibus, idololatria. Unde sequitur vers. 9 : « Furari, occidere, » *q. d.* Cum tamen furemini, occidatis, etc.

Templum Domini triplex. Nota : Ter repetunt « templum Domini, » quia tres erant templi partes, et quasi tria templa, scilicet atrium, Sanctum, et Sanctum sanctorum. Ita Vatablus, Isidorus et Hebræi ; vel, ut Chaldæus et Hugo, ob tria anni festa, quibus tenebantur templum adire : putabant enim Judæi se hac ratione omnia scelera expiare ; vel, ut Lyranus, ob firmitatem spei, quam habebant Judæi in templo. *Quarto* et simplicissime, quia sæpissime id dicebant, et os Jeremiæ claudebant per « templum Domini. »

Per templum autem intelligunt omnem externum et publicum Dei cultum, qui fiebat in templo : per illum enim putabant Judæi se placare Deum, omniaque peccata sua expiare. Simile est *Isaiæ* LXVI, 1. Recte S. Hieronymus ad Paulinum : « Non Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis bene vixisse laudabile est. Et de Hierosolymis, et de Britannia æqualiter patet aula cœlestis. Noli respicere ad phaleras et nomina vana Catonum. Esse Christianum grande est, non videri. »

Præclare quoque S. Bernardus serm. *De ligno, fœno et stipula* : « Nusquam, ait, est securitas, fratres, neque in cœlo, neque in paradiso, multo minus in mundo. In cœlo enim cecidit Angelus sub præsentia divinitatis ; Adam in paradiso de loco voluptatis ; Judas in mundo de schola Salvatoris. Hæc idcirco dixerim, ne quis sibi de loco isto blandiatur, quia dicitur : Locus iste sanctus est, quia non locus homines, sed homines locum sanctificant. Auctor serm. *ad Fratres in eremo*, apud S. Augustinum, serm. 10 : « Ecce, ait, in solitudine sumus, in eremo sumus ; locus tamen non facit sanctos, sed operatio bona locum sanctificabit et nos. » Et mox : « Peccavit enim Angelus in cœlo, peccavit Adam in paradiso ; et tamen nullus locus sanctior illo erat. Si enim habitatorem loca beare possent, nec homo, nec Angelus a dignitate corruissent. » Denique S. Augustinus in *Sentent.* num. 6 : « Vera, ait, confessio benedicentis est, cum idem est sonus oris et cordis. Bene autem loqui et male vivere, nihil aliud est quam se sua voce damnare. » Et num. 76 : « Recte in Dei laudem psallit, cujus opera cum voce concordant. Nam finito carmine, vox tacet. In bonis autem actibus vita permanens nunquam reticet ejus gloriam, quem in se gaudet operari. »

Symbolice et prophetice, ter dixit « templum Domini, » de tribus templi ædificationibus locutus : mendaces scilicet appellat eos qui sibi tertium templum vane promittunt, scilicet *primo*, Salomonis ; *secundo*, Zorobabelis ; *tertio*, Messiæ, quem ipsi frustra exspectant, uti Petrus Nigri contra Judæos Ratisbonæ induxit, et ex eo Vilalpando, tom. II, part. II, lib. V, dist. 14, cap. LXVIII, pag. 575.

Vers. 5. 5. SI BENE DIXERITIS. — Corrige cum Romanis, Hebræo, Septuaginta, *si bene direxeritis*, id est si rectas feceritis vias, id est actiones vestras.

Vers. 7. 7. HABITABO VOBISCUM IN LOCO ISTO. — Legit Interpres שְׁכַנְתִּי *sachanti* in Cal, id est habitabo ; jam legunt שִׁכַּנְתִּי *siccanti* in Piel, id est habitare vos faciam, firmiter vos collocabo in terra ista.

Deus habitat in nobis quadrupliciter. Mystice, Deus habitat nobiscum : *primo*, per fidei constantiam. *Ephes.* III, 17 : « Christum habitare per fidem in cordibus vestris. » *Secundo*, per fraternæ dilectionis concordiam. *Matth.* XVIII, 20 : « Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. » *Tertio*, per præceptorum obedientiam. *Joan.* XIV, 23 : « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. » *Quarto*, per contemplationem, *Apocal.* III, 20 : « Ego sto ad ostium, et pulso ; si quis audierit vocem meam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo. » Ita D. Thomas.

Vers. 8. 8. CONFIDITIS VOBIS IN SERMONIBUS MENDACII, — in rebus vanis, pravis et mendacibus, quæ sequuntur, scilicet « furari, occidere, » etc., ac præsertim in eo quod post hæc scelera « dixistis » et dicitis :

« Liberati sumus, eo quod fecerimus omnes abominationes istas. »

9. FURARI, OCCIDERE, etc. — Id est, ut Septuaginta, *furamini, occiditis*, etc., et, ut Chaldæus vertit, *fures, homicidæ estis*, etc., interimque venistis et venitis in templum, ac dicitis : Liberati sumus a sceleribus nostris, eorumque pœnis, per ingressum in templum; ideoque nulla plaga eveniet nobis, « eo quod, » id est quamvis, tales abominationes «fecerimus.» Ita Vatablus, Pagninus, Maldonatus et alii. Hæc enim erat vana eorum confidentia, qua vers. 4 jactabant, « templum Domini, templum Domini. »

Est triplex hebraismus. *Primo*, quia ponitur infinitivus pro indicativo vel præterito : « furari, » id est furamini vel furati estis. *Secundo*, quia subintelliguntur litteræ serviles, id est conjunctiones : *interim, tamen*, etc., juxta *Canon.* XXIV. *Tertio*, quia *eo quod* ponitur pro *quamvis*. Sic *quia, quoniam* subinde ponuntur pro *quamvis*, ut *Psalm.* LXXVII, 19 et 20 : « Numquid poterit Deus parare mensam in deserto? quoniam percussit petram, et fluxerunt aquæ : » *quoniam*, id est quamvis. Sensus enim est, quamvis Deus percussa petra dederit ex ea nobis aquam, numquid idcirco poterit nobis dare panem? *Isaiæ* XII, 1 : « Confitebor tibi, Domine, quoniam iratus es mihi, » hoc est, laudabo te, esto mihi sis iratus. Quin imo hæ voces causales subinde non causam, sed effectum significant, ut *Isaiæ* LXI, 1 : « Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me, » quod Septuaginta et ex iis Christus, *Lucæ* IV, 18, vertit, «propter quod unxit me,» ubi in Hebræo est יען *iaan*, quod voce et significatione affine est voci *lemaan*, quæ est hoc loco. Hebraice pro *furari* est הגנב *haganob*, id est an furari; unde aliqui sic vertunt : *An furando, occidendo*, etc., *venietis coram me?* Alii : *Numquid furabimini, occidetis*, etc., *et venietis coram me?* Alii planissime vertunt : *An furando, occidendo*, etc., id est an postquam furati fueritis, occideritis, etc., venietis in templum meum, et dicetis : Liberati sumus? Hic sensus consentit cum versione nostri Interpretis, et sensu paulo ante dato, itaque explicant Vatablus, Maldonatus, Pagninus et alii.

10. LIBERATI SUMUS. — Ita Hebræus, Chaldæus et passim Intepretes. Soli Septuaginta vertunt : *Abstinuimus a faciendo omnes abominationes istas*; quasi hæc sint verba mendacii in quibus confidebant, vers. 8, scilicet quod, cum furarentur, occiderent, etc.; negarent tamen se furatos esse, occidisse, etc.

EO QUOD FECERIMUS, — id est quamvis fecerimus, ut dixi vers. 8. Sanchez « eo quod » accipit non ut adverbia, sed ut pronomina, *q. d.* Liberati sumus eo, id est ab eo, scilicet peccato, *quod fecimus*. Verum textus non habet *fecimus*, sed *fecerimus*. Adde Hebræum *lemaan* non esse pronomen, sed adverbium significans *quia, eo quod*. Alii explicant, *q. d.* Venitis in templum ut gratias agatis, quod furta et homicidia vestra vobis bene successerint. Alii vertunt, *ut faciamus*, id est ut amplius furemur et occidamus. Hebræum enim למען *lemaan*, quando præcedit infinitivum, proprie idem valet quod *ut* vel *ad*. Alii, *ut faciatis*, *q. d.* Nihil petitis in templo, quam opem ad furandum, occidendum, etc., aut, *q. d.* Cum tam facile, scilicet solo ingressu in templum, liberemur a peccatis et flagellis, hinc securi illa iterabimus et perpetrabimus. Ita Chaldæus et Isidorus. Hæ versiones majorem ostendunt impudentiam Judæorum in suis peccatis : nostra tamen versio planior est et aptior.

Denique S. Hieronymus, Hugo, Lyranus et Dionysius explicant, *q. d.* Hi Judæi sunt tam impii, ut dicant se a peccatis et plagis liberatos esse per abominationes suas, id est per sua furta, homicidia, Dei contemptum et idololatriam : putant enim ipsi se sua pervicacia et audacia vincere, imo vincire Numinis manus, ut non audeant, aut non dignentur tam impios et perditos punire : sicuti pueri nequam subinde sua protervia vincunt, et quasi obstupefaciunt mollis magistri clementes manus, ut eos non castiget, timens ne fiant deteriores.

11. NUMQUID SPELUNCA LATRONUM FACTA EST DOMUS ISTA IN OCULIS VESTRIS? — ut scilicet in templo quasi antro et spelunca sua, versentur fures, homicidæ, perjuri, etc., de quibus præcessit. Ita Vatablus, Hugo, S. Thomas, Chaldæus; vel, ut Lyranus, *q. d.* Sicut latrones speluncas habent pro refugio (1) : ita hi se puros et tutos putant si templum adeant, ibique sacrificia etiam ex rapto offerant. Sed falluntur, « quia ego sum, » qui « vidi» scelera eorum, quæ ipsi putant vel occulta, vel expiata per sacrificia in templo oblata. Ego sum qui ea annotavi, ut brevi ea vindicem et puniam. Victimæ enim eorum non possunt me excæcare, aut oculos mihi velare. Huc alludit Christus, *Matth.* XXI, 13, dicens : « Scriptum est : Domus mea domus orationis vocabitur; vos autem fecistis illam speluncam latronum. »

12. ITE AD LOCUM MEUM IN SILO, UBI HABITAVIT NOMEN MEUM, — id est, ut Chaldæus, *majestas mea*, id est ego ipse; arca enim ante ædificatum a Salomone templum, erat in Silo urbe tribus Ephraim. Verum Silo vastavit Deus propter peccata incolarum, *Psalm.* LXXVII, 60; et pari modo se Jerusalem cum templo vastaturum ob Judæorum peccata hic comminatur. Unde subdit :

13. ET LOCUTUS SUM AD VOS MANE CONSURGENS. — « Mane, » id est tempestive, sollicite, vigilanter. *Secundo*, « mane, » id est opportune. Mane enim animus aptior est ad audiendum et cogitandum rationalia, eaque quæ Dei sunt. Ita S. Hieronymus. Sic etiamnum Deus mane suscitat nos per Angelos, et ad bonum hortatur. Hinc Plutarchus, li-

(1) Imaginem Michaelis notat desumptam esse a speluncis Palæstinæ subterraneis, in quibus, teste Josepho (*De Bello Jud.* lib. I, cap. XVI, § 4. *Antiqq.* lib. XV, cap. X, § 1, sæpe latrones commorari solebant.

Exitator regis Persarum mane, quis?

bro *Quod in principe requiratur doctrina* : Persarum, ait, rex unum habebat cubicularium, qui id officii habebat, ut mane ingressus regi diceret : « Surge, rex, atque ea cura, quæ te curare voluit Mosoromesdes, » id est bonus tuus genius.

Vers. 14.

14. FACIAM DOMUI HUIC, SICUT FECI SILO, — sicut tabernaculum meum in Silo everti, cum arcam permisi capi tempore Heli a Philistinis ob scelera Silonitarum et Israelis ; et deinde sub Jeroboamo totum Israelem, ac consequenter Ephraim, in qua erat Silo, deserui ; meque et mei cultum cum arca transtuli in Juda et Sion, ac tandem omnes decem tribus ob idololatriam in Assyriam captivas duci permisi : ita multo magis vobis, o Judæi, qui habuistis Dei cultum, quique graviora quam Israelitæ scelera perpetratis, idem excidium et captivitatem Babylonicam infligam, atque tam templo huic, quam urbi et incolis ejus, vastitatem afferam. Ita Theodoretus et alii.

Vers. 15. Ephraim vocantur decem tribus ob tres causas.

15. SICUT PROJECI, etc., EPHRAIM, — id est decem tribus, quæ a Prophetis vocantur « Ephraim : » *primo*, quia inter eas fortissima erat tribus Ephraim ; *secundo*, quia primus earum rex Jeroboam fuit ex Ephraim ; *tertio*, quia idem regiam constituit in Samaria, quæ erat in Ephraim.

Nota : Projecit Deus Ephraim, *primo*, quando arcam cum religione ex Silo transtulit in Judam et Sion ; ut dixi ; *secundo*, anno 6 Ezechiæ, qui fuit 9 Osee regis Israel, quando captæ sunt decem tribus ab Assyriis, IV *Reg.* cap. XVII, 6.

Vers. 16. Deus ligatur piorum precibus.

16. TU ERGO NOLI ORARE PRO POPULO HOC — tam impio, rebelli et obdurato. Sentit Deus se ligari piorum precibus, ne impios puniat. Sic ait Moysi, *Exodi* cap. XXXII, 10 : « Dimitte me ut irascatur furor meus. » Porro optat et gaudet Deus sibi in vindicta resisti, ligarique manus. Hoc est enim quod dolens queritur, *Ezech.* cap. XIII, 5 : « Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel ; » et cap. XXII, 30 : « Quæsivi de eis virum, qui interponeret sepem, et staret oppositus contra me pro terra ne dissiparem eam ; et non inveni. »

NEC ASSUMAS PRO EIS LAUDEM, — scilicet Dei, id est orationem ; prima enim orationis pars debet esse Dei laus et gratiarum actio. Rursum : « Oratio est Deo sacrificium, oranti subsidium, dæmoni flagellum, » ait S. Augustinus. Vatablus vertit : *Ne assumas pro eis clamorem* ; Hebræum enim רנן *ranan* significat *clamare voce contenta et efficaci* ; unde et ranis ab Hebræo *ranan* nomen impositum esse censet Christophorus a Castro ; clamosæ enim sunt ranæ ; *secundo*, Sanchez : *Neque assumas pro eis laudem*, hoc est, inquit, ne afferas pro eis oblationem aut sacrificium. Sicut enim voce, sic et munere, ac præsertim sacrificio, laudatur Deus. Sic *Is.* LX dicitur : « Omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes. »

18. FILII COLLIGUNT LIGNA, — *q. d.* Omnes qui in familia sunt, aliquid conferunt et cooperantur idololatriæ, scilicet quisque confert id quod sibi proprium est. Proprium enim est puerorum stipulas et ligna colligere, virorum furnum accendere, mulierum pinsere placentas. Tantum est eorum studium, tantus ardor colendi idola.

MULIERES CONSPERGUNT ADIPEM. — Hebraice est, *ponunt conspersionem*, sive massam et pastam ; conspersionem enim vocat farinam, aquam, salem, butyrum commixta et conspersa, ex quibus faciebant placentas.

REGINÆ COELI. — Interpres hebraice legit לְמַלֶּכֶת *lemalcat*, jam aliis punctis legunt לִמְלֶכֶת *limlechet*, id est *operi* ; vel, ut alii vertunt, *opere cœli*, *q. d.* Faciunt placentas rotundas et stellatas imprimuntque eis figuram stellarum, ut significent se eas reginæ cœli et stellarum offerre : *opus* ergo *cœli* vocantur placentæ stellatæ, quæ sunt instar stellarum cœli. Septuaginta vertunt, *militiæ cœli* ; Vatablus, *machinæ cœli* ; Chaldæus, *sideri cœli*. Jam per hæc Vatablus solem accipit ; Kimchi et Pagninus Saturnum, qui et Moloch et Melchom dicitur.

Placentæ stellatæ.

Optime S. Hieronymus et S. Thomas, « reginæ cœli, » inquiunt, id est Lunæ, quam Dianam seu Phœben Gentiles vocabant, quasi quæ esset Phœbi, id est Solis, soror : cœli enim rex est Sol vel Jupiter. Regina ergo est Luna, ob magnitudinem et splendorem, et quia præest nocti : unde et Luna dicta est a *lucendo*, quod sola noctu luceat, ait M. Varro ; indeque noctiluca est appellata. Huic Judæos sacrificavisse patet tum ex hoc loco, tum ex cap. XLIV, 17, 18, 19, et 25. Sic Ethnici olim placentæ genus, quod βοῦς, id est bos, a cornium similitudine appellabant, Lunæ offerebant. Sic alii Dianæ, id est Lunæ, ἀμφιφῶντας, id est placentas, affixis circumcirca accensis cereis in templo Munichia dicto offerebant, teste Polluce, lib. VI, cap. XIV, Hesychio et Eustathio, *Iliad.*

Offerebantur reginæ cœli, id est Lunæ sive Dianæ.

Luna dicitur a *lucendo*.

His comparat Epiphanius, *hæresi* 79, in Arabia Collyridianos hæreticos, qui certas habebant mulieres, quæ in curru sellave ornata, ac velo passo obducta, collyrida sive placentam festo quodam per aliquot dies proponere, ac B. Mariæ quasi deæ offerre solebant, et inde simul omnes congregatæ participabant. Damnat enim hanc idololatriam : nam B. Virgini hyperdulia debetur et competit, non latria, ac consequenter nec sacrificium.

Collyridiani, qui?

Porro post Christum Prodicus philosophus, teste S. Epiphanio, docuit lunam esse Deum. Sic et Manichæi solem et lunam adorabant, teste S. Augustino, lib. XIV *Contra Faustum*, cap. XI. Docebant enim thronum Christi esse in sole, sapientiam in luna, spiritum in aere, ut refert idem Augustinus, lib. XX *Contra Faustum*, cap. VI. Insuper Mahomet in Alcorano sanxit cultum Cubar, id est lunæ. Denique apud Christianos manserunt ethnicismi reliquiæ, dum, deficiente luna,

acclamabant ut luna ex hoc suo quasi animæ deliquio, ad se suamque lucem et plenitudinem rediret, quas acclamationes sustulerunt S. Ambrosius Mediolani, et S. Augustinus in Africa, uti ipse testatur serm. 215 *De Tempore*. Putabant enim Gentiles lunam in defectu a dracone ore apprehendi; itaque ne eam draco devoraret et absorberet, succlamabant, putantes se clamoribus percellere draconem ut eam revomeret.

Denique probabile est quod censet Sanchez, Moloch vel Melech, vel Melchom, fuisse solem, qui est *Mélech*, id est rex cœli, indeque Lunam, quæ Solis est soror et Phœbe, dictam esse *Melcha*, id est reginam. Confirmatur id, *primo*, quia lucifer antecedit solem, sic deum Moloch antecedebat Rempham, id est lucifer, sive gemma in corona Melchom referens luciferum, uti docent S. Hieronymus in cap. v *Amos*, Lyranus, Beda, et Glossa in illud *Act.* cap. VII : « Suscepistis tabernaculum Moloch, et sidus dei vestri Rempham. » *Secundo*, quia Melchom habuit coronam gemmis quasi sideribus radiantem, I *Paral.* XX. Porro radii hujus coronæ videntur fuisse instar radiorum solis, uti fuerunt coronæ regum Persarum. *Tertio*, quia Gentiles et Judæi suos infantes immolabant Moloch, cremando eos igne, eo quod putarent solem esse igneæ naturæ. Unde Poeta :

> Vos, æterni ignes, et non violabile numen,
> Testor.

Verum de Moloch fuse disserui *Levit.* cap. XVIII, vers. 21.

Vers. 19. 19. NUMQUID ME AD IRACUNDIAM PROVOCANT? NONNE SEMETIPSOS? — *q. d.* Putant se hac idololatria mihi movere bilem aut dolorem (Hebræum enim כַּעַס *caas*, non tantum iram, sed et dolorem, tristitiam, omnemque animi molestiam et ægritudinem significat); falluntur, ego sum ἀπαθὴς, potius se perdunt, et sibi provocant ac conciliant iram et ultionem meam, qua fiet ut sibi irascantur et indignentur, quod suis sceleribus sibi accersiverint ad suam ignominiam. Ita S. Hieronymus et Vatablus.

20. ECCE FUROR MEUS, etc., CONFLATUR SUPER LOCUM ISTUM. — Pro *conflatur* Septuaginta et Chaldæus vertunt, *effunditur*; Vatablus, *liquefactus est ut plumbum*. Est metaphora a fornacibus in quibus conflantur ferrum et metalla, *q. d.* Sicut vi ignis conflatur ferrum, liquefit et effunditur quasi torrens ignitus: sic et indignatio mea ebullit et coquitur, brevique effundetur in Judæos. Anthropopathōs dantur Deo ira, indignatio, furor, quia Deus acriter punit sontes uti homo, sed homo ex ira et passione, Deus ex ratione et justitia.

Vers. 21. 21. ADDITE, — *q. d.* Addite sane holocausta holocaustis et victimis pacificis, indeque de more juxta legem, *Levit.* cap. VII, 16, comedite. Est ironia, *q. d.* Holocausta hæc me non placabunt, nec vobis proderunt, quia ea nihili pendo, quamdiu mores vestros non corrigitis (1).

Vers. 22. 22. QUIA, etc., NON PRÆCEPI EIS IN DIE QUA EDUXI EOS DE TERRA ÆGYPTI, DE VERBO HOLOCAUTOMATUM. — Hoc verum esse, inquit S. Hieronymus, patet ex Exodo, ubi Deus primo dedit Judæis Decalogum in tabulis lapideis, quasi potissimum sui cultum et puram religionem; deinde post offensam idololatriæ, adoratumque vitulum postea jussit, ut magis sibi quam dæmoni et vitulo sacrificarent; ac certas ovium, boum et hircorum victimas sacrificari præcepit. Licet enim, *Exodi* cap. XX, 24, jubeat Deus fieri altare, tamen nullas determinat aut præscribit victimas in eo offerendas; illas enim postea præscripsit in Levitico. Tantum ergo jubet ut victimas quas offerre sponte volunt, in altari terreo offerant. Rursum, *Exodi* cap. XXIX, præscripsit quidem victimas offerendas in consecratione sacerdotum, sed illæ sacerdotes tangunt potius quam populum; nec pro populo, sed pro consecratione sacerdotum jubentur offerri. At post adoratum vitulum, *Exodi* cap. XXXII, mox in *Levit.*, certa holocausta, certasque victimas pacificas, et pro peccato sibi immolari præcepit.

Victimæ in se non placent nec placant Deum.

Idem docent Irenæus, lib. IV *Contra Hæret.*, Rabanus, Hugo, S. Thomas, Dionysius et Lyranus, *q. d.* Rationem et modum sacrificandi in Levitico Judæis præscripsi, non propter me, quasi ego iis egeam, aut odore carnium delecter, uti Gentiles putabant suos deos, id est dæmones, iis delectari (idem putarunt aliqui Patres, qui opinati sunt harum victimarum vaporibus vivere et pasci dæmones, habereque corpus spirituale : inter quos diserte id docet S. Augustinus, vir tanti ingenii et doctrinæ, lib. X *Civit.* XI). Sed propter vos ea præscripsi, ut scilicet iis vos in meo cultu detinerem, ne ad vitulos et idola gentiumque sacrificia desciscerentis; unde initio legis tantum præcepi ut audiretis me, nunquam sacrificia præcepturus, sed vestro arbitrio ea relicturus, uti ante legem ea reliqui, nisi pronos vos scivissem in sacrificia gentium. Ita Theodoretus, Hugo, S. Thomas et passim Patres.

S. Augustinus censuit dæmones pasci nidore victimarum.

(1) Recte observat Kimchi, hisce verbis non contineri mandatum approbantis aut cupientis, sed repudiantis; veluti cum quis alteri dicit : Fac quidquid volueris, nihil tamen tibi proderit. Constat, inquit Rosenmuller ad hunc locum, primarium genus sacrificiorum holocausta fuisse, quæ tota igne absumenda essent, in reliquis autem sacrificiis victimæ partem haud contemnendam cessisse in usum offerentis, ut ipse, quibuscum vellet, rite vesci ea posset. Credibile autem est, Prophetæ remissionem in colendo Jova subinde gravius exprobranti, Judæos vel dictis vel animo objecisse; vanam esse istam reprehensionem, ne holocausta quidem a se intermitti, quæ, quod integra Deus soli sibi vindicet, offerenti ne minima quidem hostiæ parte relicta, sumptuosiora sint, nec nullius pretii munera. Itaque negat Jova, se holocausta magis æstimare, quam reliqua sacrificia salutaria, licere per se, ut utrumque sacrificiorum genus eodem modo habeant Judæi, et ipsis holocaustis non minus, ac reliquis victimis, vesci pro lubitu possint.

Aliter respondet Sanchez Deum præcepisse quidem in deserto sacrificia, sed noluisse ut præcepta hæc vim haberent obligandi, donec ingressi in Chanaan Hebræi, eam subactis Chananæis quiete et pacifice possiderent; tunc enim non ante certus a Deo definitus fuit locus tabernaculi et altaris, in quo hæc sacrificia offerenda erant. Idem docent Abulensis, in cap. XVIII *Josue, Quæst.* I, et Serarius *Quæst.* XI, in cap. XVIII *Josue,* imo idipsum docet Moses, *Deuter.* cap. XII, 4 et seq. Prior explicatio uti communior, ita est germanior, omnemque difficultatem exhaurit.

24. FACTIQUE SUNT RETRORSUM, ET NON IN ANTE, — id est *primo,* facti sunt aversi a me, et a mea voluntate, uti sunt qui terga vertunt dominis suis; *secundo,* retrocesserunt, et non promoverunt; unde explicans vers. 26, ait : « Et pejus operati sunt quam patres eorum ; » *tertio,* præterita, uti Ægyptias ollas, repetunt, futura contemnunt, propterea patiuntur adversa, nihilque eis succedit prospere.

E contrario, monet Apostolus, ut quæ retro sunt obliviscentes, ad anteriora nos extendamus, euntes de virtute in virtutem.

28. PERIIT FIDES. — Periit in plerisque Judæis Dei fides et religio vera. Ita S. Hieronymus, Theodoretus et Rabanus; *secundo,* « periit fides, » id est veracitas, fidelitas, quia plerique omnes dolos et mendacia meditantur et loquuntur.

29. TONDE CAPILLUM TUUM, — scilicet tu, o Jeremia, ut significes et hoc schemate repræsentes Judæos, qui quasi capillitium, ornamentum et diadema erant Dei, a Deo resecandos et projiciendos esse, ut in omnem ventum plagamque mundi dispergantur, et quasi peripsema a Gentibus conculcentur, et in sterquilinium projiciantur, ibique putrescant; idem enim hac pilorum resectione significavit Ezechiel, cap. V, 1. Ita Hugo, S. Thomas, Lyranus et Dionysius. Unde Maldonatus censet Jeremiam quasi Nazaræum, intonso hucusque fuisse capillo. Sic et Sanchez ; licet enim, inquit, in Hebræo sint verba feminina, tamen illa pro masculinis sumuntur; jubet enim Deus Prophetæ, ut feminarum assumat ejulatum, id est clarum et sonantem : nam viri in luctu potius gemunt quam plangunt. Rursum alludit ad præficas, quæ lamentationi præerant, *q. d.* Instar præficarum plange.

Jeremias fuit Nazaræus juxta Maldonatum.

Verum, quia præcessit immediate : « Et dices ad eos, etc., tonde capillum, » etc. Hinc *secundo* melius, « tonde, » scilicet tu, o Jerusalem, cum tuis filiis et incolis Judæis ; nam in Hebræo omnia hæc verba sunt feminina.

Tonsio erat signum luctus et servitutis.

Nota : Tondebant veteres comam, *primo* in signum luctus; *secundo,* in signum servitutis; servis enim tonsa coma signum erat subjectionis, uti est et feminis subditis marito, I *Cor.* cap. XI, 6 et 10, *q. d.* O Jerusalem, capieris; ergo tanquam captiva, tonde capillum.

SUME IN DIRECTUM PLANCTUM, — *q. d.* Pone coram præcisam coram te, ut recta oculis in eam directis plangas quasi super mortuum : ita Lyranus et Hugo ; *secundo,* Septuaginta pro שפים *sephaim,* legentes שפתים *sephataim,* vertunt : *Sume in labiis planctum,* id est loquere plangentis more; *tertio,* Vatablus, Pagninus et Kimchi legentes *sephaim,* vertunt : *Sume super vertices et montes planctum, q. d.* Vide excelsa, ubi idola coluisti ob quæ jam vastaris : ibi ergo plange ubi peccasti; *quarto* et optime, « sume in directum planctum, » id est clama recta in altum, extende vocem planctus contentam in locum directum, id est altum et excelsum, scilicet super montes, ut ab omnibus audiaris; hoc enim exigit Hebræum *sephaim.*

RELIQUIT GENERATIONEM FURORIS SUI. — Reliquit Deus gentem Judæorum cui iratus est, in quam sævit et quasi furit. Hæc *generatio furoris* Dei a Paulo, *Rom.* IX, vocatur « vasa iræ apta in interitum. » Peccator ergo est quasi scopus furoris Dei, in quem ipse omnia sua tela et sagittas collimat et conjicit.

30. POSUERUNT OFFENDICULA, — id est idola et statuam Baal in templo, ut patet *Ezech.* VIII, 3, scilicet id fecit Manasses, IV *Reg.* XXI, 4 et 5. Ita S. Hieronymus et Theodoretus. *Vers. 30*

31. EXCELSA TOPHET. — « Excelsa, » scilicet altaria, quæ excelsa in excelsis collibus aut montibus erigebant. Ita Septuaginta et alii. *Vers. 31.*

Quæres quid sit *Topheth?* Dico *primo : Topheth* non fuit idolum, ut volunt Theodoretus et Lyranus, sed lucus sive sylva, in qua erat delubrum sive templum Moloch. Situm erat Topheth in gehennon, i. e. in valle amœnissima filiorum Ennom prope Jerusalem, quæ Siloe fontibus irrigabatur. *Topheth quid?* *Erat lucus et templum Moloch.*

Dico *secundo* : Hebræum *Topheth* deduci potest *primo,* a radice פתא *pata,* id est illicere, seducere; unde Theodoretus, Quæst. XXVI *in* IV *Reg. Topheth,* ait, casum significat; *secundo,* S. Hieronymus : *Tophet,* inquit, interpretatur latitudo, a radice פתח *pata,* id est dilatavit : erat enim locus impiorum latissimus et capacissimus; *tertio,* alii *Topheth* deducunt a radice יפע *iapha,* id est pulcher fuit : erat enim vallis amœnissima; *quarto,* Franciscus Forerius in *Isaiæ* XXX, putat dici *Tophet* quasi *mopheth,* id est portentum : instar enim portenti erat, quod ibidem filios proprios idolo Moloch immolarent; *quinto* et optime, *Tophet* dictum est תוף *toph,* id est tympanum quod pulsabant hi idololatræ, ne vagitus parvulorum occisorum audirentur a parentibus. Ita R. Abraham, Lyranus et alii. Quocirca fabulosum et ridiculum est, quod Hugo Cardinalis ex Hebræis scribit in *Isaiæ* cap. XXX, vers. 33, nimirum *gehennam* esse nomen Græcum, *topheth* Hebræum, quod significet *tophos* (quos Itali vocant *tufos*) lapides concavos in modum pumicis, inter quos nutriebatur ignis indeficiens et perpetuus. Patet enim gehennam esse Hebræum nomen, non Græcum, æque ac *topheth* Hebræum esse, non Latinum *tophos.* Tale quoque est quod Auctor libri *De Nomin. Hebr.* *Topheth dicitur a toph, id est tympanum quod pulsabant.*

apud S. Hieronymum scribit gehennam idem esse quod vallem gratuitam, a גיא *ge*, id est vallis, et חן *chen*, id est gratia, vel חנם *chinnam*, id est gratis. In inferno enim non est locus gratiæ, sed justitiæ et vindictæ.

Dico *tertio* : Censet S. Hieronymus in cap. XXXII, Judæos in Topheth immolasse filios duobus idolis, scilicet Baal et Moloch; sed verius est eos immolasse soli Moloch, qui et Melchom dicitur, qui erat Baal, id est deus Ammonitarum; Baal enim commune deorum erat nomen. Sed quis erat Melchom? Arias, in cap. I *Amos* putat fuisse Mercurium, quem Ammonitæ colebant quasi Melech, id est regem, vel quasi Malach, id est animarum ductorem, et deorum nuntium : Hebræis enim מלאך *malach*, est nuntius. Sed respondeo fuisse Saturnum, qui Moloch vel Melech, id est rex : vel Melchom, id est rex eorum, dictus est. Saturno enim solebant homines amicissimos et pueros immolare, præsertim in gravi aliqua calamitate ad eam avertendam, tum Phœnices sive Chananæi, tum ab eis prognati Carthaginenses. Ita Eusebius, lib. IV *Præpar.* VII, Philo lib. I *Historiæ Phœnicum*, Curtius lib. IV, et Diodorus, lib. XX.

Moloch, Melech, vel Melchom, quis?

Fuit Saturnus.

Sic Pyrrhus, capta Troja, Polyxenam Priami filiam, Ulysses Astyanactem Hectoris primogenitum, pro felici reditu in patriam, diis sacrificarunt, quorum funebria celebrat Seneca in *Troade*. Paulus Osorius, lib. IV, cap. VI, et Herodotus, lib. VII, scribunt moris fuisse apud Persas, in gratiarum actionem diis vivos sub terra defodere pueros ac virgines, indigenarum filios et filias, idque fecisse Amestrim Xerxis uxorem in quatuordecim nobilium Persarum filiis. Sic Mexicani nostro sæculo quotannis viginti hominum millia mactabant dæmoni, antequam ab Hispanis subigerentur : quinimo idolum quoddam ex farina humano sanguine permixta festo quodam die efformabant, ac post ejus adorationem, illud in minutissimas partes secantes sigillatim distribuebant, singulique suam partem devorabant, ita sacrilegum sacrificium consummantes. Vide de Moloch dicta *Levit.* cap. XVIII, 21.

Dico *quarto* : Hunc locum contaminavit et destruxit Josias, IV *Reg.* XXIII, 10, anno regni 12 : jam ergo, Jeremia prophetante, eversa erat Topheth. Jeremias ergo non præsentem, sed præteritam taxat idololatriam, *q. d.* In Topheth peccastis, in Topheth quoque puniemini. Unde Hebræi et S. Heronymus censent *Topheth* vocari gehennam, id est locum supplicii; quod in ea valle, ubi Judæi filios suos Moloch sacrificaverant, Deus eos deleverit, ut illis minatus est vers. seq., et cap. XIX, vers. 6, 11, 12. Denique inde ob similem crudelitatem et incendium, infernus a Christo dicitur gehenna, *Matth.* V, 23, et ab Isaia, cap. XXX, vers. 33; sicut Beatorum locus dicitur גן עדן *gan eden*, id est vallis vel hortus deliciarum, hoc est paradisus. Ita S. Hieronymus.

Infernus dicitur gehenna a Topheth.

Hinc tradunt, vel potius more suo fabulantur Judæi, uti narrat S. Thomas in *Isaiæ* cap. XXX, vers. ult., in Topheth esse inferni fauces, sive gehennalis incendii spiracula, ut de Ætna fingunt Poetæ; quia ibi, inquiunt, duæ palmæ perpetuo fumant. Stupendum est tam crudelem cultum idoli secutos esse Judæos, neglecto facillimo cultu Dei veri. Unde Hercules, ait Macrobius, lib. VII, *Saturn.* oraculo hominum victimas postulante, persuasit Italis, ut pro hominibus vivis cereos offerrent.

32. ET NON DICETUR AMPLIUS, TOPHETH. — Alludit ad radicem יפה *iapha*, id est pulcher fuit, *q. d. Topheth* non vocabitur amplius *Topheth*, id est locus pulchritudinis, amœnitatis et gratiæ (hoc enim significat *Ennon*) : sed stragis, quia ibi plurimi Judæi occidentur et sepelientur, « eo quod non sit locus » alius sepeliendi, ob multitudinem cadaverum. Vers. 32.

33. MORTICINUM, — id est cadaver, id est cadavera. Vers. 33.

Tropologice filios suos immolant Moloch, qui ingenium, vires, tempus, opera impendunt veneri, ventri, ambitioni : quocirca et ipsi descendent in Topheth, ibique cremabuntur cum Lucifero. Vere S. Augustinus in *Sententiis*, Sentent. 136 : « Omnes, ait, pravæ cupiditates sunt portæ inferi per quas in mortem itur : cujus dominatum subit, qui adeptum se ad perfruendum lætatur, quod periturum concupivit. »

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Perstat in prædicenda vastatione Jerusalem ob ejus idololatriam et scelera. Unde primo, vers. 1, prædicit, Chaldæos Judæorum sepulcra eversuros et ossa dispersuros. Secundo, vers. 3, quod homines magis eligent mortem quam vitam. Tertio, vers. 4, arguit eorum impœnitentiam, aitque, vers. 7, aves in vere ad suos nidos reverti, Judæos vero ad Deum nolle reverti. Quarto, vers. 10, arguit Prophetas et sacerdotes dicentes Pax, pax. *Quinto, vers. 13, pro uvis et vino minatur eis aquam fellis. Sexto, vers. 16, ex Dan ait venturi Chaldæos, foreque sævos ut basiliscos* (1).

1. In illo tempore, ait Dominus: Ejicient ossa regum Juda, et ossa principum ejus, et ossa sacerdotum, et ossa prophetarum, et ossa eorum qui habitaverunt Jerusalem, de sepulcris suis: 2. et expandent ea ad solem, et lunam, et omnem militiam cœli, quæ dilexerunt, et quibus servierunt, et post quæ ambulaverunt, et quæ quæsierunt, et adoraverunt: non colligentur, et non sepelientur: in sterquilinium super faciem terræ erunt. 3. Et eligent magis mortem quam vitam omnes qui residui fuerint de cognatione hac pessima in universis locis, quæ derelicta sunt, ad quæ ejeci eos, dicit Dominus exercituum. 4. Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus: Numquid qui cadit, non resurget? et qui aversus est, non revertetur. 5. Quare ergo aversus est populus iste in Jerusalem aversione contentiosa? Apprehenderunt mendacium, et noluerunt reverti. 6. Attendi, et auscultavi: nemo quod bonum est loquitur, nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens: Quid feci? Omnes conversi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens ad prælium. 7. Milvus in cœlo cognovit tempus suum: turtur, et hirundo, et ciconia custodierunt tempus adventus sui: populus autem meus non cognovit judicium Domini. 8. Quomodo dicitis: Sapientes nos sumus, et lex Domini nobiscum est? vere mendacium operatus est stylus mendax scribarum. 9. Confusi sunt sapientes, perterriti et capti sunt: verbum enim Domini projecerunt, et sapientia nulla est in eis. 10. Propterea dabo mulieres eorum exteris, agros eorum hæredibus: quia a minimo usque ad maximum omnes avaritiam sequuntur: a propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt mendacium. 11. Et sanabant contritionem filiæ populi mei ad ignominiam, dicentes: Pax, pax: cum non esset pax. 12. Confusi sunt, quia abominationem fecerunt: quinimo confusione non sunt confusi, et erubescere nescierunt: idcirco cadent inter corruentes, in tempore visitationis suæ corruent, dicit Dominus. 13. Congregans congregabo eos, ait Dominus: non est uva in

(1) Duabus securitatis falsis præsumptionibus quibus capti Judæi in vanam fiduciam erigebantur, aliam addit Propheta, scilicet:

Tertio, *persuasio concepta de facilitate veniæ, et declinatione pœnæ.* Utraque eliditur, *primo*, expostulatione de neglectu tempestivæ et necessariæ pœnitentiæ, 4-7; *secundo*, redargutione scribarum de præsumptione, vulgi de avaritia, pseudoprophetarum de falsa promissione pacis, 8-12; *tertio*, comminatione tolerandæ obsidionis et famis, frustrandæ eventu exspectationis, inferendæ vastitatis ab hoste implacabili, 13-17.

In parte sermonis posteriori quæ a vers. 18 incipit, et ad finem capitis IX continuatur, Judæos convincit de certitudine et justitia pœnæ imminentis; ut ordo clarius patescat, totam hic hujus partis seriem uno tenore subjicimus.

Primo, *certitudo pœnæ exponitur, primo*, per luctum ipsius Prophetæ, tum mœrorem ac stuporem interius, et causam ac eventum mali exterius sentientis, 18-21; tum medelam populo, fletum oculis, absentiam a tristi spectaculo sibi exoptantis, 22, cap. IX, 1, 2; *secundo*, per judicium ipsiusmet Dei scelera populi plurima recensentis, 3-6, et pœnas hic gravissimas decernentis, 7-11.

Secundo, *justitia pœnæ declaratur, primo*, proposita quæstione de origine tanti mali, et designata legis violatione tanquam primaria causa, 12-14; *secundo*, decreta huic transgressioni respondente vindicta, 15, 16.

Tertio, *utraque confirmatur et illustratur, primo*, dato ad mulieres præficas planctum de hoc fato edituras mandato, 17-19; *secundo*, præstito per Prophetam tristi hujus evocationis ministerio, 20-22.

In peroratione hujus sermonis, Propheta, nomine ipsius Dei, *primo*, instruit probos, gloriam non captandam ab humanis donis, sed a divinorum cognitione, 23, 24; *secundo*, præmonet malos, ultionem severam instare omnibus incircumcisis corde, sive corpore circumcisi sint ut Judæi, sive habeant præputium, ut Gentiles, 25, 26.

vitibus, et non sunt ficus in ficulnea, folium defluxit : et dedi eis quæ prætergressa sunt. 14. Quare sedemus? convenite, et ingrediamur civitatem munitam, et sileamus ibi : quia Dominus Deus noster silere nos fecit, et potum dedit nobis aquam fellis : peccavimus enim Domino. 15. Exspectavimus pacem, et non erat bonum : tempus medelæ, et ecce formido. 16. A Dan auditus est fremitus equorum ejus, a voce hinnituum pugnatorum ejus, commota est omnis terra, et venerunt, et devoraverunt terram, et plenitudinem ejus; urbem, et habitatores ejus. 17. Quia ecce ego mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio : et mordebunt vos, ait Dominus. 18. Dolor meus super dolorem, in me cor meum mœrens. 19. Ecce vox clamoris filiæ populi mei de terra longinqua : Numquid Dominus non est in Sion, aut rex ejus non est in ea? Quare ergo me ad iracundiam concitaverunt in sculptilibus suis, et in vanitatibus alienis? 20. Transiit messis, finita est æstas, et nos salvati non sumus. 21. Super contritione filiæ populi mei contritus sum et contristatus, stupor obtinuit me. 22. Numquid resina non est in Galaad? aut medicus non est ibi? quare igitur non est obducta cicatrix filiæ populi mei?

Vers. 1. 1. IN ILLO TEMPORE, — quo Jerusalem a Chaldæis capietur, et Judæi in Topheth occidentur.

Judæi sepeliebant principes cum auro, vestibus et armis: EJICIENT OSSA REGUM JUDA. — Nota : Judæi cadavera principum suorum mortuorum comburebant, ut patet *Jeremiæ* cap. XXXIV, vers. 5; et ossa sepeliebant cum auro, argento, vestibus, armis, coronis et sceptro, si reges essent, inquit S. Hieronymus; sin Prophetæ essent aut viri primarii, cum vestibus et vasis pretiosis, sicut et nostro tempore in sepulcris Judæorum vidimus. Ita scribit Josephus, lib. XIII *Antiq.* XV, Hyrcanum extraxisse e sepulcro Davidis tria talentorum millia. Et Sozomenus, lib. IX, in fine, narrat in sepulcro Zachariæ prophetæ inventum fuisse puerum e regia stirpe aurea corona redimitum, et vestibus regalibus indutum. Sic et Gentes fecerunt, ut patet in funere Miseni apud Virgilium, lib. VI *Æneid* :

Sic et Gentiles.

> At pius Æneas ingenti mole sepulcrum
> Imposuit, suaque arma viro, remumque tubamque.

et lib. XI, in funere Pallantis : in rogum enim injecerunt ejus vestes, galeam et arma.

Idem etiamnum faciunt Livones, qui dura Germanorum servitute pressi, monumentis mortuorum cibum, potum, securim, et nonnihil pecuniæ imponunt dicentes : « Transi, o miser, ab hoc rerum statu in mundum meliorem; ubi non tibi Germani amplius, sed tu illis imperabis, habes arma, cibum, viaticum. » Testis est Joannes Lasicius in *Samogit.*

Alexander Magnus, audiens Cyri sepulcrum auro argentoque refertum, jussit illud aperiri : « Sed præter ejus clypeum putrem, et arcus duos Scythicos et acinacem, nihil reperit. Cæterum corona aurea imposita amiculo, cui eam assuerat ipse, solium, in quo corpus jacebat, velavit, miratus tanti nominis regem, tantis præditum opibus, haud pretiosius sepultum esse quam si fuisset e plebe, » inquit Q. Curtius, lib. X *De Gestis Alexand.* Paulo aliter rem narrat Plutarchus, uti mox dicam.

Prædicit ergo Jeremias, quod sepulcra hæc effringet Chaldæorum avaritia, *primo*, ad prædam. Ita S. Hieronymus, Hugo, Lyranus, Isidorus. *Secundo*, ut Theodoretus, ad contemptum et punitionem, ut scilicet ossa Manassis et regum impiorum luci prodantur, et cœli ac stellarum, quibus servierunt Deo derelicto, pateant aspectibus. Denique ut aeri exposita eorum ossa, ab eoque consumpta, in sterquilinium et cineres solvantur. Hinc ait : « Expandent ea; » id est spargent, non colligent sub tectum; nam et hic aliquis honos est; quare nos mortuorum crania et ossa in cœmeterio honesto loco in polyandro sive ossario reponere solemus. Verum hoc Judæis a Chaldæis non fuit concessum, uti hic minatur Deus.

Quam vero hæc sepulcrorum violatio sit inhumana et barbara, facto indicavit Nitocris (licet Plutarchus id tribuat Semiramidi) regina Babylonis. Hæc enim sepulcrum sibi exstruxit supra portas urbis excelso loco, atque his litteris inscripsit : « Si cui regum Babylonis post me futurorum fuerit pecuniæ penuria, aperto sepulcro, sumat quantumcumque libuerit pecuniæ, duntaxat indigens; aliter ne aperiat, non enim satius fuerit. » Hoc sepulcrum mansit immotum usque ad Darium Hystaspis, qui frustra ibi pecunias recondi arbitratus, aperuit monumentum, in quo pecunias non invenit, sed litteras ita dicentes : « Nisi pecunia esses inexplebilis, et turpis lucri cupidus, haud aperuisses urnas defunctorum. » Ita Herodotus, lib. I.

Alexander Magnus, inquit Plutarchus in ejus Vita, cum Cyri monumentum apertum comperisset, facti auctorem, Polymachum nomine, interfecit. Titulus monumenti erat : « Quisquis homo et undecumque venisti (nam venturum novi) ego Cyrus sum, qui Persis quæsivi imperium. Ne invideas mihi, oro te, exiguam hanc humum, quæ corpus meum tegit. » Hæc Alexandrum valde permoverunt, reputantem rerum incertitudinem et vicissitudinem. Hinc et illa Horatii querela

de Romanorum excidio libro *Epodon*, ode XVI :

Barbarus heu! cineres insistet victor, et urbem
Eques sonante verberabit ungula :
Quæque carent ventis et solibus ossa Quirini,
Nefas videre, dissipabit insolens.

Vers. 2. 2. ET OMNEM MILITIAM COELI, — et omnes stellas, quæ Dei, quasi armati et instructi sunt milites, præsertim quia galearum coni tanquam stellæ micare solent, inquit Maldonatus.

QUIBUS SERVIERUNT — latria, ea adorando.

Nota : Gentiles adorarunt solem et stellas, tum ob splendorem et pulchritudinem, tum quia primi philosophi pene omnes putarunt eas esse animatas. Unde S. Augustinus, lib. XVIII *De Civit.* IV, refert Anaxagoram capitis accersitum, quod dixerat « solem esse saxum candens, » tum quia censebant in stellis eventus et fatum cujusque esse descriptum. De quo plura cap. X, vers. 2.

Vers. 3. 3. ELIGENT MAGIS MORTEM QUAM VITAM. — Hoc allegorice verius erit in die judicii, et excidii orbis, cum impii dicent montibus : « Cadite super nos, » et collibus : « Operite nos. »

IN UNIVERSIS LOCIS QUÆ DERELICTA SUNT, AD QUÆ EJECI EOS, — in Babylone, inquit Lyranus. *Secundo* et melius, in Judææ montanis et abditis, inquit Vatablus. Aut *tertio*, in desertis Moab et Idumææ, ad quæ fugerunt metu Chaldæorum Judæi. Ita a Castro. Aliter Sanchez : « Quæ derelicta sunt, » hoc est, inquit, in universis locis in quibus Judæi derelicti sunt, ut sit hypallage.

Vers. 4. 4. NUMQUID QUI CADIT, NON RESURGET? — *q. d.* Omnes qui cadunt resurgere cupiunt, et ad id toto corporis animique nisu conantur : pari modo qui aversi sunt a recta via et itinere, ea cognita in eam reverti festinant, quæ est ergo Judæorum insania, velle in lapsu et errore perdurare? Ita Lyranus, Dionysius, Isidorus et S. Hieronymus : « Humanum enim est cadere, diabolicum nolle resurgere. »

Vers. 5. 5. AVERSIONE CONTENTIOSA, — id est forti, jugi, pertinaci, ita ut nolit reverti. Unde hebraice est, *aversione perpetua.*

APPREHENDERUNT MENDACIUM. — Hebraice הרמית *hormit*, id est dolos, et fraudes pseudoprophetarum Jeremiæ minas irridentium, iis enim crediderunt. Ita Vatablus, Pagninus, Lyranus, Dionysius. *Secundo*, S. Hieronymus, Rabanus, Hugo, S. Thomas vertunt, « mendacium, » id est iniquitatem, pravitatem. Sic alibi e contrario sæpe *veritas* vocatur omne debitum vel officium virtutis; et sic diabolus dicitur non stetisse in veritate, id est non perseverasse in officio angelico, seu in eo quod decebat angelum facere, *Joan.* VIII, 44.

6 (1). OMNES CONVERSI SUNT AD CURSUM SUUM, — ut sequantur naturæ et voluntatis pravæ pronitatem in malum, sicut equus effræni impetu currit, quo eum stimulus vel phantasia agit, v. g. in prælium, etiam cum certo vitæ periculo. Paulo aliter, sed efficacius vertunt Septuaginta : *Currens deficit a cursu suo, et equus defessus in hinnitu suo*, *q. d.* Currens diu, tandem delassatur, et currere desinit; equus pariter hinniens ad cursum in prælium, eo delassatus, hinnire et currere desinit; at hi in continuo peccandi labore, et cursu ad scelera non fatigantur, sed quasi infatigabiles et insatiabiles ad alia et alia assidue procurrunt. Ita Theodoretus. Hic peccatoris vitiis immersi est stupor, hic furor.

7. MILVUS IN COELO (ex cœlo, ex cœli temperatione et qualitate) COGNOVIT TEMPUS SUUM. — « Milvus » scilicet albus, id est ciconia, hæc enim a pietate in parentes hebraice dicitur חסידה *chasida*, id est pia, et a candore vocatur candida. Unde Virgilius, *Georg.* II :

Cum vere rubenti
Candida venit avis.

Ciconia symbolum est hospitis vagi.

Ciconia enim in vere ex frigidioribus locis in nidum suum redit; quod non facit milvus, indeque ciconia hospitis qui nusquam habitat, est hieroglyphicon. Ita a Castro, Maldonatus et Hebræi. Verum, quia milvus nusquam vocatur ciconia, et quia de ciconia sequitur; hinc melius proprie hic milvum accipias, qui hebraice dicitur *chasida* per antiphrasin, quia minime pia, sed rapacissima est avis. Nomina enim animalium apud Hebræos multis sunt communia. Unde *chasida* milvum interpretantur *primo*, S. Hieronymus, *Zachar.* cap. V, vers. 9, ubi in *Comment.* sic ait : « Chasidam Hebræi milvum putant, avem rapacissimam, et semper domesticis avibus insidiantem. » *Secundo*, Symmachus, et sexta editio, *Psalm.* CIII, 18, *casida* vertunt, *milvum*, ubi Septuaginta vertunt, *herodium*. *Tertio*, Thalmudistæ, ait Pagninus, dicunt quod *chasida* sit דיה לבנה *daia lebana*, id est milvus albus; sic appellatus, quod faciat misericordias aut beneficia cum sociis suis, quibus de escis quas rapuit, distribuit.

Chasida est milvus, probatur.

Pulchre Baptista Mantuanus, lib. V *Alphons.* de avium ingenio ita canit :

Astra etiam pluviasque docent, et certa dierum
Tempora et annorum, sic ver cognoscit hirundo,
Alciones hiemem, ventos et fulmina cudunt,
Et tempestivos campis sitientibus imbres.

TEMPUS SUUM, — tempus vernum, blandum et commodum ad redeundum, nidificandum, ova et pullos generandum, *q. d.* Et vos, o Judæi, o

(1) « Attendi et auscultavi », sunt verba Dei. Eleganter hoc loco Deus se ipsum cum patre comparat ex occulto auscultante, et aurem quasi sibi substringente, ut quomodo liberi admonitiones et comminationes paternas excipiant, iisque convenienter se gerant, exploret et cognoscat; sed etiam hi conatus frustranei reperiuntur. Inest autem in hac comparatione, figura remota, hic sensus : Deus pro indulgentia sua ac lenitate pœnas peccatorum per aliquod tempus differens curavit, ut Judæis nec tempus nec facultas ad frugem redeundi deesset. (J. D. Michaelis.)

mortales, non cognoscitis tempus, id est opportunitatem pœnitendi, Deum conciliandi, serendi bona opera quibus æternam gloriam metatis. Rursum, non cognoscitis tempus, puta hiemem asperam iræ et vindictæ Dei vobis imminentis, ut eam instar milvi et ciconiæ fugiatis.

Temporis, id est occasionis effigies. Tempus sive occasionem pulchro hoc modo depingit Ausonius :

Sum dea, quæ rara et paucis Occasio nota,
Quid rotulæ insistis? stare loco nequeo.
Quid talaria habes? volucris sum : Mercurius quæ
Fortunare solet, trado ego, cum volui.
Crine tegis faciem? cognosci nolo, sed heus tu,
Occipiti calva es? ne tenear fugiens.

Deinde comitem Occasionis metanœam, sive seram pœnitentiam ita describit :

Sum dea, quæ facti non factique exigo pœnas,
Nempe ut pœniteat, sic Metanœa vocor.

« Apes, inquit Plinius, lib. XI, cap. VI et X, peragunt opus suum non statis diebus, sed quoties cœli commoditas invitat; ita suo quæque tempore capienda est occasio. » Idem, lib. XV, cap. XXIV : « Morus, ait, novissima omnium germinat, et tamen parit inter primas; ita qui tempus idoneum opperiuntur rei conficiendæ, etiamsi serius cœperint, tamen maturius conficiunt. » Et Hesiodus : « Æstas non semper fuerit, componite nidos. » Hoc est quod ait Paulus : « Dum tempus habemus, operemur bonum, » seminemus bona opera ex quibus in æternitate vivamus.

TURTUR. — Mystice S. Chrysostomus, hom. *De turture*, cap. X, vers. 5 : « Turturem, ait, dicit omnem castam Ecclesiam, hirundinem vero Joannem hominum amatorem, cicadam autem (sic enim ipse legit pro ciconia) eloquentissimum Paulum, Ecclesiæ organum. » Vide eum de turture. Addit S. Ambrosius, lib. VI *Hexam.* cap. IV : « Vides, inquit, quantam Dominus etiam minusculis animalculis infundit prudentiam? Turtur nido suo, ne pullos suos incurset lupus, squillæ folia superjacit : novit enim quod hujusmodi folia lupi fugere consueverint, novit avicula, quomodo posteritatem foveat suam; et tu ignoras, et tu negligis, quomodo adversus lupum nequitiæ spiritalis posteritatem vitæ hujus habeas tutiorem! » Sed de hoc alii dubitant. Nam quid turtur a lupo sibi pullisque metuat, in arboribus nidulans? Gladiolum, vel, ut alii legunt, iridem nidis imponere tradit Ælianus; Philes vero comedere eamdem, tanquam fascinationis amuletum, et ad pullorum custodiam. Sed audi similia, eaque mira de provida avium sagacitate, eaque imitare : « Morbum ingruentem hieracio herba accipiter propulsat, chelidoniam visui saluberrimam hirundines monstravere, vexatis pullorum oculis illa medentes, origano sibi medetur ciconia; aetite lapide aquila; circus cichorio; milvus rhamno; upupa adianto; turdi ramo myrti; pavo radice lini; ardea cancro; palumbes, graculi, merulæ, perdices lauri ramo annuum fastidium purgant; columbæ, turtures et gallinacei, herbæ, quæ vocatur helxine; anates, anseres cæteræque aquaticæ herba siderite; grues et similes junco palustri, corvus occiso chamæleonte, qui etiam victori nocet, lauro infestum virus exstinguit, » ait Aldrovandus *Prolegom. in Ornithol.* Ubi et addit lusciniam cum solstitio æstivo colorem æque ac vocem mutare.

HIRUNDO. — Hebraice סוּס *sus*, quod Vatablus, Pagninus et alii vertunt, *gruem*, quæ proceritate et voce similis est equo, qui hebraice *sus* dicitur. Verum Septuaginta, Chaldæa, Noster et alii, *Isaiæ* cap. XXXVIII, vers. 14, *sus* vertunt, *hirundo;* prima enim avium in vere redit hirundo, unde adagium : « Una hirundo non facit ver. » Audi mira de hirundine, ejusque solertia et veris præsensu.

Hirundinis reditus et nidificatio mira. Hirundines sub hiemem et frigora glomerant se, alisque et pedibus sese invicem implicantes, mergunt se in stagnum, ibique quasi soporatæ et exanimes quiescunt, dum vernus calor appetat, quem ut sentiunt, ad se redeunt et reviviscunt. Ita oculati testes Poloni testantur. Hirundo ergo ex aquis rediviva, primo vere ad nos redit, pristinos nidos investigat, inventisque applaudit, sibique congratulatur mirifice, cantu vario et quasi articulato. Thebarum tecta, teste Plinio, lib. X, cap. XXIII, subire negatur hirundo, quod urbs illa sæpius capta et vastata sit. Id ex Plinio repetens Solinus cap. XV *Polyhist.* causam hanc dat : « Nam inter cætera, inquit, habere hirundines quiddam præscium inde noscitur, quod lapsura non petunt culmina, et aspernantur peritura quoquo modo tecta. » Mirum vero est quod scribit Plinius, lib. X, cap. XXXIII, hirundines in Heracleotico Nili ostio, exundationi Nili molem inexpugnabilem continuatione nidorum ita opponere stadii unius spatio, ut id humano opere perfici vix posse credatur. Et in Ægypto juxta oppidum Copton, insulam esse aiunt sacram Isidi, quam ne Nilus inundet, hirundines, incipiente vere, palea et stramento firmant continuatis per triduum noctibus, tanto labore, ut multas in opere emori constet, eamque militiam illis cum anno redire semper.

Hirundo veris prænuntia. Aliæ quoque aves vere redeunt, sed præ iis nominat hirundines. Illæ enim certo primo vere redeunt, verque quasi annuntiant. Rursum, quia id magis mirum est in hirundine, quæ vix disciplinam admittit, vix cicurari se patitur. Unde Plinius, lib. X, cap. XV : « E volucribus, inquit, hirundines sunt indociles, e terrestribus mures, cum elephanti jussa faciant, leones jugum subeant, in mari vituli, totque piscium genera mitescant. » Et Plutarchus, VIII *Sympos. Quæst.* VII : « De his, inquit, quæ nobiscum habitant, sola hirundo et musca non cicurantur homini, nec tangi se patiuntur, neque consuetudinem aut societatem ullius operis ludive admittunt, quod musca facit metu incommodi, et qui subinde abigitur; hirundo autem quia natura odit homines, et ob infide-

litatem semper suspiciosa manet, et cicurationis fugax. » Ludovicus Ariostus in satyris scribit mori hirundinem, si vel unica tantum die in cavea inclusa teneatur; unde et hebraice vocatur דרור *deror*, id est libera, ait R. David. Albertus Magnus tamen scribit se vidisse hirundines mansuefactas, et ad manum advolantes. Sed hæ raræ sunt. Porro hirundo pietatis parentum (et maxime Dei) in filios symbolum est. Nam, ut ait Horus Apollo, lib. II *Hieroglyph.* cap. XXIX : « Omnes parentum opes filiis relictas volentes innuere *Ægyptii*, hirundinem pingunt. Illa enim jam morti proxima, luto seipsum volutat, et pullis latebras comparat. » Et S. Ambrosius, lib. V *Hexam.* cap. XVII : « Hirundo, ait, minuscula corpora, sed egregie pio sublimis affectu, indiga rerum omnium, pretiosiores auro nidos struit. » Hirundo ergo hic notat Deum in Hebræos quasi in filios pium, omnia sua bona eis elargitum, cum ipsi in eum essent ingrati et impii.

Ex hoc suo in vere reditu, hirundo vocatur « prænuntia veris. » Ovidius, *Fastor.* I :

> Tunc blandi soles, ignotaque prodit hirundo,
> Et luteum celsa sub trabe fingit opus.

Et :

> Fallimur, an veris prænuntia venit hirundo,
> An metuit, ne quæ versa recurrat hiems?

Hinc Rhodii, teste Athenæo, in fine hiemis invitare solent hirundines, ut ver afferant quod χελιδονίζειν nuncupabant, hoc est, τὴν χελιδόνι ἀγείρειν, id est hirundini stipem colligere, circumeundo oppidanorum ædes, et canendo cantilenam hanc (χελιδόνισμα quasi hirundinariam vocabant) : « Venit, venit hirundo, pulchras ducens horas, et annos pulchros. » Idem testatur Theognis, lib. III *Sacrificat.*, et ex eo Aldrovandus.

Mystice hirundo est sanctus ob 12 analogias.

Mystice, totam hirundinis naturam explicat Jacobus de Vitriaco Cardinalis, *Dominic.* II *Adventus* : Hirundo, inquit, quæ in collo et pectore rubicunda est, Sanctos significat, quibus Christi passionis fides in corde est et in ore, dum corde credunt ad justitiam, ore autem confitentur ad salutem. *Secundo*, stercoribus ejus cum Tobia homines mundani excæcantur, id est bonis temporalibus, quæ Sancti tanquam stercora reputant, sicut ait Apostolus. *Tertio*, fugit hirundo hiemem, et ad calidas regiones transit, ita sanctus gelicidium peccatorum, et torporem ignaviæ fugiens, ad Austrum Spiritus Sancti tendit, ut habitet in fervore charitatis. *Quarto*, in nidis construendis, et pullis educandis sollicita est hirundo; ita in Christi ope et gratia spem suam vir sanctus ponit, et ibi pullos bonorum operum recondit, et proximis educandis et nutriendis intendit. *Quinto*, hirundo lapsura culmina deserit, et Sancti præsentis sæculi ruinam fugiunt, ne cum ruente opprimantur et ruant. *Sexto*, mare transvolat hirundo, et Sancti mundi hujus amaritudinem transeundo, extra mundum Deo serviunt. *Septimo*, revertitur hirundo post frigus hiemis, ut annuntiet initium veris; ita justus post tentationes ad temperiem, Domino ducente, pervenit, et seipsum bonæ conversationis exemplum, et virorem virtutum aliis ostendit. *Octavo*, hirundo quærit ver, quod est medium inter hiemem et æstatem, et sanctus in se tenet discretionis et temperantiæ modum. *Nono*, hirundo cibum residens non sumit, sed in aere quas capit escas edit, et vir justus in terris cœlestia quærit. *Decimo*, hirundo nec alias infestat aves, nec ipsa ab aliis rapitur, et viri justi nec alios lædunt, nec unquam dæmonibus præda fiunt. *Undecimo*, hirundines sunt verbi Dei præcones, ad hos enim hæc D. Chrysostomi similitudo refertur : « Hirundines, inquit, alimenta suis pullis ab ore in os trahunt, nostra autem non, sed ab ore ad aurem : illa quippe in corruptionem, nostra vero in incorruptionem procedunt; illa corpus, animam autem nostra impinguant. *Duodecimo*, hirundo sedulo nidificans, et pullis visum per herbam chelidoniam reparans, designat justum in nulla indigentia desperare, neque ab opere cessare, sed parere filios Christo, eosque per veritatis pharmaca illuminare.

ET CICONIA CUSTODIERUNT TEMPUS ADVENTUS SUI, — scilicet tempus migrationis suæ in alium locum, ut hiemis rigorem fugiant, et ver placidum quærant. *Secundo*, hæ aves sciunt ubi et quando nidificent et pullos alant.

POPULUS AUTEM MEUS NON COGNOVIT JUDICIUM DOMINI, — id est tempus ultionis, a lege in genere, et a me in particulari definitum et promulgatum, quasi instans, ut hiemem desolationis Jerusalem per pœnitentiam effugiat. Porro « non cognovit, » id est noluit æstimare, non curavit, non credidit minis Domini. Alii « non cognovit, » scilicet practice, id est noluit facere judicium Domini, id est præcepta, ut fructum legis decerperet. Ita Theodoretus.

Comparat Deus Judæos avibus, peccata hiemi, misericordiam suam veri, docetque eos imprudentiores esse quam aves illæ sint, quæ quamvis discedant, tamen statis temporibus redeunt, quasi nos doceant agere pœnitentiam. Nam, ut Plinius ait lib. VIII, cap. XXVI, homines a bestiis medicinam, sic Tertullianus, lib. *De Pœnitentia*, ait pœnitentiam ab iisdem discere debere. Audi Tertullianum, lib. *De Pœnitentia*, in fine : « Cur cessas aggredi, quod scias mederi tibi? mutæ quidem animæ et irrationales medicinas sibi divinitus attributas in tempore agnoscunt. Cervus sagitta transfixus, ut ferrum et irrevocabiles moras ejus de vulnere expellat, scit sibi dictamno medendum. Hirundo si excæcaverit pullos, novit illos rursus oculare de sua chelidonia. Peccator restituendo sibi institutam a Domino exomologesin sciens, illam præteribit? » Idem habet S. Pacianus, *Exhort. ad pœnitent.*

Aves docuerunt homines uti medicinam, ita et pœnitentiam.

S. Barlaam apud Damascenum in *Hist.* cap. X,

idolorum cultores comparans aucupi, lepidum de luscinia habet apologum. Cum enim illa capta ab aucupe se jugulandam videret, dixit ei : Quidnam commodi ex mea nece consequeris ? nec enim per me ventrem tuum explere poteris : si me liberare volueris, dabo tibi tria præcepta, quæ si serves per omnem vitam, magna tibi afferent commoda. Promisit ille libertatem, si quid novi et magni ab ea disceret. Tum illa : « Nunquam, ait, rem quam consequi nequeas, aggredere, nunquam rei præteritæ te pœniteat, rei incredibili nunquam fidem adhibe. » Ille prudentiam ejus admiratus, eam dimisit. Dimissa ergo tentavit aucupem, ut videret an hæc præcepta servaret, dixitque : O homo, qualem hodie thesaurum amisisti ! est enim in visceribus meis unio, struthionis ovum magnitudine excedens. Audiens hoc auceps pœnituit, avemque ad se pellicere conatus est. Cui illa : Nunc te stolidum esse video. Docui enim te, ne ob rem præteritam pœnitentia ducereris, et ecce indoluisti quod me dimiseris. Præcepi tibi, ne ea quæ assequi non posses, aggredereris, et tamen arripere me conaris, cum iter meum assequi nequeas. Edixi tibi ne incredibili sermoni fidem haberes, et ecce in visceribus meis unionem, staturam meam excedentem inesse credidisti. Sic, inquit, stulti sunt idololatræ, quia colunt idola quorum ipsi opifices sunt.

8. MENDACIUM OPERATUS EST STYLUS MENDAX SCRIBARUM. — Chaldæus, *frustra fecit scriba calamum mendacii ad falsandas scripturas*, quia cum lex transgressoribus pœnas et excidium intentet, Scribæ dicunt : « Pax, pax, » redemptionem pœnarum et salutem promittendo Judæis per solas exteriores oblationes; sicque falsa interpretatione legem corrumpunt, et sic « sanant, » id est sanare student, « contritionem populi ad » ejus « ignominiam » et confusionem. Verum « confusi sunt, perterriti et capti sunt, » id est confundentur et percellentur metu cum capientur a Chaldæis.

Pagninus vertit : *Vere etiam mendacium fecit stylus, frustra scribæ*, quasi dicat : Frustra sunt scribæ et scribarum officium in Jerusalem, quia ipsi legem et verbis et factis pervertunt ; aut, ut Maldonatus, *q. d.* Frustra scribæ in lege transcribenda laborant, cum vos, o Judæi, minime eam servetis.

10. AGROS EORUM (dabo) HÆREDIBUS. — Hebraice יורשים *iorescim*, id est possessoribus, scilicet alienis, puta Chaldæis, qui agros Judæorum invadent et occupabunt.

CUNCTI FACIUNT MENDACIUM, — id est dolos et fraudes, ut mendacii legis interpretatione, lucra plebis aucupentur. *Secundo*, « mendacium, » id est quamvis pravitatem; hæc enim est mendacium non vocale, sed practicum : unde sæpe in Scriptura vocatur « mendacium. »

13. CONGREGANS CONGREGABO EOS, — scilicet ad necem et captivitatem, id est omnino perdam et delebo eos, aiunt a Castro et Sanchez. Aut simplicius, congregabo eos in Jerusalem aliasque Judææ urbes, ut ibi obsidionem arctissimam patiantur a Chaldæis, a quibus non relinquetur in vitibus uva, nec in ficulnea ficus; quin et folium ex arboribus defluet. Ita S. Hieronymus, Rabanus, Lyranus et Maldonatus. Notat S. Hieronymus hisce verbis significari longam fore obsidionem, ita ut ab autumno cum est tempus ficuum, protrahatur in hiemem cum folia defluunt. Aliter Chaldæus vertit : *Finientur Judæi, sicut finiuntur uvæ de vite, et sicut ficus defluens de ficulnea, et sicut folium ab arbore.*

Symbolice, per ficus et uvas proverbialiter significantur opes Judæorum, quæ universæ ab ipsis transibunt ad Chaldæos, ita ut etiam « quæ prætergressa sunt, » id est res viles et neglectæ, quales sunt racemi pauci in vinea relicti post vindemiam, ab iis denuo vestigentur et diripiantur. Hoc est quod dixit cap. VI, 9 : « Usque ad racemum colligent quasi in vinea reliquias Israel. » Ita Sanchez.

DEDI EIS QUÆ PRÆTERGRESSA SUNT. — Id est dabo Judæis uvas et ficus, quæ prætergredientur eos, id est ab eis transibunt ad Chaldæos, ab eisque carpentur. Ita S. Hieronymus, Vatablus, Hugo et Lyranus. Alii explicant, *q. d.* Dabo Judæis tantum illos fructus, quos Chaldæi vastando prætermiserint, ut eos ipsi furtim colligant. Verum priorem sensum exigit pronomen affixum in יעברום *iaabrum*, quod Judæos respicit, non Chaldæos, utpote quorum nulla hic facta est mentio.

14. INGREDIAMUR CIVITATEM MUNITAM, — Jerusalem; Septuaginta, *ingrediamur civitates munitas*. Est mimesis, sunt enim hæc Judæorum, ob imminentes Chaldæos pavidorum, verba. Vers. 14.

ET SILEAMUS IBI. — Id est exspectemus anxii et mœsti rei hujus et belli exitum; vel, ut Lyranus et Hugo, sileamus ibi, auscultantes tubas hostiles, an veniant Chaldæi : nihil moliamur, non provocemus hostem, tantum defendamur muris, siquidem Dominus in has angustias nos adduxit, et, ut Septuaginta, *abjecit nos*; Chaldæus, *pudefecit nos*. Silentium ergo hoc significat ingentem pavorem et consternationem; sic enim silent pavidi mures coram fele : sic siluit terra coram Alexandro Magno, I *Machab.* cap. I, 3.

Aliter Vatablus, Pagninus et a Castro : « Sileamus, » id est moriamur et pereamus; est catachresis : mortui enim silent. Sic cap. XXV, 37, ait : « Conticuerunt, » id est perierunt, « arva pacis ; » et cap. XLIX, 28 : « Omnes viri prælii conticescent, » id est peribunt, et sic infernus et sepulcrum hebraice dicitur דומם *duma*, id est silentium.

Tertio, S. Hieronymus : Deus, inquit, inexorabilis silentium nobis imposuit, ut non audeamus eum deprecari : consuetudo enim peccandi parit desperationem veniæ.

Quarto, alii : « Sileamus, » id est quiescamus a tantis malis, in quibus hic versamur; sed quomodo Deus silere eos fecit, quos tantis malis afflixit ?

Silentium quadruplex.

Moraliter, multiplex est silentium, ait Divus Thomas. *Primum*, stuporis : *Amos* cap. VIII : « In omni loco projicietur silentium. » *Secundum*, securitatis : *Isaiæ* cap. XXXII : « Et erit opus justitiæ pax, et cultus justitiæ silentium, et securitas usque in sempiternum. » *Tertium*, longanimitatis : *Thren.* cap. III : «Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei. » *Quartum*, quietis cordis : *Eccle.* XII : « Verba sapientium sicut stimuli, et quasi clavi in altum defixi. » Hucusque D. Thomas vel potius Thomas Anglicus.

ET POTUM DEDIT NOBIS AQUAM FELLIS. — Vatablus, *aquam fellitam*, sive felle mixtam, ideoque amaram; Chaldæus, *aquam maledictionis;* hoc est amaritudine nos replevit, ut discamus per experientiam, malum et amarum esse reliquisse, et ad amaritudinem provocasse dulcem Dominum. Ita S. Hieronymus. Sic dicitur *Psalm.* LIX, 5 : « Ostendisti populo tuo dura : potasti nos vino compunctionis ; » et *Psalm.* LXXIX, 6 : « Cibabis nos pane lacrymarum, et potum dabis nobis in lacrymis in mensura. »

Potest *secundo*, verti : *Potum dedit nobis aquam veneni lethiferi*, id est, deduxit nos Dominus in angores et pericula mortis, ac si aconitum nobis propinasset.

Peccatum est gutta mellis, et mare fellis.

Moraliter, disce hic quid sit peccatum, ejusque illecebræ; scilicet est gutta mellis, quæ vertitur in mare fellis : modica enim voluptas punitur æterno dolore et igne.

Vers. 15.

15. EXSPECTAVIMUS PACEM, — credentes falsis prophetis, qui dicebant : « Pax, pax. »

ET NON ERAT BONUM, — pacis scilicet, quod exspectabamus. Ita Vatablus, S. Thomas, Lyranus. Aliter S. Hieronymus, *non erat bonum*, id est meritum quo pacem mereremur.

TEMPUS MEDELÆ, — id est liberationis; Chaldæus, *propitiationis* : repete *exspectavimus*.

16. A DAN AUDITUS EST FREMITUS EQUORUM EJUS, — *q. d.* Ex Dan, sive ex Cæsarea Philippi veniet Nabuchodonosor cum suo equitatu contra Jerusalem. Vide dicta cap. IV, vers. 15.

Hæc allegorice multi cum Irenæo, lib. V, cap. XXX, accipiunt de Antichristo nascituro ex tribu Dan, et sic exponunt illud *Genes.* XLIX : « Fiat Dan coluber in via, » ideoque *Apoc.* VII, inter tribus signatas, solam omitti Dan. Ita S. Augustinus, Gregorius, Theodoretus, Ambrosius, Damascenus, Anselmus, Rupertus, Beda et alii, quos refert Lipomanus, *Genes.* LIX, 16. Unde Ribera, *Apoc.* cap. VII, num. 13 : « Quare, inquit, a Dan veniet Antichristus? quoniam ex tribu Dan in urbe Dan habitante, et fortasse in eadem urbe nascetur. »

DEVORAVERUNT TERRAM ET PLENITUDINEM EJUS, — id est ubertatem ejus, puta omnes fructus, quibus plena erat.

Vers. 17.

17. ECCE EGO MITTAM VOBIS SERPENTES REGULOS. — Septuaginta, *serpentes mortiferos*. Nota *regulus*, teste Plinio, lib. VIII, XXI, Solino, cap. XXX, Ælia-no, lib. IX, cap. XVIII, latine idem est, qui græce basiliscus, nimirum serpens est digiti aut palmi magnitudine, alba quasi corona lineatum habens caput; media parte corporis serpit, media erectus incedit, ita noxius ut auras inficiat, adeo « ut in aera nulla alitum impune transvolet infectum spiritu pestilenti, » ait Solinus cap. XXX, herbas exurat, afflatu imo spiritu homines interimat, sibilo fuget omnes serpentes ; unde *regulus*, id est rex serpentum dicitur. Tales fuere Chaldæi Judæis, ut eos solo pene aspectu, hinnitu et voce exanimarent. Unde Chaldæus vertit : *Populos occidentes, sicut serpentes regulos, quibus non est incantatio, et occident vos.*

Basiliscus sive regulus quis?

QUIBUS NON EST INCANTATIO. — Id est qui ita barbari sunt et crudeles, ut nullis precibus ad misericordiam flecti possint. Ita S. Hieronymus et Chaldæus, sed Septuaginta vertunt, *a quibus non est evellere*, scilicet aculeum veneni mortiferi, *et mordebunt vos insanabiliter cum dolore cordis vestri deficientes.*

Tropologice, tales reguli impiis et damnatis sunt dæmones. Ita S. Gregorius, lib. XXXIV *Moral.* V : « Immittam, inquit, vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio, ac si diceret : Justo judicio talibus vos immundis spiritibus tradam, qui a vobis excuti exhortatione prædicantium quasi incantantium sermone non valeant. » Rursum tales reguli sunt detractores, ait Hugo.

18. DOLOR MEUS SUPER DOLOREM. — Nota esse vocem Jeremiæ, ut docent Chaldæus, Hugo, S. Thomas, Lyranus, vel, ut S. Hieronymus et Rabanus, Dei, dolentis et plangentis eversionem Jerusalem, ut præ dolore quasi os rictu distendat. Hebræum enim מבליגיתי *mabligiti*, quod Græcis non dicitur ὠδίνη, sed μειδίαμα, est rictus oris, dolore partim contracti, partim distenti, et habentis risus similitudinem. Ita S. Hieronymus. Sed Maldonatus et Sanchez censent hæc esse verba populi dolentis, quæ a Propheta per mimesim recitentur. Unde tropologice addit Sanchez peccatores in suis peccatis lætari et ridere; sed risum hunc esse sardonicum, qui mortis est signum aut causa. Verum vers. seq. exponitur vox populi. Verior ergo est expositio S. Hieronymi.

Aliter vertit Vatablus : *Roboratio* vel *respiratio mea super dolorem, in me mœstum est cor meum, q. d.* Cum in dolore vellem me solari, et contra eum roborare, non potui, quia cor mœrore oppressum est.

19. ECCE VOX CLAMORIS FILIÆ POPULI MEI. — Synagogam populi sui, vocat Jeremias *filiam*, quia eam amabat, educabat et admonebat ut filiam. Unde Chaldæus vertit, *vox cœtus populi mei, q. d.* Doleo ego Jeremias, quia videor audire vocem populi mei abducti in captivitatem longinquam, in Chaldæam ; aut potius populi timentis adventum et obsidionem Chaldæorum. Unde pro *de terra longinqua*, hebraice est מארץ *meerets*, propter terram, מרחקים *marchakkim*, id est distantiarum. Ita Pagninus. Sic sæpe *de* pro *propter* capitur, ut

cum dicimus, Ploro, ejulo, lugeo de morte filii, *de*, id est *propter*. Est hebraismus et enallage, *q. d.* Doleo et percellor propter eos, aut metu eorum qui veniunt de terra longinqua, id est Chaldæorum. Nam de obsidione Hierosolymæ hic agi, non de captivitate, ut volunt Theodoretus, Lyranus, Thomas et Castrius, patet ex seqq. Ita S. Hieronymus, Rabanus, Hugo, Vatablus et Maldonatus.

NUMQUID DOMINUS NON EST IN SION? — Verba sunt populi a Chaldæis obsessi, *q. d.* Numquid non Deus est quasi rex in Sion; quare ergo eam obsideri permisit? cur eam Chaldæis vastandam traditurus videtur? Respondet Dominus : Cur et vos irritastis me vestris idolis? cur, me relicto, opem petiistis ab exteris diis et gentibus, quasi in Jerusalem non esset Deus, neque rex? uti dixit cap. II, vers. 18. Notat cultum *Moloch*, id est regis hominumque deumque. Hunc enim exterum regem et deum suo patrio veroque prætulerant Judæi.

Aliter Chaldæus; censet enim ipse, τὸ *numquid non*, etc., esse verba Dei, *q. d.* Cum habeatis me summum dominum et regem in Sion, cur fugitis ad idola?

20. TRANSIIT MESSIS. — Est vox populi Judaici plangentis diuturnam calamitatem, scilicet obsidionem tota æstate et anno toleratam, quodque Ægyptii opem quam promiserant ut eam solverent non tulerint : putabant enim eos post messem venturos in maio vel junio, cum homines minus sunt occupati, et non veniebant. Dein putabant post æstatem venturos facta jam vindemia, et non veniebant. Ridet ergo hic eos Deus, recitans eorum verba. Ita S. Hieronymus, Vatablus, Lyranus et Maldonatus. Aliter S. Thomas, *q. d.* Transiit messis, et tamen nos adhuc fame perimus. Aliter quoque Theodoretus, *q. d.* Transierunt jam septuaginta messes et æstates, id est anni captivitatis, et tamen nos adhuc in Babylone manemus captivi. Verum hoc remotius et alienius est : unde videtur hic non de captivitate, sed de obsidione agi.

21. SUPER CONTRITIONE FILIÆ POPULI MEI CONTRITUS SUM, — *q. d.* Ego Deus, ait S. Hieronymus, vel potius, ut Chaldæus, Theodoretus, Lyranus, S. Thomas et Vatablus, ego Jeremias, hæreo et stupeo, quod populis tantis suis malis mederi non curet.

Vers. 22. Resina quid?

22. NUMQUID RESINA NON EST IN GALAAD? — « Resina » lacryma est sive gutta, stillans vel sponte, vel ex incisione arborum, ut ex pino, cupresso, cedro, terebintho, quæ dicitur terebinthina. Celebris in Scriptura est illa, quæ in « Galaad » colligebatur : « Galaad » enim Arabiæ, quæ aromatum est feracissima, pars est. Porro resina mitigat dolorem, astringit vulnera, et cicatricem obducit. Græci ῥητίνην, vocant : ῥέειν enim dicitur, quidquid fluit vel stillat. Vatablus et Pagninus *theriacam* vertunt; Chaldæus, *balsamum*.

MEDICUS NON EST IBI? — Vatablus et Pagninus vertunt, *chirurgus non est ibi?* Nota : In arte medica et chirurgia excelluerunt Galaaditæ et Arabes ob sua aromata et simplicia, puta herbas, ligna et fructus, quos habent præstantissimos. Rursum nominat Galaad, quod ibi Elias et alii Prophetæ habitassent, III *Reg.* XVII, 1, *q. d.* Desuntne Jerusalem et Judææ medicinæ? id est sana consilia, doctrina, institutio; vel, ut Vatablus et Chaldæus, preces et orationes piorum virorum, atque medici, scilicet spirituales, puta Prophetæ et sacerdotes, quorum medicamine et consilio curentur ejus vulnera, id est peccata, et tanta clades et vastatio? *q. d.* Non desunt, sed non vult eos audire. Ita Theodoretus. Aliter Vatablus : Miror, ait, in hac regione, quæ dicit se Deum colere, non inveniri pium aliquem, qui precibus suis populi mei malis medeatur. Ex hoc loco Bachiarius, epist. *ad Januarium*, probat omne peccatum esse remissibile in hac vita. Aliter quoque a Castro, ut sit sarcasmus, *q. d.* Ubi sunt vestræ medicinæ, id est arma, consilia, auxilia; et medici, id est principes et sacerdotes, quos jactabatis vulnus obsidionis vestræ et excidii curaturos? Videte, quia sine Deo, imo contra Deum, non est consilium, non est sapientia, non est medicamen, nulla sanitas.

Resina animæ est pœnitentia.

Tropologice resina et medicina animæ, est pœnitentia, ait S. Hieronymus, et, ut Chaldæus, est oratio. Unde ipse ita vertit : « Dixit Jeremias propheta : Forte non sunt mihi bona opera ad deprecandum pro domo Israel : desiderabam utique doctrinam Eliæ prophetæ, qui fuit de Galaad, cujus verba erant medicina, quia pro eo quod non sunt conversi, ideo non crevit medicina plagæ cœtus populi mei, » *q. d.* Deus Judæis medicinam subtraxit, quia noluerunt ea uti.

Rursum, resina sunt Sacramenta, quæ Christi sanguinem, ad vulnera animæ sananda efficacissimum, in eam distillant : Galaad est Ecclesia : medici sunt sacerdotes, qui Sacramenta hæc quasi pharmaca administrant : terebinthus, ex qua hæc resina stillat, est corpus Christi crucifixum, de quo *Eccli.* cap. XXIV : « Ego quasi terebinthus extendi ramos meos. »

Porro quod Hippocrates, initio *Aphorism.* de medicina et medicis vulnera et morbos corporis curantibus scribit et queritur : « Vita brevis, ars longa, occasio præceps, experimentum periculosum, judicium difficile; » hoc longe verius est de medicina et medicis spiritualibus, qui vulnera et morbos animæ curare satagunt.

Denique præclare S. Augustinus, in *Sententiis*, Sent. 131 : « Sicut, ait, duo sunt officia medicinæ, unum quo sanatur infirmitas, aliud quo custoditur sanitas : ita duo sunt gratiæ dona, unum quod aufert carnis cupiditatem, aliud quod facit animæ perseverare virtutem. »

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit increpare dolos et scelera Judæorum, ac lamentari excidium eis impendens: sicut Christus videns civitatem flevit super illam dicens: Si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, *Lucæ*, XIX, 41. *Primo ergo, optat sibi fontem lacrymarum ad plangendam cladem Hierosolymæ. Secundo, vers.* 3, *arguit Judæorum dolos et maledicentiam. Tertio, vers.* 10, *desolationem Hierosolymæ depingit. Quarto, vers.* 15, *ait quod Deus cibabit Judæos absinthio et felle. Quinto, vers.* 17, *vocat lamentatrices ad plangendum Jerusalem. Sexto, vers.* 21, *ait quod mors, id est, Chaldæi, ascenderit per fenestras. Septimo, vers.* 23, *monet ne glorientur aut sperent in sua sapientia, viribus, opibus, aut in circumcisa carne, sed in Domino* (1).

1. Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum? et plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei. 2. Quis dabit me in solitudine diversorium viatorum, et derelinquam populum meum, et recedam ab eis? quia omnes adulteri sunt, cœtus prævaricatorum. 3. Et extenderunt linguam suam quasi arcum mendacii et non veritatis: confortati sunt in terra, quia de malo ad malum egressi sunt, et me non cognoverunt, dicit Dominus. 4. Unusquisque se a proximo suo custodiat, et in omni fratre suo non habeat fiduciam: quia omnis frater supplantans supplantabit, et omnis amicus fraudulenter incedet. 5. Et vir fratrem suum deridebit, et veritatem non loquentur: docuerunt enim linguam suam loqui mendacium: ut inique agerent, laboraverunt. 6. Habitatio tua in medio doli: in dolo renuerunt scire me, dicit Dominus. 7. Propterea hæc dicit Dominus exercituum: Ecce ego conflabo, et probabo eos: quid enim aliud faciam a facie filiæ populi mei? 8. Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est: in ore suo pacem cum amico suo loquitur, et occulte ponit ei insidias. 9. Numquid super his non visitabo, dicit Dominus? aut in gente hujusmodi non ulciscetur anima mea? 10. Super montes assumam fletum ac lamentum, et super speciosa deserti planctum: quoniam incensa sunt, eo quod non sit vir pertransiens: et non audierunt vocem possidentis: a volucre cœli usque ad pecora transmigraverunt et recesserunt. 11. Et dabo Jerusalem in acervos arenæ, et cubilia draconum: et civitates Juda dabo in desolationem, eo quod non sit habitator. 12. Quis est vir sapiens, qui intelligat hoc, et ad quem verbum oris Domini fiat ut annuntiet istud, quare perierit terra, et exusta sit quasi desertum, eo quod non sit qui pertranseat? 13. Et dixit Dominus: Quia dereliquerunt legem meam, quam dedi eis, et non audierunt vocem meam, et non ambulaverunt in ea: 14. et abierunt post pravitatem cordis sui, et post Baalim: quod didicerunt a patribus suis. 15. Idcirco hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Ecce ego cibabo populum istum absinthio, et potum dabo eis aquam fellis. 16. Et dispergam eos in gentibus, quas non noverunt ipsi et patres eorum: et mittam post eos gladium, donec consumantur. 17. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Contemplamini, et vocate lamentatrices, et veniant: et ad eas quæ sapientes sunt, mittite, et properent: 18. festinent, et assumant super nos lamentum: deducant oculi nostri lacrymas, et palpebræ nostræ defluant aquis. 19. Quia vox lamentationis audita est de Sion: Quomodo vastati sumus et confusi vehementer? quia dereliquimus terram, quoniam dejecta sunt tabernacula nostra. 20. Audite ergo, mulieres, verbum Domini: et assumant aures vestræ sermonem oris ejus: et docete filias vestras lamentum, et unaquæque proximam suam planctum. 21. Quia ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras, disper-

(1) Vide analysim cap. præced.

dere parvulos de foris, juvenes de plateis. 22. Loquere : Hæc dicit Dominus : Et cadet morticinum hominis quasi stercus super faciem regionis, et quasi fœnum post tergum metentis, et non est qui colligat. 23. Hæc dicit Dominus : Non glorietur sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis : 24. sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire et nosse me, quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam et judicium, et justitiam in terra : hæc enim placent mihi, ait Dominus. 25. Ecce dies veniunt, dicit Dominus : et visitabo super omnem qui circumcisum habet præputium, 26. super Ægyptum, et super Juda, et super Edom, et super filios Ammon, et super Moab, et super omnes qui attonsi sunt in comam, habitantes in deserto : quia omnes gentes habent præputium, omnis autem domus Israel incircumcisi sunt corde.

Vers. 1. 1. QUIS DABIT CAPITI MEO AQUAM? — Hebræus : *Quis det caput meum aquas, et oculum meum venam,* aut fontem *lacrymæ? q. d.* O utinam totum meum cerebrum et caput verteretur in aquas (quo significatur copia), et oculi mei in venas lacrymarum (quo significatur perennitas lacrymarum); ut pro dignitate calamitatem Hierosolymæ instantem deflere possem ! Ita S. Hieronymus : « Si totus, ait, vertar in fletum, et nequaquam guttæ sint lacrymarum, sed abundantia fluminis, non satis digne flevero. » Ita et Rabanus et Hugo, qui volunt hæc esse verba Dei; Deus enim loquitur, vers. 3. Melius Theodoretus et alii passim censent esse verba Jeremiæ. Vide hic quanta in Jeremia fuerit commiseratio et zelus. Vere dixit Nazianzenus, *orat.* 3 : « Proborum virorum lacrymæ sunt peccati diluvium, et mundi piamentum. »

Tradunt medici fontem lacrymarum esse cor. Tres enim docent exhalationum in homine esse fontes, stomachum, hepar, cor : stomachum vapores emittere sursum, qui per nares excernuntur; hepatis fumos, per aures; cordis autem per oculos et lacrymas effundi. Fons ergo lacrymarum est cor compunctum et dolens.

Tropologice, hæc longe potiori ratione refert S. Bernardus ad gehennæ tormenta, serm. 16 *in Cant.* : « Quis, inquit, dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, ut præveniam fletibus fletum, et stridorem dentium, et manuum pedumque dura vincula, et pondus catenarum prementium, stringentium, urentium, nec consumentium? Heu me ! mater mea, ut quid me genuisti filium doloris, filium amaritudinis, indignationis et plorationis æternæ ! »

Lacrymarum vis et efficacia apud Deum. Harum lacrymarum vim et efficaciam describens S. Laurentius Justinianus, libro *De Ligno vitæ*, cap. IX, exclamat : « O lacryma humilis ! tua est potentia, tuum est regnum. Tribunal judicis non vereris, amicorum tuorum accusatoribus silentium imponis, non est qui te ad Deum accedere vetet. Si sola intres, vacua non redibis. Quid plura? vincis invincibilem, ligas Omnipotentem, inclinas filium Virginis, aperis cœlum, fugas diabolum. »

Hinc S. Gregorius, lib. V *Dialog.* cap. XXXIV, et lib. VI *Regist.* epist. 23 : « Axa, inquit, suspirans a patre (Caleb, *Josue* XV, 18), terram irriguam petit : quia a Creatore nostro, cum magno desiderio quærenda est lacrymarum gratia. Hinc irriguum superius accipit anima, cum sese in lacrymis cœlestis regni desiderio affligit : irriguum vero inferius accipit, cum inferni supplicia flendo pertimescit. » S. Augustinus : « Oratio, ait, ungit Deum, lacryma pungit : illa lenit, hæc cogit. »

Hoc donum habuit S. Magdalena flens pro peccatis suis, et lacrymis rigans et lavans pedes Christi; unde ab eo audivit : « Remittuntur tibi peccata tua. »

Vere dixit S. Chrysostomus, hom. 6 *in Matth.* : « Sicut post vehementes imbres, mundus aer ac purus efficitur, ita etiam lacrymarum pluvias serenitas mentis sequitur atque tranquillitas. »

Merito ergo de se testatur Psaltes, *Psalm.* XLI, 4, dicens : « Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie : Ubi est Deus tuus? Hæc recordatus sum, et effudi in me animam meam. »

Et *Eccli.* XXXV, 18 : « Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt, et exclamatio ejus super deducentem eas? A maxilla enim ascendunt usque ad cœlum, et Dominus exauditor delectabitur in illis. »

Rursum Psaltes, *Psal.* LV, 9 : « Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo; » et Jeremias, *Thren.* III, 48 : « Divisiones aquarum deduxit oculus meus, in contritione filiæ populi mei. »

Oremus ergo cum S. Augustino ex imo corde : « Da mihi, Domine, irriguum superius et inferius. Præsta mihi hanc gratiam propter te, ut quoties de te cogito, de te loquor, de te scribo, de te lego, de te confero; toties obortis lacrymis in conspectu tuo copiose et dulciter fleam, ita ut efficiantur mihi lacrymæ meæ panis die ac nocte. Rogo te, bone Jesu, per omnes miserationes tuas, quibus nobis perditis mirabiliter subvenire dignatus es, da mihi gratiam lacrymarum, quam multum desiderat anima mea, » ut plangam peccata mea et proximorum meorum.

INTERFECTOS, — interficiendos a Chaldæis.

Vers. 2. 2. QUIS DABIT ME (supple, reperire) IN SOLITUDINE DIVERSORIUM? — *q. d.* Utinam liceret mihi diversari in deserto, ut solus cum Deo et angelis

versarer, ne viderem tanta hominum scelera! Ita S. Hieronymus et D. Thomas; unde Septuaginta vertunt: *Quis det mihi in solitudine mansionem extremam?* id est remotissimum aliquem locum, v. g. eremitorium, ubi instar S. Antonii aut S. Pauli eremitæ delitescam.

Unde S. Hieronymus in solitudinem suam invitans Heliodorum : « O desertum, inquit, Christi floribus vernans! o solitudo, in qua illi nascuntur lapides, de quibus in Apocalypsi civitas magni regis exstruitur! O eremus familiarius Deo gaudens! Quid agis, frater, in sæculo, qui major es mundo? quamdiu te tectorum umbræ premunt? quamdiu fumosarum urbium carcer includit? » Et ad Rusticum : « Mihi oppidum carcer, solitudo paradisus est; » et S. Antonius, viso et audito S. Paulo primo eremita (uti in ejus *Vita* scribit S. Hieronymus), ad suos dixit : « Væ mihi peccatori, quia falso monachi nomen gero ! Vidi Eliam, vidi Joannem in deserto, et vere vidi Paulum in paradiso. »

Exempla SS. Episcoporum et prædicatorum, qui abdicato officio et gradu, ad solitariam et monasticam vitam confugerunt, vide apud B. Petrum Damianum, epist. 9 *ad Nicolaum* II *Pontif.*

Allegorice optat Jeremias latere et quiescere in deserto gentium, id est in Ecclesia Christi, ait ♄ Irenæus, lib. IV, cap. XLII.

QUIA OMNES ADULTERI SUNT, COETUS PRÆVARICATORUM. — « Adulteri, » tum proprie, tum mystice, id est idololatræ. Apposite hunc locum torquet Theodorus Studita in Mœchianos hæreticos, qui mœchiam, id est adulterinum (utpote priore uxore Maria vivente et repudiata) matrimonium Constantini Imperatoris cum Theodote probabant, quasi Imperator legibus divinis esset exemptus, nec iis obligaretur. Ita enim scribit de conciliabulo Constantinopolitano, in quo anno Domini 809 hæc hæresis probata est, ad Leonem III Romanum Pontificem : « Factus est, juxta Jeremiam prophetam, cœtus revera prævaricatorum, et concilium adulterantium; quod enim ibi propter idolorum fornicationem dictum est, hic per adulterinæ copulæ confirmationem patefactum est. Utrique eumdem Dominum spreverunt, illi per leges, hi per Evangelii transgressionem; » et inferius : « Causam vero suam improba defensione prætexunt. Adulterini siquidem conjugii conjunctionem dispensationem esse decernunt. In regibus nihil posse divinas leges definiunt : eos qui pro veritate ac justitia usque ad sanguinem restiterunt, ut Præcursorem et Chrysostomum, imitari vetant; » et mox : « Quid igitur ad hæc, o Beate, dicendum est, nisi Apostolicum illud : Nunc Antichristi multi facti sunt, si divinis legibus et canonibus omnes homines subditi non sumus? Salva nos, Archipastor Ecclesiæ quæ sub cœlo est : perimus. ».

EXTENDERUNT LINGUAM SUAM QUASI ARCUM MENDACII. — Ut scilicet ex lingua quasi arcu ejaculentur sagittas, id est dolos, calumnias, et omne mendacium, quibus fratres et proximos suos transfigant. Ita Theodoretus. Verum S. Hieronymus per *mendacium* blasphemias accipit in Deum jactas, uti Deum non habere providentiam, non curare suam gentem, puta Judæos : hoc enim tum athei jactabant. Prior sensus planior est, eumque exigit vers. 4. Idem deplorat Psaltes, *Psalm.* LXIII, 4 : « Intenderunt, inquit, arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum; » et *Psal.* X, 3 : « Paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde. »

3. CONFORTATI SUNT. — Hebræus, *prævaluerunt*, *q. d.* ut Vatablus : Obtinent dignitates in terra, non per veritatem, sed per malas artes, puta per fraudes et sycophantias, aut, ut Maldonatus, *q. d.* De malo ad malum progressi sunt, dolum dolo, fraudes fraudibus nexuerunt.

4. UNUSQUISQUE SE A PROXIMO SUO CUSTODIAT, — nulla inter eos fides est : Vers. 4.

Non hospes ab hospite tutus,
Non socer a genero; fratrum quoque gratia rara est :

sed quisque alium deprimere, calumniari, decipere et evertere nititur. Prudenter sane Agesilaus, gentilis licet, teste Plutarcho, quoties audiebat aliquos de aliorum laude aut vituperio testimonium dicere, dicebat non minus esse inquirendum in mores eorum qui loquebantur, quam eorum de quibus loquebantur.

Detractores et susurrones in communitate sunt viperæ et proditores.

Notent hæc illi, qui in aliqua republica congregatione, sodalitate aut religione sociis suis detrahunt, eos calumniantur, deprimunt, et in aliorum odium aut contemptum adducunt : hi sane viperæ sunt, qui viscera fratrum, imo matris, puta congregationis suæ, rodunt et lancinant : in quos Dei maledictio, quam Jeremias hic Judæis comminatur, et præsens et æterna desæviet. Merito sane S. Bernardus, serm. 3 *De dedicat. Eccles.*, tales vocat proditores, qui templum Domini faciunt speluncam dæmoniorum.

Porro singula verba hic habent pondus et pathos ingens. *Primo*, vers. 3, ait : « Extenderunt linguam suam quasi arcum mendacii, et non veritatis, » *q. d.* Lingua a Deo data est ut sit arcus veritatis et benedictionis; at detractores faciunt eam arcum mendacii et maledictionis. *Secundo*, « confortati sunt in terra, » quia linguipotentes sua dicacitate et facetiis omnes post se trahunt, ut ab eorum ore pendeant. *Tertio*, « de malo ad malum egressi sunt, » ab una detractione ad aliam, ab una calumnia ad aliam progrediuntur. *Quarto*, « me non cognoverunt, dicit Dominus, » non reverentur me legislatorem, nec timent me maledicentiæ vindicem. *Quinto*, « omnis frater supplantans supplantabit : » fratris est fratrem extollere et erigere; at hi deprimunt et supplantant. *Sexto*, « omnis amicus fraudulenter incedet : » simulant se amicos coram, sed a tergo ostendunt se hostes; in facie laudant, a tergo vituperant. *Septimo*, « vir

fratrem suum deridebit : » non tantum mores carpunt, sed et per contemptum derident et subsannant. *Octavo*, « ut inique agerent laboraverunt : » inquirunt omnia, examinant omnes ut audiant quod carpant, satagunt ut fratrem in vilipendium et odium apud omnes inducant. *Nono*, « habitatio tua in medio doli, » pleni sunt dolis, iisque undique circumcincti, ut habitans cum eis illos evadere nequeat. *Decimo*, « sagitta vulnerans lingua eorum : » ex improviso lædunt et penetrant ut sagittæ.

Vers. 6. 6. HABITATIO TUA IN MEDIO DOLI. — Sunt verba Dei ad Jeremiam, *q. d.* Tu habitas inter homines dolosos, qui linguam in melle, cor in felle situm habent. Ita S. Hieronymus, D. Thomas, Vatablus, Rabanus. Porro simulata amicitia duplex est inimicitia; sicut simulata æquitas est duplicata iniquitas. Nam præviæ iniquitati adduntur simulatio et hypocrisis, ut ait S. Augustinus in *Sententiis*, num. 219.

Aliter Chaldæus, Hugo, Lyranus, ut sint verba Jeremiæ ad populum, *q. d.* Jaces, o populе, in dolo, ita peccatis et dolis circumsessus, ut resurgere non possis.

IN DOLO (præ dolo, propter dolos et flagitia, noluerunt) SCIRE (et agnoscere) ME.

7. ECCE EGO CONFLABO, ET PROBABO EOS. — Septuaginta, *examinabo eos igne*, id est bello ardentissimo Chaldæorum. Quid enim aliud facerem populo meo, nisi eum ut filium castigando et corrigendo? Ita S. Hieronymus, Hugo, S. Thomas; quare eum velut aurum in fornace tribulationis purgare, et a rubigine peccatorum expolire volo, non omnino consumere. Sic ait *Eccli.* XXVII, 6 : « Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis. »

Vers. 8. Lingua detractrix est gladius trisulcus.

8. SAGITTA VULNERANS. — Chaldæus, *acuta*. Lingua enim maledica et detractrix est quasi gladius triceps sive trisulcus, qui tria dat vulnera ictu uno, quia vulnerat et occidit *primo*, audientem; *secundo*, eum cui detrahit; *tertio*, seipsum, inquit S. Bernardus.

De his ait Psaltes, *Psalm.* V, 11 : « Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant. » Et *Psalm.* XIII : « Venenum aspidum sub labiis eorum. » Et *Psalm.* LVI, 5 : « Filii hominum dentes eorum arma et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus. » Et *Psalm.* LXIII, 4 : « Exacuerunt ut gladium linguas suas. » Et *Eccles.* X, 11 : « Si mordeat serpens in occulto, nihil eo minus habet qui occulte detrahit. » Et *Eccli.* XXVIII, 15 : « Susurro et bilinguis maledictus : multos enim turbabit pacem habentes. Lingua tertia multos commovit, et dispersit illos de gente in gentem. » Et Apostolus, *Galat.* V, 15 : « Si invicem mordetis, et comeditis, videte ne ab invicem consumamini. » *Rom.* I, 30 : « Detractores, Deo odibiles. » Et Jacobus, III, 5 : « Ecce quantus ignis quam magnam sylvam incendit; et lingua ignis est, universitas iniquitatis. » Et vers. 8 : « Linguam nullus hominum domare potest : inquietum malum, plena veneno mortifero. » *Prov.* cap. XXIV, 9 : « Abominatio hominum detractor. » S. Bernardus in *serm.* : « Detractor, ait, et libens auditor, uterque diabolum portat in lingua. Si pauper es, vilem et abjectum reputat; si dives, ambitiosum, avarum et cupidum; si affabilis, dissolutum; si prædicator vel doctor, honoris et humani favoris quæsitorem; si tacens, inutilem; si jejunus, hypocritam; si comedens, voratorem. » Cassiodorus in *Psal.* : « Dentes, ait, dicti sunt a demendo, ideo pulchre linguæ detrahentium dentes vocantur; quia sicut illi ciborum partes demunt, ita et isti opiniones hominum corrodent. » Vere Plautus in *Captiv.* :

> Quasi mures semper comedimus alienum cibum,
> Ubi res prolatæ sunt nostris dentibus.

Et Horatius, lib. I *Serm.*, satyr. 4 :

> Absentem qui rodit amicum,
> Qui non defendit alio culpante, solutos
> Qui captat risus hominum, famamque dicacis,
> Fingere qui non visa potest, commissa tacere
> Qui nequit : hic niger est; hunc tu, Romane, caveto.

Et Cicero in *Offic.* : « Detrahere alteri, et hominis incommodo suum commodum augere, magis est contra naturam quam mors, quam dolor, quam cætera quæ possunt aut corpori accidere, aut rebus externis. Nam principio tollunt convictum hominum et societatem. »

Vere Plautus : « Contumeliam si dices, audies; » et Terentius in *Andria* : « Si mihi pergit quæ vult dicere, quæ non vult audiet. » Et Euripides : « Infrenis oris vectigal, calamitas. » Porro S. Bernardus, serm. 24 *in Cant.*, graphice vafritiem detractorum describit : « Videbis, ait, a detractore alta præmitti suspiria, sicque cum quadam gravitate et tarditate, vultu mœsto, demissis superciliis, et voce plangenti egredi maledictionem; et quidem tanto persuasibiliorem, quanto creditur ab his qui audiunt, corde non invido, sed magis condolenti affectu, quam malitiose proferri. Doleo, inquit, vehementer, pro eo quod diligo eum satis, et nunquam potui de hac re corrigere eum, et alias mihi quidem bene compertum fuerat de eo istud, sed per me nunquam innotuisset; at quoniam per alterum patefacta res est, negare non possum, revera ita est. » Sane viri prudentes censent majorem partem hominum damnari ob peccatum detractionis et maledictionis, adeoque in Religionibus et Congregationibus alioqui probis et securis, non esse majus periculum salutis quam a lingua et a detractione; quinimo in iis non raro peccari non tantum venialiter, sed et mortaliter in hac materia, eoque periculosius, quod detrahentes id ipsum non advertant, vel prætextu zeli excusent. Vere S. Hieronymus *ad Celantiam* : « Pauci, ait, sunt qui huic vitio renuntient, tantaque hujus mali libido mentes hominum invasit, ut etiam qui procul aliis vitiis recesserunt, in istud tamen quasi in extraneum laqueum incidant. »

Vers. 10. 10. SUPER MONTES (id est propter montium Judææ vastationem lamentabor, quia omnia incendio adusta sunt), EO QUOD NON (id est, ita ut vix sit) PERTRANSIENS.

SUPER SPECIOSA DESERTI. — Hebræus, *propter habitationes deserti*, id est propter bestiarum latibula, quæ fugatis bestiis vacua sunt, uti mox explicat. Septuaginta, *super semitas deserti*, id est quia desertum ita vastatum est, ut nec homo nec bestia per ejus semitas transeat.

NON AUDIERUNT (homines in deserto) VOCEM POSSIDENTIS, — id est, ut hebræum מקנה *micne*, id est pecoris possessi, et campos possidentis ac depascentis, id est, non audierunt balatum ovium, mugitum boum : quia pecora omnia et aves, vel sunt abducta a Chaldæis, vel a Judæa incensa et desolata fugerunt, ob defectum pabuli, et ob vastitatem ac horrorem loci. Ita Chaldæus, Vatablus et Pagninus.

Aliter S. Thomas : « Non audierunt, inquit, vocem possidentis, » id est domini possessoris, qui suas terras quasi desertas relinquebat. Aliter quoque Lyranus : Dei qui eos possidebat, vocem non audierunt.

Vers. 11. 11. DABO JERUSALEM IN ACERVOS ARENÆ, — id est ruderum.

EO QUOD (id est, ita ut) NON SIT HABITATOR.

Vers. 12. 12. QUIS EST? — *q. d.* Quis sapiens aut Propheta nobis causam tantæ cladis Judæorum edisserat? unde respondens Dominus causam assignat : « Quia dereliquerunt legem meam. »

EO QUOD (ita ut) NON SIT QUI, etc.

Vers. 14. 14. POST BAALIM. — Septuaginta, *post idola*, id est post deos vicinarum gentium.

Vers. 15. 15. CIBABO POPULUM ISTUM ABSINTHIO. — Chaldæus : *Inducam tribulationem amaram quasi absinthium, et potum dabo eis calicem maledictionis pessimæ.* Ita S. Hieronymus et Theodoretus. Idque ad eorum purgationem et medicinam, ait Hugo : absinthium enim vim habet purgandi.

Vers. 16. 16. MITTAM POST EOS GLADIUM. — Quia Chaldæi capta Jerusalem, fugientes ex ea Judæos in Ægyptum insecuti, eos vel occiderunt, vel ceperunt. Ita Theodoretus.

DONEC CONSUMANTUR, — donec occidantur plurimi, ii scilicet, qui a Deo neci ob peccata sunt destinati : nam alioqui totum populum non fore consumendum, sed reliquias fore salvas promisit, cap. v, 10.

Vers. 17. 17. CONTEMPLAMINI (hebraice התבוננו *hitbonenu*, id est *providete*) ET VOCATE LAMENTATRICES, — quæ solent in funeribus et luctu, voce flebili, et lacertos manibus verberantes, ad lacrymas populum provocare : hic enim mos usque hodie permanet in Judæa, ut tum viri threnodi, tum potius mulieres, in planctum et omne pathos faciles, atque ad hoc exercitæ et conductæ sparsis crinibus, nudatisque pectoribus, voce modulata omnes ad fletum concitent. Ita S. Hieronymus. Has Gentiles vocabant præficas, quod luctui præficerentur. Ad luctum quoque adhibebantur tibicines. Unde Ovidius :

Cantabat mœstis tibia funeribus.

Vide dicta *Matth.* IX, 23, *q. d.* Deus : Non poteritis, o Judæi, ipsi satis deflere cladem Hierosolymæ, nisi etiam præficas lamentandi peritas advocetis.

Lamentatrices sunt præficæ, quæ?

SAPIENTES, — peritæ lamentandi. Sic *Exodi* cap. XXXI, vers. 3, et alibi, sapientia sumitur pro quavis peritia et arte.

Vers. 18. 18. ASSUMANT SUPER NOS LAMENTUM (lamentando et dicendo) : DEDUCANT OCULI NOSTRI LACRYMAS. — Hæc enim est vox præficarum excitantium omnes ad ploratum. Est mimesis.

Vers. 20. 20. ET DOCETE FILIAS VESTRAS, — non musicam, non cantica amatoria, de quibus ait S. Cyprianus, lib. *De Singular. Cleric.* Satius est audire sibilantem basiliscum, quam puellam cantantem; sed « lamentum. »

Vers. 21. 21. ASCENDIT MORS PER FENESTRAS, — scilicet arcium, turrium domorumque mœnibus adhærentium, *q. d.* Non per portas, sed per muros in urbem Jerusalem ingressa est mors, id est Chaldæi mortem inferentes Judæis, ut in plateis occiderent parvulos et juvenes. Est metonymia. Ita Vatablus a Castro et Sanchez. Significatur inexspectata et improvisa Chaldæorum in Jerusalem irruptio; utpote qui non per portas, in quibus sunt vigiles, sed per murorum fenestras clanculum instar furis irrumpant (1).

Mors in

Secundo, ut S. Hieronymus, D. Thomas, Lyranus, *q. d.* Tanta erit fortitudo, velocitas et impetus Chaldæorum, ut non exspectent reserare fores domorum, sed per fenestras et tecta conscendant, ut in domos penetrent, ibique parvulos et juvenes necent, ita ut nullus supersit qui versetur in vicis et plateis, uti antea solebant. Hoc est quod ait Joel cap. II, vers. 9 : « Domos conscendent, per fenestras intrabunt quasi fur. »

Tropologice per *fenestras*, id est per sensus

(1) His verbis nonnulli interpretes vehementiam expugnationis indicari existimant, quasi dicat, hostes non per portas ingressuros in palatia, sed per fenestras. Sed vix est dubium (Cf. vers. 22) describi pestem, quæ et ubi clausæ sunt fores, per fenestras irrepere videtur. Verba להכרית עולל מחוץ J. D. Michaelis vere monet non esse vertenda, *ad exscindendum parvulum a platea;* non enim per fenestras intrabit mors ad occidendum in plateis, sed, *postquam exscidit parvulum a platea.* ל *lamed* haud raro *post* significat. (Rosenmuller.) « Spectat omnino Propheta, inquit Schnurrerus, ad illud tempus, quo urbs diu ab hostibus circumsessa et oppugnata diram passura esset egestatem, atque hinc natam pestilentiam. Haud inepte hoc dicere poterat, ita ut innueret, fore ut armati hostes quidem a tectis et mœnibus diu reprimere, pestem vero arcere non possint, quo minus propugnacula urbis exscindat et per mœnium foramina irrepat, invasura omnes quos foris deprehenderet, infantes juvenesque. » (Schnurrerus, *Observatt. ad vaticinia Jeremiæ*, Tubing., 1793-1794.)

trat in animam per fenestras, id est, per sensus.

et oculos, ad animæ interitum, mors peccatorum intrat. Ita S. Hieronymus et fuse S. Gregorius, lib. XXI, *Moral.* cap. II, et Ambrosius, lib. *De Fuga sæculi*, cap. I. Unde S. Bernardus, serm. 24 *in Cantic.* : « Mors, inquit, intrat per fenestras nostras, cum prurientes auribus et oculis, lethale poculum detractionis invicem nobis ministrare contendimus. » Sicut ergo urbi et turri munitissimæ nihil prosunt quanticumque muri, si foramina aut fenestras habeat apertas, per quas hosti ingressus pateat : ita nihil prodest animæ omne munimen gratiæ, si sensuum fenestras habeat apertas, per quas carnalia spectra et desideria in animam intrent.

Custodia ergo et clausura sensuum debet esse exactissima : quia per eos vel vita, vel mors intrat in animam, aiunt Theodoretus et Origenes, serm. 3 *in Cantica*. Idem docent S. Ambrosius, Epiphanius, Hieronymus, Chrysostomus, Gregorius et Aponius, quorum verba digna lectu recitat Delrio *adagio* 834. Hujus custodiæ defectu perit Eva, nosque omnes perdidit. Nam, ut dicitur *Genes.* III : « Vidit mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile; et tulit de fructu illius, et comedit. » Sic Holofernes captus est in oculis suis. Nam, ut dicitur *Judith* XVI : « Sandalia ejus rapuerunt oculos ejus, et pulchritudo ejus captivam fecit animam ejus. » Hinc sapienter Job, cap. XXXI : « Pepigi, ait, fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. » Quocirca apte Græci ἔρως, id est amor, deducunt ab ὁρᾶν, id est videre : quia ex aspectu nascitur amor. Plato autem *in Cratylo* deducit ab ἐρρεῖν, id est influere : quia amor extrinsecus per oculos influit in animam. Sapienter dixit Seneca, *epist.* 96 : « Facilius est initia affectuum prohibere, quam impetum regere. » Et « Aristoteles, inquit Valerius Maximus, lib. VII, cap. VII, utilissimum dedit præceptum, ut voluptates abeuntes consideremus : quas quidem sic ostendendo, minuit : fessas enim, pœnitentiæque plenas animis nostris subjecit, quo minus cupide repetantur. » Vulgo dicitur : « Quod oculus non videt, cor non amat. » Hinc Job : « Pepigi, ait, fœdus cum oculis meis. » Rursum Seneca, lib. *De Remed. fortuitorum* : « Quam multis, ait, cupiditatibus via incisa est, quam multis rebus, quas ne videres vel eruendi erant oculi! Non intelligis partem innocentiæ esse cæcitatem? huic oculi adulterium monstrant, huic incestum, huic domum quam concupiscat, huic urbem et mala omnia; certe irritamenta sunt vitiorum, ducesque scelerum. » David vir sanctissimus, videns Bethsabee, incidit in adulterium et homicidium; *Genes.* VI, videntes filii Dei filias hominum, quia essent pulchræ, concupierunt eas, indeque nati sunt improbi gigantes, qui fuerunt causa diluvii. Recte ergo orat Psaltes *Psalm.* CXVIII : « Averte oculos meos, ne videant vanitatem. » Hæc est causa cur Deus munierit oculum tot tunicis, palpebris et supercilliis, uti docet S. Ambrosius, lib. VI *Hexam.* IX, ut merito dicat Psaltes *Psal.* XVI : « Custodi me ut pupillam oculi. » S. Petrus, *epist.* II, cap. II, carpit homines qui quot vident feminas, tot concupiscunt : « Habentes, ait, oculos plenos adulterii, et incessabilis delicti. » Et *Eccli.* cap. XXXI : « Nequius oculo quid creatum est? » loquitur de oculo invidi; sed aliorum eadem est ratio. Quocirca S. Hieronymus Didymum cæcum præceptorem suum, vocat suum videntem, quod oculis corporis clausis clariores haberet oculos mentis. Refert Rufinus, lib. XI *Histor.*, S. Antonium Didymo dixisse : « Desunt, ait, tibi oculi illi quos mures et muscæ habent; sed lætare, quia habes oculos quos angeli habent, quibus Deus videtur, per quos tibi magnum scientiæ lumen accenditur. » Vide dicta *Thren.* III, 51. Rursum Theodoretus : Per fenestras, inquit, id est per cogitationem et commentationem erroris, ingressus est ipse error in animam.

23. NON GLORIETUR, — *q. d.* Judæi gloriantur in consiliis sapientum, in robore militum, in opibus urbis, quasi iis tuti sint futuri contra Chaldæos; sed errant. Vera enim gloriatio est, scire et nosse Deum, id est Dei providentiam, quod ipse solus est qui facit misericordiam, et quos vult misericorditer liberat; non autem sapiens, fortis, dives : ipse etiam justam pœnam infert cui vult, a qua nemo sapiens, fortis, dives liberare potest. Quare neque sapientem sapientia, neque fortem fortitudo, neque divitem divitiæ in illa clade, quæ Hierosolymæ imminet, a morte liberabunt; sed liberabit cognitio, id est fides, spes, invocatio et cultus Domini. Ita S. Hieronymus. Hunc locum citat Paulus, I *Cor.* I, 31, ut ibi dixi. Vers. 23.

Moraliter D. Thomas : Homo, inquit, non debet gloriari in sapientia. *Primo*, quia transitoria. *Isaiæ* XXIX, 14 : « Peribit sapientia a sapientibus ejus, et intellectus prudentium ejus abscondetur. » *Secundo*, quia imperfecta. *Eccle.* VIII, 17 : « Intellexi quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem eorum quæ fiunt sub sole. » *Tertio*, quia nociva. I *Cor.* cap. VIII, 1 : « Scientia inflat, charitas vero ædificat. » *Quarto*, quia laboriosa. *Eccle.* cap. I, vers. ult.: « In multa sapientia, multa indignatio; et qui addit scientiam, addit et laborem. » Moraliter, non esse gloriandum in sapientia, ob quatuor causas.

Præclare Noster Lipsius de seipso *Præfatione in Notis ad lib. de Cruce* : « Quo longius in hac vitæ via progredior, magis magisque aspicio circumfusam animo caliginem, corpori imbecillitatem. Heraclitus olim dicere solitus, se, cum juvenis esset, nihil scire; cum senex, nihil ignorare; mihi planissime contra evenit : et qui olim aliquid scire visus, nunc parum aut nihil. Et, o miseri! quid nos, doctrina, fama sumus? Ipsi pulvis, illa opinio, ista ventus. » Ita plane se res habet : hoc ipse in me experior : hoc sentiunt, hoc sapiunt vere docti.

Item, non debet gloriari in fortitudine. *Primo*, Nec in

viribus; quia fragilis. *Job* VI, 12 : « Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est. » *Secundo*, quia frequenter inutilis. *Eccle.* IX, 11 : « Vidi sub sole, nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientium panem, nec doctorum divitias, nec artificum gratiam; sed tempus casumque in omnibus. » *Tertio*, quia Domino non acceptabilis. *Psal.* CXLVI, 10 : « Non in fortitudine equi voluntatem habebit : nec in tibiis viri beneplacitum erit ei. » *Quarto*, quia peccati occasio. *Sapient.* II, 11 : « Sit autem fortitudo nostra lex justitiæ; quod enim infirmum est, inutile invenitur. »

Nec in opibus; Item non debet homo gloriari in divitiis. *Primo*, quia transitoriæ. *Jacobi* V, 2 : « Divitiæ vestræ putrefactæ sunt, et vestimenta vestra a tineis comesta sunt. » *Secundo*, quia insufficientes. *Prov.* XVII, 16 : « Quid prodest stulto habere divitias, cum sapientiam emere non possit? » *Tertio*, quia verbum Dei impedientes. *Matth.* XIII, 22 : « Fallacia divitiarum suffocat verbum, et sine fructu efficitur. » *Quarto*, quia nocivæ. *Eccle.* V, 12 : « Divitiæ conservatæ in malum domini sui. » Hucusque D. Thomas.

In externis omnibus bestiæ nos superant. Audi et Isidorum, orat. *De humilitate* : « Qui rebus externis gloriantur, in iis a bestiis superantur. Magna corporis mole præditus es? quæ est hæc, si cum elephanti mole comparetur? Fortis es et intrepidus? at leo longe te superat, de quo scriptum est : Leo fortissimus animalium ad nullius pavebit occursum. Cantu ac vocis modulatione insignis es? at cycnus, luscinia, et plurimæ aliæ vocales aves, majus miraculum in suo cantu excitant. Pulcher es? et pavo insigni pulchritudine præstat, et aves aliæ multæ, et scorta etiam pulchritudine gloriantur. Arte aliqua præstas? quid in hac re apibus est sapientius, quarum opera quis pictor, quis geometra possit imitari? Tenui ac subtili veste uteris? hic te superant aranei. Celeritate pedum vales? rursus primatum tenent lepus, caprea, etc. Acuto visu præditus es? non ut caprea, ut aquila. Acute audis? at acutius asinus. Acuto es odoratu? canis te superat. » Et vere Poeta :

> Te sus auditu, lynx visu, simia gustu,
> Vultur odoratu, præcellit aranea tactu.

Denique aurea est gnome S. Augustini in *Sententiis*, num. 129 : « Quo primum vitio superatur homo, hoc ultimum vincit. Cum enim omnia peccata superaverit, manet periculum, ne sibi mens nihil conscia in se potius quam in Domino glorietur. »

25. VISITABO SUPER OMNEM QUI CIRCUMCISUM HABET PRÆPUTIUM, — *q. d.* Non est quod gloriemini, o Judæi, eo quod carne sitis circumcisi, quasi filii Abrahæ, ideoque a Deo protegendi sitis, nec vastandi : sic enim et multæ aliæ gentes, maxime Judæis vicinæ, vel cognatæ, quia oriundæ ex Abrahamo, puta Idumæi, Ammonitæ, Moabitæ, Saraceni, circumcidi solent : qui tamen omnes a Chaldæis vastabuntur, quia incircumcisum cor et animum habent, æque ac vos. Deus enim quærit circumcisionem animæ, non corporis : cultum internum, non externum. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Rabanus, Hugo et alii. Unde subdit :

26. SUPER ÆGYPTUM. — Ægyptii circumcidebantur imitatione Judæorum qui apud eos peregrini fuerant. Prædicit hic Jeremias Ægyptios æque ac Judæos a Chaldæis vastandos esse.

Ægyptii aliique gentiles circumcisione usi, cur? Nota : Ægyptii aliæque gentes colebant et observabant circumcisionem, uti testantur S. Hieronymus, Philo, lib. *De Circumcisione*, Herodotus in *Clio*, et alii; non quasi Sacramentum, continens professionem fidei et obedientiæ erga Deum, simulque professionem venturi Messiæ, et insuper expiationem peccati originalis; sed tanquam morem ritumque a majoribus servatum, et ad posteros transmissum, atque id temporis laudatum et honoratum. Eadem de causa Mahomet suis sectatoribus circumcisionem præcepit.

Verum recte advertit Sanchez circumcisionem Ægyptiis et aliis gentilibus non communem, sed privatam aliquorum et paucorum fuisse. Nam Scriptura omnes gentes vocat incircumcisas, atque ab eis Judæos distinguit, quod hi sint circumcisi, illi incircumcisi. Unde clare mox subdit Jeremias : « Quia omnes gentes habent præputium. » Rursum Ammonitas fuisse incircumcisos, patet ex eorum duce Achior, qui ob victoriam, *Judith* cap. XIV, vers. 6, conversus est et circumcisus. Idem de Idumæis colligitur ex Epiphanio, lib. *De Ponder.*, ubi tradit Esau eorum parentem arte reduxisse sibi præputium, ac delevisse notam circumcisionis : quod posteros ejus secutos esse valde est probabile. Unde Josephus, lib. XIII *Antiquit.* XVII, narrat Idumæos ab Hyrcano subactos, coactos fuisse circumcidi, et judaismum suscipere. Sensus ergo est, *q. d.* Judæos circumcisos puniam, æque ac Idumæos aliasque gentes incircumcisas : quia Judæi solam carnem habent circumcisam, mente vero æque ac gentes sunt incircumcisi. Rursum, gentes nonnullæ « attonsæ sunt in comam, » itaque caput quasi circumcisum habent; cum ergo iis meliores aut potiores habeantur Judæi, qui non caput, sed genitale tantum habent circumcisum? Ita Pagninus, Vatablus, Isidorus et Sanchez.

Arabes attondenturi rotunde. SUPER OMNES QUI ATTONSI SUNT IN COMAM, HABITANTES IN DESERTO. — Hi sunt Saraceni vel Arabes, ait S. Hieronymus, quorum moris erat in comam rotunde attonderi : sicuti modo secundum aures nonnullos Germanos et Hungaros in rotundum attonderi videmus. Quod idcirco Judæis vetuit Deus, *Levit.* XIX, 27, ut ibi dixi, *q.d.* Ab hac clade Chaldæorum Arabes non eximet coma caput circumiens, neque resecta in modum coronæ cæsaries (in qua gloriantur) æque ac Judæos ab eadem non eximet circumcisio.

Aliter Theodoretus; ipse enim hæc accipit de at-

tonsione non capitis, sed genarum : harum enim pilos evellere solebant Arabes; unde Syrus et Arabicus vertunt : *Abrasi mento.*

Aliter quoque Hebræi, Lyranus, R. Salomon, Pagninus, Vatablus : ipsi enim hebræum קְצִיצִי *ketsitse*, a radice קֵץ *kets* deducentes vertunt, *et super omnes qui angulati* vel *extremificati sunt in angulo*, id est super remotissimas gentes, quæ habitant in angulo deserti; hæ enim Judæis videbantur habitare in finibus terræ.

QUIA OMNES GENTES HABENT PRÆPUTIUM, — *q. d.* Licet gentes aliæ sint corpore incircumcisæ; Israel tamen corde et mente est incircumcisus, id est rebellis, contumax et obduratus, ideoque præ aliis gentibus a me punietur. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Lyranus.

Secundo, omnes gentes meliores sunt Judæis, quia non fingunt, sed quales sunt intus, tales sunt foris, incircumcisi scilicet animo et corpore; at Judæi corpore sunt circumcisi, animo incircumcisi : quæ hypocrisis magis mihi displicet, quam si omnino non circumciderentur, inquit Maldonatus.

Hinc aliqui per attonsos in comam intelligunt Judæos. Nam et Josephus, lib. I *Contra Apion.*, narrat Judæos in castris Xerxis militantes coma fuisse attonsos. Verum per attonsos, gentes intelligi, non Judæos, patet tum ex eo quod additur : « Habitantes in deserto; » tum quia de Ismaelitis, puta Dedan, Thema et Buz, Jeremias, cap. XXV, 23, et cap. XLIX, 32, ait : « Qui attonsi sunt in comam. »

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ostendit idolorum vanitatem et pœnam. Primo ergo, hortatur ne signa cœli et idola colant, eo quod ipsa non sint aliud, quam dii manu facti. Secundo, vers. 10, *iis opponit Deum verum, quem docet colendum esse, eo quod ipse solus fecit et regit omnia quæ in cœlo et in terra sunt. Tertio, vers.* 17, *docet Judæos qui idola coluerunt, vastandos esse : unde orat Deum, ne in furore corripiat eos, quasi hostis; sed in misericordia, quasi pater* (1).

1. Audite verbum quod locutus est Dominus super vos, domus Israel. 2. Hæc dicit Dominus : Juxta vias gentium nolite discere : et a signis cœli nolite metuere, quæ timent gentes: 3. quia leges populorum vanæ sunt : quia lignum de saltu præcidit opus manus artificis in ascia. 4. Argento et auro decoravit illud : clavis et malleis compegit, ut non dissolvatur. 5. In similitudinem palmæ fabricata sunt, et non loquentur : portata tollentur, quia incedere non valent. Nolite ergo timere ea, quia nec male possunt facere, nec bene. 6. Non est similis tui, Domine : magnus es tu, et magnum nomen tuum in fortitudine. 7. Quis non timebit te, o rex gentium? tuum est enim decus : inter cunctos sapientes gentium, et in universis regnis eorum nullus est similis tui. 8. Pariter insipientes et fatui probabuntur : doctrina vanitatis eorum lignum est. 9. Argentum involutum de Tharsis affertur, et aurum de Ophaz : opus artificis, et manus ærarii : hyacinthus et purpura indumentum eorum. Opus artificum universa hæc. 10. Dominus autem Deus verus est : ipse Deus vivens, et rex sempiternus, ab

(1) Sectio secunda partis primæ Jeremiæ vaticiniorum quæ a cap. X ad cap. XVII decurrit, quinque sermones a se diversos complectitur, quorum epocham in suo loco, quantum historia sinit, definire conabimur.

In sermone primo qui cum cap. X absolvitur, admonet vates Israelitas ne se superstitione earum inter quos degunt, gentium pellici et a vero Dei cultu se abstrahi patiantur. Cum hic sermo neque cum iis qui præcedunt cohæreat, neque cum his quæ sequuntur, haud dubitamus eum pro concione a cæteris diversa, aut pro longioris cujusdam sermonis particula habere. Temporis, quo sit scripta, nota deprehenditur in ea nulla. Forsan ex hac apostrophe vers. 1, *domus Israel*, educi potest cum Michaelis vocem *Israel* proprie de decem tribubus jam dudum antea in captivitatem abductis accipiendam esse, existimandumque, Prophetam, ut jam cap. III, 12 fecerat, exsules Assyrios hic alloqui, eosque monere, ne superstitionibus gentium se adsuefaciant. Sunt qui primam hujus capitis partem a vers. 1 ad vers. 17, ad supradictum tempus referendo (ut Rosenmuller); secundam a vers. 18 ad finem, illi tempori assignandam quo Hierosolyma, regnante Jechonia, a Nabuchodonosore obsessa fuit IV *Reg.* XXIV, 10 et seqq., ut suadere videtur illius exordium; vide not. ad vers. 17.

Propheta igitur, postquam attentionem postulavit, 1, proponit auditoribus fugiendos gentilium mores et ritus, 2; ratione petita,

PRIMO, ab idolorum vanitate, idololatrarum stupiditate, et utrorumque vilitate, 3–5, 8, 9, 14, 15.

SECUNDO, a Dei veri magnitudine, præcellentia, vindici justitia, et formatrice rerum omnium potentia, 6, 7, 10–13, 16.

indignatione ejus commovebitur terra : et non sustinebunt gentes comminationem ejus. 11. Sic ergo dicetis eis : Dii, qui cœlos et terram non fecerunt, pereant de terra, et de his quæ sub cœlo sunt. 12. Qui facit terram in fortitudine sua, præparat orbem in sapientia sua, et prudentia sua extendit cœlos. 13. Ad vocem suam dat multitudinem aquarum in cœlo, et elevat nebulas ab extremitatibus terræ : fulgura in pluviam facit, et educit ventum de thesauris suis. 14. Stultus factus est omnis homo a scientia, confusus est artifex omnis in sculptili : quoniam falsum est quod conflavit, et non est spiritus in eis. 15. Vana sunt, et opus risu dignum : in tempore visitationis suæ peribunt. 16. Non est his similis pars Jacob : qui enim formavit omnia, ipse est : et Israel virga hæreditatis ejus : Dominus exercituum nomen illi. 17. Congrega de terra confusionem tuam, quæ habitas in obsidione. 18. Quia hæc dicit Dominus : Ecce ego longe projiciam habitatores terræ in hac vice, et tribulabo eos ita ut inveniantur. 19. Væ mihi super contritione mea, pessima plaga mea! Ego autem dixi : Plane hæc infirmitas mea est, et portabo illam. 20. Tabernaculum meum vastatum est, omnes funiculi mei dirupti sunt, filii mei exierunt a me, et non subsistunt : non est qui extendat ultra tentorium meum, et erigat pelles meas. 21. Quia stulte egerunt pastores, et Dominum non quæsierunt : propterea non intellexerunt, et omnis grex eorum dispersus est. 22. Vox auditionis ecce venit, et commotio magna de terra Aquilonis : ut ponat civitates Juda solitudinem, et habitaculum draconum. 23. Scio, Domine, quia non est hominis via ejus : nec viri est ut ambulet, et dirigat gressus suos. 24. Corripe me, Domine, verumtamen in judicio : et non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me. 25. Effunde indignationem tuam super gentes, quæ non cognoverunt te ; et super provincias, quæ nomen tuum non invocaverunt : quia comederunt Jacob, et devoraverunt eum, et consumpserunt illum, et decus ejus dissipaverunt.

Videtur hic esse admonitio ad Jechoniam et Judæos in Babylonem abductos, ne Chaldæorum idololatriam imitentur; qua de causa chaldaice loquitur Jeremias, vers. 11. Ita Chaldæus, R. Salomon, Lyranus et Isidorus. Prophetavit ergo hæc Jeremias initio regni Sedeciæ, ut dixi in Chronotaxi.

Vers. 2. 2. JUXTA VIAS GENTIUM NOLITE DISCERE.— Hebraice, *vias*, id est mores et ritus, *gentium ne discatis*; maxime in eo quod sequitur :

Gentiles colebant astra quasi animata. Dubitat S. Augustinus an sol et astra sint nobiscum beanda.

ET A SIGNIS COELI NOLITE METUERE. — Nota : Gentiles colebant astra quasi deos, decepti pulchritudine eorum, et quia animata ea censuit Plato in *Epinomide*, et ex eo Origenes, lib. I *Periarchon*, cap. VII, et dubitat S. Augustinus, *Enchir.* LVIII, ubi dubitat an sol, luna et alia astra nobiscum sint beanda. Colebant ergo ea et timebant ac reverebantur, quasi quæ regerent orbem sublunarem, omniumque in eo rerum et actionum etiam liberarum essent causa : hinc etiam, ut ait Virgilius :

Nigram hiemi pecudem, zephyris felicibus albam,

ne scilicet nocerent, sed prodessent, offerebant (1). Ita S. Hieronymus. Putabant enim omnia stellarum vi, non divina providentia gubernari : unde magis stellas quam Deum metuebant et colebant (nam « primus in orbe deos fecit timor ») ; præsertim cum a nonnullis physicis audirent hominem esse quasi opus et fabricam siderum : eum enim dum nascitur, a sole sortiri spiritum, a luna corpus, a Marte sanguinem, a Mercurio ingenium, a Jove desiderium, a Venere cupiditatem, a Saturno humorem. Insuper ab astrologis nonnullis audirent astra habere oculos et aures, iisque videre et audire. Ita enim inter alios scribit Julius Firmicus, lib. II *Mathes.* : « Nunc quæ stellæ alias videant, et quæ audiant, breviter explicabo. Aries Leonem non videt, sed audit : Leo autem Arietem videt, sed non audit. Aries Cancrum videt, pa-

TERTIO (si præcedentia cum sequentibus connectere velis), a malis hæc secuturis, *primo*, ab occupatione urbis et deportatione incolarum, 17, 18; *secundo*, ab eversione tabernaculi, dispersione sacrorum ministrorum cum plebe, vastitate hostili et omnimoda solitudine, quam funestam sortem ita lugent Hierosolymitani, ut quidquid ipsis acciderit malorum illud se suis sceleribus promeritos esse fateantur, 19-22; et orant Deum velit in castigando modum tenere, nec iræ indulgere, iræ autem si satisfaciendum sit, sumat sibi, in quas sæviat, barbaras gentes a se prorsus alienas, 24, 25.

(1) Sunt qui אתות השמים *signis cœli*, significari existiment constellationes ex quibus hominum fata pendere opinati sunt. Sed cum Rosenmuller potius existimandum prodigia cœlestia intelligi, ut sunt solis et lunæ defectus, stellæ cadentes, vel quæ in cœlo repente nascuntur cometæ, plures soles aut lunæ, cœlestes flammæ, lampades, bolides, et quæ alia sunt hujus generis ostenta, quæ magna mala, publicasque calamitates portendere rerum naturalium imperiti credunt.

riter et audit : Cancer autem Arietem non videt, sed audit. Taurum et videt Leo, pariter et audit. Similiter Leo, Aries, Gemini Virginem vident leviter, et audiunt : Virgo Geminos leviter videt, sed plenissime audit. Cancer Libram et videt, pariter et audit. Leo Scorpium nec videt, nec audit ; Scorpius vero Leonem videt, pariter et audit. Virgo Sagittarium ex obliquo respicit, sed eum non libenter audit. Sagittarius Virginem et videt et audit. Libra Aquarium videt, sed ipsa ab Aquario non videtur ; audiunt tamen se invicem. Pisces et Cancer non quidem se vident, sed audiunt, » etc. Additque hæc se ex Abrahæ libris excerpsisse. Quod si viri etiam sapientes hæc deliria crediderunt, quid non credidit vulgus ? Alii astra non quidem causas, sed signa certa et fatalia esse dicebant, quasi cœlum sit liber, in quo Deus acta et eventus nostros, et omnia quæ tot mundani ævi decursu futura sunt, depinxit. Ita Origenes apud Eusebium, lib. VI *Præpar.* IX, qui sic inducit Jacob patriarcham filiis loquentem : « Legi in tabulis cœli quæcumque contingent vobis, et filiis vestris. » Idem docet Plotinus Origenis condiscipulus, lib. VI *De Fato*. Hoc etiam probabile censet Julius Sirenius, lib. IX *De Fato*, XXXV : « Ægyptii quoque, fatum indicantes, pingebant sidus, eo quod fatum e siderum cursu ac dispensatione constituatur, » inquit Horus Apollo, *Hieroglyph.* cap. XIII.

Astra esse signa futurarum actionum liberarum censuit Origenes et alii.

Hoc denique sequuntur astrologi judiciarii. Sed astrologiam hanc damnant hic Jeremias et Ecclesia. Vide eam acriter insectantem S. Augustinum, lib. II *De Doctr. Christ.* cap. XXI, XXII, XXIII, et Picum Mirandulanum, lib. XII contra eam, et Pererium, lib. II *in Genes.*, et Nostrum Alexandrum ab Angelis, qui nuper quinque libris astrologos conjectores valide confutavit. Facta quidem sunt astra in signa, sed explicatur statim quomodo : « Ut sint, ait, in dies et annos, » *Genes.* I, 14. Item in signa pluviæ, æstus, frigoris ; sed conjecturalia tantum, et quæ sæpe fallunt. Sic cometæ, quia igneæ sunt naturæ, significant et causant æstus, siccitatem, squalorem, ventos et flatus ; indeque pestem, famem et bellum, uti docent Aristoteles, lib. I *Meteor.* cap. VII ; Seneca, lib. VII *Natur. Quæst.* ; Theodoretus, Quæst. XV, *in Genes.* et alii. Addunt Damascenus, lib. II *De Fide*, cap. VII ; S. Thomas, III part. *Quæst.* XXXVI, art. 7, ad 3 ; Bonaventura in II, dist. 14, III part. *Quæst.* ultima, ad penultimum, cometas regum ac principum interitum præsignificare, sive id fiat supernaturaliter ex Dei et angelorum ordinatione et intentione, ut volunt Damascenus et Bonaventura ; sive naturaliter, ut volunt alii ; quia scilicet, ut ait Albertus Magnus, licet cometa notet et causet mortes, tam pauperum quam principum, tamen mortes principum magis notantur quam pauperum : vel quia principes sunt complexionis delicatioris, pluribusque vescuntur cibis, ideoque magis illis nocet aer, in omnibus rebus infectus : vel denique quia principes prævident regni calamitates, illisque ita commoventur et indolent, ut in languorem et cladem imminentem præ aliis incidant (1). Nam, ut ait Galenus : « Nullus est corporis affectus tantus, qui vehementior animi affectionibus esse possit. » Ita Christophorus a Castro, lib. I *Proœmii in minores Prophet.* XVI. Lepidum est exemplum astrologi, qui a principe ituro ad venationem, de aura rogatus, serenam fore asseruit : egredienti vero occurrens rusticus pluviam imminere affirmavit : qua oborta princeps rusticum suum fecit astrologum, astrologum vero rusticum fieri jussit. Audi hac de re epigramma :

Astrologiam judiciariam damnat Jeremias.

Dixerat astrologus cœlum sine nube futurum,
Principe sylvarum lustra petente suo :
Dixerat e contra ruiturum nubibus imbrem
Vertere consuetus bobus arator humum.
Vix ingressus erat princeps nemus ilice densum,
Cum subito pluviæ præcipitantur aquæ.
Laudat aratorem princeps, illumque docere
Astra, sed astrologum sumere rastra jubet.

Sane et hoc sæculo expediret nonnullos astrologos fieri rastrologos. Alfonsus rex Aragoniæ liberalis in omnes doctos, solos astrologos præteriit. Rogatum est cur ? unus qui magis scire videbatur : « Sidera, inquit, stultos regunt impelluntque ; sapientes astris imperant. Stultos ergo principes honorare astrologos consequens est, non sapientes, inter quos nomen suum Alfonsus obtinet. » Ita Æneas Silvius, lib. IV *De ejus Gestis*.

Accius poeta apud Gellium : « Nihil, inquit, credo auguribus, qui aures verbis divitant alienas, suas ut auro locupletent domos. »

Julius Cæsar astronomiæ peritissimus fuit, de qua præclaros libros edidit : et tamen fatum suum cædemque prævidere et cavere non potuit.

Bion aiebat, « maxime ridiculos esse astronomos, ut, cum non videant pisces juxta se nantes in littore, illos qui in cœlo sunt, se videre dicant. » Ita Stobæus, *serm.* 78.

Astrologus quidam in foro stellas in tabella quadam depictas cum demonstrasset, atque diceret : En tibi hic stellas errantes ; audiens hoc Diogenes : « Ne mentiaris, inquit, bone vir ; stellæ enim non errant, sed illi, » ostensis qui assidebant. Ibidem.

Thaletem, dum cœlum contemplatur, in fossam illapsum, ancilla ejus jure id eum pati dixit, qui cum juxta pedes posita ignoraret, cœlestia intueretur. Ibidem.

Ariston dicebat, « eorum quæ philosophi scrutantur, alia ad nos pertinere, alia nihil, quædam supra nos esse. » Sensit autem disciplinam morum ad nos spectare, sophisticam nihil ad nos pertinere, eo quod ad vitæ emendationem non tantum

(1) Hæc etiam cometarum vis qua vel principes, vel alios homines afflari posse directe, tempore Cornelii a Lapide, a quibusdam credebatur, ab astronomiæ peritis hodie merito istis sideribus denegatur.

non prosit, sed rixas etiam et contentiones progeneret; astronomiam autem, astrologiam, etc., supra nos esse omnino. Ibidem.

Phavorinus scito dilemmate astrologos judiciarios perstringere solitus est : « Aut adversa, inquit, eventura dicunt, aut prospera. Si dicunt prospera, et fallunt; miser fies, frustra exspectando. Si adversa dicunt, et mentiuntur; miser fies, frustra timendo. Si vera respondent, eaque sunt non prospera; jam inde ex animo miser fies, antequam e fato fias. Si felicia promittunt, eaque eventura sunt, tum plane duo erunt incommoda; et exspectatio te spei suspensum fatigabit, et futurum gaudii fructum spes tibi jam defloraverit. Nullo igitur pacto utendum est istiusmodi hominibus res futuras præsagientibus. » Ita A. Gellius, lib. XIV, cap. I. Audi et Alciatum, *Emblem.* 103 :

Icare, per superos qui raptus et aera, donec
In mare præcipitem cera liquata daret;
Nunc te cera eadem, fervensque resuscitat ignis,
Exemplo ut doceas dogmata certa tuo :
Astrologus caveat quidquam prædicere : præceps
Nam cadet impostor, dum super astra volat.

Refert Nicetas Choniates, lib. I *De Imperio Isacii Imperatoris*, astrologum prædixisse victoriam et triumphum Branæ Alexio, si cum Conrado Marchione Montisferrati, qui Isacii partes sustinebat, congrederetur. Iniit ergo cum eo prælium, in quo tam Branas quam astrologus occisus est.

Anno Domini 1544, Muleasses, Tunetanorum rex, astrorum maximus observator, cum ex astris divinasset sibi amittendi regni, et diræ mortis cladem imminere, ut eam vitaret, ex Africa discessit; sed eo ipso discessu cladem, quam evitare voluit, in suas cervices accivit.

Denique ex astrorum dispositione et concursu potuisse prævideri et prædici generale orbis diluvium tempore Noe : item nativitatem Christi ex concursu Jovis et Saturni, ac ex horoscopo Virginis, qui erat nascente Christo, ac significabat mutationem religionis a Christo faciendam, censuit Albertus Magnus (vel quisquis est auctor) in *Speculo*, citans Albumasar, et Petrum de Aliaco Archiepiscopum Cameracensem, anno Domini 1400, lib. *De Concordia Astrologiæ et Theologiæ*. Quæ omnia valide confutat Sixtus Senensis, lib. VI *Biblioth.* cap. X, et lib. V, cap. LXXXI.

QUIA LEGES POPULORUM (de ritu colendi idola, patet ex seq.) VANÆ SUNT, — quia idola vana sunt : id est nihil veri repræsentantia, aut si quid veri ut stellas, Jovem, Martem repræsentent, nihil habent divinitatis; vani ergo sunt dii : duplicia enim sunt idola, et dupliciter vana, uti jam dixi. Jeremias magis hic loquitur de prioribus, quæ scilicet nihil veri repræsentant, ut patet vers. seqq. Syrus vertit : *Quia timores gentium nihil sunt. Timores*, id est idola, quæ gentes timent, id est reverentur et colunt. Arabicus : *Quia religio gentium nihil est.*

3. QUIA LIGNUM DE SALTU. — Describit idolorum inanitatem a materia et fabrica, quia ipsa nihil sunt nisi lignum a saltu præcisum, et opus manus artificis « in ascia, » id est cum ascia, id est dolabra, supple, dolatum ac politum : hoc enim est artificis, puta fabri lignarii, opus, ac tertio, auro decoratum, et clavis compactum. Idola ergo non aliud sunt quam dii manufacti. Vers. 3.

5. IN SIMILITUDINEM PALMÆ, — hoc est, idolum æquabile est, erectum, procerum, flecti nescium, pulchrum, comatum quasi palma, *q. d.* Idola exterius pulchra sunt, sed interius inanima, elinguia, stupida. Vers. 5.

6. NON EST SIMILIS TUI, DOMINE. — Est apostrophe Jeremiæ ad Deum, qua eum comparat et præfert idolis; unde ait : « Quis non timebit te, o Rex gentium? » Vers. 6.

7. TUUM EST ENIM DECUS, — scilicet regnum, ut sis et colaris quasi rex et Deus gentium, metuendus nimis. Unde Chaldæus vertit, *tuum enim est regnum*. Allegorice, *q. d.* O Christe, rex gentium, quæ gens non timebit, non colet te quasi suum decus? Ita Lyranus. Vers. 7.

8. FATUI PROBABUNTUR (*q. d.* Facile est probare et convincere eos esse fatuos, ex eo quod) DOCTRINA VANITATIS EORUM LIGNUM EST, — quia scilicet docent idola lignea esse deos, esseque adorandos : quod est vanissimum et stultissimum. Aut, ut Sanchez, *q. d.* Lignum, ex quo formant idola, quibus supplicant, facile illos stuporis et vanitatis incusat. Reipsa enim docet et ostendit eos vanos et stupidos esse, qui lignum et truncum censent esse Deum et numen, ac habere omnium rerum cognitionem et providentiam.

9. INVOLUTUM. — Hebraice מרקע *merucka*, id est *ductile*, quod optimum est, vel *extensum in laminas*, quod convolvi solet, ut commodius transferri possit : unde Noster vertit, *involutum*; vel *involutum*, id est involubile, ductile, quod facile involvi, diduci, flecti potest ab argentario, ut eo incrustetur et imbractetur idolum ligneum.

DE THARSIS AFFERTUR. — Tharsis erat urbs Ciliciæ; inde mare vicinum, ac tandem quodvis mare, etiam Indicum, dictum est *Tharsis*; indeque Africa et Carthago, quæ diu mari dominata est, et in re navali floruit, vocatur *Tharsis*. Hic *Tharsis* significat Indiam, aut certe Africam, ut vertit Chaldæus, quam argento abundasse docet Ezechiel, cap. XXVII, 12. Tharsis quid.

ET AURUM DE OPHAZ. — Chaldæus, Sanchez et alii censent *Ophaz* vel *Ophas*, vel per aphæresin *Pas*, idem esse quod *Ophir*, quasi per dialectum littera *r* in *s* versa sit (perinde ac faciunt Parisienses dum pro *pere* dicunt *pese*), vocalis vero *a* versa sit in *i* : puncta enim facillime commutant Hebræi; sic ergo ex Chaldæi et aliorum sententia Ophas est Ophir. Ophaz esse Ophir censet Chaldæus.

Porro Ophir est regio, dicta ab Ophir filio Jectan, *Genes.* X, 29. Vatablus et Arias putant Ophir esse Hispaniolam et Peru : favent Hebræus et Septuaginta, II *Paral.* III, 6, ubi aurum Salomonis vo- Ophir esse Peru censent multi.

cant aurum Peruim quasi Peruanorum. Rursum, si litteram *vau*, quæ prima est in *Ophir*, facias ultimam, ex *Ophir* facies *Peru* : *vau* enim Hebræis tam vocalem *u*, quam *o*, denotat. Ophir ergo videtur esse Peru; sed obstat *primo*, quod in Peru non sint elephanti, nec pavi, nec simiæ, nec ligna thyina, quæ ex Ophir allata sunt, III *Reg.* x. *Secundo*, quod classis Salomonis in Ophir solvebat ex Asiongaber portu maris Rubri, II *Paralip.* VIII, quod vicinum est Goæ et Indiæ Orientali : quod si hæc classis navigasset in Peru et Indiam Occidentalem, solvisset ex Joppe et per mare Mediterraneum, directe navigasset in Peru, alias enim solvens ex Asiongaber, debuisset circuire sinum Arabicum, promontorium Bonæ Spei, et totam Africam, ut perveniret in Peru.

Negant alii. Primo. Secundo.

Alii ergo Ophir volunt esse Angolam in Æthiopia; unde Josephus docet hanc classem, præter aurum, etiam Æthiopica mancipia advexisse.

Alii Ophir volunt esse Sofalam, quæ via est navigantibus Goam; unde Septuaginta vertunt : *Sophir* (littera enim *r* facile in *l* mutatur, ut *beliar* in *belial*). Alii, ut Josephus in *Genes.* x, et S. Hieronymus in *Quæst. Hebr.*, Gaspar Varrerius, lib. *De Ophir*, putant Ophir esse Auream Chersonesum, aut potius omnem illam oram, quæ Pegusiis, Malaca et Somatra continetur, idque est probabile : nam circa hæc loca in Oriente, non Occidente, videtur habitasse Hevila, frater Ophir, filius Jectan, abnepos Noe, *Genes.* x, 29. Favent veteres, dum passim censent fluvium Phison, qui *Genes.* II, 11, dicitur circuire terram Hevila, esse Gangem : Ganges enim est in India Orientali, non Occidentali; unde Maffeius, lib. XVI *Histor. Indicæ*, ex litteris Bonferri docet Pegusios stirpem suam referre ad Judæos exsules, qui a Salomone damnati ad aurifodinas Ophirinas, ea loca primi tenuerint. Verum de Ophir plura in lib. *Regum*.

Ophir esse Pegu, Malacam et Somatram est probabile.

Porro ab *Ophir* aurum optimum dicitur obrisum, quasi Ophirisum, inquit Isidorus, idemque innuunt S. Hieronymus et Eucherius. *Secundo, obrisum* dicitur, quod obradiet splendore suo, ut ait idem Isidorus, XVI *Etymolog.* XVII. *Tertio*, Plinius, lib. XXXIII, cap. III : Auri, ait, experimentum est ignis, ut simili colore rubeat quo ignis, ipsumque obrisum vocant, non a rubendo, sed quia purgatissimum, purum putum est, quasi aurum ad obrusam, probatum scilicet et purgatum, uti vocat Seneca, libro II, *epist.* 23. Aut certe, ut Hermolaus ex Phocione in dictum locum Plinii, *obrisum* dicitur quasi ἄβρυζον, quod igne probatum magis nitescat, fulgeat, rubeat ut ignis : idque videtur verius, tum quia vicinius est et aptius; tum quia utrobique est eadem littera *b*, non *p*, quæ est in *Ophir*, non autem in *obrisum*. Ut ut sit, aurum *ophas, pas, ophir, obrisum*, est aurum optimum et præstantissimum; unde et Arabes aurum vocant *Fes*; hinc Joannes Leo in *Descript. Africæ*, lib. III, urbem Fessam dictam putat, ex eo quod, cum urbis jacerentur fundamenta; *fes*, id est auri, cumulus ibi inventus sit.

Obrisum aurum quod? Prima sententia. Secunda. Tertia.

Obrisum quasi ἄβρυζον, si ad obrusam probatum.

Fessa urbs dicta a *fes*, id est auro ibi invento

Aliter censent Mercerus, Forsterus et alii, scilicet aurum *pas*, vel *ophas*, vel *uphas*, vel *muphas* (hæc enim omnia idem sunt) dici non a loco, sed a qualitate, idemque esse, quasi dicas : Aurum forte et solidum, tum quia purificatum, tum quia ex vena optima effossum; dici enim *pas* vel *ophas* a radice פזז *pazaz*, id est roboravit, solidavit, inde פז *paz*, id est forte, solidum; *muphas* enim plane videtur esse participium passivum *hiphil* a radice jam dicta *pazaz*. Verum obstat quod hic ait Jeremias : « Aurum de Ophas affertur. » *Ophas* ergo nomen est loci, non qualitatis auri. Rursum *pazaz* non significat roborare, solidare, uti volunt Rabbini; sed mollescere, ductile esse, solubile, expeditum, facile instar auri : ita enim vertunt Noster et Septuaginta, *Genes.* XLIX, 24; unde et פוץ *puts*, quod affine est *pazaz*, significat dispergere, diducere. Ergo ab auro *Ophas* vel *pas* deductum est verbum *pazaz*, id est esse ductile instar auri Ophas : optimum enim aurum, quale erat Ophas, in tenuissimas bracteas flecti, duci et extendi potest, uti recte advertit Pineda, libro IV *De Salom.* cap. XVIII, ubi tamen *Ophas* ab *Ophir* distinguit, uti et alii nonnulli probabiliter hæc duo loca distinguunt, censentque aurum ex Ophas allatum, melius fuisse auro allato ex Ophir : licet aliter sentiat Chaldæus, uti dixi initio.

Ophas, pas, uphas, muphas idem sunt. Ophaz a pazaz, id est roboravit, dici censet Mercerus, *q. d.* aurum solidum et forte.

Melius Pineda ab Ophaz deducit *pazaz*, id est esse ductile.

Porro *muphas* non est participium a *pazaz*, sed per crasin idem est quod מאופז *meophaz*, id est de Ophas, scilicet allatum.

Muphas dicitur quasi *meophas*, id est ex Ophas.

OPUS ARTIFICIS, — id est aurum et argentum elaboratur opere aurificis, vel ærarii, aut argentarii, ut ex eo faciat idolum, aut potius jam factum e ligno, uti præcessit, inauret vel inargentet : atque opere artificis alterius, scilicet sartoris, vestitur purpura et hyacintho, id est veste violacei coloris et purpurei. Nec enim idola facta ex puro auro vestiri solent hyacintho, utpote re viliori; at facta ex ligno, et aureis limbis vel bracteis ornata, eodem vestiri assolent.

OPUS ARTIFICUM UNIVERSA HÆC, — *q. d.* Nihil penitus in idolis est, quod non sit manibus artificum factum, sive eorum materiam et substantiam, sive vestes et ornamenta spectes : ergo idola nihil habent vitæ et rationis; multo minus habent aliquid numinis et divinitatis.

10. NON SUSTINEBUNT GENTES COMMINATIONEM EJUS. — Hebraice זעמו *zaamo*, indignationem, puta vindictam ejus. Opponit Deum idolis, quod ille irascatur et puniat, hæc non.

11. SIC ERGO DICETIS EIS, — id est idolis, et idolorum cultoribus, scilicet Chaldæis : Vers. 11.

DII QUI COELOS ET TERRAM NON FECERUNT, PEREANT DE TERRA. — Nota Jeremiam hic chaldaice loqui (1) :

(1) Hic versus scriptus est chaldaice. Cujus rei rationem vulgo reddunt hanc : Prophetam sistere sibi suos populares tanquam jam abductos in exilium et inter Chaldæos versantes, quibus formulam præscribat, qua

אלהיא די שמיא וארקא לא עבדו יבאדו מארא ומן תחות שמיא : *elahaia di scemaia, vearka la abadu, iebadu meara umin techot scemaia,* id est, « dii qui cœlos et terram non fecerunt, pereant de terra, et de his quæ sub cœlo sunt, » quia scilicet injuste ea, quasi aliena occupant : sunt enim illa Dei creatoris. Sic dicimus de falso possessore domus : Non decet eum habitare in domo aliena, seu quam alius ædificavit. Unde videtur hæc scripsisse Jeremias anno 1 Sedeciæ ad Joakim et alios in Babylonem abductos, ut scilicet ipsi hæc verba responderent Chaldæis, ad suorum idolorum cultum Hebræos invitantibus. Ita Chaldæus et alii. Addit Maldonatus Jeremiam chaldaice loqui, ut rideat idola et idololatras : solemus enim homines barbaros irridere, cum eorum sermone barbaro utimur. In Chaldæo obiter nota, quod Hebræi dicunt *artsa,* id est terra, Chaldæi dicunt nunc *arka,* nunc *ara.*

Ita S. Eustratius (cujus reliquias Romæ in templo Collegii Germanici veneratus sum), militum sub Diocletiano dux in Armenia, cum a Lysia præfecto compelleretur ad idola colendum, respondit intrepide : « Exsecrandos dæmones, et surda simulacra, nullus homo unquam qui compos esset mentis, censuit adoranda. Dictum est enim : Dii, qui cœlum et terram non fecerunt, pereant. » Quare igne adustus, et virgis laniatus, nullam dedit vocem, aut vultus mutationem, quasi in alieno corpore pateretur, irridensque tyrannum, et acerbissima quæque passus, tandem ad rogum quasi ad epulas accedens, inde purus cum flamma quasi ad Deum evolavit. Festum ejus recolit Ecclesia 13 decembris.

Similiter S. Perpetua et S. Felicitas, cum cognatis Satyro, Revocato et Secundolo, damnatæ ad bestias, euntes ad amphitheatrum, per plateas alacres et intrepidæ canebant : « Omnes dii gentium dæmonia; Dominus autem fecit cœlum et terram. » Quocirca jussu Præsidis multis alapis cæsæ; majori tamen animi et vocis contentione eumdem versum iterarunt, laudantes et glorificantes Deum. Ac generose ingredientes amphitheatrum, mox S. Perpetua et Satyrus a leonibus, S. Felicitas vero a leopardis dilacerata, in cœlum evolarunt, anno Domini 205, imperante Severo. Quamobrem sæpe hasce duas matronas, earumque fortitudinem et amorem in Deum, celebrat S. Augustinus, uti lib. I *De Anima,* cap. x, in *Psalm.* XLVII, serm. *De tempore barbarico,* et alibi.

Similiter S. Publia, mater S. Joannis Chrysostomi, mortuo marito, chorum virginum instituens, factaque abbatissa, transeunte Juliano Apostata, cum suis virginibus contentiore voce occinuit illud Davidicum : « Simulacra gentium argentum et aurum; » et : « Similes illis fiant, qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis. » Julianus indignans jussit eas tacere. At Publia jubente, fortius et alacrius cecinerunt : « Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus. » Quare Julianus Publiam alapis cædi, genasque cruentari jussit. Illa vero hanc contumeliam pro summo honore ducens, domum reversa, tyrannum, ut solebat, spiritualibus cantilenis perstrinxit. Ita Theodoretus, lib. III *Histor.* cap. XVII, et Romanum Martyrologium 9 octobris.

12. QUI FACIT, — supple, *q. d.* Noster vero Deus est qui præparat, id est, ut Hebræus et Chaldæus habent, qui fundat orbem in sapientia. Vers. 12.

13. AD VOCEM SUAM, — *q. d.* Ad ejus jussum in aere generatur pluvia : vel ad tonitru, quod est vox Dei, sequitur pluvia, *Psalm.* XXVIII, 3 : « Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit, Dominus super aquas multas. » Vers. 13.

ET ELEVAT NEBULAS, — exhalationes.

AB EXTREMITATIBUS TERRÆ, — id est a mari, quod quasi est terminus ambiens terram. Ita Theodoretus, Hugo, S. Hieronymus, Lyranus. Vel a superficie extima terræ : ab hac enim vapores ascendunt, alii ex montibus. Optime Sanchez : Extrema, ait, vel finis cœlorum, dicitur pars illa cœli, quæ nobis extrema apparet, quia ibi cœlum finiri putat vulgus : sic et extrema pars terræ dicitur illa, quam vulgus judicat extremam; inde enim eminus vespere videntur vapores elevari, ex quibus generatur pluvia.

FULGURA IN PLUVIAM FACIT, — *q. d.* Deus mire potens est, qui facit ut ex fulguribus igneis, imo, ut vertit Pagninus, inter fulgura, sequatur et misceatur pluvia : nubes enim tonantes, et fulgurantes, sunt quasi leones rugientes, et quasi tormenta bellica terram quatientia. Hæc statim demulcet, resolvit, et quasi mansuefacit pluvia. Nubes tonantes sunt quasi leones rugientes.

EDUCIT VENTUM DE THESAURIS SUIS, — quasi ex secretario sive secretis receptaculis omnipotentiæ

respondere debeant Chaldæis ad idola colenda ipsos pellicientibus. Quæ jam Chaldæi interpretis erat sententia versui huic hæc præmittentis : *Hoc est exemplar epistolæ, quam misit Jeremias propheta ad residuos seniores exsulum in Babylonia. Si dixerint vobis populi, inter quos versamini : Colite idola, sic respondebitis, et sic illis dicetis.* Abjudicata Hubigantis sententia, juxta quam librarius qui Jeremiæ librum transcribebat versibus alternis hebraicis et chaldaicis exaratum, ut sunt nonnullæ hodie Pentateuchi membranæ, de versu errasse, et Chaldaicum versum descripsisse, quum debuisset hebræum; majori veri specie sese commendare credimus quod in medium attulit Venema : « Cum nusquam Chaldaica lingua aliquid exprimat Jeremias, ne quidem in epistola ad exsules cap. XXIX, series quoque sermonis manifeste per hæc verba intercipiatur, eaque non tantum parentheseos speciem præ se ferant, verum et instructionem ad præsentes inter Chaldæos degentes redoleant; non sine ratione, aut temere statueretur, additamentum esse ab alia manu tempore moræ in exilio, profectum. Utique in libris Mosaicis et historicis Vet. Test. passim a doctis hujusmodi additamenta admittuntur, in Psalmis quoque a nonnullis, et postea cap. XXV, 13, in hoc ipso libro sese tale quid offerret; sed nihil definio. » Mirum præterea foret, addit Rosenmuller, si formulam qua uti possent Hebræi inter Chaldæos versantes, præscribere voluisset Propheta, eum et sua ipsius verba, initio versus, chaldaice scripsisse.

et opulentiæ suæ : nos enim ignoramus unde oriantur venti. Vel *secundo*, « de thesauris, » id est de opibus suis : inter opes enim Dei sunt etiam venti.

Nota hic antitheses idolorum et Dei, quæ clare ostendunt Deum esse vere Deum, non idola. *Primo*, idola sunt res mortuæ, puta saxa aut ligna arida : Deus vero est « Deus vivens. » *Secundo*, idola in tempore cœperunt : Deus vero est « rex sempiternus. » *Tertio*, idola ab homine ascia et runcina fabricata sunt instar aliorum fabrilium : Deus vero ingenitus creavit cœlos et terram, ac consequenter et materiam ex qua facta sunt idola. *Quarto*, idola non sentiunt, non cognoscunt, nec bene nec male facere possunt : Deus vero sentit, cognoscit, prævidet et providet omnia ; hinc e thesauris suis stato tempore producit ventos, fulgura, pluvias, etc. *Quinto*, idola sui contemptores ulcisci nequeunt : Deus vero fortissimus, æque ac zelotes, sui contemptum ulciscitur, ita ut nemo ejus iram et vindictam sustinere possit. Unde concludendum reliquit : Ergo idola ridenda et spernenda sunt ; Deus vero metuendus, amandus et colendus.

Mystice S. Hieronymus : Nubes, ait, sunt doctores et prædicatores ; hos Deus educit ab extremis terræ, id est ab humili sorte, æque ac sui submissione : oh quam facit eos efficaces, ut sint quasi tonitrua et fulmina, quæ mox in auditorum contritionem et lacrymas, ac vitæ mutationem transeunt et resolvunt; *c.*

14. STULTUS FACTUS EST OMNIS HOMO A SCIENTIA. — Vatablus, *brutescit homo præ scientia*, nimirum Dei, dum scilicet plene vult causas indagare pluviæ, fulgetri, ventorum, quorum solus Deus habet scientiam et providentiam. Ita S. Hieronymus, Rabanus, Hugo, Dionysius. Sic *Psalm.* CXXXVIII, 6, dicitur : « Mirabilis facta est scientia tua ex me ; confortata est, et non potero ad eam. » Certe ventorum generatio, circulatio, motus tam varius et contrarius, torsit et torquet omnium physicorum ingenia : nec hactenus ullus fuit, qui eorum causam ad liquidum assignaret. Hinc Virgilius, *Æneid.* I, fingit eos ex Æolia ab Æolo emitti.

Secundo et aptius : « Stultus factus est homo a scientia, » scilicet sua, qua cum non possit penetrare vim stellarum, ventorum, fulminum, ea admiratus, quasi rectores mundi, et quasi deos coluit, idolaque eis confecit ; de idolis enim agit in sequent. Ita Chaldæus, S. Thomas, Lyranus.

Rursum, stultus est homo in scientia sua, qua ligna dolat, et aurum conflat, ut ex eis fabricet idolum : stultum enim est putare se posse fabricare Deum, et Deum esse qui a fabro fabricatus sit ; cum potius faber ipse, ejusque ars et scientia, quam ejus fabrica, habenda foret numen. Unde sequitur : « Confusus est artifex omnis in sculptili ; quoniam falsum est quod conflavit, et non est spiritus in eis. » Ita a Castro et Sanchez.

Moraliter : « Stultus, inquit D. Thomas est homo a scientia Dei. *Primo*, propter cordis elationem, *Rom.* I : Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. *Secundo*, propter inquirendi curiositatem, et nimiam capitis fatigationem ; unde ait Agrippa rex Paulo : Multæ te litteræ ad insaniam convertunt, *Actor.* XXVI. *Tertio*, propter scientiæ incertitudinem. *Isaiæ* XLVII : Hæc scientia tua et sapientia tua decepit te. *Quarto*, propter operis perversitatem. *Sap.* II, 21 : Excæcavit enim eos malitia eorum. » Hucusque D. Thomas. tia hominum quadrupliciter.

CONFUSUS, — pudore affectus est artifex sculptilis sive idoli

QUONIAM FALSUM EST QUOD CONFLAVIT, — *q. d.* Quia sculptile quod fecit, fallit et mentitur se esse Deum.

15. IN TEMPORE VISITATIONIS (id est punitionis), SUÆ PERIBUNT, — idola, et idololatræ Chaldæi (de his enim loquitur), scilicet vastante Dario et Cyro Babylonem. Aliter Theodoretus : « Peribunt, » ait, cum Apostoli idololatriam exstirpabunt ; et plane, ait S. Thomas, « peribunt » in die judicii. Vers. 15.

16. NON EST HIS SIMILIS PARS JACOB, — *q. d.* Idolis non est similis Deus, qui est pars hæreditaria Israelis : « Pars mea, ait David, Deus in æternum, » *Psalm.* LXXII, 26 ; *Psalm.* XV, 5 ; *Numer.* XVIII, 20 ; quia scilicet Israel Deum, Dei cultum, amicitiam, legem et bona omnia possidebat. Vicissim Israel est « virga hæreditatis, » id est hæreditas Dei ; quia Deus hunc populum a patribus descendentem, quasi suum hæreditaria successione possidebat, *Deuter.* XXXII, 8, 9. Quia enim virgis et funibus hæreditates dimetiebantur et dividebant ; hinc *virga* et *funes* significant portionem hæreditariam, *Psalm.* LXXIII, 2 ; *Psalm.* CIV, 11. *Secundo*, Israel est שבט *scebet*, id est virga, sive sceptrum hæreditatis Dei, quia Deus in Israele regnum suum constituit. Ita S. Hieronymus, Rabanus, S. Thomas. Vers. 16. Virga primo, est pars hereditaria, cur? Secundo, virga est sceptrum.

Tropologice, pars avari est pecunia, obscœni libido, superbi dominatio ; sed verus Israelita spretis omnibus solum Deum possidere cupit, aitque : « Portio mea, Domine, dixi, custodire legem tuam, » *Psalm.* CXVIII, 57. Unde hic est habitaculum et sedes ac templum Dei ; ille draconum, id est dæmonum, vers. 22. Pars impii, est venter ; impii, Deus.

17. CONGREGA DE TERRA CONFUSIONEM TUAM (1) Vers. 17.

(1) Quæ sequuntur, urbem ad extrema redactam et mox ab hostibus occupandam pingunt, incolis in exilium abducendis. Cuinam vero regni Judaici tempori hæc conveniant, haud admodum inventu difficile videtur. Mortuo Joakimo, qui a Nebucadnezare defecerat, cum eo, uti credibile est, inconsulto et invito, regnum occupasset Jechonias, Joakimi filius, ægre id ferens Nebucadnezar exercitum Judæam misit, qui urbem Hierosolymam obsidione cinxit (IV *Reg.* cap. XXIV, 10). Postquam autem et ipse Nebucadnezar advenerat, Jechonias rex cum matre, servis, ducibus, eunuchis egressus, potestati ejus se permisit. Chaldæus vero, metuens haud dubie, ne Jechonias patris perfidiam imitaretur, et ipsum cum familia regis regnique proceribus, et præcipuas Hierosolymæ incolas, numero IX millium, Babylonem captivos abduxit, IV *Reg.* cap. XXIV, 14, 15, 16. Cur vero hoc quod præ manibus habemus oraculum tempori primæ a Ne-

(« congrega, » scilicet, tu o Babylon, ut Vatablus et Kimchi; vel potius, ut Theodoretus, Lyranus, S. Thomas et alii cum S. Hieronymo : Tu, o Jerusalem et Judæa), QUÆ HABITAS IN OBSIDIONE,— quæ brevi es obsidenda. Chaldæus et alii vertunt, *quæ habitas in munitione*, vel loco munito; Septuaginta, *in electis*, id est loco electo, *congrega confusionem tuam*; Chaldæus, *mercimonia tua*; Maldonatus et Sanchez, *idola tua*, *Isaiæ* XLVI, 1. Septuaginta, *substantiam*, id est, omnes opes et vires tuas ad nihil tibi profuturas, nisi ad confusionem : nam omnia hæc in quibus confidebas, te a Chaldæis non liberabunt, sed tecum ibunt in captivitatem. Ita S. Hieronymus. Est ironia, aut potius sarcasmus, sive hostilis irrisio. Vide cap. XI, vers. 14.

18. LONGE PROJICIAM (hebraice קוֹלַע *kolea*, id est quasi funda longe ejaculabor), HABITATORES TERRÆ (Judææ) : ET TRIBULABO EOS ITA UT INVENIANTUR, — in urbe et tribulatione, ut eam effugere non possint, sed deprehendantur et capiantur a Chaldæis. Ita S. Hieronymus. Alii, ut Chaldæus et Vatablus, legunt וימצאו *iimtseu*, id est *ut inveniant*, scilicet angustias et pœnas, quas eis sum comminatus; vel, ut Theodoretus, ut inveniant sese ac Deum, quem negando perdiderunt. Aliqui legunt, *ut non inveniantur*, id est, ut non supersint, sed moriantur et pereant. Verum Hebræa, Chaldæa et Romana legunt, *ut inveniantur*.

Vers. 19. 19. VÆ MIHI SUPER CONTRITIONE MEA! — *q. d.* Doleo ob contritionem meam. Est vox Jerusalem, id est populi Hierosolymitani. Unde subdit :

EGO DIXI : PLANE HÆC INFIRMITAS (id est afflictio et plaga) MEA EST (id est mea culpa mihi accidit; ideo) PORTABO ILLAM, — patienter exedam quod mihi intrivi. Ita S. Hieronymus. Potest verti cum Vatablo : *Quomodo hanc infirmitatem ferre potero?* Nota hic crebram et tacitam enallagen, et mutationem personæ loquentis, instar dialogismi : nunc enim loquitur Deus, nunc populus, nunc Propheta.

Plagam Dei patienter ob quatuor causas.

Moraliter : « Divina percussio, inquit D. Thomas, debet portari patienter : *primo*, propter affectum percutientis. *Proverb.* I : Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias, nec deficias cum ab eo corriperis. *Secundo*, propter conscientiam criminis. *Michææ* IV : Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei. *Tertio*, propter exspectationem muneris. *Jacob.* I : « Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. *Quarto*, propter inutilitatem murmuris. *Thren.* III, 39 : Quid murmuravit homo vivens, vir pro peccatis suis? » Huc usque D. Thomas.

20. TABERNACULUM MEUM VASTATUM EST (locus meus, sedes mea; scilicet ipsa Jerusalem, vastata est, et) FUNICULI, — id est pagi, et oppida vicina, quæ eam quasi funes sustinebant et alebant, diruta sunt, nec est qui ædificet et restauret ea. Olim enim primæ patriarcharum domus fuerunt tentoria; hinc *tabernacula* vocantur quælibet domus et urbes. Vers. 20.

21. QUIA STULTE EGERUNT PASTORES, — scilicet sacerdotes, item reges et principes. Ita Chaldæus. Culpam captivitatum populi transfert in sacerdotes et principes. Vers. 21.

NON INTELLEXERUNT, — mala venientia et minas Prophetarum non prospexerunt, non egerunt prudenter ut ea vitarent. Ita S. Hieronymus et Rabanus.

VOX AUDITIONIS (id est vox magna et clara, ita ut facile audiatur) ECCE VENIT, ET COMMOTIO MAGNA, — magnus scilicet belli tumultus, *q. d.* Ecce sonitus et fremitus venientis Babylonii, ejusque equorum, armorum et curruum auditur. Ita S. Hieronymus. Sunt verba Jeremiæ. Vers. 22.

23. SCIO, DOMINE, QUIA NON EST HOMINIS VIA EJUS. — Significat Chaldæos, non tam a se, quam a Deo excitatos ad devastationem Judææ venisse, *q. d.* ait S. Hieronymus : « Quod a Babyloniis sustinemus, non est eorum fortitudinis, sed nostri meriti et indignationis tuæ. » Unde in Hebræo est, *non est* לאדם *laadam*, id est *illius hominis insignis*, scilicet Nabuchodonosoris, *via ejus* : cum enim cogitaret Nabuchodonosor bellum inferre Ammonitis, Deus illum avertit, et quasi protrusit in Jerusalem ut eam vastaret, *Ezech.* XXI, 19 et 22. Vide *Can.* XXXVI et dicta cap. VI, vers. 4. Ac consequenter in potestate Judæorum non erat illi resistere, illumque avertere. Vers. 23. Non est hominis via ejus, quo sensu?

Aliter Hugo, Lyranus, Dionysius, *q. d.* Scio quia homo infirmus est et cæcus inter tot hostes; unde facile labitur et peccat : rogo ergo ut ejus infirmitatem consideres, et quoniam nos punire vis, non graviter, sed leniter et clementer punias. Unde S. Augustinus hoc refert ad correptionem prædestinatorum, non ad reproborum damnationem, lib. II *De Peccat. merit.* cap. XVII. Unde inquit : « Subjungit Propheta : Corripe me, Domine; verumtamen in judicio, non in furore tuo; tanquam diceret : Scio ad correptionem meam pertinere, quod minus abs te adjuvor, ut perfecte dirigantur gressus mei; verumtamen hoc ipsum noli mecum sic agere tanquam in furore, quo iniquos damnare statuisti, sed tanquam in judicio, quo doces tuos non superbire. »

Hinc et Franciscus Suarez aliique Scholastici sic exponunt : « Non est hominis via ejus, » id est opera gratiæ, quæ sunt ad vitam æternam, non sunt in hominis potestate sine Dei inspiratione et

Nabucadnezare factæ obsidionis assignamus, hæc est ratio. Vers. 18 addendo : *in hac vice*, Propheta eo respicere videtur, quod cum Joakimus defecisset a Nebucadnezare, is satis haberet, Chaldæorum aliarumque gentium vicinarum turmas concitare, quæ Judæam vastarent, incolis vero illas terram privasse, in Regum certe historia (IV *Reg.* XXIV, 2, seqq.), quam solam genuinum historiæ illorum temporum fontem agnoscimus, non legimus. Cum vero Nebucadnezar denuo irritatus a Jechonia cum exercitu Judæam invaderet, omnino metuendum erat, ne graviores pœnas a populo Judaico exoeteret. (Rosenmuller.)

auxilio, quia ad ea Deus hominem excitare debet prævenientе sua gratia : si enim in naturalibus egemus directione Dei ; ergo multo magis in supernaturalibus.

Ostenditur hic non tolli liberum arbitrium.

Imperite ergo hæretici hunc locum torquent contra liberum arbitrium. *Primo*, quia, vel ipsis testibus, non loquitur de omni homine, sed tantum de Nabuchodonosore, *q. d.* Scio Nabuchodonosorem non posse venire, nec expugnare Jerusalem, nisi tu eum juveris : « Equus enim paratur ad diem belli ; Dominus autem salutem tribuit, » *Prov.* XXI, 31. *Secundo*, esto loqueretur de omni homine, ut Maldonatus et alii volunt, non tamen negat liberum arbitrium, sed tantum significat, illud Dei ope indigere, et a Deo dirigi Deique providentiæ subjacere : ac præsertim Judæos aliosque homines non posse evadere manus Chaldæorum, aliorumque hostium, nisi Dei ductu et provida gubernatione.

Moraliter. quam a Dei providentia pendere debeamus.

Moraliter, disce hic in omnibus niti Deo Deique directione ; nam, ut dicitur *Psalm.* XXXVI : « Apud Dominum gressus hominis dirigentur, et viam ejus volet ; » et *Proverb.* XVI : « Cor hominis disponit viam suam ; sed Domini est dirigere gressus ejus. » Unde Theodoretus exponens illud *Psal.* LIV : « Jacta cogitatum tuum in Domino, et ipse te enutriet : Gubernatorem, inquit, habeas Deum, et aurigam, et res tuæ ab illius providentia pendeant. Nam hoc modo inconcussus manebis et immutabilis. »

Quare S. Catharina Senensis moriens suis hoc memorabile documentum reliquit : « Oportet Christianum magnam fiduciam habere de Dei providentia, scientem omnia quæ sibi vel aliis eveniunt, ex divina providentia provenire ; non ex odio illius, sed dilectione eximia. » Et S. Augustinus in fine lib. I *Soliloq.* : « Constanter, ait, Deo crede, eique te totum committe, quantum potes ; noli esse velle quasi proprius, et in tua potestate, sed ejus clementissimi et utilissimi Domini te servum esse profitere. Ita enim te ad se sublevare non desinet, nihilque tibi evenire permittet, nisi quod tibi prosit, etiamsi nescias. » Sicut ergo oculi servorum in manibus dominorum suorum, et sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ : ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum tendant, et ex eo ejusque pia et sedula providentia semper pendeant.

Ita Deo se commisit S. Gregorius Magnus, idque in monasterio didicit, ubi se totum Deo ejusque contemplationi dedit. Unde creatus Pontifex, tredecim annis tot et tanta tam feliciter gessit, idque infirma semper valetudine, ut legens ejus acta et vitam apud Joannem Diaconum obstupescat.

Rarum quoque exemplum refert Moschus in *Prato Spirit.* cap. CCI, de nobili adolescente Constantinopolitano, cui parens moriens, omniaque sua distribuens in pauperes, Christum curatorem reliquit, nec Christus eum fefellit : nam ei divitem et nobilem sponsam præter omnem spem procuravit. Plura hac de re dixi *Exodi* cap. XXXIII, vers. 17.

24. CORRIPE ME, DOMINE, VERUMTAMEN IN JUDICIO, — id est moderate, cum modo et mensura, leniter et discrete : hoc enim est Hebræum מִשְׁפָּט *mispat*, ut scilicet non in ira tua omnino me disperdas, et ad nihilum redigas. Hebraice, *ne nos pauci fices*, id est ad paucitatem redigas. Simile est cap. XXX, vers. 11. Est vox Jerusalem. Vers. 24.

25. EFFUNDE. — Et verba et sententiam transtulit ex *Psalm.* LXXVIII, 6.

JACOB — Israelem, puta Judæos.

DECUS EJUS (omnem pulchritudinem et magnificentiam templi, domorum ac platearum Hierosolymæ) DISSIPARUNT. — Chaldæi, Septuaginta, pro *decus* vertunt, *pascua*, id est fora aliaque loca urbis, in quibus cives, quasi oves in pascuis, omnibus deliciis pascebantur.

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jeremias minantibus sibi suis civibus in Anathoth necem et crucem, excidium nomine Dei intentat. Unde primo, refricat pactum populi cum Deo in Sina initum, eisque ob pacti violationem cladem comminatur. Secundo, Deus, vers. 14, *vetat Jeremiæ ne oret pro populo, qui ait :* Dilectus meus in domo mea fecit scelera multa, *egoque eum quasi olivam pulchram plantavi, sed ille fecit se oleastrum. Tertio, Jeremias in typo Christi ait se quasi agnum duci ad victimam, mittique lignum in panem ejus, vers.* 19 : *hinc, vers.* 20, *implorat et impetrat Dei ultionem in suos Christique persecutores* (1).

1. Verbum quod factum est a Domino ad Jeremiam, dicens : 2. Audite verba pacti hujus, et loquimini ad viros Juda, et habitatores Jerusalem, 3. et dices ad eos : Hæc dicit Dominus

(1) Quam hoc capite legimus concionem, et probabiliter cap. seq., habitam fuisse post repertum anno decimo octavo Josiæ librum legis (IV *Reg.* XXII, 3, seqq.), instauratumque solemni ritu a pio rege fœdus populum inter et Jovam (IV *Reg.* XXIII, 3), haud obscure arguit ad fœdus illud religiose servandum adhortatio, qua hæcce

Deus Israel : Maledictus vir, qui non audierit verba pacti hujus, 4. quod præcepi patribus vestris, in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de fornace ferrea, dicens : Audite vocem meam, et facite omnia, quæ præcipio vobis, et eritis mihi in populum, et ego ero vobis in Deum : 5. ut suscitem juramentum, quod juravi patribus vestris daturum me eis terram fluentem lacte et melle, sicut est dies hæc. Et respondi, et dixi : Amen, Domine. 6. Et dixit Dominus ad me : Vociferare omnia verba hæc in civitatibus Juda, et foris Jerusalem, dicens : Audite verba pacti hujus, et facite illa : 7. quia contestans contestatus sum patres vestros, in die qua eduxi eos de terra Ægypti, usque ad diem hanc : mane consurgens contestatus sum, et dixi : Audite vocem meam : 8. et non audierunt, nec inclinaverunt aurem suam : sed abierunt unusquisque in pravitate cordis sui mali : et induxi super eos omnia verba pacti hujus, quod præcepi ut facerent, et non fecerunt. 9. Et dixit Dominus ad me : Inventa est conjuratio in viris Juda, et in habitatoribus Jerusalem. 10. Reversi sunt ad iniquitates patrum suorum priores, qui noluerunt audire verba mea : et hi ergo abierunt post deos alienos, ut servirent eis : irritum fecerunt domus Israel et domus Juda pactum meum, quod pepigi cum patribus eorum. 11. Quam ob rem hæc dicit Dominus : Ecce ego inducam super eos mala, de quibus exire non poterunt : et clamabunt ad me, et non exaudiam eos. 12. Et ibunt civitates Juda, et habitatores Jerusalem et clamabunt ad deos, quibus libant, et non salvabunt eos in tempore afflictionis eorum. 13. Secundum numerum enim civitatum tuarum, erant dii tui, Juda : et secundum numerum viarum Jerusalem, posuisti aras confusionis, aras ad libandum Baalim. 14. Tu ergo noli orare pro populo hoc, et ne assumas pro eis laudem et orationem : quia non exaudiam in tempore clamoris eorum ad me, in tempore afflictionis eorum. 15. Quid est, quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? numquid carnes sanctæ auferent a te malitias tuas, in quibus gloriata es? 16. Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocavit Dominus nomen tuum : ad vocem loquelæ, grandis exarsit ignis in ea, et combusta sunt fruteta ejus. 17. Et Dominus exercituum qui plantavit te, locutus est super te malum, pro malis domus Israel et domus Juda, quæ fecerunt sibi ad irritandum me, libantes Baalim. 18. Tu autem, Domine, demonstrasti mihi, et cognovi : tunc ostendisti mihi studia eorum. 19. Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam : et non cognovi quia cogitaverunt super me consilia, dicentes : Mittamus lignum in panem ejus et eradamus eum de terra viventium, et nomen ejus non memoretur amplius. 20. Tu autem, Domine Sabaoth, qui judicas juste, et probas renes et corda, videam ultionem tuam ex eis : tibi enim revelavi causam meam. 21. Propterea hæc dicit Dominus ad viros Anathoth, qui quærunt animam tuam, et dicunt : Non prophetabis in nomine Domini, et non morieris in manibus nostris. 22. Propterea hæc dicit Dominus exercituum : Ecce ego visitabo super eos : juvenes morientur in gladio, filii eorum et filiæ eorum morientur in fame. 23. Et reliquiæ non erunt ex eis : inducam enim malum super viros Anathoth, annum visitationis eorum.

concio orditur, vers. 8 et seqq. Etsi vero Josias rex religiosissimus esset, populus tamen, majori ex parte, animo minus sincero ad Jovæ cultum reversus, pronus ad pristinas superstitiones mansit. Atque Josia quidem superstite, in regia saltem urbe haud videntur, metu, ne indignationem regis incurrerent, ad impia sacra palam et publice redire ausi esse. Sed fuisse Hierosolymis plures, qui clam et in occulto fictitiis diis sacra facerent, colligi potest ex iis, quæ vers. 9, 10, dicuntur. In cæteris vero Judææ urbibus propalam, omni seposita verecundia, peregrinis diis litatum fuisse credibile est (vers. 12, 13), præsertim ultimo Josiæ anno, cum regem pium bellum cum rege Ægyptio imprudenter susceptum (IV *Reg.* XXIII, 29), a sacrorum cura avocaret. Huic igitur tempori hanc pericopam assignandam arbitramur. Ad seriora Sedeciæ regnare incipientis tempora illam refert Eichornius (*Die Bibl. Propheten*, vol. II, pag. 214), quam sequitur Dahler (*Jeremiæ*, etc. pag. 192), hoc maximo permotus argumento, quod versus 16, 17, ad insignem illam cladem respicere existimat, quam brevi antea a Nebucadnezare, abductis una cum rege regiaque familia, IX millibus hominum, Judæa accepisset (IV *Reg.* XXIV, 13 seqq.). Verum versus illos non præterita mala commemorare, sed futura minari, orationis tenor satis prodit (Rosenmuller). Quam etiam sententiam suam facit d'Allioli.

Porro in isto sermone, post exordium ubi Propheta exponit legationis auctoritatem et objectum, 1, 2,

PRIMO, adhortatur Judæos ad servandum fœdus, quod cum eorum majoribus Ægypto egressis sanciverat Deus,

Vers. 2. 2. AUDITE, etc.,— tu, o Jeremia, et socii tui Prophetæ (1).

Vers. 4. 4. EDUXI EOS, etc., DE FORNACE FERREA, — id est de servitute durissima, qua quasi camino ferri ignito in decoctione laterum in Ægypto urebantur et affligebantur. Ita S. Hieronymus. Solent enim servi et pauperes vilesque homines in fornacibus, ubi ferrum funditur, laborare, sudare et æstuare, uti videre est Leodii et in Ardenna. Unde *Genes.* XV, 17, Abrahæ hæc servitus præsignificata fuit per clibanum fumantem.

Tribulatio est fornax, piis aurea, impiis ferrea. Tropologice, eadem tribulationis fornax probis et martyribus, uti tribus pueris in Babylone, est aurea, *Sapient.* III, 6, improbis est ferrea. Ita S. Ambrosius in *Psalm.* CXVIII, serm. 20.

UT SUSCITEM. — Chaldæus et Vatablus, ut confirmem et conservem. *Secundo* et melius, ut erigam, et quasi reviviscere faciam pactum meum vobiscum initum, quod quasi intermortuum jam esse videtur. Olim enim patres eorum in terram pacto promissam Deus induxerat; sed quia ex ea illos ob peccata ejecerat, et in Babylonem captivos duci permiserat, videbatur pactum hoc ruptum et violatum: juraverat enim Deus Abrahæ, se ei et posteris ejus terram Chanaan daturum in æternum, *Genes.* XII, 7. Dicit ergo se pactum hoc renovaturum, id est reducturum eos postliminio in terram suam, si vicissim illi servaverint pactum, id est pacti conditiones, scilicet, ut non idola, sed Deum colant, ejusque legem observent. Ita Maldonatus.

SICUT EST DIES HÆC, — sicut dies hæc demonstrat, scilicet vos possidere terram promissam a Deo, lacte et melle manantem, id est fertilissimam.

ET RESPONDI (ego Propheta) ET DIXI : AMEN. — Septuaginta, *fiat*, ut scilicet hæc dicam viris Juda et Jerusalem, scilicet Deum velle innovare pactum cum eis, foreque maledictum qui non servat verba pacti ejus, id est legem, quam cum eo pacti sunt servare. Ita Origenes, Lyranus et Vatablus.

Vers. 6. 6. VOCIFERARE, etc., FORIS JERUSALEM, — extra urbem in agris. *Secundo* et melius, Hebræus, Chaldæus et Vatablus, vociferare in vicis, plateis, foro, vel foris Jerusalem, ut vox *foris* sit ablativus pluralis a nomine *forum*. Ita a Castro.

7. CONTESTANS CONTESTATUS SUM. — Id est, sæpe et vehementer protestatus sum, ac prænonui etiam testibus, puta cœlo et terra, ac vobismetipsis, adhibitis et invocatis (uti feci per Mosen, *Deuteron.* cap. IV, 26, et cap. XXXII, 1, ac per Josue, cap. VIII, vers. 32, ac alias sæpe), si pactum et legem violaretis, has pœnas me inflicturum, ut non possitis queri, cum vos puniam, vos id nescisse, vos non esse admonitos. Ita S. Hieronymus, Rabanus, Hugo et S. Thomas. Vers. 7.

MANE CONSURGENS. — Id est vigilanter, summo studio : quod enim studiose agimus, summo mane agimus.

8. IN PRAVITATE CORDIS SUI. — Hebraice בשרירות *bisrirut*, id est in duritia et pertinacia cordis sui, quam potius secuti sunt, quam mea monita. Vers. 8.

ET INDUXI SUPER EOS VERBA FACTI, — maledictiones et pœnas, pacto seu pacti violatoribus ascriptas, *Deuter.* cap. XXVII, 13 et sequent. Ita Chaldæus, Theodoretus, Hugo et S. Thomas.

9. INVENTA EST CONJURATIO IN VIRIS JUDA, — *q. d.* Prodiderunt et tradiderunt se idolis, deficientes a me; non fortuito, non fragilitate, sed certa quasi conjuratione et colligatione, sive conspiratione, ut vertunt Septuaginta, Aquila, Theodoretus, et, ut Chaldæus, rebellione contra me facta, scilicet sub Joakim, ait Vatablus, vel potius sub Manasse, IV *Reg.* cap. XXII, vers. 15. Ita Lyranus et a Castro (2). Vers. 9.

13. SECUNDUM NUMERUM ENIM CIVITATUM, — *q. d.* Tot deos habebas, quot civitates, imo quot vias et plateas, *q. d.* Non in sola Jerusalem, sed in singulis Judææ urbibus; in ipsa vero Jerusalem non unum uno loco, sed plurima, puta in omnibus plateis singula idola, quasi lares et deos tutelares erexisti et coluisti. Hoc est quod ait Ezechiel, cap. XVI, vers. 31 : « Fabricasti lupanar (id est idolum) tuum in capite omnis viæ. » Ita S. Hieronymus. Vers. 13.

Secundo et nervosius, *q. d.* Singulæ urbes singula idola quasi propria, et ab aliis aliarum urbium diversa asciverunt, ut tot essent idolorum species, quot erant in Judæa urbes, ait S. Hieronymus : « Et secundum numerum viarum Jerusalem, » id est ex omnibus circumquaque gentibus,

primo, denuntiando maledictionem contra violatores legis, et promittendo benedictionem erga observatores, 3-5; *secundo*, commendando observantiam ejusdem, et invehendo in impiorum hominum ex Judæis et Hierosolymitanis factionem, qui rupto illo fœdere et relicto Dei cultu aliarum gentium superstitiones sectabantur, 6-10; *tertio*, comminando ruinam, per idololatriam commeritam, 11-13; nec precibus Prophetæ, nec populi sacrificiis avertendam, 14, 15; priorem conditionem optimam in pessimam convertendam, 16, 17.

SECUNDO, conqueritur de insidiis, quas ob malorum denuntiationes, jussu divino a se prolatas, vitæ suæ concives Anathothitæ struerent, 18-20; et prædicit vindictam huic proditioni a Deo decretam, 21-23.

(1) « Audite verba pacti hujus, » scilicet quod cum vestris majoribus inii (vers. 4), quodque Josias, reperto nuper libro legis, renovavit, IV *Reg.* XXII, 8 seqq.; XXIII, 3.

(2) Proprie hoc verbo *conjuratio*, Scriptura utitur, inquit S. Hieronymus, quando non subito fortuitoque peccato, sed paratis insidiis et conjuratione, tenditur ad delictum, et pari mente unoque studio id agunt, ut Dei mandata contemnant. Quod vero hic dicitur, *inventam esse conjurationem*, haud obscure indicat, impiorum de quibus hic sermo est, secretissimam agendi rationem, et metum, ne detegerentur. Hoc certe illud est, ut vere observat Ghislerius, quod significatum Jeremiæ voluit Deus, viros Juda et habitatores Jerusalem in ipso tempore, quo sub sanctissimo rege arctius in fide, veroque in cultu, et in legis observantia apparebant ut suo peculiari Deo obstricti; occulte nihilominus præ optimi Josiæ regis metu simul convenisse, et secreta conspiratione facta conjurasse, ut et a Deo deficerent, et illius e medio tollerent cultum, quam primum libere sibi agendi exhibita esset opportunitas.

ad quas e Jerusalem viæ erant, idola mutuatus es, ac omnium gentium deos coluisti. Nam ex Moab accepisti Chamos; ex Assyriis et Chaldæis Baalim, non unum sed perplures; ex Ægypto vitulos aureos, Solem, Lunam, etc. Id diserte eis exprobrat Ezechiel, cap. XVI. Ita videmus hodie ex una hæresi, v. g. Lutheri, natas esse trecentas, et singulas ejus urbes suam habere sectam, qua ab aliis quælibet est divisa et dissecta.

14. TU ERGO. — Vox Dei est ad Jeremiam, *q. d.* Tu, o Jeremia, noli pro Judæis tam impiis assumere laudem, id est, ut Chaldæus et Septuaginta, deprecationem, quæ ordienda est a Dei laude, beneficiis et triumphis, ad captandam Dei benevolentiam.

Notat S. Chrysostomus, homil. 14 *in epist. ad Rom.*, hæc dici comminatorie ad terrendum populum, *q. d.* Noli te, o Jeremia, fatigare, frustra orando pro populo tam impio, quia non exaudiam te, nisi scilicet tu precibus tuis hanc iram meam viceris et mitigaris, uti fecit in simili casu Moses, *Exodi* XXXII, 10 et 11. Deus ergo hic absolute non volebat, imo nolebat Jeremiam cessare ab oratione pro populo; quod sciens Jeremias perrexit orare pro eo.

IN TEMPORE AFFLICTIONIS. — Legit Interpres cum Chaldæo et Septuaginta בעת *beet*, jam legunt בעד *bead*, id est pro afflictione sua.

15. QUID EST. — Queritur Deus de idololatria etiam in templo perpetrata. Sic enim idola in templo Dei posuit et coluit Manasses, IV *Reg.* XXI. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, S. Thomas, Lyranus. Potest quoque ex Hebræo verti sic, *quid est quod dilectus meus in domo mea fecit abominationes multorum*, scilicet idolorum aut populorum? *q. d.* Cur in templo meo multa multarum gentium idola locavit, et vario earum ritu coluit? Ita Sanchez.

Scelera dilecti in domo Dei, quæ?

Secundo, Pagninus vertit, *quid est dilecto meo ultra in domo mea, cum fecerit abominationes multas? q. d.* Ejiciam eum ex domo mea, quam ita polluit. Sic enim maritus dicit uxori adulteræ: Quid facit uxor in toro meo, cum tam multos habeat amasios?

Tertio, Hugo et Isidorus sic explicant, *q. d.* Quid dilectus meus Jeremias tam assidue orat et prophetat in templo meo, in quo ipsa plebs tantum perpetrat scelus?

Quarto, Kimchi et Vatablus sic, *q. d.* Quid causæ est Deo (aut Christo) dilecto meo, ait Jeremias, cur diutius habitet in templo hoc meo Hierosolymitano, in quo ipsa plebs idola colit?

Verum primus sensus nostri Interpretis optimus est, eumque recte adaptes clericis et monachis in monasterio, quod domus est Dei, dissolute viventibus.

NUMQUID CARNES SANCTÆ, — *q. d.* Victimæ et sacrificia non auferent malitias tuas. Ita Septuaginta, S. Hieronymus, Theodoretus et alii passim. Hic sensus est planus et genuinus.

Aliter vertunt Chaldæus et Vatablus: « Carnes sanctæ, » id est sacrificia, et omnis Dei cultus transibit et auferetur a te, quia sacrificia exsecranda obtulisti idolis.

Tertio, Pagninus et Vatablus, *q. d.* « Carnes sanctæ, » id est homines sancti, id est sacerdotes, auferentur a te et ducentur captivi.

Quarto, Sanchez: « Carnes sanctæ, » id est exsecrabiles, quas obtulisti idolis, non auferunt maculas a te, sed te magis contaminant; ut sit antiphrasis in voce *sanctus*, qualis est in voce *sacer*, cum dicitur: « Auri sacra fames: » « sacra, » id est exsecrabilis.

IN QUIBUS GLORIATA ES. — Mutat genus, quia prius intelligebatur populus, nunc civitas.

16. OLIVAM UBEREM (hebraice, olivam virentem) VOCAVIT, — id est effecit, ut jure ita vocari posses, *q. d.* Eras, o Juda, Domino quasi oliva virens et florens, cum eum coleres in summa pace, et rerum abundantia, felix et beata ac famosissima inter Gentes.

Olivæ sunt Sancti ob septemanalogias. Prima, olea quia incorrupta, symbolum est æternitatis.

Nota: Ecclesia et Sancti comparantur oleæ et olivæ, *primo*, ob soliditatem virtutis. Lignum enim oleæ nec tempestas, nec caries, nec vetustas labefactat: unde apud veteres æternitatis erat symbolum. Hinc Elias et Henoch, utpote æternitatis candidati, vocantur olivæ, *Zachar.* IV, 14: « Isti sunt, inquit, duo filii olei splendoris, qui assistunt Dominatori universæ terræ; » et *Apocal.* cap. XI, 4: « Hi sunt duæ olivæ, et duo candelabra, in conspectu Domini terræ stantes; » quia scilicet hi duo, infracto animo, resistent Antichristo, nec ullis laboribus, minis aut tormentis cedent.

Secundo, ob fertilitatem, est enim oliva fecundissima. Unde *Psalm.* LI, 10, dicitur: « Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei. » Unde et hic ait Jeremias: « Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam, vocavit Dominus nomen tuum. » Hinc Apostolus, *Rom.* XI, 17, ait gentes ex sterili oleastro insertas esse in bonam et fertilem olivam.

Tertio, ob pinguedinem gratiæ, devotionis et charitatis Sanctorum, quæ dat pinguedinem, id est valorem, bonis operibus. Hinc dicitur *Isaiæ* V, 1: « Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei. » Ubi Symmachus vertit, *in cornu in medio olivarum*; Septuaginta, *in cornu in loco pingui* sive *uberi*. Ubi Isaias vineæ, id est Ecclesiæ robur et potentiam designat per *cornu*; pinguedinem et gratiam per *oleum*.

Quarto, sicut olivæ folia nunquam defluunt, sed semper virent: ita Sanctis illustribus nunquam deperit pulchritudo bonorum operum, sed eorum virtus semper viret. *Osee* XIV, 6: « Ero quasi ros, Israel germinabit sicut lilium, et erumpet radix ejus ut Libani, et erit quasi oliva gloria ejus. » Ubi S. Hieronymus: « Cum Dominus, inquit, nos suo rore gratiæ resperserit, germinabimus, imo florebimus sicut lilium, et mittemus radices nostras sicut arbores Libani, quæ quantum in auras con-

surgunt vertice, tantum radicem in ima demergunt, ut nulla tempestate quatiantur. »

Quinta. *Quinto*, propter pacem; pacis enim symbolum est oliva. Unde columba afferens ad Noe ramum olivæ, finem diluvii, pacemque terræ et hominum cum Deo significavit; Sancti enim sunt pacifici cum omnibus. Quocirca, ut gentiles narrant, aut potius fabulantur, cum Neptunus et Minerva de dignitate contenderent, et Neptunus allegaret se esse aquæ, rei utilissimæ, inventorem; Minerva autem pro se adduceret, se olivam fructiferam plantam invenisse; cecidit causa Neptunus, fuitque pro Minerva lata sententia: quia oliva arbore significabatur fertilitas, ejusque causa, pax, qua nihil dicebant esse jucundius, nihil utilius, nihil ad tranquillam, lætam et beatam vitam accommodatius.

Sexto, propter misericordiam: hanc enim significat oliva. Nam Sanctorum propria virtus est misericordia. Hinc Salomon duos Cherubim fecit ex ligno olivarum, eosque posuit in oraculo, III *Reg.* VI, 31, ut significaret misericordiam ad cœlum ducere, et in cœlo sibi addictos collocare.

Septima. *Septimo*, propter speciem, nitorem et splendorem virtutis. *Eccli.* XXIV, 19: « Quasi oliva speciosa in campis, et quasi platanus exaltata sum juxta aquam. »

Denique oliva foliis exiguis et pallidis, sed fructu uber, indicat Sanctos honorem et ostentationem fugere, sed interius solido virtutis fructu pasci. Docet enim symbolice oliva fructum frondibus, commoda pompæ, utilitatem splendori præferendum. Quis enim non præferat olivam exilem et foris abjectam cuivis ingenti platano aut quercui frondibus luxurianti? Exstat hac de re emblema elegans apud Phædrum, lib. III:

> Olim, *inquit*, quas vellent esse in tutela sua,
> Divi legerunt arbores. Quercus Jovi,
> Et myrtus Veneri placuit, Phœbo laurea,
> Pinus Cybelæ, populus celsa Herculi.
> Minerva admirans, quare steriles sumerent,
> Interrogavit. Causam dixit Jupiter:
> Honore fructum ne videamur vendere.
> At me hercule narrabit quod quis voluerit,
> Oliva nobis propter fructus est gratior.
> Tunc sic deorum genitor, atque hominum sator:
> O nata! merito sapiens dicere omnibus,
> Nisi utile est quod facimus, stulta est gloria.

Sapiens ergo Minerva olivam fructiferam sibi deposcens, docet vanum esse omne frondosum gloriæ choragium, nisi succulentis utilitatis fructibus fecundetur.

AD VOCEM. — Septuaginta Hebræum הַמּוּלָה *hamula* a מוּל *mul*, id est circumcidere, derivantes, vertunt, *ad circumcisionem* vel *scissionem tuam*, qua scilicet fecisti schisma sub Roboamo a Juda, o Israel, in has clades incidisti.

Verum melius Noster interpres et cæteri omnes *hamula*, deducunt ab הָמַל *hamal*, id est loqui, *q. d.* Ob idololatriam tuam, contra te excitabitur vox grandis, id est jussio Dei terribilis instar tonitrui. Dei enim vox mollis et blanda est, qua te vocavit « olivam speciosam, » tibique læta et fausta promisit: vox vero Dei grandis et horribilis est, qua minas intentat, quamque sequuntur vastitas et exitium, sicut post tonitru sequuntur fulgetra et fulmina. Ita Sanchez.

Rursum *vox grandis*, id est imperium et mandatum Nabuchodonosoris, atque clamor Chaldæorum, qui in te ignem accendent, urbemque tuam incendio perdent. Ita Lyranus, S. Thomas et Vatablus. Hebræum enim *hamula* significat clamorem, strepitum, tumultum, qualis est militum in castris, et in expugnatione urbis, præsertim cum e domibus et turribus adhuc cives resistunt. Tunc enim milites inclamant: *Fuogo, fuogo*, domosque incendunt, uti Antuerpiæ et alibi factum vidimus. Nota: Τὸ *grandis* tam ad τὸ *loquelæ*, quam ad τὸ *ignis* (et tunc est sensus planus, *grandis ignis exarsit*) referri potest, varia enim hic est interpunctio.

Tertio, S. Hieronymus, Rabanus, Hugo et S. Thomas « ad vocem loquelæ grandis, » id est, inquiunt, ob tuam jactantiam et blasphemam superbiam combureris.

Quarto, « ad vocem loquelæ grandis, » id est ad famam, qua de Judæis loquebantur, quasi de felicissima republica omnes gentes inierunt cum eis amicitiam et commercia, et inde, a commercio scilicet cum gentibus idololatris, exarsit ignis idololatriæ, quam ab eis didicit Judæa, qui omnia combussit et vastavit.

Sic tropologice, ait S. Gregorius, homil. 21 *in Ezechielem*, de favore et amore laudis, in corde flamma elationis accenditur, quæ omnia consumit. « Vox enim grandis loquelæ est favor adulantis, » qui omnia bene gesta et dicta depascit, cum ex amore, non Dei, sed laudis fiunt. Unde scriptum est *Proverb.* XXVII: « Qui benedicit proximo suo voce grandi, de nocte consurgens maledicenti similis erit. »

FRUTETA EJUS. — Persistit in metaphora olivæ, cui comparavit Jerusalem. Sicut enim ignis depascitur oleam cum omnibus ramis, ita Chaldæi igne vastaverunt urbem cum templo, palatiis et plateis.

17. LOCUTUS EST SUPER TE MALUM. — Decrevit te punire, perdere et vastare. Vers. 17.

18. TU AUTEM (1). — Rabanus, S. Hieronymus, Theodoretus et alii hæc ad litteram de Christo accipiunt: sed patet ex sequenti et præcedenti, Vers. 18.

(1) Quæ deinceps narrat vates facta videntur postquam superiorem concionem habuisset, in qua mala populo et supplicia tot digna sceleribus denuntiavit. Eichorn, quem sequitur Dahler, hic novæ pericopæ quæ usque ad XII, 13, decurrat, et regnante Sedecia edita sit, initium statuit. Verum suffixum tertiæ personæ pluralis in מַעַלְלֵיהֶם, *opera eorum*, manifeste respicit ad malos illos, de quibus in his, quæ præcedunt, locutus est. Illi igitur, ægre ferentes quod non desineret vates ipsos vitiorum coarguere et pœnas minari, de monitore tam molesto e medio tollendo consilia clam inter se agitarunt. (Rosenm.)

maxime vers. 14 et 21, hæc ad litteram de Jeremia dici, qui queritur de insidiis, et morte sibi parata a suis civibus Anathoth, eo quod tam libere eis prophetabat, et minabatur excidium.

Allegorice, certum est ex Ecclesiæ consensu, sub persona Jeremiæ hæc de Christo dici, et propter Christum hæc Jeremiæ evenisse, et scripta esse, atque hoc vult S. Hieronymus. Unde sic concludit : « Ut omni interpretationis molestia liberemur, hanc sequamur regulam, quod omnes Prophetæ in Christi typum pleraque gesserint, et quidquid juxta præsens tempus completum sit in Jeremia, hoc in futurum de Domino prophetari. » Sic et Theodoretus, Rabanus, S. Thomas, Lyranus et Vatablus.

19. ET EGO QUASI AGNUS MANSUETUS.—Hebraice אלוף *alluph*, id est assuefactus, mansuetus; Chaldæus, *electus*; Septuaginta, *innocens*; Syrus, *simplex*; Arabicus, *aberrans*, vel *insaniens*; sed incongrue. Potest *sexto* verti : *Ego sicut agnus dux*, vel ductor gregis, ut significetur Christus, qui omnes martyres exemplo suo anteivit, eosque sua passione animavit ad fortiter appetendam pro Deo mortem, inquit Viegas in *Apoc.* XII, pag. 516. *Septimo*, Vatablus, Pagninus et Kimchi vertunt : *Sicut agnus et sicut bos ducitur ad victimam; sic et ego.* Jeremias ergo purus et mitis fuit quasi agnus, fuitque typus veri agni, qui tollit peccata mundi, scilicet Christi; qui fuit dux gregis Ecclesiæ, pro eaque immolatus est, uti docet Isaias, cap. LIII, 7.

Jeremias fit agnus typusque Christi.

Hinc Christus fuit agnus occisus ab origine mundi, præsignatus.

Primo, in sacrificio Abelis, qui obtulit primogenita ovium, id est agnos, Domino, ac proinde Deo placens ipsemet quasi agnus innocens, factus est victima Deo, cum a parricida Caino occisus, primus exstitit orbis virgo et martyr.

Secundo, in ariete sive agno masculo, quem pro Isaac substituit et immolavit Abraham, *Genes.* XXII, 12. Sic enim in Christi passione, Judæis et tortoribus pro deitate surrogata, passa et immolata est humanitas.

Tertio, in agno paschali, de quo fuse dixi *Exodi* XII. Etenim « Pascha nostrum immolatus est Christus. Agnus redemit oves, Christus innocens Patri reconciliavit peccatores. »

Quarto, in jugi sacrificio. Quotidie enim Hebræi, ex lege *Exodi* XXIII, 38, immolabant Deo tam mane quam vespere agnum : et hoc est sacrificium matutinum et vespertinum, quod sæpe offert et refricat David in *Psalm.* et Prophetæ. Ita Origenes, Cyrillus et Euthymius, in *Joan.* cap. I, 29.

Quinto, in aliis ovibus et agnis, qui ex lege omni festo offerendi erant.

Sexto, quia ab Isaia, cap. LIII, 7, et Jeremia hic Christus comparatur agno. Hinc Joannes Baptista demonstrans Judæis Christum, sive Messiam eis promissum : « Ecce, inquit, agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. » Ubi nota : Christus dicitur « agnus Dei, » quia a Deo, id est, Dei jussu et voluntate Dei, pro hominum redemptione est immolatus, sicut vocatur sacrificium Abrahæ, quod Abraham obtulit Deo, aiunt Theophylactus, Euthymius et Maldonatus. Aut quia ipsemet Deo est oblatus et immolatus : aut « Dei » id est, divinus propter divinitatem, quæ in ipso erat : aut, ut Clemens Alexandrinus, lib. I *Pædag.* v, et ex eo Toletus, quia pro nobis factus est puer, et infans Patris. Pueros enim agnos vocamus. Verba Clementis sunt : « Quoniam Scriptura pueros et infantes agnos vocat, Deum qui est Verbum, qui propter nos homo factus est, qui nobis in omnibus assimilari volebat, vocavit agnum Dei, filium Dei, infantem Patris, » *q. d.* Christus est agnus Dei, id est Filius Dei. Agnus enim filium notat, sicut *Genes.* XLIX, catulus leonis dicitur ut significetur mystice Filius Dei, quod multi antiqui annotarunt : ita hic non ovem, non bovem, sed agnum vocat, ut hominem hunc significet esse Filium Dei, non Patrem, non Spiritum Sanctum. Porro, τὸ *infantem Patris*, a Clemente improprie dicitur : Christus enim æqualis Patri, eique coævus, non recte dicitur infans Patris, qua Deus est. Nam qua homo est, recte id de eo dici potest.

Christus est agnus Dei, cur?

Joannem Baptistam sequitur Joannes Evangelista, qui Christum identidem vocat agnum, mireque voce agni delectatur, adeo ut in Apocalypsi vigesies septies eum nuncupet agnum, uti videre est in *Concordantiis Bibliorum.* Hinc et S. Petrus, spectans Christi innocentiam, redemptos nos fuisse dicit « pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi. »

Ob hasce ergo agni de Christo figuras et prophetias, vetus fuit mos Christum depingendi agni specie, quem præcursor digito ostendit, uti docet VI Synodus habita in Trullo, *Can.* LXXXII, ubi et hunc morem retineri jubet, causamque addit : « Ut per ipsum, ait (Agnum) Verbi humiliationem mente comprehendentes, ad memoriam quoque ejus in carne conversationis, ejusque passionis, et salutaris mortis deducamur, ejusque quæ ex eo facta est mundi redemptionis. » Atque hunc usum Romana et Latina Ecclesia semper retinuit, licet Græci ob calumnias Iconoclastarum aliquando vetuerint Christum alia specie pingi, quam humana. Romæ enim etiamque in aliis Ecclesiis Latinorum, « in antiquis cœmeteriis et sepulcris videre est Christum musivo opere pictum et sculptum quasi agnum; sed et ex cera sacra solitas confici agnorum imagines in Ordine Romano a Gelasio collecto (ut constantior opinio est) ex antiquo ejus Ecclesiæ usu hæc habentur : In eadem Dominica post albas, id est in Octava Paschæ, intra civitatem Romanam dantur agni cerei ab Archidiacono in ecclesia post Missam et communionem populo, etc. Hæc quidem antiquitas in Ecclesia Romana servata, nunquam postea intermissa, hactenus perseveravit, » ait Cardinalis Baronius, anno Christi 692, pag. 914. Nota hic usum agnorum cereorum benedictorum, quasi usitatum et antiquum

Christus pingitur ut agnus.

laudari a Gelasio, qui vixit ante annos 1100, puta sub annum Christi 500. Nimirum baptizati, cum vestem candidam in baptismo acceptam deponebant Dominica in Albis, ejus loco accipiebant hunc agnum cereum a Pontifice benedictum, ut monerentur agnum Christum ejusque innocentiam baptismo acceptam, jugiter et præ oculis habere et conservare.

Unde Sergius Papa, anno Christi 701, « statuit ut tempore Dominici corporis, Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis, a Clero et populo decantaretur, » ait Anastasius Bibliothecarius et ex eo Baronius. Ita nimirum voluit Ecclesia agni hujus ideam, memoriam, amorem, cultum innocentiam jugiter nobis objicere.

Denique tropologice per hanc agni speciem, significavit Christus, quam sibi Deoque pretiosa et cara sit mansuetudo, quamque ipsa sit fortis et invicta. Nimirum Christus, utpote Agnus Dei primogenitus, amat agnellos, amat agnas, amat agnetes, amat innocentes, amat virgines, amat martyres, quia mites; et per mansuetudinem facit eos omnibus hostibus, omnibus tormentis, omnibus tentationibus superiores. Hoc est ergo secretum, quod per agnum nos docet Christus, nimirum mansuetudinem et patientiam, esse fidelium scuta in bello defensivo, æque ac tela in bello offensivo invicta, quibus omnia adversa, omnesque adversarii superantur, imo subjugantur. Mansuetudo enim non tantum vincit hostes, nec tantum superbiam, iram, invidiam, impatientiam; sed et libidinem, omnemque concupiscentiam, uti docent Cassianus et prisci ascetæ; quin et ipsa veritas clare pronuntiat: « Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram, » *Matth.* cap. v, 4.

ET NON COGNOVI, — scilicet, antequam mihi, o Domine, revelares, *q. d.* Non putabam eos fore tam nequam, tamque mihi infestos, ut me neci destinarent. Sic allegorice, Christus non cognovit, quia qua homo, sine Patris revelatione non cognovit insidias Judæorum; *secundo* et potius, non cognovit, id est dissimulavit, quasi nesciret insidias eorum; *tertio*, non cognovit, id est ductus ad mortem nihil dicens, perinde, ac si non cognovisset quo eum ducerent; sicut agnus, cum ad lanienam ducitur, non queritur, non refugit, quia nescit quo eat; alioqui non ignorabat Christus quo duceretur, imo passionem et crucem suam jam ante prædixerat, *Matth.* xx, 18 et 19. Ita Hugo, Maldonatus et alii.

Sancti illustres fuerunt tolerantes ut agni.

Vide, o Christiane, et imitare hoc agni immaculati exemplum, hoc speculum jugiter speculare, et moribus exprime. Ita fecerunt omnes christianæ perfectionis studiosi, ab eoque didicerunt injurias, verba et verbera silenti et miti animo perferre. Audi exempla ex *Vitis Patrum*, lib. VII, cap. VII et VIII.

Exempla.

Monachus quidam erat qui quanto plus eum aliquis injuriabatur aut incitabat, tanto magis ad eum recurrebat, dicens: « Isti sunt qui nobis occasionem præbent ad perfectionem nostram; qui autem beatificant nos, decipiunt nos et semitam pedum nostrorum subvertunt. »

Alius non arguebat injuriantem, sed se, dicens: « Quia propter peccata mea contingunt mihi hæc. »

Tertius, si quis ei detraxisset, mittebat ei munera.

Quartus, Zacharias pallium suum conculcans, dixit: « Nisi quis sic fuerit conculcatus, monachus esse non potest. »

Quintus, S. Antonius prædixit Ammoni: « Multum habes in via Dei proficere. » Et educens eum de cella: « Vade, inquit, et injuriare lapidem hunc, et indesinenter cæde; » quod cum fecisset, rogavit eum S. Antonius, « si ei aliquid lapis respondisset? » At ille dixit: « Non; » cui Sanctus: « Ita et tu ad hanc mensuram perventurus es, ut nullam tibi fieri arbitreris injuriam. »

Sextus, lib. V, cap. VII *De fortitudine*, omnes injurias et tribulationes superabat, in iis gratias agendo Deo: atque adeo « Deus, inquit, videns patientiam ejus, abstulit omne bellum tentationis ab eo. »

Septimus, ibidem: « Virtus, inquit, monachi in tentationibus apparet. »

Octava, S. Syncletica: « In tentatione, inquit, dicito: Castigans castigavit me Dominus, et morti non tradidit me. Si ferrum es, per adhibitum tibi ignem amittes æruginem; si aurum es, per ignem probatior eris. Memor esto istius: Transivimus per ignem et aquam; residuum est quod sequitur, ut inducamur in refrigerium. Obtinuisti primum, exspecta secundum, agens quæ virtutum sunt. »

Talis agnus fuit S. Ignatius in vita et in morte. Vox ejus in vita fuit: « Mansuetudinem volo, qua omnis vis principis hujus mundi enervatur. » Vox vero in morte: « Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar. »

Mittamus lignum in panem, quadrupliciter exponitur.

MITTAMUS LIGNUM IN PANEM EJUS. — Hebraice, *corrumpamus, perdamus, exscindamus lignum*, id est arborem, *in pane*, id est cum pane ejus, id est cum cibis et fructu suo, ait R. Kimchi, *q. d.* Occidamus Jeremiam, ut ipse pereat, et cum ipso prophetia ejus tristissima, quasi Jeremias sit arbor exscindenda: panis, id est fructus ejus sit ejus doctrina, concio et minæ, unde sequitur: « Eradamus eum (quasi arborem) de terra viventium. » Hæc expositio satis convenit Hebræo; sed dissentit a versione nostra cui consentiunt Septuaginta et Chaldæus.

Primo.

Secundo.

Secundo, Chaldæus, S. Thomas, Hugo, Lyranus, Pagninus et Vatablus, τὸ *corrumpamus lignum in pane ejus*, per hypallagen vertunt, *corrumpamus panem ejus ligno*, scilicet venenato et mortifero, *q. d.* Toxico et ligno venenato inficiamus ejus panem et cibum, et sic veneno eum perimamus: unde per *lignum* hoc, accipiunt taxum, cujus lignum, folia, baccas et flores lethalia esse docent Theophrastus, Plinius, lib. XVI, cap. x, Dioscorides, Galenus et alii: adeo, ait Plinius, ut qui ob-

Taxus arbor venenata.

dormiunt sub ea, moriantur. Unde Virgilius :

Ne propius tectis taxum sere.

Imo hinc Maldonatus, Calepinus et alii venenum dici putant *toxicum* a taxo, quasi taxicum; sed alii melius toxicon a τόξῳ id est sagitta, deducunt; et hoc est quod ait Plinius : « Sunt et qui taxica hinc appellata dicunt venena, quæ nunc toxica dicimus, quibus sagittæ tinguntur ut sint venenatæ. Dioscorides venenum hoc taxi tribuit nimio frigori taxi, instar cicutæ. Melius Mathiolus, in lib. VI *Dioscoride*, cap. XII, id tribuit nimio calori, quia taxus corticem et frondes habet amaras, baccas dulces et acres, perpetuo viret, febres mortiferas et alvi profluvia ciet, denique aviculæ frondes taxi depastæ nigrescunt, quæ omnia caloris nimii sunt signa, *q. d.* Taxo panem et cibum Jeremiæ inficiamus, excidamus et succidamus. Verum, quia lignum non solet imponi cibo, sed venenum; quod hebraice ראש *ros* dicitur, et quia omnes Patres hunc locum intelligunt de ligno crucis; hinc

Tertio. *Tertio* et aptissime, « mittamus lignum in panem ejus, » ut scilicet loco panis, pascamus eum ligno, id est fuste aut cruce, crucifigamus eum. Sic vulgo dicitur : Fuste te cibabo, id est fuste tundam te, baculos gustabis, pugnos comedes. Vel, si vertas, *corrumpamus lignum in panem*, expone per hypallagen; *corrumpamus panem ejus in lignum*, id est pervertamus ejus panem, et mittamus in lignum, ut pro pane comedat lignum, id est fustes aut crucem; unde Syrus vertit, *corrumpamus lignum in pane ejus*, vel, *depravemus ligno panem ejus*. Clarius Arabicus, *corrumpatur per trabem caro ejus, et per lignum fortitudo*, vel *vis gigantea ejus*. Sic enim aptissime hic Jeremias prophetat crucem Christi, uti eum facere docent S. Hieronymus et Theodoretus hic, et Justinus, *Contra Tryphonem*; Tertullianus, lib. *Contra Judæos*, cap. X; Cyprianus, lib. II *Contra Judæos*, cap. XV; Ambrosius in *Titul. Psalm.* XXXV; Gregorius, lib. III *Moral.* cap. XII, et alii passim.

Quarto. *Quarto*, Tertullianus, lib. III *Contra Marcion.* cap. XIX, et Lactantius, lib. IV *Institut.* cap. XVIII, per hypallagen sic exponunt : « Mittamus panem, » hoc est corpus Christi, quod nobis est panis in Eucharistia, « in lignum crucis; » vel, ut Abbas Joachim hic : « Mittamus lignum in panem, » id est crucem in carnem Christi, blasphemiam in doctrinam, detractionem in vitam, scandalum in religionem, ut nemo credat ei et doctrinæ ejus, quem videat esse crucifixum; sic et S. Thomas, Andræas, Capella et Maldonatus. Ubi

Locus Tertulliani, ab hæreticorum depravatione vindicatur. Nota : Verba Tertulliani hæc sunt : « Hoc lignum (crucis) et Jeremias tibi insinuat, dicturis prædicans Judæis : Venite, mittamus lignum in panem ejus, utique in corpus. Sic enim Deus in Evangelio quoque vestro revelavit, panem corpus suum appellans : ut et hinc jam eum intelligas corporis sui figuram pani dedisse, cujus retro corpus in pane Prophetas figuravit, ipso Domino hoc Sacramentum postea interpretaturo. » Quæ verba imperite et perverse torquent Calvinistæ contra veritatem corporis Christi in Eucharistia, cum eamdem manifeste stabiliant; dicit enim Tertullianus quod apud Jeremiam per panem intelligatur corpus Christi, quod in ligno crucis affixum fuit, atque addit Christum ipsum ita explicuisse prophetiam Jeremiæ, cum de pane Encharistiæ dixit : « Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur, » id est crucifigetur. Ubi clarum est per panem apud Jeremiam hic, non intelligi panem materialem, qui significet corpus Christi (ut volunt Calvinistæ); sic enim sequeretur panem fuisse crucifixum, non autem corpus Christi. Quod ergo ait Tertullianus, « ut et hinc jam eum intelligas corporis sui figuram pani dedisse; » figuram assignat pani, ut patet ex verbis, non corpori, idque cogitur fateri Calvinus apud Claudium Sainctes in *Apolog. Contra Bezam*, pag. 139. Sensus ergo Tertulliani est, *q. d.* Christus in Eucharistia dedit corpus suum sub figura et specie panis, ut conformaret se prophetiæ Jeremiæ, eamque explicaret. Jeremias enim per figuram corpus Christi vocavit panem, dicens : « Mittamus lignum in panem ejus, » id est in corpus Christi; hanc enim figuram quæ est in voce *panem*, explicuit et interpretatus est Christus, cum corpus suum in Eucharistia abscondit sub figura et specie panis (non peponis, vel alterius rei) de eaque dixit : « Hoc est, » non panis, sed « corpus meum. » Hunc esse sensum Tertulliani clarissime docet Pamelius in lib. IV *Contra Marcion.* cap. XL, num. 662; quin et ipsi Centuriatores Magdeburgenses palam profitentur figuram apud Tertullianum non cadere in vocem *corporis*, sed in vocem *panis*.

20. TU AUTEM, DOMINE SABAOTH (Domine exercituum, Domine potentissime), QUI JUDICAS JUSTE, ET PROBAS RENES ET CORDA, — qui exploras et penetras et pervides cujusque affectus et cogitationes, item volitiones et intellectiones; renes enim sunt sedes affectuum et concupiscentiæ, uti cor est cogitationum : et quia voluntas fons est affectuum rationalium, intellectus cogitationum et consiliorum : hinc recte per *renes* accipias voluntatem et appetitum, per *cor* intellectum. Idem senserunt Platonici. Ex quibus Proclus, lib. *De Anima et dæmone*, docet naturam et experientiam cuique attestari, quod Deus occulta cordium agnoscat. Quisque enim, ait, dum occulto cruciatur mœrore, dolore, timore, amore, tentatione, afflictione, invocat Deum, quasi ejus conscium et inspectorem, opemque et liberationem ab eo efflagitat. Idem eadem ratione evincit Tertullianus lib. *De Anima*. Hoc enim testimonium animæ connaturale, illi a Deo, qui prima est veritas, insitum est.

Ex hoc loco S. Augustinus, in *Sententiis*, numer. 21, recte infert eos qui judicant de secreta intentione proximi usurpare judicium Dei, et peccare judicio temerario : « De occultis, inquit, cor-

dis alieni temere judicatur, et eum cujus non videntur nisi bona opera, iniquum est ex suspicione reprehendere, cum eorum quæ hominis sunt incognita, solus Deus judex sit; quia justus est et inspector verus. »

VIDEAM (fac ut videam) ULTIONEM TUAM,—id est a te profectam; *secundo*, « tuam, » quia ego causam meam tibi revelavi, id est revelo, committo, et in te transcribo, in te omne jus meum omnemque injuriam resigno : ergo et ulciscere non tam meas quam tuas injurias illatas ab Anathothitis civibus sed hostibus meis; idque opto ex justitiæ zelo ad aliorum exemplum, non ex odio aut vindictæ cupidine, uti optavit et David *Psalm.* XCIII, 2. Præclare S. Augustinus, in *Sententiis*, Sent. 246 : « De benevolentia, inquit, est, non de malitia, cum lætatur justus in impios processisse vindictam; quia non ei exitium peccatoris placet, quem voluit corrigi; sed justitia Dei, qua scit multos posse converti. »

21. HÆC DICIT DOMINUS, — hæc dico ego. Ipse enim Dominus hic de se in tertia persona loquitur, *q. d.* Quia tu, o Jeremia, mihi revelasti et commendasti causam tuam, faciam quod a me petis, et ultionem de Anathothitis hostibus tuis sumam. Vers. 21

NON PROPHETABIS (ne prophetes) IN NOMINE DOMINI (sed in nomine Baal, uti nos; vel potius, ne prophetes in nomine Domini, scilicet tantas calamitates nobis imminere), ET NON MORIERIS, — non occidemus te : loquere nobis placentia, et parcemus tibi.

23. RELIQUIÆ NON ERUNT EX EIS, — delebo omnem propaginem et posteritatem Anathothitarum. Loquitur de impiis tantum et sceleratis, qui Jeremiam ad necem persequebantur : nam alioqui promisit Deus, cap. IV, vers. 27, se consummationem non facturum. Vers. 23.

ANNUM VISITATIONIS, — annum punitionis et excidii.

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jeremias cap. præced. a suis Anathothitis tot mala et necis insidias passus, miratur se et alios innocentes tot mala pati, cives vero suos et alios impios bonis affluere. Respondet Deus, vers. 5, *ut sit majori animo, eum adhuc graviora passurum in Jerusalem, se tandem eam cum aliis gentibus dirissime puniturum. Denique, vers.* 14, *hostibus quoque Judæorum minatur excidium* (1).

1. Justus quidem tu es, Domine, si disputem tecum; verumtamen justa loquar ad te : Quare via impiorum prosperatur; bene est omnibus, qui prævaricantur et inique agunt? **2.** Plantasti eos, et radicem miserunt : proficiunt, et faciunt fructum : prope es tu ori eorum,

(1) Hoc caput esse præcedentis continuationem, affirmari posse existimamus, licet interpretes non omnes illud conjungant cum iis quæ præcedunt et sequuntur. Nam Eichornius et Dahler inde a versu 18 cap. præced. usque ad versum 13 hujus capitis unam continuam orationem contineri existimant. Schnurrerus, in *Observatt. ad vaticinia Jeremiæ Comment. theologic.* vol. III, p. 376, scribit illam quæ sex prioribus capitis XII versibus absolvitur orationem, seu amplioris orationis partem quamdam reliquam, non magis ea, quæ præcedunt, attingere, quam ad ea respicere, quæ nullo intervallo sequuntur, sed sola et a proximo sermone sejunctam, spectandam esse. Interpretum vero plures, inter quos Venema, malorum denuntiationem, supra XI, 17, cœptam, sed insidiarum prophetæ ab Anathothensibus structarum mentione interruptam (XI, 18, XII, 6) hac pericopa continuari existimant. Denique Rosenmuller particulam superiorem (XII, 1-6.), neque cum iis quæ præcedunt, neque cum iis quæ sequuntur cohærere, adeoque a reliquis separandam esse asserit.

Nos multo probabiliorem sententiam amplectimur quæ hoc caput, ut unam continuam orationem cum superioribus nectit, et juxta illam, totam hujus capitis seriem sic statuimus.

Cum duo essent quæ Jeremiam excruciabant: alterum, quod nefarios homines videret continua impunitate, et rebus etiam secundis uti; alterum, quod sibi, molesto quidem censori, at conscientia officii benevolentiæque divinæ freto, perferenda esset adversariorum multiplex vis atque injuria, postquam in cap. præced. conquestus est de insidiis quas vitæ suæ struerent, et severas pœnas quas ab eis Deus repetiturus esset, prædixit;

PRIMO, reverenter expostulat a Deo improborum prosperitatis, et proborum calamitatis rationes, 1, 2; et eumdem rogat et excitat, velit sibi incolumitatem præstare, et abolere homines qui tanquam pestes civitatis aliena sacra fovendo agrorum sterilitatem tantam patriæ inducant, ut bestiis etiam sit pereundum, 4.

SECUNDO, respondet Deus, *primo*, festinantius ipsum querimoniis indulgere, quæ adhuc expertus sit mala atque incommoda, levia esse, multo autem graviora instare, de quibus necdum cogitet; nimirum familiaribus etiam et consanguineis tam odiosum ipsum esse et invisum, ut et ipsi de eo tollendo cogitarent, 5, 6; *secundo*, terram Judaicam barbaris hostibus depopulandam et vastandam se permissurum, 7-13; *tertio*, tum vero se et in populos Judæis vicinos, qui cum prius eis auctores ad idolorum cultum exstiterint, in eorum terram manus intulerint, graviter animadversurum, 14; *quarto*, utrisque spem facit se illorum omnium miserturum et in suam quamque terram revocaturum esse, 15; sed ad populos quod attinet, ea sub conditione, ut Dei culto-

et longe a renibus eorum. 3. Et tu, Domine, nosti me, vidisti me, et probasti cor meum tecum : congrega eos quasi gregem ad victimam, et sanctifica eos in die occisionis. 4. Usquequo lugebit terra, et herba omnis regionis siccabitur, propter malitiam habitantium in ea? consumptum est animal et volucre, quoniam dixerunt : Non videbit novissima nostra. 5. Si cum peditibus currens laborasti : quomodo contendere poteris cum equis? cum autem in terra pacis securus fueris, quid facies in superbia Jordanis? 6. Nam et fratres tui, et domus patris tui, etiam ipsi pugnaverunt adversum te, et clamaverunt post te plena voce : ne credas eis cum locuti fuerint tibi bona. 7. Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam : dedi dilectam animam meam in manu inimicorum ejus. 8. Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in sylva : dedit contra me vocem, ideo odivi eam. 9. Numquid avis discolor hæreditas mea mihi? numquid avis tincta per totum? venite, congregamini, omnes bestiæ terræ, properate ad devorandum. 10. Pastores multi demoliti sunt vineam meam, conculcaverunt partem meam : dederunt portionem meam desiderabilem in desertum solitudinis. 11. Posuerunt eam in dissipationem, luxitque super me : desolatione desolata est omnis terra : quia nullus est qui recogitet corde. 12. Super omnes vias deserti venerunt vastatores, quia gladius Domini devorabit ab extremo terræ usque ad extremum ejus : non est pax universæ carni. 13. Seminaverunt triticum, et spinas messuerunt : hæreditatem acceperunt, et non eis proderit : confundemini a fructibus vestris, propter iram furoris Domini. 14. Hæc dicit Dominus adversum omnes vicinos meos pessimos, qui tangunt hæreditatem, quam distribui populo meo Israel : Ecce ego evellam eos de terra sua, et domum Juda evellam de medio eorum. 15. Et cum evulsero eos, convertar, et miserebor eorum : et reducam eos, virum ad hæreditatem suam, et virum in terram suam, 16. et erit : si eruditi didicerint vias populi mei, ut jurent in nomine meo : Vivit Dominus, sicut docuerunt populum meum jurare in Baal : ædificabuntur in medio populi mei. 17. Quod si non audierint, evellam gentem illam evulsione et perditione, ait Dominus.

Vers. 1. 1. JUSTUS QUIDEM TU ES, DOMINE, SI DISPUTEM TECUM, — id est justior es, quam ut debeam tecum disputare, et scio quod post omnem disputationem vinces, et justus apparebis : tamen pace tua, liceat mihi afflicto affectui meo nonnihil indulgere, atque proponere justam meam, ut mihi videtur, exspostulationem et querelam : cur scilicet impii prosperentur, pii affligantur. Eamdem quæstionem movent Job cap. XXI, vers. 7, David *Psalm.* LXXII, 3, Habacuc cap. I. Idem questi sunt gentiles, ut Claudianus scribens in Ruffinum; Ruffinus enim hic humili loco natus insinuans se in gratiam Theodosii Imperatoris ad summos honores èvectus eos impotenter et tyrannice gessit, eoque pervenit arrogantiæ, ut generum habere conaretur Arcadium Imperatorem; imo hac via Imperium sibi assumere moliretur. Quare eadem die qua ab Arcadio se Imperii consortem declarandum putabat, ab exercitu, quasi proditor Imperii, circumdatus, discerptus, et in frusta dissectus est. Unde Claudianus ex Ruffini supplicio agnoscens superis esse providentiam, de qua antea dubitabat, ita canit :

Errores infidelium de Dei providentia.

> Abstulit hunc tandem Ruffini pœna tumultum,
> Absolvitque deos, jam non ad culmina rerum
> Injustos crevisse queror : tolluntur in altum
> Ut lapsu graviore ruant.

Ita multi etiamnum victi adversis, divinæ Providentiæ spem, et mox fidem abjiciunt, dum vident et considerant eos acrius fortunæ acerbitate affligi, qui virtuti magis studuerunt. Quocirca illud Herculeum sæpe in ore habent : « O infelix virtus, itane, cum nihil quam nomen esses, ego te tanquam aliquam exercui, cum tu fortunæ servieris? » Ita nuper Anglus quidam concludebat Orthodoxos Romanæ fidei Deo nec caros, nec curæ esse, quod eos ita misere in Anglia vexari, incarcerari, bonis et vita privari permittat. Audivi et Hollandum calvinistam ita ratiocinantem : Calvinistis in Hollandia favet Deus; nam eos pace et opibus abundare facit : ergo habent ipsi veram Dei fidem et cultum; nec enim credibile videtur, quod hostibus suis et hæreticis ita faveat Deus. Pari modo conclusisset turcismum et ethnicismum

ribus se aggregent, 16, quam si recusent, eos extirpandos esse, 17.

Ad illud tempus referenda videtur hæc prophetia, quo Judæa magna terræ siccitate laboravit, ut ostendit vers. 4. Eam calamitatem, de qua Jeremias et infra vers. 13 hujus cap. et cap. XIV, 1, 2, queritur, regnante Josia incidisse, colligitur inde, quod et supra, cap. III, 3, V, 24, quæ conciones sub Josia habitæ fuerunt, magnæ siccitatis, e longo pluviæ defectu ortæ, fit mentio.

esse veram Dei religionem, eo quod Turcæ et ethnicis Imperatoribus tot victorias et regna concesserit, et etiamnum concedat Deus. Prudentius et modestius Cato videns Pompeii res infeliciter succedere, et victoriam ad Cæsarem inclinare, dixit: « In rebus divinis multum esse obscuritatis, ec quod Pompeio præter fas res suas promoventi omnia prospere; justam vero reipublicæ causam tuenti sinistre omnia evenirent. »

Ex hac ergo proborum infelicitate et improborum felicitate ortus est triplex gentilium error: *Primus* deos negantium, uti illius qui canit:

Marmoreo Licinus tumuleo jacet, at Cato parvo,
Pompeius nullo: credimus esse deos?

Secundus esse quidem deos, sed terrena et humana non curare. Ita sensit Plinius, lib. II, cap. VII: « Irridendum, ait, est agere curam rerum humanarum illud, quidquid est, summum. » Et causam addit: « An tam tristi atque multiplici ministerio non pollui credamus, dubitemusve? » Cui respondet Clemens, lib. VII *Strom.*, Deum non pollui hac cura nec distrahi; quia cum summa quiete et placidissime hæc omnia agitat; quia ipse « est totus mens, totus lux, totus oculus, omnia videns, omnia audiens, omnia sciens. »

Tertius fuit Balbi Stoici apud Ciceronem, lib. II *De Natura Deorum*, « Deum singulos homines curare; sed magna, ait, dii curant, parva negligunt. »

Hos refellit Plato in *Epinom.* ubi toti suo de diis sermoni hoc fundamentum præstruit: « Quod curent omnia, magna sint ea aut parva. » Et Seneca, lib. I *De Providentia*, docet nihil esse a casu, sed occultum aliquid divini consilii esse, a quo omnia quæ fortuita videntur, diriguntur. Et Cicero, lib. III *De Natura Deorum*, docet « materiæ universæ fictricem ac moderatricem esse divinam Providentiam. » Pulcherrime vero Epictetus, lib. I *Dissertat.* cap. XII: « Sunt, ait, qui negent ullum Numen esse. Sunt qui esse docent, sed ignavum, incurium et nulli rei providere. Sunt tertii, qui et esse, et providere, sed nonnisi magnis et cœlestibus, terrenorum autem nulli. Quarti, et cœlestibus et terrestribus, sed universis duntaxat, non autem singulis et unicuique seorsim. At quinti, in qua parte Ulysses et Socrates, asserunt statuuntque quod te, o Deus, nec in minimo motu lateam aut fallam. » Ita et Cicero loco citato asserit « non universo generi hominum solum, sed etiam singulis a diis immortalibus consuli ac provideri; » additque: « Stoici Dei majestatem usque ad apium formicarumque perfectionem deducunt. » Causam dat noster Damascenus: « Necesse est, ait, eumdem esse conditorem rerum et administratorem; neque possunt aut debent dividi. Sic enim imbecillitati alteruter esset obnoxius, quasi aut iste condere non posset, ille non administrare et conservare. » Aurea est gnome S. Augustini in *Sententiis*, num. 58: « Voluntas Dei est prima et summa causa omnium corporalium spiritualiumque motionum. Nihil enim fit visibiliter et sensibiliter, quod non de invisibili et intelligibili summi Imperatoris aula, aut jubeatur aut permittatur, secundum ineffabilem justitiam præmiorum atque pœnarum, gratiarum et retributionum, in ista totius creaturæ amplissima quadam universaque republica; » et num. 41: « Mutabilium omnium dispositionem immutabilis ratio continet, ubi sine tempore simul sunt, quæ in temporibus non simul fiunt; » et num. 140: « Nullum Deus vel Angelorum vel hominum crearet, quæ malum futurum esse præscisset, nisi pariter nosset quibus eos usibus bonorum commendaret, atque in ordinem sæculorum quasi pulcherrimum carmen, etiam ex quibusdam pulcherrimis antithetis honestaret; » et num. 239: « Interdum Deus per malos erudit bonos, et per temporalem potentiam damnandorum exercet disciplinam liberandorum. »

VERUMTAMEN JUSTA LOQUAR. — Hebr. *judicia loquar;* Chaldæus vertit, *interrogationem judicii interrogo a facie tua*, id est postulo a te causam et rationem judicii tui. Sic ait Job cap. X, vers. 2: « Indica mihi cur me ita judices. »

2. PLANTASTI EOS, — stabilivisti eos, sicut arbores quæ alte plantantur. Vers. 2.

PROFICIUNT, — divitiis aucti, aiunt Chaldæus, S. Thomas, Vatablus, et prolibus, aiunt Septuaginta.

PROPE ES, — id est, ut Chaldæus, assidue te habent in ore; at in renibus, id est affectibus, mente et voluntate impura eorum non habes locum; *secundo*, a Castro sic explicat, *q. d.* « Prope es tu ori eorum, » scilicet tribuens illis ad os, id est ad nutum pro votis, quidquid desiderant et petunt; et longe es a renibus eorum, quia nec modico flagello tangis terga eorum, » *Thren.* III, 13.

3. ET TU, DOMINE, (*q. d.* Nosti Domine), ET PROBASTI (id est expertus es) COR MEUM — esse purum, quodque te, non solum in ore ut impii jam dicti, sed et in corde habeam, cupiens tibi per omnia obsequi et placere: cur ego ergo angor et ab eis affligor, illi autem pace et bonis fruuntur? Vers. 3

CONGREGA, — collige et cumula eos bonis, iisque eos sagina quasi oves ad victimam. Solent enim oves, cum mactandæ sunt, in ovile congregari ibique saginari: ita S. Hieronymus, Rabanus, Hugo, S. Thomas; sed hebraice est חתקם *hattikem*, id est, ut Vatablus, extrahe eos ad lanienam.

SANCTIFICA EOS, — *q. d.* Constitue diem excidii, justitiæ tuæ sanctum, in quo eos quasi victimas occidas, et tuæ justitiæ immoles. Sic enim ait Poeta: « Et me destinat aræ. » *Sanctificare* enim est consecrare et dedicare Deo. Vide dicta cap. VI, vers. 4.

Secundo, « sanctifica, » id est separa, sepone « eos » quasi rem sacram (ne quis eam tangat aut ad alium usum applicet) ad diem occisionis, quasi ad diem sacrificii Deo pergrati.

4. USQUEQUO LUGEBIT TERRA? — id est sterilis erit

et horrida more lugentium, *q. d.* Quousque feres, Domine, ut impii sceleribus suis terram corrumpant, excidium per Chaldæos et sterilitatem illi olim a te benedictæ inducant, ut nec volucres possint eam incolere? ait S. Hieronymus. Tanta enim est eorum impietas, ut negent tuam providentiam, dicentes te non videre, id est non curare novissima nostra, id est, ut Chaldæus, finem nostrum, puta mortem, vastitatem, excidium, quæ nomine Dei minatur nobis Jeremias. S. Hieronymus, Rabanus, Hugo, vel, ut Lyranus et Vatablus, *q. d.* Non puniet nos Deus in novissimo, id est post mortem, quia anima cum corpore interibit.

Quadruplex hujus loci explicatio.

5. SI CUM PEDITIBUS CURRENS LABORASTI (Syrus et Arabicus, *et defatigarunt te*), QUOMODO CONTENDERE POTERIS CUM EQUIS? — Est adagium, quo utebantur in eos, qui cum minora præstare non possint, majora tentant; aut qui cum minora mala non ferunt, majora ferre debebunt, *q. d.* Si tui cives Anathothitæ tibi ita molesti sunt, ut vix feras, o Jeremia, quomodo feres insultus nequissimorum Hierosolymitanorum, cum suo rege et principibus? *q. d.* Animos cape, parva tulisti, majora feres. Ita Chaldæus, Lyranus, Vatablus, et patet ex sequenti; sequitur enim : « Cum autem in terra pacis securus fueris, » *q. d.* Videbaris tibi in terra et patria tua in pace securus versari, et tamen cupiunt te ibi occidere; quid ergo tibi exspectandum erit « in superbia (Syrus, *in vi et fortitudine*; Arabicus, *in abysso*, id est summa profunditate) Jordanis? » id est in Hierosolyma, ubi sunt homines superbi et tumidi instar intumescentis Jordanis. Ita Lyranus et Vatablus.

Est parœmia, sive proverbium eodem spectans quo præcedens currentis cum equitibus. Proverbialiter enim « terram pacis, » vocat quietam et pacificam Jeremiæ patriam Anathoth; « superbiam » vero « Jordanis » vocat superbos Hierosolymitas. Jordanis enim, quia æstate intumescit, et quasi superbit; hinc apud Judæos proverbiali et vulgari sermone significabat superbos et inflatos (1). Hunc esse sensum patet ex præcedentibus et sequentibus. Sequitur enim : « Nam et fratres tui, et domus patris tui, etiam ipsi pugnaverunt adversum te. » Simili schemate Ezechiel, cap. XVII, vers. 3, magnificam Judæam et Jerusalem vocat Libanum, superbum vero Nabuchodonosorem vocat aquilam grandem magnarum alarum. Possent quoque per *superbiam Jordanis* accipi Chaldæi, aliique hostes Judæorum, uti mox dicam, quasi dicat : Si in terra tua a tuis tanta pateris, quanta patieris cum superbi Chaldæi aliique hostes vestri te tuosque invadent integro totoque exercitu?

Respondet enim hæc Deus querelæ Jeremiæ, ut habet Chaldæus, cur scilicet impii prosperentur, et dominentur piis, eosque affligant, uti ipse a suis civibus affligebatur; respondet autem increpando et erigendo illum ad majora certamina, et ut abysso providentiæ Dei et judiciorum ejus inscrutabili cæce se submittat.

Tropologice, « si cum peditibus, » etc., id est, si visibilibus hostibus, scilicet mundo et carni, cum difficultate restitisti, quomodo equitibus, id est dæmonibus invisibilibus, fortissimis et velocissimis, resistes? Rursum, si inferiorum contradictiones ferre non vales, quomodo prælatorum et principum infestationes sustinebis; disce ergo superare minora, ut assuescas superare majora. Hinc apposite Capella et Delrio, *adagio* 836, hoc proverbium adaptant iis, qui cum se et familiam regere nequeant, ambiunt prælaturas, voluntque Ecclesias et respublicas gubernare. Hugo adaptat novitiis religiosis, qui cum multis in sæculo pietate et austeritate vitæ sint inferiores, certare volunt cum veteranis, parique passu cum eis incedere. Tropologice.

Secundo, S. Hieronymus, Theodoretus, Rabanus, Hugo, S. Thomas hæc accipiunt, quasi loquatur Deus aut Propheta plebi Judæorum, *q. d.* Si cognati tui, vicini Ammonitæ et Idumæi, qui pedites pugnant, tibi sæpe tantam cladem intulerunt; quomodo resistes Chaldæis equitibus, et pedes curres cum eis, quando te trans Jordanis tumentes fluctus in Chaldæam abducent? Sic et Sanchez, qui tamen hæc refert ad finem capitis præcedentis, ac per superbiam Jordanis apposite accipit numerosos et gloriosos hostes Judæorum, puta Chaldæos, qui sibi sociarunt Ammonitas, Moabitas et Idumæos Jordane a Judæis divisos. Hi dicuntur « superbia Jordanis, » tum quia transeun-

(1) « Quid facies in superbia Jordanis? » Quod nonnulli de exundatione Jordanis intelligunt, quæ tempore messis fieri solet. Sed vere observavit Schnurrerus גאון הירדן esse *gloriam, decus Jordanis*, quemadmodum, *Ezech.* XXXII, 12, גאון מצרים est *decus Ægypti*. « Jordanem pergit, fluvium arboribus virgultisque bene obsitum fuisse, et locus docet, IV *Reg.* VI, 1-7, et affirmant, qui terram Judaicam perlustrarunt, complures, veluti Maundrellius, qui ripam fluvii interiorem arboribus varii generis fruticibusque ita consitam vidisse se refert, ut fluminis quidquam nisi qui sylvam pervasisset conspicere haud posset. Ejusmodi viridis et umbrosa ripa, quam vix possit non placere oculis, atque haud exiguum fluminis ornamentum haberi; quidni putemus, oræ Jordanis, vel universæ, vel parti, quæ amœnior esse videretur obtigisse appellationem *decus*, hoc est *nemus* Jordanis, ipsamque formulam sensim ita abiisse in consuetudinem, ut vulgari etiam sermone usurparetur ad ripam Jordanis significandam; non quod nomen גאון ipsum ripæ significationem haberet, sed quod Jordanis ripa talis esset et haberetur qua superbire posset fluvius. At quod idem Jordanis nemus feras quoque et leones maxime reciperet in suas latebras, quod intelligitur ex loco *Zachar.*, cap. XI, 3, ubi leones rugire dicuntur, propterea quod vastatum sit nemus Jordanis, hinc factum est ut formula *decus Jordanis* transiret ad illum usum quo significaret habitacula leonum, veluti infra cap. XLIX, 19, et L, 44, dicitur universe de leonis lustro, quemadmodum כרמל *carmel* transfertur ad significandum tractum quemcumque amœniorem et feraciorem, infra cap. XLVIII, 33. » (Schnurrerus *in opere jam citato.*)

tes Jordanem ut Judæam invaderent, eum tanta militum et equitum copia intumescere, et quasi superbire fecerunt; tum quia ipsi quasi superbia Jordanis, seu tanquam Jordanis intumescens, alveumque egressus et agros inundans, totam Judæam, omnesque ejus agros vastarunt et populati sunt. Sic cap. XLIX, vers. 19, de Nabuchodonosore a Judæa subacta pergente contra Ammonitas et Idumæos, ait : « Ecce quasi leo ascendet de superbia Jordanis ad pulchritudinem robustam. » Sic alibi sæpe hostiles copias vocat Scriptura flumen exundans, quod violenter segetes domosque sternit, ut *Isaiæ* VIII, 7, et LIX, 19; *Jerem.* cap. XLVI, vers. 7.

Tertia. *Tertio*, Isidorus exponit, *q. d.* Deus : Nesciebas consilia et secreta tuorum civium volentium te occidere, et quomodo vis scrutari et scire consilia mea de felicitate impiorum?

Quarta. *Quarto*, Chaldæus exponit, *q. d.* Si ego Deus Nabuchodonosori et impiis Chaldæis quasi peditibus meis tot bona contuli, quid faciam patribus tuis, qui quasi equi cucurrerunt in mea servitute et obsequio? nimirum, propter eos vobis eorum filiis largas impertiar benedictiones, instar aquarum exundantium in Jordanem.

Sic moraliter, si Deus suis hostibus, ut Neroni, Decio, Diocletiano, in hac valle lacrymarum tantam dedit gloriam; quantam dabit suis filiis in die triumphi et nuptiarum? ait S. Augustinus. Primus sensus maxime est genuinus. Porro nonnullos ita esse agiles, ut cursu certent cum equis, certum est. Id enim faciunt Hiberni, qui se assidue cursu et lucta exercent. Sic de Camilla canit Virgilius, *Æneid.* XI :

> Hæc fatur virgo, et pernicibus ignea plantis
> Transit equum cursu.

Vers. 6. 6. NAM ET FRATRES TUI, — cives tui Anathothitæ pugnarunt contra te. Hic versus confirmat primam expositionem vers. præced. datam. Aliter S. Hieronymus : Fratres, inquit, id est Moabitæ, Idumæi, et, ut Theodoretus, aliqui Judæi profugi in castris Chaldæorum : hi enim cum eis contra patriam suam Jerusalem pugnaverunt; ut τὸ *te* respiciat Jerusalem. Verum obstat, quod sermo præcedens respiciat Jeremiam, non Jerusalem.

CLAMAVERUNT POST TE PLENA VOCE. — Vatablus vertit : *Convocarunt post te plenitudinem*, id est turbam civium, ut te persequantur.

Vers. 7. 7. RELIQUI DOMUM MEAM (id est templum), DIMISI HÆREDITATEM MEAM (id est Judæam et populum Judaicum, qui erat quasi hæreditas Domini), DEDI DILECTAM ANIMAM MEAM. — Id est templum et urbem Jerusalem, quam tanquam animam diligebam; hebraice est, *dedi dilectionem animæ meæ*, id est urbem quam toto animæ affectu diligebam, ob scelera ejus tradidi in manus hostium Chaldæorum. Ita S. Hieronymus, Theodoretus et Chaldæus. Patet enim hæc esse verba Dei. Est enim hic crebra enallage et commutatio personarum, uti est interlocutorum in scena.

Allegorice, Christus dereliquit templum et Judæos, cum animam suam in passione eis cruciandam tradidit. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Rabanus et alii. Unde sequitur :

8. FACTA EST MIHI HÆREDITAS MEA, — *q. d.* Uti homines in sylva audito rugitu leonis fugiunt : sic ego, ait Dominus, populi Judæorum prius mitis et obedientis, jam vero ex conversatione cum idololatris contra me rebellis, atque in pauperes et Prophetas innocentes sævientis et rugientis instar leonis (qui urgente fame neminem, quantumvis beneficum, agnoscit, sed obvia quævis ungue rictuque dilacerat), blasphemis vocibus coactus, eum reliqui et odivi; tum tempore Jeremiæ, trádens eos Chaldæis : ita Chaldæus, Hugo, S. Thomas, Lyranus et Vatablus; tum maxime tempore Christi, cum magnis vocibus ipse quasi leo petiit eum crucifigi : ita S. Hieronymus, Theodoretus, Rabanus et alii. Simile dixi *Isaiæ* XVII. In leone notantur sævitia et ignoratio ingrati populi, qui Deo rebellavit, ac si nulla ab eo beneficia accepisset, atque in ejus Prophetas sæviit (1).

Vers. 9. Avis discolor quæ? Prima expositio.

9. NUMQUID AVIS DISCOLOR? — Nota : S. Hieronymus per *avem discolorem et tinctam per totum*, accipit pavonem, eoque significari putat pulchritudinem Israelis, quæ tanta erat, ut nihil esset bonorum, quod non cerneretur in eo. Sic et Rabanus, Hugo et S. Thomas, *q. d.* Hunc pavonem deplumate et devorate, o bestiæ, id est Chaldæi, quia superbus mihi est et rebellis.

Huc accedit Sanchez, qui sic explicat : Numquid hæreditas mea, quam frementem audio, mihi eam voluptatem præbuit, quam præbere solet Domino suo discolor avis et variis maculis tincta (quam proinde Martialis, lib. V, *epigram.* 104, vocat guttatam, qualis est pavo, psittacus, etc.), atque vocalis et canora, ut eam non oderim? Nonne pro suavi cantu fremitum instar leonis edidit contra me? Unde sequitur : « Venite ergo, congregamini, omnes bestiæ terræ, properate ad devorandum. » In pavone notatur Israelis ostentatio pulchritudinis, ejusque inconstantia : pavo enim caudæ syrmate expanso ocellis pulcherrimis variegatur et intumescit; sed dum pedes fœdos intuetur,

(1) Viam ad genuinum hujus loci sensum eruendum primus, inquit Rosenmuller, monstravit Bochartus *Hieroz.*, part. I, lib. III, cap. II, tom. II, qui nomen עוט non solum de avibus, verum et de feris bestiis observavit (cf. *Ezech.*, XXXIX, 4), et צבוע *hyænam* esse docuit, collato textu Arabico, quomodo et Græcus Alexandrinus vertit. Hinc versum sic interpretatur : *An igitur est fera rapax hyæna, hæreditas mea erga me? An est fera rapax circumquaque super eam?* Id est : num Judæi, quos in filios et hæredes adoptaveram, usque adeo omnem sensum humanum perdiderunt, ut hyænarum instar sint, cum moribus efferatioribus, quam ulli barbari, imo quam rapacissimæ belluæ utantur? Ita est omnino; jam feræ sunt, non homines. At ego in feras illas, alias feras immittam, Chaldæos, a quibus terra desolabitur, quod dicit sequens apostrophe, *venite, congregamini*, etc.

syrma demittit et detumescit. Unde Martialis, libro XIII :

Miraris quoties gemmantes explicat alas.

Rursum in motu pennas nunc contrahit, nunc expandit, idque crebro et varie; quocirca « est multicolor, et discolor, et versicolor, nunquam ipsa, semper alia, etsi semper ipsa quando alia, toties denique mutanda quoties movenda, » ait Tertullianus, lib. *De Pallio*, cap. III.

Unde tropologice Hugo pavone hoc versicolori repræsentari censet mulieres gemmis, stibio et cerussa fucatas et tumidas. Item hypocritas, qui exterius speciosi videntur, cum interius turpes sint et fœdi; hi enim quasi pavo circumspectant et ostentant se.

Secundo, valde apte « avis discolor et tincta, » est avis peregrina, variis coloribus distincta, et insolentibus plumis ornata, verbi gratia, noctua rubris maculis aspersa, quam proinde aliæ aves maxime feræ et rapaces, quæ hic « bestiæ » vocantur, invidentes persequuntur, ut expilent et devorent, *q. d.* Pari modo aliæ gentes persecutæ sunt et persequentur Judæos, idque fiet Deo ulciscente, et eas advocante ac dicente : « Venite, congregamini, properate ad devorandum. » Nota: Vox *discolor* significat inconstantiam Israelis, quod modo Deum, modo idola coleret. Ita D. Thomas, Kimchi et Capella. Alludit ad indolem avium, quæ concolores amant, cum eisque volitant, discolores oderunt et persequuntur. Simile enim gaudet simili, et similitudo est conciliatrix amicitiæ, dissimilitudo inimicitiæ, ait Aristoteles. Hinc proverbia : Graculus assidet graculo, cicada cicadæ cara, formica formicæ, asinus asino, sus sui pulcher; fur furem cognoscit, ut lupus lupum.

Tertia. *Tertio*, a Castro per *avem* hanc accipit corniculam Æsopicam, quæ cum se aliarum avium plumis induisset, unaquaque suam plumam repetente, nuda remansit, de qua Horatius, libro I, *epist.* 3 :

Ne si forte suas repetitum venerit olim
Grex avium plumas, moveat cornicula risum
Furtivis nudata coloribus.

q. d. Pari modo Judæi, sua bona gentibus, scilicet Chananæis, eripuerunt; sed Deo ob scelera Judæorum permittente, gentibus, scilicet Chaldæis et Chananæis, ea bello repetentibus, Judæi nudi uti ante fuerant, manebunt.

Quarta. *Quarto*, Pagninus et Isidorus vertunt : *Num avi tinctæ sanguine*, id est Nabuchodonosori sanguinario, *data est hæreditas mea*, scilicet Israel?

Quinta. *Quinto*, Lyranus vertit : *Numquid avis sanguinolenta*, id est vulnerata, cruentata et occisa a Chaldæis, *est Israel?* Huc accedit R. Josephus. Numquid, inquit, Israel est avis sanguine tincta, quam cum vident aliæ bestiæ, cognoscunt aliquod esse cadaver, eoque accurrunt?

Sexta. *Sexto*, Forerius in *Isaiæ* XLVI, 11 : « Comparat, ait, hic Jeremias Judæos avibus rapacibus, insinuans quod, sicut illi quasi agmen avium feralium involabant in Dominum; ita quoque hostes eorum, quasi agmen avium feralium tinctarum sanguine, involaturi erant in eos. Nam præcessit, quod quasi leo dedissent vocem contra Dominum. »

Septima. Septuaginta pro avem vertunt hyænam. Denique Septuaginta vertunt : *Numquid spelunca hyænæ hæreditas mea est mihi? q. d.* Sicut ad speluncam solent congregari hyænæ sævæ et immundæ, ut cadavera mortuorum devorent, sic Chaldæi ad Judæam convenient, ut sanguine civium et cadaveribus occisorum saturentur. Jerusalem recte comparatur speluncæ hyænæ sævæ et voracis, quia instar illius plena erat et putida cadaveribus Prophetarum et innocentium, quos occidebat. Porro Septuaginta vertunt *hyæna*, quia Hebræum *tsabo* per *zain*, arabice significat *hyænam*, idemque est quod Hebræum זְאֵב *zeeb*, id est lupus; hyæna enim est lupo similis, et lupi quasi species, uti dixi *Habacuc* I, 8. Verum Hebræi hoc loco habent צְבוּעַ *tsabua*, per *tsade* (non per *zain*), id est *avis tincta*, uti melius vertit Noster et alii passim. Ex hisce sensibus secundus maxime genuinus est, deinde primus.

Vers. 10. 10. PASTORES MULTI (id est reges et principes, quos sibi junxit Nabuchodonosor) DEMOLITI SUNT VINEAM MEAM,— id est Judæam. Sic enim hostes vocavit « pastores, » cap. VI, 3. Pastores enim non solent in suis vineis greges pascere, sed vineas si optent, alienas invadere. Ita Rabanus, Hugo, S. Thomas, Lyranus, Vatablus.

Allegorice hi « pastores » fuerunt Titus et Romani evertentes Jerusalem. Ita Theodoretus.

Aliter hæc ad litteram accipit idem Theodoretus, Rabanus et Hugo; scilicet de pastoribus Judæorum, *q. d.* Pastores, duces, principes ac sacerdotes populi, suis sceleribus et malis consiliis perdiderunt Jerusalem; hosce enim vocavit « pastores, » cap. II, 8, et cap. X, vers. 21; sed prior sensus est aptior.

Allegorice, pastores multi, sunt hæretici. Unde nonnulli allegorice per *pastores* hos accipiunt hæreticos, qui Ecclesiam devastant, et signanter vocantur « multi, » quia dum ab uno pastore et doctore Christo abeunt, in varias et contrarias sectas dilabuntur; dum scilicet superbiunt, et unus alium sequi dedignatur, vultque ipse esse magister, et agmen discipulorum post se ducere. Ita Arius gradus quosdam in Deo constituens, minoremque asserens Patre Filium, Christum nobis sine vera divinitate reliquit. Sabellius cum unicam in Deo personam esse ex naturæ unitate colligeret, Patrem quoque natum passumque asseruit. Nestorius duas in Christo personas æque ac naturas constituens, B. Virginem Christotocon, id est Christiparam, non Theotocon, id est Deiparam, esse docuit. Apollinaris in Christo negavit animam aut mentem, quod ejus vicem abunde a deitate ipsa suppleri diceret. Eutyches in Christo duas naturas ita unitas censuit, ut ex duabus una

remaneret, nullo modo alterius existente substantia; quasi quæ sine alterius consumptione aut separatione fieri non posset. Pelagius gratiæ Christi in ejus morte præparatam respuit medicinam, dumque parvulorum nascentium negat peccatum, et sub diabolo captivitatem, Christum non credit eorum esse redemptorem. Valentinus statuit Christum corpus de cœlo attulisse, per virginem quasi per canalem transisse. Manes illud dixit esse phantasticum, Christumque vere esse passum et mortuum negavit.

PORTIONEM MEAM (hæreditatem meam) DESIDERABILEM, — speciosam, uberem, invidendam.

Tropologice, talis est anima fidelis. Vide ergo quam ea sit Deo cara et pretiosa; vocat enim eam hic « portionem suam desiderabilem, vineam suam, animam suam, » quam unice diligit, tuetur et ornat. Qui ergo eam peccato polluit, Deoque eripit, et dæmoni mancipat, Deo summe injurius et exosus est: « Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus, » I *Corinth.* III, 17.

Vers. 11. 11. LUXIT QUE SUPER ME. — Id est contra me lugens conquesta est, quod eam dereliquerim et desolari permiserim. Ita Rabanus, Hugo, Lyranus et Vatablus; vel, ut Chaldæus, Hugo et Maldonatus: « Luxit terra super, » id est coram me, vel ad me, quasi in desolatione sua opem a me petens: sic enim terra, cum nimia siccitate dehiscit, quasi aperto ore pluviam a Deo postulat; vel, ut Sanchez, « luxit, » eo quod in excidio cum lacrymis licet me invocans, tamen non sit exaudita.

OMNIS TERRA, — scilicet Judæorum; commode enim accipienda est vox *terra*.

NULLUS EST QUI RECOGITET, — *q. d.* Terra luget, et tamen non est qui recogitet, scilicet minas Prophetarum. Ita S. Hieronymus. Hebræus: *Non est qui ponat super cor suum*, scilicet Deum, Deique timorem ac legem, ejusque terribilem iram, minas et plagas, ut illius illarumque metu a malis resipiscat, illumque placet et sibi reconciliet.

Vers. 12. 12, SUPER OMNES VIAS DESERTI, — quia per omnes vias venturi erant hostes, ut obsiderent Jerusalem; hebr. est, *super omnia excelsa loca venient vastatores*, *q. d.* Ea erit hostium copia, vis et impetus, ut omnia, etiam excelsa loca et prærupta, occupent et vastent: « non est (non erit) pax universæ carni, » quia omnes Judæos hæc clades tanget; universa enim caro, æque ac terra, hic commode, Judæorum scilicet, de quibus tantum est sermo, accipienda est. Ita S. Hieronymus.

Vers. 13. 13. SEMINAVERUNT TRITICUM, ET SPINAS MESSUERUNT, — metent: est adagium, *q. d.* Judæi prospere cœperunt, et prospera sperarunt; sed adversa patientur, felicitas in miseriam vertetur, copia in inopiam, et proprie, sementis quam fecerunt, vertetur in sterilitatem, ut pro tritico colligant spinas, utque fruges et fructus metant paucos, qui eis quoque non proderunt, quia eos vastabit hostis. Ita S. Hieronymus, S. Thomas et Lyranus.

Alludit ad maledictionem Adæ, *Genes.* III, 17: « Maledicta terra in opere tuo. Spinas et tribulos germinabit tibi. » Quocirca Theodoretus putat hic significari, quod spes messis non sit collocanda in bonitate terræ, sed in congrua ejus cultura; nam qui dolo, inquit, vel nequiter procedunt, pro messe colligunt spinas, puta sollicitudines, et lancinationes tam conscientiæ quam mentis.

Tropologice, Hugo putat hic notari eos qui docent, prædicant, aliaque spiritalia obeunt intuitu temporalis mercedis, puta opum; has enim Christus spinas vocavit, *Matth.* XIII, 22.

Aliter vertit Vatablus: *Seminaverunt* (scilicet Prophetæ) *triticum* (suarum admonitionum), *spinas messuerunt* (persecutionum), *ægrotarunt* (Prophetæ pro dolore) *quia non profecerunt, pudefacti sunt propter fructus vestros* (propter opera pessima vestra), Hebræum enim נחלה *nachala*, a radice נחל *nachal*, significat hæreditare, ut vertit Noster; sed a radice חלה *chala*, significat ægrotare. Hoc sensu significatur veros verbi Dei præcones sæpe pro veritate pati persecutiones, exsilia, rapinas, tormenta et mortem.

Rursum pro *hæreditatem acceperunt, et non eis proderit*, Septuaginta vertunt, *sortes eorum non proderunt eis*, quod mystice S. Hieronymus et Epiphanius malis clericis adaptant: « Dicitur, ait S. Hieronymus, hoc et Ecclesiasticis. Quid enim eos juvare poterit Episcopi nomen, et presbyteri, vel reliquus ordo Ecclesiasticus, cum magis graventur dignitatibus suis, et potentes potenter tormenta patiantur? » Et *ad Nepotianum*: « Ne plus habeas, quam quando clericus esse cœpisti, et dicatur tibi: Cleri non proderunt eis. » Et S. Epiphanius, epist. *ad Joan. Hieros. Episcopum*: « Oportebat, inquit, nos, dilectissime, clericatus honore non abuti in superbiam, sed custodia mandatorum Dei et observatione diligentissima hoc esse quod dicimur. Si enim Scriptura loquitur: Cleri eorum non proderunt eis; quæ arrogantia clericatus conducere nobis poterit, qui non solum cogitatione et sensu, sed etiam sermone peccamus?

CONFUNDEMINI A FRUCTIBUS VESTRIS, — fallent fructus exspectationem vestram, itaque quasi pudore vos afficient.

Vers. 14. 14. HÆC DICIT DOMINUS. — Minatur Deus hostibus Judæorum (ad eos enim transit), qui primi in exercitu Nabuchodonosoris venerunt contra Jerusalem, puta Philistinis, Idumæis, Ammonitis, Moabitis, et Judæis inter eos habitantibus (hoc enim est quod ait: « Et domum Juda evellam de medio eorum »), exitium per Chaldæos, ut vel sic Judæos ad sui amorem trahat. Vide *Can.* XLII. Ita S. Hieronymus, Theodoretus et Lyranus. Aliter Maldonatus explicat hæc de Chaldæis, *q. d.* Ego ipsos Chaldæos tandem puniam et evertam per Medos.

Vers. 15. 15. ET REDUCAM EOS, — scilicet Judæos e Babylone per Cyrum. Ita Theodoretus, Lyranus, Dionysius et Vatablus. *Secundo*, melius S. Hieronymus et Rabanus sic exponunt, *q. d.* Ego gentes

prædictas, scilicet Ammonitas et Moabitas cum Judæis, per Cyrum e Babylone reducam; eos enim inde reductos esse patet cap. XLIX, vers. 6, et I *Esdr.* IX, ubi cum Moabitis et Ammonitis Judæi post reditum contraxerunt connubia.

Mystice, significatur hic vocatio gentium ad fidem Christi.

VIRUM. — Id est quemque.

16. SI ERUDITI DIDICERINT (Moabitæ et Ammonitæ) VIAS POPULI MEI, — fidem et religionem Judæorum.

UT JURENT, — et consequenter ut colant Deum verum, non Baal; juramentum enim per synecdochen significat omnem Dei cultum.

ÆDIFICABUNTUR IN MEDIO POPULI MEI. — Id est pacifice et prospere agent, abundantes prole, familia et opibus, « in medio populi, » id est in, vel inter populum meum. Erunt enim de populo et Ecclesia mea, esto habitent in suis regionibus Judææ vicinis.

17. EVELLAM GENTEM ILLAM EVULSIONE ET PERDITIONE. — Id est omnino evertam et perdam illos. Quando hæc contigerint, nec S. Scriptura, nec historiæ narrant. Sanchez censet hæc a Machabæis esse peracta; Judas enim et Jonathas Machabæi expugnarunt Philistinos, Ammonitas et Idumæos, I *Machab.* V, 3, 6. Verum hi gentes illas vastarunt quidem et subegerunt, at non deleverunt penitus. Vers. 17

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hieroglyphico et ænigmate lumbaris defossi et putrescentis, atque vers. 12, *lagunculæ inebriantis, captivitatem et calamitatem Judæorum describit. Unde ait vers.* 18 : Dic regi et dominatrici, etc., ubi est grex qui datus est tibi, pecus inclytum tuum? *Est hoc genus prophetiæ ænigmaticum, quod ad persuadendum efficacius est, quia non solis verbis, sed et rebus ipsis peragitur et repræsentatur. Simile fuit cap.* VII, *vers.* 28, *et infra cap.* XVIII, *vers.* 2 *et* 3, Isaiæ XX, 2, Osee I, 3.

Nota hæc accidisse non tempore obsidionis sub Sedecia, ut vult S. Hieronymus, sed sub Joakim; nam non uni regi, sed regibus, scilicet Joakim, Joachin, Sedeciæ, minatur excidium, vers. 13. *Et sub Joakim, cum ipse penderet tributum Chaldæis, facile Jeremias in Babylonem ire et redire poterat, non autem cum urbs obsessa, et Chaldæi essent hostes* (1).

1. Hæc dicit Dominus ad me : Vade, et posside tibi lumbare lineum, et pones illud super lumbos tuos, et in aquam non inferes illud. 2. Et possedi lumbare juxta verbum Domini, et posui circa lumbos meos. 3. Et factus est sermo Domini ad me, secundo, dicens : 4. Tolle lumbare, quod possedisti, quod est circa lumbos tuos, et surgens vade ad Euphraten, et absconde ibi illud in foramine petræ. 5. Et abii, et abscondi illud in Euphrate, sicut præceperat mihi Dominus. 6. Et factum est post dies plurimos, dixit Dominus ad me : Surge, vade ad Euphraten : et tolle inde lumbare, quod præcepi tibi ut absconderes illud ibi. 7. Et abii ad Euphraten; et fodi, et tuli lumbare de loco, ubi absconderam illud : et ecce computruerat lumbare, ita ut nulli usui aptum esset. 8. Et factum est verbum Domini ad me, dicens : 9. Hæc dicit Dominus : Sic putrescere faciam superbiam Juda, et superbiam Jerusalem multam : 10. populum istum pessimum, qui nolunt audire verba mea, et ambulant in pravitate cordis sui : abieruntque post deos alienos ut servirent eis, et adorarent eos : et erunt sicut lumbare istud, quod nulli usui aptum est. 11. Sicut enim adhæret lumbare ad lumbos

(1) Tertia hæc est sectionis secundæ primæ partis concio, quæ illi tempori assignanda videtur quo Josiæ regis nepos Joachinus, sive Jechonias, regnum Judaicum tenuit, ut colligere licet a vers. 18, ubi præter regem, et regina ejus mater compellatur. Quæ vers. 19, 20, leguntur, haud obscure indicant occupasse tunc Chaldæos plures Judææ urbes, et in eo fuisse ut ad urbem Hierosolymam exercitum admoverent. Videretur hæc concio haud longe ante prophetiam, cap. X, 17-25, contentam, habita fuisse.

Porro in hac prophetia, Jeremias, PRIMO, populi Judaici insignibus beneficiis Deo obstricti ingratum erga eum animum, summamque illius depravationem, futuramque pœnam typice dupliciter exponit, *primo*, per typum linei cinguli quod Propheta Deo primum jubente induit, et ad mandatum Dei alterum juxta Euphraten abscondit, et putrefactum postea recipit, 1-7. Quem typum divinitus datum ipse Deus explicat, reprehendendo superbiam, obstinationem et idololatriam Judæorum, 8-10; et objiciendo contemptam ab iisdem Dei benevolentiam, 11. *Secundo*, per typum seu allegoriam lagenæ, vino repletæ, fallaci quidem sensu acceptæ in

viri, sic agglutinavi mihi omnem domum Israel, et omnem domum Juda, dicit Dominus : ut essent mihi in populum, et in nomen, et in laudem, et in gloriam : et non audierunt. 12. Dices ergo ad eos sermonem istum : Hæc dicit Dominus Deus Israel : Omnis laguncula implebitur vino. Et dicent ad te : Numquid ignoramus quia omnis laguncula implebitur vino? 13. Et dices ad eos : Hæc dicit Dominus : Ecce ego implebo omnes habitatores terræ hujus, et reges qui sedent de stirpe David super thronum ejus, et sacerdotes, et prophetas, et omnes habitatores Jerusalem, ebrietate : 14. et dispergam eos virum a fratre suo, et patres et filios pariter, ait Dominus : non parcam, et non concedam : neque miserebor ut non disperdam eos. 15. Audite, et auribus percipite. Nolite elevari, quia Dominus locutus est. 16. Date Domino Deo vestro gloriam antequam contenebrescat, et antequam offendant pedes vestri ad montes caliginosos : exspectabitis lucem, et ponet eam in umbram mortis, et in caliginem. 17. Quod si hoc non audieritis, in abscondito plorabit anima mea a facie superbiæ : plorans plorabit, et deducet oculus meus lacrymam, quia captus est grex Domini. 18. Dic regi et dominatrici : Humiliamini, sedete; quoniam descendit de capite vestro corona gloriæ vestræ. 19. Civitates Austri clausæ sunt, et non est qui aperiat : translata est omnis Juda transmigratione perfecta. 20. Levate oculos vestros, et videte qui venitis ab Aquilone : ubi est grex, qui datus est tibi, pecus inclytum tuum? 21. Quid dices cum visitaverit te? tu enim docuisti eos adversum te, et erudisti in caput tuum : numquid non dolores apprehendent te, quasi mulierem parturientem? 22. Quod si dixeris in corde tuo : Quare venerunt mihi hæc? Propter multitudinem iniquitatis tuæ revelata sunt verecundiora tua, pollutæ sunt plantæ tuæ. 23. Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas : et vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum. 24. Et disseminabo eos quasi stipulam, quæ vento raptatur in deserto. 25. Hæc sors tua, parsque mensuræ tuæ a me, dicit Dominus, quia oblita es mei, et confisa es in mendacio. 26. Unde et ego nudavi femora tua contra faciem tuam, et apparuit ignominia tua, 27. adulteria tua, et hinnitus tuus, scelus fornicationis tuæ : super colles in agro vidi abominationes tuas. Væ tibi, Jerusalem, non mundaberis post me : usquequo adhuc?

Vers. 1. 1. POSSIDE. — Chaldæus *eme*; utrumque enim significat Hebræum קְנֵה *kana*; emptionis enim finis et terminus est possessio rei emptæ.

LUMBARE LINEUM, — id est balteum, sive cingulum ex lino quo lumbi cinguntur. Ita Septuaginta et Vatablus. Lineum autem esse vult, non laneum, non coriaceum, ut indicet non esse super vestem, sed super carnem induendum : quod enim nobis conjunctissimum esse, ac diligentissime servare volumus, hoc ad lumbos cingimus : sicut viatores pecuniam lineo cingulo insutam, secus lumbos circumcingunt, ait Maldonatus. Unde Syrus et Arabicus vertunt, *sudarium*, velamen, linteum; *et alliga illud in lumbis tuis*, vel *super dorsum tuum* (1).

Nota *primo* : Cingulum sive « lumbare » quod Dei renibus jungitur, aiunt S. Hieronymus et Je- Lumbare sive cin-

bonum a Judæis, 12; sed divinitus revelato sensu, in malum eorumdem explicatam a Propheta, 13, 14.

SECUNDO, hortatur *primo*, populares ad humilitatem et obedientiam, cum interminatione malorum obventurorum, 15-17; *secundo*, regem ac reginam ad pœnitentiam ob amissionem regni, exinanitionem urbium, et deportationem incolarum omnium, 18-20.

TERTIO, tantæ calamitatis causas exprobrat, quæ sunt, *primo*, communicatio confidentior cum infidelibus, 21, *secundo*, multiplicata iniquitas et impudentia, 22; *tertio*, obdurata impœnitentia, 23; propter quæ comminatur Deus dispersionem omnimodam, et ignominiam infamem ex idololatria ortam, 24-27.

(1) Intelligunt tamen plures interpretes hic designari cingulum exterius quod vestibus astringendis inserviret. Alii, sicut Calmetus et d'Allioli, hic agi putant non de simplici cingulo quod vestes laxiores constringeret, sed de ampliori cingulo quod brevis tunicæ formam haberet; quam ob causam S. Hieronymus illud cingulum vestimentum muliebre appellat. Cæterum, ut jam notavimus, duplex erat, et est adhucdum in Asia cingulum : alterum commune, alterum pretiosum ex gossypio, vel lino, nunc quidem ex serico textum, olim autem acupictum latitudine palmæ, quod anterius ad ventrem colligabatur. Ideo Dahler et d'Allioli de magni pretii cingulo cogitandum existimant, propterea quod illud divitis et luxuriosi populi imago esse deberet. Quam interpretationem non accipit Rosenmuller dicendo non ad ornatum Jeremiæ mandatum esse sibi cingulum comparare, sed ad arctissimam conjunctionem significandam, vers. 11. Quare vulgare cingulum, nudis lumbis applicandum ad vires confirmandas, quo quasi unitum constrictumque corpus sit, eo fortius indicari potius statuit. Ita et Grotius : « Περίζωμα græcis (Alexandrinis interpretibus) dicitur, subligar, quod corpori proxime adhæret. Sic populum Judaicum Deus præ cæteris populis proxime sibi admoverat. »

gulum Dei est Israel, cur? Primo.

remias, vers. 11, est Israel, qui in lini similitudinem assumptus de terra asper et illotus, nec mollitiem habuit nec candorem, id est nihil amabile, ob quod a Deo eligeretur in plebem Dei; sed sola Dei gratia Deo adhæsit, eique conjunctissimus fuit: cumque usu et pulvere sorduisset, id est cum peccasset, Deus eum ob peccata repudiavit, et ad ripam Euphratis in foramine defodit, id est duxit eum captivum in Babylonem, ibique eum Chaldæorum furori exposuit. Babylon enim Euphrati et Tigri adjacet, ibique lumbare absconditur a Jeremia, quia Israel ibi captivus, tot gentium magnitudine pene absorptus, et nihili reputatus est.

Secundo.

Secundo, addit D. Thomas, « lumbare, » quod lumbis adhæret, in quibus prima origo est concupiscentiæ et seminis, significat populum in Dei amorem assumptum, *Osee* XI, 4, et hic vers. 1. Rursum, « lumbare » significat castitatem et amorem conjugalem: hinc ait vers. 11: « Sicut adhæret lumbare ad lumbos viri, sic agglutinavi, » id est conjugio copulavi, « mihi omnem domum Israel. » Ita Prado in cap. XVI *Ezech.* pag. 187.

Tertio.

Tertio, post multum tempus Jeremias refert « lumbare, » sed putridum; sic Deus liberat populum de captivitate Babylonica, in qua sordibus æque ac peccatis quasi computruerat: post reditum rursum Deum offendit, et demum Christum occidit, atque æterna perditione contabuit. Ita S. Hieronymus.

Quarto, videtur Jeremias hæc revera ita ut narrat fecisse, aiunt Theodoretus, Hugo, S. Thomas, Dionysius, Maldonatus, Castrius, Sanchez, et præcipui Hebræorum: hoc enim exigit simplex ejus narratio: dati enim sunt Prophetæ in portentum Israeli. Sic Isaias, cap. XX, nudus ambulavit. Sic Ezechiel, cap. IV, vers. 12 et 15, stercus humanum comedere jussus est: sed hoc deprecans, ejus vice fimum boum Dei permissu comedit, ut ita famem et ærumnas captivitatis Babylonicæ præsignaret. Licet aliqui, ut Vatablus, Lyranus et S. Hieronymus, *Procem. in Osee*, hæc tantum velint esse visionem, seu in spiritu hæc visa et gesta a Jeremia, non autem reipsa esse peracta (1).

Quinto, mystice omnis sanctus est « lumbare » Dei; sed cum peccat, in Babylonios ducitur, id est in regnum dæmonis, et si pergit in vitiis, ita putrescit, ut in usum et cinctorium Domini redire non possit. Ita S. Hieronymus. Unde

Quinto mystice.

Nota *secundo*: Cum Pierio, *hieroglyph.* 40 (ubi peculiari paragrapho explicat hoc cingulum Jeremiæ symbolice), zonam fuisse virginitatis symbolum, tam apud Græcos et Latinos, quam Hebræos. Hinc Pausanias docet Trœzeniorum virgines zonam Palladi ante nuptias dedicasse: sic primæ puerperæ Athenis Dianæ Solvizoniæ zonam, quasi per matrimonium jam solutam dicabant: testis est Apollonius in *Argonaut.*, et Ovidius cum canit: 1

Castaque fallaci zona recincta manu.

Hinc olim et etiamnum sacerdotes in sacris cingulo lineo utuntur, ut moneantur, ait Cyrillus, fluxæ libidinis luxuriam, et animi cupiditates, castitatis et temperantiæ cingulo coercere.

Secundo, fortitudinis; Tertio, gloriæ:

Secundo, zona symbolum fuit fortitudinis: est enim habitus militis et gladiati.

Hinc *tertio*, zona symbolum fuit gloriæ et superbiæ, maxime si zonæ bullis aureis gemmeisque distinctæ essent, quæ baltei dicuntur, quasi bullatei, ait Pierius. Unde vers. 9: « Sic putrescere faciam, dicit Dominus, superbiam Juda, » uti putruit balteus hic tuus.

Quarto, prompti obsequii.

Quarto, zona, ait S. Hilario, est efficax in omne bonum apparatus, ut ad omne ministerium Christi promptæ voluntatis cingulo simus accincti: præcincti enim expeditiores sunt ad opus, firmiores et constantiores. Vide dicta *Ephes.* VI, 14. Hæc omnia conveniunt Israeli et cuivis fideli animæ, quæ omni hac zona cingi debet, ut Deo indivulse adhæreat.

Linum symbolum est primo, puritatis;

Nota *tertio*: Pari modo linum, hieroglyphicum fuit puritatis vitæ, Israelis et fidelis animæ: unde Ægyptii in sacris Isidis et Osiridis, tantum linea veste utebantur, et nefas erat uti lanea. Ita ex Tertulliano, Plutarcho, Herodiano, Martiali, Pierius. Audi Martialem:

Linigeri fugiunt calvi, sistrataque turba,
Inter adorantes cum stetit Hermogenes.

Secundo, pœnitentiæ;

Secundo, linum hoc carminandum, et mordaci pœnitentiæ et austeritatis vitæ lixivio, sæpe dealbandum est ne putrescat.

(1) Hanc S. Hieronymi sententiam solidis argumentis demonstravit Stæudlin in *Commentatione de Prophetarum factis symbolicis*, inquit Rosenmuller, qui et ipsi adstipulatur. Porro præcipua ratio ob quam non rem vere gestam, sed visionem tantum seu parabolam hic narrari, non pauci autumant interpretes, est difficultas pro Jeremia tam longum iter (150 leucis ad minus distabat Hierosolyma ab Euphrate) aggrediendi, præsertim, inquit S. Hieronymus, cum Hierosolyma a Chaldæis obsideretur. Sed quid vetat Jeremiam et accepisse et implevisse hoc mandatum ante obsidionem Hierosolymæ per Chaldæos, non obsidionis tempore, ut vult Hieronymus? (Vide Annot. ad synops.) Venema et Dathius vertunt, ad Ephratam, secuti Bochartum, qui in *Dissertt. geograph. sacr.*, adjectis *Oper.* tom. I, pag. 956, hoc loco nomen esse statuit regionis, pagi, vel vici cujusdam non longe ab Hierosolyma dissiti, fortasse Bethleemi et adjacentis regionis, quæ אפרת dicta fuit, vid. *Genes.* XVIII, 7. Cujus interpretationis præter tam longinquæ profectionis difficultates, tres istas dat rationes, *primo*, verbo *Phrata* non additur *flumen magnum*, quod alias sæpissime, ubi Euphrates memoratur, ejus nomini adjici solet; *secundo*, dicitur Prophetam abscondisse cingulum in *Phrata*, licet reipsa in foramine petræ absconderit; *tertio*, sæpe eliditur prima nominis littera, et sic ex *Ephrata*, venit *Phrata*, aut *Phrat.* Verumtamen in Euphrate consentiunt hoc loco interpretes veteres omnes. Nec cur ad eum fluvium Propheta suum, quod populi Hebræi imago esset, cingulum portare jubeatur, obscura est ratio. Significatur enim populi Judaici futurum apud Chaldæos, sive Babylonios, circa Euphratem exilium.

Tertio, providentiæ Dei.

Tertio, linum symbolum est fati sive decreti et providentiæ Dei, quam poetæ vocant fila et stamina Parcarum; nam

Clotho rotat fusum, Lachesis net, et Atropos occat:

quæ computrescunt vel succiduntur, cum vitæ vel felicitatis humanæ tela a Deo succiditur; uti hic a Deo succisa est Israeli.

Tropologice, Deus nos ut linum carminat, indeque sibi quasi cingulum astringit.

Quare tropol. pulchre Origenes et S. Hieronymus: Sicut, inquit, linum de terra nascitur, pullulat, crescit, metitur, pectitur, lavatur, teritur, tunditur, carminatur et ingenti opera excutitur, filatur, texitur, ut ex eo linum et cingulum candidum et lucidum fiat: sic Deus Judæos et nos Christianos, ac præsertim Ecclesiasticos et Religiosos, a generatione et natura nostra corrupta æque ac ex prava institutione, aut peccandi consuetudine terrestres, nigros, rudes et asperos moribus et vitiis, tanta opera, cura et gratia mollivit et polivit, et candefecit, ut quasi in cinctorium Dei plectamur, eique arctissime conjungamur, indeque nomen, laudem et gloriam consequamur: nam si ab eo separemur, ac in Euphrate deliciarum, humore gulæ et libidinis perfundamur, putrescemus, ait B. Petrus Damianus, epist. 10 *ad Petrum Cardin.*, et quasi putidi a Christo abjiciemur, ac quasi in nihilum redigemur, uti Salomoni, Davidi et Israeli contigit. Plura de hoc lini symbolo dixi *Exodi* cap. XXVIII, 38, in fine.

Rursum, pie et apposite S. Hieronymus *ad Chromatium,* epist. 43: « Ego, ait, in scelerum meorum sepulcro jacens, et peccatorum vinculis colligatus, Dominicum de Evangelio exspecto clamorem: Hieronyme, veni foras. Bonosus (quia secundum Prophetam omnis virtus diaboli in lumbis est) trans Euphratem tulit lumbare suum, ubi illud in foramine petræ abscondens, et postea scissum reperiens cecinit: Domine, tu possedisti renes meos. Dirupisti vincula mea; tibi sacrificabo hostiam laudis. Me vero Nabuchodonosor ad Babylonem, id est confusionem mentis meæ catenatum duxit, ibi mihi captivitatis jugum imposuit. Cui ego dixi: Dominus solvit compeditos, Dominus illuminat cæcos. Et ut breviter cœptam dissimilitudinem finiam: Ego veniam deprecor, ille exspectat coronam. »

Allegorice, Christus cingulo unionis hypostaticæ nos sibi astrinxit.

Allegorice, Christus quasi Pontifex lineam tunicam, in qua depictus erat omnis populus Israel, id est christianus; tunicam, inquam, carnis nostræ assumpsit, atque eam, et in ea nos omnes arctissime sibi et inseparabiliter copulavit balteo unionis hypostaticæ, sibi, inquam, id est renibus et lumbis suis, ubi sedes est amoris, puta ardentissimo suo amori et affectui nos adstrinxit. Hæc est zona aurea, qua eum ad mamillas præcinctum vidit Joannes, *Apocal.* I, 13.

ET IN AQUAM NON INFERES ILLUD, — ne videatur ex aqua et humore situm contraxisse et computruisse, sed alia ex causa, ait Lyranus. Melius Vatablus per aquam accipit lixivium, quo sordes e lino eluuntur, *q. d.* Lumbare sordidum non elues lixivio, ut significes sordes et peccata populi pœnitentia non esse eluta et expiata. Optime S. Hieronymus explicat: « In aquam non inferes, » id est recens textum aqua non macerabis, ut illud ea ratione candefacias et polias; sed ipsum rude, asperum et fuscum, uti natum et textum est, relinquas, ut significes populum Judaicum recens natum, tunc a Deo assumptum esse in Ecclesiam, cum rudis esset et impolitus, doctus et exercitatus magis in luto et lateribus Ægypti efformandis, quam in cultu Dei probisque moribus, uti paulo ante dixi.

Vers. 9. 9. SIC PUTRESCERE FACIAM SUPERBIAM JUDA. — « Superbiam, » id est gloriam, magnificentiam, et, ut Chaldæus vertit, *fortitudinem Secundo,* « superbiam, » id est arrogantiam. Unde Septuaginta vertit, ὕβριν, id est injuriam. Comprimit ergo hic Deus præfidentiam et superbiam sui populi, dum instar lumbaris putridi, quod magis sterquilinio quam vestiario est dignum, facit eum tabescere et computrescere in Babylone, ut quasi stercus conculcetur a Chaldæis, juxta illud *Thren.* IV, 5: « Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora. »

Vers. 11. 11. UT ESSENT MIHI IN POPULUM, ET IN NOMEN, ET IN LAUDEM, ET IN GLORIAM, — ut scilicet Israel esset populus nominatus, laudatus et gloriosus apud omnes gentes. Ita Hieronymus, Theodoretus et Rabanus. Sicut enim uxor gloria est viri, ita Israel Deo obediens et serviens, fuit gloria Dei, Deique nomen et laudem apud gentes celebrem fecit, inquiunt Hugo et Dionysius. Adde « in nomen, » quia in nomine Israel includitur et auditur nomen אל *el,* id est Dei: quoties ergo Israel, toties El, id est Deus, nominabatur et celebrabatur. El enim significat Deum, qua fortem et invictum.

Vers. 12. Laguncula significat primo, ebrietatem; secundo, mensuram supplicii; tertio, capita Judæorum; quarto, dispersionem eorumdem.

12. OMNIS LAGUNCULA IMPLEBITUR VINO. — « Laguncula, » hebraice נבל *nebel,* id est, ut Chaldæus, *uter*; Symmachus, *crater*; Theodotion, *vas,* puta lagena terrea, hydria fictilis. Ita S. Hieronymus, Rabanus, Hugo, Lyranus, *q. d.* Sicut laguncula impletur vino, ita ego implebo vos ebrietate non bonorum et voluptatum, ut vos putatis, o Judæi, sed malorum et dolorum. *Secundo, laguncula vini,* est mensura furoris et vindictæ, quam propinabit et qua inebriabit vos Deus; laguncula ergo sunt ipsi Judæi, qui excipiunt vinum furoris Dei. Rursum, proprie et apposite *lagunculam* vocat, caput cujusque Judæi; caput enim est instar lagenæ: *vinum* autem vocat cæcitatem mentis, et inopiam consilii in rebus adversis. Significat ergo fore ut, cum Chaldæi venerint, tanto omnes terrore corripiantur, ut quasi ebrii et amentes huc illuc divagentur, imo in ipsos hostes, ignes et præcipitia incurrant. Ita Maldonatus. *Tertio,* quia, sicut laguncula collisa dispergitur, ita vos dispergemini. Patet vers. 13 et 14.

13. IMPLEBO OMNES, etc., EBRIETATE, — hoc est v tribulatione maxima, et servitute Chaldæorum, ut

sicut ebrius vires resistendi non habet, nec consilium, nec usum rationis, nec a mente, sed a vino regitur : ita et Judæi, quasi ebrii, nec vires nec consilium habituri sint resistendi Chaldæis; nec a sua mente, sed ad Chaldæorum imperium sint agitandi, impellendi et protrudendi in carceres et in Babylonem. Ita Chaldæus, Origenes et Theodoretus. Simile quiddam de Ægyptiis scribit Isaias, cap. XIX, vers. 14, dicens : « Dominus miscuit in medio ejus spiritum vertiginis et : errare fecerunt Ægyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius et vomens; » et de Jerusalem, cap. LI, vers. 21 : « Idcirco audi hoc paupercula, et ebria non a vino. » Vide ejusdem cap. XXIX, vers. 9.

PROPHETAS, — pseudoprophetas.

Vers. 14. 14. DISPERGAM EOS. — Hebræus, *collidam eos*, ut, sicut lagena testacea collisa ad lapidem in fragmenta dissilit et dispergitur; ita plebs Judæorum ad Chaldæos collisa, et invicem compressa dolore et angustia, quasi in fragmenta dissiliat, ut uxor in unam, filius in aliam, frater in aliam urbem et regionem dispergatur. Ita Chaldæus et Vatablus.

Deus separat impios ob duas causas. Causas, cur Deus impios sic ab invicem dispergat, dat Origenes hic, *homil.* 9, scilicet eum id facere, *primo*, ad pœnæ incrementum, ne in pœna socios habeant, et sese invicem solentur. *Secundo*, ut dissolvatur nequam eorum cogitatio, cum non habuerit allocutionem alterius nequioris, itaque ipsi a pristinis sceleribus, ipsa solitudine et penuria consortii, revocentur.

VIRUM A FRATRE, — id est quemque a proximo suo.

NON CONCEDAM, — non indulgebo : Septuaginta pro אחמול *echmol* legentes אחמוד *echmod*, vertunt, οὐκ ἐπιπεσθήσω, *non desiderabo*, i. e. non impediar cujusquam amore ac desiderio, quo minus vos abire et dispergi sinam.

Vers. 15. 15. NOLITE ELEVARI — superbia, ut superbe in vestra fortitudine fidatis : sed

Vers. 16. 16. DATE DOMINO DEO VESTRO GLORIAM, — ut vestram infirmitatem æque ac iniquitatem agnoscatis, et a Deo solo humiliter opem contra Chaldæos petatis et speretis : humilitas enim summam gloriam dat Deo, Deus enim ab humilibus honoratur, *Eccli.* III, 20.

Hinc *secundo*, « date gloriam Deo, » hoc est, pœniteat vos scelerum et violati numinis, facta pessima retractate, vitam commutate. Dum enim hoc facit pœnitens, sarcit injuriam Deo irrogatam, eique gloriam ablatam restituit. Sic I *Reg.* VI, 4, cum Philistini ob captam arcam plagis attriti, et facti pœnitentes, cogitarent de arcæ restitutione, et injuriæ Deo factæ expiatione, dicerentque : « Quid est quod pro delicto reddere debeamus ei? » Responderunt sacerdotes : « Quinque anos aureos facietis, et quinque mures aureos, etc., et dabitis Deo Israel gloriam, » *q. d.* Ita restituetis Deo gloriam suam.

Tertio, Sanchez apposite censet respici hic ad vers. 11 : « Ut essent mihi in nomen, et in laudem, et in gloriam, » *q. d.* Date gloriam Deo, et nomini ejus exornando studete : ad hoc enim vos vocavit, sibique selegit. Præstate ergo id Deo, ad quod vos Dei tam singularis et alta vocatio et electio cogit. Deum glorificate, eum credendo, sperando, amando, timendo, invocando, non idola.

Aliter accipitur hæc phrasis, *Josue* VII, 19, et *Joan.* IX, 24; ibi enim dare gloriam Deo, est confiteri et dicere veritatem. Qui enim hoc facit, mire glorificat Deum, qui est prima et increata veritas, ac causa, tutor et vindex omnis veritatis.

ANTEQUAM CONTENEBRESCAT. — Hebraice יחשיך *iachasich*, id est antequam faciat obtenebrescere, scilicet Deus; antequam tenebras, id est calamitates, vobis inducat.

Offendere ad montes caliginosos quid? Prima expositio. ANTEQUAM OFFENDANT PEDES VESTRI AD MONTES CALIGINOSOS, — scilicet Chaldææ, in quos captivi ducemini, qui tum ob vicinas paludes vapores nebulosos exhalantes, tum præ altitudine sua, et præ magnitudine calamitatis et turbationis vestræ, vobis videbuntur caliginosi, atque reipsa mystice sunt *babel*, id est sunt confusio peccatorum et idololatriæ, ideoque sunt tenebrosi. Ita S. Hieronymus, Rabanus, Hugo et S. Thomas. Sic *Isaiæ* XIII, 2, de Babylone dicitur : « Super montem caliginosum levate signum. » Vide ibi dicta.

Addit Sanchez Babylonem vocari *montem caliginosum*, quia noctu et in publico convivio capta est a Cyro, cum non minor civitati a nocte, quam civium animis a perturbatione et crapula esset offusa caligo. Verum non agitur hic de excidio, sed de victoria et triumpho Babylonis, quem egit de abductis Judæis aliisque gentibus : tunc autem omnia lucida et læta erant Babyloni, non caliginosa, et tristia.

Secunda. *Secundo*, Lyranus et Dionysius per hos montes accipiunt auxilium Ægyptiorum, quod frustra expectarunt Judæi, a Chaldæis obsessi, ideoque spe sua ad illud quasi offenderunt, impegerunt, et corruerunt. Sed hoc obscurius est.

Tertia. *Tertio*, Maldonatus, « antequam offendant, » etc., hoc est, inquit, antequam fugitivi per montes, tanquam in tenebris oberretis, nescientes quo vos conferatis, aut quid capiatis consilii. Propterea dixit « ad montes, » ut significaret eorum fugam et exsilium. Hic sensus æque ut primus, appositus est et genuinus.

Quarta. *Quarto*, apte quoque Theodoretus, Chaldæus, Lyranus et Vatablus accipiunt hæc per hyperbolen, ut montes tenebrarum, id est maximæ tenebræ, significent gravissimas calamitates, ac si Judæis captivis montes obducti caligine tribulationum objecti essent. Unde sequitur : « Exspectabitis lucem, » id est consolationem, lætitiam, et Deus vertet eam in « umbram mortis, » id est in summam caliginem, puta in miseriam, in carcere et captivitate Babylonica. Similis phrasis est *Eccles.* XII, 2.

Tropologice. Tropologice, ante diem mortis et judicii, ne offendant pedes nostri ad montes caliginosos, id

est ad adversarias fortitudines, puta dæmones, qui tormentis et cruciatibus gehennalibus præpositi sunt, agamus hic pœnitentiam, ait S. Hieronymus; tunc enim nullus dabit precem, laudem et gloriam Deo, ait Origenes. Qui enim in tempus mortis procrastinant pœnitentiam, quasi tunc viam salutis inituri, perinde faciunt atque qui noctu in tenebris per loca obscura, dubia, prærupta, salebrosa, et latronibus circumsessa proficisci destinant. Vide *Ecclesiastæ* cap. XII. Vere S. Augustinus in *Sententiis*, num. 195 : « Sicut terra de cœlo exspectat pluviam et lucem, sic homo ex Deo debet exspectare misericordiam et veritatem. »

ET PONET EAM IN UMBRAM MORTIS. — *Umbra mortis* hic et alibi opponitur luci. Significat ergo densissimas tenebras : tales enim sunt tenebræ sepulcri et inferni, ad quas mors hominem deducit. Ubi

Umbra mortis quid?

Nota *primo* : Proprie *umbra mortis*, sunt tenebræ et locus horridus, sive horror mortis et inferni; hæc enim mortem et infernum comitantur, sicut umbra suum corpus. Unde *Lucæ* I, 79, dicitur Baptistæ Christi præcursori : « Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent; » ut scilicet illuminaret peccatores, sedentes in tenebris peccati, et justos sedentes in tenebroso limbo Patrum. Quin et Virgilius, lib. XIX *Æneid.*, de eodem ita canit :

> Olli dura quies oculos et ferreus urget
> Somnus; in æternam clauduntur lumina noctem.

Quatuor res significat. Primo.

Nota *secundo* : Per hanc *umbram mortis*, sive per has tenebras, significatur tristissima rerum facies, et miseria extrema, tempusque captivitatis, carceris, infirmitatis, mortis et damnationis; nihil enim tristius est umbrosis mortuorum sepulcris:

Secundo.

sicut e contrario lux, quia gratissima est, symbolum est felicitatis. Rursum, *umbra mortis*, significat proxima pericula, indeque angores mortis, sicut umbra proxima est corpori : ita capitur

Tertio.

Psalm. XXII, 4. *Tertio*, significat longam oblivionem; unde S. Gregorius, IV *Moral.* XX : « In umbra mortis sedere, inquit, est a divini amoris notitia, in oblivione latescere. » Deus enim est vita et lux, quæ longissime abest ab umbra mortis.

Quarto.

Quarto, umbra mortis est Dei et salutis ignorantia.

Peccatum est umbra mortis ob tres causas.

Tropologice, omnibus his modis peccatum est et dicitur umbra mortis. *Primo*, quia omnis miseriæ fons est et causa. *Secundo*, quia peccatum in morte et in inferno quasi in regia sua principatur. *Tertio*, quia ut umbra corpori, ita peccatum morti, id est damnationi, est proximum. *Quarto*, quia est maxime periculosum. *Quinto*, quia maxime conscientiam angit et cruciat. *Sexto*, quia oblivionem Dei inducit, et vicissim facit ut peccator a Deo oblivioni tradatur. Ita S. Hieronymus in *Isaiæ* IX.

Carcer pœnitentium.

Hanc umbram mortis repræsentarunt veteres Sancti per locum horridum et squalidum pœnitentiæ destinatum, qui carcer dicebatur, in quo sponte sua pœnitentes peccata expiabant : *primo*, horrore loci; *secundo*, membra sua catenis, ciliciis, aculeis aliisque modis affligendo. Alii enim jugiter jacebant prostrati in terra. Alii semper stabant incurvi. Alii semper genua flectebant, etc. *Tertio*, assidua inedia : non enim vescebantur nisi semel in die, idque tantum pane et aqua : alii biduo, alii triduo, alii quatriduo semel tantum comedebant. *Quarto*, continuis lacrymis et suspiriis, quæ vel ferreum pectus emollivissent. Refert ea Climachus, grad. 5 *De Pœnitentia*. Ubi jam iste ardor pœnitentium? ubi ista profunda cognitio et horror peccati? E mundo exsulat : migravit ad umbram mortis in inferno, ibi jam peccatores agunt pœnitentiam, sed seram et æternam.

17. SI HOC NON AUDIERITIS, IN ABSCONDITO PLORABIT ANIMA MEA. — Sunt verba Prophetæ, *q. d.* Si me monentem respuatis, in locum absconditum recedam, ubi libere nullo interpellatore plorem superbiam et pertinaciam vestram, vel potius superbum Chaldæorum adventum, a quibus, ut sequitur, abductus est populus Domini. Ita Chaldæus. Sed Septuaginta aliter vertunt, *plorabit anima vestra in abscondito*, quia scilicet coram Chaldæis non audebitis palam flere. Vers. 17.

18. DIC REGI ET DOMINATRICI (dic Jechoniæ et matri ejus Nohestæ : his enim idem minatur, cap. XXII, vers. 26. Ita S. Hieronymus, Rabanus, Hugo, S. Thomas, Vatablus, vel potius, ut Lyranus, Dionysius et Castrius, dic Sedeciæ et matri; aut magis, ut Chaldæus, uxori ejus) : HUMILIAMINI,—id est humiliabimini; nam sub Sedecia omnino et perfecte, ut ait vers. sequenti, humiliata et vastata est urbs et tota Judæa. Vers. 18.

DESCENDET DE CAPITE VESTRO CORONA, — regia, quia regnum vobis adimetur a Chaldæis. Hic sensus planus est et genuinus. Alias duas explicationes subtiles et symbolicas affert Sanchez. *Prior* est : « Dic regi et Dominatrici, » hoc est, dic omnibus viris lautis et delicatis æque ac potentibus, quocumque illi in gradu sint (hi enim per catachresin subinde vocantur reges, insuper et reginæ : significatur enim per utrumque genus conjunctum, personarum multitudo et universalitas), lapsuram eorum potentiam et delicias, ac de capite coronas, quibus se in festis, ludis et conviviis coronare solent : indic ergo eis pro corona gloriæ servitutem et vincula, pro genialibus diebus famem, pro musica planctus et gemitus. *Secundus*, *q. d.* Dic eadem cuilibet sponso et sponsæ. Hi enim in nuptiis solent vocari reges et reginæ, et coronas gestare in capite.

19. CIVITATES AUSTRI (civitates Judææ, quæ Australis est respectu Chaldææ, vel potius urbes tribus Juda et Jerusalem, quæ ad Austrum erant respectu aliarum tribuum) CLAUSÆ SUNT, — id est desertæ, inhabitatæ sunt, omnes cives abducti sunt a Chaldæis. Solent enim domus quæ non habitantur, semper esse clausæ. Ita S. Hieronymus (1). Vers. 19.

(1) Urbes illæ dicuntur *clausæ*, id est ab hostibus obsidione cinctæ. Ita *Jos.* VI, 1, urbs Jericho clausa fuisse

Tropologice. Tropologice hoc fit, ait Dionysius Carthusianus, « cum congregationes et claustra olim devota et sancta, a pristina puritate labuntur, ita quod Spiritus Sanctus ad eas non intrat, nec supernis visitationibus patent, et non est qui aperiat eas, nisi Deus omnipotens. » Nam, ut notat D. Thomas, Spiritus Sanctus dicitur Auster : « *Primo* ob calorem. *Job* XXXVII : Nonne vestimenta tua calida sunt, cum perflata fuerit terra Austro ? *Secundo*, ob splendorem. *Habacuc* III : Deus ab Austro veniet, et sanctus de monte Pharan : operuit cœlos gloria ejus. *Tertio*, ob volatus et mentis elevationem. *Job* XXXIX : Numquid per sapientiam tuam plumescit accipiter, expandens alas suas ad Austrum ? *Quarto*, propter pluviarum multiplicationem. *Psal.* CXXV : Converte, Domine captivitatem nostram, sicut torrens in Austro. *Quinto*, propter arborum fructificationem. *Cantic.* IV : Veni, Auster, perfla hortum meum, et fluant aromata illius. »

Spiritus Sanctus dicitur Auster, ob quinque analogias.

TRANSLATA EST (jamjam transferetur) OMNIS (gens et tribus) JUDA.

Vers. 20. 20. VIDETE QUI VENITIS AB AQUILONE (scilicet vos, o Judæi, qui Aquilonares estis respectu Jerusalem, videte Judæ desolationem, et dicite Judæ et Jerusalem) : UBI EST GREX (id est populus) QUI DATUS EST TIBI ? — Quid actum est de illo innumerabili populo, quem Dominus in te multiplicaverat ? Quo abiit ? Quo evanuit ? *Secundo*, aliqui legunt, *qui veniunt*, vel, ut hebraice est, *venientes*, scilicet hostes Chaldæos, vide, o Juda et Judæi, et quo abducendus sit grex, id est populus tuus. Ita Septuaginta, S. Hieronymus, Chaldæus, Theodoretus, Rabanus, Hugo, S. Thomas, Lyranus et Vatablus.

Vers. 21. 21. CUM VISITAVERIT (cum punierit) TE — Deus. TU ENIM DOCUISTI EOS ADVERSUM TE. — Quia provocasti eos in tuum excidium, *primo* ostendendo eis thesauros tuos, uti fecit Ezechias, aiunt Hugo, S. Thomas, Lyranus, Vatablus. *Secundo*, nimia familiaritate et mercimoniis, quæ habuisti cum Chaldæis, inquiunt S. Hieronymus et Rabanus. Hisce enim docuisti eos viam qua ad te venire possint (1).

Tertio et proprie, cum sub Achaz et aliis regibus, Chaldæos et Assyrios in auxilium vocasti contra Syros et Ægyptios, tunc exercuisti eos in arte militari, ut fierent strenui duces contra te. Ita Theodoretus et a Castro.

Eamdem ob causam Lycurgus Spartanis mandavit, ne cum iisdem hostibus sæpe diuque bellarent, ne scilicet bellando docerent eos arma tractare, itaque tandem Spartanos superarent. Unde Antalcidas dixit Agesilao regi per sarcasmum : « Pulchram a Thebanis mercedem reportas, quos invitos et nescientes lacessens assidue, pugnare docuisti ; » nam nunquam fuerunt Thebani bellicosiores, quam dum Lacedæmonii eos exagitarunt. Idem principium etiamnum habet et observat Turca : hinc capta aliqua provincia quiescit, et post aliquot annos vicinas gentes securitate et otio torpentes ac imbelles invadit et subjugat. Mirum est christianos principes hoc non notare, nec obviare ut sibi consulant, cum brevi ab eo seorsim invadendi sint singuli et subjugandi, ni, conjunctis viribus, contra eum conspirent, et ἄσπονδον πόλεμον cum eo gerant. Idem servat dæmon : cum enim quem ad vitium, in quod natura vel consuetudine proclivis est, tentat ; si is valide et constanter repugnet, tentationem omittit, et in aliud tempus differt ; ut tunc incautum, et tempore jam segnescentem et mollescentem adoriatur et supplantet.

Principium militare, non esse diu bellandum cum iisdem hostibus, ne discant bellare

Sic tropologice, improbi vitia sua iteratis eorum actibus quasi hostes suos fovent, et quasi duces assuefaciunt contra se, ut eos postea superare non possint.

Vers. 22. 22. REVELATA SUNT VERECUNDIORA TUA, — pudenda tua, *q. d.* Incidisti in summam ignominiam, cum te violarunt Chaldæi, publiceque vastarunt, instar matronæ honestæ, quæ summe pudefit, cum violatur aut nuda exponitur.

Porro quam ignominiosum sit feminis nudari, patet tum ex *Isaia* cap. III, 17, ubi nuditatem quasi pœnam gravissimam eis intentat, tum ex eo quod narrat Plutarchus, lib. *De Virtut. feminar.* : « Milesias, inquit ille, virgines quondam atrox animi incessit perturbatio, et furiosus impetus egit ad vitam suspendio finiendam : earumque multæ clam consecutæ sunt, quod volebant. Verba et lacrymæ parentum nihil efficiebant, sed sese interficiendis omnium custodum industriam et calliditatem vincebant. Donec quidam homo prudens legem promulgavit, quæ jubebat omnes, quæ se suspendissent, nudas per forum efferri. Hæc lex omnino abolevit illam mortis cupiditatem : metus enim ignominiæ profligavit cupidinem mortis.

Hoc tropologice fit, cum Deus hominem ob peccata in fœdas libidines sinit cadere, *Rom.* I, 24.

POLLUTÆ SUNT PLANTÆ TUÆ. — Quia scilicet Chaldæi, vi detractis calceis et caligis tuis, nudarunt, ut habent Hebræa, calcaneos tuos, itaque violarunt et spoliarunt te, atque publica pœna et ignominia affecerunt, ac nudis plantis te in Babylonem ire compulerunt ; ut scilicet pateat te impurissimam fuisse meretricem, teque scelera pudenda commisisse, ob quæ tam gravi et publica ignominia puniris. Ita S. Hieronymus, Rabanus, Hugo, S. Thomas. Hoc est quod ait Isaias, cap. XLVII, 2 : « Tolle

dicitur propter Israelitas, ita ut nemo egredi nec ingredi posset. Significatur itaque hisce verbis, hostes qui ex aquilone irruperunt (vers. 20) pervasisse jam totam Judæam, etiam australem ejus partem, ejusque urbes obsidione cingere. (Rosenmuller.)

(1) Hæc verba non tam ad Chaldæos, sed eo potius referenda, quod Hebræi jam pridem inde ab Achazi tempore qui Teglatphalasar Assyriorum regem vocavit contra reges Israel et Damasci, aliorum gentium amicitiam ambierint, et fœdera inierint cum iis qui ex amicis mox facti sunt Domini. Cum Babyloniis amicitiam contraxisse videtur et ipse Ezechias, legatis Merodach Baladan ostendendo divitias, reprehensus ideo ab Isaia. (Calmetus.)

molam, et mole farinam : denuda turpitudinem tuam, discooperi humerum, revela crura, transi flumina. »

Vers. 23. Consuetudo peccandi inducit difficultatem resistendi, non impossibilitatem.

23. SI MUTARE POTEST ÆTHIOPS PELLEM SUAM, AUT PARDUS VARIETATES (maculas) SUAS, — *q. d.* Sicut hoc est impossibile per naturam; ita istud est valde difficile, quia tua, inquit S. Hieronymus, o Juda, peccandi consuetudo quasi versa est in naturam : non quod bene agere tibi sit omnino impossibile, sed quod sit difficile; in hoc enim tantum est similitudo, non in priori : quia nigredo in Æthiope, et varietas in pardo, est naturalis, ideoque immutabilis; peccatum autem in homine non est naturale, sed voluntarium et liberum : semper enim manet in homine etiam sceleratissimo libertas arbitrii ad bonum et malum. Ita Theodoretus, Hugo et S. Thomas. Sic enim vulgo dicimus : Iste obduratus est ut lapis, iste hebes est ut truncus; est enim hyperbole.

Utitur hoc adagio Nazianzenus, orat. 1 *in Julian. Apostat.* eoque demonstrat illum non diu potuisse simulare probitatem et clementiam : « Quia, inquit, natura non patiebatur, ut pardus distinctas macularum notas, vel Æthiops atrum colorem, vel ignis ardorem, vel diabolus jam inde ab origine mundi homicida hominis odium, vel Julianus improbitatem, quæ stimulabat eum contra christianos, deponeret. » Simile est Antisthenis dictum apud Antonium in *Melissa*, cap. XXXII : « Veterem arborem transplantare difficile est. » Et Pindari, *Olymp.* 11 : « Indolem nec rufa vulpes, nec rugientes leones morem commutant. »

In pardali insuper maculis variegato notantur vitiorum varietas et mentis inconstantia, quæ nunc vitio hoc, nunc illo se oblectat et commaculat. Sicut ergo nigredo Æthiopis designat pertinacem malitiam; ita varietas pardi constantem in ea inconstantiam. Addit S. Basilius, et ex eo Delrio, *adagio* 841, pilos pardi nec albos esse, nec nigros, sed mixti coloris, ideoque significare Religiosos, qui ad angelicam dignitatem transeuntes, humanis adhuc perturbationibus inquinantur : hi enim nec albi sunt, nec nigri; nec pii, nec impii.

Aliter S. Hieronymus et Rabanus : Impossibile, inquiunt, est absolute, vitam mutare sine Dei gratia; sed hoc verum est de omni peccatore; hic autem Jeremias asserit tantum de obstinatis, quales erant Judæi, quia illis difficillimum est mores inolitos relinquere et corrigere. Sensus ergo est, *q. d.* Jerusalem obstinata est in scelere, non magis exuet impietatem, quam pellis nigredinem Æthiops; vel excoriata retinet turpitudinem nativam Æthiopissa hæc infelix. Sic Diogenes Cynicus dixit : « Senem admonere et mortuo mederi idem est. » Rursum cum argueret improbum, rogatus quid faceret : « Æthiopem, inquit, abluo ut candidum reddam. » Ita refert Antonius in *Melissa*, cap. XXXII.

Moraliter, disce hic quanta sit vis et efficacia consuetudinis. Dixit S. Chrysostomus, testibus Antonio et Maximo, serm. *De Consuetudine* : « Nihil tam firmum est in rebus humanis, quam veteris consuetudinis tyrannis. » Atque hæc est catena, hi funes, quibus vinctus tenetur et constringitur peccator, quos difficile est solvere, difficilius rumpere, ait S. Bernardus. Vere ergo dictum est a quodam Sanctorum : « Actus peccati crebro iteratus parit consuetudinem, consuetudo parit agendi quasi necessitatem, necessitas parit impossibilitatem (resistendi peccato, moralem intellige, hoc est, magnam difficultatem), impossibilitas parit desperationem, desperatio damnationem. » Recte enim de necessitate dixit Lucius Florus : « Antiquissimum omnium est Deus, maximum locus, velocissimum mens, fortissimum necessitas, prudentissimum tempus. » Audi et S. Augustinum, lib. VIII *Confess.* v, de se loquentem : « Suspirabam ligatus, non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, et inde mihi catenam fecerat, et constrinxerat me. Quippe ex voluntate perversa facta est libido, et dum servitur libidini, facta est consuetudo; et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas : quibus quasi ansulis quibusdam sibimet innexis (unde catenam appellavi) tenebat me obstrictum dura servitus. Voluntas autem nova, quæ mihi esse cœperat ut te gratis colerem, fruique te vellem, Deus sola certa jucunditas, nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam. Ita duæ voluntates meæ : una vetus, alia nova; una carnalis, alia spiritalis confligebant inter se, atque discordando dissipabant animam meam. »

Magni ergo interest, quibus a teneris assuescas. Lycurgus, teste Plutarcho, duos catulos ejusdem matris assuefecit, unum venationi, alterum gulositati; grandiores factos coram populo produxit; emissoque lepore, hic de more consedit, ille leporem insecutus cepit. Tum Lycurgus : Videtis, inquit, cives, quam dissimiles faciat dissimilis educatio et assuefactio? atque non natura, sed exercitatione nos ad virtutem formari. Ne quis tamen peccare assuetus desperet, sciat quamvis consuetudinem vinci posse, *primo*, per gratiam Dei, ejusque continuam et instantem implorationem. Ita S. Augustinus concubinatui assuetus, per Dei gratiam id evicit. Dicat ergo peccare assuetus, cum eo : « Domine, da quod jubes, et jube quod vis; » sentietque idem quod ipse de se ait, lib. IX *Confess.* I : « Quam suave mihi subito factum est, carere suavitatibus nugarum, quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat! Ejiciebas enim eas a me, et intrabas pro eis omni voluptate dulcior. »

Secundo, per fortem, constantem et crebro iteratam animi resolutionem, quod velit consuetudinem hanc tollere : per hanc enim animus sibi ipsi efficaciter imperat, et voluntas seipsam subjugat : voluntas enim in sua ipsius est manu et potestate. Huc juvat reflexio assidua et examen particulare.

Vere Seneca, lib. II *De Ira*, cap. 12 : « Nihil est, inquit, tam difficile et arduum, quod non humana mens vincat, et in familiaritatem perducat assidua meditatio, nullique sunt tam feri et sui juris affectus, ut non disciplina perdomentur. Quodcumque sibi imperavit animus, obtinuit. Quidam ne unquam riderent consecuti sunt. Vino quidam, alii venere, quidam omni humore interdixere corporibus. Didicerunt alii in funibus ambulare, immania onera portare, mergi in profundo nec respirare. »

Tertio, per exercitium contrariæ virtutis : consuetudo enim consuetudine vincitur. Incidit S. Bernardus, ut habet ejus Vita, in quemdam Nobilem fornicationi ita assuetum, ut sine ea ne dies quidem unus præteriret, dicebatque se nullo modo posse abstinere. Cui S. Bernardus : « Quæso, inquit, in gratiam Dei ad triduum abstine, » annuit ille, et ecce triduo expleto : « Nunc, inquit, in honorem Deiparæ tantumdem præsta, » fecit ; tum tertio S. Bernardus : « Semel adhuc has inducias posco in honorem omnium Sanctorum. » Ille rursus pactus est; donec sponte Bernardo se insinuans, diceret : « Nolim amplius diurnas, sed perennes cum Deo inire inducias. » Ita consuetudo sensim et suaviter eradicatur.

Vers. 24. 24. ET DISSEMINABO (id est dispergam) EOS (in exsilium et captivitatem, sicut ventus dispergit) STIPULAM — et paleas.

Vers. 25. 25. HÆC SORS (hæreditas) TUA, PARSQUE MENSURÆ TUÆ. — Sicut enim agrorum mensor cuique quod ei debitum est mensura sua distribuit, quæ ex mensura peccati et culpæ ei debetur : atque hac ratione tibi, o Juda, jam sortem et mensuram excidii et captivitatis tuæ admetietur. Dederat ille tibi olim sortem bonam inter alias tribus in Chanaan, ac meliorem in cœlo præparaverat, si in cultu, et lege pactisque ejus stetisses : at quia ea sprevisti, hinc sortem tuam commutabit, ac pro regno servitutem, pro gloria probrum, pro opibus egestatem, pro deliciis famem, pro gaudio mœrorem, pro libertate carcerem, pro patria exsilium, pro vita ærumnam, squalorem, tabem et mortem tibi irrogabit. Hæc est sors peccati et peccatoris.

CONFISA ES IN MENDACIO, — in falsis pollicitationibus pseudoprophetarum et Ægyptiorum ; vel, ut Lyranus et Hugo, in idolis, quæ sunt falsi et mendaces dii. *Tertio*, Chaldæus, *in mendacio*, id est in peccato. Secundus sensus est optimus, ut patet ex sequenti. Simili modo aiunt iidem impii, Isaiæ XXVIII, 15 : « Posuimus mendacium spem nostram et mendacio protecti sumus. »

Vers. 26 26. UNDE ET EGO NUDAVI FEMORA TUA (unde et ego nudam te et captivam quasi meretricem, omnium ludibrio exponam. Vide dicta vers. 22, idque) CONTRA FACIEM TUAM, — id est, ita ut ipsa te nudam videns erubescas. Chaldæus vertit : *Revelabo confusionem peccati tui* (1).

Nota : Deus, cum peccata punit, dicitur revelare turpitudinem tam peccatorum quam peccantium.

ET APPARUIT IGNOMINIA TUA, ADULTERIA TUA, etc. — Est appositio, *ignominiam* enim vocat ipsa adulteria, eorumque pœnam, scilicet spoliationem et captivitatem Judæorum. Porro « adulteria, hinnitus, scelus fornicationis, » vocat idololatriam ; ait ergo :

Vers. 27 27. ET HINNITUS TUUS, — *q. d.* Sicut equus aut potius equa (hæc enim aptius significat plebem quasi meretricem) hinniens, gestit et furit ad coitum, maremque sollicitat ; ita tu, o Juda, furis ad idololatriam, aliosque ad eamdem sollicitas et impellis. Ita S. Hieronymus, Rabanus et Hugo.

ABOMINATIONES — idola.

VÆ TIBI, JERUSALEM, NON MUNDABERIS (non curas ut te a peccatis et idolis emundes) POST ME, — id est, me et mei cultum sequendo. Legit Interpres cum Septuaginta אחרי *acharai*, id est *post me*, jam legunt אחרי *achare*, id est *post*, sed sensu valde obscuro et implexo.

USQUEQUO ADHUC ? — scilicet talis eris, vel, exspectabo ut emenderis ? quousque te feram et continebo furorem ? *q. d.* Frustra exspecto, non emendaberis, nisi gravissima pœna captivitatis et excidii ; vel, ut S. Hieronymus, Theodoretus et Rabanus, *q. d.* Frustra exspecto, obduruisti in scelere, desperata est tua correctio : funditus ergo te evertam et abjiciam.

(1) Id est, attollam tuas vestes super caput tuum, quod ignominiæ causa feminis fieri solet, præsertim belli jure captis.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prædicit sterilitatem et famem futuram (nam cum ea sterilitatem hanc hoc cap. et sequent. permiscet) in Jerusalem, ut Deus videatur esse quasi colonus in Judæa, et quasi viator transiens et abiens. Secundo, vers. 13, orat pro populo, licet prohibitus a Deo, vers. 11, ut ejus ita undique afflicti miserescat (1).

1. Quod factum est verbum Domini ad Jeremiam de sermonibus siccitatis. 2. Luxit Judæa, et portæ ejus corruerunt, et obscuratæ sunt in terra, et clamor Jerusalem ascendit. 3. Majores miserunt minores suos ad aquam : venerunt ad hauriendum, non invenerunt aquam, reportaverunt vasa sua vacua : confusi sunt et afflicti, et operuerunt capita sua. 4. Propter terræ vastitatem, quia non venit pluvia in terram, confusi sunt agricolæ, operuerunt capita sua. 5. Nam et cerva in agro peperit, et reliquit : quia non erat herba. 6. Et onagri steterunt in rupibus, traxerunt ventum quasi dracones, defecerunt oculi eorum, quia non erat herba. 7. Si iniquitates nostræ responderint nobis : Domine, fac propter nomen tuum, quoniam multæ sunt aversiones nostræ, tibi peccavimus. 8. Exspectatio Israel, salvator ejus in tempore tribulationis : quare quasi colonus futurus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum? 9. Quare futurus es velut vir vagus, ut fortis qui non potest salvare? tu autem in nobis es, Domine, et nomen tuum invocatum est super nos, ne derelinquas nos. 10. Hæc dicit Dominus populo huic, qui dilexit movere pedes suos, et non quievit, et Domino non placuit : Nunc recordabitur iniquitatum eorum, et visitabit peccata eorum. 11. Et dixit Dominus ad me : Noli orare pro populo isto in bonum. 12. Cum jejunaverint, non exaudiam preces eorum : et si obtulerint holocautomata et victimas, non suscipiam ea : quoniam gladio, et fame, et peste consumam eos. 13. Et dixi : A, a, a, Domine Deus : Prophetæ dicunt eis : Non videbitis gladium, et fames non erit in vobis, sed pacem veram dabit vobis in loco isto. 14. Et dixit Dominus ad me : Falso prophetæ vaticinantur in nomine meo : non misi eos, et non præcepi eis, neque locutus sum ad eos : visionem mendacem, et divinationem, et fraudulentiam, et seductionem cordis sui prophetant vobis. 15. Idcirco hæc dicit Dominus de prophetis, qui prophetant in nomine meo, quos ego non misi, dicentes : Gladius et fames non erit in terra hac : In gladio et fame consumentur prophetæ illi. 16. Et populi, quibus prophetant, erunt projecti in viis Jerusalem præ fame et gladio, et non erit qui sepeliat eos; ipsi et uxores eorum, filii et filiæ eorum : et effundam super eos malum suum. 17. Et dices ad eos verbum istud : Deducant oculi mei lacrymam per noctem et diem, et non taceant :

(1) Capite hoc et proximo quæ quartum sectionis secundæ sermonem conficiunt, Jeremiæ cum Deo continetur colloquium, tempore gravioris alicujus siccitatis, indeque ortæ sterilitatis habitum. Quæ quidem calamitas Judæam oppressit regnante Josia, ut supra ad annot. cap. VII diximus. Aliqui tamen interpretes, inter quos Calmetus, qui in *Præf. in Jerem.*, ad tempus Josiæ et ipse magnam illam siccitatem refert; in commentario, ad vers 1 hujus capitis, potius initio belli Nabuchodonosor contra Sedeciam assignat, eo quod ex vers. 18, jam bellum contra Judæos accensum esse, eosque in captivitatem abductos esse videtur, et aliunde anno ante Hierosolymam obsessam magna agrorum sterilitate afflicta fuit Judæa. Quam sententiam et ipse propugnat Cornelius vers. 1.

Primo igitur, prænuntiat siccitatem Judææ futuram, *primo*, molestam omni hominum conditioni, 1-4; *secundo*, ipsis etiam animantibus perniciosam, vers. 5, 6.

Secundo, confitetur populi culpam, precatur indulgentiam, proposita Dei gloria et promissione, 7-9.

Tertio, Deus, *primo*, decernit pœnam, declaratque nec sua deprecatione vatem quidquam effecturum esse, 10-12; *secundo*, Prophetæ, ut populum excuset, culpam conjicienti in prophetas mendaces, qui illum vanis promissionibus deciperent, 13, Deus respondet damnaturum se quidem pseudoprophetas ob data de contrario exitio vaticinia mendacia, 14, 15; sed populum illis adhærentem, nihilominus nulla dignum esse ulterius misericordia, communemque cladem passurum esse affirmat.

Quarto, Propheta instat : *primo*, conqueritur de immutabilitate pœnæ, 19; *secundo*, confitetur peccatum, 20; *tertio*, et deprecatur veniam, proposita Dei gloria, 21, 22. Vide resp. in seq. cap.

quoniam contritione magna contrita est virgo filia populi mei, plaga pessima vehementer. 18. Si egressus fuero ad agros, ecce occisi gladio : et si introiero in civitatem, ecce attenuati fame. Propheta quoque et sacerdos abierunt in terram, quam ignorabant. 19. Numquid projiciens abjecisti Judam? aut Sion abominata est anima tua? quare ergo percussisti nos, ita ut nulla sit sanitas? exspectavimus pacem, et non est bonum, et tempus curationis, et ecce turbatio. 20. Cognovimus, Domine, impietates nostras, iniquitates patrum nostrorum, quia peccavimus tibi. 21. Ne des nos in opprobrium propter nomen tuum, neque facias nobis contumeliam solii gloriæ tuæ : recordare, ne irritum facias fœdus tuum nobiscum. 22. Numquid sunt in sculptilibus gentium qui pluant? aut cœli possunt dare imbres? nonne tu es Dominus Deus noster, quem exspectavimus? tu enim fecisti omnia hæc.

1. QUOD FACTUM EST VERBUM. — Id est verbum quod factum est. Est anastrophe.

DE SERMONIBUS SICCITATIS, — id est de re et pœna comminata sterilitatis : hebraice pro sterilitatis est הבצרות *habbatsarot*, id est prohibitionum vel retentionum, scilicet aquæ et pluviæ, uno quippe fonte Siloe, ait S. Hieronymus, utitur Jerusalem, et hoc non perpetuo; et usque in præsentem diem, sterilitas pluviarum, non tantum frugum, sed et bibendi inopiam ibidem facit. Est ergo metonymia : ponitur enim causa pro effectu, nam ex retentione aquarum sequitur frugum raritas, inde annonæ caritas, inde fames. Quæres, quando contigerit hæc siccitas? S. Hieronymus censet contigisse in ipsa obsidione Jerusalem. Verum tunc siccitas, indeque consequens agrorum sterilitas nocuisset Chaldæis obsidentibus, non vero Judæis obsessis, utpote qui urbe ad agros egredi non poterant. Melius ergo Sanchez censet eam contigisse ante obsidionem sub Sedecia : tunc enim majores poterant emittere minores ad quærendam in agris aquam, ut dicitur vers. 3. Prius enim Deus punivit Judæos siccitate, fame et siti; mox gladio Chaldæorum, de quo agit vers. 18.

2. LUXIT JUDÆA. — *Lugere* dicitur terra, cum arida, sterilis, horrida et inculta jacet.

PORTÆ EJUS CORRUERUNT, — id est corruent dejiciente eas Chaldæo, et pulvere involutæ ac obscuratæ non apparebunt. Ita Hugo et Lyranus.

Secundo, ut Vatablus, *q. d.* Portæ amittent suam claritatem antiquam, nullius erunt pretii, negligentur ob inhabitantium mœrorem et afflictionem. « Portæ » ergo, id est claritas portarum, item frequentia transeuntium per portas, corruet.

Tertio, « portæ, » id est loca judiciorum, quæ erant in portis, corruerunt, vel, ut Septuaginta, *vacua facta sunt;* quia tunc nullæ lites, nullæ causæ agebantur, cum omnes hostem exspectarent. Ita S. Thomas.

Quarto et optime : « Portæ ejus corruerunt, » id est, ut hebraice אמללו *umlalu*, id est infirmatæ, id est desolatæ sunt, ita ut nemo per eas transeat, perinde ac si corruissent, idque ob sterilitatem et famem : agit enim de desolatione sterilitatis, non excidii. Ita Maldonatus.

3. MAJORES. — Hebraice אדיריהם *addirehem*, id est potentes et magnates eorum, *q. d.* Tanta erit fames, ut ne magnates quidem mittentes famulos suos ad remota loca, aquam ad bibendum inveniant, ne quidem in cisternis, quarum creber erat usus in Judæa, ideoque crebra mentio in Scriptura.

AD HAURIENDUM. — Hebræus, ad גבים *gebim*, id est, ut Chaldæus, *ad cisternas*; Septuaginta, *ad puteos;* alii, *ad lacunas*, ut scilicet inde aquam hauriant, ut vertit Noster.

CONFUSI SUNT ET AFFLICTI. — Hebræus, *confusi sunt et erubuerunt* : quia mittentes famulos pro aqua, eam non invenerunt.

OPERUERUNT CAPITA SUA. — Solebant Judæi in luctu caput operire, quod et nunc faciunt illi, qui pullati funus prosequuntur. Sic Amano mortis reo velatum est caput, *Esther*. VII, 8.

5. RELIQUIT — scilicet cerva fœtum suum, quem, deficiente herba, in tanta Judææ siccitate, alere non poterat; quid ergo facient aliæ bestiæ? cerva enim præ aliis amat fœtus suos. Vers. 5.

ONAGRI — qui, uti et cervæ et dracones, sicci sunt et æstuantes, ob caloris copiam, teste Plinio, lib. VIII, cap. XII; ideoque sitibundi præ siccitate, ventum haurient, ut sitim et famem temperent, et calorem refrigerent : oculi enim eorum præ inedia debilitati deficient et caligabunt, qui cibo, spiritibus redeuntibus, illuminari solent, uti oculi Jonathæ, ex inedia caligantes, cibo sumpto, illuminati sunt, I *Reg.* XIV, 27. Onagri æstuantes sunt et siti bundi.

Audi Rabbinos, et ex iis Isidorum Clarium : « Ferunt onagri sitim multo tempore, amant solitudinem; sed tandem longioris impatientes sitis ac famis, circumspiciunt ubinam locorum gramen vel herba sit, et magno desiderio in excelso loco aerem attrahunt celeri attractu, sicut dracones solent, quorum est vehementissima respiratio et sorbitio. » Addit Theodoretus : « Hoc certe faciunt etiam homines dum sitiunt, tenui ventorum aura refrigerantes calorem. »

Mystice, S. Hieronymus hæc accipit de spiritali ariditate et siti Ecclesiæ, quando plebs magistrorum inopia in spiritu contabescit. Unde Propheta : « Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis. » Ex adverso S. Gregorius, lib. XX *Moral.* cap. XXIX, explicans illud S. Job : « Frater

fui draconum, » hæc de perversis accipit : « Perversi etenim, inquit, ventum quasi dracones trahunt, cum malitiosa superbia inflantur. »

Vers. 7. 7. SI INIQUITATES NOSTRÆ RESPONDERINT NOBIS — testantes, ut vertit Chaldæus, et conscientiæ nostræ dicentes nos esse malos, et tanta pœna sterilitatis dignos, vel, si peccata nostra coram Deo, ei quasi interroganti, responderint nobis, id est, ut Chaldæus, contra nos, ideoque restiterint nobis, ut vertunt Septuaginta, hoc est accusaverint nos in judicio coram te, sicut accusator respondere solet reo, ejusque excusationes refutare ; sic ait Isaias, cap. III, vers. 9 : « Agnitio vultus eorum respondit eis, » id est ipse vultus eorum, mox ut aspicitur et agnoscitur, loquitur et accusat eorum scelera, *q. d.* Peccata nostra tanta sunt, ut clament vindictam, nosque excidio dignos esse. Tu tamen, Domine, fac nobiscum clementer, quia clemens es : fatemur enim multas esse aversiones et rebelliones nostras, quibus te offendimus. Est oratio Jeremiæ.

Moraliter, hic nota quanta sit vis conscientiæ, quæ, ut ait Origenes, est « corrector affectuum, et animæ pædagogus. » Itaque *primo*, ipsa est frenum post peccatum : « Quia infixa nobis ejus rei aversatio est, quam natura damnavit, » ait Seneca, *epist.* 98. *Secundo*, est flagrum post peccatum : « Quia perfecto demum scelere, magnitudo ejus intelligitur, » ait Tacitus lib. XIV. « Dum pœnam semper ante oculos versari putant, qui peccaverunt, » ait Cicero *pro Milone*. *Tertio*, in damnatis conscientia est tortor : urit enim, cædit, lancinat et verberat animum. Quocirca S. Augustinus, lib. XXI *De Civit.* : « Tranquillitate, ait, conscientiæ nihil excogitari potest beatius. » Hinc Pythagoras ait :

> Nec quidquam coram sociis, aut testibus, aut te
> Solo turpe geras : summus pudor ipse tibi sis.

Nam, ut ait Cicero : « Conscientia virtuti satis amplum theatrum est. » Et S. Augustinus, lib. III *Contra litteras Petiliani*, cap. VII : « Nec malam conscientiam sanat præconium laudantis, nec bonam vulnerat conviciantis opprobrium. » Et in *Psalm.* XXXI : « Quomodo mala conscientia tota in desperatione est, sic bona conscientia tota in spe. »

In morte peccata nos accusabunt. Visio Stephani. Ita in hora mortis et in judicio Dei accusabunt nos peccata nostra æque ac dæmones. Narrat Climachus, gradu 7, *De luctu*, Stephanum virum sanctum, qui quadraginta annos in eremo addictus jejuniis, lacrymis, aliisque virtutibus præclare vixerat, in hora mortis obstupuisse : « Et quasi, inquit, rationem quidam a se exigerent, cunctis qui astabant audientibus, aiebat, aliquando quidem : Ita sane, sic revera est; sed pro hoc tot annis jejunavi. Aliquando vero : Non certe, sed mentimini, hoc non feci. Deinde rursus : Ita vere est, hoc ita est; sed flevi, sed ministravi. Ac rursus : Vere me accusatis. In quibusdam etiam aliquando aiebat : Ita sane, et quidem ad hæc quid dicam non habeo, ideo misericordia est. Et erat profecto spectaculum horrendum ac terrificum, invisibile illud sævissimumque judicium. Quidam vero mihi veraciter affirmaverunt, quod hic dum esset in eremo, leopardum quoque ex manu sua nutriebat. » Si in viridi ligno hæc fiunt, in arido quid fiet?

Vers. 8. 8. EXSPECTATIO, — o Domine, qui es exspectatio, id est spes Israelis, in quo Israel omnem suam spem positam habet, præsertim in hac tribulatione et vastatione sibi imminente!

Deus fuit quasi viator apud Judæos. QUARE QUASI COLONUS? — qui agrum alienum pretio conduxit, ut eum colendo fructus colligat unius anni; qui proinde succum agri exhaurit. Aut « colonus, » id est mercenarius, qui minus diligenter agrum heri sui, utpote alienum, mercede conductus colit, quam si suus esset. Hebraice est, כגר *cagger*, id est *sicut peregrinus*, ut vertit Syrus, vel *hospes* et *advena*, ut vertit Arabicus, *q. d.* Hactenus, o Domine, habitasti in templo et Judæa, quasi herus in domo et agro tuo, jam videris in ea factus colonus, qui negligit bonum agri alieni : imo videris factus peregrinus, viator et advena, qui negligit ea quæ peregre, et in via sunt, tantumque transit per hospitium, et postquam pernoctavit, non curat de hospitio : sic tu jam negligis templum et Judæam quasi agrum alienum, aut quasi hospitium tuum; pertransis a nobis, non curas an hospitium tuum sit vastandum a Chaldæis, quinimo illud deseris, eisque vastandum relinquis : mane ergo nobiscum, et salva nos, cum sis fortissimus; ne dicant gentes te fugisse ex infirmitate, eo quod nos salvare non posses. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Rabanus, S. Thomas et Vatablus.

Pari modo mystice nos hæc verba : « Quare quasi colonus, etc., cordiali cum gemitu proferamus, cum Deum in nobis, vel in Ecclesia (aliqua particulari) per stabilem gratiam habitare non invenimus; sed cito gratiosam suam nobis subtrahere præsentiam, » inquit Dionysius Carthusianus.

Christus fuit viator et hospes in terra. Allegorice Christus est « exspectatio » Israelis; de eo enim ait Jacob, *Gen.* XLIX, 16 : « Salutare tuum exspectabo, Domine; » et : « Ipse erit exspectatio gentium, » *q. d.* Quando Christus in terram venerit, erit quasi peregrinus in ea, et parvo tempore terræ usurus hospitio; et quasi vir vagus, ac robustus, qui per omnem Judæam discurret prædicando : mox prædicatione et cursu suo peracto, relicto Israele, ad gentium multitudinem; relicto templo, ad Ecclesiam; relicta terra, ad suum transibit et redibit cœlum.

Imo S. Hieronymus, Rabanus, Hugo et Lyranus, ad litteram hæc de Christo accipiunt, quasi Jeremias et Judæi eum invocent, ut per futuram incarnationem, labores et merita sua Patri irato se opponat, salvetque Israelem ne capiatur a Chaldæis. Sic quoque explicant Tertullianus, lib. III *Contra Marcion.* VI, et Ambrosius, vel potius

Ruffinus, tract. *in Symbol. Apostolorum* cap. XXX.

Pari modo in Eucharistia Christus est quasi peregrinus; quia peregrina veste, scilicet specie panis et vini, vestitus et tectus est, et viator declinans ad manendum; quia est viaticum nostrum, quo roborati tendimus ad patriam nostram cœlestem : unde digestis et consumptis speciebus, transit ipse, et in eo loco quasi evanescit. *Tertio*, Chaldæus vertit : O Salvator Israel, cur manet ira tua super nos, cum tantum simus peregrini et viatores in terra? sed patet ex Hebræo non populum, sed Deum dici hic peregrinum.

Christ et Christiani hic sunt peregrini ob tres causas.

Tropologice, Christus et Christiani sunt coloni et peregrini. *Primo*, quia Christus e cœlo in terram quasi alienam venit, et nos e cœlo animam accepimus. Unde et cœlum nobis patria est, terra vero exsilium. *Secundo*, quia licet Christus terræ esset dominus, et veniret in propria : sui tamen eum quasi peregrinum non receperunt. *Tertio*, quia caducis terræ bonis non est usus nisi ad necessitatem quasi peregrinus : non habuit ubi caput reclinaret; non habuit propriam domum, sed Marthæ et aliorum hospitium; nullo captus fuit viæ et rerum vitæ amore : ut doceret nos, iis uti, non frui, et supernam patriam inquirere, uti ipse mox ad cœlum rediit. Similiter omnes fideles et sancti sunt hospites terræ, et cives cœli, præsertim quia hic inter impios et reprobos vivunt, unde terra eis est tædio, cœlum in desiderio. Quocirca S. Augustinus, in *Sententiis*, num. 17 : « Omnis, inquit, qui ad supernam pertinet civitatem, peregrinus est mundi, et dum temporali utitur vita, in patria vivit aliena; ubi inter multa illecebrosa, et multa fallacia, Deum nosse et amare paucorum est. » Et num. 113 : « Christiano recte gaudendi causa non præsens sæculum est, sed futurum; et ita utendum est temporalibus, ne obsint æternis, ut in via qua peregrini ambulant, hoc placeat quod ducit ad patriam. » Nam, ut ait S. Basilius in *Psalm.* I, 1 : « Sicut viator jam in prata, jam in montes, jam in amœna, jam in tristia incidit, sed mox ea relinquit; ita et nos in vita hac, jam læta, jam tristia transimus, nihil est quod hæreat. »

Tu dormis, et tempus tuum ambulat.

Idem habet S. Ambrosius, in *Psalm.* I, 1, additque : « Sicut in navibus dormientes, ventis aguntur in portus, etsi nullus quiescentibus sensus est navigandi, tamen cursus eos urget ad finem, et impellit ignaros : sic vitæ nostræ spatio defluente, ad proprium unusquisque finem, cursu latente, deducitur. Unde dicitur : Surge, qui dormis. Tu enim dormis, et tempus tuum ambulat (nota hoc et rumina); et vide ne, dum dormis, tempus prætereat : ideo et si dormis, cor tuum vigilet. Si cor otiosum non sit, non sunt otiosa tempora tua; in via es, o homo, ambula, ut pervenias, ne te nox in via occupet, ne consumatur dies vitæ, antequam progressum virtutis acceleres. Viator es, vitæ hujus omnia transeunt, omnia post te fiunt, omnia in hac via cernis et transis. » Et inferius : « Ergo quasi in via locatum, neque secunda extollant, neque adversa te frangant. Festina semper ad finem, festina ut pervenias : elige tamen viam, antequam curras. Duæ viæ sunt : una justorum arcta; altera peccatorum spatiosa, sed ducens ad interitum. »

Et S. Bernardus, serm. 4 *De Adventu* : « Quid, inquit, vobis filii Adam, cum terrenis divitiis, et gloria temporali : quæ neque veræ, neque vestræ sunt? Si vestra sunt hæc, tollite ea vobiscum; sed homo cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus. » Audi et gentilem Senecam, *epist.* 121 : « Magnus, ait, animus conscius sibi melioris naturæ, dat quidem operam, ut in hac statione, qua positus est, honeste se atque industrie gerat. Cæterum nihil horum quæ circa ipsum sunt suum judicat, sed ut commodatis utitur peregrinus et properans. » Idem, *epist.* 103 : « Quidquid, ait, circa te jacet rerum, tanquam hospitalis loci sarcinas specta. Transeundum est. Excutit natura redeuntem, sicut intrantem. Dies iste quem tanquam extremum reformidas, æterni natalis est. » Et inferius : « Quid ista sic diligis quasi tua? Istis opertus es. Veniet dies qui te revelet, et ex contubernio fœdi atque olidi ventris educat. Hinc nunc quoque tu quantum potes subvola, ab aliis alienus. » Vide apophthegmata Sanctorum, dicentium se peregrinos esse, quæ annotavi *Hebr.* XI, 13, in fine.

Vers. 9. 9. VELUT VIR VAGUS. — Hebraice נִדְהָם *nidham*, id est attonitus, pavidus, qui præ stupore et pavore, huc illuc vagatur et discurrit, *q. d.* Videris, Domine, quasi territus a nobis fugere, et huc illucque vagari; nimirum terrent te scelera nostra, æque ac clades nobis imminens. Syrus vertit, *velut vir diminutus, abjectus*; Arabicus, *ut vir deficiens, infirmus;* Septuaginta, *velut vir dormiens,* id est quasi non videns afflictionem nostram. Sic ait Psaltes, *Psalm.* XLIII, 23 : « Exsurge, quare obdormis, Domine? »

UT FORTIS. — Hebraice גִּבּוֹר *gibbor*, id est robustus, validus ut gigas, *q. d.* Videris, Domine, nobis esse, ut homo qui, cum videatur esse fortis ut gigas, aut se fortem et giganteum esse jactet, opem tamen ferre non potest : quod ne Deus permittat sibi exprobrari a gentibus, orat Moyses *Num.* cap. XIV, 16, ne scilicet gentes dicant : Deus non potest suum populum ab hoste liberare; ergo non est potens : ant si olim eum liberans fuit potens, jam in eo cum ætate virtus ista consenuit et elanguit. Ita Sanchez.

TU AUTEM IN NOBIS ES, DOMINE, — *q. d.* Videris in nobis esse peregrinus, o Domine, uti dixi vers. 8; at revera non es, quia habitas in medio nostri.

ET NOMEN TUUM. — Nota : Nomen Dei invocari super aliquem populum, est vocari eum Dei populum, Dei hæreditatem, Dei peculium, Dei filios. Vide *Can.* XXX.

Vers. 10. 10. HÆC DICIT DOMINUS POPULO HUIC, QUI DILEXIT MOVERE PEDES SUOS, — id est dilexit a Dei cultu re-

cedere, ac vagus et instabilis, nunc ad hæc, nunc ad illa idola, nunc ad Ægyptios, nunc ad Assyrios opis causa, nunc hanc, nunc ad illam voluptatem et peccatum discurrere. Vide cap. II, vers. 18. Ita respondet Deus Judæis rogantibus, cur quasi hospes abeat, *q. d.* Abeo a vobis, quia vos a me abitis : vagus vobis videor et peregrinus, quia vos vagi et instabiles ad hostes meos decurritis. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Rabanus. Notat S. Hieronymus, peccatorum pedes esse instabiles, *Thren.* I, 8, *Proverb.* VII, 10, *Gen.* IV, 14, et cap. XI, vers. 2. Contra Sanctis cum Mose dicitur : « Tu vero hic sta mecum, » *Deuter.* V, 31 ; *Isaiæ* LVII, 20. Vide dicta *Threnor.* I, 8.

Vers. 11. 11. NOLI ORARE PRO POPULO ISTO IN BONUM, — ut illi aliquid boni a me postules. Vide cap. VII, vers. 16, et cap. XI, vers. 14. Gravis est ira Dei, cum bonum petere vetat, malum et exitium precari permittit.

Vers. 13. 13. ET DIXI : A, A, A. — Hebraica est una dictio *Aha*, eheu, de qua dixi cap. I, vers. 6. Excusat populum Jeremias, dicens quod sit deceptus a pseudoprophetis.

Vers. 16. 16. EFFUNDAM SUPER EOS MALUM SUUM, — id est pœnam, malitiæ eorum debitam.

Vers. 17. 17. DEDUCANT OCULI MEI LACRYMAM PER NOCTEM ET DIEM, ET NON TACEANT, — non cessent a lacrymis, *q. d.* Quando vobis persuadere non possum, quod fames et gladius vobis immineant, saltem plorabo vestram futuram calamitatem.

VIRGO FILIA POPULI MEI. — Est hebraismus : ita enim vocatur congregatio populi a Deo dilecti tenerrime instar filiæ virginis, utpote quæ necdum in hostium potestatem venisset : hinc enim dicitur virgo. Sunt verba et lacrymæ Jeremiæ.

Vers. 18. 18. PROPHETA (scilicet falsus et mendax, de quo vers. 15), ET SACERDOS — illi applaudens.

ABIERUNT IN TERRAM QUAM IGNORABANT, — abierunt captivi cum populo quem seduxerunt in Babylonem. Est hæc justa et congrua pœna falsorum Prophetarum, dicentium vers. 13 : « Pacem veram dabit vobis in loco isto ; » huic enim loco et terræ opponit locum quem ignorabant. Chaldæus vertit, *conversi sunt ad negotiationes suas.* Hebræum enim סחר *sachar*, etiam significat negotiari.

Aliter Sanchez, per Prophetam enim bonum accipit, scilicet eum qui vacabat Dei laudibus in templo concinendis : jungitur enim sacerdos, cujus erat sacrificare, Prophetis, id est psaltibus concinentibus. Hic sensus concinnus et appositus est : Jeremias enim Prophetam nunc bonum, nunc malum et falsum intelligit.

Vers. 21. 21. NEQUE FACIAS NOBIS CONTUMELIAM SOLII GLORIÆ TUÆ. — Ita hæc junge cum Romanis, Septuaginta et Hebræo, licet aliter dispungat S. Hieronymus et alii, nimirum sic : *Neque facias nobis contumeliam : solium gloriæ tuæ recordare*, quæ dispunctio sensum habet planum. *Solium gloriæ* Dei vocat Jerusalem, quia hæc erat metropolis populi Dei, de qua Christus, *Matth.* V, 35 : « Non jurabis per Jerusalem, quia thronus est magni regis. » Et hic, cap. III, vers. 17 : « In tempore illo vocabunt Jerusalem Solium Domini. » Aut potius templum : ibi enim Deus supra Cherubim et propitiatorium sedere dicebatur. Ita S. Hieronymus. Jam sensus nostræ dispunctionis est, *q. d.* Ne sinas, Domine, vastari et pollui Jerusalem, vel potius templum, in quo quasi solio glorioso inter nos habitare diceris : hæc enim contumelia fit non tantum nobis, sed et solio tuo, id est tibi ; ergo : « Non nobis, Domine, non nobis ; sed nomini tuo da gloriam, nequando dicant gentes : Ubi est Deus eorum ? » *Psalm.* CXIII, 9 et 10. Chaldæus vertit : *Ne vilem facias locum gloriæ tuæ ;* Septuaginta : *Ne perdas solium gloriæ tuæ.* Ita quoque Lyranus, et S. Thomas, qui multa hic in fine capitis mystica habet de triplici Dei solio, *primo*, gloriæ ; *secundo*, clementiæ ; *tertio*, justitiæ.

Vers. 22. 22. NUMQUID SUNT IN SCULPTILIBUS GENTIUM QUI PLUANT ? — Redit ad capitis initium, *q. d.* Non ab idolis, sed ad te, Domine, exspectamus et oramus pluviam, ut sanes et avertas sterilitatis tuæ plagam in nos immissam ; tu enim es dator imbrium, tu ablator.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Dicit Deus se esse inexorabilem, etiamsi Moses et Samuel orarent pro populo. Minatur ergo ei gladium, canes, volucres cœli, bestias terræ, certumque Hierosolymæ excidium : hinc Propheta, vers. 10, se quasi virum rixæ, scelera arguentem, et excidii prænuntium suis invisum esse deplorat, sed a Deo, vers. 19, roboratur et communitur, ut sit quasi murus æreus (1).

1. Et dixit Dominus ad me : Si steterit Moyses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum : ejice illos a facie mea, et egrediantur. 2. Quod si dixerint ad te : Quo

(1) Continuatur in hoc capite dialogus incœptus in cap. præced. inter Deum et Prophetam. PRIMO igitur, iterata deprecatione Jeremiæ, Deus, *primo*, renuit audire intercessores, si vel Moyses et Samuel pro eo populo

egrediemur? dices ad eos : Hæc dicit Dominus : qui ad mortem, ad mortem : et qui ad gladium, ad gladium : et qui ad famem, ad famem : et qui ad captivitatem, ad captivitatem. 3. Et visitabo super eos quatuor species, dicit Dominus : Gladium ad occisionem, et canes ad lacerandum, et volatilia cœli et bestias terræ ad devorandum et dissipandum. 4. Et dabo eos in fervorem universis regnis terræ : propter Manassem filium Ezechiæ regis Juda super omnibus quæ fecit in Jerusalem. 5. Quis enim miserebitur tui, Jerusalem? aut quis contristabitur pro te? aut quis ibit ad rogandum pro pace tua? 6. Tu reliquisti me, dicit Dominus, retrorsum abiisti : et extendam manum meam super te, et interficiam te : laboravi rogans. 7. Et dispergam eos ventilabro in portis terræ : interfeci et disperdidi populum meum, et tamen a viis suis non sunt reversi. 8. Multiplicatæ sunt mihi viduæ ejus super arenam maris : induxi eis super matrem adolescentis vastatorem meridie : misi super civitates repente terrorem. 9. Infirmata est quæ peperit septem, defecit anima ejus : occidit ei sol, cum adhuc esset dies : confusa est, et erubuit : et residuos ejus in gladium dabo in conspectu inimicorum eorum, ait Dominus. 10. Væ mihi, mater mea : quare genuisti me, virum rixæ, virum discordiæ in universa terra? non fœneravi, nec fœneravit mihi quisquam : omnes maledicunt mihi. 11. Dicit Dominus : Si non reliquiæ tuæ in bonum, si non occurri tibi in tempore afflictionis et in tempore tribulationis adversus inimicum. 12. Numquid fœderabitur ferrum ferro ab Aquilone, et æs? 13. Divitias tuas et thesauros tuos in direptionem dabo gratis in omnibus peccatis tuis, et in omnibus terminis tuis. 14. Et adducam inimicos tuos de terra, quam nescis : quia ignis succensus est in furore meo, super vos ardebit. 15. Tu scis, Domine, recordare mei, et visita me, et tuere me ab his qui persequuntur me, noli in patientia tua suscipere me : scito quoniam sustinui propter te opprobrium. 16. Inventi sunt sermones tui, et comedi eos, et factum est mihi verbum tuum in gaudium et in lætitiam cordis mei : quoniam invocatum est nomen tuum super me, Domine Deus exercituum. 17. Non sedi in concilio ludentium, et gloriatus sum a facie manus tuæ; solus sedebam, quoniam comminatione replesti me. 18. Quare factus est dolor meus perpetuus, et plaga mea desperabilis renuit curari? facta est mihi quasi mendacium aquarum infidelium. 19. Propter hoc hæc dicit Dominus : Si converteris, convertam te? et ante faciem meam stabis : et si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris : convertentur ipsi ad te, et tu non converteris ad eos. 20. Et dabo te populo huic in murum æreum, fortem : et bellabunt adversum te, et non prævalebunt : quia ego tecum sum ut salvem te, et eruam te, dicit Dominus. 21. Et liberabo te de manu pessimorum, et redimam te de manu fortium.

supplicarint, XV, 1; *secundo*, constituit excidium et varios illius modos, 2-4; *tertio*, defendit decreti hujus æquitatem, 5, 6; *quarto*, denuntiat instantes reliquiis calamitates, 7-9.

SECUNDO, repudiata a Deo deprecatione sua, Propheta conqueritur de difficultate muneris, a populo cui optime cupiebat rixas et maledicta sibi relaturi, 10; cui Deus spondet securitatem ab inimicis, 11; quorum facultates et thesauros Deus minatur se hostibus prædatum permissurum, nullo pretio soluto, 12-14.

TERTIO, Propheta, proposito tum fidei, tum obedientiæ Deo præstitæ documento, postulat et sui tutelam et vaticiniorum veritatem, 15-18; cui respondens Deus perstringit leviter ejus diffidentiam, jubens a querelis abstinere, et pollicens, *primo*, vaticiniorum adimpletionem cum fructu etiam in populum redundaturo, 19; *secundo*, victoriam de inimicis referendam, 20, 21.

Vers. 1. 1. SI STETERIT MOYSES ET SAMUEL, — *q. d.* Non mireris, o Jeremia, nec putes te a me despici, eo quod te non exaudiam, quia tanta sunt populi scelera, tantaque in iis ejus obstinatio, ut nec Mosen, nec Samuelem, pro eis orantes audirem. Nota : Præ aliis nominantur hic Samuel et Moses, quia hi sanctissimi fuerunt, et maximam populi curam habuerunt, atque potentes apud Deum, et in oratione tam efficaces exstiterunt, ut ejus iræ resisterent, orando pro populo, sibi licet ingrato et rebelli. Erant enim duces et judices populi, et mediatores inter Deum et populum, Deoque familiarissimi, et charitate ardentissima diligebant populum, etiam sibi rebellem et refractarium. Hæc enim duo, scilicet oratio et charitas, præsertim erga rebelles et inimicos, decent eos qui præsunt, Deumque stringunt et quasi cogunt, ut preces eorum exaudiat. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, S. Thomas, Hugo, Rabanus et Lyranus. Vide S. Gregorium, lib. IX *Moral.* cap. XII et XIII.

Moses et Samuel duces populi, et mediatores apud Deum zelosissimi et efficacissimi.

Oratio et charitas decent Prælatum, Deumque stringunt.

Hinc patet non esse æqualia Sanctorum merita.

Secundo, licet Vatablus vertat : *Si starent* Moses et Samuel coram me, non esset animus meus ad populum istum; tamen melius Noster, Septuaginta et Chaldæus vertunt : *Si steterint*, etc., unde sequitur eos stare posse et solere coram Domino ut orent pro populo. Hebraice enim est futurum, quod significat rei consuetudinem : *Si stabit*, id est si stet uti stare solet. Ergo Sancti orant pro nobis post mortem etiam in limbo, multo magis in cœlo, multaque nobis impetrant, uti legimus fecisse Jeremiam, II *Machab.* cap. ult., 14. Vivunt enim Sancti in perfecta charitate tum Dei, tum proximi, atque Deum laudant et orant, non pro se, ergo pro nobis. Ita S. Hieronymus et Chrysostomus, homil. 1 *in Epist.* I *ad Thessalonic.* Quod intellige de oratione in genere. Nam in particulari ignorabant Moses, Samuel, aliique in limbo, quid hic gereretur, nisi quod discebant vel revelatione angelorum aut Dei, aut eorum qui post mortem eo descendebant. Idem dicendum est de animabus in Purgatorio existentibus, ac proinde non legimus viventes invocasse has animas : hoc enim proprium est legis novæ et animarum beatarum, estque quasi præmium felicitatis eorum.

Sancti in limbo pro suis orabant in genere.

Non invocamus animas in Purgatorio, cur?

Dices : Deus hic ait quod non exaudiet eos, ergo vetat eos orare.

Respondeo, nego consequentiam, non enim ait se non auditurum preces eorum ex eo quod nihil illæ valeant; sed quod populi scelera essent tanta, ut indignus esset, pro quo Moses et Samuel audirentur. Sicut ergo pater iratus solet dicere filio : Noli orare pro isto servo nebulone, nam nil nisi fustes meretur, et fuste contundam eum : sic et Deus facit hic. Vide dicta cap. XI, 14.

Moraliter hic disce, ut alicui Sanctorum preces prosint, debere eum simul cum iis conniti et collaborare : si enim in malitia persistat, parum vel nihil alterius preces ei proderunt. De quo vide S. Chrysostomum loco jam citato.

NON EST ANIMA MEA AD POPULUM ISTUM, — non placabor populo huic, non diligam eum.

EJICE (prædic) ILLOS (ejiciendos) A FACIE MEA, — id est a terra Judææ, cui in templo præsens sum. Ita Chaldæus, S. Thomas, Lyranus et Vatablus. Vel, « a facie, » id est a protectione mea et benevolentia. Ita S. Hieronymus, Rabanus, S. Thomas.

Vers. 2. 2. QUI AD MORTEM, — id est ad pestem; sic enim distinguitur mors a gladio et fame, *Ezech.* XIV, 15. Sic vulgo cum S. Cypriano et Tertulliano pestilentiam vocamus *mortalitatem* : plurimos enim ad mortem deducit. Jam « qui ad mortem, » scilicet destinati sunt, eant « ad mortem : qui ad gladium, » eant « ad gladium : qui ad captivitatem, » eant « ad captivitatem. »

Vers. 3. 3. VISITABO (inducam) QUATUOR SPECIES, — id est genera pœnarum, scilicet pestem, gladium, famem, captivitatem. Hebraice est, *præficiam eis quatuor familias* vel cognationes, id est quatuor gentes, ut vertunt Pagninus et Vatablus. Vel potius, quatuor cognata carnivora, scilicet gladium, canes, aves et feras, ut eos pro potestate sua eis a me data, arbitrium et libitum suum lanient et devorent, patet ex sequent. Hæc Noster vocat « quatuor species. » Aliter Sanchez, *visitabo*, scilicet quasi rex in die belli armamentarium meum, an scilicet mea arma quatuor jam dicta, satis tersa et polita sint ad feriendum Judæos.

Vers. 4 4. ET DABO EOS IN FERVOREM. — Septuaginta, *in angustias*; Chaldæus, *in commotionem*, ut scilicet ipsi angustiis et terroribus conscientiæ ferventes et æstuantes, quasi Cain tremuli huc illucque discurrant et vagentur. Ita Vatablus; hoc enim est Hebræum זעוה *saava.*

Aliter S. Thomas, Maldonatus, Hugo : « In fervorem, » inquiunt, id est in fervens odium, quo Judæos persequentur omnes gentes, *q. d.* Tradam Judæos ferventi furori omnium regum.

Aliter quoque Lyranus, *q. d.* Ita cædam eos, ut omnis terra ferveat, id est anxietur, æstuet, contremiscat ad tantam stragem Judæorum.

PROPTER MANASSEM. — Manasses enim rex Juda sceleslissimus populum in idololatriam deduxit, idolisque omnium gentium aras construxit, et quasi idololatriæ publicum vexillum pariter et exemplum erexit, IV *Reg.* XXI, 2. Porro, licet Manasses sit conversus, et suorum scelerum pœnitentiam egerit, tamen publicum hoc scelus populi, digna satisfactione expiatum non fuit, præsertim quia posteri Manassis imitati sunt ejus impietatem et idololatriam, ideoque puniti. Ita Chaldæus et S. Hieronymus. Adde, rex et regnum, sive populus, politice unum sunt : unde unius peccatum, alterius quoque censetur, et in altero punitur.

Manassis regis peccata punivit Deus in toto ejus populo, cur?

Vers. 5. 5. QUIS ENIM MISEREBITUR TUI, JERUSALEM? — Hebræus et Septuaginta : *Quis parcet tibi? q. d.* Nullus princeps parceret tibi, si contra eum admisisses ea quæ contra me designasti; ergo non convenit ut ego ea dissimulem et parcam tibi.

QUIS CONTRISTABITUR PRO TE? — Nemo tibi compatietur, quia omnes dicent te merito puniri.

QUIS IBIT AD ROGANDUM? — scilicet Deum. Ita Septuaginta. *Secundo,* Chaldæus et Vatablus apte vertunt, *quis salutabit te?* ut roget te de pace tua ac salute, qui scilicet agas et valeas, *q. d.* Nemo erit qui tibi condoleat, ut de te et tuis malis roget.

Vers. 6. 6. LABORAVI ROGANS. — Pro *rogans* hebraice est נחם *hinnachem,* quod duo significat, scilicet pœnitere et consolari. Unde *primo*, R. Kimchi vertit, *laboravi consolari,* id est vix me possum consolari ob tuam impietatem et obstinationem. *Secundo* et melius vertas, *laboravi pœnitere,* id est laboravi rogans et invitans te per Prophetas, ut pœniteres, teque converteres. Hic sensus maxime convenit versioni Latinæ. *Tertio,* S. Hieronymus vertit, *laboravi rogatus,* id est fatigatus sum aliorum pro te precibus : ideo nemo jam audebit pro te rogare : tot enim precibus pro te fusis obtusum quasi habeo caput, aures callosas, mentem defessam et

Vers. 6. *Hinnachem*, id est, *rogans*, quadrupliciter exponitur. Primo. Secundo. Tertio.

Quarto. quasi stupidam. *Quarto,* Maldonatus vertit, *laboravi pœnitendo,* aut, ut Sanchez, *miseren lo*, quasi dicas : Sæpius decrevi vos punire, sed d ctus pœnitentia et misericordia revocavi sententiam, sperans vestri emendationem ; verum nihil obtinui, tantum fatigavi me : toties enim idipsum feci, ut ulterius non possim me reprimere aut pœnitere, et mutare sententiam de vestra punitione ; sum enim pœnitendo fatigatus et tædio affectus : quare revocabo primam meam sententiam, et omnino evertam et interficiam vos. Ita Rabanus, Hugo et Vatablus. Unde Septuaginta vertunt, *non ultra dimittam,* valdeque congruit hic sensus Hebræo *hinnachem.*

Vers. 7. 7. DISPERGAM EOS VENTILABRO (id est, sicut ventilabro paleæ disperguntur quaquaversum a vento raptæ, ita et ego vos dispergam) IN PORTIS (id est per portas urbium, totius) TERRÆ. — Per *portas* enim synecdochice sæpe significantur urbes. Ita Chaldæus et Vatablus.

Portæ terræ quæ?

Secundo et melius, *terræ portas* vocat ultimas terræ partes, quibus ex terra in mare exitur, et e mari in terram intratur, *q. d.* Dispergam vos usque ad fines terræ. Ita Maldonatus, D. Thomas, Lyranus. Aut, ut Sanchez, *portæ terræ* sunt ortus et occasus, per quæ dies et nox quasi per portas positas in finibus terræ, in eam ingrediuntur. Alii sic explicant, *q. d.* Depauperabo eos, ita ut ad portas et ostia cogantur mendicare.

INTERFECI, etc., POPULUM MEUM — per Chaldæos, tempore Joakim, vel potius per Sennacherib et Assyrios, tempore Manassis.

Vers. 8. 8. MULTIPLICATÆ SUNT MIHI (id est a me) VIDUÆ EJUS, — populi scilicet, maritis earum a Chaldæis interfectis.

SUPER ARENAM MARIS. — Est hyperbole, *q. d.* Plurimæ a me viduatæ sunt maritis, factæque viduæ.

INDUXI EIS SUPER MATREM ADOLESCENTIS VASTATOREM, — qui scilicet vastaret adolescentem morte, et consequenter matrem orbitate et dolore afficeret. Idque non occulte, sed « meridie, » id est palam et in media luce. Ita S. Hieronymus, Rabanus, Hugo, S. Thomas. Aut vice versa, « vastatorem, » qui scilicet occidat matres, *q. d.* Sicut mulieres cæsis maritis feci viduas, ita adolescentes cæsis matribus feci orphanos. Ita Maldonatus.

Alii « matrem » exponunt, metropolim, seu urbem matrem, id est primariam, scilicet Jerusalem ; hæc dicitur *mater adolescentis,* id est adolescentum : erat enim ipsa mater et nutrix florentissimæ juventutis, *q. d.* Adducam contra Jerusalem hostem, qui media luce eam cum suo juventutis flore perdat et vastet.

Tertio, Chaldæus et Vatablus « matrem » exponunt congregationem vel multitudinem adolescentum, id est fortissimos quosque : hos enim occiderunt vastatores Chaldæi. Sed primus sensus uti planissimus, ita et maxime genuinus est.

MISI SUPER CIVITATES REPENTE TERROREM, — Hebraice est : *Cadere faciam super eam* (Jerusalem et vicinas urbes) *civitatem et terrores,* id est terrores civitatis, seu quales esse solent in civitate obsessa, seditiosa et tumultuante. Est hendiadys. Vatablus vertit : *Obrui eam subito et hoste et terroribus.* Verum hebraice עיר *ir,* civitatem, non hostem significat : nisi dicas *ir* quoque significare vigilem, et per vigilem intelligas hostem excubantem et insidiantem Hierosolymæ.

9. INFIRMATA EST (immutata est et orbata filiis) QUÆ PEPERIT SEPTEM, — id est plurimos. Ita Septuaginta. Porro hæc accipi possunt, tam de particularibus matribus, quam de ipsa Jerusalem, *q. d.* Ipsa Jerusalem, quæ est quasi magna Judæorum mater, quæque plurimos habebat filios, id est cives, iis cæsis orba erit : hæc enim ingens matrum præsertim viduarum est afflictio. Unde in historiis legimus matres nonnullas cum acciperent nuntium filios in prælio occubuisse, exanimes et emortuas concidisse. Vers. 9

Notat S. Hieronymus in *Isaiæ* cap. IV et cap. LIV, septenarium Hebræis esse familiarem propter sabbatum, sicut et denarium propter decalogum, atque significare multitudinem. Sic I *Reg.* II, 5, in Hebræo dicitur : « Donec sterilis peperit septem, » id est plurimos, ut vertit noster Interpres, et *Proverb.* XXVI, 16 : « Sapientior sibi piger videtur septem (plurimis) viris loquentibus sententias, » et vers. 25 : « Septem (plurimæ) nequitiæ sunt in corde illius ; » et *Eccles.* XI, 2 : « Da partem septem, necnon et octo, » *q. d.* Da eleemosynam multis, imo multo pluribus ; cum enim additur septenario unitas, significatur magna et inusitata multitudo. Septem, id est multi.

OCCIDIT EI SOL, — id est prosperitas, *q. d.* In medio prosperitatis cursu, eversa est Jerusalem, et tribus Juda. Ita S. Hieronymus, Chaldæus et Vatablus. Simili modo, mater quælibet fecunda in Judæa, cum esset in medio ætatis flore, possetque plurimos procreare filios, marito ejus occiso, quasi sole occidente, vidua et infecunda remansit. Unde Chaldæus vertit : *Migravit gloria eorum, in vita eorum, et interea dum ipsi stant confusi fuerunt.* Tale est illud Poetæ :

Fulsere quondam candidi tibi soles.

Similis phrasis est *Amos* cap. VIII, vers. 9 ; *Job* XXII, 28, et cap. XXIX, 3. Aliter Theodoretus, Hugo, S. Thomas, *q. d.* Præ mœstitia visus est ei sol occidere, et tenebrescere in meridie. Vide *Canon.* XXXII.

Allegorice, S. Irenæus, lib. IV, cap. LXVI, Cyprianus, lib. II *Contra Judæos,* cap. XXIII, et Isidorus, *De Passione Christi,* cap. XV, hoc referunt ad eclipsin universalem solis, quæ facta est in morte Christi : tunc enim sol occidit, non Christo, sed Judææ, a qua sol faciem indignans avertit ob Christicidium ab ea commissum. Sol meridie occidit Judæis in passione Christi.

Moraliter : Occidit sol in meridie juvenibus, qui sperabant annos Nestoris, et in flore ætatis a morte

abripiuntur. In hos enim recte competit illud Poetæ, nostro Prophetæ vicinum :

> Soles occidere et redire possunt :
> Nobis cum semel occidit brevis lux,
> Nox est perpetuo una dormienda.

Mystice, Hugo per occasum solis accipit occæcationem Judæorum, de qua Isaias, cap. LIX, 9 : « Exspectavimus lucem, et ecce tenebræ; splendorem, et in tenebris ambulavimus. Palpavimus sicut cæci parietem, » etc. Pari modo tropologice occidit homini sol, cum in peccatum mortale prolabitur : tunc enim Christum solem justitiæ, gratiam et vitam animæ deperdit, ac in horrendas tenebras, quin et in mortem præsentem et æternam corruit. Ita S. Hieronymus.

RESIDUOS (sub Joakim) IN GLADIUM DABO, — ut sub Sedecia per Nabuchodonosorem occidantur. Ita S. Hieronymus, Rabanus, Hugo.

Vers. 10. 10. VÆ MIHI. — Est epiphonema, quo Propheta ex naturali doloris sensu queritur, se nescio quo fato genitum, ut omnibus sit odio et probro, ob minaces prophetias; vocatque se « virum rixæ et discordiæ, » id est omnium injuriis, odiis contumeliis expositum, cum quo omnes jurgantur et rixantur. Syrus vertit, *virum judicem*, id est judicio cum omnibus contendentem; Arabicus, *virum arguentem*. Sic Christus Judæis fuit vir rixæ, et positus in ruinam et resurrectionem multorum.

Reformatores sunt viri rixæ. Exempla. Sic qui respublicas et Religiones deformatas et collapsas reformare volunt, libertinis sunt viri rixæ.

Dicebat Laeon apud Plutarchum : « Quomodo vir bonus est qui improbis amicus est? » et Scipio Africanus de suis æmulis dicebat : « Merito patriæ bellum facientes me prius sublatum volunt. » Qui ergo reipublicæ commodis student, sunt viri rixæ.

Talis vir rixæ fuit S. Paulus; unde ipse aiebat : « Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem; » et : « Blasphemamur, et obsecramus; persecutionem patimur, et sustinemus; tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus. »

Talis vir rixæ fuit vere immortalis S. Athanasius, qui pene solus totum orbem Arianum ad duellum provocavit et debellavit.

Talis vir rixæ fuit S. Benedictus, qui sub initium suæ conversionis, cum veteres quosdam monachos licentioris vitæ ad disciplinam objurgando reducere vellet, eorum odia incurrit, adeo ut ei venenum propinarint in calice, quem ipse signo crucis signans confregit, ac relicto monasterio in solitudinem se recepit.

Tales viri rixæ fuerunt S. Hieronymus, S. Chrysostomus, S. Gregorius Nazianzenus, S. Thomas Cantuariensis, et Morus, atque hoc sæculo S. P. N. Ignatius, cujus præsentia ubique procellas impiorum et dæmonum concitabat. Unde ipse longa experientia doctus, dolebat et metuebat si quando undequaque prospera de Societatis progressu afferentur; dicebat enim : « Persecutiones esse flabellum et cotem Societatis, » quibus ejus virtus acuenda et illustranda sit : quod si illæ deficiant, aiebat vereri se ne marcescat Societas, aut minus recte et strenue suo officio perfungatur. Hoc enim si præstare pergat, necessum esse contra eam multorum, etiam Catholicorum, invidia aut vitiis aliis laborantium, odia concitari : perinde ut chirurgo secante tibiam ægri, necesse est illum dolere et concitari, ita ut sæpe in ipsum chirurgum insurgat. Quare mirari non debent ejus asseclæ, præsertim zelosi et illustres, si viri rixæ et turbatores orbis vocentur; sed potius gaudere, sibique persuadere hanc certam esse notam suæ virtutis et zeli, fructusque inde consecuturi.

NON FOENERAVI. — Lites enim sæpe ex usura vel data vel accepta oriuntur. Theodotion vertit : *Non debui, nec debuit mihi quisquam, q. d.* Nihil mihi cum quoquam est commercii, vel negotii, ut litigare mecum debeat, et tamen passim *maledicunt mihi.* Ita Theodoretus et Lyranus.

Unde tropologice S. Hieronymus Christum hic expostulantem inducit, quod nemo velit a se accipere fœnus, id est gratiam et dona quæ ipse cuique offert.

Addit Sanchez, quod nemo velit usuram bonorum, quæ a Deo tot tantaque accepit, solvere et reddere, nempe gratiarum actiones, et usum eorum quæ ad Dei gloriam expendere debet. Neque fœnori dare, cum ipse tam sit ad solvendam usuram alacer et promptus. Dat autem fœnori Deo, eumque sibi debitorem facit, « qui miseretur pauperis, » *Proverb.* XIX, 17.

11. SI NON RELIQUIÆ. — Nota : Hæc sunt verba Dei consolantis Jeremiam. *Secundo*, τὸ *si* vox est jurantis; supplendum enim est : *Non habear veræ aut Deus, si non* effecero, ut *reliquiæ*, id est tempora reliqua et novissima, id est, ut Chaldæus, finis vitæ tuæ sit felix. Fecit hoc Deus, cum Nabuchodonosor hostis ambivit amicitiam Jeremiæ, quasi sibi faventis contra Jerusalem, et ea capta, Jeremiam benigne accepit, cap. XXXIX, 11, cap. XL, 4. Ita S. Hieronymus, Rabanus et Hugo. Vers. 11.

SI NON OCCURRI, — *q. d.* Si non occurrero et juvero te adversus inimicos. Aliter vertunt Chaldæus, Lyranus et R. Salomon, nimirum, si non fecero occurrere tibi hostem tuum, scilicet Sedeciam, obsecrantem ut ores pro eo, ut Chaldæorum manum evadat. Patet cap. XXI. R. Salomon et alii hæc accipiunt de Nabuzardan, qui pro Nabuchodonosore præfuit Judææ, atque Jeremiæ libertatem et munera dedit, cæteris Judæis in servitutem redactis, ut patet cap XL, 4.

Vers. 12. Numquid ferrum ferro non fœderatur. Prima expositio. 12. NUMQUID FOEDERABITUR FERRUM FERRO AB AQUILONE, ET ÆS? — Hoc est, Judaicum ferrum et arma non poterunt sociari armis Chaldæorum, nec æs æri; sed hoc, utpote fortius, illud collidet et confringet, quod Flandri dicunt : Hert tegben Hert. Docet hoc proverbium inter pervicaces et superbos non posse esse fœdus aut concordiam, sed juges esse rixas et jurgia. Sensus ergo est, *q. d.* Judæi

durissimi sunt, ut tu experiris, o Jeremia; ideoque non stabit amicitia eorum et fœdera cum Chaldæis inita; ne putes, o Jeremia, tuas contra eos minas irritas fore, quia vere Judæi Chaldæis se sociare et subdere nolent, sed rebellabunt volentque bellum, ideoque ab eis perdentur, itaque implebuntur tuæ minæ, ac punientur qui te ad necem persequuntur, minasque tuas rident, et pro fabulis habent. Unde Jeremias de iis vindictam a Deo expetit, vers. 15; esto populo simplici postulet misericordiam et veniam. Ita S. Hieronymus, D. Thomas, Rabanus, Hugo, Lyranus. Huc accedunt Syrus et Arabicus; vertunt enim : *Incidere te faciam in manus inimicorum tuorum, qui venient ad te ab Aquilone, et in malum validum : quia ipsi sunt ut ferrum et æs crudele* (durum).

Hinc *secundo*, R. David, Isidorus et Vatablus apposite ex Chaldæo sic explicant : Numquid rex Pharao, qui est durus ut ferrum, sociabitur Sedeciæ forti ut ferrum, ut pugnet contra Nabuchodonosorem, qui est instar ferri durissimi, sive chalybis, venitque ab Aquilone contra Jerusalem? *q. d.* Non, quia duri impingent in duriorem se, pervicaces in pervicaciorem, superbi in superbiorem, ideoque ab eo conterentur, sicut chalybs domat ferrum, *q. d.* Judæi duri sunt ut ferrum, idcirco duriore metallo subigendi; malo enim nodo malus quærendus est cuneus.

Tertia. *Tertio*, pro *fœderabitur* hebraice est ירוע *ieroa*, a radice רעע *raa* per duplex *ain*, significat *conteret, confringet*. Ita Symmachus et Vatablus, *q. d.* Numquid Judæi et Pharao, qui fortes sunt ut ferrum, conterent Nabuchodonosorem, qui pariter fortis est ut ferrum, et te, o Jeremia, qui fortis es ut æs, atque prophetizas felicia pro Nabuchodonosore contra Pharaonem? *q. d.* Non; imo Nabuchodonosor Pharaonem et Judæos conteret. Ita Lyranus et Vatablus.

Quarta. *Quarto*, Septuaginta et Theodotion pro littera *resc* legunt *dalet*, scilicet pro ירע *ieroa*, legunt ידע *iada*, id est cognovit, unde vertunt : *Si cognoscetur ferrum, et operimentum æreum fortitudo tua? q. d.* Ne fidas et glorieris, o Jerusalem, in fortitudine tua, in armis ferreis et loricis æneis; quia hæc omnia sternet et rapiet Chaldæus. Ita Theodoretus, licet Delrio, *adagio* 844, Septuaginta cum Nostro et Chaldæo conciliare conetur.

Quinta. *Quinto*, Sanchez explicat, *q. d.* Sicut cum ferro, id est cum ferreo Judæorum animo, componi et fœderari non potest ferrum et æs ab Aquilone, id est ferrei Chaldæorum animi : sic nec ferreum Judæorum pectus, quod ad salutaria tua monita durum est, sociari potest cum animo tuo item ferreo, quem tibi indidi, cap. I, vers. 18. Verum hic et nota similitudinis, et tota similitudinis redditio, sive applicatio subaudienda et supplenda sunt. Primus ergo sensus, uti maxime obvius, ita plenissimus et planissimus est. Unde et sequitur : « Divitias tuas et thesauros tuos in direptionem dabo; tuas, » scilicet, o Jerusalem, quæ Jeremiam Prophetam meum persequeris. Ad eam enim de more se sermonemque Deus convertit.

13. DABO GRATIS, — sine persoluto pretio. Ita Hebræus. Vers. 13.

IN OMNIBUS PECCATIS TUIS, — propter peccata tua. Ita Septuaginta.

ET IN OMNIBUS TERMINIS TUIS, — id est, per totam Judæam. *Secundo*, et aptius ad præced. *q. d.* Ob omnes terminos tuos, id est, ob idola quæ in omnibus terminis et vicis tuis erexisti, ut patet cap. XI, vers. 13.

14. ET ADDUCAM. — Potest verti ex Hebræo : Transire te faciam in terram, quam non nosti, scilicet in Chaldæam. Ita Vatablus et Pagninus. *Secundo*, Septuaginta et Chaldæus vertunt : *Servire te faciam in terra quam non nosti*; nam pro העברתי *heebarti*, legunt העבדתי *heebadti* : *dalet* enim et *resc* sunt simillimæ, et solo angulo differunt. Vers. 14.

QUIA IGNIS SUCCENSUS EST IN FURORE MEO. — Hoc est ignis furoris mei succensus est. Sic enim Hebræi sæpe τὸ *in* ponunt pro regimine genitivi. Aut per hypallagen, *q. d.* Furor meus succensus est in igne, id est instar ignis; « super vos ardebit, » id est in vestrum exitium inflammabitur, vos vestraque comburet. Ita Sanchez.

15. TU SCIS, DOMINE (humilitatem et afflictionem meam : verba sunt Jeremiæ ad Deum; ergo), TUERE ME. — Hebraice הנקם *kinnakem*, id est vindica me de iis, qui me persequuntur, uti subdit. Vers. 15.

NOLI IN PATIENTIA TUA (hebraice, *noli in longitudine nasi*, id est longanimitate tua qua Judæos, qui me persequuntur, toleras, et differs ultionem) SUSCIPERE ME — meamque causam et precem, *q. d.* Cito me vindica, ut sciant me Prophetam a te missum, ne et ego et tu diutius opprobrium eorum feramus. Ita Chaldæus, Hugo, Lyranus, Dionysius et alii.

Vatablus vertit : Ne in longanimitate tua, qua pateris hostes meos, tollas me de medio : id est, ne prius moriar quam sumpseris pœnas de eis : da mihi hanc consolationem, ut non moriar inultus, sed videam ante mortem eos meritas dare pœnas.

16. INVENTI SUNT SERMONES TUI, (a me), ET COMEDI EOS (id est avide hausi et excepi eos. Ita Lyranus; hinc) FACTUM EST MIHI VERBUM TUUM IN GAUDIUM, — *q. d.* Dulce mihi fuit audire tua consilia et decreta; at postquam ob ea a Judæis tam dira passus sum, facta sunt mihi amara, æque ac Ezechieli, cap. III, vers. 14, ac S. Joanni, *Apocal.* X, 9, qui huc alludit. Aliter S. Hieronymus, Rabanus, Hugo, *q. d.* Gavisus sum talia et tanta mala sustinens, ex eo quod verbo tuo parerem, illudque prædicarem. Septuaginta pro *comedi* vertunt, *comede* : pro אכלם *ochelem* enim legerunt אכלם *ochlam*, in imperativo; sic enim habent : *Comede*, vel *consume eos, et erit verbum tuum mihi in gaudium*, *q. d.* Adimple minas per me prædictas, ut sciant me verum esse Prophetam, tuncque lætabor. Ita Theodoretus. Vers. 16.

QUONIAM INVOCATUM EST NOMEN TUUM SUPER ME,— quia vocatus sum et vocor, atque revera sum propheta tuus, *q. d.* Quia certus sum me quasi prophetam audire oracula tua, qui es Deus omnipotens; hinc ea, utpote divina, fuerunt mihi dulcia.

17. NON SEDI IN CONCILIO LUDENTIUM. — Id est derisorum impiorum, qui homines et Deum ridere solent. Aut proprie, *q. d.* Cum prophetam agere cœpi, abstinui a risu, ludis et jocis sæcularibus : serius fui, spiransque compunctionem.

ET GLORIATUS SUM. — Repete per hebraismum negationem *non*, *q. d.* Non sum gloriatus a facie manus tuæ, id est ob donum prophetiæ, quod in me operatus es tactu manus tuæ, cap. I, vers. 9, sed solus sedi ab omnibus desertus, quia prophetiam minacem, et, ut hebraice est, plenam indignatione, commisisti mihi. Ita Chaldæus, Pagninus, Dionysius et Sanchez.

Secundo, sine negatione, τὸ *et* accipiendo causaliter pro *quia*, sic explices : non delectatus sum, nec gloriatus «concilio ludentium,» *et*, id est *quia*, gloriatus sum et delectatus te solo, Domine, tuo alloquio, tuis oraculis. Manus enim apud Prophetas symbolum est prophetiæ et oraculorum. Verum priorem sensum exigit id quod sequitur : « Quoniam comminatione replesti me, » *comminationem* vocat prophetiam tristem et minacem, quam alibi vocat *onus*, *q. d.* Prophetia ista dura et minax de populi mei excidio, omnem mihi lætandi et gloriandi materiam abstulit, meque mœrore et horrore replevit.

Tropologice S. Gregorius, IV *Moral.* XXXV : Manus, ait, Dei est, quæ nos peccantes paradiso expulit; comminatio vero, qua etiamnum nobis peccantibus gehennam minatur. Ergo « vir sanctus cunctas a se desideriorum temporalium turbas ejiciat, seque in magna mentis solitudine abscondat, dicens : A facie manus tuæ solus sedebam : quoniam comminatione replesti me. » Ita sederunt S. Eremitæ in deserto, uti memorant S. Hieronymus, Climachus, Palladius, Theodoretus, Cassianus et alii.

Aliter hæc distinguunt Hebræi recentiores et Vatablus, scilicet, *non sedi in concilio jocantium, ut exsultarem; sed propter manum tuam solus habito, quia indignatione replesti me.* Ita et S. Gregorius, IV *Moral.* cap. XXXV.

18. PLAGA MEA DESPERABILIS, — id est desperata, incurabilis, *q. d.* Cur me relinquis in afflictione hac velut desperatum, nec consolaris?

FACTA EST MIHI (scilicet manus tua, de qua vers. 17), QUASI MENDACIUM AQUARUM INFIDELIUM, — id est quasi fons infidelis et mendax, qui videtur perenniter fluxurus, et tamen deficit, verbi gratia in æstate, cum maxime eo indigent homines, *q. d.* Putabam, o Domine, quod semper me tua manu et ope juvares, uti promisisti : et ecce in hac plaga et persecutione, cum maxime ope indigeo, me deseris. Ita Chaldæus, Septuaginta, Pagninus et Vatablus. Hebræa ad verbum pathetica sunt, sic enim habent, *essendo eris mihi, o Deus, tanquam fons mendax?* id est, an falles spem meam, quam in tua ope defixeram, sicut fons mendax fallit eos, qui in eo spem sui potus reposuerant. Vox enim תהיה *tiie*, tam est secundæ personæ significans *eris*, vel *fuisti*, ac respicit Deum; æque ac tertiæ, significans *erit*, vel *facta est*, ac respicit manum Dei. Verum hic sensus continet murmur, et pene blasphemiam in Deum : unde videtur Propheta indignus. Adde, τὸ *facta est*, ad plagam spectare, non ad malum.

Secundo, Sanchez, *q. d.* « Facta est, » id est factum est (Hebræi enim femininum genus usurpant pro neutro, quo carent), scilicet abstinere meum a jocis et concilio ludentium, de quo vers. 17, ut tibi soli placerem (quod credebam mihi fore commodum, utile et prosperum), tanquam aquæ mendaces, quæ tunc mœstum agricolam destituunt, cum maxime sitiunt agri. Ita enim et nunc ego, cum ab iis quos deserui, vexor, a te quoque, o Domine, derelinquor.

Tertio, Lyranus, *q. d.* « Facta est mihi, » scilicet plaga mea, sicut aquæ infideles, quæ tempore æstus, cum maxime iis indigemus, deficiunt; quia plaga tunc mihi adest, cum maxime indigeo consolatione.

Quarto, S. Hieronymus, Rabanus, Hugo, *q. d.* Propheta gerens typum Christi patientis : Plaga hæc non durat, sed præterit et deficit, sicut aquæ infideles : sed, quomodo ergo luget, et vocat eam desperabilem?

Hinc *quinto*, S. Augustinus, lib. II *Contra litteras Petiliani* (qui quasi Donatista ex hoc loco probare volebat, baptismum infidelium et impiorum, esse mendacem et vanum) cap. CII, et S. Thomas sic explicant, *q. d.* Plaga, id est inimici mei, sunt quasi aquæ dolosæ et infideles, ut iis me credere non possim, sed semper ab iis timere mala debeam, quamdiu supererunt. Donatistæ hoc loco abusi.

Dico ergo hoc adagium spectare et explicare plagam desperatam (de hac enim sermo præcessit), scilicet quod sit incurabilis, instar ulceris chironii, quod cum sanatum videtur et obductum, interius putrescit, et gangrena profundiore recrudescit : sicut fallaces quidam torrentes, aut lacunæ (quas Frandri Doolaghen vocant), quæ cum putantur exaruisse, et sicco pede posse transiri, cedunt incedenti, eumque hauriunt et mergunt : hæ enim vocantur infideles, quia cum videntur siccæ et solidæ, de novo ebulliunt et scaturiunt, instar paludis. Ita Delrio, *adagio* 845.

19. SI CONVERTERIS (Maldonatus putat hæc dici populo, non Jeremiæ : quia Jeremias, inquit, non recesserat a Deo, neque indigebat ut in ejus rediret gratiam : sensum ergo esse, *q. d.* Si, o populi, a peccatis tuis convertaris, ego vicissim), CONVERTAM TE (id est in gratiam meam te reponam), ET ANTE FACIEM MEAM STABIS, — id est, prosequar te omni favore, libenter te videbo. Verum non populo, sed Jeremiæ hæc dici, patet ex eo quod

sequitur : « Convertentur ipsi ad te, et dabo te populo huic in murum æreum. »

Dico ergo, τὸ *si converteris*, est futurum, et sensus est, *q. d.* Si convertaris, o Jeremia, a tua diffidentia, pusillanimitate et impatientia, ad firmam in me spem et constantiam convertam et restituam te, ut firmus stes ante faciem meam, sisque mihi familiaris et propheta charissimus, ac mihi curæ sit salus tua. Ita Chaldæus, Vatablus, Origenes.

Aliter S. Hieronymus, Theodoretus, Rabanus, Hugo, S. Thomas et Lyranus, *q. d.* Si, o Jeremia, converteris hunc populum a peccatis, ego te a tua afflictione convertam, erisque mihi familiarissimus. Unde sequitur : « Si separaveris, » etc. Verum prior sensus verior est, et magis genuinus.

Aliter et Sanchez, *q. d.* Si, o Jeremia, converteris ad me, uti cœpisti, aut, si converteris te a nugatorum atque ludentium cœtu, ego convertam te, ab iis nempe malis et incommodis, quibus te propositum esse quereris : daboque tibi inter Prophetas aliquid eximium, nempe ut assidue stes ante faciem meam, ut scilicet sis mihi familiaris, egoque te libenter aspiciam, et quotidie donis singularibus ornem.

SI SEPARAVERIS PRETIOSUM A VILI. — Syrus, *si eduxeris grave a defectivo* (v. g. monetam gravem et ponderosam ab ea quæ levioris est ponderis, et a justo pondere deficit), vel *honestum a pravo. Primo*, sensus est, *q. d.* Si separaveris verbum meum pretiosum a verbis Judæorum minacibus, sed levibus, vilibus et infirmis, quia ipsi invalidi sunt, et minas suas explere non poterunt, *q. d.* Si fortiter et animose, o Jeremia, adhæseris verbo meo, et contempseris Judæorum minas, eris quasi os meum, id est eris propheta et præco meus mihi conjunctissimus, per quem ego mea secreta et decreta edicam et proloquar. Hic sensus aptissimus est, optimeque respondet præced. et seq. Fac ergo, o Jeremia, sicut apes, quæ flores colligunt, herbas relinquunt, et, ut ait S. Augustinus, tract. 46 *in Joan.*, « botrum carpe, spinam cave. »

Secundo, « si separaveris pretiosum, » id est patientiam, constantiam et virtutem, a tua vili timiditate; si constans fueris, non timidus : virtutes enim pretiosæ sunt, maxime fortitudo et magnanimitas; vitia vero vilia sunt, et maxime timidæ animæ et pusillanimes, viles sunt.

Huc referri potest expositio Sanchez, apta sane et congrua : « Si separaveris pretiosum a vili, » id est me meaque oracula a ludis et nugis ludentium, vers. 17, ut has averseris, sicuti facis, illa sequaris et exsequaris, « quasi os meum eris, » id est, « stabis ante faciem meam, » accipies a me oracula, verba mea loqueris, erisque « quasi os meum : » quia non aliter loqueris, quam ut ego loquerer, aut quam a me tibi præscriptum est. Est enim os quasi lyra animata, in qua dentes sunt quasi chordæ, lingua plectrum, ait S. Ambrosius, lib. VI *Hexam.* cap. IX, anima et spiritus Dei afflatus, qui os movet et regit, in eoque modulatur prout vult.

Tertio, Maldonatus hæc explicare pergit de populo, *q. d.* Si, o populo, delectum habueris inter veros Prophetas et falsos. Verum jam dixi hæc Jeremiæ dici.

Quarto, S. Hieronymus, Chaldæus, Theodoretus, Hugo, S. Thomas, Lyranus sic explicant, *q. d.* Si, o Jeremia, Judæos ductiles et flexiles ab obduratis separaveris et converteris; vel potius, si dederis operam, ut ex vilibus, impiis, incredulis et rebellibus, facias credentes, obedientes, justos, sicque eos separes, etc., ut hebraice est, educas a sua præterita et aliorum adhuc rebellium præsenti impietate; eris mihi curæ, charus et conjunctus quasi os meum (sic vulgo dicimus ei quem valde diligimus : Amo te quasi oculos meos, quasi cor meum), quod voluntatem meam annuntiat et implet. Unde Chaldæus vertit, *voluntatem verbi mei implebis;* et S. Hieronymus, *eris sicut lex mea quæ animas convertit;* et Theodoretus : *Similis,* inquit, *eris verbo meo :* quia sicut ego verbo condidi universa, ita tu verbo impios convertes ad virtutem. Arabicus, *eris ut sermo oris mei.* Aliter Vatablus et Isidorus, *quasi os meum eris*, id est, inquiunt, omne quod dixeris, ita certo præstabo, ac si ego dixissem.

Qui proximos convertunt, sunt os Dei.

Addit Chrysostomus, orat. 5 *Contra Judæos* : Os, inquit, eorum, qui proximos convertunt, est quasi os Dei, id est tales, Deo sunt simillimi et conjunctissimi, sicut os homini simillimum et conjunctissimum est. *Secundo*, tales sunt quasi Christus, et simillimi Christo, qui est os et verbum Patris : Christus enim factus est homo, et crucifixus ad hoc ut animas converteret.

Denique audi S. Gregorium, XVIII *Moral.* XXIII : « Si separaveris, inquit, pretiosum a vili, quasi os meum eris : vilis quippe Deo est mundus præsens, pretiosa vero est anima humana : qui ergo pretiosum a vili separat, quasi os Domini vocatur; quia per eum Deus verba sua exerit, qui ab amore præsentis sæculi, loquendo quæ potest, humanam animam evellit. »

Justificatio impii majus est opus quam creare mundum.

Anima enim rationalis est gemma pretiosissima, quæ pluris valet quam cœlum et terra totusque mundus : est enim ad imaginem Dei facta, Deique summa participatio, et, ut ille ait, divinæ particula auræ, ideoque S. Augustinus et ex eo S. Thomas docent, quod conversio et justificatio impii, majus, difficilius et potentius sit opus, quam creatio cœli et terræ. Quis ergo hanc gemmam purgare et salvare, etiam vitæ suæ impensa, non ambiat? Docet hoc D. Thomas, I II, *Quæst.* CXIII, art. 9, Virgilius, Ennium manu tenens et legens, rogatus quid faceret, respondit : « De stercore aurum colligo. » Dicat hoc, qui animam convertere satagit : De stercore mundi aurum hoc, animam hanc, colligo et separo, quasi pretiosum a vili.

Hinc S. Joannes Chrysostomus, orat. 3 *Contra Judæos*, tom. V, docet eum qui animam convertit,

majus gratiusque donum Deo offerre, quam si templum ei construeret : « Unicum, inquit, templum diruit Deus Hierosolymis, et innumerabilia erexit illo longe venerabiliora. Vos, inquit, templum estis Dei viventis; » et inferius : « Nam etiamsi pecuniæ vim immensam dinumeraverit aliquis, nihil simile præstiterit ei, quod præstat is qui servat animam. Hæc est major eleemosyna, quam decem millia talentorum, quam hic mundus universus, quantus quantus undique patet oculis : siquidem homo est toto mundo pretiosior; hujus enim causa et cœlum, et terra, et mare, et sol, et stellæ condita sunt. »

CONVERTENTUR IPSI AD TE. — Id est ipsi Judæi tibi infensi, fient tibi supplices, et subjicientur tibi, non tu illis; imo ipsi requirent te tuamque amicitiam, ut eis consulas, et pro eis ores. Patet cap. XXI; tu vero mea virtute roboratus quasi murus æreus, non curabis nec requires eos. *Secundo*, Chaldæus explicat, *q. d.* Ipsi obedient verbis tuis, et te imitabuntur, tu non imitaberis mores et errores eorum.

Pastores debent ad se peccatores convertere, non vero converti ad illos,

Tropologice, tales debent esse Prælati, pastores et concionatores, ut scilicet cum Jeremia, cap. V, vers. 14, sint instar ignis, qui omnia in se convertit, et ipse in nihil convertitur : ut nimirum perstent in suo virtutis statu, populumque in suam charitatem et virtutem convertant; ipsi vero non convertantur ad eum, id est populi vitia et mores non induant, iisque se non conforment.

Visio S. Monicæ de S. Augustino.

Ita S. Monica, orans pro filio suo Augustino manichæo, vidit Angelum sibi dicentem : « Ubi tu es, ibi est et ille, » significans eum fore catholicum; cumque Augustinus hoc audiens eluderet, diceretque hoc viso portendi, illam fore quandoque talem, qualis ipse erat, scilicet manichæam, subjunxit illa : « Non, inquit, non enim mihi dictum est : Ubi ille, ibi et tu; sed : Ubi tu, ibi et ille, » ut refert S. Augustinus, lib. III *Confess.* cap. XI.

Ita S. P. N. Ignatius dicebat suos aliosque Religiosos sic agere debere cum sæcularibus, ut eos a sæcularibus colloquiis et desideriis ad sua, id est religiosa et divina, traducerent; non vero ipsi ad eorum sæculares mores et sermones descenderent, cum iisque quasi sæcularescerent. Quocirca hoc erat ejus præceptum : « Ingredimini ad sæculares, cum eo quod ipsorum est, sed egredimini cum vestro, » *q. d.* Initio sæcularibus vos accommodate, et ad eorum colloquia descendite, sed sensim et suaviter altiora et divina inducite, eaque figite in eorum cordibus. Sic enim Apostolus ait : « Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos. »

Sancti gloriantur in virtute triplici.

Hinc rursum infert D. Thomas, quod « Sancti non gaudent nec gloriantur, nisi in bono virtutis, maxime triplici, scilicet *primo*, in tribulationum passione. *Roman.* V : Non solum autem, sed et gloriamur in tribulationibus. *Secundo*, in proximorum conversione. II *Cor.* VII : Multa mihi fiducia est apud vos, multa mihi gloriatio pro vobis. *Tertio*, in conscientiæ puritate. II *Corinth.* cap. I : Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.

« *Secundo*, gloriantur Sancti in Deo, scilicet *primo*, in divina dilectione, ostensa per passionem Christi. *Gal.* cap. ult. Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi. *Secundo*, in divina cognitione. *Jerem.* IX : In hoc glorietur, qui gloriatur, scire et nosse me. *Tertio*, in divina imitatione. *Eccli.* XXXII : Gloria magna est sequi Dominum; longitudo enim dierum assumetur ab eo. » Hucusque D. Thomas.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Minatur Deus stragem extremam per Chaldæos, illamque miris modis exaggerat; ideoque monet Jeremiam, ne in Judæa uxorem ducat, neque liberos procreet : fore enim ut omnes patres, matres, filii moriantur, in tanta copia, ut nemini futurum sit sepulcrum, aut justa funebria. Tanti vero mali causam esse peccatum asseverat. Deinde, vers. 16, Judæos consolatur, prædicens liberationem e captivitate per Esdram, et maxime per Christum et Apostolos, qui non solum Judæos, sed et gentes plurimas ab ultimis terræ finibus Dei cognitione et cultu imbuent (1).

1. Et factum est verbum Domini ad me, dicens : 2. Non accipies uxorem, et non erunt tibi filii et filiæ in loco isto. 3. Quia hæc dicit Dominus super filios et filias, qui generantur in loco isto, et super matres eorum, quæ genuerunt eos : et super patres eorum, de quo-

(1) Quinta est hæc concio ad sectionem secundam partis primæ pertinens, quæ incipit a cap. XVI et cum cap. XVII absolvitur. Ad ultima Judæorum tempora, paulo ante captivitatem, referenda est hæc prophetia; et cum vates in cap. XVII, 5, invehitur in eum qui in humano auxilio spem habeat repositam, nulla Dei ratione habita, vix dubium esse potest quin pertineat ad Joakimum regem, Ægyptiorum maxime præ-

rum stirpe sunt nati in terra hac : 4. mortibus ægrotationum morientur : non plangentur, et non sepelientur, in sterquilinium super faciem terræ erunt : et gladio et fame consumentur, et erit cadaver eorum in escam volatilibus cœli, et bestiis terræ. 5. Hæc enim dicit Dominus : Ne ingrediaris domum convivii, neque vadas ad plangendum, neque consoleris eos : quia abstuli pacem meam a populo isto, dicit Dominus, misericordiam et miserationes. 6. Et morientur grandes et parvi in terra ista : non sepelientur neque plangentur, et non se incident, neque calvitium fiet pro eis. 7. Et non frangent inter eos lugenti panem ad consolandum super mortuo : et non dabunt eis potum calicis ad consolandum super patre suo et matre. 8. Et domum convivii non ingrediaris, ut sedeas cum eis, et comedas et bibas : 9. quia hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel : Ecce ego auferam de loco isto in oculis vestris, et in diebus vestris, vocem gaudii, et vocem lætitiæ, vocem sponsi, et vocem sponsæ. 10. Et cum annuntiaveris populo huic omnia verba hæc, et dixerint tibi : Quare locutus est Dominus super nos omne malum grande istud? quæ iniquitas nostra? et quod peccatum nostrum, quod peccavimus Domino Deo nostro? 11. Dices ad eos : Quia dereliquerunt me patres vestri, ait Dominus : et abierunt post deos alienos, et servierunt eis, et adoraverunt eos : et me dereliquerunt, et legem meam non custodierunt. 12. Sed et vos pejus operati estis, quam patres vestri : ecce enim ambulat unusquisque post pravitatem cordis sui mali, ut me non audiat. 13. Et ejiciam vos de terra hac, in terram quam ignoratis vos, et patres vestri : et servietis ibi diis alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem. 14. Propterea ecce dies veniunt, dicit Dominus, et non dicetur ultra : Vivit Dominus, qui eduxit filios Israel de terra Ægypti, 15. sed, Vivit Dominus, qui eduxit filios Israel de terra Aquilonis, et de universis terris, ad quas ejeci eos : et reducam eos in terram suam, quam dedi patribus eorum. 16. Ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, et piscabuntur eos : et post hæc mittam eis multos venatores, et venabuntur eos de omni monte, et de omni colle, et de cavernis petrarum. 17. Quia oculi mei super omnes vias eorum : non sunt absconditæ a facie mea, et non fuit occultata iniquitas eorum ab oculis meis. 18. Et reddam primum duplices iniquitates, et peccata eorum : quia contaminaverunt terram meam in morticinis idolorum suorum, et abominationibus suis impleverunt hæreditatem meam. 19. Domine fortitudo mea, et robur meum, et refugium meum in die tribulationis : ad te gentes venient ab extremis terræ, et dicent : Vere mendacium possederunt patres nostri, vanitatem, quæ eis non profuit. 20. Numquid faciet sibi homo deos, et ipsi non sunt dii? 21. Idcirco ecce ego ostendam eis per vicem hanc, ostendam eis manum meam, et virtutem meam : et scient quia nomen mihi Dominus.

2. NON ACCIPIES UXOREM, etc., IN LOCO ISTO, — in Anathoth, inquit Vatablus. Melius Lyranus, in Judæa, quia illa jamjam vastabitur : ne super dolorem proprium, uxoris et liberorum miseriis torqueare, ait S. Hieronymus. Hinc patet Jeremiam

sidio fretum, postquam a Nabuchodonosore defecisset (IV *Reg.* XXIV, 2), quem ipsum Judææ regem etiam XVII, 11, perstringi credibile est ex orationis cap. XXII, in illum dictæ tum ipso exordio, tum aliis gravibus locis, velut vers. 13 seq. et vers. 17. Illam Joakimi a Chaldæis defectionem et ipsi regi et universo populo Judaico male cessuram esse, et causam futuram interitus reipublicæ, cum vatis animus ex divina inspiratione præsagiret, multus est cap. XVI in describendis calamitatibus gravissimis, quas homines ea ætate viventes brevi interjecto tempore essent subituri. Denique Joakimi temporibus congruit et illud, quod XVI, 11, 12, Judæi malitia superari dicuntur patres, tum enim ad vanorum deorum cultum et alia scelera relapsi revera pejores erant iis, qui Josiæ, pii regis, tempore vixerunt.

(Ex Rosenmuller partim.)

Deus igitur populo Judaico rerum suarum interitum denuntiaturus, PRIMO, prohibet Prophetam, *primo*, ne jungatur matrimonio ob imminentia matribus et pro-libus mala gravissima, 2-4; *secundo*, ne lugeat mortuos ob impedienda mortuorum funeralia, 5-7; *tertio*, ne intersit conviviis, ob auferendam omnem lætitiæ materiam, 8, 9.

SECUNDO, respondens ad querulas populi expostulationes, 10; *primo*, designat tanquam causas facta parentum mala et filiorum pejora, 11, 12; *secundo*, intentat exilium depravatis, 13; *tertio*, promittit reductionem emendatis, 14, 15; *quarto*, aggravat comminationem contra priores, 16-18; *quinto*, amplificat promissionem factam posterioribus, communicatam cum gentibus, 19-21.

Jeremias mansit virgo.

mansisse cælibem et virginem: nec enim dubium est quin ipse Deo, id hic præcipienti, paruerit.

ET NON ERUNT, — ne sint, id est ne procrees proles. Futurum ponitur pro imperativo.

4. MORTIBUS ÆGROTATIONUM MORIENTUR. — Id est variis ægrotationibus et morbis, ex fame, bello, ejusque ærumnis profectis morientur. Ita Chaldæus et Vatablus. Unde Septuaginta vertunt, θανάτῳ νοσερῷ; id est morte morbida, sive a morbo profecta, morientur.

NON PLANGENTUR, — quia non erit qui plangat, et ex continuis funeribus superstites discent defunctos non curare, nec plangere, uti fieri solet in magna pestilentia : tunc enim homines dedolere, omnemque pestis, mortis, funeris et sepulcri sensum perdere solent. Hinc mortui ob copiam manebunt insepulti, et in viis vicisque quasi in sterquilinio jacebunt et computrescent.

vers. 5. Parentalia tempore Jeremiæ celebrantur.

5. NE INGREDIARIS DOMUM CONVIVII, — scilicet luctus in funere : hebraice enim est מרזח *marseach*, quæ vox significat convivium funebre, in exsequiis mortuorum ad consolandum propinquos mortui parari solitum, quod Græci περίδειπνα, Latini parentalia, quasi per ea parentibus justa celebrentur, vocant, ait S. Hieronymus. Id imitantur Christiani, qui non solum propinquis, sed et pauperibus dant epulum, quod Hispani charitatem vocant, sicut olim veteres ἀγάπην vocabant. Idem fecerunt gentiles Romani et Græci, uti docet Alexander ab Alexandro, lib. III *Genial.* cap. VII.

Præcipitur ergo Jeremiæ, aiunt S. Hieronymus et Lyranus, ne ullum de populo consoletur, ne se misceat inimicorum Dei conviviis, ne justa celebret super funeribus defunctorum, qui juste ob scelera a Deo sunt cæsi. Non enim decet ut viri pii, præsertim Prophetæ, illorum honestent exequias, itaque eorumdem vitam laudent et probent, quorum actus et mores Deus exsecratur et damnat.

Alii censent hic præcipi Jeremiæ, ut prædicat talem fore stragem, et communem perturbationem, ut in funere suorum, cognati negligant ea quæ passim adhiberi solent, qualis est publicus et legitimus planctus, attonsi crines, laceratæ genæ, ferales epulæ, omnisque funeris pompa. Ita Sanchez. Imperativi ergo hic, uti et alibi in Psalmis et Prophetis exponendi sunt per futurum : « Ne ingrediaris, » id est non ingredieris, « domum convivii » funeralis, utpote quod non erit; nec enim illud dabunt, aut curabunt cognati : « neque vadas, » id est non vades tu, aut alius quispiam « ad plangendum; » non enim erit solitus funerum planctus : « neque consoleris, » id est non consolaberis, « eos, » uti fieri solet in amicorum morte. Hæc enim omnia cessabunt, ut dixi. Verum prior sensus planior et verior est : plane enim hæc verba sonant præceptum Jeremiæ a Deo datum, illudque iteratur, vers. 8; finis tamen præcepti est ille quem secunda expositio assignavit; sed aliud est præceptum, aliud finis præcepti : præceptum enim hic dat Deus, finem vero præcepti explicat vers. 6 et 9.

6. NON SE INCIDENT, — nullo honore funebri, sive Judæis sive Gentilibus usitato, prosequentur mortuos, *q. d.* Tam ingentibus et subitis miseriis et cladibus opprimentur Judæi, ut illæ paucis qui reliqui erunt, mortuorum sensum adimant, et feliciores censeant mortuos, quam viventes. Ita Lyranus.

Notat S. Hieronymus moris fuisse apud veteres, et usque hodie, ait, moris est apud quosdam Judæorum, ut in luctu scalpellis incidant lacertos, et calvitium faciant, uti fecit *Job*, cap. I, 20; quod licet Judæis quasi gentilismum sapiens, et nimio mœrore spem resurrectionis imminuens, esset inhibitum, *Deuter.* XIV, 1; multi tamen Judæi, gentes imitantes, id faciebant. Dicit ergo Propheta nunc fore, ut quod sponte juxta legem Dei facere noluerant, necessitate faciant : tanta enim erit morientium multitudo, ut nemo sit qui se pro mortuo incidat aut calvitium faciat.

7. ET NON FRANGENT INTER EOS LUGENTI PANEM, — *q. d.* Tanta erit strages Judæorum, ut ipsi invicem in morte charissimorum consolari non curent; imo vix supersint, qui filiis in morte parentum lugentibus, de more cibum et vinum propinent ad dolorem mitigandum. Hoc enim factitasse non tantum Judæos, sed et Christianos ab olim, docent S. Clemens, lib. VIII *Constit.* cap. XXIV, et S. Chrysostomus, homil. 37 *in Matth.*

8. ET DOMUM CONVIVII NON INGREDIARIS. — Convivium hic non funerale, ut ante, sed festum et geniale, quale dari solet in nuptiis, festis, victoriis, etc., intellige. Patet ex sequentibus : vult enim Deus Jeremiam abstinere suorum civium conviviis, ut hoc ipso significet tempus esse luctus, non gaudii, utque reipsa portendat omnes epulas et gaudia mox adventante hoste Chaldæo cessatura.

9. VOCEM SPONSI, ET VOCEM SPONSÆ, — cantiones nuptiales et lætas, quales erant apud gentiles hymenæi.

13. ET (id est idcirco) EJICIAM VOS DE TERRA HAC, IN TERRAM QUAM IGNORATIS, — in Chaldæam. Hanc enim plebeii Judæorum non viderant, ejusque situm, conditiones et mores ignorabant.

ET SERVIETIS IBI DIIS ALIENIS. — Est concessio, *q. d.* Poteritis ibi usque ad satietatem servire idolis, ad quæ ita anhelatis, imo insanitis; aut, cogent vos Chaldæi servire diis ipsorum, sed illi.

NON DABUNT VOBIS REQUIEM, — *q. d.* Non liberabunt vos a captivitate aliisque malis dii Chaldæorum, nec cultores eorum; sed serviliter et crudeliter vos tractabunt, et ab uno labore et ergastulo æque ac peccato et idolo in aliud impellent. Sic facit dæmon peccatori, sicut Pharao fecit Hebræis. Unde hebraice est : *Non dabo vobis clementiam* vel *misericordiam*, scilicet invenire apud deos alienos et Chaldæos hostes vestros. « Quidquid peccamus, inquit S. Hieronymus, quidquid malorum operum die ac nocte facimus, imperium

est dæmonum, qui nunquam nobis dant requiem, sed semper impellunt delictis augere delicta, et cumulum facere peccatorum. »

14. NON DICETUR ULTRA. — Judæi cum jurabant, honoris et gratitudinis causa, solebant addere Dei nomini epitheton Liberatoris ex Ægypto : hic autem Jeremias prædicit, post Babylonicam captivitatem, fore ut jurent per deum liberatorem non ex Ægypto, sed ex Babylone; ut significet graviorem fore captivitatem Babylonicam quam fuerit Ægyptiaca; ita ut Judæi acerbitate præsentis, veteris obliviscantur, ac consequenter quod Deus eis majus beneficium præstabit liberando eos ex Babylone, quam olim præstiterit liberando eos ex Ægypto (1).

15. REDUCAM EOS IN TERRAM SUAM, — scilicet ex Babylone in Judæam. Ita Theodoretus et S. Thomas. *Secundo* et potius, ex Babylone, id est ex confusione peccati, in terram spiritualem gratiæ et Ecclesiæ, quæ Abrahamo et patribus est promissa et data inchoative ac typice; sed vere et plane tradita est per Christum. Ita S. Hieronymus, Rabanus, Hugo, Sanchez et alii.

16. ECCE EGO MITTAM PISCATORES, etc., ET VENATORES. — Theodoretus, Hugo, Lyranus, Vatablus, Capella et a Castro, per *piscatores et venatores*, accipiunt Chaldæos, qui Judæos quasi pisces reti (ut ait *Habacuc* cap. I, 14) obsidionis cinxerunt et ceperunt : deinde Sedeciam cum suis fugientem ad montes, quasi feras venati et insectati, e latibulis extraxerunt et captivarunt. Vel, ut S. Thomas et Hebræi, « piscatores » sunt Chaldæi, « venatores » sunt Titus et Romani. Sic tropologice, « piscatores et venatores » animarum sunt dæmones. Alii per utrosque accipiunt Cyrum et Darium, qui Judæos Babylone dimiserunt in patriam.

Verum nostri orthodoxi, ait S. Hieronymus, rectius de futuro, scilicet de Ecclesia Christi, hæc accipiunt : avolat enim Propheta ad Christum, juxta *Canon.* IV; ita tamen ut, testibus S. Hieronymo, Rabano, Hugone, perstringat rem præsentem, scilicet liberationem e Babylone per Zorobabel, Jesum et Esdram, qui Judæos profugos et dispersos, quasi piscatores et venatores, collegerunt et reduxerunt. « Piscatores » ergo, ait S. Hieronymus, proprie sunt Apostoli, *Matth.* IV, 19, qui tam gentes quam Judæos Christo piscati sunt. Unde vers. 19, ait : « Ad te gentes venient ab extremis terræ. » Post hos sequuntur « venatores, » id est Ecclesiastici et Religiosi viri, qui venantur homines, ut faciant sanctos, de montibus excelsorum dogmatum, et de collibus bonorum operum, et de cavernis petrarum, id est de institutione Apostolorum et Apostolicorum virorum, ut eos imitentur. Vel potius magisque ad litteram, qui omnes homines etiam feros, uti Indos, Uros, Brasilios, etc., in montibus et cavernis quasi feras habitantes venantur, ut Christo mansuefaciant, uti fecit S. Xaverius ejusque asseclæ. Ita Origenes, S. Hieronymus, Rabanus, Tertullianus, lib. IV *Contra Marcion.* IX, Ambrosius, serm. 6 in *Psalm.* CXVIII, Augustinus, tract. 10 *De Utilitate jejunii*, cap. IX.

Tales venatores cœlestes vidi in collegiis variis, nominatim in Leodiensi, qui carbonarios et Ardennates in fodinis et fornacibus æris et ferri quasi Cyclopes et Brontes; ac Œnipontano, qui montanos in Alpibus quasi eremitas, imo quasi feras in lustris sparsim habitantes, per gelu et æstus, per famem et sitim, ingenti labore et sudore, æque ac zelo vestigant, capiunt, erudiunt, viamque in cœlum edocent, atque Alpicolas faciunt Cœlicolas, imo Deicolas.

Anagogice, « piscatores et venatores » sunt angeli, qui in fine mundi, undequaque ex sepulcris et speluncis cineres et ossa Sanctorum colligent, ut a Deo animentur et resurgant.

Tropologice, « montes et colles » sunt superbia et pusillanimitas, aliaque vitia; « cavernæ » sunt malæ consuetudines, etc., inde has feras, id est homines impios et impuros, educere debent pastores, aliique qui animarum lucris incumbunt. Audiant ipsi exhortationem acrem S. Basilii in illud *Deuter.* XV : *Attende tibi*, juxta Septuaginta : « Habet, inquit, domus Dei, quæ Ecclesia viventis est, viatores, architectos, ædificatores, agricolas, pastores, athletas, milites, venatores missos a Deo ita monente : Ecce ego mittam multos venatores, et venabuntur multos. Attende igitur multa cum diligentia, ne forte fugiat te præda, ut efferatos per improbitatem, verbo veritatis convictos, Salvatori offeras. Viator es, ei similis qui orabat : Gressus meos dirige. Attende tibi ipsi ne qua exorbites, neu ad dexteram deflexeris aut sinistram; progreditor via regia. Architectus, solido tutoque loco jaciat et collocet fidei fundamentum, quod est Jesus Christus. Ædificator, quo pacto ædificet videat, ut ne ligna, non fœnum, neque calamum; sed aurum, argentum, lapides pretiosos. Pastor es? palabundum pecus et erraticum convertito; quod conquassatum est et contritum, colligato; quod ægrotum, sanato. Agricola es? ficum, si infructuosa est, circumfodito; illique ingerito quæ conductura noveris ad edendos fructus. Miles es? collabora Evangelio, milita bonam militiam contra spiritus nequitiæ, adversum vitiosas carnis affectiones induitor om-

Insignis exhortatio S. Basilii ad pastores, etc.

(1) Plerique interpretum duobus hisce versibus interpositam volunt consolationem piorum, ostensa eis eminus spe futuræ liberationis ex hostium potestate, in quorum terras Judæos abductum iri versu superiore minatus erat. Verum etsi Jova haud obscure significet, Judæos non perpetuo in peregrinis terris detinendos esse, hic tamen proprie non id spectat, ut futura bona promittat, sed eo tendit, ut denuntiet, instare illis atrocius malum, quam illud Ægyptiacum, eamque quam mox sint subituri servitutem multo fore duriorem, quam olim Ægyptiaca fuerat, adeo ut liberatio ex ea, quæ tunc instabat, servitute, majus futurum sit beneficium, quam illa ex Ægypto olim fuerat.

(Rosenmuller.)

nem armaturam Dei. Athleta es? imitare Paulum et cursu contendentem, et in palæstra colluctantem, et in agone pugillari decertantem : in adversarium, immotum oculum intendito fixius; animo sis non supino, sed arrecto et pervigili. »

17. QUIA OCULI MEI SUPER OMNES VIAS EORUM, — *q. d.* Non latent me eorum viæ, quibus Chaldæos hostes suos fugient, sicut eorum iniquitates me non latuerunt; itaque potero eos per venatores meos ex omnibus latebris æque ac iniquitatibus extrahere.

Nota : Prophetæ loqui solent de Gentium et impiorum conversione, quasi de ultione, captivitate, piscatione et venatione; quia Deus in iis ulciscitur, piscatur, venatur et capit scelera moresque impios, ut eos cicuret, et in alios mores hominesque transformet. Vide *Canon.* XLVI.

18. ET REDDAM, — *q. d. Primo,* tamen antequam mittam piscatores, pro meritis puniam duplices, id est multiplices, eorum iniquitates, ut sic afflicti ad me recurrant et opem implorent. Ita Deus punivit Judæos per Antiochum Epiphanem ejusque posteros, atque per Pompeium, Cæsarem aliosque Romanos. Ita pariter punivit gentiles, dum singula eorum regna et monarchias ante Christum bellis exhausit et destruxit : sic enim Persas per Græcos, Græcos per Romanos, Romanos per sese invicem, perque bella civilia punivit et vastavit.

Nota τὸ *duplices,* id est patrum et filiorum, inquit Isidorus. *Secundo,* S. Hieronymus : « Duplices, » inquit, quia duplo graviores fuerunt iniquitates Judæorum Dei legem cognoscentium, quam gentium ignorantium. *Tertio* et optime, « duplices, » id est multiplices. Vide dicta I *Timoth.* v, 17.

IN MORTICINIS. — *Morticina* vocat cadavera filiorum et animalium, quæ idolis immolabant. Ita Theodoretus.

19. AD TE GENTES VENIENT. — Per *gentes* Chaldæus et Vatablus accipiunt Judæos e Chaldæa redeuntes in Jerusalem. *Secundo,* S. Thomas et Lyranus accipiunt gentes ad judaismum conversas, et cum Judæis e Babylone redeuntes in Judæam. Tales enim plures exstitisse patet I *Esdræ* VI, 21, et *Esther* VIII, 17. *Tertio* et optime, S. Hieronymus, Rabanus, Theodoretus, a Castro, Eusebius, V *Demonstr.* XXX, S. Thomas, Lyranus et S. Augustinus, lib. I *De Consens. Evang.* XXVI, accipiunt gentes ad Christum et Ecclesiam conversas, quibus Deus ostendet suam « manum et virtutem, » id est Christum qui Dei virtus est et potentia, ejusque signa et miracula potentissima, maxime quod per paupères et viles piscatores, totum mundum converteret; hi dicent : « Vere mendacium, » id est mendaces deos et idola, « possederunt, » vel, ut hebraice est, hæreditarunt « patres nostri, » quia eos, jure quasi hæreditario, a patribus suis acceperunt et coluerunt. Vers. 19.

20. NUMQUID FACIET? — Numquid convenit aut decet facere? minime, *q. d.* Quæ insania est facere hominem sibi ipsi deos, quos videt veros non esse; sed falsos, mutos et saxa? Hæc dicunt gentes cum ad Deum convertuntur. Vers. 20.

21. OSTENDAM EIS MANUM MEAM, — potentiam meam, in tam mira et efficaci eorum conversione, in tot miraculis, gratiis, virtutibus et donis Spiritus Sancti. Ita S. Hieronymus. Vers. 21.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet Judæorum peccatum scriptum in aris idolorum, et in cordibus Judæorum esse indelebile, nec nisi excidio delendum : hinc, vers. 5, *ait, maledictum esse qui confidit in homine, et benedictum qui confidit in Domino; idque eleganti similitudine myricæ aridæ et arboris irriguæ; atque perdicis ovis alienis incubantis illustrat. Unde, vers.* 13, *asserit, quod recedentes a Domino, in terra scribentur. Tertio, vers.* 14, *orat ut Deus eum contra Judæos tueatur :* Quia, *inquit,* non sum turbatus, te pastorem sequens : et diem hominis non desideravi, tu scis. Non sis tu mihi formidini, spes mea tu in die afflictionis. *Quarto, vers.* 19, *hortatur ad observationem sabbati, et consequenter ad omnem Dei cultum* (1).

1. Peccatum Juda scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino, exaratum super latitudinem cordis eorum, et in cornibus ararum eorum. 2. Cum recordati fuerint filii eorum ara-

(1) Pergit Deus in hoc capite quod cœpit in præcedenti, scilicet respondere ad querulas populi expostulationes,

PRIMO igitur, Judæis exprobrat quod vanæ religionis studium, apud eos patrum imitatores tantas radices egerit, ut videantur nullo modo posse extirpari, 1, 2.

SECUNDO, cum itaque tam corrupti populi unquam corrigendi spes nulla supersit, decernit, *primo,* nihil reliquum esse, nisi ut ex ea terra, quam suis flagitiis contaminare non desineret, expellatur, 3, 4; *secundo,* neque hoc supplicium ulla humana potentia averti posse, quod quidem Judæorum plures, Ægyptiorum auxilio freti, sibi persuasum habebant, 5, 6; dum auxilium et salus recte exspectanda essent a solo Deo, 7, 8; corda hominum inspiciente, et cuique secundum merita tribuente, 9-12.

TERTIO, Propheta postquam, *primo,* veritatem dicto-

rum suarum, et lucorum suorum, lignorumque frondentium, in montibus excelsis, 3. sacrificantes in agro : fortitudinem tuam, et omnes thesauros tuos in direptionem dabo, excelsa tua propter peccata in universis finibus tuis. 4. Et relinqueris sola ab hæreditate tua, quam dedi tibi : et servire te faciam inimicis tuis in terra, quam ignoras : quoniam ignem succendisti in furore meo, usque in æternum ardebit. 5. Hæc dicit Dominus : Maledictus homo, qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum, et a Domino recedit cor ejus. 6. Erit enim quasi myricæ in deserto, et non videbit cum venerit bonum : sed habitabit in siccitate in deserto, in terra salsuginis, et inhabitabili. 7. Benedictus vir, qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus. 8. Et erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas : et non timebit cum venerit æstus. Et erit folium ejus viride, et in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum. 9. Pravum est cor omnium et inscrutabile : quis cognoscet illud? 10. Ego Dominus scrutans cor, et probans renes : qui do unicuique juxta viam suam, et juxta fructum adinventionum suarum. 11. Perdix fovit quæ non peperit : fecit divitias, et non in judicio : in dimidio dierum suorum derelinquet eas, et in novissimo suo erit insipiens. 12. Solium gloriæ altitudinis a principio, locus sanctificationis nostræ. 13. Exspectatio Israel, Domine : omnes, qui te derelinquunt, confundentur : recedentes a te, in terra scribentur : quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum. 14. Sana me, Domine, et sanabor : salvum me fac, et salvus ero : quoniam laus mea tu es. 15. Ecce ipsi dicunt ad me : Ubi est verbum Domini? veniat. 16. Et ego non sum turbatus, te pastorem sequens : et diem hominis non desideravi, tu scis : Quod egressum est de labiis meis, rectum in conspectu tuo fuit. 17. Non sis tu mihi formidini, spes mea tu in die afflictionis. 18. Confundantur qui me persequuntur, et non confundar ego : paveant illi, et non paveam ego : induc super eos diem afflictionis, et duplici contritione contere eos. 19. Hæc dicit Dominus ad me : Vade, et sta in porta filiorum populi, per quam ingrediuntur reges Juda, et egrediuntur, et in cunctis portis Jerusalem : 20. et dices ad eos : Audite verbum Domini, reges Juda, et omnis Juda, cunctique habitatores Jerusalem, qui ingredimini per portas istas. 21. Hæc dicit Dominus : Custodite animas vestras, et nolite portare pondera in die sabbati, nec inferatis per portas Jerusalem. 22. Et nolite ejicere onera de domibus vestris in die sabbati, et omne opus non facietis : sanctificate diem sabbati sicut præcepi patribus vestris. 23. Et non audierunt, nec inclinaverunt aurem suam : sed induraverunt cervicem suam, ne audirent me, et ne acciperent disciplinam. 24. Et erit : Si audieritis me, dicit Dominus, ut non inferatis onera per portas civitatis hujus in die sabbati : et si sanctificaveritis diem sabbati, nec faciatis in eo omne opus : 25, ingredientur per portas civitatis hujus reges et principes, sedentes super solium David, et ascendentes in curribus et equis, ipsi et principes eorum, viri Juda, et habitatores Jerusalem : et habitabitur civitas hæc in sempiternum. 26. Et venient de civitatibus Juda, et de circuitu Jerusalem, et de terra Benjamin, et de campestribus, et de montuosis, et ab Austro, portantes holocaustum, et victimam, et sacrificium, et thus, et inferent oblationem in domum Domini. 27. Si autem non audieritis me ut sanctificetis diem sabbati, et ne portetis onus, et ne inferatis per portas Jerusalem in die sabbati : succendam ignem in portis ejus, et devorabit domos Jerusalem, et non exstinguetur.

1. PECCATUM JUDA SCRIPTUM EST (hebraice כתבה *ketuba*, id est inscriptum, insculptum et quasi stigmate notatum est) STYLO FERREO. — Veteres olim scribebant stylo ferreo; sed in tabulis ceratis, unde Ovidius :

Dextra tenet ferrum; vacuam tenet altera ceram.

scribebant stylo ferreo Romani usque.

rum agnovit, 13; *secundo*, spem suam contra irrisores in Deo positam contestatur, 14, 16; *tertio*, auxilium contra persecutores postulat, 17, 18.

Juxta plures interpretes, novum vers. 19 incipere vaticinium, arguit ipsum exordium, quo locus in quo hanc concionem habere oportuerit, memoratur a priore,

Romani vero scribebant stylo osseo, teste Isidoro, lib. VI, cap. IX. Objicit Capella : Adamas est indomabilis, nec cedit ferro : ergo in eo stylo ferreo scribi nequit. Respondet Delrio, *adagio* 846, olim viguisse artem scribendi ferro probe præparato in adamante, additis quibusdam pulveribus, quam nostra ætate Jacobus Tressius, Philippi V regis Hispaniæ gemmarius, in lucem revocavit.

IN UNGUE ADAMANTINO. — In tabula vel lapide adamantino, qui *unguis* dicitur ob nitorem et lævitatem. Ita S. Hieronymus, Rabanus, Hugo, S. Thomas, *q. d.* Peccatum Juda scriptum est in corde Judæ adamantino, id est obstinatissimo, ubi in perpetuum maneat et legatur : adamas enim durissimus est, imo ferro durior. Sic ait Job, cap. XIX, 23 : « Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei? Quis mihi det, ut exarentur in libro stylo ferreo, et plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice? » ut scilicet sint indelebiles et perpetui. Sic ait Claudianus, lib. II *Contra Ruffinum* :

Voces adamante notabat Atropos.

Huic expositioni favet versio Arabica : *Peccatum Juda scriptum est calamo ex ferro super ungues unguis*, id est super adamantem, uti jam dixi, *obsignatum in januis* (aditibus) *cordium eorum, et tabulis ararum illorum.*

Minus recte aliqui per *ungues unguis* accipiunt onycham, quod est genus aromatis simile ungui (qui græce ὄνυξ dicitur) quasi peccatum Juda scriptum sit in onycha, eo quod illam non Deo, sed idolis adoleverint, contra legem *Exodi* III, 34. In onycha ergo exstare peccati memoriam.

Secundo et melius, Syrus vertit : *Peccatum Juda est scriptum calamo ferri, et ungue adamantis, obsignatum super tabulas* (pugillares) *cordis eorum.* Quod ergo Noster vertit, « in ungue, » id est *et ungue* : Hebraice enim *beth*, id est *in*, sæpe significat instrumentum, jam *ungue*, id est cuspide, calamo, stylo, graphio adamantino : unguibus enim avium duris et acutis, quasi calamis vel stylis, ad sculpendum olim uti, iisque laminis litteras incidere et inscribere solebant. Ita Septuaginta, Chaldæus, Origenes, Vatablus et Pagninus. Tabula enim in qua hoc peccatum scriptum est, est latitudo cordis, quam Septuaginta et alii vocant tabulam cordis, id est conscientiæ eorum, qua nihil est potentius, ait Theodoretus, *q. d.* Peccatum Judæ (puta idololatria) est indelebile et irremissibile, estque indelebiliter exaratum in conscientia eorum, et in cornibus altarium sanguine victimarum cruentatis. Hæc enim sunt perpetua monumenta et testes, imo litteræ et liturræ idololatriæ eorum, perinde ac si eis illa insculpta fuisset stylo ferreo, vel adamantino, non atramento scripta, quod facile deleri aut eradi potest, *q. d.* Ita cordi et conscientiæ Judæorum infixum est peccatum, ut conscientia peccati imaginem et formam sumpserit; quæ Dei oculos ita semper verberat, ut fixam de eorum excidio sententiam tulerit. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Rabanus. Vide Originem hic. Adde : « In cornibus » altaris scribi solebat nomen vel symbolum aut imago idoli, cui ibi sacrificabatur; unde Paulus in ara scriptum invenit : « Ignoto Deo, » *Actor.* XVII, 14. Duo ergo significat hoc loco, scilicet peccatum Judæorum neque deleri posse (id est vix posse) : neque latere, cum in publicis aris scriptum sit. Hic sensus gravis est, solidus et genuinus. Lyranus et aliqui Hebræi, Hebræum שמיר *scamir*, id est adamas, putant esse vermem, cujus sanguis vim habet cavandi et incidendi lapides; verum hic vermis non habet unguem.

Peccatum Judæorum indelebiliter scriptum est in corde.

Aris inscribebant nomen idoli.

Tertio, probabiliter Sanchez hic et Prolegom. IX *in Cantica*, per peccatum accipit idolum, per unguem adamantinum gemmam inclusam annulo, par latitudinem cordis laminam a collo usque ad cor demissam, cui æque ut gemmæ, idoli sui imaginem insculpebant, ut eam in annulo et pectore semper gestarent, et ostentarent se talis idoli esse cultores. Sic Osee, cap. II, ait : « Auferat adulteria (id est idola, cum quibus spiritaliter fornicatur) sua de medio uberum suorum : » quia inter ubera et supra cor laminam gestabat, aut bullam in qua idolum cælatum erat. Sic Jacob defodiens idola suorum simul et inaures cujusque defodit : quia scilicet in iis gestabant effigies idolorum suorum, uti docent S. Augustinus in *Genes.* Quæst. CXII, et S. Chrysostomus, homil. 35 *in Genes.*, Lyranus et Glossa. Porro Septuaginta et Chaldæus indicant eos in manibus quoque, id est in annulis, habuisse has deorum suorum effigies. Sic enim vertunt, *Genes.* XXXV, 4 : « Dederunt Jacob deos alienos qui erant in manibus eorum, et inaures quæ erant in auribus eorum. » Sic ex adverso in annulis, bullis et laminis describendam et gestandam esse Dei legem, monet Sapiens, *Proverb.* VII, 3 : « Liga, ait, ea in digitis tuis, scribe

ex quo abire debebat Propheta, diversus. Accedit, quod et ipsum argumentum hujus concionis plane est aliud quam ejus quæ præcessit.

In annotatione ad cap. præced. temporibus Joakimi priorem hujus concionis partem assignavimus. Posteriorem etiam ad hujus regis impii ætatem, qua bona a Josia instituta negligebantur, et nihil pensi habebantur referendum esse existimamus.

Exponit igitur Propheta mandatum de sanctificando sabbato, *primo*, datum a Deo, 19-20; *secundo*, promulgatum a Propheta, 21, 22; *tertio*, neglectum et violatum a populo, 23; *quarto*, repetitum a Deo, additis ad observatores promissionibus et in violatores minis, 24-27.

(1) Quatuor primi hujus capitis versus, notante Montefalconio, jam olim desiderabantur in versione græca Alexandrina, et ex aliis versionibus græcis cum asteriscis adjecti fuerant in Hexaplis. Habentur autem apud Eusebium in *Demonstratione Evangelica*, Theodoretum in *Commentario*, et in codice collegii Jesuitarum Parisiensis. Ea vero de re dicit Hieronymus : « Quod cur a Septuaginta prætermissum sit nescio, nisi forsitan pepercerunt populo suo, sicut et in Isaia fecisse manifestum est. » Et ad vers. 2 idem : « Et hæc in Septuaginta non habentur; eadem, ut reor, causa, quam supra diximus, ne scilicet æterna in eos sententia permaneret. » Vide Cornelium in fine *Comment.* vers. 1.

ea in tabulis cordis tui. » Et sic Judæi in phylacteriis eam descriptam gestabant. Hoc etiam est quod sponsam monet sponsus, *Cant.* VIII : « Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, » *q. d.* Me meique effigiem gesta semper cælatam in lamina vel bulla cordis, atque in armilla brachii tui. Cujus contrarium sanxit Pythagoras, vetans Deum in annulo cælari, ne res sæpius occursans vilior fieret.

Moraliter Theodoretus docet adamantinam esse conscientiam : « Nihil, inquit, potentius conscientia, in qua scilicet infixæ litteræ sunt solidæ. Nam licet omnes homines, suæ ipsorum conscientiæ de bona vita testificari conentur; peccata nihilominus eorum qui mentiuntur, conscientia ferre nequit, sed percutitur ac perforatur, incorruptamque profert sententiam. Quod et hic dicit : Facinora scilicet te arguunt, et conscientia tua testimonium præbet : » maximeque præbebit in die judicii, de quo Origenes, *hom.* 12 : « Nudabitur, inquit, pectoris mei conscientia, et aperto corde videbuntur litteræ peccatorum, quæ stylo ferreo in ungue adamantino scriptæ sunt, atque universa spectantium multitudo leget in pectore meo signatas imagines peccatorum. »

Allegorice, indelebile fuit peccatum Judæorum Christum occidentium, et Judæ proditoris, ait Eusebius, lib. X *Demonstr.* v, licet ipse male ad litteram eum hic intelligat; nam Juda, non est Judas proditor, sed populus Judæorum.

Anagogice, peccatum obstinatorum, a Deo projectorum, et præsertim damnatorum, scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino, scriptum est indelebiliter immobili mente Dei, in æterna Dei reprobatione, scriptum est in libro mortis, scriptum est in libro Luciferi, scriptum est in inferno igneis litteris; ut in æternum nulla aqua, nullis lacrymis, nullo nitro deleri aut eradi possit; scriptum est in jugi memoria et conscientia damnatorum, quæ instar vermis jugiter eos rodit et pungit, dicens : Cur hoc peccatum damnabile fecisti? stulte, cur ob momentum turpis voluptatis, has tibi pœnas æternas accersivisti? insane, quid fecisti, ut habitare debeas cum igne devorante, cum ardoribus sempiternis? O infelix peccator, utinam hoc nunc, cum te inebrias, cum luxuriaris, saperes, utinam intelligeres, utinam novissima provideres! Deus enim in universali judicio hanc scripturam leget, omnibusque hominibus et angelis legendam proponet, cum libri hujus scripturæ aperientur, *Apocal.* XX, 12, atque tunc omnium judicio et consensu damnaberis, et detruderis in tartara.

Quatuor primos versus hujus capitis omiserunt Septuaginta, quod S. Hieronymus in gratiam et honorem populi sui eos fecisse putat. Verum quia hi versus in Complutensibus et Regiis Bibliis, et apud Origenem et Theodoretum leguntur, hinc potius videntur ex aliis exemplaribus excidisse.

2. CUM RECORDATI FUERINT, — scilicet filii, suos parentes peccasse, et punitos esse, tunc videant et caveant eorum peccata et punitionem. Ita Vatablus, *q. d.* Aræ hæ sunt filiis in monumentum pœnæ et culpæ parentum, ut ab utraque sibi caveant.

Secundo et melius, *q. d.* Cum filii recordati fuerint peccata patrum, ut scilicet ea imitentur sacrificantes idolis, sicque impleant mensuram peccatorum, qua impleta, ego vindictam sumere decrevi; tunc omnia tua, o Juda, hostibus dabo, et tu omnino desolata relinqueris. Ita S. Thomas, Hugo, Lyranus. Et patet ex vers. seq., ubi sententia hic suspensa expletur.

Aliter Sanchez : Illud, ait, « cum recordati fuerint, » temporis est præteriti, non futuri, et idem valet, atque *quia recordati sunt*, scilicet practice, ararum suarum, in iis idolis suis sacrificando, ideo thesauros eorum in direptionem dabo. Qui sensus fere cum eo quem jam dedi coincidit.

Tertio, Vatablus vertit : *Ut jucunda est recordatio liberorum charissimorum*; sic gratæ sunt illis aræ eorum. Secundus sensus est genuinus, eumque exigit nostra versio Latina.

3. SACRIFICANTES. — Hebraice est הרי *harari*, id est, ut Septuaginta, Vatablus et alii vertunt, *o montane*, id est, ut Chaldæus, *o Juda*, qui in montibus versaris, ut ibi idola colas, iisque sacrifices; ego pariter in agro et montibus tua bona hostibus diripienda exponam.

FORTITUDINEM. — Id est opes, substantiam : hæc enim est hebraice חיל *chel*.

EXCELSA TUA, — aras et templa tua, quæ idolis in montibus locisque excelsis erexisti.

4. RELINQUERIS SOLA AB HÆREDITATE TUA, — scilicet quasi deserta, et exspoliata hæreditate tua.

Vatablus, Pagninus et alii vertunt : *Quiesces*, vel *remissionem facies, et* (illa remissio erit) *in te ab hæreditate tua, quam dedi tibi, q. d.* Præceperam tibi, *Exod.* cap. XXIII, 11, ut septimo quoque anno agros incultos relinqueres, essetque sabbatum terræ, tu hoc neglexisti : quare terra dabit tibi et sibi quietem, non septem, sed septuaginta annis captivitatis tuæ, ut non possis eam colere, juxta comminationem *Levit.* XXVI, 33 et 34. Sic Deus nolentes se privare ad ejus jussum parvo lucro aut voluptate ad modicum tempus, privat eosdem ad septuplum, id est septuaginta annis, imo in æternum. Ita a Castro.

IGNEM SUCCENDISTI IN FURORE MEO. — Id est ignem furoris mei succendisti, qui te acri et ignita vindicta persequetur jugiter. Est hendiadys, ut supra cap. XV, vers. 14, et *Isaiæ* L, 11 : « Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, et in flammis quas succendistis. »

5. MALEDICTUS HOMO (hebraice הגבר *haggeber*, id est vir, *q. d.* Virilitatem suam exuit) QUI, CONFIDIT IN HOMINE. — Hebraice באדם *baadam*, id est in Adam, qui ex adama, id est ex terra, terreus est, carneus ac infirmus.

ET PONIT CARNEM (id est hominem carneum et fragilem) BRACHIUM SUUM, — ut scilicet eo quasi brachio potenter se tueatur, *q. d.* Homo caro est, non os : si ergo huic carni quasi ossi inniteris, cum ea corrues, et tuo damno senties carnem fuisse, non os. Dedit paulo ante cladis Judæorum causam unam, scilicet idololatriam : hic dat alteram, scilicet confugium ad homines, relicto, imo invito Deo, qui eis suam offerebat et spondebat opem. Taxat Sedeciam et Judæos, qui, relicto et contempto Deo, confugiebant ad auxilia Ægyptiorum, de quibus ait Isaias, XXXI, 3 : « Ægyptus homo et non Deus. » Ita Theodoretus, Hugo, S. Thomas et Lyranus. Hic ergo est « maledictus, » quia a Deo, angelis, et bonis omnibus, quasi Cain alter, est desertus. *Secundo*, ut a Castro, quia talis est quasi arbor diis inferis devota, in quam omnia prodigia, portenta, fulmina, maledicta incidebant, in quam homines omnem infelicitatem quasi in rem exsecrandam, et terræ cœloque infensam projiciebant, et verbis factisque imprecabantur; unde mox eum comparat myricæ et arbustis deserti. Nota : Carpit hic Propheta eos qui in homine tanquam in Deo, aut magis quam in Deo, aut ita ut non in Deo confidebant : nam in Sanctis tanquam amicis Dei merito confidimus, et B. Virginem post Deum spem nostram appellamus : ita Maldonatus.

Sperans in homine est quasi arbor diris devota.

Symbolice S. Augustinus, *De Gratia et Libero Arbitrio*, cap. IV : « Brachium, inquit, pro potentia posuit operandi : in nomine autem carnis intelligenda est humana fragilitas, ac per hoc firmat carnem brachii sui, qui potentiam fragilem atque invalidam, id est humanam, ad bene operandum sibi sufficere putat, nec adjutorium sperat a Domino; propter hoc enim subjecit : Et a Domino recedit cor ejus. Talis est hæresis Pelagiana. »

Vers. 6. 6. ERIT ENIM (qui in homine confidit) QUASI MYRICÆ. — Hebraice ערער *arar*, quod Vatablus, *juniperum;* alii, *sericam;* sed Noster, Septuaginta, Pagninus et alii vertunt, *myricam,* quæ tamarix dicitur; estque, teste Plinio, lib. XXIV, cap. IX, et Dioscoride, lib. I, cap. XCIX; duplex : una hortensis, fructum habens asperum; secunda silvestris, de qua hic, quæ humilis est; unde Virgilius, *ecloga* IV :

Non omnes arbusta juvant humilesque myricæ.

Hæc dicitur maledicta, et, ut ait Plinius, infelix et religione damnata, quia sterilis est, nec fert fructum, et in solitudine sola nascitur, vilis, depressa, abjecta. Unde myrica Hebræis symbolum est hominis humilis, abjecti et nullius pretii : hinc *Psal.* CII, 18, in Hebræo est, *respexit* (Deus) *ad rationem myricæ*, id est humilium, ut explicat noster Interpres. Addit Basilius, homil. 5 *Hexam.* et ex eo S. Ambrosius, lib. III *Hexam.* cap. VI, myricam esse ambiviam, id est aquaticam esse, et etiam nasci in desertis : sic peccator qui, Deo relicto, in homine spem ponit, *primo*, non habebit bonum successum; *secundo*, nullum fert fructum; *tertio*, cœlestis gratiæ et sapientiæ pluvia destituetur; *quarto*, solus erit a Deo et hominibus derelictus; *quinto*, dæmoni et tyrannis objicietur, uti Sedecias Chaldæis. Omnes denique homines sunt quasi myricæ ambiviæ, id est dubiæ et inconstantis fidei.

NON VIDEBIT (non experietur, non sentiet), CUM VENERIT BONUM, — id est pluvia : hæc enim est votum et bonum exoptatum ab arvis et plantis siccis et sitientibus. Unde sequitur :

SED HABITABIT IN SICCITATE, — *q. d.* Etiam, cum pluet super alios, non pluet super eum, aut super ejus agros : « pluviam enim voluntariam segregabit Deus hæreditati suæ, » *Psalm.* LXVII, 10. Talis ergo in summa erit desolatione.

Nota : Propheta tres ponit effectus peccati et diffidentiæ Dei, ac spei in creaturis : *primus* est desertum, id est segregatio a Dei, Angelorum et Sanctorum ope et consortio; *secundus* est, siccitas, id est defectio gratiæ, virtutum, opis et auxilii; *tertius* est, sterilitas bonorum operum, et omnis prosperitatis prosperique successus, *Joan.* XV, 4. Contra sanctitas et spes in Deum afferunt Dei amicitiam, opem, omnia gratiarum dona, prosperitatem, et cætera de quibus vers. 8, in fine.

Tres effectus diffidentiæ Dei, et spei in creaturis.

Merito ergo mundanis inclamat S. Augustinus, lib. IV *Confess.* cap. XII : « Non est requies, ubi quæritis eam. Quærite quod quæritis; sed ibi non est quod quæritis. Beatam vitam quæritis in regione mortis? non est illic; » et lib. VI, cap. XVI : « Væ animæ audaci, quæ speravit, si a te recesserit, se aliquid melius habituram. Versa et reversa in tergum, et in latera, et in ventrem; et dura sunt omnia. Et tu solus requies es, Domine. »

7. BENEDICTUS VIR, QUI CONFIDIT IN DOMINO. — Nota, a Deo dici benedictum sperantem in se, quia per spem Deus maxime honoratur : qui enim Deo fidit, seque illi credit, prædicat eum esse optimum, qui velit sua bonitate succurrere; et esse omnipotentem, qui possit; et esse omniscium, qui sciat opitulari, atque esse fidelissimum, qui sperantem in se non fallat. Hinc Græci θεὸν dixerunt, ἀπὸ τοῦ ἀίθειν, aiunt Nazianzenus et Damascenus, id est ab urendo, quod omnibus calorem, vitam et bona omnia aspiret. Unde Nazianzenus, orat. *De pauperum cura :* Nil ita divinum est, ait, quam de aliis bene mereri : calamitoso sis Deus, Dei misericordiam imitando. Vel ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι, id est a spectando et contemplando omnia, ait S. Dionysius, cap. XII *Divin. Nom.*, et Damascenus, I *Fidei*, XII, vel ἀπὸ τοῦ θέειν, id est a currendo, quod celerrimus sit, efficacissimus et ubique præsens.

Sperans in Deo, maxime eum honorat,

Θεός, id est Deus, triplex habet etymon.

Misericors misero est Deus cur?

Vice versa, homo dicitur *Enos*, id est infirmus, ærumnosus, incurabilis, ac si solus homo sit, qui a solo Deo curari possit, quique ab eo bona omnia exspectat, et apud eum bona spe se sustinet, in eoque recumbit securus, sine sui suarumque rerum cura, ait Philo, lib. *De Abraham.* Quapropter dixit Abbas ille in *Sententiis Patrum Ægypt.* Sent. 71 : « Si non dixerit homo in corde suo :

Ego solus et Deus sumus in hoc mundo, non habet requiem. » Ita Abraham Deo contra spem in spem credidit, ideoque et miraculosa prole et omni benedictione ab eo cumulatus est.

Contra, qui Deo diffidit, Deo injurius est : negat enim Dei providentiam, scilicet Deum vel nolle, vel non posse, vel non scire opitulari ; hinc fugit ad opem hominum et idolorum. Ita a Castro.

ET ERIT DOMINUS FIDUCIA EJUS. — id est, ut vertit Vatablus, *et cujus spes est Dominus*, qui sperare solet in Domino.

8. ET (quia) ERIT QUASI LIGNUM, — *q. d.* Sperans in Deo erit quasi arbor felix et Deo sacra, juxta aquas plantata, semper virens et frugifera, quia in omni tentatione et difficultate, a Deo cui fidit, opem, influxum et gratiam hauriet. Hoc est quod veteres dicebant : « Semper feliciter cadunt Jovis taxilli. »

Sperans ergo in Deo, ab eoque sugens omnem solidam virtutem, omneque bonum, est similis lauro. Sicut enim fulmen quidquid invenit in terra ferit, præter laurum, ut ait Plinius, lib. II, cap. LV, sic magna calamitas omnia potest auferre, sternere et evertere, præter firmam Deo nixi virtutem. Est enim spes virtusque constans quasi pulchra laurus semper virens, nullo igne e nubibus erumpente, nullo impetu tormentorum et ærumnarum exusta aut labefacta. Hinc Syrus vertit : *Benedictus est vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus; erit quasi arbor plantata super aquas, quæ robustior corde* (firmior) *est omni homine. Quis cognoscit illum? ego Dominus scrutans cor.*

Nota : Dicit « quod transplantatur, » quia ex prima plantatione steriles arbores sumus, et nascimur filii iræ ; sed inde transplantati in Christo et Deo, Deique spe et amore, frugiferi fimus.

Ita narrat Theosterictus, in *funebri de B. Niceta orat.* de Athanasio insigni cœnobita, et magnæ spei viro, quod ex ejus defuncti et sepulti pectore arbor cupressus prognata sit, cujus frondes morbos depellebant.

Hac fiducia in Deum armatus S. Joannes Eleemosynarius dicebat : « Etiamsi totus mundus confluereat Alexandriam eleemosynæ causa, eam omnibus darem ; quia totus mundus non potest angustiare thesauros Dei, quorum ipse me dispensatorem constituit. Cessa ergo, o misera anima et timida, tentare Deum intentabilem per tuam pusillanimitatem et diffidentiam. » Quare Deus ei stannum in argentum convertit, centuplumque ei dedit in hac vita, ut quo plura daret, eo longe plura reciperet. Testis est Leontius in ejus Vita.

Eadem fiducia roboratus Theodorus monachus dicebat : « Si cœlum terræ adhæreat, Theodorus non formidat. » Poposcerat enim precibus a Deo, ut auferretur ab eo formido. Ita refertur in *Vitis Patrum*, lib. V, cap. VII, num. 6.

Sic et senex ille ingressus in speluncam, ibique inveniens leonem, cum leo fremeret et rugiret, dixit ad eum : « Quid angustiaris? est locus qui capiat me et te. Si vero non vis, surgens egredere hinc. » Leo autem non ferens, egressus est inde foras. Ibidem, lib. VI, cap. III, num. 15.

Sic et Sisois Abbas, orans pro Abraham discipulo suo tentato et lapso, fidenter dixit : « Deus, vis non vis, non dimitto te nisi curaverimus eum. » Et curatus est frater ille. Ibidem, num. 14.

Sic et monachi Deo nixi, in eremo sua fiducia et prece occidebant ingentes dracones et serpentes, teste Palladio in *Lausiaca*, cap. LII.

Ibidem Abbas Apollo tempore famis liberalis erat in pauperes, dicens : « Nonne hæc fecerunt Apostoli et Prophetæ? An tunc quidem aderat Deus ; nunc autem peregre est profectus? » Quare cibi et fructus divinitus ei ab incognitis suppeditati, etiam qui non nascebantur in Ægypto, puta uvæ, mala punica, ficus, favi mellis, lac, lupini, panes, etc.

Hac fiducia S. Pachomius, ut habet ejus Vita, serpentes illæsus calcabat, et crocodilis insidens flumina tranabat.

Ita B. Hellenius sperans et dicens : « Potens est Deus parare mensam in deserto, » ibi ab Angelo pro se et suis hospitibus alimoniam accepit, teste Palladio in *Lausiaca*, cap. LIX.

Hæc fiducia in eremo aluit et protexit S. Paulum, Antonium aliosque innumeros.

Hæc fiducia roboravit S. Paulum, Andream Thomam, Dominicum, Vincentium, Xaverium aliosque, ut gentes etiam feras et barbaras converterent.

NEC ALIQUANDO DESINET FACERE FRUCTUM. — « Sancti, » qui sperant in Deo, « fructificant, » ait Dom. Thomas : « *primo*, per sapientiæ contemplationem, *Eccli.* VI, 19 : Quasi is qui arat, et qui seminat, accede ad eam, et sustine bonos fructus illius ; *secundo*, per charitatis fervorem, *Cantic.* V : Veniat dilectus meus in hortum suum, et comedat fructum pomorum suorum ; *tertio*, per laudis confessionem, *Hebr.* XIII : Per ipsum offeramus hostiam laudis semper Deo, id est fructum labiorum confitentium nomini ejus ; *quarto*, per meritoriam operationem, *Psalm.* LXXXIV : Etenim Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum ; *quinto*, per proximorum conversionem, *Joan.* XV : Ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat. »

Rursum, Sancti fructificant, « quia sequuntur Christum, *primo*, per carnis integritatem, *Apocal.* XIV : Virgines enim sunt, et sequuntur Agnum quocumque ierit ; *secundo*, per cordis intentionem, *Philip.* III : Sequor autem, si quomodo comprehendam ; *tertio*, per tribulationis passionem, I *Petr.* II : Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus ; *quarto*, per mandatorum observationem, *Job.* XXIII : Vestigia ejus secutus est pes meus, viam ejus custodivi, et non declinavi ex ea ; *quinto*, per gloriæ receptionem, *Eccli.* XXIII : Gloria magna est sequi Dominum : longitudo enim dierum assumetur ab eo. » Huc usque D. Thomas.

9. PRAVUM. — Chaldæus, *dolosum*; Septuaginta, βαθεῖα, id est *profundum* (male Theodoretus, S. Augustinus et Chrysostomus, legunt βαρεῖα, id est *grave*), hebraice עקב *acob*, id est *primo*, versutum, versipelle; *secundo*, fraudulentum, supplantatorium; *tertio*, magis genuine hoc loco, tortuosum, anfractuosum, fallax, ideoque inscrutabile, ut sequitur, *q. d.* Sinuosum, et mille cogitationum, cupiditatum et desideriorum secretis diverticulis, sinibus, recessibus, instar labyrinthi implexum et perplexum.

EST COR HOMINIS. — Corrige cum Romanis et S. Hieronymo, « est cor omnium. » Hebraice enim est מכל *miccol*, id est ex omnibus, id est omnium; vel, ut Vatablus, Maldonatus et alii vertunt, *præ omnibus, super omnia, q. d.* Nihil est in omnibus rebus tam fallax, atque cor hominis.

Inferunt hæretici : Ergo homo post lapsum nequit bene agere, sed tantum male, puta fallere, mentiri, etc. Respondeo, nego consequentiam; dicitur enim homo fallax, non quod semper fallat, sed quia facile et sæpe fallit.

Moraliter S. Bernardus, tract. *De Inter. domo*, cap. XLIV : « Conscientia, ait, hominis abyssus multa. Sicut enim abyssus exhauriri non potest, sic cor hominis a cogitationibus suis evacuari non potest; sed continua volubilitate in eo volvuntur. Mare magnum est, et spatiosum manibus : illic reptilia quorum non est numerus. Sicut enim reptile latenter repit, et sinuosis anfractibus huc et illuc deambulat; ita conscientiam hominis venenatæ cogitationes intrant et exeunt, ut nesciat homo unde veniant, aut quo vadant. Hoc bene cognoverat qui dicebat : Pravum est cor hominis et inscrutabile; et quis cognoscet illud? quod scrutationem non recipit nec cognitionem. »

INSCRUTABILE. — Hebraice אנוש *anus*, id est ærumnosum; Vatablus, *præfractum, obstinatum et desperatum*, ut scilicet penetres ejus profunditatem, ambages et mutabilitatem, *q. d.* Impenetrabile est cor hominum, nisi soli Deo, qui scrutatur renes, id est affectus, et probat corda, id est intentiones. Arabicus vertit : *Cognosco eum ego Dominus, qui probo* (tento, investigo, scrutor) *corda, et scio quod est in renibus.* « Nihil Deo clausum est : interest animis nostris, et cogitationibus mediis intervenit, » ait Seneca, *epist.* 84.

Momus optabat fenestratum pectus hominis.

Celebris est apologus, quem inter alios refert Lucianus in *Hermotimo* : Momum reprehendisse Vulcanum, quod non fenestratum pectus hominis fecisset, quo ejus cogitatus plane viderentur.

Hinc Scholastici in materia de angelis docent angelos naturaliter non posse præsentes (multo minus futuras) hominum cogitationes et intentiones cognoscere, nisi voce aut signo prodantur.

Est epiphonema præcedentium, *q. d.* O quam dolosum, mutabile, inscrutabile est cor hominis! ut nescias quo spes suas dirigat, an in Deum, an in creaturas et homines; an vere speret in Deo, an simulet se sperare : o quam ærumnosum est et miserabile, quod, Deo relicto, sperat in opibus, amicis, Ægyptiis! Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Rabanus, Vatablus, a Castro.

Alii hæc referunt ad eum in quo spes locatur, sive qui afflicto opem suam offert et spondet, *q. d.* Pravum et inscrutabile est cor hominis, qui alteri oppresso auxilium promittit (uti vobis, o Judæi, promittunt Ægyptii); nunc enim illi deest auxiliandi potestas, nunc seria et constans voluntas; si enim videat suis rebus expedire, amicum deserit suaque curat, uti Judæis fecerunt Ægyptii.

Nota : Septuaginta pro *anus* legunt *enos*, vertuntque : *Et homo est, et quis cognoscet eum?* quod Tertullianus, lib. III *Contra Marcionem*, VII; Cyprianus, lib. II *Contra Jud.* X, Lactantius, lib. IV, cap. XIII; Ambrosius, lib. *De Pœnit.* cap. II; Augustinus, lib. III *Contra Faustum*, XI, accipiunt de Christo, *q. d.* Christus homo est, sed quis cognoscet ejus deitatem? Verum ex circumstantiis patet Prophetam loqui de arcanis cordis humani, non de Christo.

11. PERDIX FOVIT. — Intelligitur more Hebraico *caph* similitudinis, *q. d. Sicut perdix fovet*, hebraice דגר *dagar*, id est *congregat*; et, ut Vatablus vertit, *incubat*. Tradunt Aristoteles, Theophrastus, Plinius et alii Physici, ait S. Hieronymus, perdicem alterius perdicis, id est aliena ova furari, eis incubare, excludere pullos : qui cum adoleverint, et vocem excludentis audierint, ab ea quasi aliena avolant ad primam et veram matrem, quæ ova posuit, cujus vocem naturæ instinctu agnoscunt. Tales, ait Jeremias, sunt Sedecias, et Judæi aliique divites, qui « non in judicio, » id est non juste, sed inique usuris, rapinis aliisque malis artibus, per fas et nefas divitias congregant, aliena rapiunt, et faciunt sibi divitias, quas brevi Babylonii diripient, vel subita mors aut casus subtrahet; quando dicetur eis illud *Lucæ* XII, 20 : « Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te; quæ autem parasti cujus erunt? Nihil enim insipientius est, quam non prævidere futura, et brevia putare perpetua, » ait S. Hieronymus. Unde Chaldæus clare vertit : *Sicut perdix quæ congregat ova, quæ non sunt sua, et fovet pullos, qui eam secuturi non sunt; sic omnis vir impius, qui possidet divitias præter jus, in dimidio dierum suorum relinquet eas.* Sanchez hæc refert ad proxime præcedentia, *q. d.* Ii qui sperant in homine, non in Deo, itaque ad tempus ditescunt, divitiis hisce spoliabuntur, æque ac perdix ovis et pullis furtivis. Quidquid enim ab alio, quam a Deo omnium rerum Domino acceperit, furtum censeri debet, et ejusmodi furtum, quod ad verum Dominum aliquando redibit : quare ipsi non tam usui erit, quam fraudi; in necessitate enim eum deseret. Simplicius alii hæc accipiunt plane ut sonant, *q. d.* Sicut pulli perdicis a falsa matre, ita opes ab injustis possessoribus, quasi a falsis heris avolant. Elidit hic Propheta basin alteram (prior enim fuit spes in Ægyptiis, de qua jam dixit) impietatis Sedeciæ et Judæorum, ob quam ipsi a Deo recesserant, scilicet opes injuste contra Dei legem partas;

Perdicis pulli ab alia matre exclusi ad veram avolant, ita et opes injuste partæ ad alios avolant.

prædicit enim quod male parta, male dilabentur, *q. d.* Frustra ergo in iis confiditis.

Hanc porro perdicis esse indolem ex S. Augustino, Ambrosio et aliis docet Aldrovandus. Hinc et Theodoricus Gothorum rex apud Cassiodorum, lib. II *Variar.* epist. 14, falsam perdicis adoptionem detestans, et pietatem pullorum adoptatorum erga veros legitimosque parentes suos, ad quos a furtiva matre avolant, collaudans, suos ad similem pietatem hortatur, ac jubet ut Romulum in parentes impium plectant : « Perdicibus, inquit, mos est ova perdita per alterius matris damna sarcire, ut adoptione alienæ sobolis incommoda suæ reparent orbitatis. Sed mox ut nati fiduciam habere cœperint ambulandi, ad campos exeunt cum nutrice, qui ut fuerint materna voce commoniti, ovorum suorum potius genitricem petunt, quamvis ab aliis furtivis fœtibus educentur. Quid ergo homines facere debebunt, quando et hanc pietatem avibus inesse cognoscunt? Romulum itaque, qui facti sui acerbitate pollutus, nomen fœdat Romanum, ad vestrum facite venire judicium : et si eum patri suo Martino manus suas injecisse constiterit, protinus legitimam sentiat ultionem. »

Exstat de hac perdicis indole emblema apud Nicolaum Reusnerum, sub lemmate, χρῆσις πλούτου μάρτυς :

Surripit ova salax perdix aliena, fovensque
In nido pullos educat inde novos.
Pullus at eductus nutricem deserit ultro,
Cantantis pendens matris ab ore suæ.
Condit avarus opes, defossoque incubat auro,
Per fas atque nefas condit avarus opes.
Unde habeat, nihil is curat : sed oportet habere,
Et cito vult fieri dives, inopsque manet.
Nam mors aut vilem redigit communis ad assem,
Eripit aut partas turpe tribunal opes,
Magnis parta malis pereunt majore dolore :
Quod dat cuique Deus, sorsque benigna sat est.

Exemplum appositum.

Appositum hujus rei exemplum, scilicet quomodo opes male partæ quasi aves, imo per aves avolent, refert Gregorius Turonensis, *De Gloria Confess.* cap. CIX : « Quidam, inquit, apud Lugdunenses vix multo labore trientem unum acquisiverat : quem, cum multiplicare vellet, de eo vinum comparat, admixtis aquis iterum per argenteos venumdans, duplat pecuniam. Hoc iterum atque iterum agit; et tamdiu turpis lucri secutor est factus, donec centum solidos de hoc triente lucraretur. Post, alterius negotiatoris nundinas adit, extractoque triente, quasi aliquid negotiaturus, colloqui cum socio cœpit. Erat autem sacculus ex pelle phœnicia : et ecce subito adveniens milvus, rapit eum atque decerpere tentat, putans a colore partem carnis esse; sed, cum nil pinguedinis sentiret in eo, volans super alveum fluvii Araris (e quo fluvio hic aquam, quam vino miscuerat, hauserat) laxatum sacculum dejecit in flumen. Quo conspecto, alter tristis et mœrens, exclamabat : Væ mihi, sicut feci, sic recepi; qui e fluvio eos habui, ad fluvium rediisse video. »

Secundo, Theodoretus : Perdix, ait, cicur advocat alias perdices voce sua, quæ advolantes decidunt in casses. Solent enim aucupes per cicures perdices alias feras allicere et capere. Ac

Tertio, S. Ambrosius, *epist.* 47, ex Aristotele, Plinio, Æliano, Solino : Perdix, inquit, aucupem nido insidiantem eludit, simulata pedum vel alarum debilitate, donec sensim elabatur, et pullos voce advocet, iique avolent. Nulla ergo avis perdice est dolosior et astutior. Unde illud Aristophanicum, ἐκπερδικίσαι, id est astute instar perdicis elabi, et periculum effugere. Ita Plutarchus, lib. *De Solertia animal.* : « Perdices, ait, assuefaciunt pullos suos qui necdum volare possunt, urgente aucupe supinos jacere, et glebam aliquam aut quisquilias corpori injicere, ac prætendere tanquam umbraculum aut tegumentum quoddam. Ipsæ persequentes aliorsum abducunt, atque circumagunt : hinc et inde volitantes, paulatimque loco cedentes, donec lactatos spe capiendi longe a pullis avellant. » Idem in *Gryllo* : « Perdices, ait, suos pullos docent inter fugiendum occultare sese, et glebam pro se obtendere, postquam supini corruerunt. » Scholiastes quoque Aristophanis com. *De Avibus* : « Perdices, ait, facile vafritie sua ab aucupibus evadunt, sæpe se resupinantes, et festucis integentes. » Sensus ergo Prophetæ est, *q. d.* Sicut perdices fallunt aucupem et ludificant; sic opes deludunt divitem, et alios multos in casses et pericula trahunt. Sed hæc non sunt ad mentem Jeremiæ.

Tropologice, S. Hieronymus et fuse Ambrosius (quem vide), *epist.* 48, et lib. VI *Hexam.* cap. III : « Perdix, ait, qui a *perdendo* nomen accepit, et hebraice vocatur קוֹרֵא *core* a *clamando* et *vocando*, est Satanas qui clamavit in Cain, in Pharaone, in Judæis, et omni perfido, indiesque adhuc sua voce multos allicit ad se et prædatur : sed Dominus Jesus hunc perdicem, id est diabolum, prædatus est suis pullis, id est fidelibus, inclamans illud *Proverb.* IX, 5 : « Venite, comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis. » Quocirca Theodoretus perdicem illicem accipit, ad cujus vocem et cacabismum cæteræ advolant, et in retia incidentes capiuntur. Sic et S. Augustinus, lib. XIII *Contra Faustum*, cap. XII : « Hæretici, ait, instar perdicum congregant quæ non pepererunt. Christianos enim, quos maxime Christi nomine seducunt, jam per ipsius Christi Evangelium natos inveniunt : et faciunt illos divitias suas, non sane cum judicio, sed cum temeritate inconsiderata. » Experientia enim constat hæreticos hactenus nunquam paganos aut gentiles adiisse, eosque primitus convertisse, sed conversos a Catholicis pervertisse, ac fecisse hæreticos. Adde hæreticos, æque ac diabolum, aliena ova calefacere, cum Dei et Ecclesiæ consiliis et doctrinis sic incubant astute, ut ea suo fotu fœtuque pervertant, et quasi ex viperinis ovis regulum

Core, id est perdix, est diabolus, cur?

excludant, v. g. docent Deus et Ecclesia Christum pro nostris peccatis satisfecisse, inferunt hæretici : Ergo non est opus nostra pœnitentia, labore, dolore, sacrificio Missæ, etc. Sic, cum Deus sanctas inspirationes pœnitentiæ, eleemosynæ, religionis menti suggerit; diabolus iis incubat, ut eas divertat aut pervertat, ut vel non fiant, aut, si fiant, malo fine, modo aut medio fiant; vel indiscrete fiant, scilicet nimis aut nimis parum. Qui sapit ergo, advertat ut has ab illis secernat, et instar pullorum perdicis, ad veram matrem, id est ad Deum, avolet.

IN DIMIDIO DIERUM SUORUM, — *q. d.* Opes male partas, cito, et antequam iis fruantur, amittent, diripientibus Chaldæis.

IN NOVISSIMO SUO ERIT INSIPIENS. — « Erit, » id est apparebit insipiens esse is, qui aliena rapuit.

Vers. 12. Solium altitudinis locus sanctificationis, quid? Prima expositio aptissima.

12. SOLIUM GLORIÆ ALTITUDINIS A PRINCIPIO, LOCUS SANCTIFICATIONIS NOSTRÆ. — Est epiphonema Prophetæ, *q. d.* Est qui judicet et puniat Sedeciam, aliosque injustos divites qui aliena rapiunt, et in eis, aut in Ægyptiis infidelibus confidunt; scilicet Deus, qui solium habet gloriosum et altissimum a principio æternitatis, quasi tribunal, ex quo omnia intuetur judicaturus et vindicaturus; habet enim ipse non tantum terrenum hoc inter nos templum, quod perperam jactant Judæi, dicentes : « Templum Domini; » sed cœlum ipsum, quasi solium ad quod confugimus, quodque est locus sanctificationis nostræ, ex quo scilicet sanctificamur, vel quem sanctificamus, dum dicimus Deo in eo residenti : « Sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum. » Denique, ad quem quasi ad patriam ordinatur ac tendit sanctificatio nostra in vita præsenti, ait Dionysius Carthusianus, ob eamque rem decet nos in eum, non in Ægyptios, aliosve homines sperare, atque majori studio justitiam et sanctitatem colere, utpote qui Deum habemus jugiter ex solio suo nos intuentem, ut noster sit judex et vindex.

Secundo, Lyranus sic nectit : « Exspectatio Israel, » id est, quod exspectant probi Israelitæ, est cœlum, quod est solium Dei, et locus quo tendit sanctificatio nostra. Nam, ut ait S. Augustinus, in *Sententiis*, num. 135 : « Bonum est sursum habere cor; non tamen ad seipsum, quod est superbia; sed ad Deum, quod est obedientia. Qui de se sibi sufficere confidit, ab eo qui vere ei sufficit, deficit. »

Tertio, Hugo, *q. d.* Israel exspectat, Domine, ut restituas ei arcam, propitiatorium et templum, quod est solium tuum, et locus sanctificationis nostræ, in quo omnes spes suas repositas habet, ait S. Thomas.

Quarto, alii hæc referunt ad verbum *derelinquet*, quod præcessit, *q. d.* Populus derelinquet solium gloriæ, id est templum, et urbem Jerusalem, cum illa a Chaldæis capietur.

Quinto, Vatablus sic vertit et explicat : *Sicut solium gloriæ est altitudo a principio; sic locus sanctuarii nostri*, supple, est sedes et solium ejus : hoc est, sicut solium Dei gloriosi fuit a primordio mundi in cœlo; sic nunc est in templo nostro, *q. d.* Cum Deus habitet in templo nostro, ut in cœlo, qui fi ergo ut quis audeat dicere illum aut non videre, aut non curare quæ in mundo patrantur? Verum primus sensus est aptissimus, cui jungi potest expositio Hieronymi Prado *in Ezech.* I, pag. 51 : « Solium, inquit, conspicuum ac sublime perennitatis æternæque quietis symbolum est Ægyptiis, atque adeo divinæ Majestatis, et regiæ dignitatis, quam nulla potest perturbatio inquietare, aptissimum est hieroglyphicum. Hinc Jeremias per solium Dei ipsum divinum Numen significavit, dicens : Solium gloriæ altitudinis a principio, locus sanctificationis nostræ, exspectatio Israel, *q. d.* O Deus, qui sedes super thronum excelsum Cherubinorum ab initio, quique in sanctuario nostro thronum tuum stabilivisti, spes Israel. » Hinc S. Clemens, lib. VI *Constit. Apost.* cap. v, per solium hoc, vel, ut ipse legit, thronum gloriæ Dei, accipit Ecclesiam.

Solium est regis et Dei hieroglyphicum : cur?

Denique R. Moses, et ex eo Galatinus, lib. VII *De Arcan. fidei*, cap. XVIII, contendunt hoc solium ad litteram esse B. Virginem, non templum. « Ipsa enim, ut ait R. Haccados, futura erat sedes, quam Deus construxit, ut in ea sederet rex Messias, » qui est exspectatio Israel, « ad ostendendam majestatis suæ gloriam cunctis mortalibus. » Ibidem Galatinus docet Dei triplicem esse sedem : *prima* est B. Virgo; *secunda* est Christi humanitas; *tertia* est ipsa ejus divinitas. Dicit autem Jeremias, « a principio, » ut ostendat B. Virginem absque peccato initiali conceptam fuisse : ex tunc enim destinabatur et parabatur ipsa in sedem et solium Messiæ. Hinc et ipsa significata fuit per solium Dei, quod vidit Ezechiel, cap. I, 22. Ita ipse ad litteram, ego symbolice et allegorice.

Moraliter, ad hoc solium et tribunal Dei confugere solent homines, ad illudque appellare, cum opprimuntur, præsertim morte injusta, aut se opprimi putant; nec sine fructu. Nam, ut canit Psaltes, *Psalm.* LXXXV, 15 : « Justitia et judicium præparatio sedis tuæ; » et *Psalm.* XLIV, 7 : « Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi, virga directionis, virga regni tui. »

Ita scribit Dionysius Cassius Adrianum Imperatorem quemdam Severianum jussisse occidi : qui antequam jugularetur, ignem poposcit, et accenso thure : « Vos, inquit, o dii, testor me nihil mali commisisse : de Adriano hoc tantum imprecor, ut cum mori cupiet, non possit. » Porro Adrianus post morbum, sæpius frustra invocata morte, sæpe etiam seipsum occidere voluit. Exstat ejus epistola, in qua ait : « Quam miserum est mortem optare, et mori non posse! »

Fulgosius, lib. I, cap. VI : Temporibus, inquit, nostris, cum Genuensium triremes adversus pi-

ratas instructæ biremem Catalaunam cepissent, hujus rectorem noctu suspenderunt. Is pro injuria sibi facta ad Deum appellans, citato patrono Genuensium, ut intra sextum mensem coram Deo compareret, occubuit : juxta quod tempus hic patronus morte sublatus est.

Nauclerus narrat Henricum, Archiepiscopum Moguntinum, falso accusatum et pontificatu dejectum, mœrore confectum morientem ad Christum judicem appellasse. Audita ejus morte, alterum judicum in latrinis exspirasse ; alterum manus præ rabie corrodentem animam exhalasse, Deo redditurum rationem.

Volaterranus, lib. XXI *Anthropologiæ*, narrat Gualtherum Franciscum propter excellentis doctrinæ et sanctitatis famam, in Episcopum Pictavorum assumptum, pro jure Ecclesiæ servando in litem incidisse cum eo Burdegalensi Episcopo, qui paulo post Pontifex Clementis quinti nomen assumpsit. Hic Gualtherum Episcopatu suo dejecit : qui hanc ignominiam æquo animo aliquandiu ferens, tandem moriens super sepulcrum suum inscribi curavit : « Ad justum Dei judicium appello. » Quod cum legisset Clemens, expavit, et non multo post defunctus est. Plura exempla recensui *Genes.* IX, 5.

Cæterum hoc solium, uti reos innocentes vel dubios exaudit, ita et tuetur judices, cum constat eos juste judicasse, nec ullum de ea re est dubium : quare ab eis parvi facienda est talis citatio ad tribunal Dei. Justo enim judici præmium a Deo, cujus vice fungitur, non supplicium est exspectandum. Sciebat hoc magnus ille Imperator militum Gondisalvus Ferdinandus de Corduba, qui cum Tarentum obsidens, maleficum quemdam seditiosumque (inquit Jovius) militem ad supplicium duci jussisset, illeque multum reluctatus, se iniquissime damnari vociferaretur, et proinde Gondisalvum ad dicendam causam ad Dei maximi tribunal magna voce citaret : « Vade, inquit Gondisalvus, confisus optimo judici, et causam instrue : nam ibi pro me aderit, qui opportune respondeat, Alfonsus frater, qui nuper ex Serra Vermegia in cœlum contendit. » Tum enim Gondisalvo nuntiatum fuerat, fratrem a Mauris circumventum, dignam forti pioque duce mortem oppetiisse. Ita ex *Vita Gondisalvi* refert noster Delrio, tom. II *Mag.* lib. IV, cap. IV.

13. EXSPECTATIO ISRAEL (o Domine, qui es spes et exspectatio Israelis, in quem veri Israelitæ, sequaces Abrahæ et Jacobi semper speraverunt et sperant) : RECEDENTES A TE (per diffidentiam et apostasiam, uti Judæi a Deo recedunt confugientes ad idola, et ad Ægyptios (totum enim caput eo spectat) IN TERRA SCRIBENTUR. — Hoc est, *primo*, adscribentur et annumerabuntur iis qui terrena sapiunt, terrenis noti erunt. Ita Origenes, Rabanus et S. Hieronymus. Hinc dicitur *Psalm.* XLVIII, 12 : « Vocaverunt nomina sua in terris suis. » Sicut contrario, Sancti adscribuntur cœlo, *Luc.* X, 20; et cœlitibus, quasi cives Sanctorum, scripti in libro vitæ, id est in æterna Dei memoria et prædestinatione, ut sint hæredes Dei. Hinc Hugo : Mundani, ait, inscribuntur terrenæ felicitati, divitiis, deliciis, honoribus quasi litteris, quæ indicant quales sint, scilicet avari, superbi, luxuriosi. Alii inscribunt nomen columnis et statuis, volentes illud æternare.

Secundo, Vatablus et Hugo : Scribi, inquiunt, impios in terra, est perire eorum nomen, memoriam et famam : nam quæ in pulvere scribuntur, facile vento aut pede delentur. Seria enim quæ magni facimus, quæque memoriæ et posteritati mandare volumus, scripturis aut lapidi, aut æri consignamus; quæ vero nihili ducimus, quasi per jocum in pulvere, aut aqua scriptitamus, quasi mox abolenda. Sic, *Joan.* cap. VIII, 6, Christus peccatum adulteræ in terra scribebat, quasi diceret : Peccatum vestrum, o Pharisæi, scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino, hujus vero mulierculæ peccatum, jamjam delendum in perpetuum per ejus pœnitentiam et meam clementiam, par est ut in terra scribatur. Sic gentiles, eos qui nati erant ignotis et obscuris parentibus, quique nihil egregii fecissent memoria dignum, et jam oblivione quasi sepulti essent, vocabant terræ filios, quasi communi omnium matri adscribendos. E contrario cœli filios, vocabant heroes, quasi homines cœlo lapsos, et ob facinora quæ patrarant, æterna memoria dignos.

Tertio, *q. d.* Judæi recedentes a Christo, in terra captivitatis scribentur quasi cives, ibi perpetuo permansuri, *q. d.* Judæi non jam in libro vitæ filiorum Israel scribentur, sed inter Babylonios et Assyrios, quorum moris erat, teste Plinio, lib. VII, LVI, in coctilibus lateribus res gestas suorum scribere.

Quarto, Lyranus et Chaldæus : Recedentes, inquiunt, a Deo, scribentur in terra, id est in inferno quem Theologi esse docent in centro terræ. Hi omnes sensus commodi sunt, sed primus et secundus maxime genuini sunt.

Quinto, subtilius Sanchez, *q. d.* Spes in homine futilis est, æque ac futile est id quod scribitur in aqua, vel in pulvere. Sic de promissis muliebribus, utpote inconstantibus, ait Xenarchus apud Athenæum, lib. I, cap. X : « Feminæ jusjurandum in aqua scribo. » Cum enim aliorum verba aut promissa in terra aut pulvere scribi dicuntur, etiam ii qui in iis confidunt, in eadem scribi dicuntur : qui enim in altero confidit, illi quasi se tradit. Quare qui fidem suam, vel promissum in pulvere scribit, illum quoque ibidem scripsisse videtur, quem suæ fidei creditum atque commissum habet.

Nota hic congruam pœnam ; nam qui pertinaciter idolorum et peccatorum suorum memoriam retinent in tabula cordis stylo ferreo insculptam, ut dictum est vers. 1, hi digni sunt qui deleantur de libro vitæ, eorumque nomina in pulvere scri-

bantur, in vento rapta aboleantur de sub cœlo.

QUONIAM DERELIQUERUNT VENAM AQUARUM VIVENTIUM DOMINUM, — quæ scilicet nulla siccitate aut casu defecit, sed perpetuo scaturit, et dat aquam vivam opis, prosperitatis et gratiæ, salientem in vitam æternam, *Joan.* IV, 14. Vide dicta cap. II, vers. 18. Toto hoc capite satagit Propheta stabilire spem in Deum, et abolere spem in homines Deo relicto.

Vers. 14. 14. SANA ME, DOMINE, — non a peccato, ut S. Thomas, sed a calumnia, qua dicunt meas minas esse mendacia, ab opprobriis et insidiis. Ita Rabanus, Hugo, Theodoretus, et patet ex seq. Ac consequenter ab animi dolore, et consequenter ab omnibus corporis malis et ærumnis sana me. Sæpe enim ægritudo et sanitas corporis pendent ab ægritudine et sanitate mentis.

ET SANABOR, — *q. d.* Nec Ægyptii, nec alii homines possunt me sanare aut salvare : tu solus potes. Sic hæmorrhoissam nulli medici sanare potuerunt, sed solus Christus, *Lucæ* VIII, 43, ait S. Hieronymus.

Deus sit laus nostra. QUONIAM LAUS MEA TU ES. — Pro *laus* Septuaginta vertunt, *gloriatio*, id est objectum laudis et gloriationis, *q. d.* Tu es, Domine, in quo et de quo gloriari soleo, esto rideant et subsannent me Judæi, quod scilicet sim minister et propheta veri Dei, quem ipsi idolis adhærentes despiciunt. Vide *Canon.* XXXVIII.

Secundo, et profundius Sanchez, *q. d.* Si quid ab hominibus habuero, illud mihi neque firmamento esse existimabo, neque laudi; cum neque magnum sit, neque solidum et diuturnum esse possit : at quod abs te habuero, illud mihi gloriosum erit, meque vere laudabilem faciet, quia verum est et stabile bonum. Laus ergo, id est laudabilis plane, erit sanitas, quam a te accepero, non ea quam ab homine.

Præclare quoad mores S. Hieronymus Eustochium instruens, *epist.* 22 : « Illud, ait, tibi vitandum est cautius, ne inanis gloriæ ardore capiaris. Quomodo, inquit Jesus, potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis? Vide quale malum sit, quod qui habuerit, non potest credere. Nos vero dicamus : Quoniam gloriatio mea tu es. Et : Qui gloriatur, in Domino glorietur. Et : Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. Et : Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. Et illud : In te laudabimur tota die : In Domino laudabitur anima mea. Cum facis eleemosynam, solus Deus videat; cum jejunas, læta sit facies tua. Vestis nec satis munda, nec sordida, et nulla diversitate notabilis; ne ad te obviam prætereuntium turba consistat, et digito monstreris. »

15. ECCE IPSI DICUNT AD ME : UBI EST VERBUM DOMINI? VENIAT, — *q. d.* Vide, Domine, quam tibi sim fidelis, quamque in te confidam, et firmus consistam. Ecce enim Judæi mea oracula, imo tua, rident quasi vana et conficta, dicuntque subsannando : « Ubi est verbum Domini, » quod nobis jugiter ad nauseam occinis? ubi sunt Chaldæi, quos nobis minaris? veniant : non timemus, non curamus. Venturos non credimus; et si veniant, experientur nostra et sociorum, præsertim Ægyptiorum, arma et vires. Τὸ enim *veniat*, est animi præfidentis, non timentis, sed optantis bellum et hostem, imo lacessentis et provocantis. Et tamen hæc omnia audiens, non moveor, non turbor, non cesso a prophetando et comminando : quia te, Domine, sequor.

Vers. 16. 16. ET EGO NON SUM TURBATUS. — Hebraice לֹא אַצְתִּי *lo atsti*, quod Chaldæus vertit, *non sum cunctatus*; Pagninus, *non elongavi*, ut essem pastor post te, *q. d.* Licet ita vexer, tamen non deserui munus prophetandi mihi a te commissum.

Secundo, Vatablus vertit, *non fui sollicitus*, id est non me ingessi ad prophetandum, sed tu, Domine, mihi hoc imperasti.

Tertio, proprie *lo atsti*, id est *non festinavi, non trepidavi, non sum angustiatus*, hoc est, ut Noster, *non sum turbatus* tot maledictis Judæorum, quo minus essem pastor post te, ut habent Hebræa, sed intrepidus perrexi Judæos verbo Dei pascere, eisque prophetare oracula et minas gravissimas Dei, idque quia te, Domine, quasi summum pastorem sequor. Ita S. Hieronymus, Rabanus, Hugo, S. Thomas, Lyranus.

Unde Septuaginta vertunt : *Non laboravi sequens post te.* Quis potest, ait Ambrosius, lib. III, *epist.* 20, laborare, sequens Jesum, qui dat vires sequentibus se, qui dicit : « Venite ad me omnes qui laboratis, et ego reficiam vos, » quique sequentibus se, dat bravium et coronam?

Male ergo legit Theodoretus : *Ego lassatus sum*, scilicet persecutionibus, *sequens te.* Vere S. Augustinus in *Sententiis*, num. 97 : « Adhærens, ait, Deo, et semper ejus faciens voluntatem, nunquam a suo habitatore deseritur, et si quædam dura et adversa patiatur, non relinquitur, sed probatur. » Et num. 143 : « Creaturæ rationalis bonum quo beata fit, non nisi Deus est. Hoc enim adepto fit beata, quo amisso misera. »

Nota : « Certum signum contemptus mundi est nulla re perturbari. » Qui enim nihil in mundo amat, hic nulla ejus jactura dolet aut perturbatur. Huc ut pervenias, fige mentem in Deo, ille sit amor tuus : præpone tibi Christi tui pastoris et ducis exemplum, illudque sequare. Christus enim prædicans regnum Dei et viam ad salutem, mille Scribarum probra sustinuit, sed iis non cessit, et a prædicando non destitit : ita fac et tu. Audi Origenem, hom. in hæc verba : *Jesus*, inquit, *tibi dicit : Tolle crucem tuam, et veni, sequere me* : « Si igitur talis fueris, ut semper Christum sequaris, quanto plus secutus fueris, tanto minus laborabis. » Et S. Augustinum, qui lib. *De Vita Christiana* docet eam consistere in sequela Christi, ut per omnia Christum pastorem quasi oves sequa-

mur. Unde cap. XIV, verum christianum, ejusque officia, actus et mores aureo hoc penicillo depingit : « Christianus, inquit, est qui viam Christi sequitur, qui Christum in omnibus imitatur, sicut scriptum est I *Joan.* II : Qui dicit se in Christo manere, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare. Christianus ille est, *primo*, qui omnibus misericordiam facit; *secundo*, qui omnino non movetur injuria; *tertio*, qui opprimi pauperem se præsente non patitur; *quarto*, qui miseris subvenit, qui indigentibus succurrit; *quinto*, qui cum mœrentibus mœret, qui dolorem alterius sicut proprium sentit, qui ad fletum fletibus alienis provocatur; *sexto*, cujus domus omnibus communis est, cujus janua nemini clauditur, cujus mensam pauper nullus ignorat, cujus donum panis cunctis offertur; *septimo*, a quo nemo sentit injuriam; *octavo*, qui die noctuque Deo deservit, qui ejus præcepta indesinenter meditatur, et cogitat; *nono*, qui pauper mundo efficitur, ut Deo locuples fiat; *decimo*, qui inter homines habetur inglorius, ut coram Deo et Angelis ejus gloriosus appareat; *undecimo*, qui in corde suo nihil videtur habere simulatum vel fictum, cujus simplex et immaculata est anima; *duodecimo*, cujus conscientia fidelis est et pura; *decimo tertio*, cujus tota mens in Deo est, cujus omnis spes in Christo est; *decimo quarto*, qui cœlestia potius quam terrena desiderat; qui humana spernit, ut possit habere divina. » Ita S. Malachias Archiepiscopus Hiberniæ : « Sine turbatione versabatur in turbis. Si videres hominem mediis immersum turbis, et implicitum curis, diceres patriæ natum, non sibi. Si videres hominem solum et secum habitantem, putares soli Deo vivere et sibi, » ait S. Bernardus, serm. *De eodem*.

DIEM HOMINIS NON DESIDERAVI.— Chaldæus, Theodoretus, Vatablus, pro *hominis* legunt אנוש *anus*, *q. d.* Diem afflictionis et ærumnæ, id est calamitosum et desperatum, puta diem excidii quem eis prædico, non optavi eis, imo cum dolore cogor eum prædicere : quia tu, Domine, id mihi jubes; et sic Noster posset accipi, « diem hominis, » scilicet *enos*, id est fragilis et ærumnosi, id est ærumnas hominis eis non optavi. Verum melius S. Hieronymus, Septuaginta, Lyranus, D. Thomas et alii legunt, *enos*, id est hominis.

Homo hebraice dicitur *enos*, id est oblivioso et oblivioni cito tradendus. Secundo, *enos*, id est miser et ærumnosus. Dies hominis quis?

Nota hominem a natura et materia dici *adam* ab adama, quasi dicas, homo ab humo. Sed post peccatum, corruptionem et ærumnas dictus est *enos*, quod Eusebius, lib. XI *Præp.* IV, vertit, *oblivioso*, vel cujus cito fit oblivio, a radice נשה *nasa*, id est oblitus est : ut huc alludat Psaltes, *Psal.* VIII, 5 : « Quid est homo (hebraice *enos*), quod memor es ejus? » Alii et melius *enos* deducunt ab אנש *anus*, ut *enos* idem sit quod miser, ærumnis obrutus, desperatus.

Jam dies hominis est ille, quo homo prosperatur, potens est, gloriosus, honoratur, laudatur, *q. d.* Non desideravi vitam longiorem, prosperitatem, opes, honores, delicias, plausus hominum : scio enim quod homo sit *enos*, id est miser, et cito cum suis bonis periturus; sed tantum desideravi in meis prophetiis et concionibus, o Domine, tibi servire et placere, a te commendari, quem judicem et testem invoco, dicens : « Tu scis. Verus enim dies qui non novit occasum, est æterna veritas, vera æternitas, ac proinde vera æternaque satietas, » inquit S. Bernardus in *Psalm.* XC, serm. 17. Sic Job XVI, 20, ait : « Ecce enim in cœlo testis meus, et conscius meus in excelsis. » Ita S. Hieronymus, Rabanus, Hugo, S. Thomas, Lyranus.

Vis scire quid sit dies et favor humanus? Intuere effigiem, qua eum pinxit Apelles, quam quidam ita carmine expressit :

Pictor Apelles, quid pingis ab arte Favorem?
Unde illi generis semina nota parum?
Hic genitum Forma, Fortunæ hic jactat alumnum;
Casu ille, ille animi Dotibus esse satum.
Quis comes assiduus lateri? Assentatio; et ecquæ
Pone subit lentis passibus? Invidia.
Ecqui circumstant? Opulentia, Fastus, Honores,
Leges, et scelerum sæpe Libido parens.
Cur facis aligerum? Fortunæ elatus ab aura
Advolat alta, imo nescius esse gradu.
Quare oculis captum pingis? non novit amicos,
Improbus ex humili cum petit alta loco.
Quid rotulæ insistit? Fortunam imitatur, et infert
Se socium, instabiles qua tulit illa pedes.
Cur timet, atque extra sese ambitiosius effert?
Occæcare animos fata secunda solent.

Hunc hominis diem despiciebat Psaltes, dicens *Psalm.* XXXV : « Ab altitudine diei timebo; ego vero in te sperabo, *q. d.* Magnam hostium meorum potentiam et prosperitatem, si vires meas spectem, reformido : sed in tuis viribus confido, ideoque illa non metuo, sed despicio.

Sic Apostolus, I *Corinth.* IV, 3 : « Mihi, ait, pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die, » id est a potentia et sapientia hujus mundi; ab hominum favore et commendatione, ab humano judicio : nil timeo quid vos de me judicetis, aut potentissimi et clarissimi quique hujus mundi. Felix qui dicere potest : « Diem hominis non desideravi, » ita ut hujus rei Deum testem habeat. Hæc summa perfectio est, qua omnia ut stercora reputantur, ut Christum lucrifaciamus.

Perfectorum est, contemnere verba et laudes hominum. Exempla et gnomæ fidelium.

Id Moses jam grandis effecit (grandium enim hæc res est) negans se esse filium filiæ Pharaonis, « magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem, » *Hebr.* XI. Ita S. Augustinus Secundino hæretico sibi obtrectanti respondit. « Senti de Augustino quod libet, sola conscientia coram Deo me non accuset. »

Ita S. Chrysostomus, hom. 2 *in Epist. ad Titum* : « Non prohibeo, inquit, gloriam appeti; sed illa volo ambiatur, quæ vera est, quæ ex Deo est, cujus laus, inquit Paulus (*Rom.* II), non ex hominibus, sed ex Deo est. Unum intueamur solum, ad

id tota nostra dirigatur intentio, quo scilicet pacto Dei mereamur ore laudari. Si hoc intente inspiciamus, humana semper omnia nihili æstimabimus; non laudat te ille, aut ille, nihil inde amittis; et si vituperet quispiam, nihil omnino te læsit; sive enim laus sive vituperatio, ex Deo tantum aut emolumentum habet aut detrimentum. » Ibidem Chrysostomus docet contemptum humanæ laudis et gloriæ nos Deo similes reddere. Sicut enim Deus hominum laude et gloria non indiget, quæ per æternitatem (in qua immensam habuit gloriam a Patre, Filio, et Spiritu Sancto), antequam mundum conderet, nulla fuit : sic etiam gloriæ contemptor. Unde concludit : « Quoties, inquit, difficile existimas contemnere gloriam, ista tecum animo versa; si hanc despexero, Deo æqualis (id est similis), efficiar, protinusque subibit contemptus gloriæ ex animo. »

Ita S. Ignatius : « Ut sanus, inquit, sim in his quæ ad Deum pertinent, vehementius tamen mihi verendum est, et cavendum ab his qui me temere inflant; laudantes enim me flagellant. »

Ita Clemens Alexandrinus apud Maximum, serm. *De Laude*, refert assentatores quosdam beatum quemdam sapientem prædicasse, illum vero dixisse ad eos : « Si me laudare destiteritis, ex discessu vestro magnum aliquem meipsum cogitabo; si vero laudare non desinitis, ex laude vestra meam conjicio impuritatem. »

Ita S. Dionysia cum a carnificibus spoliata flagris ignominiose cæderetur, intrepide eos reprehendit, dicens : « Ministri diaboli, ea quæ ad contumeliam facitis, laudi mihi sunt. » Testis est Victor, lib. III *Wandal.*

Ita S. Macarius in *Vitis Patrum*, lib. VII, cap. XXVIII, dixit : « In veritate, si facta est monacho despectio quasi laus, paupertas sicut divitiæ, inopia sicut epulæ, nunquam moritur. Impossibile est bene credentem, et pie colentem Deum, cadere in passionem immundam et in errorem dæmonum. »

Exempla Gentilium. Idipsum quoque gentiles viderunt, sed per umbram. Seneca, lib. III *De Ira*, cap. XLI : « Conscientiæ, inquit, satisfiat, nihil in famam laboremus. » Nam, ut ipse ait alibi : « Ambitio scenam quærit. »

Fabius Maximus, nolens confligere cum Annibale, sed eum sequens per montes, ut fame atteraret, ridebatur quasi pædagogus Annibalis. Ille interim, sana sequens consilia, dicebat : « Qui maledicta et convicia metuit, timidior est eo qui hostes fugit. » Unde Annibal magis sibi a non pugnante Fabio, quam a pugnante Marcello timebat. Denique « Fabius cunctando restituit rem. »

Triumphus decretus erat Pompeio; reclamabant milites dona poscentes. Tum Pompeius : « Omittam, inquit, potius triumphum, quam ut militibus aduler. » Exclamavit Servilius : « Nunc demum video Pompeium revera esse magnum, triumphoque dignum. »

Lycurgus Spartanos docuit verbis non moveri, sed præclare factis studere. Spartanorum ergo erat, posse false dicta aliorum tolerare.

Lysander dux Lacedæmoniorum cuidam dicenti sibi : « Laudo te et defendo, respondit » : « Duos ruri habeo boves, quibus tacentibus, exacte scio uter eorum piger sit, uter industrius. »

Idem alteri sibi convicianti : « Crebro, inquit, ista dicito, si forte animi tui mala, quibus plenus videris esse, possis egerere. » Ita Plutarchus, in *Lacon. et Roman.*

QUOD EGRESSUM EST DE LABIIS MEIS, RECTUM FUIT, — id est verum fuit, non mendax. Ita S. Hieronymus, *q. d.* Quod tibi, o Domine, rectum visum est, locutus sum; quod tu mihi inspirasti, prædixi, nulli hominum adulatus : libere te jubente principum vitia carpsi, « nec ullius offensam timui, quia nullius gratiam ambivi. »

Ita B. Petrus Damianus, a quibusdam falso accusatus, suam innocentiam rectæ conscientiæ testimonio tuetur, scribens ad Leonem IX Pontificem, *epist. 4* : « Verumtamen, inquit, in his ad conscientiam redeo, ad mentis meæ secreta recurro, certus, quia nisi pro amore Christi, cujus ego malus servus sum, nullius mortalis hominis gratiam quæro, nullius iracundiam pertimesco. »

17. NON SIS TU MIHI FORMIDINI, — ne permittas me ob verbum tuum in periculo versari, in quo mihi de morte aliove malo formidandum sit, cum in te spem omnem ponam. Vers. 17.

Rursum, *q. d.* Nec homines, nec minas, nec quidquam quod in mundo sit, præter te, Domine, formido. Unum te tuique offensam et iram timeo. Dum tu mihi non irascaris, dum tu mihi non sis formidini, sed opi et tutelæ, ut mihi in persecutionibus adsis, non timebo, securus consistam, dicamque cum Psalte, *Psalm.* XXVI, 1 et 3 : « Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo? Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. Si exsurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo. »

Septuaginta vertunt : *Ne fias mihi alienus, parcens in die malo*, id est, ait S. Hieronymus : « Ne parcas mihi in præsenti sæculo, quod malum est; sed redde mihi juxta peccata mea, ut in futuro requiem habeam sempiternam. »

18. CONFUNDANTUR, — fac ut illi fallantur, non ego; fac ut illi appareant esse mendaces, cum viderint excidium quod ego minor, et ipsi irrident : ut sic ego non confundar, sed verax appaream. Ita S. Hieronymus. Alternant enim in Prophetis motus misericordiæ, qua suis, præsertim simplici populo, parci et ignosci postulant; et vindictæ, qua superbos, irrisores et rebelles flagellis edomari et contundi postulant. Alii, ut Sanchez, hos optativos per futura explicant, ut significent prædictionem rei futuræ : « confundantur, » id est confundentur : « paveant, » id est pavebunt : « contere, » id est conteres. Aut subaudiunt voculam *si*, *q. d.* Si alteruter nostrum Vers. 18.

confundi debeat, uti debet, me excidium futurum affirmante, illos vero negantibus; fac, Domine, ut illi potius confundantur, qui tua verba rident, non ego, qui ea enuntio.

DUPLICI CONTRITIONE CONTERE EOS. — « Duplici, » scilicet fame et gladio, inquit S. Hieronymus; aut, morte et captivitate, ut Lyranus.

Secundo et simplicissime, « duplici, » id est gravi, multiplici. Vide dicta cap. XVI, 18. Sic Latini *triplex*, vel *decumanum* vocant id quod magnum est, ingens et validum.

19. STA IN PORTA — urbis regia, quæ celeberrima est et frequentissima.

Vers. 21. Colens sabbatum, profitebatur Deum esse creatorem omnium.

21. CUSTODITE ANIMAS VESTRAS, — ne peccato, maxime violationis sabbati, maculentur. Hebraice : *Cavete in animabus vestris*, vel pro *anima vestra*, id est quam chara vobis est anima, cavete ne sabbatum violetis, alioqui excidemini : sin illud custodiatis, et consequenter omnem Dei cultum, pax erit vobis, et omnium rerum abundantia. Patet ex seq. Per sabbati custodiam, omnem legis observationem intelligit, uti et Isaias, cap. LVI, 2 et 4. Qui enim sabbatum custodiebat, hoc ipso tacite profitebatur Deum esse conditorem et gubernatorem cœli et terræ; in hujus enim rei et beneficii memoriam, sabbatum erat institutum : qui vero contemnebat sabbatum, videbatur inficiari Deum esse conditorem mundi. Sic si quis hodie diem Dominicum celebrare recusaret, videretur negare Christum resurrexisse, in cujus memoriam dies ille constitutus est. Ita Vatablus.

Nota hunc locum, pro cultu sabbati apud Judæos, et diei Dominicæ apud christianos. Vide quam stricte præcipiat hic Deus Judæis, ut sabbato non portent onera.

22. EJICERE, — efferre onera.

25. REGES ET PRINCIPES, — *q. d.* Dabo vobis reges ex stirpe David, servaboque pactum quod cum eo inii, *Psalm.* CXXXI, 11, et II *Reg.* VII, 12.

IN CURRIBUS ET EQUIS, — pace, et gloria, et rebus prosperis affluentes : currus enim et equi, sunt gloria regum.

26. ET VENIENT, — *q. d.* Jerusalem florebit, templumque mire frequentabitur. Vers. 26.

27. SUCCENDAM, — per Nabuzardan et Chaldæos. Vers. 27.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ostendit Deus exemplo figuli vas dissipatum refingentis, posse se Judæos dissipare et in captivitatem dispergere, ac post in pristinum statum restituere, si pœniteant : sed quia Judæi nolunt pœnitere, hinc, vers. 11, *minatur eis excidium per Jeremiam, quem ideo Judæi, vers.* 18, *volunt occidere; quos ut Deus puniat, et se liberet, orat Jeremias, vers.* 19 (1).

1. Verbum quod factum est ad Jeremiam a Domino, dicens : 2. Surge et descende in domum figuli, et ibi audies verba mea. 3. Et descendi in domum figuli, et ecce ipse faciebat opus super rotam. 4. Et dissipatum est vas, quod ipse faciebat e luto manibus suis : conversusque fecit illud vas alterum, sicut placuerat in oculis ejus ut faceret. 5. Et factum est verbum Domini ad me, dicens : 6. Numquid sicut figulus iste, non potero vobis facere, do-

(1) Sectio tertia partis primæ Jeremiæ vaticiniorum a cap. XVIII ad cap. XXXVI, sermones prophetico-historicos ad populum Judaicum complectitur. Qui hoc ordine inscribi et disponi possunt scilicet : duo sermones ante captivitatem, XVIII-XX; duo post captivitatem alteram, XXI-XXIV; tres post captivitatem primam, XXV-XXVII; duo sermones polemici, XXVIII, XXIX; sermo unicus propheticus, XXX, XXXI; sermones tres partim historici, partim prophetici, XXXII-XXXIV; sermo veluti disparatus de Rechabitis, XXXV. (Kilber)

Prophetæ maximas clades ipsumque reipublicæ interitum ob gravissima populi scelera iterum ac sæpius minanti cum fidem non haberent ejus populares, persuasi, Deum quam suis majoribus addixisset terram non permissurum esse hostibus occupandam et devastandam (cf. supra cap. VII, 4, 12; XIV, 16); docet hac oratione, Deum suis promissionibus nequaquam ita obstrictum teneri, ut eas ratas facere oporteat, etiamsi homines bonis, quæ ipsis promissa essent, sese indignos redderent. Sed quemadmodum cum alicui genti excidium minatus fuerit, si illa sese a suis sceleribus retraxerit, ipse quoque malo temperabit quo eam afficere cogitaverat, ita et illum genti, cui stabilitatem et bona omnia promiserit, auferet si malum fecerit, bona quæ ei conferre statuerit.

Quo clarius evadat hoc Dei decretum, PRIMO, proponitur typus figuli vas alterum perdentis, alterum formantis, 1-4.

SECUNDO, fit accommodatio typi, *primo*, per thesin a Deo expositam, 5, 6; *secundo*, per amplificationem ab eodem additam, de sua ad perdendum vel servandum parata potentia, 7-10; *tertio*, per hypothesin ad Judæos applicatam, 11, 12; quorum improbitatem convincit exemplo et similitudine, 13-15; et contumaciam terret judicio, 16, 17.

TERTIO, cum nec his tamen adhortationibus et comminationibus moti prophetæ adversarii, novas ei insidias struerent, et indignissimis modis eum tractarent, 18;

mus Israel, ait Dominus? ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea, domus Israel. 7. Repente loquar adversum gentem et adversus regnum, ut eradicem, et destruam, et disperdam illud. 8. Si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum adversus eam : agam et ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi ut facerem ei. 9. Et subito loquar de gente et de regno, ut ædificem et plantem illud. 10. Si fecerit malum in oculis meis, ut non audiat vocem meam : pœnitentiam agam super bono, quod locutus sum ut facerem ei. 11. Nunc ergo dic viro Juda, et habitatoribus Jerusalem, dicens : Hæc dicit Dominus : Ecce ego fingo contra vos malum, et cogito contra vos cogitationem : revertatur unusquisque a via sua mala, et dirigite vias vestras et studia vestra. 12. Qui dixerunt : Desperavimus : post cogitationes enim nostras ibimus, et unusquisque pravitatem cordis sui mali faciemus. 13. Ideo hæc dicit Dominus : Interrogate gentes : Quis audivit talia horribilia, quæ fecit nimis virgo Israel? 14. Numquid deficiet de petra agri nix Libani? aut evelli possunt aquæ erumpentes frigidæ, et defluentes? 15. Quia oblitus est mei populus meus, frustra libantes, et impingentes in viis suis, in semitis sæculi, ut ambularent per eas in itinere non trito : 16. ut fieret terra eorum in desolationem, et in sibilum sempiternum : omnis qui præterierit per eam obstupescet, et movebit caput suum. 17. Sicut ventus urens dispergam eos coram inimico : dorsum, et non faciem ostendam eis in die perditionis eorum. 18. Et dixerunt : Venite, et cogitemus contra Jeremiam cogitationes : non enim peribit lex a sacerdote, neque consilium a sapiente, nec sermo a propheta : venite, et percutiamus eum lingua, et non attendamus ad universos sermones ejus. 19. Attende, Domine, ad me, et audi vocem adversariorum meorum. 20. Numquid redditur pro bono malum, quia foderunt foveam animæ meæ? Recordare quod steterim in conspectu tuo, ut loquerer pro eis bonum, et averterem indignationem tuam ab eis. 21. Propterea da filios eorum in famem, et deduc eos in manus gladii : fiant uxores eorum absque liberis, et viduæ : et viri earum interficiantur morte : juvenes eorum confodiantur gladio in prælio. 22. Audiatur clamor de domibus eorum : adduces enim super eos latronem repente : quia foderunt foveam ut caperent me, et laqueos absconderunt pedibus meis. 23. Tu autem, Domine, scis omne consilium eorum adversum me in mortem : ne propitieris iniquitati eorum, et peccatum eorum a facie tua non deleatur, fiant corruentes in conspectu tuo, in tempore furoris tui abutere eis.

2. DESCENDE. — *Descendere* hic et alibi sæpe, idem est quod ire; quanquam et proprie hic capi potest : officinæ enim figulinæ, ob aquam qua indigent, erant in valle; unde eunti ad eas, descendendum erat : erant enim juxta vallem gehennæ, sive Topheth. Hoc est enim quod dicitur cap. XIX : « Egredere ad vallem filii Ennom, quæ est juxta introitum portæ fictilis, » id est figularis, sive figulinæ et figulorum, uti exponunt Lyranus, Hugo, Dionysius et alii.

Tropologice, ire

Tropologice jubet Deus, ut sæpe cum Jeremia descendamus ad domum figuli, ut videamus originem nostram, et Adami ex adama, id est lutei ex luto; itaque humiliemur sub manu Dei, quasi figuli nostri. Vere S. Gregorius, lib. VIII *Moral.* XXII : « Quia, inquit, elatum semel sumpsimus spiritum, ecce defluens quotidie portamus lutum. »

ad domum figuli, est considerare sui originem ex luto.

4. FECIT ILLUD VAS ALTERUM (1),—*q. d.* Figulus ex Vers. 4.

(1) « Et ecce ipse faciebat opus super rotam. » Dualis numeri est dictio עַל-הָאבְנַיִם significans instrumentum non super quo sedet figulus, sed super quo facit opus, quod ut plurimum fit a ligno, rotundum : quibusdam autem in locis est instar duarum molarum, idcirco dualem habet formam (Vatabl. *Bibl.*). Quod sic explicat Rosenmuller : vox hebræa non, ut nonnulli conjecerunt, duplicem denotat sellam, alteram, cui insideat sedentarius operator figulus, alteram priori e regione connexam, ollæ sellam et rotatilem incudem, ad quam usque manibus pedibusque pertingat figulus; sed duplicem rotam, quæ inferiore magna, superiore minori constat, in cujusmodi rotis figulos in Oriente opus facere solere suo adhuc tempore, scribit R. Jona sive Abul-Walid, cujus verba e Lexico ejus manuscripto attulit Gesenius in præfatione ad *Lexicon hebræo-teutonicum minus*, part. XVIII, not. edit. sec.

Deum ille implorat, *primo*, eum pro discernenda inter Judæos, causa, provocando, 19; *secundo*, suam contra illos æquissimam conditionem probando, 20; *tertio*, interitum iisdem et vindictam a Deo imprecando, 21-23.

Eadem quæ hic et questus et precatus est Propheta in duabus superioribus orationibus, cap. XV, 15 seqq.; et cap. XVII, 15 seqq; quas regnante Joakimo habitas fuisse vidimus. Ad ejusdem regis ætatem igitur et hanc, concionem referre haud dubitamus, inquit Rosenmuller et post eum d'Allioli.

luto vas formaverat, sed nondum igne decoxerat. Hoc vas casu inter manus figuli confractum et dissipatum fuit in partes suas luteas, quas resumens figulus, mox ex iis aliud fecit vas quod libuit : nam si vas hoc fuisset fictile, sive igne decoctum, non potuisset figulus fragmenta coagmentare, et ex iis aliud vas facere.

6. ECCE SICUT LUTUM IN MANU FIGULI, SIC VOS IN MANU MEA, — *q. d.* Sicut vas luteum est in manu figuli, ut illud frangat, et ex eo faciat aliud vas, vel prius renovet : sic et ego vos, o Judæi, a me destinatos excidio, si pœnitueritis, reformabo, mutabo sententiam, et calamitatem vestram in felicitatem convertam; ut ex vasis contumeliæ, id est ingloriis et infelicibus, fiatis vasa in honorem, id est honorifica et felicia. Ita Theodoretus. Paulo aliter explicat Hugo, *q. d.* Sicut figulus vas fractum renovat : ita ego vos e captivitate, quasi fractos reducam, et renovabo rempublicam vestram, si resipueritis. Deus enim mutabit sententiam, si vos mutetis mentem.

Homo similis est luto, Deus figulo, in quo?

Nota : Hæc comparatio non per omnia est similis; nam lutum non habet mentem, nec liberum arbitrium, ut habet homo : ac proinde non in luti, sed in hominis manu est virtus et vitium, salus et damnatio ejus; ita tamen ut virtutis et salutis ejus magis causa sit Deus per gratiam suam, quam homo. Similitudo ergo est tantum in eo quod dixi. Non enim agitur hic de animo, sed de corpore; scilicet de captivitate et libertate, de rebus adversis et prosperis, de morte et vita, *q. d.* Ego solus possum vos de captivitate liberare, et in captivitatem tradere; ego possum mortificare, et vivificare; deducere ad inferos, et reducere, I *Reg.* II, 6.

Tropologice, homo coram Deo se gerat ut lutum.

Tropologice, lutum est homo, quia ex limo est factus, ut cum timore et humilitate Deo se submittat : in cujus manu est status noster, vita, gressus, virtus, salus, et omne bonum nostrum, ut ab eo pendeat, illique se restituat, cujus manum et potestatem effugere non potest.

Secundo, sicut lutum tantum est lutum, sed ex manu figuli hanc vel illam formam sortitur; ita homo ex se impotens est, informis et rudis instar materiæ primæ; sed a Deo habet quod sit dives, nobilis, sapiens, felix, gratiosus : et Deus dividit hæc sua dona cuique prout vult, *Eccli.* XXXV, 10; *Roman.* IX, 21. Vide ibi dicta.

Tertio, quisque sua sorte contentus esse debet: sicut enim lutum non potest dicere figulo : Cur me fecisti sic? sic nec nos Deo : Cur nos fecisti pauperes, ignobiles, rudes; illos vero divites, nobiles, ingeniosos, etc.? Denique, perfecti et beati sunt, qui se totos Deo resignant, et ab eo instar luti se flecti, regi, fingi et refingi sinunt.

Anagogice figulus refingens vas, est Deus resuscitans cadaver.

Anagogice, hoc symbolo significantur mors et resurrectio, ait S. Hilarius, in *Psalm.* II, 9. Deus enim quasi figulus vas corporis nostri in morte collapsum et diffractum, in resurrectione refingit. Sic et Cyprianus, vel potius Rufinus in *Expositione Symboli,* hæc accipit de resuscitatione Christi mortui.

8. AGAM ET EGO POENITENTIAM, — id est retractabo et revocabo sententiam contra vos latam. Ἀνθρωποπαθῶς. Vers. 8.

11. DIC VIRO JUDA, — dic viris Juda, dic Judæis. Ponitur singularis pro plurali. Vers. 11.

ECCE EGO FINGO, — formo quasi figulus, id est comminiscor et apparo, contra vos malum, « non quod per se malum sit, sed quod patientibus malum esse videatur, » ait S. Hieronymus, puta afflictionem et stragem. Sic ait Isaias, cap. XLV, 7 : « Ego Dominus formans lucem, et creans tenebras, faciens pacem, et creans malum » pœnæ, non culpæ. Vere S. Gregorius, lib. III *Moral.* cap. VII : « Non creantur, ait, a Domino, quæ nulla natura sua subsistunt; sed creare se mala Dominus indicat, cum res bene conditas nobis male agentibus in flagellum format, ut ea ipsa et per dolorem quo feriunt, delinquentibus mala sint, et per naturam qua existunt, bona. Unde et venenum mors est homini, serpenti vita. » Et S. Basilius, tract. *Quod Deus non est auctor malorum* : « Malum, ait, aliquod est secundum nostrum sensum (puta malum pœnæ), aliud natura ipsa. Malum natura ex nobis oritur, injustitia, invidia, cædes, » etc.

12. DESPERAVIMUS (Hebraice נואש *noas,* id est desperatum est; Vatablus, *exspectoratum est;* Chaldæus, *aversi sumus a cultu tuo;* Septuaginta apud Theodoretum, *obfirmati sumus,* scilicet in malo, *q. d.* Actum est, non possumus inolitas voluptates, consuetudines et peccata relinquere; præ difficultate, habitu, tædio et negligentia, non possumus ad Dei timorem et legis observantiam reverti, *q. d.* Certum nobis est et deliberatum, non facere : quia) POST COGITATIONES NOSTRAS IBIMUS, — id est mala, quæ animo destinavimus, perficiemus. Vers. 12.

13. QUIS AUDIVIT TALIA HORRIBILIA? — quis audivit ullam gentem fecisse שעריריה *scaarurit,* id est tam fœdam et horrendam turpitudinem, atque fecit Israel, olim virgo, jam meretrix. Vers. 13.

Vers. 14 et 15. Non deficit de petra agri nix Libani, quid? Prima expositio optima.

14. NUMQUID DEFICIET DE PETRA AGRI NIX LIBANI? (*Petram agri* vocat rupes Libani, planas instar agri et campi, *q. d.* De iis non deficiet nix) : AUT EVELLI (id est exhauriri et deficere) POSSUNT AQUÆ ERUMPENTES FRIGIDÆ, ET DEFLUENTES? QUIA OBLITUS EST MEI POPULUS MEUS. — Sensus est : Cum cæteræ creaturæ naturæ ordinem servent, populus tantum meus oblitus est mei, *q. d.* Citius debuissent nives deficere de Libano petroso, et siccari rivi de montibus fluentes, quam populus mei oblivisceretur, propter assidua beneficia, quæ a me in illum manant. Quomodo ergo fieri potest ut mei oblitus sit, libando scilicet idolis, et relinquendo « semitas sæculi, » id est a sæculo, et olim a sanctis Patribus tritas, ut vias suas novas, id est avia, et nova idola, sequeretur? Ita S. Hiero-

nymus, Theodoretus, Chaldæus (1). Simili schemate ait Virgilius :

> Ante leves ergo pascentur in æthere cervi,
> Et freta destituent nudos in littore pisces,
> Quam nostro illius labatur pectore vultus.

Rursum, sic recte exponas : Num ex Libano ultro fluentes et liquescentes nivales aquæ, respui possunt ab agro sito ad montis radicem, arescente et sitiente : num sitis ipsa et necessitas, atque privatio pluviæ, ipsaque siccitas deserere aut non admittere potest sponte sua influentem aquam? Minime sane : et tamen populus meus mei oblitus, hunc mei jugem influxum, ex mente et animo suo excludit. Sicut enim Libanus perpetuo ex nivibus liquat et scaturit aquas frigidas : sic ego sum fons aquæ viventis, quæ copiose tam corpus quam animam refrigerat, juxta illud *Cant.* IV, 15 : « Puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano. »

Secunda. *Secundo,* Lyranus, Pagninus et Vatablus vertunt : Num quis relinquet de petra agri nivem Libani? id est numquid relinquet aliquis aquam frigidam et claram ex nive Libani, in petras et per petras defluentem, ut quærat cisternas dissipatas? uti fecit populus meus, me fontem vivum relinquens, et libans Baalim, uti dixit cap. II, 13; eo enim alludit, ibique dicta refricat. Duo ergo absurda hæc parœmia significat : *primo,* petere ex longinquo quod habeas prope; *secundo,* quærere malum foris, cum domi habeas bonum. Sic enim Judæi, relicto Deo optimo quem domi habebant, quærebant deos pessimos gentium : perinde ac si maritus, relicta uxore optima, sectetur fœdissimas meretrices.

Tertia. *Tertio,* Septuaginta pro שדי *scade,* id est ager, legunt שדים *sadaim,* id est ubera, vertuntque : *Numquid deficient de petra ubera,* aut, ut Theodoretus legit, *mammæ stillantes* : quia ex rupibus fluunt aquæ perennes, uti ex uberibus fluit lac : fontes ergo sunt terræ quasi ubera, et, ut Philo, lib. *De Opificio mundi,* ait, quasi mammæ quibus terra lactat et pascit tam plantas suas, quam homines et animalia : *vel nix de Libano, aut declinavit aqua valida quæ vento portatur? q. d.* ait Theodoretus : « Fontes sine intermissione scaturiunt; Libanus semper habet nivem; aqua quæ fertur impetu trita via fluit. »

Mysterium S. Trinitatis hoc loco mystice significatum.

Quod S. Ambrosius, lib. *De Virgin.,* ante medium mystice sic exponit : « Qualis est hæc virgo (Ecclesia), quæ Trinitatis fontibus irrigatur, cui de petra fluunt aquæ, non deficiunt ubera, mella funduntur. Petra ergo est Christus, ergo a Christo non deficiunt ubera, claritas a Deo, flumen a Spiritu : hæc est Trinitas quæ Ecclesiam suam irrigat, scilicet Pater, Filius et Spiritus Sanctus. » Ubi Ambrosius Trinitatem hisce verbis significari putat, *q. d.* Non deficient ubera de petra, id est de Christo; nec nix a Libano, id est claritas a Deo Patre; neque aqua valida a vento, id est flumen zeli et gratiarum a Spiritu Sancto.

Ubera Christi in Eucharistia.

Hæc ubera Christus maxime nobis exhibet in Eucharistia. Audi S. Chrysostomum, hom. 60 *ad Popul.* : « Quis, ait, pastor oves proprio pascit cruore? et quid dico pastor? matres multæ sunt, quæ post partus dolores filios aliis tradunt nutricibus : hoc autem ipse non est passus, sed ipse nos proprio sanguine pascit, et per omnia nos sibi coagmentat. » Unde infert : « Nonne videtis quanta promptitudine parvuli papillas capiunt, et quanto impetu labia uberibus infigunt : accedamus cum tanta nos quoque alacritate ad hanc mensam; quinimo cum longe majore trahamus tanquam infantes lactanei Spiritus Sancti gratiam, et unus sit nobis dolor hac esca privari. »

AUT EVELLI POSSUNT. — Hebræi sic habent : *Si evellentur aquæ alienæ* (id est, ex alio loco per rivos vel canales deductæ, itaque purificatæ et claræ) *frigidæ defluentes, q. d.* Non possunt e fontibus evelli, siccari et impediri aquæ jugiter scaturientes.

Secundo, Vatablus vertit : *Num deserentur aquæ alienæ frigidæ fluentes?* sicque explicat, *q. d.* An aliquis relinquere solet aquas vivas et fluentes, quæ canalibus deducuntur in urbem? Minime. Nam is esset dementissimus, qui cum habeat fontem optimum apud se, alio se converteret ad aquas putidas et fœtidas quærendas in suos usus; et tamen hoc fecit populus meus.

Tertio, Septuaginta apud Theodoretum sic vertunt : *Numquid aqua quæ fertur impetu, relinquet viam tritam qua fluit? q. d.* Minime; cur ergo vos, o Judæi, religionem et viam tritam ad templum relinquitis, euntes ad Baliam?

15. IMPINGENTES (hebraice יכשילום *iackschilum,* id est impingere fecerunt eos, scilicet pseudoprophetæ) IN VIIS SUIS, — ut scilicet deserant semitas sæculi, id est semitas antiquas patrum suorum, « quæ omnium sanctorum sunt tritæ vestigiis, » ait S. Hieronymus. Huc spectat adagium Græcorum : « Fluminum undas in caput revocare; » et : « Sursum versus sacrorum fluminum feruntur fontes, » significans præpostere quid fieri, naturæ rerumque vices inverti : quod genus sit, si puer senem admoneat, discipulus præceptorem docere, filii præ patribus sapere, eorumque Vers. 15.

(1) Pertinet huc, inquit Rosenmuller, quod Tacitus habet *Histor.* lib. V, cap. VI : « Præcipuum montium Libanum, *terra* erigit, mirum dictu, tantos inter ardores opacum fidumque nivibus. Idem amnem Jordanem fundit alitque; et quod αὐτόπτης Maundrell in *Itinerario* suo scribit, se, cum diebus sexta et septima maii ad invisendum Libanum profectus esset, tantam vim nivis, gelicidio firmiter constrictæ, in ejus cacumine deprehendisse, ut sex horarum spatium cum comitibus in superficie nivis equitando emetiri debuerit. Additque, Libani nives circumscriptæ potissimum regioni utiles esse, quod tempore incalescentis æstatis resolutæ fluviis fontibusque aquam impertiantur.

decreta factaque subvertere velint. Expressit id Ovidius in *Heroidum* epistolis :

> Cum Paris Œnone poterit spirare relicta,
> Ad fontem Xanthi versa recurret aqua.
> Xanthe, retro propera, versæque recurrite lymphæ,
> Sustinet Œnonem deseruisse Paris.

Narrat Laertius in *Vita Diogenis*, eum, cum servus effectus esset, hero tamen suo imperasse, ut quod ab se jubebatur faceret; cumque herus irridens responderet : « Sursum flumina; » replicavit Diogenes : Si existens ægrotus medicum ære tuo mercatus esses, nonne illi monenti pareres ? an istum ad modum responderes : « Sursum flumina? » Idem usurpat Nazianzenus in sua Vita.

UT AMBULARENT PER EAS, — scilicet vias suas novas, hactenus non calcatas, scilicet ad idola sua. Hebræa clarius sic distinguunt : *Impingere fecerunt eos in viis suis, in semitis sæculi, ut ambularent per semitas viæ non tritæ.* Quocirca melius easdem hic accipias vias suas et semitas sæculi. Viæ ergo peccati et peccatorum vocantur viæ vel semitæ sæculi : quia ab olim, a Caino, gigantibus, Sodomitis, ac nominatim a primis Judæorum patribus aureum vitulum in deserto fabricantibus et adorantibus, calcatæ et tritæ sunt, de quibus ait Job, cap. XXII, 15 : « Numquid semitam sæculorum custodire cupis, quam calcaverunt viri iniqui? Qui sublati sunt ante tempus suum, qui dicebant Deo : Recede a nobis? » Ita Hugo, Lyranus, D. Thomas, Capella, Dionysius et alii, *q. d.* Vos priscam patrum impietatem et idololatriam imitamini, estis malorum corvorum mali pulli. Porro tritissima a plurimis fuit hæc via; vocat tamen eam non tritam, per catachresin, quia aspera erat, difficilis et devia, utpote ducens ad exitium. Hoc est quod aiunt scelesti, *Sap.* V, 7 : « Ambulavimus vias difficiles. »

16. IN SIBILUM (in contemptum : solemus enim quos contemnimus exsibilare. Simile est cap. XIX, vers. 8, XXV, 9, et LI, 37), MOVEBIT CAPUT SUUM, — irridebit et contemnet te. Simile est *Psalm.* XXI, 8, et *Isaiæ* cap. XXXVII, vers. 22 : « Despexit te, et subsannavit te virgo filia Sion; post te caput movit filia Jerusalem. »

17. SICUT VENTUS URENS. — Hebraice est כרוח קדים *kervach kadim*, id est sicut ventus Orientalis, vel Euroauster, qui flat ab Oriente meridionali, vel, ut S. Hieronymus, Vulturnus, qui flat ab Oriente septentrionali, estque vehemens et urens, segetes adurit, facitque ut spicæ, granis in favillam versis, cassæ sint et evanidæ, ac deinde easdem dispellit quasi paleas et quisquilias : sic ego Judæos affligam excidio et incendio urbis et templi, atque tam ante quam post illud faciam aut profugos aut captivos, ut fugiant, vel captivi ducantur a facie Chaldæorum, id est a præsentia et persecutione Chaldæorum, sicut bestiæ fugiunt a facie leonis, id est a leone adventante aut persequente. Hoc est quod de impiis dicitur *Job* cap. XXVII, vers. 21 : « Tollet eum ventus urens, et auferet, et velut turbo rapiet eum de loco suo. »

Aliter Chaldæus vertit, nimirum : *Dispergam vos sicut ventum Orientalem*, scilicet soleo dispergere.

DORSUM, ET NON FACIEM OSTENDAM EIS, — *q. d.* Abibo ab eis, eosque deseram. *Secundo*, adversus illis ero, non propitius; sicut ipsi mihi vocanti dorsum obverterunt : ita et ego eis ejulantibus, opemque meam invocantibus dorsum obvertam. Ita Maldonatus.

Symbolice, Franciscus Lucas in *Matth.* XVII, 35, et alii hæc referunt ad Christum in cruce pendentem. Judæi enim ita collocarunt crucem, ut dorso Jesu Orientem urbemque Hierosolymorum spectante, facies respiceret Occidentem; eo quidem consilio, quod indignum reputarint sanctæ urbis aspectu, sed ex eo eventu, ut facie sua a Judæis aversa, nos gentes illustraret, quorum habitatio est in Occidente; tuncque impleta est hæc Jeremiæ prophetia : « Dorsum, et non faciem ostendam eis in die perditionis eorum; » et altera illa *Psalmi* LXV, 7 : « Oculi ejus super gentes respiciunt. »

18. NON ENIM PERIBIT LEX, — id est legis interpretatio, *q. d.* Non erit magna jactura, si hic Jeremias occidatur, licet sacerdos, sapiens, propheta : non enim deerunt alii, eoque blandiores. Ita S. Hieronymus et Rabanus. *Perire* enim est auferri, ita ut desit et non exstet.

Aliter Theodoretus et Vatablus, *q. d.* Occidamus eum, alioqui non peribit lex, id est alioqui non cessabit ipse docens nos legem, nosque arguens quod eam non servemus, tanquam sacerdos : dans etiam consilia nostris contraria, tanquam sapiens : et mala nobis prænuntians, tanquam Propheta.

Tertio, Hugo, S. Thomas et Lyranus, quasi dicant : Occidamus eum quasi falsum prophetam, quia dixit perituros sacerdotes, sapientes, Prophetas; non enim peribunt hi quos Deus instituit. Hic sensus, uti et primus, valde genuinus est. Consonat Jeremiæ Isaias dicens, cap. XXIX, 14 : « Peribit sapientia a sapientibus; » et Ezechiel, cap. VII, vers. 26 : « Quærent visionem de Propheta, et lex peribit a sacerdote, et consilium a senioribus. »

Hinc *quarto*, Lyranus, Dionysius, Sanchez et Maldonatus, *q. d.* « Non peribit lex, » id est, non enim falsa esse possunt, quæ nobis sacerdotes et Prophetæ prædicant, in quorum ore lex est, *Malach.* II, 7; dicebant enim illi sacerdotes et prophetæ falsi : « Pax, pax, cum non esset pax, » cap. IV, 10.

PERCUTIAMUS EUM LINGUA. — Chaldæus : *Falsa testimonia testificemur contra eum. Secundo*, Theodoretus et Vatablus : *Texamus contra eum calumniam. Tertio*, ut cæteri : Accusemus eum quasi falsum prophetam. Sic Jeremias fuit hic typus Christi falso accusati. Alii vertunt : *Percutiamus ejus linguam*, id est imponamus ei silentium, vel minando ei mortem, vel compingendo in carcerem, uti reipsa fecerunt.

Vers. 20. 20. NUMQUID REDDITUR (reddi solet) PRO BONO MALUM? — *q. d.* Non : cur ergo malum pro bono mihi reddunt Judæi? Quid enim aliud quæro quam eorum salutem? Cur excidium ex ore Dei eis intento, nisi ut pœniteant, itaque illud evadant?

QUIA FODERUNT FOVEAM (more venatorum, ut caderem in eam, *q. d.* Struxerunt animæ, id est vitæ meæ, aut mihi insidias, ut me occiderent, cum (ut tu, Domine, recordaris) STETERIM IN CONSPECTU TUO, UT LOQUERER PRO EIS BONUM, — id est cum te oraverim pro eis, ut bene eis faceres. Hic est genius Sanctorum. Audi Davidem *Psal.* CVIII, 4 : « Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi : ego autem orabam. Et posuerunt adversum me mala pro bonis. »

Vers. 22. Nabuchodonosor fuit latro, id est prædo. 22. ADDUCES ENIM SUPER EOS LATRONEM REPENTE (1), — id est Nabuchodonosorem, ait S. Hieronymus, vel, ut hebraice est, גְּדוּד *gedud*, id est turmam, sive globum militarem, qui excurrit ad prædandum et populandum, qui in libris Regum vocantur *latrunculi*. Ita Chaldæus, Pagninus, Vatablus. Verum latrunculi isti hebraice vocantur *gedudim* in plurali, hic autem in singulari est *gedud*, id est latrunculus, prædo, volo. Unde Noster recte vertit, « latronem, » et recte intelligitur Nabuchodonosor, qui cap. IV, vers. 7, vocatur prædo gentium. Sic piratæ capti ab Alexandro Magno, rogati qui essent, responderunt : « Tales sumus qualis tu; sed tu magnus es prædo, nos parvi prædones sumus. » Nam, ut recte ait S. Augustinus, lib. IV *De Civit.* cap. XVI, loquens de Nino rege Assyriorum, qui primus cœpit finitimis bella inferre cupiditate regnandi : « Inferre bella finitimis, et inde ad cætera procedere, ac populos sibi non molestos sola regni cupiditate conterere et subdere, quid aliud quam grande latrocinium nominandum est? » Multa ergo regna gentilium fuerunt latrocinia, et multi reges latrones.

Alexander aliique fuerunt latrones.

Posset, *secundo*, Nabuchodonosor vocari latro, id est miles a Deo quasi mercede conductus ad ejus vindictam peragendam. Talis enim fuit ipse in expugnatione Tyri, uti docet *Ezech.* XXIX, 18. Nam latrones olim dicebantur conducti milites ἀπὸ τοῦ λατρεύειν, id est a serviendo : serviebant enim mercede. Moris autem erat, ut hos Imperator et circa se haberet, et primos mitteret ad omne discrimen. Dicti quasi laterones, inquit Varro, quod circa latera esse soleant; quos nunc satellites vocant, qui principis alicujus latus tuentur. Ita ait Plautus, *Milit.* III, 75 :

> Nam rex Seleucus me opere oravit maximo,
> Ut sibi latrones cogerem et conscriberem.

Hinc et latro vel latrunculus vocatur ludus milites prœliantes repræsentans, quo scilicet luditur sedecim scrupis gemina acie utrinque directis, in quibus duo reges sunt invicem contendentes, duæ reginæ, quatuor equites, sedecim pedites, quatuor satellites, totidem centuriones. Vulgo *Scachos* vocant. Ita Seneca : « Latrunculis, ait, ludimus; » et Martialis :

> Insidiosorum si ludis bella latronum,

Huic expositioni favet verbum « adduces, » scilicet quasi tuum satellitem et lictorem, idque « repente, » ut antequam hostem adventare audiant, et contra eum se præmuniant, eum adesse, omnia ferro et flamma vastare sentiant, imo videant.

Moraliter : Latro repentinus impiis, et quasi fur de nocte est mors. Hinc nycticorax, ait Horus Apollo lib. II *Hieroglyph.* cap. XXIV, mortem significat. Sicut enim hic pullos cornicum repente noctu, sic mors homines nec opinantes invadit et opprimit.

Vers. 23. 23. IN TEMPORE FURORIS TUI ABUTERE EIS, — ad ignominiam et excidium, quos creaveras in gloriam et felicitatem, quia ipsa Jerusalem quasi meretrix abusa est tua patientia, et seipsa. Sic Deus abutitur impiis, dum eos trudit in infernum cruciandos, quos creaverat cœlo glorificandos. Ita a Castro.

Pro *abutere eis* hebraice est, *fac in eis*, id est exple in eis, scilicet furorem tuum : vel fac eis quod merentur, ultionem de eis sumendo, scilicet jam per Babylonios, et postea per Romanos, ob cæsum ab eisdem Christum, quem hic Jeremias adumbrat. Ita S. Hieronymus. Unde Nazianzenus ait hic esse prophetiam de Christo. Nam Propheta sui solius non tam acerbus fuisset ultor, sed Christi merito est.

Abuti pro *consumere.*

Hinc *secundo*, « abutere eis, » id est consume, disperde eos. Eleganter et docte vertit Interpres : nam veteres *abuti* sumebant pro *consumere*. Audi Catonem, lib. *De Re rustica*, cap. LXXVI : « Donec omnem caseum cum melle abusus eris, » id est consumpseris, quasi abuti sit plene re uti usque ad ejus consumptionem. Plautus in *Trinum.* : « Me qui abusus sum (id est consumpsi) tantam rem patriam. » Terentius in *Prol. Andr.* : « Nam in prologis scribendis operam abutitur, » id est consumit et perdit. Plautus in *Asino* : « Ubi quæ dedi ante? abusa. Nam si ea durarent mihi, mulier mitteretur ad te. » Ubi Nonius : *Abusa*, inquit, id est utendo vel in usum consumpta.

(1) « Propterea da filiis eorum, » etc. Ne vero vatem justo vehementiore vindictæ cupidine eo adductum judicemus, ut adversariis tam diras pœnas imprecaretur; reputandum est, ei cum iis hominibus negotium fuisse, qui suo exemplo, quod plurimum apud alios valeret, iis auctores exstiterint, ut vatis monita et comminationes contemnerent. (Rosenmuller.)

CAPUT DECIMUM NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jeremias jussu Dei conterit lagunculam fictilem in valle Topheth, ut significet sic conterendos esse Judæos a Chaldæis, ac in Topheth (quam innocentum sanguine polluerunt, mactando eos idolo Moloch) catervatim esse sepeliendos; eo quod pro occisorum multitudine, quicumque alius locus ad sepulturam erit angustus.

Hæc historia et prophetia contigit vel sub Joakim, ut vult a Castro: vel sub Sedecia, ut vult Abulensis, neutrum enim certo definiri potest (1).

1. Hæc dicit Dominus : Vade, et accipe lagunculam figuli testeam a senioribus populi, et a senioribus sacerdotum : 2. et egredere ad vallem filii Ennom, quæ est juxta introitum portæ fictilis : et prædicabis ibi verba, quæ ego loquar ad te. 3. Et dices : Audite verbum Domini, reges Juda, et habitatores Jerusalem : hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel : Ecce ego inducam afflictionem super locum istum, ita ut omnis qui audierit illam, tinniant aures ejus : 4. eo quod dereliquerint me, et alienum fecerint locum istum : et libaverunt in eo diis alienis, quos nescierunt ipsi, et patres eorum, et reges Juda : et repleverunt locum istum sanguine innocentum. 5. Et ædificaverunt excelsa Baalim, ad comburendos filios suos igni in holocaustum Baalim : quæ non præcepi, nec locutus sum, nec ascenderunt in cor meum. 6. Propterea ecce dies veniunt, dicit Dominus : et non vocabitur amplius locus iste, Topheth, et Vallis filii Ennom, sed Vallis occisionis. 7. Et dissipabo consilium Juda et Jerusalem in loco isto : et subvertam eos gladio in conspectu inimicorum suorum, et in manu quærentium animas eorum : et dabo cadavera eorum, escam volatilibus cœli, et bestiis terræ. 8. Et ponam civitatem hanc in stuporem, et in sibilum : omnis qui præterierit per eam, obstupescet, et sibilabit super universa plaga ejus. 9. Et cibabo eos carnibus filiorum suorum, et carnibus filiarum suarum : et unusquisque carnem amici sui comedet in obsidione, et in angustia, in qua concludent eos inimici eorum, et qui quærunt animas eorum. 10. Et conteres lagunculam in oculis virorum, qui ibunt tecum. 11. Et dices ad eos : Hæc dicit Dominus exercituum : Sic conteram populum istum, et civitatem istam, sicut conteritur vas figuli, quod non potest ultra instaurari : et in Topheth sepelientur, eo quod non sit alius locus ad sepeliendum. 12. Sic faciam loco huic, ait Dominus, et habitatoribus ejus : et ponam civitatem istam sicut Topheth. 13. Et erunt domus Jerusalem, et domus regum Juda, sicut locus Topheth, immundæ, omnes domus, in quarum domatibus sacrificaverunt omni militiæ cœli, et libaverunt libamina diis alienis. 14. Venit autem Jeremias de Topheth, quo miserat eum Dominus ad prophetandum, et stetit in atrio domus Domini, et dixit ad omnem populum : 15. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel : Ecce ego inducam super civitatem hanc, et

(1) In isto secundo sermone qui cap. XIX et XX, absolvitur, Jeremias divino jussu et duplici actione symbolica et sermone toti Judææ summam eversionem prænuntiat, quæ comminatio ei carceris et injuriarum causa fuit.

PRIMO igitur, dat Deus Prophetæ, *primo*, mandatum, assumpta laguncula, egrediendi in vallem Ennom, 1, 2; *secundo*, instructionem de prædicendis urbi et populo malis internecinis, in idololatriæ commissæ pœnam, 3-9; *tertio*, negotium confringendi lagunculam, et addendi tristem hujus typi explicationem, 10-13.

SECUNDO, narrat Propheta executionem mandati a se factam, progresso ad atrium templi, ibidemque vaticinat impendentes obstinationi pœnas, 14, 15.

Hanc concionem habitam fuisse postquam de vita discessisset Josias, haud dubitare nos sinit mentio victimarum quæ Baali in valle filiorum Hennom offerebantur, cap. XIX, 4, 5. Neque regnante illo pro rege ausus esset Phassur ita insultare Prophetæ, uti cap. XX, 1 seqq. legimus. Impendente reipublicæ ruina a Chaldæis metuenda, quæ duobus hisce, cap. XIX, XX, inde patet quod vates, cap. XX, 4, 5, 6, et Phassur, suisque, et cæteris Judæis omnibus minatur, ipsos Babylonem captivos abductum iri. Quæ cum ita sint, hæc concio postremis Joakimi regnantis annis, aut Sedeciæ initiis assignanda fuerit. Cui sententiæ a Cornelio indicatæ et a Rosenmuller et Eichorn probatæ cum d'Allioli astipulamur.

super omnes urbes ejus, universa mala quæ locutus sum adversum eam : quoniam induraverunt cervicem suam, ut non audirent sermones meos.

Vers. 1. 1. ACCIPE LAGUNCULAM A SENIORIBUS POPULI, — ut plane vertit Noster. Alii supplent, *duc aliquos tecum*. Ita Chaldæus, S. Hieronymus, Pagninus, Vatablus, Theodoretus, Rabanus; unde ipsi sic hæc distinguunt : Vade et accipe, vel, ut Vatablus, coeme, scilicet a figulo lagunculam figuli testeam : « et (τὸ *et* enim habent Hebræa) a senioribus populi » aliquos, supple accipe, vel evoca, quos ducas tecum, quasi novi quid et miri prophetice patraturus, ut sint testes tui facti et spectatores æque ac auditores : hos enim testes adfuisse patet vers. 10 (1).

Vers. 2. 2. ET EGREDERE AD VALLEM FILII ENNOM. — Pro *vallem* Septuaginta vertunt, πολυάνδριον, *q. d.* Multitudinem cadaverum virorum. Sic in basilica S. Petri hic Romæ in crypta quadam vicina cryptæ S. Petri, est, et inscriptum legitur *Polyandrion*, quod in ea sepulta sint multa corpora fidelium, qui licet non sint canonizati, pie tamen defuncti sunt in spe beatæ resurrectionis. Talia polyandria sunt ossaria in cœmeteriis, quæ sunt congeries craniorum et ossium christianorum. Duxit illos eo Jeremias, ut considerantes in hac valle suum sepulcrum, juxta vaticinium cap. VII, 32; quodque corpus eorum fictile brevi conterendum esset, et efferendum quasi stercus in Topheth, et anima in gehennam, per Chaldæos, id est per dæmones, resipiscerent, atque Deum verum colerent et timerent. Videbat enim Judæos duros et pervicaces verbis non moveri; itaque realem eis dedit concionem, scilicet vivam repræsentationem, imo inspectionem suæ mortis et sepulcri. Idem faciat concionator, ut viva hypotyposi hominibus objiciat et repræsentet mortem, judicium, infernum, æternitatem : quia licet hæc in se terribilia sint, homines tamen vulgo non movent, nisi ad vivum eis repræsententur et inculcentur.

Viva concio quæ novissima vive repræsentat.

QUÆ (vallis) EST JUXTA INTROITUM PORTÆ FICTILIS. — Quia juxta hanc portam habitabant figuli, ut Hugo et Lyranus, vel quia per eam evehebantur fragmenta vasorum fictilium et stercora. Ita R. Salomon. Unde Chaldæus vertit, portam *sterquilinii*, quæ Australis erat, ut patet II *Esdr.* XII, 31, idque asserit Bochardus. Quare non recte Vatablus et Isidorus, Hebræum חרסית *charsit*, id est *fictilis*, vertunt *sol* (hic enim *cheres* dicitur), *q. d.* Ad portam solarem, id est Orientalem. Erat enim hæc porta Australis, non Orientalis. Portæ nefastæ, ait Plutarchus, lib. *De Curiositate*, sunt per quas educunt reos ad supplicium, et sordes. Talis erat hæc, qua educebant filios mactandos in Topheth.

Portæ nefastæ quæ?

Sic symbolice, sensus sunt portæ; quia sunt portæ cupiditatis et peccati.

Vers. 3. 3. TINNIANT AURES EJUS, — præ dolore et pavore, *q. d.* Ita percellentur metu, ac si validissimo tonitru aures ferirentur.

Vers. 4. 4. Eo QUOD, etc., ALIENUM FECERINT (id est profanaverint) LOCUM ISTUM, — consecrando illum idolis, ut dixit de Topheth, *q. d.* Eo quod peregrinam religionem in istum locum invexerint, patriam et avitam relinquentes. Vox enim *alienus*, et *alienatio*, in Scriptura significat peregrinam religionem et cultum. Hinc vocantur dii alieni, id est dii alterius religionis, et peregrinarum cæremoniarum, non patriarum, nec familiarium populo. Hinc et II *Paral.* XIV, 2, dicitur in Hebræo, *abstulit altaria alienationis*; quod Septuaginta vertunt, *removit altaria alienorum*; Noster, *subvertit altaria peregrini cultus*. Hinc denique gentes vocantur *alienigenæ*; quia alienos, id est peregrinos deos colunt.

DIIS, QUOS NESCIERUNT IPSI, ET PATRES EORUM, — scilicet quamdiu probi fuerunt et pii. Ita S. Hieronymus, vel, ut Vatablus, *q. d.* Dii quorum vires et opes nunquam senserunt, *Deuter.* XXXII, 38, quos proinde ipsi olim, æque ac patres eorum non agnoverunt, sed quasi alienos, vanos et mendaces respuerunt.

REPLEVERUNT, etc., SANGUINE INNOCENTUM, — scilicet Prophetarum, et parvulorum, quos Moloch cremabant. Ita S. Hieronymus, Rabanus, S. Thomas.

Vers. 6. 6. NON VOCABITUR AMPLIUS LOCUS ISTE, TOPHETH, etc., SED VALLIS OCCISIONIS, — quia ibi Judæi a Chaldæis occidentur, uti dixit cap. VII, 32. Alludit hic Topheth ad radicem יפה *iapha*, id est pulcher, amœnus fuit, *q. d.* Hæc vallis non vocabitur, uti ante, Topheth, id est amœna; vel etiam *toph*, id est tympani et chorearum; sed « Vallis occisionis, » tum quia ibi multi occidentur; tum « oc-

(1) Vox בקבק *bacbouc*, est quasi dicas *bombylium*, græce βομβύλιον, poculi genus (vid. Casaubonum *ad Athenæum*, lib. VI, cap. XVIII), fictum a sono quem liquor edit dum funditur, quod græce est βομβύλλειν, nec aliunde vox ejusdem usus βαυκάλιον repetenda videtur, ut tradit Alexander Aphrodis, *Probl.*, I, 94.) (Rosenmuller). Ista lagena est vas testaceum, inquit doctus inter Hebræos, cujus explicationem refert Vatablus, vel vitreum, cujus os est angustum : sic appellatum quod bibente vel propinante, aut fundente homine facit *bacbuc*, ut est œnophorum vas vinarium quod Gallice vocamus *flacon*, vel phiala stricti orificii.

A senioribus populi, etc., scilicet והולך אתך *duc tecum*, sive קח אתך *sume tecum*. J. D. Michaelis, justo nonnunquam proclivior ad suspicandum de textus editi integritate, haud longe abest, quin statuat, librariorum incuria nonnihil omissum esse, v. g. ולקחת. Et revera omnino ad sensum requiritur istud verbum, neque vero illud litteris expressum, sed cogitando addendum..... Sic habet Alexandrinus καὶ ἄξεις ἀπὸ τῶν πρεσβυτέρων τοῦ λαοῦ, alias etiam, veluti infra cap. XLI, 12; XLIII, 10, usus verbo ἄγειν ad reddendum hebraicum לקח. (Rosenmuller.)

cisionis, » id est occisorum, sive cadaverum plurimorum, quæ eo quasi ad communem Judæorum sepulturæ locum innumera afferentur. Commune enim Judæorum sepulcrum erat in valle Cedron, in ea parte quæ Gehenna seu Topheth appellatur, ut patet IV *Reg.* XXIII, 6. Indeque hæc valis dicta est cadaverum, cineris, calvaria, et regio mortis, ut patet *Jerem.* XXXI, 40. Judæi enim ne naturaliter fœtore cadaverum, et ne legaliter eorumdem contactu contaminarentur, ea efferebant in sepulcra extra urbem posita, ut dixi *Levit.* XIX. Eadem de causa etiamnum nonnullæ urbes sepulcra extra urbem constituerunt, uti Norimbergæ et in aliis pluribus Germaniæ urbibus ipse conspexi.

Judæorum commune sepulcrum erat in Cedron juxta Topheth.

DISSIPABO CONSILIUM JUDA ET JERUSALEM IN LOCO ISTO, — quod inierunt de rebellando Nabuchodonosore coram suo deo Moloch, parvulos plures ei concremando, ait S. Thomas.

Secundo et melius, Hugo, *q. d.* « In loco isto, » id est in Topheth, ubi peccaverunt Judæi, copiosam eorum stragem faciam per Nabuchodonosorem, qua strage et terrore dissipabo omnia Judæorum consilia, ut nesciant quo se vertant, quod consilium capiant, ut se contra eum tueantur : putabunt enim se eo loco auxilium a suo idolo habituros, et eodem loco occidentur. Pro *dissipabo* hebraice est בקותי *baccoti*, id est *evacuabo*, ubi est elegans paronomasia inter בקק *bacac*, id est evacuare, et בקבק *bacbuc*, id est lagenulam, hujus evacuationis et dissipationis symbolum et indicem, vers. 1, quasi dicat : Dissipabo et evacuabo eos, sicut dissipavi et evacuavi lagunculam, confringendo eam.

Vers. 8. 8. SUPER UNIVERSA (1). — Hebraice, *super omnibus plagis ejus*, id est videns tot ejus plagas et clades.

Vers. 9. 9. CIBABO EOS CARNIBUS FILIORUM. — Id factum esse Hierosolymæ, in obsidione Chaldæorum, hinc patet, idque eis minatus est Moses, *Deuter.* XXVIII, 53. Plenius, aiunt S. Hieronymus et Rabanus, hoc accidit Judæis post Christum obsessis a Tito et Vespasiano, ut patet ex Josepho et Hegesippo : illius enim excidii Romani hoc Chaldaicum fuit typus.

UNUSQUISQUE CARNEM AMICI SUI COMEDET. — Hinc patet non unius, sed plurium, hoc fuisse facinus; frigidum enim est quod Chaldæus vertit : *Unusquisque substantiam proximi sui diripiet in obsidione.* Est hyperbole : *Unusquisque*, id est multi.

11. SIC CONTERAM POPULUM, SICUT CONTERITUR VAS FIGULI, QUOD NON POTEST ULTRA INSTAURARI. — Licet enim post septuaginta annos captivitatis Judæi instaurarint suam gentem, tamen hoc fuit quasi aliud et novum sæculum, alia et nova generatio. Vers. 11.

Secundo et melius, « sic conteram, » id est, sic vindictam excidii, quam eis minatus sum, plene explebo, ut in præsenti prorsus conterantur, nec per se instaurari possint; sed a me solo post septuaginta annos, quasi alio sæculo, in aliam rempublicam instaurandi sint. Humana ergo potentia instaurari non potuerunt Judæi, sed divina. Sic Christus ait, quod impossible est apud homines, possibile esse apud Deum, *Matth.* XIX, 26. Ita Maldonatus et a Castro.

Plenius et verius hoc fuit in excidio Judæorum per Titum. Ita S. Hieronymus qui et subdit : « Quanquam sibi Judæi auream atque gemmeam Jerusalem restituendam putent; rursusque victimas, et sacrificia, et conjugia sanctorum, et regnum in terris Domini Salvatoris. Quæ licet non sequamur, tamen damnare non posumus : quia multi Ecclesiasticorum virorum et Martyrum ita dixerunt : et unusquisque in suo sensu abundet, et Domini cuncta judicio reserventur. » Verum hæc jam est explorata et damnata hæresis Chiliastarum sive Millenariorum, quorum auctor fuit Papias, asseclæ Irenæus, Tertullianus, Victorinus, Lactantius. Qua de re dixi *Apocal.* XX, 6. Inde enim errandi occasionem accepit Papias et Chiliastæ.

Simili phrasi hostes Dei tanquam vas figuli confringendos, prædixit Psaltes, *Psal.* II, 9, et Isaias, cap. XXX, 14.

12. PONAM CIVITATEM ISTAM SICUT TOPHETH, — cremabo eam per Chaldæos, sicut ipsi suos infantes in Topheth concremarunt idolo Moloch. *Secundo*, profanabo eam instar Topheth, ut sit carnificina suorum civium; unde sequitur : Vers. 12.

13. ERUNT OMNES DOMUS IMMUNDÆ SICUT TOPHETH. — Quia in domibus suis coluerunt idola, sicut in Topheth, ait S. Hieronymus, et quia in domibus multi erant occidendi, et domus contaminandæ cadaveribus, sicut et Topheth. Vers. 13.

IN QUARUM DOMATIBUS, — id est tectis. Ita Septuaginta, Hebræus, Chaldæus; tecta enim in Judæa erant plana, longe magis quam sint in Italia, leviter tantum declivia, ut pluvia defluret : itaque in tectis ambulabant, cœnabant, etc. Imo etiamnum in Syria domus non habent tecta, nec tegulas, nec imbrices; sed solaria tantum, sive pavimenta, quæ sunt vice tectorum, in quibus libere ambulant, comedunt et dormiunt in æstate : idque eo commodius faciunt, quod ibi totos quinque aut sex menses nunquam pluat; sed sudum sit cœlum : a lateribus est septum exiguum, ne quis facile labatur et decidat. Hæc omnia mihi

Tecta Judææ plana.

(1) Quod Jeremias addit *in hoc loco*, ut igitur hac in valle, quam monstrat digito, evacuari consilium Hierosolymitanorum dicat, J. D. Michaelis recte observat hoc velle, nihil profuturas esse in futura urbis obsidione artes bellicas et munimenta ad hostes hac valle, in qua sola fons est et piscina, arcendos. « Multum videtur stragis in valle Hinnom editum fuisse, quod cum ex illo loco nec obsidionem moliri hostis possit, nec eruptionibus sit commodior, hoc modo contigisse existimem : erumpunt illa in valle fontes, quibus hostem prohibere, pene est cogere illum, ut re infecta discedat, quia circa Hierosolymam magna est aquæ penuria. Hos fontes munitionibus cinxisse, proque illis diu in valle Hinnom pugnasse Hierosolymitanos existimem, unde accidit ut hic campus cæsis sterneretur. » (Rosenmuller.)

Romæ affirmavit R. P. Joannes Antonius Marietus, qui missu Summi Pontificis Judæam et Mesopotamiam ante tres annos peragravit. In tecta ergo solebant conscendere, ut inde viderent stellas, easque adorarent, ut patet *Sophoniæ* I, 4 : « Disperdam, etc., eos, qui adorant super tecta militiam cœli. »

14. STETIT IN ATRIO. — Idem quod paucis dixerat Jeremias in Topheth, nunc aliis omnibus, qui noluerant venire in Topheth, dicit in atrio templi. Ita S. Hieronymus, Rabanus, S. Thomas.

15. QUONIAM INDURAVERUNT CERVICEM SUAM, UT NON AUDIRENT SERMONES MEOS. — Dicit « cervicem, » cum aurem dicere debuisset : aure enim auditur, non cervice. Sed causam mali tangere voluit : indurata enim cervix causa est induratæ et obturatæ auris, *q. d.* Quia induraverunt cervicem animumque suum, hinc jugum legis Dei excusserunt, ideoque aures suas averterunt et obturarunt, ut non audirent verba et jussa Prophetarum : aut, si audirent, iis non obedirent, sed ea despicerent, imo riderent. Hebræi enim verbum simplex capiunt pro composito, utpote quo carent; audire pro obedire. Hi ergo Judæi habebant manum in aure, aurem in cervice, cervicem in corde, cor in obstinatione.

CAPUT VIGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jeremias a principe sacerdotum ob excidium, cap. præced. Hierosolymæ comminatum, conjectus in carcerem minatur et confirmat ei, ejusque amicis et omnibus Judæis, illud ipsum excidium. Secundo, dolet valde se ob tristes hasce prophetias tam esse exosum Judæis : unde, vers. 7, queritur se a Deo seductum : sed mox, vers. 11, resumit spem et animos : ac tandem, vers. 14, maledicit diei nativitatis suæ (1).

1. Et audivit Phassur filius Emmer sacerdos, qui constitutus erat princeps in domo Domini, Jeremiam prophetantem sermones istos. 2. Et percussit Phassur Jeremiam prophetam, et misit eum in nervum, quod erat in porta Benjamin superiori, in domo Domini. 3. Cumque illuxisset in crastinum, eduxit Phassur Jeremiam de nervo, et dixit ad eum Jeremias : Non Phassur vocavit Dominus nomen tuum, sed pavorem undique. 4. Quia hæc dicit Dominus : Ecce ego dabo te in pavorem, te et omnes amicos tuos : et corruent gladio inimicorum suorum, et oculi tui videbunt : et omnem Judam dabo in manum regis Babylonis : et traducet eos in Babylonem, et percutiet eos gladio. 5. Et dabo universam substantiam civitatis hujus, et omnem laborem ejus, omneque pretium, et cunctos thesauros regum Juda dabo in manu inimicorum eorum; et diripient eos, et tollent, et ducent in Babylonem. 6. Tu autem, Phassur, et omnes habitatores domus tuæ, ibitis in captivitatem, et in Babylonem venies, et ibi morieris, ibique sepelieris tu, et omnes amici tui, quibus prophetasti mendacium. 7. Se-

(1) PRIMO, audita comminatione summæ eversionis de qua Jeremias in cap. præced., Phassur prophetam in carcerem tradit, 1-2; et postridie injuriæ factæ ipse Jeremias, nomine Dei sententiam de sua et suorum ignominiosa captivitate denuntiat, 3-6.

SECUNDO, Propheta conversus ad Deum solvitur, *primo*, in querelas de muneris sui difficultate, et auditorum repugnantia, 7-10; *secundo*, in contestationem fiduciæ de Dei auxilio, et certitudinis de vindicta contra adversarios, 11, 12; *tertio*, in laudem Dei, ob spem liberationis per eum obtinendæ, 13; *quarto*, in exaggeratos affectus tristitiæ de calamitatibus perferendis conceptæ, qua veluti extra se raptus exsecratur et diem qua natus est, et illum, qui patri suo se natum esse annuntiavit, optans, ut nunquam lucem aspexisset.

Non defuere, inquit Rosenmuller, qui hos quinque versus, tam abhorrentes ab alacri illa et pia fiducia, quam spirant tres, qui proxime præcedunt, cum iis connectere conarentur. Sunt, qui putent vatem describere statum infelicem, e quo sit ereptus, adeo afflictum, ut etiam maledixerit natali suo, infirmitate quadam, quam priori, non hoc tempore, passus sit. Alii, ut C. B. Michaelis, nexum hoc modo concipiunt : alioquin, nisi Joram defensorem haberem, exsecrarer diem, quo sum natus. Quæ quam sint coacta et e longinquo petita, non est ut demonstremus. Verum recte viderunt Schnurrerus (*Comment. theol.*, part. III, pag. 402), Eichorn. (*die bibl. Propheten*, part. II, pag. 322), et Dahler (*Jerem.* etc., pag. 145), quinque hosce versus a præcedente oratione, cui nullo vinculo adhæreant, sejungendos et separatim collocandos esse, tanquam carmen prorsus diversum, alio quodam tempore, alioque et rerum et animi statu enuntiatum. At ab ingenio et pietate Jeremiæ, quas hic legimus imprecationes ita alienas judicat Venema, ut illas non suo ipsius nomine prolatas existimet, sed Prophetam per prosopopœiam inducere hostium suorum quemdam statuat, v. g. Phassurus, qui propter mala, quæ supra vers. 3, 4, vates ei comminatus est, desperabundus in diras hasce eruperit. Quod et Dathio et Dœdernelio in Annott. ad

duxisti me, Domine, et seductus sum : fortior me fuisti, et invaluisti, factus sum in derisum tota die, omnes subsannant me. 8. Quia jam olim loquor, vociferans iniquitatem, et vastitatem clamito : et factus est mihi sermo Domini in opprobrium, et in derisum tota die. 9. Et dixi : Non recordabor ejus, neque loquar ultra in nomine illius : et factus est in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis : et defeci, ferre non sustinens. 10. Audivi enim contumelias multorum, et terrorem in circuitu : Persequimini, et persequamur eum : ab omnibus viris, qui erant pacifici mei, et custodientes latus meum : si quo modo decipiatur, et prævaleamus adversus eum, et consequamur ultionem ex eo. 11. Dominus autem mecum est quasi bellator fortis : idcirco qui persequuntur me, cadent, et infirmi erunt : confundentur vehementer, quia non intellexerunt opprobrium sempiternum, quod nunquam delebitur. 12. Et tu, Domine exercituum, probator justi, qui vides renes et cor : videam, quæso, ultionem tuam ex eis : tibi enim revelavi causam meam. 13. Cantate Domino, laudate Dominum : quia liberavit animam pauperis de manu malorum. 14. Maledicta dies, in qua natus sum : dies, in qua peperit me mater mea, non sit benedicta. 15. Maledictus vir, qui annuntiavit patri meo, dicens : Natus est tibi puer masculus; et quasi gaudio lætificavit eum. 16. Sit homo ille ut sunt civitates, quas subvertit Dominus, et non pœnituit eum : audiat clamorem mane, et ululatum in tempore meridiano : 17. qui non me interfecit a vulva, ut fieret mihi mater mea sepulcrum, et vulva ejus conceptus æternus. 18. Quare de vulva egressus sum, ut viderem laborem et dolorem, et consumerentur in confusione dies mei?

Vers. 1. 1. PHASSUR, etc., PRINCEPS IN DOMO DOMINI. — Phassur hic non fuit pontifex, ut vult S. Hieronymus, quia his temporibus Helcias, Azarias, Saraias et Josedech ordine generationis successerunt sibi in pontificatu, ut patet I *Esdr.* VII, 1, et ex Josepho, et ex I *Paral.* IX, 15, ubi stirps Phassur et Emmer describitur, estque a serie et stirpe pontificum diversa : sed fuit unus e templi præfectis; variis enim muniis et officiis templi, uti oblationibus, victimis, cantoribus, sartis tectis, etc., varii erant præfecti, iique vocabantur principes. Aliter Maldonatus : Erat, inquit, princeps, id est secundus a pontifice.

Principes sacerdotum varii.

Vers. 2. 2. ET MISIT EUM IN NERVUM, — id est, ut ex Symmacho S. Hieronymus in locum quo homines torquentur, cruciantur, constringuntur et examinantur. Festus per *nervum,* vinculum, quo cervices et pedes impediuntur, intelligit, dicique nervum, quia talia vincula ex duratis nervis primum olim fieri cœperunt. Recentiores vertunt, *cippum.* Erat, aiunt Vatablus et R. Joseph Kimchi, instrumentum hoc constans variis lignis ex adverso coeuntibus, habebatque tria foramina, unum in quod collum immittebatur, et duo in quæ manus singulæ; ita et Vilalpando, lib. III *De Templo,* cap. XXIV. Verum nervum potius pedum fuisse, quam colli, indicat S. Hieronymus, cum Paulum et Silam in nervum hunc compactos scribit, *Actor.* XVI. De iis enim ibidem dicitur : « Pedes eorum strinxit in ligno; » et Job de se ait, cap. XIII, vers. 17 : « Posuisti in nervo pedem meum. » Ubi Syrus pro *nervo* vertit, *numellam,* qua pedes reorum constringuntur. Unde probabiliter censet Sanchez nervum fuisse tormentum, quo in ligno variis foraminibus distincto, sic inserebantur reorum et martyrum crura divaricata et disjuncta, ut luxarentur magis minusve, prout magis minusve distendebantur : unde in Martyrum Actis legimus, præsides jussisse eos « distendi ad quartum vel quintum foramen, » perinde ac fit in equuleo. Sic Eusebius, lib. VI, cap. XXXII, de Origene scribit, ejus pedes ad quartum foramen fuisse extensos. Et Rufinus, lib. V, cap. II, hoc tormentum vocat nervum. Ita et Baronius in *Martyrol.* 22 januarii. Sane tormenti et cruciatus ingentis genus fuisse liquet ex eo, quod Jeremiæ tantos ejulatus et maledictionis voces, vers. 14, expresserit. Ita S. Cyprianus, lib. IV, *epist.* 5, scribit *De Celerino Martyre* : « Per decem et novem dies custodia car-

Nervus quid?

Grotium verisimile visum. Sed verissime monet Schnurrerus, haud quidquam amplius inesse huic carmini, quam quod alio loco, supra cap. XV, 10, certissime ex suo, eoque intimo sensu Jeremias pronuntiavit, *Væ mihi, mater, quod me enixa es.* « Nec », addit, « inter utrumque locum, quidquam interest; nisi quod idem angor animi modo pauciores voces emittit, forte fastidiose magis quam continenter, modo minus temperanter se effundit, et nonnihil indulget querimoniis. Quod autem in diem suum natalem, quod in hominem adeo, qui parenti filium in lucem editum gratulatus esset, utrumque omnino immerentem, acerbius invehitur Jeremias, sane non est in ipso magis culpandum, quam in Davide quisquam intelligentior illud culpaverit, quod II *Reg.* I, 21, montes Gelboe exsecratus sit Propheta, quod in iis cæsus esset Saulus cum Jonathane. Talia, ut verbis utamur Lowthi (*De sacra Hebræorum poesi*, pag. 270, edit. Lips.), si ad rectæ rationis normam exigas, quid absurdius? Si naturam et affectuum motus spectes, quid verius, quid expressius, quid pulchrius? Non causa pro causa in Dialectica flagitium, in Poetica interdum virtus est; quia nimirum illic ratio, hic affectus dominantur.

ceris septus, in nervo ac ferro fuit; sed posito in vinculis corpore, solutus ac liber spiritus mansit. Jacuit inter pœnas pœnis suis fortior, inclusus includentibus major, jacens stantibus celsior, vincientibus fortior vinctus, sublimior judicantibus judicatus; et quamvis ligati nervo pedes essent, calcatus serpens, et obtritus et victus est. Lucent in corpore glorioso clara vulnerum signa. »

Arabicus pro *nervum* vertit, *orbem* vel *circulum*; significat ergo fuisse rotundum. Septuaginta et Theodotion vertunt, καταράκτην, id est abruptum locum, puta fossam profundam, in quam vincti demitti solent. Unde R. David vertit, *in carcerem*; Syrus interpretatur *ambitum*, sive locum pro includendis reis vel inimicis circumquaque munitum.

QUOD (nervum, vel nervi instrumentum : τὸ enim *nervum* usurpat Interpres in neutro genere) ERAT IN PORTA. — Nota : Hæc porta proprie non erat templi, ut aliqui putant, sed urbis, puta antiquorum mœnium in Sion, quibus contiguum erat templum; ac proinde hæc porta quoque dicebatur templi, quia vicina erat templo, et per eam tantum ibatur ad templum. Dicitur *Benjamin*, quia per eam ibatur in tribum Benjamin. Dicitur *Superior*, quia et superioris erat urbis, et loco cæteris fere omnibus Hierosolymæ portis eminebat. Erat et alia porta Benjamin inferior, de qua cap. XXXVII, vers. 10 et 11, sita in novis mœnibus versus montem Moria, uti ex Bochardo, Adrichomio et aliis docet Vilalpando, lib. III *De Templo*, cap. XXIV, quem vide. Juxta hanc portam erat carcer, in quem conjiciebantur falsi prophetæ, item templi ministri, cum delictum aliquod commisissent. Suberat enim hic locus templo, templique præfectis. Ita Chaldæus, S. Thomas, Theodoretus, Hugo, Lyranus. Aliter Sanchez : Porta, inquit, Benjamin dicta est ea, quæ erat in sorte tribus Benjamin; quia enim Jerusalem sita erat partim in sorte tribus Benjamin, partim in sorte tribus Juda; hinc porta tam templi quam urbis, quæ erat in sorte Benjamin, dicta est porta Benjamin; quæ vero erat in sorte Juda, dicta est porta Juda.

Vers. 3. 3. IN CRASTINUM EDUXIT PHASSUR JEREMIAM, — forte veritus ne loci squalore, et cippi ac tormenti dolore enecaretur Jeremias, si diutius ibi detentus fuisset; ac proinde ipse (utpote qui Jeremiam in eum locum conjecisset) reus mortis ejus ageretur. Ita Vilalpando loco citato.

Phassur significatio varia. Prima. NON PHASSUR VOCAVIT DOMINUS NOMEN TUUM; SED PAVOREM UNDIQUE. — Hebraice לא פשחור כי מגור *lo phascur ki magor*. *Primo*, aliqui Phassur deducunt a פשח *pasach*, id est scidit, id est aperuit; et אור *ur*, id est lux, quasi dicas, *apertio lucis*, quæ opponitur pavori, qui ita constringit, ut nusquam sit exitus. *Secundo*, melius S. Hieronymus : Phassur, ait, dicitur quasi פה שיחור *pe sichor*, id est os nigrum, *q. d.* O Phassur, os tuum tetrum et impudens, id est potestas sacerdotalis, quam denigras falsa persuadendo, quaque abuteris mihi resistendo, meque verberando, tibi auferetur, ducerisque ut mancipium pavidum et mutuum in Babylonem. Ita Lyranus. *Tertio*, aptiori antithesi Arias, Phassur deducit a פשח *pasa*, vel פוש *pus*, id est expandens, expatians, luxurians; et חור *chur*, id est candor, vel heros, vel principatus, *q. d.* Vocaris Phassur, id est luxurians, candor, heros aut princeps; sed mox vocaberis pavor. Tertia.

Unde nota : מגור *magor* proprie est pavor; Septuaginta tamen et Theodotion *magor* vertunt, μέτοικον, id est *transmigrantem;* Aquila, *peregrinum;* prima editio, *circumspicientem;* Symmachus, *ablatum*, sive congregatum et coactum; Syrus, *advenam et circumvagum*, vel etiam *mendicum;* Arabicus Antiochenus, *alienigenam* (peregrinum) *et gyrantem;* Arabicus Alexandrinus, *translationem*, vel *transmutationem*, *discessum*. Sensus est, *q. d.* O Phassur, ex tuo principatu et potestate insolescis et lascivis, me Dei prophetam superbe arguis, et impudenter percutis, et contra minacem meam prophetiam, sed veram, tu falso prospera polliceris Judæis. Scito ergo quod libertas et audacia tua, quam nomine et reipsa præfers, mutabitur in pavorem, luxus in angustias paupertatis, palatia in carcerem, quies in transmigrationem, imperium in servitutem, stola candida sacerdotalis in squalidam vestem captivorum. Quare deinceps vocaberis et eris, non *phaschur* sed *magor*, id est non tumor sed timor, non terror sed pavor, non fortitudo sed formido, non candor sed pallor, non lux sed crux, non luxus sed luctus, non plausus sed planctus. Huc accedunt Lyranus, Pagninus et Sanchez, qui *Phassur* interpretantur *incrementum candoris* vel *principatus*.

Vers. 4. 4. TE ET OMNES AMICOS TUOS. — Videtur hic Phassur unus fuisse ex sacerdotibus populum decipientibus, dicendo : « Pax, pax, cum non esset pax; » ideoque ejus amicis qui ei crediderant, æque ac ipsi, Propheta hic pœnas intentat. Sic Amasias cum uxore et liberis punitur, quia non credidit Amos verbum Dei annuntiare, *Amos* VII, 16.

Vide hic quam perniciosi sint adulatores, præsertim sacerdotes, aut consiliarii : hi enim perdiderunt Jerusalem : quæ stetisset, si non iis, sed Jeremiæ reprehensori suo credidisset. Vere dixit Q. Curtius : « Regum opes sæpius assentatio, quam hostis evertit. » Narrat Plutarchus in *Lacon.*, civem quemdam valde libere increpuisse Demaratum : in quem cum alius quidam excandesceret, quod talem virum ita carperet, respondit Demaratus : « Nihil in me peccavit; qui enim ad gratiam loquuntur, nocent; non autem, qui cum odio. » Hinc et Pythagoras dixit : « Gaudendum potius est de redarguentibus, quam de assentantibus, quos quasi hostes existimare et fugere oportet. » Plura vide *Ezech.* XIII, in fine, et *Isaiæ* III, 12.

7. SEDUXISTI ME. — Syrus, *blanditus es;* Arabicus, *fefellisti*, *illusisti me*. Putavi enim ex tuis verbis, cap. I, 5, o Domine, me prophetaturum contra gentes, non contra Judæos, mihi tam infestos,

inquiunt S. Hieronymus, Rabanus, S. Thomas. Verum Jeremias scivit contrarium : hactenus enim contra Judæos continuo prophetavit. Melius ergo Theodoretus et Vatablus explicant, *q. d.* Detrectavi munus Prophetæ, dicens : Puer ego sum, tu ad id me induxisti, promittens me fore quasi columnam ferream; et ecce omnes obruunt me, et succumbo carceri, ærumnis, odiis, irrisionibus et sannis Judæorum, non tam civium quam hostium meorum. Videor ergo mihi tacite et callide in hosce compedes et ærumnas inductus ac seductus. Huc referri potest expositio Sanchez : Subinde, inquit, Scriptura dicit factum esse aliquid eo consilio et affectu, quo plerumque ab hominibus fieri solet, licet reipsa longe aliter se habeat. Sic jubemur a Christo odisse patrem, matrem, quin et animam, id est eorum suggestiones relinquere, cum Dei legi aut voci repugnant; quod tamen reipsa potius est eos amare quam odisse. Sic Christus, *Galat.* VII, dicitur pro nobis factus maledictum, quia talia passus est, qualia patiuntur qui a Domino sunt maledicti. Sic Jeremias inductus a Deo dici potuit, quia talia pertulit, dum ei obsequitur, qualia, qui ab alio in insidias inducitur, sustinere solet. Loquitur Jeremias ex humano spiritu pusillanimitatis et anxietatis animi, uti et Job, cap. III; præmonuerat enim Deus eum multa passurum, sed a se roborandum, ut omnia superaret, et ex omnibus eluctaretur. Hic sensus est genuinus. *Tertio*, Lyranus sic explicat, *q. d.* Si sum seductus, et falsa propheto, uti Judæi et pseudoprophetæ dicunt, a te, Domine, sum seductus, quod est impossibile; ac proinde mentiuntur ipsi : ego autem vera dico et prædico (1).

FORTIOR ME FUISTI, ET INVALUISTI, — dum scilicet reluctantem me Prophetæ munus suscipere fecisti, cap. I, 6.

Vers. 8. 8. VOCIFERANS INIQUITATEM. — Id est iniquitatis pœnam illis denuntians; hebraice est, *vociferor violentiam et vastitatem*, quam scilicet Chaldæi Hierosolymæ illaturi sunt; et cum hæc quotidie clamem, non credunt, sed derident me quasi insanum, vel quasi pseudoprophetam, eo quod videant nihil eorum quæ comminor evenire, sed ea in longum protrahi et differri. Vere S. Augustinus in *Sententiis*, num. 122 : « Magnus, ait, bonorum labor est, mores tolerare contrarios, quibus qui non offenditur, parum proficit. Tantum enim torquet justum alieni peccati iniquitas, quantum a sua recedit. »

Aliter Vatablus, *q. d.* Ex quo loquor, clamo vim et vastitatem, scilicet mihi inferri, quod Galli dicunt : *Je crie au meurtre.* Sed hic sensus arctior et coactior est.

Vers. 9. 9. ET DIXI (cogitavi apud me) : NON RECORDABOR EJUS, — *q. d.* Non amplius faciam mentionem verbi et oraculi divini. Non significat Propheta, se deliberate hoc cogitasse et decrevisse, quia sic peccasset; sed tantum sibi ex humano motu et metu, hoc in mentem incidisse; quem motum pariter sensit et expressit Christus in passione dicens : « Transeat a me calix iste. » Ita Maldonatus.

Secundo et melius, S. Hieronymus censet Jeremiam victum pudore, et irrisionibus Judæorum, dicentium eum esse falsum prophetam, hostem patriæ, Chaldæorum amicum et proditorem, statuisse desistere a prophetia excidii Hierosolymæ, præsertim cum per eam apud incredulos nihil proficeret. Qua in re peccavit aliqua veniali pusillanimitate et timiditate : Deus enim volebat eum pergere in sua prophetia, uti sequitur. Ita a Castro.

ET FACTUS EST (sermo Domini) IN CORDE MEO QUASI IGNIS, — *q. d.* Dum sermonem Dei ex spiritu timoris humano contineo, nec prædicare volo, factus est quasi ignis ardens, et inclusus in ossibus meis, ut nulla ratione ardorem illius ferre possim, *q. d.* Donum prophetiæ Deus noluit in me esse otiosum, sed coegit me assidue stimulando prophetare, etiam rebellibus et obstinatis. Ita S. Hieronymus. Sic ait Amos, cap. III, 8 : « Dominus Deus locutus est, quis non prophetabit? » et Psaltes, *Psalm.* CXVIII, 140 : « Ignitum eloquium tuum vehementer. » Quare S. Chrysostomus, homil. 1 *De Lazaro*, tom. II, hanc legem ex Jeremia dat concionatori, ne defatigetur, nec ullo tempore sileat, sive sit qui auscultet, sive non. Et Gregorius, XXIII *Moral.* X : « Non taceat, inquit, prædicator, ne se participem delinquentium, ex consensu taciturnitatis faciat, quia facinora delinquentium, ipsis tacentibus, crescunt. » Adde impios obstinatos sua duritie videri vincere verbum Dei, si apud eos obmutescat prædicator. Deus ergo vult ut ipsi assidue prædicando vincant, non vincantur. Sic S. Stephanus dure durissimos Judæos increpavit, ut Dei gloriam defenderet, itaque simul occasionem martyrii captavit et obtinuit, *Actor.* VII.

Concionator non taceat, esto nolint audire, cur? Prima causa. Secunda.

Recte S. Bernardus, lib. IV *De Considerat. ad Eugen.* : « Fac, inquit, quod tuum est : nam Deus quod suum est, satis absque tua sollicitudine et anxietate curabit. Planta, riga, fer curam : et tuas explicuisti partes. Sane incrementum Deus, quando voluerit, dabit : Deus, inquam, non tu : quod si forte noluerit, tibi deperit nihil : » manet enim tuus labor, tua charitas, tuum meritum, tuum præmium, illudque integrum.

Aliter Sanchez : Dat, inquit, Jeremias hic causam, cur abhorreat a verbo Dei enuntiando, sive a prophetando, « et, » id est *quia*, « factus est in corde meo quasi ignis inæstuans, » *q. d.* Nolo ultra prophetare, quia verbum Dei ita urit et cruciat intimos animi mei sensus, ac si ignis sacer viscera mea ossaque adureret : hosce cruciatus ferre ultra non valeo, iisque succumbo, desistam ego a verbo Dei, illudque ex animo deponam. Unde subdit : « Defeci, ferre non sustinens. » Ve-

(1) *Spe me lactasti, quæ me jam fallit.* Nempe cum munus propheticum susciperet Jeremias, bene de populo mereri voluit, sed eventum habuit minus speratum, odium gentis suæ. Aliam hanc illius versus expositionem dat Dœderlein ad Grotium.

rum prior expositio uti communis, ita magis congrua est.

10. AUDIVI ENIM, — *q. d.* Sannæ et probra, quæ me ante facere compulerunt, jam Dei zelo accensum cogunt loqui : Deus enim aderit, ut omnes sannas superem. Ita S. Hieronymus, Rabanus, Hugo. Et S. Gregorius, XIII *Moral.* x, ait sannas et peccata Judæorum ingravescentia compulisse Jeremiam, ut ex charitate silentium quod sibi proposuerat, abrumperet.

Aliter Lyranus, *q. d.* Audivi enim, id est non tacebo, quamvis audiam maledicta. Alii hæc referunt ad vers. 9, ut pergat enumerare suas persecutiones; quod valde congruum est. Animus enim æger et afflictus, uti erat Jeremiæ, non loquitur consequenter, sed ex affectuum tumultu nunc hoc, nunc illud loquitur; nunc sermonem incidit, nunc priorem resumit et prosequitur.

CONTUMELIAS MULTORUM (dicentium) : PERSEQUIMINI, ET PERSEQUAMUR.—Pro *persequimini* hebraice est הַגִּידוּ *haggidu*, id est indicate, scilicet aliquod crimen, vel calumniam contra Jeremiam; et *indicabimus* regi, scilicet accusando eum.

AB OMNIBUS. — Refer ad « audivi contumelias, » puta ab omnibus qui antea mihi erant amici, et jam custodiunt latus meum, qui omnia mea observant, dicentes : Videamus num aliqua in re decipiatur Jeremias, et cadat, ut eum ad regem deferamus. Ita S. Thomas et Lyranus. Sed Chaldæus, Vatablus, Pagninus vertunt : *Omnes mihi antea amici observant claudicationem meam*, id est, num aliqua in re claudicem, et aliquid perperam dicam, quod ad regem deferant. Hebraice enim צֵלַע *tsela*, et latus, et claudicationem quæ fit ad latus, et lapsum significat. Quare Jeremias fuit hic typus Christi, quem Judæi sæpe tentarunt, ut caperent eum in sermone, *Matth.* XXII, 15 et alibi.

Jeremias typus Christi tentati a Judæis.

Vers. 11. 11. NON INTELLEXERUNT OPPROBRIUM SEMPITERNUM, — quod incurrent ex suo excidio, quod ego eis minor, et ipsi irrident. Vatablus vertit : *Nihil sua prudentia profecerunt*; Chaldæus, *non prosperabuntur*, quod enim prudenter fit, prosperatur.

Vers. 12. 12. PROBATOR JUSTI.—Septuaginta, *probans justa*, qui uniuscujusque merita ponderas, justeque remuneras.

Vers. 13. 13. CANTATE. — Est epiphonema Prophetæ gratias agentis Deo, quod in spiritu vidisset se a suis ærumnis, et populum e Babylone liberatum iri. Nota hic alternantes animi motus æstusque, et luctam naturæ et gratiæ in Jeremia. Jam enim ipse, vers. 4, 11, 13, a Deo animatus sperat, roboratur, exsultat; jam vers. 7, 9, 14, 15, 16, sibi et hostibus relictus videtur esse dejectus et desperare. Unde mox considerans instantia pericula, et majora sibi imminere contra Judæos certamina, mœret et maledicit diei nativitatis suæ. Quia enim hic dicit : « Cantate Domino, etc., quia liberavit animam pauperis de manu malorum; » hinc ut ostendat quanta et quam gravia sint hæc mala, subdit : « Maledicta dies in qua natus sum, » quæ scilicet tantorum malorum mihi fuit janua et exordium.

Lucta naturæ et gratiæ in Jeremia.

14. MALEDICTA DIES, IN QUA NATUS SUM. — Simili modo S. Job, cap. III, maledicit diei nativitatis suæ. Aliqui putant hæc dici a Jeremia animo perturbato : videntur enim esse verba animi desperantis, impatientis, ulciscentis. Unde Calvinus ait has esse desperati hominis voces, esse sacrilegum furorem contra Judæos, esse blasphemias et contumelias in Deum naturæ et ortus auctorem. Verum facessat hæc blasphemia, quam refellunt S. Hieronymus, Origenes, Theodoretus et cæteri, ex eo quod paulo ante Jeremias Deum tam affectuose laudavit, et quis credat eum hic peccare peccato mortali, imo exsecratione gravissima, eum, inquam, qui sanctificatus fuit ex utero?

Vers. 14. Jeremias maledicit diei nativitatis suæ, quo sensu? Prima expositio Calvini.

Secundo, Origenes apud S. Hieronymum respondet animas, quæ antea in cœlestibus habitarunt, et jam in terra in corpora, quasi in carcerem detrusæ sunt, merito lugere, et maledicere suæ incorporationi. Sed hæc est hæresis.

Secunda, Origenis.

Tertio, Isidorus censet esse conditionatam maledictionem, *q. d.* Si quæ dies infausta et maledicenda esset, esset dies nativitatis.

Tertia, Isidori.

Quarto, aliter rursum respondet Origenes : Dies, inquit, nativitatis Jeremiæ jam diu transierat, et jam non erat, eratque nihil; unde non peccavit ei maledicendo Jeremias : quia maledixit rei, quæ non erat, id est nihilo. Verum obstat, quod dies illa exstiterit, fueritque creatura Dei : non licet autem maledicere ulli creaturæ Dei, sive illa præsens sit, sive præterita. Rursum nuntius hujus diei adhuc exstabat, saltem secundum animam : huic autem maledicit pariter hic Jeremias, vers. 15.

Quarta, Origenis.

Quinto, P. Pineda in *Job*, cap. III, nove censet S. Jobi maledicta et querelas contra Deum, ex ingenti, impotenti et irato amore in Deum profectas esse. Solet enim ingens amor, ex sui vehementia et impotentia, irasci amico, dum ab illo se læsum, vel minus amice tractari putat, eaque ratione magis seipsum accendit, magisque amicitiam, stimulando amicum, suscitat et adauget. Ita S. Job ex amore queri et expostulare cum Deo quasi amico, quod ab eo tot malis affligatur, ut hac amoris fiducia et vehementia tam Dei erga se, quam suum erga Deum amorem excitet et inflammet. Hinc Lucianus in *Dialogo Mercurii et Maiæ* : « Iracundi, ait, sunt qui amant. » Et vulgo dicitur : « Amantium iræ, amoris redintegratio est. » Consequenter censet has querelas non pusillanimitatis, sed fortitudinis esse signum. Nam in viris fortibus, dum arduam obeunt luctam, gemitus et clamores non debilitare robur animi, sed illud augere et confirmare docet Cicero, *Tusculan.* II : « Ut in stadio, inquit, cursores exclamant quam maxime possunt, faciunt idem cum exercentur athletæ : pugiles vero etiam cum feriunt adversarium, in jactandis cestibus ingemiscunt. Si gemitus igitur in dolore ad confirmandum animum valebit, utemur. »

Quinta, P. Pinedæ.

Fateor amantes et fortes in acri dolore gemere et irasci; at non solent amico, multo minus Deo maledicere. Adde : Jeremias hic non Deum, sed diem nativitatis incusat, eique maledicit.

Sexto, S. Chrysostomus, homil. 4 *De patientia Job* (quem sequuntur D. Thomas et Hugo) censet hæc verba non esse optantis, sed declarantis tantum internum dolorem, non ut cuipiam rei injuriam inferat, sed ut dum in creaturas converti videtur, ab injuriis et blasphemia in Deum plane se avertat : « Sicut, inquit, si quis apostematis morbo circumventus, ferro recidatur a medico, non habens quomodo recidenti adversetur, circumstantia tangit, atque astantes mordet, illis quidem inferre nihil habens, ad medicum autem extendere manus non valens : sic et Job blasphemiæ magnitudines timens, facit inanimatis injuriam, atque fiduciam passione adauget, non contra Deum audens, sed se denique accusans; » et mox : « Maledicit non creaturam, sed sui ipsius diem : potestatem habeo diei meæ, non maledico Creatori, mei ipsius diem maledico, » *q. d.* Maledico diem, non quatenus dies est Dei, sed quatenus meus est, hoc est, mihi tam misero, et meæ nativitati maledico. Verum hoc licet per se non sit blasphemum, nec Deo injurium, impatientis tamen et pusillanimis mentis est indicium : atque leviculum, nec explens pathos et gravitatem hujus orationis et affectus. Adde, qui sibi maledicit, indirecte et tacite suo auctori et creatori maledicit : maledictio enim creaturæ in ejus creatorem refunditur et redundat. Vide D. Thomam et Cajetanum, II II, *Quæst.* LXXVI, ubi docent quando maledictio sit peccatum mortale, quando veniale, quando nullum. Quocirca Lyranus vult hæc verba tantum exprimere inferioris partis affectum, cui tamen ratio non consentit : sicut in summa anxietate, dolore et desperatione dolor exprimit ex homine verba quædam, et gestus summæ desperationis, quasi naturæ impetu, quos ratio inhibere non potest. Sed hic nimis multa ordine, et quasi cum ratione dicuntur, atque debuisset corrigere Propheta hunc vitiosum naturæ motum; sicut Christus in passione correxit suum, licet in se bonum. Hæc tamen sententia commode explicari potest, ut mox patebit.

Septimo, S. Gregorius, in *Job* III, putat hæc esse mystice intelligenda, scilicet maledici a Sanctis, Job et Jeremia, peccato originali, in quo quis suo die natus est; rursum hac phrasi Job et Sanctos orare, ut a mortalitate transferantur in beatam æternitatem, *q. d.* « Dies mutabilis pereat, et lumen æternitatis erumpat. » Et S. Ambrosius, lib. IV *in Lucam*, cap. IV : « Generationis suæ carnalis, inquit, diem perire desiderat, ut dies ejus in regeneratione numeretur. Pereat, inquit, dies sæcularis, ut dies spiritalis oriatur. » Verum hæc mystica sunt.

Unde et mystice hæc applicans Cadiloo antipapæ B. Petrus Damianus, lib. I, *epist.* 20 : « Merito, inquit, dicas : Maledicta dies in qua natus sum, etc. Non hic dies illa, in qua natus est homo, maledicetur; sed prosperitas potius, qua lenocinante in peccatum lapsus est, condemnatur. In qua videlicet die tu quodammodo morereris in vulva, si ab ea, quam cœperas, imo, in qua male nascebaris, desisteres culpa. »

Octavo, Maldonatus putat hæc dici ex aliorum sententia : Quia, inquit, alii illi diei infortunato, et multorum malorum initio maledicturi erant. Verum seqq. versibus ad finem usque cap. hæc ita ingeminat Jeremias, ut ex proprio sensu loqui videatur. Octava, Maldonati.

Nono, Sanchez respondet Jeremiam dolere de die nativitatis non absolute, sed determinate, scilicet dolere quod illo die et tempore natus sit, quo visurus sit suæ gentis excidium. Aut potius dolere et maledicere peccato, quod sibi commisisse videbatur, vocans Deum seductorem, dicendo, vers. 7 : « Seduxisti me, Domine, et seductus sum, » *q. d.* Ita me hujus dicti et facti pœnitet, ut malim non esse natus, quam tam turpiter in Deum meum peccasse. Verum aliam causam assignat ipse Jeremias, vers. ult., dicens : « Quare de vulva egressus sum, ut viderem laborem et dolorem, et consumerentur in confusione dies mei? » Unde et vers. 8, queri incipiens, ait : « Factus est mihi sermo Domini in opprobrium. Et dixi : Non recordabor ejus, neque loquar ultra in nomine illius. » Ubi plane significat odia, probra et verbera quæ a Judæis, ob tristes et minaces suas prophetias, sustinebat, fuisse causam sui doloris et ægritudinis animi, quæ hanc ei maledictionem excussit. Nona, Sanchez.

Respondeo ergo cum Cajetano loco citato, et Christophoro a Castro, esse modum loquendi Hebræorum, ut per maledictionem tantum intelligant interjectionem optantis, *q. d.* Utinam hoc non fuisset. Sic Job, cap. III, « maledicit, » id est optat dicens : « Pereat dies in qua natus sum; » sicut enim bonum diei est esse, sic malum est eidem non esse. Maledicit ergo diei nativitatis, id est quasi optat ei malum, scilicet non esse : quia tot malorum, tum communium, ut prophetaret et videret excidium urbis et gentis suæ; tum propriorum, ut ob hoc omnibus esset exosus, quasi falsus propheta, et hostis patriæ, essetque omnibus probro, dies illa fuerat ipsi causa et porta, *q. d.* Utinam nunquam fuisset dies illa, utinam nunquam essem natus! melius enim est non esse, quam semper esse male, et tam miserum. Utitur Jeremias hac phrasi ad pathos, ut ostendat quantas angustias, et quam gravia mala patiatur, quamque invitus excidium Hierosolymæ intentet et prædicat, ut Judæi videant eum non sponte, sed coactum a Deo illud ipsum prædicere.

Dices : Miseria hujus vitæ est materia patientiæ et gloriæ in cœlo, estque volita a Deo; unde ea fortiter ferenda est, non autem optandum, ut homo non sit; hoc enim peccatum est, et animi ab-

jecti et pusillanimis, præsertim in Jeremia, quem Deus sanctificarat in utero, cuique omnem opem et robur promiserat, ita ut certam haberet spem suæ evasionis et salutis.

Abstrahendo a statu gratiæ, Jeremiæ satius erat mori, quam vivere.

Respondeo : Jeremias abstrahit hic a statu gratiæ, meriti, peccati, ab ordinatione Dei, a statu futuro gloriæ, et tantum spectat naturalia bona et mala. Sunt enim hæ puræ naturæ voces, et voluntates, seu potius velleitates et optationes circa rem præteritam et impossibilem, quas vehementia doloris quasi naturaliter exprimit, et ratio dolore obnubilata et pene oppressa permittit, imo elicit, ut mali sui gravitatem ostendat, et hac querela leniat, *q. d.* Si commoda et incommoda naturalia spectem, quæ sunt tam in vita quam in interitu, satius est et optarim interiisse, et nunquam natus esse, quam vivere. Tunc enim omnibus caruissem ærumnis vitæ quas tantas experior, ut omnia ejus commoda et jucunda cum eis non sint comparanda. Sic *Eccles* cap. VII, vers. 2, dicitur : « Melior est dies mortis die nativitatis, » et cap. IV, vers. 2 : « Laudavi magis mortuos, quam viventes : et feliciorem utroque judicavi, qui necdum natus est, nec vidit mala quæ sub sole fiunt. » Si enim anima ingressura corpus videret omnia mala, quæ in eo passura est, horreret, diceretque : Malo non nasci, quam nasci ad tantas miserias. Vita enim hæc plus fellis quam mellis habet. Abstraho a periculis peccandi, quæ in hac vita continua sunt et maxima, ob quæ dixit S. Ambrosius, lib. *De Bono mortis*, cap. IV : « Quid est mors, nisi vitiorum sepultura, virtutum suscitatio? » Hinc et S. Paulus, *Rom.* VII, ingemiscit : « Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? »

Simili modo et causa S. Hieronymus, ut intimum suum indicet dolorem, conceptum ex suorum obitu, et ex æmulorum obtrectatione, quasi ipse ejus esset causa, utpote qui virgines ad nimium rigorem et inediam suis scriptis induceret, hæc Jeremiæ verba usurpat, epist. 25 *ad Paulam*, consolans eam super obitu Blesillæ filiæ : « Testor, ait, mi Paula, Jesum, quem Blesilla nunc sequitur; testor sanctos angelos quorum consortio fruitur, eadem me dolorum perpeti tormenta, quæ pateris; patrem esse spiritu, nutritium charitate, et interdum dicere : Pereat dies illa, in qua natus sum. Et : Hei mihi, mater, ut quid genuisti me virum qui dicerer discrimen omni terræ? »

Sic Elias undique persecutionem a Jezabele patiens, ut vix evadere posset, « petivit animæ suæ ut moreretur, et ait : Sufficit mihi, Domine, tolle animam meam, » III *Reg.* XIX. Hinc et Virgilius, I *Æneid.*, ita canit, aut potius luget :

> O terque quaterque beati,
> Queis ante ora patrum, Trojæ sub mœnibus altis
> Contigit oppetere!

Et Comicus :

> Non est vivere, sed valere vita.

Et Seneca :

> Mortis habet vices, lente cum trahitur
> Gemitibus vita.

Maledicta ergo dies est mala, id est misera admodum, quam Plautus in *Bacchid.* scelestam vocat :

> Quia ædepol certo scio,
> Vulcanus, luna, sol, dies, dii quatuor
> Scelestiorem nullum illuxere alterum.

Jeremias maledicit nuntio, quo sensu?

Dices *secundo* : Jeremias non tantum irrationali diei, sed et homini rationali, puta nuntio (1), maledicit : quod est peccatum mortale. Respondent aliqui hunc nuntium fuisse hominem malum, scilicet Phassur, omni maledictione dignum. Sed frivolum hoc est commentum. Respondeo ergo cum S. Hieronymo esse hyperbolem. Nam doloris ingenium est hyperbolice quidvis accusare et detestari, quod ad rem de qua dolet, quoquo modo attinet, etiamsi id culpæ, imo rationis et animæ sit expers, atque in illud acerbitatem suam evomere, quasi ipsum plagæ acceptæ fuerit causa, aut certe occasio. Sic Virgilius dolentem matrem pingens, *ecloga* 5, ait :

> Cum complexa sui corpus miserabile nati,
> Atque deos, atque astra vocat crudelia mater.

Sic David, II *Reg.* I, 21, accusat et maledicit montibus Gelboe, quod fuerint occasio, id est locus stragis Saulis et Jonathæ, dicens : « Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia veniant super vos, neque sint agri primitiarum : quia ibi abjectus est clypeus fortium, clypeus Saul. » Tantum ergo vult Jeremias dicere : Utinam nunquam essem natus, ac consequenter utinam nunquam fuisset homo id nuntians, non qua homo, sed qua nuntius! id est utinam nunquam fuisset dies illa, et consequenter nec tam infaustus diei tam infaustæ nuntius!

Tropologice, de genealogia peccati.

Tropologice ex S. Gregorio Glossa : Idem, inquit, dicere licet in persona peccatoris, ut scilicet maledicamus diei nativitatis peccati et culpæ, in qua diabolus est pater, concupiscentia mater, dies est productio culpæ in actum exteriorem : quæ dies maledicitur, cum homo per pœnitentiam peccatum suum detestatur.

16. NON POENITUIT EUM, — scilicet Deum, quod subverterit Pentapolim, id est non mutavit sententiam, non reædificavit eam, sed eam subvertit in æternum, *q. d.* Utinam pari modo nunquam fuisset homo ille, sicut non sunt civitates illæ quinque prorsus subversæ a Domino!

AUDIAT CLAMOREM MANE. — Per *mane* et meridiem, totum diem intelligit. Ita S. Hieronymus, *q. d.* Totis diebus sit nuntius ille in animi perturbatione, in qua solent esse ii, qui urbem incolunt

(1) Apud Persas etiamnum hunc morem obtinere, ut cum filius natus fuerit, id ut lætum quid parenti annuntiari, nuntium vero præmium accipere, narrant qui oras istas adiere; vide *das alte ur neue Morgenland*, part. IV, n° 1015, pag. 277. (Rosenmu

obsessam, vel qui in parentum luctu aliaque gravi calamitate versantur, qui tota die clamores et luctus audiunt, *q. d.* Rem adeo infaustam hic nuntius nuntiavit, ut non evangelio, nec præmio dignus videatur, sed potius afflictione, simili obsessis; dignus, inquam, non si nuntiantem, sed si rem nuntiatam spectes.

Notat S. Hieronymus hæc omnia hyperbolica periphrasi addi et exaggerari, ut ostendat vehementiam doloris, tantumque hæc omnia significare : Utinam non fuisset dies ille, et nuntius! Sic Æneas, ut summum animi dolorem explicet, ait *Æneid.* II :

Quem non incusavi amens hominumque Deumque?

17. QUI (non nuntius, ut Chaldæus, Hugo, Lyranus, sed Deus, vel Dominus, qui præcessit : vel per hebraismum, qui, id est *quia,* (et ita legunt Rabanus, Græca, et tria manuscripta) NON ME INTERFECIT A VULVA, — id est in vulva (sic enim sæpe ב *beth,* id est *in*; capitur pro מן *min,* id est *a, ex, de*), scilicet Dominus, naturæ et generationis auctor, cujus est in vulva occidere et vivificare; unde sequitur :

UT FIERET MIHI MATER MEA SEPULCRUM, ET VULVA EJUS (matrix matris) CONCEPTUS ÆTERNUS, — id est semper prægnans, ut nunquam natus, sed in utero moriens, eumdem haberem sepulcrum et conceptum, id est conceptaculum, *q. d.* Utinam mater me semper in utero gestasset, nunquam in lucem edidisset!

Aliter vir doctus : *Ut,* inquit, ponitur pro *utinam,* uti apud Terentium et Comicos sæpe legimus : *ut,* id est utinam, *te perdant dii deæque, q. d.* Utinam periissem in utero! ita ut sit hoc aliud votum, a priori, quo mox a vulva in lucem editus occidi optavit, diversum. Verum sic dicendum fuisset, *ut facta esset,* non *ut fieret,* etc. Neque enim jam natus potest redire in uterum, ut ibi sepeliatur.

Nota : Non optat Jeremias mori in peccato originali, sed ab eo abstrahit, ut dixi vers. 14.

Sancti veteris Testamenti in cruce dolent, non gaudent.

Denique S. Chrysostomus, homil. 4 *De patientia Job,* et alii notant majorem esse gratiam Evangelii, quam legis, quia sancti Prophetæ passi sunt, sed dolebant; Apostoli et Martyres passi sunt, sed gloriabantur. « Omne infirmum, ait Seneca, natura querulum est, » et omne querulum femineum : virile enim est in adversis non queri, sed fortiter ea superare, in iisque gaudere et gloriari. S. Bernardus, epist. 356 *ad Eugenium Pont.*: « Legi, inquit, apud quemdam sapientem : Non est vir fortis, cui non crescit animus in ipsa rerum difficultate. Ego autem dico : Fideli homini magis est inter flagella fidendum. » Addit : « Tu amice sponsi, amicum te in necessitate probato. » B. Dorotheus magnus vitæ spiritualis magister : « Certa, ait, contemptus mundi nota est, nulla re perturbari. » S. Ignatius : « Mansuetudinem, ait, volo, qua omnis vis et potestas principis hujus mundi enervatur. » Agricolæ asperam amant hiemem : quo enim majus est frigus, eo segetes magis radicantur in terra, magisque sugunt terræ succum; indeque in æstate majorem exspectant messem. Ita Sancti generosi amant aspera : inde enim lætiores fructus patientiæ et virtutum in hac vita, atque gloriæ in futura metent : vide dicta *Isaiæ* XXV, 3. Scivit hoc S. Hieronymus, ideoque ab æmulis vexatus ita scribit *ad Asellam,* epist. 99 : « Gratias ago Deo meo, quod dignus sim, quem mundus oderit. Quotam partem angustiarum perpessus sum, qui cruci milito? Infamiam falsi criminis imputarunt; sed scio per bonam et malam famam perveniri ad regna cœlorum. »

Martinianus, Saturianus, et eorum duo germani, cum jussu Genserici regis Wandalorum, ligatis pedibus post terga currentium quadrigarum per sylvarum et dumorum aculeos raptandi, et longa diraque morte enecandi essent, vale sibi invicem unusquisque ita dicebant : « Frater, ora pro me; implevit Deus desiderium nostrum; taliter pervenitur ad regnum cœlorum. Itaque orando et psallendo, gaudentibus angelis, pias animas emiserunt, » ait Victor Uticensis, lib. I *Wandal.*

Idem Victor, lib. II, narrat confessoribus Christi damnatis ab Hunerico rege ad exsilium, eoque pergentibus, occurrisse mulierem manu tenentem infantulum, eumque ita exhortantem : « Curre, domine meus, vides universos sanctos, quomodo pergunt et festinant ad coronas. » Cumque a confessoribus rogaretur cur e tam longo itinere ita properaret, respondit : « Cum hoc servo vestro parvulo ad exsilium propero, ne inveniat eum solum inimicus, et a via veritatis revocet ad mortem. » Et inferius narrat turbas plurimas fidelium martyribus occurrisse, quæ suos infantulos ad vestigia martyrum projicientes clamabant : « Quibus nos miseros relinquitis, dum pergitis ad coronas? quis istos baptizabit? » Cumque una pergere vellent ad exsilium, a tortoribus sunt prohibiti et remissi. Ibidem refert confessores in custodia coarctatos fuisse, ut uno supra alium jactato, jacerent quasi agmina locustarum, in stercoribus et fœtoribus extreme cruciandi, qui hymnum cum exsultatione decantabant : « Hæc est gloria omnibus Sanctis ejus. »

Idem, lib. III, narrat Dionysiam matronam, cum sub eodem Hunerico fustigaretur, dixisse : « Qualiter libet cruciate, verecunda tamen membra nolite nudare; » cumque id non obtineret, et inter virgarum ictus rivi sanguinis toto corpore fluitarent : « Ministri, ait, diaboli, quod ad opprobrium meum facere computatis, ipsa est laus mea : » quin et ipsa martyr alios ad martyrium confortabat. Habebat unicum filium teneræ ætatis et delicatum, quem cum timore pœnarum paventem conspiceret, verberans eum nutibus oculorum et auctoritate materna ita confortavit, ut matre multo fortior redderetur. Cui inter crudelia verbera constituto ita dicebat : « Memento,

fili, quia in nomine Trinitatis in matre Ecclesia baptizati sumus : non perdamus indumentum nostræ salutis, ne veniens invitator, vestem non inveniat nuptialem, et dicat ministris : Mittite in tenebras exteriores, ubi erit fletus oculorum, et stridor dentium. Illa pœna timenda est, quæ nunquam finitur. Illa desideranda vita, quæ semper habetur. » Talibus itaque filium solidans, velociter martyrem fecit, quam ipsa hostiam amplexans cum gaudio domi suæ sepelivit.

Gentiles per patientiam ad apathiam contendérunt.

Viderunt id quoque gentiles, sed per umbram, præsertim Stoici, qui per patientiam ad apathiam et indolentiam, animique tranquillitatem contenderunt. Unde Plutarchus, lib. *De Animi tranquil.*: « Invicti, inquit, et animosi fortunæ his verbis responsabimus, quæ Socrates visus in Anytum et Melitum dicere, in ipsos torsit judices : Interficere me Anytus et Melitus possunt, nocere mihi non possunt. Potest enim me fortuna morbo aliquo affligere ; animi abjecti, degenerem, invidum non potest eum efficere, qui sit bonus, fortis, magnanimus ; » et superius : « Imitemur Anaxagoram, qui audiens filium esse mortuum, dixit : Sciebam mortalem esse, quem genueram ; et ad singulos fortunæ casus dicamus : Noveram divitias me possidere in diem duraturas et instabiles ; noveram magistratum ab iis adimi posse, qui me eo ornaverant : noveram mihi esse probam mulierem, sed tamen mulierem ; noveram amicum esse hominem, facile (ut ait Plato) mutabile animal. Hujusmodi enim præparatio, animique informatio, si quid adversi eveniat, saltum cordis, et trepidationem avertet, mentisque perturbationem sedabit : non enim dicet : non putabam, hæc non exspectabam.

Ita Socrates.

Anaxagoras.

Carneades. Doloris origo est inexspectatio.

« Unde Carneades omnem dolorem oriri censuit, ex eo quod inexspectato nobis accidat quippiam ; » et rursum : « Nimia istarum rerum appetitio, acerrimum amittendi metum, et in amissione dolorem ingenerat. Hoc caret qui appetitum hunc refrenans fortunæ dicit : Suave est si quid das ; parvus dolor, hoc ubi tollis.

Stilpo.

« Demetrius cum Megaram cœpisset, quæsivit e Stilpone, ecquid in ista direptione ipsi periisset ; cui Stilpo : Neminem vidi, qui res meas ferret : » fortuna enim opes deprædatur, non sapientiam, non constantiam animi, quæ sunt res et bona sapientum. « Non timet mortem, qui cedens fato dicit : Ipse Deus simul atque volam me solvet ; qui dicit : Anteverti te, o fortuna ! omnesque tibi ad me aditus obstruxi. »

Patiens quasi apis ex thymo adversitatis mel colligit.

Et sub initium libri : « Sicut apibus mel præbet thymus acerrima et aridissima herba : ita homines cordati e rebus adversissimis conveniens aliquid et commodum decerpunt. Actus est in exsilium Diogenes : ne hoc quidem male : nam factus extorris philosophari cœpit. Zeno Citiensis, audiens navem cum suis rebus esse submersam : Laudo, inquit, tuum factum, o fortuna ! quæ nos in palliolum et porticum redigis. Quid obstat, quominus ista imiteris ? Obeundo aliquo magistratu impegisti ? vives postmodum ruri, rerum tuarum satagens. Ambiens principis alicujus amicitiam, passus es repulsam ? vives periculorum et negotiorum liber. Accidit per calumniam vel invidiam exsibilatio aliqua, et infelix successus ? secundo vento ad Musas et Academiam navigare licet, quod fecit Plato postquam naufragium amicitiæ fecit cum Dionysio. »

Diogenes. Zeno.

Plato

« Ad animi tranquillitatem comparandam, multum conducit illustres viros considerare, qui eadem, qua nos fortuna æquo sunt animo usi. Molestum tibi est, quod prole cares ? at Romanorum vide reges, quorum nullus filio regnum reliquit. Paupertas tibi gravis est ? quis vero Bœotorum esse malles quam Epaminondas, aut Romanorum quam Fabricius ? Adulterata est mulier : nonne legisti inscriptionem apud Delphos :

Agis me poscit terræ rex, et maris idem?

Agis.

et audivisti uxorem ejus Timæam fuisse ab Alcibiade vitiatam ? verum id Agidi non obstitit, quominus Græcorum fieret clarissimus et maximus. » Hucusque Plutarchus.

Audi et Senecam : « Totum fortunæ regnum despiciam ; » et : « Malo me fortuna in castris suis, quam in deliciis habeat ; torqueor, sed fortiter, bene est ; occidor, sed fortiter, bene est. » Ita ipse, *epist.* 68. Idem *De Remed. fortuit.* : « Dolor, ait, imminet : si exiguus est, feramus : levis est patientia. Si gravis est, feramus : non levis est gloria. Dura res est dolor : imo tu mollis. Pauci dolorem ferre potuerunt : simus ex paucis. Imbecilles natura sumus : naturam infamare nolite ; illa nos fortes genuit. Fugiamus dolorem : quid, quod ille sequitur fugientes ? » Idem, lib. III *De Ira*, cap. V et VI : « Non est magnus animus, quem incurvat injuria. Aut potentior te, aut imbecillior læsit. Si imbecillior, parce illi : si potentior, tibi. Nullum est argumentum magnitudinis certius, quam nihil posse quo instigeris, accidere. Pars superior mundi et ordinatior, ac propinqua sideribus, nec in nubem cogitur, nec in tempestatem impellitur, nec versatur in turbinem, omni tumultu caret ; inferiora fulminantur. Eodem modo sublimis animus, quietus semper, et in statione tranquilla collocatus, intra se premens quibus ira contrahitur, modestus et venerabilis est. » Denique sapientis est ista vox : « Miseria prudentiæ bona est mater. » Ἐξ ὧν ἔπαθες, ἔμαθες : « A quibus læsus, ab his doctus es. »

ET CONSUMERENTUR IN CONFUSIONE DIES MEI, — id est, ut ignominiose vitam finirem. Simile est Job cap. X, 18 ; et I *Machab.* II, 7.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sedecias in Jerusalem a Chaldæis obsessus, rogat Jeremiam, ut pro sui et urbis liberatione Deum oret : ille respondet urbem cum rege capiendam. Unde, vers. 8, proponit eis viam vitæ, suadens, scilicet, ut se dedant Chaldæo, utque rite pauperibus et oppressis justitiam administrent ; atque viam mortis, si videlicet Chaldæo resistant (1).

1. Verbum, quod factum est ad Jeremiam a Domino, quando misit ad eum rex Sedecias Phassur filium Melchiæ, et Sophoniam filium Maasiæ sacerdotem, dicens : 2. Interroga pro nobis Dominum, quia Nabuchodonosor rex Babylonis prœliatur adversum nos : si forte faciat Dominus nobiscum secundum omnia mirabilia sua, et recedat a nobis. 3. Et dixit Jeremias ad eos : Sic dicetis Sedeciæ : 4. Hæc dicit Dominus Deus Israel : Ecce ego convertam vasa belli, quæ in manibus vestris sunt, et quibus vos pugnatis adversum regem Babylonis, et Chaldæos, qui obsident vos in circuitu murorum : et congregabo ea in medio civitatis hujus. 5. Et debellabo ego vos in manu extenta, et in brachio forti, et in furore, et in indignatione, et in ira grandi. 6. Et percutiam habitatores civitatis hujus, homines et bestiæ pestilentia magna morientur. 7. Et post hæc ait Dominus : Dabo Sedeciam regem Juda, et servos ejus, et populum ejus, et qui derelicti sunt in civitate hac a peste, et gladio, et fame, in manu Nabuchodonosor regis Babylonis, et in manu inimicorum eorum, et in manu quærentium animam eorum, et percutiet eos in ore gladii, et non flectetur, neque parcet, nec miserebitur. 8. Et ad populum hunc dices : Hæc dicit Dominus : Ecce ego do coram vobis viam vitæ, et viam mortis. 9. Qui habitaverit in urbe hac, morietur gladio, et fame, et peste : qui autem egressus fuerit, et transfugerit ad Chaldæos, qui obsident vos, vivet, et erit ei anima sua, quasi spolium. 10. Posui enim faciem meam super civitatem hanc in malum, et non in bonum, ait Dominus : in manu regis Babylonis dabitur, et exuret eam igni. 11. Et domui regis Juda : Audite verbum Domini. 12. Domus David, hæc dicit Dominus : Judicate mane judicium, et eruite vi oppressum de manu calumniantis : ne forte egrediatur ut ignis indignatio mea, et succendatur, et non sit qui exstinguat, propter malitiam studiorum vestrorum. 13. Ecce ego ad te habitatricem vallis solidæ atque campestris, ait Dominus : qui dicitis : Quis percutiet nos? et quis ingredietur domos nostras? 14. Et visitabo super vos juxta fructum studiorum vestrorum, dicit Dominus : et succendam ignem in saltu ejus : et devorabit omnia in circuitu ejus.

Est hic hysterologia, sive præposterus ordo : hic enim narrantur gesta sub Sedecia, cum postea cap. XXIV et sequent. narrentur gesta sub Joakim et Joachin, qui ante Sedeciam regnaverunt. Rursum prophetia hujus cap. diu post præcedenob ea quæ illum hoc capite vers. 9, dixisse legimus.

Describitur igitur in hoc cap. PRIMO, legatio missa a Sedecia ad Prophetam, *primo*, nominatis legatis, *secundo*, relato argumento, rogante Prophetam ut Deum se susceptæ a Nabuchodonosore invasionis eventu consulat, 2.

SECUNDO, responsum Prophetæ, nomine Dei legatis datum, *primo*, prædicens calamitates, tempore obsidionis, urbi obventuras, 4-6; et expugnata urbe regem et incolas oppressuras, 7; *secundo*, suggerens consilium, *populo*, de urbe dedenda ad servandam vitam, 9,-10; *regi* et familiæ, de justitia colenda, 11, 12; Hierosolymæ, de deponenda vana confidentia, 13, 14.

(1) Inseruntur hic duo sermones editi post captivitatem alteram, unus complectens, cap. XXI, XXII, et XXXII, alter cap. XXIV. Quæ hoc capite XXI leguntur, non est dubium dicta et facta esse tum, cum post repressos Ægyptios, Judæis suppetias afferentes (vid. infra XXXVII, 5 et seqq.), Chaldæi altera vice copias Hierosolymitanæ urbi admoverent, nondum tamen arctius eam concluderent, quod inde colligitur, quod Propheta vers. 4, milites qui tunc adhuc extra muros pugnabant, mox in urbem se recepturos esse prænuntiat. Recte Venema monet, inquit Rosenmuller, caput XXI, ex serie historiæ statim post XXXVII, ponendum fuisse, nam capite XXXVII narrari, quem effectum habuerit quæ hic legitur concio; principes videlicet nonnullos manus Prophetæ injecisse

tes est edita ; illæ enim editæ fuerunt diu ante adventum Chaldæorum, hæc illis præsentibus, et urbem obsidentibus edita est. Vide chronotaxin initio libri. *Phassur* hic fuit filius Melchiæ : unde alius est a Phassur filio Emmer, qui percussit Jeremiam, cap. XX. Ita S. Hieronymus. Sed uterque impius fuit et iniquus in Jeremiam. Hic enim suasit Sedeciæ, cap. XXXVIII, ut occideret Jeremiam (1).

Vers. 2. 2. INTERROGA. — Hebræum דרש *daras*, significat interrogare, significat et rogare, sive requirere Dominum obsecrando, et opem petendo. Ita Chaldæus hic, Vatablus, Theodoretus, et patet ex seq. utroque modo hic accipi. Ecce hic impletum illud, quod promisit Deus Jeremiæ, XV, 19 : « Convertentur ipsi ad te, et tu non converteris ad eos : » necessitas enim compulit impium Sedeciam adire, et petere opem a Jeremia.

SECUNDUM OMNIA MIRABILIA SUA, — quibus mire populum suum liberavit a Pharaone, *Exodi* XIV, et a Sennacherib, IV *Reg.* XIX, et ab Holoferne, *Judith* XIII. Tacite hic fatetur Sedecias se non suis, nec humanis viribus, sed sola Dei ope et miraculo posse a Chaldæis liberari.

ET RECEDAT A NOBIS, — non Deus, sed Nabuchodonosor.

4. CONVERTAM. — Theodoretus, *inutilia reddam* : simplicius, « convertam, » id est retundam arma vestra, hoc est, impediam ut iis uti, et Chaldæis resistere non possitis. Ita Isidorus. *Tertio*, simplicissime Hugo, S. Thomas, Lyranus, Vatablus : « Convertam, » id est reflectam, « vasa, » id est arma bellica, contra vos, ut scilicet Chaldæi iis vos armatos videntes, magis provocentur ad pugnam contra vos, eaque urbe capta, uti fieri solet, vobis eripiant, et in medio, puta in foro, domo civica, vel armamentario, civitatis colligant, iisque vos trucident. *Quarto*, Sanchez : « Convertam, » inquit, arma vestra in vosmetipsos, *q. d.* Faciam ut sint inter vos factiones, et mutua vos cæde conficiatis. Verum sequentia indicant tertiam expositionem. Sequitur enim : « Et Chaldæos, » scilicet convertam et incitabo contra vos : « et congregabo ea in medio civitatis : » « ea, » scilicet « vasa belli, » puta arma vestra. Neque in excidio Jerusalem per Chaldæos, sed per Romanos, fuisse factiosos Zelotas legimus.

5. ET DEBELLABO (pugnans pro Chaldæis contra vos) IN MANU EXTENTA, — id est robusta, quæ continuo rigide se extendat ad vos feriendum et trucidandum. Vers. 5.

8. ECCE EGO DO CORAM VOBIS VIAM VITÆ, ET VIAM MORTIS, — *q. d.* Do vobis optionem vitæ et mortis, atque rationem propono, ac medium unum, quo vivere possitis ; aliud, quo mortem accersetis : scilicet, si vultis vivere, tradite vos Chaldæo ; si repugnatis, obsidionem in urbe sustinendo, peribitis gladio, fame et peste. Si ergo pereatis, id vestræ culpæ et inobedientiæ ascribite, nec me crudelitatis accusate. Itaque manere in urbe, et obsideri, erat via mortis : confugere autem ad hostes, erat via vitæ, *q. d.* Tam male vobiscum agetur, ut non possitis salvari, nisi per hostes : ut non possitis mortem, nisi per captivitatem evadere. Vers. 8. Via vitæ et mortis quæ?

Tropologice, « via vitæ » est studium virtutis et legis Dei : « via mortis » est peccatum, ac legis et voluntatis Dei prævaricatio. Utramque concionatores sæpe populo ob oculos ponant, ut, cum multi sint vocati, pauci electi, cumque multi ingrediantur viam mortis, pauci viam vitæ : quisque amans salutis suæ, satagat cum paucis fugere de incendio Sodomæ, et quasi spolium liberare et salvare animam suam, ut per viam vitæ ad vitam beatam et æternam evadat. Tropologice, via vitæ est custodia legis, via mortis est peccatum.

Secundo et magis apposite : « via vitæ » est subdere se cruci a Deo immissæ : « via mortis » est ei reniti et obluctari. Unde Christus ait *Matth.* cap. XVI, 24 : « Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam : qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. » Idem ait S. Joannes, cap. XII, 25.

9. ERIT EI ANIMA SUA QUASI SPOLIUM, — liberabit a morte animam, id est vitam suam, eamque habebit instar spolii ; quia, sicut spolium alienum est, non proprium, hosti enim abripitur : ita Judæi in obsidione vitam suam desperatam, perditam, et in hostium potestate positam, salvabunt, et quasi spolium hosti eripient, dedendo se hosti. *Secundo*, sicut milites gaudent de spolio, quasi præmio præter spem obvenienti : ita Judæi gaudebunt de vita sua præter spem servata. Ita Vatablus et Maldonatus. Sic fere et Capella : *Liberabit*, inquit, *animam suam, et servabit integram, sicut spolium quod quis direptioni et incendio eripit, et sedulo custodit.* Aliter Isidorus : *Vita salva*, inquit, *vivet captivus*, eritque spolium hosti. Hanc phrasin repetit Jeremias, cap. XXXVIII, 2, et XXXIX, 18, et XLV, 5. Vers. 9.

10. POSUI ENIM FACIEM MEAM SUPER CIVITATEM HANC IN MALUM, — obfirmato et infenso animo et oculis aspexi Jerusalem, statuique et plane decrevi eam dare Chaldæis exurendam.

(1) Videtur nominis consonantia illis qui sparsa olim Jeremiæ oracula, nec omnes eodem ordine, conquisiverunt et digesserunt, occasionem dedisse, duplicis Phassuri mentionem conjungendi, inquit Michaelis, licet inter se diversi sint, diversa etiam sint tempora, ut bene notat Cornelius. Idem qui hic, Phassur, memoratur infra cap. XXXVIII, 1, videtur unus ex principibus, sive aulicis fuisse, confer cap. XXXVIII, 4. Juxta Calmetum et Rosenmuller הכהן, *sacerdotem*, non gregalem sed summi Pontificis vicarium, seu sacerdotem secundum, ut dicitur apud *Jerem.* LII, 24, cujus præcipuæ partes in rebellione contra regem Chaldæorum fuere, occisum ideo a Nabuchodonosore, vide infra LII, 24 ; IV *Reg.*, XVIII, 21. Bis a rege missus ad Jeremiam consulendum fuit, *Jerem.* XXXVII, 3, et ingenti auctoritate vir ille politus fuisse, videtur, regnante Sedecia. Porro sicut Ezechias rex ad Isaiam prophetam duos legatos, unum politicum, alterum ecclesiasticum misit, ita et hic Sedeciam legimus ad Jeremiam eorumdem ordinum legatos misisse.

11. ET DOMUI REGIS, — scilicet dices. Jubet Deus Prophetæ, ut a populo ad proceres sermonem convertat (1).

12. DOMUS DAVID, — id est domus regis : rex enim erat ex stirpe David. Meminit Davidis, quia posteros ejus ad judicium et justitiam exhortari volebat, in qua excelluit David, ut patet II *Reg.* VIII, 15, *q. d.* Si filii estis Davidis, Davidis opera facite.

MANE, — id est tempestive, vigilanter, diligenter et cito absolvite lites et causas innocentum. Ita Hugo et Lyranus.

Secundo, Vatablus, « mane, » inquit, cum scilicet jejuni estis, ne per ebrietatem turbato cerebro, pervertatis judicium.

Tertio, mystice S. Hieronymus, Rabanus, Hugo: « Mane, » inquiunt, id est in luce justitiæ, non in tenebris falsitatis. Primus sensus simplicissimus est.

Vers. 13. Jerusalem vocatur *tsur*, id est Tyrus vel rupes, cur?

13. ECCE EGO AD TE HABITATRICEM VALLIS SOLIDÆ. — Pro *solidæ* hebraice est צור *tsur,* quod Symmachus, ait S. Hieronymus, vertit, *petram;* Theodotion, *obsessam;* Aquilæ secunda editio, *Tyrum;* Noster, *solidam;* Chaldæus, *vallem fortitudinis.* Notat ergo Judæam et maxime Jerusalem, ait S. Hieronymus, quæ in valle solida et forti instar petræ sita, muniebatur Sion, et aliis montibus ac muris maximis, instar Tyri : ita ut simul petra, sive rupes, esset et vallis (2).

Secundo, quia, ut ait S. Hieronymus, uti Tyrus mari, ita Jerusalem obsessa Babylonio cingebatur exercitu. Dicitur Jerusalem campestris; quia partem habebat in campo, et campos habebat vicinos. Alloquitur Jerusalem, id est cives, qui munitioni civitatis præsidebant, quasi esset inexpugnabilis, *q. d.* Ne confidatis loco natura munito : ego enim sum, qui contra te pugno, qui facile mihi aditum patefaciam : « quia si exaltatus fueris ut aquila; et si inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te, » uti minatus sum Idumææ, *Abdiæ* vers. 4.

Symbolice, Jeremias, æque ac Isaias, cap. XXII, 1, Jerusalem et Sion, licet in monte sitam, vocat vallem; quia illam sic intuebantur peccatis, æque ac Chaldæorum armis depressam et deletam, ut nullum appareret in ea aut priscæ religionis et sanctitatis, aut antiquæ altitudinis et gloriæ vestigium, *q. d.* O mons, non jam nobilis et illustris, sed ignobilis et profunda vallis, quæ tuis corruptis moribus in vilitatis et ignominiæ fundum te depressisti, ideoque a Chaldæis usque ad fundamenta excisa et eversa es. Ita Sanchez.

14. VISITABO SUPER VOS, JUXTA FRUCTUM STUDIORUM VESTRORUM, — *q. d.* Puniam vos pro meritis; ut, qualia semina peccatorum seminastis, tales et inde fructus plagarum metatis : ventum seminastis, turbinem metetis : spinas seminastis, spinas excidii et incendii metetis.

Jerusalem vocatur saltus, cur?

SUCCENDAM IGNEM IN SALTU EJUS. — *Saltum,* sive sylvam, vocat domos et plateas Jerusalem, ait S. Hieronymus, idque partim ob domorum, et habitantium multitudinem et densitatem, ait Theodoretus; partim, quia ex lignis saltus portæ et domus erant constructæ; partim, quia erat in ea domus saltus Libani, a Salomone ædificata. Hunc sensum exigit interrogatio Judæorum : « Quis ingredietur domos nostras? » Huic enim respondet Deus : Ego et Chaldæi; et per eos « succendam ignem in saltu » vestro. Sic cap. XXII, 6, et alibi Jerusalem vocat *Libanum.* R. David et Jonathas per *saltum* accipiunt vicinas urbes, quæ instar sylvæ cingebant Jerusalem; quasi explicans subdat : « Et devorabit omnia in circuitu ejus. » Alludit autem ad ignem, qui sylvæ immissus totam pervagatur, et inexstinguibilis est. Similem phrasin vidimus cap. V, 14.

Aliter Sanchez : Sacrificarant, inquit, Judæi in saltibus : habebant et in circuitu urbis lucos et hortos ad voluptatem et delicias. Tam ergo saltus et lucos, idolorum sacrificiis incestos, quam hortos ad animorum laxationem plantatos, et omni amœnitate instructos (in quibus proinde ventri vacabant et veneri) incendio populandos esse pronuntiat; ita ut nec in urbe, nec extra urbem quidquam vel a ferro tutum sit, vel ab incendio immune. Ita hortos deliciarum, quos mercatores et divites circum Antuerpiam, Bruxellas, Brugas aliasque urbes Belgicas sibi construxerant, ut viderentur esse paradisi terrestres; ob luxum et peccata in iis admissa, Deus nostro hoc sæculo in Belgicis hisce tumultibus concremavit et sub-

Belgium hortus deliciarum, nunc vallis lacrymarum.

(1) Vere monet Schnurrerus, quæ tribus reliquis hujus capitis versibus in regem regiosque amicos dicta referuntur, non esse continenter legenda cum sermone antecedente, aut eodem tempore quo superiora prolata putanda esse, licet iis sint nullo intervallo per copulam *vav* adjuncta. Etenim, inquit, cum eo maxime spectent, ut ad jus strenue dicendum, atque ad rapacium hominum injuriam reprimendam excitentur reipublicæ administri; credibile est, ea non demum tunc, cum urbi arma admoverent Babylonii, sed alio quodam diu antea tempore prolata fuisse. Hunc autem quem nunc occupant locum non alia de causa nacta esse censenda sunt, quam quod qui præcedit sermo, et ipse ad regem pertinet. Et sequuntur nunc alia ejus generis, non uno tempore edita, sed in eumdem locum relata ob argumenti nonnullam affinitatem. (Ex Rosenmuller.)

(2) Textus hebræus sic verti potest, *ecce ad te habitatrix vallis petræ campestris,* scilicet quæ habitas in valle, in petra, in planitie. Et revera Jerusalem erat sita in rupe, juxta quam erat vallis, circum erant planities, post planities erant montes, et hic erat situs urbis natura munitissimæ. Ad locum istum intelligendum facit, quod monet Relandus, *Palæst.,* pag. 839, Hierosolymam sitam esse in tractu montano Judææ, adeoque loco alto, ita tamen ut respectu montium quibus circumdatur, in loco humili sita videatur. Ita Phocas in *Descript. locor. sanctor.* : « Urbs sancta variis vallibus et montibus cingitur, et hoc mirabile est, quod eadem et excelsa et depressa appareat; respectu enim Judææ supereminet, respectu vero collium circa eam est depressa. » Poterat igitur Propheta eamdem urbem recte et in *valle positam,* et *petram planitiei,* seu *vallium* appellare, quatenus magna ejus parte in montibus sita late valles, Raphaimorum puta et Ennom (*Jos.* XV, 8), despiciebat.

vertit; ita ut Belgium, quod olim videbatur esse oculus et deliciæ Europæ, nunc vallis lacrymarum, imo polyandrion funerumque locus esse videatur. At redeunte avita patrum fide et probitate, redibit et sensim avita opulentia, elegantia et frequentia.

Tropologice. Mystice, ait S. Hieronymus, Jerusalem vocatur *saltus* Libani, quod frugiferas arbores bonorum operum non haberet : in hunc ergo saltum Deus injiciet ignem, tum Chaldæorum, tum damnationis æternæ; unde ait Joannes Baptista : « Jam securis ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur. »

Allegorice, ait idem S. Hieronymus, quidquid ad domum regiam, et urbem metropolim prophetatur, referamus ad ordinem Ecclesiasticum, et principes Ecclesiarum, eos duntaxat, qui se superbiæ et divitiis lasciviæque dederunt. Idem nota, et applica capiti sequenti.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hic incipit secundus liber, sive sectio oraculorum Jeremiæ, scilicet gesta et dicta ab eo post Josiam sub Joakim et Joachin, ut dixi in chronotaxi.

Mittitur ergo hoc cap. Propheta ad domum regiam, ibique monet regem Juda (quis hic fuerit dicam, vers. 1) *et principes, ut justitiam faciant pauperibus, alioqui eum cum regno evertendum esse; justitia enim quasi basi stabilitur regnum, injustitia evertitur. Deinde omnium filiorum Josiæ casus et fata ordine enarrat potius quam prophetat, scilicet Sellum, id est Joachaz, vers.* 10, *eum moriturum in Ægypto; Joakim, vers.* 13, *eum sepeliendum sepultura asini; Joachin, sive Jechoniæ, filii Joakim, vers.* 24, *eum cum matre capiendum, ac Babylone moriturum* (1).

1. Hæc dicit Dominus : Descende in domum regis Juda, et loqueris ibi verbum hoc, 2. et dices : Audi verbum Domini rex Juda, qui sedes super solium David; tu et servi tui, et populus tuus, qui ingredimini per portas istas. 3. Hæc dicit Dominus : Facite judicium et justitiam, et liberate vi oppressum de manu calumniatoris : et advenam, et pupillum, et viduam nolite contristare, neque opprimatis inique : et sanguinem innocentem ne effundatis in loco isto. 4. Si enim facientes feceritis verbum istud : ingredientur per portas domus hujus, reges sedentes de genere David super thronum ejus, et ascendentes currus et equos, ipsi et servi, et populus eorum. 5. Quod si non audieritis verba hæc : in memetipso juravi, dicit Dominus, quia in solitudinem erit domus hæc. 6. Quia hæc dicit Dominus super domum regis Juda : Galaad tu mihi caput Libani : si non posuero te solitudinem, urbes inhabitabiles. 7. Et sanctificabo super te, interficientem virum, et arma ejus : et succident electas cedros tuas, et præcipitabunt in ignem. 8. Et pertransibunt gentes multæ per civitatem hanc : et dicet unusquisque proximo suo : Quare fecit Dominus sic civitati huic grandi? 9. Et respondebunt : Eo quod dereliquerint pactum Domini Dei sui, et adoraverint deos alienos, et servierint eis. 10. Nolite flere mortuum, neque lugeatis super eum fletu : plangite eum, qui egreditur, quia non revertetur ultra, nec videbit terram nativitatis suæ. 11. Quia hæc dicit Dominus ad Sellum filium Josiæ regem Juda, qui regnavit pro Josia patre suo, qui egressus est de loco isto : Non revertetur huc amplius : 12. sed in loco, ad quem transtuli eum, ibi morietur, et terram istam non videbit amplius. 13. Væ qui ædificat domum suam in injus-

(1) Capitis hujus, quod totum ad regiam domum spectat, duæ sunt partes. In PRIORI, Propheta hortatur, illum qui recens ad reipublicæ gubernacula accesserat, ut in administrando regno justum et æquum se præbeat, quod si fecerit, fore ut ipse et tota regia familia tranquille et splendide vivant. Sin minus, id domui regiæ et universæ reipublicæ exitiosum futurum denuntiat, 1-10.

Quia autem adhortationibus et comminationibus plurimum ponderis afferunt exempla, in SECUNDA parte confirmationem prædictionis desumit ex eorum qui ante ipsum regnarunt, funesto exitu, scilicet, *primo*, ex facta deportatione et morte Joachaz (Sellum dicti), 11, 12; *secundo*, ex ignominioso interitu, patrata a Joakimo contra Deum et proximum scelera secuto, 13-23; *tertio*, ex edita tum in Joakimum, tum in ejusdem stirpem sententia exauctoratjonis 24-30.

titia, et cœnacula sua non in judicio : amicum suum opprimet frustra, et mercedem ejus non reddet ei. 14. Qui dicit : Ædificabo mihi domum latam, et cœnacula spatiosa : qui aperit sibi fenestras, et facit laquearia cedrina, pingitque sinopide. 15. Numquid regnabis, quoniam confers te cedro? pater tuus numquid non comedit et bibit, et fecit judicium et justitiam tunc cum bene erat ei? 16. Judicavit causam pauperis et egeni in bonum suum : numquid non ideo quia cognovit me, dicit Dominus? 17. Tui vero oculi et cor ad avaritiam, et ad sanguinem innocentem fundendum, et ad calumniam, et ad cursum mali operis. 18. Propterea hæc dicit Dominus ad Joakim filium Josiæ regem Juda : Non plangent eum : Væ frater et væ soror : non concrepabunt ei : Væ Domine, et væ inclyte! 19. Sepultura asini sepelietur, putrefactus et projectus extra portas Jerusalem. 20. Ascende Libanum, et clama : et in Basan da vocem tuam, et clama ad transeuntes, quia contriti sunt omnes amatores tui. 21. Locutus sum ad te in abundantia tua; et dixisti : Non audiam : hæc est via tua ab adolescentia tua, quia non audisti vocem meam. 22. Omnes pastores tuos pascet ventus, et amatores tui in captivitatem ibunt, et tunc confunderis et erubesces ab omni malitia tua. 23. Quæ sedes in Libano, et nidificas in cedris, quomodo congemuisti, cum venissent tibi dolores, quasi dolores parturientis? 24. Vivo ego, dicit Dominus : quia si fuerit Jechonias, filius Joakim regis Juda, annulus in manu dextera mea, inde evellam eum. 25. Et dabo te in manu quærentium animam tuam, et in manu quorum tu formidas faciem, et in manu Nabuchodonosor regis Babylonis, et in manu Chaldæorum. 26. Et mittam te, et matrem tuam quæ genuit te, in terram alienam, in qua nati non estis, ibique moriemini : 27. et in terram, ad quam ipsi levant animam suam ut revertantur illuc, non revertentur. 28. Numquid vas fictile atque contritum vir iste Jechonias? Numquid vas absque omni voluptate? quare abjecti sunt ipse et semen ejus, et projecti in terram, quam ignoraverunt? 29. Terra, terra, terra, audi sermonem Domini. 30. Hæc dicit Dominus : Scribe virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur : nec enim erit de semine ejus vir, qui sedeat super solium David, et potestatem habeat ultra in Juda.

1. DESCENDE, — ito : *descendere* enim in Scriptura significat ire.

REGIS, — scilicet, qui cap. præced. ad Jeremiam nuntios miserat, id est Sedeciæ. Ita S. Hieronymus, Rabanus, Hugo, Dionysius. Ad Sedeciam ergo hæc dicuntur a vers. 1 usque ad vers. 10, ubi incipiunt dicta sub Joakim ad Sellum, Joakim et Joachin. Verum sic foret hic magna et dura hysterologia (Joakim enim præcessit Sedeciam), præsertim quia omnia in hoc cap. connexa sunt, ut unum ex alio fluere videatur. Quare melius dicemus regem hunc esse Joakim, quem Pharao Nechao, abducto in Ægyptum Joachaz, ejus fratre, regem Judææ constituerat. Joakimo ergo mandat, ut per se et suos justitiam cuilibet, præsertim advenis, pupillis et viduis administret, ut felix et stabile habeat regnum, alioqui enim ei excidium minatur (1).

(1) Sententiæ Cornelii adstipulatur et ipse Rosenmuller his verbis : Quem initio capitis vates alloquitur rex Judæ, esse Joakimum, plurimorum interpretum, ut Francisci Junii, C. B. Michaelis, Venemæ, Dathii, est sententia, et J. D. Michaelis, cui tempore, Joakimi vaticinium editum esse, ex vers. 15 et 18, certum esse videtur. Videtur etiam initio regni vaticinium editum, quia secundum vers. 11, adhuc reditus Sellum exspectabatur. Sed cum vates ultra Joakimum procedat, et versu 24 et seqq., et de Jechonia, ejus filio, a Chaldæis Babylonem abducto, agat, in cujus locum successit Sedecias, sequitur ad eum, vers. 2, orationem dirigi. Initii vero hujus regni, cum nondum esset Hierosolyma ab hostibus obsessa, vatem hæc locutum esse, inde patet quod vers. 2, 4, tunc temporis rex et principes per urbis portas libere ibant et redibant. Ad Sedeciam hoc vaticinium referendum esse, vidit et Hieronymus, quamvis dubius sit, ad quodnam ejus tempus pertineat. Eichornius et Dahler hanc pericopam primo Sedeciæ anno assignarunt.

Quod autem alteram hujus capitis partem (vers. 10-30) attinet, eam tunc demum, cum illam orationem, quæ vers. 1-9 legitur, litteris consignaret vates, aut per alium quemdam mandari litteris curaret additam fuisse necesse est. Continet enim quæ Sedeciæ fratri fratrisque filio, Jechoniæ olim prædixisset vates. Recte Grotius : « Jeremias Sedeciæ loquens simul repetit quæ regibus antecedentibus, fratri scilicet ipsius Sedeciæ, fratrisque filio prædixerat, ne quid haberent, quod de tam gravi Dei ultione conquererentur. » Videtur vero quæ in hoc capite habentur in unum conscripta vates tanquam libellum aliquem memorialem regi tradidisse.

(Rosenmuller.)

5. IN MEMETIPSO (per memetipsum) JURAVI. Vers. 5.

6. GALAAD TU MIHI CAPUT. — Mons Galaad est caput et principium ac nobilissima pars Libani : est enim ferax resinæ, stactes et aromatum, ut patet Vers. 6. Galaad vocatur domus regia, cur?

Genes. XXXVII, 25, in quo Jacob cum Laban percussit fœdus, statuens acervum lapidum quasi testem perennem fœderis : inde dictus est mons hic *Galaad*, id est acervus testimonii; inde *Galaad* significat hic vel templum, ut vult Hugo; vel Jerusalem, uti volunt S. Thomas et Vatablus; vel potius, ut patet ex vers. 1 et 6, domum et stirpem regiam, cujus arx et domus instar Galaad montis erat edita in monte Sion, juxta templum, in quo erant tabulæ decalogi, arca et alia monumenta fœderis percussi (hoc enim est Galaad) inter Deum et populum. Adde, sicut in Galaad et Basan ob sylvarum densitatem erant leones et bestiæ ferocissimæ : ita et in domo hac regia reges erant feroces instar leonum, *Ezechiel.* cap. XIX, vers. 1 et seq. Consequenter per *Libanum*, ut docent S. Hieronymus, Rabanus, Chaldæus, Theodoretus, Castrius, intelligit Jerusalem, indeque totam Judæam, *q. d.* O domus regia, quæ nobilitate, auctoritate, imperio, pulchritudine, altitudine caput es Hierosolymæ, sicut Galaad caput est Libani, non habear posthac verax, nisi te redegero in solitudinem una cum tota Jerusalem, et domibus ejus cedrinis, ex Libano excisis, ut fias desolata, sicut urbes inhabitabiles.

Libanus est Jerusalem, cur?

Nota : Scriptura solet alienis nominibus vocare urbes et gentes, maxime si alienatæ sint a Deo : sic Jerusalem hic dicitur *Libanus*.

Nota *secundo* : *Si* Hebræis est particula jurantis, idemque valet quod *non* : estque aposiopesis, *q. d.* Juro me hoc non facturum; quod si aliter fecero, non habear Deus, non habear verax.

Tropologice. Tropologice, Galaad caput Libani, id est Ecclesiæ, sunt sacerdotes, qui legem et Sacramenta, quæ sunt monumenta fœderis per Christum percussi inter Deum et homines, ministrant : hi videant, ut hæc non recludant, sed rite administrent, ne quasi cedri ex sua altitudine dejiciantur, et igni tradantur. Ita Dionysius et a Castro.

Vers. 7. Deus sanctificavit Chaldæos contra Jerusalem. Primo.

7. SANCTIFICABO, — id est publica auctoritate sanciam, ait Maldonatus. Sic dicitur : « Sanctificate bellum, » *Joel.* III, 9; et : « Sanctificate jejunium, » *Joel.* I, 14; et : « Sanctificate super eam gentes, » infra cap. LI, 27, id est facite, ut Gentes illi bellum inferant.

Secundo. *Secundo*, « sanctificabo, » id est segregabo et præparabo eos ad bellum. Ita Chaldæus, Theodoretus, Vatablus, ut justam et sanctam Dei sententiam et vindictam exsequantur, aiunt S. Hieronymus, Rabanus, Hugo.

Tertio, « sanctificabo : » quia, sicut bellum et belli jura erant sancta, et a Domino præscripta, *Deuter.* XX, 1; ita et milites sacramento, id est sancto jurejurando, bello ascribebantur, sine quo sacramento nefas erat militare, ait Plutarchus, *Probl.* 38.

Quarto. *Quarto*, « sanctificabo, » id est consecrabo eos quasi sacerdotes, ut vos impios quasi victimas pro peccato justitiæ meæ immolent et interficiant, *Jerem.* XLVI, 10; *Sophon.* I, 7. Vide dicta cap. VI, 4.

INTERFICIENTEM — Nabuchodonosorem. Hebraice est משחתים *maschitim*, id est vastatores, scilicet Chaldæos.

VIRUM (id est viros) ET ARMA EJUS, — *q. d.* Qui viros quantumvis armatos interficiat, ait Maldonatus.

Secundo et melius, τὸ *et arma ejus* refer ad *sanctificabo*, *q. d.* Inducam interficientem, « et arma ejus; » Septuaginta, et *secures ejus*, ut scilicet electas cedros, id est magnificas domos, quæ eminent in te, uti cedri in Libano, suntque factæ ex cedro succidant, et in ignem mittant.

10. NOLITE FLERE MORTUUM. — Vatablus, *mortuos homines*, puta Judæos, quasi dicat : Judæis durius est carere patria quam vita, malunt mori quam a Jerusalem exsulare. Sed Hebraice est למת *lemet*, id est *mortuum*, non Joakim, ut vult Pagninus, non Sedeciam, ut volunt S. Hieronymus, Rabanus, Hugo; non Joachaz, ut vult Lyranus, sed Josiam regem optimum, cujus adhuc mors et funus celebrabantur communi omnium luctu. Ita Theodoretus, S. Thomas, Castrius et Sanchez, *q. d.* Nolite lugere Josiam a Pharaone cæsum, utpote pie et gloriose defunctum; flete potius ejus filium, qui longe miserior erit in miserrima captivitate, ad quam egredietur et ducetur; flete, inquam, Sellum. Vers. 10.

Tropologice, felicior est qui mortuus est, quam qui e Jerusalem, id est e sancta Religione et congregatione egreditur, et apostatat nunquam eo reversurus. Hic ergo magis lugendus est quasi fatuus, *Eccli* XXII, 10. Ita a Castro. Tropologice.

Moraliter S. Thomas : Non multum, inquit, plorandum est super mortuum. *Primo*, propter planctus inutilitatem. *Eccli.* XXXVIII, 21 : « Ne dederis in tristitia cor tuum, sed repelle eam a te. » *Secundo*, propter mortis communitatem. II *Reg.* XIV, 14 : « Omnes morimur, et quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur. » *Tertio*, propter culpæ immunitatem. *Sap.* IV, 11 : « Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius. » *Quarto*, propter laboris quietem. *Apocal.* XIV, 13 : « Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis. » *Quinto*, propter gloriæ consecutionem. II *Corinth.* V, 1 : « Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis. » Huc usque S. Thomas. Mortui non multum lugendi ob quinque causas.

11. SELLUM. — Quæres, quis est hic Sellum? Nota Josiam quatuor habuisse filios : *primogenitus* Josiæ, ait Scriptura, I *Paral.* III, 15, fuit Johanan; *secundus* Joakim, qui et Eliakim et Jechonias est dictus, qui filium habuit Joachin, sive Jechoniam regem post se; *tertius* Sedecias, qui et Mathanias; *quartus* Sellum. Vers. 11. *Sellum* quis?

Respondet ergo Vatablus, *Sellum* hic esse Joachin filium Joakim. *Secundo*, S. Hieronymus et Lyranus putant esse Sedeciam, qui dicatur Sellum, id est consummatio, scilicet regni Judaici; quia

in eo desiit sceptrum et regnum Judæorum : simili modo Hebræi in fine librorum scribunt שלום *scalom*, *q. d.* Consummatus est et finitus hic liber. Sicut ergo *scalom* libri, sic Sellum regni fuit corona et finis. *Tertio*, S. Thomas ex vers. 18, putat esse Joakim sive Eliakim. Sed dico cum

Est Joachaz. Theodoreto, Jansenio, Prado, a Castro, Sanchez et aliis, *Sellum* esse Joachaz, qui tertio genitus fuit Josiæ filius, et proxime illi a populo suffectus est in regnum, sed post tres menses a Pharaone in Ægyptum abductus est, ibique mortuus, ut hic dicitur : vide IV *Reg.* XXIII et XXIV. Probatur : nam Joachaz ille non est Johanan, primogenitus Josiæ, qui juvenis obiit, nec unquam regnavit : fuit enim Joachaz junior Johanan et Joakim. Rursum Joachaz non est Joakim, aut Sedecias, ut patet IV *Reg.* XXIV; Joachaz ergo est Sellum. Vide Jansenium in cap. VI *Concordiæ Evangelicæ* (1).

Dices : Quomodo ergo I *Paral.* III, 15, ponitur Sellum quartus Josiæ filius? Respondeo poni quartum, licet sit tertius : quia tribus tantum mensibus regnavit, cum alii duo singuli undecim annis regnarint.

Vers. 13. 13. VÆ QUI ÆDIFICAT DOMUM SUAM IN INJUSTITIA. — Loquitur de Joakim, qui successit Joachaz. Ita S. Hieronymus et cæteri præter Theodoretum qui de Joachaz intelligit. Taxat ergo Propheta Joa-

Joakimi injustitia. kimi injustitiam et ambitionem in nimia ædificandi cupiditate ex tributis, et aliis injuste acceptis. Unde ait : « Amicum opprimet frustra; » hebraice, *proximum servire*, vel *operari faciet gratis*, et sine pretio. Taxat ergo ejus injustitiam; quod proximos, sive amicos, sive pauperes cogeret laborare in suis structuris, nec eis mercedem solveret, contra legem, *Levit.* XIX, 13.

Et ambitio quadruplex. Rursum taxat ejus ambitionem. *Primo*, cum ait : « Ædificabo mihi domum latam, » hebraice מדות *middot*, id est mensurarum, scilicet magnarum, id est regiam amplissimam, ait Vatablus. Septuaginta vertunt, *domum moderatam*, id est ut Theodoretus, proportionatam in longitudine, latitudine, altitudine.

In fabricis Imperatores qui nimii, qui moderati. Ita Nero suum hic Romæ palatium tam vastum et splendidum exstruxit, ut domus ejus Roma, et Roma tota domus ejus esse videretur. Cernimus adhuc ejus ruinas et parietinas vastas admodum. Audi Suetonium in ejus *Vita*, XXXI : « Non alia in re damnosior, quam in ædificando. Colossum posuit sua effigie centum viginti pedum. Tanta ædium laxitas, ut porticus triplices millenarias haberet : item stagnum maris instar circumseptum ædificiis ad urbium speciem. In cæteris partibus cuncta auro lita, distincta gemmis, unionumque conchis erant. Cœnationes laqueatæ tabulis eburneis versatilibus, ut flores; et fistulatis, ut unguenta desuper spargerentur. Præcipua cœnationum rotunda, quæ perpetuo diebus ac noctibus vice mundi circumageretur. » Sed quis exitus istius ambitionis? tandem « exhaustus et egens calumniis rapinisque intendit animum. » Nam, ut ait Poeta :

> Ædificare domos, et pascere corpora multa,
> Ad paupertatem protinus est aditus.

Rursum vulgo dicitur : « Rex egens magnus est calumniator. »

Similis Neroni fuit Caius Caligula, de quo Suetonius in *Vita*, cap. XXXVII : « Nihil tam efficere concupiscebat, quam quod posse effici negaretur. Jactæ itaque moles profundo mari, excisæ rupes durissimi silicis, et campi montibus aggere æquati, et complanata fossuris montium juga, incredibili quidem celeritate, cum moræ culpa capite lueretur. Ac ne singula numerem, immensas opes, totumque illud Tiberii Cæsaris vicies ac septies millies H. S. non toto vertente anno absumpsit. Ergo ad rapinas convertit animum. »

Eadem insania laboravit Tarquinius Priscus rex Romanorum, qui longiori et periculoso opere plebem ita vexavit, ut fere omnes tædium fugientes sibi ipsi manus afferrent. Ita Plinius, lib. XXXVI, cap. V. Ita hi :

> Ædificant auro, sedesque in sidera mittunt.

Prorsus vani, et nescii quam vulgo ingrati, cui demum is probatur, « qui suæ pecuniæ parcus, publicæ avarus, et privatis ædificationibus modicus, » ait Tacitus, lib. I et VI.

Ita in hac re, uti et in aliis continens fuit Augustus Cæsar, qui, ut ait Suetonius, cap. LXXII : « Habitavit ædibus modicis, et neque laxitate, neque cultu conspicuis : ut in quibus porticus breves essent Albanarum columnarum, et sine marmore ullo, aut insigni pavimento conclavia; quin et neptis suæ Juliæ profuse ab ea exstructa, diruit ad solum. » Nam Romæ in tantam magnitudinem ædificia processerant, ut in quatuor aut quinque contignationes exsurgerent, maximasque domos maximis domibus imponerent, ut aiebat Aristides. Quare Augustus Cæsar, ne urbs ruinis laboraret magna mole ædificiorum, inhibuit ne quis ultra septuaginta pedes in altum ædificaret. Idem sanxit Nero post incensam urbem.

« Populus Romanus, ait Valerius Maximus, lib. VIII, cap. I, M. Æmilium Porcinam a L. Cassio accusatum crimine nimis sublime exstructæ

(1) Quod Chronicorum (Paralipomenon) scriptor Sellum quartum Josiæ filium fecit, videtur ex hoc nostro loco sinistre accepto hausisse. Rectum vix dubium est vidisse Aben-Ezram, Sellum esse eumdem, qui alias Joachasus, huic soli enim conveniunt, quæ hic de Sellum dicuntur, eum patri suo Josiæ in regno successisse, atque e patria abductum in peregrina terra mortuum esse. Sellum esse Joachasum, agnoscit et Franciscus Junius; ei vero id nomen conjicit inditum esse a populo boni ominis causa, cum inungeretur, « etsi, addit, probabilius videtur, Jeremiam nomen Sellum tribuere ironice, quasi dicat, hunc alterum fuisse Sellum qui, Jabeschi filius, rex præfuit Israelitis, IV *Reg.* XV, 13. » Is enim per mensem tantum regnum tenuit, et Joachasus tres menses. (Rosenmuller.)

villæ in Alsiensi agro, gravi mulcta affecit. »

Exstat notanda Constantini Imperatoris constitutio, lib. VI, cap. *De ædific. priv.* : « Si quis post legem hanc civitate spoliata, ornatum, hoc est marmora, vel columnas ad rura transtulerit, privetur ea possessione. » Sapiens ergo effrenatam hanc ædificandi cupiditatem (« quæ ædificando non tollitur, » ait S. Bernardus) coerceat.

Vere S. Hieronymus, epist. 17 *ad Marcellam*, invitans eam in Bethlehem : « Ubi, ait, sunt latæ porticus? ubi aurata laquearia? ubi domus miserorum pœnis, et damnatorum laboribus vestitæ? ubi instar palatii, opibus privatorum exstructæ basilicæ, ut vile corpusculum hominis pretiosius inambulet, et quasi mundo quidquam possit esse ornatius, tecta magis sua velint aspicere quam cœlum? Ecce in hoc parvo terræ foramine (in spelunca Bethlehem) cœlorum conditor natus est : hic involutus pannis, hic visus a pastoribus, hic demonstratus a stella, hic adoratus a Magis. Et hic, puto, locus sanctior est Tarpeia rupe, quæ de cœlo sæpius fulminata ostendit, quod Domino displiceret. »

Denique de Agrigentinis et Megarensibus dixit Plato : « Hi ædificant ut semper victuri, epulantur ut morituri. » Christiani vero in cœlis ædificent, non in terra; ac proinde sequantur illud S. Hieronymi præceptum : « Sic stude tanquam semper victurus, sic vive tanquam semper moriturus. » Meminerint Prælati gravis sententiæ Pii V Pontificis : « Fabrica Ecclesiæ materialis est ruina Ecclesiæ formalis; » dum nimirum Prælati nimis intenti fabricæ templorum, in illam omne tempus, curas et opes consumunt, quas in pauperes, et in animas Deo lucrandas expendere deberent. De his ingemiscens ait S. Bernardus, serm. 4 super *Missus est* : « Video alios cum magna cura erigere muros, et negligere mores. »

Secundo, ex cœnaculis spatiosis, et, ut Septuaginta, perflatilibus, quæ, ut Vatablus vertit, erant ventis pervia, et refrigerantia : hoc enim est Hebræum מרוחים *meruchim*, a radice רוח *ravach*, id est spirare, perspirare, scilicet erant hæc æstiva cœnacula ad auram captandam : hæc « non » fecit Joakim « in judicio, » id est æquitate, sed oppressione subditorum et pauperum.

Tertio, ex laquearibus cedrinis, sive quod parietes obduceret tabulis ex cedro.

Quarto, quod picta essent sinopide, id est rubrica et minio, quod optimum circa Sinopem Ponti urbem effoditur, ait Plinius, lib. XXXV, cap. VI. Unde Sinopis dicitur.

Nota : Minium apud veteres magnæ, imo sacræ erat auctoritatis; erat enim non tantum principum, sed et deorum color, uti docet Plinius, lib. XXXIII, cap. VII, ubi scribit Jovis ipsius simulacri faciem diebus festis minio illini solitam, triumphantumque apud Romanos corpora, et sic Camillum triumphasse; Æthiopum etiam proceres, totos eo tingi. Homerus quoque naves, temporibus Trojanis, rubrica tinctas commendat. Hac de causa minio usus fuit Joakim. Minium enim colore sanguinem refert : quare mixtum cum cerussa, roseum carnis humanæ colorem ad vivum repræsentat. Hinc deos et homines minio cum cerussa pingebant (1).

Hinc juste Joakim, qui tot domos injuste parat, carebit domo et loculo in morte; quia, ut dicitur vers. 19, sepultura asini sepelietur. Joakim tot domos parans injuste, juste carnit sepulcro.

Notent hoc principes, qui pauperes vectigalibus, laboribus aliisque oneribus opprimunt, ut hortos, fontes, palatia, exstruant ad suam curiositatem, voluptatem, ostentationem magis quam ad necessitatem vel utilitatem. Audiant *Eccli.* XXI, 9 : « Qui ædificat domum suam impendiis alienis, quasi qui colligit lapides suos in hieme, » ut hieme scilicet ædificet, tempore importuno : unde talia ædificia non diu durant, uti nec illa, quæ fiunt ex sumptu alieno et injusto. Recte Poeta de Alexandro Magno :

> Unus Pelleo juveni non sufficit orbis :
> Sarcophago contentus erit.

Ita Roboam, cum populum nimiis tributis gravare vellet, dimidia regni parte excidit. Nimus tributis

(1) Hebræa vox שׁשׁך *Sasar*, si Junio fides, est illud coloris genus, quod vulgo dicitur *indigo*. Hunc mittunt *Sasuri*, populi trans Gangem positi, ex quibus illi nomen *Sasar*. Arabes nuncupant *sarcin*, seu *sarcanne*, quod in cannis proveniat, ex Dioscoride. Vividus est color, ad cæruleum accedens. Hujus origo veteres ferme latebat. Nostra ætate jam constat Indicum succum esse coactum, ex India apportatum, expressumque ex herba quadam sativa, quæ quotannis post imbrium tempus seritur, et similis cannabi est. Flore ad carduum accedit, semine ad fœnum græcum. Color, qui ea ex herba conficitur, violaceus est, in cæruleum desinens, at utroque micantior nitidiorque. Herba in stagna quædam injicitur, quorum ima pars est ex arenato, marmorea duritie. Singulis diebus subigitur atque agitatur, donec herba omnis in quoddam limi, seu pinguis humi genus convertitur. Ubi ea in imo stagni fundo quievit, effusa aqua, limus ille colligitur, et in pastillos dimidii ovi magnitudine compingitur. Recens quidam Itinerarii scriptor, qui se hoc herbæ genus excoluisse ait, nihil exactum satis a recitatis mox Scriptoribus narrari asserit. Duplex, inquit, Indici genus est, alterum spurium, alterum sincerum. Illud in agro sponte nascitur; hoc seritur, colitur-que. Utriusque folium simile medicæ est, semen vero et magnitudine et rotunditate napo; hoc tamen discrimine quod utrumque seminis caput retusum sit, cum illud siliqua ceu pisi claudatur. Spurii semen atrum est, et minus altero, quod castaneum colorem habet. Secta herba, ingens trulla, ex arenato confecta, ea herba impletur : tum aqua ad oram usque infunditur; quem in usum aptissima est, quæ cœnosa. Macerata intra aquam horis quatuor et viginti herba, dilutum illud in trullam amplicrem, et situ humiliorem demittitur; tum duobus quibusdam grandibus coclearibus duarum horarum spatio percutitur, ut Indici color ab aqua sejungatur, duobus deinde horis omnia in quiete relinquuntur, ut color ipse ad imam trullæ partem descendat. Effusa deinde aqua, succus educitur, in sole siccatur, atque in minutas partes scinditur. Hæc Indici parandi ars est, quod idem videtur esse, quod *Sasar* Jeremiæ.

(Calmetus, *S. Script. Curs. Complet.*)

Eduardus III, Anglorum rex, cum exactores tributi populo impositi, aliquando ingentem acervum pecuniæ ex eo tributo collectæ, delectandi ipsius gratia, coram adduxissent; ille subito dæmonem circa ipsum acervum ludentem videre visus est, et ob id hujusmodi pecuniam, ut rem funestam abhorrens, illico auferri ab oculis, restituique populo jussit. Ita Polydorus, lib. VIII *Histor. Angl.*

Chilpericus Francorum rex, anno Domini 510, descriptiones novas per consilium Fredegundis in omni regno suo fecit, ut unusquisque possessor de propria terra, de uno arpenne unam amphoram vini ad partem daret, et de jugero modium unum. Unde populus valde oppressus vociferabatur ad Dominum. Misit autem Dominus plagam in domum regis, et ipse ægrotare cœpit, et duo filii ejus mortui sunt. Rex perterritus descriptiones combussit, et tributum indulsit. Ita *Annal. Regin.* monachi Prumiensis lib. I, anno 510.

Anno Domini 1441, conchæ (vulgo moeëlen) apud Slusam, postquam earum collectioni impositum esset quoddam genus vectigalis, non comparuerunt, sed cessarunt affluere. Quæ res loco certi miraculi habita est. Nam postquam sublatum est tributum, rursus advenerunt. Ita Jacobus Meyerus *Annal. Flandric.* lib. XVI, anno 1441.

Guilielmus Junior Anglorum rex, transacta tributi pactione cum fratre Roberto natu majore, cui Normandiæ principatus obtigerat, quique contra eum jam exercitum ducebat, patri in regno successit. Avaritiæ maxima laboravit infamia, ut quod vectigalia Præsulum, templorumque plurimorum usurparet. Ex quo decedentis spiritus ab Encelino viro sanctissimo dicitur visus coram S. Albano Angliæ protomartyre pœnas dare, inquit Volaterranus, lib. III *Geograph.* pag. 86.

Quare S. Ludovicus, Gallorum rex, gravissime cuidam ex suis succensuit, quod illi auctor esset, ut a regno nova tributa exigeret : timebat enim Numinis vindictam, juxta illud Michææ : « Audite, principes Jacob, etc., qui violenter tollitis pelles eorum, » etc. Ob quod scelus pœnam subjungit : « Sion quasi ager arabitur, et Jerusalem quasi acervus lapidum erit. » Quare idem rex in testamento suo Philippum filium suum et hæredem ita monet : « Ne subditis tuis tributa imperes, aut imponas onera, nisi necessitas urgeat, teque manifesta regni utilitas compellat, idque non ultro, sed gravi de causa factas ; si secus faxis, non rex, sed tyrannus habeberis. »

Refert Baronius ex gestis S. Niconis, anno Christi 969, cubicularium Nicephori Phocæ Imperatoris extorquentem pecunias tributi nomine a civibus, et a monasterio S. Niconis, a S. Nicone nocte verberibus fuisse mulctatum ; quin et S. Niconem mortem ei minatum esse ni desisteret : unde ipse reddito auro quod corraserat, conscenso equo, protinus abscessit.

Gregorius Turonensis, lib. IV *Hist. Franc.* cap. II, et ex eo Baronius anno 540, narrat Injuriosum Turonensem Episcopum hac de causa reprehendisse Clotharium : Clotharius, inquit, rex indixerat, ut omnes Ecclesiæ regni sui tertiam partem fructuum fisco solverent : quod licet inviti sancti Episcopi consensissent ac conscripsissent, viriliter hoc B. Injuriosus respuens, subscribere dedignatus est, dicens : « Si volueris res Dei tollere, Dominus regnum tuum velociter auferet ; quia iniquum est ut pauperes, quos tuo debes alere horreo, ab eorum stipe tua horrea repleantur. » Et iratus contra regem, nec valedicens abscessit. Tunc commotus rex, timens etiam virtutem B. Martini, misit post eum cum muneribus veniam petens, et hoc quod fecerat damnans, simulque rogans, ut per virtutem B. Martini antistitis veniam exoraret.

Theodosius Imperator fisco ob bella exhausto, tributum novum præter solitum civitatibus imposuit. Hinc orta est Antiochiæ seditio, adeo ut populus statuam Placillæ uxoris Theodosii dejecerit, et contumeliis affecerit. Quare fremens Theodosius urbi incendium minatus est : sed Flaviani episcopi Antiocheni oratione placatus iram remisit. Ita Nicephorus, lib. XII, cap. XLII.

Quare sapienter Tiberius Cæsar, suadentibus præsidibus et quæstoribus, onerandas tributo provincias, respondit : « Boni pastoris esse tondere pecus, non deglubere. » Et Darius pater Xerxis dimidiam tributi soliti partem populo remisit, itaque mire sibi omnium animos conciliavit, ait Plutarchus in *Apoththegm. Reg. et Imper.* Alexander Severus (ait Lampridius) « aurum et argentum raro cuiquam, nisi militi divisit : nefas esse dicens, ut dispensator publicus in delectationes suas suorumque converteret, quod provinciales dedissent. » Quam turpis ille Homeri δημοβόρος βασιλεύς, *poplivorus princeps ?* Populo enim pecuniam eripere, idem est quod vitam. Nam, ut ait Comicus : « Pecunia, anima, et sanguis est mortalibus. » Avaris ergo principibus ærarium est « spoliarium civium, cruentarumque prædarum receptaculum, » ait Plinius in *Panegyr.* Dicebat Alexander, teste Plutarcho : « Hortulanum odi, qui a radice olera exscindit : » et populus sane principem, « qui pennas ita incidit, ut nequeant renasci, » ut ait Cicero lib. IV *ad Attic.* epist. 2. Hinc sæpe fit ut « pacem exuat tua magis avaritia, quam obsequi impatientia, » inquit Tacitus lib. IV *Annal.* ; nam, ut ait Sapiens, *Proverb.* XXX : « Qui nimis emungit, elicit sanguinem. » Ita de Vespasiano ex rebus etiam sordidissimis lucrum et vectigal aucupante, dictum fuit : « Morboniam Flavius cum vectigali suo urinario abeat, » testis est Suetonius in ejus *Vita.* Præclare Mæcenas monuit Augustum : « Magnæ opes non tam capiendo, quam non multa perdendo (non profundendo) quæruntur ; » testis est Diodorus, lib. LII.

15. NUMQUID REGNABIS, QUONIAM CONFERS TE CEDRO ? = Pagninus vertit : *Quoniam misces te cedro,*

id est, num cedrinis domibus regnum tuum stabilies? vel, num cedro imputribili te involvis, quasi perpetuo duraturus. Nam, ut ait Plinius, lib. XIII, cap. V, loquens de cedro : « Ex hac resina laudatissima; materiæ vero ipsi æternitas. Itaque et simulacra deorum ex ea factitaverunt. Cedrinus est Romæ in delubro Apollo Sosianus. » Et lib. XVI, cap. XXXIX : « Cedri, ait, oleo peruncta materies nec tineam, nec cariem sentit. » Et cap. XL : « Cariem vetustatemque non sentiunt cupressus, cedrus, ebenus. In templo Dianæ Ephesiæ, quod tota Asia exstruente quadringentis annis peractum est, tectum fuit e cedrinis trabibus. Memorabile est Uticæ templum Apollinis, ubi Numidicarum cedrorum trabes durant, ita ut positæ fuere prima urbis ejus origine, annis 1188. »

Secundo, Chaldæus vertit : *Num censes te esse regem primum?* quasi dicat : Visne te conferre regi Davidi, qui sanctitate et potentia fuit quasi cedrus altissima? Ita Isidorus, vel, ut Lyranus, *q. d.* Visne te conferre Salomoni, qui ædificiis et gloria ac opibus, quasi cedrus inter omnes reges excelluit? Sed optime S. Hieronymus, Theodoretus, Rabanus, Hugo, S. Thomas, exponunt; *q. d.* Num vis te conferre Josiæ patri, qui cedrus fuit in gloria et celsitudine regni, parta ex sanctitate et justitia, non ex expilatione subditorum, ut tu facis, o Joakim. Sic Persius ait : « Et cedro digna locutus. »

COMEDIT ET BIBIT, — annona, deliciis, bonis omnibus, dives fuit et felix Josias, quia exercuit justitiam.

Vers. 16. 16. IN BONUM SUUM. — Vatablus : *Tunc bene ei erat, q. d.* Propterea fortunatus fuit, *q. d.* Cum Josias juste judicavit pauperi, non tam pauperis commodis consuluit, quam suis. Justitia enim firmatur thronus regis, injustitia et rapina evertitur. *Secundo,* ex Hebræo pro *suum* verti potest, *ejus,* scilicet *pauperis, q. d.* Josias in judicanda causa pauperis, non suam spectavit utilitatem, uti faciunt tyranni, sed pauperis. Ita Sanchez.

NUMQUID NON IDEO QUIA COGNOVIT ME? — non tantum speculative, sed et practice me amando, colendo, obediendo, *q. d.* Causa, cur Josias adeo justitiæ et pauperum fuit studiosus, est, quia me dilexit, mihi studuit placere, cui sciebat justitiam et pauperes cordi esse et curæ.

Vers. 17. 17. CURSUM MALI OPERIS, — *q. d.* Pater tuus Josias ad bonum, tu vero Joakim ad malum præceps curris et ruis. Pro *cursum* hebraice est מרוצה *merutsa,* quod etiam oppressionem significat, qua a subditis exigebat immoderatas operas. Ita Vatablus.

Vers. 18. 18. NON PLANGENT EUM. — Justa pœna superbi tyranni, puta Joakimi, fuit ut mortuus et sepultura careret et planctu, tum privato, quo fratres et cognati sororem, vel fratrem mortuum plangere solent, dicentes : Heu! frater mi, heu! soror mea! tum publico, quo subditi suum dominum et regem plangunt, dicentes : Heu! Domine, heu! rex noster inclyte! vel, ut hebraice est, *heu! gloria ejus!* quasi dicant : Fuit Ilium, et ingens gloria Teucrorum, gloria Josiadarum (1).

19. SEPULTURA ASINI SEPELIETUR. — Arabicus vertit : *In sepulcro asinæ sepelietur,* quod majorem contemptum significat. Hugo per sepulturam asini accipit *primo,* infernum in quo sepultus est dives Epulo, *Lucæ* XVI; *secundo,* infamiam, quia, inquit, malorum memoria post mortem fœtet instar cadaveris. Sed hæc mystica sunt. Tale est et illud Olympiodori in cap. VI *Eccles.* : Doctor, inquit, qui bene docet, sed male vivit, sepultura asini sepelietur; vixit ut equus et mulus sine intellectu, morietur et sepelietur ut equus et mulus. Ad litteram ergo sensus est quem expressit Chaldæus : *Sicut projiciunt cadaver asini, sic projicient cadaver ejus,* quod Cicero, *Philip.* I, dixit : « Insepulta sepultura efferri; » et Suidas : « Instar equi alicujus sepulcrum in voragine habebis. » Loquitur de Joakim, *q. d.* Joakim rex non sepelietur, sed occisus projicietur extra urbem in agrum aut sterquilinium, uti projicitur asinus mortuus, ut patet cap. XXXVI, vers. 30. Ita sepultus est Baltasar, Pompeius aliique principes gloriosi. An non vere dixit Sapiens : « Super his quatuor via lubrica : super glacie : super loco humido et fimo : super gloria et ambitione : super forma muliebri? » Rarum et memorabile est quod scribit Plinius, lib. XXXVI, cap. XII, justo judicio Dei factum esse, ut ignoretur quinam fuerint pyramidum Ægyptiarum auctores, eo quod ipsi in insanis hisce fabricis (quæ Romam translatæ, etiamnum intuentibus sunt stupori) regum opes exhauserint, et nominis æternitatem apud posteros quæsierint. Ita et Romæ magnifica illa palatia Augusti, Tiberii, Decii, Diocletiani, etc., subversa sunt, ut vix sciatur quo loco fuerint. Ita sepelietur nomen eorum qui vanitatis sunt aucupes et arrogantes.

Vers. 19. Sepultura asini est sterquilinium, in quo sepultus est Joakim.

Merito ergo Philippus Macedonum rex, Alexandri Magni parens, cum apud Chæronæam victoria illustri Athenienses superasset, ne, ut fit, ferocius quid in victos statueret, puerum subornari fecit, qui ipsum admoneret quotidie hujus : « Memento quod homo sis. » Itaque, cum quotidie prodiret, et a puero tales occinente voces audiret : « Philippe, homo es, » factum est ut ea victoria moderatissime sit usus. Ita Ælianus, lib. VIII *Variæ Histor.,* cap. XV. Sic et Romæ triumphanti in aurato curru Imperatori pene lictor adstabat, cum flagello ac tintinnabulis, illud identidem ingeminans : « Mortalem te memineris, » ut refert Zonaras.

Quæritur, an Joakim mortuus sit in Babylone, an Hierosolymis? Respondent S. Hieronymus hic et Rabanus, Seder Olam et Prado in cap. XIX *Ezech.* Joakim mortuum esse in Babylone, et probant ex II *Paral.* XXXVI, 6, ubi Joakim dicitur ductus in

Joakim non Babylone, ut vult S. Hieronymus.

(1) Dici potest, quod Schmidius observat, hic respici ad morem plangentium, qui modo deplorant mortuos ipsos, modo superstites, quibus mors eorum maxime lamentabilis accidit.

Babylonem : unde quod hic dicitur extra portas Jerusalem projectus; tantum est ac si dicat, foris, non in urbe, non in sepulcro patrum; sed in aliena regione mortuus projicietur, inquit Prado.

Sed respondeo Joakim mortuum esse Hierosolymæ. Probatur *primo*, quia id hic satis significatur; *secundo*, id expresse asserit Josephus, X *Antiq.* VIII; *tertio*, ita sentiunt Jeremias, Theodoretus, Hugo, S. Thomas, Lyranus, Abulensis et a Castro.

Ad locum *Paral.* respondet Lyranus Nabuchodonosorem duxisse, id est cogitasse, destinasse et cœpisse ducere Joakim in Babylonem; sed, mutato consilio, eum reduxisse in Jerusalem, ibique eum occidisse; *secundo* et melius, respondeo Joakim ductum esse in Babylonem anno 3 regni sui, cum abductus est Daniel, idque ex Hebræo colligi potest *Daniel.* I; 1; sed mox Joakim componens cum Nabuchodonosore, eique tributum promittens, ab eo remissus est in Jerusalem : ubi rursum rebellans anno undecimo regni sui, a latrunculis Chaldæorum, ut dicitur IV *Reg.* XXIV, 1 (qui erant pars exercitus et militum Nabuchodonosoris, quos ipse contra Pharaonem miserat) Jerusalem intercepta, in ea occisus est, et extra portas protractus, insepultus, instar asini in sterquilinium projectus est, ut ab avibus et feris laniaretur, *Jeremiæ* XXXVI, 30.

Occisus a latrunculis Chaldæorum,

PUTREFACTUS EST ET PROJECTUS. — Nota : Pro *putrefactus* (ut etiam vertunt Septuaginta), hebr. est, סחוב *sachob*, id est *raptatus*; Vatablus et Chaldæus vertunt, *laceratus*, scilicet ex raptatione, indeque « putrefactus, » ut vertit Noster. Ex raptatione enim sequitur laceratio et dilaniatio, ex laceratione putrefactio. Unde Septuaginta alibi vertunt, διασπᾶν, id est divellere, discerpere, dilaniare. Non ergo Joakim ex sepulcro putridus extractus est, ut vult S. Thomas, sed omnino mansit insepultus, projectus in agrum, ibique putrefactus. Unde Sanchez censet hic esse histeron proteron : prius enim projectus fuit Joakim, deinde putrefactus. Symmachus vertit : *Quasi stercus projectus est;* Theodotion : *Abjectus quasi stercus.*

Quia male tractavit Jeremiam,

Nota *secundo* : Tam indigna et infami pœna multactus est rex Joakim, tum ob alia scelera, tum quia ipse indigne tractavit Jeremiam, ejusque prophetias exussit : hanc enim causam ei assignat Jeremias, cap. XXXVII, vers. 29 et 30.

Addit historia Scholastica, et ex ea Abulensis et Sanchez, Joakim ejurasse Deum Deique cultum; ideoque in cadavere ejus inventum esse stigma idoli Codonazar, quod colebat; sed priscum et certum hujus historiæ non citant auctorem; quare Rabbinicum hoc videtur esse commentum.

Rursum, disce hic quam principes impii, Deo puniente, miseros habeant exitus. Primus ex imperatoribus hæreticus fuit *Constantius* : is sacro igne percussus interiit, ait Pomponius Lætus; post eum *Julianus*, qui in prælio adversus Persas sagitta confossus occubuit, teste Aureliano Victore; *Valens* a Gothis fusus, in tugurium abditus, ab hostibus est crematus; *Zeno* morbo comitiali correptus, ab Ariadna uxore vivus est sepultus, teste Cedreno; hunc secutus *Basiliscus*, qui una cum uxore et liberis fame interiit, ait Procopius, lib. I *Wandal.* *Anastasius* Imperator hæreticus, cum ex oraculo didicisset igne sibi pereundum, cisternam in palatio effodit, in quam, orto incendio, recipere se posset : verum fulmine improviso ictus interiit, ut ex Pomponio Læto et aliis narrat Baronius. Quid de *Heraclione* dicam? is hæresi et libidine contaminatus, ita a Deo punitus est ut, inguine sursum converso et semper tento in faciem suam, perpetuo meieret; sed quo urinam averteret, tabellam ventri apponere consueverat, ait idem Pomponius. Taceamne *Heracleonem* Heraclii filium, et impietatis hæredem? ei nasus præsectus fuit : Martinæ vero uxori præsecta fuit lingua : ambo tandem imperio privati, et in exsilium sunt missi, ait idem Pomponius. Quid de *Constante* et *Philippico* commemorem? ille a servo domestico in balneo necatus; hic a senatoribus imperio et luminibus privatus est, ait idem Pomponius. *Arnolphus* Carlomanni filius, cum ad rapinas et templorum spoliationes animum convertisset, a Deo pediculari morbo percussus interiit, ait Luitprandus, lib. I, cap. IX. *Hunericus* Wandalorum rex in Africa, cum in orthodoxos sæviret, similiter a vermibus ubique scatentibus corrosus exspiravit, teste Victore Uticensi lib. III *Wandal.* Omitto *Leonem, Constantinum Copronymum, Nicephorum, Leonem VIII, Michaelem, Theophilum* aliosque Imperatores Orientis, quos hæreticos et impios Dei ultionem sensisse narrant historiæ. Vide Thomam Bosium, lib. XXII *De Signis Eccles.*

20. ASCENDE LIBANUM. — Sermo est non ad Joakim, ut vult Dionysius; sed ad Jerusalem (τὸ enim *ascende* hebraice est femininum) cui ironice dicitur, ut montes altissimos, scilicet Libanum et Basan, conscendat, indeque transeuntes inclamet, eorumque opem imploret, ut ipsi extremum quod Judææ et Hierosolymæ imminet excidium, avertant, eo quod amici eorum Ægyptii a Chaldæis pariter sint contriti, ut Judæis opem ferre non possint. Ita S. Hieronymus, Rabanus, Theodoretus, Hugo, Lyranus et Vatablus. Nam Pharao Nechao, rex Ægypti, regem Judææ constituerat Joakim : unde tunc Pharao Syriæ et Judææ dominabatur, sed mox anno 4 Joakim, superveniens e Chaldæa Nabuchodonosor cum Pharaone juxta Euphratem conflixit, eumque profligavit, ut patet *Jerem.* XLVI, 2; ac mox eidem Syriam et Judæam ademit, atque Joakim regem ab eo constitutum abduxit, quem post 8 annos rursum rebellantem occidit. Hoc enim est quod dicitur IV *Reg.* XXIV, 7 : « Et ultra non addidit rex Ægypti, ut egrederetur de terra sua : tulerat enim rex Babylonis a rivo Ægypti usque ad fluvium Euphratem, omnia quæ fuerant regis Ægypti. » Quare Judæi ab Ægyptiis opem amplius sperare non potuerunt : quinimo Nabuchodonosor in dies victoriis crescens, post

Vers. 20.

Historia belli inter Nabuchodonosorem et Pharaonem.

captum Sedeciam, postque excidium Hierosolymæ Ægyptum ingressus eam subegit, et Pharaonem occidit, ut patebit cap. XLIV. Pari modo Judæa, utpote intermedia, particeps fuit bellorum inter reges Asiæ et Ægypti, puta inter Seleucidas et Ptolemæos tempore Machabæorum, uti dixi *Daniel.* cap. XI.

CLAMA AD TRANSEUNTES. — Hebraice מעברים *meabarim*, id est *clama de Abarim*, monte Moab, in quem conscendit moriturus Moses, *Deut.* XXXII, 49; Chaldæus, *clama ad vada*; Theodotion, *clama ad mare*; Vatablus, *inclama transfluvianos*, id est Ægyptios, qui trans Jordanem et mare Rubrum habitant; Symmachus, *clama e contra*; Noster : « Clama ad transeuntes; » עבר *abar* enim significat transire, et מן *min*, id est *a*, sæpe pro *ad*, et quavis alia præpositione sumitur.

Vers. 21. 21. IN ABUNDANTIA, — in prosperitate. Septuaginta pro בשלות *bescalot* legerunt כשלות *kescalot*; vertunt enim : *In casu tuo*, in ruina tua.

HÆC EST VIA TUA AB ADOLESCENTIA. — « Via, » id est consuetudo, *q. d.* Sub Mose cum cœpisti esse Synagoga mea, cœpisti pariter mihi esse rebellis. Ita S. Hieronymus et alii. Vide dicta cap. XXII, 2. Hoc est quod ait Isaias, cap. XLVIII, 8 : « Transgressorem ex utero vocavi te. »

Vers. 22. 22. OMNES PASTORES (nomine tenus, sed revera prædones) TUOS PASCET VENTUS. — Nota *primo*, per *pastores* intelligit reges, præsides, doctores, sacerdotes; per *amatores*, Ægyptios, ut dixi; *secundo*, pasci vento est res frivolas, vanas et inanes moliri, *q. d.* Principes tui spe sua et ope Ægyptiorum, quam sperant, frustrabuntur. Ita Hugo et Lyranus, quare ipsi frustra hac spe se lactabunt et oblectabunt; quasi vento vanitatis, et quasi chamæleontes aere pascentur. Huic simile est proverbium, sed alio casu : Venari aut pascere ventum, *Proverb.* X, 4 : « Qui nititur mendaciis, hic pascit ventos, » id est vane, frustra et instabiliter laborat.

Pasci vento est vana moliri.

Potest *secundo*, cum S. Hieronymo et Chaldæo, sic explicari, *q. d.* Principes tui huc illucque dispergentur in omnem ventum. *Tertio*, תִּרְעֶם *tirem* verti potest, *depascet* : rursum pro *tirem* legi potest תִּרְעֵם *teroem*, id est *conteret*, *q. d.* Cito conterentur, perinde ac si ventus eos expulisset. *Quarto*, alii vertunt : *Omnes pastores tui cogitabunt*, vel, *diligent ventum*. Nam רעה *raa*, quod Hebræis significat pascere, Syris significat cogitare et amare.

Symbolice, Pastores Ecclesiæ pascit quandoque ventus elationis. *Isaiæ* LVII, 13 : « Omnes eos auferet ventus, tollet aura. »

AB OMNI MALITIA TUA, — propter omnem malitiam tuam.

23. QUÆ SEDES IN LIBANO; — o gens, quæ habitas in Jerusalem, quasi in Libano, quia ex cedris Libani tibi nidos, i. e. domos et palatia, facis, quæque quasi cedrus Libani inter alias gentes excellis et celebraris, *q. d.* Tu quæ jam affluis, gloriaris, superbis in deliciis et divitiis tuis, quomodo gemes, cum acerbus tibi finis et excidium veniet?

Sedere in Libano est opulenter vivere.

Nota : *Sedere in Libano*, est superbe, secure, opulenter vivere; perinde ac si in Libano, alto et fertili monte habitaret. Idem significat *in cedris nidificare*. Est metaphora ab avibus, quæ sibi tutæ videntur, cum in altis arboribus nidificant; hinc cap. XLIX, 16, ait Jeremias : « Cum exaltaveris quasi aquila nidum tuum, inde detraham te. »

QUOMODO CONGEMUISTI? — Ita vertunt et Septuaginta. Hebraice est נחנת *nechant* in niphal, id est quomodo deprecaberis, quomodo gratiam et misericordiam postulabis? חנן *chanan* enim in cal significat misereri, in niphal vero passivo significat misericordiam postulare, orare, suspirare, gemere : forte etiam Interpres cum Septuaginta pro *nechant*, legit נהית *nahit*, id est quomodo lamentaberis? נהה *nacha*, enim significat lamentari : aut, ut vult Maldonatus pro *nechant*, legerunt נאנחת *neenacht* per metathesim : אנח *anach* enim significat suspirare. Jam *nechant* Pagninus et alii vertunt : *Quam gratiosa eris?* vel *quæ gratia erit tibi?* scilicet ex pulcherrimis tuis palatiis, cum illa comburentur, aut, ut Vatablus, *quam grata*, vel *accepta eris?* (scilicet Deo), cum venerint tui dolores, ut scilicet iis te eripiat. Verum hi sensus frigidi minusque apti et commodi sunt.

Vers. 24. 24. VIVO EGO, DICIT DOMINUS : QUIA SI FUERIT JECHONIAS. — A Joakim patre impio transit ad filium impium, puta Joachin. Unde ait :

Jechonias vocatur Conias, ut significetur ejus dejectio.

JECHONIAS FILIUS JOAKIM, — ejusque in regno successor, qui hebraice hic per contemptum vocatur *Conias* : detrahitur enim ei prima littera *iod*, ut significetur ejus dejectio et captivitas; sicut Abram additur littera *h*, vocaturque Abraham, ut significetur ejus exaltatio, quod erit pater magnæ multitudinis : *secundo*, *conias*, id est præparatio Dei, significat eum destinatum et præparatum esse ad pœnam et captivitatem. Ita S. Hieronymus.

ANNULUS IN MANU DEXTERA MEA. — Nota : Annulos gestabant veteres, *primo*, ad obsignandum; *secundo*, ad ornatum; *tertio*, ad amorem mutuum, uti sponsi et sponsæ, *Cant.* VIII, 6; hinc gestabant eum in digito quarto sinistræ manus. Sic etiamnum solet annulus inseri digito qui proximus est minimo, indeque annularis vocatur, eo quod hic sit digitus cordis, ideoque ab Ægyptiis statutum est, ut is annulo quasi corona ornetur. Eumdem sacerdotes sacrificaturi odoribus illinebant. Causa erat quod anatomici tradant nervulum a corde natum, per dorsum eo tendere, in eoque desinere. Ita Pierius, *hierogl.* 36. Sensus ergo est, *q. d.* Si Jechonias mihi fuerit tam conjunctus quam est annulus, et digitus annularis et cordialis, eum tamen a me evellam et abjiciam. Rursum, etiamsi Jechonias mihi ita necessarius et conjunctus, charus et pretiosus esset ac annulus signatorius, qui nunquam de manu gestantis ac sigillantis auferetur (quod revera non est); tamen ob ejus scelera a me evellam illum, atque in Babylonem cum matre et principibus traducam, ibique morietur,

IV *Reg.* cap. XXIV. Ita S. Hieronymus, Rabanus, Hugo.

Putant aliqui Jeremiam alludere ad amicos, qui eos quos amant aut venerantur, in pala annuli exsculpunt, uti de Epicuro narrat Cicero, lib. *De Finibus* : « Ejus, ait, imaginem non modo in tabulis nostri familiares, sed etiam in poculis et annulis habent. » Ita noster Sanchez in *Isaiæ* XLIX, 16, et hoc loco : Annulus, inquit, metonymice ponitur pro imagine palæ annuli insculpta. Hæc autem imago erat eorum quos impensius amaban̄t, ut per eam ipsos quasi semper in oculis haberent.

Annuli Dei sunt sacerdotes.

Tropologice, Prælati et sacerdotes quasi annuli obsignant fideles imagine Christi : hi si malo exemplo eos obsignent imagine dæmonis, in infernalem carcerem æternum detrudentur : « Quia quem perdit vita, non potest salvare doctrina, » aiunt Hugo et a Castro.

Vers. 25. 25. ET IN MANU NABUCHODONOSOR. — *Et* significat, *id est;* patet ex præcedentibus. Simile est, *Actor.* VII, 20; *Daniel.* XIV, 13, et alibi (1).

Vers. 27. 27. IN TERRAM, AD QUAM IPSI LEVANT ANIMAM SUAM, — in terram, scilicet in Judæam patriam suam, quam avent, totaque anima expetunt, et ad quam summe anhelant, non revertentur; morientur enim in Babylone Jechonias, ejusque mater et propinqui. Nota : In spe et desiderio levatur anima; quia anima per desiderium quasi ad rem optatam, et ad ejus consecutionem, atque per spem ad ipsam rem quasi erigi videtur. Ita S. Hieronymus.

Levare animam est suspirare.

Tropologice, captivitas Babylonica est captivitas gehennæ, in qua gravissimum supplicium est non posse inde egredi, sed in æternum esse extorrem cœlo et terra, in æternum habitare cum igne devorante, cum draconibus et dæmonibus.

Vers. 28. 28. NUMQUID VAS FICTILE? — Hebraice est עֶצֶב *etseb*, id est *sculptile*, vel potius *idolum* (ita dictum, quod dolorem et turbationem suis afferat) *contemptibile et fractum;* Vatablus, *truncus;* Symmachus, *purgamentum*, sive *quisquiliæ*, *q. d.* Numquid Jechonias, qui a suis adorabatur quasi idolum, jam in captivitate vilis, abjectus, contritus est quasi vas, vel idolum fictile si confringatur? tribus enim mensibus tantum regnavit Jechonias.

Notent principes, nisi opes, gloriam, regnum fundent in timore Dei, non fore ea stabilia, sed se cum iis quasi vilia et inutilia vasa conterendos et abjiciendos esse : sic et sacerdotes, si desipiant, et suo gradui non satisfaciant, in sterquilinium projicientur, quasi sal infatuatum.

29. TERRA, TERRA, TERRA. — Nota : Ter repetit vocem *terra;* quia ter Judæa monita est a Deo, puta in trina trium regum clade, scilicet Joachas, Joakim et Joachin. Repetit autem τὸ *terra*, ut magis eos moveat doceatque, quod jam desolandi sint, et carituri rege : nam licet Jechoniæ successerit Sedecias, is tamen sceleratus fuit, ideoque infelix, ita ut cum eo Judæis pejus fuerit, quam si omnino caruissent rege. Jam terram proprie accipit Theodoretus; ex eo enim, inquit, quod non audiant Dei voces Judæi, qui participes sunt rationis et sermonis : hinc terram alloquitur anima carentem, de quo dixi *Isaiæ* I, 2. *Secundo*, et potius per *terram*, accipe habitatores terræ; hos enim vocat *terram*, ut notet, *primo*, eos esse terrenos; non cœlum, sed terrena cogitare; *secundo*, voce terræ monet eos, ut cogitent se e terra hac in Babylonem, et post mortem in abyssum inferni sub terram præcipitandos. Prudenter dixit Sapiens : « Tribus hisce paruisse nunquam te pœniteat : Veritati, potissimum divinæ : consilium danti bonum : gallo gallinaceo e somno excitanti. »

Vers. 29. *Terra, terra, terra, quid?*

SCRIBE. — Nota Prophetas non tantum verbo, sed et scripto prophetavisse, maxime ad servandam prophetiæ memoriam; nam Isaias, cap. VIII, 1, et Habacuc, cap. II, 2, jubentur scribere suas prophetias, cum prophetant de rebus longe post futuris; *secundo*, ut notat Capella, Prophetæ aliquas prophetias pro foribus templi omni populo legendas proponebant, ut innuit Oseas, cap. VIII, 12; *tertio*, « scribe, » id est scribite, *q. d.* Vos, o Judæi, qui in libro genealogiæ soletis scribere familiarum vestrarum seriem, et proles maxime si regiæ sint, scribite in eo Jechoniam, sed sterilem.

STERILEM. — Hebraice עָרִירִי *ariri*, id est orbum liberis, qui solus sit, uti in deserto myrica, quæ hebraice *arar* dicitur. Ita Chaldæus, Vatablus, a Castro. Hinc Symmachus vertit, *vacuum;* Septuaginta et Theodotion, *abdicatum;* Aquila, *non crescentem* : quia licet Jechonias sit habiturus filium Salathiel, et alios septem gignet in Babylone captivus, ut patet I *Paral.* III, 15; tamen nec hos, nec alios habebit, qui ei in regno succedant : ita S. Hieronymus, Rabanus, Hugo; Zorobabel enim filius Salathiel non fuit rex, sed dux populi redeuntis e Babylone, idque tantum in itinere, et ut summum in reædificatione urbis, templi et domorum, nam paulo post ipse rediit Babylonem, ibique mortuus est; principatus vero Judæorum fuit penes Jesum filium Josedec, et alios Pontifices sibi invicem succedentes, usque ad Herodem, ut diserte docent Eusebius, lib. I *Histor.* V; Josephus, XI *Antiq.* IV, et alii. Sic hodie multis principibus et nobilibus improbis dicit Deus : Scribe virum istum sterilem; unde plurimæ nobilissimæ familiæ intereunt.

Aliter ex S. Hieronymo explicat Sanchez : Jechonias, inquit, vocatur sterilis et infortunatus,

(1) Hoc vero loco Schmidius monet *quærentes animam* posse et illos esse, qui regem non tam occidere, quam in potestatem suam redigere cogitarent. Quod ideo sumendum esse duxit, ne quod hic vates minatur Jechoniæ, repugnet iis quæ ei regi acciderunt. Neque enim occisus est a victore Babylonio, sed tantum captivus Babelem abductus, et ab Evilmerodacho Nabuchodonosoris filio, et in regno successore e carcere dimissus et honore affectus; vid. IV *Reg.* XXV, 27, et infra cap. LII, 31 et seqq. Sed nisi spontanea deditione vitæ suæ prospexisset Jechonias, vix dubium est eum a Nabuchodonosore occisum fuisse. (Rosenmuller.)

quia in illis, nempe diebus vitæ suæ, nullum suscipiet filium, qui sceptrum habeat, aut potestatem in terra Juda. Unde ait : « Scribe virum istum sterilem : virum qui in diebus suis non prosperabitur. Nec enim erit de semine ejus vir, qui sedeat (in diebus nempe illius) super solium David. » Verum prior expositio communis est, magisque plana et seria.

Dices : Christus descendit ex Jechonia, et regnavit in domo David, *Lucæ* I, 32; ergo Jechonias non fuit rex sterilis. Respondeo, Christi regnum non temporale fuit, de quo loquitur Jeremias, sed spirituale.

Dices *secundo* : Jechoniæ successit Sedecias rex. Respondeo, Sedecias non fuit de semine, id est proles Jechoniæ, sed patruus nepote pejor. Unde brevissimo post tempore, et rex, et regnum sub eo funditus interiit. Ita S. Hieronymus.

Moraliter nota hic, insignem libertatem Prophetæ ad increpandum etiam reges et principes. Ita Nathan libere increpavit David ob homicidium Uriæ, II *Reg.* XII, 1, et Elias Achab regem, III *Reg.* XVIII, 18 : « Non ego, inquit, turbavi Israel, sed tu, et domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini, et secuti estis Baalim. » Deinde accedens ad totum populum jussu Achabi congregatum : « Usquequo, inquit, claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum : si autem Baal, sequimini illum, » vers. 21. Idem ad Ochoziam regem : « Quia, inquit, misisti nuntios ad consulendum Beelzebub deum Accaron, quasi non esset Deus in Israel, etc., ideo morte morieris, » IV *Reg.* I, 16. Ita Eliseus ad Joram regem : « Quid mihi et tibi est? vade ad Prophetas patris tui, et matris tuæ; » et : « Vivit Dominus exercituum, in cujus conspectu sto, quod si non vultum Josaphat regis Juda erubescerem, non attendissem quidem te, nec respexissem. » IV *Reg.* cap. III, 13 et 14. Ita Jehu propheta ad Josaphat, alias pium regem : « Impio (Achab), inquit, præbes auxilium, et his qui oderunt Dominum amicitia jungeris; et idcirco iram quidem Domini merebaris; sed bona opera inventa sunt in te, » etc., II *Paral.* XIX, 2. Ita Zacharias filius Joiadæ increpavit Joas regem, et principes : « Quare transgredimini præceptum Domini, quod vobis non proderit, et dereliquistis Dominum, ut derelinqueret vos? » ideoque ab eis lapidatus est, dicens : « Videat Dominus, et requirat, » II *Paralip.* XXIV, 20. Ita Propheta missus ad Amasiam regem : « Cur, inquit, adorasti deos? » etc., cui rex : « Num consiliarius regis es? quiesce, ne interficiam te; » tum ille : « Scio quod cogitaverit Deus occidere te, quia fecisti hoc malum, et insuper non acquievisti consilio meo, » II *Paral.* XXV, 15. Ita Azarias increpavit Oziam regem thurificantem : « Non est, inquit, tui officii, Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed sacerdotum : egredere de sanctuario; » cumque rex ei minaretur, percussus est lepra, IV *Reg.* XXVI, 18. Ita Isaias increpavit Ezechiam, quod thesauros suos ostendisset Babyloniis, *Isaiæ* XXXIX, 3, et Manassem ob idololatriam; ideoque ab eo serra dissectus est. Ita Joannes Baptista increpavit Pharisæos : « Progenies, inquit, viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira? » *Matth.* III, 7; et Herodem : « Non licet tibi habere uxorem fratris tui; » ideoque decollatus est. Ita Christus reprehendit Scribas et Pharisæos, *Matth.* XXIII, toto cap., et alias sæpe. Ita Paulus ad pontificem jubentem eum percuti : « Percutiat, inquit, te Deus, paries dealbate, » *Actor.* XXIII, 3. Ita S. Stephanus cum populo eos increpavit : « Dura, inquit, cervice, et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis, etc. Patres vestri occiderunt eos qui prænuntiabant de adventu Justi, cujus vos nunc proditores et homicidæ fuistis, » *Actor.* cap. VII, 51. Ita S. Ambrosius Theodosium, S. Bernardus Guilielmum ducem Aquitaniæ increparunt et emendarunt. Ita Babylas Episcopus Antiochiæ Numerianum Imperatorem venientem ad ecclesiam, et volentem inspicere arcana ejus mysteria, repressit, dicens : « Non licet tibi idolorum sacrificiis polluto, ecclesiam ingredi, et divina mysteria contaminatis oculis spectare. » Qua re offensus Imperator eum excruciatum necavit, sed et ipse Imperator paulo post a socero suo occisus est. Ita Nicephorus, lib. VI, cap. XXXIII.

Denique apposite, æque ac libere hæc Jeremiæ de Joachin oracula et minas, B. Petrus Damianus adaptat Cadiloo Episcopo Parmensi antipapæ, qui se Honorium II vocabat : « Cur, inquit, per ambitionem adipiscendi culminis, inaccessibilisque fastigii, totum fere mundum in condemnationis tuæ jurgium concitasti? ut illud Jeremiæ exclament : Terra, terra, terra, audi sermonem Domini. Scribe virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur. Et tu e contra ejusdem Prophetæ verbis apte valeas respondere : Væ mihi, mater mea, quare me genuisti virum rixæ, virum discordiæ in universa terra? Enimvero, cum religiosus quisque vir subire tam laboriosæ Sedis onus abhorreat, illicque constitui vix ullis hominum precibus acquiescat, cur te onus onerum, ut S. Leo Papa dicebat, non modo non paras aufugere, sed ultro etiam preces et pretium offerendo, anxie te conaris intrudere? recte Cadalous, quasi casus λαοῦ, id est populi, vocaris. O cœlum! o terra, o tragœdia omnibus ante nos saeculis inaudita, ut alienus Episcopus, propria sede contempta, ignorante Deo, nesciente Petro, nesciente Romana Ecclesia, super Romanam constituatur Ecclesiam! In Babylonia Apostolica Sedes possessionem habebat, unde tantum balsami per annos singulos capiebat, quod indeficienti fomite sufficeret lampadi, quæ ante altare B. Petri rutilabat appensa. Quam possessionem, accepta pecunia, Papa distraxit, canonemque aromatis, quem recipere solebat, amisit. Aliquanto post, cum idem Papa prædicto sancto altari quasi devotus assisteret et oraret, ecce quidam terribilis et gran-

dævus senex colaphum ei vehementer incussit, et ait : Tu exstinxisti lucernam meam ante me, et ego exstinguam lucernam tuam ante Deum. Ille vero protinus corruit, et paulo post diem clausit extremum. Quis, oro, duorum Paparum duriori tibi videtur austeritate plectendus? utrum ille qui sancti altaris lucernam præsumpsit exstinguere; an tu, qui totam universalem Ecclesiam per furtivæ promotionis exordium niteris obscurare?» Denique, his versibus concludit, mortemque celerem ei prædicit :

Fumea vita volat, mors improvisa propinquat,
Imminet expleti præpes tibi terminus ævi.
Non ego te fallo, cœpto morieris in anno.

Ita ipse *ad Cadiloum*, libro I, epist. 20, et *ad eumdem*, epist. 21 : « Per Jeremiam dicitur, cap. v: Numquid super his non visitabo, dicit Dominus? Enimvero, sicut per auxesin dicitur : Sancta Sanctorum; sic Romanam Ecclesiam venaliter distrahi, peccatum est peccatorum. Defuncto Cæsare Augusto, mœrens populus Romanus clamabat : Utinam aut non nasceretur, aut non moreretur! De te autem, Cadiloe, merito dicimus : Utinam aut non nascereris, aut illico morereris! Diocletianus Imperator, teste Eutropio, lib. IX, regalis fastigii insigne deposuit, et non procul a Salonis per novem fere annos usque ad obitum, privatus in amœna virentis hortuli cultura permansit. Qui dum ab Herculio atque Galerio ad recipiendum obnixe rogaretur imperium, tanquam pestem aliquam perhorrescens dixit : Utinam Salonæ possetis olera visere nostris manibus insita, nunquam profecto judicaretis hanc sarcinam nostris iterum cervicibus imponendam. Reges gentium imperialium dignitatum apices fugiunt; et sacerdotes Dei, non sacerdotalem, sed regalem, imo tyrannicam ferulam super humanum genus anhelant. »

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Invehitur in populi pastores, id est principes, sacerdotes et pseudoprophetas, qui sua incuria, impietate, malo exemplo, mendacibus promissis, quasi lupi populum perdiderunt. Unde eis amotis promittit se missurum verum pastorem, scilicet Christum ejusque Apostolos. Ita S. Hieronymus.

Primo ergo *ait se pro pseudopastoribus suscitaturum Davidi germen justum, et regem sapientem, cujus nomen erit* Dominus justus noster. *Secundo, vers.* 9, *pseudoprophetarum mendacia, adulteria et scelera arguit. Tertio, vers.* 19, *intentat eis turbinem iræ Dei, et vers.* 29, *ignem et malleum verborum suorum. Quarto, vers.* 33, *rogantibus* Quod est onus Domini? *respondet* : Vos estis onus Domini *ab eo exportandum in Babylonem.*

Tropologice S. Hieronymus hæc recte adaptat malis pastoribus Ecclesiæ Christianæ (1).

1. Væ pastoribus, qui disperdunt et dilacerant gregem pascuæ meæ, dicit Dominus. 2. Ideo hæc dicit Dominus Deus Israel ad pastores, qui pascunt populum meum : Vos dispersistis gregem meum, et ejecistis eos, et non visitastis eos : ecce ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum, ait Dominus. 3. Et ego congregabo reliquias gregis mei de omnibus terris, ad quas ejecero eos illuc : et convertam eos ad rura sua : et crescent et multiplicabuntur. 4. Et suscitabo super eos pastores, et pascent eos : non formidabunt ultra, et non pavebunt : et nullus quæretur ex numero, dicit Dominus. 5. Ecce dies veniunt, dicit Dominus : et suscitabo David germen justum : et regnabit rex, et sapiens erit : et faciet judicium et justi-

(1) Cum plerisque Interpretibus, hoc caput unam pericopam cum cap. XXII continuam facere existimamus, quod de octo tantum prioribus versibus statuunt Sebastianus Schmidius, Eichornius, Dahlerus. Ex sensu tamen Rosenmuller, hi versus nec cum iis quæ præcedunt, nec cum his quæ sequuntur, cohærent.

Cum de malis prophetis, qui Sedeciæ regi suaderent, ut sese Babyloniorum potestati subtraheret, quod patriæ suæ exitiosum fore prævidebat, queritur Jeremias infra, cap. XXVII, 14 et seqq.; ad illud itaque tempus et hic sermo referendus est.

Absoluta igitur ad regem allocutione, demonstrationem convertit : PRIMO, ad rectores, præfectos et magistratus, *primo*, minando pœnas, 1, 2; *secundo*, promittendo instaurationem Ecclesiæ per prædicatores Evangelii et Christum pastorem, 3-8.

SECUNDO, ad pseudoprophetas, et *primo*, queritur de malis eorum affectibus, 9-12; *secundo*, commonet de indignitate, pœna et falsitate jactatorum ab iisdem oraculorum, 13-24; *tertio*, exprobrat mendacem somniorum, velut a Deo immissorum, illusionem, 25-32.

TERTIO, ad populum, *primo*, terrendo irrisores prophetiarum, sub nomine oneris Domini propositarum, 33, 34; *secundo*, monendo abstinere ab impio sarcasmo, 35-37; *tertio*, intendendo extremam perniciem violaturis hoc monitum, 38-40.

tiam in terra. 6. In diebus illis salvabitur Juda, et Israel habitabit confidenter : et hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus justus noster. 7. Propter hoc ecce dies veniunt, dicit Dominus, et non dicent ultra : Vivit Dominus, qui eduxit filios Israel de terra Ægypti : 8. sed : Vivit Dominus, qui eduxit et adduxit semen domus Israel de terra Aquilonis, et de cunctis terris, ad quas ejeceram eos illuc : et habitabunt in terra sua. 9. Ad prophetas : Contritum est cor meum in medio mei, contremuerunt omnia ossa mea : factus sum quasi vir ebrius, et quasi homo madidus a vino, a facie Domini, et a facie verborum sanctorum ejus. 10. Quia adulteris repleta est terra, quia a facie maledictionis luxit terra, arefacta sunt arva deserti : factus est cursus eorum malus, et fortitudo eorum dissimilis. 11. Propheta namque et sacerdos polluti sunt : et in domo mea inveni malum eorum, ait Dominus. 12. Idcirco via eorum erit quasi lubricum in tenebris : impellentur enim, et corruent in ea : afferam enim super eos mala, annum visitationis eorum, ait Dominus. 13. Et in prophetis Samariæ vidi fatuitatem : prophetabant in Baal, et decipiebant populum meum Israel. 14. Et in prophetis Jerusalem vidi similitudinem adulterantium, et iter mendacii : et confortaverunt manus pessimorum, ut non converteretur unusquisque a malitia sua : facti sunt mihi omnes ut Sodoma, et habitatores ejus quasi Gomorrha. 15. Propterea hæc dicit Dominus exercituum ad prophetas : Ecce ego cibabo eos absinthio, et potabo eos felle : a prophetis enim Jerusalem egressa est pollutio super omnem terram. 16. Hæc dicit Dominus exercituum : Nolite audire verba prophetarum, qui prophetant vobis, et decipiunt vos : visionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini. 17. Dicunt his, qui blasphemant me : Locutus est Dominus : Pax erit vobis : et omni, qui ambulat in pravitate cordis sui, dixerunt : Non veniet super vos malum. 18. Quis enim affuit in consilio Domini, et vidit et audivit sermonem ejus? quis consideravit verbum illius et audivit? 19. Ecce turbo Dominicæ indignationis egredietur, et tempestas erumpens super caput impiorum veniet. 20. Non revertetur furor Domini, usque dum faciat, et usque dum compleat cogitationem cordis sui : in novissimis diebus intelligetis consilium ejus. 21. Non mittebam prophetas, et ipsi currebant : non loquebar ad eos, et ipsi prophetabant. 22. Si stetissent in consilio meo, et nota fecissent verba mea populo meo, avertissem utique eos a via sua mala, et a cogitationibus suis pessimis. 23. Putasne Deus e vicino ego sum, dicit Dominus? et non Deus de longe? 24. Si occultabitur vir in absconditis : et ego non videbo eum, dicit Dominus? numquid non cœlum et terram ego impleo, dicit Dominus? 25. Audivi quæ dixerunt prophetæ, prophetantes in nomine meo mendacium, atque dicentes : Somniavi, somniavi. 26. Usquequo istud est in corde prophetarum vaticinantium mendacium, et prophetantium seductiones cordis sui? 27. Qui volunt facere ut obliviscatur populus meus nominis mei propter somnia eorum, quæ narrat unusquisque ad proximum suum : sicut obliti sunt patres eorum nominis mei propter Baal. 28. Propheta, qui habet somnium, narret somnium : et qui habet sermonem meum, loquatur sermonem meum vere : quid paleis ad triticum, dicit Dominus? 29. Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus : et quasi maleus conterens petram? 30. Propterea ecce ego ad prophetas, ait Dominus ; qui furantur verba mea unusquisque a proximo suo. 31. Ecce ego ad prophetas, ait Dominus : qui assumunt linguas suas, et aiunt : Dicit Dominus. 32. Ecce ego ad prophetas somniantes mendacium, ait Dominus, qui narraverunt ea, et seduxerunt populum meum in mendacio suo, et in miraculis suis : cum ego non misissem eos, nec mandassem eis, qui nihil profuerunt populo huic, dicit Dominus. 33. Si igitur interrogaverit te populus iste, vel propheta, aut sacerdos, dicens : Quod est onus Domini? dices ad eos : Vos estis onus ; projiciam quippe vos, dicit Dominus. 34. Et propheta, et sacerdos, et populus qui dicit : Onus Domini ; visitabo super virum illum, et super domum ejus. 35. Hæc dicetis unusquisque ad proximum, et ad fratrem suum : Quid respondit Dominus? et quid locutus est Dominus? 36. Et onus

Domini ultra non memorabitur : quia onus erit unicuique sermo suus : et pervertistis verba Dei viventis, Domini exercituum Dei nostri. 37. Hæc dices ad prophetam : Quid respondit tibi Dominus? et quid locutus est Dominus? 38. Si autem onus Domini dixeritis : propter hoc hæc dicit Dominus : Quia dixistis sermonem istum : Onus Domini : et misi ad vos, dicens : Nolite dicere : Onus Domini. 39. Propterea ecce ego tollam vos portans, et derelinquam vos, et civitatem, quam dedi vobis et patribus vestris, a facie mea. 40. Et dabo vos in opprobrium sempiternum, et in ignominiam æternam, quæ nunquam oblivione delebitur.

2. QUI PASCUNT, — solo nomine; quia *pastores* se vocant, et ab aliis vocantur; vel qui pascere deberent populum meum, etsi reipsa non pascant. Transit a regibus ad sacerdotes et falsos prophetas. Hi enim gregem suum, puta populum, quem pascere debebant, malo exemplo vitæ, et falsis oraculis perdiderunt (1).

ET NON VISITASTIS EOS. — Pastoris enim est visitare suum gregem, ut videat num quid illi desit, de eoque illi provideat. Notent hoc Episcopi et Pastores. Idcirco ecce ego « visitabo, » id est puniam, « vos. » Ludit in voce *visitare q. d.* Pastores non visitarunt gregem, hinc ego visitabo et castigabo eos.

vers. 3. 3. CONGREGABO, — scilicet Judæos, quos vos mali pastores vestra culpa dispersistis, ego mea misericordia et provida cura « congregabo, » ut e Babylone redeant in Judæam, duce Zorobabel, Jesu, Esdra et aliis, ibique pace fruantur, et agnoscant sola Dei misericordia non suo merito se liberatos. Ita Hebræi, Theodoretus, Hugo et Sanchez. Verum esto eo alludat Propheta quasi ad typum, tamen patet hæc tam augusta non nisi Christo Pastori optimo, et Pastorum principi competere : hic enim est germen justum, et vocatur « Dominus, » hebraice *Jehova*, « justus noster, » estque ex semine Davidis. Ad Christum ergo de more a malis pastoribus avolat Propheta : huic enim malo, æque ac cæteris Judæorum, mederi venit Christus, ideoque pro malis bonos surrogavit. Christi ergo, qui optimi Pastoris exemplar dedit, tria munia describit : *primo*, regis; *secundo*, doctoris sapientis; *tertio*, æqui judicis. Pastores ejus, aiunt S. Hieronymus, Theodoretus, Rabanus sunt Apostoli, qui congregarunt undique oves ad unum ovile, puta tam gentes omnes, quam Judæos a Deo in Babylonem ejectos ad Ecclesiam, easque paverunt. Hos enim vocat « reliquias gregis mei, » Judæos scilicet e captivitate et dispersione reliquos, quorum pauci conversi sunt ad Christi Ecclesiam, sed plures convertentur in fine mundi, cum omnis Israel salvus fiet. Nam eo usque porrigitur hæc prophetia.

Christi tria munia: primum, regis; secundum, doctoris; tertium, judicis.

Ecclesia vocatur AD RURA SUA. — Hebraice נוהן *nevehon*, id est *ad habitacula sua*. Nota Ecclesiam vocari rus et habitaculum Judæorum, *primo*, quia eadem est Ecclesia nova Christianorum et vetus Judæorum. *Secundo*, quia nova cœpit a Judæis, scilicet Christo et Apostolis in Jerusalem. *Tertio*, quia cognitio et cultus veri Dei erant quasi proprium rus spirituale Judæorum; et Judæis proprie promissus et missus erat Messias, ejusque bona : rursum patria, et quasi rus anagogicum eorum olim, et jam nostrum est cœlestis Jerusalem, ad quæ duo eos reduxit Christus. Similis prophetia est *Ezechiel.* cap. XXXIV, vers. 13 et 14.

Rus Judæorum ob tres causas.

4. PASCENT EOS (magna cura, ad quam eos stimulabit magnus amor ovium, ut illæ secure fruantur pastu doctrinæ et vitæ Christianæ), ET NULLUS QUÆRATUR EX NUMERO. — Id est ut nulla ovis deficiat aut desideretur in tanto fidelium numero; quia, ut huc alludens ait ad Patrem Christus : « Quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam, » *Joan.* XVIII, 9. Esto enim Judas perierit, is tamen unus fuit; nec Christi negligentia et culpa, sed sua in Christum infidelitate et malitia periit. Vers. 4.

Hæc ergo lex pastoris est, quam dat Apostolus, II *Corinth.* V : « Charitas Christi urget nos. » Exedit enim, ait a Castro, zelus cor pastoris, nec patitur quietem agere, aut oblivioni tradere res amati, quin instar fulguris huc illucque discurrat, donec animam suam ponat pro ovibus suis. Imitatur ergo verus pastor vigilias Jacob pascentis oves Laban, *Genes.* XXXI, 39. Ex hac cura nascuntur vicissim in ovibus erga pastorem amor, confidentia et securitas.

Lex Pastoris est amor gregis.

Rursum lex pastoris est, quam dat S. Bernardus, epist. 245 : « Præsis ut prosis. » Idem in *Sentent.* : « Pastori tria congruunt, bonitas, disciplina, scientia : bonitas attrahit, disciplina corripit, scientia pascit : bonitas amabilem, disciplina imitabilem, scientia docibilem reddit. » Et S. Dominicus rogatus quæ essent munia sui Ordinis, puta Patrum Prædicatorum, respondit : Tria ista sunt, quæ Psaltes hoc versu complexus est : « Bonitatem, et disciplinam, et scientiam doce me, » *Psal.* CXVIII. Tales pastores fuerunt Apostoli virique Apostolici, SS. Athanasius, Basilius, Chrysostomus, Augustinus, Ambrosius, Gregorius, aliique prioribus sæculis plurimi : at hisce perpauci et rari. Queritur de suo ævo B. Petrus Damianus, itaque scribit ad Gregorium VI Pontificem, lib. I, *epist.* 2 : « Noverit Beatitudo vestra, piissime Domine, quia pro peccatis nostris clerici digni Episcopatus offi-

(1) רעים *Pastoribus*, hic rectores et magistratus populi Hebræi designari, ut cap. XXII, 22, cum Rosenmuller putamus. Alii *pastorum nomine* et falsos prophetas comprehendi existimant, sed in eos infra inde a vers. 9, peculiaris oratio sequitur.

cio in nostris partibus non inveniuntur. Omnes enim quærunt quæ sua sunt, et non quæ Jesu Christi. Avaritiæ quippe et elationis igne succensi, ambiunt quidem ad sacerdotium promoveri, sed non student digni sacerdotio fieri. Præesse inhiant, prodesse non curant. »

5. SUSCITABO DAVID (Hebraice לדוד *ledavid*, id est Davidi) GERMEN, — non Zorobabel; sed, ut Chaldæus vertit, *Messiam*, id est Christum. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Rabanus; et omnes Hebræi, ait Vatablus : Christum enim Deus suscitavit Davidi, quasi germen e terra virginea. *Secundo*, ex trunco, id est ex familia Davidis pene emortua, suscitavit eum quasi germen, hebraice צמח *tsemach*, id est surculum, qui succrescat et suppullulet, ac ex parvo germine crescat in ingentem arborem, quæ pristinam regni Davidis gloriam jam collapsam restauret (1).

Christus est germen Patris in cœlo.

Nota : Christus, qua Deus per verbum Patris, est germen e terra fecundissima, id est e natura et mente divina (quæ mundus est intelligibilis, universi perfectiones in se complectens) Patris æterni progenitum : unde Proclus ex Chaldaicis mysteriis vocat Dei Filium « florem mentium. »

Transplantatum in terram per incarnationem.

Hoc divinum germen humano insertum est germini, cum naturam assumpsit humanam; unde Septuaginta vertunt ἀνατολὴ, id est ortus, vel oriens, *q. d.* Christus est germinans sol, aut solare et cœleste germen, quod primo ortum in cœlesti paradiso, inde in terram insertum et natum, factumque est homo. Una inter alias ratio hujus nomenclaturæ est : quia, sicut ad germen et fructum ferendum tota arboris plantatio et irrigatio refertur, ita totum universum, et omnes creaturæ unius Christi causa conditæ sunt : quocirca ipse universi germen appellatur. Ita Viegas in *Apocal.* I, pag. 26. Christi ergo nomen est Oriens, scilicet sol, aut solare germen, ut patet *Luc.* I, 78, et *Zachar.* VI, 12, quod pluribus in Zacharia explicabo.

Christus vocatur justus ob tres causas.

JUSTUM. — Quia Christus, aiunt S. Hieronymus, Rabanus et Vatablus, causa est omnis justitiæ nostræ, et finalis, et meritoria, et exemplaris.

Secundo, quia ex vi conceptus sui ex Spiritu Sancto, natus est sanctus et justus, ex Davidica stirpe, in qua tot scelerati exstiterunt : cum nos omnes ex vi conceptus nostri peccatores nascamur.

Tertio, quia justum judicium exercuit in bonos et malos.

REGNABIT REX, — per fidem, spem, charitatem, gratiam : hoc enim regnum Christi spirituale, non autem temporale passim inculcant Prophetæ.

SAPIENS ERIT. — Hebraice est, השכיל *hiskil*, id est feliciter æque ac sapienter rem geret, ut Patri æterno nos conciliet, dirigatque ad vitam et gloriam æternam. Unde Vatablus vertit : *Prosperabitur, felix erit.*

ET FACIET JUDICIUM ET JUSTITIAM. — « Faciet » id quod justum est : justo enim judicio damnabit impios, pios vere tuebitur et præmiabit sua justitia. Vide dicta *Ezech.* XVIII, 6. Aliter Dionysius Carthusianus. Justitiam, inquit, id est omne opus virtutis. Aliter quoque S. Thomas et Lyranus « justitiam, » inquiunt, id est legem Evangelicam, quæ pleniorem docet justitiam quam Scribæ et Pharisæi. Sed primus sensus est genuinus.

Moraliter, discant hic Pontifices et Episcopi a Christo, cujus vices gerunt, facere judicium et justitiam in terra.

Præclare B. Petrus Damianus ad Alexandrum II Pontificem hosce versus scripsit :

Sedis Apostolicæ qui vult retinere vigorem,
Æqua libret rigidæ pondera justitiæ.
Juris enim pariles nescit suspendere lances,
Quem favor inflectit, spes vel avara trahit.
Muneribus plenæ cui laxant ora crumenæ.
Justitia vacuam perdet inops animam.
Cœli Roma seras tenet, et regit orbis habenas :
His, si plura velit, tartara sola petit.

Vers. 6. 6. IN DIEBUS ILLIS. — Hebraice, *illius*, scilicet Christi, et ita legunt Septuaginta, Chaldæus et nonnulli Latini.

SALVABITUR ISRAEL (id est decem tribus); ET JUDA (id est duæ reliquæ tribus : Judæis enim primo promissus et missus est Christus, ut eos salvet, id est justificet a peccato, et postea glorificet. « Juda » ergo) HABITABIT CONFIDENTER, — non timens hostes, cum habeat Christum, pastorem tam fortem, tam vigilem. Hæc est securitas et pax, quam Isaias sub Christo fore prædixit cap. II, vers. 4, cap. XI, vers. 6, et alibi : unde cap. IX, vers. 6, Christum vocat « principem pacis; » quamque Angeli, Christo nascente, occinuerunt : « Gloria in excelsis Deo, et in terra pax. »

ET HOC EST NOMEN, QUOD VOCABUNT EUM, DOMINUS JUSTUS NOSTER. — Judæi jam legunt יקראו *iicreo*, id est *vocabit eum Dominus hoc nomine*, scilicet, *justus noster*. Sed veteres Hebræi (citat eos hic a Castro) et omnes Latini ac Græci docent nomen Messiæ, quo a suis fidelibus vocabitur, fore hoc : « Dominus justus noster. » Unde patet Christum proprie esse Deum; hebraice enim est *Jehova* proprium Dei nomen. Respondet R. David nomen *Jehova* etiam creaturis tribui, ut Moses *Exodi* XVII, 15, altare suum vocavit יהוה נסי *Jehova nissi*, id est *Jehova exaltatio mea* : eo quod illo loco Deus Mosen in victoria Amalec exaltasset, et *Ezechiel.* cap. XLVIII, vers. 35, civitas Dei vocatur יהוה שמה *Jehova scamma*, id est *Jehova ibidem*. Verum alio prorsus modo Christus appellatur *Jehova*, scilicet, non quod Deus in illo sit sicut in altari, vel in civitate, sed quod ipse sit Deus justitia nostra : non enim vocatur Dominus in eo, vel Dominus ibidem, uti

Christi divinitas asseritur.

(1) Insignem illum principem, quem Hebræi ab antiquissimis inde temporibus sperabant e Davidica familia oriundum, qui cultum Dei pristinæ puritati, resque Judaicas antiquæ gloriæ sit restituturus, Messiam hic describi non est dubium, inquit et ipse Rosenmuller, vi nativa verborum et veritatis compulsus.

vocatur civitas illa ab Ezechiele, sed « Dominus justus noster. » Unde Septuaginta vertunt : *Dominus Josedec,* id est justus et justificator; ut Josedec pontifex suo nomine præfigurarit hoc nomen Christi. Hinc et Symmachus vertit : *Domine, justifica nos;* Hebraice vero clare habent : *Dominus justitia nostra;* et Chaldæus : *Fient nobis justitiæ a facie Domini, q. d.* Fideles ut suum in Christum declarent amorem, securitatem, fiduciam et gratiarum actionem, decantabunt assidue dicentque : Hic est Deus qui nos justificavit, et redemit; puta inclamabunt et iterabunt nomen Jesu. « Jesus » enim, id est Salvator, idem est quod « Dominus justus noster, » id est nos salvans et justificans.

Jesus est Dominus justus noster.

Hinc Syrus vertit : *Et hoc est nomen quo vocabunt eum : Dominus æquum* (justum) *nostrum, quod congruit et sufficit nobis, quod juste voluntati nostræ satisfacit : Domino contenti sumus, quia satis est nobis ipse.* Vox enim Syra צדקא *zedco* plura significat, scilicet justitiam, æquum, debitum, honorem, convenientiam, conveniens, dignitatem, ordinem; vel quod italice dicitur : *Il nostro dovere, o giusto! o verita!* Arabicus Antiochenus vertit : *Et hoc est nomen quo eum vocaverunt, Absconditus Dominus;* Arabicus Alexandrinus : *Et hoc nomen quo vocabunt eum, Dominus gaudium nostrum abscondite.*

Vers. 7. 7. PROPTER HOC, — quia scilicet, « suscitabo David germen justum, » puta Christum; hinc eum fideles Christiani colent, atque per eum jurabunt, dicentes : « Vivit Dominus, » id est juro per vitam et nomen Christi Domini.

Vers. 8. 8. QUI EDUXIT, etc., DE TERRA AQUILONIS, — id est de captivitate diaboli et peccati (1).

ET HABITABUNT IN TERRA SUA, — id est in Jerusalem spiritali, puta in Ecclesia. Ita S. Hieronymus, Rabanus, Hugo, S. Thomas, Lyranus et Vatablus. Sub juramento intelligit laudes, vota, sacrificia, et omnes alios actus religionis (per synecdochen) quos Christo, et per Christum Deo Patri deferimus et offerimus.

Vers. 9. 9. AD PROPHETAS, — scilicet falsos, dirigitur hæc mea prophetia quæ sequitur. Aliter Chaldæus; vertit enim : *Propter pseudoprophetas contritum est cor meum.*

CONTRITUM EST COR MEUM, etc., — *q. d.* Conficior dolore, et tremunt ossa mea, quasi maderem vino, et essem ebrius, idque non ob metum Judæorum, sed propter Dominum, et « propter verba sancta ejus, » vel, ut Hebraice est, *sanctitatis ejus,* qui scilicet video sanctissimam Dei majestatem peccatis irasci, et calamitates maximas comminari pseudoprophetis, qui meas et Dei minas rident, et apud populum, ne iis credat et convertatur, traducunt atque impediunt. Ita S. Hieronymus. Verum Septuaginta vertunt : *Factus sum quasi homo captus a vino a facie Domini, et a facie gloriæ decoris ejus, q. d.* Ex consideratione Dei Patris, et ejus Filii, qui est gloria et splendor Patris, exhorrui, et mente captus fui quasi ebrius, videns me (esto sim eis quasi os et Propheta) esse nihil. Ita Rabanus et S. Hieronymus.

(1) Duo hi versus totidem verbis leguntur supra cap. XVI, 14, 15, ubi locum sibi proprium occupare, huc vero translati videntur ad amplificandum hoc de Messia oraculum. (Rosenmuller.)

Vers. 10. 10. A FACIE MALEDICTIONIS (ob maledicta et blasphemias Judæorum in Deum) LUXIT (id est desolata est), TERRA, — facta sterilis et squalida, instar lugentis. Ita Hugo et Lyranus, et patet ex sequent. Aliter S. Thomas : Quia, inquit, Deus terræ tam impiæ maledixit, hinc ipsa luxit. Loquitur de sterilitate et fame, quam passi sunt cives obsessi in Jerusalem a Chaldæis.

FACTUS EST CURSUS EORUM MALUS (currunt effrenes et præcipites ad mala et peccata : hinc) FORTITUDO EORUM DISSIMILIS, — id est, non est similis illi quæ solet esse, recta, vera, invicta, maxime in sanctis Patribus eorum, ait S. Thomas : sed fallax, inconstans, evanida et minime durabilis : nam statim quasi infirmi coram hoste Chaldæo corruent, et quasi imbelles capientur. Hinc ex Hebræo Vatablus vertit : *Potentia eorum non est firma,* vel : *Fortitudo eorum non est veritas.* Quod aliqui sic explicant, *q. d.* Pro viribus veritati non student, sed mendacio.

Vers. 11. 11. POLLUTI SUNT. — Hebraice, *hypocritæ sunt,* scilicet exterius simulant se pios Dei cultores, cum in corde gestent idola; Chaldæus *suffurati sunt vias suas, q. d.* Furtim se suaque mihi subducunt et suffurantur, ut ea dent et consecrent idolis.

IN DOMO MEA INVENI MALUM EORUM, — quia scilicet in templo Dei sacrificant idolis, conflant fraudes et rapinas, ac juxta illud ædificarunt prostibula, et ædes effeminatorum. Patet cap. VII, vers. 30, et XI, 15 : « Quid est, ait, quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? » Ita Lyranus et Vatablus. Vide lib. IV *Reg.* cap. XXIII, vers. 4, 5, 6 et 7.

Aliter Hugo et S. Thomas, « in domo, » id est in populo meo, quem induxerunt in omnem impietatem, « inveni malum eorum. »

Vers. 12. 12. VIA EORUM ERIT QUASI LUBRICUM IN TENEBRIS, — punientur, in calamitates facile impingent et corruent, sicut homo qui ambulat in tenebris per viam lubricam : cum enim in lubrico gressus figi nequeat, et tenebræ loca salebrosa abscondant; necesse est ut in iis ambulans devius vel corruat, vel impingat.

VISITATIONIS, — punitionis.

Vers. 13 et 14. 13 et 14. ET IN PROPHETIS SAMARIÆ VIDI FATUITATEM. (Intelligitur more Hebræo vox *sicut, q. d.* Sicut inter decem tribus vidi idololatriam deorum lapideorum et ligneorum, quo nihil stultius : ita et in Jerusalem, sive inter duas tribus), VIDI SIMILITUDINEM ADULTERANTIUM, — i. e. imitationem idololatrarum, scilicet Israelitarum, *q. d.* Vidi similiter adulterantes, id est idola colentes, Judæos atque Israelitas. Ita S. Hieronymus, Rabanus, Hugo, Lyranus, Theodoretus, licet possit et proprie

capi τὸ *adulterantium*, eo quod vere adulteria commiserint (1).

Nota : Pro *similitudinem*, Hebraice est שערורה *scaarura*, id est res horrenda ob suam turpitudinem, imago horrendæ turpis; unde Septuaginta vertunt φρικτὰ, id est horribilia, uti erat hic, ipsos doctores videre quasi dæmone indutos docere impietatem, adeo impiam et horrendam, ac si ipse teterrimus Satan eam ore suo docuisset.

Vers. 14. 14. CONFORTAVERUNT, — dum scilicet eos in suis sceleribus, ea elevando, et promittendo omnia prospera, confortant et obdurant adversus Dei monita, et Prophetarum minas.

FACTI SUNT MIHI OMNES UT SODOMA, — scilicet abominabiles, ac consequenter igne cœlesti, æque ut Sodomitæ, consumendi, et mergendi in infernum. Ita S. Hieronymus, Rabanus, Hugo.

Vers. 15. 15. CIBABO EOS ABSINTHIO. — Chaldæus : *Adducam super eos angustiam amaram sicut absinthium, et potabo eos calice maledictionis pessimæ, quasi capitibus draconum.*

A PROPHETIS ENIM JERUSALEM EGRESSA EST POLLUTIO SUPER OMNEM TERRAM, — *q. d.* Hi blandi et falsi prophetæ suis falsis oraculis et sceleribus polluunt terram sanctam, quæ est quasi sanctum Dei peculium, quin et sanctissimum Dei templum.

18. QUIS (scilicet pseudoprophetarum) AUDIVIT SERMONEM EJUS? — Domini, aut, ut Aquila, *secretum Domini, q. d.* Nullus eorum audivit, sed ipsi omnia quæ dicunt fingunt ex se (2).

(1) Discrimen inter Samaritanos ac Hierosolymitanos prophetas hoc esse videtur, quod illorum insulsitas plus fatuitatis et ignorantiæ habuerit, horum vero scelera plus malitiæ; illorum porro deceptio plus palpabilis, horum vero sub prætextu veræ religionis latentior aç magis hypocritica. (C. B. Michaelis.)

(2) Verba hujus versus sunt, vel, *primo*, Jeremiæ exprobrantis falsis doctoribus incuriam, quia ad Dei sermonem non attendunt, etc. *q. d.* Cui ex pseudoprophetis revelata sunt arcana Dei? Ex conjectura, non ex revelatione loquebantur. Conjecturæ autem si in reçum consiliis, quanto magis in consiliis Dei hominem fallunt? Similis est huic loco ille *ad Romanos*, cap. XI, 34, 35, contra Judæos, qui sola conjectura de voluntate Dei pro certo affirmabant, nolle Deum homines incircumcisos, sed pios, ad vitam æternam admittere. Quis, *q. d.* Nullus profecto; sed quæcumque prophetant, ex se confingunt; non possunt res futuras divinare. Vel, *secundo*, pseudo-prophetarum, sive epicureorum contemnentium vocem ministerii in Ecclesia. *Quis*, nimirum alius præter nos? Ellipsis in hoc genere locutionis frequens, ut *Prov.* XXX, 14. Sic Jeremiæ aliisque bonis prophetis suam ordinariam dignitatem et auctoritatem objecerunt, ut supra cap. XVIII, 18. Aliter per subsannationem sic loquuntur de veris prophetis vindictam Dei denuntiantibus, *q. d.* Quid? isti denuntiant famem, pestem, etc., quasi essent angeli de cœlo missi; profitentur se esse præcones Dei, testes arcani consilii ejus. Sic dicebant nebulones isti, ut sopirent conscientias : *He, quis stetit*, etc.? *an steterunt illi*, etc.? *quis audivit? quis vidit?* omnia hæc sunt incerta : non est quod metuatis indulgere vobis, etc. Chaldæus locum sic reddit : *Non enim steterunt ut revelaretur sibi secretum a facie Domini*, etc. (Synopsis.)

19. ECCE (subito, improviso et præter pseudoprophetarum opinionem) TURBO (id est vehementia; Chaldæus, *increpatio*; Septuaginta, *commotio*) DOMINICÆ INDIGNATIONIS EGREDIETUR, ET TEMPESTAS ERUMPENS. — Hebræus, *et turbo sese intorquens* : hic enim est symbolum acris iræ et vindictæ Dei, qua subito involvit et absorbet impios. Per turbinem ergo Dei vindictam intellige. Vers. 19.

20. NON REVERTETUR (cassus et inanis) FUROR DOMINI — in Judæos effundendus : sed efficaciter vindictam in eos, ad quam missus est, peraget. Vers. 20.

INTELLIGETIS, — reipsa sentietis Dei vindictam et flagra, quibus ipse vos castigabit.

22. AVERTISSEM. — Videtur corrigendum *avertissent*, scilicet ipsi Prophetæ (qui nunc falsi et mendaces, tunc autem veri et veraces fuissent) populum a suis peccatis. Ita Hebræus, Chaldæus, Septuaginta et Latina Regia : itaque totam culpam populi pseudoprophetis adscribit. Tamen S. Hieronymus, Hugo, Rabanus, S. Thomas et Romana correcta legunt *avertissem*, scilicet : Ego Deus per illorum prædicationem populum et plebeios, aiunt S. Thomas, Hugo, Lyranus, vel, ut S. Hieronymus, *avertissem*, ipsos Prophetas, ne scilicet cogitationibus suis traderentur in immunditiam, ignominiam et reprobum sensum, ad pœnam suæ impietatis. Vers. 22.

23. PUTASNE DEUS E VICINO, etc., — *q. d.* Ego Deus non tantum præsentia, sed præterita et futura quasi coram me sint intueor, ex altissima æternitatis meæ specula. Ita S. Hieronymus, Rabanus, Hugo et Maldonatus. Unde Chaldæus vertit : *Ego orbem creavi a principio, ego eum in fine renovabo.* Vers. 23.

Secundo et melius, *q. d.* Ne dicatis, o pseudoprophetæ, Deus cardines cœli sui perambulat, longe est a nobis, nostra non videt, non curat, quasi longe a se et cœlo posita; quia etiam e cœlo ego Deus vestra omnia video, curo, punio; omnia, et vicina, et longe dissita intueor, quasi præsens et vicinus. Unde Septuaginta et Theodoretus vertunt : *Deus appropinquans ego sum, et non Deus de longe*, quasi dicat : Ubique præsens adsum, ubique vicinus sum per præsentiam, inspectionem, potentiam, imo et per essentiam : quia cœlum et terram ego impleo. Ita S. Hieronymus, Rabanus, Theodoretus, Lyranus. Sic David pulchre Dei omni in loco præsentiam describit, *Psalm.* CXXXVIII, 7, et Amos, IX, 2. Sic et Virgilius, *ecloga* III, canit : « Jovis omnia plena. » Et Lucanus, lib. III : Deus ubique præsens. Gnomæ fidelium et Ethnicorum.

> Estque Dei sedes nisi terra, et pontus, et aer,
> Est cœlum, et versus superos, quid quærimus ultra?
> Juppiter est quodcumque vides, quocumque moveris.

Et Thales dixit omnia esse plena deorum ; atque Heraclitus invitabat amicos ad humilem suam domum : « Quia, inquit, neque huic loco desunt dii immortales, » uti refert Aristoteles, lib. I *De Part. animal.* cap. ult.; unde sequitur : « Si occultabitur vir in absconditis, et ego non videbo eum? »

Septuaginta apud Eusebium, lib. VII *Præpar.* IV, sic vertunt : *Quid faciet occulte homo, quod non cognoscam? numquid non cœlum et terram ego impleo?*

Vers. 25. 25. SOMNIAVI, — vidi in somnis visionem propheticam.

Vers. 28. 28. NARRET SOMNIUM (1), — *q. d.* Cessent impostoræ : qui somniavit, non dicat : Hæc dicit Dominus; sed : Hæc ego dico, et hæc ego somniavi; qui vero Dei revelationem habuit, narret quod audivit, quasi Dei sermonem, dicatque : Hæc dicit Dominus (2).

Verbum Dei est primo triticum, hominum est palea.

QUID PALEIS AD TRITICUM? — *q. d.* Quid falsæ et inani prophetiæ et promissis, cum solida et reali, verissimisque minis meis? *Primo,* pseudoprophetias comparat paleis, veras prophetias, tritico : quia, sicut paleæ, ait S. Hieronymus, sic et ipsæ medullam non habent, nec possunt nutrire credentium populos, et de inanibus stipulis conteruntur, ac ventorum flatibus disperguntur, cum eventus ostendit illarum adulationes et promissiones fuisse mendaces. Contra vero minæ divini judicii et novissimorum a veris Prophetis intentatæ, veræ sunt certoque implendæ, ideoque quasi solidum triticum animum timore pascunt, degravant, sustentant, nutriunt, ut fructus pœnitentiæ edat.

Vere S. Bernardus, serm. 4 super *Missus est* : « Apud Deum, inquit, non dissidet verbum ab intentione, quia veritas est : nec factum a verbo, quia virtus est : nec modus a facto, quia sapientia est. » Dei ergo dicere est facere : secus est in homine, qui instabilis est, fallax, impotens et insipiens; ideoque in verbis et promissis suis sæpe fallit et fallitur.

Porro Chaldæus vertit : *Sicut paleam a tritico, sic separo justos ab impiis, dicit Dominus;* quod Christum facturum docet S. Joannes Baptista, *Matthæi* III, 12. Similia proverbia sunt : « Quæ societas luci ad tenebras? quæ autem conventio Christi ad Belial, » etc., II *Cor.* cap. VI, 14. Et illa Athenæi, lib. V : « Quid scuto et sceptro? » Et Stratonici : « Quid sceptro et plectro? » Et Suidæ : « Quæ specillo et gladio communio? quid lecytho et strophio? quid hyænæ et cani? quid bovi et delphino? quid cani et balneo? »

Secundo, est ignis; tertio, est malleus conterens petras.

Secundo, vera prophetia et verbum Dei est sicut ignis, omnia illuminans et inflammans amore Dei, ac impios comburens; ac *tertio,* est quasi malleus potentissimus conterens petras, id est saxea corda, et omnia impedimenta disjiciens, maxime pseudoprophetas, qui falso verbum Dei suis fictionibus prætexuerunt; hos enim ipsum Dei verbum, quod eis hic minor, quasi ignis vorabit, et quasi malleus conteret. Vide vers. 33 et 36.

Vers. 30. Tria genera pseudoprophetarum. Primi furantur verba Dei.

30. ECCE EGO AD PROPHETAS QUI FURANTUR VERBA MEA (3). — Notat tria genera pseudoprophetarum. *Primum* eorum, qui quasi fures surripiunt quædam dicta verorum Prophetarum, eaque vel suis mendaciis admiscent, ut iis fidem faciant; vel falsa interpretatione detorquent ad sua figmenta. Sic quod Jeremias, cap. XLIX, vers. 35, initio regni Sedeciæ dixerat : « Ego confringam arcum Ælam; » Hananias anno quarto Sedeciæ detorsit, dicens : « Hæc dicit Dominus : Contrivi jugum Babylonis, » *Jeremiæ* XLVIII, 2. Sic hæretici, ait S. Hieronymus furantur verba Salvatoris, dum S. Scripturam ad suas hæreses torquent.

Secundi adulantur.

Secundum eorum, qui assumunt linguas suas, id est, ex suo cerebro et lingua loquuntur, non ex revelatione Dei, ut sequitur. Ita Chaldæus, Hugo, S. Thomas, vel, ut Vatablus et Lyranus vertunt, *qui lenificant linguas suas,* id est leni, blando, pulchro sermone et promissis illiciunt plebem, ut Hebræum לקח *lacach* ponatur per metathesin pro חלק *chalach,* id est blanditus est, *q. d.* Hi melleam sibi fingunt linguam, videntur melliflui, et mella fundere, dicentes : Pax, pax, cum non sit pax; ideoque non mel, sed fel et exitium nobis accersunt.

Tertii jactant visiones et miracula falsa.

Tertium eorum, qui sua somnia pro prophetiis venditant in suis miraculis, id est verbis mirandis, quibus quasi in exstasi mira, ingentia et incredibilia promittunt. Unde Lyranus vertit, *in raptibus,* vel *exstasibus suis;* Chaldæus, *in sua temeritate;* Septuaginta, *in erroribus suis;* Pagninus, *in blanditiis suis;* Vatablus, *in festinationibus, cele-*

(1) Vers. 27 : « Qui volunt facere ut obliviscatur, » etc. Hebraice מחשבים, *num cogitant?* Recte vidit Ludovicus de Dieu ה esse interrogationis notam, quæ non per *chateph pathac,* verum et cum simplici *pathac* (et ante gutturales quidem semper) proponi soleat. Utriusque igitur versus sensum constituit hunc; quousque durabit hæc ipsorum impudentia? Habentne in animo falsi isti prophetæ, cogitantne, inquam, inducere populum meum in plenam oblivionem nominis mei?

(Rosenmuller.)

(2) Narret somnium, ut merum somnium, ut unum e reliquis somniis, ut recte Jarchi, sermone vulgari, negligentiore, sed non tribuat ei auctoritatem prophetiæ.... Prius tamen versus hemistichium C. B. Michaelis hoc modo interpretatur : *Propheta cui est,* qui putat se habere *somnium* divinum (*Num.* XII, 6; I *Sam.* XXVIII, 6, 15), *narrat illud* in veritate, *q. d.* Non veto narrari somnia prophetica, quorum ipsemet auctor sum, modo sint vere divina nullis admixtis mendaciis. Sed alterum versus hemistichium magis favet interpretationi a nobis adscitæ, ut meris vanisque somniis opponantur vera, divino afflatu edita vaticinia. (Rosenmuller.)

(3) Vers. 29 : « Numquid non verba mea sunt quasi ignis? » Facile dignosci ait vana somnia a divinis effatis, effectu puta, quem habent in animis hominum..... J. D. Michaelis hoc versu non de efficacia verbi divini in hominum animis sermonem esse putat, sed de impetu interno, quo veri prophetæ agitabantur, cujusque nihil persentiscebant falsi illi, facile habituri, de somniis silere. Eodem sensu hunc versum cepit Jarchius : « Non debuerunt, inquit, falsi prophetæ in errorem inducere, et assimilando dicere, somnia sua esse vaticinia; nam verbum propheticum, quando ad os Prophetæ venit, cum potentia ad illum venit, tanquam ignis ardens, ut supra cap. X, 9, dixit : « Fuit in corde meo tanquam ignis ardens. » Sed *mallei durissima quæque diffringentis* imago magis commendat interpretationem, quam supra dedimus. (Rosenmuller.)

britatibus, levitatibus suis, quibus temere nunc hoc nunc illud effutiunt : Hebræum enim פחורית *pachasut* hæc omnia significat.

Tropologice, « furantur verba Dei » doctores et prædicatores, qui sacram Scripturam docent et prædicant ad gloriam, non Dei, sed suam, quique impie vivunt, et populum scandalizant : de quibus *Psalm.* XLIX, 16 : « Peccatori autem dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? » Ad quæ verba cum in concione pervenisset Origenes, memor sui lapsus, quo in persecutione timore mortis Præsidi cesserat, et thus adoleverat idolis, repente conticuit, atque tantum ex imo corde gemitum et suspiria edidit, ut omnes astantes ad lacrymas et planctum commoverit. Testis est Epiphanius in *Hæresi Origenistarum.*

31. ECCE EGO AD PROPHETAS, AIT DOMINUS, QUI ASSUMUNT LINGUAS SUAS, — id est, qui linguam suam moderantur et dirigunt, ut loquantur ea quæ lubet, quæque grata sunt populo. Nam veri Prophetæ non moderantur linguas suas, sed eas moderatur Dominus, per easque loquitur quæ vult, *q. d.* Hi prophetæ sunt præcones linguæ suæ et verbi sui : at ego verique Dei Prophetæ, sumus præcones linguæ et verbi Dei. Lyranus et Maldonatus pro *suas* vertunt, *eorum,* scilicet verorum Prophetarum, *q. d.* Hi falsi prophetæ fingunt se esse veros Prophetas, eorumque linguas sibi arrogant, dicentes : « Hæc dicit Dominus, » sed mentiuntur; sua enim figmenta, non Dei oracula enuntiant.

32. IN MIRACULIS SUIS — quæ fingunt et jactant, v. g. se angelos vidisse, cum Deo collocutos esse, dæmones expulisse, leones cicurasse, infirmos sanasse, etc.

Vers. 33. 33. QUOD EST ONUS DOMINI. — Pro *onus,* hebraice est משא *massa,* quod Aquila vertit, *pondus;* Septuaginta, Symmachus et Theodotion, λῆμμα, id est assumptio : ita vocatur prophetia tristis et onerosa accepta et assumpta a Deo, quæ quasi onus grave peccatoribus incumbit. Unde Arabicus et Syrus vertunt : *Et dicent : Quod est verbum Domini? dic illis : Verbum Domini est, quod eradicabo vos.*

Secundo, S. Hieronymus λῆμμα vertit, *donum* et munus, *q. d.* Quid prospera quæritis? indigni estis prophetia bona, id est Dei donis et muneribus.

Nota : Sic pseudoprophetæ et plebs irridebant Jeremiam et Prophetas minantes supplicia; unde cum eis occurrebant, interrogabant per jocum : « Quod est onus Domini, » quod semper nobis occinitis? id est, quid novi mali nobis rursum annuntiatis? quibus jubente Deo respondet Jeremias : « Vos estis onus, » quasi dicat : *Ut quid vobis onus?* ut quid prophetiam minacem instar oneris vobis imponam? vos ipsi enim estis mihi onus grave et importabile, quod proinde decrevi humeris excutere, et plane abjicere. Alii vertunt : *Quod vobis onus?* quibus respondet : Vos ipsi vobis estis onus, æque ac mihi, ideoque vos abjiciam. Jubet ergo Deus, ut hac oneris irrisoria phrasi desuescant, et alia potius utantur, dicentes modeste et humiliter : « Quid respondit Dominus? »

Vos ESTIS ONUS, — *q. d.* Vos estis onus et quidem gravissimum, propter peccata vestra : unde amplius Deus non feret tantum onus; sed projiciet et ejiciet ex terra hac. Interrogationem ipsorum irrisoriam in ipsosmet serio retorquet.

Notandum : Biblia Plantini, et alia plura hic habent : *Ut quid onus vobis?* quod sensum habet quem paulo ante dedi. Verum Septuaginta et S. Hieronymus et Biblia Romana legunt, « vos estis onus, » et ita legunt codices Latini antiquiores, aliquique addunt, *importabile,* ut alludat ad nomen oneris, ejusque ambiguitate Deus ludat, cum nunc prophetiam, nunc eorum intolerabiles mores, vocat *onus.* Unde sequitur : « Projiciam quippe vos : » onus enim projicimus, *q. d.* Exonerabo me vobis. Sic enim habent Hebræa, si easdem litteras aliter jungas, atque pro את מה משא *et ma massa,* legas אתכם המשא *attem hamassa,* id est vos estis onus : sicque omnino videtur legendum : nam alioqui incongrue articulus את *et* jungitur cum interrogativo מה *ma,* uti norunt Hebraicæ linguæ periti. Ita Maldonatus.

36. QUIA ONUS ERIT UNICUIQUE SERMO SUUS (1), — *q. d.* Propter sermonem suum; quia scilicet irrident onus Domini, gravissimas dabunt pœnas, eruntque opprobrium sempiternum; quia licet post 70 annos e captivitate aliqui redibunt, tamen hoc erit quasi alio sæculo : æternum enim hic, uti et alibi, significat longum et immemorabile tempus.

Adde notam hujus opprobrii mansisse etiam post reditum; nam infames erant tunc pseudoprophetæ et Judæi, qui credentes eorum falsæ promissioni et paci, excidium incurrerunt.

Genuinus ergo totius hujus loci sensus est hic : Nolite amplius irrisorie interrogare Jeremiam dicendo : « Quod est onus Domini? » Vos enim ipsi estis onus Domino grave, illudque aggravatis hac irrisione. Quocirca ego visitabo et puniam severe eum, qui deinceps prophetiam meam vocaverit « onus. » Abstinete ergo hoc joco et nomine, ac cum de prophetia sciscitari voletis, nolite dicere : « Quod est onus Domini? » sed potius : Quid dixit, jussit aut respondit Dominus? unde subdit vers. 36 : « Et onus Domini ultra non memorabitur, » *q. d.* Nolite ultra memorari oneris et dicere : Quod est onus Domini? « quia, » si ultra nominaveritis onus, « onus erit unicuique sermo suus, sermo, » scilicet usurpans nomen « onus, » *q. d.* Onus ab ipso nominatum fiet ipsi onus, id est grave sup-

(1) Vers 34 : « Et propheta, et sacerdos et populus qui dicit : Onus Domini, visitabo super virum illum, » etc. Indigne ferens Jeremias quod profani homines formulam משא יהוה in ludibrium et derisum verterent, edicit nomine Dei, abstinendum esse posthac omnibus ab usu illius formulæ, atque sciscitantes oracula divina, quibusnam verbis uti debeant, præscribit vers. 35.

(Rosenmuller.)

plicium et tormentum : et, id est quia, nominando hoc « onus, pervertistis, » id est in jocum, fabulas et nugas detorsistis, « verba Dei viventis, » itaque verba mea apud audientes non tantum odiosa et onerosa, sed et fabulosa et mendacia effecistis et traduxistis.

Moraliter disce hic peccata, præsertim contemptus et irrisionis Sanctorum et rerum sacrarum, esse onera gravia Deo. Fert enim Deus et tolerat simul et semel continuo omnia omnium hominum scelera. Hæc onera in se suscepit Christus, de quo ait Isaias, cap. LIII, 4 et 6 : « Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. » Et : « Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. » Disce ergo exemplo Dei et Christi, illud Apostoli, *Galat.* cap. v : « Alter alterius onera portate, » ut et Deus onera tua portet.

39. TOLLAM VOS PORTANS, — *q. d.* Quia vos ridetis onus Domini, faciam ut vos sitis onus, quod ego tollam et efferam in Babylonem. Alii vertunt, *obliviscar vos tollendo.* Hebræum enim נשיתי *nasiti*, si a נשה *nasca* deducas, significat oblivisci, si a נשא *nasa*, significat tollere, *q. d.* Quia vos oblivisci noluistis hujus verbi « onus Domini, » uti ego jusseram ; hinc ego obliviscar vestri, et quasi onus tollam vos in Babylonem, ibique « derelinquam, » id est projiciam a facie mea, ut dixit vers. 33 : in Hebræo est pulchra paronomasia per metathesin in נשיתי *nasciti*, id est tollam, et נטשתי *natasti*, id est derelinquam vos. Vers. 39.

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hic tertius liber oraculorum Jeremiæ incipit, qui complectitur prophetata post transmigrationem Jechoniæ, sub Sedecia, per undecim annos. Hoc ergo capite Propheta videt duos corbes, unum ficuum optimarum, secundum pessimarum. Hæ pessimæ significant Sedeciam cum suis, eo quod se Chaldæis, Deo per Jeremiam id jubente, tradere noluisset, perdendum : priores vero ficus optimæ significant, Joachin cum suis, qui se Chaldæo Dei jussu tradiderant, prospere acturos, tum in Babylone, tum cum inde post septuaginta annos in patriam revertentur. Ita S. Hieronymus et Theodoretus, et patet vers. 5 *et* 8. *In Babylone enim Evilmerodach elevavit Joachin thronum regium supra alios reges,* IV Reg. XXV, 28.

Nota : Hæc visio vel corporea fuit, vel potius imaginaria. Ita S. Thomas et Hugo (1).

1. Ostendit mihi Dominus : et ecce duo calathi pleni ficis, positi ante templum Domini, postquam transtulit Nabuchodonosor rex Babylonis Jechoniam filium Joakim regem Juda, et principes ejus, et fabrum, et inclusorem, de Jerusalem, et adduxit eos in Babylonem. 2. Calathus unus ficus bonas habebat nimis, ut solent ficus esse primi temporis : et calathus unus ficus habebat malas nimis, quæ comedi non poterant, eo quod essent malæ. 3. Et dixit Dominus ad me : Quid tu vides Jeremia ? Et dixi : Ficus, ficus bonas, bonas valde ; et malas, malas valde, quæ comedi non possunt, eo quod sint malæ. 4. Et factum est verbum Domini ad me, dicens : 5. Hæc dicit Dominus Deus Israel : Sicut ficus hæ bonæ : sic cognoscam transmigrationem Juda, quam emisi de loco isto in terram Chaldæorum, in bonum. 6. Et ponam oculos meos super eos ad placandum, et reducam eos in terram hanc : et ædificabo eos, et non destruam : et plantabo eos, et non evellam. 7. Et dabo eis cor ut sciant me, quia ego sum Dominus : et erunt mihi in populum, et ego ero eis in Deum : quia revertentur ad me in toto corde suo. 8. Et sicut ficus pessimæ, quæ comedi non possunt, eo quod sint malæ : hæc dicit Dominus, sic dabo Sedeciam regem Juda, et principes ejus, et reliquos de Jerusalem, qui remanserunt in urbe hac, et qui habitant in terra Ægypti. 9. Et dabo eos in vexationem, afflictionemque omnibus regnis terræ ; in opprobrium, et in parabolam, et in proverbium, et in maledictionem in universis locis, ad quæ ejeci eos. 10. Et mittam in eis gladium, et famem, et pestem ; donec consumantur de terra, quam dedi eis, et patribus eorum.

1. DUO CALATHI. — Symmachus, *duo cophini* ; Vatablus, *duo corbes* ; Pagninus, *duo canistri*, qui he-

(1) Juxta divisionem quam supra statuimus, hoc caput constaret ex secundo e duobus sermonibus post captivitatem alteram editis, cujus synopsi optime exposita a Cornelio, nihil addendum judicamus.

Calathos duos ficuum vidit Jeremias, ante templum, cur?

bra:ce vocantur בִּכּוּרִים *dudaim* : quia similes sunt uberibus; *dodim* enim sunt ubera.

POSITI ANTE TEMPLUM DOMINI. — Nota : Hi duo calathi erant ante templum; quia prior, continens bonas ficus, significabat populum Deo et Dei cultui conjunctum, et quasi domesticum, etiam eos qui jussu Dei in Babylonem captivi iverant, præsentes esse Deo, illi esse in oculis et curæ, atque per hanc tribulationem patientiæ fructum dulcem, quasi calore tribulationis decoctum, ac suavem Deo exhibere : calathus alter, continens ficus malas, significabat eos qui Hierosolymis manserant Deo inobedientes, licet templo viciniores in deliciis agerent, Deo invisos esse, et ab eo exscindendos ob hanc inobedientiam.

Quæres, cur per ficus intelligantur homines? Respondet S. Augustinus, serm. 31 *De verbis Domini secundum Lucam* : Ab eo jam tempore, inquit, quo primus homo post peccatum foliis se ficulneæ texit, humanum genus similitudinis cum ficu induit cognationem. Idcirco et S. Ambrosius, lib. *De Paradiso*, cap. XIII, ponderans quod Adam foliis ficus lumbos succinxit, mystice in posteros ejus vestem peccatricem ex arbore ficu transmittendam interpretatur, ut quasi ficu, id est peccato induti, seu peccatores nascerentur.

Sed cur hæ ficus apparent Prophetæ ante templum? Respondet Antonius Fernandius, lib. *De Vision. veter. Testam.* vision. 12, rationem litteralem esse, quoniam in atrio templi varia genera fructuum vendebantur, ut populus haberet in promptu quæ offerret Domino, ante quem nemo vacuus apparere poterat, juxta legem *Exodi* XXIII, 15. Magis propria ratio est, quod Judæi omnem suam gloriam, robur et felicitatem tribuerent templo, quodque Sedecias cum suis nollet se tradere Chaldæis, ne hisce bonis templi se privaret : unde et Jechoniam, qui se cum suis tradiderat Chaldæis, irridebant, quasi extorrem et exsulem a templo, et consequenter a Deo, ut patet *Ezech.* XI, 15 et 16. Quocirca Deus ibidem hoc refellit, promittens se Jechoniæ in Babylone fore in sanctificationem, id est in sanctuarium, sive sanctum templum.

Mystice, significatur malos æque ac bonos præsentes esse Deo, Deumque e suo templo jugiter eos intueri, sed ad dispares eventus et sortes.

INCLUSOREM. — scilicet gemmarum. Ita S. Hieronymus, Rabanus, Hugo, S. Thomas, Lyranus, scilicet, qui auro vel argento gemmas includit. Aliter Vatablus et Angelomus in IV *Reg.* XXIV : « Inclusorem, » inquiunt, intellige castrorum, id est castra metandi, et muniendi, valloque includendi peritum, *q. d.* Omnes fabros et artifices transtulit Nabuchodonosor, præsertim eos qui civitatem instar castrorum possent munire, suisque vallis includere; ne hi rursum Judæos, si rebellare vellent, adjuvarent, uti fecerunt Philistini, lib. I *Reg.* cap. XIII, 19.

2. CALATHUS UNUS FICUS BONAS HABEBAT NIMIS, — *q. d.* Ficus unius calathi quæ bonæ erant, erant optimæ, id est sapidissimæ, quia maturæ et præcoquæ; ficus vero alterius calathi, quæ erant malæ, erant pessimæ, id est insipidissimæ, quia immaturæ, vel quia agrestes et amaræ, vel quia æstu contractæ, vel quia vento percussæ aridæ erant et exsuccæ, vel quia corrosæ a vermibus, ut nauseam moverent, etc. Hoc ficuum discrimen agnovit Propheta, tum ex ficuum forma et specie, tum ex indicio Domini, qui forte easdem quoque ei gustandas dedit. Proprie enim bonitas vel malitia ficuum sapore et gustu discernitur. Nec obstat quod ait : « Quid tu vides? Et dixi : Ficus, ficus bonas. » Τὸ enim *vides* non excludit gustatum, tum quia visus sæpe generaliter sumitur pro quovis sensu, tum quia τὸ *vides* tantum significat hasce ficus Prophetæ objectas fuisse, non reipsa, sed per visionem et imaginationem, in qua partim eas videre, partim gustare sibi videbatur Propheta. Prior calathus transmigrantium felicitatem, alter remanentium cladem significabat, uti jam dixi. Sic Homerus dicit Jovem habere duo dolia, unum fellis et infelicitatis, secundum mellis et felicitatis; et nunc ex hoc, nunc ex illo hominibus propinare : citat hunc Homeri locum Plutarchus *ad Apollonium*.

Ficus bona erat Joachim cum suis obediens Deo : mala erat Sedecias cum suis inobediens Deo, in cruce et captivitate suscipienda.

Deus habet duo dolia, unum fellis, alterum mellis.

Nota catachresin, « bonæ, » id est dulces et melleæ. Apposite vereque Transalpinus quidam veniens in Italiam, cum nunquam ante ficus recentes vidisset, ut primum inter alios fructus eas gustavit, bursas melle plenas, indigitavit. Vere Passeratius in ficu :

> Ficus habet lactis nivei, rutilique saporem
> Mellis, et ambrosiæ similes cum nectare succos.

Tropologice, quidam apud S. Hieronymum et Glossa : Duo hi calathi sunt duæ civitates, una Dei, altera diaboli; *secundo*, sunt Christiani et Judæi; *tertio*, sunt electi et reprobi, sive gehenna et cœlum; *quarto*, ut Lyranus, sunt Religiosi boni et mali : hi enim sunt quasi in templo Domini, et terrestri paradiso Dei, ut ait B. Petrus Damianus, serm. *De S. Nicolao*, ut ficus et fructus cœlestes proferant offerantque Deo. Hinc recte ait S. Augustinus, *epist.* 137, tom. II : « Sicut non inveni meliores iis qui in monasterio profecerunt, sic nec deteriores iis qui in monasterio defecerunt. » Ita Pelagius, Eutyches, Nestorius, Jovinianus, Lutherus, Bucerus, Petrus Martyr, fuerunt monachi; sed apostatantes facti sunt hæresiarchæ. Simile de Atheniensibus, apud quos vigebant sapientia et probitas, dixit Plutarchus in *Vita Dionys.* : « Eos aut esse optimos aut pessimos, » additque : « Sicut Attica præstantissimum mel, sic et exitiale venenum progignit. » Notandum est, quod scribit Columella, lib. III, ficus quæ non maturescunt nec dulcescunt, ex arbore excutiendas esse, ne arbor depravetur aut exarescat : ita a Religione excutiendi sunt, qui genuinum ejus spiritum non sugunt, calorem devotionis ejus non hauriunt, ut in perfectione maturescant et dulcescant : alioqui

Tropologice, ficus bonæ sunt justi et electi; malæ sunt impii et reprobi.

enim hi cæteros inficient, et Religioni ingens vel detrimentum vel exitium afferent. Hoc maxime in Novitiis servandum est, a quibus quasi a radice pendet Religionis vel profectus, vel defectus : in iis ergo vel admittendis, vel repellendis magnus adhibendus est delectus, magna cura, uti dicere solebat B. Theresia. Hi deinde maxime exercendi sunt in studio tum mortificationis, tum orationis, ut semper cogitent se versari in Religione quasi in templo, imo quasi in cœlo quodam terreno (ut ait Climachus) in præsentia Dei et angelorum. Hoc est quod aureo suo documento docuit S. Petrus; uti refert S. Clemens, epist. 1 *ad Jacobum fratrem Domini* : « Instruebat (Petrus, ait Clemens) actus suæ vitæ omni hora custodire, et in omni loco Deum respicere; firmiter scire cogitationes malas cordi suo advenientes, mox ad Christum allidere. » Rursum aptissime et propriissime ficus optimæ sunt, qui se cum Christo disciplinæ et cruci a Deo immissæ sponte subdunt; pessimæ sunt, qui disciplinam et crucem abnuunt et excutiunt.

UT SOLENT FICUS ESSE PRIMI TEMPORIS, — non veris : ver enim non dat maturas ficus. Ficus ergo « primi temporis » sunt, quas primo maturas profert et dat arbor, et aura, puta æstas; quæ præcoquæ dicuntur, suntque dulcissimæ, quia primogenitæ, in quas suum succum et vires profundit arbor; ita ut quasi senescens et effœta serotinas ficus det languidas, insipidas et imperfectas, ut hic in Italia cernimus et gustamus.

Pro quo nota : Duplices sunt ficus; aliæ enim sunt, quæ dant fructus semel in anno, scilicet in septembri, tuncque proprium est ficuum tempus; aliæ eos dant bis quotannis, scilicet primos in junio, serotinos in septembri. Omnis enim ficus, dans fructus in junio, est bifera; dat enim secundos in septembri; sed priores junii longe meliores sunt posterioribus in septembri, et hæ vocantur præcoquæ, et primi temporis. Aliæ ficus, quæ tantum dant fructus in septembri, priores pariter fructus dant meliores postremis. Ratio est, quia ficus cum sit calida, calorem solis exigit : unde quo calidior est sol, uti initio septembris, eo meliores sunt ficus : declinante vero sole in octobri, minus bonæ sunt ficus, quia minore solis ardore coquuntur. Denique sicut fœtus animalium primi posterioribus tam specie, quam robore, indole et pretio antecellunt, sic ficus primæ æstatis posterioribus septembris a toto genere præstant, et specie, et magnitudine, et novitate, et sapore vel reali, vel apprehenso ob longam et avidam sui exspectationem; unde et majori sunt in pretio, plurisque veneunt.

Porro apposite justus comparatur ficui bonæ. *Primo*, sicut ficus fructus fert dulces, ita et justus. *Secundo*, sicut ficus parum crescit in altitudine, ita justus est humilis. *Tertio*, ficus pro floribus reddit fructus, bisque in anno dat fructus, scilicet ficus præcoquas et ficus maturas; ita justus totus est in fructu bonorum operum. *Quarto*, ficus amplis foliis umbram facit : ita justus sua charitate alios juvat et protegit. *Quinto*, ficus alteri arbori inseri nequit, ob eximiam suam dulcedinem quam deserere nequit : ita justus in nullo homine, sed in solo Deo recumbit. *Sexto*, ficus decorticata arescit, et fructum non reddit : sic justus nisi tegatur conversatione honesta, fructum cum proximis non faciet. Ita Noster Salmeron, tom. VII, *tract.* 21.

Denique a ficu potius quam a pyro, pomo, etc., visio hæc desumpta est, quia in Judæa crebræ sunt ficus, ejusque felicitas erat « sedere sub vite et ficu sua, » uti sæpe ait Scriptura. Et aliqui putant ficus in Palæstina esse primos anni fructus. Sed hoc falsum esse Romæ intellexi ex Palæstinis, qui Hierosolymis nati sunt : asseruerunt enim, ibidem ante ficus produci pruna, pepones, cucumeres, etc.

5. COGNOSCAM IN BONUM, — favebo, benefaciam, tanquam bonos conservabo et fuebor eos, qui meo jussu transmigrarunt in Babylonem. Sic non tantum Joachim evexit Deus in Babylone, sed et Danielem et socios regnis præfecit, aliosque Judæos pace et bonis ditavit, *Jeremiæ* XXIX, 4. Vide hic quid faciat obedientia, etiam impiis, qualis fuit Joachin et Judæi.

6. ET PONAM OCULOS MEOS SUPER EOS AD PLACANDUM, — ut eis me placatum et benignum exhibeam : hebraice est, *respiciam eos in bonum.* Vers. 6.

ÆDIFICABO EOS, — stabiles eis sedes dabo, *primo*, in Jerusalem; *secundo*, in Ecclesia Christi; *tertio*, in Jerusalem cœlesti. Assurgit enim ad Ecclesiam; unde subdit : « Erunt mihi in populum, et ego ero eis in Deum. »

8. QUI HABITANT IN TERRA ÆGYPTI, — qui metu Chaldæorum e Judæa, contra monita Jeremiæ, fugerunt in Ægyptum, non post mortem Godoliæ, et captivitatem Sedeciæ, sed ante sub Joachin : hi enim, æque ut Judæi manentes Hierosolymæ, a Chaldæis vastati sunt. Vers. 8.

9. DABO EOS IN VEXATIONEM. — Chaldæus : *Dabo eos in commotionem;* Septuaginta : *Dabo eos in dispersionem, q. d.* Dispergam eos per omnia regna, ut tanta clade Judæorum omnes gentes metu concutiantur.

ET IN PARABOLAM (in comparationem, ut, cum quem volent dicere miserum, dicant : Miserior est Judæo), ET IN PROVERBIUM, — id est in fabulam, ut omnes de Judæorum calamitate loquantur et fabulentur. Septuaginta vertunt, *in odium et in maledictionem;* ut scilicet homines cum volent male precari alicui, dicant : Contingat illi id quod contigit Sedeciæ regi Juda, ejusque familiæ et asseclis : Plaga Sedeciæ tangat te : Sis frater et socius Sedeciæ. Ita Vatablus, et patet *Jeremiæ* XXIX, 22.

logiæ fi- eus et justi.

CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prædicit Judæos, et omnes gentes servituras Babyloniis per septuaginta annos, post quos Babylon evertetur, unde, vers. 15, *propinat eis omnibus calicem iræ Dei. Deinde, vers.* 30, *Deum, quasi leonem in eos rugientem inducit, quo fiet ut tanta pastorum populique sit strages, ut mortui non plangantur, nec mandentur sepulturæ* (1).

1. Verbum, quod factum est ad Jeremiam de omni populo Juda, in anno quarto Joakim filii Josiæ regis Juda (ipse est annus primus Nabuchodonosor regis Babylonis). 2. Quod locutus est Jeremias propheta ad omnem populum Juda, et ad universos habitatores Jerusalem, dicens : 3. A tertio decimo anno Josiæ filii Ammon regis Juda usque ad diem hanc; iste tertius et vigesimus annus ; factum est verbum Domini ad me, et locutus sum ad vos de nocte consurgens, et loquens : et non audistis. 4. Et misit Dominus ad vos omnes servos suos prophetas, consurgens diluculo, mittensque : et non audistis, neque inclinastis aures vestras, ut audiretis, 5. cum diceret : Revertimini unusquisque a via sua mala, et a pessimis cogitationibus vestris : et habitabitis in terra quam dedit Dominus vobis, et patribus vestris, a sæculo et usque in sæculum. 6. Et nolite ire post deos alienos, ut serviatis eis, adoretisque eos : neque me ad iracundiam provocetis in operibus manuum vestrarum, et non affligam vos. 7. Et non audistis me, dicit Dominus, ut me ad iracundiam provocaretis in operibus manuum vestrarum, in malum vestrum. 8. Propterea hæc dicit Dominus exercituum : Pro eo quod non audistis verba mea : 9. ecce ego mittam, et assumam universas cognationes Aquilonis, ait Dominus, et Nabuchodonosor regem Babylonis servum meum : et adducam eos super terram istam, et super habitatores ejus, et super omnes nationes, quæ in circuitu illius sunt; et interficiam eos, et ponam eos in stuporem et in sibilum, et in solitudines sempiternas. 10. Perdamque ex eis vocem gaudii, et vocem lætitiæ, vocem sponsi, et vocem sponsæ, vocem molæ, et lumen lucernæ. 11. Et erit universa terra hæc in solitudinem, et in stuporem; et servient

(1) A cap. XXV ad XXVII, sequuntur tres sermones post captivitatem primam habiti. Qui hoc capite continetur sermo anno quarto Joakimi, qui ipse esset Nabuchodonosoris annus primus, habitus dicitur vers. 1.

PRIMO, *in argumento dictionis*, Propheta, *primo*, accusat diuturnam Judæorum resistentiam contra sua aliorumque prophetarum monita, 3-7; *secundo*, comminatur imminentem hinc iisdem ac finitimis acerbissimam castigationem, et septuaginta annorum captivitatem, 8-12; *tertio*, addit secuturas etiam contra castigationis hujus ministros afflictiones, 13, 14.

SECUNDO, *in argumento*, ut ita dicam, *actionis, primo*, præcipit Deus accipere poculum furoris proponendum gentibus omnibus, 15, 16; *secundo*, exsequitur Propheta præceptum, universim indicatis et speciatim recensitis populis, 17-26; *tertio*, instruitur idem, quid facere ac dicere renuentibus debeat, 27-29.

TERTIO, pro conclusione utriusque, *primo*, injicit terrorem stupendum, 30, 31; *secundo*, decernit stragem horrendam, 32-35; *tertio*, describit luctum funestum, 36-38.

Quoad tempus quo hunc sermonem habuerit Jeremias, hæc notat Rosenmuller : Eum, inquit, tunc ita, ut nunc legimus non fuisse habitum, arguit tum illud, quod quæ vers. 13, leguntur de libro, in quo Jeremias suam in gentes exteras vaticinia consignarit, eo tempore quod versu primo notatur, ab ipso dici non potuerint, ut ad eum locum videbimus, tum quod quæ regi Babyloniæ, vers. 12, 13, 26, denuntiantur pœnæ, vatem primo Nabuchodonosoris anno minatum fuisse, non sit credibile. Non enim ille tunc quidquam in Hebræos commisit, quo animadversionem promeruisset. Imo eodem quo hic sermo habitus dicitur, quarto Joakimi anno, Nabuchodonosor, devicto apud Cercutium rege Ægyptio, Pharaone Nechaone (infra XLVI, 2), qui Joakimum regem constituerat (IV *Reg.* XXIII, 34), hunc illius fœderatum non depulit regno, sed in eo confirmavit, ea conditione, ut in ipsius clientela esset, et tributa penderet (IV *Reg.* XXIV, 1). Eo tempore illa tantummodo quæ inde a vers. 3 hujus capitis usque ad vers. 11 (hoc incluso) leguntur, a vate pronuntiata crediderim, reliqua tum demum addita, cum omnia Jeremiæ vaticinia in hoc quo nunc utimur, volumen collata essent. Eichornius (*die Bibl. Propheten*, part. II, pag. 116), hanc pericopam post expugnatam Hierosolymam consignatam esse eo consilio censet, ut syntagmati vaticiniorum contra gentes, cap. XLVI usque ad LI, præfationis loco præmitteretur, hac potissimum ratione ductus, quod vers. 15 et seqq. enumerantur populi de quibus pœnas sumere Jova decrevit.

omnes gentes istæ regi Babylonis septuaginta annis. 12. Cumque impleti fuerint septuaginta anni, visitabo super regem Babylonis, et super gentem illam, dicit Dominus, iniquitatem eorum, et super terram Chaldæorum : et ponam illam in solitudines sempiternas. 13. Et adducam super terram illam omnia verba mea, quæ locutus sum contra eam, omne quod scriptum est in libro isto, quæcumque prophetavit Jeremias adversum omnes gentes. 14. Quia servierunt eis, eum essent gentes multæ, et reges magni : et reddam eis secundum opera eorum, et secundum facta manuum suarum. 15. Quia sic dicit Dominus exercituum Deus Israel : Sume calicem vini furoris hujus de manu mea : et propinabis de illo cunctis gentibus, ad quas ego mittam te. 16. Et bibent, et turbabuntur, et insanient a facie gladii, quem ego mittam inter eos. 17. Et accepi calicem de manu Domini, et propinavi cunctis gentibus, ad quas misit me Dominus : 18. Jerusalem, et civitatibus Juda, et regibus ejus, et principibus ejus : ut darem eos in solitudinem, et in stuporem, et in sibilum, et in maledictionem, sicut est dies ista : 19. Pharaoni regi Ægypti, et servis ejus, et principibus ejus, et omni populo ejus, 20. et universis generaliter : cunctis regibus terræ Ausitidis, et cunctis regibus terræ Philistiim, et Ascaloni, et Gazæ, et Accaron, et reliquis Azoti; 21. et Idumææ, et Moab, et filiis Ammon : 22. et cunctis regibus Tyri, et universis regibus Sidonis : et regibus terræ insularum, qui sunt trans mare : 23. et Dedan, et Thema, et Buz, et universis qui attonsi sunt in comam : 24. et cunctis regibus Arabiæ, et cunctis regibus Occidentis, qui habitant in deserto : 25. et cunctis regibus Zambri, et cunctis regibus Ælam, et cunctis regibus Medorum : 26. cunctis quoque regibus Aquilonis de prope et de longe, unicuique contra fratrem suum : et omnibus regnis terræ, quæ super faciem ejus sunt : et rex Sesach bibet post eos. 27. Et dices ad eos : Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel : Bibite, et inebriamini, et vomite : et cadite, neque surgatis a facie gladii, quem ego mittam inter vos. 28. Cumque noluerint accipere calicem de manu tua ut bibant, dices ad eos : Hæc dicit Dominus exercituum : Bibentes bibetis : 29. quia ecce in civitate, in qua invocatum est nomen meum, ego incipiam affligere, et vos quasi innocentes et immunes eritis ? non eritis immunes : gladium enim ego voco super omnes habitatores terræ, dicit Dominus exercituum. 30. Et tu prophetabis ad eos omnia verba hæc, et dices ad illos : Dominus de excelso rugiet, et de habitaculo sancto suo dabit vocem suam : rugiens rugiet super decorem suum : celeuma quasi calcantium concinetur adversus omnes habitatores terræ. 31. Pervenit sonitus usque ad extrema terræ, quia judicium Domino cum gentibus : judicatur ipse cum omni carne, impios tradidi gladio, dicit Dominus. 32. Hæc dicit Dominus exercituum : Ecce afflictio egredietur de gente in gentem, et turbo magnus egredietur a summitatibus terræ. 33. Et erunt interfecti Domini in die illa, a summo terræ usque ad summum ejus : non plangentur, et non colligentur, neque sepelientur : in sterquilinium super faciem terræ jacebunt. 34. Ululate, pastores, et clamate : et aspergite vos cinere, optimates gregis : quia completi sunt dies vestri, ut interficiamini; et dissipationes vestræ, et cadetis quasi vasa pretiosa. 35. Et peribit fuga a pastoribus, et salvatio ab optimatibus gregis. 36. Vox clamoris pastorum, et ululatus optimatum gregis : quia vastavit Dominus pascua eorum. 37. Et conticuerunt arva pacis a facie iræ furoris Domini. 38. Dereliquit quasi leo umbraculum suum, quia facta est terra eorum in desolationem a facie iræ columbæ, et a facie iræ furoris Domini.

Vers. 3. 3. TERTIO DECIMO ANNO JOSIÆ. — Illo enim cœpit prophetare Jeremias; inde ad hunc annum quartum Joakim fluxerant jam 23 anni (1).

LOCUTUS SUM AD VOS DE NOCTE CONSURGENS. — Pro *de nocte*, Hebræus, Chaldæus et Septuaginta habent « mane, » seu « diluculo, » *q. d.* Tempestive, sum-

(1) Nam 31 annis regnavit Josias (IV *Reg.* XXII, 1). Sub hoc vaticinatus est Jeremias 18 vel 19 annos (nam anno ejus decimo tertio vaticinari cœpit, supra I, 1); his adde tres menses Joachasi (IV *Reg.* XXIII, 31), et quatuor annos Joakimi, fiunt ipsi 23 anni, per quos nullo labore et se et socios suos abstinuisse, ait Jeremias, ut ad meliorem frugem populum reduceret. (Rosenmuller.)

ma cura, diligentia et sollicitudine, quovis tempore, etiam si opus esset noctu, non destiti vos quasi bonus pastor monere et urgere.

Vers. 6. 6. IN OPERIBUS MANUUM VESTRARUM, — in idolis : hæc enim sunt opera quæ fecistis, et conflastis manibus vestris.

9. ECCE EGO MITTAM, ET ASSUMAM UNIVERSAS COGNATIONES AQUILONIS. — « Cognationes, » id est tribus et populos, habitantes ad aquilonem respectu Judææ, puta Chaldæos, eorumque vicinos et subditos. Populi enim vicini invicem cognati sunt; descendunt enim ab eodem patriarcha, aut ab ejus fratre, qui in divisione gentium in Babel, vicinam fratri regionem elegit et incoluit. Perinde ac etiamnum vicinæ gentes facile connubia et cognationes contrahunt. Porro in τῷ *mittam* Dionysius intelligit angelos malos; S. Hieronymus angelos bonos, qui suscitent aquilonares Chaldæos ad excidium impiæ Judææ. Verum simplicius hæc jungas, *q. d.* Mittam cognationes aquilonis, easque assumam mihi in milites, ut vindictam meam in Judæos peragant.

NABUCHODONOSOR SERVUM MEUM. — Vocat eum « servum, » id est lictorem et exsecutorem justæ suæ vindictæ. Perperam ergo hinc infert Calvinus, Deum esse auctorem operum malorum, v. g. tyrannidis : sic enim peccati esset auctor. Serviunt ergo Deo tyranni, omnesque malæ voluntates : quia eorum tyrannide et malitia (quam non Deus, sed ipsi ponunt) jam posita et prævisa Deus utitur, eamque ordinat ad justam aliorum impiorum castigationem, uti docent S. Augustinus, S. Thomas et passim Theologi.

Omnes malæ voluntates serviunt Deo.

Moraliter disce hic nos tradi tyrannis et malis regibus ac Prælatis ob nostra peccata. Hoc est enim quod ait Job, cap. XXXIV, 30 : « Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. » Et Isaias, cap. III, vers. 4 : « Et dabo pueros principes eorum; et effeminati dominabuntur eis. » Audi duo illustria exempla quæ refert Anastasius Nicenus in *Quæst. S. Script.* Quæst. XV :

Tradimur tyrannis ob peccata.

Exempla.

« Cum Phocas, inquit, Imperator per Bonosum lictorem eas faceret sanguinis effusiones, quidam monachus sanctus Deo in oratione dixit : Domine, cur eum fecisti Imperatorem? atque vox ad eum venit a Deo, dicens : Quoniam non inveni pejorem. Fuit etiam quædam civitas in Thebaide scelerata, in qua vir quidam perniciosissimus simulate factus est monachus. Accidit ergo ut decederet Episcopus civitatis : cuidam autem viro apparuit angelus dicens : Fac ut civitas Episcopum eligat eum peregrinum, qui illic habitat. Abiens ergo fecit quod jussus fuerat. Illo autem jam ob episcopatum intumescente, angelus dixit ei : Cur superbis, et magnifice tibi places, o infelix? revera non tanquam dignus sacerdotio factus es Episcopus, sed quia hæc civitas tali digna erat Episcopo. »

PONAM EOS, etc., IN SOLITUDINES SEMPITERNAS, — id est diuturnas, scilicet per septuaginta annos captivitatis Babylonicæ. Sic sæpe in Scriptura æternum per hyperbolen significat longum tempus, esto finitum, aut potius finiendum. Vers. 10.

10. PERDAMQUE, etc., VOCEM MOLÆ, — strepitum molæ et molentium. Solebant enim in Judæa (uti etiamnum in Africa, et alibi ubi deest aqua et ventus) esse molæ domesticæ, quas puellæ binæ manibus vertebant, interimque cantillabant, ut tædium et laborem levarent; hinc ait Christus *Matth.* cap. XXIV, 41 : « Erunt duæ molentes in mola : una assumetur, et una relinquetur. » Vox ergo *molæ*, est hic puellarum molentium cantus, *q. d.* Non erunt qui vel quæ molant frumenta, et inter molendum cantitent, uti antea solebant.

ET LUMEN LUCERNÆ. — Lucernarum usus erat in conviviis, nuptiis et festis : item in officinis magnarum urbium ad operandum aut vendendum suas merces vespere, *q. d.* Auferam omne gaudium conviviorum, nuptiarum, festorum, operarum et mercium a Jerusalem, eamque evertam.

Probabiliter Sanchez hæc omnia refert ad nuptialem plausum et lætitiam : illam enim hic assumi quasi typum et exemplar ingentis gaudii. In nuptiis ergo erant hæc quatuor. *Primo*, vox et cantus sponsi et sponsæ, quasi epithalamium, ut patet ex *Cantic. Secundo*, erant lucernæ, id est faces et tædæ, quæ sponsis, eorumque asseclis (noctu enim celebrabantur nuptiæ) præluceret. *Tertio*, erat vox gaudii et lætitiæ, puta vox musicorum, et ore, et testudine, violis, aliisque instrumentis miro concentu concinentium. *Quarto*, erat vox molæ, id est cantus puellarum molentium, et ex farina molita placentas, allaque dulciaria pro nuptiali cœna parantium et coquentium. Sic apud Gentiles in nuptiis omnes et omnia personabant Hymenæo plausu. Omnes enim novis sponsis felicia apprecantes inclamabant et ingeminabant : « Veni, o Hymen, veni, o Hymenæe! »

Prior tamen sensus planior et generalior est; unde *Apoc.* XVIII, 22, ubi hæc in excidio Babylonis citantur et iterantur, additur : « Et omnis artifex omnis artis non invenietur in te amplius. »

11. ET SERVIENT OMNES GENTES ISTÆ REGI BABYLONIS SEPTUAGINTA ANNIS, — id est usque ad annum septuagesimum captivitatis Babylonicæ : quædam enim gentes 50, aliæ 60, aliæ, ut Judæi (de quibus proprie hic agitur) 70 annis servierunt Chaldæis : de quo plura cap. XXVII, vers. 7, et cap. XXIX, 10. Simile est *Exodi* XII, 40, ubi Hebræi dicuntur habitasse in Ægypto 430 annis, non quod omnibus illis annis ibi habitarint; sed quod ibi habitarint usque ad annum 430, computandum scilicet a vocatione et egressu Abrahæ ex Chaldæa in terram Chanaan, *Genes.* XII, 1. Simile quoque est *Judith* cap. XVI, 28, ubi Judith dicitur mansisse in domo viri sui annos 105, id est usque ad annum ætatis suæ 105; nec enim post mortem viri mansit annos 105, sic enim ipsa vixisset 130 annis. Adde τὸ *omnes* hic non esse in Hebræo (1). Vers. 11

(1) De ratione computandi hosce annos et hebræi et

Vers. 13. 13. QUÆCUMQUE PROPHETAVIT JEREMIAS ADVERSUM OMNES GENTES, — *q. d.* Omnia gentium excidia reflectam et convertam in ipsam Babylonem, ut qua mensura mensa est ipsa aliis gentibus, easque vastavit, eadem remetiatur ei.

14. QUIA SERVIERUNT EIS, — scilicet Chaldæis, quos nominavit vers. 12, *q. d.* Quia Chaldæi superbe sibi servire fecerunt Judæos, et alias gentes, ac reges multos et potentes; hinc juste eos puniam, ut et ipsi Chaldæi serviant aliis, scilicet Persis, sicque reddam eis talionem (1).

Aliter explicat S. Hieronymus, *q. d.* Gentes et reges vicinos evertam, quia servierunt Chaldæis pugnando contra Judæos, aut, ut Sanchez, quia

christiani Interpretes vehementer inter se dissentiunt. Varias illorum sententias recensuit et dijudicavit Joannes a Behm in *Dissert. de termino a quo et ad quem septuaginta annorum Babylonicæ captivitatis vel servitutis ad Jerem.* XXV, 12, XXIX, 10, Regiomont. 1633, repetita in *Thesauro theolog. philolog.* novo, a Skenio et Hasæo edito, tom. I, pag. 954 et seqq. Behmius optionem dat lectoribus, utrum duarum harum sententiarum eligere velint, num eam quæ annos servitutis incipit a primo Nabuchodonosoris in Syriam adventu, anno Joakimi quarto, finitque in anno 21 Cyri Persici regni, quo Babylonem cepit (quæ prior sententia a plerisque et melioribus interpretibus, ut notat Michaelis, alias probatur); an vero alteram, quæ initium annorum captivitatis facit spontaneam Jechoniæ deditionem ejusque in Babyloniam deportationem, finem annum 28 Cyri Persici regni. Alias computandi rationes protulit Des Vignoles, *Chronologie de l'Histoire sainte*, tom. I, pag. 536 et seqq.; tom. II, pag. 580 et seqq.; J. G. Bankius, in *Novo System. chronolog. fundamental.*, pag. 67, § 94, de epocha captivitatis Babylonicæ et septuaginta annorum, quorum *Jerem.* XXV, 12, XXIX, 10, mentio fit, hunc in modum disserit: « Ad constituendam hanc epocham notandum est, duplex esse captivitatis, et duplex quoque septuaginta annorum initium. » Aliud enim initium captivitatis a propheta Jeremia, aliud ab Ezechiele statuitur. Ille enim a quarto anno Joakimi, cap. XXV, 1, hic autem a Jechoniæ captivitate computat, *Ezech.* cap. I, vers. 2; XXIV, vers. 1, cujus priores octo anni magis servitutis, quam captivitatis vocandi sunt. Pari modo septuaginta anni non ab eodem termino numerantur. Jeremias eos quarto anno regis Joakimi (XXV, 1) 3585 periodi Jobelei, quo captivitas seu potius servitus Babylonica incœpit; Zacharias autem, cap. VIII, 5, ab excidio templi, anno 3684 periodi Jobelei, numerat hic tantummodo ad primam captivitatem, qua servitus sub rege Babyloniæ et septem anni a Jeremia prædicti incipiunt, respicimus, cujus epochæ annus est periodi Jobeli 3585; id quod etiam ad primum annum regni Cyri 3655, quo captivitas, teste Esdra, I, 1, soluta est, apprime quadrat. Illis enim ab his subtractis, remanent septuaginta anni.

His diversis explanationibus relatis, Rosenmuller statuendum censet, Jeremiam pro longioris temporis indefinito spatio posuisse definitum annorum numerum, ad chronologicas rationes haudquaquam exigendum, quem. admodum et veteris et novi Testamenti scriptores pro multitudine indeterminata sæpe speciem numeri certam usurpare solent; quomodo potissimum *septenario* numero, uti solent, inquit, exempla collegit Glassius *Philol. Sacr.* pag. 1258. Minus definite quod hic et versu proximo habetur, exprimitur infra cap. XXVII, 7: *Servient* populi *ei* regi Babyloniæ, *ejusque filio et nepotis donec ejus quoque terræ tempus veniat.*

Porro hæc computandi ratio non potest admitti, inquit d'Allioli, nam cum liberationis tempus reipsa, elapsis septuaginta annis, evenit, inde sequitur Prophetam non indefiniti temporis spatium, sed apprime determinatum præ oculis habuisse, quantum hoc conciliari potest cum illo computandi modo quo utuntur Prophetæ.

(1) Cur id crimini illis datur? Nonne coacti cessere, cum resistere Chaldæis non possent? Tametsi vero sponte se subjecerint, nonne illis per Jeremiam imperaverat Deus, ut colla submitterent, extremis calamitatibus obruendi, nisi obtemperarent? « Gens autem et regnum, quod non servierit Nabuchodonosor regi Babylonis..... in gladio, et in fame, et in peste visitabo super gentem illam. »

Ut vaticinii hujus sensum probe assequamur, tempora sedulo distinguenda sunt. Gentes Judæis finitimæ, ineunte regnum Sedecia, legatos ad Sedeciam misere, postulatum, ut initis una consiliis armisque, Nabuchodonosori occurrerent, ejusque victoriarum impetum coercerent. Monuit tunc illos Dei nomine Jeremias, ut colla Nabuchodonosori subderent, pœnas mox recitatas minitatus. At minime territi fœdus una inivere, invito Deo, mutuam sibi opem polliciti. Aliquot post annos, cum Nabuchodonosor de Sedeciæ fide dubitaret, illumque secreto fœdere cum Ægyptiis junctum esse intelligeret, ingenti cum exercitu in Judæam veniens Hierosolymam aggressus est. Statim vero Idumæi, Ammonitæ, Moabitæ vires cum illo junxere in Sedeciam, spretis promissionibus ac fide, quibus sese erga Sedeciam obstrinxerant.

Hanc illis perfidiam exprobrat hic Jeremias: Nabuchodonosori, quanquam validissimo, et gentibus innumeris stipato, serviistis, vel arma cum Nabuchodonosore junxistis, in Judæ perniciem, cum illius impetum coercere possetis, quippe gentes opibus et numero florentissimæ, modo vires una conjungere placeret.

Certissime novimus ex Scriptura Idumæos ad Nabuchodonosoris copias accessisse: id æque certum de Ammonitis et Moabitis est. Arguit Ezechiel Tyrios et Sidonios, quod Hierosolymæ expugnatione et excidio gavisi fuerint. Denique Ægyptii non nihil moverunt, ut suppetias ad Sedeciam afferrent. Innuere videtur Ezechiel, XXX, 21, aliquam cum Ægyptiis pugnam, qua inferior Ægyptius fuit: « Brachium Pharaonis..... confregi: et ecce non est obvolutum ut restitueretur ei sanitas. »

Recentiores interpretes Hebræum aliter reddunt: *Quoniam* Chaldæi *ad servitutem adegerunt* populos regesque plurimos, *illos etiam* subjicient servituti *gentes multæ et reges magni.* Ad verbum: *Quoniam usi sunt illis, ita ipsis gentes multæ et reges magni.* Quanquam demonstrare non possumus, gentes a Chaldæis superatas, præsertim eas hic recensitas, Ægyptios, Phœnices, Idumæos, Moabitas, Ammonitas ulla ætate imperium in Chaldæos exercuisse, id certe a prophetis omnibus prædici fatendum est. Scribit Isaias fore ut reges Hierosolymæ serviant, eamque restituant, gentes vero alienæ coram illa procumbant, ac pedum illius pulverem lambant. Alibi ait futurum, ut Israelitæ sibi eos subjiciant, quibus ipsi olim obnoxii fuere, sævisque dominis imperent: « Erunt capientes eos qui se ceperant, et subjicient exactores suos. » Everso Chaldæorum imperio, hi hostibus suis summo in contemptu fuerunt; quamobrem Jeremiæ oraculum satis explicatur. Si versionem Vulgatæ servare placeat, quacum conveniunt Aquila et Theodotion, conciliari cum Hebræo potest, si vertatur: *Quoniam etiam gentes numero florentes, et reges locupletissimi servierunt inter eos*, vel, sub eis. Sive: Quia hæ gentes, quanquam florentissimæ, et reges opulentissimi *servierunt cum eis*, sub eis in eorum exercitu. (Calmetus, *S Script. Curs. Compl.*

subegerunt et servire sibi fecerunt populum Dei, puta Judæos.

Tertio, Chaldæus et Vatablus sic vertunt, *servierunt*, id est servient, scilicet Chaldæi, *eis*, scilicet gentibus quæ sunt multæ, et habent reges magnos, scilicet Medis et Persis.

Vers. 15. Calix est justa mensura vindictæ Dei.

15. SUME CALICEM. — Notant Hugo et S. Thomas Jeremiæ in visione ostensum et oblatum fuisse a Deo calicem vini, qui significabat justam mensuram vindictæ et suppliciorum, quibus Deus per Chaldæos quasi vino inebriaturus erat impios Judæos et gentes, ut pene ad insaniam vi doloris adigerentur; hunc vicissim ipsismet Chaldæis similiter per visionem propinat, id est prædicit et comminatur, Jeremias. Ita Theodoretus, Hugo, S. Thomas et alii. Idque quia ipsi quasi ebrii vino erroris et scelerum, impegerunt et collapsi sunt in hanc irati Dei manum. Sic calix sumitur *Psalm.* LXXIV, 9 : « Calix in manu Domini vini meri plenus mixto. Et inclinavit ex hoc in hoc : verumtamen fæx ejus non est exinanita. » Et *Isaiæ* LI, 17 : « Usque ad fundum calicis soporis bibisti, et potasti usque ad fæces; » unde calicem hunc mox Jeremias vocat *gladium*, cum subdit : « Insanient a facie gladii. » Alludit ad symposiarcham, sive modimperatorem, qui convivii præfectus erat, et cuique suum calicem admetiebatur et temperabat : talis enim modimperator in mundo est Deus, de quo plura alibi. Addit Sanchez calicem hunc esse eum qui damnatis ad mortem dabatur, ut fortius eam ferrent; ideoque significare mortem.

Unde ?

Hinc *secundo*, Sanchez censet hæc non per visionem, sed reipsa peracta esse a Jeremia, ideoque eum, instar Habacuc, *Daniel.* XIV, ab Angelo traductum esse per provincias hasce omnes cum calice divini furoris pleno; aut potius eum iis, qui ex singulis hisce gentibus Hierosolymam ventitabant, præsertim in festo Paschæ, Pentecostes, aut Tabernaculorum, calicem hunc propinavisse, ut eum in suas singuli sedes remigrarent, docerent cives suos, quid ad nationes illas in mandatis a Deo habuerit Jeremias. Hæc sententia probabilis est; prior tamen uti communior, ita facilior est et planior. Difficile enim est concipere, quomodo tot tamque remotæ gentes Hierosolymam uno eodemque tempore confluxerint. Deinde, quia id quod sequitur : « Et bibent, et turbabuntur, et insanient a facie gladii, » plane significat hæc omnia non reipsa, sed symbolice esse peracta. Nec enim reipsa gentes biberunt calicem a Jeremia acceptum, moxque turbatæ sunt, et insanierunt a facie gladii; nec enim calix est gladius, aut gladium parit. Calix ergo hic, uti et ejus haustus, sive potatio, imaginarius fuit, non realis; videbatur enim Jeremias sibi videre, quod calicem acciperet a Deo, eumque Dei jussu propinaret Gentibus : cumque illæ eum recusarent, invitas coegit eum bibere et haurire; eo hausto mox turbatæ sunt, et quasi ebrii cœperunt stringere gladios contra sese invicem, seque mutuo pugnis et præliis conficere. Quod nihil aliud fuit, quam justo Dei judicio et vindicta exortas esse inter eos lites et rixas, quæ in mutuas cædes eruperunt. Secus est de catenis, cap. XXVII, 2; has enim reipsa misit Jeremias ad gentes, uti ibi patebit (1).

Vers. 18.

18. JERUSALEM. — A Jerusalem plaga Dei incipit, tum quia illa cognoscens et colens Deum, plus cæteris gentibus peccavit; tum quia cæteris statuitur in exemplum, ut ex ea suam quisque plagam metiatur, similemque exspectet. Hoc est quod ait Deus, vers. 29 : « Quia ecce in civitate, in qua invocatum est nomen meum, ego incipiam affligere, et vos quasi innocentes et immunes eritis? » Hinc huc alludens S. Petrus, *epist.* I, cap. IV. vers. 17, ait : « Tempus est ut incipiat judicium a domo Dei. »

UT DAREM (id est prædicerem et prophetarem dandos fore) EOS IN SOLITUDINEM, etc. — Sic cap. I, vers. 10, audivit a Deo : « Ecce constitui te hodie super gentes, et super regna, ut evellas, et destruas, » etc., id est, ut prædicas et prophetes eas evellendas et destruendas.

SICUT EST DIES ISTA, — sicut erit, sicut mox demonstrabit dies excidii imminens. Ita Lyranus et Maldonatus. *Secundo*, S. Hieronymus, Rabanus, Hugo et Vatablus censent hæc verba addita esse, quando post excidium urbis Jeremias suas prophetias, olim editas, in unum volumen redegit. Verum idipsum fecisse videtur Jeremias hoc anno quarto Joakim, non autem capta urbe. Respondeo ergo, « sicut est, » id est sicut jam esse incipit dies ista vastitatis; nam hoc anno quarto Joakim cum suis captus est; cœpit ergo hoc anno prophetia hæc impleri, perfecte vero impleta est anno ultimo Sedeciæ. Ita Theodoretus, Hugo, Vatablus et Sanchez.

Vers. 20.

20. UNIVERSIS GENERALITER. — Hebraice כל הערב *col haereb*, id est omnibus promiscue, vel omni mixtioni, id est Judæis et exteris, qui fugerant et miscuerant se Ægyptiis.

AUSITIDIS. — Hebræus, Chaldæus, Septuaginta, *terræ Hus*, quæ est regio Arabiæ et Idumææ, aut

(1) Volunt hoc aliqui in somnio aut in visione factum esse, inquit J. D. Michaelis, alii vero de solo vaticinio malorum imminentium intelligunt. Ego, ut jam pater meus sentiebat, putem, hoc critico anno, quo ad Circesium pugnatum est, legatos harum gentium omnium Hierosolymis fuisse, de communi Asiæ salute deliberantes; hosce legatos adiisse Prophetam, illisque nondum de significatione potu edoctis, vinum Dei nomine propinasse. Ita omnino sentiendum est ob vers. 28, ubi supponitur accidere posse, ut aliqui eorum poculum recusent. Vide simile quid infra cap. XXVII, 3. Cui sententiæ nedum astipuletur Rosenmuller, asseverat e contra meram hanc esse imaginem poeticam, seu parabolæ speciem, a propinatione in orbem in conviviis desumptam, qua Propheta sistitur ut symposiarcha, juxta Stuckii *Antiquit. convival.*, lib. III, cap. XIII; miraturque sententiam illam de legatis exterorum regum Hierosolymæ tunc congregatis, quos poculo adierit vates, placuisse Eichornio, *die Bibl. Propheten*, part. II, pag. 114.

certe ei confinis, ubi habitavit Job, cap. I, vers. 1. Nominat hic Propheta omnes regiones vastandas a Chaldæis.

ET RELIQUIIS AZOTI, — id est urbi Geth quæ vicina et confinis est Azoto. Ita S. Hieronymus. *Secundo*, alii, « reliquiis, » inquiunt, id est, iis qui reliqui erunt e clade Azoti facta per Sennacherib, *Isaiæ* XX, 1; vel per Pharaonem Nechao, cum cecidit Josiam, IV *Reg.* XXIII, 29.

Tertio et optime, a Castro censet *reliquias* hic vocari urbes et vicos Azoto vicinos et subjectos, uti Gazaram, I *Machab.* XIV, 34, Cheretæos et alios. Similis phrasis est cap. XLVII, vers. 5, et *Amos* I, 8.

Vers. 22. 22. ET CUNCTIS REGIBUS TYRI. — Unus erat rex Tyri, uti et Sidonis; hic tamen *reges* vocantur in plurali, quia ad posteros ejus hæc clades pertinuit. Duravit enim hæc Chaldæorum vastitas et dominatus per 70 annos, uti dicitur vers. 11 : « Tyrus et Sidon, ait S. Hieronymus, in Phœnices littore principes civitates, quæ et ipsæ Babylonio supervenientes superatæ sunt, quarum Carthago colonia. Unde et Pœni sermone corrupto quasi Phœni appellantur, quorum lingua Hebrææ linguæ magna ex parte confinis est. »

REGIBUS TERRÆ INSULARUM, QUI SUNT TRANS MARE, — id est regibus insularum, ad quas eunti necesse est mare transire; quia sitæ sunt in medio mari Mediterraneo, uti sunt Cyprus, Rhodus, et aliæ insulæ quas cepit Nabuchodonosor. Ita S. Hieronymus, Rabanus, Hugo et Vatablus. *Secundo*, insulæ et insulani in Scriptura vocantur quævis remotæ gentes; tales enim esse insulanos æstimabant Judæi, utpote navium et rei nauticæ inexperti. Ita Sanchez.

Vers. 23. 23. DEDAN, ET THEMA, ET BUZ. — Hæ gentes, ait S. Hieronymus, sunt in solitudine, vicinæ et mixtæ Saracenis sive Arabibus. Sunt hæ regiones Agarenorum, de quibus uti et de Ælam, cap. XLIX : « Et universis qui attonsi sunt in comam, » de quibus dixi cap. IX, in fine.

ZAMBRI ET ÆLAM. — Regiones sunt Persidis, aut solitudinis, id est Arabiæ Desertæ, inquit S. Hieronymus.

Vers. 26. 26. UNICUIQUE CONTRA FRATREM SUUM. — Supple, ait S. Hieronymus, dedi, et ex me tu, o Jeremia, propinabis et dabis hunc calicem, et meracam potionem iræ et vindictæ meæ, ut omnes furant, vomant, insaniant, ut scilicet unus contra alium pugnet, et mutuis inter se prœliis dimicent, seque invicem conficiant, quasi ebrii et insani. Alludit ad convivia, ubi in orbem bibitur, donec omnes inebrientur, *q. d.* Pari modo hic unus alteri porriget calicem iræ meæ, unus alterum invadet, vastabit, occidet.

Quæres, cur Deus has omnes gentes Judæis vicinas jussit excidi? Respondet *primo*, Theodoretus, quia Judæis fuerunt causa vel occasio idololatriæ, ad eamque illos vel suasu suo, vel exemplo pellexerunt. *Secundo*, Lyranus causam dat, u[illegible] earum clade Deus subtraheret Judæis spem ad eas recurrendi, earumque opem contra Chaldæos aliosque hostes implorandi. *Tertio*, S. Hieronymus, Rabanus, Hugo et Dionysius : Quia, inquiunt, hæ gentes in Judæorum clade et excidio gavisæ sunt, imo in eo Chaldæos adjuverunt : hanc enim causam dat in sequentibus Jeremias. *Quarto*, Sanchez : Quia, inquit, hæ gentes populum Dei vexarunt, illumque sibi servire coegerunt.

Hæ rationes partiales sunt certarum gentium, non universales omnium quæ hic nominantur. Reges enim Medorum, insularum, Tyri, Sidonis, etc., non fuerunt hostes, sed potius amici et confœderati Judæorum. *Quinto* ergo, generatim et adæquate causa excidii harum omnium gentium fuit, quod Deus impleta jam mensura peccatorum earumdem, more suo voluerit et decreverit eas punire et exscindere. Hoc est quod ait vers. 30 : « Dominus de excelso rugiet, » quasi judicium universale orbis peragens : « Celeuma quasi calcantium concinetur adversus omnes habitatores terræ. Quia judicium Domino cum gentibus; judicatur ipse cum omni carne, impios tradidi gladio, dicit Dominus. » Hac de causa voluit Deus transferre monarchiam Assyriorum, eamque tradere Chaldæis. Ut enim Chaldæi se facerent monarchas omnesque gentes sibi subderent, necessum erat ut eas bello appeterent et protererent. Sic postea cum rursum impleta esset mensura peccatorum orbis, puta post duo sæcula, suscitavit Græcos et Alexandrum, et post hos Romanos, ac deinde Gothos, Wandalos, Alanos, Turcas, etc., qui vindictam universalem peragerent, orbemque quasi purgarent et expiarent. Fuerunt ergo ipsi quasi lustratores orbis : unde a Jeremia vocantur milites et sacerdotes Dei, ab Isaia virga Dei, sicut Attila dicebat se esse flagellum Dei.

REX SESACH BIBET POST EOS. — « Rex Sesach » non est rex Ægypti, uti censuit Lyranus, ex eo quod Sesach fuerit proprium nomen alicujus regis Ægypti, ut patet III *Reg.* XIV, 25, et II *Paral.* cap. XII, vers. 2; nam id huic loco non congruit. Pharao enim quem vicit Nabuchodonosor, non « Sesach, » sed Vafres est dictus. Non etiam est *rex Æthiopiæ*, ut vertit Arabicus Antiochenus : nemo enim alius ita vertit. « Rex ergo Sesach » est rex Babylonis, ut patet cap. LI, vers. 41, qui ultimus bibit calicem iræ Dei. Ita S. Hieronymus, Chaldæus, Theodoretus, Rabanus, Hugo, S. Thomas, Vatablus. « Sesach » ergo est Babylon, idque ex eo quod Sesach erat vel urbs potentissima Babylonis, vel dea Babylonis; et potius, ut S. Hieronymus et Hebræi, ex eo quod Sesach idem est quod Babel per alphabetariam revolutionem, quam Hebræi *athas* vocant, qua ultimas litteras cum primis retrogrado ordine commutant, scilicet in *Babel* *beth*, secundam initialem alphabeti commutant cum *schin*, secunda finali; et *caph*, undecimam initialem, commutant cum *lamed*, undecima [illegible]i. (Ridet hoc Scaliger, lib. VI *Emend. temp.*,

Sesach est Babel per alphabetariam commutationem

aitque *athasch* esse commentum ineptissimorum Rabbinorum; Sesach ergo esse nomen deæ. Verum S. Hieronymo et priscis Rabbinis, quos sequitur S. Hieronymus, magis credendum est quam uni moderno Scaligero.) Idque facit Jeremias : quia, ut ait S. Hieronymus, occulte hæc et obscure loqui volebat, ob metum Chaldæorum jam dominantium, ne, si aperte Babylonem nominasset, dixissetque eam vastandam esse, eorum jam Judææ imminentium magis contra eam, æque ac contra se concitaret insaniam. Verum satis aperte Propheta, vers. 12 et aliis, prophetat excidium Babylonis. Potius ergo cum a Castro dixerim, regem Sesach hic vocari regem Babylonis per anagrammatismum jam dictum, ex eo quod hic rex post omnes alios erat puniendus. Illi ergo quasi postremo puniendo, postremas alphabeti litteras eleganter adaptat. *Secundo*, id facit, ut hac confusione litterarum significet confusionem rerum futuram in Babylone. *Tertio*, Hebræum *sesach*, id est *byssus tua*, significat regem bysso et purpura splendidum, his exuendum esse, et ad infima dejiciendum. Unde Syrus et Arabicus Alexandrinus vertunt, *rex maximus*. Rursum S. Hieronymus, in *Nomin. Hebr.*, ex Jeremia : « Sesach, inquit, est byssus saxeus, sive manus sacci, » corrige, « Sesach est byssus sacceus, sive mavis sacci. » *Sac* enim Hebraice est *saccus* non *saxum*; imo, τὸ *sac* ab Hebræis in omnes pene linguas transiit, æque ac *keren*, id est cornu. Hoc etymon huic loco apte congruit, *q. d.* O Babylon! voco te Sesac, id est byssum sacci, sive byssum et saccum : quia tua byssus et purpura regalis commutabitur in saccum lugubrem et servilem, quando te Cyrus capiet et vastabit. Denique *Sesach* verti potest, *senarius tuus*. *Ses* enim hebraice sunt *sex*. Unde *sosan* et *susanna* vocatur lilium, a sex foliis. Ita Pagninus, *q. d.* Appropinquat, o Babylon! Sesach, id est senarius tuus, hoc est finis tuus, ruina tua et exitium. Senarius enim symbolum est consummationis et finis rei; quia sex diebus primis mundi Deus consummavit et finivit opus creationis universi, et sex diebus decurrit ad finem tota hebdomada, ac consequenter omnia tempora; ac sexto annorum millenario finiente finietur et mundi cursus, uti passim Patres asserunt. Unde et Christus feria sexta, horaque sexta crucifigi morique voluit. Insuper alludit ad *Susa* regiam Persarum, *q. d.* Sesach transibit in Susa, id est, finis imperii Babylonis transibit in initium monarchiæ Persarum, qui imperabunt in Susa. Susa enim dicta est non a Suso fluvio, uti aliqui volunt, sed ab Hebræo, Chaldæo et Persico *susan*, id est *lilium*; quod eo loci liliorum ingens sit copia. Ita Athenæus, lib. II; Stephanus, lib. *De Urbibus*, et alii. Hinc et oleum Susinum confectum ex liliis, de quo Plinius, lib. XIII, cap. I, qui et lib. VI, cap. XXVII, tradit Susa urbem conditam fuisse a Dario, filio Hystaspis. Ibi fuit regia Cyri lapide candido et vario, columnis aureis, et lacunaribus gemmisque distincta, cœli continens simulacrum, stellis micantibus insignitum, et incredibilia multa. Ibi Assuerus convivium maximis divitiis et deliciis copiosum celebravit, *Esther.* I. Ad hæc Sesach, id est byssus tua, transibit in Susa, id est in lilium, puta Babylonii in Persidem et Persas : Babylonii enim opulenti erant et splendidi bysso *Ezech.* XXIII, 6. Persarum insigne erat lilium, uti modo est Francorum.

Idque ob tres causas. Prima. Secunda. Tertia.

Simili modo Julius Cæsar, cum quid secreti scribere vellet, litteras commutabat, primam scilicet pro quarta supponendo : unde pro A scribebat D, quæ quarta est ab A. Et Augustus pro A scribebat B, pro B scribebat C, et ita consequenter : testis est Suetonius et Isidorus, lib. I *Etymol.* cap. XV.

Porro anagrammatismum hunc Græcos et Latinos mutuatos esse ab Hebræis docent veteres et moderni. Isaacius Tzetzes in *Prol. ad Lycophr.*, refert Lycophronem poetam vetustum et elegantem litteras hebraicas percalluisse, et inde anagrammatismos suos fecisse, ideoque eum Ptolemæo Philadelpho non tam ob poesin, quam ob hosce anagrammatismos charum fuisse, a quo ille dicebatur per anagramma :

Πτολεμαῖος Ptolemæus,
Ἀπὸ μέλιτος A melle, melleus.

Plato in *Cratylo* : Ἥρα, inquit, id est Juno, idem est quod ἀὴρ aer, per anagramma : aerem enim nomine Junonis, Gentiles ut deam venerati sunt. Eustathius in Homero, *Iliad.* α, vers. 55, anagrammata hæc celebrat, multaque dat exempla, e quibus accipe pauca. Ἀτλάς Atlas, τάλας miser, θῦμος animus, μῦθος verbum, ὄχλος turba, λόχος cohors; ἀρετὴ virtus, ἐρατὴ amabilis, φλύαρος nugæ, φλαῦρος vilis. Sic Latinus poeta ludit per anagramma in voce *Roma*, quasi sit *mora* :

Cur varios tamdiu remoratur Roma clientes
Forte quod inverso nomine Roma mora est.

Melius alter per perfectum *atbas* : *Roma*, inquit, est *amor*; unde versus totus anagrammaticus, totusque *atbas* :

Roma tibi subito motibus ibit amor.

Ut patebit, si quis retrograde eum legat. Denique artificium hoc anagrammatum ab Hebræis ad Græcos et Latinos transmissum fuisse docet Guillelmus Blanchus Albiensis, lib. *De Anagrammat.*

27. INEBRIAMINI. — Ebrietas ista significat mentis ex metu et miseriis perculsæ perturbationem, stuporem, consilii inopiam, desperationem, et pene amentiam; in qua omnia sua bona omnemque felicitatem, honorem et gaudium, imo sanguinem, animam et vitam erant evomituri. Unde calicem hunc et ebrietatem mox vocat *gladium*, dicens : « Neque surgatis a facie gladii; » quia sicut ebrius sui impos ruit et cadit in terram, sic et vos, sæviente gladio Chaldæorum, ruetis in interitum et mortem perpetuam.

Vers. 27. Ebrietas suppliciorum quæ?

30. DOMINUS DE EXCELSO RUGIET, — *q. d.* Sicut leo rugitu suo omnes terret, ita Deus quasi rugiet excidii sententiam ferens et exsequens contra Jerusalem, facietque Chaldæos quasi leones rugire et vociferari, ac invicem animare ad eam invadendam, sicque terrebit omnes gentes vicinas. Nota : Per *decorem* intelligit vel Jerusalem, ut Chaldæus, vel templum, ut passim alii interpretes exponunt : quia ibi vera fide, religione, sacrisque victimis colebatur, et quasi decorabatur Deus.

Celeuma est jubilus nautarum, militum, etc.

CELEUMA — proprie est clamor, non lugubris, ut vult S. Hieronymus, sed lætus, scilicet jubilus nautarum et militum ad remigandum et prælliandum, et in Scriptura calcantium uvas ad mustum exprimendum, communi omnium annisu et voce invicem se adhortantium, cum scilicet uno aliquid jubente omnes uniformiter respondent, quasi invicem jubentes et excitantes ad commune omnium opus : dicitur enim *celeuma* ἀπὸ τοῦ κελεύω, id est jubeo, *q. d.* Nabuchodonosor et Chaldæi quasi communi celeumate se in vicem adhortabuntur ad cladem, conculcationem et eversionem Judæorum, ut eos trucident et sanguinem exprimant, instar eorum qui calcant et exprimunt uvas in torculari. Hi enim, collecta vindemia, solent tripudiare et canticis testari lætitiam. Unde Virgilius :

Jam canit extremos effœtus vinitor antes.

OMNES HABITATORES TERRÆ, — scilicet Judææ, vel illius quæ hic vastanda a Deo decernitur. Ita Vatablus.

Vers. 31. 31. PERVENIT (perveniet tunc ad omnes gentes) SONITUS; — Chaldæus, *tumultus;* Septuaginta, *interitus*; alii, *strepitus armorum* et clangor tubarum; alii, *fama et rumor belli*, ut scilicet omnes gentes rumorem, pariter et clamorem hostium Chaldæorum audiant et sentiant.

Locus hic allegorice competit apte extremo judicio, quando Christus angelos mittet cum tuba per totum orbem. Ita S. Hieronymus.

JUDICATUR (disceptat, et judicium subit Deus) CUM OMNI CARNE, — id est cum omni homine, scilicet sistens se judicio omnium hominum, ut omnes homines examinantes peccata gentium et pœnam a Deo inflictam, judicent Deum juste tantam eis pœnam inflixisse ob tanta peccata. De hoc judicio Dei vide Isaiam, cap. I, 18, et cap. XLIII, 44.

Vers. 32. 32. TURBO MAGNUS EGREDIETUR. — Hoc factum est, ait S. Hieronymus, cum Nabuchodonosor omnes in circuitu gentes et summa, id est extrema terræ, quasi turbo subito et potenter suis armis involvit et vastavit.

Vers. 33. 33. ET ERUNT INTERFECTI DOMINI, — a Domino per Chaldæos.

IN STERQUILINIUM. — Supple, insepulti projicientur, ibique jacebunt, ut a canibus et feris devorentur.

Vers. 34. 34. ULULATE, PASTORES. — Chaldæus : *Ululate, reges* et principes.

ET DISSIPATIONES VESTRÆ, — suppie et repete, *completæ sunt, q. d.* Nunc plane dissipabimini, et cadetis quasi vasa pretiosa, quæ cadendo diffringuntur, dissiliunt et dissipantur. Ego enim vos hactenus, quasi vasa pretiosa, manu mea continui et conservavi; nunc vero sinam vos cadere, frangi et dissipari, ut, sicut fuistis vasa in honorem, sic nunc sitis vasa in contumeliam.

35. PERIBIT FUGA A PASTORIBUS (non poterunt fugere PASTORES), — id est principes et optimates. Vers. 35.

36. VOX CLAMORIS — audietur. Vers. 36.

37. CONTICUERUNT (quasi mœsta et desolata jacent et tacent, ac nullos dant fructus) ARVA PACIS, — id est antea pacifica, atque in pace cultissima, amœnissima et uberrima, quasi Tempe, et paradisi deliciarum (1). Vers. 37.

38. DERELIQUIT, — scilicet Deus, templum habitaculum suum, quod, ut leo quasi latibulum suum, ante tuebatur, ut nemo auderet illud aggredi; sed Deo quasi illud derelinquente et egresso, Chaldæi ingressi sunt illud, atque vastarunt. Ita S. Hieronymus, Rabanus, Hugo, Lyranus. Aliter Vatablus : Sicut leo, inquit, esuriens, nec habens prædam, latibulum egreditur : ita Deus prædam, sive escam, id est sancta sacrificia, et pietatem ac justitiam, non reperiens in templo, illud deseruit. Aliter quoque alii, *q. d.* Sicut leo deserit speluncam suam, cum sylva, ubi est, succenditur ac vastatur : ita Deus, vastata Judæa, deseret Jerusalem et templum, in quo habitat. Huic sensui apte respondet id quod sequitur : « Quia facta est terra in desolationem. » Sed juxta primum sensum τὸ *quia*, more hebræo non causam, sed signum concomitans, aut etiam effectum significat. Hic enim vocatur causa, non a priori, sed quasi a posteriori quoad nos, quæ scilicet nos eam scire et cognoscere facit, *q. d.* Ex eo quod terra desolata est, scimus et cognoscimus clare, quod Deus eam dereliquerit. Porro Sanchez per leonem accipit non Deum, sed reges et principes vastandos a Chaldæis, *q. d.* Principum, qui videbantur esse terribiles quasi leones, regna et regiones sic incendent et populabuntur Chaldæi, ut nullus eis sit reliquus ad effugium locus. Sed sic potius dixisset, « dereliquerunt, » non « dereliquit. »

Vers. 38. A FACIE IRÆ COLUMBÆ. — Lyranus nimis credulus R. Salomoni, pro columba vertit, *vinositatem*, q. d. *A vino furoris Domini.* Sic et Chaldæus, *a facie gladii inimici, qui inebriat sicut vinum;* sed hebraice est יונה *iona*, non יין *iain*, id est *vinum.*

Secundo, Pagninus et Vatablus vertunt, *a facie iræ oppressoris.* Sed tum יוֹנָה *ione* dicendum esset, non יוֹנָה *iona.* Septuaginta non verba, sed sensum reddunt, vertuntque, *a facie gladii magni.*

Noster ergo et alii optime propriissimeque vertunt, *a facie iræ columbæ*, hebraice הַיּוֹנָה *haiona*, id

(1) Quod sic etiam intelligi potest : Non amplius balatu gregum resonabunt pascua; sed lugubri silentio vastitatem omnimodam fatebuntur. (J. D. Michaelis.)

est illius columbæ, scilicet insignis et celebratæ.

Quæres, quænam est hæc columba? Respondent S. Hieronymus et D. Thomas, posse accipi Jerusalem, *q. d.* Terra Judaica coram Jerusalem vastata est, ideoque irata est, et infremuit ipsa Jerusalem, utpote metropolis. Sed τὸ *a facie iræ* significat iram activam et vastantem, non passivam, et vastitatem patientem.

Secundo, Maldonatus censet Deum vocari *columbam*, eo quod sit mansuetissimus, et tamen multitudine peccatorum irritatus sit, et provocatus ad vindictam. Verum Jeremias hic distinguit iram columbæ, ab ira furoris Domini; ait enim : « A facie iræ columbæ, et a facie iræ furoris Domini. »

Columba vocatur exercitus Chaldæorum, quia columbam gestabant in vexillis.

Tertio et genuine, idem S. Hieronymus, S. Thomas, Pierius, Guevara, Capilla, Castrius, Maldonatus et alii per columbam accipiunt Nabuchodonosorem et Chaldæos; idque *primo*, ob celeritatem et perennem constantemque volatum ad prædam et cædem : columba enim

Radit iter liquidum, celeres neque commovet alas.

Secundo, ut Hugo et S. Thomas, per antiphrasin columba hic significat feritatem Chaldæorum. *Tertio*, quia Deus eos e Babylone, quasi e columbario, emisit ad quærendum cibum in Judæam, quasi in alienam segetem. Addit Sanchez leonem fuisse insigne et stemma Judæ et Judæorum, *Genes.* XLIX, 9, et de eo hic dici vers. 38 : « Dereliquit quasi leo umbraculum suum; » huic opponit columbam (ut quasi duellet cum leone), quæ erat insigne Chaldæorum, *q. d.* Dimicabunt et duellabunt leo et columba, puta Judæi et Chaldæi; at columba vincet et proteret leonem, puta Chaldæi proterent Judæos; fugiet ergo leo, derelinquet terram a facie iræ columbæ, cujus impetum sustinere non poterit; quia nimirum in columba et per columbam pugnabit Dominus, Dominique furor. Unde subdit : « Et a facie iræ furoris Domini. » Unde vers. 9, Deus Nabuchodonosorem vocavit servum suum. *Quarto*, quia columbas albas uti Persæ ob lepræ odium detestabantur, ita Babylonii et Syri easdem pro numine colebant; testis est Xenophon in Cyro Juniore, et Lucianus in dea Syria. Syri dico, maxime illi qui Palæstinam incolebant; unde Tibullus :

Babylonii et Syri albas columbas colebant quasi numina.

Quid referam ut volitet crebras intacta per urbes
Alba Palæstino sancta columba Syro?

Multis id probat Antonius Guevara in *Habacuc* I, num. 154, itaque explicat illud *Psalm.* LXVII, 14 : « Si dormiatis inter medios cleros, » id est inter sortes et terminos hostium vestrorum Philistinorum, eritis « sicut pennæ columbæ deargentatæ, » id est eritis candidi, intacti et illæsi, instar columbæ albæ, cujus « posteriora » sunt « in pallore auri, » id est aureis maculis sunt variegata, *q. d.* Esto cingamini Palæstinis hostibus, iis tamen timori et religioni eritis, non secus atque alba columba, quam nemo eorum audet tangere.

Hinc etiam Spiritus Sanctus, præter alias causas, in baptismo Christi specie columbæ in Palæstina descendit; quia hæc species ibi erat augustissima. Sed unde hoc? Græci putant eos coluisse columbam in honorem Rheæ, quæ pluviis præsidet : ῥέω enim est fluo. Putabant enim Assyrii, ex aere et aqua proprie rerum naturam constare; hinc pro aqua pisces, verbi gratia Dagon; pro aere, ex quo pluvia descendit, columbam aeream coluisse creduntur.

Spiritus Sanctus quasi columba descendit in Christum, cur?

Planius Diodorus Siculus et alii putant eos coluisse columbam, in honorem Semiramidis reginæ Assyriorum; aut potius eos Semiramidem coluisse sub effigie columbæ, eo quod, ut scribit Guidius, fama esset eam a columbis enutritam (et inde dicta est Semiramis, quæ vox syriace avem significat), et post mortem in columbam esse conversam. Fictum hoc videtur vel assentationis causa, vel, ut notat Pierius, ob ejus libidinem, quæ tanta fuit, ut filii concubitum expetierit, qua de causa ab eo occisa est. Columba enim ita libidinosa est, ut singulis mensibus pariat. Hinc veteres Veneri dicabant columbas albas, quas proinde Æneas apud Poetam maternas appellat aves. Hinc ergo Babylonii in vexillis et labaris columbam præferebant, et inde exercitus eorum dicitur columba, tum hic, tum cap. XLVI, vers. 13, juncto cum vers. 16, et cap. L, vers. 15, 16. De columba plura habet Pierius, *hieroglyph.* 22, et Guevara supra.

Semiramidem coluerunt in columba, cur?

Sic a facie aquilæ, idem est quod a facie Cyri, qui sibi præferri jussit insigne aquilæ, quod postea imitati sunt alii reges Persarum. Sic et aquila sola in aciem Romanorum inducta est a C. Mario, ait Plinius, lib. X, cap. IV; nam antea Romani in vexillis lupi, minotauri, equi et apri imagines mixtim præferebant. Sic Constantinus in labaro signum crucis castris prætulit, teste S. Ambrosio, *epist.* 29. Hinc patet hanc sententiam de columbæ insigni in vexillis Chaldæorum tot auctoribus veteribus et modernis subnixam, non carere fundamento, uti autumant nonnulli.

C. Marius aquilam in vexilla Romana induxit.

Mystice S. Gregorius, lib. XXXII *Moral.* cap. VI : Columba, inquit, est Deus, quia simplex est, æquabilis, mansuetus, immutabilis, et cum irascitur, punitque Judæos per Chaldæos, ira non perturbatur. Et D. Thomas : Deus, ait, qui per patientiam hactenus fuit columba, jam erit leo ob vehementiam vindictæ; unde Maldonatus et aliqui alii per columbam hic ad litteram intelligunt Deum. Quæ expositio non est improbabilis.

Mystice columba est Deus.

ET A FACIE IRÆ FURORIS (id est iræ furibundæ, et actu furentis, id est sævientis) DOMINI. — Copula *et* significat, *id est*, *q. d.* « A facie iræ columbæ, id est a facie iræ furoris Domini; » quia furor columbæ est furor Domini. Aut, *q. d.* « A facie iræ columbæ, aut potius a facie iræ furoris Domini. » Nec enim columba mitis tantas volvit iras in pectore; Dei ergo furor volens punire scelera Judæorum, has iras columbæ, id est Chaldæis indidit. Ita Sanchez,

CAPUT VIGESIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jeremias, quia in templo prophetat ejus excidium, capitur, et mortis reus agitur; sed ab Ahicam eripitur (1).

1. In principio regni Joakim filii Josiæ regis Juda, factum est verbum istud a Domino, dicens: 2. Hæc dicit Dominus: Sta in atrio domus Domini, et loqueris ad omnes civitates Juda, de quibus veniunt ut adorent in domo Domini, universos sermones, quos ego mandavi tibi ut loquaris ad eos: noli subtrahere verbum, 3. si forte audiant et convertantur unusquisque a via sua mala: et pœniteat me mali, quod cogito facere eis propter malitiam studiorum eorum. 4. Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus: Si non audieritis me, ut ambuletis in lege mea, quam dedi vobis, 5. ut audiatis sermones servorum meorum prophetarum, quos ego misi ad vos de nocte consurgens, et dirigens, et non audistis: 6. Dabo domum istam sicut Silo, et urbem hanc dabo in maledictionem cunctis gentibus terræ. 7. Et audierunt sacerdotes, et prophetæ, et omnis populus, Jeremiam loquentem verba hæc in domo Domini. 8. Cumque complesset Jeremias, loquens omnia quæ præceperat ei Dominus ut loqueretur ad universum populum, apprehenderunt eum sacerdotes, et prophetæ, et omnis populus, dicens: Morte moriatur. 9. Quare prophetavit in nomine Domini, dicens: Sicut Silo erit domus hæc: et urbs ista desolabitur, eo quod non sit habitator? Et congregatus est omnis populus adversus Jeremiam in domo Domini. 10. Et audierunt principes Juda verba hæc: et ascenderunt de domo regis in domum Domini, et sederunt in introitu portæ domus Domini novæ. 11. Et locuti sunt sacerdotes et prophetæ ad principes, et ad omnem populum, dicentes: Judicium mortis est viro huic; quia prophetavit adversus civitatem istam, sicut audistis auribus vestris. 12. Et ait Jeremias ad omnes principes, et ad universum populum, dicens: Dominus misit me, ut prophetarem ad domum istam, et ad civitatem hanc, omnia verba quæ audistis. 13. Nunc ergo bonas facite vias vestras, et studia vestra, et audite vocem Domini Dei vestri: et pœnitebit Dominum mali, quod locutus est adversum vos. 14. Ego autem ecce in manibus vestris sum: facite mihi quod bonum et rectum est in oculis vestris. 15. Verumtamen scitote et cognoscite, quod si occideritis me, sanguinem innocentem tradetis contra vosmetipsos, et contra civitatem istam, et habitatores ejus: in veritate enim misit me Dominus ad vos, ut loquerer in auribus vestris omnia verba hæc. 16. Et dixerunt principes, et omnis populus, ad sacerdotes, et ad prophetas: Non est viro huic judicium mortis: quia in nomine Domini Dei nostri locutus est ad nos. 17. Surrexerunt ergo viri de senioribus terræ: et dixerunt ad

(1) Hæc prophetia superior est priore (cap. XXV), licet sub eodem rege sit facta. Illa enim facta est in anno quarto Joakimi, filii Josiæ regis Judæ, hæc autem in principio ejusdem regis. Non tamen integram quam tunc habuit Jeremias, concionem nos hic legere, sed summam ejus tantum, quæ supra cap. VII, VIII, IX, plena habetur, observat Rosenmuller, qui et addit reliqua hujus capitis a vers. 20 aliquanto post tempore adjuncta esse, rem ipsam docere.

Distinguenda est, PRIMO, *occasio facti*, seu legatio Prophetæ, *primo*, imposita a Deo, ascripta temporis epocha, 1; *secundo*, complens mandatum, quid et quo fine sit Prophetæ agendum, 2, 3; quid et sub qua comminatione sit dicendum, 4-6; *tertio*, executione per Prophetam data, 7; *quarto*, inique a sacerdotibus, et popularibus manus in Prophetam injicientibus, et mortem machinantibus, accepta, 8, 9.

SECUNDO, *progressio facti*, seu actio judicialis, *primo* sacerdotibus et pseudoprophetis captum Jeremiam ad principes deferentibus, et ad mortem postulantibus, 10, 11; *secundo*, Propheta causam suam perorante, narratione rei data, et adjunctis tum promissionibus, tum comminationibus, 12-15; *tertio*, principibus et populo æquitatem defensionis agnoscentibus, 16; *quarto*, senioribus etiam quibusdam hanc sententiam facto Ezechiæ confirmantibus, 17-19; *quinto*, aliis autem facto Joakimi opposito, contra excipientibus, 20-23 (de quo facto vide *Annot.* ad vers. 20).

omnem cœtum populi, loquentes : 18. Michæas de Morasthi fuit propheta in diebus Ezechiæ regis Juda, et ait ad omnem populum Juda, dicens : Hæc dicit Dominus exercituum : Sion quasi ager arabitur : et Jerusalem in acervum lapidum erit : et mons domus in excelsa sylvarum. 19. Numquid morte condemnavit eum Ezechias rex Juda, et omnis Juda? numquid non timuerunt Dominum, et deprecati sunt faciem Domini : et pœnituit Dominum mali, quod locutus fuerat adversum eos? Itaque nos facimus malum grande contra animas nostras. 20. Fuit quoque vir prophetans in nomine Domini, Urias filius Semei de Cariathiarim : et prophetavit adversus civitatem istam, et adversus terram hanc, juxta omnia verba Jeremiæ. 21. Et audivit rex Joakim, et omnes potentes, et principes ejus, verba hæc : et quæsivit rex interficere eum. Et audivit Urias, et timuit, fugitque et ingressus est Ægyptum. 22. Et misit rex Joakim viros in Ægyptum, Elnathan filium Achobor, et viros cum eo in Ægyptum. 23. Et eduxerunt Uriam de Ægypto : et adduxerunt eum ad regem Joakim, et percussit eum gladio : et projecit cadaver ejus in sepulcris vulgi ignobilis. 24. Igitur manus Ahicam filii Saphan fuit cum Jeremia, ut non traderetur in manus populi, et interficerent eum.

Vers. 2. 2. AD OMNES CIVITATES, — ad viros omnium civitatum Juda, qui veniunt Jerusalem ad templum, ut ibi Deum adorent et colant.

Vers. 3. 3. ET POENITEAT ME MALI, — ut revocem sententiam de malo, et vindicta eis irroganda latam : vide cap. XVIII, vers. 8.

Vers. 5. 5. DE NOCTE CONSURGENS, — tempestive et vigilanter, quasi qui nocte consurgit. Est catachresis: vide dicta cap. XXV, vers. 3 et 4.

Vers. 6. 6. DABO DOMUM ISTAM SICUT SILO, — evertam templum sicut everti Silo, ubi prius erat arca, de quo dixi cap. VII, vers. 12.

Vers. 8. Jeremias typus Christi a Judæis accusati quod esset destructor templi. 8. APPREHENDERUNT EUM (Jeremiam) SACERDOTES ET PROPHETÆ. — *Prophetas* vocat Scribas et legis doctores. Ita Chaldæus et Vatablus. Fuit hic Jeremias typus Christi, qui pariter a Scribis accusatus est, quasi destructor templi ejusdem, ait Theodoretus atque similiter clamarunt Judæi contra Christum : « Sanguis ejus super nos, » uti hic Jeremias eis intentat, vers. 15.

Vers. 9. 9. QUARE PROPHETAVIT IN NOMINE DOMINI? — quare finxit Jeremias se prophetare in nomine Domini? cur suis figmentis et somniis prætexit nomen et oraculum Domini?

EO QUOD NON SIT (id est, ita ut non sit) HABITATOR.

Vers. 10. 10. PORTÆ, etc., NOVÆ. — Chaldæus, *portæ orientalis*, quæ nove a Joathan fuerat ædificata, IV *Reg.* XV, 35. Habuit hæc porta alia nomina septem, quæ recenset a Castro. Ibi, ait S. Hieronymus, exercebantur judicia, ac proinde ibi acta est hæc causa Jeremiæ.

Vers. 11. 11. JUDICIUM MORTIS EST VIRO HUIC, — *q. d.* Jeremias reus est mortis, et in judicio a judicibus morti adjudicandus est, quasi blasphemus et pseudopropheta, quia prophetat excidium sancti templi et urbis.

Vers. 12. Quinque virtutes Jeremiæ martyri 12. DOMINUS MISIT ME. — Nota prudentiam Jeremiæ, confessori et martyri imitandam, ut dicat se Dei fidem et legem sequi; *secundo*, charitatem, cum hortatur ad pœnitentiam, ut per eam excidium evadant; *tertio*, humilitatem, cum ait : « In manibus vestris sum; » *quarto*, fortitudinem et libertatem, cum ait Deum ulturum suam necem; *quinto*, securitatem bonæ conscientiæ, qua nixus Deo non timet mortem. Imitandæ.

AD DOMUM, — de domo Dei, sive templo

AD CIVITATEM, — de civitate; sic enim sæpe capitur hebræum אֶל *el*, id est *ad*, pro *de*.

Vers. 14. S. Martini coram latrone securitas et libertas. 14. FACITE (inquit) MIHI QUOD BONUM EST IN OCULIS VESTRIS. — Ita S. Martinus, teste Sulpitio, rogatus a latrone an non timeret, constanter respondit : « Nunquam fui tam securus, quia scio misericordiam Domini in tentationibus affore; magis vero tibi condoleo, qui Christi misericordia, utpote latrocinia exercens, es indignus. » Pari modo Jeremias.

Vers. 15. 15. SI OCCIDERITIS ME (inquit) SANGUINEM INNOCENTEM TRADETIS CONTRA VOSMETIPSOS, — id est in vestram perniciem. Sanguis enim meus contra vos et contra Jerusalem clamabit, ultionemque reposcet a Deo, ut sanguis Abel contra Cain.

Vers. 16. 16. NON EST VIRO HUIC JUDICIUM MORTIS, — non est reus mortis.

Vers. 18. 18. MICHÆAS. — Vide *Michææ* cap. III, 12.

SION (id est Jerusalem vastata et desolata) QUASI AGER ARABITUR (id est ita desolabitur, ut fiat arabilis, ut arari possit), ET MONS DOMUS (Domini, puta mons Moria in quo erat templum, erit) IN EXCELSA SILVARUM, — ita deseretur, ut silvescat, et dumetis arboribusque repleatur instar sylvæ. Arias Montanus, et ex eo Castrius, censent in τῷ *arabitur*, alludi ad veterum ritum, qui dum urbem a se expugnatam funditus evertere vellent, in illa ducebant aratrum, de quo Horatius, lib. I, *ode* 18 :

Imprimeretque muris
Hostile aratrum exercitus insolens.

Et Isidorus, lib. XV, cap. I, ait : « Urbs aratro conditur, aratro vertitur. » Verum Hebræi urbes hostiles non arabant, sed sale seminabant, cum eas funditus delere vellent, ut patet *Judic.* IX, 45. Prior

ergo sensus est simplicior et verior. Sic Ovidius, epist. 1 *Heroid.* canit :

Jam seges est, ubi Troja fuit, resecandaque falce
Luxuriat Phrygio sanguine pinguis humus.

Vers. 20. 20. FUIT QUOQUE URIAS, — *q. d.* Si occidamus Jeremiam, faciemus scelus simile illi, quo nuper a Joakim rege cæsus est Urias verus Dei propheta, ob quod rex et proceres omnium odium et invidiam incurrerunt. Ita Theodoretus, Hugo, S. Thomas, Lyranus et Sanchez. Sed hi coguntur nonnulla supplere, et textui conjectando addere. Unde *secundo*, simplicius Vatablus, Lyranus, Dionysius, Prado et a Castro censent post seniorum sententiam dictam pro causa Jeremiæ, hic oppositum dici suffragium; quare hæc sacerdotum illorum sunt verba, qui Jeremiam accusarunt : unde exemplum hoc, exemplo Michææ a senioribus allato contrarium, afferunt; scilicet Uriæ prophetæ punitionem et cædem a Joakim jam tum regnante patratam, ut probent Jeremiam pariter esse occidendum. Videtur enim hic esse quasi consultatio, ubi varii varias dicunt sententias, quisque suam; unde dissidium hoc tandem solvit Ahicam, liberando Jeremiam (1).

(1) Eorum quæ inde ab hoc versu de Uria propheta a Joakimo rege necato leguntur, quænam sit ad reliquam historiam ratio, ut Cornelius notat, non una est Interpretum sententia, aliis hominum qui Jeremiam defenderent, verba esse, statuentibus; aliis existimantibus ab adversantibus hæc esse prolata ut exemplo, ex Ezechiæ tempore petito, opponerent alias recentius Joakimi, qui Uriam non passus sit impunem elabi, ita præter Interpretes a Cornelio citatos, sentiunt Jarchi et Stændlin in *den Neuen Beytragen*, pag. 386. Aliter sentit Rosenmuller. Nam ut taceamus, inquit, non esse credibile, verba adversariorum ita adferri, ut lectores ne verbulo quidem moneantur, loqui jam alios, quam qui antea locuti erant (ut supra vers. 10, 11), illi sententiæ hoc potissimum obstat, ut vere observat Schnurrerus, quæ cum Uria propheta gesta fuit res, et ipsa quidem regnante Joakimo accidit, sed exitus certe rei in primordia regni, cecidisse nequaquam potest. « Nam et discessus hominis in Ægyptum, uti forte non nihil temporis delitesceret antequam comprehenderetur, et retracti ex fuga Hierosolymam profectio non poterat non efficere, ut supplicium Uriæ haud minimo intervallo abesset ab aditu Joakimi ad regiam potestatem. Consequitur, tum cum reus ageretur, Jeremias, commemorari nondum potuisse supplicium Uriæ, quod necdum evenisset. Inserta vero est historia omnis reliquæ narrationi postea demum, cum ea qua nunc utimur, libri editio perficeretur vel a Jeremia ipso, vel ab alio non nemine. Et consilium eventu vix dubium videri possit : eo vero spectabat, ut intelligerent lectores, in magno vitæ periculo versatum fuisse Prophetam, quod summa rerum tunc esset penes regem, qui brevi post in simili causa profugum adeo ex Ægypto retraxerit ad supplicium, et Achikami maxime auctoritate nunc effectum fuisse ut impunis dimitteretur Jeremias. » Hæc Schnurrerus, quod ante ipsum Grotius ad vers. 20 notavit.

21. ET AUDIVIT REX JOAKIM, — anno primo regni sui, sub ejus initium; nam hæc contigerunt anno eodem primo Joakim, ut patet vers. 1, cum jam cæsus esset Urias. Vers. 21.

22. ET MISIT REX JOAKIM VIROS IN ÆGYPTUM, — qui cum consensu Pharaonis (cujus amicus atque tributarius erat Joakim) ex Ægypto reducerent Uriam in Judæam, ut morte mulctaretur; sine consensu Pharaonis enim nemo ausus fuisset vim Uriæ in Ægypto afferre, eumque cogere ad reditum. Vers. 22.

23. IN SEPULCRIS VULGI. — Nota : Viri insignes et Prophetæ propria habebant sepulcra, cum titulis cuique debitis; sed pauperes et peregrini in communi agro, in valle Cedron ad hoc coempto, sepeliebantur in polyandrio, sive publico ossario, IV *Reg.* XXIII, 6. Sic Urias ad ignominiam inter pauperes vulgumque sepultus est. Vers. 23. Sepulcra nobilium erant propria; vulgi, communia.

Mirum quid, et pene incredibile, de Uriæ hujus filio narrat Epistola nuper in Bibliotheca Sardiniæ reperta S. Athanasii Episcopi Cæsaraugustani, qui a S. Jacobo Apostolo in Hispaniis conversus fuit ad Christum; et Vita Beati Petri primi Braccarensis Episcopi (qui pariter discipulus fuit S. Jacobi), quam scripsit Caledonius, qui Braccarensem Ecclesiam quasi Episcopus rexit anno Domini 260, uti refert Hugo Portugalensis, anno Domini 1100, in Epistola quam recitat Franciscus Bivarius in *Comment. ad Chronicon L. Dextri*, anno Christi 37, num. 7. Nimirum Uriam hunc genuisse filium Prophetam, qui Samuel junior, vel Malachias senior, ob morum gravitatem et vultus pulchritudinem sit appellatus, ac post vastatam a Nabuchodonosore Hierosolymam, ab eodem cum aliis aliarum tribuum Judæis missus sit in Hispaniam, ibique vixerit viginti annos, ac deinde obierit. Hunc enim asserit post annos 627, quibus in sepulcro mortuus delituit, fuisse resuscitatum ad vitam a S. Jacobo Apostolo, cum is Hispaniam adiit, atque ab eodem fidei Christianæ mysteriis instructum, Petrumque nuncupatum, missum Braccaram, ubi Ecclesiam Braccarensem fundavit, et Apostolico spiritu instituit, ac tandem gloriosum obiit martyrium. Fides sit penes auctores jam citatos.

24. MANUS AHICAM, — patrocinium et auxilium Ahicam (qui magnus fuit apud Josiam, IV *Reg.* XXII, 12), liberavit Jeremiam, quasi fratrem injuste morti addictum; unde hebraice *Ahicam* significat *frater resurgentis*. Vers. 24. *Ahicam* id est frater resurgentis, liberat Jeremiam.

CAPUT VIGESIMUM SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jeremias vinculorum et catenarum ostento, et missione ad gentes et reges vicinos, prædicit et jubet regi Edom, Moab, Tyri, Sidonis, et Sedeciæ regi Juda, ut se dedant Nabuchodonosori, si se et sua salva esse velint : Deum enim decrevisse omnes hasce regiones tradere potestati Chaldæorum. Quocirca particulares prophetiæ contra hosce reges et gentes, quæ ponuntur cap. XLVIII *et cap.* XLIX, *hoc tempore a Jeremia editæ, et ad reges hosce transmissæ videntur, ut patet cap.* XLIX, *vers.* 34. *Inde vers.* 9, *monet ne credant falsis prophetis pacem et prospera promittentibus, sed sciant vasa reliqua in templo, domo regia, totaque urbe a Chaldæis in Babylonem esse transferenda* (1).

1. In principio regni Joakim filii Josiæ regis Juda, factum est verbum istud ad Jeremiam a Domino, dicens : 2. Hæc dicit Dominus ad me : Fac tibi vincula, et catenas : et pones eas in collo tuo. 3. Et mittes eas ad regem Edom, et ad regem Moab, et ad regem filiorum Ammon, et ad regem Tyri, et ad regem Sidonis; in manu nuntiorum, qui venerunt Jerusalem ad Sedeciam regem Juda. 4. Et præcipies eis ut ad dominos suos loquantur : Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel : Hæc dicetis ad dominos vestros : 5. Ego feci terram, et homines et jumenta, quæ sunt super faciem terræ, in fortitudine mea magna, et in brachio meo extento : et dedi eam ei, qui placuit in oculis meis. 6. Et nunc itaque ego dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosor regis Babylonis servi mei : insuper et bestias agri dedi ei ut serviant illi. 7. Et servient ei omnes gentes, et filio ejus, et filio filii ejus : donec veniat tempus terræ ejus et ipsius : et servient ei gentes multæ, et reges magni. 8. Gens autem et regnum, quod non servierit Nabuchodonosor regi Babylonis, et quicumque non curvaverit collum suum sub jugo regis Babylonis : in gladio, et in fame, et in peste visitabo super gentem illam, ait Dominus, donec consumam eos in manu ejus. 9. Vos ergo nolite audire prophetas vestros, et divinos, et somniatores, et augures, et maleficos, qui dicunt vobis : Non servietis regi Babylonis. 10. Quia mendacium prophetant vobis : ut longe vos faciant de terra vestra, et ejiciant vos, et pereatis. 11. Porro gens, quæ subjecerit cervicem suam sub jugo regis Babylonis, et servierit ei; dimittam eam in terra sua, dicit Dominus : et colet eam,

(1) Juxta primum hujus cap. versum, anno primo Joakimi, factum esset mandatum istud symbolicum ad Jeremiam, dum ex totius capitis tenore liquet, quæ hic narrantur sub Sedecia facta esse (vers, 3-12; XXVIII, 1). Quem nodum Interpretum plures ita solvi posse existimarunt, ut statuatur, vel quarto Joakimi anno Jeremiæ a Deo mandatum fuisse, quod sub Sedecia facienda et annuntianda ab ipso essent, vel istud mandatum aliquam exsecutionem sub ipso Joakimo accepisse, ut sentit Cornelius. Sed cum vix probabilis ratio videretur, cur diu antea mandatum illud Propheta a Deo acceperit, vel exsequi incœperit, in medio jacere hunc locum censuerunt criticorum plurimi, licet C. B. Michaelis admitti posse censeat hoc vaticinium, quod in prioribus Joakimi annis editum est, postmodum anno quarto Sedeciæ iteratum, auctius prodiisse. Sicut enim Jeremias vaticinia sua iterum describi curavit per Baruchum, et ea auxisse legitur cap. XXXVI, 32 : « et insuper additi sunt sermones multo plures, quam antea fuerant. »

Hæc igitur causa fuit hujus mandati a Deo Jeremiæ dati. Reverso a prima in Judæam suscepta expeditione Babyloniam Nabuchodonosore, Sedecias, Judææ rex ab illo constitutus, cum aliquot annos pacate regnasset, anno quarto sui regni etiam Nabuchodonosori per legatos denuo fidem et obsequium pollicitus esset (vid. infra LI, 59), haud longe tamen post, sollicitus a finitimis regibus et ab imprudentibus consiliariis, induci se passus est, ut a Babyloniæ rege deficeret (IV *Reg.* XXIV, 20, infra cap. LII, 3; *Ezech.* XVII, 15). E vers. 3 hujus capitis patet, reges illorum Hierosolymam legatos misisse, qui, ut credibile est, una cum Sedecia consilia agitarent, qua ratione Babyloniæ regi resistere, aut jugum ejus excutere, potentiamque infringere possent. Grata erant hæc consilia populo, qui nihil magis in votis habebat, et falsi prophetæ, qui ejus favorem captarunt, in errore isto confirmare eum annitebantur, fore dicentes, ut potentia Babyloniæ regis brevi infringeretur; cujus rei illustre exemplum exstat, infra cap. XXVIII, 2 seqq.

Sed Jeremias, a Deo edoctus eventura esse alia omnia, ac illi sibi blandiebantur prædicit hac concione. Et PRIMO, pro argumento datæ revelationis, *primo*, proponit mandatum divinum de faciendis, assumendis, et transmittendis ad vicinos reges et Sedeciam vinculis, 2, 3; *secundo*, exponit per nuntios vinculorum translatores, 4; creatricem Dei potentiam, et jus supremum in creata omnia, 5; decretum divinum de conferendo Nabuchodonosori et ejus posteritati imperio super eorum regna, 6, 7, constitutum gentibus huic decreto reluctaturis excidium, 8.

SECUNDO, sequitur monitum communicatæ revelationi adjectum, *primo, universim pro gentibus*, ne credant pseudoprophetis aliud suasuris, 9, 10; et ut submittant se huic imperio, certæ de sua prosperitate, 11; *secundo, singulariter pro Sedecia*, ut subjectionem præstet, alias periturus cum populo, 12, 13; et ne prophetis contradicturis, utpote mendacibus, nec a Deo missis, adhibeat fidem, 14, 15; *tertio, speciatim pro sacerdotibus et populo*, ut inde interdictum et mandatum observent, 16, 17; ne pseudoprophetarum promissioni de vasis sacris a Babylone referendis confidant, cum potius relicta adhuc Hierosolymæ sacra supellex omnis illuc sit transferenda, 18-22.

et habitabit in ea. 12. Et ad Sedeciam regem Juda locutus sum secundum omnia verba hæc, dicens: Subjicite colla vestra sub jugo regis Babylonis, et servite ei, et populo ejus, et vivetis. 13 Quare moriemini tu et populus tuus gladio, et fame, et peste, sicut locutus est Dominus ad gentem, quæ servire noluerit regi Babylonis? 14. Nolite audire verba prophetarum dicentium vobis : Non servietis regi Babylonis : quia mendacium ipsi loquuntur vobis. 15. Quia non misi eos, ait Dominus: et ipsi prophetant in nomine meo mendaciter: ut ejiciant vos, et pereatis tam vos, quam prophetæ, qui vaticinantur vobis. 16. Et ad sacerdotes, et ad populum istum locutus sum, dicens : Hæc dicit Dominus : Nolite audire verba prophetarum vestrorum, qui prophetant vobis dicentes : Ecce vasa Domini revertentur de Babylone nunc cito, mendacium enim prophetant vobis. 17. Nolite ergo audire eos, sed servite regi Babylonis, ut vivatis; quare datur hæc civitas in solitudinem? 18. Et si prophetæ sunt, et est verbum Domini in eis : occurrant Domino exercituum, ut non veniant vasa, quæ derelicta fuerant in domo Domini, et in domo regis Juda, et in Jerusalem, in Babylonem. 19. Quia hæc dicit Dominus exercituum ad columnas, et ad mare, et ad bases, et ad reliqua vasorum, quæ remanserunt in civitate hac: 20. quæ non tulit Nabuchodonosor rex Babylonis, cum transferret Jechoniam filium Joakim regem Juda de Jerusalem in Babylonem, et omnes optimates Juda et Jerusalem : 21. quia hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel ad vasa, quæ derelicta sunt in domo Domini, et in domo regis Juda et Jerusalem : 22. In Babylonem transferentur, et ibi erunt usque ad diem visitationis suæ, dicit Dominus, et afferri faciam ea, et restitui in loco isto.

Vers. 1. 1. IN PRINCIPIO REGNI JOAKIM. — S. Hieronymus, Rabanus, Hugo, Maldonatus et Sanchez referunt hunc primum vers. ad finem cap. præcedentis; nam quæ mox sequuntur, non sub Joakim, sed Sedecia contigisse patet vers. 3. Olim enim Scriptura non erat distincta per capita, sed postea per ea varie a variis divisa fuit, ut patet ex Œcumenio, Areta et Euthymio; vide Sixtum Senensem, lib. III, tit. *De partitione methodus quarta.* Verum Septuaginta editionis Complutensis, Chaldæus, Biblia Romana, et alii hinc ordiuntur cap. XXVII, hæcque cum eo recte cohærent, non autem cum fine capitis præcedentis.

Dico ergo, mox ut ab Ahicam a morte liberatus est Jeremias, sub initium regni Joakim, cum regnaret adhuc Nabuchodonosor senior (nam junior cœpit regnare anno tertio Joakim) jussisse Deum Jeremiæ, ut gestaret vincula, ut iis ad vivum repræsentaret vincula et captivitatem Judæorum; sicut Isaias, cap. XX, jussus est ambulare nudus, ut repræsentaret expilationem Judæorum. Deinde sub Sedecia jussus est Jeremias hæc vincula mit-

Gestavit Jeremias catenas per quindecim annos, ut iis portenderet captivitatem Judæorum.

tere ad reges vicinos, ut patet hic vers. 3. Gestavit ergo Jeremias hæc vincula vel continuo, vel per intervalla, per annos 15, scilicet ab anno 1 Joakim usque ad annum 4 Sedeciæ, ut patet cap. seq., vers. 1. Ita Hebræi, Lyranus, Vatablus et Castrius. Vide hic quomodo Deus suos Sanctos exerceat; fuit enim hæc Prophetæ longa æque ac molesta et probrosa pœnitentia ac mortificatio.

DICENS (Hebraice לאמור *lemor*, id est ad dicendum, ut scilicet verbum hoc a Deo acceptum annuntiarem aliis, eisque dicerem: Audite): HÆC DICIT DOMINUS AD ME, — ut vobis ea prædicem.

2. VINCULA, — scilicet funes, quibus jugum collo aut cornibus boum alligatur; hi enim hebraice vocantur מוסרות *moserot*. Ita Jeremias non tantum verbis, sed et rebus ipsis futura prænuntiat, gestans lora quasi bos ad aratrum; et catenas, quasi servus ad furcam damnatus.

ET CATENAS, — scilicet ligneas, quæ quasi compedes collum stringant, sicut jugum stringit collum bovis aut porci, ne sepes perrumpat; aut sicut servi olim gestabant furcas, quæ erant instar litteræ V, ait Varro; scilicet erant instar trianguli, qui duobus lignis constans, fune vel catena, aut tertio ligno clauditur. Id ita esse patet cap. seq., vers. 13; hebraice est מוט *mot*, id est, ut Chaldæus et Vatablus, juga, scilicet ut ipsa significent Nabuchodonosorem jugum servitutis omnibus, gentibus impositurum, eo quod ipsæ, præsertim Judæi, suave Dei jugum recusarint, imo excusserint, dixerintque : « Non serviam, » cap. II, vers. 20.

3. NUNTIORUM QUI VENERUNT. — Hugo, Lyranus, Vatablus et Maldonatus, putant hos nuntios missos esse a vicinis regibus, ut Sedeciæ novo regi de regno gratularentur, eumque ad rebellionem incitarent, utque, inito inter se fœdere, Chaldæis adventantibus resisterent, eorumque imperium excuterent, itaque liberarentur a tributo quod eis pendebant; quare Jeremias jussu Dei contrarium hic eis jubet et præcipit, ut scilicet Chaldæis se subdant.

5. ET DEDI EAM, — *q. d.* Idcirco dabo, vel dare soleo eam cui voluero.

6. ITAQUE DEDI OMNES TERRAS ISTAS IN MANU NABUCHODONOSOR. — « Dedi, » id est tradidi, non donavi, sicut res aliena traditur furi aut tyranno. Nec enim Deus hic jus et titulum dedit Nabuchodonosori invadendi Judæam aliaque regna, cum ob hanc tyrannidem postea eum punierit et everterit, uti dixi cap. XXV, vers. 12.

ET BESTIAS AGRI DEDI EI. — Per *bestias* intellige barbaras nationes. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Rabanus. *Secundo*, et potius proprie accipe bestias; quia, subjecta terra, homines et bestiæ sunt subjectæ. Ita S. Hieronymus, Rabanus, Hugo. Alludit ad Nabuchodonosorem, quasi leonem, cui omnes bestiæ se subdunt, *q. d.* Multo ergo magis vos, o homines, tali leoni vos subjicite, ni leonis ungues experiri velitis. Non enim vilitas, sed « dignitas est servum esse potentis, » ait S. Ambrosius in cap. I *epist. ad Timoth.*

Vers. 7. 7. ET SERVIENT EI OMNES GENTES, ET FILIO EJUS, ET FILIO FILII EJUS. — Hinc Hebræi, S. Hieronymus, Rabanus, S. Thomas, Lyranus et Vatablus, non quatuor aut quinque, uti faciunt Berosus, Josephus et alii; sed tres tantum numerant reges Babylonis, scilicet *primus* fuit Nabuchodonosor, qui regnavit ab anno 3 Joakim ad annum 37 post transmigrationem Joakim, per 45 annos, ut patet IV *Reg.* XXV, 27, collato cum *Daniel.* I, 1; *secundus* fuit Evilmerodach, Nabuchodonosoris filius, qui regnavit per annos 18, ut vult Josephus, vel 23, uti volunt Hebræi; *tertius* fuit Balsasar, filius Evilmerodach, qui regnavit annos tres, uti tradunt Hebræi in *Seder Olam*.

Tres reges Chaldæorum qui?

Respondent Hebræi: primus est Nabuchodonosor; secundus, Evilmerodach; tertius, Balsasar.

Verum alii aliter hos tres reges enumerant, nam Nabuchodonosorem hunc intelligunt seniorem, qui et Nabonassar vel Nabolassar est dictus, quique, teste Josepho, lib. X, cap. XI, ex Beroso, regnavit 21 annis : hæc enim dicta sunt Jeremiæ, initio regni Joakim; tunc autem adhuc regnabat hic *primus* Nabuchodonosor. Nam *secundus* Nabuchodonosor, prioris hujus filius cœpit regnare anno 3 Joakim. Hinc ergo senior Nabuchodonosor est pater; hujus filius est Nabuchodonosor junior, qui Magnus est dictus, quique evertit Jerusalem, et plurimas gentes, atque regnavit 45 annis; nepos sive filius filii, puta filius Nabuchodonosoris Magni, est Evilmerodach, qui et Balsasar est dictus. Nam Evilmerodach eumdem esse cum Balsasar, eumque esse filium Nabuchodonosoris Magni, non nepotem, colligitur ex *Baruch* I, 11. Vide dicta *Daniel.* V, 1.

Melius alii: primus est Nabuchodonosor senior; secundus, junior; tertius, Balsasar sive Evilmerodach.

Dices, II *Paralip.* cap. ult., vers. 20, dicitur : « Ut serviant Nabuchodonosori (scilicet Magno), et filiis ejus. »

Respondeo « filiis, » id est posteris, sive uni, sive pluribus; non enim vult eos enumerare, sed tantum dicere, quod omnibus ejus posteris servient Judæi.

Omnes gentes servierunt Nabuchodonosori septem annis, inchoate tantum et respective.

Nota : Tò *servient ei omnes gentes*, partim inchoate, partim respective accipiendum est. Inchoate, quia cœpit Nabuchodonosor senior vicinas gentes subigere; sed complete omnes, id est plurimas, subegit Nabuchodonosor Magnus, senioris filius : *servient* ergo, id est servire incipient; significatur enim actus inchoatus, non completus.

Respective, quia tò *servient* respicit partim patrem, partim filium, et filium filii; quædam enim gentes servierunt Nabuchodonosori seniori, quædam et plures servierunt Nabuchodonosori juniori sive Magno, et Balsasari.

DONEC VENIAT TEMPUS TERRÆ EJUS, — scilicet ultionis; Chaldæus, *interitus*, quando scilicet Cyrus terram Chaldæorum puniet et subiget. Ea enim subacta, nullæ gentes amplius servierunt Chaldæis, utpote jam subactis. Quin et Cyrus, uti Judæis, ita et cæteris gentibus in Babylone captivis, ea devicta, videtur libertatem ad sua redeundi dedisse. Hoc est enim quod promisit Jeremias, cap. XLIX, vers. 6 : « Post hæc reverti faciam captivos filios Ammon. » Idem de Moab ait cap. XLVIII, vers. 47, et de Ælam, cap. XLIX, vers. 39, et de Ægyptiis, cap. XLVI, vers. 26. Ita Sanchez, cap. XXV, vers. 11.

SERVIENT EI GENTES MULTÆ, ET REGES MAGNI. — Ita Hebræus, Chaldæus, Septuaginta, et hoc exigunt sequentia; unde mirum est Symmachum, S. Hieronymum in *Comment.*, et Vatablum vertere : *Et subjicient eam* (scilicet Babylonem) *servituti gentes multæ et reges magni*, scilicet Cyrus et Darius.

9. MALEFICOS, — Vatablus, *veneficos*, scilicet necromanticos, qui ex sanguine et victimis dæmoni immolatis divinant. Ita et Lyranus. *Vers. 9.*

10. UT, etc., EJICIANT, — ut causa sint, cur ego vos ejiciam de terra vestra : τὸ *ut* significat eventum et consecutionem, non causam, *q. d.* Dum vobis persuadent pseudoprophetæ ut resistatis Chaldæis, efficiunt ut illi vos captivos abducant; si enim vos eis dederetis, sinerent vos in terra vestra manere vectigales. Hæc vicinis regibus dicuntur, sequentia Sedeciæ et Judæis. *Vers. 10.*

16. VASA DOMINI, — vasa templi Domini, quæ in Babylonem cum Joakim transtulit Nabuchodonosor, anno 3 Joakim, IV *Reg.* XXIV, 13. *Vers. 16.*

17. QUARE DATUR? — cur dabitur, cur destruetur Jerusalem, cum facile servari possit, si vos Chaldæo dedatis? *Vers. 17.*

18. SI PROPHETÆ SUNT (veri), OCCURRANT, — scilicet precibus suis resistendo, et flectendo Dei iram ad misericordiam, ut non permittat vasa templi reliqua in Babylonem asportari, *q. d.* Adeo vasa a Chaldæis e templo Dei in Babylonem translata non reducentur, uti pseudoprophetæ falso vaticinantur, ut etiam quæ reliqua sunt in templo, ab eisdem in Babylonem sint transferenda, uti factum est per Nabuzardan, IV *Reg.* XXV, 13. *Vers. 18.*

19. AD COLUMNAS. — id est de columnis, mare æneo et basibus : hæc enim tria reliqua fuerunt quæ postea confregit, et cum Sedecia in Babylonem transtulit Nabuchodonosor, IV *Reg.* cap. XXV, vers. 13 et 16. *Vers. 19.*

21. AD VASA, — de vasis. Vide simile cap. XXVI, vers. 12. Sic alibi sæpe *ad* sumitur pro *de*, ut *Hebr.* I, 7, et IV, 13, et alibi. *Vers. 21.*

22. USQUE AD DIEM VISITATIONIS SUÆ, — id est liberationis suæ per Cyrum. *Vers. 22.*

CAPUT VIGESIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hananias pseudopropheta falso prophetat pacem Hierosolymæ : quocirca vers. 12, *tollit jugum et catenas de collo Jeremiæ, quibus ipse portendebat captivitatem Judæorum. Quamobrem Deus jubet Jeremiæ, ut pro catenis ligneis ferreas faciat, quibus durius jugum Judæis esse subeundum significet. Porro, vers.* 15, *Jeremias Hananiæ ex Deo mortem denuntiat, ac moritur ille eodem anno* (1).

1. Et factum est in anno illo, in principio regni Sedeciæ regis Juda, in anno quarto, in mense quinto, dixit ad me Hananias filius Azur propheta de Gabaon, in domo Domini coram sacerdotibus et omni populo, dicens : 2. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel : Contrivi jugum regis Babylonis. 3. Adhuc duo anni dierum, et ego referri faciam ad locum istum omnia vasa domus Domini, quæ tulit Nabuchodonosor rex Babylonis de loco isto, et transtulit ea in Babylonem. 4. Et Jechoniam filium Joakim regem Juda, et omnem transmigrationem Juda, qui ingressi sunt in Babylonem, ego convertam ad locum istum, ait Dominus : conteram enim jugum regis Babylonis. 5. Et dixit Jeremias propheta ad Hananiam prophetam in oculis sacerdotum, et in oculis omnis populi, qui stabat in domo Domini. 6. Et ait Jeremias propheta : Amen, sic faciat Dominus : suscitet Dominus verba tua, quæ prophetasti : ut referantur vasa in domum Domini, et omnis transmigratio de Babylone ad locum istum. 7. Verumtamen audi verbum hoc, quod ego loquor in auribus tuis, et in auribus universi populi : 8. Prophetæ, qui fuerunt ante me et ante te ab initio, et prophetaverunt super terras multas, et super regna magna de prælio, et de afflictione, et de fame. 9. Propheta, qui vaticinatus est pacem : cum venerit verbum ejus, scietur propheta, quem misit Dominus in veritate. 10. Et tulit Hananias propheta catenam de collo Jeremiæ prophetæ, et confregit eam. 11. Et ait Hananias in conspectu omnis populi, dicens : Hæc dicit Dominus : Sic confringam jugum Nabuchodonosor regis Babylonis post duos annos dierum de collo omnium gentium. 12. Et abiit Jeremias propheta in viam suam. Et factum est verbum Domini ad Jeremiam, postquam confregit Hananias propheta catenam de collo Jeremiæ prophetæ dicens : 13. Vade, et dices Hananiæ : Hæc dicit Dominus : Catenas ligneas contrivisti : et facies pro eis catenas ferreas. 14. Quia hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel : Jugum ferreum posui super collum cunctarum gentium istarum, ut serviant Nabuchodonosor regi Babyionis, et servient ei : insuper et bestias terræ dedi ei. 15. Et dixit Jeremias propheta ad Hananiam prophetam : Audi, Hanania : non misit te Dominus, et tu confidere fecisti populum istum in mendacio. 16. Idcirco hæc dicit Dominus : Ecce ego mittam te a facie terræ : hoc anno morieris : adversum enim Dominum locutus es. 17. Et mortuus est Hananias propheta in anno illo, mense septimo.

(1) Sequuntur duo sermones quasi polemici, unus controversia verbali cap. XXVIII, alter controversia epistolari constans cap. XXIX. Porro eodem quo quæ cap. superiore narrantur anno, et quæ capite XXVIII legimus dicta et facta esse, sed aliquanto serius, et dicit inscriptio vers. 1, et docet res ipsa.

Cum igitur Jeremias propterea quod superiore concione Judæis finitimisque populis infausta prædixerat, PRIMO, in contrarium asserit Hananias, *primo*, prædicens solutionem captivitatis, 2; *secundo*, definiens hujus eventus tempus proximum, 3; *tertio*, promittens reditum captivorum in patriam, 4.

SECUNDO, huic contradicit Jeremias, *primo*, cum voto prædicationi illudente, 5-7; *secundo*, effato, prophetas ab eventu discernendos docente, 8, 9.

TERTIO, instat Hananias, *primo*, symbolum prædictæ captivitatis catenam de Jeremiæ collo, tollendo et confringendo, 10; *secundo*, prædictionem superiorem repetendo, 11.

QUARTO, Jeremias a Deo remissus, nuntia a Deo nova et acerbiora accipit, 13, 14; et eadem ad Hananiam defert, 15, 16; quam prædictionem eventus, scilicet mors Hananiæ comprobavit, 17.

Vers. 1. 1. ET FACTUM EST IN ANNO ILLO IN PRINCIPIO REGNI SEDECIÆ (id est) IN ANNO QUARTO. — Dices : Si in principio regni, quomodo anno quarto? Respondent : Christophorus a Castro, Sanchez et alii, hæc verba : « Et factum est in anno illo, qui fuit in principio regni Sedeciæ regis Judæ, » pertinere ad caput præcedens : τὸ vero *in anno quarto*, pertinere ad sequentia, et inchoare hoc cap. XXVIII. Ab iis enim verbis hoc caput inchoant Septuaginta, S. Hieronymus, Theodoretus, Rabanus et S. Thomas.

Annus primus Sedeciæ fuit quartus hebdomadis sabbaticæ.

Secundo, Vatablus et Scaliger in *Emend. temp.*, respondent annum quartum hic intelligi, non regni, sed hebdomadis, השמיטה *hasscemita*, sive sabbati, id est quietis et cessationis terræ, juxta legem *Levit.* XXV, 4. Initium enim, sive annum primum regni Sedeciæ, fuisse annum quartum hebdomadis sabbaticæ, sive annorum sabbaticorum.

Hæc sententia planior et verior videtur. Addunt ipsi eam plane respondere chronologiæ. Annus enim decimus quintus, inquiunt, Ezechiæ fuit sabbaticus (licet id neget Torniellus), ut colligitur ex IV *Reg.* XVIII, 13, collato cum IV *Reg.* XIX, 29; ab illo enim anno 15 usque ad primum Sedeciæ, fluxerunt anni 116, qui, si dividantur per septem (septimus enim annus erat sabbaticus) invenies 16 annos sabbaticos, et insuper 4 annos, ita ut annus primus Sedeciæ fuerit annus quartus decimi septimi sabbatici currentis, et consequenter annus quartus Sedeciæ, fuerit annus sabbaticus decimus octavus. Solebant enim Judæi sua et suorum gesta, et annales consignare per annos sabbaticos et jubileos, uti Græci per Olympiades; esto Judæi sub hæc tempora avariores non dimitterent servos liberos, nec servarent ea quæ per legem hoc anno erant præscripta, ut patet cap. XXXIV (1).

Aliter respondent Lyranus et Maldonatus, scilicet annum quartum regni Sedeciæ vocari *principium* : quia non erat media pars temporis quo regnavit; regnavit enim undecim annis. Sed hoc est largum principium.

Vers. 2. 2. CONTRIVI, — statui conterere et destruere imperium Chaldæorum. Vide *Can.* XXIX; ita S. Thomas.

Vers. 3. 3. ADHUC DUO ANNI DIERUM, — postquam duo anni suis diebus dccurrent et complebuntur. Chaldæus, *in fine duorum annorum*. Sic in Scriptura sæpe dies sumuntur pro tempore : hoc enim metimur per dies, sive parvum sit, sive magnum.

6. SUSCITET DOMINUS VERBA TUA, — faciat ea esse vera, *q. d.* Ego idipsum opto, sed scio non futurum.

7. AUDI. — Putant Hugo et Vatablus Jeremiam initio dubitasse an Hananias esset verus Dei Propheta, ideoque hic præstolari ejus prophetiæ eventum. Melius S. Hieronymus, Theodoretus, Rabanus censent Jeremiam scivisse Hananiam esse pseudoprophetam, quia sciebat ante 70 annos captivitatem non esse solvendam : falsum ergo esse quod dicebat Hananias, post biennium esse solvendam. Sed propter populum qui ei credebat, jubet Jeremias ut exspectent et videant rei eventum.

8. PROPHETÆ, etc., PROPHETAVERUNT, etc., DE PRÆLIO, — *q. d.* Prophetæ qui adversa, ut bella, famem, etc., denuntiarunt, subinde denuntiarunt ea quæ non evenerunt, eo quod ad ipsorum denuntiationem populus egerit pœnitentiam moresque mutarit : tunc enim Deus, qui pronus est ad miserendum, pariter sententiam suam mutavit et revocavit : Prophetæ vero qui prospera, ut pacem, denuntiant, sicut tu facis, o Hanania, nisi idipsum eveniat, judicabuntur esse pseudoprophetæ. Licet enim possit Deus etiam hic mutare sententiam, si populus mores mutet, fiatque deterior : tamen id rarum est; quia Deus pronior est ad clementiam quam ad vindictam, et si ob peccata illam in hanc mutare velit, illud utique per prophetam pariter edicet et prænuntiabit. Ita Vatablus et Maldonatus. Eventus ergo contrarius, scilicet bellum et vastitas Hierosolymæ, docebunt quod tu, o Hanania, sis pseudopropheta, falsoque ei pacem promiseris. Verum hæc expositio multa supplet quæ non sunt in textu, neque satis solida videtur. Nam si homines mores mutent, Deus æque retractat sua promissa ac minas. Unde noster Interpres hic inter prophetiam lætam et tristem non distinguit. Ita enim fecit Heli, I *Reg.* II : « Loquens, inquit, locutus sum ut domus tua et domus patris tui ministrarent in conspectu meo in sempiternum; nunc autem dicit Dominus : Absit hoc a me. » Simile vidimus cap. XVIII, vers. 10. Sensus ergo est, *q. d.* « Prophetæ qui fuerunt ante me, et ante te ab initio, et prophetaverunt, » etc. Subaudi, hoc signo, an veri essent an falsi, agniti et discreti sunt, nimirum : « Propheta, qui vaticinatus est pacem, cum venerit verbum ejus, scietur Propheta, quem misit Dominus in veritate, » *q. d.* Omnis prophetia, sive prospera, sive adversa, rerum probatur eventu : unde tua, o Hanania, ex eventu apparebit esse mendax. Ita S. Hieronymus et Dionysius Carthusianus.

Vers. 13, Jeremias Hananiæ confringenti jugum ligneum minatus ferreum

13. CATENAS LIGNEAS CONTRIVISTI, ET FACIES PRO EIS CATENAS FERREAS. — Jeremias accepta injuria et contumelia ab Hanania, tacet et patiens abit. Unde Deus eum defendit loquens per os Jeremiæ, *q. d.* O Hanania, tu non vis jugum ligneum, quod ego suadeo, ut scilicet Judæi sponte dent se Chaldæis, et levem ferant servitutem : hinc facies, id

(1) Venema conjecit pro הרביעית *quarto*, vel legendum esse הראשנית *primo* (anno), vel voces *anno quarto* esse loco motas et vers. 3 inserendas, adeoque pertinere ad verba Hananiæ, quibus prædixit, vasa sacra esse reducenda post *duos annos*, seu *anno quarto* Sedeciæ; sive hoc quod hic narratur anno secundo Sedeciæ contigerit; sive, si citius, Hananias *post duos annos* majore latitudine dixerit, aut dubium reliquerit, num post biennium, an *quarto* anno; ita ut sensus sit : post duos annos, utique *anno quarto*.

Id est captivitatem 70 annorum, et vastitatem Hierosolymæ.

est causa eris, ut fiant catenæ ferreæ; quia enim suades et persuades populo, ut excutiant jugum ligneum, et rebellent; hinc Deus imponet eis jugum ferreum, ut urbs cum templo vastetur, cives occidantur, vel in servitutem jure belli abripiantur. Ita Theodoretus et Lyranus.

Nota hic modum, quo Deus duros et rebelles Judæos, qui suave Dei jugum excusserant, compulit ad illud resumendum, nimirum imponendo eis jugum durius, puta ferreum Chaldæorum. Nam, uti docet S. Paulus, duri dure sunt increpandi. Et de his ait Christus: « Compelle intrare. » Pulchre S. Bernardus in *Sentent.* : « Venientium, inquit, ad cœlum quatuor sunt classes. Cœlum enim rapiunt pauperes spiritu; mercantur divites; furantur misericordes; compelluntur miseri et afflicti. »

Qui renuit hic disciplinam ligneam, habebit ferream in inferno.

Tropologice, omnis hujus vitæ afflictio et mortificatio est jugum ligneum; qui hoc renuit, habebit ferreum in inferno. « Hic ergo ure, hic seca, Domine, ut in futuro parcas, » hoc est quod ait Job, cap. VI, vers. 19 : « Qui timet pruinam, irruet super eum nix, » et cap. XX, vers. 24 : « Fugiet arma ferrea, et irruet in arcum æreum. » Qui ergo sapis, subde te Deo, ejusque disciplinæ, injice pedem tuum in compedes illius. Egregie S. Bernardus, epist. *ad Monachos S. Bertini* : « Leve, inquit, Salvatoris onus, quo crescit amplius, eo portabilius est : portat potius, ut plumæ avem, quam portatur. »

Origenes aiebat jugum ligneum, id est

Origenes per compedes ligneas accipiebat corpora aerea dæmonum, quorum molestiam quia pati nolebant animæ nostræ, hinc detrusas esse in corpora hæc crassa quæ quasi ferrea gravius eas-

dem cruciant. Hic est error jam pridem explosus. corpora aerea excussisse animas, ideoque accepisse ferreum, id est corpora crassa.

Nota : « Facies, » id est creabis, et accerses tibi tuisque, o Hanania, jugum Babylonis ferreum. *Secundo* et aptius, « facies, » scilicet tu, o Jeremia, ferreas catenas pro ligneis quas gestasti, quasque contrivit Hananias. Est enim apud Hebræos crebra enallage personæ. Unde Septuaginta et S. Hieronymus vertunt : *Faciam pro eis catenas ferreas.* Deus enim per Jeremiam eas faciebat : ipse etiam Hananias easdem faciebat, id est causa erat ut Deus et Jeremias eas facerent. Plane enim verisimile est Jeremiam jussu Dei reipsa fecisse et gestasse has catenas ferreas, pro ligneis, quas contriverat Hananias, idque ad hoc, ut per eas significaret et repræsentaret tales faciendas et imponendas esse Hananiæ (si superviveret) et Judæis a Chaldæis. Jeremias gestavit catenas ferreas.

16. MITTAM, — ejiciam te de vita et terra hac in infernum. Ita S. Hieronymus. Vers. 16.

ADVERSUM DOMINUM LOCUTUS ES. — Addunt Hebræa : *Locutus es,* דברת *tsara,* id est, ut Septuaginta, *apostasiam* et defectionem; Vatablus, *prævaricationem*; Pagninus, *rebellionem,* vel verbum perversum; ut scilicet a verbo Dei a me comminato et proposito recederent Judæi ad tuas mendaces spes.

17. ET MORTUUS EST HANANIAS IN ANNO ILLO, MENSE SEPTIMO, — in septembri, scilicet post bimestre ab hac prædictione, quæ facta est in mense quinto, id est in julio, ut patet vers. 1. Ita Hugo, S. Thomas, Lyranus et a Castro. Verum si annum sabbaticum hic accipiamus, uti dixi vers. 1, dicendum est mensem hunc septimum fuisse Nisan, sive martium : annus enim sabbaticus incipiebat a septembri, uti ostendi *Levit.* XXV, 9. Vers. 17.

CAPUT VIGESIMUM NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jeremias scribit Judæis, in Babylonem cum Joachin rege traductis, ut domos ædificent, quasi ibi mansuri ad 70 annos, nec credant duobus falsis prophetis Sedeciæ et Achab (quos, quia adulteri erant, a Nabuchodonosor igne frigendos prædicit) contrarium promittentibus, vers. 21. Hinc Semeias tertius pseudopropheta apud Judæos in Babylone captivos, inde rescribit in Jerusalem, vers. 25, ut capiatur Jeremias, cui Jeremias exitium intentat, vers. ultimo (1).

1. Et hæc sunt verba libri, quem misit Jeremias propheta de Jerusalem ad reliquias seniorum transmigrationis, et ad sacerdotes, et ad prophetas, et ad omnem populum, quem traduxerat Nabuchodonosor de Jerusalem in Babylonem : 2. Postquam egressus est Jechonias

(1) Istius epistolæ a Propheta ad reliquias abductorum in captivitatem cum Jechonia, et missæ per nuntios a Sedecia Babylonem legatos, duo sunt argumenta vel duæ partes.

PRIMO, argumentum commune ad omnes Babylonem abductos, 4; *primo*, præcipiens compositionem omnium pro diuturna Babylonis inhabitatione, et studium pacis, 5-7; *secundo*, monens cavendum a prophetis alia suaduris, 8, 9; *tertio*, affirmans certam post septuaginta annos liberationem, precibus et prophetiis correspondentem, 10-15; *quarto*, exaggerans male residuis adhuc in Jerusalem regi ac civibus, ob contumaciam impendentia, 16-19; *quinto*, repetens monitionem ad obediendum datum, 20.

SECUNDO, argumentum singulare pertinens, *primo*, ad Achab et Sedeciam pseudoprophetas, quibus ob men-

rex, et domina, et eunuchi, et principes Juda et Jerusalem, et faber et inclusor de Jerusalem : 3. in manu Elasa filii Saphan, et Gamariæ filii Helciæ, quos misit Sedecias rex Juda ad Nabuchodonosor regem Babylonis in Babylonem, dicens : 4. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel omni transmigrationi, quam transtuli de Jerusalem in Babylonem : 5. Ædificate domos, et habitate, et plantate hortos, et comedite fructum eorum. 6. Accipite uxores, et generate filios et filias, et date filiis vestris uxores, et filias vestras date viris, et pariant filios et filias : et multiplicamini ibi, et nolite esse pauci numero. 7. Et quærite pacem civitatis, ad quam transmigrare vos feci : et orate pro ea ad Dominum : quia in pace illius erit pax vobis. 8. Hæc enim dicit Dominus exercituum Deus Israel : Non vos seducant prophetæ vestri, qui sunt in medio vestrum, et divini vestri : et ne attendatis ad somnia vestra, quæ vos somniatis. 9. Quia falso ipsi prophetant vobis in nomine meo ; et non misi eos, dicit Dominus. 10. Quia hæc dicit Dominus : Cum cœperint impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo vos; et suscitabo super vos verbum meum bonum, ut reducam vos ad locum istum. 11. Ego enim scio cogitationes, quas ego cogito super vos, ait Dominus, cogitationes pacis, et non afflictionis, ut dem vobis finem et patientiam. 12. Et invocabitis me, et ibitis : et orabitis me, et ego exaudiam vos. 13. Quæretis me, et invenietis : cum quæsieritis me in toto corde vestro. 14. Et inveniar a vobis, ait Dominus : et reducam captivitatem vestram, et congregabo vos de universis gentibus, et de cunctis locis, ad quæ expuli vos, dicit Dominus : et reverti vos faciam de loco, ad quem transmigrare vos feci. 15. Quia dixistis : Suscitavit nobis Dominus prophetas in Babylone. 16. Quia hæc dicit Dominus ad regem, qui sedet super solium David, et ad omnem populum habitatorem urbis hujus, ad fratres vestros, qui non sunt egressi vobiscum in transmigrationem. 17. Hæc dicit Dominus exercituum : Ecce mittam in eos gladium et famem, et pestem : et ponam eos quasi ficus malas, quæ comedi non possunt, eo quod pessimæ sint. 18. Et persequar eos in gladio, et in fame, et in pestilentia : et dabo eos in vexationem universis regnis terræ, in maledictionem et in stuporem, et in sibilum, et in opprobrium cunctis gentibus, ad quas ego ejeci eos : 19. eo quod non audierint verba mea, dicit Dominus, quæ misi ad eos per servos meos prophetas de nocte consurgens, et mittens : et non audistis, dicit Dominus. 20. Vos ergo audite verbum Domini omnis transmigratio, quam emisi de Jerusalem in Babylonem. 21. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel ad Achab filium Coliæ, et ad Sedeciam filium Maasiæ, qui prophetant vobis in nomine meo mendaciter : Ecce ego tradam eos in manus Nabuchodonosor regis Babylonis, et percutiet eos in oculis vestris. 22. Et assumetur ex eis maledictio omni transmigrationi Juda, quæ est in Babylone, dicentium : Ponat te Dominus sicut Sedeciam, et sicut Achab, quos frixit rex Babylonis in igne : 23. pro eo quod fecerint stultitiam in Israel, et mœchati sunt in uxores amicorum suorum, et locuti sunt verbum in nomine meo mendaciter, quod non mandavi eis : ego sum judex et testis, dicit Dominus. 24. Et ad Semeiam Nehelamiten dices : 25. Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel : Pro eo quod misisti in nomine tuo libros ad omnem populum, qui est in Jerusalem, et ad Sophoniam filium Maasiæ sacerdotem, et ad universos sacerdotes, dicens : 26. Dominus dedit te sacerdotem pro Joiade sacerdote, ut sis dux in domo Domini super omnem virum arreptitium et prophetantem, ut mittas eum in nervum et in carcerem. 27. Et nunc quare non increpasti Jeremiam Anathothiten, qui prophetat vobis ? 28. Quia super hoc misit in Babylonem ad nos, dicens : Longum est : ædificate domos, et habitate ; et plantate hortos, et comedite fructus eorum. 29. Legit ergo Sophonias sacerdos librum istum in auribus Jeremiæ prophetæ. 30. Et factum est verbum

dacia et scelera judicium terribile prædicitur, 21-23; *secundo*, ad Semeiam, cujus *primo*, epistola Hierosolymam missa, pro Jeremia ob prophetiam superiorem vinciendo data, et ibidem per Sophoniam prælecta refertur, 24-30; cui *secundo*, jubente Deo, per nuntium Babylonem missum a Jeremia, exprobratur mendacium, et ob hoc denuntiatur supplicium, ad posteritatem ejus etiam transgressurum, 30-32.

Domini ad Jeremiam, dicens : 31. Mitte ad omnem transmigrationem, dicens : Hæc dicit Dominus ad Semeiam Nehelamiten : Pro eo quod prophetavit vobis Semeias, et ego non misi eum ; et fecit vos confidere in mendacio : 32. idcirco hæc dicit Dominus : Ecce ego visitabo super Semeiam Nehelamiten, et super semen ejus : non erit ei vir sedens in medio populi hujus, et non videbit bonum, quod ego faciam populo meo, ait Dominus : quia prævaricationem locutus est adversus Dominum.

1. VERBA LIBRI, — id est verba epistolæ. Hebræum enim סֵפֶר *sepher* significat librum, epistolam, catalogum et enarrationem quamvis : radix enim סָפַר *saphar* significat enarrare, recensere. Sic *Matth.* I, 1, dicitur, « liber (id est catalogus) generationis Jesu Christi. » Simile est hic vers. 25.

2. AD RELIQUIAS — Judæorum, qui in Babylonem, tum cum Joachin sive Jechonia, ut volunt S. Hieronymus, Rabanus et Hugo ; tum ante cum Joakim, anno ejus quarto, fuerant abducti ; hi enim jam octo annis fuerant in captivitate, et præ tædio anhelabant ad reditum in Judæam. Scripta enim est hæc epistola a Jeremia anno Sedeciæ primo.

DOMINA, — regina, scilicet mater Jechoniæ : hæc enim cum filio rege ducta est in Babylonem. Ita Lyranus, Hugo et Vatablus.

EUNUCHI, — id est aulici : quia enim aulici qui gynæceis præficiebantur, ne de fide continentiæ suspecti essent, castrabantur, et fiebant eunuchi, erantque tum intimi regi et reginæ ; hinc eunuchus significat omnem aulicum, vel regi familiarem : nam alioquin eunuchi non poterant esse inter Judæos, juxta legem *Deuter.* XXIII, 1.

INCLUSOR, — gemmarius. Vide dicta cap. XXIV, 1.

3. IN MANU ELASA, — per *Elasa*. Nota : Sedecias rex videns Hananiam pseudoprophetam immunitatem a Chaldæis, et prospera omnia Judæis promittentem, esse morte punitum, timore correptus, cœpit credere Jeremiæ, ideoque juxta ejus monita misit hos legatos ad Nabuchodonosorem, qui ei ferrent tributum, et pacem fœdusque cum eo renovarent, Judæosque illi fore subditos et vectigales promitterent. Ita Hugo, Lyranus et S. Thomas. Per hos ergo legatos misit pariter epistolam hanc Jeremias, dicens, id est scribens, vel nuntians populo captivo hanc suam prophetiam.

5. ÆDIFICATE, — *q. d.* Diu eritis in Babylone ; ædificate ergo ibi domos, plantate hortos, familiam instruite, quasi ibi futuri perpetui cives, non autem quasi advenæ brevi in patriam reversuri.

10. CUM COEPERINT IMPLERI IN BABYLONE (in regno Babyloniorum : unde hebraice est *Babyloni*, puta quoad imperium in Judæos) SEPTUAGINTA ANNI, — *q. d.* Non redibitis ex Babylone ante 70 annos. Hi enim sunt 70 anni imperii, vel potius captivitatis Babylonicæ.

Anni septuaginta captivitatis unde inchoandi? Primo, aliqui inchoant a decimotertio Josiæ.

Quæres, ubi hi anni incipiant, ubi finiantur (1)? Certum est apud omnes eos finiri et terminari anno 1 Cyri, et patet II *Paral.* XXXVI, 22. Verum unde incipiant, magna est lis : quatuor sunt probabiles sententiæ.

Primo, aliqui eos inchoant ab anno 13 Josiæ regis Juda : nam hoc anno videtur Ninive esse eversa, et monarchia ab Assyriis translata ad Medos et Babylonios per Cyaxarem, et Nabuchodonosorem seniorem, uti ex S. Hieronymo et Eusebio dixi *Jeremiæ* I, 2. Hoc posito, probatur hæc sententia : *primo*, quia hi 70 anni videntur dati monarchiæ Chaldæorum ; atqui illa cœpit statim, eversa monarchia Assyriorum ; hæc autem eversa est anno 13 Josiæ, ut dixi : ergo hi 70 anni inde inchoandi sunt. Probatur primo.

Secundo, quia S. Augustinus, S. Hieronymus, Isidorus, Theodoretus, Eusebius, Clemens Alexandrinus et alii, quos citat Pererius, in cap. IX *Daniel.* vers. 2, ab 11 anno Sedeciæ usque ad 1 Cyri, tantum numerant annos 30 ; et sic desolatio Judæorum, et captivitas Babylonica proprie duravit tantum 30 annos : atqui a 13 anno Josiæ usque ad 11 annum Sedeciæ, fluxerunt tantum anni 40 ; ergo 70 tantum anni intercedunt ab anno 13 Josiæ usque ad 1 Cyri (30 enim et 40 si jungas, habebis 70) : cum ergo constet hos 70 annos finiri in anno 1 Cyri, sequitur eos inchoandos esse anno 13 Josiæ. Secundo.

Tertio, quia Daniel (ut dixi *Daniel.* V, 1) docet Nabuchodonosorem Magnum fuisse patrem Balsasaris, ultimi regis Chaldæorum, non avum : atqui plerique omnes consentiunt hos duos non regnasse junctim 70 annis : ergo hi 70 anni non a Nabuchodonosore Magno, sed ab ejus patre, qui cœpit regnare anno 13 Josiæ, inchoandi sunt. Sic ergo hi 70 anni computandi videntur. Nabuchodonosor Magnus cœpit regnare anno 3 Joakim, et regnavit 45 annis : deinde Balsasar regnavit annis tribus, qui juncti 45 faciunt 48 annos : his adde annos 22 Nabuchodonosoris senioris, qui supersunt ab anno 3 Joakim, ascendendo usque ad 13 Josiæ, habebis hos annos 70 captivitatis. Tertio.

Quarto, quia Jeremias hoc anno 13 Josiæ cœpit prophetare, viditque sceptrum Assyriorum, et post illud alia omnia regna contrita per virgam et sceptrum Chaldæorum, ut dixi cap. I, 12 ; unde ipse hanc virgam toto hoc libro Judæis et omnibus gentibus intentat, ejusque vim, robur et tempus describit, scilicet quod durabit 70 annis, puta ab anno 13 Josiæ usque ad 1 Cyri. Quarto.

Verum huic sententiæ obstat : *primo*, quod Jeremias semper hos annos numeret a Joakim, vel Obstant ei tria.

(1) Cf. annotat. ad vers. 11 cap. XXV *Jerem.*

a Joachin, non a Josia, ut patet cap. XXV, 1 et 11; cap. XXVII, 1 et 7; cap. XXIX, 1 et 10. *Secundo,* quod hi anni passim a Jeremia, Zacharia, et ab Interpretibus vocentur anni desolationis et captivitatis Judaicæ: juxta sententiam autem jam recensitam, Judæorum servitus non duravit 70, sed tantum 30 annis: ergo hæc sententia non consentit sensui Scripturæ et Interpretum, qui est, Judæos fuisse captivos, non 30, sed 70 annis. *Tertio,* quia anno 13 Josiæ, nec Judæi, nec eorum vicini servierunt Chaldæis, quod tamen de 70 hisce annis dicitur cap. XXV, 11.

Secundo, Abulensis et alii eos in choant ab undecimo Sedeciæ.

Secundo, Lactantius, Severus Sulpitius, Beda, Abulensis, Lyranus, et ex eis Pererius *in Daniel.* cap. IX, hos 70 annos inchoant ab 11 anno Sedeciæ: tunc enim plane eversa fuit Jerusalem cum templo, omnisque populus fuit abductus. Verum difficile est invenire et computare 70 annos ab anno 11 Sedeciæ usque ad 1 Cyri, sive ab anno 18 Nabuchodonosoris (hic enim concurrit cum 11 Sedeciæ et eversione Jerusalem) usque ad ultimum Balsasaris. *Secundo,* Daniel et alii multi, qui erant viri tempore Sedeciæ, prorogarunt vitam usque ad tempus solutæ captivitatis, imo usque ad restaurationem templi, quæ facta est sub Dario Hystaspis, ut patet *Aggæi* II, 4. Jam si captivitas duravit 70 annis, sequitur eos diutissime vixisse; et longe superasse annum centesimum: quis hoc credat?

Obstant ei duo.

Tertio, Hebræi eos inchoant ab anno quarto Joakim.

Tertio, Hebræi, Eusebius, Theodoretus, Clemens Alexandrinus, Berosus, quos sequitur Ribera et a Castro, hos 70 annos inchoant ab anno 4 Joakim, qui fuit annus 1 Nabuchodonosoris, quo ipse Phœnices et Judæos subegit, atque Joakim cum Daniele et aliis Judæis abduxlt. Probatur id: *primo,* quia cap. XXV, 1, hunc annum consignat Jeremias, quasi initium horum 70 annorum, ut videtur. *Secundo,* quia, cap. XXVII, 7, dicitur quod « omnes gentes servient ei, » scilicet Nabuchodonosori, qui regnavit 44 annis, « et filio ejus, » puta Evilmerodach, qui 23 annis; « et filio filii ejus, » scilicet Balsasari, qui tribus annis regnavit: qui anni juncti faciunt 70. Huic sententiæ obstant tum alia, tum illud quod hoc anno 4 Joakim, parva vel nulla, ut vult R. Saadias, Maldonatus et alii, videatur fuisse publica et communis Judæorum captivitas. Solus enim Daniel, et pauci alii cum Joakim abducti sunt, qui mox reducti videntur: nam Joakim mox regno est restitutus. Unde diserte Jeremias, cap. LII, 28, primam captivitatem Judæorum consignat anno, non tertio, sed septimo Nabuchodonosoris, qui fuit annus Joakimi undecimus et ultimus.

Obstat ei num.

Quarto, probabilius alii inchoant ab anno undecimo Joakim.

Quarto ergo, alii valde probabiliter censent hos 70 annos inchoandos esse a transmigratione Joachin, sive Jechoniæ, aut a clade et morte Joakim, quæ facta est anno regni ejus 11; una enim eademque censetur hæc clades et captivitas facta sub Joakim, et facta sub Joachin. Inter utramque enim tantum intercesserunt tres menses. Probatur hæc sententia: *Primo,* quia prima notabilis vastitas, et communis captivitas facta fuit hoc anno Joakim et Joachin, uti paulo ante ostendi, idque patet IV *Reg.* XXIV, 12. *Secundo,* quia Jeremias hoc cap. post transmigrationem Joachin dicit vers. 10: « Cum impleti fuerint in Babylone septuaginta anni; » ergo ab ea illi videntur inchoandi. *Tertio,* quia ab hac transmigratione Jechoniæ, quasi ab æra communi captivitatis, et sæculi illius, prophetias suas numerat et consignat Ezechiel, cap. I, vers. 2, et deinceps. *Quarto,* quia S. Matthæus, cap. I, 11, hanc captivitatem vocat transmigrationem Babylonis; quia scilicet Jechonias sponte se dedidit Chaldæis, et non vi abductus est, sed ultro transmigravit in Babylonem. *Quinto,* quia hi 70 anni statuti sunt non proprie et directe imperio Babylonis, sed captivitati Judæorum, ut patet ex hoc loco, et ex cap. XXV, 8 et 11. Unde et Daniel, cap. IX, 2, et Zacharias, cap. 1, 12, hos annos 70 vocant servitutis et desolationis Jerusalem, idque in pœnam peccatorum ejus: quia enim ipsa ab anno 13 Josiæ usque ad 11 Joakim, noluit audire Prophetas, præsertim Jeremiam, per 31 annos concionantem; hinc Jeremias in pœnam tantæ contumaciæ minatur ei pœnam et pœnitentiam 70 annorum in Babylone, ut tempus pœnæ esset duplum (et amplius) temporis culpæ. Desolatio autem Judæorum cœpit hoc anno 11 Joakim: ergo inde inchoandi sunt hi 70 anni; indeque facile eos computabis hoc modo: annus 11 Joakim fuit 8 Nabuchodonosoris, qui regnavit 44 annis: ab anno ergo ejus 8 ad 44 habes annos captivitatis 36; his adde annos 34 Evilmerodach et Balsasaris, habebis annos 70 captivitatis, uti dixi *Daniel.* V, 1. Quare hanc sententiam multi moderni chronologi valde probabilem judicant: unde eam proposui in tabula chronologica, quam initio Pentateuchi exhibui.

Probatur primo. Secundo Tertio. Quarto. Quinto.

Dices: Anno 4 Joakim dicitur cap. XXV, 1 et 11, quod « omnes gentes istæ servient regi Babylonis septuaginta annis: » ergo ab anno quarto Joakim hi anni inchoandi sunt. Respondeo negando consequentiam: prophetia enim non est de tempore præsenti, sed futuro. Prædicit ergo ibi Jeremias anno 4 Joakim inchoante, quod post annos octo, scilicet anno 11 Joakim, incipient Judæi et aliæ gentes servire Chaldæis per 70 annos. Certum enim est Ammonitas, Moabitas, Cœlesyrios, Ægyptios, et alias gentes, quæ post ultimam vastationem Hierosolymæ subactæ sunt a Chaldæis, teste Josepho, lib. X *Antiq.* cap. XI, eis non servivisse 70 annis. Vide dicta cap. XXV, 11, et XXVII, 7. An hi anni 70 servitutis sint iidem cum annis 70 desolationis, de quibus *Zachar.* cap. I, vers. 12, ibi dicam.

Tropologice 70 anni est pœnitentia hujus vitæ.

Tropologice: Tamdiu, ait S. Hieronymus, in Babel, id est in hujus sæculi confusione, versamur, donec per patientiam et pœnitentiam requiem septenarii numeri mereamur accipere. Rursum, ut ait Psaltes, *Psalm.* LXXXIX: « Dies annorum nos-

trorum in ipsis septuaginta anni : » hi sunt ergo 70 anni vitæ, æque ac exsilii et captivitatis nostræ, qui cum fuerint expleti, tunc ad Dominum revertemur, atque finem laboris nostri et patientiæ accipiemus patriam cœlestem.

Cur captivitas Babylonis durarit septuaginta annis?

Hac de causa Deus Judæis in captivitate tempus 70 annorum, quod est mensura vitæ humanæ, præfixit, ut plerique qui in vitiis suis consenuerant, in ea morerentur, ideoque eos ibi ædificare domos jubet : ac post eos nova filiorum soboles succresceret, quæ patrum plagis erudita saperet, quamque Jerusalem redeuntem Deus per Esdram aliosque pædagogos sibi formaret discipulos et asseclas : pauci enim ex senibus, qui 70 annos superarunt, cum Esdra redierunt in Judæam. Nam, ut ait Macrobius, lib. I *in Somn. Scipion.* cap. VI : « Septies deni anni a physicis creditur meta vivendi, et hoc vitæ humanæ perfectum spatium terminatur; quod quisquis excesserit, ab omni officio vacuus, soli sapientiæ et studio vacat. » Idem faciunt prudentes Prælati, dum collapsam disciplinam in monasterio aliave Congregatione restituere volunt : nimirum sinunt senes in suis habitibus inveteratos et incorrigibiles emori, aut eos alio traducunt : atque in eorum locum novitios suscipiunt juvenes bonæ indolis et spiritus, quos quasi teneras plantas ad Religiosæ vitæ normam flectunt et formant.

SUSCITABO SUPER VOS VERBUM MEUM BONUM, — *q. d.* Stare faciam, efficiam et complebo promissum meum lætum, quod vobis promisi cap. XXV, 12, scilicet, quod post 70 annos vos e Babylone reducam in Judæam.

Vers. 11. 11. PATIENTIAM, — id est constantiam et tolerantiam in sufferendis exsilii et captivitatis incommodis : ita S. Hieronymus et S. Thomas. *Secundo*, Sanchez : Dat, inquit, Deus « patientiam, » cum doloris ac molestiæ levamenta præbet, uti facit hic Judæis, jubens eos in Babylone ædificare domos, plantare hortos, instruere familiam, etc. *Tertio* et congruentius, S. Hieronymus, « patientiam, » inquit, hoc est mercedem patientiæ, vel objectum patientiæ, id est id quod patienter et avidissime exspectatis : unde Hebraice et Chaldaice est תקוה *ticua*, id est *spem* vel *exspectationem*, puta id quod avide speratis, scilicet libertatem et reditum in patriam, quæ est patientiæ et longanimitatis vestræ fructus, et merces, atque finis omnis miseriæ vestræ.

Vers. 12. 12. ET IBITIS, — scilicet, gaudentes vos exorasse vestram liberationem, læti redibitis domum, et in patriam vestram ab hoc exsilio : unde Symmachus vertit, *et invenietis*, scilicet fructum invocationis vestræ, finem ærumnæ et captivitatis vestræ.

13. ET EGO EXAUDIAM VOS, QUÆRETIS ME, ET INVENIETIS : CUM QUÆSIERITIS ME IN TOTO CORDE VESTRO — Est hæc promissio facta Judæis æque ac Christianis : ergo certa et indubitata. Qui ergo colit Deum, eumque toto corde quærit, impetrabit ab eo quæcumque volet (modo ei salutaria sint) aut meliora iis quæ petit. Audi ex Sophronio quam

Moraliter, Deus suorum vota exaudit,

Sanctorum suorum votis occurrat et satisfaciat Deus. Narravit, ait, nobis Abbatissa Damiana solitaria, mater Abbatis Athenogenis Episcopi Petrensis, dicens : « Erat quidam Abbas in sancto monte Sina, nomine Georgius, miræ virtutis et abstinentiæ vir. Huic magno sabbati die in cellula sua venit desiderium faciendi sacrum diem resurrectionis in sancta civitate, et sumere veneranda mysteria in sancta Christi Dei nostri Resurrectione. Per totum ergo diem senior hujusmodi cogitatione sollicitabatur. Cum itaque sero factum esset, venit discipulus ejus dicens : Jube, Pater, ut eamus ad synaxim. Senex autem respondit ei : Vade, et tempore sanctæ communionis veni ad me, et pergam. Mansit itaque senex in cellula. Cum autem advenisset tempus sanctæ communionis in sancta civitate, inventus est senex prope Archiepiscopum beatum Petrum, qui præbuit tum illi, tum presbyteris sanctam communionem. Videns igitur eum Patriarcha, dixit Mennæ assessori suo : Quando venit Abbas montis Sinai? Respondit ille : Per orationes vestras, Domine, non vidi illum, nisi nunc solummodo. Tunc ait Patriarcha : Dic illi ut non recedat; volo enim ut mecum sumat cibum. Ille vero profectus id dixit seni. Qui ait : Voluntas Dei fiat. Cum ergo salutasset synaxes, adorato sancto monumento, inventus est in cellula sua. Ecce discipulus ejus pulsavit et dixit : Pater, veni ut communices. Senex vero profectus in ecclesiam cum discipulo suo, iterum sumpsit veneranda mysteria. » Ita Sophronius, *Prat. spirit.* cap. CXXVII. etiam per miracula. Exempla.

Theodoretus in *Philotheo*, cap. II, narrat adolescentem quemdam molliter educatum petiisse a sene Asterio, ut illi comes esset eunti in solitudinem, cui senex objecit mollitiem, et eremi duritiem ac siccitatem. Institit adolescens. Victus ejus precibus cessit senex. Adolescens igitur eum sequebatur primo quidem alacriter : cum autem primus, secundus et tertius dies præteriisset, et a radiis solis exureretur (erat enim æstas : urgente autem æstate, est utique flamma solis ardentior) perpetuo siti laborabat. Et primum quidem eum morbum aperire pudebat, memoria reputans ea quæ sibi prædicta fuerant a magistro. Tandem autem victus, et plane omnino deficiens, oravit senem, ut sui misereretur. Is autem cum quæ ei prædixerat, revocasset in memoriam, jussit eum reverti. Cum autem diceret adolescens, nec se scire viam, quæ ducit ad antrum; nec si sciret, ire posse, cum sint vires siti consumptæ. Misertus homo divinus casus adolescentis, et ignoscens imbecillitati corporis, genibus flexis, oravit Dominum, et calidis lacrymis solum irrigavit, et viam salutis petiit adolescenti. Qui autem facit voluntatem eorum qui ipsum timent, et eorum exaudit orationem, stillas lacrymarum, quæ pulverem attigerant, effecit fontem aquarum : et sic fluento repletum adolescentem jussit abire protinus. Fons autem mansit usque in hodiernum diem.

Audi aliud de monachis Cluniacensibus, quod

habetur in *Vita* S. *Odonis Abbatis Cluniacensis*. Anno Domini 938, inquit *Vitæ* auctor, Albericus princeps contulit nobis monasterium Sancti Eliæ, cujus beatus Gregorius in *Dialogis* meminit. Cum sit autem durum (ut idem beatus Gregorius ait) in mente veteri nova meditari, monachos, quos illic invenimus, ab esu carnium retrahere non potuimus. Constituit autem ibidem Pater noster Præpositum unum e fratribus nostris, Theodoardum nomine. Is ut vidit se virtute et sanctitate ab eo vitio eos retrahere non posse, cœpit in finitimis regionibus pisces emere, ut vel sic eorum satisfaceret voluntati. Jam enim penitus defecerant equi, quos ei Pater Odo reliquerat, huc illucque discurrentes. Eam vero illorum improbitatem suumque laborem Præpositus Patri nostro identidem significavit. Illo igitur Dominum deprecante, vallis cui monasterium præeminet, non ita procul, conjunctis inter se collibus ita conclusa est, ut exiguo torrenti per eam mananti aditus præcluderetur. Inde igitur paulatim magna aquarum collecta vis, lacum effecit: nec deinceps opus fuit Præposito pisces emere, lacu illo eos suppeditante. Cui vero hoc tribuendum esset, quidam imperiti homines minime adverterunt, eo quod ejus preces, quas ea de causa beatus Odo ad Dominum fuderat, auribus suis non percepissent, non attendentes illud Psalmographi : « Desiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua. » Item illud: « Voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet. » Ita *Vita S. Odonis*, et ex ea Baronius, tom. X *Annal.*, ad annum Christi 938.

Gregorius Magnus, lib. III *Dialogorum*, cap. XV, narrat Deum ad suorum implenda desideria, tonitru sereno cœlo misisse, iis verbis : Cum Florentii magna opinio longe lateque crebresceret, quidam diaconus longe positus ad eum pergere studuit, ut ejus se orationibus commendaret: qui ad ejus cellulam veniens (non procul a Nursia) omnem locum per circuitum invenit innumeris serpentibus plenum ; cumque vehementer expavisset, clamavit dicens : « Serve Dei, ora, » erat autem mira serenitas. Egressus vero Florentius ad cœlum oculos et palmas tetendit, ut illam pestem, sicut sciret Dominus, auferret. Ad cujus vocem subito cœlum intonuit, atque idem tonitru omnes illos, qui eumdem locum occupaverant, serpentes interemit; quos cum vir Dei Florentius interemptos aspiceret, dixit: « Ecce illos occidisti, Domine, quis eos hinc levabit? » Mox ad ejus vocem tantæ aves venerunt, quanti serpentes occisi fuerant, eosque mundato loco extulerunt.

Non absimile legitur in *Vita S. Abercii Hierapolitani* 22 octobris. Cum etenim locus egeret balneis ad ægrotorum solatium, apud fluvium constitutus Abercius flexis Deo genibus humi procidit. Et ecce erumpit quidem tonitru sereno cœlo; emittit autem terra fontes aquarum calidarum, et per omnia laudatur Deus, qui sic justos exaudit.

Cum Andronicus Comnenus Imperator tyrannorum moribus imbutus in Christianos sæviret Constantinopoli, Disypatum Georgium magni templi lectorem in carcerem quoque conjecit, propterea quod de ejus sævitia liberius questus esset; habebatque subinde in animo verubus transfixum, et pinguem hominem instar porcelli supra carbones assatum, uxori ejus mittere; ac omnino fecisset, nisi Monasteriota Leo socer ejus, qui ob dicendæ sententiæ prudentiam, Senatus os ab Andronico vocabatur, tyranni furorem auctoritate sua repressisset. Disypatus igitur in carcere manus ad Deum extendebat, et cum Davide precabatur : « Educ e custodia animam meam, ut nomen tuum prædicem, » et Jonæ verba sæpe repetebat : « Numquid amplius sanctum tuum templum respiciam? » Quid vero precabatur? « Deleto me, Domine, ex Andronici memoria, sim ignotus apud eum omni tempore, ne recordetur nominis mei, donec ex libro viventium deletus fuerit. » Itaque Numen non cunctatum est, nec preces ejus aspernatum, sed illæsum eduxit e carcere, Andronico paucis diebus post exstincto. Ita Nicetas Choniates in *Annal de Imperio Andronici Comneni*.

15. QUIA DIXISTIS : SUSCITAVIT, etc., — *q. d.* Sed quia sunt e vobis qui dicunt habere vos in Babylone Prophetas, qui promittant celerem e captivitate reditum; audiant hi quid dicat Dominus : « Quia hæc dicit Dominus. » Tò *quia* respondet Hebræo כי *ki* et redundat, tantumque est nota inchoationis sermonis. Hæc ergo dicit Dominus : Tantum abestis a celeri reditu, ut potius regem Sedeciam, qui sedet in solio David, cum suis qui Judæam incolunt, peste, fame et gladio sim consumpturus, et paucos qui huic cladi supererunt, captivos ducturus sim in Babylonem (1). Vers. 15.

16. AD REGEM, QUI SEDET SUPER SOLIUM DAVID, — ad Sedeciam qui nunc regnat. Vers. 16.

17. FICUS MALAS. — Hebraice, ficus fœdas : vide de ficubus dicta cap. XXIV. Vers. 17.

18. IN VEXATIONEM. — לזעוה *lezaava*, id est in commotionem; ut scilicet moveantur et dispergantur per universa regna. Vers. 18.

21. AD ACHAB ET AD SEDECIAM. — Hebræi, teste S. Hieronymo, et ex eis Rabanus, Hugo, S. Thomas et Lyranus tradunt hos duos, scilicet Sedeciam et Achab fuisse senes illos qui Susannæ pudicitiam tentarunt et vitam, *Daniel.* XIII; utrique Vers. 21. Achab et Sedecias hic non sunt

(1) De connectendo hoc versu vel cum iis quæ præcedunt, vel cum iis quæ sequuntur, valde laborant Interpretes. Cum superioribus nectunt alii, ut Kimchi, C. B. Michaelis, eodem fere modo ac Cornelius noster. Alii, propensiores sunt ad credendum hunc versum nectendum esse versui 21, et quæ inter utrumque versum leguntur per parenthesin esse interjecta. Sed tam longa interpositione orationis seriem interruptam esse, nemo facile credat, inquit Rosenmuller. Hinc nostratium plures, ut Lud. Capellus, Venema, J. D. Michaelis, Eichhorn, Dahler, versuum ordinem librariorum culpa turbatum esse, et versum 15 non sejungendum a vers. 21 autumant.

enim erant in Babylone tempore Nabuchodonosoris, et Astyagis Medi; utrique mendaces; utrique cæsi ob adulteria; utrisque dicit Deus : « Ego sum judex et testis. » Aliis tamen videtur hæc esse fabula. Ita Africanus, Maldonatus et alii, quin et S. Hieronymus subinde fabulam vocat, idque *primo*, quia hi Jeremiæ fuerunt Prophetæ; illi Danielis, fuerunt Judices. Rursum hos Jeremiæ Nabuchodonosor : illos Danielis populus occidit.

Respondent Lyranus et D. Thomas Nabuchodonosorem, cui in Babylone suberant Judæi, sententiam mortis in eos tulisse, maxime quia casus enormis erat, ipsique judices Judæorum erant rei; populum autem sententiam hanc laudasse et exsecutum esse.

Secundo, hanc esse fabulam probatur ex eo quod Nabuchodonosor dicitur hic eos frixisse igne; Daniel autem innuit suos esse lapidatos.

Respondent alii id Danielem non dicere; sed tantum, quia criminatores erant, asserere eos lege talionis, quæ *Deuter.* XIX, 19, habet : « Animam pro anima. » etc., scilicet morte, licet dispari, esse punitos. Aliter respondent Delrio, *adagio* 861, et Lyranus, scilicet, quod ipsi, *primo*, ut adulteri lapidibus sint obruti, ut innuit Daniel : *deinde*, ut ait Jeremias, igne sint combusti, quia erant falsi prophetæ. Simile contigit Achan, *Josue* VII, 15 et 25. Hæc dicuntur, sed non probantur : nihil enim tale habet Daniel in longa et particulari rei gestæ narratione, quæ ab hac Jeremiæ valde dissonat. Quocirca hos prophetas Jeremiæ alios fuisse ab illis senibus Danielis, merito censent Maldonatus, Pererius, Sanchez et alii.

22. QUOS FRIXIT. — Hebraice קלם *kalam*, id est assavit vel torruit. Sic frixi sunt Machabæi, II *Machab.* VII, 3, et Judæi, *Amos* IV, 2.

Vers. 23. Stultitia est facinus insigniter inhonestum et dedecens.

23. PRO EO QUOD FECERINT STULTITIAM. — *Stultitia* in Scriptura significat facinus insigne contra honestatem publicam, viro cordato et sapiente indignum, quale hic est adulterium.

EGO SUM JUDEX ET TESTIS, DICIT DOMINUS, — *q. d.* Nemo me potest fallere aut latere; quia ego ipse qui judicaturus sum, sum etiam testis oculatus omnium; unde ait *Malach.* III, 5 : « Accedam ad vos in judicio, et ero testis velox maleficis, et adulteris, et perjuris. » Dum ergo ad peccatum te socii aut concupiscentia sollicitant, cogita hunc oculum te tuaque omnia intuentem, qui tuus judex erit, æque ac testis. Ita cogitabat S. Job, cap. XVI, 20 : « Ecce, inquit, in cœlo testis meus, et conscius meus in excelsis. »

24. ET AD SEMEIAM (1). — Nota : Hic Semeias audiens epistolam Jeremiæ scriptam ad Judæos in Babylone captivos, in qua quasi falsus propheta arguebatur, eo quod pacem promitteret Judæis (unde et apte Nehelamites dicebatur, id est somniator, ut vertit R. David : licet proprie esset oriundus de Nehelam), iratus scripsit libros, id est epistolas, ex Babylone in Jerusalem, ut Jeremiam quasi pseudoprophetam caperent et punirent.

25. PRO EO QUOD MISISTI. — Supple : « Visitabo super te et super semen tuum, » uti dicitur vers. ultim. Ibi enim expletur sententia hujus versus, quæ eousque per narrationem prophetiæ Semeiæ interrumpitur.

SOPHONIAM SACERDOTEM. — Non pontificem, hic enim erat Saraias, sed ejus vicarium; unde IV *Reg.* XXV, 18, hic Sophonias vocatur « sacerdos secundus, » cujus erat de prophetiis judicare, et falsos prophetas punire.

26. DEDIT TE SACERDOTEM PRO JOIADE. — Adulatur Semeias Sophoniæ, *q. d.* Tuum est, o Sophonia, ut sanctissimi olim pontificis Joiadæ sacerdotii, sanctitatis et zeli sis hæres, præstare quod peto, ut scilicet quasi alter Joiada, qui Mathan sacerdotem Baal interfecit, IV *Reg.* XI, 18, interficias Jeremiam falsum prophetam. Comparat enim adulator Sophoniam sacerdotem Joiadæ pontifici, ob similem zelum et officium. Ita S. Hieronymus, Maldonatus et alii. Vers. 26.

Quanquam aliqui, ut a Castro, putant hunc Joiadam non fuisse pontificem illum jampridem defunctum, sed sacerdotem adhuc viventem, cujus absentis vices gerebat Sophonias.

ARREPTITIUM. — Hebraice משגע *mescugga*, id est *insanum*, furiosum; Chaldæus, *stultum*; Septuaginta, *insanientem*, id est fanaticum, qui se fingit prophetam; aut qui a dæmone arreptus, ejus instinctu ita prophetat, ut furere et insanire videatur. De his vere dixit Cicero, lib. III *De Divinat.* : « Quid habet auctoritatis furor iste, quem divinum vocatis, ut quæ sapiens non videt, ea videat insanus; et is qui humanos sensus amiserit, divinos assecutus sit? »

UT MITTAS EUM IN NERVUM, — in cippum, id est in manicas ligneas vel ferreas : ita Vatablus. Vide dicta cap. XX, vers. 2. Syrus vertit : *Ut injicias eum inter vinctos in carcerem.*

28. QUIA SUPER HOC, — *q. d.* Ex eo quod audet Jeremias, te connivente, falsa prophetare in Jerusalem, audet quoque falsa sua figmenta perscribere ad nos in Babylonem, nosque turbare et percellere.

LONGUM EST, — scilicet tempus, quo futuri estis captivi in Babylone, nimirum 70 annorum.

29. LIBRUM, — litteras Semeiæ.

31. MITTE, — scribe litteras.

AD OMNEM TRANSMIGRATIONEM, — ad omnes Ju-

(1) Hoc versu tertiam epistolæ ad exsules missæ partem incipere, Interpretum plures statuunt. Sed recte jam Grotius animadvertit, separandam esse hanc, quæ vers. 24-32 continetur, pericopam ab iis quæ antecedunt, et additam esse postquam legati cum Jeremiæ epistola Babylonem missa, quæ vers. 23 finitur, Hierosolymam redissent, qui procul dubio Semeiæ litteras, de quibus vers. 25, retulerunt. Nam quæ ex iis vers. 28 afferuntur, manifeste respiciunt ad ea quæ Jeremias supra, vers. 5, 6 ad Babylonios exsules scripserat. (Rosenmuller.)

dæos qui in Babylonem migrarunt cum Jechonia.

32. NON ERIT EI VIR, — nullus erit ex posteris Semeiæ, qui sit civis Jerusalem eo tempore, quo alii læti redibunt e captivitate, *q. d.* Semeias non redibit cum aliis in Jerusalem, sed cum suis peribit in exsilio Babylonis; quia falso prædixit hoc brevi finiendum esse; ut in quo peccavit, in eodem et puniatur. Sic Elisæus promittens in fame triticum, cum rideretur a duce quodam, ait ei : « Videbis oculis tuis, et inde non comedes, » IV *Reg.* VII, vers. 2.

QUIA PRÆVARICATIONEM (id est falsa oracula) LOCUTUS EST ADVERSUS DOMINUM. — Hisce enim vera Dei oracula, per Jeremiam edita, evertere conatus est, atque efficere ut iis obediens populus, inobediens esset Jeremiæ et Deo.

CAPUT TRIGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

***Promittit e captivitate Babylonica liberationem per Cyrum, et mystice e captivitate peccati et diaboli redemptionem per Christum* (1).**

1. Hoc verbum, quod factum est ad Jeremiam a Domino, dicens: 2. Hæc dicit Dominus Deus Israel, dicens: Scribe tibi omnia verba, quæ locutus sum ad te, in libro. 3. Ecce enim dies veniunt, dicit Dominus: et convertam conversionem populi mei Israel et Juda, ait Dominus: et convertam eos ad terram, quam dedi patribus eorum: et possidebunt eam. 4. Et hæc verba, quæ locutus est Dominus ad Israel et ad Judam: 5. Quoniam hæc dicit Dominus: Vocem terroris audivimus: formido, et non est pax. 6. Interrogate, et videte si generat masculus: quare ergo vidi omnis viri manum super lumbum suum, quasi parturientis, et conversæ sunt universæ facies in auruginem? 7. Væ, quia magna dies illa; nec est similis ejus: tempusque tribulationis est Jacob, et ex ipso salvabitur. 8. Et erit in die illa, ait Dominus exercituum: conteram jugum ejus de collo tuo, et vincula ejus dirumpam, et non dominabuntur ei amplius alieni: 9. sed servient Domino Deo suo, et David regi suo, quem suscitabo eis. 10. Tu ergo ne timeas, serve meus Jacob, ait Dominus, neque paveas, Israel: quia ecce ego salvabo te de terra longinqua, et semen tuum de terra captivitatis eorum: et revertetur Jacob, et quiescet, et cunctis affluet bonis, et non erit quem formidet: 11. Quoniam tecum ego sum, ait Dominus, ut salvem te: faciam enim consummationem in cunctis gentibus, in quibus dispersi te: te autem non faciam in consummationem: sed castigabo te in judicio, ut non videaris tibi innoxius. 12. Quia hæc dicit Dominus: Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua. 13. Non est qui judicet judicium tuum ad alligandum: curationum utilitas non est tibi. 14. Omnes amatores tui obliti sunt tui, teque non quærent: plaga enim inimici percussi te castigatione crudeli: propter multitudinem iniquitatis tuæ dura facta sunt peccata tua. 15. Quid clamas super contritione tua? insanabilis est dolor tuus: propter multitudinem iniquitatis tuæ, et propter dura peccata tua feci hæc tibi. 16. Propterea omnes qui comedunt te, devorabuntur: et universi hostes tui in captivitatem ducentur: et qui te vastant, vastabuntur; cunctosque prædatores tuos dabo in prædam. 17. Obducam enim cicatricem tibi, et a vulneribus tuis sanabo te, dicit Dominus. Quia ejectam vocaverunt te Sion: Hæc est quæ non habebat requirentem. 18. Hæc dicit Dominus: Ecce ego convertam conversionem tabernaculorum Jacob, et tectis ejus miserebor, et ædificabitur civitas in excelso suo, et tem-

(1) Quæ duobus cap. XXX, XXXI, continetur prophetia tota versatur in eo, ut exsulibus tam Judæis quam Israelitis futurum quondam in patriam reditum, et totius reipublicæ instaurationem, et sub hoc typo, e captivitate peccati et diaboli redemptionem per Christum promittens, istam futuram felicitatem variis imaginibus describat, et vividissimis coloribus depingat. Verisimile est Jeremiam hanc prophetiam sub ultimo rege Sedecia edidisse, licet alii (ut Rosenmuller) post urbis excidium, earumque hebraicarum ruinam hanc pericopam litteris consignatam esse volunt. Hinc intelligitur, inquit, quare Jeremias jussus fuerit, vers. 2, non ut ante, *concionem* habere, et quæ ab eo sint annuntianda ad populum per sermonem deferre, sed *libro* inscribere, et ea ratione cum po-

plum juxta ordinem suum fundabitur. 19. Et egredietur de eis laus, voxque ludentium: et multiplicabo eos, et non minuentur : et glorificabo eos, et non attenuabuntur. 20. Et erunt filii ejus sicut a principio, et cœtus ejus coram me permanebit : et visitabo adversum omnes qui tribulant eum. 21. Et erit dux ejus ex eo : et princeps de medio ejus producetur : et applicabo eum, et accedet ad me; quis enim iste est, qui applicet cor suum ut appropinquet mihi, ait Dominus? 22. Et eritis mihi in populum, et ego ero vobis in Deum. 23. Ecce turbo Domini, furor egrediens, procella ruens, in capite impiorum conquiescet. 24. Non avertet iram indignationis Dominus, donec faciat et compleat cogitationem cordis sui : in novissimo dierum intelligetis ea.

3. CONVERTAM CONVERSIONEM (1).—Hæc tria, scilicet conversio, aversio, captivitas, apud Prophetas idem significant, scilicet captivos revertentes, *q. d.* Captivos Israelitas convertam et reducam ex Babylone in Jerusalem, duce Zorobabel sub Cyro. Nam non tantum ex Juda, sed etiam ex Israelis aliis tribubus, multi cum tribu Juda permixti redierunt : hoc enim promittitur Israeli, *Isaiæ* x, 22; ideoque dicit : « Convertam conversionem, » id est eos qui convertendi et redituri sunt, scilicet pauci e multis remansuris in captivitate Assyriaca et Babylonica. Ita Maldonatus.

Sub hoc tamen allegorice et potius intelligit reductionem Israelis et Judæorum ad Christum et Ecclesiam, juxta *Can.* VI, *q. d.* Reducam per Christum omnes tribus ad Ecclesiam, quæ prima eorum mater est et terra; et inde ad terram viventium, id est ad cœlestem patriam, quam patribus eorum promisi, *Hebr.* XI, 13. Nam ad Christum hæc pertinere patet ex sequentibus tam magnificis promissis, quæ tum hoc capite tum potius sequenti proponuntur; et ex eo quod Israel, sive decem tribus proprie nunquam redierint ex Assyriaca captivitate; unde et Propheta ea scribere jubetur pro tempore novissimo, vers. 2 et 24. Ergo sub captivitate Assyriaca et Babylonica, intelligit captivitatem Judæorum extremam factam per Romanos, et maxime per Titum (ut patet vers. 7, 11, 12), in pœnam occisi Christi, qua Judæi dispersi sunt toto orbe, eruntque vagi donec Antichristo se subdant: ex qua liberari cœperunt per Apostolos, sed plene liberabuntur per Christum in fine mundi, cum omnis Israel ad eum convertetur et salvabitur per Eliam et Henoch; tunc enim ad regnum Christi adducetur, et Hierosolymitana, id est Ecclesiæ, civitate donabitur. Ita passim omnes Interpretes Catholici. Loquitur enim Propheta non tam de temporali, quam de spirituali reditu e captivitate diaboli et peccati, quam figuravit captivitas, uti Babylonica, ita et Romana. Inchoate ergo a captivitate peccati et diaboli liberavit Judæos Christus in primo suo adventu, quia paucos liberavit; et de eo intelligunt hæc S. Hieronymus, Rabanus, Hugo et Vatablus, sed complete id faciet sub secundum adventum, cum omnes salvabit; unde tunc plene implebitur hæc prophetia. Ita Lyranus.

Cyrus fuit typus Christi, Babylon peccati, Jerusalem Ecclesiæ.

S. Hieronymus vult hæc dicta esse a Jeremia, anno 1 Sedeciæ, scilicet eodem quo dicta sunt illa quæ continentur duobus præced. capitibus. Vide chronotaxin.

5. VOCEM TERRORIS (scilicet Chaldæorum invadentium Jerusalem) AUDIVIMUS. — Ita Theodoretus (2). Vers. 5.

Mystice, vocem accipe tyrannorum, qui tempore Apostolorum Ecclesiam, et Judæos ad eam

pularibus, quaquaversum dispersis, opportuno tempore communicare.

Cap. XXX, post mandatum Dei ad prophetam de conscribendis uno in libro sermonibus divinis, 2; rationem mandati, et argumentum vaticinii de reductione exsulum, 3, 4; sequitur prophetia pertinens ad Judaicum populum, ubi Propheta,

PRIMO, exponit, *primo*, præsentem populi statum luctuosum, 5-7; *secundo*, futuram, Deo operante, in melius conversionem, 8-11.

SECUNDO, expositionem factam amplificat, *primo*, vindicando Dei justitiam in præsentibus calamitatibus, 12-15; *secundo*, ostendendo ejusdem misericordiam in reddenda oppressoribus vindicta, et oppressis libertate, amplitudine ac gloria, 16-22; *tertio*, cavendo ne improbi promissionem hanc sibi factam existiment, 23, 24.

(1) « Hæc dicit Dominus Deus Israel, dicens : Scribe tibi omnia verba, » etc. Jubetur Jeremias hæc quæ duobus hisce capitibus de reditu Judæorum eorumque republica instauranda prænuntiantur, in libro litteris consignare, ne, quoniam hæc tempora remotiora spectabant, memoria eorum oblivione deleretur, et, ut Judæi promissa hæc apud se tanquam pignora servarent, nec animum in diurnis calamitatibus despondeant.

(Rosenmuller.)

Cæterum, ut monet Calmetus, Propheta mandatum accipit litteris consignare tantum quæ hic et nunc locutus est Deus; non enim hoc tempore vaticinia sua scripto tradere cœpit Jeremias, hoc illi imperaverat Deus anno Joakimi quarto; atque hoc vaticinium ad Sedeciæ regnum pertinere creditur.

(2) Post verba: *Quoniam hæc dicit Dominus*, Schnurrerus vere monet addendam esse formulam illam, quasi historicam, quæ frequentissime omittitur a Nostro, scilicet : *dicunt*. Qui verba facere nunc finguntur Judæi, sunt in Babylonia exsules, iique brevi in libertatem atque in patriam restituendi. Ii vero haud prius in libertatem vindicari posse credibile erat, quam fracta Babyloniorum potentia, cujus ruina, quia cum horridis bellorum calamitatibus non conjuncta esse non potuit, vates illorum temporum terrores eleganter ita depingit, ut qui tunc victuri sint, exsules Judæos in hunc modum loquentes inducat, *vocem terroris*, etc. (Rosenmuller.) Hæc Babylonis ruina erat figura idololatriæ casus in primo Christi adventu, et Antichristi ejusque fautorum in secundo.

conversos persecuti sunt, ut patet *Act.* VIII, 1. Rursum, vocem Titi et Romanorum, et maxime vocem Antichristi (Gog et Magog) qui acerrime persequetur Judæos a se ad Christum, per Eliam et Henoch desciscentes. Ita Lyranus, Vatablus, Dionysius. Hæc enim erit dies tribulationis, cui nunquam fuit, nec erit similis. « Prædicit Propheta, inquit S. Hieronymus, tempus miseriæ ingentis, ut lætioris gaudii tempus inferat. »

FORMIDO, ET NON EST PAX. — Hebraice clarius vertas in genitivo, *formidinis, et non pacis*; supple, *vocem audivimus.*

Vers. 6. 6. SI GENERAT MASCULUS, — si mas parit, ut femina, *q. d.* Cum viri non experiantur dolores partus, ut feminæ; quid est tamen quod Judæi jam dicti, muliebri dolore oppressi, manus non ad arma, sed ad renes lumbosque tenendos, quasi parturientes conferunt, ad comprimendum dolorem? Est metalepsis, significans acerbitatem doloris. Ita S. Hieronymus.

Aurugo est morbus regius segetum. CONVERSÆ SUNT UNIVERSÆ FACIES IN AURUGINEM, — in pallorem auri. Est enim *aurugo*, sive ærugo, vel rubigo, vitium segetum, et quasi morbus earum regius, quo scilicet culmi pallescunt in modum auri vel æris, itaque paulatim arescunt, et quia hic color est in ictericis, puta in morbo regio: hinc Septuaginta, Aquila et Symmachus vertunt, ἴκτερος; Theodoretus, ὠχρίασις, id est pallor. Hinc etiam Cornelius, Celsus et Apuleius: « Morbus ictericus, inquiunt, dicitur aurugo, a colore auri quem efficit; » et quia idem color ex timore et pavore oritur, hinc est quod Jeremias hic dicit: « Et conversæ sunt universæ facies in auruginem. »

Vers. 7. 7. MAGNA DIES ILLA. — « Magna, » id est terribilis, et mire calamitosa, instar diei judicii, quæ proinde vocatur « dies magna, » *Sophon.* I, 14; *Judæ* vers. 6; *Apocal.* V, 12, et VI, 17.

EX IPSO. — Hebræus *ex ipsa*, scilicet ipsa tribulatione, salvabitur Israel; quia Deus conteret jugum ejus, scilicet tyranni, tum Nabuchodonosoris, tum potius diaboli et Antichristi, ut nulli amplius serviat Israel, nisi Deo et Davidi, id est Christo filio Davidis, tum in hac vita, tum maxime in cœlo. Vide *Can.* XXI. Ita S. Hieronymus, Theodoretus et passim alii cum Chaldæo. Sic Christus vocatur David, *Ezech.* XXXVII, 25; Theodoretus tamen et S. Thomas per Davidem intelligunt quoque Zorobabel, et Simonem, Machabæum posteros Davidis. Verum hi non fuerunt reges, imo tunc servierunt Judæi alienis regibus et principibus, scilicet Persis, Græcis et Romanis. Miscet ergo hic Propheta typum cum antitypo: hæcque magis antitypo quam typo conveniunt. Vide *Can.* IV et V. Sensim ergo Propheta a Cyro avolat ad Christum, ipsumque intelligit, non allegorice, sed litteraliter.

Avolat sensim Jeremias a Cyro ad Christum.

11. FACIAM CONSUMMATIONEM IN GENTIBUS (1) (fundi-

tus perdam alias gentes; te vero, o Israel, nequaquam; sed) IN JUDICIO (id est cum moderamine et æquitate quadam) CASTIGABO, — non summo jure, et rigida justitia; ita tamen, ut, quia gravia sunt peccata tua et dura, non possint sanari nisi mordacissimo pulvere, et ardenti cauterio, quo putidas carnes et insanabiles amputem; videlicet longa et dura captivitate, ut sequitur. Ita S. Hieronymus. Secat carnifex, secat et chirurgus: ille ut occidat, hic ut sanet. Deus secat ut chirurgus, non ut carnifex.

UT NON VIDEARIS TIBI INNOXIUS. — Hebræus, *mundans non mundabo te, q. d.* Putas te, o Judæe, quia Dei es cultor, præ gentibus esse purum et sanctum; sed ego puniendo ostendam te immundum et noxium. Aliter Chaldæus, *perdendo non perdam te*; Vatablus, *non ad purum putum te excoquam*; quia sic deberem te perdere, abstergere, et tollere de mundo hoc; etsi omnes tuas sordes defricare vellem, citius te frangerem quam corrigerem. Ita Maldonatus et Sanchez.

Moraliter significat hic Propheta, ait S. Hieronymus: « Quod omnis mundus indigeat misericordia Dei, et nullus, quamvis sanctus sit, securus pergat ad judicem. » Et S. Augustinus, teste Possidonio, in ejus *Vita*, dicebat neminem quamvis justum, sine pœnitentia debere ex hac vita discedere. Unde ipse moriens volvebat et recitabat Psalmos Pœnitentiales, magno doloris et contritionis sensu.

12. INSANABILIS FRACTURA TUA. — « Fractura, » Vers. 12. id est pœna et plaga tua; puta vastatio Jerusalem et captivitas Babylonica, aiunt S. Hieronymus et Theodoretus, *q. d.* Infligam tibi plagam quæ ab humana manu sanari non possit: ego tamen post septuaginta annos eamdem sanabo; *secundo*, « fractura » hæc est desolatio Judæorum sub Tito, eorumque dispersio: hæc « insanabilis » est, quia ex decreto Dei durabit usque ad Antichristum, a cujus, uti et diaboli jugo liberabit eos Christus, et ex eis civitatem, id est Ecclesiam, ædificabit, vers. 18. Ita Lyranus et Vatablus. *Tertio*, S. Hieronymus per *fracturam* intelligit quoque plagas et persecutionem Ecclesiæ primitivæ, quam ipsa passa est a gentilibus Imperatoribus per trecentos annos. Verum hic sensus non congruit huic loco: illa enim persecutio non fuit pœna peccati fidelium, sed fuit gloria et incrementum Ecclesiæ; quia tunc ipsa maxime per martyria crevit et floruit.

13. NON EST QUI JUDICET, — nullus est chirurgus, qui judicium morbi tui habeat, aut sciat quo me-

(1) « Sed servient Domino Deo suo, et David regi suo. » Hæc ultima verba Chaldæus recte interpretatus est, inquit Rosenmuller, *et obedient Messiæ, filio Davidis, regi suo.* Davidis nomine Messias et appellatur, *Ezech.* cap. XXXIV, vers. 23, et XXXVII, 24; vel, quod alter David futurus, vel quod ex ejus stirpe oriturus. Ad Zorobabelem hunc locum retulit Grotius. Male profecto; neque enim rex erat Zorobabel, nec sine nomine regis, exercuit regiam potestatem.

dicamine curari possit plaga tua. Unde « curationum utilitas, » vel, ut Chaldæus, *medicina* « non est tibi, » *q. d.* Nullus est qui possit, aut velit et curet, cogitetque de tua sanitate. Tanta est tua plaga, tanta est vilitas tua, tanta rerum omnium desolatio et desperatio, ut non sit princeps aut Propheta, qui de tua salute sollicitus sit, eamque procuret.

14. OMNES AMATORES TUI OBLITI SUNT TUI (1). — «Amatores» hic vocantur, *primo*, Ægyptii et aliæ gentes ad quas soles, o Judæa, confugere et opem petere; *secundo*, idola eorum et tua; *tertio*, sacerdotes tui et principes; *quarto*, mystice, *q. d.* Angeli præsides, quibus chara, et curæ eras antequam Dominum offenderes, te deserent. Ita S. Hieronymus. *Quinto*, tropologice, *q. d.* Divitiæ, voluptates, amici, et omnia bona quæ contra Deum amasti, te deserent, teque non quærent, non invisent, non rogabunt quomodo valeas, quid habeas, quo loco sint res tuæ. Ita Chaldæus et Vatablus. Cogita hoc qui voluptuaris, et moriturus es brevi. Vide dicta *Thren.* I, 2 et 19. Causam subdit dicens :

PLAGA ENIM INIMICI (qualem solet infligere inimicus, etsi ego quasi pater castigans filium, amico animo et paterno eam tibi inflixerim) PERCUSSI TE. — Reipsa enim erat acerba, dura et crudelis, ut sequitur; quia talem poscebat tua dura, obstinata et inflexibilis cervix.

DURA (hebraice עצמו *atsemu*, id est roborata et obfirmata sunt, invaluerunt) PECCATA TUA, — et numero, et magnitudine : quia antiquis peccatis nova addidisti; *secundo*, « dura, » id est gravia et incurabilia, *q. d.* Ideo non in judicio, sed in misericordia castigavi te, quia si in judicio castigassem, ob peccata tua gravissima debuissem te occidere : quod facere nolui propter meam promissionem, cap. IV, vers. 27, et cap. V, 10.

Vers. 16. 16. PROPTEREA, — id est verumtamen, porro Est enallage adverbii : vide *Can.* VI; vel « propterea, » *q. d.* Ne conqueraris te puniri; hostes vero tuos non puniri, gravius eos puniam quam te. Vide *Isaiæ* XXXIII, 1. *Tertio*, Sanchez hæc refert ad vers 10, *q. d.* Ut illa compleam quæ tibi promisi, propterea efficiam ut commutata fortuna devorentur, et in servitutem abducantur Chaldæi, qui te captivarunt et devorarunt.

Vers. 17. 17. OBDUCAM ENIM CICATRICEM TIBI, — vulnus præteritæ tuæ desolationis et calamitatis reparabo et reducam, ut nulla appareant vel remaneant ejus signa. Patet ex seq., *q. d.* Jerusalem desolatam civibus; templum Dei laude et psalmodia; pauperes opibus; populum sobole replebo et resarciam tunc, cum non erit qui de eo cogitet aut requirat.

18. CONVERTAM CONVERSIONEM TABERNACULORUM JACOB, — *q. d.* Reducam tabernacula Jacob, quæ hinc translata sunt : *tabernacula* vocat familias Judæorum, qui in Babylone quasi peregrini habitabant in casis et tabernaculis : inde sequetur Judæorum e Babylone in Judæam redeuntium jubilus, Dei laus, etc., ut sequitur.

19. ET ÆDIFICABITUR CIVITAS (Jerusalem) IN EXCELSO Vers. 19. SUO (in monte Sion), ET TEMPLUM JUXTA ORDINEM SUUM, — *q. d.* Templum in pristinum statum restituetur; *secundo* et potius, *q. d.* Ædificabitur a Christo excelsa Ecclesia, ex Judæis conversis ad Christum collecta, sua habens Christiana templa, maxime post Antichristum, quæ mox in cœlo civitatem et templum perenne constituet, ubi glorificabo eos, ut sit eis perennis laus, id est gratiarum actio, « voxque ludentium, » id est gaudentium, *Apocal.* XXI, 12.

21. ET ERIT DUX, — non tam Zorobabel, ut volunt S. Thomas et Theodoretus, licet ad eum typice alludant, quam Christus. Ita omnes Hebræi et Latini. Unde Chaldæus vertit, *et ungetur rex eorum ex illis, et Christus de medio eorum revelabitur.* Nota : Pro *dux* hebraice est אדיר *addir*, id est magnificus, gloriosus, præpotens, scilicet dux (2).

APPLICABO EUM (ducem Christum), ET ACCEDET AD ME — per unionem hypostaticam humanitatis ad Verbum, aiunt S. Hieronymus, Rabanus et Hugo; *secundo* et melius, Lyranus et Vatablus, per unionem voluntatum, *q. d.* Conjungam eum mihi amicitia perfectissima, dicamque : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. » Unde sequitur :

QUIS ENIM ISTE EST? — *q. d.* Quis Angelorum vel hominum tam eximius est, ut Filius meus? qui mihi conjunctissimus per fiduciam, amorem et obedientiam, mihi applicabit; Vatablus, *pelliciet*, vel devovebit, cor suum, ut meam semper perficiat voluntatem, et vicissim pro mortalibus me placet et exoret : unde *Isaiæ* XLVI, 11 : Pater vocat eum virum voluntatis meæ. Vide *Hebr.* X, 5. Septuaginta et Chaldæus hæc verba referunt ad populum, scilicet Christi. Unde de eo sequitur : « Et eritis mihi in populum. » Præclare S. Augustinus in *Sent.*, num. 91 : « Deo, inquit, qui ubique est, non locis, sed actionibus, aut longinqui aut proximi sumus : quia sicut nos separat dissimilitudo, ita nos illi conjungit imitatio; » et num. 123 : « Non locorum intervallo acceditur ad Deum, vel receditur ab eo; sed similitudo facit proximum;

(1) Non invisunt nec quærunt quomodo valeas; perstat enim, recte monente Kimchio, in similitudine ægrotæ et graviter vulneratæ feminæ. Solent, inquit, ægrotum amici invisere et de ejus statu quærere; sed cum vident morbum invalescere et ad mortem vergere, de eo desperantes haud amplius quærunt.

(2) Sine causa ergo asserit post Schnurrerum Rosenmuller, contra istam Hebræorum et Christianorum interpretationem, Messiam qui hic sibi deprehendisse visi sunt, non habere quo opinionem suam tueri possint, infirma hac ratione fretus, quod in hoc loco voces hebraeæ אדיר *adir*, dux, et משל *maschel*, dominator, nihil habent quod efficiat, ut ad unum aliquem eumque singularem referri debeant; sed utrumque nomen plures complectatur, et positum sit collective. Hoc sane concedi potest in sensu proximo et imperfecto de Zorobabele hæc verba intelligi posse; sed in sensu adæquato non nisi ad Christum referenda sunt.

dissimilitudo longinquum. Et nimia miseria est, ab eo bono longe esse, quod ubique est. »

23. ECCE TURBO (scilicet sententiæ vindictæ et damnationis, non tam temporalis in capite Chaldæorum, quam æternæ) IN CAPITE (Antichristi et) IMPIORUM (ejus, qui Ecclesiam et populum Dei persecuti sunt) CONQUIESCET.

24. IN NOVISSIMO DIERUM (tempore Christi, et maxime in fine mundi) INTELLIGETIS EA. — Ita Lyranus et Dionysius.

CAPUT TRIGESIMUM PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit quasi sub typo liberationis Israelis ex Ægypto, Babylone et Assyrio, symbolice describere libertatem, lætitiam, bonaque novi Testamenti, et Ecclesiæ multiplicationem per multas terrenas metaphoras, quorum bonorum omnium fons est, quod femina circumdabit virum. *Denique, vers.* 31, *se novum fœdus cum Israelitis sanciturum promittit scribendo legem suam non in tabulis, sed in cordibus eorum, ut omnes cognoscant Dominum. Vide* Can. VIII et XIX. *Ita S. Hieronymus, Rabanus, Lyranus et Vatablus* (1).

1. In tempore illo, dicit Dominus : Ero Deus universis cognationibus Israel, et ipsi erunt mihi in populum. 2. Hæc dicit Dominus : Invenit gratiam in deserto populus, qui remanserat a gladio : vadet ad requiem suam Israel. 3. Longe Dominus apparuit mihi. Et in charitate perpetua dilexi te : ideo attraxi te miserans. 4. Rursumque ædificabo te, et ædificaberis, virgo Israel : adhuc ornaberis tympanis tuis, et egredieris in choro ludentium. 5. Adhuc plantabis vineas in montibus Samariæ : plantabunt plantantes, et donec tempus veniat, non vindemiabunt : 6. quia erit dies, in qua clamabunt custodes in monte Ephraim : Surgite, et ascendamus in Sion ad Dominum Deum nostrum. 7. Quia hæc dicit Dominus : Exsultate in lætitia Jacob, et hinnite contra caput Gentium : personate, et canite, et dicite : Salva, Domine, populum tuum, reliquias Israel. 8. Ecce ego adducam eos de terra Aquilonis, et congregabo eos ab extremis terræ : inter quos erunt cæcus et claudus, prægnans et pariens simul, cœtus magnus revertentium huc. 9. In fletu venient : et in misericordia reducam eos : et adducam eos per torrentes aquarum in via recta, et non impingent in ea : quia factus sum Israeli pater, et Ephraim primogenitus meus est. 10. Audite verbum Domini, Gentes, et annuntiate in insulis quæ procul sunt, et dicite : Qui dispersit Israel, congregabit eum : et custodiet eum sicut pastor gregem suum. 11. Redemit enim Dominus Jacob, et liberavit eum de manu potentioris. 12. Et venient, et laudabunt in monte Sion : et confluent ad bona Domini, super frumento, et vino, et oleo, et fœtu pecorum et armentorum : eritque anima eorum quasi hortus irriguus, et ultra non esurient. 13. Tunc lætabitur virgo in choro, juvenes et senes simul : et convertam luctum eorum in gaudium, et consolabor eos, et lætificabo a dolore suo. 14. Et inebriabo animam sacerdotum pinguedine : et populus meus bonis meis adimplebitur, ait Dominus. 15. Hæc dicit Dominus : Vox in excelso audita est lamentationis, luctus, et fletus Rachel plorantis filios suos, et nolentis consolari super eis, quia non sunt.

(1) Prosequitur in hoc capite Jeremias argumentum in capite præcedenti inchoatum, exponendo prophetiam ad Ecclesiam Christi maxime pertinentem.

PRIMO, proponit divinam beneficentiam, *primo, erga Israelitas*, contestatam antiquitus, 1-3, promissam uberius, et auctam jucundius, 4-9; *secundo, erga Gentiles*, evocatos ad communem lætitiam, 10, 11; admissos ad participandam bonorum affluentiam, 12-14; confirmatos spe mercedis ex variis perpessionibus capiendæ, 15-17; *tertio, erga fideles*, conversos ad pœnitentiam afflictionibus et gratia prævenienti Dei, vers. 18, 19; expertos fide Dei fraternam miserationem, vers. 20, 21; excitatos novo miraculo *feminæ circumdantis virum ad continentiam*, vers. 22.

SECUNDO, illustrat propositionem factam, recensendo promissa divina, *primo*, de danda libertate, tranquillitate vitæ, et rerum affluentia, 22-27; *secundo*, de reddenda omnibus secundum propria merita justitia, 28-30; *tertio*, de feriendo novo fœdere, et lege cordibus omnium inscribenda, 31-34.

TERTIO, confirmat promissiones datas, *primo* asserendo potius mutandum naturæ ordinem, quam fidem datam, 35-37; *secundo*, prædicendo ampliandam Hierosolymam ultra terminos priores, 38-40.

16. Hæc dicit Dominus : Quiescat vox tua a ploratu, et oculi tui a lacrymis : quia est merces operi tuo, ait Dominus : et revertentur de terra inimici. 17. Et est spes novissimis tuis, ait Dominus : et revertentur filii ad terminos suos. 18. Audiens audivi Ephraim transmigrantem : Castigasti me, et eruditus sum, quasi juvenculus indomitus : converte me, et convertar : quia tu Dominus Deus meus. 19. Postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam : et postquam ostendisti mihi, percussi femur meum. Confusus sum, et erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ. 20. Si filius honorabilis mihi Ephraim, si puer delicatus : quia ex quo locutus sum de eo, adhuc recordabor ejus. Idcirco conturbata sunt viscera mea super eum : miserans miserebor ejus, ait Dominus. 21. Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines : dirige cor tuum in viam rectam, in qua ambulasti : revertere, virgo Israel, revertere ad civitates tuas istas. 22. Usquequo deliciis dissolveris, filia vaga ? quia creavit Dominus novum super terram : Femina circumdabit virum. 23. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel : Adhuc dicent verbum istud in terra Juda, et in urbibus ejus, cum convertero captivitatem eorum : Benedicat tibi Dominus, pulchritudo justitiæ, mons sanctus : 24. et habitabunt in eo Judas et omnes civitates ejus simul, agricolæ et minantes greges. 25. Quia inebriavi animam lassam, et omnem animam esurientem saturavi. 26. Ideo quasi de somno suscitatus sum : et vidi, et somnus meus dulcis mihi. 27. Ecce dies veniunt, dicit Dominus : et seminabo domum Israel et domum Juda semine hominum, et semine jumentorum. 28. Et sicut vigilavi super eos ut evellerem, et demolirer, et dissiparem, et disperderem, et affligerem : sic vigilabo super eos ut ædificem, et plantem, ait Dominus. 29. In diebus illis non dicent ultra : Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupuerunt. 30. Sed unusquisque in iniquitate sua morietur : omnis homo qui comederit uvam acerbam, obstupescent dentes ejus. 31. Ecce dies venient, dicit Dominus : et feriam domui Israel et domui Juda fœdus novum : 32. non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti ; pactum, quod irritum fecerunt, et ego dominatus sum eorum, dicit Dominus. 33. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus : Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam : et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum. 34. Et non docebit ultra vir proximum suum, et vir fratrem suum, dicens : Cognosce Dominum : omnes enim cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum, ait Dominus : quia propitiabor iniquitati eorum, et peccati eorum non memorabor amplius. 35. Hæc dicit Dominus, qui dat solem in lumine diei, ordinem lunæ et stellarum in lumine noctis : qui turbat mare, et sonant fluctus ejus, Dominus exercituum nomen illi. 36. Si defecerint leges istæ coram me, dicit Dominus : tunc et semen Israel deficiet, ut non sit gens coram me cunctis diebus. 37. Hæc dicit Dominus : Si mensurari potuerint cœli sursum, et investigari fundamenta terræ deorsum : et ego abjiciam universum semen Israel, propter omnia quæ fecerunt, dicit Dominus : 38. Ecce dies veniunt, dicit Dominus : et ædificabitur civitas Domino, a turre Hananeel usque ad portam anguli. 39. Et exibit ultra norma mensuræ in conspectu ejus super collem Gareb : et circuibit Goatha, 40. et omnem vallem cadaverum, et cineris, et universam regionem mortis, usque ad torrentem Cedron, et usque ad angulum portæ equorum Orientalis, Sanctum Domini : non evelletur, et non destruetur ultra in perpetuum.

Refelluntur Judæi.

Falluntur ergo Judæi moderni, qui hoc caput et præcedens ac similia, ut *Isaiæ* cap. LIV ; *Amos* cap. IX ; *Zachariæ* cap. XIV, ubi promittitur Judæis reditus e captivitate, ac felicitas et abundantia rerum temporalium, ad litteram crasse ut sonant accipiunt, quasi ea spectent ipsos et præsentem captivitatem, a qua liberandi sint per suum Messiam, quem jam per 1600 annos inani spe exspectant, et exspectabunt usque ad finem mundi.

Nam *primo*, Prophetæ loquuntur de captivitate illis præsenti, puta Babylonica, quam solvit Cyrus et Zorobabel, non de Romana per Titum, quæ nunquam soluta est, nec solvenda : imo hoc cap. Jeremias agit de captivitate Assyriaca, quam ad

litteram nunquam solutam, nec solvendam esse constat : ergo de mystica ejusdem solutione loquitur, quam fecit Christus.

Secundo. *Secundo,* perennem fore hanc Romanam eorum captivitatem docet Daniel cap. IX, vers. 27, ubi idipsum multis confirmavi.

Tertio. *Tertio*, quia Messiam jam venisse, ac proinde frustra alium jam venturum a Judæis exspectari, patet ex prophetia Jacob, *Genes.* XLIX, 10, de Messia venturo mox ut deficeret sceptrum de Juda, quæ jam in Christo impleta est. Vide ibi dicta, et ex *Dan.* IX, 25, et ex *Isaiæ* LIII, ubi passio et mors Christi nostri plane eodem modo, quo facta narratur ab Evangelistis aliisque historicis, futura prædicitur.

Quarto. *Quarto*, quia mystice, non crasse ad litteram, ut sonant, promissa hæc de solutione et reductione captivitatis, accipienda esse patet *primo*, quia illud vers. 15 : « Vox in excelso audita est, etc., Rachel plorantis filios suos, » ad infanticidium Herodis in odium Christi, pertinere docet S. Matthæus, cap. II, vers. 18, ipseque rei eventus. *Secundo*, illud vers. 22 : « Femina circumdabit virum, » non nisi ad B. Virginem Christum concipientem referri potest. *Tertio*, illud vers. 31 : « Feriam domui Israel et domui Juda fœdus novum, non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti; » plane significat vetus pactum cum Mose et Judæis initum, data lege in Sina, cum ex Ægypto a Deo educti sunt, antiquandum et abrogandum esse, eique surrogandum novum fœdus a Christo instituendum et sanciendum, uti urget et explicat Apostolus, *Hebr.* VIII, 8. Illud enim vetus fuit carnale, hoc novum est spirituale. Unde de eo ait vers. 33 : « Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam. Et non docebit ultra vir proximum suum, et vir fratrem suum, dicens : Cognosce Dominum : omnes enim cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum : quia propitiabor iniquitati eorum. » Quæ omnia per Christum sancientem novum fœdus in sanguine suo, quo propitiavit Deum pro peccatis nostris, qui et claram dedit suis cognitionem Dei et SS. Trinitatis, adimpleta esse, nec ulli alteri competere posse, luce clarius est.

Quinto. *Quinto*, quia hoc fœdus a Christo sanciendum cum gentibus, et ad gentes hanc Messiæ redemptionem spectare, eamque fore spiritalem, scilicet a dæmone, peccato et inferno, docent Prophetæ, ut Isaias cap. LV, vers. 4 : « Ecce testem populis dedi eum (Messiam), ducem ac præceptorem gentibus. Ecce gentem, quam nesciebas, vocabis : et gentes, quæ te non cognoverunt, ad te current. » Et cap. LX, vers. 3 : « Ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui. Leva in circuitu oculos tuos, et vide : omnes isti congregati sunt, venerunt tibi, » o Jerusalem, id est o Ecclesia Christi. Cap. XLIX, vers. 6 : « Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, et fæces Israel convertendas (imo vers. 5, clare dixit : *Israel non congregabitur*). Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ. » Et vers. 12 : « Ecce isti de longe venient, et ecce illi ab aquilone et mari, et isti de terra australi. » Vide vers. 22 et sequentes. Et cap. XLIII, vers. 5 et 6, et cap. XLII, vers. 1 et 7 : « Dedi, ait, te in fœdus populi, in lucem gentium. » Et cap. II, vers. 2 : « Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi, et dicent : Venite, et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus. » *Psal.* II, vers. 8 : « Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, » etc.

Sexto, Judæos a Christo ob infidelitatem ab hoc fœdere, ejusque bonis repellendos, et excæcandos esse clare prædicit Isaias, cap. VI, vers. 10 : « Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude : ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et sanem eum. » Et cap. L, vers. 1 : « Quis est hic liber repudii matris vestræ, quo dimisi eam, etc. Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis, et in sceleribus vestris dimisi matrem vestram. Quia veni, et non erat vir : vocavi, et non erat qui audiret. » *Osee* I, 6 : « Voca nomen ejus, Absque misericordia, quia non addam ultra misereri domui Israel, sed oblivione obliviscar eorum. » Et vers. 9 : « Voca nomen ejus, Non populus meus, et ego non ero vester Deus. » Et vers. 10 : « Et erit in loco (Gentilium) ubi dicetur eis : Non populus meus vos; dicetur eis, Filii Dei viventis. » Et sæpe alibi. Ergo hæc omnia promissa de Messia, de fœdere novo, de solvenda captivitate, dæmonis scilicet et peccati, gentes potius spectant quam Judæos : pauci enim Judæi ad Christum conversi hæc bona a Deo acceperunt; sed omnes accipient in fine mundi, cum ad Christum convertentur. Vide *Rom.* IX et seq. Sexto.

Septimo, ad hominem, Judæi pertinaciter urgent litteram : urgeamus eamdem et nos, eisque regeramus : Jeremias hoc cap. XXXI, tantum nominat et alloquitur Israel, Ephraim et Samariam, id est decem tribus quæ abductæ sunt in Assyrios, eisque promittit liberationem : ergo hæc non spectant ad duas tribus, id est ad Judæos modernos, sed ad Samaritas, et ad priscum regnum Israel, quod a Juda sub Roboam divisum et dissectum est. Septimo.

Octavo, fœdus novum quod hic per Messiam sanciendum promittitur, est lex nova, uti explicant veteres Rabbini apud Galatinum, lib. X, cap. X. Nam ipsi in libro Mechilta, explicantes illud *Exodi* XII : « Decima die mensis hujus, » dicunt : « Non est ברית *berit*, id est fœdus vel pactum nisi lex, sicut dictum est *Deuter.* cap. XXIX, 1. Hæc sunt

verba fœderis (id est legis : hanc enim in Deuteronomio promulgat Moses), quod præcepit Dominus Moysi, ut feriret cum filiis Israel in terra Moab : præter illud fœdus, quod cum eis pepigit in Horeb. » Idem *Exodi* XXXIV, 28 : « Et scripsit in tabulis verba fœderis decem ; » « fœderis, » i. e. legis : lex enim erat conditio fœderis; unde et fœdus hoc per legem explicat dum subdit : « Dabo legem meam in visceribus eorum. » Si lex nova danda erat per Messiam, ergo vetus et Mosaica per eumdem erat abroganda, futurumque ut abrogarentur circumcisio, sacrificia, purificationes, cæremoniæ aliaque carnalia præcepta lege veteri præscripta, hoc est ipse Judaismus; ac in spiritualia, v. g. in circumcisionem mentis et spiritus, in mortificationem passionum, in purum castumque Dei cultum in spiritu et veritate, id est in Christianismum, commutaretur. Hoc est enim quod promittit Deus : « Dabo legem meam; » non in corpore, « sed in visceribus eorum; et in corde, » non in carne, « eorum scribam eam. »

Vaticinatur de Samaria, in qua primo floruit Ecclesia.

Nota : Cap. præced. maxime egit de Ecclesia ex Judæis congreganda in fine mundi; quia ibi locutus est de duabus tribubus, earumque peccatis, desolatione et liberatione per Christum : pauci autem ex illis convertentur ante finem mundi. Hoc vero cap. loquitur de decem tribubus et Samaria, ubi statim post Christum floruit Ecclesia, deque ipso novo fœdere, quod Deus per incarnationem Christi nobiscum iniit. Itaque hoc cap. loquitur de primordiis Ecclesiæ Christi, quæ statim se sparsit per Ephraim, id est per Samariam, ibique avide recepta, mire propagata est, ut patet *Act.* VIII.

Ubi nota, *secundo*, recte dicere Jeremiam et Prophetas, quod Sion, Jerusalem, Ephraim, Samaria, etc., reducta sint, redempta, restaurata et reædificata per Christum : quia Christus veterem Ecclesiam (quæ erat in Judæa et Samaria) labantem, per novam quam ei substituit, restituit et restauravit, imo ad nobiliorem statum et dignitatem evexit; quando ex Israele, Juda et Ephraim terreno et carnali fecit Israelem, Judam et Ephraim cœlestem, spiritalem et divinum : itaque Prophetæ apposite suos cives, et sui temporis homines quos alloquuntur, consolantur, promittendo scilicet eis hæc bona et dona Christi. Vide *Can.* VI.

1. IN TEMPORE ILLO. — Hæc verba primi versus ad caput præcedens referunt S. Hieronymus, Lyranus, Hugo et alii, eoque pertinent (1).

2. INVENIT GRATIAM. — Septuaginta pro חן *chen*, id est *gratiam*, legerunt חם *cham*, id est *calidum*, ver-tuntque : Invenit (Deus) calidum, id est populum Hebræum in deserto fame et calore æstuantem.

POPULUS, QUI REMANSERAT A GLADIO. — Id est, ut Hebræa et Chaldæus, Judæi Ægypto exeuntes, qui tum Pharaonis, tum Dei, rebelles punientis, gladium in deserto evaserunt, invenerunt gratiam, et, ut ait Chaldæus, misericordiam apud Deum, ut intrarent in requiem in terra promissa. Ita Chaldæus, Lyranus, Vatablus, *q. d.* Multo ergo magis jam « vadet Israel, » id est fidelis populus, ducente Christo, « ad requiem » æternam.

Aliter S. Hieronymus, Rabanus et Hugo explicant, *q. d.* Populus Judæorum, qui immunis a Romano vel divino remanserat gladio, invenit gratiam in deserto gentium, ut intra turbam gentium in Ecclesia Christi salvaretur.

Tertio, Theodoretus, S. Thomas et Sanchez sic explicant, *q. d.* Ex Babylone per medium desertum reversus est Israel in patriam quietem. Verum primus sensus est genuinus.

VADET AD REQUIEM SUAM ISRAEL. — Vatablus et Pagninus vertunt : *Deus ivit ante eum* (Israelem), *ut illi requiem pararet* in Chanaan, sic et Chaldæus. Melius Noster vertit per futurum « vadet, » quia Hebræus et Septuaginta habent *vade*, id est vadet : melius enim imperativus accipitur pro futuro, quam pro præterito.

3. LONGE DOMINUS APPARUIT. — Id est longe a me recessit Dominus. Ita S. Hieronymus (2).

Secundo, in longum tempus differt Dominus apparere nobis, ut liberet nos e Babylone. Ita Hugo : vel ut Lyranus in finem mundi differt se ostendere : tunc enim complebit promissiones Judæis factas, de eorum ad Christum conversione et salute.

Tertio et optime, Chaldæus, Vatablus, Sanchez et a Castro sic explicant, *q. d.* A longo tempore, jam olim visus est, et favit mihi Dominus in Sina et deserto; at jam videtur me deseruisse in captivitate Babylonica, vel potius Assyriaca. Sunt verba Synagogæ, sive Israelis, id est decem tribuum, cui respondet Deus : Erras, mi popule, non te deserui, « et, » id est imo, quinimo, « charitate perpetua, » hebraice *olam*, id est a sæculo, ab olim, « dilexi te, » *q. d.* Eodem quo olim prose-

(1) Hæc verba, « in tempore illo, » referunt plures ad ultima verba cap. præced., « in novissimo dierum, » etc. Sed eo loco, ut bene notat Rosenmuller, verba, « in novissimo dierum intelligetis ea, » dicunt hoc futuro tempore Hebræos experientia intellecturos esse, minas divinas non esse vanas. Igitur « in tempore illo » potius intelligenda est felix illa ætas, de qua vates, cap. XXX, 18-22, locutus erat. Nam speciatim nunc explicat quod XXX, 22, in genere dixit.

(2) Prima hujus versus verba : « Longe Dominus apparuit mihi, » non posse ejusdem esse qui vers. 2 locutus est, et qui in altera hujus versus parte loquitur, Dei puta, apparet... J. D. Michaelis sibi visus est hic videre incipientem dialogum, in cujus prima parte loquatur Israel, respondeat deinde Deus. At si a verbis : « Longe Dominus, » etc., discesseris, non cernitur quod dialogi ullam speciem habere possit. Rectius interlocutionem populi, dixit Dathius, minus illam duram reputans, quam personarum istam variationem qua Deus modo de populo in tertia persona loquatur, modo ad populum ipsum convertat orationem. Potuisset Dathius suam sententiam tueri auctoritate Chaldæi interpretis, qui primum versum incisum sic exponit : *Dicit Jerusalem : Ab antiquis temporibus Jova se manifestavit*, etc.

(Rosenmuller.)

quor te amore, idque non merito vitæ tuæ, sed mea sola misericordia.

IDEO ATTRAXI TE, MISERANS, — *q. d.* Ideo conatus sum, et conor semper, jam blandiendo, jam flagellando, te ad me attrahere, quia tui misereor : quem enim diligo, castigo. Alii vertunt : *Attraxi te misericordia,* id est multis beneficiis, juxta illud *Osee* XI, 4 : « In funiculis Adam (id est amore et beneficiis, quibus allici et trahi solent homines) traham eos in vinculis charitatis. » Alii denique sic vertunt, *q. d.* Idcirco protexi diu meam erga te misericordiam, idcirco longa erga te patientia et misericordia usus sum. Ita R. David. Sed primus sensus est genuinus. Est hic quasi dialogus inter Deum et Synagogam. Ita S. Augustinus, lib. De *Altercat. Ecclesiæ et Synagogæ,* tom. VI.

Vers. 4. 4. RURSUMQUE ÆDIFICABO (restaurabo) — TE.

ADHUC ORNABERIS TYMPANIS. — Sicut cum Ægyto egressa es, et post transitum maris Rubri tam felicem, choreas duxisti ad tympanum Mariæ : ita jam restituam te in pristinam gloriam et festivam lætitiam, cum e Babylone et Assyria te reducam in Judæam, aiunt S. Thomas et Theodoretus, vide lib. III *Esdr.* V, 2. Et longe potius, cum te in Ecclesiam meam reducam, in eaque te ædificabo per Christum et Apostolos, juxta id quod promisit per Amos, cap. IX, vers. 11 ; tunc enim servies mihi, et gratias ages in hymnis et canticis spiritualibus. Ita S. Hieronymus, Rabanus, Hugo, Lyranus, Vatablus. Respondet hic Deus Judæis in Babylone mœrentibus et dicentibus, *Psal.* CXXXVI : « Super flumina Babylonis, illic sedimus et flevimus, cum recordaremur Sion. In salicibus in medio ejus, suspendimus organa nostra. Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? » Hisce enim libertatem, gaudium, cantica, tympana et choros se restituturum hic promittit (1).

5. ADHUC PLANTABIS VINEAS IN MONTIBUS SAMARIÆ. — Quia post reditum tres civitates Samariæ additæ sunt Judææ, I *Machab.* X, 30. Ita S. Thomas. Sed hoc exile est : nam non Judæi, sed gentes reliquam omnem possederunt Samariam, I *Esdr.* IV, 10. Oportet ergo hæc intelligere de conversione Samaritanorum ad fidem Christi, et per *vineas* particulares Ecclesias, *q. d.* Multos ad te, o Sion, o Ecclesia Christi, convertam in Samaria per prædicationem Evangelii, ut multas ibi fundes Samaritanorum Ecclesias. Ita factum esse patet *Joan.* IV, 41; *Act.* VIII, 14.

Constat enim Samaritanos, id est decem tribus, ab Assyriis in Assyriam abductos, nunquam in Samariam rediisse.

Mystice ergo hæc peracta sunt per Apostolos in Samaria, de quibus Isaias, cap. LII : « Quam pulchri super montes pedes annuntiantis et prædicantis pacem! »

PLANTABUNT PLANTANTES, ET DONEC TEMPUS VENIAT, NON VINDEMIABUNT. — Hebraice et Chaldaice est : *Plantabunt plantantes, et profanabunt,* sive *communem facient, q. d.* Uti olim *Levit.* XIX, 23, fructus arborum tribus primis annis immundi censebantur, nec Judæis licebat eis vesci ; quarto vero anno consecrabantur Domino, et quinto anno profanabantur, id est fiebant communes, et licebat omnibus, etiam profanis et laicis, eis vesci : ita Apostoli et similes multis annis, et multa patientia vineam Domini excolent, atque longanimiter expectabunt fructum, et tempus vindemiæ, qua tandem læte fruentur.

Verum, quia non labor, sed potius merces et fructus Ecclesiæ hic promittitur; hinc *secundo,* melius sic exponas, *q. d.* Uti Judæi olim juxta legem *Levit.* XIX, ita et Apostoli per longos multorum annorum labores, pervenient tandem ad optatum tempus vindemiæ, et fructu laborum suorum fruentur, cum viderint tot infideles converti, qui paulatim desuescent et obliviscentur gentilismum et judaismum, quos antequam ab eo fuerint purificati, non vindemiabunt, id est a pristinis ritibus vi non avellent; sed suaviter et sensim ab iis illos abducent, tumque ipsis plene purgatis vescentur, hoc est jucunde fruentur, eosque aliis communes facient, hoc est gaudium et fructum suum, puta eorum conversionem et conversationem sanctam aliis fidelibus communicabunt, uti fecit S. Paulus, *Rom.* I, 8.

6. QUIA ERIT DIES, IN QUA CLAMABUNT CUSTODES, — dicendo : Ascendamus e Babylone ad patriam nostram, in Jerusalem (2). Ita Theodoretus, Hugo, S. Thomas. *Secundo* et melius, S. Hieronymus, Rabanus, Hugo, Lyranus, Vatablus, *q. d.* Apostoli et alii vinearum, id est Ecclesiarum, custodes, Samariæ montes peragrantes evangelizando, clamabunt : Eia ascendamus ad Ecclesiam Christi in Sion fundatam, *q. d.* Convertent Apostoli Ephraim, id est decem tribus, ad Sion, id est ad Ecclesiam Christianam.

7. EXSULTATE IN LÆTITIA JACOB. — Hebraice לישקוב *leiaacob,* id est Jacobi, vel Jacobo, *q. d.* Congaudete et congratulamini Jacobo, id est Israelitis et Samaritis, ob lætitiam, libertatem et gratiam, quam attulit eis Christus, Philippus, Petrus et Joannes, *Act.* VIII.

HINNITE CONTRA CAPUT GENTIUM, — vociferamini jubilantes contra gentes, vel coram gentibus, ut illæ vobis adhinniant, et pariter in Christi fide

(1) Cum Israelem cum virgine comparet, ad conversionem ejus ab idololatria ad Deum respiciens, ædificatio ejus non tantum domorum in ejus usum constructionem in Chananæa, sed et familiarum multiplicationem continet, quæ hac phrasi quoque exprimitur, ut *Exod.* I, 21; *Matach.* III, 15, et alias, nec emphasi caret, quod Deus dicat : *Ædificabo te et ædificaberis;* certitudo enim eventus, simulque perpetuitas significatur. Vocula vero עוד *rursum, iterum,* respicit ad destructionem prægressam a Deo reparandam. (Venema.)

(2) Intelliguntur speculatores in montibus constituti, qui dies festos statos proclamant, quemadmodum hodiedum Mohamedanis constituti præcones de turribus precationes elata et canora voce promulgant. (Rosenmuller.)

jubilent. Hebraice est, *in capite Gentium*, id est primi inter gentes, vel ante gentes fruimini Evangelio vos, o Samaritæ, ideoque jubilate. Alii vertunt, *contra Gentes*, scilicet qui Evangelio resistent, aut, ut Lyranus, contra diabolum, quæ est caput Gentium.

SALVA, DOMINE. — « Salva, » id est salvasti : ita Septuaginta et Chaldæus. Est enim vox redeuntium e captivitate, et proinde non tam futuram salutem postulantium, quam de ea jam accepta gratias agentium et jubilantium. Ponitur per enallagen Hebraicam imperativus pro præterito. Hoc enim significat hebræum *Hosanna*, quod Christo quasi Messiæ suo inaugurando, ac Triumphatori acclamarunt Judæi, *Matth.* XXI, 15. Ita Maldonatus, Sanchez, Caninius et alii. *Hosanna* ergo idem est, *q. d.* Salvasti nos, et salvare nos perge. Tu es enim omnis salus nostra, tu salvator perennis.

8. INTER QUOS ERUNT CÆCUS, — *q. d.* Omne genus hominum, sine personarum acceptione e terra Aquilonis, id est e Chaldæa, redibit, etiam cæci, claudi et prægnantes, qui minime possunt iter suscipere, præsertim tam longum. Ita Chaldæus, Hugo, S. Thomas et Theodoretus.

Secundo, et potius, omne genus hominum ex terra Aquilonis, id est ex regno diaboli, per Christum redibit ad Deum et Ecclesiam, a qua per peccatum exciderat. Ita S. Hieronymus, Rabanus, Hugo, Lyranus et Vatablus. Septuaginta vertunt : *Congregabo eos ab extremo terræ in solemnitate paschæ*, quasi post diem paschæ Judæi egressi sint Babylone (licet nec Esdras, nec Josephus id habeant), sicut Christus in paschate occisus, multos statim collegit sibi filios. In Christo ergo verificatur hæc versio Septuaginta.

9. IN FLETU VENIENT. — Flebunt fideles venientes, partim præ gaudio et lætitia spirituali, ob tantum bonum et salutem; partim præ contritione peccatorum suorum; partim, ut Lyranus, præ amore et compassione Christi, pro se patientis et crucifixi. Septuaginta et Chaldæus vertunt : *In fletu iverunt*, scilicet in captivitatem, *sed in gaudio revertentur*.

ADDUCAM EOS PER TORRENTES AQUARUM, — puta per doctrinas Apostolorum et Prædicatorum, qui quasi torrentes fundent aquam gratiæ, et sanæ doctrinæ. *Secundo*, per Sacramenta, quæ sunt fontes gratiæ. Ita Lyranus. His deducentur fideles in viam rectam et facilem sine offendiculis. *Tertio* et planissime : « Adducam eos per torrentes aquarum, » id est faciam eos superare omnia obstacula, omnesque viæ difficultates, eisque quasi viam complanabo, ut omnes ad Ecclesiam expedite venire possint. Hoc est quod promittit Isaias cap. XL, 4 : « Omnis vallis exaltabitur, et omnis mons et collis humiliabitur, et erunt prava in directa, et aspera in vias planas. »

QUIA FACTUS SUM ISRAELI (id est duabus tribubus) PATER, ET EPHRAIM PRIMOGENITUS MEUS EST. — « Ephraim, » id est decem reliquæ tribus, inquiunt S. Hieronymus, Rabanus et Hugo; vel, ut a Castro, « Israel » vocantur duæ tribus, « Ephraim » vocantur decem tribus : hic ergo Ephraim mihi charus est ut primogenitus.

Alludit ad Jacob, qui Manassi seniori filio prætulit Ephraim juniorem, decussatis manibus ei dexteram imponens, quo significabat per crucem Christi Samaritas et gentes in Ecclesia Christi primas futuras, et præponendas Judæis, qui priores et potiores erant in filiatione, cultu et templo Dei. Unde efficacius cum Sanchez hunc locum sic vertas et explices, *q. d.* Ego per Apostolos factus sum Israeli, id est Samaritis, pater, id est tanquam pater : pater, inquam, ille, a quo vocati sunt Israelitæ (1).

Dices : Israelitæ, id est decem tribus jam translatæ erant in Assyriam, et pro eis in Samariam submissi sunt ex Assyria coloni, qui dicti sunt Cuthæi; quomodo ergo eos hic vocat Israelitas et Ephraimitas? Respondeo : Causa est, quia priores incolæ Samariæ fuerunt Israelitæ, præsertim quia multi veri Israelitæ vel remanserunt, vel redierunt in Samariam, ut patet *Jeremiæ* III, 18, et *Tobiæ* XIV, 6. Quocirca Cuthæi cum eis coaluerunt in unam gentem, dicique et haberi voluerunt Israelitæ : unde et Deum Israel coluerunt, ut patet IV *Reg.* XVII, 28. Denique quia conversi ad Christum facti sunt genuini Israelitæ, id est posteri et filii Jacobi et Abrahæ secundum fidem et spiritum, *Rom.* cap. IX, 7.

11. DE MANU POTENTIORIS (2), — id est de potestate tum Nabuchodonosoris, tum potius diaboli.

12. ET LAUDABUNT IN MONTE SION (in Ecclesia), ET CONFLUENT AD BONA DOMINI (scilicet) SUPER FRUMENTO, ET VINO, ET OLEO. — Id est ad frumentum, vinum et oleum. Ita Vatablus. Nota catachresin : per hæc enim bona terrena significantur bona spiritualia, quæ hic inchoantur, et complebuntur in cœlo. Per *frumentum* et *vinum* significatur Eucharistia : ipsa enim est « frumentum electorum, et vinum germinans virgines, » *Zachar.* IX, 17. Per

(1) Inter cæteras tribus Israelitarum, tribus Ephraim sicut populi primogenitus haberi poterat, propter primogenituram Josepho, loco Ruben, concessam, I *Paralip.* V, 1, 2, cujus et diu regnum in cæteras tribus fuit, ita ut hic esset sensus juxta Venemam, quem sequitur J. D. Michaelis : Non amplius Juda imperio premet Ephraimum, nec hic spretus mihi erit; erunt omnia ut olim; Ephraimum iterum ut primogenitum amabo, diuturnæ apostasiæ immemor. Attamen vox *primogenitus* melius forsan sic accipietur pro *dilectus*, nam licet post captivitatem Babylonicam Juda et Israel in unius populi corpus coaluerint, Israel, adventante Christo, singulari gratia præ Juda, cumulatus fuit; nam præsertim in tribubus Zabulon et Nephtali quæ ad regnum Israel pertinebant, versatus est, docuit et primos Apostolos accepit Christus.

(2) Vers. 10 : « Qui dispersit Israel, congregabit eum. » Hoc, inquit Kimchi, annuntiare jubetur gentibus ut intelligant, non ipsorum potentia factum esse, sed volente sic Deo, qui et eos illarum manibus, ipsis invitis, rursus sit erepturus.

oleum significatur Spiritus Sancti gratia et unctio : per *fœtus pecorum et armentorum*, multiplicatio fidelium, tum simplicium, tum sapientum.

NON ESURIENT, — *q. d.* Non habebunt penuriam cibi spiritualis verbi Dei, gratiæ et Sacramentorum ; sed iis pascentur et irrigabuntur instar horti, juxta aquas irrigui. Est metonymia : alioqui fideles qui hæc bona comedunt, adhuc esuriunt ampliorem gratiam ; sed in cœlo tolletur omnis eorum esuries, per consummatam gratiam et gloriam : inebriabuntur enim ab ubertate domus Dei, et torrente voluptatis suæ potabit eos.

Vers. 13. 13. TUNC LÆTABITUR VIRGO IN CHORO. — Ad litteram, ut alia taceam, videmus tot virginum turmas in cœnobiis, per choros laudes Deo canere.

Vers. 14. 14. INEBRIABO (*q. d.* Satiabo et copiose explebo) ANIMAM (id est appetitum) SACERDOTUM PINGUEDINE, — scilicet gratia Spiritus Sancti. Alludit ad victimas veteres, in quibus pinguissima pars, post eam quæ Deo cremabatur, cedebat sacerdoti, *q. d.* Pinguioribus victimis pascam sacerdotes novi, quam veteris Testamenti, nimirum corpore et sanguine Christi ; item donis Spiritus Sancti : quibus cum repleti essent Apostoli, videbantur esse ebrii, *Actor.* II, 13. Ita Maldonatus. Hanc pinguedinem vidimus, et videmus in B. Dominico, Vincentio, Xaverio aliisque sacerdotibus Apostolicis.

Vers. 15. Rama urbs quæ? 15. VOX IN EXCELSO. — Hebraice, *in Rama*. Rama nomen est urbis ita dictæ, quod sita sit loco excelso. Ita Septuaginta, Chaldæus et alii. Urbs hæc est in tribu Benjamin, juxta Gabaa et Bethel, et per eam a Jerusalem captivi ducti sunt Judæi in Babylonem, *Jerem.* XL, 1.

Dices : Cur in lætitia et jubilo Propheta meminit luctus? Respondeo, ut significet majorem fore lætitiam, quæ ex tanto luctu consequetur, et in quam luctus hic desinet ; dixerat enim vers. 14 : « Convertam luctum eorum in gaudium ; » unde subdit vers. 16 : « Quiescat vox tua a ploratu, » etc.

Ploratus Rachel in Rama quis? Quæres, quisnam hic luctus et ploratus?

Prima sententia. *Primo*, Origenes, *homil.* 3 in diversos ; Auctor *Quæst. novi et veteris Testamenti*, apud S. Augustinum, *Quæst.* LXII, et Hugo, accipiunt hæc de cæde Benjaminitarum ob vim illatam uxori Levitæ, *Judic.* XX, *q. d.* Rachel, mater Benjamin, horum nepotum suorum stragem ita ploravit, ut lamenta ejus audirentur in vicina urbe Rama.

Secunda. *Secundo*, aliqui apud S. Hieronymum hæc accipiunt de lamentatione matrum in excidio Hierosolymæ per Titum.

Tertia. *Tertio*, S. Hieronymus, Rabanus, Chaldæus, S. Thomas, Vatablus, Sanchez, a Castro et Maldonatus putant ad litteram hic agi de captivitate, vel Babylonica duarum tribuum, vel Assyriaca decem tribuum ; sicque explicant : Quia, inquiunt, Rachel fuit mater tribus Benjamin, quæ fuit una ex duabus abductis in Babylonem ; hinc significat matres plorantes captivitatem Babylonicam duarum tribuum. Addit R. Salomon, ideo Rachel sepultam esse in Judæa juxta Bethlehem, ut oraret pro filiis suis ea hora, qua illos ex patria sua Nabuzardan expelleret in Babylonem. Rursum, quia Rachel fuit mater Joseph, patris Ephraim, qui fuit caput decem tribuum ; hinc Rachel significat hic matres in Samaria, plorantes captivitatem decem tribuum. Verum sic dicendum fuisset quod Rachel in Samaria, vel Ephraim ploraret ; non autem in Rama. Rursum S. Matthæus, cap. II, 18, ait hanc prophetiam impletam esse in matribus plorantibus infantes suos, quos Herodes occidit in odium Christi : ergo non est impleta in matribus plorantibus excidium Hierosolymæ per Babylonios vel Assyrios.

Dices : In his impleta est litteraliter, in illis allegorice : eo quod matres hæ plorantes typus, aut potius simile quid fuerint illarum, infantes suos occisos plorantium, quasi dicat Matthæus : Verba Jeremiæ dicta de excidio Hierosolymæ, recte etiam quadrant infanticidio Herodis ; similis enim fuit in utroque luctus et planctus matrum. Verum obstat, quod Judæi ducti in Babylonem ob sua scelera, non recte possint dici typus infantium innocentium, et Martyrum, qui non in Babylonem, sed in cœlum per mortem conscenderunt. Rursum Scriptura non dicitur impleri in simili, vel cum simile quid accidit : alioquin enim diceremus omnes prophetias Jeremiæ, dictas de excidio Hierosolymæ, impletas esse in excidio Constantinopolis, et quarumvis urbium, quæ eversæ sunt : rursum passionem Christi impletam esse in passione cujusvis martyris, quod nemo dixerit. Non enim dici possunt impleri Scripturæ in sensu accommodatitio tantum : sic enim quidvis cuivis simili accommodantes, diceremur illud implere. Adde hunc sensum accommodatitium non esse intentum a Spiritu Sancto.

Quarta, et vera Rachel, id est matres Bethlehemitæ ploraruntin fantes suos occisos ab Herode. Dico ergo Jeremiam alludere quidem in nominibus Israel, Ephraim, Sion, terra Aquilonis, ad Babylonicam et Assyriacam captivitatem, ejusque planctum, ut dixi in synopsi capitis : revera tamen de ea non loqui, sed ad litteram loqui de planctu matrum Bethlehemitarum, ob infanticidium Herodis : toto enim hoc capite agit de tempore et Ecclesia Christi. Ita Theodoretus, Hugo, Lyranus, Vatablus et alii, imo S. Matthæus, II, 18. Quem locum Juvencus presbyter docte ita carmine expressit :

> Misero sobolis pro munere matres
> Horrendis graviter cœlum pulsare querelis.

Ubi nota τὸ *pro munere* : hi enim infantes fuerunt quasi munus gladiatorum, et spectaculum in hippodromo puerili necati, inquit Delrio, *adagio* 862.

Cur hæ matres vocentur Rachel? Prima causa. Nota per Rachel, utpote matrem, intelligi, omnes matronas Bethlehem. Est metonymia, qua per personam locus aut posteri significantur. Rachel enim mater fuit Benjamin, qui cum Juda fuit mixtus, adeoque Origenes ait Herodem infantes occidisse non tantum ex tribu Juda, sed et Benjamin :

et Rachel sepulta in Bethlehem, suo corpore quasi eam possedit, ut videretur esse magna mater omnium Bethlehemitarum.

Secunda. *Secundo*, significat amarum fuisse planctum, quia Rachel liberorum maxime fuit avida et amans, et consequenter in eorum morte maxime lugens; præsertim quia duos tantum habuit, et in unius, scilicet Benjamin, partu, dolens exspiravit in Bethlehem, ideoque eum vocavit Benoni, id est filium doloris. Addit a Castro Rachel quasi mortuam excitari ad planctum, quasi tanta sit calamitas, ut ad eam plangendam viventes non satis sint, sed oporteat mortuos ad hoc excitare.

Tertia. *Tertio*, τὸ *in excelso*, vel *in Rama*, significat vocem plorantium ingentem fuisse, quæ ex alto loco diffusa, longe lateque audiretur.

Cur ait *in Rama*, non, *in Bethlehem*? Dices: Rama erat satis procul a Bethlehem; sita enim erat in tribu Benjamin juxta Gabaon, ut patet *Josue* XVIII, 25, et *Judic.* XIX, 1, 13 et 16; ergo dicendum erat: *Vox* in Bethlehem audita est, non *in Rama*: in Bethlehem enim occisi sunt infantes. Respondeo, non tantum in Bethlehem, sed circumcirca in locis vicinis occisos fuisse infantes. Significat ergo Propheta junctus Evangelistæ Matthæo, qui eum explicat, utramque tribum plorasse in hoc infanticidio, scilicet Judam per Bethlehem, Benjamin per Rama, tantumque fuisse planctum in Bethlehem, ut in Rama exaudiretur; ibique deinde vicinorum suorum, et infantium cognatorum cædem plangerent. Erat enim Rama in confinio tribus Judæ et Benjamin, ut patet ex loco *Judicum* citato. Unde Maldonatus sic explicat: *in Rama*, id est usque ad Rama. Addit Origenes in Rama quoque et Benjamin occisos fuisse infantes, uti paulo ante dixi.

Respondeo, quia Rama erat loco alto et in confinio Judæ et Benjamin

QUIA NON SUNT, — quia occisi et mortui sunt.

Vers. 16. 16. EST MERCES OPERI TUO. — *Opus* vocat captivitatem et servitutem, luctum et lacrymas, inquit Maldonatus, *q. d.* Luctum convertam in gaudium; captivitatem libertate, et rerum omnium copia compensabo. Verum quia Propheta non de captivitate, sed de infanticidio loquitur; hinc merces operis hic debet accipi merces patientiæ matrum, et martyrii parvulorum. Unde S. Hieronymus in *Comment.* vertit, *est merces filiis tuis*, q. d: Ne fleas, o Rachel, o Bethlehem, filiorum cædem; quia filii tui habituri sunt mercedem sanguinis pro Christo effusi, scilicet palmam martyrii, et pro terra Herodis inimici possidebunt regna cœlorum; sicque reversuri sunt ad terminos suos, id est ad patriam cœlestem, quando pro corpore humilitatis recipient corpus gloriosum. Hanc vocat spem novissimam (« et est, inquit, spes novissimis tuis »), qua scilicet, justi patientes, et martyres in fine mundi adipiscentur vitam beatam, et gloriosam quam sperarunt, ut fulgeant sicut sol; et infantes quondam parvuli, absque ætatum incremento, injuriis, et labore corporeo, resurgent in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, inquit S. Hieronymus.

Merces mortis Innocentium est palma martyrii.

Unde nota: Non ait: Est merces voluntati tuæ; hanc enim habere non potuerunt infantes, sed « est merces operi tuo, » id est morti et martyrio tuo. Sub opere enim passionem intelligit. Pari modo etiamnum infantes christiani qui in odium Christi a Judæis vel infidelibus occiduntur, sunt martyres, et martyrii palmam merentur, non ex aliquo voluntatis actu, quem habere nequeunt, sed ex ipso opere martyrii. Sicut enim Deus ex sua liberalitate constituit Sacramentum baptismi infantibus, ut eo justificentur ex opere operato: ita eisdem constituit eadem de causa martyrium. Unde Theologi docent martyrium infantes purgare a peccato originali, eosque justificare quasi ex opere operato. Est enim hic baptismus non aquæ, sed sanguinis. Ita Ecclesia colit S. Simonem infantem Tridentinum a Judæis die veneris sancto in odium Christi excarnificatum. Ita inter martyres Trevirenses colit et infantes, qui in communi totius urbis strage pariter cæsi sunt. Item infantes combustos in illa Phrygiæ civitate, quæ ob Christi fidem jussu Diocletiani cincta, et succensa, cum omnibus incolis conflagravit, de qua Eusebius, lib. VIII *Histor.* cap. XI. Ita ut martyr colitur puerulus ille, qui tempore Justini Imperatoris ad pyram pro christianis a Judæo Dunaan in Nagran Arabiæ urbe accensam accessit, cumque matrem in eam injectam videret, mox et ipse in eamdem se injecit, et exustus est. Illustrem hanc historiam fuse narrat Baronius, anno Christi 522.

Martyrium justificat quasi ex opere operato.

Infantes plures martyres.

Vere et eleganter S. Augustinus, serm. I *De Innocent.*: « Nascente, ait, Domino luctus cœpit, non cœlo, sed mundo: indicitur matribus lamentatio, angelis exsultatio, infantibus transmigratio. Deus est qui ortus est: Innocentes illi debentur victima, qui venit damnare mundi malitiam. Agni debent immolari, quia agnus futurus est crucifigi, qui tollit peccata mundi. Sed oves ululant matres, quia agnos perdunt sine voce balantes. Grande martyrium, crudele spectaculum. » Et inferius: « Pignora sunt, non credita, sed creata: non posita, sed exposita. Miscebatur lamentatio matrum, et ad cœlum transibat oblatio parvulorum. » Prudentius quoque in hymno eorumdem:

Salvete, *ait*, flores Martyrum,
Quos lucis ipso in limine
Christi insecutor sustulit,
Ceu turbo nascentes rosas.
Vos prima Christi victima,
Grex immolatorum tener,
Aram ante ipsam simplices
Palma et coronis luditis.

Exstat hic Romæ in templo S. Stephani rotundo de iisdem tetrastichon, quod quia pium est et festivum, hic ascribam:

Sinceræ animulæ, candidi puelluli,
Vix nata nato dant Deo corpuscula;
Pugnantque inermes, et relicta parmula,
Vincunt cohortes, quas ferire nesciunt.

Jam pulchriores liliis et gemmulis,
Jam clariores igneis scintillulis,
Beata mulcent voculis sedilia.
Ferox tyrannus, ferrique pectoris,
Qui parricidas intulit vobis manus,
Ferrumque sacris polluit cerviculis.
Heu! sic avicula tollitur de nidulis,
Matrisque rapitur sic papillis hinnulus,
Recensque nati sic leguntur flosculi.

Vers. 18. 18. AUDIVI EPHRAIM TRANSMIGRANTEM. (Est vox Dei de Ephraim, id est decem tribubus in captivitatem abductis ab Assyriis, *q. d.* Habui rationem lacrymarum Ephraim in exilio, eumque inde revocavi. Unde pro *transmigrantem*, hebraice est מתנודד *mitnodad*, id est *vagantem*, errantem, discurrentem, uti faciunt exsules, inopes et vagabundi. S. Hieronymus vertit, *lamentantem*. Ita explicant S. Hieronymus et Theodoretus. Verum, quia decem tribus e captivitate non redierunt, et quia hoc capite agit Propheta de Christo Christique redemptione, atque sub typo captivitatis tum decem, tum duarum tribuum, describit earumdem captivitatem sub peccato et diabolo; hinc sensus est, *q. d.* Audivi Israelem in captivitate diaboli et peccati gementem, quod eum pœniteat suæ inobedientiæ et peccati; unde clamans ad me dicit) : CASTIGASTI ME, ET ERUDITUS SUM. (Cum enim ante juvenco indomito similis essem, tu tuis flagellis domuisti me. Nam, ut ait *Eccli.* XXXIII, 27 : « Jugum et lorum curvant collum durum, et servum inclinant operationes assiduæ.) » 19. POSTQUAM ENIM OSTENDISTI MIHI (scilicet statum meum, quo eram sine te captus, non corporaliter ab Assyriis, sed spiritualiter a dæmonibus, eramque eorum, æque ac peccati et gehennæ mancipium; tunc indolui, et in signum doloris) PERCUSSI FEMUR MEUM. — Ita Theodoretus.

Nota : Septuaginta et Chaldæus aliter vertunt, scilicet : *Induxisti super nos correptiones, neque edocti sumus, quasi vitulus non assuetus jugo*; quasi Ephraim roget, ut Deus hanc suam duritiem molliat et convertat.

Moraliter, femur percutere est voluptatem carnis extinguere.

Tropologice S. Gregorius, lib. XXIV *Moral.* XXVI : « In femore, inquit, voluptas carnis accipitur : quasi dicat : Postquam superna spiritualiter vidi, omne quod in me inferius carnaliter vivebat, extinxi. »

Ubi nota : Aliter ostendit homini peccatum diabolus, aliter Deus. Diabolus ostendit peccati delicias, et boni delectabilis aut honorifici speciem et fucum. Deus hanc larvam detrahit, ipsamque in se peccati formam et turpitudinem, pericula, pœnasque præsentes et æternas ostendit. Hinc ostensio Dei parit odium, diaboli vero amorem peccati, ut cum Evæ ostendit lignum vetitum, quasi visu pulchrum, et aspectu delectabile, persuasit ei ut ex illo comederet.

CONVERTE. — Nota : Ephraim jam conversus, uti dixit paulo ante, optat plenius converti, ut Deus augeat in eo sui et peccati cognitionem, æque ac dolorem et detestationem. Ita S. Hieronymus et Rabanus. Hinc patet conversionem nostram incipere a Deo, Deique gratia liberum arbitrium præveniente; ait enim Propheta : « Converte me, et convertar. » Ita contra Pelagianos passim docet S Augustinus, tom. VII, et ex eo Concilium Tridentinum.

SUSTINUI OPPROBRIUM ADOLESCENTIÆ, — lasciviæ meæ, et peccatorum, quæ adolescens feci. Est catachresis : adolescentia enim cupiditatibus, ignorantia et peccatis est plena. Vel dies adolescentiæ, ad litteram accipe dies superiores, cum recens erat fœdus conjugii Judæorum cum Deo, in deserto sub Mose. Aut, ut Maldonatus adolescentiam suam vocat omne tempus, quo nondum a Deo castigatus erat; sed ut juvenculus indomitus non ferebat jugum obedientiæ.

20. SI FILIUS, — τὸ *si* speciem habet interrogantis, sed vim asseverantis. Respondet enim Deus Ephraim pœnitenti, et quasi in ejus ruit amplexus, *q. d.* « Si, » id est numquid non, postquam Ephraim pœnitentiam egit, ego oblitus sum omnium peccatorum adolescentiæ ejus, atque recordatus sum amoris, quo eum olim sum prosecutus : ideoque eum quasi filium habeo in pretio, honore et deliciis, et, ut Hebræa habent, *ipse mihi est puer deliciarum*; Chaldæus, *puer amabilis*, quem semper in oculis mente et memoria gero? Ita S. Hieronymus et Rabanus. Ita S. Magdalena, S. Maria Ægyptiaca, S. Pelagia, S. Paulus, S. Matthæus pœnitentes fuerunt pueri deliciarum Deo et Christo. Vide hic quid faciat pœnitentia, scilicet ut peccatores antea Deo exosi, jam sint ipsi in deliciis.

IDCIRCO CONTURBATA SUNT VISCERA MEA, — *q. d.* Ita tenere eum amo, ut non possim ejus meminisse, quin viscera mea commoveantur ex intima commiseratione.

Vers. 21. 21. STATUE TIBI SPECULAM. — Putant aliqui hæc dici Judæis euntibus in Babylonem, ut scilicet in via qua ducuntur, passim lapides in titulos et speculas erigant, ut quasi brevi redituri, sciant viam qua redire debeant. Eosdem lapides vocat *amaritudines*, id est signa amari laboris et doloris, quem passi sunt Hebræi, cum illa via captivi ducerentur in Babylonem. Ita Sanchez et Maldonatus. Verum loquitur Propheta *Ephraim*, id est decem tribubus, quæ nunquam redierunt e captivitate, uti notat S. Hieronymus. Sensus ergo est, « statue tibi speculam, » *q. d.* Vigila, et speculare quid sit peccatum, quam amarum sit reliquisse Dominum, quæ mala præsentia et æterna tibi inde provenerint, quam felix eras ante peccatum : hinc « pone tibi amaritudines, » id est conterere, dole et plora amare. Rursum speculare quid tibi peccati et miseriæ fuerit occasio, ut eam deinceps caveas. Vide S. Gregorium, XXXI *Moral.* cap. XXXI. *Secundo*, ut S. Hieronymus, *statue tibi speculatores* (hos enim quoque significat Hebræum ציונים *tsiunim*), qui tibi prænuntient advenire per Christum tantam rerum omnium felicitatem; et plange antiqua pec-

cata, para viam Christo, et rectas fac semitas ejus, ut ait S. Joannes Baptista : recta enim reverti te faciam ad civitates tuas, quas captiva deseruisti, puta in Samariam, Sion et Jerusalem, non corporalem, sed spiritualem; scilicet ad Ecclesias Christi, quæ toto orbe in singulis provinciis erigentur et constituentur. Proprie etiam, si vis, ex Assyria revertere ad civitates tuas in Samaria, ubi videbis et gaudebis Ecclesias Christianas erectas, florere omnibus bonis spiritualibus; hæ enim primæ susceperunt Apostolos et Christianismum, ut patet *Actor.* VIII; ideoque præ aliis hic Propheta alloquitur Ephraim et Samaritas, eosque ad hoc gaudium suum invitat.

Anagogice, per civitates has accipe Ecclesias et choros justorum in cœlis.

Moraliter disce hic, volenti se a peccato convertere, conscendendam esse speculam, ut animum in cœlum ad cœlestia et divina attollat, indeque despiciat hoc terræ punctum, et terrena omnia quæ ad peccatum alliciunt : ac deinde ponat amaritudines, hoc est dolorem cordi, lamenta et pœnas corpori infligat, ut æternas gehennæ amaritudines redimat et evadat.

Aliter Lyranus, ut sint verba Christi, *q. d.* Speculare mysterium incarnationis, et palmas Innocentum martyrum, quæ fuerunt signa jam nati Christi, et dirige cor tuum ad viam mei Evangelii, in qua ego Christus ambulavi.

DIRIGE COR TUUM IN VIAM RECTAM. — Vere S. Augustinus in *Sentent.* num. 245 : « Rectum, ait, cor cum Deo est, quando propter Deum quæritur Deus. »

Vers. 22. 22. USQUEQUO DELICIIS DISSOLVERIS? (*q. d.* Quousque, o Ephraim, per delicias et impietates vagaris, a Deo tuo fugis, ad Gentium deos et reges discurris? respice quod dicam, in quo sita sit tua beatitudo, unde exspectanda sit tuæ miseriæ salus, tuæ captivitatis, non sub Salmanasar, sed sub diabolo, liberatio. Audi quod nunquam audisti, novam ini viam et vitam :) QUIA NOVUM CREAVIT DOMINUS (id est novam et inauditam rem faciet, quasi novum creationis opus, scilicet opus incarnationis et nativitatis Christi, sine opera virili. Ita Rabanus, atque hoc est quod sequitur) : FEMINA CIRCUMDABIT (Arabicus, *vivificabit*) VIRUM. — Novum hoc multa nova et mira complectitur, inquit S. Bernardus, homil. 2 *Super Missus est* : « Quia in eo, inquit, agnoscitur longitudo brevis, latitudo angusta, altitudo subdita, profunditas plana : ibi agnoscitur lux non lucens, Verbum infans, aqua sitiens, panis esuriens : videas si attendas potentiam regi, sapientiam instrui, virtutem sustentari, Deum denique lactentem, sed angelos reficientem; vagientem, sed miseros consolantem : videas si attendas tristari lætitiam, pavere fiduciam, salutem pati, vitam mori, fortitudinem infirmari : sed quod non minus mirandum est, ipsa ibi cernitur tristitia lætificans, pavor confortans, passio salvans, mors vivificans, infirmitas roborans. Porro Deum decebat hujusmodi nativitas, qua nonnisi de virgine nasceretur : talis congruebat et virgini partus, ut non pareret nisi Deum. »

Opus incarnationis Christi fuit quasi opus creationis Spiritus Sancti, quia factum est sine opera viri. Nova et mira facta in incarnatione Christi.

Miraculum enim incarnationis in ea peractum multa in se miracula complectitur. *Primum* est, virgo integra virginitate concipit. *Secundum*, Spiritus Sanctus virginem obumbrat; corpus infantis temporis puncto efformat, animamque mirabilem infundit. *Tertium*, corpus et anima eodem temporis puncto cum Verbi persona copulantur. *Quartum*, Deus fit homo. *Quintum*, infans omni sapientia pollet. *Sextum*, absque peccato originario omni gratia plenus concipitur. *Septimum*, infantis sanctissima anima, protinus ut creata est, Dei essentiam videt, simulque se Deo ad crucem et mortem pro hominibus offert. Quænam unquam majora miracula orbis vidit? Vidit olim tempore Josue solem stantem, tempore vero Ezechiæ retrogredientem : at nunc videt Deum seipsum exinanientem. Vidit olim in igne conservatam rubi viriditatem : nunc videt in conceptione conservatam matris virginitatem. Vidit Aaronis virgam subito sine humana cultura florentem : nunc videt Jesse virgam absque humana opera optatum mundo fructum parturientem. Vidit virgam Mosis in serpentem commutatam : hic videt Deum in hominem peccatoribus similem transformari. Vidit mare Rubrum aperiri et findi : hic videt Deum virginis utero clausum. Vidit manna e cœlo depluens : hic videt Verbum Patris e cœlo in gremium Deiparæ descendere. Vidit Eliam in cœlum ascendere : hic videt naturam humanam ad deitatem ascendere, Verbique æterni supposito copulari. Merito ergo Deiparæ accinit Ecclesia : Miracula septem incarnationis.

Tu quæ genuisti,
Natura mirante, tuum sanctum Genitorem.

Tria non potest Deus facere meliora.

Denique S. Thomas, I part., *Quæst.* XXV, art. 6, quærit : « Utrum possit Deus meliora facere ea quæ fecit? » ac respondet : « Potest Deus quavis re a se facta meliorem simpliciter facere : » excipit tamen tria in responsione *ad 4*, scilicet incarnationem Christi, maternitatem Deiparæ, et beatitudinem hominis. Non enim potest facere Deus meliorem hominem, quam sit Deus homo; nec matrem meliorem, quam sit mater Dei; nec beatitudinem meliorem, quam sit visio et possessio Dei. Nam « humanitas Christi, inquit, ex hoc quod est unita Deo; et beatitudo creata, ex hoc quod est fruitio Dei; et B. Virgo ex hoc quod est mater Dei, habent quamdam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est Deus : et ex hac parte non potest aliquid fieri melius eis : sicut non potest aliquid melius esse Deo. » Ecce hoc est novum et omnibus sæculis inauditum quod in Deipara creavit Deus. Quare S. Ephrem, orat. *De Laud. B. Virginis*, eam vocat « præstantissimum orbis miraculum. » Alii vocant eam « sacratissimum monstrum, cœleste prodigium, miraculum miraculorum : » quin et S. Joannes, *Apocal.* XII, 1, vocat eam « signum

magnum quod apparuit in cœlo. » Porro S. Fulgentius, serm. *De Laudibus B. Mariæ* : « Crevit, ait, partu integritas, et virginitas ampliata est potius, quam fugata. »

Merito ergo exclamat S. Bernardus, serm. 1 *in Vigilia Nativit.* : « O partus solus sine dolore, solus nescius pudoris, corruptionis ignarus; non reserans, sed consecrans virginalis uteri templum ! O nativitas supra naturam, sed pro natura miraculi excellentiam superans, sed reparans virtute mysterii! Fratres, generationem istam quis enarrabit? Angelus nuntiat, virtus Altissimi obumbrat, supervenit Spiritus : Virgo credit, fide concipit, virgo parturit, virgo permanet : quis non miretur? Nascitur Altissimi Filius, Deus de Deo, genitus ante sæcula, nascitur Verbum infans : quis vel satis miretur? » Quocirca Franciscus Mayro Doctor Parisiensis qui Illuminati cognomen meruit, serm. *De Annuntiatione*, docet majus opus potentiæ Dei esse incarnationem quam creationem : Plus enim, inquit, distat Deus et homo, quam universum et nihil : in incarnatione enim est infinita distantia positive inter Deum et hominem; at in creatione, quamvis ex parte subjecti dicatur infinita distantia, quia fit ex non subjecto; ex parte tamen creaturæ productæ, quæ habet perfectionem finitam, positive est finita distantia. Quare plus est facere de homine Deum, quam quod nihil sit ens. Merito ergo S. Cyprianus, serm. 3 *De Nativit.* : « O Domine, inquit, quam admirabile est nomen tuum! vere tu es Deus, qui facis mirabilia. Non modo mundi hujus staturam admiror, non terræ stabilitatem, non singulos dies, non solem, etc. : miror Deum in utero Virginis, miror Omnipotentem in cunabulis; miror quomodo Verbo Dei caro adhæserit, quomodo incorporeus Deus corporis nostri tegumentum induerit, etc. Hic solus me complectitur stupor, et cum Habacuc cano : Consideravi opera tua, et expavi. Hæc sunt nova mira, quæ prædixerat Jeremias : Novum fecit Dominus super terram : Mulier circumdabit virum. » Et S. Leo, serm. 2 *De Nativit.* : « Ingreditur hæc infima Jesus Christus, etc., novo ordine, nova nativitate. Novo ordine, quia invisibilis in suis, visibilis factus est in nostris; incomprehensibilis, voluit comprehendi; ante tempora manens, cœpit esse ex tempore; universitatis dominus servilem formam obumbrata majestatis dignitate suscepit : impassibilis Deus, non dedignatus est homo esse passibilis; et immortalis, mortis legibus subjacere. Nova autem nativitate genitus est, conceptus a virgine, natus ex virgine sine paternæ carnis concupiscentia, sine maternæ integritatis injuria. » Quocirca Damascenus, serm. 1 *De Nativit.*, Deiparam vocat « miraculorum officinam, » imo « abyssum. » Ipsa ergo est portentum sæculorum, stupor naturæ, prodigium universi. O rem novam, nunquam visam, nunquam auditam, nunquam videndam, nec audiendam! Femina Deum concipit, Deum parit, qui est vir. imo gigas æternitatis et immensitatis, utpote expandens se per omnia locorum, æque ac temporum spatia, quique cœlum et terram sustinet, imo palmo concludit : nec Deus aliquid patitur, nec femina a divinæ majestatis radiis consumitur, nec virginitas deperditur : « A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris, » ait S. Augustinus. Natus est Christus Deus de Patre in cœlis; idem natus est homo de matre in terris; de patris immortalitate, de matris integritate; de patre sine matre, de matre sine patre; de patre sine tempore, de matre sine semine; de patre principium vitæ, de matre finis mortis; de patre ordinans omnem diem, de matre consecrans istum diem, quo parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis.

Femina circumdabit virum, quid? Prima expositio.

FEMINA CIRCUMDABIT VIRUM. — Chaldæus vertit, *Lex quasi femina, custodiet quasi vallum virum, id est, populum Israel*, ne ab hostibus capiatur; sed hoc figmentum est longe petitum, æque ut illud R. Judæ, qui apud R. Salomonem vertit : *Femina convertetur in virum*, hoc est, inquit, Synagoga, quæ debilis erat ut femina, fiet fortis ut vir, et ut vir dividet ac possidebit terram hostium.

Secunda.

Secundo, Septuaginta vertunt : *Creavit te Dominus salutem in plantationem novam : in salute tua circuibunt homines;* et Theodotion : *Creavit Dominus salutem novam : in salute circuibit homo;* quasi dicant : *Femina*, id est salus, *circumdabit populum Israel*. Jam salus est salvator Christus, quem Deus ex virgine concipi faciet, quem omnes sequentur et colent, ut ita ex eo nascatur nova plantatio, id est novæ plantæ, nova progenies fidelium.

Tertia.

Tertio, alii תסובב *tesobeb*, vertunt passive, scilicet non, *circumdabit*, sed *circumdabitur* : est enim *poel*, quod tam passivum quam activum est, sicque explicant, *q. d.* Justis et fidelibus quasi sponsis, circumdabitur Christus.

Quarta.

Quarto, R. Davidem secutus Oleaster, Can. IV *in proœmio Geneseos*, ex eo quod præcedit : « Revertere, virgo Israel, revertere ad civitates tuas. » Femina, inquit, est Synagoga, quæ antea Deum fugiebat, jam vero per Christum conversa, eum sequetur et amplexabitur : sed hoc non est novum, quia sæpe factum. Huc pertinet explicatio Sanchez : Femina, id est Synagoga, quæ quasi sponsa Dei, adulterata est cum idolis, ideoque a Judæa in Babylonem est abducta, rursus circumdabit virum, hoc est, redibit ad sponsi domum et thalamum, id est Hierosolymam, et ad templum Dei revertetur.

Quinto, Calvinus explicat, *q. d.* Judæi capti et debiles ut femina, circumdabunt, id est obsidebunt et prævalebunt, viro, id est Chaldæis. Sed et hoc, uti commentum, ita falsum est : nec enim Judæi prævaluerunt Chaldæis. Mirum est Calvinum hic et alibi ita agere patronum Judæorum, atque hæc loca a sensu Christianorum ad sensum Judæorum detorquere. Sane non immerito scriptus in eum est liber hoc titulo : *Calvinus judaizans.*

Plane enim simili modo exponit Judæorum modernorum Achilles, R. Abrabanel : Synagoga, inquit, jam debilis tempore Messiæ, circumdabit virum, id est gentilitatem gentesque omnes, eisque dominabitur, quæ ipsi jam dominantur; sicut vir dominatur feminæ. Verum nihil horum est novum, quia sæpius hæc facta sunt. Nihil etiam horum est litterale, sed omnia mystica, ac a Judæis fere conficta, ad veritatem litteræ de Virginis partu evitandam, imo evertendam : nam longe aliud est feminam circumdare virum, quam feminam converti in virum, aut dominari viro, aut ad eum reverti.

Sexta, et vera, *q. d.* B. Virgo concipiet virum novum, id est Deum hominem. Christus infans fuit *geber*, id est *vir*, sive *heros*, quem Gabriel annuntiavit; Secundo, *vir* per sapientiam et gratiam; Tertio, *vir* per fortitudinem.

Dico ergo plane et genuine : « novum, » hoc est novus homo, scilicet homo Deus, ex nova virgine matre, nova generatione, scilicet absque viri semine, sola Spiritus Sancti creatione productus, ut hic dicitur, *q. d.* Femina, id est B. Virgo, circumdabit, et utero suo claudet virum, hebraice גבר *geber*, id est illum fortem et potentem virum, sive heroem (unde aliqui pro *geber* legunt גבר *gibbor*, id est fortis) quem Gabriel et nomine et sua legatione annuntiavit B. Virgini. Gabriel enim ex גבר *geber*, et אל *el* componitur, significatque fortitudinem Dei, vel fortem Deum. « Circumdabit ergo virum, » id est Christum, qui cum Deus sit, nullis locis aut terminis concludi potest. *Secundo*, quia licet Christus, qua homo conceptus et nascens, statura et ætate sit infans, est tamen a primo suæ conceptionis instanti vir, sapientia, gratia et gloria perfectus. *Tertio*, quia Christus puer est vir fortis, qui jam tum dæmonem et omnes hostes prostravit, *Isaiæ* VIII, 4; hic enim infans erit Deus, fortis, princeps pacis, pater futuri sæculi : qui novo orbi novam legem, novum fœdus, et nova omnia dabit. S. Hieronymus, Rabanus, Hugo, D. Thomas, Lyranus, S. Augustinus, serm. 9 *De Tempore*, S. Cyprianus, serm. *De Nativitate Domini* : estque communis hæc Patrum, Interpretum et Doctorum orthodoxorum explicatio, quin et R. Haccados, et aliorum Rabbinorum. quos citant a Castro et Galatinus, lib. VII, cap. XIV (1).

Audi S. Augustinum, serm. *De Natali Domini* : « Homo, ait, factus est hominis factor, ut sugeret ubera regens sidera, ut esuriret panis, ut sitiret fons, dormiret lux, ab itinere via fatigaretur, falsis testibus veritas occultaretur, judex vivorum et mortuorum a judice mortali judicaretur, ab injustis justitia damnaretur, flagellis disciplina cæderetur, spinis botrus coronaretur, in ligno fundamentum suspenderetur, virtus infirmaretur, salus vulneraretur, vita moreretur. » Hæc sunt nova et portenta inclusa in hac sententia : « Femina circumdabit virum. »

Circumdabit, scilicet quasi circulus undique clausus : quia virgo.

Nota *primo* : Verbum *circumdabit* apprime virginitatem B. Mariæ in conceptu explicat, *q. d.* Hæc femina fœtum non a viro accipiet (erit enim virgo), sed intra se cœlitus datum claudet in modum circuli, undequaque integri et perfecti, nulla vel minima scissione violati : hac de causa *Cant.* IV, 12, vocatur ipsa « hortus conclusus, fons signatus. » Centrum ergo est Christus, circulus Virgo.

Eamdem virginitatem Deiparæ, ex voce *novum*, colligunt R. Haccados et R. Josue apud Galatinum, lib. VII, cap. XIV. Si enim mulier circumdet virum, id est masculum, non est novum, sed quotidianum. Novum autem est, quod virgo circumdet masculum. Sicut ergo novum fuit quod prima femina, scilicet Eva, creata sit ex viro, puta ex costa Adami : ita et magis novum est, quod secundus Adam, scilicet Christus vir, conceptus et creatus sit ex secunda femina et virgine Deipara. Itaque sicuti prima virgo (Eva) formata est ex primo virgine (Adamo) : ita vice versa secundus virgo (Christus) formatus est ex secunda Virgine (B. Maria).

In Hebræo est pulchra paronomasia et antithesis inter שובבה *scobeba*, id est *aversatrix*, *rebellis*, et, ut Noster vertit, *vaga* filia Sion; atque תסובב *tesobeb*, id est amplectetur, *circumdabit*, *q. d.* Deus : Quousque, o filia Sion! me maritum, imo Deum tuum, aversaris et fugis? quousque per idola vagaris quasi meretrix? Ecce ego ex te creabo filiam et feminam feminarum, reginam cœli et terræ, quæ me virum Deum tuum non fugiet, sed *amplexabitur*, ut vertit Syrus, et tam animo quam utero suo stringet et circumdabit. Imitare

Virgo circumdans opponitur filiabus Sion aversantibus Deum.

(1) S. Hieronymus, cui adhæret constans SS. Patrum et Interpretum catholicorum traditio, per hæc verba, נקבה תסובב גבר, *femina circumdabit virum*, statuit designari Virginem illam quæ Messiam sit paritura (*Isai.* cap. VII, vers. 14), quæ *ambire* dicatur, id est concipere et ventris ambitu cingere *virum*, id est Messiam, cujus hæc sunt verba : « Novam rem creavit Dominus super terram : absque viri semine, absque illo coitu et conceptu femina circumdabit virum gremio uteri sui, qui juxta incrementa quidem ætatis per vagitus atque infantiam proficere videbitur sapientia et ætate, sed perfectus vir in ventre femineo solitis mensibus continebitur. » Recentiores vero Exegetæ alii alias interpretationes excogitarunt, quæ nullam fidem merentur; nam contempta traditione, quæ semper ut prima interpretationis S. Scripturæ regula accipienda est, obscuris textus verbis exclusive adhærendo, in eorum verborum sensu constituendo multum et incassum laboraverunt, cum talia verba in Scripturis non nisi viventi traditionis documento explicari et intelligi possint. Cæterum, omnes hujus loci voces veluti singulari exquisitione ponderata sunt. Rosenmuller, S. Hieronymi et aliorum interpretationem, ex qua hic locus de Virgine Messiam paritura agat, nequaquam admittendam esse censet, quia נקבה et גבר non ætatis, non status, sed in universum sexus nomina sunt, nec articuli ad certas aliquas personas restringuntur. Quæ ratio sane non est tanti momenti, ut rejiciatur interpretatio a constanti et universali traditione probata et recepta. Sed si aliquid valet in hoc obscuriori textu verborum etymologia, dici potest, voce נקבה *nekebah*, clarius significari femininum genus quam voce אשה *ischa*; nam hæc potius originem virilem mulieris, illa vero infirmitatem feminæ propriam sonat, et habet pro opposito זכר *zacar*, masculus, sic et vox גבר *gaber*, majorem vim habet quam vox איש *isch*, cum prior proprie heroem, posterior simpliciter hominem denotet.

ergo illam; et amplexare me : rursum occurre mihi, qui amore tui e cœlo descendo, et per eam ad te venio, ut te amplexer et vicissim a te complectar.

Unde R. Elias apud Galatinum, lib. VII, cap. XIV, roganti cur tamdiu adventum suum distulisset Messias? Respondet, quia ante B. Virginem non erant in Israel virgines, ex quibus nasceretur : omnes enim corruptæ erant vel a maritis, vel a mœchis. Venit ergo S. Maria virgo, ut harum virginum corruptionem sanaret, et sponsum virginum in uterum suum mundumque pelliceret. Et hoc est novum quod creavit in ea Dominus. Facessat hic ergo Helvidius, ejusque asseclæ; Herostratus, ut famam et nomen æternum sibi pararet, noctu celeberrimum Dianæ templum Ephesi incendit, teste Valerio Maximo, libro VIII, cap. XV. Ita Helvidius, ut novi doctoris nomen assequeretur, non fanum falsæ Dianæ, sed illud sacratissimum divinæ Virginis templum incendio suæ hæresis tollere conatus est, docens eam non mansisse virginem in conceptu et partu Christi. Idem facit Calvinus, Lutherus aliique Novantes, qui asserunt duo corpora non posse esse in eodem loco, ut se invicem penetrent, ne quidem Dei virtute.

Sensus ergo totius hujus loci : « Usquequo deliciis dissolveris, filia vaga? quia creavit Dominus novum, » etc., est, *q. d.* Consentaneum plane est, ut omnes homines abdicatis deliciis omnibus, concupiscentiis et peccatis, novam vitam suscipiant, castitatem colant, laxamque ac dissolutam vivendi rationem Evangelica disciplina stringant et coerceant; quando Deus tantam novitatem est effecturus, ut Filium suum hominem propter homines factum, uteri virginalis angustiis concludat. Arctet se superbus, densetque et restringat animi sui celsitudinem, suum fastum, iram, invidiam : quando Deus altus et immensus, ad Virginis uterum, et corpus infantile se arctavit, depressit et restrinxit. Pari modo gulosus stringat et refrenet suam gulam, lascivus suam libidinem, avarus sitim auri, etc.

Tria a nobis poscit incarnatio Christi; primo, novam disciplinam; secundo, puritatem; tertio, novam vitam,

Itaque tria potissimum ex mysterio incarnationis colligit Jeremias. *Primo*, oportere nos morum licentiam arctiore disciplina constringere, cum Deus ille sempiternus et immensus sese intra feminæ uterum hac de causa clauserit; hac enim de causa ait : « Usquequo deliciis dissolveris, filia vaga? » *Secundo*, oportere nos spretis illecebris castitatem et puritatem amplecti; cum Deus eam ita adamarit, ut matrem suam voluerit esse virginem. *Tertio*, ut novam vitæ rationem in omni virtutum genere ineamus; cum Deus tam novum propter nos miraculum effecerit, ut virgo hominem Deum in utero gestaret. Hoc enim postulat tanti operis et beneficii, scilicet incarnationis nobis collatæ, magnitudo.

Alcazar exponit, femina, id est

Denique Alcazar in *Proœmio Apocal.* not. XIX, num. 6 et 7, hæc verba explicat de veritate Eucharistiæ, *q. d.* « Femina circumdabit virum, » id est Eucharistia circumdabit, et vere complectetur ipsum Christum totum quantus quantus est. Verum hæc expositio uti nova, ita non litteralis, sed symbolica videtur.

Eucharistia circumdabit Christum.

23. BENEDICAT TIBI, — *q. d.* Israelitæ venient ad Ecclesiam Christi, illi bene precabuntur, dicentes : O habitaculum, vel pulchritudo (utrumque enim significat vox Hebræa נְוֵה *neve*) justitiæ, o mons sanctitatis, benedicat tibi Dominus, id est multiplicet habitatores tuos, et beneficiis ornet. Vers. 23.

Nota : Non Dominus, scilicet Christus, ut volunt S. Hieronymus, Hugo, S. Thomas, sed Ecclesia per Christum dicitur hic (ut recte notavit Rabanus, Lyranus et Vatablus) felix, eo quod sit habitaculum justitiæ, quia in ea sunt Christus et omnes justi : item fides et Sacramenta, quæ justificant; quod nec lex vetus, nec alia aliqua habuit. *Secundo*, dicitur *mons sanctitatis*, id est omnis gratiæ, virtutum et perfectionis. *Tertio*, dicitur quod in ea pax sit et concordia agricolarum, pastorum, civium et omnium hominum. Hi ergo sunt fructus incarnationis Christi, seu ejus quod dixit : « Femina circumdabit virum. »

Incarnatus Christus fecit Ecclesias esse primo, habitaculum justitiæ; secundo, montem sanctum; tertio, concordiam omnium hominum.

24. ET HABITABUNT IN EO, — monte, *q. d.* Locus capacissimus erit Ecclesia, omnes omnium ordinum homines in ea poterunt habitare. Vide *Isaiæ* cap. LIV, 2 et sequent. Vers. 24.

25. INEBRIAVI ANIMAM LASSAM, ET OMNEM ANIMAM ESURIENTEM SATURAVI. — « Lassam, » id est sitibundam et famelicam bonorum et terrenorum, ait Lyranus, vel potius, ut S. Hieronymus, justitiæ et salutis. « Inebriavi, » id est inebriabo et saturabo cœlesti doctrina, gratia et consolatione. Unde hebraice est, *animam mœstam explevi*, scilicet gaudio, id est consolatus sum. Vers. 25.

Notat S. Hieronymus tacito nomine jam Deum, jam populum, jam Jeremiam loqui; est enim quasi dialogus : hic loquitur Deus.

26. IDEO QUASI DE SOMNO SUSCITATUS SUM. — Est vox vel populi, ut vult S. Hieronymus, vel potius, ut Rabanus, Hugo, Lyranus et Vatablus, Jeremiæ, *q. d.* O Domine, tu me quasi de gravi somno mala populi cogitantem, et mœstum excitasti, dum tam jucundis de Christo promissis exhilarasti, ut deinceps somnus mihi sit placidus et dulcis futurus. Vers. 26.

Paulo aliter Vatablus explicat, *q. d.* Cum vidi per somnium prophetiam illam de Christo venturo, evigilavi protinus, et recordatio talis somnii mihi fuit gratissima.

Aliter quoque explicat Isidorus, ut sint verba Christi, *q. d.* Ut hæc bona jam dicta hominibus provenirent, ideo de somno mortis evigilavi, et suscitatus, mortis meæ somnum brevem et dulcem reputavi.

27. SEMINABO DOMUM ISRAEL SEMINE HOMINUM, ET SEMINE JUMENTORUM. — Id est, ut Chaldæus : *Multiplicabo Israel hominibus et jumentis*, *q. d.* Dabo Christi doctrinam accommodatam et congruam tam hominibus, id est sapientibus, quam jumentis, id est insipientibus; ut rudes æque ac docti Vers. 27.

in Christo renascantur, alantur et crescant. Ita S. Hieronymus. Hoc est quod ait Psaltes : « Homines et jumenta salvabis, Domine. »

29. PATRES COMEDERUNT UVAM ACERBAM. — Est proverbium, significans filios innoxios puniri propter peccata, non Adami, sed aliorum, et suorum proprie parentum, quod Judæis in captivitate in ore erat. Putabant enim ipsi se puniri ob vitulum aureum, a patribus adoratum in deserto, et ob alia parentum, præsertim Manassis, peccata, IV *Reg.* XXI, 11. Ita Theodoretus. Vide dicta *Ezech.* XVIII, 2. Deus hoc proverbium hic elidit promittitque et sancit, ut filii non portent, nec luant scelus parentum, sed quisque proprium dependat. Censent veteres hanc promissionem pertinere ad novum Testamentum, et præstitam esse per Christum. Ita S. Augustinus, lib. VI *Contra Julian.* cap. XII; Leo, *epist.* 84; Gregorius, XV *Moral.* cap. XXII; Thomas, III, *Quæst.* LXXXI, art. 2, ad 1. Quod intellige allegorice, et plene ac perfecte. Christus enim etiam Adæ culpam originalem in Christianis per baptismum abolet. Nam alioqui ad litteram hæc dici Judæis, patet ex ipso sermonis decursu.

Aliter explicat Vatablus, *q. d.* Christiani non accusabunt parentes, ut Judæi, sed humillime omnes suas afflictiones sibi suisque peccatis imputabunt, dicentes : « Mea culpa. »

31. FOEDUS NOVUM, — novum Testamentum. Hoc loco revincuntur Judæi, qui volunt veterem legem et judaismum non esse antiquandum, sed semper duraturum. Nam, ut ait Apostolus, *Hebr.* VIII, Jeremias, dicendo novum, antiquavit vetus. Unde et veteres Rabbini apud Galatinum docent per Messiam legem esse innovandam, id est novam inducendam, puta Evangelicam; atque Messiam pro circumcisione corporali et Mosaica, inducturum circumcisionem spiritualem cordis et mentis, uti ait hic Jeremias.

32. IN DIE QUA APPREHENDI MANUM EORUM, — *q. d.* Israelem, non quasi servum, sed quasi puerum manu ducens, tanquam pater, Ægypto eduxi, et ab eductione hac die quinquagesima, scilicet in Pentecoste, legem ei dedi, et fœdus inii, ut Judæi, memores tantæ liberationis, illud exacte servarent.

ET DOMINATUS SUM EORUM, — *q. d.* Judæi pactum meum violarunt, cum tamen eis offerrem et promitterem, quod essem eorum Dominus, et, ut hebraice est, sponsus et maritus: hic enim Hebræis vocatur בעל *baal*; unde Vatablus vertit : *Et ego functus sum officio veri sponsi erga illos.* Potest *secundo*, cum S. Hieronymo, Rabano, S. Thoma, Lyrano sic verti et explicari, *q. d. Ego quasi Dominus punivi eos, et neglexi*, ut habent Septuaginta, quos sequitur S. Paulus, *Hebr.* VIII, 9. Hæc est *prima* differentia, inquit Maldonatus, quam assignat inter novum Testamentum et vetus, scilicet, quod vetus irritum factum sit et abolitum, novum nunquam abolebitur. *Secunda* est, quod in veteri Deus dominatus sit, id est severitate usus : « Lex enim iram operatur, » *Rom.* IV, 15, in novo autem benevole cum fidelibus acturus sit in spiritu amoris : quia filii sui morte placabitur. *Tertia* est, quæ sequitur :

Differentiæ veteris et novi Testamenti Prima. Secunda.

Tertia.

33. HOC ERIT PACTUM, etc., DABO LEGEM MEAM IN VISCERIBUS EORUM. — Nota : Sicut pactum et fœdus vetus Deus iniit in Sina cum Hebræis, *Exod.* XIX et XXIV, quo obligavit se fore Hebræorum Deum et protectorem, et daturum eis terram Chanaan, sub hac conditione : Si populus sibi obediret, et suas leges servaret; illudque fœdus confirmatum fuit, *Exodi* XXIV, victimarum sanguine et epulo communi paciscentium; nam Moses et Aaron vice Dei, cum populo ex victima fœderali comederunt : Moses enim erat hic quasi fœcialis, et mediator Dei et populi; simili ratione et modo fœdus novum Deus iniit cum Christianis, cujus fœcialis et pater patratus est Christus, quo fœdere Deus toto Evangelio obligat se daturum Christianis suam gratiam, remissionem peccatorum, amicitiam, adoptionem in filios, omnem opem et præsidia ad bene operandum et vivendum, et tandem hæreditatem ipsam vitæ æternæ, sub hac conditione : Si sibi obediant, si Christi fidem et legem, quæ brevis et facilis est, scilicet fidei et Sacramentorum, recipiant et observent. Hinc dicitur novum; quia nova affert promissa, præcepta, Sacramenta, novam gratiam, novam vitam, novum hominem.

Vers. 33. Veteris Testamenti et pacti modus et ratio.

Novi modus et ratio. Pactum Dei cum Christianis de gratia et gloria eis danda.

Dicitur novum ob nova promissa et præcepta.

Nota *secundo*: Hoc fœdus novum Christus, uti instituit, ita et confirmavit, *primo* et proprie, sanguine suo, faciens se victimam in cruce; *secundo*, epulo Eucharistiæ, quod omnibus ad finem usque mundi communicat. Non ergo in monte tantum longo illo sermone, quem habet Matthæus, cap. V, VI, VII, ut vult Theodoretus, sed tota vita sua, et toto Evangelio hoc fœdus instituit Christus: ubi paciscentes sunt Deus et Apostoli, aliique Christiani : fœcialis est Christus.

Fœcialis fuit Christus maxime in cruce et in Eucharistia.

Nota *tertio* : Sicut vetus fœdus in monte Sina in Pentecoste, ita novum in Sion in Pentecoste promulgatum est : et sicut in veteri data est lex Mosis in tabulis lapideis, quasi conditio fœderis; ita in novo data est lex Christi, sed in tabulis cordis : illa penicillo, hæc spiritu Dei vivi scripta; quia per Christum gratia et charitas diffusa est in cordibus nostris, puta in libera voluntate nostra, per gratiam prævenientem, comitantem et sanctificantem : non ergo tollitur hic liberum arbitrium, ut vult Calvinus, sed omnino præsupponitur in voce libera; et quia, ut dixi, fœdus hoc, uti et aliud quodvis, requirit conditionem ex parte nostra, scilicet ut libere obediamus Deo vocanti, et gratiæ ejus cooperemur, justitiam sectemur, et in ea perseveremus, si hæreditatem cœlestem adipisci velimus. Sicut ergo Moses de Sina descendit ad populum, tabulas legis portans, sic Apostoli de Sion Spiritum Sanctum, ejusque dogmata et dona mente portantes, descenderunt ad omnes gentes, eaque illis proposuerunt et communicarunt.

Vetus in Sina, novum in Sion in Pentecoste promulgatum.

Vetus scriptum in tabulis novum in cordibus.

Nota, *quarto*, legem veterem scriptam esse in tabulis lapideis, novam vero in cordibus Hoc si animadverterent hæretici, intelligerent magis proprias esse novo Testamento traditiones quam Scripturas, desinerentque fidem ac religionem ûtramento definire : quod sane hominum et naturam ipsam Evangelii, quod tantopere gloriantur, ignorantium; nec enim Evangelium in litteris et syllabis consistit, uti recte advertit Maldonatus.

Evangelium non consistit in syllabis.

Res promissa in novo Testamentoest Spiritus Sanctus.

Dabo. — Nota : Res quam novo suo fœdere et testamento nobis promisit Deus, est Spiritus Sanctus, sive lex gratiæ et charitatis, menti aspirata et inscripta. Unde S. Augustinus, *De Spiritu et littera*, cap. xxi : « Quæ, ait, sunt aliæ leges a Deo scriptæ in cordibus, nisi ipsa præsentia Spiritus Sancti? » E contrario in fœdere veteri lex scripta in tabulis, non erat res promissa, sed conditio fœderis. Ubi tamen adverte : Deus non se solo scribit Spiritum Sanctum in corde et mente, sicut scripsit solus legem veterem in tabulis lapideis; sed requirit consensum et cooperationem liberi arbitrii, et hæc est conditio fœderis tam novi quam veteris.

Deus inscribit legem novam, primo, intellectui,

Deus ergo jam legem et consilia sua inscribit, non libris aut tabulis, vel fimbriis, uti olim apud Judæos, sed ipsi menti et intellectui Christianorum, quando illi imprimit fidem et prudentiam agendorum, crebrasque illuminationes et illustrationes, quibus ostendit menti, quam pulchra sit lex Christi, quam utilis, divina, suavis, quam turpe sit peccatum, quam facilis pœnitentia, quam amœna sit vita pia et christiana. *Secundo*, inscribit hæc memoriæ; cum horum memoriam homini imprimit et refricat. *Tertio*, inscribit hæc cordi et voluntati, cum illis pias erga legem Dei affectiones, complacentias, impulsus, promptitudinem, et tandem charitatem infundit, ut voluntas dicat : « Domine, da quod jubes, et jube quod vis. » Ita S. Augustinus, *De Spiritu et littera*, cap. xvii et seq.

secundo, memoriæ, tertio, cordi, id est voluntati.

Vers. 34. *Non docebit vir proximum suum*, quid?

34. Non docebit vir proximum suum. — Non quasi spiritus privatus cujusque sit judex controversiarum fidei, et regula agendorum : hic enim ab aliis videri et sciri nequit; et quisque dicet se hunc habere, sicque in Ecclesia summa esset confusio et dissidium, uti esse inter Lutheranos et Calvinistas, imo inter ipsos Calvinistas in Hollandia et alibi quotidie magis magisque experimur. Hic ergo spiritus non est Dei, sed diaboli; utpote qui sibi contrarius, Ecclesiam quæ unica est, dissecat et lacerat, et ex una Ecclesia facit mille, sibi invicem contrarias et repugnantes.

Spiritus privatus hæreticorum doctor, non est Dei, sed diaboli.

Prima hujus loci expositio.

Primo ergo, S. Augustinus, *De Spiritu et litt.* cap. xxiv, sic explicat, *q. d.* In cœlo nemo alium docebit, quia omnes omnia videbunt in Deo. Verum Propheta loquitur de gratia novi Testamenti, quæ fidelibus in hac vita datur, non in cœlo.

Secunda.

Secundo, S. Ambrosius in cap. viii *ad Hebr.* censet Jeremiam loqui de Apostolis : hi enim non ab homine, sed a Christo, et a Deo eruditi sunt. Verum et hoc arctius est.

Tertio, S. Hieronymus sic explicat, *q. d.* Non docebit vir proximum, unum esse Deum, idola esse colenda : hoc enim omnes scient in lege nova; cum in veteri Gentiles, et etiam Judæi sæpe, idola coluerint.

Tertia.

Quarto, S. Thomas explicat, *q. d.* In lege nova non quærent Judæos aut philosophos magistros, nec philosophicas rationes, ut ad Dei cognitionem veniant; sed S. Scripturam, Apostolos, similesque divinos doctores et præcones adibunt.

Quarta.

Quinta e. optima.

Quinto, S. Chrysostomus, Theophylactus, Œcumenius, in cap. viii *ad Hebr.*, S. Augustinus, *De Gratia Christi*, cap. xii, exponunt, *q. d.* Ea erit facilitas et gratia legis Evangelicæ, ut non sit opus magno labore ad discendum necessaria ad salutem; adeo ut et pueri, uti videmus, statim ea capiant : quia præcepta erunt pauca, et accedet Dei doctoris magna illuminatio. Et hoc maxime vult dicere Jeremias, scilicet tantam fore Spiritus Sancti in lege nova illustrationem, tamque obvium ejus impulsum ad credendum, sperandum, amandum, ut externa fidei prædicatio, præ illa interna voce Spiritus Sancti parum et quasi nihil esse videatur; nam externam patet etiam requiri : quia ad hoc posuit Deus in Ecclesia pastores et doctores, *Ephes.* iv, 1. Simile est I *Joan.* cap. ii, 27, ubi vide S. Augustinum.

Nota : « Cognoscent, » id est proprie noscent, et cognitum colent, timebunt et amabunt. Est metalepsis. Quare recte ait hic S. Hieronymus : « Notitia unius Dei omnium virtutum possessio est. » Rursum Æschylus : « Qui fructuosa, non qui multa scit, sapit. » Et Lactantius, lib. II *Institut.* : « Plus sapit interdum vulgus : quia tantum quantum opus est, sapit. » Et Seneca, *epistola.* 89 : « Plus scire velle quam satis sit, intemperantiæ genus est. »

Quatuor bona novi Testamenti.

Nota hic quatuor bona, quæ Deus promittit in novo Testamento : promittit enim *primo*, quod dabit et inscribet legem suam in cordibus nostris; *secundo*, quod erit nobis in Deum, nosque erimus ei in populum; *tertio*, quod omnes cognoscent Dominum; *quarto*, quod propitiabitur peccatis nostris.

Vers. 35.

35. Qui dat solem in lumine (in lumen, id est lucem, hoc est ad illuminationem) diei, ordinem lunæ et stellarum in lumine noctis, — *q. d.* Deus qui ordinavit lunæ et stellis, ut certo ordine ac lege moveantur et oriantur, ut illuminent noctem.

Qui turbat mare, — qui fremere facit mare, ut fluctibus tumultuetur. Hebraice est, *qui scindit* vel *findit mare* : fluctibus enim quasi scindi videtur. Aliter Vatablus : *Qui divisit*, inquit, *mare Rubrum*, ut, duce Mose, transirent Hebræi, et mergerentur Ægyptii, *Exodi* xiv : Deus, inquam, ait et promittit quod sequitur :

36. Si defecerint leges istæ, — scilicet naturæ, puta stata solis, lunæ et maris agitatio, fluctus et fluxus, *q. d.* Si ordinem in naturalibus constantem servo, multo magis in supernaturalibus; et citius

ista pereant, quam semen Israel, id est populus fidelis, et Ecclesia Christiana, deficiat.

Vers. 37. 37. SI MENSURARI, — *q. d.* Sicut nemo hominum potest altitudinem et magnitudinem cœlorum comprehendere, aut terræ profunditatem penetrare, sic nunquam fiet ut ego universum Israelem abjiciam propter iniquitates suas, quas fecerunt; quinimo propter Christum, jam Apostolos, et aliquos alios ex Israel, atque in fine mundi Israelitas omnes mihi et sibi, saluti et Ecclesiæ restituam (1).

Vers. 38. 38. A TURRE HANANEEL (*q. d.* Urbs Jerusalem ædificabitur post reditum e Babylone, a turri Hananeel, de qua *Esdræ*, lib. II, cap. III, 1) USQUE AD PORTAM ANGULI. — Ea erat porta Benjamin, quæ *anguli* vocabatur, quod in angulo urbis esset. Ita Theodoretus et S. Thomas. Verum patet ex Esdra et Josepho reædificationem illam fuisse exilem, nec complexam ea loca quæ sequuntur: unde Judæi exspectant Messiam, qui id perficiat.

Promittit reædificationem Hierosolymæ, non temporalis:

Secundo, Lyranus sic explicat, *q. d.* Adrianus Imperator reædificabit Jerusalem, expulsis Judæis, et admissis Christianis, et Gareb ac Goatha, id est Calvariæ montem, muris urbis includet, uti reipsa Adrianum fecisse testatur auctor *De Locis Hebr. in Actis Apostolorum*, qui exstat tom. III, S. Hieronymus et S. Gregorius, hom. 39 *in Evang.* Imo nunc Calvariæ montem in ipsa pene media urbe Jerusalem situm esse, Romæ mihi asseveravit R. P. Joannes Marietus, qui a paucis annis Judæam et vicinas regiones perlustravit. Idipsum videre est in chorographia Terræ Sanctæ et Hierosolymæ modernæ, quam Romæ edidit Bernardinus Amicus Franciscanus. Quocirca hoc Judæis commode responderi posset, qui ex hoc loco probare contendunt necdum venisse Messiam, eo quod Jerusalem necdum hæc loca suo ambitu complectatur. Verum de hac reædificatione Jerusalem terrestris et Judaicæ non agit hic Propheta, uti mox ostendam.

Sed spiritualis, id est Ecclesiæ.

Nota ergo *primo*, Jeremiam hic symbolice describere captivitatis restaurationem, et amplificationem Jerusalem; unde ait: « Exibit ultra norma » (ita Romana), *q. d.* Funiculus mensorius quo solent dimetiri plateas et ædificia fabricanda, ultra solitum extendetur, ut major fiat civitas.

Gareb collis. Goatha est Golgotha.

Secundo, Gareb est collis, qui juxta Jerusalem ad Boream situs est; ita ex S. Hieronymo Adrichomius: *Goatha* est Golgotha, ubi Christus, quasi reus et sacrilegus, crucifixus est. Ita Adrichomius et Vilalpando, *De Urbe et Templo*, part. I, libro I, cap. IX. *Vallis cadaverum* est vallis ubi cæsi sunt Assyrii ab Angelo tempore Sennacherib, eorumque cadavera ibi prostrata sunt, IV *Reg.* XIX. Ita Chaldæus. Aut potius, Adrichomius et Vilalpando supra: Vallis cadaverum est illa, quæ inter Golgotha, sive montem Calvariæ, et mœnia Jerusalem sita est, ita dicta, quod ibi cadavera, ossa et cineres eorum, qui in Golgotha morte puniti aut combusti erant, projiciebantur. Unde et Christi crux et latronum crucifixorum cum eo cadavera, in hanc vallem præcipitata, ac postea sordibus civitatis oppleta sunt. Quapropter S. Helena laboravit, ut ibidem crucem eruderaret et inveniret. *Vallis cineris* (ita enim legendum est cum Romanis, non *cineres*, uti legunt Biblia Plantiniana et alia), erat ea in quam projiciebantur cineres altaris et victimarum, aiunt Theodoretus et Vilalpando; quæ videtur fuisse vallis Cedron, scilicet juxta torrentem Cedron, et juxta Sion et templum: ambiebat enim templum instar fossæ, inquit Adrichomius. *Universa regio mortis*, id est Golgotha, et loca ei vicina, quæ erant loca supplicii, inquiunt Maldonatus et Vilalpando (legit Interpres Hebræus divisim, hoc modo, שדי מות *sede mavet*, jam unica voce legunt, שדימות *sedemot*, id est campestria universa) usque ad torrentem Cedron. *Porta equorum* erat porta fontis et aquarum inter Sion et Moria, in voragine Mello contra Orientem posita. Dicta est fontis et aquarum, quod ad aquas et fontem Siloe aditum aperiret; dicta est equorum, eo quod juxta eam esset equile regis, inquit Vilalpando, aut, ut Adrichomius, quod equi per illam pro adaquatione in torrentem Cedron educerentur. Hæc porta ducebat quoque in vallem Gehennom. Hæc ergo loca omnia sunt vicina Jerusalem; per quæ significatur hic a Jeremia, ampliandam fore Jerusalem.

Vallis cineris.

Regio mortis.

Porta equorum.

Tertio, non intelligit hæc de ipsa Jerusalem, ut patet ex dictis initio capitis, et ex vers. 15, 22, 31, præsertim quia Jerusalem cum templo a Tito et ab Adriano vastata et desolata est, et usque ad finem mundi desolata manebit, uti prædixit Daniel, cap. IX, 26 et 27. Sub Jerusalem ergo, ejusque locis vicinis intelligit Ecclesiam Christianam, cujus illa erat typus; de Ecclesia enim toto hoc capite egit, *q. d.* Quaquaversum ad omnes gentes dilatabitur Ecclesia, eritque quasi latissima civitas, perinde ac si Jerusalem dilataretur, adeo ut muris suis complecteretur Gareb, Goatha, et omnes campos usque ad Cedron, puta vallem cadaverum, vallem cineris et universam regionem quæ vocata est mortis. Qui locus licet antea inquinatus, et impiæ religioni addictus fuerit, tamen in nova Ecclesiæ fabrica, æque ac cæteræ ejus partes, vocabitur « Sanctum Domini, » hebraice, *sanctitas Domino*, id est res sancta, et quasi templum sanctum Domino consecratum, quod nunquam destruetur, sed perpetuo stabit. Sic de Ecclesia, quasi de vicis et locis Jerusalem, loquuntur

Hæc loca symbolice significant Ecclesiam Christi quaquaversum propagandam.

(1) Hujus versus sensum Venema ait esse hunc: Sicut cœlum altius est et latius, quam ut ab homine ullo mensurari, terra profundior, quam ut accurate et ad minimum usque pervestigari possit, ita mea erga Israelem misericordia et gratia longe altior est et sublimior, omnem cognitionem superans. Sed hoc potius dicit Deus, inquit Rosenmuller, quam parum fieri potest, ut quis spatium illud terram inter et cœlum metiatur, et quantum invicem distent definiat, aut extremum terræ fundum percontetur, tam parum a me unquam impetrare potero, ut omnem Israelis posteritatem ob tot tua in me admissa peccata plane rejiciam.

Zacharias, cap. XIV, 10, et Isaias, cap. LIV, 11. Lyranus, τὸ *vocabitur sanctum Domini*, exponit de sepulcro Christi, quod usque nunc manet in honore quasi sanctum. Verum hoc arctius est, eo tamen inter alia alludit Propheta. Nam Calvariæ mons, in eoque sepulcrum Christi, templo magnifico ab Helena matre Constantini exornata et inclusa sunt. Unde ad hoc templum religionis causa ex toto orbe peregrinantur fideles, in eoque sepeliri voluerunt omnes Hierosolymæ christiani. Exstant ibidem sepulcra Godefridi Bullonii, qui recuperavit Terram Sanctam, primusque e christianis coronatus est rex Hierosolymorum, ejusque fratris Balduini, qui Godefrido in regno successit, ejusque hoc etiamnum legitur epitaphium marmori uncialibus litteris incisum, uti refert Bernardinus Amicus in *Descriptione Terræ Sanctæ et Hierosolymæ modernæ*, impressa Romæ anno Christi 1609.

Rex Balduinus, alter Judas Machabæus,
Spes patriæ, virgo Ecclesiæ, virtus utriusque,
Quem formidabant, cui dona tributa ferebant,
Cedar, Ægyptus, Dan, ac homicida Damascus,
Proh dolor! in modico clauditur hoc tumulo.

Mystice *Hananeel* est obedientia, *Gareb* est scabies peccati, etc.

Quarto, S. Hieronymus, Rabanus, S. Thomas et Hugo volunt hæc nomina appellative accipi, *q. d.* Ecclesia ædificabitur a turre Hananeel, id est obedientiæ, vel gratiæ Dei, id est ab Apostolis plenis Spiritu Sancto, usque ad portam anguli, hoc est usque ad conjunctionem Judæorum et Gentium; super collem Gareb, id est scabiei, ut scilicet peccatores scabie peccati infectos complectatur, et « circuibit Goatha, » id est mugitum ejus, ut scilicet complectatur pœnitentes præ contritione mugientes : « et omnem vallem cadaverum, » id est omnes fideles carni deditos; « et cineris, » id est eos qui carne ad spiritum conversi, cinere caput conspergunt, « et omnem regionem mortis » peccatorum, quæ extenditur « usque ad torrentem Cedron, » id est tenebrarum, et usque « ad angulum portæ equorum orientalis, » ut scilicet amplectatur eos qui quasi equi certant, et ad ardua procurrunt, *q. d.* Ecclesia fideles amplectetur omnes, et peccatores et pœnitentes, et justos et perfectos. Vide S. Hieronymum. Verum hæc interpretatio potius mystica est quam litteralis. Denique si quis Judæo pertinaciter urgenti hæc omnia ad litteram ut sonant accipienda esse de Jerusalem terrestri, plane satisfacere velit, concedat id ita esse; sed addat idipsum complendum fore in fine mundi paulo ante secundum Messiæ sive Christi adventum ad judicium. Ita Thomas Malvenda, lib. XI *De Antichristo*, IX, hæc ut sonant accipit de terrestri Jerusalem, censetque eam a Judæis tempore Antichristi reædificandam esse tanta amplitudine, ut ad omnes hosce terminos, quos Jeremias assignat, pertingat. Ubi nota, hac ratione et responsione satisfieri posse plerisque argumentis Judæorum, si nimirum prophetias et Scripturas promittentes restitutionem Israelis, restaurationem Hierosolymæ, redemptionem et salutem Judæorum, dicamus accipiendas et explendas esse ut sonant in secundo Messiæ, hoc est Christi, adventu, quem Judæi censent fore primum, quia Christum venisse negant. In hoc ergo omnis eorum error et dissensio a Christianis consistit, quod negent primum Christi adventum, et secundum ejus adventum censeant fore primum, ideoque Scripturas loquentes de secundo Christi adventu, exponant de primo; eo quod primum negent, censeantque Christum necdum in terras venisse. Porro Prophetas loqui de secundo Christi adventu, liquet ex circumstantiis, quæ significant eos agere de fine mundi, judicio, resurrectione, etc.

CAPUT TRIGESIMUM SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Obsessa jam urbe, Jeremias in carcere conclusus, jubetur a Deo emere agrum sui patruelis, ut hoc facto suis, qui captivi ituri erant in Babylonem, spem det, quod inde redibunt ad suos agros rursum possidendos (1).

1. Verbum, quod factum est ad Jeremiam a Domino in anno decimo Sedeciæ regis Juda : ipse est annus decimus octavus Nabuchodonosor. 2. Tunc exercitus regis Babylonis obsidebat Jerusalem : et Jeremias propheta erat clausus in atrio carceris, qui erat in domo regis

(1) Tres sermones qui cap. seq. XXXII, XXXIII, XXXIV, continentur, sunt partim historici, partim prophetici. In hoc capite XXXII Jeremias, postquam consignavit tempus et locum quibus quæ narraturus est, dicta et facta fuerint, subjecitque causam detentionis, scilicet vaticinium de capienda urbe et deducendo rege Babylonem, 1-5;

PRIMO, exponit historice *primo*, præceptum sibi divinitus datum, emendi agrum offerendum, 6, 7; *secundo*, oblationem agri, contractum initum, et solemnitates adjunctas, 8-11; *tertio*, contractus instrumentum, custodiæ Baruch traditum cum addito divino oraculo, 12-15.

SECUNDO, publice confitens suam modestiam et animi submissionem, agnoscensque non esse suum ex Deo, infinitis modis se majore quærere, ut eorum quæ agere decreverit, rationem reddat, *primo*, celebrat divinam providentiam, misericordiam et justitiam, sapientiam et providentiam, 16-19; *secundo*, de generali transit ad speciale, et quid proprie præstiterit Israeli, brevi sermone

Juda. 3. Clauserat enim eum Sedecias rex Juda, dicens: Quare vaticinaris, dicens: Hæc dicit Dominus: Ecce ego dabo civitatem istam in manus regis Babylonis, et capiet eam? 4. Et Sedecias rex Juda non effugiet de manu Chaldæorum; sed tradetur in manus regis Babylonis: et loquetur os ejus cum ore illius, et oculi ejus oculos illius videbunt. 5. Et in Babylonem ducet Sedeciam: et ibi erit donec visitem eum, ait Dominus. Si autem dimicaveritis adversum Chaldæos, nihil prosperum habebitis. 6. Et dixit Jeremias: Factum est verbum Domini ad me, dicens: 7. Ecce Hanameel filius Sellum patruelis tuus veniet ad te, dicens: Eme tibi agrum meum, qui est in Anathoth: tibi enim competit ex propinquitate ut emas. 8. Et venit ad me Hanameel filius patrui mei secundum verbum Domini ad vestibulum carceris, et ait ad me: Posside agrum meum, qui est in Anathoth in terra Benjamin: quia tibi competit hæreditas, et tu propinquus es ut possideas. Intellexi autem quod verbum Domini esset. 9. Et emi agrum ab Hanameel filio patrui mei, qui est in Anathoth: et appendi ei argentum septem stateres, et decem argenteos. 10. Et scripsi in libro, et signavi, et adhibui testes: et appendi argentum in statera. 11. Et accepi librum possessionis signatum, et stipulationes, et rata, et signa forinsecus. 12. Et dedi librum possessionis Baruch filio Neri filii Maasiæ, in oculis Hanameel patruelis mei, in oculis testium, qui scripti erant in libro emptionis, et in oculis omnium Judæorum qui sedebant in atrio carceris. 13. Et præcepi Baruch coram eis dicens: 14. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Sume libros istos, librum emptionis hunc signatum, et librum hunc, qui apertus est: et pone illos in vase fictili, ut permanere possint diebus multis. 15. Hæc enim dicit Dominus exercituum Deus Israel: Adhuc possidebuntur domus, et agri, et vineæ in terra ista. 16. Et oravi ad Dominum, postquam tradidi librum possessionis Baruch filio Neri, dicens: 17. Heu, heu, heu, Domine Deus: ecce tu fecisti cœlum et terram in fortitudine tua magna, et in brachio tuo extento: non erit tibi difficile omne verbum: 18. Qui facis misericordiam in millibus, et reddis iniquitatem patrum in sinum filiorum eorum post eos: Fortissime, magne, et potens, Dominus exercituum nomen tibi. 19. Magnus consilio, et incomprehensibilis cogitatu: cujus oculi aperti sunt super omnes vias filiorum Adam, ut reddas unicuique secundum vias suas, et secundum fructum adinventionum ejus. 20. Qui posuisti signa et portenta in terra Ægypti usque ad diem hanc, et in Israel, et in hominibus, et fecisti tibi nomen sicut est dies hæc. 21. Et eduxisti populum tuum Israel de terra Ægypti, in signis, et in portentis, et in manu robusta, et in brachio extento, et in terrore magno. 22. Et dedisti eis terram hanc, quam jurasti patribus eorum ut dares eis terram fluentem lacte et melle. 23. Et ingressi sunt, et possederunt eam: et non obedierunt voci tuæ, et in lege tua non ambulaverunt: omnia quæ mandasti eis ut facerent, non fecerunt: et evenerunt eis omnia mala hæc. 24. Ecce munitiones exstructæ sunt adversum civitatem, ut capiatur: et urbs data est in manus Chaldæorum, qui præliantur adversus eam a facie gladii, et famis, et pestilentiæ, et quæcumque locutus es acciderunt, ut tu ipse cernis. 25. Et tu dicis mihi, Domine Deus: Eme agrum argento, et adhibe testes: cum urbs data sit in manus Chaldæorum? 26. Et factum est verbum Domini ad Jeremiam, dicens: 27. Ecce ego Dominus Deus universæ carnis: numquid mihi difficile erit omne verbum? 28. Propterea hæc dicit Dominus: Ecce ego tradam civitatem istam in manus Chaldæorum, et in manus regis Babylonis, et capient eam. 29. Et venient Chaldæi præliantes adversum urbem hanc, et succendent eam igni, et comburent eam, et domos, in quarum domatibus sacrificabant Baal, et libabant diis alienis libamina ad irritandum me.

percurrit, 20-22; agnoscit eorumdem inobedientiam et hinc secuta mala, ac præsertim urbis obsidionem, miraturque de mandato emptionis nihilominus dato, 23-25.

TERTIO, Deus Prophetæ respondet, præmissaque declaratione summæ suæ potestatis ac potentiæ, 26, 27; *primo*, vindicat justitiam sui de tradenda urbe decreti, facta scelerum a populo commissorum expositione, 28-36; *secundo*, spondet misericordiam declarandam maxime tempore Evangelii, 37-41; præcipiendam etiam tempore captivitatis Babylonicæ, 42-44.

30. Erant enim filii Israel, et filii Juda, jugiter facientes malum in oculis meis ab adolescentia sua : filii Israel qui usque nunc exacerbant me in opere manuum suarum, dicit Dominus. 31. Quia in furore et in indignatione mea facta est mihi civitas hæc, a die qua ædificaverunt eam, usque ad diem istam, qua auferetur de conspectu meo. 32. Propter malitiam filiorum Israel, et filiorum Juda, quam fecerunt ad iracundiam me provocantes, ipsi et reges eorum, principes eorum, et sacerdotes eorum, et prophetæ eorum, viri Juda et habitatores Jerusalem. 33. Et verterunt ad me terga, et non facies : cum docerem eos diluculo, et erudirem, et nollent audire ut acciperent disciplinam. 34. Et posuerunt idola sua in domo, in qua invocatum est nomen meum, ut polluerent eam. 35. Et ædificaverunt excelsa Baal, quæ sunt in valle filii Ennom, ut initiarent filios suos et filias suas Moloch ; quod non mandavi eis, nec ascendit in cor meum ut facerent abominationem hanc, et in peccatum deducerent Judam. 36. Et nunc propter ista, hæc dicit Dominus Deus Israel ad civitatem hanc, de qua vos dicitis quod tradetur in manus regis Babylonis in gladio, et in fame, et in peste. 37. Ecce ego congregabo eos de universis terris, ad quas ejeci eos in furore meo, et in ira mea, et in indignatione grandi : et reducam eos ad locum istum, et habitare eos faciam confidenter. 38. Et erunt mihi in populum, et ego ero eis in Deum. 39. Et dabo eis cor unum, et viam unam ut timeant me universis diebus, et bene sit eis, et filiis eorum post eos. 40. Et feriam eis pactum sempiternum, et non desinam eis benefacere : et timorem meum dabo in corde eorum ut non recedant a me. 41. Et lætabor super eis, cum bene eis fecero : et plantabo eos in terra ista in veritate, in toto corde meo, et in tota anima mea. 42. Quia hæc dicit Dominus : Sicut adduxi super populum istum omne malum hoc grande, sic adducam super eos omne bonum, quod ego loquor ad eos. 43. Et possidebuntur agri in terra ista, de qua vos dicitis quod deserta sit, eo quod non remanserit homo et jumentum, et data sit in manus Chaldæorum. 44. Agri ementur pecunia, et scribentur in libro, et imprimetur signum, et testis adhibebitur : in terra Benjamin, et in circuitu Jerusalem, in civitatibus Juda, et in civitatibus montanis, et in civitatibus campestribus, et in civitatibus quæ ad austrum sunt : quia convertam captivitatem eorum, ait Dominus.

Vers. 1. 1. ANNO DECIMO, — cum jam Jerusalem per unum annum obsessa fuisset, cœpit enim ejus obsidio anno nono Sedeciæ, IV *Reg.* XXV, 1.

Vers. 2. 2. IN ATRIO CARCERIS, — id est in carcere atrii, vel qui erat in atrio, ut sit anastrophe, vel hypallage : ita Vatablus et R. David.

Secundo et melius, « in atrio, » id est in vestibulo carceris : in eo enim fuisse Jeremiam quasi in libera custodia patet cap. XXXVII, 20 (1). Judæi enim, et præsertim Sedecias eum consulens, in eum, utpote sacerdotem, usi sunt aliqua clementia, dederuntque ei laxam custodiam, sic tamen ut non posset effugere : ita S. Hieronymus. Quocirca in hoc atrio Jeremias perrexit prophetare, utpote eo conveniente magna hominum multitudine.

3. CLAUSERAT ENIM EUM SEDECIAS. — Hæc verba usque ad vers. 7, quasi per parenthesin inseruntur, ut enarrent causam cur incarceratus sit Jeremias, simul ut sternant viam ad sequentem prophetiam, vers. 7 : quia enim Jeremias perculerat Sedeciam tristi sua prophetia, scilicet quod ipse cum suis captivus ducendus esset in Babylonem : hinc vers. 7, eam mitigat, dicens Deum inde Judæos reducturum.

Vers. 4. 4. LOQUETUR OS EJUS CUM ORE ILLIUS, ET OCULI EJUS OCULOS ILLIUS VIDEBUNT. — Ingens fuit hæc pœna Sedeciæ, quod nimirum perfidus, et violati fœderis reus, captus et vinctus victoris Nabuchodonosoris minaces oculos et verba sustinere debuerit. Unde S. Hieronymus : « Gravior, inquit, est terror videre quem timeas, et ante increpationem verborum quam pœnarum sustinere cruciatum. » Sic impiis grave erit supplicium in die judicii videre flammantem faciem irati judicis Christi. Unde dicent « montibus et petris : Cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira Agni, quoniam venit dies magnus iræ ipsorum, et quis poterit stare? » *Apocal.* IX, 17.

5. DONEC VISITEM, — sive in bonum, sive in malum ; ambigue loquitur et prudenter temperat sermonem, ne regem offendat ; vult tamen dicere, donec moriatur Sedecias in Babylone. Ita S. Hieronymus, Rabanus, Lyranus. Fuit enim Sedecias tota deinceps vita miser, utpote incarceratus et excæcatus, ut mortem optaret quasi finem mise-

(1) Sunt qui putant et verisimiliter hoc atrium fuisse custodiam militum, id est ubi milites custodiam agebant, gallice *corps-de-garde*.

riarum. Sed in morte fuit honoratus; sepultus enim quasi rex pompa regia, ut patebit cap. XXXIV. Aut certe, ut Maldonatus, ponit regem pro populo, caput pro corpore, *q. d.* Donec populum Sedeciæ visitem, id est e captivitate reducam.

Vers. 7. 7. PATRUELIS. — Hebræum דוד *dod*, Vatablus et alii vertunt, *patrui*; melius Noster vertit, *patruelis*; nimirum Helcias et Sellum erant fratres: Helcias genuit Jeremiam, Sellum genuit Hanameel, erat ergo Hanameel patruelis Jeremiæ. Injecit Deus Hanameeli mentem vendendi agrum, urbe obsessa, cum res essent deploratæ, ita ut nemo agrum empturus videretur, quia injecit pariter Jeremiæ mentem emendi agrum, ut hac emptione portenderet et prædiceret futuram e captivitate liberationem, et reditum in Judæam, quo quisque ad sua prædia regressurus erat. Unde ait vers. 8: « Intellexi quod verbum Domini esset. » Deus enim regit flectitque voluntates, omnesque causas secundas, easque inter se componit et contemperat, utuna alteri ex æquo respondeat.

Quæres, quisnam fuit hic ager? Levitæ enim et sacerdotes, qualis erat Jeremias, non habebant agros et possessiones, sed tantum oblationes populi, *Num.* XVIII, 20. Respondeo, Levitas habuisse ædes, urbes et suburbana, scilicet prædia circa urbem ad mille passus, tum ad hortos, tum ad pascua pecorum. Hic ergo ager vel fuit in urbe, ut vult Vatablus, vel suburbanus, ut vult S. Hieronymus.

Dices: *Levit.* XXV, 34, vetantur suburbana Levitarum vendi. Respondeo: Vetantur vendi extra familiam et tribum, non autem propinquis (1).

TIBI ENIM COMPETIT EX PROPINQUITATE UT EMAS, — quamvis enim agrum alteri venderem, tu tamen, utpote propinquus, posses eum eodem pretio redimere: hoc enim jus etiamnum obtinet; sed maxime obtinuit apud Judæos, ubi maxime curabatur, ne hæreditates ab una tribu in aliam transferrentur, sed in eadem tribu et familia (quantum fieri poterat) permanerent.

Vers. 8. 8. POSSIDE, — id est eme. Hebraice enim est verbum quod ante, scilicet קנה *kana*, quod significat emere, et emendo possidere. Simile quid de Romanis memorat Plutarchus in *Vita Annibalis*, ut eorum animos et spiritus ostendat, nimirum cum Annibal urbi Romanæ cum exercitu immineret, eamque illi e colle vicino ostenderet, Romæ agrum quem Annibal insederat, venum fuisse propositum, ac invenisse emptorem. Ea fiducia, is animus erat Romanis. Verum eorum res non erant ita deploratæ, uti Hebræorum sub Sedecia, obsessa jam urbe.

Vers. 9. 9. SEPTEM STATERES, ET DECEM ARGENTEOS. — Chaldæus, *Septem minas et decem argenteos*; mina continet 60 siclos, *Ezech.* XLV, 12. Sic ergo in totum solvisset Jeremias pro agro siclos 412; verum Hebræum שקל *scekel*, siclum vel staterem significat, non minam, nec aliter accipitur in Prophetis siclus, quam apud Mosen; licet id asserere conetur Arias Montanus in *Apparatu*.

Secundo, S. Hieronymus, Rabanus et a Castro censent Jeremiam pro agro in totum solvisse 17 siclos argenti. Hebræa enim habent: *Et appendi ei argentum, septem siclos et decem argenti*, id est appendi ei pecuniam ex argento, decem et septem siclos argenti: Scriptura enim solet in numeris minorem præmittere majori. Porro 17 sicli sunt 17 floreni Brabantici (2), florenus Brabanticus continet 4 regales, sive quatuor julios. Quare ex hoc loco non convincitur argentum fuisse diversum a statere vel siclo, fuisseque dimidium sicli, uti aliqui contendunt. Sed quomodo 17 florenis potuit emi ager? Respondeo, quia imminente captivitate, omnia erant derelicta, et vilia: ager etiam parvus erat (isque forte in solo sterili) quasi hortus olitorius, ait Vatablus; forte etiam reliquum pretii postea persolvit Jeremias, illudque hic non numeratur. Jeremias emit agrum 17 siclis, id est florenis, quomodo?

Tertio, dici posset siclum hic aureum intelligi; distinguitur enim ab argenteo a nostro Interprete. Porro sicli pondus erat quatuor drachmarum; unde aureus siclus æqualis erat quatuor coronatis Francicis, argenteus quatuor regalibus Hispanicis, vel quatuor juliis Italicis. Septem ergo sicli faciunt 28 coronatos, decem argentei faciunt decem florenos Brabanticos. Verum obstat, quod Scriptura nominare soleat aureos, præsertim cum distinguuntur ab argenteis; quod tamen hic non facit, et in Hebræo plane omnia sonant argentum: quare secundus sensus est genuinus.

Vers. 10. 10. SCRIPSI IN LIBRO. — Librum vocat instrumentum contractus, sive emptionis agri.

ET SIGNAVI, — sigillo publico, forte etiam propria manu subscribendo.

ET APPENDI ARGENTUM IN STATERA. — Omnis enim pecunia et signata jam, et olim non signata, justum et definitum a principe debet habere pondus. Ponderabatur ergo, ut etiamnum ponderatur, ut videretur an esset justi ponderis. Unde Balsasari dicitur: «Appensus es in statera, et inventus es minus habens.» Hinc nummus dictus est græce et latine stater a statera, hebraice שקל *sekel* a pondere. Siclus ergo idem est quod libratum, ponderatum in statera.

Vers. 11. 11. LIBRUM POSSESSIONIS, — id est instrumentum publicum, quo conscriptus erat hic contractus sive stipulatio de agro hoc emendo et possidendo, habebatque sua *rata*, id est ratificationes magistratus et testium, omnemque conditionem et solemnitatem de jure vel consuetudine requisitam, hoc enim est Hebræum חקים *chucquim*.

(1) Rosenmuller, propter obstantem legem Levitici, quæ talia prædia omnino negat posse vendi, potius sumendum istum agrum dicit de prædio aliquo, quod ab avia aut pro avia communi venerat.

(2) Circiter 25 franci, supponendo eum siclum argenteum valuisse circiter unum francum cum dimidio. (Glaire, *Introduct.* II, pag. 340.)

Secundo, instrumenti hujus fecit copiam Jeremias: unde vers. 14, duos vocat libros, unum signatum, scilicet autographum cum sigillo et testibus, cui fides erat in judicio; alterum descriptum, puta copiam autographi sine signatura publica, quod semper ad manum esset, quodque omnibus exhiberi posset, ut qui vellent legerent, ideoque hebraice vocatur גלוי *galui*, id est apertum; Noster vertit : « Signa forinsecus, » id est exemplum instrumenti designans et describens omnibus quid prius autographum clausum contineret. Ita Chaldæus, Vatablus et passim Hebræi (1).

Vers. 14. 14. ET PONE ILLOS IN VASE FICTILI, — testaceo, ne situ putrescant, aut humore corrumpantur; sed ut eos integros inveniamus, cum e captivitate redibimus : qua re significat *primo*, tempus captivitatis fore longum; *secundo*, reditum fore certum. Ita Maldonatus.

Sanchez censet S. Matthæum, cap. XXVII, ubi narrat triginta argenteis, quibus venditus est Christus, emptum esse agrum figuli, citare hunc Jeremiæ locum. Ait enim Matthæus : « Tunc impletum est, quod dictum est per Jeremiam prophetam dicentem : Et acceperunt triginta argenteos, pretium appretiati, quem appretiaverunt a filiis Israel : et dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.» Licet enim priora verba sint *Zachar.* XI, tamen, quia posteriora sunt Jeremiæ hic, hinc ejus nomine citantur per synecdochen; quia agitur non tam de pretio, quo Christus emptus est, quam de pretio agri eo pretio empti. Sensus ergo est, *q. d.* Ager a Jeremia emptus typus fuit agri figuli, a Judæis pretio venditionis Christi empti in sepulturam peregrinorum. Nam Jeremias agrum hunc non videtur emisse pro se, aut filiis, quos non habebat, aut Judæis, qui ituri erant in Babylonem : ergo pro advenis, idque ad sepulturam. Porro dictus est ager ille figuli, quia vas hoc fictile Jeremiæ cum instrumentis emptionis in eo agro infossum videtur et sepultum, ut servaretur in longum spatium. Simili tropo vocatus est mons *Calvariæ*, a calvaria et cranio Adæ in eo sepulti, et *Aceldema* vocatus est hic idem ager, id est ager sanguinis, quia pretio sanguinis Christi est emptus. Sic Cajeta, Misenus et Palinurus nomen accepere a sociis Æneæ hoc nomine, qui ibidem sepulti sunt. Vas ergo fictile Jeremiæ vocatur a S. Matthæo figulus per metonymiam, sicuti libros quinque Pentateuchi vocamus Mosen, scripta Homeri et Platonis vocamus Homerum, Platonem, quia ab eis edita et composita sunt. Sic nummos a Philippo rege cusos vocamus Philippos. Sic Juvenalis, *satyra* 10, dixit Babylonis muros a figulis esse munitos, quia ex lateribus, quos coquunt figuli, facti et muniti sunt. Sic hic vas fictile significat figulum ejus auctorem, præsertim quia artifices, quales sunt figuli, sæpe vasis a se factis sua nomina inscribebant, uti etiamnum inscribunt. Sensus ergo est, *q. d.* Ego Jeremias emi, dedique pretium pro comparando agro figuli, hoc est, agro vasis fictilis, sive agro in quo ego vas fictile cum instrumentis emptionis infodi et sepelivi : « Sicut constituit » et Jussit « mihi Dominus, » ut hoc facto typum darem et repræsentarem, quod Judæi pretio venditionis Christi ement agrum figuli, idque in sepulturam peregrinorum. Christus enim omnia sua voluit nobis esse proficua, ideoque pretium sanguinis sui voluit prodesse peregrinis, puta gentilibus, ad sepulturam. Hæc sententia est conjectura ingeniosa, sed difficilis et implexa; alia enim incerta præsupponit, ut in agro a Jeremia empto sepultum esse vas fictile, agrum emptum esse pro sepultura peregrinorum, etc.; alia dura complectitur, ut quod ager in quo sepultum est vas fictile, vocatur ager figuli; præsertim, quia ager emptus pretio venditionis Christi vere fuit figuli, non vasis fictilis in eo sepulti. Adde, cum ait Matthæus : « Dederunt eos in agrum figuli, » τὸ *eos* refert « triginta argenteos, » qui præcesserunt. Jeremias autem non emit hunc agrum 30, sed 17 argenteis, uti paulo ante ostendi. Ad hæc Matthæus ait: «Dederunt eos;» Jeremias vero: «Dedi eos. »

Quare facilius et expeditius dicemus cum S. Hieronymo, Baronio, Jansenio, Maldonato in *Matth.* cap. XXVII; Suarez, t. II, III part., disp. 34, sect. I, et aliis, apud S. Matthæum nomen Jeremiæ ab aliquo sciolo appositum in margine, irrepsisse in textum, ideoque esse expungendum, aut certe citari a S. Matthæo alia scripta Jeremiæ, in quibus hæc verba erant, quæ jam non exstant, sed perierunt, uti perierunt visiones Addo Videntis, Ahiæ Silonitis, et aliorum Prophetarum. Verum de hoc plura *Matth.* XXVII.

15. ADHUC POSSIDEBUNTUR (adhuc ementur post reditum e captivitate) DOMUS ET AGRI. Vers. 15.

17. IN BRACHIO TUO EXTENTO. — Hebraice, *excelso*. Brachium excelsum, per epexegesin idem est quod fortitudo magna. Ita Lyranus. Non bene ergo Dionysius Carthusianus et aliqui alii putant extentum significare exsecutionem divinæ potentiæ, quæ se in omnem creaturam extendit. Vers. 17.

NON ERIT DIFFICILE (factu) OMNE VERBUM, — id est ulla res. Ex Hebræo verti potest : *Non erit tibi admirabile* (hoc enim est פלא *pele*, et admirabile est quod difficile est, rarum et inauditum) *omne verbum*.

18. QUI FACIS MISERICORDIAM IN MILLIBUS (id est Vers. 18.

(1) Illo tempore, ait Gatackerus apud Polum in *Synops. critic.*, in contractibus non adhibebantur tabelliones, sed emptor duo instrumenta eodem fere exemplo scribebat; alterum signabat sigillo suo, alterum patens ostendebat testibus, ut in eo scriberent nomina sua, et scirent de quo inter quos convenisset. Nomina scribebantur in aversa parte utriusque instrumenti, ne opus esset alterum resignare. Dixi, *eodem fere exemplo*, nam quædam erant in signato instrumento, quæ nolebant testibus nota esse, nimirum conditiones et tempus redemptionis ut caverent insidias, הגאלים *(agoelim*, id est consanguineorum qui redimendi jus vindicare poterant).

in mille generationes, ait S. Hieronymus), ET REDDIS INIQUITATEM PATRUM IN SINUM FILIORUM. — Id est, punis peccata patrum in filiis, uti minatus es, *Exod.* cap. XXXIV, vers. 7, et *Deuter.* cap. V, vers. 9. Vide ibi dicta.

Vers. 19. 19. INCOMPREHENSIBILIS COGITATU. — Hebraice, *multus opere* vel *adinventione*; Septuaginta, *potens operibus*, quæ scilicet non tantum vim et efficaciam, sed et captum ac intellectum omnium hominum et angelorum superant, ideoque sunt incomprehensibilia. Deus enim infinitos modos agendi et gubernandi adinvenire potest. Rursum innumeras rationes, fines et intentiones suorum operum adducere potest. Denique infinitas habet vias quibus intentiones suas ad effectum perducat. Hinc patet loqui proprie Prophetam de incomprehensibilitate, non essentiæ et substantiæ Dei, sed consiliorum et operum ejus; unde præcessit : « Nomen tibi magnus consilio. » Ita Capella et noster Vasquez, I part., disp. 52, cap. I. Inde tamen recte deducitur incomprehensibilitas substantiæ Dei. Si enim incomprehensibilis est cogitatione et opere, ergo et substantia : hæc enim fons est cogitationum et operum. Ita S. Hieronymus, Glossa, Lyranus et Scholastici cum D. Thoma, I part. *Quæst.* XII, art. 8. Huc allusit Apostolus, *Rom.* cap. XI, vers. 33 : « Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! »

CUJUS OCULI APERTI SUNT SUPER OMNES VIAS FILIORUM ADAM. — Utinam hos Dei oculos semper intueamur. Scribit Plinius, lib. XVIII, cap. VI : « Oculum domini majores dixerunt fertilissimum esse in agro, » quia qui agrum suum sæpe invisit fertilitatem illi affert. Pari modo Dei oculus et intuitus, si semper cogitetur, fertilitatem bonorum operum affert animæ. Narrat Plutarchus, lib. *De Liberis educandis*, eleganter dictum ab equisone : « Nihil perinde saginare equum, ut regis oculum : » sic nihil perinde saginat animam, quam si Dei oculus et circumspectio semper obversetur animo. Hinc David dicebat : « Providebam Dominum in conspectu meo semper, » *Psal.* XV; et Elisæus : « Vivit Dominus, in cujus conspectu sto. » Sic Henoch, *Genes.* V; Abraham, *Genes.* XVII, et alii jugiter ambularunt in conspectu Domini, et cum Domino. Vide ibi dicta.

Oculus domini saginat equum et agrum.

Vers. 20. 20. USQUE AD DIEM HANC, — scilicet memoria portentorum, quæ fecit Deus in Ægypto, perdurat; ita Lyranus, imo et eorum vestigia. Ita tradit Orosius, lib. I, cap. X, in maris Rubri fundo etiamnum apparere orbitas rotarum curruum Pharaonis in eo submersi. *Secundo*, S. Hieronymus explicat, *q. d.* Usque ad diem hanc durat continuatio miraculorum ejus, quando per Josue, Eliam, Elisæum et alios miracula pergit edere pro Judæis contra eorum hostes, ut antiqua Mosis portenta videatur identidem renovare. *Tertio*, *q. d.* Habemus hodie signa et monumenta, quæ portentorum Ægypti recentem conservant memoriam, scilicet agnum paschalem, azyma, scenopegiam, manna in urna, etc. Ita Maldonatus et Sanchez.

SICUT EST DIES HÆC, — sicut apparet hodie.

Vers. 24. 24. A FACIE GLADII, ET FAMIS, ET PESTILENTIÆ. — Id est gladio, fame et peste. Est hebraismus. Similis est *Psal.* LIX, 6 : « Ut fugiant a facie arcus. » Hebræi enim faciem rebus omnibus, etiam inanimis, tribuunt.

Vers. 29. 29. DOMATIBUS — tectis, quæ in Judæa erant plana, ut in iis ambulare et sacrificare possent et vellent, utpote locis excelsis cœlum Deumque spectantibus.

Vers. 31. 31. IN FURORE FACTA EST MIHI CIVITAS HÆC. — Id est in, vel ad furorem. Ita Hebræa, *q. d.* videtur Jerusalem facta ad hoc, ut furorem meum in eam ostendam, et plagarum fulmina vibrem. *Secundo*, « in furore, » id est furorem meum assiduis novisque sceleribus provocans, vel objectum et irritamentum furoris mei. Unde Chaldæus vertit : *Quia ira et furor meus resedit in civitate hac.*

A DIE QUA ÆDIFICAVERUNT (id est instaurarunt, auxerunt, ornarunt) EAM — Salomon et Judæi. Ita Lyranus, Maldonatus et alii.

Vers. 34. 34. IN QUA INVOCATUM EST NOMEN MEUM — quæ de nomine meo, cui dicata est, vocatur domus Dei (1).

Vers. 35. 35. INITIARENT — certo ritu et notis per ignem inustis obsequio et cultui Moloch consecrarent (Septuaginta, *sacrificarent*), sicut fideles christianismo initiantur per baptismum; Judæi judaismo per circumcisionem; sacerdotes sacerdotio per unctionem; martyres martyrio per sanguinem e mortem.

Vers. 36. 36. ET NUNC PROPTER ISTA, — scilicet, ne desperetis aut despondeatis animum, quasi perpetua captivitate puniendi : quia post 70 annos ad terram hanc, et agros vestros redibitis. Ita S. Hieronymus, Rabanus, S. Thomas et Castrius. *Secundo*, sublimiter Sanchez, *q. d.* « Propter ista, » id est quia vos tam indigni estis mea gratia et beneficiis, ut de iis desperetis; hac de causa, ut ego

(1) Vers. 34. « Et posuerunt idola sua in domo, in qua invocatum est nomen meum, ut polluerent eam. » Respicit Propheta ad idololatriam et abominationes commissas per Manassem regem Juda. Neque enim alibi legimus idola gentium in templo Dei fuisse ab aliquo collocata, ante Jeremiæ tempora. Historia habetur IV *Reg.* XXI, ubi sic legimus de Manasse : « Exstruxitque aras in domo Domini, et altaria universa militiæ cœli, in duobus atriis templi Domini. » Item : « Posuit quoque idolum luci, quem fecerat, in templo Domini. » Simul ex hoc loco discimus, etiam ea parentum peccata, quæ illis remissa fuerant, nonnunquam vindicari in filios in tertiam et quartam generationem, ut est *Exodi* XX. Nam Manasses quidem per pœnitentiam consecutus scelerum suorum veniam a Domino fuit, sed eadem peccata in posteris, parentum scelera imitantibus, vindicata leguntur. Unde et ait in capite, vers. 18, Propheta : « Et reddis iniquitatem patrum in sinum filiorum eorum post eos. » Et manifestius ostenditur ex cap. XV hujus prophetiæ, ubi Dominus comminatur Judæis gravissimas plagas : « Super Manassem, inquit, filium Ezechiæ regis Juda super omnibus quæ fecit in Jerusalem. » (Estius.)

ostendam altam et divinam meam clementiam, quæ certat cum impietate hominum, nec ea se vinci patitur, sed quo major est illa, eo magis se exaltat illamque superat; hac, inquam, de causa ego vos e captivitate congregabo. Simile est *Isaiæ* cap. VII, 7, et cap. XXVIII, 16.

QUOD TRADETUR, — quod tradatur.

Vers. 37. 37. CONGREGABO, — scilicet, e Babylone congregatos Judæos reducam in Judæam per Zorobabel, aiunt Theodoretus, Lyranus et Sanchez; ac post annos 500 e captivitate peccati reducam eos in aureo Evangelii sæculo et jubileo perenni, ad Ecclesiam per Christum. Hic enim proprie iniit pactum sempiternum cum Judæis a lege ad Evangelium transeuntibus. Nam cum Judæis in judaismo viventibus pactum hoc tantum fuit sempiternum, quia longævum. Christus etiam dat suis cor unum et animam unam. Uno ergo intuitu Deus vidit et notavit temporalem felicitatem redeuntium e Babylone, et spiritualem ea adumbratam redeuntium a peccato ad gratiam et salutem paulo post futuram: magis ergo loquitur de spirituali, quam temporali. Ita S. Hieronymus, Rabanus, Hugo, S. Thomas.

Vers. 41. 41. ET LÆTABOR, — *q. d.* Volupe mihi erit eis benefacere, sicut volupe eis erit bene vivere, servire et obedire mihi.

PLANTABO (Chaldæus; *stabiliam*) EOS IN TERRA ISTA, IN VERITATE (Septuaginta, *in fide*, id est vere et fideliter, sine fuco aut dolo), IN TOTO CORDE, — id est omnino ex animo, amantissime, ita ut nol. reservet ullam offensionis partem aut peccatorum memoriam.

43. POSSIDEBUNTUR AGRI — post reditum e Babylone; in cujus signum ego hunc agrum emo et possideo (1). Vers. 43

Mystice, in Evangelio ementur agri, in quibus absconditi sunt thesauri virtutum, vel in montanis contemplationis, vel in campestribus charitatis, vel in vallibus humilitatis, ac denique ager cœlestis, *Matth.* XIII, 44. Hic finitur Commentarius sive sex libri S. Hieronymi in Jeremiam; in reliqua enim capita nihil ejus exstat. Hic finitur Commentarius S. Hieronymi in Jeremiam.

(1) Explicat hic seu distribuit illud quod mox generice dixit, *civitates Juda.* Tribus hæc complectebatur agrum Jerosolymæ ejusque viciniam, *in circuitu Jerusalem;* urbes montanas, circa Hebronem; urbes campestres, vel *sephala*, circa Eleutheropolim, Gazam versus; denique urbes meridianas ulterius positas, Arabiam Petræam versus et Idumæam. (Calmetus, *Script. sacr. Curs. compl.*)

CAPUT TRIGESIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit promittere reditum e captivitate in Judæam per Zorobabel, ac deinde, **vers. 15**, *per Christum reditum ad salutem et omne bonum. Quocirca hoc caput in Bibliis Arabicis Alexandrinis ponitur ultimum Jeremiæ, quasi oraculorum ejus tristium remedium, et melioris sortis ac felicioris ævi exspectata coronis* (1).

1. Et factum est verbum Domini ad Jeremiam secundo, cum adhuc clausus esset in atrio carceris, dicens: 2. Hæc dicit Dominus qui facturus est, et formaturus illud, et paraturus, Dominus nomen ejus. 3. Clama ad me, et exaudiam te: et annuntiabo tibi grandia et firma, quæ nescis. 4. Quia hæc dicit Dominus Deus Israel ad domos urbis hujus, et ad domos regis Juda, quæ destructæ sunt, et ad munitiones, et ad gladium 5. venientium ut dimicent cum Chaldæis, et impleant eas cadaveribus hominum, quos percussi in furore meo, et in indignatione mea, abscondens faciem meam a civitate hac, propter omnem malitiam eorum. 6. Ecce ego obducam eis cicatricem et sanitatem, et curabo eos: et revelabo illis deprecationem pacis et veritatis. 7. Et convertam conversionem Juda, et conversionem Jerusalem: et ædificabo eos sicut a principio. 8. Et emundabo illos ab omni iniquitate sua, in qua peccaverunt mihi: et propitius ero cunctis iniquitatibus eorum, in quibus deliquerunt mihi, et spreverunt me. 9. Et erit mihi in nomen, et in gaudium, et in laudem, et in exsultationem

(1) In hac prophetia, haud magno post superiorem temporis intervallo edita (vers. 1) et ejusdem cum illa argumenti, repetit et confirmat Deus quæ antea pollicitus erat.

PRIMO, Propheta ad preces excitato, descriptaque conditione urbis subjectum prædictioni præbentis. 1-5, Deus prædicit, *primo*, restitutionem in statum pristinum, 6, 7; *secundo*, liberationem a peccato, et gratiam, 8, 9; *tertio*, gaudium commune, et benedictionem Deo redditam, 10; *quarto*, prosperitatem et abundantiam, 12, 13

SECUNDO, promittit specialiter, *primo*, Christum auctorem justitiæ et pacis, 14-16; *secundo*, regnum et sacerdotium sempiternum, 17, 18.

TERTIO, utrumque confirmat per modum fœderis inviolabilis, 19-22; et roborat exemplo ordinis naturalis nunquam violando, 23-26.

cunctis gentibus terræ, quæ audierint omnia bona, quæ ego facturus sum eis : et pavebunt, et turbabuntur in universis bonis, et in omni pace, quam ego faciam eis. 10. Hæc dicit Dominus : Adhuc audietur in loco isto (quem vos dicitis esse desertum, eo quod non sit homo, nec jumentum : in civitatibus Juda, et foris Jerusalem, quæ desolatæ sunt absque homine, et absque habitatore, et absque pecore) 11. vox gaudii et vox lætitiæ, vox sponsi et vox sponsæ, vox dicentium : Confitemini Domino exercituum, quoniam bonus Dominus, quoniam in æternum misericordia ejus : et portantium vota in domum Domini : reducam enim conversionem terræ sicut a principio, dicit Dominus. 12. Hæc dicit Dominus exercituum : Adhuc erit in loco isto deserto absque homine, et absque jumento, et in cunctis civitatibus ejus, habitaculum pastorum accubantium gregum. 13. In civitatibus montuosis, et in civitatibus campestribus, et in civitatibus quæ ad austrum sunt : et in terra Benjamin, et in circuitu Jerusalem, et in civitatibus Juda, adhuc transibunt greges ad manum numerantis, ait Dominus. 14. Ecce dies veniunt, dicit Dominus : et suscitabo verbum bonum, quod locutus sum ad domum Israel, et ad domum Juda. 15. In diebus illis, et in tempore illo germinare faciam David germen justitiæ : et faciet judicium et justitiam in terra. 16. In diebus illis salvabitur Juda, et Jerusalem habitabit confidenter : et hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster. 17. Quia hæc dicit Dominus : Non interibit de David vir, qui sedeat super thronum domus Israel. 18. Et de sacerdotibus et de Levitis non interibit vir a facie mea, qui offerat holocautomata, et incendat sacrificium, et cædat victimas omnibus diebus. 19. Et factum est verbum Domini ad Jeremiam, dicens : 20. Hæc dicit Dominus : Si irritum potest fieri pactum meum cum die, et pactum meum cum nocte, ut non sit dies et nox in tempore suo : 21. et pactum meum irritum esse poterit cum David servo meo, ut non sit ex eo filius qui regnet in throno ejus, et Levitæ et sacerdotes ministri mei. 22. Sicuti enumerari non possunt stellæ cœli, et metiri arena maris : sic multiplicabo semen David servi mei, et Levitas ministros meos. 23. Et factum est verbum Domini ad Jeremiam, dicens : 24. Numquid non vidisti quid populus hic locutus sit, dicens : Duæ cognationes, quas elegerat Dominus, abjectæ sunt : et populum meum despexerunt, eo quod non sit ultra gens coram eis? 25. Hæc dicit Dominus : Si pactum meum inter diem et noctem, et leges cœlo et terræ non posui : 26. equidem et semen Jacob et David servi mei projiciam, ut non assumam de semine ejus principes seminis Abraham, Isaac, et Jacob : reducam enim conversionem eorum, et miserebor eis.

Vers. 1. 1. SECUNDO — in carcere.

Vers. 2. 2. FORMATURUS ILLUD, — quod prædixit per me cap. præced., hicque iterat et confirmat, scilicet reditum e Babylone et pristinam felicitatem; hebraice est אותה *ota, illam,* id est illud : femininum enim Hebræi sumunt pro neutro; licet Vatablus et Pagninus sic explicent : *illam*, scilicet Jerusalem formabit, id est reficiet et restaurabit Deus.

Vers. 3. 3. CLAMA AD ME, — non ad impediendum excidium Jerusalem jam a me absolute decretum, sed ad impetrandum reditum e captivitate. Hunc enim licet etiam decreverim, decrevi tamen illum non concedere, nisi rogatus per preces tuas, Danielis, Ezechielis et aliorum. Proinde moneo ut pro eo ores, imo clames : ego enim « exaudiam te. » Ita S. Thomas.

FIRMA. — Hebraice בצורות *betsurot,* id est fortia, munita, ita ut a nemine infringi aut impediri possint : Chaldaice, *reservata,* id est occulta, scilicet de futura restauratione Jerusalem, vel potius Ecclesiæ per Christum. Ita Lyranus et Vatablus.

Vers. 4. 4. AD DOMOS, — de domibus, hoc enim est hebræum על *al.*

AD MUNITIONES, — de munitionibus et de gladio. Nota Hierosolymitas, cum a Chaldæis obsiderentur, subvertisse domos suas, ut munitiones et machinas bellicas in iis erigerent contra Chaldæos : multi etiam ex omni Judæa venerunt in Jerusalem cum gladiis et armis, ut eam defenderent, factumque est, dum resistere volunt, ut plures eorum, telis et armis Chaldæorum caderent, et domus dirutæ cadaveribus, non hostium, sed Judæorum, Deo ulciscente, implerentur : hoc est quod hic dicit Propheta. Ita Chaldæus, Septuaginta et Vatablus.

Vers. 6. 6. ECCE EGO OBDUCAM EIS, — scilicet Judæis. Hebræus et Septuaginta habent *ei*, scilicet Jerusalem. Hactenus se Deus ostendit justum vindicem ob scelera Judæorum; nunc se erga eos ostendit misericordem, quasi medicum qui vulnus inflictum

Medicus et pastor primo pungat, secundo ungat.

curat: boni enim medici est *primo*, pungere; *secundo*, ungere: hoc in morbis animæ faciant Pastor et Prælatus. Nota: Loquitur de restitutione et felicitate populi e captivitate redeuntis, tum temporali inchoata per Zorobabel, ut vult Theodoretus, tum et potius, sub hac et hujus typo loquitur de spirituali (quæ major fuit et plenior), peracta et completa per Christum. Ita Rabanus, Hugo, S. Thomas. Prophetæ, ait S. Hieronymus in cap. I *Malachiæ*, sic futurorum texunt vaticinium, ut præsens tempus non deserant; nam utriusque miscent sermonem, et ex occasione illius, felicitatem Christi prædicunt. Vide dicta cap. XXX et XXXI.

REVELABO EIS DEPRECATIONEM PACIS ET VERITATIS. — Est hypallage, id est *pacem et veritatem deprecationis*, hoc est deprecatam, puta pacem quam sunt deprecati; uti et promissorum veritatem, id est fidelitatem de ea danda præstabo, inchoate quidem et temporaliter per Zorobabel, sed spiritualiter et complete per Christum. Unde, *secundo*, dabo pacem et veritatem tum doctrinæ, tum vitæ, id est vitam perfectam et omne officium virtutis (hæc enim in Scriptura vocatur *veritas*, scilicet vitæ, per Christum, pro quo deprecati sunt omnes Sancti. Ita S. Thomas. Hinc Vatablus, Pagninus et R. David vertunt: *Dabo eis copiam* vel *multitudinem pacis et veritatis*; et Chaldæus: *Ecce ego adducam super eos medicinam, et salutem, et sanabo eos, et revelabo eis portam pœnitentiæ, et significabo eis quomodo ambulent in via pacis et veritatis;* Septuaginta vertunt: *Revelabo eis ut exaudiam, q. d.* Indicabo eis modum orandi, quo impetrent aurem meam, ut scilicet ego exaudiam eos, et faciam illis pacem et fidem.

Vers. 7. 7. ET CONVERTAM CONVERSIONEM, — id est captivitatem. Sic accipitur *conversio*, vers. 11 et 26, et cap. XXX, 3 et 18.

ET ÆDIFICABO EOS, — *q. d.* Ædificabo eis domos dirutas, et in iis eos collocabo, faciam eos inhabitare domos novas eis a me datas. Sic dixit cap. XII, 16: « Ædificabuntur, » id est habitabunt, « in medio populi mei. »

SICUT A PRINCIPIO, — cum eos ex Ægypto in Chanaan induxit, ibique stabilivit.

Vers. 9. 9. ET ERIT, — scilicet Jerusalem temporalis, vel potius spiritualis, id est Ecclesia per Christum restituta, pace, gratia, bonis et donis Spiritus Sancti abundans.

IN NOMEN DEI (ut scilicet per eam nominis Dei fama promulgetur inter gentes, quæ gaudebunt, laudabunt, et admiratione, et sacro timore et reverentia) PAVEBUNT — ad tantam Dei bonitatem et gratiam Apostolis ab Ecclesiæ collatam. Ita S. Thomas, Rabanus et Hugo. Insuper « pavebunt, » quia videbunt quod Deus, qui fideles suos amicos tot bonis cumulavit, possit etiam infideles inimicos suos perdere, omnibusque malis afficere: quocirca multi eorum ad Deum convertentur. Nota: « In omni pace, » id est in omni rerum prosperitate et affluentia: hoc enim Hebræis est pax, ut patet *Psalm.* CXXI, 7: « Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis. » Rursum « in pace, » id est propter pacem. Sic enim sæpe capitur Hebraice ב, id est *in*.

10. ADHUC AUDIETUR IN LOCO ISTO, etc., ET FORIS JERUSALEM. — Vox « foris » nomen est, non adverbium. Unde Hebræus et Chaldæus habent, *in plateis Jerusalem*. Simile vidimus in cap. XI, 6. Vers. 10.

11. VOX SPONSI ET VOX SPONSÆ, — *q. d.* Lætas inibitis nuptias cum Judæis in Jerusalem, et maxime exsultabitis in nuptiis Christi et Ecclesiæ, ac jubilantes canetis carmen, quod vobis præcinuit David, quodque vos in læto et fausto hoc rerum statu cantaturos prædixit, *Psalm.* CXXII, dicens: « Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in æternum misericordia ejus. » Hoc enim carmen intercalare cecinisse Judæos in reditu e Babylone patet I *Esdr.* III. Vers. 11.

PORTANTIUM VOTA — eorum qui afferunt victimas et oblationes, quas Deo voverunt in gratiarum actionem pro tanta redemptione, tum ex Babylone, tum potius e peccato: hebraice enim pro *vota* est תודה *toda*, significans confessionem et laudem, id est sacrificium ad laudem, celebrationem et gratiarum actionem Deo oblatum.

12. HABITACULUM PASTORUM ACCUBANTIUM GREGUM, — *q. d.* Erunt ibi pascua uberrima, ita ut ibi habitent pastores « gregum accubantium, » id est gregum qui præ ubertate pascuorum, et saturitate in pascuis more suo procumbent et accubabunt. Hæc omnia antitheta sunt malorum quæ eis comminatus est, cap. VII, vers. 34, et cap. XVI, 9, et cap. XXV, vers. 10, ut patet hæc loca inter se conferenti (1). Vers. 12.

(1) Recte C. B. Michaelis נוה רעים interpretatur *mansionem pastorum*, qui populum velut oves pascent, coll. supra cap. XXIII, 4, et *Isai.* LXV, 10; צאן vero greges non pecudum, sed hominum significare ait, צאן אדם uti est *Ezech.* XXXVI, XXXVII, XXXVIII, ob versum 13, collata eadem imagine, *Mich.* II, 12. Consentit Venema, qui ad hunc locum diserte ait: « Licet non negem, his verbis gregum in terra Judææ copiam pascuorum abundantiam, et securam et prosperam temporum abundantiam depingi, opposite ad præsentem desolationem, qua homines et pecora, uti in principio versus habetur, deficiebant, nullus tamen dubito, quin præcipue emblematicus intendatur ovium et pastorum sensus, adeoque significetur antiquam regiminis formam per omnes urbes esse instaurandam, sed rectores fore longe meliores, qui non dissiparent, ut antea, et negligerent gregem, sed in caulas congregarent, omnibus bonis instructas, et ibi secure et prospere recumbere curarent. Rationes sunt: *primo*, quod tam specialis mentio ovium, caularum, maxime in omnibus urbibus expresse memoratis, uti et vers. 13, pastorum, et recubationis ovium, non videatur locum in hac prophetia habitura, si non ulterius spectaret. *Secundo*, quia in prophetia parallela supra cap. XXXIII, vers. 3, 4, ad quam mox vers. 15, 16, digitus intenditur, et unde verba diserte citantur, eodem sub emblemate ovium et pastorum de bona gubernatione et prospero civium statu sub ea, directe agitur. *Tertio*, quia mox in hac pericopa vers. 14, transitus fit, uti et in loco parallelo modo citato, ad Messiam, summum pastorem et rectorem, tunc

13. NUMERANTIS. — Solet enim pastor vespere reducto grege ad caulas, in earum ostio oves dum transeunt numerare, ne qua desit. Id litteraliter factum est post reditum e Babylone, aiunt Theodoretus et S. Thomas; sed multo magis spiritualiter factum est per Christum et Apostolos ac alios pastores. Sic Christus, *Joan.* x, 11 et 14, oves suas vocat nominatim. Significat enim Propheta hic officium, curam et vigiliam pastorum Evangelicorum, ut scilicet singulis ovibus invigilent, ne qua errans vagetur et pereat. Ita Rabanus, Lyranus et Vatablus. Ita fecit Christus, cum ait, *Joan.* x, 14 : « Ego cognosco oves meas. » Et *Joan.* XVII, 12, et cap. XVIII, 9 : « Quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam. »

Aliter Sanchez, quasi dicat : Armenta vestra, puta boves, asini, equi, etc., quæ vobis abductis in Babylonem, in Judæa deserta sylvestria facta sunt et efferata, ut se ab hominibus tractari et numerari non paterentur; illa vobis redeuntibus in Judæam rursum cicurabuntur, fientque domestica, sinentque se tractari et numerari. Pastores enim vestri rursus ea pascent; itaque mansuefacient, ut ad manum veniant, et se tonderi ac mulgeri sinant, ultroque offerant ad emolumenta, quæ ex ipsis herus volet capere. Hic sensus congruus est et accommodus.

Vers. 14. 14. SUSCITABO VERBUM BONUM, — id est consolatorium, prosperum, faustum. Sic ait Poeta :

Nunc dicenda bono sunt bona verba die.

Secundo, « bonum, » id est benignum, propitium, beneficum. Sic ait Virgilius, XII *Æneid.* :

Vos, o mihi manes
Este boni, quoniam superis adversa voluntas.

Vers. 15. 15. GERMINARE FACIAM DAVID GERMEN JUSTITIÆ. — Id est producam Christum filium Davidis, qui justissimus erit, omniumque justificator. Ita Chaldæus.

Vers. 16. 16. HOC EST NOMEN QUOD VOCABUNT EUM. — Hebraice, *hoc est nomen quod vocabit eam*, scilicet Jerusalem, id est Ecclesiam : *Dominus justitia nostra*, id est Christus justificator noster, ipse noster est Dominus, ipse noster est Deus : hebraice enim est *Jehova*. Nomen ergo Christi, illi impositum, cap. XXIII, 6, communicatur hic Ecclesiæ, imo Christus ipse suum nomen suæ sponsæ de more communicat, ut ipsa sponsum semper in ore habeat, laudet, celebret, dicens : Dominus Christus est justitia mea, id est auctor justitiæ meæ. Si ergo roges quænam hæc civitas? quo nomine vocetur Ecclesia? Respondeo, vocari Ecclesiam Christi, seu Ecclesiam in qua omnes dicunt : Christus est justitia nostra.

Christus Ecclesiæ suum nomen et titulos communicat.

P. Gordonus, *Controv.* I, cap. x, vult hunc locum, uti et alios, a Judæis esse depravatum, ne Christum esse Deum fateri cogantur. Nam tam Noster quam Septuaginta et Chaldæi vertunt, vocabunt *eum*, scilicet Christum, non *eam*, scilicet Jerusalem. Verum Franciscus Lucas in *Notis* ostendit contrarium, scilicet non hebræum, sed latinum textum hic esse corruptum; et S. Hieronymus, non *eum*, sed *eam* vertisse : quia undecim exemplaria latina manuscripta habent *eam*, non *eum*. Veneta quoque editio Chaldæa habet לָהּ *la*, id est *eam*, non לֵהּ *le*, id est *eum*. Videtur ergo lectio cap. XXIII, 6, huc translata, ut pro *eam* irrepserit *eum*; eo quod illa lectio scribis esset notior, ex eo quod illa tempore Adventus quotidie legatur in Ecclesia. Contra Judæos vero satis convincitur Christum esse Deum, ex simili loco cap. XXIII, 6, ut ibi dixi. Frustra ergo ipsi hunc locum depravassent : debuissent enim tam illum, quam hunc depravare.

Vers. 17. 17. NON INTERIBIT DE DAVID VIR, — scilicet Christus per se, et per suos Vicarios Pontifices regens Ecclesiam in sempiternum. Patet enim hæc non esse vera de regno Judæorum et Davidis temporali, uti vult vir doctus ex Theodoreto (hoc enim sub Zorobabel et Esdra exstinctum fuit), sed spirituali; idem est de sacerdotio quod sequitur. Ita omnes passim Interpretes, præter Theodoretum qui vult Machabæos duces et pontifices habuisse matres ex stirpe David et Juda; itaque in eis permansisse tam stirpem, quam regnum et principatum Davidis. Sed hoc incertum est, nec sufficit, tum quia genealogiæ per viros et patres ducuntur, non per matres; tum quia Machabæorum principatus non diu stetit, et jam a 1600 annis plane interiit.

Vers. 18. 18. ET DE SACERDOTIBUS ET DE LEVITIS NON INTERIBIT VIR QUI INCENDAT SACRIFICIUM. — Alludit ad victimas legis veteris, quæ cremabantur occisæ; sed per has intelligit Eucharistiam, ubi Christus (qui uti regnum Davidis, ita et vetus sacerdotium restauravit) charitatis igne succensus quasi cæditur, immolatur et consumitur Deo. Est catachresis. Ita Theodoretus, Lyranus et alii. Mystice, omnes christiani quasi sacerdotes offerunt oblationes, preces et hostias bonorum operum Deo, *Rom.* XII, 1, et I *Petr.* II, 9. Ita Rabanus, Hugo et S. Thomas. Significat ergo sacrificium Evangelicum, puta Eucharistiæ, fore perpetuum et duraturum usque ad tempora Antichristi, imo usque ad finem mundi. Ita S. Hippolytus, libro *De Consummatione mundi.*

Vers. 20 et 21. 20 et 21. SI IRRITUM POTEST FIERI PACTUM MEUM CUM DIE, ET PACTUM MEUM CUM NOCTE, UT NON SIT DIES ET NOX IN TEMPORE SUO : ET PACTUM MEUM IRRITUM ESSE POTERIT CUM DAVID, — cum Christo filio Davidis. *Primo*, Theodoretus sic exponit : Sicut dies non potest esse nox, nec nox dies : ita fieri nequit ut pactum meum cum David non sit pactum, et sit irritum. *Secundo* et genuine, Rabanus : « Sicut, inquit, leges cœli, diei et noctis in suo ordine immobiliter persistunt : sic promissio Dei immobilis perma-

manifestandum. *Quarto*, accedit nihil vulgatius esse apud Prophetas hoc emblemate, vide *Ezech.* XXXIV; *Mich.* II, 12, 13.

nebit. » Unde Chaldæus vertit : *Sicut fieri non potest ut hæc deficiant.* Et sic explicat Jeremias, cap. XXXI, 36, dicens : « Si defecerint leges istæ coram me. » Simile schema et pathos est in *Octavia* Senecæ :

Jungentur ante sæva sideridus freta,
Et ignis undæ, tartaro tristi polus,
Lux alma tenebris, roscidæ nocti dies, etc.

Vers. 24. 24. DUÆ COGNATIONES, — duæ familiæ, una regia Davidis, secunda Aaronis sacerdotalis (1), ita Theodoretus, Rabanus et Hugo : vel, ut Lyranus, Juda et Benjamin, quæ duæ tribus solæ remanserunt, aliis decem abductis in Assyriam, unde has duas dicebatur Deus elegisse et sibi servasse ; quas cum viderent impii, vel Chaldæi, ut Rabanus et S. Thomas, vel potius, ut Vatablus et Hugo, increduli Judæi, jam pariter a Deo abjectas, et capiendas a Chaldæis, despiciebant populum Dei, quasi nunquam in pristinam dignitatem restituendum.

EO QUOD NON SIT ULTRA GENS, — ita ut videatur illis non esse gens Judæorum numeranda, vel alicujus momenti. Ita Septuaginta.

SI PACTUM MEUM INTER DIEM. — Sicut fieri non potest, ut non posuerim tum initio mundi, tum *Genes.* VIII, 21, cum Noe pactum de stabilitate cœli et terræ, vel ut illud revocem aut mutem : sic fieri non potest, ut omnino abjiciam filios Jacob et David, aut eos e captivitate non liberem : quin vero certissimo eos reducam, et dabo Apostolos, qui sacerdotibus et principibus legis et regni veteris succedant, quasi pontifices et principes Ecclesiæ, *Psalm.* XLIV, 17. Hi ergo erunt principes seminis, id est posterorum, Abraham, Isaac et Jacob, puta verorum Israelitarum, qui sunt filii Abrahæ non secundum carnem, sed secundum fidem et spiritum, *q. d.* Apostoli eorumque successores erunt principes fidelium, sive christianorum : hi enim sunt filii Abraham, Isaac et Jacob ; filii, inquam, promissionis, non carnis, *Rom.* IX, 6 et sequent.

26. CONVERSIONEM, — captivitatem. Vide dicta vers. 7.

(1) Duas istas familias non esse regiam familiam et sacerdotalem, ut nonnullis est visum, sed duas gentes, Judaicam et Israeliticam, suadet parallelum עַמִּי in altero hemistichio : nam duæ illæ familiæ non effecerunt populum Jovæ. (Rosenmuller.)

CAPUT TRIGESIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jeremias vaticinatur Jerusalem tradendam Chaldæis eam obsidentibus. Sedecias ergo rex ut Deum placaret, fœdus cum populo iniit de servanda Dei lege, atque edixit ut juxta legem Exod. XXI, 1, *quisque dimitteret servos et ancillas liberas anno septimo (qui inde olim dictus est annus libertatis, idque in memoriam et gratitudinem liberationis ex Ægypto). Populus id promisit et fecit : mox soluta fuit obsidio ; recessit enim Nabuchodonosor ut occurreret Ægyptiis, qui contra se veniebant in opem Judæorum, ut dicitur cap.* XXXVII, *vers. 4. Judæi jam metu liberi, rursus stimulante avaritia, servos quos dimiserant, in servitutem redigunt, contra legem et promissum suum. Hinc reprehendit eos Jeremias, et minatur Chaldæorum reditum : fugatis enim Ægyptiis redierunt Chaldæi anno 9 Sedeciæ, et anno 11 expugnaverunt Jerusalem. Ita Theodoretus, Hugo, Lyranus, S. Thomas et alii. Vulgo dicitur :*

Dæmon languebat, monachus tunc esse volebat :
Ast ubi convaluit, mansit ut ante fuit.

Sic hic Judæi et alii multi, cum virgam Dei sentiunt, omnia promittunt ; ea aversa, redeunt ad pristina vitia. Rursum, notent hoc urbes et respublicæ bello, fame aut peste a Deo afflictæ, quomodo hoc flagellum avertere debeant ; nimirum pœnitendo, peccata ob quæ immittitur corrigendo, vitam mutando, ac præsertim dedendo se operibus charitatis et misericordiæ. Ita enim Hebræi hic obsessi, servos donando libertate, obsidionem et servitutem Chaldæorum evaserunt : at ubi rursum in servitutem eos revocarunt, ipsimet mox in Chaldæorum servitutem et jugum tyrannicum incíderunt. Hoc fidelibus in publica calamitate suggerant et inculcent concionatores (2).

1. Verbum, quod factum est ad Jeremiam a Domino, quando Nabuchodonosor rex Babylonis, et omnis exercitus ejus, universaque regna terræ, quæ erant sub potestate manus ejus,

(2) In duas partes hoc caput dividi potest. Priorem a vers. 1 ad vers. 7, vix dubium est prolatam esse antequam Jeremias a rege in custodiam daretur, cum hic causa narretur ob quam a Sedecia in carcerem missus fuerit. Secundam vero obsidentibus jam Babyloniis Hierosolymam haud diu post eam, quæ septem prioribus capitis versibus continetur editam esse, prodit ejus argumentum.

et omnes populi bellabant contra Jerusalem, et contra omnes urbes ejus, dicens : 2. Hæc dicit Dominus Deus Israel : Vade, et loquere ad Sedeciam regem Juda : et dices ad eum : Hæc dicit Dominus : Ecce ego tradam civitatem hanc in manus regis Babylonis, et succendet eam igni. 3. Et tu non effugies de manu ejus : sed comprehensione capieris, et in manu ejus traderis : et oculi tui oculos regis Babylonis videbunt, et os ejus cum ore tuo loquetur, et Babylonem introibis. 4. Attamen audi verbum Domini, Sedecia rex Juda : Hæc dicit Dominus ad te : Non morieris in gladio, 5. sed in pace morieris, et secundum combustiones patrum tuorum regum priorum qui fuerunt ante te, sic comburent te : et væ, Domine, plangent te : quia verbum ego locutus sum, dicit Dominus. 6. Et locutus est Jeremias propheta ad Sedeciam regem Juda universa verba hæc in Jerusalem. 7. Et exercitus regis Babylonis pugnabat contra Jerusalem, et contra omnes civitates Juda, quæ reliquæ erant, contra Lachis, et contra Azecha : hæ enim supererant de civitatibus Juda, urbes munitæ. 8. Verbum, quod factum est ad Jeremiam a Domino, postquam percussit rex Sedecias fœdus cum omni populo in Jerusalem prædicans : 9. ut dimitteret unusquisque servum suum, et unusquisque ancillam suam, Hebræum et Hebræam, liberos : et nequaquam dominarentur eis, id est in Judæo et fratre suo. 10. Audierunt ergo omnes principes et universus populus, qui inierant pactum ut dimitteret unusquisque servum suum, et unusquisque ancillam suam liberos, et ultra non dominarentur eis : audierunt igitur, et dimiserunt. 11. Et conversi sunt deinceps : et retraxerunt servos et ancillas suas, quos dimiserant liberos, et subjugaverunt in famulos et famulas. 12. Et factum est verbum Domini ad Jeremiam a Domino, dicens : 13. Hæc dicit Dominus Deus Israel : Ego percussi fœdus cum patribus vestris, in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de domo servitutis, dicens : 14. Cum completi fuerint septem anni, dimittat unusquisque fratrem suum Hebræum, qui venditus est ei, et serviet tibi sex annis ; et dimittes eum a te liberum : et non audierunt patres vestri me, nec inclinaverunt aurem suam. 15. Et conversi estis vos hodie, et fecistis quod rectum est in oculis meis, ut prædicaretis libertatem unusquisque ad amicum suum : et inistis pactum in conspectu meo, in domo in qua invocatum est nomen meum super eam. 16. Et reversi estis, et commaculastis nomen meum : et reduxistis unusquisque servum suum, et unusquisque ancillam suam, quos dimiseratis ut essent liberi et suæ potestatis : et subjugastis eos ut sint vobis servi et ancillæ. 17. Propterea hæc dicit Dominus : Vos non audistis me, ut prædicaretis libertatem unusquisque fratri suo, et unusquisque amico suo : ecce ego prædico vobis libertatem, ait Dominus, ad gladium, ad pestem, et ad famem : et dabo vos in commotionem cunctis regnis terræ. 18. Et dabo viros, qui prævaricantur fœdus meum, et non observaverunt verba fœderis, quibus assensi sunt in conspectu meo, vitulum quem conciderunt in duas partes, et transierunt inter divisiones ejus : 19. principes Juda et principes Jerusalem, eunuchi et sacerdotes, et omnis populus terræ, qui transierunt inter divisiones vituli : 20. et dabo eos in manus inimicorum suorum, et in manus quærentium animam eorum : et erit morticinum eorum in escam volatilibus cœli, et bestiis terræ. 21. Et Sedeciam regem Juda, et principes ejus, dabo in manus inimicorum suorum, et in manus quærentium animas eorum, et in manus exercituum regis Babylonis, qui recesserunt a vobis. 22. Ecce ego præcipio, dicit Dominus, et reducam eos in civitatem hanc, et præliabuntur adversus eam, et capient eam, et incendent igni : et civitates Juda dabo in solitudinem, eo quod non sit habitator.

Auctor veteris Chronici hebraici, quod *Seder Olam Rabba* inscribitur, quæ hac pericopa dicta et facta narrantur, septimo Sedeciæ anno, tres itaque annos ante obsessam a Chaldæis urbem, contigisse statuit, hoc potissimum argumento nixus, quod Ezechiel, cap. XXII, anno septimo post deportatum Jechoniam, qui idem Sedeciæ annus septimus, a senioribus Israeliticis, qui una cum ipso in exsilio degebant, de servorum manumissione consultus fuerit. Quam sententiam, et Jarchio probatam, pluribus rationibus astruere conatus est Alph. Des Vignoles, *Chronologie de l'Histoire sainte*, tom. I, pag. 785, ita ut hanc pericopam alieno hoc loco positam contendat, neque tamen, inquit Rosenmuller, quod evincere voluit, aliis facile persuaserit. Nam in ea, quam Ezechiel

1. QUANDO NABUCHODONOSOR. — Videtur prima hæc obsidio Jerusalem contigisse anno 8 Sedeciæ, nam anno 9 rediit Nabuchodonosor, et continuavit eam ad annum 11 Sedeciæ, quo eam cepit, *Jerem.* XXXIX, 1, et cap. LII, 4; ergo annus octavus Nabuchodonosoris fuit annus septimus libertatis et remissionis, ut patet vers. 9 et 14.

Dices : Annus primus Sedeciæ fuit annus quartus hebdomadis annorum subbaticorum, ut dixi cap. XXVIII, 1; ergo septimus annus, sive sabbaticus, fuit annus quartus regni Sedeciæ, non octavus.

Respondeo : Verum id est secundum rectum et legalem computum, sive secundum stylum veteris Calendarii, non autem novi : quia enim hi anni septimi, multis lustris et forte sæculis fuerant neglecti, nec observati; hinc Sedecias eos hic revocans, inchoavit eos ab initio regni sui, accedente præsertim necessitate instantis captivitatis, uti dicam vers. 14.

Vers. 5. 5. IN PACE, — non violenta, sed naturali morte, alioqui in pace non est mortuus qui in captivitate obiit.

SECUNDUM COMBUSTIONES PATRUM TUORUM, etc., COMBURENT TE. — Sic Gentiles cadavera suorum comburebant, ut de Miseno habet Virgilius, libro VI *Æneid.* Idem Judæi fecerunt Sauli, I *Reg.* XXXI, 12, et Sedeciæ hic, uti verba textus significant.

Secundo et melius, alii ex Hebræo vertunt, *comburent tibi*, scilicet aromata. Ita Hugo, Lyranus, Vatablus, Isidorus et a Castro : aromata enim regum cadaveribus imponi et comburi solita fuisse patet II *Paralip.* cap. XVI, 14, et cap. XXI, 19. Nimirum aromata significabant regis vitam laudabilem fuisse, et gratæ famæ odore omnes recreasse. Sic jam flores et serta dantur virginibus et doctoribus mortuis, eorumque sepulcris imponuntur. Atque juxta hunc sensum videtur explicandus Noster Interpres, *q. d.* « Comburent te, » id est super te, id est suffient te aut tibi, inquit Maldonatus. Vel *te* : quia corpus tuum in aromatum adustione etiam igne attingetur, et quasi aduretur, atque hoc ipso censebitur combustum, quo aromata super funus ejus combusta sunt. Sic Hispani, ait Sanchez, dicunt, *comedi mortuum*, cum ex funereo mortui convivio comederunt. Nam David, Salomon, et alii reges mortui non leguntur combusti, sed sepulti : ita Hebræi et Latini. Sic ex adverso Asa rex, II *Paralip.* XVI, 14, dicitur sepultus, sed ante positus in lecto cum aromatibus et unguentis, quæ « combusserunt super eum ambitione nimia. » Ubi R. Kimchi aliique Hebræi tradunt, non tantum aromata, sed et lectos, vestes aliaque supellectilia fuisse de more combusta, ne in usum cujusquam, qui e regia prosapia non esset, assumerentur. Idem annotavit Hieronymus Magius, lib. III *Miscellan.* cap. XI. Videntur Judæi hac in re imitati Gentiles, qui aromata, arma, vestes resque charissimas in rogum defuncti injiciebant, uti Cæsari milites parentasse scribit Suetonius. Esto Judæi ob fidem et spem resurrectionis, aromata et supellectilem tantum cremarent, non corpora.

Serta dantur virginibus mortuis, cur?

Audi Plutarchum de Catone Minore in funere Cæpionis fratris : « Cum jam fratrem mortuum comperisset, gravius ferre visus est, quam philosopho conveniret. Nam non solum lamentis et planctu, sed sumptu funeris immodico, exquisitisque vaporibus et pretiosis vestibus corpus cremavit. » Et Tacitum, lib. III *Annal. de funere Germanici* : « Atque ubi colonias transgrederentur, atratæ plebes, trabeati equites, pro opibus loci, vestem, odores, aliaque funerum solemnia cremabant. » Ex eodem ritu Periandrum in gratiam suæ uxoris mortuæ, vestes omnium mulierum Corinthiarum cremasse, tradit Herodotus, lib. III. Cicero, lib. II *De Legib.*, hanc odorum in rogum conjectionem vocat « sumptuosam respersionem, » ac lege XII Tabularum prohibitam asserit. Plinius, lib. XII, cap. XVIII : « Periti, ait, rerum asseverant non ferre (Arabiam) tantum odorum annuo fœtu, quantum Nero novissimo suæ Poppææ die concremaverit. » Valerius Maximus, libro V, cap. I : « Caput etiam (Pompeii) plurimis et pretiosissimis odoribus cremandum curavit Cæsar. » Cynthia apud Propertium, lib. IV :

> Cur nardo flammæ non oluere meæ?

Statius, lib. II *Sylv.*, de rogo Glauciæ :

> Quid ego exsequias et prodiga flammis
> Dona loquar? mœstoque ardentia funera luxu?
> Quod tibi perpetuo tristis rogus aggere crevit?
> Quod Cilicum flores, quod munera graminis Indi, etc.

Ibidem de psittaco Melioris :

> Assyrio cineres adolentur amomo,
> Sicaniisque crocis : senio nec fessus inerti
> Scandit odoratos phœnix felicior ignes.

Ibidem in *Epicedio Pileti Ursi* :

> Odoriferos exhausit flamma Sabæos,
> Et Cilicum messes, Phariæque exempta volucri
> Cinnama, et Assyrio manantes gramine succos.

VÆ, DOMINE, PLANGENT TE. — Plangentes reges et principes dicebant, הוי אדון *hoi adon*, id est *heu. Domine* : plangentes vero privatos dicebant, הוי אח *hoi ach*, heu, frater, vel heu, soror, ut patet IV *Reg.* cap. III, vers. 10. Esto enim reges ob parem regalem dignitatem se invicem vocarent fratres, uti recte probat hic Sanchez; tamen in

septimo post deportatum Jechoniam habuit, concione, de servorum manumissione nec vola nec vestigium exstat, atque de illa re seniores Israeliticos vatem consuluisse, nonnisi conjecturis quibusdam parum verisimilibus ex argumento illius ab Ezechiele habitæ concionis efficere studuit. Obstat præterea opinioni Vignolii, quod obsidionis tunc, in qua ea quæ hac pericopa narrantur gesta essent, ad tempus solutæ, sed mox renovandæ, diserte fit mentio vers. 21, 22.

Nihil synopsi supra positæ addendum judicamus, quo series totius capitis clarior evadat.

funere regum vix aderant reges, qui eos plangerent, fratresque compellarent.

Porro formulam planctus Sedeciæ ita describunt Hebræi in sua chronologia, quam ipsi vocant *Seder Olam*, id est *Series*, sive *Historia sæculi* : « Interiit Sedecias, et de ipso hunc instituerunt planctum : Heu! quia mortuus est rex Sedecias, bibens fæces omnium ætatum, » id est luens peccata priorum sæculorum : fuit enim ipse ultimus rex Juda. Ita exponit Genebrardus ibidem.

Vers. 8. 8. PERCUSSIT REX SEDECIAS FOEDUS, — inter se suumque populum et Deum, promittens quod Deum colerent, ejusque legem servarent. Nominat vero præ aliis legem remissionis anni septimi, tum quia ille annus erat præsens; tum quia magis ad rem pertinebat. Servos enim manumittebant juxta legem, ut ipsi in servitutem Chaldæorum non inciderent.

PRÆDICANS, — voce præconis denuntians (1).

Vers. 14. 14. CUM COMPLETI FUERINT SEPTEM ANNI. — « Completi, » id est compleri cœpti : nam septimo anno ineunte aut certe currente, et necdum completo, servi dimittendi erant liberi; unde Septuaginta vertunt *Cum completi fuerint sex anni*. Sic *Luc.* II, 21, dicitur : « Postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer, » id est cum completi sunt dies, et perventum fuit ad diem octavum circumcisioni præstitutum.

Vers. 15. 15. UT PRÆDICARETIS LIBERTATEM UNUSQUISQUE AD AMICUM (id est proximum) SUUM, — id est proximis suis, puta servis et ancillis Hebræis : Gentiles enim hac lege et libertate non gaudebant. Ita Pagninus, Vatablus et alii, qui proinde vertunt : *Ut prædicaret libertatem unusquisque fratri suo*; alii, *ad proximum suum*, puta ad heros, *q. d.* Heri invicem se hortabantur ad manumissionem servorum juxta Dei legem.

(1) Vers. 9. « Ut dimitteret unusquisque servum suum, » etc. Lege sancitum erat, *Exod.* XXI, 2; *Deut.* XV, 12, ut si quis servum Hebræum emerit, eum non ultra sex annos in servitio detineret, sed anno septimo liberum dimitteret. Quod cum per longum tempus Judæi observare omisissent, tunc imminentibus moniti calamitatibus, quas ab irato Deo pœnæ loco sibi infligi sentiebant, illud religiose observare sese obstringebant, quod hoc edito pietatis specimine sperabant, fore ut Deum placarent, et impendentia mala averterent. Quod vero servorum manumissione, non alio aliquo modo, obsequii sui erga leges divinas documentum præbere apud se constituerent, haud liquet. Sunt qui putent annum tunc fuisse, aut institisse, sabbaticum. Sed tali anno non fuisse servos manumittendos, vidimus in not. ad *Exod.* XXI, 2, edit. tert. Confundunt illi interpretes annum sabbaticum cum jobeleo, qui quinquagesimus quisque annus fuit. Verum ex J. G. Frankii computatione in *Novo System. Chronol.* pag. 278, et *Tab. histor. chronol.* cap. X, annus ille, quo Chaldæi Hierosolymam versus movebant, neque sabbaticus erat, neque jobeleus, nec prope instabat. Haud improbabile est, quod Venema conjicit, Judæos tunc, uti in casibus difficillimis apud Græcos et Romanos subinde factum est, dimisisse servos tempore obsidionis, ut eos haberent faventiores, et eorum opera uterentur; quare ab obsidione liberati, eos mox sub jugum reduxerunt. (Rosenmuller.)

16. COMMACULASTIS NOMEN MEUM, — dedecore affecistis, violantes legem et pactum meum, quasi rem vilem et ad nutum mutabilem et violabilem. Præclare S. Bernardus in *Sententiis* : « Coram Deo nec leprosa valet obedientia, nec canina patientia. » Vers. 16.

UT ESSENT LIBERI ET SUÆ POTESTATIS. — Hebræus : *Dimisistis eos in animam suam*, id est suæ animæ, id est libertati, eos reliquistis et restituistis.

17. PRÆDICO VOBIS LIBERTATEM. — Ironice ludit, *q. d.* Vos liberos dimisistis servos libertati suæ, sed eam revocastis et violastis; hinc ego vos manumittam, ut non sitis amplius servi mei, sitisque liberi, non ut eatis quo vultis; sed deserens vos et hostibus exponens, permittam ut abeatis in gladium, pestem et famem, utque hæc, quasi novi heri dominique vestri libere in vos grassentur. Ita D. Thomas, vide cap. XV, 2. Vers. 17.

Secundo, R. David explicat, *q. d.* Prædico vobis, id est contra vos, libertatem hostibus, ut vos servituti subjiciant.

Tertio, Maldonatus : Prædico libertatem, id est servitutem et captivitatem, ut sit antiphrasis. Sed primus sensus planus est et genuinus.

IN COMMOTIONEM. — Hebræus et Septuaginta, *in dispersionem*, ut vagi, instabiles, timidi et trepidi instar Cain vagemini, totoque orbe spargamini quasi errones. Ita Theodoretus, Lyranus, Hugo, Maldonatus.

Aliter Vatablus et Dionysius, *q. d.* Ut omnes commoveantur, vel metu, vel commiseratione, visa vestra clade. Aliter alii, *q. d.* « In commotionem, » scilicet capitis, id est in derisum.

18. VITULUM QUEM CONCIDERUNT. — Dupliciter hæc accipi possunt. *Primo*, « dabo viros, etc., vitulum, » id est tanquam vitulum, ut, sicut hic vitulus divisus fuit, ita ipsi per varia regna dividantur et dispergantur. Ita Maldonatus. Addit Sanchez, *q. d.* Dabo te vitulum quem concidisti, id est faciam te apparere ea specie, qua vitulus concisus et discerptus. Subjicieris hostili cultro, et late per varia regnorum spatia dispergeris. Patet ex vers. 20. Vers. 18.

Secundo et aptius, ut τὸ *vitulum* referatur ad « non observaverunt, » et per vitulum intelligatur pactum cum Deo initum, et occisione vituli confirmatum, tum hic, tum *Exod.* cap. XXIV, 5, ut sit metonymia et catachresis. Ita D. Thomas, Lyranus, Dionysius. Unde Vatablus vertit, *cæso in duas partes vitulo*.

Nota hic cum Theodoreto, D. Thoma et aliis, priscum tum Hebræorum, tum aliarum gentium ritum sanciendi fœdera per victimam, puta vitulum : eum enim mactando, et in duas partes dividendo, ac per medium transeundo, imprecabantur sibi mortem et similem dissectionem, si fœdus violarent. De qua re plura dixi *Genes.* XV, 10, et *Exodi* XXIV, 8. Ritus priscus sanciendi fœdera.

20. ET DABO, — dabo, inquam. Vers. 20.

ET ERIT MORTICINUM, — id est cadaver occisum : alioqui morticinum proprie, est cadaver, quod sine vi, sponte et naturaliter mortuum est.

Vers. 22. 22. PRÆCIPIO — Chaldæis, ut ad obsidionem redeant : « præcipio, » id est permitto, ordino, dirigo, ut redeant ad excidium Hierosolymæ. Nam Hebræum צוה *tsava* significat omnem Dei ordinationem et providentiam, sive imperativam, sive ordinativam, sive permissivam. Sic Deus hic *præcepit*, id est, *primo*, ordinavit omnia, verbi gratia, fortunando res Chaldæorum, dando eis facilem et celerem victoriam contra Ægyptios, addendo eis vires et animos, objiciendo menti eorum Hierosolymæ tot annis obsessæ et exhaustæ expugnationem fore facilem, etc.; quibus omnibus effectum est, ut Chaldæi sponte sua redirent ad eam obsidendam et expugnandam, quod Deus in tota hac serie providentiæ et ordinationis suæ intendebat : hinc *secundo*, *præcepit*, id est, hunc Chaldæorum reditum ordinavit et direxit ad justam suam vindictam, ut scilicet hac ratione, per eos puniret et plecteret impios et fœdifragos Judæos. Sic Deus dicitur præcepisse corvis ut alerent Eliam, *præcepisse*, id est ordinasse et dedisse eis instinctum afferendi panem ad Eliam. Sic Deus dicitur *præcepisse*, id est directe permisisse, maledictionem Semei, eamque ordinasse ad punitionem adulterii et homicidii Davidis. Justa ergo et congrua pœna Judæorum fuit, ut sicut ipsi contra legem servos revocarant in servitutem, ita vicissim Deus revocaret Chaldæos ad eorum obsidionem et vastationem.

Præcipere est, ordinare, etiam permittendo tantum.

Simili, et æque justa antithesi dixit S. Chrysostomus, hom. 2 *in Joan.* : « Ridiculum est, ut servulos nostros in nostris semper negotiis occupatos velimus, nos vero nullum Dei exhibere servitium, præsertim cum nostra omnis servitus nihil ei conferat. » Quocirca congruo justoque judicio Dei sæpe fit, ut qui segniter, tarde, inobedienter serviunt Deo, etiam servos in obsequio suo sentiant segnes, tardos, inobedientes, refractarios.

EO QUOD NON (ita ut non) SIT HABITATOR.

CAPUT TRIGESIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Exemplo obedientiæ Rechabitarum, arguit Judæorum inobedientiam, atque his pœnam, scilicet captivitatem : illis præmium, scilicet posteritatem perpetuam et suum patrocinium, promittit (1).

1. Verbum, quod factum est ad Jeremiam a Domino, in diebus Joakim filii Josiæ regis Juda, dicens : 2. Vade ad domum Rechabitarum : et loquere eis, et introduces eos in domum Domini, in unam exedram thesaurorum, et dabis eis bibere vinum. 3. Et assumpsi Jezoniam filium Jeremiæ filii Habsaniæ, et fratres ejus, et omnes filios ejus, et universam domum Rechabitarum : 4. et introduxi eos in domum Domini ad gazophylacium filiorum Hanan, filii Jegedeliæ hominis Dei, quod erat juxta gazophylacium principum, super thesaurum Maasiæ filii Sellum, qui erat custos vestibuli. 5. Et posui coram filiis domus Rechabitarum scyphos plenos vino, et calices : et dixi ad eos : Bibite vinum. 6. Qui responderunt : Non bibemus vinum ; quia Jonadab filius Rechab, pater noster, præcepit nobis, dicens : Non bibetis vinum vos, et filii vestri, usque in sempiternum : 7. et domum non ædificabitis, et sementem non seretis, et vineas non plantabitis, nec habebitis : sed in tabernaculis habitabitis cunctis die-

(1) Primæ partis Jeremiæ vaticiniorum sectio tertia duobus sermonibus quasi disparatis absolvitur, uno de Rechabitis, cap. XXXV ; altero de fatis libri prophetici, cap. XXXVI. Quæ XXXV capite narrantur, regnante Joakimo, Josiæ filio, acta esse, notat inscriptio vers. 1, non indicato tamen regni illius anno. Calmetus ad tempus quo iterum sub Joakim Nabuchodonosor Hierosolymam cinxit, hæc referre videtur. Quam sententiam suam facit ex parte d'Allioli, hæc referendo ad tempus quo adversus Hierosolymam primo vel iterum pergebat, scilicet anno quarto vel septimo regni Joakim. Nos postremo Joakim tempore, cum Nabuchodonosor non immineret jam amplius, sed in Judæam irruptionem fecisset, quæ hic legimus contigisse, ex vers. 11 cum Rosenmuller, ut probabilius existimamus.

Hoc caput dividitur in narrationem historicam, et in accommodationem historiæ. PRIMO, in priori parte videmus, *primo*, mandatum divinum Prophetæ datum, de Rechabitis in templum deducendis, et ad vini potum incitandis, 1, 2; *secundo*, deductionem hanc et oblationem per Prophetam factam, 3, 4; *tertio*, repulsam a Rechabitis datam, hujusque rationem ex paterno instituto redditam, 6-10; *quarto*, cum quæri poterat e Rechabitis, cur ergo nunc in urbe moramini contra Jonadabi interdictum, explicationem ab iisdem additam de capta præter morem habitatione in urbe, 11.

SECUNDO, hujus historiæ, imperante Deo, accommodationem facit Propheta, *primo*, exprobrando Judæis inobedientiam erga Deum, collatione facta obedientiæ Rechabitarum patri præstitæ, 13-16; *secundo*, denuntiando pœnam inobedientibus a Deo immittendam, cum opposita promissione benedictionis Rechabitis obedientibus concedendæ, vers. 17-19.

bus vestris, ut vivatis diebus multis super faciem terræ, in qua vos peregrinamini. 8. Obedivimus ergo voci Jonadab filii Rechab, patris nostri, in omnibus quæ præcepit nobis, ita ut non biberemus vinum cunctis diebus nostris nos, et mulieres nostræ, filii, et filiæ nostræ : 9. et non ædificaremus domos ad habitandum : et vineam, et agrum, et sementem non habuimus : 10. sed habitavimus in tabernaculis, et obedientes fuimus, juxta omnia quæ præcepit nobis Jonadab pater noster. 11. Cum autem ascendisset Nabuchodonosor rex Babylonis ad terram nostram, diximus : Venite, et ingrediamur Jerusalem a facie exercitus Chaldæorum, et a facie exercitus Syriæ : et mansimus in Jerusalem. 12. Et factum est verbum Domini ad Jeremiam, dicens : 13. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel : Vade, et dic viris Juda, et habitatoribus Jerusalem : Numquid non recipietis disciplinam ut obediatis verbis meis, dicit Dominus ? 14. Prævaluerunt sermones Jonadab filii Rechab, quos præcepit filiis suis ut non biberent vinum : et non biberunt usque ad diem hanc, quia obedierunt præcepto patris sui : ego autem locutus sum ad vos, de mane consurgens et loquens, et non obedistis mihi. 15. Misique ad vos omnes servos meos prophetas, consurgens diluculo, mittensque et dicens : Convertimini unusquisque a via sua pessima, et bona facite studia vestra : et nolite sequi deos alienos, neque colatis eos : et habitabitis in terra, quam dedi vobis et patribus vestris : et non inclinastis aurem vestram, neque audistis me. 16. Firmaverunt igitur filii Jonadab filii Rechab præceptum patris sui, quod præceperat eis : populus autem iste non obedivit mihi. 17. Idcirco hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel : Ecce ego adducam super Juda, et super omnes habitatores Jerusalem, universam afflictionem, quam locutus sum adversum illos : eo quod locutus sum ad illos, et non audierunt : vocavi illos, et non responderunt mihi. 18. Domui autem Rechabitarum dixit Jeremias : Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel : Pro eo quod obedistis præcepto Jonadab patris vestri, et custodistis omnia mandata ejus, et fecistis universa, quæ præcepit vobis : 19. propterea hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel : Non deficiet vir de stirpe Jonadab filii Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus.

Nota hysterologiam ; hæc enim, utpote gesta sub Joakim prius contigerunt, quam quæ cap. præced. sub Sedecia enarrata sunt. Vide *Can.* III.

Nota *secundo* : Rechabitæ metu Nabuchodonosoris, anno quarto Judæos rebellantes invadentis, confugerunt e suis agris in urbem Hierosolymam, ibique diu pacifice habitarunt, ut patet vers. 11. Hæc ergo dicta videntur a Jeremia anno septimo vel octavo Joakim, qui fuit tertius et quartus Nabuchodonosoris.

Vers. 2. 2. VADE AD DOMUM, — ad hospitium, ad quod in urbe se receperant, ut patet vers. 11 ; nec enim Rechabitæ domos habebant, sed tabernacula, ut patet vers. 7.

RECHABITARUM. — Notant contra Calvinum Hebræi et Latini, ut D. Thomas, Hugo, Lyranus, Dionysius, Capella et alii, Rechabitas esse Cinæos. Idque ita esse patet I *Paralip.* II, 55, ubi dicitur : « Hi sunt Cinæi, qui orti sunt ex Hamat (ita enim est Hebraice ; Noster vertit, *calore*) patre familiæ Rechabitarum. » Nati sunt ergo Rechabitæ ex Jethro, qui et Raguel et Cinæus est dictus, quia de stirpe Cin ortus. Moses enim duxit uxorem Sephoram filiam Jethro : hinc Jethro venit ad Mosen, *Exod.* cap. XVIII, vers. 1, et posteri ejus, qui Cinæi dicti sunt, inter Judæos habitarunt ; uti patet de Jahel uxore Haber Cinæi, quæ occidit Sisaram, *Judic.* IV, 11. Ex dictis patet Rechabitas non fuisse Judæos, sed Madianitas ; talis enim fuit Jethro.

Rechabitæ sunt Cinæi posteri Jethro.

Ex Jethro ergo prognatus est Rechab vir illustris, qui familiæ Rechabitarum nomen dedit. Suspicatur vir doctus, Jethro, sive Hobab, de quo *Numer.* X, 29, esse Rechab, qui Madianitarum vitam et mores, nimirum vacandi rei pecuariæ, non autem seminandis agris, aut plantandis vineis, posteris suis tradiderit, et præcepto sanxerit. Itaque a tempore Mosis et Jethro cœpisse hoc institutum Rechabitarum, imo ante, scilicet a barbaris Madianitis, qui instar nomadum vagabantur, ideoque habitabant in tabernaculis, uti Tartari in plaustris. Verum obstat, quod Rechab hic fuerit pater sancti Jonadab, viri zelosi, qui cum Jehu Baal et Baalitas evertit, IV *Reg.* cap. X, 23. Tempore ergo Jehu, vel potius paulo ante, cœpit hoc non barbarum, sed pium et religiosum Rechabitarum institutum. Itaque Rechab pios patrum mores, et quæcumque per traditionem a majoribus sancte observata acceperat, quasi per legem sancita et stabilita tradidit filiis suis : quæ ipsi ita religiose observabant, ut S. Hieronymus, epist. 13 *ad Paulinum*, eos cum Elia, Eliseo et filiis Prophetarum, vocet patres monachorum : nam *primo*, Rechabitæ extra urbes seorsim vivebant, uti faciunt

Fuerunt typus religiosorum. Primo.

Secundo. monachi. *Secundo*, domos non habebant, sed habitabant in tabernaculis, quasi peregrini terræ, Tertio. non cives. *Tertio*, vino et deliciis abstinebant, unde Rechabitarum posteri, sive successores, fuerunt Essæi sive Esseni, de quibus Philo, Eusebius et alii. Hi enim æque temperantes et continentes fuerunt. Ita ex S. Nilo et Suida docet Se- Quarto. rarius, lib. III *Trihær.* cap. IX. *Quarto*, non negotiabantur, non serebant, non metebant, non quærebant opes, esto haberent uxores et liberos, sed vivebant ex pecoribus, et arte pastoritia, victu et Quinto. vestitu simplici contenti. *Quinto*, erant Scribæ, id est sapientes, legis studiosi, Deique contemplationi, laudibus et hymnis vacabant: unde ab iis scriptus dicitur psalmus LXX, ut habet ejus titulus. Ita Hebræi et S. Hieronymus supra.

EXEDRAM. — Cubicula hæc erant, sive cellæ ædificatæ in appendicibus templi, ubi sedere et quiescere poterant sacerdotes et Levitæ. Unde exedræ græce dicebantur a *sessione*, atque ibi supellex et opes templi recondebantur. Unde vers. 4, exedra vocatur gazophylacium. Exedræ ergo erant, sicut subsellia Canonicorum in choro.

Moraliter, qualis debeat esse Rechabitarum, id est Religiosorum, vita, graphice describit Eusebius Emissenus (vel potius Eucherius) hom. 9 *ad Monachos* : « Contentione laudabili certate; sit unusquisque vestrum in opere Dei promptior, in oratione ferventior, in lectione sollicitior, in castitate sit purior, in sobrietate parcior, in lacrymarum largitate profusior, in corpore honestior, in corde sincerior, in ira mitior, in mansuetudine moderatior, in risu rarior, in compunctione ferventior, in gravitate fundatior, in charitate jucundior. Et S. Bernardus, serm. 9 *in Cœna Domini* : « Cum, ait, videris monachum ad contumeliam humilem, ad opprobria patientem, suis devotum Prioribus, in moribus mansuetum, tacitum ad loquendum, assiduum ad silentium, in claustro attente legentem, in Ecclesia suis vocibus Christum cum omni devotione laudantem, si non continue, tamen quotidie lacrymantem, parcum in refectione, ad obedientiam promptum, ubique proclivum, ubique inclinatum, ubique verecundum, ore cœlum pulsantem, semper ad Dominum corde clamantem, cultorem proximi, et contemptorem sui, cunctos diligentem, seipsum odientem, tunc dicere poteris : Monachus iste sui Creatoris servat mandatum. O quam felix, o quam beatus est monachus talis ! »

Audi et Nazianzenum, *Iambic.* 15, uno carmine totum monachi officium complectentem :

> Quid est monachus? Est qui vivit et legi et Deo.
> Μονὴ, saluti quæ studet soli cohors.

Μονὴ est monasterium, sive monachorum cœtus, ut patet. Perperam ergo Lewenklavius μονὴ vertit, *solitudo*.

Hoc est enim quod alter Nazianzenus, puta S. Basilius, ait in serm. *De Instit. monachi* : « Monasticæ vitæ institutum nihil aliud sibi propositum habet, quam animæ salutem, atque ut quidquid ad eum finem prodesse potest, tanquam Dei mandatum cum timore observet. » Hac de causa Nazianzenus monachos vocat Rechabitas.

4. HOMINIS DEI, — Prophetæ Domini. Ita Chal- Vers. 4
dæus, Vatablus, Lyranus. Unde *homo Dei* vocatur Moses, *Josue* XIV, 6, et Samuel, I *Reg.* IX, 7, et David et alii. Vide dicta I *Timoth.* VI, 11.

JUXTA GAZOPHYLACIUM PRINCIPUM, — in quo principes sua dona et oblationes recondebant, quas Domino erant oblaturi. Ita Hugo et Lyranus. Aut potius, in quo dona a principibus oblata servabantur; illa enim, utpote pretiosa, seorsum et arctius custodiebantur (1).

SUPER THESAURUM, — super gazophylacium : in Hebræo enim eadem est vox, quam Interpres nunc exedram, nunc gazophylacium, nunc thesaurum vertit.

6. JONADAB FILIUS RECHAB, PATER NOSTER, PRÆ- Vers. 6.
CEPIT NOBIS, DICENS : NON BIBETIS VINUM. — Nota, ait Theodoretus, hic mirum patris præceptum, et constantem filiorum obedientiam in re tam dura, Mira obe- atque illustrem perfectionem in lege veteri tam dientia imperfecta. Nam Rechabitæ vitam curis vacuam, et absti- et prædiis carentem, vinique abstinentiam ada- nentia marunt, imo cum haberent proles et familias, Rechabi- spernebant agros et possessiones, quin et domos, tarum. in tabernaculis habitantes, quasi exsules hic et hospites, totique spe in Deum defixi; itaque vixerunt per 300 annos; tot enim fluxerunt a Jehu (cum quo vixit Jonadab pater Rechabitarum, qui eis has sanctiones dedit) usque ad ultimum annum Sedeciæ, sive usque ad eversionem Hierosolymæ. Unde apte Rechab, id est equitem vel ascendentem, et Jonadab, id est spontaneum Domini, patrem habent, ut notat S. Augustinus *Præfat. in Psalm.* LXX.

Objicit Calvinus hic non patris consilium et præceptum, sed tantum filiorum obedientiam laudari. Respondi, IV *Reg.* X, 15 et 23, satis patrem patrisque actus et vitam laudari. *Secundo*, si tam sancta fuit hæc filiorum per 300 annos in re tam ardua et alias libera obedientia, utique et præceptum patris sanctum fuit, nec frivolum aut illicitum quid præcepit; sic enim ei non fuisset obediendum. Ita S. Hieronymus et Augustinus supra.

(1) Ibi sermo est de conclavibus templi, sive atriis templi, in quo fuerunt septem atria, in quibus vestes sacerdotum et alia servabantur. His septem fuerunt præfecti, quorum quisque habuit clavem, ita ut ad ingrediendum omnes istos convenire necesse est. Hi septem ergo fuerunt cubicularii, camerarii, curam clavium habentes. Sed fuerunt et ejusdem nominis, qui pecunias rerum sacrarum a populo colligebant, et ad usus publicos servabant, aut in ærarium publicum inferebant quod Joas ordinavit, IV *Reg.* XII, 4, 5. (Buxtorfius, in *Lexic. Chald. Talmud.* pag. 127.) Et talis quidem, inquit Rosenmuller, thesauro templi præfectus videtur, qui hic commemoratur Maasia fuisse.

Objicit *secundo* : Hoc præceptum, uti et Ecclesiæ de jejunio, politicum est, nec ligat conscientiam. Respondeo : Hoc falsum est : si enim de Ecclesia hoc dicas, pari jure dicam præceptum de honorandis parentibus, de obediendo magistratui et principibus, politicum esse, nec ligare conscientiam, quod nemo nisi impius dixerit. Vide S. Augustinum supra.

Respondeo *secundo*, parentem tam ardua non posse præcipere filio, sicut non potest præcipere Religionis ingressum. Præceptum ergo hoc Jonadab consilium fuit, non politicum, sed religiosum : vel certe ipse filios tam bonos et morigeros sciebat, ut ultro illud sibi imponi sinerent.

7. UT VIVATIS DIEBUS MULTIS, — ut vivatis vita longa, felici, pacifica et quieta : quia cum essent pauperes carentes possessionibus, litibus quoque quæ circa eas moventur, carebant. Atque dignum erat ut vita eis prolongaretur, qui vitæ largitorem, puta patrem, debito honore prosequebantur. Unde *Exodi* XX, 12, dicitur : « Honora patrem, etc., ut sis longævus super terram. »

PEREGRINAMINI, — tum quia Rechabitæ, utpote posteri Jethro, erant peregrini in Israel : erant enim Madianitæ, non Israelitæ ; tum quia terram sibi hospitium et exsilium, cœlum vero patriam æstimabant. Vide dicta *Hebr.* XI, 9.

Moraliter hoc sibi dicat quisque Religiosus, imo omnis fidelis, cujus cum S. Paulo spes et conversatio in cœlis est : Memento te in terris peregrinari : es enim conscriptus a Deo ab omni ævo civis sanctorum, hæres cœli, et domesticus Dei. In omni ergo studio, labore, prandio, somno, loco, gradu, dic : « Peregrinus sum, » per hæc omnia instar peregrini mihi pertranseundum est, nusquam immorandum : ita prægustabis cœlestis patriæ opes et delicias, quas Deus tibi præparavit, ac reipsa post mortem in illas quasi hæres deduceris : amittes vero, si his terrenis animum affixeris, et obnubilaveris. Quare merito exclamat S. Bernardus, epist. *ad Monachos S. Bertini* : « O quantam internæ consolationis dulcedinem et gratiam visitationis divinæ præpedit nugarum vapor ad modicum parens ! » Et rursum : « Præsertim nos monachi, quorum velimus nolimus in labore vita est, plane miserabiliores sumus omnibus hominibus, si pro tam exiguis tanta patimur detrimenta. Quid enim insipientiæ, imo quid insaniæ est, ut qui majora reliquimus, minora cum tanto discrimine teneamus. »

11. VENITE, ET INGREDIAMUR JERUSALEM A FACIE EXERCITUS CHALDÆORUM. — Rechabitæ, ait S. Hieronymus *ad Paulinum*, « in tabernaculis semper habitantes, propter irruptionem Chaldaici exercitus Hierosolymam intrare compulsi, hanc primi captivitatem sustinuisse dicuntur, quod post solitudinis libertatem, urbe quasi carcere sunt reclusi. » Unde et psalmus LXX hoc titulo inscribitur : *Psalmus David filiorum Jonadab priorum captivorum*. Quare licet non peccarint Rechabitæ, ob hostis periculum, intrando urbem ; tamen melius egissent, si morem suum secuti, longius a Jerusalem in montes et sylvas secessissent : evasissent enim captivitatem, uti fecerant majores eorum in vastatione Amalec, I *Reg.* XV, 6.

14. PRÆVALUERUNT. — Hebraice חוקם *hukam*, id est stabilita, hoc est, observata et impleta sunt verba Jonadab, *q. d.* Rechabitæ in re dura patri obediverunt : vos, o Judæi, in re et lege facili Deo vestro non obedietis ! Vers. 14.

16. FIRMAVERUNT, — firmiter et constanter observarunt. Subditus enim observans legem patris aut Prælati, sua obedientia confirmat et quasi obsignat eam. Vers. 16.

19. NON DEFICIET VIR DE STIRPE JONADAB FILII RECHAB, STANS IN CONSPECTU MEO. — Syrus et Arabicus, *stans coram me*. Putant Hebræi filios Rechabitarum nupsisse Levitis, id est feminis e tribu Levi, et liberos ex illis procreatos ministrasse Deo in templo. Unde Chaldæus vertit : *Non deficiet vir de stirpe Jonadab filii Rechab ministrans coram me.* Et Hegesippus, lib. II *Histor.* XXII, de Jacobo fratre Domini loquens, sic ait : « Cum eum lapidarent, unus ex sacerdotibus de filiis Rechab, qui sunt Jeremiæ testimonio commendati, dixit : Quid agitis ? justus pro vobis Deum precatur. » Verum hoc non videtur esse verum ; nam nemo nisi ex patre Levita natus, poterat esse Levita aut sacerdos. *Secundo*, Theodoretus et Hugo sic explicant, *q. d.* Non deerunt Rechab filii, non generatione, sed imitatione : scilicet posteri christiani, qui Rechabitarum abstinentiam, obedientiam et religionem imitentur. *Tertio*, Dionysius censet promitti hic Rechabitis liberationem ab exercitu Chaldæorum, in communi Judæorum clade. *Quarto*, alii putant ex Rechabitis electos fuisse judices. *Quinto*, simplicius dicunt alii hic Rechabitis promitti continuam posteritatem, quam Deus semper amet, protegat, et præ oculis habeat. Verum, quia stare coram Domino in Scriptura significat Domino ministrare, uti faciebant Levitæ et sacerdotes in templo ; et quia « maximum et pulcherrimum hominis munus est, Deo ministrare, » ut ait Aristides, tom. II *Orat.* 3 *Platonica* ; hinc *sexto*, aptius censent alii, quod Rechabitæ ob tantam obedientiam et abstractionem a curis sæcularibus, electi hic fuerint a Deo ad aliquod Dei et templi ministerium, cujus ipsi erant capaces, seu quod eis committi poterat, sicut Gabaonitis commissa fuit cura aquæ et lignorum templi, *Josue*, IX, 23. Censet Sanchez hoc ministerium fuisse cantandi, et Rechabitas factos esse cantores in templo. Hoc enim videtur dicere Scriptura, I *Paral.* II, 55, unde et psalmus LXX eis quasi cantoribus inscribitur. Sic Anna prophetissa et virgines Deo dicatæ (inter quas educata fuit B. Virgo) templo ministrabant, vestes sacras reficiendo, lavando, aptando, etc. *Septimo* et certissime, ipsa Rechabitarum pia vita et observantia et quasi nazaræatus, vocatur hic statio sive ministerium Domini ; ipsi enim æque

Vers. 19. Non deficiet stirps Rechab, quo sensu ? Prima expositio. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta. Sexta. Septima, et aptissima.

ut Nazaræi vino abstinebant. Sicut ergo Nazaræi olim, et nunc Religiosi, dicuntur stare coram Deo, illique ministrare : ita idem dici poterat de Rechabitis. Duo ergo hic eis promittit Deus, *primo*, quod eorum stirps non deficiet; *secundo*, quod posteri eorum in pia ista patrum observantia perstabunt, ideoque Deo cordi et curæ erunt, imo quasi familiares amici in conspectu ejus jugiter cum eo versabuntur. Ita S. Benedictus, S. Franciscus, S. Ignatius, aliique illustres Sancti et Ordinum fundatores a Deo audierunt, quod Ordo eorum non deficeret, quodque Deus semper viros insignes ei suggereret, qui disciplinam et sanctitatem Ordinis tuerentur, fulcirent, restaurarent et perficerent.

Celebre fuit olim oraculum S. Benedicti, cujus fama totum orbem pervagata est, scilicet, quod Ordo ab ipso institutus duraturus esset usque ad finem mundi, atque in fine mundi pro Romana Ecclesia staturus fidelissime, et plurimos in fide confortaturus, quodque nullus in eo moriturus esset nisi in statu salutis, uti narrat Arnoldus Wion in *Chronicis Ordinis S. Benedicti*, quæ vocat Lignum vitæ, lib. I, cap. I, sub finem.

Simile exstat de Ordine S. Francisci, in ejus Vita apud S. Bonaventuram, et in Chronicis Ordinis. Cum enim S. Franciscus audiens aliquos apostatare, vel opponere se Ordini suo, valde affligeretur, audivit a Deo : « Quid turbaris, Francisce? quis hunc Ordinem plantavit, nisi ego? Ego retinebo, ego illis cadentibus alios substituam, iique si nondum nati fuerint, faciam ut nascantur, quod si tres tantum in eo permanserint, eos ipsos nunquam deseram, sed erit hæc semper familia mea. »

Audi et memorabilem visionem S. Pachomii, qui ab Angelo regulam monasticam accepit, quam refert Dionysius Exiguus in ejus Vita : « Astiterunt, inquit, super eum (Pachomium) angeli lucis, et juvenis in medio eorum ineffabili pulchritudine atque claritate resplendens, qui instar solis ex se fulgoris radios emittebat, habens super caput coronam spineam. Et levantes a terra Pachomium angeli, dicunt ei : Quoniam petiisti a Domino misericordiam, ecce veniet tibi misericordia tua, Deus gloriæ Jesus Christus Filius Dei Patris unigenitus, qui missus est in hunc mundum, et pro salute generis humani crucifixus est, spineam ferens in capite coronam. Et Pachomius ait : Oro, Domine, numquid ego te crucifixi? Et Dominus placidior ait ad eum : Non tu quidem crucifixisti, sed parentes tui. » Deinde subjungit promissionem : « Verumtamen animæquior esto, et confortetur cor tuum, quia posteritas tua manebit in sæculum, nec usque in finem mundi deficiet; ipsique qui post te futuri sunt, de profunda illa caligine liberabuntur, quotquot vixerint abstinenter, et curam salutis propriæ gesserint. Modo namque qui præsentia tua se continent, tuarum sequentes exempla virtutum, maxima gratiæ luce resplendent; post te vero qui in hujus sæculi caligine fuerint immorati, quia prudenter intelligent quæ petenda sunt, quæve fugienda et spontanea voluntate nullo humanitus utentes exemplo, de tantis exsilierint tenebris, omnemque justitiam servantes, æternam vitam toto corde dilexerint; amen dico tibi, quia cum istis erunt qui nunc tecum in summa continentia et sanctitate præclari sunt, eamdemque salutem ac requiem sortientur. Hæc dicens Dominus ascendit in cœlum. Sic autem illustratus aer est, ut splendor lucis illius non possit humanis sermonibus explicari. »

Tropologice Rechab est Christus, filii ejus sunt viri religiosi, qui ejus obedientiam usque ad mortem imitantur : hi stant coram Domino, parati ad omnem ejus nutum, horum progenies est perpetua. Hi sunt filii Rechab, id est equites Christi triumphantis, et cum triumpho ascendentis in cœlum : Christi enim exemplo superant et calcant omnia terrena, et quasi equites super ea equitent, scandantque in cœlum. Quocirca recte B. Petrus Damianus Cardinalis, epist. 18 *ad Desiderium Cardin. et Abbat.* : « Cœnobium, inquit, est vivarium animarum, captabulum cœlestium pecorum, aviarium volucrum. » *Captabulum*, vel per euphoniam elisa littera *p*, *catabulum* (ad quod damnatus S. Marcellus Pontifex ut pasceret bestias, ibi labore et pædore confectus martyr obiit) est septum vel locus, ita dictus, quod capiat animalia. Sicut enim a *venor* dicitur venabulum, ita et a *capto* captabulum, indeque catabulum, ut videtur, licet Etymologicum Græco-Barbarum velit esse Græcam vocem a καταβάλλω, id est *demitto*, *profundo*, *abjicio*, *negligo*, ut catabulum sit locus demissus, profundus, abjectus, vilis, qualis est stabulum pecorum. Vide de catabulo Cardinalem Baronium in Martyrologio 19 januarii.

CAPUT TRIGESIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jeremias dictat Baruch librum suorum oraculorum et minarum, jubetque ut eum in templo coram omni populo legat. Rex Joakim librum comburit, et Jeremiam cum Baruch occidi jubet : fugit Jeremias, et mox Dei jussu secundum librum minaciorem conscribit (1).

1. Et factum est in anno quarto Joakim filii Josiæ regis Juda : factum est verbum hoc ad Jeremiam a Domino, dicens : 2. Tolle volumen libri, et scribes in eo omnia verba, quæ locutus sum tibi adversum Israel et Judam, et adversum omnes gentes, a die qua locutus sum ad te, ex diebus Josiæ usque ad diem hanc : 3. si forte audiente domo Juda universa mala, quæ ego cogito facere eis, revertatur unusquisque a via sua pessima : et propitius ero iniquitati et peccato eorum. 4. Vocavit ergo Jeremias Baruch filium Neriæ : et scripsit Baruch ex ore Jeremiæ, omnes sermones Domini, quos locutus est ad eum, in volumine libri : 5. et præcepit Jeremias Baruch, dicens : Ego clausus sum, nec valeo ingredi domum Domini. 6. Ingredere ergo tu, et lege de volumine, in quo scripsisti ex ore meo, verba Domini, audiente populo in domo Domini, in die jejunii : insuper et audiente universo Juda, qui veniunt de civitatibus suis, leges eis : 7. si forte cadat oratio eorum in conspectu Domini, et revertatur unusquisque a via sua pessima : quoniam magnus furor et indignatio est, quam locutus est Dominus adversus populum hunc. 8. Et fecit Baruch filius Neriæ, juxta omnia quæ præceperat ei Jeremias propheta, legens ex volumine sermones Domini in domo Domini. 9. Factum est autem in anno quinto Joakim filii Josiæ regis Juda, in mense nono : prædicaverunt jejunium in conspectu Domini omni populo in Jerusalem, et universæ multitudini, quæ confluxerat de civitatibus Juda in Jerusalem. 10. Legitque Baruch ex volumine sermones Jeremiæ in domo Domini, in gazophylacio Gamariæ filii Saphan scribæ, in vestibulo superiori, in introitu portæ novæ domus Domini, audiente omni populo. 11. Cumque audisset Michæas filius Gamariæ filii Saphan omnes sermones Domini ex libro : 12. descendit in domum regis ad gazophylacium scribæ : et ecce ibi omnes principes sedebant : Elisama scriba, et Dalaias filius Semeiæ, et Elnathan filius Achobor, et Gamarias filius Saphan, et Sedecias filius Hananiæ, et universi principes. 13. Et nuntiavit eis Michæas omnia verba, quæ audivit legente Baruch ex volumine in auribus populi. 14. Miserunt itaque omnes principes ad Baruch, Judi filium Nathaniæ, filii Selemiæ, filii Chusi, dicentes : Volumen ex quo legisti audiente populo, sume in manu tua, et veni. Tulit ergo Baruch filius Neriæ volumen in manu sua, et venit ad eos. 15. Et dixerunt ad eum : Sede, et lege hæc in auribus nostris. Et legit Baruch in auribus eorum. 16. Igitur cum audissent omnia verba, obstupuerunt unusquisque ad proximum suum, et dixerunt ad Baruch : Nuntiare debemus regi omnes sermones istos. 17. Et interrogaverunt eum, dicentes : Indica nobis quomodo scripsisti omnes sermones istos ex ore ejus. 18. Dixit autem eis Baruch : Ex ore suo loquebatur quasi legens ad me omnes sermones istos : et ego scribebam in volumine atramento. 19. Et dixerunt principes ad Baruch : Vade, et abscondere tu et Jeremias, et nemo sciat ubi sitis. 20. Et ingressi sunt ad regem in atrium : porro volumen commendaverunt in gazophylacio Elisamæ scribæ : et nuntiaverunt audiente rege omnes sermones. 21. Misitque rex Judi ut sumeret volumen : qui tollens illud de gazophylacio Elisamæ scribæ, legit audiente rege, et universis principibus qui stabant circa regem. 22. Rex autem sedebat in domo hiemali in mense nono : et posita erat arula coram eo

(1) Quarto Joakimi anno exeunte, illiusque quinto facta esse quæ hoc capite narrantur, apparet e vers. 1 et 9.

plena prunis. 23. Cumque legisset Judi tres pagellas vel quatuor, scidit illud scalpello scribæ, et projecit in ignem, qui erat super arulam, donec consumeretur omne volumen igni, qui erat in arula. 24. Et non timuerunt, neque sciderunt vestimenta sua, rex et omnes servi ejus, qui audierunt universos sermones istos. 25. Verumtamen Elnathan, et Dalaias, et Gamarias, contradixerunt regi ne combureret librum : et non audivit eos. 26. Et præcepit rex Jeremiel filio Amelech, et Saraiæ filio Ezriel, et Selemiæ filio Abdeel, ut comprehenderent Baruch scribam, et Jeremiam prophetam : abscondit autem eos Dominus. 27. Et factum est verbum Domini ad Jeremiam prophetam, postquam combusserat rex volumen, et sermones quos scripserat Baruch ex ore Jeremiæ, dicens: 28. Rursum tolle volumen aliud : et scribe in eo omnes sermones priores, qui erant in primo volumine, quod combussit Joakim rex Juda. 29. Et ad Joakim regem Juda dices : Hæc dicit Dominus : Tu combussisti volumen illud, dicens : Quare scripsisti in eo annuntians : Festinus veniet rex Babylonis, et vastabit terram hanc, et cessare faciet ex illa hominem et jumentum? 30. Propterea hæc dicit Dominus contra Joakim regem Juda : Non erit ex eo qui sedeat super solium David ; et cadaver ejus projicietur ad æstum per diem, et ad gelu per noctem. 31. Et visitabo contra eum, et contra semen ejus, et contra servos ejus, iniquitates suas; et adducam super eos, et super habitatores Jerusalem, et super viros Juda, omne malum quod locutus sum ad eos, et non audierunt. 32. Jeremias autem tulit volumen aliud, et dedit illud Baruch, filio Neriæ scribæ : qui scripsit in eo ex ore Jeremiæ omnes sermones libri, quem combusserat Joakim rex Juda igni : et insuper additi sunt sermones multo plures, quam antea fuerant.

Vers. 1. 1. ET FACTUM EST IN ANNO QUARTO (regni) JOAKIM,— postquam Joakim, re cum Nabuchodonosore composita, Babylone redierat, sed non ita secure, quin adhuc Judæi metuerent Nabuchodonosoris reditum; unde ad eum avertendum indixerunt jejunium, vers. 6.

Vers. 2. 2. VOLUMEN, — Hebraice מגלה *megilla*, significat convolutionem; olim enim liber instar mappæ geographicæ erat quasi una membrana, ex variis membranis consuta, quæ in cylindrum convolvebatur; hoc enim est Hebræum *megilla*, et Latinum *volumen*.

Dices : Quomodo ergo paginas sive pagellas habebat, ut dicitur vers. 23?

Respondeo *primo* : Paginæ vocantur vel ipsæ membranæ partiales invicem assutæ, ut fiat una membrana longa et lata; vel singulæ circumvolutiones, aut partes cylindro convolutæ, quæ singulæ seorsim ordine explicabantur et evolvebantur ut legi possent. Unde pro paginæ hebraice est דלתות *delatot*, id est ostia, fores, id est aperturæ, explicationes, explicati gyri.

Secundo, per paginas accipi possunt paragraphi, vel capita, in quæ distinctus erat liber, juxta distinctionem et diversitatem materiæ, puta oraculorum in eo descriptorum.

Tertio, Sanchez opinatur librum hunc aliam habuisse formam, quam volumen olim communiter habebat, nempe quadratam, ut in ea distinctæ essent pagellæ, uti fit in nostris libris. Horum enim etiam tunc usum fuisse colligitur ex eo quod scribit Josephus, lib. XII *Antiq.* v, de litteris Lacedæmonum datis ad Oniam pontificem in quibus ad calcem hæc leguntur : « Demoteles est, qui has vobis reddidit litteras in pagina quadrangula scriptas, et obsignatas aquilæ sigillo draconem tenentis in unguibus. » Verum hæ litteræ erant instrumenta publica amicitiæ et fœderis.

Summa scripturæ hujus libri erat, ut patet, vers. 29 : « Festinus veniet rex Babylonis, et vastabit terram hanc, et cessare faciet ex illa hominem et jumentum. » Erat ergo hic liber, vel compendium prophetiarum Jeremiæ omnium, vel certe ipse liber prophetiæ Jeremiæ a cap. I, hucusque. Ita Sanchez. Hoc enim plane significant verba Dei dicentis : « Scribes in eo omnia verba, quæ locutus sum tibi, etc., ex diebus Josiæ usque ad diem hanc. » Unde patet Jeremiam ab anno 13 Josiæ, quo cœpit prophetare, usque ad annum quartum Joakim, qui hic nominatur, per annos 22, oracula sua non scripsisse, aut potius scripsisse quidem ea in variis schedis, sed in unum librum et volumen ea non digessisse. Quare Deus hic ei jubet, ut id faciat : quia hoc anno quarto Joakim, cœpit regnare Nabuchodonosor, qui impleturus erat hæc oracula, et vastaturus Judæos aliasque gentes.

Vers. 4. 4. VOCAVIT ERGO JEREMIAS BARUCH, — ut ipse quasi scriba scriberet hoc volumen dictante Jeremia, sive quia Jeremias minus polite scribebat, et malos formabat characteres, ut vult Sanchez : sive quia Jeremias totus concipiendæ et dictandæ prophetiæ erat intentus : sive quia clausus in carcere obscuro, videre non poterat ut scriberet : sive quia longum erat hoc opus; tota enim Jeremiæ prophetia describenda erat.

Vers 5. 5. EGO CLAUSUS SUM — in carcere a Joakim rege timente, ne, si liberum me sinat, meis tristibus oraculis percellam et frangam animos populi. Ita Theodoretus, Rabanus, Thomas, Lyranus. Aut quia volui librum eis legere, hinc ab eis incarceratus sum. Ita Lyranus et Dionysius. Inde tamen, ne rex eum occideret, a principibus emissus est, ut se absconderet, vers. 19.

Secundo, planius alii, Hebræum עצור *atsur*, vertunt, *detentus sum, prohibitus sum*, scilicet vel a rege Joakim, ut vult Sanchez; vel a Dei spiritu, ingredi templum et legere librum, ne ibi occidar. Ita Vatablus, Pagninus, a Castro et Maldonatus.

Hinc patet Prophetas aliquando verbo, aliquando scripto, aliquando et communiter utroque modo prophetasse. Littera enim scripta occidi nequit, rursum non erubescit, denique ad absentes et posteros transmittitur. Qua de re exstat elegans ænigma Antiphanis poetæ Græci :

> Natura infantes servans est femina in ulnis.
> Hi muti, genitam sed possunt sistere vocem
> Per cunctas terræque vias, perque æquoris undas,
> Cui volet absenti mortali audire licebit :
> Cuique etiam sensus auditus surdus habetur.

Quod Sappho poetria ita exponit : Feminea natura est epistola, quæ infantes circumfert litteras, quæ cum mutæ sint, iis tamen qui longe absunt, loquuntur, quibus ipsa vult : legentem vero eam nemo, ne proximus quidem, audit : quocirca litteræ æque surdæ ac mutæ esse videntur : mutæ legenti, surdæ astanti.

Rursum ex hac scriptura Baruch liquet, quam antiquus fuerit usus scribendi calamo et atramento apud Hebræos.

Vers. 6. 6. IN DIE JEJUNII. — Nota, vers. 9, indictum est hoc jejunium ante hanc Jeremiæ jussionem, idque ad placandum Deum, et avertendum Chaldæos; erat enim mense nono, ut dicitur vers. 9, quo hactenus nullum nec a Deo, nec a Synagoga indictum erat jejunium, ut patet ex *Menologio Hebræorum* apud Genebrardum. Post tamen ob combustum hunc Jeremiæ librum, indixerunt Judæi annuum jejunium, die septima mensis noni, ut patet ex dicto *Menologio*. Quare minus recte aliqui per diem jejunii intelligunt festum expiationis, quo jejunium omnibus indictum erat sub pœna mortis, quod celebrabatur die decimo mensis septimi, *Levit.* XXIII, 27.

Jejunium ob combustum Jeremiæ librum.

7. SI FORTE CADAT. — Nota : Cadere orationem in conspectu Domini, est eam acceptam essę Domino, eaque Deum exorari. Unde cap. seq. vers. 19, Noster Interpres Hebræam hanc phrasim vertit : « Valeat in conspectu tuo deprecatio mea. » Ita Chaldæus, S. Thomas et Dionysius (1).

(1) Preces per prosopopœiam sistuntur tanquam homo supplex, qui ad viri principis pedes, clementiam ejus exoraturus se prosternit. Videtur hæc loquendi formula seriori hebraismo priva esse; reperitur enim tantum in hoc libro infra cap. XXXVII, 20; cap. XXXVIII, 26; cap. XLII, 2, 9; et *Daniel.* IX, 18. (Rosenmuller.)

Sed quia liber hic legitur populo ut convertatur et Deum oret, itaque placet : hinc melius Maldonatus, Sanchez, Hugo et Vatablus sic explicant, *si cadat*, id est si forte Judæi minis excidii quod Deus per Chaldæos intentat, territi et compuncti convertantur ad Dominum, ut humilient, prosternant et profunde demittant se et preces suas, ut supplices a Deo veniam petant. Simili phrasi ait Jeremias, cap. XXXVIII, 26 : « Prostravi ego preces meas coram rege. » Unde sequitur hic : « Et revertatur unusquisque a via sua pessima. » Simile est *Daniel.* IX, 17. Vide hic quid facere soleant minæ Jeremiæ et concionatorum : nimirum minæ sunt quasi pharmaca, quibus exciti peccatorum humores expelluntur.

9. IN ANNO QUINTO JOAKIM, etc., PRÆDICAVÈRUNT JEJUNIUM (publica præconis voce indixerunt jejunium) IN CONSPECTU DOMINI, — id est in templo, videlicet ut omnes jejunarent « in conspectu Domini, » id est inclinantes se, et orantes ante conspectum Domini, sicut dixit vers. 7 : « Si forte cadat oratio eorum in conspectu Domini. » Ita Maldonatus (2). Vers. 9.

Nota : Hoc jejunium indictum est anno quinto Joakim, uti hic dicitur. Ergo indictum est post obsidionem Hierosolymæ, ejusque vastationem, quæ contigit anno quarto Joakim, in qua ipse Joakim rex cum multis Hierosolymitis, captus, abductus est in Babylonem; sed promittens Nabuchodonosori fidelitatem et tributum in posterum, mox eodem, ut videtur, anno liber in Jerusalem est dimissus : ubi statim ad ingenium rediit, et Chaldæorum jugum excussit. Hac de causa, Dei monitu Jeremias jussit Baruch librum oraculorum suorum describere, regique et proceribus legere, ut modeste se gererent, subderentque ex fide data se Chaldæis; alioqui ipsos sibi, urbi et regno excidium allaturos, uti reipsa contigit.

Porro indictio jejunii hujus præcessit lectionem libri, qua nimirum Baruch legit principibus oracula et minas Jeremiæ, ut patet ex sequentibus. Quocirca hoc jejunium non est indictum ad avertendas hasce minas, et Chaldæos; sed potius in signum publici luctus; eo quod anno præcedenti urbs capta et spoliata esset a Chaldæis, ac multa vasa templi cum rege et proceribus abducta essent in Babylonem. Hanc ergo cladem luxerunt publico et solemni hoc jejunio; quo tamen simul precabantur ut Deus deinceps talem cladem ab eis averteret, nec sineret amplius urbem cum templo suo ab incircumcisis ita pollui et vastari.

(2) Jejunium erat extraordinarium, ob calamitates toti Asiæ impendentes aut incubantes. Populus proclamasse hoc jejunium dicitur, id est, primores populi, volente et cupiente populo, jejunium indixerant. Nullæ in eo jejunio partes fuisse videntur impii regis, sed nobiliorum ex populo. (J. D. Michaelis.)

12. AD GAZOPHYLACIUM (1) (id est cubiculum : vide dicta cap. præced. vers. 2 et 4) SCRIBÆ, — id est secretarii, vel, ut Vatablus, cancellarii regii.

16. OBSTUPUERUNT UNUSQUISQUE AD PROXIMUM SUUM, — obstupentes se invicem respiciebant (2).

18. EX ORE SUO LOQUEBATUR QUASI LEGENS. — Prompte et expedite mihi dictabat, ac si ea ex libro legisset. Significat Baruch hæc verba non fuisse a Jeremia præmeditata, nec quæsita, sed a Spiritu Sancto suggesta, ut posset dicere cum Davide, *Psal.* XLIV, 2 : « Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. » Ita Maldonatus. Jeremias ergo hic omnia sua oracula sine libro dictavit et quasi reparavit ; sicut multi putant, licet falso, Esdram dictasse et reparasse S. Scripturam in excidio combustam.

19. VADE, ET ABSCONDERE TU ET JEREMIAS. — Suadent hoc eis proceres, quia sciebant ingenium et consilium Joakim regis, qui arrogans, nec ferens se subjici Chaldæo, oderat Jeremiam suadentem, imo ex ore Dei jubentem, ut ei se subderet. Ergo ne eis rursum subjectionem occinentibus indignetur Joakim, eosque carcere vel morte mulctet, consulunt eis fugam et latebras.

22. REX AUTEM SEDEBAT, — Hebraice יושב *iosceb*, id est habitabat, in domo, in qua per hiemem commorari solebat : erat enim mensis nonus, id est november.

ET POSITA ERAT ARULA, — foculus, vel receptaculum prunarum, quo se calefaciebat rex. Ita Septuaginta et Chaldæus (3).

23. PAGELLAS, — hoc est, gyros explicatos in explicatione voluminis, sive libri convoluti, ut dixi vers. 2. Porro dicit « tres vel quatuor, » quia legerat tres, et cœperat quartam ; et quia loquitur uti vulgo homines loqui solent (4). Vers. 27

SCIDIT ILLUD (scilicet ipse rex Joakim, ut patet vers. 27 et 29, furore correptus) SCALPELLO SCRIBÆ, — id est cultello pennario. Ita Hugo, S. Thomas, Lyranus et Vatablus. Falluntur Hebræi, putantes hunc librum fuisse Threnos Jeremiæ ; hic enim liber continebat minas excidii futuri : Threni vero continent lamentationes excidii præteriti.

24. ET NON TIMUERUNT, NEQUE SCIDERUNT VESTIMENTA SUA (*q. d.* Timorem et horrorem non ostenderunt scindendo vestimenta sua : est hendyadis) : REX (qui sciderat et combusserat librum : hunc enim maxime facti et furoris sui pœnitere debebat) ET OMNES SERVI EJUS. — Moris enim erat apud Hebræos, ut in blasphemia Deique injuria, omnes audientes scinderent vestimenta, ut hoc ipso Dei injuriam detestarentur et exsecrarentur. Gravis enim erat Dei injuria, scindere et comburere ejus librum et oracula ; quocirca posteri ob conscissum hunc librum, publicum et annuum indixerunt jejunium, uti superius dixi. Sic Josias, pater Joakim, « cum audisset verba libri legis Domini, scidit vestimenta sua, » IV *Reg.* XXII. Quin et impius Achab idem fecit, III *Reg.* XXI. Vers. 24

26. ABSCONDIT AUTEM EOS DOMINUS, — scilicet in eodem loco, ad quem fugerant ut laterent : verbi gratia, in domo viri alicujus boni et pii : ibi enim Deus eos protexit, et quærentium eos phantasiam aut oculos divertit et avertit alio, ut ad eum locum non accederent, et Jeremiam cum Baruch non invenirent. Ita Chaldæus, Rabanus et Hugo. Sic Christus abscondit se, *Joan.* VIII, non fugiendo, sed faciendo se invisibilem, aiunt ibidem Theophylactus, Euthymius, Lyranus, Maldonatus et alii.

Aliter D. Thomas, qui censet Deum hic per miraculum abscondisse Jeremiam et Baruch, vel

(1) Vers. 10. « Legitque Baruch..... in gazophylacio » etc. Hanc exedram aut valde oportet fuisse spatiosam, ut populi multitudinem caperet, aut forte in secunda aut tertia contabulatione hæc facta sunt, ita ut ex fenestra prælegeret Baruchus, populusque foris stans audiret (J. D. Michaelis). Sed non in atrio eo ipso prælegisse Baruchus videtur, inquit Rosenmuller. Ibi enim populus, cui illud atrium ingredi non erat concessum, legentem vix inaudire potuisset. Accedit quod Gemaria, cujus hæc cella fuit, non sacerdos, sed princeps politicus fuit. Valebit igitur ב nomini חצר præfixum *ad, ante, apud*, ut infra cap. XLIII, 9. Dicitur igitur Baruchus fuisse ante atrium superius, quod esset sub ingressum templi. Ita sane et populus et sacerdotes prælegentem audire potuere.

(2) Vers. 17. « Indica nobis quomodo scripsisti omnes sermones istos ex ore ejus. » Noverant quidem principes, Jeremiæ esse, quæ ipsis Baruchus prælegerat ; sed edoceri ab eo voluerunt, num post continuam narrationem Jeremiæ, quæ ex illius vaticiniis memoriæ succurrerant, litteris consignarit, et suo ingenio ordinarit, an vero dictitantis Prophetæ verbis calamo exceptis? Minime necesse est ut cum Venema in duas quæstiones dividamus : *Quomodo hæc scripsisti, num ex ore ejus?* Nec quod J. D. Michaelis ait, certiores fieri voluisse principes, sintne hæc omnia verba plane divina, nihil humani aut erronei admixtum habentia, verba interrogantium dicunt. (Rosenmuller.)

(3) Vox hebræa דאוח hic et versu proximo indicat ollam, in qua ignis et carbones, qualem et apud nos infimæ sortis homines aliquando cameris fornace destitutis, inferunt. In Ægypto rusticos ollis lapideis cameras calefacere, stramine aut fimo arefacto ignibus alentes testatur Niebuhr, *Itiner.* tom. I, pag. 154, et Merdinæ Mesopotamiæ urbe. Idem vidit ollas prunis plenas calefaciendo adhiberi, lib. I, tom. II, pag. 394. (Rosenmuller.)

(4) דלתות, *delatot*, quod proprie *januas, valvas* significare constat, hoc loco de paginis libri usurpari docet res, de qua agitur : Scribebatur volumen lineis, non per longitudinem totius chartæ aut pergameni deductis, sed in plures areas divisis, quomodo sunt latera paginarum in libris complicatis. Sic hodie libri Mosis et libri Esther (qui מגלה, *megila, volumen* a גלל *galal* convolvendo synecdochice vocatur) in synagogis Judæorum visuntur scripti in pergameno longo circa lignum voluto, scriptura in arcis instar paginarum distincta. Inde etiam capiendum, quod apud Jeremiam, cap. XXXVI, 23, legitur, volumen libri, lectis in eo tribus aut quatuor foliis, fuisse cultro discissum et combustum. Non enim erant folia separata, ut sunt librorum, sed areæ instar paginæ aut lateris unius folii. Istæ propterea voce metaphorica vocantur *januæ, valvæ*, quod figuram januæ referant. » Hæc Buxtorfius in *Institut. epistolari Hebr.* pag. 4. (Rosenmuller.)

transferendo eos in latebras, uti Eliam transtulit; vel oculos eorum tenendo aut excæcando, ne Jeremiam et Baruch viderent. Jeremias fuit hic typus Christi, qui a Judæis quæsitus ad mortem, abscondit se, et transiens per medium illorum ibat, imo sub finem vitæ secessit in civitatem Ephrem, *Joan.* XI, 54, quia nondum venerat hora ejus.

29. FESTINUS VENIET. — Hebraice בֹּא יָבֹא *bo iabo*, id est veniendo veniet, id est veniens in via non tardabit; sed cito instar aquilæ advolabit, adventu suo rumorem præcurret, aderit ante portas vestras, antequam audiatis illum e Babylone discessisse. Vatablus vertit, *certissime veniet.*

CESSARE FACIET, — occidet vel auferet homines et jumenta.

30. NON ERIT EX EO QUI SEDEAT, — scilicet diu et absolute : nam filius ejus Joachin tantum tribus mensibus regnavit, ideoque æstimatur ac si non regnasset. Ita Theodoretus. Posteri vero Joachin non fuerunt reges, sed duces populi. Machabæi aliqui fuerunt reges; sed hi fuerunt ex tribu Levi, non Juda; ac consequenter non fuerunt ex stirpe Joakim.

ET CADAVER EJUS PROJICIETUR AD ÆSTUM PER DIEM, ET AD GELU PER NOCTEM, — *q. d.* Joakim occidetur a Chaldæis, et cadaver insepultum projicietur, ut loco publico putrescat. Hæc est infamis sepultura asini, quam ei prædixit cap. XXII.

Præclare Aristides, orat. *in Eteonem*, tom. I : « Dum, ait, mors omnibus æque sit proposita, illud certe, ut quis præclarissima quæque consecutus, gloriose obeat, nec diis nec hominibus invisus, non omnibus est, sed paucis admodum concessum. » Subdit ad id stimulum : quia vita nostra brevis est, ut etiamsi Nestoris annos computes, minima sit pars æternitatis, imo nulla.

31. ET NON AUDIERUNT, — id est, quia non audierunt, hoc est, obedierunt jussis et oraculis Dei editis per Jeremiam. Vers. 31.

32. ADDITI SUNT SERMONES MULTO PLURES, QUAM ANTEA FUERANT. — Hebraice, additi sunt sermones multi, similes illis prioribus, id est minaces. Ita Septuaginta, Chaldæus, Vatablus et alii. Vers. 32.

CAPUT TRIGESIMUM SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jeremias Sedeciæ consulenti et roganti, ut pro se et urbe oret, prophetat Nabuchodonosorem, qui a Jerusalem recesserat pugnaturus contra Pharaonem, reversurum, et Jerusalem combusturum. Hinc quasi transfugere vellet ad Chaldæos capitur, et in tetrum locum conjicitur; sed deprecans Sedeciam, ab eo commodiorem custodiam et quotidianam annonam impetrat (1).

1. Et regnavit rex Sedecias filius Josiæ pro Jechonia filio Joakim : quem constituit regem Nabuchodonosor rex Babylonis in terra Juda. 2. Et non obedivit ipse, et servi ejus, et populus terræ, verbis Domini, quæ locutus est in manu Jeremiæ prophetæ. 3. Et misit rex Sedecias Juchal filium Selemiæ, et Sophoniam filium Maasiæ sacerdotem, ad Jeremiam prophetam, dicens : Ora pro nobis Dominum Deum nostrum. 4. Jeremias autem libere ambulabat in medio populi : non enim miserant eum in custodiam carceris. Igitur exercitus Pharaonis egressus est de Ægypto : et audientes Chaldæi, qui obsidebant Jerusalem, hujuscemodi nuntium, recesserunt ab Jerusalem. 5. Et factum est verbum Domini ad Jeremiam prophetam, dicens : 6. Hæc dicit Dominus Deus Israel : Sic dicetis regi Juda, qui misit vos ad me interrogandum : Ecce exercitus Pharaonis, qui egressus est vobis in auxilium, revertetur in ter-

(1) Hic incipit partis primæ sectio quarta complectens tum fata Jeremiæ, cap. XXXVII, XXXVIII, tum fata Hierosolymæ et incolarum, cap. XXXIX, tum fata reliquiarum populi, cap. XL-XLIV. Porro quæ hoc capite et eo quod proxime sequitur, narratur, priusquam quæ cap. XXXII, XXXIII, legimus contigisse, inde patet quod vates tum nondum in custodiam datus esset (vide vers. 4), et Chaldæi ab expeditione contra Ægyptios nondum reversi essent ad urbem denuo obsidendam.

PRIMO igitur, Chaldæi, qui urbem obsidere cœperant, audita fama de Ægyptiis obsessæ urbi suppetias afferentibus, statim obsidionem solvunt, Ægyptiis obviam euntes, 1-5; quod cum Hierosolymitanos in hanc spem induceret, se plane ab obsidionis periculis liberatos esse, denuntiat iis vates, Chaldæos redeuntes, urbem esse expugnaturos et combusturos, 6-10.

SECUNDO, obsidione soluta ad tempus, cum in eo esset Jeremias ut in Benjaminitidem hæreditariæ rei causa se conferret, apprehenditur, defectionis ad Chaldæos suspectus, et in custodiam traditur, 11-16.

TERTIO, inde clam accersitus a rege et de belli exitu consultus, illi denuntiat se in Chaldæorum potestatem venturum, simul vero regem deprecatur, ne ipsum in tam squalidum, quam quo antea detentus fuerit, carcerem remittat, cum nihil ab ipso commissum esset, quo tam crudeliter tractari commeruisset, 17-21.

ram suam in Ægyptum. 7. Et redient Chaldæi, et bellabunt contra civitatem hanc : et capient eam, et succendent eam igni. 8. Hæc dicit Dominus : Nolite decipere animas vestras, dicentes : Euntes abibunt, et recedent a nobis Chaldæi; quia non abibunt. 9. Sed et si percusseritis omnem exercitum Chaldæorum, qui præliantur adversum vos, et derelicti fuerint ex eis aliqui vulnerati : singuli de tentorio suo consurgent, et incendent civitatem hanc igni. 10. Ergo cum recessisset exercitus Chaldæorum ab Jerusalem propter exercitum Pharaonis, 11. egressus est Jeremias de Jerusalem ut iret in terram Benjamin, et divideret ibi possessionem in conspectu civium. 12. Cumque pervenisset ad portam Benjamin, erat ibi custos portæ per vices, nomine Jerias, filius Selemiæ filii Hananiæ, et apprehendit Jeremiam prophetam, dicens : Ad Chaldæos profugis. 13. Et respondit Jeremias : Falsum est, non fugio ad Chaldæos. Et non audivit eum : sed comprehendit Jerias Jeremiam, et adduxit eum ad principes. 14. Quam ob rem irati principes contra Jeremiam, cæsum eum miserunt in carcerem, qui erat in domo Jonathan scribæ : ipse enim præpositus erat super carcerem. 15. Itaque ingressus est Jeremias in domum laci et in ergastulum : et sedit ibi Jeremias diebus multis: 16. mittens autem Sedecias rex tulit eum : et interrogavit eum in domo sua abscondite, et dixit : Putasne est sermo a Domino? Et dixit Jeremias : Est. Et ait : In manus regis Babylonis traderis. 17. Et dixit Jeremias ad regem Sedeciam : Quid peccavi tibi, et servis tuis, et populo tuo, quia misisti me in domum carceris? 18. Ubi sunt prophetæ vestri, qui prophetabant vobis, et dicebant : Non veniet rex Babylonis super vos, et super terram hanc? 19. Nunc ergo audi, obsecro, domine mi rex : Valeat deprecatio mea in conspectu tuo : et ne me remittas in domum Jonathan scribæ, ne moriar ibi. 20. Præcepit ergo rex Sedecias ut traderetur Jeremias in vestibulo carceris, et daretur ei torta panis quotidie, excepto pulmento, donec consumerentur omnes panes de civitate : et mansit Jeremias in vestibulo carceris.

Vers. 6. (1) 6. ECCE EXERCITUS PHARAONIS, etc., REVERTETUR IN ÆGYPTUM (2). — Narrant Rabbini quod, cum Ægyptii jam haberent classem in mari, nutu Dei apparuerint super mare utres inflati, ad speciem viscerum humanorum, per mare agitati, dixerintque Ægyptii inter se : « Hi sunt majores nostri Ægyptii, qui suffocati sunt in mari propter istos Judæos; et nos nunc vadimus, ut auxiliemur eis? steterunt igitur, et redierunt retro. » Hæ sunt fabellæ R. Salomonis.

Nota : Hæc prophetia contigit sub Sedecia, sub tempus obsidionis Jerusalem, ac proinde accidit diu post illam capitis præced.; illa enim contigit sub Joakim. Est enim in Jeremia crebra hysterologia : quia prophetiæ ejus in unum volumen compilatæ sunt promiscue, non servato ordine, uti dixi initio in chronotaxi. Quæ hic et sequentibus cap. scribuntur a Jeremia, historiæ sunt adeo claræ, ut qui eis longa interpretatione lucem afferre velit, eas potius sit obnubilaturus et caliginem eis offusurus.

8. NOLITE DECIPERE ANIMAS VESTRAS, — id est, *primo*, nolite falso animis vestris persuadere, quod Chaldæi prorsus abibunt. *Secundo*, « animas, » id est vitas vestras : has enim redeuntes Chaldæi vobis eripient, aut ita affligent, ut malitis mori quam vivere. *Tertio*, « animas vestras, » id est vos ipsos, ut sit synecdoche.

(1) Vers. 3. « Misit rex Sedecias ad Jeremiam dicens : Ora pro nobis Dominum Deum nostrum. » Rectene an secus hoc a Sedecia factum sit, si quæratur, nemo dubitabit dicere quin recte et sancte hoc factum fuerit, quod sancti Prophetæ preces et interpellationem pro se et regno suo suppliciter petierit; quamvis in eo peccaverit, quod non simul monitis sancti Prophetæ obtemperaverit. Si recte factum, nulla ergo in illis verbis continetur injuria, nec Dei, nec Christi mediatoris. Vanum ergo est et calumniosum, quod hæretici dicunt, nostras preces, quibus ad sanctos cum Christo regnantes dicimus : *Sancte Petre, S. Paule, orate pro nobis*, continere injuriam mediatoris; cum nihil aliud dicamus, quam quod hic dictum est ad Jeremiam. Fatendum est ergo, sanctos ita esse intercessores, ut nihilominus verum etiam maneat quod Apostolus ait, I *Timoth.* II : « Unus est mediator Dei et hominum homo Christus Jesus. » Vide plenius II *Machab.* XV, ubi Jeremias etiam defunctus pro populo orat. (Estius.)

(2) Rex Ægypti, Pharao, fœdus secreto cum Sedecia contra Chaldæos inierat. Sed cum primum omnem vim et impetum exercitus Nabuchodonosoris, Hierosolyma adeoque tota Judæa sustinuerat, Judæorum socii, nedum vires suas contra hostem communem conjungerent, a bello prorsus abstinuerunt. Quin etiam aliqui Nabuchodonoris partes amplexi sunt, obsessumque per totum annum Sedeciam deseruerunt. Pharao vero, recte judicans quod Nabuchodonosor, statim eruta Hierosolyma, quæ quasi Ægypti septum habebatur, in suum regnum irrueret, contra illum processit, Sedeciæ opis ferendæ causa, quod cum rescivisset, Nabuchodonosor exercitum congregavit ut Pharaonem debellaret. Haud obscure Ezechiel innuit, cap. XXX, 21, 22, prælium inter illos initum, Pharaonemque devictum fuisse. Quod etiam indicat Jeremias, cap. XLVI, 15, 16, licet libri historici de eo prælio non expressam mentionem faciant. (Calmetus.)

EUNTES ABIBUNT, — id est omnino abibunt ut amplius non redeant.

9. SED ET SI PERCUSSERITIS OMNEM EXERCITUM CHALDÆORUM, — *q. d.* Adeo fixum et certum est Dei decretum de Jerusalem excidio, ut, licet Chaldæi ab Ægyptiis, ut vos speratis, aut a vobis cæderentur, ita ut pauci cladem hanc evaderent, iique graviter saucii; Deus tamen per illos Judæorum agmina sterneret, urbemque concremaret. Tam durum est Deum habere adversarium, ac contra eum pugnare vel obniti, est contra stimulum calcitrare. Ita Sanchez.

Vers. 11. 11. ET DIVIDERET IBI POSSESSIONEM, — non filiis suis, ut vult Chaldæus, nullos enim habuit; manebat enim virgo, ut dixi cap. XVI, vers. 2, sed fratribus et propinquis. Aut ut possessionem quæ sibi forte obvenerat, vel agrum quem emerat ab Hanameel, cap. XXXII, vers. 9, ab aliis ejus et vicinorum agris demetiretur et divideret. Ita S. Thomas, Lyranus et Dionysius.

Verum agro obstat, quod ager ille postea sit emptus, scilicet cum Jeremias incarceratus esset (qui hic vers. 4 dicitur fuisse liber, unde et urbe egredi voluit, vers. 10), scilicet anno decimo Sedeciæ, cum paulo post expugnata est Jerusalem, ut patet cap. XXXII, vers. 1 et 2. Adde, pene frustra facta fuisset hæc partitio bonorum, utpote quæ in prædam cessura mox erant victori Chaldæo: potuit tamen eam prætexere Jeremias fugæ suæ, ut mox dicam.

Secundo, Sanchez explicat, *q. d.* Egressus est Jeremias de Jerusalem, ut domum et habitationem a populo Solymitano divideret, id est, ut a populo jamjam vastando et perituro subtraheret: *dividere* autem *in conspectu civium,* nil est aliud quam spectantibus civibus fugam illam seu discessum moliri. Hic sensus in Hebræo est planior; nam ex Hebræo potest sic verti cum Vatablo et Pagnino, *ut lubrificaret exinde in medio populi* (1), i. e. ut more rei lubricæ dilaberetur ex urbe in medio populi, qui turmatim soluta jam obsidione ex urbe egrediebatur. Aut, *ut divideret se a populo*, id est ut secederet ab urbe. Videns enim Jeremias Sedeciam et proceres sibi offensos, et parare carceres aliaque diriora; simul prævidens paulo post Jerusalem, et omnia quæ in ea erant vastanda esse, mature voluit sibi consulere, ac occasione disponendi de rebus suis, abire in Anathoth, et ex Jerusalem se subducere, ut se excidio eriperet. Septuaginta vertunt: *Ut emeret inde* (aliquid) *in medio populi*, id est in mercatu, quod Theodoretus explicat, *q. d.* Ut emeret panes; erat enim fames in urbe paulo ante obsessa.

12. JERIAS. — Hic erat nepos, id est filius filii Hananiæ (ut hic dicitur), cui mortem intentavit Jeremias, cap. XXVIII, vers. 16, ideoque nepos ejus Jerias, ut mortem avi vindicaret, Jeremiæ infensus hic eum capit. Ita R. Salomon, Lyranus et alii. Vers. 12.

14. CÆSUM, — vel pugnis, vel, ut Rabanus, S. Thomas et Lyranus, flagellis, et sic Jeremias fuit typus Christi flagellati. Vers. 14.

Nota hic, quam perniciosa sit temeraria suspicio, et præcipitatum judicium. Ex eo quod Jeremias urbe exiret, suspicax Jerias ait: « Ad Chaldæos profugis. » Credunt et principes, insontemque Jeremiam cædunt et incarcerant. Peccavit in hoc Heli, qui Annam suspirantem ad Deum, quasi ebriam et temulentam increpavit; et Pharisæi qui Christum calumniati sunt, vocantes gulonem, vini potorem, dæmoniacum, quod cum publicanis et peccatoribus accumberet, morbosque curaret. Gravius deliquit Theodosius Junior Imperator qui, ob pomum ab Eudoxia uxore dono datum Paulino nobilissimo viro, suspicatus adulterium, eum innocentem interfici jussit, Eudoxiam a societate tori removit. Et Constantinus Magnus, qui Crispum filium falso incestus ab uxore accusatum, mox interfici jussit. Laborant hoc malo melancholici, quia ex umbra gravia mala mox ominantur. Est enim melancholia, utpote humor ater, tristis, timida, suspicax, maligna. Hi ergo contra eam ex professo pugnare debent, omniaque phantasmata suspicionum quæ incidunt animo, mox elidere: nam, ut B. Dorotheus ait, « mendosa amussis etiam recta depravat. » Narrat idem B. Dorotheus, custodem horti domestici suspicatum esse de quodam Religioso, quod poma ex horto furto sublegisset, itaque accessisset ad S. Synaxin; accusavit eum apud Antistitem. Ille, re examinata, cognovit Religiosi innocentiam, ac hortulanum suspiciosum publice coram omnibus gravissime increpuit et confudit. S. Franciscus incidens in pauperem mendicum, cum socius ei diceret: Forte hic inopiam simulat, et dives est; jussit mox illi ut flexis genibus a mendico veniam peteret, eumque nudum veste sua tegeret. Cassianus, lib. V *De Instit. renunt.* cap. XX, narrat Machatem virum sanctum, sed severi nimis et suspicacis judicii, ita a Deo punitum et correctum fuisse: « Machates, Moraliter, de temeraria suspicione et judicio.

(1) C. B. Michaelis putat, vatem vel portionem messis vel hæreditatem aliquam in Benjaminitica ditione adeundam habuisse, quam hoc tempore, ubi propter abitum Chaldæorum licuit, voluerit occupare. Ita phrasis לחלק משם *lachaliq mischam*, foret ea, quam prægnantem vocant, hoc sensu: ut divideret quam illic habuit possessionem et suam portionem inde secum auferret. Quod tamen, inquit Rosenmuller, justo obscurius expressisset. Itaque potius adstipulatur interpretationi a Vatablo et Pagnino datæ, cui etiam accedit Calmetus. Nam, inquit Rosenmuller, cum חלק, *chalaq*, lævum glabrum, lubricum, denotare constet, videtur לחלק *lachaliq* hoc loco subaudito את נפשו *et-nafescho* (quod ad plura verba subaudiendum esse exemplis apertis docuit Walther in *Ellips. hebr.* pag. 77), proprie notare, *ad lubrificandum se ipsum*, id est ad delabendum, in morem eorum, qui per loca lubrica labuntur, ut verba hebraica ita sint interpretanda, *ad subducendum se inde in medio populi*, id est, ut subduceret se ex urbe admixtus turbæ egredienti soluta obsidione; tum enim maxime elabi et eripere se solent homines. Hinc petra illa, in qua Davides insidias Saulis evasit, I *Sam.*, XXIII, 28, vocatur *Petra evasionis.*

inquit Cassianus, cum institueret nos neminem dijudicare debere, intulit tria fuisse in quibus discusserit vel reprehenderit fratres; *primo*, quod uvam sibi nonnulli paterentur abscindi; *secundo*, quod haberent in cellulis sagum; *tertio*, quod oleum benedicentes sæcularibus exposcentibus darent. Unde justo Dei judicio hæc omnia se incurrisse dicebat; nam ægritudinem uvæ contrahens et tabescens, coactus sum, ait, eam abscindi permittere; cujus etiam infirmitatis obtentu, sagum quoque habere coactus sum; oleum etiam benedicere et supplicantibus dare, cum alia ratione eorum importunas preces evadere non possem. » Unde concludit : « Quibus mihi manifeste compertum est, iisdem causis ac vitiis monachum obligari, in quibus de aliis judicare præsumpserit. »

Vers. 15. 15. IN DOMUM LACI, — in carcerem, qui quia teter, tenebricosus, fœtidus, cœnosus, profundus erat et horridus, hinc similis erat laco, foveæ, sepulcro et inferno. Sic Joseph dicitur descendisse in foveam, id est in lacum carceris, *Sapient.* X, 13, et *Daniel.* cap. VI, dicitur projectus in lacum leonum. Quocirca Jeremias, ne ejus squalore conficeretur, rogat inde eripi; unde in vestibulum quasi commodiorem locum translatus est, vers. ultimo. Sic apud omnes gentes carceres horridi longam mortem præ se ferebant; hinc Athenis carcer dictus est « barathrum, » et a Christo « tenebræ exteriores; » non quod esset extra urbem, sed « exteriores ; » id est extreme et summe tenebricosus. Carcer quoque dictum est « ergastulum, » quasi dicas operatorium, quia in carcere servi vincti operari, ut molere, pinsere, et statum operis pensum persolvere debebant. Sed hæc in laco fieri non poterant; is tamen communi voce et more vocatur hic « ergastulum. »

Carcer dictus est barathrum: cur?

Tertia Jeremiæ incarceratio.

Est hæc tertia incarceratio Jeremiæ. *Primo* enim in carcerem missus fuit, cap. XX, vers. 2, a Phassur filio Emmer, sed postridie eductus; *secundo*, incarceratus fuit, cap. XXXII, vers. 3, a Sedecia rege; *tertio* hic. Hanc foveam sive lacum Jeremiæ Constantinum Imperatorem mirifica fabrica exornavisse scribit Nicephorus, lib. VIII, cap. XXX.

16. PUTASNE EST SERMO A DOMINO? — *q. d.* A temetipso dicis urbem comburendam, an a Deo inspiratus? Ita Hugo et Vatablus. Vel potius, quia sciebat eum esse Prophetam Domini, *q. d.* Estne sermo aliquis novus a Deo? cupiebat enim Sedecias mitius aliquid, et favens suæ pertinaciæ oraculum novum audire. Ita ex Hebræo et Septuaginta, Theodoretus, S. Thomas, Lyranus et a Castro. Unde respondet Jeremias : De novo mihi revelatum est, quod in manum regis Babylonis traderis.

Vers. 18. 18. UBI SUNT, — *q. d.* Ex eventu videte me esse verum Prophetam, qui prædixi adventum Chaldæorum, uti jam eos advenisse videtis, falsos vero et mendaces Prophetas esse, qui id negarunt. Ita Theodoretus, S. Thomas et Lyranus.

19. VALEAT DEPRECATIO MEA IN CONSPECTU TUO, — sine te, mi rex, a me exorari; acquiesce deprecationi meæ (1). Vers. 19

20. IN VESTIBULO CARCERIS, — in atrio carceris communis; non ergo erat Jeremias in cellulis vinctorum, ut vult R. David, qui τὸ *in vestibulo carceris*, per hypallagen exponit, *q. d.* « In carcere qui erat in vestibulo, » sed in atrio, quasi in libera custodia, idque Dei providentia, ut eum ibi facilius cives adire et audire possent. Unde in hoc atrio emit agrum ab Hanameel, fecitque emptionis instrumenta, cap. XXXII.

TORTA, — hebraice כִּכַּר *kickar*, id est panis rotundus et orbicularis, quæ dicitur *torta* quasi *tracta*, et in orbem contorta. Hinc et talentum, quia orbiculatum, vocatur *kickar* (2).

EXCEPTO PULMENTO, — id est obsonio, vel cibo qui pulti vel pani additur. Veteres enim temperantes, pulte pro pane utebantur, ut dixi *Genes.* cap. XXV, 29, *q. d.* Sedecias liberalisfuit in Jeremia alendo; jussit enim in publica fame ei dari tortam panis, pulmentum vero sine mensura.

Aliter Septuaginta, Chaldæus, Pagninus et Vatablus vertunt, scilicet : *Et dedit ei tortam panis* (scilicet emptam) *de vico* aut *platea pistorum*, id est dedit ei tortam panis communis, quem pistores coquebant quotidie servis regiis, stata quantitate et pondere. Hoc enim est *kickar* sive torta.

MANSIT (usque ad expugnationem urbis) JEREMIAS IN VESTIBULO CARCERIS. — Merito potuit, potestque nunc maxime Jeremias cum S. Paulo gloriari in crebris continuisque carceribus ac vinculis, cum eoque dicere : « Ego vinctus in Domino, » *Ephes.* IV, 1. Et : « In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter, » II *Cor.* XI, 23. Ita nuper in iisdem glorificabatur Michael in Japone martyr anno Domini 1609, uti sic ait : « Quadriennio fui in carcere, ita lætus et alacer, ut uno tantum die mihi fuisse videar. Non possum Dei in me beneficentiam verbis exæquare, quod pro ejus fide captus sim; nimirum dignatam esse augustissimam illam Majestatem ex illo die, animæ et corporis mei velut adire et capere possessionem. Exinde semper in summa pace fui. Æstuabat cor meum inæstimabili desiderio, sui ad omnem Dei nutum, in prosperis et adversis ad unguem conformandi. » Et rursum : « Quantumcumque me mundus despiceret, premeret, vexaret,

(1) Ne moriar ibi. » Alimentis, inquit J. D. Michaelis, necessariis caruisse videtur, carceris custode in tanta penuria panem suffurante. Verumtamen et potuit ipse carceris subterranei squalor et insalubritas vitæ Prophetæ periculosus esse. (Rosenmuller.)

(2) כִּכַּר-לֶחֶם *kickar lechem, orbem panis*, ut *Exod.* XXIX, 23 ; *Judic.* VIII, 5 ; I *Sam.* II, 36 ; *Proverb.* VI, 26, id est *placentam panis*, ut Syrus vertit. Sunt enim Orientalium panes potius placentæ tenues, planæ et orbiculares. Vide Niebuhrii *Descript. Arab.* pag. 52. (Rosenmuller.)

affligeret, statui nihil me ista pensi facturum. Satis enim scio irrisiones, contemptus, fastidia, et quaslibet injurias pro Dei amore æquo animo toleratas, omnium regum et imperatorum sceptris ac diadematibus esse infinitis partibus anteponenda. »

CAPUT TRIGESIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

E carcere Jeremias hortans populum ad deditionem, in lacum limosum conjicitur, sed ab Abdemelech Æthiope liberatur. Secundo, vers. 14, rogatus secreto a Sedecia, suadet ei ut se tradat Chaldæo; rursum in atrum carceris ligatus manibus pedibusque conjicitur, in eoque manet usque ad excidium urbis (1).

1. Audivit autem Saphatias filius Mathan, et Gedelias filius Phassur, et Juchal filius Selemiæ, et Phassur filius Melchiæ, sermones quos Jeremias loquebatur ad omnem populum, dicens: 2. Hæc dicit Dominus: Quicumque manserit in civitate hac, morietur gladio, et fame, et peste: qui autem profugerit ad Chaldæos, vivet, et erit anima ejus sospes et vivens. 3. Hæc dicit Dominus: Tradendo tradetur civitas hæc in manu exercitus regis Babylonis, et capiet eam. 4. Et dixerunt principes regi: Rogamus ut occidatur homo iste: de industria enim dissolvit manus virorum bellantium, qui remanserunt in civitate hac, et manus universi populi, loquens ad eos juxta verba hæc: siquidem homo iste non quærit pacem populo huic, sed malum. 5. Et dixit rex Sedecias: Ecce ipse in manibus vestris est: nec enim fas est regem vobis quidquam negare. 6. Tulerunt ergo Jeremiam, et projecerunt eum in lacum Melchiæ filii Amelech, qui erat in vestibulo carceris; et submiserunt Jeremiam funibus in lacum, in quo non erat aqua, sed lutum: descendit itaque Jeremias in cœnum. 7. Audivit autem Abdemelech Æthiops vir eunuchus, qui erat in domo regis, quod misissent Jeremiam in lacum: porro rex sedebat in porta Benjamin. 8. Et egressus est Abdemelech de domo regis, et locutus est ad regem, dicens: 9. Domine mi rex, malefecerunt viri isti omnia quæcumque perpetrarunt contra Jeremiam prophetam, mittentes eum in lacum, ut moriatur ibi fame; non sunt enim panes ultra in civitate. 10. Præcepit itaque rex Abdemelech Æthiopi, dicens: Tolle tecum hinc triginta viros, et leva Jeremiam prophetam de lacu antequam moriatur. 11. Assumptis ergo Abdemelech secum viris, ingressus est domum regis, quæ erat sub cellario: et tulit inde veteres pannos, et antiqua quæ computruerant, et submisit ea ad Jeremiam in lacum per funiculos. 12. Dixitque Abdemelech Æthiops ad Jeremiam: Pone veteres pannos, et hæc scissa et putrida, sub cubito manuum tuarum, et super funes; fecit ergo Jeremias sic. 13. Et extraxerunt Jeremiam funibus, et eduxerunt eum de lacu: mansit autem Jeremias in vestibulo carceris. 14. Et misit rex Sedecias, et tulit ad se Jeremiam prophetam ad ostium tertium, quod erat in domo Domini; et dixit rex ad Jeremiam: Interrogo ego te sermonem, ne abscondas a me aliquid. 15. Dixit autem Jeremias ad Sedeciam: Si annuntiavero tibi, numquid non interficies me? et si consilium dedero tibi, non me audies. 16. Juravit ergo rex Sedecias Jeremiæ clam, dicens: Vivit Dominus, qui fecit nobis animam hanc, si occidero te, et si tradidero te in manus virorum istorum, qui quærunt animam tuam. 17. Et dixit Jeremias ad Sedeciam: Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Si profectus exieris ad principes regis Babylonis, vivet anima tua, et civitas hæc non succendetur igni: et salvus eris tu, et domus tua. 18. Si autem non exieris ad principes regis Babylonis, tradetur civitas hæc in manus Chaldæorum, et succendent eam igni: et tu non effugies de manu

(1) Quæ hoc capite narrantur, facta esse post ea quæ capite XXI legimus, apparet ex iis quæ vers. 2 hujus capitis a Jeremia dicta proceres afferunt, quæ ea ipsa sunt, quæ cap. XXI, 9, Jeremias dixit. Vide argumentum supra.

eorum. 19. Et dixit rex Sedecias ad Jeremiam : Sollicitus sum propter Judæos, qui transfugerunt ad Chaldæos : ne forte tradar in manus eorum, et illudant mihi. 20. Respondit autem Jeremias : Non te tradent; audi, quæso, vocem Domini, quam ego loquor ad te, et bene tibi erit, et vivet anima tua. 21. Quod si nolueris egredi : iste est sermo, quem ostendit mihi Dominus : 22. Ecce omnes mulieres, quæ remanserunt in domo regis Juda, educentur ad principes regis Babylonis; et ipsæ dicent : Seduxerunt te, et prævaluerunt adversum te viri pacifici tui, demerserunt in cœno et in lubrico pedes tuos, et recesserunt a te. 23. Et omnes uxores tuæ, et filii tui educentur ad Chaldæos : et non effugies manus eorum, sed in manu regis Babylonis capieris : et civitatem hanc comburet igni. 24. Dixit ergo Sedecias ad Jeremiam : Nullus sciat verba hæc, et non morieris. 25. Si autem audierint principes quia locutus sum tecum, et venerint ad te, et dixerint tibi : Indica nobis quid locutus sis cum rege, ne celes nos, et non te interficiemus : et quid locutus est tecum rex : 26. Dices ad eos : Prostravi ego preces meas coram rege, ne me reduci juberet in domum Jonathan, et ibi morerer. 27. Venerunt ergo omnes principes ad Jeremiam, et interrogaverunt eum : et locutus est eis, juxta omnia verba quæ præceperat ei rex, et cessaverunt ab eo : nihil enim fuerat auditum. 28. Mansit vero Jeremias in vestibulo carceris usque ad diem, quo capta est Jerusalem : et factum est ut caperetur Jerusalem.

2. ERIT ANIMA (vita) EJUS SOSPES. — Hebræus, *erit vita ejus in spolium*; Chaldæus, *in evasionem;* Septuaginta, *in lucrum.* Scilicet erit quasi spolium e manibus hostium ereptum; jam enim urbs, vita et bona vestra sunt quasi in manibus Chaldæorum.

4. DISSOLVIT MANUS, — dissolvit animos et vires civium, ut arma abjiciant, eo quod prophetet Chaldæos eis prævalituros.

Vers. 5. 5. NEC ENIM FAS EST REGEM VOBIS QUIDQUAM NEGARE. — Septuaginta legentes אותם *otam* pro אתכם *etchem*, vertunt : *Quia non poterat rex illis resistere,* quasi Propheta regem excuset (1).

Vers. 6. 6. DESCENDIT ITAQUE, — demersus est. Ita Hebræi. IN COENUM. — Josephus, lib. X *Antiq.* x : In cœnosum, inquit, puteum per funem demiserunt Jeremiam, ut ibi præfocatus moreretur; ille vero usque ad collum mersus ibi manebat. Fuit ergo hic Jeremias typus Christi, qui ait, *Psalm.* LXVIII, 2 : « Infixus sum in limo profundi : et non est substantia. » Nota : Lacus hi erant putei, vel cisternæ ad colligendam aquam, vel scaturientem, vel pluvialem, ideoque crebri erant in Judæa, et crebra eorum mentio in Scriptura. Hisce deinde nonnulli usi sunt ad reorum custodiam, vel potius supplicium, ut scilicet eos ibi pædore, tabe et fame conficerent lenta morte. Talis videtur fuisse hic locus, qui prius fuit puteus vel cisterna Melchiæ; deinde quia erat juxta carcerem, traductus est ad reorum custodiam, vel potius supplicium. Hi cœnosi erant, quia patentes superne, excipiebant pluviam, quæ mixta cum fundo laci, faciebat lutum et cœnum. Erant et profundi; hinc funibus reos eo demittebant, uti demiserunt hic Jeremiam. Hinc erant instar barathri, ac inferni typum et speciem exhibebant. Talis videtur fuisse cisterna vetus, in quam a fratribus projectus est Joseph, ut ibi moreretur, *Genes.* XXXVII, et David, *Psalm.* LXXXVII, 7 : « Posuerunt, inquit, me in lacu inferiori : in tenebrosis, et in umbra mortis. » Et *Psalm.* XXXIX : « Eduxit me de lacu miseriæ, et de luto fæcis. » Et de Christo patres e limbo liberante ait Zacharias, cap. IX : « Emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. » Ita Abulensis in cap. XXV *Matth., Quæst.* DLVIII, et Sanchez.

Moraliter nota : Deus tunc maxime adest, cum res videntur plane desperatæ et deploratæ, si serio invocetur. Quis non putavisset actum de Jeremia, cum communi regis et principum consensu in lacum projectus est? At Deus ei adfuit, uti ei promiserat cap. I, eumque confortavit. Hoc est enim quod Deo gratias agens Jeremias, ait *Thren.* cap. III, 57 : « Appropinquasti in die, quando invo-

(1) « Ecce ipse in manibus vestris est. » In manibus synedrii, inquit Grotius, cujus est judicare de Propheta vero aut falso. Sed nihil est in contextu, quo significetur *principes* fuisse homines synedrii : erant aulæ regiæ proceres. Qui cum urgeant regem (vers. 4), ut Prophetam interfici jubeat, hoc ipso declarant, se non habere jus vitæ et mortis. Ex his colligitur, aut principes non fuisse synedrii senatores, aut synedrio non licuisse, non annuente rege, morti addicere falsos prophetas. Ex regis verbis hoc tantum colligere licet, ipsum fuisse imbecillis et ingenii et consilii virum, qui non auderet Jeremiam tueri contra ejus accusatores, quanquam sibi persuasum esset illum esse verum Prophetam... Ludovicus de Dieu regem hisce verbis detrectare a se existimat, damnationem Jeremiæ ad supplicium ejusque exsecutionem, hac allata ratione, sine se facile illis fore totum illud negotium conficere. Sed veram verborum regis mentem haud dubio perspexisse videtur Schnurrerus, qui observat verba esse ægre ferentis aliorum, quorum esset regi obtemperare iniquam atque iniquam auctoritatem. Sedeciam enim, haud inscium, at certe invitum, consiliariorum ministrorumque magis quam suo arbitrio rempublicam geri passum esse, apparet ex capitis hujus versu 24 et seq. (Rosenmuller.)

cavi te (in lacu, uti præcessit) : dixisti : Ne timeas.» Quocirca suscitavit Abdemelech Æthiopem, qui regis animum flecteret, et Jeremiam e lacu extraheret.

Mirare hic et imitare longam patientiam et constantiam Jeremiæ : post verbera, post nervum, post lacum, rursum eadem prophetat. Gentilitas mirata est Socratem, quasi virum patientissimum, ideoque sapientissimum : Socrates enim, teste Laertio, nuntianti quemdam se maledictis incessere : « Bene, inquit, loqui non didicit; » dicenti alteri : «Nonne iste tibi maledicit?» « Non, inquit, quia ista mihi non adsunt. » Xantippe ejus uxor, cum in eum prius convicia, deinde aquam sordidam effudisset : « Nonne, inquit, dicebam Xantippen tonantem quandoque pluituram? » Dicenti Alcibiadi non esse tolerabilem Xantippen adeo morosam : « Atqui, ait, ego his jam assuetus sum, ac si jugiter sonum trochlearum audiam : an vero tu non toleras clamore perstrepentes anseres? » Illo dicente : « At mihi ova pullosque pariunt : » «Et mihi, ait, Xantippe filios parit.» Asperioris ingenii uxori ita convivendum monebat, ut equis animosis equites. Nam « sicut illi, cum eos semel subegerint, reliquis facile utuntur : ita et mihi post Xantippes usum, reliquorum mortalium toleratio facilis obveniet. » Hinc Pythia dixit : « Mortalium unus Socrates vere sapit. » Verum quid Socrates ad Jeremiam? qui non unam Xantippen, sed reges, principes, omnesque Judæos se persequentes, tot annos tam patienter et fortiter toleravit? nimirum servo Dei « afflictio carnis est mensa spiritus, » ut ait auctor *Vitæ B. Petri Damiani*, cap. XIX.

Socratis patientia mirazum Jeremia collata.

Vers. 7. 7. ABDEMELECH. — R. Salomon censet hoc nomen non esse proprium, sed commune officii. *Abdemelech* enim hebraice idem est quod *servus regis*, scilicet per excellentiam, puta regii cubiculi et cubilis custos. Hic enim græce vocatur Eunuchus. Rursum R. Salomon pro *Æthiops* vertit *Æthiopis*, ut hæc sit sententia : Audivit autem servus regis Sedeciæ Æthiopis, id est improbi, et vitiis nigri instar Æthiopis. Sic ait Poeta :

Hic niger est : hunc tu, Romane, caveto.

Et Amos, cap. IX, 7 : « Numquid non ut filii Æthiopum vos estis mihi, filii Israel? » Verum longe melius et verius vertit Noster : « Audivit autem Abdemelech Æthiops. »

EUNUCHUS, — id est aulicus; Chaldæus, *vir magnus*. Vide dicta cap. XXIX, 1. Unde libere eunuchus hic principibus se opposuit, et Jeremiam liberavit; hinc mercedem a Deo tulit, ut paulo post audiret a Jeremia se in clade urbis incolumem evasurum, cap. XXXIX, 16, cum cæteri aulici tunc fuerint occisi, ut patet cap. seq., vers. 6.

Vers. 9. 9. UT MORIATUR IBI (in lacu) FAME, NON SUNT ENIM PANES ULTRA IN CIVITATE. — Civibus enim primo omnis panum annona, cum ea pauca et parca sit, distribuetur; neglectus ergo Jeremias in lacu ibi fame æque ac pædore morietur, præsertim cum proceres ejus mortem optent. Aliter Chaldæus et Sanctez hæc explicant (1).

Vers. 10. 10. TOLLE TECUM HINC TRIGINTA VIROS. — Pro *tecum* hebraice est בידיך *biadecha*, id est qui sunt *in tua manu* et postestate, qui tibi quasi præfecto subsunt. Unde videtur hæc militaris fuisse custodia ad propulsandam vim procerum, hostium Jeremiæ, si ejus e lacu eductionem impedire vouissent. Ad extrahendum enim e lacu Jeremiam, tres quatuorve viri sufficiebant.

Vers. 11. 11. QUÆ ERAT SUB CELLARIO, — id est in eam partem domus, quæ erat sub penu, ubi scruta projiciebantur, et veteres servorum laceræque vestes et centones, pannique ad vasa tergenda.

Vers. 12. 12. PONE, etc., SUB CUBITO (sub axillis) MANUUM, — id est brachiorum (est synecdoche), pannos veteres, ne funibus nudis extractus lædaris. Hinc vi-

(1) Non una est in hoc versu difficultas. Dicit Ebed-Melech, male fecisse Jeremiæ adversarios, quod eum in cisternam conjecerint, additque : Moriturum eum esse in loco suo præ fame, cum panis non sit amplius in urbe. Quid igitur ipsi profuisset, si eum e cisterna eduxisset? Nonne et in urbe fame ipsi moriendum? Et quid sibi velit ויכת *ouiamat* præteritum? Jarchi sic interpretatur : Si relinquunt eum in loco suo, morietur ipse per se fame; illi autem male faciunt, quod mortem ejus accelerant. Ita et Grotius : Nihil opus erat mortem ejus appetentibus, eum transferre in locum tam fœdum : nam etiamsi in vestibulo carceris eum reliquissent, ex fame mors eum manebat, quippe cum panes jam defecerint. Chaldæus, *mortuus esset in loco suo*, loco scilicet priore. Sed quid tum in morte Prophetæ acceleranda tam male illi fecissent, nonne præstat ferro quam fame mori? David Kimchi ita exponit : Etsi rarus esset in urbe panis et nonnisi difficulter comparandus; tamen si Prophetam in carceris vestibulo reliquissent, et præ oculis habuissent, ejus miserti panem ei dedissent; sed in cisterna conjectum et ex illorum conspectu semotum nullo in eum miserationis sensu commoti, mori sivissent. Aliam hujus loci explicationem memini me juvenem audire ex ore viri præstantissimi Mosis Mendelii filii. Tenebantur, inquit, rex et cæteri penes quos imperium esset, iis quos in custodia haberent, quotidianum victum præbere. Commonefacit igitur Æthiops regem, si Jeremiam in carcere detineat, eum defectu panis, sua regis culpa fame moriturum esse; si vero eum liberum dimittat, ut ipse sibi de victu prospicere possit, culpa vacuum futurum esse regem. Quæ ut ut acute sint observata, haud tamen intelligitur, quid profuerit regi vatem e fovea extractum in carceris vestibulo detinere (vers. 13)? Nec cur Æthiops regem non prius quam in foveam conjectus esset vates, ea de re monuerit, intelligitur. Sed est alius præterea in hoc loco expediendus nodus. Quid sibi vult quod scribitur, *omne quod fecerunt Jeremiæ*. Quare videtur mihi Ebed-Melech non tantum de eo queri, quod Prophetam in foveam conjecerunt, sed de iis omnibus quibus eum innocentem affecerunt malis, inde ab eo tempore quo infausta urbi prædixit, quæ tamen eventus vera comprobavit... Quare totius versus sensus est hic : Male omnino et injuste egerunt homines isti in Prophetam, quem in foveam conjecerunt; nam et in loco quo prius erat (in carceris vestibulo) e fame mortuus esset, cum panis non sit in urbe. Hæc doctus Hebræus, quæ in rei summa cum Jarchii et Grotii explicatione conveniunt, in qua et nos acquiescendum arbitramur. (Rosenmuller.)

detur, quod Jeremias nudus aut lacer et seminudus fuerit missus in lacum; alioqui enim funibus vestes supposuisset, nec eguisset his pannis. Hinc tropologice Jeremias hic gerit speciem peccatoris, qui in lacum peccati prolapsus, ex eo resurgere nequit, sed extrahendus est.

Allegorice S. Ambrosius, lib. II *De Spiritu Sancto*, cap. XI : « In nomine, inquit, Æthiopis Abdemelech, figura pulcherrima est; quia sermonem propheticum, quem Judæi velut in cœnum suæ mentis carnisque detruserant, nos videlicet ex gentibus peccatores nigri ante delictis, et quondam infructuosi elevavimus de profundo; et ideo scriptum est : Æthiopia prævalebit manus suas Deo. » Sicut enim in Jeremiam ejus cives, puta Judæi, fuerunt impii, pii vero Abdemelech Æthiops, et Nabuzardan Chaldæus : sic et in Christum pii fuerunt Gentiles, impii Judæi.

Tropologice, panni veteres, id est, exempla veterum fulciunt infirmos.

Tropologice S. Gregorius, lib. XXV *Moral.* VIII : Oportet, inquit, ut intersint panni veteres, cum quibus melius teneantur funes, id est, « oportet ut præcedentium confortemur exemplis, ne infirmos nos ac timidos præcepta subtilia vulnerent dum levant. » Vide *Hebr.* XI, 36. Audi et Bachiarium in epist. *ad Januar. De lapsis* : « Mittamus, inquit, lapso pannos veteres, id est reducamus in memoriam ejus exempla antiquorum, qui collapsi in peccatum, postmodum de profundis malorum per pœnitentiam ad superna relati sunt, ne desperet. » Ita quoque explicat B. Petrus Damianus, lib. VI, *epist.* 31, ubi inter alia addit : « Servus Dei timere tunc debet cum temporale quid percipit, tunc gaudere cum perdit. » Christiano ergo gaudendum est in adversis, timendum in prosperis.

Moraliter, quam gratum Deo liberare captivos.

Moraliter, disce hic quam gratum sit Deo incarceratos, præsertim justos, visere et liberare. Ecce Abdemelech, quia liberavit e carcere Jeremiam, solus cladem Hierosolymæ Dei oraculo evasit, ut patebit cap. XXXIX, 16.

S. Paulinus Episcopus Nolanus, ut filium viduæ a Wandalis captum redimeret, se pro eo in servitutem eis tradidit. Unde factus est generi regis hortulanus, eique regis mortem prædixit; quin et rex in somnis vidit eum quasi judicem sedentem in solio, sibique flagellum auferentem : unde eum venerans cum honore et munere dimisit, donans ei omnes suæ civitatis captivos, quos onustis frumento navibus in gratiam S. Paulini Nolam remisit, uti referunt S. Augustinus, lib. I *De Civit. Dei*, cap. X, et S. Gregorius, lib. III *Dialog.* cap. II.

S. Sanctulus, pro Diacono captivo se vadem et captivum Longobardis obtulit. Diaconus solutus fuit. Longobardi ergo Sanctulo mortem intentarunt, cumque lictor gladium elevaret ut ei caput amputaret, illum vibrare et demittere non potuit. Unde sanctitatem Sanctuli agnoscentes, rogarunt ut manum et gladium laxaret : quod ille noluit, nisi lictor juraret se deinceps neminem christianum occisurum. Juravit ille, et Sanctulus manum ejus solvit; quocirca ipsum, et petitione ejus omnes captivos relaxarunt. Ita cum unus pro uno se carceri et morti obtulit, multos a carcere et morte liberavit. Ita S. Gregorius, III *Dialog.* XXXVII.

Tempore Tiberii Imperatoris, anno Christi 566, Abbas Leo dixit se regem fore; riserunt eum fratres. Tandem cum barbari, Oasim invadentes, cepissent tres abbates, eosque infirmos, Leo ut eos redimeret, se pro eis servum obtulit; tres ergo liberati sunt. Leo a barbaris abductus est, cumque præ debilitate ultra pergere non posset, barbari decollaverunt eum. Ita veraciter regnavit, quia animam suam posuit pro amicis suis. Ita ex Sophronio Baronius.

Idem Sophronius, cap. CLV, narrat de Abbate Nicolao, quod pro adolescente Tyrio a Saracenis captivo, primo lytrum, deinde seipsum obtulerit; cumque illi utrumque recusarent, oravit, dicens : « Salvator noster Christe Deus, salvum fac servum tuum, » et continuo Saraceni, dæmonio repleti, gladiis seipsos conciderunt. Adolescens ergo liber abiit cum eo, qui renuntians sæculo, cum septem annos implesset in habitu, requievit.

Acacius Episcopus Amidæ, vasa Ecclesiæ distraxit, ut septem millia Persarum, licet hostium, a Romanis capta, et fame tabescentia redimeret et aleret; quocirca mirati sunt Persæ Romanos, quibus utrumque studio esset, ut simul et bello et benefactis vincerent. Ita Socrates, lib. VII, cap. XXI.

Deogratias Episcopus Carthaginensis, vasa sacra vendidit, ut christianos a Wandalis captos redimeret. Ita Victor Uticensis, lib. I *Wandal.*

Idem fecit Cæsarius Episcopus Arelatensis, anno Christi 508, uti habet ejus Vita scripta a Cypriano ejus discipulo.

Idem fecit S. Rembertus Bremensis Archiepiscopus, ut habet ejus Vita apud Surium, 4 februarii, ubi et narratur, ejus precibus catenam cujusdam captivæ miraculose fuisse diffractam.

S. Anianus Episcopus Aurelianensis, uti habet ejus Vita apud Surium, 17 novembris, dum pro inauguratione cum solemnitate urbem esset ingressurus, petiit ab urbis præfecto Agrippino, ut captivos omnes sibi dono daret. Quod cum Agrippinus recusaret, ex ruina lapidis ex alto cadentis graviter vulneratus, sensit illico ea causa id accidisse, quod Episcopi preces rejecisset. Mittit ergo jam a famulis reportatus in domum suam, qui Episcopum vocent; mors enim propter nimiam sanguinis effluxionem jam impendere videbatur. Venit Episcopus, manu sua vulneri crucis signum imprimit, sanguis sistitur, redeunt vires prope jam deplorato; aperiuntur carceres, et exeunt miseri, beati Aniani Episcopi intercessione in libertatem vindicati.

Denique audi quid scribat de S. Hugone Abbate Hugo Cluniacensis in ejus Vita : Aldefonsum Hispaniæ regem Sanctius frater ejus regno privaverat, captum et catenatum carceri mancipaverat,

Illi vero pius Hugo compatiens, pro eo apud Dominum precibus insistebat, et Apostoli confidens meritis, a Domino eum absolvi poscebat. Nec mora : B. Petrus Apostolus cuidam fratri in Cluniaco apparuit, preces Hugonis pro Aldefonsi ereptione Deum admisisse revelavit; fecit etiam Aldefonso illud in carcere nuntiari. Porro Sanctio in somnis sub gravi comminatione præcepit, ut cito Aldefonsum restitueret, nec differre ausus esset. Sanctius, terrore correptus, statim restituit Aldefonsum; restitutus ille, Deo et liberatori suo Hugoni gratias egit, censumque quem pater suus Ferdinandus rex quotannis Cluniacensi monasterio solvendum instituit, ipse duplicavit, ducentas et quadraginta auri uncias annuatim reddens.

Vers. 13. 13. MANSIT AUTEM JEREMIAS IN VESTIBULO CARCERIS, — vinctus manibus et pedibus usque ad excidium urbis. Hisce enim, capta jam urbe, eum exsolvit Nabuzardan, cap. XL, 4.

Vers. 14. 14. AD OSTIUM TERTIUM, QUOD ERAT IN DOMO DOMINI. — Hebræus, *ad introitum tertium*, id est ad portam tertiam templi, quæ regiæ respondebat, qua scilicet rex e regia in templum intrabat. Ita Vatablus, R. David et Maldonatus.

Aliter Lyranus, Dionysius et a Castro. *Primum*, inquit, ostium erat mulierum, *secundum* virorum, *tertium* hoc sacerdotum. Verum per illud non poterat rex laicus ingredi, nec illud secretum erat quod hic quærebat rex; sed commune et publicum sacerdotum (1).

INTERROGO EGO TE SERMONEM. — Quis sermo regis fuerit tacetur, sed ex responsione Jeremiæ patet fuisse hunc : Capieturne Jerusalem et ego a Chaldæis?

Vers. 17. 17. SI PROFECTUS EXIERIS AD PRINCIPES REGIS BABYLONIS, VIVET ANIMA TUA, ET CIVITAS HÆC NON SUCCENDETUR IGNI : ET SALVUS ERIS TU, ET DOMUS TUA (2). — Ex hoc docent Theologi Deum cognoscere futura libera, etiam conditionalia tantum, et nunquam eventura, eo quod hypothesis vel conditio non ponatur, nec eveniat. Sic enim hic prædicit Deus regem cum domo et urbe salva fore, si se dedat Chaldæis; quæ tamen nunquam evenerunt, quia rex noluit ponere conditionem, id est noluit sequi consilium Jeremiæ, nec se dedidit Chaldæis. Idem patet ex versu 19, ubi rex ait : « Sollicitus sum propter Judæos, qui transfugerunt ad Chaldæos : ne forte tradar in manus eorum, et illudant mihi. » Cui Jeremias ex Deo respondet : « Non te tradent. » Sciebat ergo Deus hanc propositionem : Si Sedecias se dedat Chaldæis, Chaldæi non tradent eum Judæis transfugis, nec illudent ei : quæ tamen nunquam evenerunt, quia Sedecias se dedere noluit. Accipe his tria similia. *Primum*, *Matth.* XI, 21 : « Væ, ait, tibi, Corozain! væ tibi, Bethsaida! quia, si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent. » En hic liber eventus conditionalis, puta Tyriorum et Sidoniorum conversio, si vidissent miracula Christi, certo prædicitur a Christo; qui tamen non erat futurus, utpote sublata hypothesi; non enim Tyrii viderunt et audierunt Christum, ejusque miracula. *Secundum*, *Matth.* XXVII : Christus prædicit Petro trinam negationem; quæ prædictio supponebat certam scientiam conditionalis futuræ, nimirum hujus : Si ego Christus revelo Petro quod ter me negabit, hæc revelatio non impediet eventum, puta negationem Petri; quæ tamen conditionalis erat liberrima, et facillima factu; poterat enim facile illa percelli, et se periculo negationis subducere. Hæc ergo præscientia, quod scilicet revelatio non impediret negationem Petri, præcedere debuit voluntatem revelandi eam in Christo; alioqui enim Christus exposuisset se periculo errandi et prædicendi falsum; quod absit. *Tertium*, I *Reg.* cap. XXIII : David profugus in Ceilam, ibique concludendus a Saule, rogat per pontificem Deum duo. *Prius*, an, si maneat in urbe Ceilam, Saul sit venturus ad obsidendam urbem. Respondet Deus Saulem venturum. *Posterius*, an cives Ceilani ipsum et socios ejus tradituri sint in manus Saul. Respondet Deus : Tradent. Præsciebat ergo Deus utrumque, non in effectu, qui nunquam erat futurus; sed in causa, puta in voluntate et propensione tam Saulis quam Ceilanorum positis talibus et talibus circumstantiis; scilicet quod talis occasio et spes capiendi Davidem tali loco, tempore, cæterisque circumstantiis certo moveret Saulem ad obsidendum Ceilam; ac quod timor Saulis percelleret et moveret Ceilanos ad tradendum ei Davidem. Quorum tamen neutrum evenit; nam David, accepto hoc oraculo, ex urbe profugit. Ratio est, quod Deus infinita sua sapientia et scientia penetret et comprehendat omnes voluntatis cujusque affectiones; sinus, intentiones, propensiones, æque ac objecta et rationes cum suis circumstantiis omnibus,

(1) Probabilius tenendum cum Ichalom Haccohen, tres atrio portas fuisse, unam per quam rex, aliam per quam sacerdotes, tertiam per quam populus ingredi solerent; hic vero *tertiam* dici eam, per quam rex introiret.

(2) Vers. 15 : « Dixit autem Jeremias ad Sedeciam : Si annuntiavero tibi, numquid non interficies me? et si consilium dedero tibi, non audies. » Hæc sententia duo continet merito notanda : unum, quod propheta, licet a Deo haberet revelationem, tamen velut in suo retinet arbitrio, utrum eam regi manifestet an non. Ex quo patet propheticas prædictiones non fieri eo impetu quem ratio et prudentia non moderetur; sed posse eos eloqui, posse etiam tacere, prout dictat prudentia. « Nam spiritus prophetarum prophetis subjecti sunt? » ait Apostolus, I *Corinth.*, XIV; « et si alteri fuerit revelatum, prior taceat. » Est et alterum, similiter ad commendabilem prophetæ prudentiam pertinens. Interrogatur a rege quid de civitate sit futurum; recusat Jeremias respondere, nisi promissa prius securitate vitæ. Idque recte : nam sciebat eum suo consilio non obtemperaturum. Et hac simili prudentia etiam christianus prædicator uti debet, ubi videt certum imminere mortis periculum, ut scilicet, ubi videt ex prædicatione nullam sperari utilitatem, sed e contra magna sæpe pericula, potius cum Jeremia tunc nihil temere loquatur. (Estius.)

sciatque quibus objectis vel rationibus in tali vel tali rerum omnium peristasi, sive circumstantia movenda sit ad actum, ut consentiat et operetur, quibus non. Voluntas enim moveri nequit, nisi ratio aliqua boni eam moveat, estque quasi bilanx, in qua nunc hæc lanx attollitur, nunc illa, prout pondus aliquod huic illive additur, quantumque pondus additur uni, tantum illa deprimitur, et altera elevatur. Pondus voluntatis est objectum amatum; nam, ut ait S. Augustinus : « Amor meus pondus meum, eo feror quocumque feror. » Scit ergo Deus quantum objectum, quantusque ejus amor requiratur, ut voluntas posita in tali vel tali rerum omnium circumstantia, se in illud inclinet aut non inclinet. Pervidet enim commensurationem inclinationis voluntatis cum objecto amato; unde videt, v. g. cum tot gradibus amoris et objecti amati non movebit se voluntas; sed si unus gradus addatur, movebit se; si duo, magis; si tres, amplius, etc. Idem est de odio et timore. Amor enim objecti est odium, timor et fuga contrarii; quantum enim quisque, v. g. amat vitam resque suas, tantum odit et timet eorum amissionem. Ita Gabriel Vasquez, I part. disp. LXVII, cap. III, num. 14, et I II, *Quæst.* LXXVII, art. 2. Indicat hoc S. Augustinus, lib. XI *Confess.* cap. XVIII, ubi docet nihil posse cognosci nisi quod præsens est, ac proinde futura cognosci, quia præsentia sunt, non in se, sed in suis causis et signis. « Cum ergo, inquit, dicuntur videri futura, non ipsa quæ nondum sunt, id est futura sunt, sed eorum causæ vel signa forsitan videntur, quæ jam sunt : ideo non futura, sed præsentia sunt jam videntibus, ex quibus futura prædicantur animo concepta. » Et lib. *De Corrept. et gratia,* cap. XIII, docet Deum omnipotentissima sua voluntate posse multis modis nostram ad id volendum quod ipse vult infallibiliter, sed libere trahere voluntatem, ideoque Deum magis habere voluntates hominum in sua potestate, quam ipsi habeant suas; quia de ipsis facit quod vult.

Ex dictis sequitur, futura contingentia, etiam conditionalia, esse determinatæ veritatis, ac habere suum esse, sed conditionatum. Verum enim est passio entis, ac proinde non est verum nunc quod aliquid sit futurum, nisi illud sit determinatum, habeatque aliquod esse, nimirum in causis et conditionibus præviis. Non enim potest cadere in scientiam quamcumque, etiam infinitam (qualis est Dei), id quod ex se non habet entitatem et veritatem objectivam, præexistentem in instanti rationis antequam per scientiam repræsentetur; quia scientia in ratione imaginis prærequirit objectum sub illo esse quod sciendum est, uti docet Aristoteles, lib. I *Perihermen.* cap. ultimo.

Vers. 19. 19. NE FORTE TRADAR IN MANUS EORUM, — ne scilicet Chaldæi tradant me transfugis Judæis, qui mihi illudant et exprobrent, quod me non tradendo Chaldæis, juxta oraculum Jeremiæ, perdiderim urbem, templum et rempublicam quæ ipsi salva cupiebant, ideoque suadebant mihi deditionem; quam cum ego nollem, ipsi occulte ad Chaldæos transfugerunt. Quocirca magis Judæos hos, quam Chaldæos verebatur Sedecias, rex timidus nimis, parvique animi. Verum congrue ei respondet Jeremias, ni sequatur consilia sua et Dei, eum irridendum a mulieribus propriis, puta quæ fuerant ex gynæceo Joachin.

22. IPSÆ DICENT, — ipsæ subsannabunt et irridebunt te, dicentes :

SEDUXERUNT TE, ET PRÆVALUERUNT ADVERSUM TE VIRI PACIFICI TUI, — *q. d.* Domestici et familiares tui, sive principes, sive consiliarii, sive pseudoprophetæ, qui tibi, o Sedecia, promittebant pacem, id est omnia prospera, quique tibi persuadebant ut non crederes sermonibus Jeremiæ, nec te dares Chaldæis; hi seduxerunt te : ecce enim jam traditus es hostibus tuis. Si enim tradidisses te eis, uti se tradidit Joachin, e cujus aula et gynæceo nos fuimus, salvus esses et felix ut Joachin.

DEMERSERUNT IN COENO. — Chaldæus, *in confusione,* scilicet calamitatis et captivitatis, *q. d.* Tentasti fugere, sed captus es a Chaldæis, et quasi in tenacissimum lutum incidisses, in extremas miserias corruisti, eo quod credideris adulatoribus, dicentibus omnia fore secura et prospera, nec Chaldæos posse expugnare Jerusalem tam munitam, et Dei præsidio vallatam. Est metaphora a cæcis, qui a pravis ductoribus, relicta via commoda, in lubricam et cœnosam inducuntur, ibique ab eisdem dolose in cœnum deturbantur, et ab eisdem deserti emergere nequeunt. Ita Delrio, *adagio* 866. Præclare Aristides, tomo II, orat. 1 *De Pace* : « Tunc, ait, suscipiendum est periculum, quamvis incertus sit eventus, cum quies aperte nocet, » alias quies periculo, pax bello præferenda.

Vide hic miseriam principum, qui a suis aulicis et consiliariis ita pendent, ut ab eis regi videantur, eisque per omnia placere studeant, nec audent eorum impiis consiliis obluctari. Ita enim fecit timidus Sedecias, ideoque periit.

Nota et hic fructum assentatorum et pravorum consiliariorum. Sic faciunt qui nos ad luxum et voluptatum cœnum pertrahunt, *Isai.*, cap. V, 20, et cap. XXX, 10.

ET RECESSERUNT A TE, — scilicet pacifici tui te in afflictione reliquerunt, fugientes huc illuc. Aliter Vatablus, *conversi sunt*, inquit, scilicet pedes tui, *retrorsum.*

24. NULLUS SCIAT VERBA HÆC, ET NON MORIERIS, — *q. d.* Ne significes ulli quod tecum locutus sim de obsidione et expugnatione urbis, ne id emanet in vulgus; timebat enim rex, partim principes suos, ne ipsi putantes eum iis insciis et invitis agere cum Jeremia de deditione, offenderentur; partim vulgus, ne illud animos et arma abjicerent; statuerant enim rex et principes, non se dedere, sed resistere Chaldæis.

Vide hic quo homines deducat pervicacia, et pervicax amor honoris, status et opum, quam mentem excæcet, ut in suam perniciem ruat. Quam verum in Sedecia et Judæis illud Pythagoræ :

> Noris mortales sponte in sua damna ruentes :
> Infelix stultumque genus, quod commoda præsens
> Non oculis, non aure capit, raroque medetur.
> Sic miseris sors mentem agitat, variisque cylindris
> Huc illuc rotat, immensis versatque periclis.

Rursum disce hic, cum Deus publicum vel privatum immittit flagellum, illi humiliter te subdere, culpam agnoscere, dorsum et scapulas Deo flagellanti præbere : atque hic est unicus modus flagellum Dei evadendi, nec est alius. Subdidit se Nabuchodonosori Joachin rex jussu Dei, exaltatus est; restitit Sedecias, excæcatus est. Ita fecit David *Psalm.* XXXVIII, 10 : « Obmutui, et non aperui os meum, quoniam tu fecisti. » Et Heli, I *Reg.* III, 18 : « Dominus est : quod bonum est in oculis suis faciat. » Ita S. Lupus Trecensis Episcopus venienti Attilæ cum Clero processit obviam, dixitque : « Quis es tu, qui terram conturbas et destruis? » Cui Attila : « Ego sum flagellum Dei. » Mox Lupus jussit aperiri urbis portas, aitque : « Bene venerit flagellum Dei mei. » Intrans ergo Attila cum copiis urbem, quasi mutata a Deo mente, sine noxa altera porta egressus est. Nimirum, esto Attila esset flagellum Dei, volebat tamen Deus, ut iis qui cum tanta submissione illud recipiebant, esse flagellum desineret (1).

27. LOCUTUS EST EIS, JUXTA OMNIA VERBA. — Ergo videtur Jeremias orasse regem, ne se mitteret in carcerem Jonathæ (licet hic taceatur) sicut oraverat capite præcedenti, vers. 19; non enim fuit ipse principibus mentitus. Vers. 27

NIHIL ENIM FUERAT AUDITUM, — scilicet de colloquio et actis cum rege, circa urbis cladem.

28. ET FACTUM EST UT CAPERETUR JERUSALEM. — Est hoc quasi initium et argumentum cap. seq.; unde ad cap. sequens hæc verba referunt Septuaginta, Rabanus, Hugo et S. Thomas. Vers. 28

(1) « Dixit ergo Sedecias ad Jeremiam : Nullus sciat verba hæc, et non morieris. Si autem audierint principes, dices ad eos : Prostravi ego preces meas coram rege. » Ex his verbis et adjunctis discimus aliud esse celare veritatem, aliud dicere mendacium; et hoc quidem semper illicitum esse, illud autem licitum et concessum. Jeremias enim interrogatus a principibus, quid cum eo locutus esset rex, respondit, rogasse se regem, ne reduceretur in lacum. Id autem etiam eum petiisse satis ex toto colloquio intelligitur. Cæterum de consilio deditionis faciendæ prudenter tacuit. Simili scilicet prudentia, Abraham cum peregrinaretur cum Sara uxore sua, ne ejus causa interficeretur, interrogatus de ea, sororem esse dixit, uxorem tacuit. Et Samuel I *Reg.* XVI, veniens in Bethlehem, ut ungeret regem David, dicebat : « Ad sacrificandum Domino veni. » Id dixit quod verum erat, et tuto dici poterat; alterum autem, quod sine periculo proloqui non potuisset, tacuit. (Estius.)

CAPUT TRIGESIMUM NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Capitur Jerusalem, fugit Sedecias; sed ex fuga retractus, videt coram se filios suos trucidari; ipse excæcatur et in Babylonem abducitur; nobiles Judæi occiduntur; Jeremias, vers. 11, *liberatur et a Chaldæis benigne tractatur, atque, vers.* 15, *Abdemelech incolumitatem promittit, quod in Deum sperasset* (2).

1. Anno nono Sedeciæ regis Juda, mense decimo, venit Nabuchodonosor rex Babylonis, et omnis exercitus ejus ad Jerusalem, et obsidebant eam. 2. Undecimo autem anno Sedeciæ, mense quarto, quinta mensis, aperta est civitas. 3. Et ingressi sunt omnes principes regis Babylonis, et sederunt in porta media : Neregel, Sereser, Semegarnabu, Sarsachim, Rabsares, Neregel, Sereser, Rebmag, et omnes reliqui principes regis Babylonis. 4. Cumque vidisset eos Sedecias rex Juda, et omnes viri bellatores, fugerunt : et egressi sunt nocte de civitate per viam horti regis, et per portam, quæ erat inter duos muros, et egressi sunt ad viam deserti. 5. Persecutus est autem eos exercitus Chaldæorum : et comprehenderunt Sedeciam in campo solitudinis Jerichontinæ, et captum adduxerunt ad Nabuchodonosor regem Babylonis in Reblatha, quæ est in terra Emath : et locutus est ad eum judicia. 6. Et occidit rex Babylonis filios Sedeciæ in Reblatha, in oculis ejus : et omnes nobiles Juda occidit rex Babylonis. 7. Oculos quoque Sedeciæ eruit : et vinxit eum compedibus ut duceretur in Babylonem. 8. Domum quoque regis, et domum vulgi succenderunt Chaldæi igni, et murum Jerusalem

(2) Juxta divisionem a nobis post multos Interpretes doptatam, et quam rationi magis consentaneam judicamus, hoc capite absolvitur prima pars generalis prophetiarum Jeremiæ.

subverterunt. 9. Et reliquias populi, qui remanserant in civitate, et perfugas, qui transfugerant ad eum, et superfluos vulgi, qui remanserant, transtulit Nabuzardan magister militum in Babylonem. 10. Et de plebe pauperum, qui nihil penitus habebant, dimisit Naburzadan magister militum in terra Juda : et dedit eis vineas et cisternas in die illa. 11. Præceperat autem Nabuchodonosor rex Babylonis de Jeremia Nabuzardan magistro militum, dicens : 12. Tolle illum, et pone super eum oculos tuos, nihilque ei mali facias : sed, ut voluerit, sic facias ei. 13. Misit ergo Nabuzardan princeps militiæ, et Nabusezban, et Rabsares, et Neregel, et Sereser, et Rebmag, et omnes optimates regis Babylonis, 14. miserunt, et tulerunt Jeremiam de vestibulo carceris, et tradiderunt eum Godoliæ filio Ahicam filii Saphan, ut intraret in domum, et habitaret in populo. 15. Ad Jeremiam autem factus fuerat sermo Domini, cum clausus esset in vestibulo carceris, dicens : 16. Vade, et dic Abdemelech Æthiopi, dicens : Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel : Ecce ego inducam sermones meos super civitatem hanc in malum, et non in bonum : et erunt in conspectu tuo in die illa. 17. Et liberabo te in die illa, ait Dominus : et non traderis in manus virorum, quos tu formidas : 18. Sed eruens liberabo te, et gladio non cades : sed erit tibi anima tua in salutem, quia in me habuisti fiduciam, ait Dominus.

Vers. 1. 1. VENIT NABUCHODONOSOR ; — sed durante obsidione per octodecim menses, secessit Epiphaniam urbem Syriæ amœnissimam ; unde eo ductus est ad ipsum Sedecias, ibique, trucidatis ejus filiis, excæcatus est, IV *Reg.* XXV, 6.

2. QUINTA MENSIS. — Ita legendum cum Hebræo, Septuaginta et Romanis, non *nona mensis*, uti legunt aliqui : tunc ergo capta est urbs ; sed post mensem, scilicet mense quinto, septima die mensis incensa est, ut patet IV *Reg.* XXV, 8. Mensem enim quartum impenderunt Chaldæi in expilanda urbe, et perscrutandis Judæis. Hoc est quod prædixit Sophonias, cap. I, 12 : « Scrutabor Jerusalem in lucernis ; » et Josephus, lib. VII *Belli*, XVI et XX, ait Romanos extraxisse Judæos latitantes in sepulcris et cavernis.

APERTA EST CIVITAS. — Hebraice הובקעה *hobkoa*, id est rupta est urbs, id est urbis muri, ita ut per rupturam hanc urbem invaserint et occuparint Chaldæi. Rupta, inquam, est crebris ictibus arietum, quos Chaldæi in muros intorquebant. Ita Abulensis et Vatablus, licet Cajetanus, IV *Reg.* XXV, velit ruptum esse murum a Sedecia et civibus, ut viam sibi aperirent ad fugam longæ famis et belli.

3. SEDERUNT IN PORTA MEDIA, — occupaverunt portam mediam, scilicet quæ erat inter duas portas, puta inter portam muri extimi et portam templi. Cingebatur enim urbs duobus muris, et Chaldæi per primum penetrarant ad portam secundi, quæ erat inter portam primi, et portam templi. Ita Maldonatus.

SERESER. — Putat Vatablus quædam horum nomina esse officiorum, ut quæ incipiunt a *rab* vel *ser*, id est dominus, ut *primus* fuerit *Neregel Sereser*, id est Neregel, qui est dominus vel præfectus thesaurorum : *otsar* enim etiam hebraice thesaurum significat, *sar* vel *ser* vel *sir* dominum ; *ecundus*, *Semegarnabu Sersachim*, id est Semegarnabu, qui erat præfectus unguentariorum, et idem erat *Rabsares*, id est, præfectus eunuchorum ; *tertius*, *Neregel*, qui erat *Sereser*, id est princeps thesauri æque ac primus, et idem erat *Rebmag*, id est princeps liquoris : ut tropologice videas, qui sint qui sacram urbem et templum profanent, videlicet præfecti deliciis hujus mundi ; et in iis principatum gerentes. Verum alii accipiunt hæc nomina ut propria : possunt tamen utroque modo accipi, scilicet ut propria ex officio, vel officium cujusque significantia, uti cum dicimus Comestabilis, Admiralius, Marescalcus Franciæ, etc., certum principem ex officio designamus et describimus.

Neregel Sereser, etc., qui?

4. CUMQUE VIDISSET EOS — non jam ingressos, sed jam ingressuros urbem. Patet IV *Reg.* XXV, 4.

PER VIAM HORTI REGIS. — Hortus regis erat inter duos muros urbis jam dictos, perque portam horti quæ videtur fuisse in muro extimo urbis, rex aufugit.

5. PERSECUTUS EST AUTEM EOS EXERCITUS CHALDÆORUM, — qui ex excubitorum vel civium, aut transfugarum indicio, eum fugisse cognoverant.

Tradit, vel potius fabulatur R. Salomon, Sedeciam cum suis fugisse per subterraneam quamdam viam, quæ ab urbe longe extra urbem producebatur : ubi alterum erat ostium, per quod in apertum campum egrediebantur. Cum autem Deus eum jam Chaldæorum servituti et ludibrio devovisset, excitasse ex mediis eorum castris sylvestrem capram, quæ fuga supra terram eodem spatio, quo subter Sedecias cum suis, ferebatur ; quæ contenta fuga ad alterum usque speluncæ ostium eodem tempore ad illud pervenit, quo ex lateribus emergebat rex, atque ita eum a Chaldæis venatoribus captum fuisse. Hæc R. Salomon, quæ fuse refellit Abulensis, lib. IV. *Reg.* cap. XXV, *Quæst.* XLIX, et Lyranus ibidem. Atque, ut alia taceam, satis ea refellit Scriptura, quæ

dicit Chaldæos, cognita fuga Sedeciæ, eum insecutos esse; ac diserte Josephus, lib. X *Antiq.* XI, ubi asserit Chaldæos fugam regis cognovisse ex perfugarum indicio.

REBLATHA. — Est provincia Syriæ, in qua erat urbs Emath Minor, quæ postea Epiphania est dicta ab Antiocho Epiphane. Ita S. Hieronymus in *Amos* VI, 2. Ibi ergo consedit Nabuchodonosor, ut eminus spectaret belli Judaici successum, ac vicinior esset Chaldææ, indeque suis contra Judæos subsidia submitteret.

Nota : Sedecias a Nabuchodonosore est excæcatus Epiphaniæ, et quasi fera caveæ inclusus, ductus est Babylonem, eamque ingressus, licet non viderit, quia jam excæcatus erat, uti prædixerat Ezechiel cap. XII, 13.

LOCUTUS EST AD EUM JUDICIA, — id est, Nabuchodonosor acriter et juste pro meritis Sedeciam infidelitatis et ingratitudinis arguit, scilicet quod a se constitutus rex pro Joachin, fœdus secum initum violasset. Ita Theodoretus, Josephus et alii. Addit Lyranus Sedeciam per Deum jurasse fidelitatem Nabuchodonosori, qui proinde pro Mathania vocavit eum Sedeciam, id est justitiam Dei, ut eum nomine suo moneret, de fide et justitia sancte et constanter servanda, quodque non tantum sibi, sed et Deo esset injurius, perfidus et perjurus, si eam violaret. Hoc ergo ei exprobravit Nabuchodonosor. Hinc primum in oculis ejus filios occidit : deinde oculos illi ademit, quibus suspiciens in cœlum Deum in testem suæ fidelitatis invocaverat, et quia cæca suorum consilia secutus erat, eum excæcavit. Pupugit hoc probrum Judæos : quocirca annuum indixerunt jejunium die sexto octavi mensis, puta octobris, ob excæcatum Sedeciam, ut patet ex Menologio Hebræo.

Tropologice B. Petrus Damianus, lib. II, epist. 4 *ad Hildebrandum*, qui postea Pontifex, dictus est Gregorius VII : « Babylonis rex, inquit, est antiquus hostis, possessor intimæ confusionis, qui prius filios ante intuentis oculos trucidat : quia sæpe sic bona opera interficit, ut hæc se amittere ipse qui captus est, dolens cernat. Inde Sedeciæ oculos eruit; quia malignus spiritus subductis prius bonis operibus, post intelligentiæ lumen tollit. Id Sedecias patitur in Reblatha, quæ interpretatur *multa hæc*. Ei namque rationis lumen merito clauditur, qui sanctæ quietis rigore postposito, per negotia mundana raptatur, cum contempto uno, per multa vagus et impatiens animus dissipatur. »

Vers. 8. 8. DOMUM VULGI, — domos vulgares sive populi. Ita Vatablus. Aut potius domus vulgi erat domus publica, in qua celebrabantur publici ludi, nuptiæ, convivia, jaculationes, etc. Ita Adrichomius et ex eo Sanchez.

Vers. 9. 9. SUPERFLUOS — Judæos, qui supererant gladio, fami et pesti. Melius Sanchez censet hic poni tres Judæorum classes, quæ abductæ sunt in Babylonem : *prima* reliquiarum populi, qui cladi superstes in civitate remanserat; *secunda* eorum qui jam ante timentes excidium, transfugerant ad Chaldæos; *tertia* eorum qui belli tempore ad arma inepti, ex urbe emissi, vel non ferentes belli strepitum sponte exeuntes, in locis vicinis degebant : hi vocantur *superflui vulgi*.

MAGISTER MILITUM. — Hebraice רב הטבחים *rab hattabbachim*, quod Septuaginta vertunt, ἀρχιμάγειρος, id est *præfectus coquorum*, quia erat præfectus culinæ regiæ, ait Theodoretus. Pagninus vertit, *præfectus lanionum*; Vatablus, *præfectus occisorum aut rerum capitalium;* sed aptissime Josephus vertit, *præfectum militum*. Ad verbum *rab hattabbachim*, idem est quod princeps mactantium, quales sunt, *primo*, laniones; *secundo*, coci; *tertio*, milites : illudque tertium optime hic congruit, agitur enim de bello; fieri tamen potuit ut idem Nabuzardan esset et præfectus militum et œconomus, sive *mayordomo*, ut vulgo dicimus, qui præest culinæ. Unde S. Gregorius mystice per eum intelligit gulam et gulosos.

10. ET CISTERNAS, — id est agros aut hortos, qui ex cisternis irrigari poterant. Ita Hebræus, Septuaginta et alii. Has enim Judæi effodiebant, ut in iis aquam, cujus inopia laborabant, colligerent. Hos ergo pauperes in Judæa reliquit Nabuzardan, eisque agros et vineas divitum attribuit, ut eos colerent, indeque vectigal Chaldæis penderent. Inter hos pauperes relictos quoque fuisse Rechabitas, censent Historia Scholastica et Abulensis, lib. IV *Regum* XXV, *Quæst.* XIX, qui et testem citat Josephum.

Vers. 12. 12. PONE SUPER EUM OCULOS, — fave illi, curam illius habe, prospice illi.

Vers. 14. 14. GODOLIÆ. — Erat hic vir primarius Judæus, qui ad Chaldæos ante captam urbem juxta monita Jeremiæ transfugerat; unde ab eis Judææ præpositus fuit, sed mox a Judæis æmulis occisus.

UT INTRARET IN DOMUM, ET HABITARET IN POPULO, — ut libere versaretur in medio populi et domo sua. Nota : Jeremias a suis neci destinatus, sed a Chaldæis susceptus, typus fuit Christi, quem Judæi occiderunt, sed Gentes susceperunt.

16. DIC ABDEMELECH, — qui liberavit Jeremiam e lacu, cap. XXXVIII, 12, cujus misericordiæ hic mercedem ab eo recipit.

ET ERUNT (scilicet sermones, id est oracula mea de excidio Jerusalem) IN CONSPECTU TUO, — *q. d.* Videbis et intueberis reipsa cladem quam ego minatus sum urbi.

Nota : Lib. II *Machab.* II, citantur commentarii sive descriptiones Jeremiæ, quibus ipse conscripsit ea quæ statim post eversam urbem evenerunt, antequam populus captivus in Babylonem abduceretur, scilicet *primo*, de legibus quas Jeremias populo in Babylone commoraturo præscripsit; *secundo*, de igne perpetuo quem sacerdotes de altari sublatum in ignoto puteo absconderunt, quem postea nepotes e Babylone redeuntes re-

quirentes, non ignem, sed aquam crassam invenerunt, quæ in victimas effusa miraculo versa est in ignem, uti dicitur lib. II *Machab.* I, 21 et seq.; *tertio*, de tabernaculo, arca fœderis et altari incensi, quæ Jeremias ex urbe extulit, seposuitque in specu montis Nebo, dicens : « Quod ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi, » etc.

Moraliter, quam fides hosti sit servanda, Deusque perfidiæ sit ultor.

Disce hoc cap. quam fides etiam hosti sit servanda, quamque ejus violatæ vindex sit Deus. Sedecias enim se suamque stirpem ac regnum evertit; quia fidem Chaldæo datam fefellit, ut patet vers. 5. Sic familia Saul suspensa et extincta est ob Gabaonitas, quibus licet fraudulentis Josue fidem dederat et servaverat, ab eo cæsos, II *Reg.* cap. XXI.

Accipe similia, sed rara, omnium ætatum et gentium exempla, a Deo fidei vindice edita.

Anno Domini 776, Saxones iterum Carolo Magno ruptis sacramentis rebellarunt, capto Eresburgo castro. Sed, cum ulterius bellum parant, apparuit gloria (*gladius* legunt alii) Dei supra ecclesiam, videntibus cunctis, ex quibus multi manent adhuc, qui dicunt vidisse se instar duorum scutorum colore rubeo flammantium, et sese agitantium super ipsam ecclesiam. Cum hoc signum vidissent Pagani, qui a foris erant, statim confusi sunt, et magno timore perterriti, fugere cœperunt ad castra, et omnis multitudo eorum fugam arripiens, alii ab aliis invicem interficiebantur, et qui retro respiciebant, propter pavorem ab antecedentibus lanceis confodiebantur, et diversos ictus inter se perpessi sunt omnes, et divina ultione vindicati.

Quare animati Franci persecuti sunt Saxones, eosque interfecerunt usque ad flumen Lippiam. Ita ex *Annal. Franc.* Baronius, tom. IX *Annal.* ad annum Domini 776.

Justinus Imperator, cum bellum contra Persas gereret, Hunnos gentem bellicosam armorum socios sibi adjungere cupiens, auxilium ab eorum rege petiit : qui, acceptis stipendiis et muneribus ab Imperatore submissis, opem promisit; sed, cum a Persa etiam Hunnorum rex ad amicitiam societatemque coeundam, et arma communiter inferenda invitaretur, ad illum adiit spe majoris commodi incitatus. Hoc ubi comperit Justinus, Persarum regem de re tota certiorem factum, ne barbari promisso fideret, commonefecit. Persa, veritate facti diligenter investigata compertaque, regem ejusque milites interfici jussit; illum, ut hominem perfidiosissimum; istos, ut socios consciosque perjurii. Ita Joannes Zonara, V part. *Annal. Constantin.* in *Justino*.

Compositis inter regem Uladislaum et Amurathem Turcarum imperatorem rebus omnibus, rex Hungariæ, violato fœdere, prior in Turcam bellum movit, initoque prælio, Turca, cum suos in pugna non sine magna cæde fugari conspicaretur, ad expianda fidei violatæ piacula, ad ulciscendam christianorum perfidiam, et ad vindicandum jus rescissæ pacis, depromptum e sinu codicem initi sanctissime fœderis explicat, intentisque in cœlum oculis : « Hæc sunt, inquit, Jesu Christe, fœdera, quæ christiani tui mecum percussere, per numen tuum sancte jurarunt, datamque sub nomine tuo fidem violarunt, perfide Deum suum abnegarunt : nunc, Christe, si Deus es (ut aiunt), et nos hallucinamur, tuas measque injurias, te quæso, ulciscere : his, qui sanctum tuum nomen nondum agnovere, violatæ fidei pœnas ostende. » Vix hæc dixerat, qui ultimum in se impetum exspectabat, cum prælium quod anceps ac dubium diu fuerat, inclinare cœpit : nam camelorum onerariorum interventu a cæde ad prædam Hungari animos converterant. Tandem, trucidato rege Uladislao, Hungari in fugam conjecti, nobilem victoriam Amurathi reliquerunt. Ita Antonius Bonfinius, lib. XXV *De Rebus Hungar.* dec. 3, et *Chron. general. Hispan.* part. IV. Plura vide apud Fulgosium, lib. VI, et P. Ribadeneiram, lib. II *De Principe Christ.* cap. XV et XVI. Vere ergo dixit Seneca in *Thyeste* :

> Ubi non est pudor,
> Nec cura juris, sanctitas, pietas, fides,
> Instabile regnum est.

Ubi vero hæc adsunt, regnum licet debile, stabile evadit. Sane Romani fide, quam tam hostibus quam amicis jugiter integram præstabant, omnes gentes ad se traxerunt. Celebre inter alios fuit exemplum M. Attilii Reguli consulis, qui post multas de Pœnis victorias et triumphos, arte Xantippi captus, in carcerem missus, legatus de permutandis captivis Romam missus, dato jurejurando, ut, si non impetrasset, ita demum rediret : in senatu conditionem dissuasit, rejectisque a se conjuge et liberis, Carthaginem regressus est : ubi in arcam ligneam conjectus, clavis introrsum adactis, vigiliis ac puncturis excruciatus, duram mortem subire maluit, quam fidem hosti datam fallere. Ita Plinius, lib. *De Viris illustribus*.

CAPUT QUADRAGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hic incipit quarta sectio, sive quartus liber Jeremiæ; scilicet gesta et dicta ab eo post excidium Hierosolymæ, tum in Judæa, tum in Ægypto. Historia est facilis et clara, quam si quis multis explicare velit, tenebras ei offundet. Quocirca brevis hic ero. Hoc ergo capite Nabuzardan dat munera Jeremiæ, qui Babyloni patriam præferens, cum reliquis Judæis quiete degit in Judæa sub Godolia. Secundo, vers. 13, nuntiantur Godoliæ insidiæ Ismahel, sed is nuntiantibus fidem non adhibet.

1. Sermo, qui factus est ad Jeremiam a Domino, postquam dimissus est a Nabuzardan magistro militiæ de Rama, quando tulit eum vinctum catenis in medio omnium, qui migrabant de Jerusalem et Juda, et ducebantur in Babylonem. 2. Tollens ergo princeps militiæ Jeremiam, dixit ad eum : Dominus Deus tuus locutus est malum hoc super locum istum. 3. Et adduxit : et fecit Dominus sicut locutus est, quia peccastis Domino, et non audistis vocem ejus, et factus est vobis sermo hic. 4. Nunc ergo ecce solvi te hodie de catenis, quæ sunt in manibus tuis : si placet tibi ut venias mecum in Babylonem, veni : et ponam oculos meos super te; si autem displicet tibi venire mecum in Babylonem, reside : ecce omnis terra in conspectu tuo est: quod elegeris, et quo placuerit tibi ut vadas, illuc perge. 5. Et mecum noli venire : sed habita apud Godoliam filium Ahicam filii Saphan, quem præposuit rex Babylonis civitatibus Juda : habita ergo cum eo in medio populi : vel quocumque placuerit tibi ut vadas, vade. Dedit quoque ei magister militiæ cibaria, et munuscula, et dimisit eum. 6. Venit autem Jeremias ad Godoliam filium Ahicam in Masphath, et habitavit cum eo in medio populi, qui relictus fuerat in terra. 7. Cumque audissent omnes principes exercitus, qui dispersi fuerant per regiones, ipsi et socii eorum, quod præfecisset rex Babylonis Godoliam filium Ahicam terræ, et quod commendasset ei viros, et mulieres, et parvulos, et de pauperibus terræ, qui non fuerant translati in Babylonem : 8. venerunt ad Godoliam in Masphath : et Ismahel filius Nathaniæ, et Johanan et Jonathan filii Caree, et Sareas filius Thanehumeth, et filii Ophi, qui erant de Netophati, et Jezonias filius Maachati, ipsi et viri eorum, 9. et juravit eis Godolias filius Ahicam filii Saphan, et comitibus eorum, dicens : Nolite timere servire Chaldæis, habitate in terra, et servite regi Babylonis, et bene erit vobis. 10. Ecce ego habito in Masphath, ut respondeam præcepto Chaldæorum, qui mittuntur ad nos : vos autem colligite vindemiam, et messem, et oleum, et condite in vasis vestris, et manete in urbibus vestris, quas tenetis. 11. Sed et omnes Judæi, qui erant in Moab, et in filiis Ammon, et in Idumæa, et in universis regionibus, audito quod dedisset rex Babylonis reliquias in Judæa, et quod præposuisset super eos Godoliam filium Ahicam filii Saphan : 12. reversi sunt, inquam, omnes Judæi de universis locis, ad quæ profugerant, et venerunt in terram Juda ad Godoliam in Masphath : et collegerunt vinum, et messem multam nimis. 13. Johanan autem filius Caree, et omnes principes exercitus, qui dispersi fuerant in regionibus, venerunt ad Godoliam in Masphath. 14. Et dixerunt ei : Scito quod Baalis rex filiorum Ammon misit Ismahel filium Nathaniæ percutere animam tuam. Et non credidit eis Godolias filius Ahicam. 15. Johanan autem filius Caree dixit ad Godoliam seorsum in Masphath, loquens : Ibo, et percutiam Ismahel filium Nathaniæ nullo sciente, ne interficiat animam tuam, et dissipen-

(1) Absoluta priori hujus libri prophetici parte, quæ, secundum inscriptionem cap. 1, 3, ea continet quæ sub postremis Judæ regibus usque ad expugnatam Hierosolymam, a Propheta, divino jussu facta et enuntiata essent; secunda jam incipit libri pars, in qua quæ post expugnatam Hierosolymam ipsi acciderint referre constitutum habet Jeremias.

tur omnes Judæi, qui congregati sunt ad te, et peribunt reliquiæ Juda. 16. Et ait Godolias filius Ahicam ad Johanan filium Caree : Noli facere verbum hoc : falsum enim tu loqueris de Ismahel.

1. SERMO, QUI FACTUS EST AD JEREMIAM A DOMINO, — id est, ut Rabanus et Hugo, res quæ facta est a Domino, scilicet liberatio Jeremiæ, quæ sequitur; sic et Vatablus qui vertit : *Actio quam gessit Dominus cum Jeremia;* et Sanchez, *q. d.* Tunc impletus est sermo Dei, quo Jeremiæ promisit libertatem.

Secundo, S. Thomas explicat, *q. d.* Liberatio Jeremiæ quæ sequitur, fuit ei ante revelata a Domino. Sed utrique huic expositioni repugnat, quod hic sermo factus sit ad Jeremiam, postquam eum dimisit Nabuzardan, id est post ejus liberationem. Respondeo ergo : Sermo hic est prophetia quam habet cap. XLII, 7, qua admonet Dominus per Jeremiam reliquias Judæorum, ne fugiant in Ægyptum (1). Sed ante hanc prophetiam, hic per parenthesin interserit Jeremias longam historiam præambulam illi prophetiæ; scilicet quomodo Godolias a Nabuzardan præpositus fuerit Judææ, eumque occiderit Ismahel, atque, eo occiso, fugere voluerint Judæi in Ægyptum, quod sua prophetia vetuit eis Jeremias, cap. XLII. Ita Hebræus, Lyranus, Maldonatus et alii. Hic enim est quasi titulus novi libri, qui continet omnia gesta Jeremiæ post excidium urbis : unde Judæi hic incipiunt tertium librum Jeremiæ, nos melius quartum inchoamus.

QUANDO TULIT EUM VINCTUM. — Dices : Ex cap. præced. vers. 14, videtur quod Jeremias Hierosolymis captis statim fuerit solutus vinculis et liber dimissus; quomodo ergo hic in Rama iis solutus dicitur? Respondet Lyranus, fuisse Jeremiam solutum Hierosolymis; sed, cum videret alios Judæos duci vinctos ad Nabuchodonosorem, se sponte eorum catenis colligasse. Verum obstat, quod ipse hic dicitur inter cæteros captivos et vinctos, quasi æque adhuc vinctus esset, ductus in Rama, ubi cogebantur in unum vincti Judæi Babylonem ducendi.

Respondeo ergo : Quod breviter dicitur cap. præced. vers. 14, idipsum hic fuse et enucleate describitur; scilicet quod Jeremias carcere eductus cum aliis vinctis, vinctus ductus sit in Rama : sed ibi e medio aliorum eum tollens Nabuzardan solvit catenis, et remissum in Jerusalem commendavit Godoliæ. Ita Vatablus.

3. ET FACTUS EST VOBIS SERMO HIC, — *q. d.* Evenit vobis malum, quod eis ex ore Dei locutus et minatus est. Est metonymia : sermo sive verbum ponitur pro re per verbum vel sermonem significata. Vers. 3.

4. PONAM OCULOS MEOS SUPER TE, — favebo et prospiciam tibi. Vers. 4.

5. ET MECUM NOLI VENIRE. — Ex Hebræo Vatablus vertit : *Nondum responderat Jeremias quod reverti vellet, cum dixit illi : Revertere ad Godoliam, q. d* Ex ipso vultu et silentio Jeremiæ Nabuzardan advertens Jeremiæ voluntatem, cum modestiæ causa, vel cogitabundus, Deique oraculum hac de re exspectans, nondum eam verbis explicuisset, scilicet se malle reverti in Jerusalem, ut voluntati ejus morem gereret, sicut ei præceperat Nabuchodonosor, dixit ei : Revertere, et noli venire mecum in Babylonem. Nisi ita explices, dicendum est Hebræa hic esse corrupta, nec inter se apte cohærere, uti cohæret versio Latina, quæ proinde hic verior et germanior est; unde videtur quod in Hebræo pro ישוב *iascub*, legendum sit תשוב *tascub*; et pro עודנו *odennu*, legendum sit עודני *odenni*. Ita legit noster Interpres. Vers. 5.

SED HABITA APUD GODOLIAM. — Godolias hic, Judæus erat potens et prudens, qui secutus oracula Jeremiæ transfugerat ad Chaldæos, eisque utilis et fidelis exstiterat : quocirca eum Chaldæi reliquiis populi remanentis præfecerunt. Ita Hebræi et Lyranus.

CIBARIA. — Hebraice, *viaticum*, ad redeundum Jerusalem.

7. PRINCIPES EXERCITUS, — qui, fugiente Sedecia, huc illuc fugerunt et evaserunt. Rursum ii quos, capta urbe, hi qui effugerant, in agris sibi constituerant, ut se contra hostes tuerentur : priores enim principes plerique fuerunt occisi a Chaldæis, ut patet cap. XXXIX, 6. Ita Josephus, X *Antiq.* cap. XI.

8. ET ISMAHEL, — scilicet Ismahel; *et* enim hic est

(1) Ista est etiam et Kimchi et Grotii sententia. Verum ut recte observat Rosenmuller, illius, quod cap. XLII, 7, memoratur, effati Jovani, aliud est tempus et alia occasio, quam tempus et occasio, quæ hic memorantur. Nam hoc loco, tempus notatur, quo Nebusaradan solvit Jeremiæ catenas, eique dedit licentiam eundi quo vellet; quod vero infra cap. XLII, 7, refertur Jovæ effatum, vates tunc accepit, cum, interfecto ab Ismaele Gedalia, Jeremiam principes Judææ sciscitabantur num in patrio solo tuto habituri sint, an potius fugiendi sint Chaldæi, Gedaliæ mortem mox ulturi. Inde sequitur, Jeremiam, si notare id tempus voluisset, scripturum fuisse : *Verbum Jovæ, postquam Gedalia occiso* rel., non autem, *postquam eum divisisset Nebusaradan.* Justo audacior est Hubigantii conjectura, totum hunc versum primum ut spurium et aliunde allatum, esse rejiciendum. Sed exhibent eum omnes veteres interpretes. Itaque sententiæ Schmidii astipulatur, juxta quem, cum hic incipiat nova libri pars, quæ ad eas quæ sequuntur narrationes non minus quam ad prophetias pertinet. Est igitur *sermo qui factus est* collective accipiendus de omnibus iis vaticiniis, quæ, una cum narrationibus, usque ad finem capitis XLV, continentur. Quæ sub finem partis primæ, cap. XXXIX, 14, breviter commemorata erant, ea hoc capite uberius enarrantur. Qua ratione Ramam vates venerit, non dicitur; sed probabili conjectura e rerum gestarum serie colligi potest. (Rosenmuller.)

exegeticum et enumerativum, capiturque pro *id est*, vel *scilicet*.

Vers. 10. 10. ECCE EGO HABITO IN MASPHATH. — Hunc locum elegit Godolias, quia erat in finibus Chanaan (1), eratque via euntibus e Judæa in Babylonem, ut ibi facilius ageret tam cum Babylonis quam cum Judæis; unde sequitur:

UT RESPONDEAM PRÆCEPTO CHALDÆORUM, QUI MITTUNTUR AD NOS, — ut præsto sim ad respondendum et exsequendum ea quæ mihi a Chaldæis fuerint imperata (2).

Aliter Lyranus et Isidorus: Cum venerint Chaldæi, ego illis respondebo pro vobis: vivite ergo securi, ego quasi pastor bonus pro vobis animam meam ponam.

Hinc tropologice S. Bernardus, lib. *De Natura amoris*, cap. IX, hæc adaptat Religiosis: « Hanc, inquit, Apostolicæ institutionis formam quidam æmulantes, non habent domos vel diverticula, nisi domum Dei, domum orationis. Omnia quæcumque faciunt, in nomine Domini faciunt, simul habitantes uno ordine, una lege viventes, nil habentes proprium: nec ipsa corpora sua, nec voluntates in potestate sua habentes, simul dormiunt, simul surgunt, simul orant, simul psallunt, simul et legunt; fixum et immobile eorum propositum obedire præpositis suis, et subjacere eis. Ipsi vero pervigilantes pro eis, quasi rationem reddituri pro animabus eorum, reipsa ipsis prædicant, quod in Jeremia populo Israel Godolias legitur prædicasse: Ego pro vobis respondebo Chaldæis, qui veniunt ad vos. Vos autem colligite frumentum, vinum et oleum in vasis vestris, et habitate in urbibus vestris securi. »

Vers. 11. 11. IN FILIIS. — Ita legendum cum Hebræo et Romanis, non *in finibus*; jam *in filiis*, id est inter filios Ammon.

DEDISSET, etc., RELIQUIAS, — id est aliquos reliquisset in Judæa.

Vers. 12. 12. MESSEM. — Hebraice קַיִץ *kaits*, id est, ut Septuaginta, Chaldæus, Vatablus, Pagninus, æstivos fructus, scilicet ficus qui siccantur, id est caricas: nam messis jam erat finita. Verum *kaits* proprie significat æstatem et messem æstatis, quæ hoc anno propter obsidionem Hierosolymæ post eam captam in julio, fieri potuit in augusto, saltem messis frumenti serotini, vel ejus quod in agris intactum a Chaldæis remanserat. Adde loqui Godoliam de messe omnium sequentium annorum.

Vers. 13. 13. JOHANAN AUTEM FILIUS CAREE, ET OMNES PRINCIPES EXERCITUS, QUI DISPERSI FUERANT IN REGIONIBUS, VENERUNT AD GODOLIAM. — Jam ante venerant ad Godoliam, uti dictum est vers. 8; sed dimissi fuerant a Godolia ad peragendam messem et vindemiam: dimissi per iter audiunt conjurationem regis Ammon et Ismahelis contra Godoliam: properi ergo redeunt, scelusque Godoliæ detegunt. Causa conjurationis fuit, tum innatum et perenne dissidium inter Judæos et vicinos Ammonitas et Idumæos; tum ambitio Ismahelis, qui Godoliæ præfecturam invidebat; tum quod ad Chaldæos quasi proditor transfugisset; tum quod sibi utpote prognato ex semine regio, et Sedeciæ cognato, eam deberi censeret. Ita Hebræi, Abulensis, Lyranus, S. Thomas et alii.

Vers. 14. 14. PERCUTERE ANIMAM TUAM. — « Animam, » id est vitam, *q. d.* Occidere te. Sic dicitur vers. seq.: «Ne interficiat animam, » id est vitam, « tuam. »

Vers. 16. 16. FALSUM ENIM TU LOQUERIS DE ISMAHEL. — Nimia fides et confidentia perdidit Godoliam. Esto enim non debeat esse suspicax princeps, tamen Argus sit oportet, præsertim si novus sit, ut centum habeat oculos, et centum aures; ac esto exploratoribus non semper fidem adhibeat, tamen indaget ea quæ nuntiant, sibique interim caveat, ac bene armatus stipatusque incedat. Principatus enim et imperium plurimos habet æmulos et insidiatores.

(1) Venisse dicitur Jeremias ad Godoliam *in Masphat* (vers. 6). Cum vero duo hujus nominis oppida extiterint, alterum in Galaaditide, *Jud.* cap. X, 17; XI, 11, 29, 34; alterum, quod in declivi parte tribus Juda situm memoratur, *Jos.* XV, 38; vel potius Benjaminitidis, *Jos.* XVIII, 26; quæritur, utrum illorum hoc loco intelligatur? Situs Masphat Judaicæ magis convenire rei videtur; agri enim tribuuntur Hierosolymitanis, et Nehusaradan Ramæ versabatur; maxime cum his, qui in terra relinquebantur, vineæ colendæ dentur (supra cap. XXXIX, 10), Galaaditidis autem potius pastoritia sit, et nomadica. Accedit, quod vers. 12, expressis verbis dicitur, Masphat in terra Judæ sitam esse. Item ex cap. XLI, 9, dicitur hanc Masphat tempore regni divisi sub Judæis regibus fuisse, non sub Israelitis. (Rosenmuller.)

(2) Hic vero, bene monente Henslero, speciatim cogitandum est de exigendo tributo, quod Chaldæi Judæis imposuerant de iis fructibus solvendum, quibus Babylonia caruit, vino videlicet, pomis et oleo, ut statim sequitur. (Rosenmuller.)

CAPUT QUADRAGESIMUM PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ismahel dolose occidit Godoliam, eique adhærentes Judæos et Chaldæos, populum reliquum captivum abducit; insequitur eum, vers. 11, Johanan, fugatque, et populum liberat, cum quo, veritus ne Chaldæi necem Godoliæ ulciscantur, cogitat fugam in Ægyptum.

1. Et factum est in mense septimo, venit Ismahel filius Nathaniæ, filii Elisama de semine regali, et optimates regis, et decem viri cum eo, ad Godoliam filium Ahicam in Masphath : et comederunt ibi panes simul in Masphath. 2. Surrexit autem Ismahel filius Nathaniæ, et decem viri qui cum eo erant, et percusserunt Godoliam filium Ahicam filii Saphan gladio, et interfecerunt eum, quem præfecerat rex Babylonis terræ. 3. Omnes quoque Judæos, qui erant cum Godolia in Masphath, et Chaldæos, qui reperti sunt ibi, et viros bellatores percussit Ismahel. 4. Secundo autem die postquam occiderat Godoliam, nullo adhuc sciente, 5. venerunt viri de Sichem, et de Silo, et de Samaria octoginta viri, rasi barba, et scissis vestibus, et squallentes : et munera et thus habebant in manu, ut offerrent in domo Domini. 6. Egressus ergo Ismahel filius Nathaniæ in occursum eorum de Masphath, incedens et plorans ibat : cum autem occurrisset eis, dixit ad eos : Venite ad Godoliam filium Ahicam. 7. Qui cum venissent ad medium civitatis, interfecit eos Ismahel filius Nathaniæ circa medium laci, ipse et viri qui erant cum eo. 8. Decem autem viri reperti sunt inter eos, qui dixerunt ad Ismahel : Noli occidere nos : quia habemus thesauros in agro, frumenti, et hordei, et olei, et mellis. Et cessavit, et non interfecit eos cum fratribus suis. 9. Lacus autem, in quem projecerat Ismahel omnia cadavera virorum, quos percussit propter Godoliam, ipse est quem fecit rex Asa propter Baasa regem Israel : ipsum replevit Ismahel filius Nathaniæ occisis. 10. Et captivas duxit Ismahel omnes reliquias populi, qui erant in Masphath ; filias regis, et universum populum, qui remanserat in Masphath : quos commendaverat Nabuzardan princeps militiæ Godoliæ filio Ahicam. Et cepit eos Ismahel filius Nathaniæ, et abiit ut transiret ad filios Ammon. 11. Audivit autem Johanan filius Caree, et omnes principes bellatorum, qui erant cum eo, omne malum quod fecerat Ismahel filius Nathaniæ. 12. Et assumptis universis viris, profecti sunt ut bellarent adversum Ismahel filium Nathaniæ, et invenerunt eum ad aquas multas, quæ sunt in Gabaon. 13. Cumque vidisset omnis populus, qui erat cum Ismahel, Johanan filium Caree, et universos principes bellatorum, qui erant cum eo, lætati sunt. 14. Et reversus est omnis populus, quem ceperat Ismahel, in Masphat : reversusque abiit ad Johanan filium Caree. 15. Ismahel autem filius Nathaniæ fugit cum octo viris a facie Johanan, et abiit ad filios Ammon. 16. Tulit ergo Johanan filius Caree, et omnes principes bellatorum, qui erant cum eo, universas reliquias vulgi, quas reduxerat ab Ismahel filio Nathaniæ de Masphath, postquam percussit Godoliam filium Ahicam ; fortes viros ad prælium, et mulieres, et pueros, et eunuchos, quos reduxerat de Gabaon. 17. Et abierunt, et sederunt peregrinantes in Chamaam, quæ est juxta Bethlehem, ut pergerent et introirent Ægyptum, 18. a facie Chaldæorum : timebant enim eos, quia percusserat Ismahel filius Nathaniæ Godoliam filium Ahicam, quem præposuerat rex Babylonis in terra Juda.

1. ET DECEM VIRI (1). — *Et*, id est *scilicet*. Simile fuit cap. præced. vers. 8. Hi decem viri pugnaces et audaces, qui italice *bravi* vocantur, Ismahelem comitati sunt ad cædem Godoliæ et cæterorum, uti et optimates eorumque famuli. Nec enim soli

(1) Vers. 1. « Et factum est in mense septimo ; » altero igitur mense post combustam a Chaldæis urbem. Vide cap. LII, 12, 13.

decem tot tantosque bellatores occidere potuissent. Ita Lyranus, Abulensis et Sanchez : licet Maldonatus et S. Thomas a solis decem id factum putent.

2. QUEM PRÆFECERAT REX. — Vatablus, *quia præfecerat*. Hæc ergo fuit causa cædis, quod Ismahel, utpote ex semine regio oriundus, invideret Godoliæ principatum, quasi sibi debitum. Ob cæsum Godoliam indixerunt Judæi statum jejunium mense septimo, cujus meminit Zacharias, cap. VIII, 19, uti testantur Menologia Hebræorum.

Jejunium ob cæsum Godoliam.

Moraliter, vide hic quam verum sit illud Senecæ in *Thebaid.* :

> Simul ista mundi conditor posuit Deus,
> Odium atque regnum.

Ob regnum Godoliam odit et occidit Ismahel. Et istud ejusdem in *Agamemn.* :

> Nec regna socium ferre, nec tædæ (nuptiæ) sciunt.

Scribit Josephus, lib. X *Antiq.* XI, Godoliam ab Ismahele occisum in ipsa cœna ad quam eum invitaverat, cum jam mero esset gravis ipse et convivæ. Additque : « Quibus necatis, adjuvante nocturno tempore, per totum oppidum grassati sunt promiscuis cædibus tam in Judæos quam in Babylonios milites securos, et passim dormientes. » Insuper vide hic in Ismahele, quam crudelis æque ac cæca et præceps sit libido dominandi. Nam se totumque populum stragi Chaldæorum exposuit. Vere S. Bernardus in *Psalm.* XC, serm. 6 : « Ambitio, ait, subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli opifex, mater hypocrisis, livoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum ærugo, tinea sanctitatis, excæcatrix cordium, ex remediis morbos creans, generans ex medicina languorem. »

4. NULLO ADHUC SCIENTE. — Hoc addit, ut det causam cur Sichimitæ, post cædem Godoliæ, venire sint ausi : quia scilicet postridie post stragem noctu peractam, ideoque necdum per vicina loca fama sparsam, venerunt.

5. SQUALENTES, — מתגודדים *mitgodedim*, id est incisi, lacerati, vel lacerantes se unguibus in facie et manibus. Septuaginta vertunt, *plangentes;* in planctu enim lacerabant vestes et corpus, barbam crinesque radebant. Plangebant autem hi octoginta viri, ob eversionem urbis et templi.

IN DOMO DOMINI. — Licet enim urbem combustam audissent, cum domo egrederentur, non tamen audierant de templo incenso, sed in via illud intellexerunt : unde lugentes raserunt se. Ita Vatablus et R. Salomon. Sed cum templum combustum sit mense quinto, et hi venerint mense septimo ex loco vicino, puta ex Sichem, non video quomodo rem tam famosam non audierint. Respondent ergo Christophorus a Castro et Sanchez : Licet ipsi templum combustum audissent, tamen eodem templi loco quem Deus elegerat offerre volebant sua munera. Adde, non sciebant ipsi templum ita concrematum, quin parietes, altare et partes aliæ remansissent salvæ; aut, si concremata sciebant omnia, altare restauratum aut a se restaurari posse credebant.

Aliter respondet Maldonatus, scilicet hos octoginta viros non venisse in Jerusalem, sed in Masphat, ubi audierant collectas fuisse sub Godolia reliquias Judæorum, ibique erectum fuisse altare Domino, uti olim factum fuisse colligitur, I *Reg.* cap. VII, vers. 5 et 6.

Verum prior sententia est verisimilior, tum quia domus Domini proprie vocatur templum, jussu Domini in Hierosolyma constitutum; tum quia hi viri veniebant ut lugerent excidium sanctæ civitatis et templi, in suo quasi busto jacentis. Huc enim eos vocabat tum illius commiseratio; tum prisca loci religio, tum tantæ stragis novitas, quam videre et oculis conspicere cupiebant. Sic Judæi post excidium Titi quotannis Hierosolymam venire solebant, ut lugerent urbis et templi excidium ipso ejus excidii die anniversario. Audi S. Hieronymum in cap. I *Sophon.* : « Congregatur turba miserorum (Judæorum, ut præcessit), et patibulo Domini coruscante, ac radiante ἀναστάσει ejus, de Oliveti quoque monte crucis fulgente vexillo, videas plangere ruinas templi sui populum miserum, et tamen non esse miserabilem. Adhuc fletus in genis, et livida brachia, et sparsi crines, et miles mercedem postulat, ut illis flere plus liceat. »

6. PLORANS, — fingens se plorare ob eamdem urbis et templi cladem, ut illis imponeret simulata specie pietatis.

Tropologice S. Gregorius, I *Moral.* XXXVIII : « Ismahel plorans, inquit, est Satanas, qui ut devotas mentes interimere feriendo prævaleat, semetipsum quasi sub velamine virtutis occultat : et dum concordare se vere lugentibus simulat, ad cordis intima securius admissus, hoc quod intus de virtute latet, occidit : qui plerumque spondet se ad altiora provehere, unde et dixisse perhibetur : Venite ad Godoliam, atque dum majora promittit, etiam minima subtrahit. Unde et recte dictum est : Qui cum venissent ad medium civitatis, interfecit eos. Viros ergo ad offerenda Deo munera venientes, in medio civitatis interfecit; quia divinis deditæ operibus mentes, nisi magna se circumspectione custodiant, hoste surripiente, dum devotionis hostiam portant, in ipso itinere perdunt vitam. »

Ismahel plorans est Satanas simulans se plorare.

VENITE AD GODOLIAM, — ad quem vos pariter perrecturos, ut eum pro duce Israelis agnoscatis, ideoque ei munera offeratis, plane suspicor. Dixit hoc Ismahel tentans eos, ut videret an verum esset, quod de eis suspicabatur. Cumque iis annuentibus et pergentibus ad Godoliam, id verum esse comperisset, occidit eos, quia videbat eos conspirare cum Godolia, quem sibi prælatum dolebat et invidebat, ut patet vers. 9.

8. HABEMUS THESAURUS, — scilicet frumenti, olei Vers. 8.

et mellis in agro, quos tibi dabimus, si non occideris nos (1).

Tropologice S. Gregorius supra : « Thesaurus in agro, inquit, est spes in pœnitentia, quæ quia non cernitur, quasi in terra cordis suffossa continetur; qui ergo thesauros in agro habuere, servati sunt : quia qui post incautelæ suæ vitium, ad lamenta pœnitentiæ redeunt, nec capti moriuntur. »

9. PROPTER GODOLIAM. — Hebraice, *in manu Godoliæ*, id est in plaga et percussione Godoliæ. Sic *Exodi* IX, 3, dicitur : « Ecce manus (id est plaga) mea erit super agros. » Vel *in manu*, id est quos ad manum habebat Godolias. Noster optime sensum vertit, dicens : « Propter Godoliam. » Ismahel enim uti Godoliam, ita et omnes ejus fautores occidit.

PROPTER BAASA. — Id est contra excursiones Baasa et Israelitarum, tulit Asa lapides et ligna, quibus se in Rama muniebat Baasa, et ex iis munivit Gabaa, Masphat, fecitque huc lacum seu puteum aut cisternam, ut incolæ haberent aquam, itaque Baasæ et aliorum obsidionem sustinere possent. Ita Rabanus, Hugo, S. Thomas, Lyranus. Vide III *Reg.* XV, 17.

10. FILIAS REGIS,— vel Joakim, vel Joachin, vel potius Sedeciæ, quas parvulas cum vulgo reliquit Nabuchodonosor, et commendavit Godoliæ; nil enim sibi ab eis timebat.

12. AD AQUAS MULTAS.— Chaldæus, *juxta stagnum* sive *piscinam Gabaon*, de qua II *Reg.* II, 13. Vers. 12.

16. DE MASPHATH, — id est quas Ismahel captivas duxerat de Masphath, has eo fugato ex Gabaon reduxit in Chamaam. Vers. 16.

17. IN CHAMAAM.— Hebraice : *In loco quo peregrinatus est Chamaam*, id est in loco quem David dedit Chamaam filio Berzellai, eo quod se, cum fugeret Absalonem, secutus esset, II *Reg.* cap. XIX, 37. Ita Chaldæus, Vatablus, Pagninus. Erat hic locus juxta Bethlehem, ut hic dicitur. Unde et S. Hieronymus in *Locis Hebraic.*, Chamaon villam ponit juxta Bethlehem. Vers. 17.

18. QUIA PERCUSSERAT ISMAHEL. — Timebant enim Chaldæos, ne, quia fugitivi erant, cum Ismahele in eadem causa et cæde Godoliæ involverentur. Secesserunt ergo in Chamaam, ut inde in vicinam Ægyptum transfugerent, si supervenirent Chaldæi necis Godoliæ ultores.

(1) Intelliguntur, ut statim subjicitur, frumenta tempore belli in subterraneis locis recondita, ne ab hostibus invenirentur. Est, inquit Hirtius, *De Bello Africano*, cap. 65, in Africa consuetudo incolarum, ut in agris et in omnibus fere villis sub terra specus condendi frumenti gratia clam habeant, atque id propter bella maxime, hostiumque subitum adventum præparent. Idem mos condendi frumentum in cryptis subterraneis, quas *Mattamoren*, nomine arabico supra allato, vocant, adhuc viget in Africa iis ipsis locis quos Hirtius descripsit. (Rosenmuller.)

CAPUT QUADRAGESIMUM SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Occiso Godolia, Johanan aliique principes timentes, ne Chaldæi ulciscantur necem Godoliæ, consulunt Deum per Jeremiam, an in Ægyptum fugere, an in Judæa manere debeant? Jeremias respondet ut maneant in Judæa, et obediant Chaldæis : ita salvos fore, si enim fugiant in Ægyptum, ibi interituros Chaldæorum gladio, fame et peste.

1. Et accesserunt omnes principes bellatorum, et Johanan filius Caree, et Jezonias filius Osaiæ, et reliquum vulgus a parvo usque ad magnum : 2. dixeruntque ad Jeremiam prophetam : Cadat oratio nostra in conspectu tuo : et ora pro nobis ad Dominum Deum tuum, pro universis reliquiis istis; quia derelicti sumus pauci de pluribus, sicut oculi tui nos intuentur : 3. et annuntiet nobis Dominus Deus tuus viam per quam pergamus, et verbum quod faciamus. 4. Dixit autem ad eos Jeremias propheta : Audivi : ecce ego oro ad Dominum Deum vestrum secundum verba vestra, omne verbum, quodcumque responderit mihi, indicabo vobis; nec celabo vos quidquam. 5. Et illi dixerunt ad Jeremiam : Sit Dominus inter nos testis veritatis et fidei, si non juxta omne verbum, in quo miserit te Dominus Deus tuus ad nos, sic faciemus. 6. Sive bonum est, sive malum, voci Domini Dei nostri, ad quem mittimus te, obediemus : ut bene sit nobis cum audierimus vocem Domini Dei nostri. 7. Cum autem completi essent decem dies, factum est verbum Domini ad Jeremiam. 8. Vocavitque Johanan filium Caree, et omnes principes bellatorum qui erant cum eo, et universum populum a minimo usque ad magnum. 9. Et dixit ad eos : Hæc dicit Dominus Deus Israel, ad quem misistis me, ut pro-

sternerem preces vestras in conspectu ejus : 10. si quiescentes manseritis in terra hac, ædificabo vos, et non destruam; plantabo, et non evellam : jam enim placatus sum super malo quod feci vobis. 11. Nolite timere a facie regis Babylonis, quem vos pavidi formidatis : nolite metuere eum, dicit Dominus : quia vobiscum sum ego, ut salvos vos faciam, et eruam de manu ejus. 12. Et dabo vobis misericordias, et miserebor vestri, et habitare vos faciam in terra vestra. 13. Si autem dixeritis vos : Non habitabimus in terra ista, nec audiemus vocem Domini Dei nostri, 14. dicentes : Nequaquam, sed ad terram Ægypti pergemus : ubi non videbimus bellum, et clangorem tubæ non audiemus, et famem non sustinebimus : et ibi habitabimus. 15. Propter hoc nunc audite verbum Domini, reliquiæ Juda : Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel : Si posueritis faciem vestram ut ingrediamini Ægyptum, et intraveritis ut ibi habitetis : 16. gladius, quem vos formidatis, ibi comprehendet vos in terra Ægypti : et fames, pro qua estis solliciti, adhærebit vobis in Ægypto, et ibi moriemini. 17. Omnesque viri, qui posuerunt faciem suam ut ingrediantur Ægyptum, ut habitent ibi, morientur gladio, et fame, et peste : nullus de eis remanebit, nec effugiet a facie mali, quod ego afferam super eos. 18. Quia hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel : Sicut conflatus est furor meus, et indignatio mea super habitatores Jerusalem : sic conflabitur indignatio mea super vos, cum ingressi fueritis Ægyptum, et eritis in jusjurandum, et in stuporem, et in maledictum, et in opprobrium : et nequaquam ultra videbitis locum istum. 19. Verbum Domini super vos, reliquiæ Juda : Nolite intrare Ægyptum : scientes scietis quia obtestatus sum vos hodie, 20. quia decepistis animas vestras : vos enim misistis me ad Dominum Deum nostrum, dicentes : Ora pro nobis ad Dominum Deum nostrum, et juxta omnia quæcumque dixerit tibi Dominus Deus noster, sic annuntia nobis, et faciemus. 21. Et annuntiavi vobis hodie, et non audistis vocem Domini Dei vestri, super universis pro quibus misit me ad vos. 22. Nunc ergo scientes scietis quia gladio, et fame, et peste moriemini in loco, ad quem voluistis intrare ut habitaretis ibi.

2. CADAT ORATIO NOSTRA (1). — Id est sit tibi placita et accepta, ut exaudiatur a te oratio nostra quæ est, ut ores pro nobis Deum; unde vers. 4 respondet Jeremias :

Vers. 4. 4. AUDIVI, — id est exoratus sum, vel obedivi, obsecutus sum vestræ petitioni.

Vers. 5. 5. SIT DOMINUS INTER NOS TESTIS VERITATIS ET FIDEI. — Est formula jurandi, *q. d.* Sit Dominus testis verax et fidelis. Ita Septuaginta, Chaldæus et Vatablus. Hoc est, testamur Deum testem verum et fidelem : vel potius, juramus et testamur Deum, qui est testis et vindex veritatis et fidei, nos vere et fideliter facturos quidquid ex ore Dei jusseris, sive bonum sive malum, id est sive felix sive calamitosum id fuerit; et nisi id faciamus, optamus ut Deus nos puniat. Præclare Aristides, tom. II *Orat. Sicula poster.* : « Debent, ait, uti qui orant, maxima quæque a diis et jucundissima petere : ita qui deliberationem instituunt, tutissima quæque eligere, nisi post vel hi sese, vel illi deos velint culpare. » Tutissima autem sunt quæ Deus suggerit. Idem, tom. II *Orat. Rhodiac.* : « Non, ait, tam rerum copia, quam consilio, fiducia, et patientia pleræque res geruntur. »

IN QUO (ad quod denuntiandum) MISERIT TE DOMINUS.

7. DECEM DIES. — Nota : Decem dies perstitit Jeremias in oratione ut Dei voluntatem intelligeret circa fugam Judæorum in Ægyptum : idque tamdiu factum est, ut populus intelligeret se indignum esse qui exaudiretur a Deo, et ut Jeremiæ charitas magis patesceret.

10. ÆDIFICABO VOS. — Comparat metaphorice Judæos domui, id est familiæ in Judæa quasi in suo loco exstructæ, cujus fundamentum est Abraham et Jacob; parietes sunt variæ familiæ ex variis lapidibus, id est filiis, coagmentati, et in altum surgentes.

Secundo, comparat eos horto, in quo pulchræ arbores, id est filii, sunt consiti. Utramque metaphoram sequitur Apostolus, I *Cor.* III, vers. 9 : « Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis. » Utraque significatur tum firmitas Synagogæ et Ecclesiæ solide fundatæ et radicatæ, tum ejusdem incrementum et propagatio, ut quasi basilica in

(1) Vers. 1. « Et accesserunt, » etc., scilicet ad Jeremiam, vers. 2, quem, uti probabile est, secum habebant, una cum reliqua turba ex urbe Masphat et vicinis agris abstractum. Nam si eo tempore in patria Anathoth fuisset, uti Schmidius opinatur, difficulter concipi posset, quomodo, ut hic dicitur, non modo principes, verum et populus universus a parvo ad magnum, illuc eum consultandi causa adierit. (C. B. Michaelis.)

altum ædificetur, et quasi arbor in frondes et fructus luxuriet, fiatque quasi ingens sylva.

PLACATUS SUM SUPER MALO QUOD FECI VOBIS, — *q. d.* Jam satis pœnarum de vobis sumpsi, ideoque jam placatus et vobis reconciliatus sum. Hebraice est: *Pœnitet me mali quod vobis intuli*, id est auferam flagella quibus vos cecidi. Alludit ad id quod promisit cap. XVIII, 8: « Si pœnitentiam egerit gens, etc., agam et ego pœnitentiam. »

Vers. 14. 14. NEQUAQUAM, — scilicet audiemus vocem Domini, ut maneamus in Judæa, sed fugiemus in Ægyptum.

Vers. 15. 15. SI POSUERITIS FACIEM, — id est, si firmiter statueritis fugere in Ægyptum; ubi enim est cor, eo respicit et facies intenta: ubi oculi, ibi amor: ubi manus, ibi dolor.

Vers. 16. 16. FAMES, etc., ADHÆREBIT VOBIS, — sive quia Deus inseret et includet perpetuam famem in visceribus vestris, esto panis copiam habeatis. Sicut enim Deus febrim aliosque morbos, ita et bulimum caninamque famem hominibus immittit, ut quidquid comedant, semper tamen esuriant, *Psalm.* LVIII, 7: « Famem patientur ut canes. » Sive potius, quia sterilitatem Ægypto, ac consequenter famem inducet, præsertim cum Nabuchodonosor eam invadet, totamque vastabit.

Vers. 18. 18. CONFLATUS EST. — Hebraice נתך *nittach*, id est effusus est. Est metaphora a metallis, quæ dum conflantur et liquefiunt, magno impetu instar torrentis ignei erumpunt et effunduntur, *q. d.* Sicut subito furore meo, instar ferri aut plumbi liquati, obruti sunt et adusti cives Jerusalem: ita vos eodem obruemini in Ægypto. Septuaginta vertunt: *Sicut stillavit furor meus*, instar atræ et densæ nubis, quæ a sole resoluta, gurgites aquarum depluit et effundit.

Nota: Causa cur ita vetaret Deus Judæos ire in Ægyptum, cum tamen eos permiserit duci in Babylonem, erat, quia Ægyptii idolis multiplicibus colendis deditissimi, facile pronos Judæos ad eadem colenda, moresque suos erant conversuri, uti sane illico converterunt, ut patet cap. XLIV, vers. 19, 25. Melius enim erat Judæis ferreis vinculis astringi in Babylone, quam in Ægypto idolis addici.

Morale, de vitando improbo rum consortio. Moraliter, disce hic quam cavenda sint impiorum consortia, ne nobis suam impietatem affricent. Saul rex inter Prophetas prophetavit; inter improbos vero improbe egit, I *Reg.* XIX.

S. Petrus cum Christo constans fuit: at in atrio versans cum satellitibus, Christum negavit.

Audi quid Deus dicat Josaphat confœderato cum Ochozia impio rege Israel: « Quia habuisti fœdus cum Ochozia, percussit Dominus opera tua, contritæque sunt naves, nec potuerunt ire in Tharsis, » II *Paral.* XX, 37. Et rursum, cap. XIX, 2: « Impio (Achab) præbes auxilium, et his qui oderunt Dominum amicitia jungeris, et idcirco iram quidem Domini merebaris: sed bona opera inventa sunt in te. »

Amasias rex centum argenti talentis centum millia Israelitarum conduxerat; sed Propheta eum monuit ut eos dimitteret; impios enim esse, et infelices fore, II *Paral.* cap. XXV.

S. Ambrosius, serm. *De Calendis Januariis*, Judæorum consortia prohibens, sic ait: « Non solum Gentilium, sed Judæorum consortia vitare debemus, quorum etiam confabulatio est magna pollutio. Hi etenim arte insinuant se hominibus, domos penetrant, ingrediuntur prætoria, aures judicum et publica inquietant, et ideo magis prævalent, quo magis sunt impudentes. »

S. Augustinus ex malo consortio se pejorem effectum docet, lib. II *Confess.* cap. III, VIII, IX et X: « Præceps, inquit, ibam tanta cæcitate, ut inter coætaneos meos puderet me minoris dedecoris, quam audiebam ipsos jactantes flagitia sua, et tanto gloriantes magis, quanto magis turpes essent; et libebat facere non solum libidine facti, verum etiam laudis. Quid dignum est vituperatione nisi vitium? Ego ne vituperarer, vitiosior fiebam, et ubi non suberat quo admisso æquarer perditis, fingebam me fecisse quæ non feceram, ne viderer abjectior, quo eram innocentior; et ne vilior haberer, quo eram castior. » Deinde subdit: « Ecce cum quibus comitibus iter agebam platearum Babyloniæ, et volutabar in cœno ejus, tanquam in cinnamomis et unguentis pretiosis. Et in umbilico ejus quo tenacius hærerem, calcabat me inimicus invisibilis, et seducebat me, quia ego seductilis eram, etc. O nimis inimica amicitia, seductio mentis investigabilis ex ludo et joco nocendi aviditas, et alieni damni appetitus, nulla lucri mei, nulla ulciscendi libidine; sed cum dicitur: Eamus, faciamus, et pudet non esse impudentem. »

Idem Augustinus ibidem fatetur se non fuisse pellectum ad furtum pomorum, nisi ut placeret sociis: « Quem fructum, inquit, habui miser aliquando in iis, quæ nunc recolens erubesco, maxime in illo furto: in quo ipsum furtum amavi, nihil aliud, cum et ipsum esset nihil, et eo ipso ego miserior? Et tamen solus id non fecissem, sic recordor animum tunc meum, solus omnino id non fecissem. Ergo amavi ibi etiam consortium eorum, cum quibus id feci. »

Nebridius, condiscipulus Augustorum, licet inter aulicos non mutarit mores, ab aula tamen exiit, ne mutaretur. Audi S. Hieronymum de eo, epist. 9 *ad Salvinam*: « Oblitus, inquit, dignitatis suæ, omne consortium cum monachis et clericis postea habuit. Quis enim fornacem regis Babylonii sine adustione ingressus est? Cujus adolescentis Ægyptia domina pallium non tenuit? Quæ uxor eunuchi nullos creat liberos voluptate transacta? »

Scribit noster Maffeius, lib. XVI *Hist. Indic.*, nihil ita Sinensium conversionem ad Christum impedivisse, ac christianorum quorumdam vitia et scandala. Idem de Brasiliensibus scribit lib. XV;

« Accedebat, inquit, indomitum ac late patens malum, et quo valentius nihil aditum atque iter obsepserit Evangelio : veterum christianorum, indigna tali nomine ac professione, licentia procacitasque cum anxia cupiditate sordibusque conjuncta, ut eorum adventus in barbarorum vicos, vitæque consuetudo, cum graviter cunctos offenderet, tum ingentem nomini christiano invidiam infamiamque conflaret. »

Gordiana Gregorii Magni amita, ut ipse deplorat in lib. IV *Dialogorum*, cap. XVI, licet sanctissimo sororum suarum, Tharsillæ et Æmilianæ, exemplo frueretur; tamen quia plus æquo gaudebat puellarum laicarum, et huic mundo addictarum consuetudine, post mortem sororum misere seducta est.

ERITIS IN JUSJURANDUM, — eritis in אלה *ala*, id est in juramentum exsecratorium, ut qui aliquem exsecrari velit, dicat : Deus te perdat, sicut perdidit Judæos, qui contra Domini voluntatem fugerunt in Ægyptum.

19. NOLITE INTRARE ÆGYPTUM (alioqui enim si eam intraveritis) : SCIENTES SCIETIS (id est scitote et mementote) QUIA (quod) OBTESTATUS SUM VOS HODIE, — *q. d.* Cum in Ægypto perdemini, mementote me id vos prædixisse et obsecrasse ne id faceretis. *Secundo* et melius, scitote quod « obtestatus, » id est protestatus sim, vosque ipsos fidemque vestram, et jusjurandum vers. 5 a vobis præstitum, in testes vocarim, uti de facto hic voco; « quia, » id est quod, « decepistis animas vestras, » quodque in exitium vestrum sponte ruitis, ac in Ægypto gladio et fame morituri sitis.

20. DECEPISTIS ANIMAS VESTRAS, — *q. d.* Decepistis me, fingentes vos velle acquiescere Dei voluntati; jam enim cum intelligitis eam esse, ut maneatis in Judæa, vultu ipso tristi et averso ostenditis vos nolle acquiescere. Itaque non tam me decepistis quam animas vestras : quia pro hac fictione, inobedientia et perjurio Deus vos puniet, et animas a vobis tollet, vosque occidet in Ægypto. Unde Septuaginta et Chaldæus vertunt : *Malefecistis animabus vestris*. Præstitisset enim Deum non rogare, nec ejus voluntati se resignare, idque cum jurejurando, quam rogato et respondenti rebellare. Hoc enim est ridere Deum : vel enim finxistis vos parituros Deo; vel si seriam tunc parendi habuistis voluntatem, eamque inter decem hosce dies, qui a vestra petitione et jurejurando effluxerunt vers. 7 mutastis, chamæleonte estis leviores et inconstantiores, mendaces et perjuri; itaque cum Deo agitis, ac si puer esset, scurra vel morio. Quid indignius? quibus plagis id expiandum?

Aliter Vatablus : *Decepistis*, inquit, *me in animabus vestris*, quia cogitatio animi vestri, verbis et promissis vestris mihi factis non respondit : simulastis enim vos Deo per omnia velle parere; et tamen firmum habuistis propositum fugiendi in Ægyptum, etiamsi ego et Deus id dissuaderemus.

Moraliter, disce hic inobedientes sibi periculum creare, et suo laqueo capi. Sicut enim Jonas, Deum fugiens, in ventrem ceti incurrit : sic Judæi, consilium Dei et Jeremiæ fugientes, in ventrem magni illius draconis, puta Nabuchodonosoris, inciderunt. Cogitent ergo illud Poetæ :

> Quo fugis, Encelade? quascumque accesseris oras,
> Sub Jove semper eris.

Hic finitur Commentarius D. Thomæ in Jeremiam : quia morte præventus eum absolvere non potuit.

CAPUT QUADRAGESIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Judæi Deo et Jeremiæ inobedientes, ac Jeremiam mendacii arguentes, contra fidem Deo datam perjuri fugiunt, secumque Jeremiam pertrahunt in Ægyptum, qui vers. 8, ibi in Taphnis Ægypti unaque Judæorum excidium per Nabuchodonosorem prædicit.

1. Factum est autem, cum complesset Jeremias loquens ad populum universos sermones Domini Dei eorum, pro quibus miserat eum Dominus Deus eorum ad illos, omnia verba hæc : 2. Dixit Azarias filius Osaiæ, et Johanan filius Caree, et omnes viri superbi, dicentes ad Jeremiam : Mendacium tu loqueris : non misit te Dominus Deus noster, dicens : Ne ingrediamini Ægyptum ut habitetis illic. 3. Sed Baruch filius Neriæ incitat te adversum nos, ut tradat nos in manus Chaldæorum, ut interficiat nos, et traduci faciat in Babylonem. 4. Et non audivit Johanan filius Caree, et omnes principes bellatorum, et universus populus, vocem Domini, ut manerent in terra Juda. 5. Sed tollens Johanan filius Caree, et universi principes bellatorum, universos reliquiarum Juda, qui reversi fuerant de cunctis gentibus, ad quas fuerant ante

dispersi, ut habitarent in terra Juda; 6. viros, et mulieres, et parvulos, et filias regis, et omnem animam, quam reliquerat Nabuzardan princeps militiæ cum Godolia filio Ahicam, filii Saphan, et Jeremiam prophetam, et Baruch filium Neriæ. 7. Et ingressi sunt terram Ægypti, quia non obedierunt voci Domini : et venerunt usque ad Taphnis. 8. Et factus est sermo Domini ad Jeremiam in Taphnis, dicens : 9. Sume lapides grandes in manu tua, et abscondes eos in crypta, quæ est sub muro latericio in porta domus Pharaonis in Taphnis, cernentibus viris Judæis : 10. et dices ad eos : Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel : Ecce ego mittam, et assumam Nabuchodonosor regem Babylonis servum meum : et ponam thronum ejus super lapides istos, quos abscondi, et statuet solium suum super eos. 11. Veniensque percutiet terram Ægypti; quos in mortem, in mortem; et quos in captivitatem, in captivitatem; et quos in gladium, in gladium. 12. Et succendet ignem in delubris deorum Ægypti, et comburet ea, et captivos ducet illos : et amicietur terra Ægypti, sicut amicitur pastor pallio suo : et egredietur inde in pace. 13. Et conteret statuas domus Solis, quæ sunt in terra Ægypti : et delubra deorum Ægypti comburet igni.

3. SED BARUCH FILIUS NERIÆ INCITAT TE, — quia Baruch videbatur eis audacior et animosior Jeremia miti, et tot carceribus ærumnisque exhausto : sciebant enim Baruch coram principibus legisse prophetiam, quam Jeremias ipse legere iis non audebat, cap. XXXVI, vers. 6. Rursum viderant Baruch, æque ac Jeremiam, a Chaldæis in excidio urbis, dimissum, et benigne habitum. Ad hæc eum scripsisse ad Judæos in Babylonem, ne cogitent de reditu, sed ibi sedes figant, orentque pro vita Nabuchodonosoris, ejusque filii Balsasar, *Baruch* I, 11. Censent ergo homines suspicaces et temerarii Baruch a Chaldæorum partibus stare, ac suggerere Jeremiæ ut vaticinetur Judæis hisce reliquis remanendum esse in Judæa, ut ita eos Chaldæorum jugo subjiciat. Sequuntur humanam prudentiam : hæc enim dictabat tutius esse fugere in Ægyptum, quam in Judæa exponere se periculo Chaldæorum. Sed secus erat in consilio Dei, qui prudentes sibi rebelles comprehendit in sua prudentia.

Vers. 7. 7. TAPHNIS. — Metropolis erat Ægypti, et regia Pharaonis, ubi Moses sua fecit prodigia, scilicet in campo Taneos, id est Tanis vel Taphnis, *Psalm.* LXXVII, 43. Vide dicta *Numer.* XIII, 23.

Vers. 9. 9. SUB MURO LATERICIO. — Nota : Ægyptus quia lutosa est ex Nili inundatione et oblimatione, hinc abundat *latericium* : inde aliqui primariam urbem Ægypti dictam volunt Pelusium, quasi πηλούσιον, id est *latericium* : licet alii Pelusium dictum putent a Peleo Achillis patre, quod is urbem hanc condiderit (1).

Pelusii etymon.

Symbolice ergo, murus hic significat Ægyptum : sub eo jubetur hic Jeremias ponere lapides grandes, ut iis in terram infossis, calceque et cæmento compactis, quasi sternat fundamentum solii regalis, quod ibi collocaturus est Nabuchodonosor. Quo symbolo significat Nabuchodonosorem suum solium et sceptrum impositurum Ægypto, eamque sibi subjugaturum, *q. d.* O Judæi prudentuli, Deoque increduli et rebelles, putatis Deo invito abscondi et tuti esse sub muro latericio Ægypti; sed fallimini : veniet enim Nabuchodonosor, et murum hunc capiet, sibique et solio suo substernet et subjiciet, vosque primos interficiet. *Secundo,* alludit ad servitutem Ægypti sub Mose, *q. d.* Fugitis in Ægyptum; sed recolite vos ibi servivisse in fornace dura et quasi ferrea, faciendo ex luto lateres, atque scitote simili modo vos ibi a Nabuchodonosore vel morte vel servitute mulctandos.

IN PORTA DOMUS PHARAONIS, — *q. d.* Regia porta et domus quæ nunc est Pharaonis, erit regia Nabuchodonosoris; idque propter vos, ipse enim vos persequetur in Ægyptum usque : itaque vos eritis causa, cur Ægyptii pariter in manus ejus veniant : vos enim peccatorum vestrorum pœnam, calamitatem et captivitatem quocumque pergatis, vobiscum trahetis.

10. ECCE EGO MITTAM — nuntios, qui Nabuchodonosorem accersant : nuntii hi fuerunt cogitationes et inspirationes de persequendis Judæis, et occupanda Ægypto, menti Nabuchodonosoris injectæ, inquit Maldonatus. Vers. 10.

11. QUOS IN MORTEM (scilicet destinavi, tradet Vers. 11.

(1) J. D. Michaelis in *Supplem.* pag. 1513 מלט *meleth,* non calcem ipsam cæmentumque, sed *lapides calcarias in calcem urendos* (*marmor rude*) intelligi putat. מלבן *malben* a לבנה *labena later* vix dubium est denotare *officinam* seu *fornacem lateritiam*, ut *Nah.* III, 14; II *Sam.* XII, 31. Videtur autem hic locus præcipue isti actui destinatus fuisse, ut subindicaretur Nebucadnezarem ita Ægyptum subjugaturum, ut et munimenta ipsa et officinas, in quibus lateres pro communiendis urbibus excoquebantur (coll. *Exod.* I, 10, 13), suæ ditionis faceret, cf. vers. 10. » C. B. Michaelis. J. D. Michaelis, lib. II, pag. 1403, מלבן, *malben fornacem calcariam,* in qua lapides calcarii torrentur, significare vult, quod in Ægypto lateres igne non coquerentur. Verum non est cur dubitemus, præter eos lateres, qui ad solem siccari solerent, et alios coctos fuisse in fornacibus.

(Rosenmuller.)

Nabuchodonosor) IN MORTEM, QUOS IN CAPTIVITATEM (destinavi, tradet ipse) IN CAPTIVITATEM. — Vide dicta cap. XV, 2.

12. ET CAPTIVOS DUCET ILLOS, — deos aureos et argenteos Ægyptiorum traducet in Babylonem; vel « illos, » scilicet Ægyptios : hi enim in voce *Ægypti* quæ præcessit, implicite continentur.

AMICIETUR TERRA ÆGYPTI. — Vox *terra* non est nominativi casus, *q. d.* Terra Ægypti amicietur et vallabitur munitionibus suis, ut vult Hugo; aut militibus Nabuchodonosoris, ut vult Lyranus; sed est ablativi casus. Sensus ergo est, *q. d.* Nabuchodonosor vestiet se omnibus spoliis et opibus Ægypti, sicut pastor cum educit oves ad pabulum in pluvia et frigore, se vestit pallio suo, præter quod non habet alias opes aut vestes, sed secum portat tectumque laremque, quod de Scythis ait Virgilius, *q. d.* Pari modo ex Ægypto egredietur Nabuchodonosor spoliis onustus, omnesque opes Ægypti abducet. Rex enim regno suo vel a se subacto se operit et vestit; atque cum rex idem sit et pastor, induit se regno, velut pastor pallio. Ita Hebræi. Unde et Chaldæus vertit : *Amiciet terram Ægypti* (scilicet rex Babylonis), *sicut amicitur pastor veste sua.* Aliter Septuaginta, vertunt scilicet : *Scrutabitur terram Ægypti, sicut pediculis purgat pastor vestimentum suum,* ita scilicet curiose et studiose, ut ne unum relinquat. Pastores enim raro vestes exuunt; hinc vermes contrahunt, quos in agris scrutantur : otio enim abundant, ait Theodoretus (1).

13. ET CONTERET STATUAS DOMUS SOLIS. — Septuaginta, *statuas Heliopoleos* : Heliopolis enim græce ita dicta est, *q. d.* Urbs solis : quia in ea Sol in suo templo colebatur, cujus sacerdos fuit Putiphar, *Genes.* XLI, 45. Nota : Phœnices et Ægyptii, primi omnium solem, lunam et stellas, ut deos venerati sunt, quasi gignendarum abolendarumque rerum omnium causas. « Nam, ut ait Catullus, plantas » et omne vivens, « mulcent auræ, firmat sol, educat imber. » Pingebant autem Ægyptii Solem juvenili forma, rotunda facie, stantem in navi, quam crocodilus ferebat, ut notat Pierius; *hieroglyph.* LIX. Per navim significabant motum Solis in aquis, id est cœlis ex aqua factis; per crocodilum, aquam pluviam, cujus causa est sol. Heliopolis autem proprie uni devota Soli fuit, et quia sol est unicus, hinc phœnicem, qui in ea urbe primo visus dicitur, eamque habitare fertur, quasi unicum unico Soli hieroglyphicum attribuerunt, perinde ac sol hieroglyphicum est unius Dei : et forte hinc ab iis confictus est phœnix, avis non vera, sed symbolica, ut hoc hieroglyphico significarent cœlestem et celerem motum Solis unici, uti dixi *Genes.* VII, 2 (2).

Phœnix est sol

Solis hieroglyphicum.

(1) Recte observat Rosenmuller hanc interpretationem ab Hebræo textu prorsus alienam, nec Propheta satis dignam, ut vastatorem Ægypti putetur pastori comparasse, qui pediculos suos eximit. Perquam verisimilis est Bocharti conjectura, Græcum interpretem ita scripsisse : φθερεῖ *corrumpet*, destruet (et non φθειριεῖ, quod significat *pediculos venari*), γῆν Αἰγύπτου, ὥσπερ φθείρει ποιμὴν τὸ ἱμάτιον αὐτοῦ, scilicet *destruet Ægyptum, ut pastor corrumpit, seu deterit vestem suam.* « Quam scriptionem, addit, tria confirmant : *primo*, Arabica versio ex græca expressa, quæ sic habet : *corrumpet terram eorum, ut corrumpit pastor vestem suam; secundo*, ex versione Syriaca, est etiam vox significans *delere* ac *destruere: tertio*, ista versio, quamvis priore non verior, tamen est minus absona. De cœlis, in fine rerum virtute destruendis, dicitur *Psalm.* CII, 27, « ut vestimentum veterascent. » Ita nihil erit absurdi, si quis Ægypti vastationem putet cum veste detrita conferri, adeoque cum veste pastoris, qua sordidius atque incomptius vix quidquam est. »

(2) *Confringetque statuas* (simulacris deorum sustinendis, aut saltem in eorum honorem erectas) *domus solis* (additque), *quæ* (est) *in terra Ægypti*, ut eam distinguat ab aliis locis qui in terra Chananæa siti erant; vid. *Jos.* XIX, 22, 38; XXI, 16. Recte Græcus Alexandrinus hoc loco τοὺς στύλους Ἡλιουπόλεως reddidit, juxta Hebraicam appellationem ejus loci, qui Ægyptiaco nomine *solis* vocatur *On. Genes.* XLI, 45. Arabes Heliopolin *fontem solis* nuncuparunt; vid. Abulfedæ, *Descript. Ægypt.*, num. 67, edit. Michael. Quales statuæ illæ Heliopolitanæ fuerint, describit Ephræmus Syrus, qui Ægyptum ipse peragraverat, in Commentario ad hunc locum in *Oper.*, tom. II, pag. 145. Ejus verba ex Petri Benedicti interpretatione adscribo : « *Domus solis* urbs est Ægypti, quam *Heliopolin* appellant, multiplici dæmonum religione et inanium simulacrorum cultu infamis. Insignes in ea statuæ erant proceritatis molisque admirandæ, singulæ quippe ad sexaginta cubitos assurgebant. Suberat pedibus solium seu basis denorum cubitorum. Supereminebat capiti mitra ex candido metallo, pondo librarum mille et amplius. Partes omnes ornabant figuræ et imagines hominum et animalium, quæ ejus temporis gentilium numina fuerunt. Adjecti hieroglyphici characteres, talium arcanarum indices. » Similem Deo soli sacratam statuam describit Herodianus, *Hist.* lib. V, cap. III, pag. 228, edit. Boecl. Duorum illorum ingentium obeliscorum Heliopolitanorum historiam narrat Herodotus, lib. II, cap. CXI, eorumque mentionem facit Abulfeda, loco citato, ad quem conf. quæ J. D. Michaelis notavit, pag. 127 et seqq. Atque ad nostrum quidem locum quod attinet hæc addit : « Statuas illas seu obeliscos, quibus Jeremiæ tempore Heliopolis nobilis erat, fractum iri prædixit vates, idque evenit : fractæ sunt, una jam modo superstite, sed ruinosa (quam delineatam dedit Nordenius, tab. XXXIX, vid. et Pocockii *Descript. Orient.*, tom. I, pag. 37, vers. teuton). Quis autem fracturus sit, aut fregerit, de eo dissident Jeremias et Strabo, Jeremias ruinam illis a Nabuchodonosore minatur; Cambysen has ruinas intulisse, dicit Strabo, *Geogr.* lib. XVII, cap. I, § 27, pag. 805 edit. Almelov. Verum Græci prope omnes, excepto qui nobis periit, Megasthene, Nabuchodonosorem ignorant, vix quidquam certi et explorati ante Cyrum habentes; referre ergo rumor Nabuchodonosoris ruinas ad Cambysem potuit, idque eo facilius erratu fuit, quod devictam a Nabuchodonosore, aut si nomen quoque demas a Chaldæis, a Babyloniis, Ægyptum ignorant Græci, quorum scripta habemus. » Tradit quidem Megasthenes, qui Seleuci Nicatoris temporibus, circa annum 280 ante Christum natum, de rebus Indicis scripsit, teste Josepho, *Antiq.* lib. X, cap. X, § 1, Nabuchodonosorem, qui fortitudine et rerum gestarum gloria et magnitudine ipsum Herculem superaverit, ducto in Libyam et Iberiam (id est, Hispaniam) exercitu, eas regiones vastasse, et in potestatem suam redegisse, deductamque inde coloniam Iberorum ad dextram Ponti, inter Euxinum et

CAPUT QUADRAGESIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Eamdem Ægypti et Judæorum qui eo fugerant, per Chaldæos cladem confirmat, monetque Judæos, ne colant idola et deos Ægyptiorum. Secundo, vers. 15, *viri et mulieres ei Deoque obstrepunt, asseruntque se reginam cœli in Ægypto, æque ac in Judæa, culturos. Hinc tertio, Jeremias, vers.* 24, *eis omnibus, uti et Pharaoni, gladium et famem intentat. Hæc omnia reipsa evenerunt anno* 35 *Nabuchodonosor : tum enim ipse subegit Ægyptum, factusque est monarcha. Unde inde cœpit æra monarchiæ ejus, qua utitur Daniel. Biennio enim post eversam Ægyptum, vidit Nabuchodonosor statuam auream, ut dixi* Daniel. *cap.* II, *vers.* 1.

Nota : Hæc est ultima Jeremiæ prophetia, quæ exstat. Nam quæ sequuntur, cap. XLV *et sequent. ante hoc tempus editæ sunt, ut patet ex eorum titulis.*

1. Verbum, quod factum est per Jeremiam ad omnes Judæos, qui habitabant in terra Ægypti, habitantes in Magdalo, et in Taphnis, et in Memphis, et in terra Phatures, dicens : 2. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel : Vos vidistis omne malum istud, quod adduxi super Jerusalem, et super omnes urbes Juda : et ecce desertæ sunt hodie, et non est in eis habitator : 3. propter malitiam, quam fecerunt ut me ad iracundiam provocarent, et irent ut sacrificarent, et colerent deos alienos, quos nesciebant et illi, et vos, et patres vestri. 4. Et misi ad vos omnes servos meos prophetas, de nocte consurgens, mittensque et dicens : Nolite facere verbum abominationis hujuscemodi, quam odivi. 5. Et non audierunt, nec inclinaverunt aurem suam, ut converterentur a malis suis, et non sacrificarent diis alienis. 6. Et conflata est indignatio mea et furor meus, et succensa est in civitatibus Juda, et in plateis Jerusalem : et versæ sunt in solitudinem et vastitatem secundum diem hanc. 7. Et nunc hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel : Quare vos facitis malum grande hoc contra animas vestras, ut intereat ex vobis vir et mulier, parvulus et lactens de medio Judæ, nec relinquatur vobis quidquam residuum : 8. provocantes me in operibus manuum vestrarum, sacrificando diis alienis in terra Ægypti, in quam ingressi estis ut habitetis ibi, et dispereatis, et sitis in maledictionem, et in opprobrium cunctis gentibus terræ? 9. Numquid obliti estis mala patrum vestrorum, et mala regum Juda, et mala uxorum ejus, et mala vestra, et mala uxorum vestrarum, quæ fecerunt in terra Juda, et in regionibus Jerusalem? 10. Non sunt mundati usque ad diem hanc : et non timuerunt, et non ambulaverunt in lege Domini, et in præceptis meis, quæ dedi coram vobis et coram patribus vestris. 11. Ideo hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel : Ecce ego ponam faciem meam in vobis in malum : et disperdam omnem Judam. 12. Et assumam reliquias Judæ, qui posuerunt facies suas ut ingrederentur terram Ægypti, et habitarent ibi : et consumentur omnes in terra Ægypti : cadent in gladio et in fame : et consumentur a minimo usque ad maximum, in gladio et in fame morientur :

Caspium mare collocasse. Sed hanc Nebucadnezaris expeditionem, de qua cæteri veteres omnes silent, parum esse verisimilem, scite judicavit Volney in *Recherches nouvelles sur l'histoire ancienne,* part. III, pag. 151 et seqq. Megasthenes vero ille, de quo nonnisi unum aut alterum fragmentum a Josepho servatum reliquum habemus, sitne scriptor fide dignus, omnino haud constat. Quæ cum ita sint, equidem de nostro loco idem valere arbitror, quod de Ezechielis in Ægyptum vaticiniis scribit Scaliger in *Canone Isagog.*, pag. 312 : « Quæ ab Ezechiele dicuntur de Ægypti desolatione, ita ut in desertum redigenda sit (cap. XXIX, 8), hoc Dei misericordia remissum fuisse, neque contigisse certissimum est : quemadmodum neque Ninivem delevit, ut per Jonam et Nahum interminatus erat. Et multa sunt ejusmodi apud Ezechielem, Jesaïam et Jeremiam. » *Conf. not. nostr. ad Ezech.* XXIX, 4. (Rosenmuller.)

Hanc quam Rosenmuller post Scaligerum deducit conclusionem ex silentio, vel ex testimoniis scriptorum inter se non concordantibus, procul rejiciendam existimamus. Licet enim, inquit Calmetus, non legamus expresse in historiis, Nabuchodonosorem, Ægypti monumenta evertisse, statuas contrivisse, et delubra succendisse; ex iis quæ templo Hierosolymitano tum ipse, tum successores intulerunt, satis credibilia fiunt quæ hic prædixit Jeremias. Quis nescit Xerxis et Ochi historiam? Quis ignorat eorum irrisiones, injurias, contumelias et vim contra Ægyptiorum deos?

et erunt in jusjurandum, et in miraculum, et in maledictionem, et in opprobrium. 13. Et visitabo super habitatores terræ Ægypti, sicut visitavi super Jerusalem, in gladio, et fame, et peste. 14. Et non erit qui effugiat, et sit residuus de reliquiis Judæorum, qui vadunt ut peregrinentur in terra Ægypti : et revertantur in terram Juda, ad quam ipsi elevant animas suas ut revertantur, et habitent ibi; non revertentur nisi qui fugerint. 15. Responderunt autem Jeremiæ omnes viri, scientes quod sacrificarent uxores eorum diis alienis, et universæ mulieres, quarum stabat multitudo grandis, et omnis populus habitantium in terra Ægypti in Phatures, dicentes : 16. Sermonem, quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te : 17. sed facientes faciemus omne verbum quod egredietur de ore nostro, ut sacrificemus reginæ cœli, et libemus ei libamina, sicut fecimus nos et patres nostri, reges nostri et principes nostri, in urbibus Juda, et in plateis Jerusalem : et saturati sumus panibus, et bene nobis erat, malumque non vidimus. 18. Ex eo autem tempore, quo cessavimus sacrificare reginæ cœli, et libare ei libamina, indigemus omnibus, et gladio et fame consumpti sumus. 19. Quod si nos sacrificamus reginæ cœli, et libamus ei libamina : numquid sine viris nostris fecimus ei placentas, ad colendum eam, et libandum ei libamina? 20. Et dixit Jeremias ad omnem populum, adversum viros, et adversum mulieres, et adversum universam plebem, qui responderant ei verbum, dicens : 21. Numquid non sacrificium, quod sacrificastis in civitatibus Juda, et in plateis Jerusalem, vos et patres vestri, reges vestri et principes vestri, et populus terræ, horum recordatus est Dominus, et ascendit super cor ejus? 22. Et non poterat Dominus ultra portare propter malitiam studiorum vestrorum, et propter abominationes quas fecistis : et facta est terra vestra in desolationem, et in stuporem, et in maledictum, eo quod non sit habitator, sicut est dies hæc. 23. Propterea quod sacrificaveritis idolis, et peccaveritis Domino, et non audieritis vocem Domini, et in lege, et in præceptis, et in testimoniis ejus non ambulaveritis : idcirco evenerunt vobis mala hæc, sicut est dies hæc. 24. Dixit autem Jeremias ad omnem populum, et ad universas mulieres : Audite verbum Domini, omnis Juda, qui estis in terra Ægypti : 25. Hæc inquit Dominus exercituum Deus Israel, dicens : Vos et uxores vestræ locuti estis ore vestro, et manibus vestris implestis, dicentes : Faciamus vota nostra quæ vovimus, ut sacrificemus reginæ cœli, et libemus ei libamina; implestis vota vestra, et opere perpetrastis ea. 26. Ideo audite verbum Domini, omnis Juda, qui habitatis in terra Ægypti : Ecce ego juravi in nomine meo magno, ait Dominus; quia nequaquam ultra vocabitur nomen meum ex ore omnis viri Judæi, dicentis : Vivit Dominus Deus in omni terra Ægypti. 27. Ecce ego vigilabo super eos in malum, et non in bonum : et consumentur omnes viri Juda, qui sunt in terra Ægypti, gladio et fame, donec penitus consumantur. 28. Et qui fugerint gladium, revertentur de terra Ægypti in terram Juda viri pauci : et scient omnes reliquiæ Juda ingredientium terram Ægypti, ut habitent ibi, cujus sermo compleatur, meus, an illorum. 29. Et hoc vobis signum, ait Dominus, quod visitem ego super vos in loco isto : ut sciatis quia vere complebuntur sermones mei contra vos in malum. 30. Hæc dicit Dominus : Ecce ego tradam Pharaonem Ephree regem Ægypti in manu inimicorum ejus, et in manu quærentium animam illius : sicut tradidi Sedeciam regem Juda in manu Nabuchodonosor regis Babylonis inimici sui, et quærentis animam ejus.

4. DE NOCTE CONSURGENS, — magna vigilantia et studio. Vide cap. VII, 13.

6. ET CONFLATA EST INDIGNATIO MEA. — Id est liquefacta est, et quasi torrens igneus effusa. Vide cap. XLII, 18.

SECUNDUM DIEM HANC, — sic apparet hodie.

9. MALA UXORUM EJUS, — « ejus, » id est cujusque eorum. Septuaginta pro נשיו *nascaf*, id est uxorum ejus, legerunt נשיאו *nesciaf*, id est principum ejus.

IN REGIONIBUS JERUSALEM. — Nota : Urbes dividebant veteres in partes vel vicos majores, quæ regiones dicebantur. Ita Roma ab olim in varias regiones (puta a Romulo in tres, scilicet Capitolii, Palatini et Cælii montium; a Trajano in quatuordecim; et totidem etiamnum numerantur (fuit

divisa et distributa, quarum singulæ habebant, et etiamnum habent suum caput, sive præfectum, qui italice vocatur *caporione*, *q. d.* caput vel capitaneus regionis : cujus magna est auctoritas et potestas in interregno, mortuo Pontifice ; hujus enim munus est, suam regionem a tumultu, cædibus, furtis, omnique scelere tueri; ideoque habet jus gladii et necis.

Vers. 10. 10. NON SUNT MUNDATI. — Hebraice, non sunt fracti, contriti, humiliati post tot flagella et verbera; sed sicut scoria in fornace, ita ipsi in obstinatione, æque ac in servitute et fornace Babylonia perdurant.

Vers. 11. 11. PONAM FACIEM, — deinceps aspiciam vos vultu non benigno, sed maligno, sævo ac minaci, intentans vobis pœnas et clades; in eoque vultu et aspectu truci me obfirmabo.

Vers. 12. 12. ERUNT IN JUSJURANDUM (erunt in exsecrationem) ET IN MIRACULUM, — in stuporem. Ita Hebræi, ut omnes qui audient vestras calamitates obstupescant.

Vers. 14. 14. AD QUAM IPSI ELEVANT ANIMAS SUAS, — ad quam ipsi anhelant avide, quasi se et animum suum attollentes ad Judæam patriam, ut ad eam redeant. Vide cap. XXII, 17.

NISI QUI FUGERINT, — ex Ægypto, sequentes consilium Jeremiæ, et timentes imminentem Ægypto gladium Chaldæorum, patet ex vers. 28; unde hebraice est, *nisi qui evaserint.*

Vers. 17. 17. SED FACIENTES FACIEMUS (omnino faciemus) OMNE VERBUM QUOD EGREDIETUR DE ORE NOSTRO, — faciemus quidquid voluerimus, quidquid libuerit : smile est *Deut.* VIII, 3; *Matth.* IV, 4; vel quidquid voverimus reginæ cœli, id est lunæ, hoc offeremus. Vide dicta cap. VII, 18.

ET SATURATI SUMUS. — *Et*, id est *idcirco*, saturati sumus, quia scilicet coluimus reginam cœli.

Vers. 19. 19. NUMQUID SINE VIRIS, — *q. d.* Nos feminæ imitamur maritos nostros. Vide cap. VII, 18.

AD COLENDUM EAM. — Hebraice לְהַצִּיבָה *lehaatsiba*, id est *ad elaborandum idolum in ea.* Unde videtur, quod in suis placentis efformabant vel imprimebant effigiem idoli sui, scilicet reginæ cœli, puta lunæ, ad colendum eam. Ita Lyranus, Vatablus, Sanchez et alii. Sic Turcæ colentes lunam, ejus effigiem in vexillis, mensis, cibis præferunt. Causa fuit, quod luna influat et dominetur rebus sublunaribus; hinc illam velut earum reginam colebant. Hinc vetus fuit Ægyptiorum et Chaldæorum error, fatum ex siderum cursu ac dispositione constitui. Hinc Horus Apollo, lib. I *Hierogl.* cap. XIII, ait sidus esse hieroglyphicum fati. Et Orpheus, in hymno astrorum, stellas vocat « fatales fatorum omnium indices, » quem secutus Juvenalis, *satyr.* 7, ait :

Sidus et occulti miranda potentia fati.

Vide dicta cap. X, vers. 2.

21. NUMQUID NON SACRIFICIUM (*q. d.* Numquid recordamini, quod Dominus non sit oblitus sacrificiorum, quæ idolis obtulisse vos dicitis in Judæa, quæ scitis Deum non potuisse ferre, sed propterea Judæam Chaldæis vastandam dedisse? Nota) ASCENDIT SUPER COR EJUS, — id est irritavit animum ejus, sicut accepta injuria bilis ascendit in caput viri nobilis.

26. JURAVI (juro) IN NOMINE MEO MAGNO, — id est per nomen meum magnum, puta per immensam meam Majestatem; alii, per nomen meum proprium, quod est Jehova.

QUIA NEQUAQUAM ULTRA VOCABITUR, — quod non permittam, ut quisquam ex Judæis in Ægypto juret per nomen meum, quia occidam eos, vel captivos ducam in Babylonem, paucis exceptis, qui refugient in Judæam : prorsus enim indigni sunt qui ore impuro nominent nomen meum sanctum, *q. d.* Nolo illud ab iis nominari et pollui. Ita Lyranus, Hugo, Dionysius, Castrius et alii passim.

Secundo, apposite Sanchez : Non putabant, inquit, neque cupiebant Judæi apud exteros Ægyptios longam moram trahere; sed id agebant, ut, quando meliorem statum habere videretur res Judaica, in patriam redirent, ubi sicut parentes olim, sic ipsi verum colerent Deum, et per ejus nomen sancte et legitime de more jurarent. Id ergo negat Deus, edicitque fore, ut neque in patriam redeant, neque religionem unquam repetant, quam impie prodiderunt, sed in Ægypto a Chaldæis conficiantur. Verba ergo textus sic ordinat, *q. d.* Nequaquam nomen meum vocabit, jurabitque per me vir Judæus, qui est in tota terra Ægypti.

Vers. 29. 29. VISITEM, — id est puniam et perdam.

Vers. 30. 30. PHARAONEM EPHREE. — Chaldæus, Pharaonem claudum, quasi hic Pharao fuerit qui cognominatus est Nechao, id est claudus, ut vult Maldonatus. Sed videtur falli : tam enim Hebræi quam Septuaginta et Noster habent Pharaonem Ephree, non Nechao. Ephree autem non significat debilem et claudum, uti patebit paulo post. Hic ergo Pharao fuit is, qui cognominatus est Vafres, ut vertunt Septuaginta, sive Apries, qui, teste Herodoto lib. II, fuit filius Psammis filii Nechao, qui Nechao Josiam regem Juda occidit. Fuit ergo Nechao avus Ephree, vel Apries. Cœpit Apries regnare anno 18 Nabuchodonosoris, sive 10 Sedeciæ; nam anno Apries 2, capta est Jerusalem, teste Clemente, lib. II *Strom.* Rursum, hic Ephree fuit Pharaonum postremus : nam Amasis, qui ei successit, nusquam Pharao vocatur, forte quod non esset absolutus rex, sed Nabuchodonosoris vasallus et tributarius, uti opinantur Genebrardus et Torniellus.

Pharao Ephree vel, Vafres quis?

Herodotus, lib. II, et Diodorus, lib. II, narrant hunc Apries fuisse captum et strangulatum ab Amasi successore suo in regnum, cum antea fuisset omnium ea ætate hominum fortunatissimus, ait Herodotus et eam haberet persuasionem, quod nullus nec hominum, nec deorum sibi posset regnum adimere, quod a Deo sibi videbatur stabili-

Apries fortuna et superbia.

visse. Unde ad hanc ejus blasphemiam et superbiam alludens, *Ezech.* XXIX, 3 : « Ecce ego, inquit, ad te, Pharao rex Ægypti, draco magne, qui dicis : Meus est fluvius, et ego feci memetipsum. Et ponam frenum in maxillis tuis, » etc. Ubi adverte errare Herodotum et Diodorum, dum narrant Apries ab Amasi captum, et suis hostibus traditum ad strangulationem. Apries enim non ab Amasi, sed a Nabuchodonosore captum et occisum esse patet tum ex Jeremia hic, tum ex Ezechiele, cap. XXIX, 19, et cap. XXXI, 11, 15 et 18, tum ex Josepho, lib. X *Antiq.* cap. XI, atque ex S. Hieronymo in cap. IV *Thren.* Fieri tamen potuit, ut Nabuchodonosor Amasin ei in regno substituerit, ideoque eum ab Amasi captum et cæsum Herodotus et Diodorus opinati sint.

Notant R. David et R. Salomon, in Hebræo nomen Pharao, idem esse cum Ephree, nisi quod in Ephree præponatur littera *chet*. Pharao enim hebraice scribitur פרעה *Pharo* : Ephree vero חפרע *Chophra ; chet* enim, quia durum est, liquescit in *e*, tam apud Septuaginta quam apud Latinos : hinc *Chophra* vertunt *Ephree*, sicut pro Hebræo *pesach*, vertunt *phase*, pro *Corach Core*, pro *Therach Thare*. Ludit ergo Deus similitudine dictionum, dicens נתן את פרעה חפרע *noten et Pharo Cophra*, quasi dicas ; Pharaonem *Cophra*, faciam *chophra*, id est foveam (alludit enim ad foveas et fossas, quibus ob Nilum abundat Ægyptus) nudam et spoliatam bonis omnibus : sicuti si latine diceres : Faciam Claudium esse claudum, Cæsarem esse cæsum, Julium jugulo jugulabo : *chophra* enim componitur ex חפר *chaphar*, id est fodere, et פרע *para*, id est nudare, spoliare. Alii censent *chet* in *Chophra* positum pro *he*, quæ est ultima in *Pharaoh*, ac *chophra* esse participium passivæ conjugationis Hophal, ac significare nudatus est, debilitatus est, claudus effectus est, *q. d.* Faciam ut Pharao juxta nomen suum sit *Chophra*, id est nudus, debilis, claudicans. Sed prius est concinnius et verius.

Prophetia Jeremiæ de idolis Ægypti per Christum puerum dejiciendis.

Scribit S. Epiphanius in *Vita Jeremiæ*, eum in Ægypto prophetavisse et exhibuisse sacerdotibus Ægypti signum, atque dixisse, oportere cuncta eorum simulacra concidere, simulque manufacta omnia (scilicet idola, eorumque templa et aras), quando in Ægyptum veniret cum suo infante Virgo mater. Idem prædixit Isaias cap. XIX, 1, uti explicant S. Hieronymus et Procopius ibidem, S. Chrysostomus in *Matth.* II; Athanasius, *De Incarn. Verbi*; Eusebius, lib. VI *Demonstr.* cap. XX; Cyrillus Hierosolymitanus, *Catech.* X; Origenes, homil. 3 *in Diversos*; Palladius in *Lausiaca*, cap. LII *in Vita Apollon.*; Rabanus in *Eccles.* cap. XXIV; Anselmus, Lyranus, Abulensis et alii.

Denique ob hanc prophetiam, Jeremiam in Taphnis paulo post a Judæis lapidatum fuisse, et martyrem occubuisse tradunt Epiphanius, Dorotheus, Torniellus et alii. Addit Epiphanius Ægyptios tantum huic vaticinio Jeremiæ tribuisse, ut solemnem induxerint morem, virginem quamdam in lecto, et infantem in præsepio passim collocandi, simulque adorandi ; rogatos postea a rege quodam, quid sibi vellet hic ritus ? respondisse hoc esse mysterium, quod majores ipsorum a sancto Propheta traditum jampridem accepissent. Idem habet Chronicum Alexandrinum.

Moraliter, de iis qui sana respuunt consilia.

Disce hic quam noxium sit non acquiescere sanis prudentum et justorum consiliis. Noluit rex et principes acquiescere consiliis Jeremiæ ; hinc perierunt principes, rex et regnum.

Roboam, quia stulta juvenum consilia prætulit sapientibus senum monitis, hinc potiore parte regni privatus est, III *Reg.* XII.

Clotharius, Gallorum rex, Radegundi piæ uxori permisit, ut sibi monasterium Pictavis construeret. Quidam mali consiliarii suaserunt regi, ut reginam repeteret. Sensit illa periculum ; scripsit ergo ad S. Germanum Episcopum Parisiensem, ut regem ab hac mente deduceret. Fecit ille, et regem flexit, ita ut a regina et ab Episcopo veniam peteret, ac conatus suos malis consiliariis imputaret. Quos ultio divina persecuta est : sicut enim Arius, Catholicam fidem oppugnans, intestina sua omnia in cloacam effudit, ita et istis accidit sanctam reginam infestantibus, ut habet ejus Vita.

Anno Domini 723, Hebræus quidam impostor in Tiberiade persuasit Ezido regi, ut sacras imagines everteret ; si hoc faceret, eum vitam commodam acturum, et regnaturum feliciter per triginta annos. Acquievit rex, et iconoclasmum indixit : sed ultra annum cum dimidio non vixit, in ignemque æternum descendit ; et post ejus mortem imagines in suum locum restitutæ sunt. Filius autem illius Ulidus nomine, indignatus Hebræo tanquam interfectori patris, eum turpissima morte mori coegit. Ita is sui impii consilii præmium accepit, ut refert Damascenus, lib. *De Imagin.*

Vitiza rex Hispaniæ impurus et impius, timens ne subditi contra eum ob tyrannidem insurgerent, secutus malum cujusdam consilium, muros urbium et munitiones regni, specie pacis dirui jussit. Sed male ei cessit : nam regno et oculis privatus, misere mortuus est, regnumque debile Roderico successori reliquit, ut Mauris facile fuerit illud subjugare. Ita Rodericus Archiepiscopus Toletanus, lib. V, cap. XVI, et Mariana, lib. VI, cap. XIX.

Ludovicus Sfortia, Mediolani Dux, cum Ducatum Joanni, Galeatio fratris filio per scelus abstulisset, timens Alfonsum regem Neapolis, incitavit contra eum Carolum VIII, Gallorum regem, qui veniens Alfonsum regno exuit. Ludovicus inde timens potentiam Gallorum, facti pœnitens, contra regem cum principibus Italiæ conjurat ; sed a Gallis cæsus et captus, ac caveæ ferreæ inclusus, miserrime interiit. Ita Guicciardinus, lib. III et IV *Hist. Ital.*, et Jovius, lib. IV *Elog. milit.*

Joannes Fredericus, Saxoniæ Dux, cupiebat imperium a familia Austriaca auferre. Lutherus ei consilium dedit, ut, si imperium mutatum vellet, religionem mutaret. Lutheri ergo perfidiam et consilium secutus Dux, contra Carolum V arma movit, sed stulte : nam a Carolo victus et captus, Ducatu et Electoris potestate privatus est, quam in Mauritium Ducem Joannis Frederici patruelem, ejusque familiam imperator transtulit, in qua etiamnum perseverat.

Ex adverso, Clotharius rex Chilperici filius, secutus sanum S. Columbani consilium, duobus regnis auctus est. Cum enim Theodebertus et Theodoricus reges et fratres disceptarent de regni terminis, et uterque adversus alterum a Clotario opem peteret, petiit ille consilium a S. Columbano, qui prophetico spiritu ei dixit et suasit : Neutri opem præstes; nam intra triennium utriusque regnum sub tuam potestatem veniet. Paruit rex, et, ut dixerat vir Dei, ita factum est, uti refert Jonas in *Vita S. Columbani*, et ex eo Baronius, anno Domini 612.

Ita Flacitheus, Rugorum rex, secutus consilium S. Severini, insidias hostium evasit, uti narrat Eugypius in ejus Vita, et ex eo Baronius, anno Domini 473.

CAPUT QUADRAGESIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jeremias consolatur et animat ad constantiam Baruch scribam suum afflictum ob iras et minas Joakim regis, promittendo ei incolumitatem in communi Judæorum strage. Hæc contigerunt anno quarto Joakim. Est hysterologia; hoc enim caput subnectendum est capiti XXXVI (1).

1. Verbum, quod locutus est Jeremias propheta ad Baruch filium Neriæ, cum scripsisset verba hæc in libro ex ore Jeremiæ, anno quarto Joakim filii Josiæ regis Juda, dicens : 2. Hæc dicit Dominus Deus Israel ad te Baruch : 3. Dixisti : Væ misero mihi, quoniam addidit Dominus dolorem dolori meo : laboravi in gemitu meo, et requiem non inveni. 4. Hæc dicit Dominus : Sic dices ad eum : Ecce quos ædificavi, ego destruo : et quos plantavi, ego evello, et universam terram hanc. 5. Et tu quæris tibi grandia? noli quærere : quia ecce ego adducam malum super omnem carnem, ait Dominus : et dabo tibi animam tuam in salutem, in omnibus locis, ad quæcumque perrexeris.

1. VERBA HÆC, — non hujus capitis, sed quæ cap. XXXVI scripta fuisse dicuntur : eo enim hæc pertinent, ut patet conferenti utrumque caput. Unde vers. 1 dicuntur facta anno quarto Joakim.

Quæres, cur ita doluerit Baruch? Respondet *primo*, R. Salomon, eo quod tamdiu ministrans Jeremiæ prophetæ, adhuc non recepisset donum prophetiæ, uti recepit Josue ministrans Mosi, et Elisæus ministrans Eliæ. Sed nil est quod significet eam ambitionem in viro sancto.

Secundo, Theodoretus et Rabanus censent eum doluisse ob cladem populo imminentem, cui ipse esset involvendus.

Tertio et optime, Hugo et Lyranus ex vers. 1, et ex cap. XXXVI, vers. 10, putant eum doluisse, eo quod discisso et combusto a Joakim libro quem scripserat dictante Jeremia, rursus eumdem a Deo jussus scribere, et legere coram populo, eumdem majoribus minis plenum, timebat (quod accidit) ne scilicet a furibundo rege Joakim quæreretur ad carceres, aut potius ad atrocem mortem. Erat ergo causa doloris pusillanimitas timorque carceris et mortis. Unde, gemens, ait : « Addidit Dominus dolorem dolori meo, » puta scriptionem scriptioni, periculum periculo. Ex periculo enim prioris scriptionis fuga elapsus evaseram; nunc ad utrumque revocor, a requie scilicet ad agonem, eumque extremum.

5. QUÆRIS TIBI GRANDIA? — scilicet munus prophetandi, aiunt Vatablus et Hebræi; *secundo* et melius, « grandia, » scilicet requiem et vitam prosperam sine dolore, molestia et periculo. Ita Theodoretus. « Grandia » ergo vocat raram, ex-

(1) Quæ hic habentur esse a Jeremia prolata quarto Joakimi anno, cum in eo esset Baruch, ut quæ ipsi propheta dictaverat, vaticinia exararet, notatur versu primo. Erat igitur, si in hisce vaticiniis ordinandis temporis, quo singula habita sunt, ratio habita fuisset, hoc caput vel parergon historicum capiti XXXIX subjiciendum. Sed cur hic, nec illic positum sit, rationem Grotius reddit hanc : « Absolutis et prophetiis et historiis ad reges populumque Judæorum pertinentibus, subjunxit unam, quæ ad unum hominem, Baruchum scilicet, pertinet; sicut Epistolis Pauli ad Ecclesias subjunguntur illæ quæ ad singulos pertinent, etiamsi quædam harum ante illas scriptæ sint. »

quisitam et superfluam quietem : ut solus Baruch, populo toto afflictissimo mox futuro, evellendo et in captivitatem ituro, otio frueretur, nec se exponeret periculo, legendo librum populo, sed solus in Jerusalem miserrima, omni malo metuque liber viveret, *q. d.* Ignavus es miles, qui pro salute populi non audes vitam exponere, solus vis otiari, nil vis pati pro conversione et salute populi. Et esto quod parum apud populum proficies ; tenta saltem, et quod tui est muneris facito atque cogita : si populares mei tam dira passuri sunt, quidni et ego leve aliquid patiar cum eis et pro eis? Nam, ut ait Sapiens : Sicut avis ad volatum, ita homo ad laborem et dolorem natus est, ut scilicet multa dura agat et patiatur. Præclare Aristides, tom. II *Orat. Rhodiaca* : « Solum, ait, calamitates reddit leviores exemplum. » Idem ibidem : « Sicut index, ait, aurum probat, sic viros fortes examinant calamitates. »

Ita Hildebrandus Cardinalis et Archidiaconus S. R. E., qui postea Pontifex creatus, dictus est Gregorius VII, objecit B. Petro Damiano volenti relinquere Cardinalatum, et Episcopatum Ostiensem, ac se recipere ad monasterii quietem : « Ecce Petrus, inquit, latibulum quærit, et sub colore pœnitentiæ, Romæ subterfugere quærit accessum : lucrari machinatur de inobedientia otium, et, cæteris in bella ruentibus, hic sibi degeneris umbræ quærit opacum. » Cui quid Petrus responderit, videre est epistola ejus decima *ad Alexandrum II Pontif., et Hildebrandum Archidiaconum*, ubi inter cætera ait, sibi pro refutato Episcopatu a Pontifice injunctam fuisse centum annorum pœnitentiam, quæ erat, ut quotidie recitando psalmum *Miserere* continenter faceret disciplinam, id est seipsum flagellaret, idque per centum annos, si tot viveret : quam pœnitentiam ipse uno anno redemit, nimirum per singulos dies toties, puta centies, disciplinam per spatium psalmi *Miserere* iterando, ut in fine anni numerum prædictum exæquaret, ut idem alibi de se scribit.

Ita Christus Apostolos eorumque sequaces vocavit, non ad otium, sed ad agones ; non ad honores, sed ad contemptus ; non ad securitatem, sed ad pericula terra marique ubivis locorum subeunda. Fixum hoc certumque sibi præstituerat Pater Gonsalvus Sylveira e Societate nostra, nobilis genere (fuit enim filius Comitis de Sortella in Lusitania), sed nobilior assiduis laboribus, et tandem glorioso martyrio, quod in Monomotapa obiit. Hic enim in litteris ad P. Cotinium datis ita scribit : « Desidero mendicare, et nil comedere nisi ostiatim emendicatum ; audire confessiones perpetim, donec nullus supersit pœnitens quem audiam ; vigilare usque dum nil operis restet ; concionari usque ad ravim ; mortificare me usque ad mortem. Nam ego in horum exsecutione mori possum ; sed cum gratia Dei non refrigescam, nunquam lassabor, sed jugiter quæram media modosque, quibus semper crucifixus sim cum Christo Jesu. » Sic S. Teresa audivit didicitque a Christo : « Filia, meritum non consistit in fruendo ; sed in operando, patiendo, amando. Paulus dicitur semel raptus in paradisum, sed multoties passus. Mater mea audivit a Simeone : Tuam ipsius animam pertransibit gladius. Majoribus Sanctis Deus majores dat cruces. » Quocirca ipsa assidue orabat : « Domine, da pati aut mori. »

Sapienter dixit B. P. Franciscus Borgia, tertius Societatis nostræ Præpositus Generalis, tria hæc conservatura esse et promotura Societatem nostram : *primo* orationem, hæc enim nos jungit Deo ; *secundo*, obedientiam, hæc enim omnes unit capiti, ac consequenter omnes unit inter se ; *tertio*, persecutiones, hæ enim a mundo nos avellunt, nosque nobis uniunt, ut actus nostros ita componamus, ne hostes vel æmuli nostri habeant quod carpant. Sicut ergo in hieme arbores se contrahunt, succumque et calorem a ramis ad radicem revocant ; itaque eam magis in terra figunt, muniunt et roborant : sic et homo in persecutione a solatio hominum revocatur ad se et ad cor, illudque magis in virtute et Deo defigit et roborat. Hæc tria pariter conservant et promovent virtutem cujusque fidelis et Sancti. Celebre est emblema : « Præmium ex labore. » Audi Claudianum in *Epithalam. Honorii* :

> Nec quisquam fruitur veris odoribus,
> Hyblæis apibus aut speliat favos,
> Si fronti caveat, si timeat rubos.
> Armat spina rosas, mella tegunt apes,
> Crescunt difficili gaudia jurgio.

DABO TIBI ANIMAM TUAM IN SALUTEM — salvam ; Hebræus, *in spolium* ; Septuaginta, *in lucrum*. Vere Æschylus :

> Huic qui laborat numen adesse solet.

CAPUT QUADRAGESIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hucusque Judæis prophetavit Jeremias : deinceps usque ad finem libri tonat et fulminat contra gentes varias, eisque prædicit excidium. Idem iisdem prædixit Isaias a cap.* XIII *usque ad* XXIV, *a quo multa sumpsit Jeremias ; et Ezechiel a cap.* XXV *usque ad* XXXIII, *nimirum ut in ore trium horum testium stet omne verbum, et confirmetur hoc Dei onus. Hoc ergo cap. prædicit instantem cladem Pharaonis Nechao ; quem juxta urbem Charcamis dictam, percussit Nabuchodonosor hoc eodem anno quarto Joakim, per quam Nabuchodonosor subegit sibi totam Syriam Pelusium usque, excepta Judæa, inquit Josephus. Inde ulterius, vers. 13, prædicit quod Nabuchodonosor ipsam Ægyptum et Ægyptios, quasi vitulos in sylva sua lascivientes, invadet et subjugabit, uti reipsa fecit post eversam Jerusalem. Ac denique, vers. 25, consolatur Ægyptios et Judæos, quod Deus tandem eorum miserebitur, atque e captivitate reducet.

***Nota : Jam inde a tempore Josiæ regis fuit continua ambitio et concertatio de imperio et monarchia inter Chaldæos et Ægyptios : sicut fuit post Alexandrum inter Antiochos reges Asiæ, et Ptolemæos reges Ægypti. Inter hos media interjacebat Judæa, quæ proinde fluctus hos bellorum sensit, nunc ab Ægyptiis, nunc a Chaldæis subacta. Primo ergo Pharao movens castra contra Chaldæos, occurrentem sibi Josiam cecidit, et Judæam subegit ac Joachaz, mox Joakim regem constituit. Post varia Chaldæorum et Ægyptiorum certamina, tandem anno quarto Joakim cæsus est Pharao. Hanc stragem hic prædicit Jeremias. Ergo ante annum quartum Joakim hæc prophetavit, cum utrinque prælium et acies pararetur. Lege caput* XXIV *lib.* **IV Regum (1).**

1. Quod factum est verbum Domini ad Jeremiam prophetam contra gentes, **2.** ad Ægyptum, adversum exercitum Pharaonis Nechao regis Ægypti, qui erat juxta fluvium Euphraten in Charcamis, quem percussit Nabuchodonosor rex Babylonis, in quarto anno Joakim filii Josiæ regis Juda. **3.** Præparate scutum, et clypeum, et procedite ab bellum. **4.** Jungite equos, et ascendite equites : state in galeis, polite lanceas, induite vos loricis. **5.** Quid igitur? vidi ipsos pavidos, et terga vertentes, fortes eorum cæsos : fugerunt conciti, nec respexerunt : terror undique, ait Dominus. **6.** Non fugiat velox, nec salvari se putet fortis : Ad aquilonem juxta flumen Euphraten victi sunt, et ruerunt. **7.** Quis est iste, qui quasi flumen ascendit : et veluti fluviorum, intumescunt gurgites ejus? **8.** Ægyptus fluminis instar ascendit, et velut flumina movebuntur fluctus ejus, et dicet : Ascendens operiam terram : perdam civitatem, et habitatores ejus. **9.** Ascendite equos, et exsultate in curribus, et procedant fortes, Æthiopia et Libyes tenentes scutum, et Lydii arripientes et jacientes sagittas. **10.** Dies autem ille Domini Dei exercituum; dies ultionis, ut sumat vindictam de inimicis suis : devorabit gladius, et saturabitur, et inebriabitur sanguine eorum : victima enim Domini Dei exercituum in terra aquilonis juxta flumen Euphraten. **11.** Ascende in Galaad, et tolle resinam, virgo filia Ægypti : frustra multiplicas medicamina, sanitas non erit tibi. **12.** Audierunt gentes ignominiam tuam, et ululatus tuus replevit terram : quia fortis impegit in fortem, et ambo pariter conciderunt. **13.** Verbum quod locutus est Dominus ad Jeremiam prophetam, super eo quod venturus esset Nabuchodonosor rex Babylonis, et percussurus terram Ægypti. **14.** Annuntiate Ægypto, et auditum facite in Magdalo, et resonet in Memphis, et in Taphnis, dicite :

(1) Tertia hæc est pars Jeremiæ vaticiniorum, ut in annotat. ad prolegomena statuimus. Præmissis videlicet vaticiniis quæ ad populum Hebræum spectabant, subjiciuntur nunc, veluti peculiari fasciculo, vaticinia contra varias gentes, seorsim scripta, cum generali hac inscriptione : *Contra Gentes*, quæ vaticiniis jam sequentibus, usque ad cap. LII communis est.

Primo, præmissa inscriptione ista generali de gentibus, et speciali de Ægyptiis hoc capite attingendis, 1, 2, Jeremias agit de clade Ægyptiorum sub Nechao anno quarto Joachimi a Nabuchodonosore illata, quam *primo*, prædicit non depellendam apparatu qualicumque bellico, 3, 4 ; *secundo*, proponit sub imagine cæsi, fugati et dispersi exercitus, 5, 6 ; *tertio*, explicat apertius descri-

Sta, et præpara te : quia devorabit gladius ea, quæ per circuitum tuum sunt. 15. Quare computruit fortis tuus? non stetit, quoniam Dominus subvertit eum. 16. Multiplicavit ruentes, ceciditque vir ad proximum suum; et dicent : Surge, et revertamur ad populum nostrum, et ad terram nativitatis nostræ, a facie gladii columbæ. 17. Vocate nomen Pharaonis regis Ægypti, tumultum adduxit tempus. 18. Vivo ego (inquit rex, Dominus exercituum nomen ejus) quoniam sicut Thabor in montibus, et sicut Carmelus in mari, veniet. 19. Vasa transmigrationis fac tibi habitatrix filia Ægypti : quia Memphis in solitudinem erit, et deseretur, et inhabitabilis erit. 20. Vitula elegans atque formosa Ægyptus : stimulator ab aquilone veniet ei. 21. Mercenarii quoque ejus, qui versabantur in medio ejus, quasi vituli saginati versi sunt, et fugerunt simul, nec stare potuerunt : quia dies interfectionis eorum veniet super eos, tempus visitationis eorum. 22. Vox ejus quasi æris sonabit : quoniam cum exercitu properabunt, et cum securibus venient ei, quasi cædentes ligna. 23. Succiderunt saltum ejus, ait Dominus, qui supputari non potest : multiplicati sunt super locustas, et non est eis numerus. 24. Confusa est filia Ægypti, et tradita in manus populi aquilonis. 25. Dixit Dominus exercituum Deus Israel : Ecce ego visitabo super tumultum Alexandriæ, et super Pharaonem, et super Ægyptum, et super deos ejus, et super reges ejus, et super Pharaonem, et super eos qui confidunt in eo. 26. Et dabo eos in manus quærentium animam eorum : et in manus Nabuchodonosor regis Babylonis, et in manus servorum ejus : et post hæc habitabitur sicut diebus pristinis, ait Dominus. 27. Et tu ne timeas, serve meus Jacob, et ne paveas, Israel : quia ecce ego salvum te faciam de longinquo, et semen tuum de terra captivitatis tuæ : et revertetur Jacob, et requiescet, et prosperabitur; et non erit qui exterreat eum. 28. Et tu noli timere, serve meus Jacob, ait Dominus : quia tecum ego sum, quia ego consumam cunctas gentes, ad quas ejeci te : te vero non consumam, sed castigabo te in judicio, nec quasi innocenti parcam tibi.

Vers. 1. 1. CONTRA GENTES — varias, de quibus hic incipit prophetare usque ad cap. LI. Ita Theodoretus, Rabanus, Hugo et Lyranus. *Secundo*, et melius, contra gentes, scilicet Ægyptios et alios qui iis juncti contra Nabuchodonosorem pugnaverunt, scilicet Æthiopes, Libyes et Lydos. Ita a Castro et Maldonatus.

2. IN CHARCAMIS. — Urbs erat juxta Euphratem, quam obsedit Pharao Nechao, et volentem id impedire Josiam regem Juda, sibique occurrentem occidit, substituitque ei in regno filium Joachaz, deinde Joakim : supervenit tandem Nabuchodonosor, qui cecidit Pharaonem Nechao, IV *Regum*, cap. XXIII, 29.

PERCUSSIT, — fugavit, cecidit; nam Nechao rebendo tum insolentiam Ægyptiorum, expeditionem cum copiis auxiliaribus suscipientium, 7-9; tum magnitudinem acceptæ cladis gravissimæ, immedicabilis et ignominiosissimæ, 10-12.

SECUNDO, transit ad subactionem Ægypti a Nabuchodonosore factam post expugnatam a Chaldæis Hierosolymam, 13, quæ *primo*, denuntiatur addita simul ejus causa, 14, 15; *secundo*, præcipitatur discessu sociorum, et inconsiderantia Pharaonis, 16, 17; *tertio*, confirmatur futura juramento Dei, 18; *quarto*, describitur per hypotyposin allegoricam ferociæ Ægyptiorum domitæ, et potentiæ Chaldæorum victricis ac deprædatricis, 19-24; *quinto*, colligitur summaria conclusione, cui additur prædictio de reparanda sorte, 25, 26; et adjectio consolatoria ad Judæos, 27. 28.

diit et obiit in Ægypto, regnumque tradidit Psammi vel Psammeticho filio. Ita Herodotus, lib. II. Unde Josephus tantum ait, in prælio coactum fuisse cedere Chaldæis : multi tamen Ægyptiorum tunc cæsi sunt, ut patet vers. 10.

Vers. 3. 3. PRÆPARATE. — Est sarcasmus, seu hostilis irrisio, *q. d.* O Ægyptii! armate vos, state galeati, loricati, lanceati, sed frustra : nam cædet vos Nabuchodonosor; nihil vobis proderit omnis ille tantus belli apparatus, omnis armorum fulgor et terror.

4. JUNGITE EQUOS, — ad trahendos currus, tum annonæ, tum armorum, tum falcatos; in falcatis enim pugnabant.

5. QUID IGITUR? — quorsum tot arma, tot currus, tot milites? cum per prophetiam videam eos trepidare et fugere.

6. NON FUGIAT VELOX, — quia parum proderit Ægyptiis fuga : fugiens enim non effugiet, esto sit velox ut caprea, necem, aut certe servitutem.

7. QUIS EST ISTE, QUI QUASI FLUMEN ASCENDIT? — Comparat Ægyptios flumini tum ob copiam militum, tum ob arrogantiam, qua flumini tumenti, exundanti, terramque operienti similes esse videbantur. Simile est *Isaiæ* VIII, 7 (1).

(1) Vers. 8. « Ægyptus fluminis instar ascendit, » etc. Hc ad hunc et præcedentem versum notandum est, Nilum, a quo imago petita est, circa exitum (Bogas) mari-

Vers. 9. 9. ASCENDITE EQUOS. — Est ironia, *q. d.* Ascendite, Ægyptii gloriantes in equis et curribus, in prælium cum Pharaone contra urbem Charcamorum : ascendite, inquam, ad macellum, ut ibi jugulemini. Assumite et auxiliares Æthiopes et Libyes, qui cominus clypeo et gladio, ac Lydios qui eminus sagittis confligunt : hi omnes vobiscum quasi victimæ mactabuntur; ut gladius Chaldæorum suo ore, id est acie, eorum sanguine inebriari et oppleri videatur. Est metaphora : gladio enim tribuitur os, saturitas et ebrietas.

LYDII — in Africa, ita dicti a Lud, filio Mesraim filii Cham; vel, ut S. Hieronymus in *Ezech.* cap. XXX, Lydi in Asia, quibus Crœsus præfuit. Pharao enim toti Syriæ dominabatur, et, ut videtur, Lydiæ et Asiæ, ut potuerit hos Lydos in auxilium advocare.

Vers. 10. 10. VICTIMA ENIM DOMINI, — *q. d.* Impii Ægyptii mactabuntur, et quasi victimæ immolabuntur justitiæ divinæ. Vide dicta *Isaiæ* XXIX, 1, et cap. XXXIV, 6. Utquid enim eadem repetam, mihique nauseam et lectori tædium creem?

Vers. 11. 11. ASCENDE IN GALAAD. — Pergit in ironia, *q. d.* Accipies multas incurabiles plagas, quæ nulla resina aut medicamine curari poterunt. Galaad abundabat resina et opobalsamo, curandis vulneribus aptissimo, ut dixi cap. VIII, 22. Ita Theodoretus, Hugo, Vatablus. Ex his verbis liquet Ægyptios resinam potissimum terræ Galaad emere solitos. Idem liquet ex *Genes.* XXXVII, 25. Vide dicta cap. VIII, 22.

VIRGO FILIA ÆGYPTI, — *q. d.* O Ægypte, quæ tuis divitiis et robore insolescis et exsultas instar pulchræ filiæ et virginis! Alii virginem eam vocari putant, quod hactenus non fuerit debellata, nec subacta.

Vers. 12. 12. FORTIS IMPEGIT IN FORTEM, ET AMBO PARITER CONCIDERUNT. — Notat victoriam hanc Chaldæis ipsis, victoribus licet, fuisse tamen cruentam. Ita Theodoretus. Hanc prisci « Cadmæam victoriam » vocabant, quando victus et victor mutuis vulneribus concidunt, qualis fuit in duello duodecim militum Joab et Abner, de quibus dicitur II *Reg.* II, 16 : « Apprehensoque unusquisque capite comparis sui, defixit gladium in latus contrarii, et ceciderunt simul : vocatumque est nomen loci illius, Ager robustorum. » *Secundo* et melius, significat quod Pharaonis milites, fugientes alter alterum præ trepida fuga impellebant, et sic ambo collisi simul corruebant, seque invicem obterebant : nam solius Ægypti cladem et ululatum hic audiendum prædicit. Ita Hugo, Lyranus et Sanchez.

13. VERBUM QUOD LOCUTUS EST DOMINUS. — Hoc versu transit Jeremias a prima clade Pharaonis Nechao, quam juxta Charcamos intulit ei Nabuchodonosor, anno primo regni sui, ad alteram Ægypti cladem, qua Ægyptum ipsam invadens idem Nabuchodonosor, anno regni sui 25, vel, ut alii volunt, 27 eamdem occupavit, victo ejus rege Pharaone Ephree, qui nepos erat Pharaonis hujus Nechao, tumque primum factus est monarcha.

14. PRÆPARA TE, — scilicet ad excipiendum Chaldæorum exercitum.

DEVORABIT GLADIUS EA, QUÆ PER CIRCUITUM TUUM SUNT. — Septuaginta, *germen tuum*; Theodoretus, *hederam tuam*, id est urbes tuas vicinas, quibus circumdaris, niteris et augeris sicut salices hedera; ut, cum hanc hederam videris tibi abradi, cogites te brevi radendam. Si enim vicinos debiles, instar infirmæ hederæ, tibi quasi robustæ arbori incumbentes et innixos, a Chaldæorum rapina tutari non valuisti; agnosce te pariter debilem, et Chaldæo imparem, ac proinde te in congressu cum eo succubituram, eique pariter prædæ futuram.

Moraliter, sic, o juvenis, o adolescens! cum vermis morbi tuam hederam, id est tuas vires, florem et pulchritudinem arrodit, cogita te brevi corrodendum et moriturum : sicut sol æstuans hedera, quæ umbram faciebat Jonæ, corrosa a verme, percussit caput Jonæ; ita et tuis viribus morbo aut senio arrosis, mors te percutiet.

15. QUARE COMPUTRUIT? — Id est, tanquam putrida concidit? Chaldæus : *Cur contritus est?* Septuaginta : *Cur fugit?* Hebræus : *Cur impulsus*, vel *propulsatus est*. Hebraice enim סחף *sachaph* significat impellendo aliquid evertere, ut cum pluvia vehemens paleas, ligna et semina omnia evertit. Significat ergo hac voce Jeremias, quod Ægyptii, non sua imbecillitate, nec Chaldæorum viribus, sed Dei judicio et impulsu vincentur.

FORTIS TUUS, — Septuaginta : *Vitulus electus tuus*, puta Apis tuus, scilicet idolum vituli quem colis (1); *secundo*, Lyranus, Vatablus, Rabanus, *q. d.* Pharao rex tuus fortissimus; *tertio* et simplicissime, *q. d.* Fortes tui milites, hi computruerunt, id est quasi putridi corruerunt, Deo illis vires, animos, consilium et mentem eripiente.

mos, quod alias in fluviis est insolitum, fluctus ciere, quod arenis coercetur, per quas cataractæ pene in modum in mare influit. (J. D. Michaelis.)

(1) Eo minus spernenda est ista interpretatio, quod compertissimum omnino est, Ægyptios taurum coluisse, multa religione selectum, quem Apis nuncupabant, et quem, ut præcipuum inter Deos habebant. Ingeniose sane, inquit J. D. Michaelis, et rebus Ægyptiis apte non pœnitendæ sententiæ auctores septuaginta in ipsa Ægypto viventes, quibus nomina Deorum Ægyptiorum ignota esse non poterant hebræum sic verterunt. Apis bos erat pro Deo cultus, אביר *abir*, ergo bovem verterunt, eaque acceperunt significatione, quam in אבירי בשן *abire baschan*, *Psal.* XXII, 13, habet. Nec insolita phrasis antiquis, Deos vinci aut fugere dicens, cum populi fugiunt, qui sub eorum præsidio sunt. Magnifice sane Apis diceretur stare non posse contra Jovam, sed fugere. (J. D. Michaelis, in *Biblioth. Orient. vet. Test.* tom. XVII, pag. 783.)

Vers. 16. 16. MULTIPLICAVIT RUENTES (scilicet Dominus), CECIDITQUE VIR AD PROXIMUM SUUM (*q. d.* Cadent Ægyptii in prælio cæsi a Chaldæis catervatim, ita ut unus alium in eamdem ruinam secum impellat): ET DICENT, — tum Ægyptii qui ex remotis Ægypti locis ad castra venerunt, tum eorum auxiliares Æthiopes, Libyes et Lydii, de quibus vers. 9.

A FACIE GLADII COLUMBÆ, — id est Babyloniorum. Vide dicta cap. XXV, 38. Septuaginta vertunt : *A facie gladii Græci* : videntur ipsi pro יונה *iona*, id est columba, legisse יוני *ievani*, id est Græcus : unde Theodoretus putat hic prædici Alexandri imperium : hic etiam subegit Ægyptum. Verum hic non agitur de Græcis, sed de Chaldæis.

Vers. 17. 17. VOCATE NOMEN PHARAONIS REGIS ÆGYPTI, TUMULTUM ADDUXIT TEMPUS, — *q. d.* Tempus quod omnia mutat, adduxit tumultum, id est mutationem et cladem magnam in regno tuo, unde recte voceris hoc nomine : « Tumultum adduxit tempus : » hebraice מועד *moed*, id est, Tempus a Deo definitum et constitutum. Sic Isaias, cap. VIII, 3, de Christo ait : « Voca nomen ejus, Accelera spolia detrahere. Unde Septuaginta retinent hic voces Hebræas, quasi sint nomen proprium Pharaonis, scilicet, σαὼν ἐσβεια μωήδ.

Pharao vocatur tumultus, id est perturbator regni.

Secundo, Theodoretus sic explicat, *q. d.* Vocate nomen Pharaonis, Perturbans et transferens tempora, id est Perturbator temporum et quietis regnorum et gentium. *Tertio*, ex Hebræo aptissime sic explicant a Castro et Sanchez : nomen Pharaonis Vaphris vel Ephree, vocabitis Tumultum, id est Perturbatorem : quia superbe provocando Babylonium ad bellum, « adduxit tempus » conflictus, id est tumultus, perturbationis, cladis, suique extremi excidii. Hebraice enim est : *Tumultus transire fecit*, vel adduxit « tempus,» scilicet excidii; et sic accipi potest Noster : « Vocate nomen ejus, Tumultum (quem scilicet) adduxit tempus » belli, quo ipse provocavit Chaldæum; hoc enim tempus pariter est tempus ejus cladi præstitutum a Deo. Sunt enim hæc verba Ægyptiorum in hoc bello cæsorum et fugientium, ut patet ex vers. præced. Vult dicere Propheta : Veniet tempus, quod horrendum tumultum, perturbationem et perniciem afferet Pharaoni; unde Syrus vertit : *Et vocate ibi nomen Pharaonis regis Ægypti, Tumultuantem* (Perturbatorem) *et transire facientem tempora;* Arabicus Antiochenus : *Et audierunt ibi nomen Pharaonis, Horam, et transire facientem tempora;* Arabicus Alexandrinus : *Et vocate ibi nomen Pharaonis Claudi, regis Ægypti, calamitates inferentem, et tempora percurrere facientem.*

Nota : Hebræa jam aliis punctis notantur : pro קִרְאוּ *kiru* enim legunt קָרְאוּ *kareu*, id est vocarunt, clamaverunt; et pro שָׁם *scem*, id est nomen, legunt שָׂם *scam*, id est ibi : unde ea sic vertit et explicat Maldonatus : *Clamaverunt ibi, Pharao rex Ægypti transire faciet tempus*, id est efficiet ut prophetia Jeremiæ sit falsa, et Chaldæi non veniant eo tempore quo eos venturos prædixit Jeremias; unde hoc arguens subdit : « Vivo ego, » etc.

Secundo, Chaldæus, R. David et R. Salomon sic vertunt et explicant : *Publice dicturi sunt illic, Pharao rex Ægypti, et tumultus*, id est turbæ multæ, puta militum multorum, *transgressus est tempus condictum, q. d.* Chaldæi publice dicturi sunt ridendo Pharaonem : Permisit Pharao labi tempus quod constituerat Chaldæis ad confligendum cum eis. Aut, *q. d.* Subsannabunt Pharaonem, ut timidum, quod, cum Chaldæus offerret prælium, tempusque pugnæ indiceret, ipse tantum tumultum excitaret in castris, quasi parans arma et aciem, sed eam non producens in campum, nec audens congredi cum Chaldæo. Sic timidi milites lingua terribiles sunt, non manu : bullata enim in hostem jaciunt verba, non belli spicula. Hic sensus appositus est, licet potius tumultus hic intelligatur cæsorum, quam parantium aciem.

Tertio, Vatablus sic vertit et explicat : *Clamaverunt illic : Pharao rex Ægypti, designator temporum* (id est Deus) *circummisit vastitatem per regnum tuum.* Verum hæc longe abeunt a versione tam nostra quam Septuaginta.

Vers. 18. 18. SICUT CARMELUS. — *Primo*, Rabanus sic explicat : Sicut fertilissimi montes Carmelus et Thabor, si in mare projicerentur, amitterent suam fertilitatem; sic Ægyptus desinet esse fertilis.

Secundo, Hugo illud, *in mari*, conjungit cum *veniet, q. d.* Sicut verum est duos illos montes esse, ita vere Ægyptus veniet in mari, id est mergetur in mari eversionis et vastitatis.

Tertio et simplicissime : Sicut certum est Thabor eminere inter montes terræ, et Carmelum inter montes qui mari adjacent, sive Thabor eminere inter montes, Carmelum inter promontoria, quæ in mare procurrunt : ita certo veniet Ægypto insignis, et præ aliis gentibus vastatis eminens clades. Ita Chaldæus, Theodoretus, Vatablus et alii (1).

(1) Quæ interpretatio, ait Rosenmuller, durior et longior petita videtur. Nullam statuens ellipsin C. B. Starkius in *Nott. select. ad loca difficil. Prophet.*, pag. 131, locum sic interpretatur : *Quod si* fuerit *sicut Thabor inter montes*, tamen *sicut Carmel in mare veniet*, id est, quam excelsum fuerit regnum, quanta potentia et gloria Pharaonis, tam profunda erit humiliatio ejus, ut quasi in profundum maris descendisse videatur. « Per montes, inquit, Thabor et Carmelus insinuatur non tantum regni Ægyptii excellentia et potentia, sed et per Carmelum simul periculositas, proximusque interitus. Carmelus enim licet montosus, insimulque fertilissimus sit tractus, tamen mari est finitimus, a quo est periculum, ne quando ab ejus sævitia et crebris inundationibus obruatur. Quod quæsitum est justo artificiosius, juxta Rosenmuller, qui et addit : Sed vix probabilem sensum e posteriore versus hemistichio elicias, si sep-

Huc accedit expositio Maldonati, quæ talis est : Rex Babylonis, qui terra et mari potentissimus est, veniet sicut Thabor in continenti inter montes; et Carmelus in mari inter promontoria eminet : sic enim terra marique potens eminet et imminet aliis gentibus quasi vallibus Nabuchodonosor.

Nota : Carmelus dicitur esse in mari, non proprie, sed quia mari imminet.

Aliter explicat R. David, *q. d.* Sicut Thabor inter montes aptus est ad venandum, *Osee*, cap. v, 1 : « Rete expansum est super Thabor, » ita rex Babylonis veniet ad venandos homines in Ægyptum; et sicut ligna Carmeli per mare transferuntur, ita Chaldæi transferent Ægyptios in captivitatem.

Vers. 19. 19. VASA TRANSMIGRATIONIS, — *q. d.* Fac tibi vasa, id est instrumenta et sarcinas leves, baculum, penulam contra imbres, saccum, peram et cucurbitulam, qua bibas instar peregrinantis : transmigrabis enim vel fugitiva ad vicinas gentes, vel captiva Babylonem. Ita Theodoretus.

Vers. 20. 20. VITULA, — *q. d.* Ægyptus est quasi vitula indomita, jugi expers, petulans, deliciosa, ideoque imbellis; veniet ergo Chaldæus, qui quasi stimulator eam impellat, non ad sua læta prata, sed ad fugam et captivitatem, ut transmigret in Babylonem. Simile est *Osee* x, 11, et *Isaiæ* xv, 5. Alludit ad vitulum Apin, quem colebant Ægyptii, et cum quo vitulabantur; atque ad boves, quibus ob pascua fertilesque agros abundat Ægyptus. Unde Pharao vidit boves pingues e Nilo ascendentes, quæ portendebant fertilitatem Ægypti, *Genes.* XLI, 2. Aliter Sanchez : Stimulator, ait, est œstrum, quo acti boves quasi furentes huc illucque discurrunt. Ita Chaldæi instar œstri exagitarunt Judæos, ut quasi amentes discurrerent.

Vers. 21. 21. MERCENARII, — scilicet milites mercede conducti ex vicinis provinciis, qui olim apud suos robusti et validi, jam cum diu otio et suis commodis vacassent in Ægypto, ejusque aere et deliciis molles et pingues effecti essent quasi vituli saginati; hi hoste adventante terga dederunt. Sic Asia Lucullum et Romanos, Capua Annibalem, India Europæos molles effecit et effeminavit. Aliter Lyranus. Ipse enim per *mercenarios* accipit mercatores, aliunde in Ægyptum mercium et lucri causa confluentes, qui veniente Chaldæo omnes diffugerunt (1).

Vers. 22. 22. VOX EJUS QUASI ÆRIS. — Septuaginta et Chaldæus : *Vox ejus quasi serpentis.* Hebræum enim נחש *nachas* serpentem significat, et etiam æs, si addas litteram *tau*, notam feminini generis, ut ex *nachas* facias נחשת *nechoset*. Quæres cujus sit hæc vox? Respondent Hugo, Lyranus, Dionysius, esse Babyloniæ, *q. d.* Vox exercitus Chaldæorum, et fragor armorum, quasi tinnientis æris sonus, aut quasi sibilus serpentum, dire et horride eminus resonabit. *Secundo*, melius Theodoretus, Rabanus, Vatablus, Maldonatus, Sanchez et alii censent hanc esse vocem Ægypti : de ea enim ejusque onere et clade hic continuus est sermo, *q. d.* Ægyptus et Ægyptii in tanta suorum strage tristem, raucum et funebrem edent ejulatum, qualem edunt siticines ferali tuba ænea, cum suorum cadavera efferunt ad sepulturam : aut qualem edunt serpentes, dum lethaliter sauciantur, vel in extremo discrimine versantur; tunc enim horrificum edunt sibilum. Similem edent Ægyptii in publico quasi totius Ægypti funere. Causam subdit : « Quoniam cum exercitu properabunt (Chaldæi) et cum securibus venient ei» (Ægypto), *q. d.* Sicut lignatores securibus cædunt ligna in saltu, ita Chaldæi cædent Ægyptios in Ægypto.

23. SUCCIDERUNT SALTUM EJUS, — id est succident Chaldæi sylvam Ægypti. Ægyptum comparat sylvæ, habitatores arboribus, Chaldæos cæsoribus et lignatoribus, inquit Maldonatus.

QUI SUPPUTARI NON POTEST, — quasi dicat : Uti sylva arboribus, ita Ægyptus abundabat hominibus, ut eorum multitudo quasi innumerabilis supputari vix posset; sed tanta erit lignatorum, id est Chaldæorum, copia, vis et furor, ut universam brevi tempore succidat. Erunt enim Chaldæi pariter innumeri, quasi locustæ, quæ quasi momento integram regionem depascuntur. Sicut ergo homines si sint plurimi, succident maximam sylvam, etiamsi quisque tantum unam vel alteram arborem succidat : ita et Chaldæi succident totam Ægyptum, quia numero quasi innumero erunt pares, imo superiores Ægyptiis.

Vers. 25. 25. ECCE EGO VISITABO (id est puniam et visitabo) SUPER TUMULTUM, — id est populum tumultuosum, vel multitudinem magnam, in qua solent esse murmur et tumultus; hæc enim hebraice vocatur אמון *amon*, vel המון *hamon*, nam litteræ א et ה sæpe commutantur. Erat enim Alexandria potentia, opibus et numero civium non minor quam Ninive, ut patet *Nahum* III, 8.

tentiam eo absolutam esse sumas. Recte viderunt Gaabius et Dahlerus, posterius hujus versus hemistichium cum priore hemistichio versus proximi, ita cohærere ut illud πρότασιν, hoc ἀπόδοσιν faciat. Et Dalherus quidem locum sic vertit : *Si tu te distinguais comme le Thabor entre les montagnes, comme le Carmel qui s'avance dans la mer; tu te préparerais pour le départ dans la captivité, fille habitante de l'Egypte.* Nos quidem in hunc modum interpretamur : *etsi* quamvis (ita כ *chi*, supra cap. IV, 10; *Deut.* XXIX, 8; *Jos.* XVII, 18, et sæpius) sis, sive te tam firmum et bene stabilitum putes, *ut Thabor est inter montes* mediterraneos, *et sicut Carmelus*, qui *in mare procurrit*, fluctibusque immotus resistit; tamen *vasa migrationis tibi para*, devicta et captiva solum vertere cogeris. Comparatio Ægypti cum *Thabore* et *Carmelo* montibus Palæstinæ nobilissimis potentiæ firmitatem spectat, qua gloriabatur Ægyptus.

(1) Mercenariis militibus illo tempore Ægyptus multum usa est. Sic Apries triginta millia Ionum et Cariorum habuit stipendiaria, teste Herodoto, lib. II, § 163. Vide eumdem, lib. II, § 152, 154. (Rosenmuller.)

Amon hebraice quid?

Alii accipiunt *Amon* ut nomen proprium, putantque ita vocari Alexandriam a Jovis Ammonii templo, quod Liber pater sub Josue, ut docet Eusebius in *Chronico*, ædificavit in arena deserti, quæ ab Ægyptiis vocatur Ammos, et regio Ammonia. Ita Theodoretus. Verum pro *Alexandria* hebraice est נוא *no;* sic enim ipsa a *Nahum*, cap. III, 8, et *Ezech.* cap. XXX, 15, vocatur נוא *no;* sic enim vocabatur tempore Jeremiæ, quæ postea ab Alexandro dicta est Alexandria. Hebræum vero *amon*, quod præponitur *no*, id est Alexandriæ, Noster hic et alibi, æque ac alii, vertit multitudinem vel tumultum; ubi enim est turba, ibi est et strepitus ac tumultus. *Amon no* ergo idem est quod turba Alexandriæ, sive, ut ait Nahum : « Alexandria populorum. » Sic *Amona* vocatur civitas « in valle multitudinis Gog, » in qua scilicet sepelientur innumeri milites Antichristi, *Ezech.* cap. XXXIX, 16. Sicut ergo *Augusta* vocatur civitas a magnificentia, ita *Amon*, id est multa, vocatur ab incolarum copia. Rursum, sicut *Augusta* pluribus commune est nomen, quod proinde determinamus et contrahimus, dicendo Augusta Germaniæ, Augusta Hispaniæ, Augusta Galliæ, etc., ita *Amon* commune est nomen populosarum urbium, quod proinde determinat Propheta, dicendo *Amon no*, *q. d.* Multitudo Alexandriæ. Ita fere Sanchez. Pari modo dicta est Rabbath filiorum Ammon ob magnitudinem et multitudinem civium. Rabbath enim hebraice idem est quod Amon, id est multa, copiosa : unde et Rabbath dicta est Ammon, quæ postea a Ptolemæo Philadelpho subjugata, dicta est Philadelphia.

Alii denique putant Ammon esse nomen proprium regis Alexandriæ, qui regi totius Ægypti vectigalis fuerit. Ita Chaldæus, R. David et R Salomon, et favent Septuaginta qui vertunt : *Ecce ego ulciscor Amon filium ejus*, sed ipsi perperam pro מנוא *minno*, id est Alexandriæ, legerunt בנו *beno*, id est filium ejus. Prior ergo sententia est verior.

26. ET IN MANUS NABUCHODONOSOR. — *Et* significat *id est* : explicat enim qui sint qui quærunt animam ejus.

HABITABITUR, — scilicet Ægyptus, nam post 40 annos vastitatis suæ Babylonicæ, reversi sunt Ægyptii in terram suam, sed ita ut esset regnum humile, ut ait Ezechiel cap. XXIX, 13, et pro domestico rege Ephree sive Vaphres, Amasin exterum a Chaldæis constitutum habuerint. Porro Amasis hic, victus a Cambyse filio Cyri, et deinceps Ægyptus a regibus non Ægyptiis, sed Persis, per 150 annos gubernata fuit, ut habet Eusebius in *Chronico*.

27. NE TIMEAS. — Si enim Ægyptios reducam, multo magis e captivitate liberabo te, o Jacob, qui es servus meus. Vers. 27.

DE LONGINQUO, — *q. d.* Reducam te, o Israel, non ex Ægypto, ut Vatablus, sed e captivitate Babylonica (Babylon enim longe abest a Judæa) post 70 annos. Ita Theodoretus et Lyranus.

28. CASTIGABO TE IN JUDICIO, — id est moderate, humaniter, clementer : opponitur enim *judicium* furori et iræ. Vide dicta, cap. XXX, 11. Vers. 28.

NEC QUASI INNOCENTI PARCAM TIBI, — *q. d.* Non prorsus impunem relinquam te, tanquam innocentem; sed castigabo, ut patet, non ut hostis.

CAPUT QUADRAGESIMUM SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Palæstinos omnes cum Tyriis et Sidoniis per Nabuchodonosorem vastandos prædicit : unde exclamat vers. 6 : **O mucro Domini usquequo non quiesces (1)?**

1. Quod factum est verbum Domini ad Jeremiam prophetam contra Palæstinos, antequam percuteret Pharao Gazam : 2. Hæc dicit Dominus : Ecce aquæ ascendunt ab aquilone, et

(1) In hac prophetia contra Philistæos, PRIMO, argumentum exhibet, *primo*, apparatum expeditionis bellicæ, 2, 3; *secundo*, stragem Philistæis, Tyro et Sidoni, Palæstinis, Gazæ et Ascaloni hinc obventuram, 4, 5.

SECUNDO, sequitur expositio causæ pro hoc eventu, *primo*, per interrogationem sive Philistæorum, sive Prophetæ nomine eorum loquentis, 6; *secundo*, per responsum sive a Deo, sive ab ipso Propheta sibi datæ, 7.

Edita dicitur hæc prophetia vers. 1, « antequam percuteret Pharao Gazam. » Porro nec quis sit iste Pharao qui Gazam cepit, nec quonam tempore id sit factum, satis liquet. Pharaonem alii Nechaonem (XVI, 2), alii Ephree (XLIV, 30), intelligunt. Attamen, juxta sententiam verisimiliorem iste Pharao est Nechao, qui Gazam in prima contra Assyrios expeditione, de qua IV *Reg.* XXIII, 29, superstite adhuc et florente Josia, expugnavit. Illi igitur tempori, inquit Rosenmuller, cum bellum Ægyptios inter et Chaldæos nondum exarsisset, nec dum quisquam suspicari posset, Philistæos a borealibus illis hostibus excisum iri, is qui inscriptionem huic Prophetæ præfecit, eam videtur assignasse. Revera autem prolata illa fuerit quo tempore Asiæ interiori atque maritimæ jam periculum immineret a Chaldæis Euphrati admoventibus, vel postquam eum jam fluvium transiissent. Sunt alii, inquit d'Allioli, qui ut non authenticam habent particulam *antequam*, quæ nec in versione Græca nec in Arabica reperitur, et qui existimant Jeremiam hanc prophetiam edidisse post Hierosolymam expugnatam, eo tempore quo Nabuchodonosor ad Tyrum castra posuerat, et ejus exercitus reges Palæstinæ vicinos debellavit.

erunt quasi torrens inundans, et operient terram et plenitudinem ejus, urbem et habitatores ejus : clamabunt homines, et ululabunt omnes habitatores terræ, 3. a strepitu pompæ armorum, et bellatorum ejus, a commotione quadrigarum ejus, et multitudine rotarum illius. Non respexerunt patres filios manibus dissolutis. 4. Pro adventu diei, in quo vastabuntur omnes Philistiim, et dissipabitur Tyrus, et Sidon cum omnibus reliquis auxiliis suis : depopulatus est enim Dominus Palæstinos, reliquias insulæ Cappadociæ. 5. Venit calvitium super Gazam : conticuit Ascalon, et reliquiæ vallis earum : usquequo concideris ? 6. O mucro Domini, usquequo non quiesces ? Ingredere in vaginam tuam, refrigerare, et sile. 7. Quomodo quiescet, cum Dominus præceperit ei adversus Ascalonem, et adversus maritimas ejus regiones, ibique condixerit illi?

1. ANTEQUAM PERCUTERET PHARAO GAZAM. — Meminit percussionis Gazæ in hac prophetia Jeremias, ne Gazenses et reliqui Philistini putarent se hac plaga expiasse sua scelera, et immunes fore a gladio Chaldæorum, *q. d.* O Gaza, o Palæstina, ab austro, puta ab Ægyptiis, accipies cladem : sed longe gravior te manet a sævo aquilone, hoc est a Chaldæis. Nota : Videtur Gaza percussa a Pharaone, sub initium anni noni Sedeciæ, quando Pharao, volens opem ferre Judæis obsessis a Nabuchodonosore, fugatus est. Unde Pharao, rediens in Ægyptum, in itinere Gazam, forte eo quod Chaldæis faveret, vel cum illis contra Judæos antiquos hostes conspirasset, percussit ; et inde sumpta est hujus prophetiæ contra Gazenses et Philistinos occasio. Videtur ergo Jeremias hæc contra eos prophetasse anno 9 Sedeciæ. Ita Hebræi, Lyranus, Dionysius, Castrius et Maldonatus. Licet Sanchez censeat Gazam captam a Pharaone anno 4 Joakim, cum Pharao a Chaldæis cæsus in Charcamis, rediens in Ægyptum furorem suum in Gazenses evomuit.

Gaza urbs, quæ et qualis ?

Nota : Gaza, quæ et Gazer et Gazara, hebraice עזה *atsa*, id est fortis, Syris *atsan* dicitur, conversa ad christianismum dicta est Constantia, de nomine sororis Constantini Magni, inquit Eusebius, lib. IV *De Vita Constant.* cap. XXXVIII. Erat una ea ex quinque satrapiis Philistinorum. Gazæ portas Samson abstulit, et suis humeris in montem detulit : ibidem postea captus, excæcatus, concussis columnis domus se cum Philistæis obruit et occidit. Gazam Nabuchodonosor vastavit, ut hic prædicit Jeremias : deinde eam Alexander Magnus post bimestrem obsidionem occupans, in sempiternum vertit tumulum : unde ob id deserta dicitur. Nam nova Gaza, quæ nunc cernitur, alio loco pro illa quæ corruit, ædificata est. Hanc deinde vastavit Alexander Assamonæus, rex Judæorum : postea tamen refloruit, et etiamnum magna est Gazæ auctoritas, et Syriæ urbs prima, vel secunda est. Ita ex S. Hieronymo, Josepho et aliis Adrichomius. Denique Gazæ fuit celebre fanum Marnæ, quod agente S. Porphyrio Theodosius Imperator dirui jussit. In ea passus est martyrium S. Sylvanus cum aliis 39. Ex Gaza quoque prognatus est Procopius Gazæus.

2. ECCE AQUÆ ASCENDUNT. — Comparat numerosum et impetuosum exercitum Chaldæorum aquis et torrenti exundanti, qui evertit urbes cum incolis. Ita Theodoretus. Vers. 2.

OPERIENT TERRAM (Ægypti), ET PLENITUDINEM EJUS, — hoc est omnia quæ in ea sunt ; hæc enim eam quasi implent, qualia sunt urbes, campi, pagi, arces, etc.

3. A STREPITU POMPÆ ARMORUM. — Hebraice, *a voce strepitus ungularum fortium ejus ; fortium*, scilicet equorum ungula potentium. Pro *armorum* hebraice est פרסות אבירין *parsot abbiraf*, quod noster Interpres, *Isai.* V, 28, « ungulæ equorum ejus ; » ungulæ enim sunt equorum, et consequenter equitum arma, ad currendum in hostem et bellandum : equi enim in ungulis miram vim habent, iisque in cursu magnum strepitum excitant, *Isaiæ* cap. V, 28, *Ezech.* cap. XXVI, 10. Vers. 3.

NON RESPEXERUNT PATRES FILIOS MANIBUS DISSOLUTIS. — Id est præ formidine, indeque orta manuum dissolutione et quasi paralysi, patres obliti sunt naturæ, et filios neglexerunt, nec respexerunt retrorsum, ut viderent quid filiis fieret. Ita Theodoretus et Chaldæus.

4. PRO ADVENTU DIEI, — propter diem excidii qui veniet, quo tota Palæstina vastabitur : hinc tanta erit formido, ut patres non curent filios. Vers. 4.

DISSIPABITUR TYRUS ET SIDON CUM OMNIBUS RELIQUIS AUXILIIS SUIS. — Vatablus ex Hebræo aliter vertit : *Ad delendum Tyro et Sidoni omnem superstitem auxiliatorem*, id est, ut delerentur Palæstini, qui solebant auxiliari Tyro et Sidoni. Verum nostro Interpreti consentiunt Septuaginta et Chaldæa, quanquam utraque versio eodem redit.

RELIQUIAS INSULÆ CAPPADOCIÆ. — Nota : Cappadociam hic vocari *insulam*, licet in continenti sit, quia maritima est, et longo littore in Pontum Euxinum expanditur : ita Septuaginta, Chaldæus et Noster Hebræum כפתור *Caphtor* vertunt, Cappadociam. Nota Palæstinos vocari reliquias Cappadocum : quia Cappadoces occuparunt Palæstinam, expulsis Hevæis, ut patet *Deuter.* II, 23. Ita Theodoretus, Rabanus, Hugo. Palæstini ergo fuerunt colonia Cappadocum. Adde, Philisthiim et Caphtorim, id est Cappadoces, fuerunt fratres, ut patet *Genes.* cap. X, 14.

Caphtor est Cappadocia, quæ?

Cyprum esse censet a Castro.

Alii, ut Theodoretus et a Castro, Hebræum *Caphtor* vertunt, non Cappadociam (illa enim, inquiunt, longe distat a Palæstina), sed Cyprum : eædem enim in utraque voce sunt litteræ, si demas *t*, in Caphtor : et Cyprum olim vocatam fuisse Cappadociam putat a Castro ; sed vellem videre ubi et a quibus.

Novam Tyrum esse censet Torniellus.

Denique Torniellus anno mundi 1931, num. 32, suspicatur insulam Cappadociæ hic vocari eam, quæ postea dicta est nova Tyrus (aut locum ei vicinum), sitaque est juxta Tyrum veterem : hæc enim proprie est insula, estque vicina Philistinis. Huic sententiæ favet *primo*, quod Hebræum *Caphtor*, id est Cappadocia, idem videatur esse quod *caph*, id est manus, *tor*, id est Tyri, quasi dicas, manus, id est latus vel vicina, Tyri. *Secundo*, quod Adrichomius ex Bredenbachio et aliis, in descriptione tribus Azer, num. 91, tradat juxta Libanum et Adonim fluvium, non longe a Tyro, esse locum templo S. Georgii insignem, qui ab incolis vocetur Cappadocia.

Vers. 5. Calvitium, quid?

5. VENIET (veniet certo et brevi) CALVITIUM, — id est expilatio et bonorum omnium direptio, ut ne pilum quidem reliquisse videantur super Gazam. Ita Rabanus, Lyranus, Vatablus. *Secundo*, « calvitium, » id est calamitas ingens et luctus. Solebant enim in luctu sese decalvare, ut patet *Isaiæ* cap. XV, 2, *Ezech.* VII, 18, *Amos* VIII, 10. Ita Maldonatus.

CONTICUIT ASCALON. — Id est, omnino excisa et eversa est, id est exscindetur et evertetur Ascalon. Est metalepsis : urbe enim excisa, rerum omnium est solitudo et silentium. Simile vidimus cap. XXV, 37 et alibi. *Secundo*, « conticuit, » quia subito et inopinato hostium adventu obstupuit. *Tertio*, quia hostis insolens spiritum ei præclusit et linguam. Ita Sanchez.

Ascalon urbs quæ et qualis?

Ascalon erat urbs fortis, una ex quinque satrapiis Philistinorum. Hic Samson occidit triginta Philistæos, eorumque vestes abstulit, ut eas daret triginta viris qui suum problema solverant, *Judic.* XIV. Ferunt in hac urbe natum Herodem, qui tempore Christi infantes in Bethlehem occidit, indeque dictus est Ascalonita. Hodie antiquum robur retinens, Saracenorum fortissimum est propugnaculum. Ita Adrichomius.

ET RELIQUIÆ VALLIS EARUM, — et reliqua earum oppida et pagi suburbani, qui in valle erant, cum Gaza et Ascalon sitæ essent in loco altiori.

USQUEQUO CONCIDERIS ? — usquequo Ascalon et Gaza unguibus, vel etiam cultris more Gentilium te laniabis præ dolore et luctu ? Ita Hugo, Lyranus et Vatablus. Septuaginta vertant : *Usquequo incides, gladius* (o gladie) *Domini?* gladius Domini est Nabuchodonosor, aiunt Theodoretus et Rabanus.

6. O MUCRO DOMINI ! — Ex ingenti commiseratione tantæ stragis Philistinorum, quam prævidebat, Jeremias exclamat, obsecratque ut quiescat : satis enim magnam cædem factam esse. Ita Maldonatus.

REFRIGERARE — ab ardore cædendi, qui manat a furore cædentis, *q. d.* O refrigera et tempera furorem tuum et ardorem cædendi Ascalonitas.

Vers. 7.

7. QUOMODO QUIESCET ? — Respondet sibi ipsi Propheta, non posse gladium quiescere, quia Deus jussit eum grassari in Ascalonem.

IBIQUE CONDIXERIT ILLI, — præceperit, ut ibi grassetur. Alii vertunt : Constituit ei tempus quo grassari debeat ; itaque cessare nequit, antequam hac legatione sua tempore sibi præstituto perfungatur.

Porro impleta est hæc prophetia contra Palæstinos anno quinto post excidium Jerusalem, qui fuit annus Nabuchodonosoris 23. Tunc enim ipse vastavit Cœlesyriam (ad quam pertinent Philistini). Ita Josephus, lib. X *Antiq.* cap. XLI.

CAPUT QUADRAGESIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prophetat excidium Moab non per Sennacherib, ut vult Lyranus et favet S. Hieronymus, hic enim diu præcessit Jeremiam ; sed per Nabuchodonosorem, ita Theodoretus, Rabanus, Hugo et Vatablus. Unde vers. 11, *Moabitas ait instar vini ex uno dolio in aliud, id est, ex Moab in Chaldæam, transferendos esse. Tertio, vers.* 26, *comparat eos ebriis et vomentibus præ dolore, idque quia ipsi Judæis cognatis suis non tulerunt opem, cum a Chaldæis impeterentur, imo eos superbe irriserunt, Quarto, vers.* 27, *describit planctum Moabitarum. Videtur hæc prophetasse Jeremias initio regni Sedeciæ, ut colligitur, cap.* XLVIII, *vers.* 34, *cum venientibus regum legatis ad Sedeciam, per eos ad reges et ad gentes eis subditas, has prophetias suas ipse transmisit, cap.* XXVII, *vers.* 1. *Unde hoc caput et sequens subnectendum est capiti* XXVII (1).

1. Ad Moab hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel : Væ super Nabo, quoniam vastata est, et confusa : capta est Cariathaim : confusa est fortis, et tremuit. 2. Non est ultra exsulta-

(1) Prophetia in hoc capite complexa, ad expeditionem Nabuchodonosoris contra Moabitas, tempore quo Tyrum obsidebat tertio circiter anno post expugnatam Hierosolymam pertinet (Cornelius, comment. infra in

tio in Moab contra Hesebon : cogitaverunt malum. Venite et disperdamus eam de gente ; ergo silens conticesces, sequeturque te gladius. 3. Vox clamoris de Oronaim : vastitas, et contritio magna. 4. Contrita est Moab : annuntiate clamorem parvulis ejus. 5. Per ascensum enim Luith plorans ascendet in fletu : quoniam in descensu Oronaim hostes ululatum contritionis audierunt : 6. Fugite, salvate animas vestras ; et eritis quasi myricæ in deserto. 7. Pro eo enim quod habuisti fiduciam in munitionibus tuis, et in thesauris tuis, tu quoque capieris : et ibit Chamos in transmigrationem, sacerdotes ejus, et principes ejus simul. 8. Et veniet prædo ad omnem urbem, et urbs nulla salvabitur : et peribunt valles, et dissipabuntur campestria, quoniam dixit Dominus : 9. Date florem Moab, quia floreus egredietur ; et civitates ejus desertæ erunt, et inhabitabiles. 10. Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter : et maledictus, qui prohibet gladium suum a sanguine. 11. Fertilis fuit Moab ab adolescentia sua, et requievit in fæcibus suis : nec transfusus est de vase in vas, et in transmigrationem non abiit : idcirco permansit gustus ejus in eo, et odor ejus non est immutatus. 12. Propterea ecce dies veniunt, dicit Dominus : et mittam ei ordinatores, et stratores laguncularum, et sternent eum, et vasa ejus exhaurient, et lagunculas eorum collident. 13. Et confundetur Moab a Chamos, sicut confusa est domus Israel a Bethel, in qua habebat fiduciam. 14. Quomodo dicitis : Fortes sumus, et viri robusti ad præliandum? 15. Vastata est Moab, et civitates illius succiderunt : et electi juvenes ejus descenderunt in occisionem : ait rex, Dominus exercituum nomen ejus. 16. Prope est interitus Moab ut veniat : et malum ejus velociter accurret nimis. 17. Consolamini eum omnes, qui estis in circuitu ejus ; et universi, qui scitis nomen ejus, dicite : Quomodo confracta est virga fortis, baculus gloriosus? 18. Descende de gloria, et sede in siti, habitatio filiæ Dibon : quoniam vastator Moab ascendit ad te, dissipavit munitiones tuas. 19. In via sta, et prospice, habitatio Aroer : interroga fugientem : et ei qui evasit, dic : Quid accidit? 20. Confusus est Moab, quoniam victus est : ululate, et clamate, annuntiate in Arnon, quoniam vastata est Moab. 21. Et judicium venit ad terram campestrem : super Helon, et super Jasa, et super Mephaath, 22. et super Dibon, et super Nabo, et super domum Deblathaim, 23. et super Cariathaim, et super Bethgamul, et super Bethmaon, 24. et super Carioth, et super Bosra ; et super omnes civitates terræ Moab, quæ longe, et quæ prope sunt. 25. Abscissum est cornu Moab, et brachium ejus contritum est, ait Dominus. 26. Inebriate eum, quoniam contra Dominum erectus est : et allidet manum Moab in vomitu suo, et erit in derisum etiam ipse. 27. Fuit enim in derisum tibi Israel, quasi inter fures reperisses eum : propter verba ergo tua quæ adversum illum locutus es, captivus duceris. 28. Relinquite civitates, et habitate in petra, habitatores Moab : et estote quasi columba nidificans

vers. 47, ad quintum annum post Jerusalem excidium refert). Posterior hujus prophetiæ pars inde a vers. 29 cum eo quod in Isaiæ vaticiniis legitur, cap. XV, XVI, contra Moabitas oraculo, in pluribus et verbis et sententiis ita convenit, ut Jeremiam Isaianum illud oraculum imitatum esse satis probabile sit. Notandum tamen cum d'Allioli Isaiæ prophetiam præsertim ad mala quæ Moabitæ ab Assyriis perpessi sunt, respicere, dum Jeremiæ vaticinium ad Chaldæorum expeditionem magis refertur. Post expugnatam Hierosolymam edita videtur. Sic distribui possunt hujus prophetiæ partes :

PRIMO, in propositione summaria, *primo*, prædicitur regni excidium, experimento in quinque urbibus præcipuis dato, 1-5 ; *secundo*, suadetur incolarum fuga, 6 ; *tertio*, recensentur malorum causæ, scilicet, Moabitarum præfidentia in opibus et idolis, vers. 7 ; Dei decretum denuntiatum, 8, 9 ; hostium ferocia divinitus excitata, vers. 10.

SECUNDO, partem priorem exponit Propheta, *primo*, recensendo causas ex parte Moabitarum, quæ sunt : ferocia ex prosperitate hactenus continuata, 11, 12 ; fiducia in præsidio idoli Chamos, 13 ; præsumptio de fortitudine bellica, 14 ; contra quas, *secundo*, pœnæ a Deo decretæ erunt, devastatio regni, occupatio urbium, interitus civium, 15, 16 ; destructio omnis gloriæ, securitatis et tranquillitatis gentis, commiseratione digna, 17-20 ; desolatio pervadens agros et oppida, regnique vires exhauriens 21-25.

TERTIO, alteram partem similiter evolvit, *primo*, iterum causas ex parte Moabitarum describendo, scilicet insanam contra Deum rebellionem, 26 ; insolentem Judæorum derisionem, 27 ; jactatoriam virium arrogantiam, 29, 30 ; frequentatam idololatriam, 35 ; contra quas *secundo*, pœnæ a Deo decretæ erunt, dispersio exulum in deserta, cavernas lateritias, et oram maritimam 28, 32 ; calamitas gravissima, cum luctu communi genti et irrisione hostium conjuncta, 31, 39 ; executor constitutus celerrimus, rapacissimus, et potentissimus, qui urbe occupabit regnumque penitus extinguet, 41, 42 ; sin ulla spe evadendi interitum vel captivitatem, 43-46 ; a qua tamen in patriam olim restituendos Moabitas promittit Deus, 47.

in summo ore foraminis. 29. Audivimus superbiam Moab : superbus est valde; sublimitatem ejus, et arrogantiam, et superbiam, et altitudinem cordis ejus. 30. Ego scio, ait Dominus, jactantiam ejus : et quod non sit juxta eam virtus ejus, nec juxta quod poterat conata sit facere. 31. Ideo super Moab ejulabo, et ad Moab universam clamabo, ad viros muri fictilis lamentantes. 32. De planctu Jazer plorabo tibi, vinea Sabama : propagines tuæ transierunt mare, usque ad mare Jazer pervenerunt : super messem tuam, et vindemiam tuam, prædo irruit. 33. Ablata est lætitia et exsultatio de Carmelo, et de terra Moab, et vinum de torcularibus sustuli : nequaquam calcator uvæ solitum celeuma cantabit. 34. De clamore Hesebon usque Eleale, et Jasa, dederunt vocem suam, a Segor usque ad Oronaim vitula conternante : aquæ quoque Nemrim pessimæ erunt. 35. Et auferam de Moab, ait Dominus, offerentem in excelsis, et sacrificantem diis ejus. 36. Propterea cor meum ad Moab quasi tibiæ resonabit : et cor meum ad viros muri fictilis dabit sonitum tibiarum; quia plus fecit quam potuit, idcirco perierunt. 37. Omne enim caput calvitium, et omnis barba rasa erit : in cunctis manibus colligatio, et super omne dorsum cilicium. 38. Super omnia tecta Moab, et in plateis ejus, omnis planctus : quoniam contrivi Moab sicut vas inutile, ait Dominus. 39. Quomodo victa est, et ululaverunt? quomodo dejecit cervicem Moab, et confusus est? Eritque Moab in derisum, et in exemplum omnibus in circuitu suo. 40. Hæc dicit Dominus : Ecce quasi aquila volabit, et extendet alas suas ad Moab. 41. Capta est Carioth, et munitiones comprehensæ sunt : et erit cor fortium Moab in die illa, sicut cor mulieris parturientis. 42. Et cessabit Moab esse populus : quoniam contra Dominum gloriatus est. 43. Pavor, et fovea, et laqueus super te, o habitator Moab, dicit Dominus. 44. Qui fugerit a facie pavoris, cadet in foveam : et qui conscenderit de fovea, capietur laqueo : adducam enim super Moab annum visitationis eorum, ait Dominus. 45. In umbra Hesebon steterunt de laqueo fugientes : quia ignis egressus est de Hesebon, et flamma de medio Seon, et devorabit partem Moab, et verticem filiorum tumultus. 46. Væ tibi, Moab; periisti, populе Chamos : quia comprehensi sunt filii tui, et filiæ tuæ in captivitatem. 47. Et convertam captivitatem Moab in novissimis diebus, ait Dominus. Huc usque judicia Moab.

Vers. 1. 1. AD MOAB, — scilicet dirigitur sequens porphetia. Moab, regio est et urbs, hebraice dicta *Ar*, et græce *Areopolis;* hic agitur tam de urbe, quam de tota provincia, quæ pars est Arabiæ Petrææ : hæc enim Moabitidem, Idumæam, Amalecitidem et Cedar ambitu suo complectitur, ait Adrichomius.

NABO. — Erat civitas Moab in tribu Ruben, *Numer.* XXXII, 37; est etiam nomen montis et idoli Chaldæorum, *Isaiæ* XLVI, 1. *Nabo* hebraice significat oraculum, quod quia erat in hac urbe, ideo dicta videtur *Nabo;* ideoque eam primo loco in clade ponit, *q. d.* Tu Nabo ex falso tuo oraculo promisisti tibi cæterisque urbibus Moab pacem et immunitatem a Chaldæis; ideo falsitatis arguam te, tuumque idolum; ac te primum tradam Chaldæis, deinde cæteras urbes Moab. Ita Sanchez (1).

VASTATA EST, — vastabitur : omnia enim hæc præterita, prophetice pro futuris capiuntur.

CARIATHAIM. — Urbs est Moab in tribu Ruben; *Num.* XXXII, 37, ubi gigantes habitarunt, *Genes.* XIV, 5. Tempore S. Hieronymi (uti ipse testatur in *Locis Hebr.*) christianis omnibus florens vocabatur Coraiatha, eratque in decimo milliario juxta Medabam urbem Arabiæ. Dicta est *Cariathaim* in duali, *q. d.* Duæ urbes : videtur enim duplex fuisse civitas, uti est Roma, Praga, Cracovia, aliæque multæ. Sic *Cariathiarim* dicta est, quasi civitas sylvarum : *Cariath-Sepher,* quasi civitas litterarum, puta Academia Palæstinæ, *Josue* XV, 15. Sic Hebron dicta est *Cariath-Arbe,* quasi civitas quatuor, scilicet Patriarcharum, puta Adæ, Abrahæ, Isaac et Jacob, qui ibidem sepulti sunt, ait ex Hebræis S. Hieronymus in cap. XXVII *Matth.,* et Lyranus, Hugo, Abulensis in *Josue,* cap. XIV, 15.

CONFUSA EST FORTIS. — Hebraice, *confusa est refugium,* scilicet urbs Cariathaim, ad quam tempore belli, vicini confugere solebant, ob ejus munitionem.

2. NON EST ULTRA EXSULTATIO IN MOAB CONTRA HESEBON. — Hebraice, *de Hesebon,* quod scilicet olim fuerit urbs celeberrima Seon regis Amorrhæorum, quia destruetur; unde de ea Moab

(1) Nabo ac pleræque quæ mox memorantur, urbes Moabitarum *Cariathaim, Hesebon, Dibon, Aroer, Bethmaon, Jazer, Sabama,* Rubenitarum, Gaditarumve olim fuerunt (vid. *Num.* XXXII, 2, 34-38); iis vero per Assyrios deportatis, a Moabitis occupatæ.

gloriari non poterit. Ita Septuaginta et Vatablus. *Secundo* et potius, cum Pagnino, Chaldæo, Lyrano, Hugone et Sanchez, aliter hæc dispungenda sunt, scilicet hoc modo : *Non est exsultatio in Moab : contra Hesebon cogitarunt malum*, scilicet Chaldæi. Hesebon enim erat urbs in Moab : unde de ejus malo et clade Moabitæ exsultare non poterant, sed dolere et lugere. In Hebræo est pulchra paronomasia, *contra Hesebon*, id est cogitationem, machinationem, חשבו *chasebu*, id est *cogitarunt malum*, sese invicem ad excidium et spolia Hesebon excitantes, et dicentes : « Venite, et disperdamus eam de gente, » id est de gentibus, ut scilicet amplius inter gentes non existat, ut non sit ipsa gens inter alias gentes. Hæc eadem de Moab prædixit Isaias, cap. XV et XVI, ex quo multa hic deprompsit Jeremias, vel potius per ejus os iteravit Spiritus Sanctus, ut prophetiam suam et Isaiæ confirmaret.

ERGO SILENS CONTICESCES, — scilicet tu, o Hesebon : ita Theodoretus, Rabanus et Lyranus; sed Chaldæus, Vatablus et Pagninus accipiunt τὸ *silens*, ut nomen proprium alterius urbis, quæ hebraice vocatur *Madmen*, id est silens, *q. d.* Tu quæ a silentio vocaris Madmen, ad silentium et solitudinem redigeris.

4. ANNUNTIATE CLAMOREM PARVULIS EJUS, — id est prædicite pueris ejus fore ut clament : pueri enim in adversis et excidiis ejulant et clamant præ aliis omnibus, præsertim cum vident parentes occidi, vel a se in captivitatem abduci.

Vers. 5. 5. PER ASCENSUM ENIM LUITH, — *q. d.* Moabitæ qui fugiunt Chaldæos, ascendent flentes in Luith locum excelsum, ut ibi tuti esse possint. Ita Lyranus et Vatablus. Aliter S. Hieronymus, Rabanus et Hugo, *q. d.* Per Luith clivum, Moabitæ flentes captivi abducentur in Chaldæam : hi enim putant esse oppidum. Ita Eusebius.

Vers. 6. 6. FUGITE, — o Moabitæ!

ERITIS QUASI MYRICÆ, — id est humiles, abjecti, steriles, mœsti et solitarii : vide dicta cap. XVIII, vers. 6. Sic S. Antonius, Paulus, etc., fugerunt in desertum ob persecutiones vel Decii et tyrannorum, vel amicorum et mundi, ibique latuerunt quasi myricæ.

Vers. 7. Chamos fuit κῶμος deus comessationum. 7. ET IBIT CHAMOS IN TRANSMIGRATIONEM. — « Chamos » idolum fuit Moab, cui Salomon rex fanum ædificavit, III *Reg.* XI, 7. A Chamos multi deducunt Græcum κῶμος, qui deus fuit temulentiæ, scilicet Bacchus apud Philostratum; unde κωμάζειν significat lascivire, et κῶμοι vocantur cantiones et saltationes lascivæ; et Latinum *comessari*, et comœdia, atque tragœdia, inventa sunt in Icario urbe Atticæ, idque ipsius vindemiæ tempore : unde et trygœdia ab initio fuit appellata. Τρύγη enim significat vindemiam, et τρυγᾶν vindemiare.

Chamos fuit Bacchus. Forte Chamos, ut notat Stuckius, lib. I *Convival.* cap. X, a Syrochaldæo כמש *kemas*, id est occultare, latitare, deducitur, ut intelligatur Bacchus νυκτέλιος, sive cui noctu sacra faciebant per comessationes, et consequentes effrenes libidines, teste Plutarcho et Pausania, quo alludit Apostolus *Rom.* XIII, 13 : « Non in comessationibus, et ebrietatibus, sed sicut in die honeste ambulemus. » Hinc quoque κωμάζειν dicebantur, qui coronati et bene poti in alienum convivium irruebant non sine tibicine.

Chamos fuisse Priapum censent aliqui. *Secundo*, Christophorus a Castro, Chamos idem vult esse cum Beelphegor, id est deo apertionis vel nuditatis, qui voce nonnihil detorta Priapus dicitur, dicique *Chamos*, id est *quasi palpans* aut *contrectans*. Erat Beelphegor imago viri nudi, qui habebat pellem mortui in ore; quo significabat non esse remedium mortalitatis; nec naturam fugientem retineri posse, nisi per os cibo et potu materia libidini et generationi subministretur, per quam natura fugiens quasi tenetur et propagatur in prole. Hujus cultus erat in comessationibus et effreni libidine, et exercebatur per sacerdotes meretrices, *Osee*, cap. XIV, quarum princeps fuit Maacha mater Asa, quam Asa amovit, et Priapum evertit, III *Reg.* XV, 13. Verum de Beelphegor fuse egi *Numer.* XXV, 3.

Nota : In Hebræo pro *Chamos* scribitur *Chamis*, quasi per contemptum decurtetur et resecetur ejus nomen, quod jam captus sit et confusus, et, ut Galli dicunt, *Camus*; utpote cui imperium, vires et opes sint adempta.

9. DATE FLOREM MOAB. — Est ironia, *q. d.* Videte ut Moab floreat opibus et gloria; floribus ergo eam redimite, coronamque floridam capiti ejus imponite, imo ipsa genio et ventri indulgens coronet se rosis : sed scitote eam cum suo flore desolandam, capiendam et egressuram in captivitatem. Ita Rabanus, Hugo et Lyranus. Vel date florem Moab, ut sciat tam brevi se ad nihilum redigendam, quam brevi marcescit flos. *Isaiæ* cap. XL, vers. 6 : « Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri. Exsiccatum est fœnum, et cecidit flos. » Talis nimirum est omnis terræ splendor, pompa et gloria : nam in cœlo duntaxat est solida, constans et perennis decor, voluptas et gloria. Huc accedit expositio Sanchez, quæ talis est : Quantumcumque in amœno et irriguo loco sit Moab, floreatque ac niteat ab ubertate patria, florens tamen et nitidus abripietur in alienum solum : « et civitates ejus » prius florentes et lautæ, « desertæ erunt, » squalentes et vastæ, ut nullus illas prorsus inhabitet. Nimirum in rebus et opibus humanis verissimum est illud Senecæ, *epist.* 39 : « Sic segetem nimia sternit ubertas; sic rami onere franguntur; sic ad maturitatem non pervenit nimia fecunditas. Idem animis quoque evenit, quos immoderata felicitas rumpit. » Hic sensus congruus est et plausibilis. Ex eo enim dicimus, tunc maxime vicinas esse urbes cladi, et homines tribulationi et cruci, cum maxime gloria, opibus et deliciis florent : sicut Moab florens et rosis se coronans, vicinissima erat excidio. Nimirum « fortuna vitrea est : dum splen-

det, frangitur. » Ratio est, quia rota fortunæ similis est rotæ naturæ, quæ ab auctore suo ita instituta est, ut semper gyret in orbem, cumque in sui culmine est et summa perfectione, tunc rotando descendat, et tendat ad finem Ita poma cum maturrima sunt, putrescunt; flores cum plenissimi, marcescunt; animalia cum justam habent staturam et ætatem, ad senium et interitum declinant. Sol cum in meridie est altissimus, mox declinat ad occasum; cum est in solstitio æstivo, declinat ad hiemem. Idem ergo est imperiorum, urbium, principum, hominum circulus, periodus, terminus et occasus.

Secundo, R. Kimchi, Pagninus et Vatablus sic vertunt : *Date alam Moab, quia volando volabit*, scilicet in captivitatem; aut ut eam evadat, celerrime fugiet, et quasi avolabit.

Tertio, Chaldæus vertit : *Auferte coronam a Moab*, et scilicet date eam Chaldæo. Hebræum enim צִיץ *tsits*, *primo*, florem; *secundo*, alam; *tertio*, coronam significat. Noster optime cum Aquila et Symmacho vertit, *florem*.

Quarto, Septuaginta vertunt : *Date signa Moab*, scilicet imminentis excidii, *q. d.* De eo monete eam, atque ut credat, ejus signa proferte : vel, ut Theodoretus, date, id est ponite signa per solitudinem, ut sciat Moab qua via per eam fugere debeat.

Quinto, alii sic explicant, *q. d.* Sicut sponsa floribus coronata ducitur ad sponsum, ita tu, o Moab, orna te marito tuo, scilicet Chaldæo, sed hosti immani.

Sexto et melius, a Castro sic explicat, *q. d.* Coronis floridis et odoribus, o Moab! te et tuum funus adorna, quia in Chaldæa sepelieris et morieris : solent enim divites coronis et omni pompa suorum funera exornare. Hic sensus, uti et primus, cæteris aptior est et planior. Unde Syrus et Arabicus vertunt : *Date coronam Moab, quia destructione destruetur, et omnes civitates ejus in desertum erunt, præ inopia incolæ.*

Floribus ornabant funera.

Ubi nota : Solebant Gentiles mortuorum corpora floribus et coronis redimire; imo si quis virtute sibi coronam aliquam peperisset, eadem etiam mortuus solebat condecorari, idque ex permissu legis duodecim tabularum, quæ exstat apud Plinium, lib. XXI, cap. III, et Ciceronem, lib. II *De Legibus*; atque ita in funere Scipionis factum esse testatur ibidem Plinius : « Populus, inquit, funus locavit, quaque præferebatur, flores e prospectu omni sparsit. » Idem factum in funere filiæ Virginii, tradit Halicarnassus, lib. XI : « Ædibus, inquit, exsiliebant mulieres et virgines, casum illum lugentes (erat enim occisa a patre, ne a Clodio violaretur), atque aliæ flores et coronas in lectum jaciebant. » Idipsum de funere Bruti narrat lib. V. Unde Clemens Alexandrinus, lib. II *Strom.* cap. VIII : « A turba, inquit, et negotio remotæ securitatis signum est corona : quare ea mortuos coronant. » Pluribus idipsum ex Livio, Capitolino, Ovidio, Herodiano et Virgilio probat Lipsius ad cap. XIV Taciti.

Christianis olim id vetitum, cur?

Verum hunc ritum coronandi mortuos repudiarunt primi et prisci christiani, eo quod nihil cum gentilibus commune habere vellent. Unde contra eum Tertullianus scripsit librum *De Corona militis*, et Minutius Felix in *Octavio* : « Nec mortuos, inquit, coronamus. Ego vos in hoc magis miror, quemadmodum tribuatis exanimi aut non sentienti coronam; cum et beatus non egeat, et miser non gaudeat floribus. » Ita ipsi in odium gentilismi, et ad vitandum periculum relapsus in idololatriam : quod quia jam cessat, hinc solemus funera Doctorum, Virginum, Martyrum, etc., coronare floribus. Ita narrat Palladus in *Lausiaca*, cap. XXXIX, de mulieribus religiosis Tabennesiotis viventibus secundum institutum S. Pachomii : « Si virgo, inquit, obierit, reliquæ virgines cum eam ad sepulturam concinnaverint, efferunt, et eam ponunt ad ripam fluvii. Trajicientes autem fratres cum palmis et ramis olivæ, et psalmodiis, eam transmittunt, et in suis monumentis sepeliunt. »

Vers. 10.

10. MALEDICTUS. — Est astysmus : festive enim per exaggerationem vocat eos benedictos, qui operi sancto et benedicto justitiæ divinæ, puta excidio impiorum Moabitarum, quoquo modo, etiam materialiter tantum, cooperabantur; renuentes vero et pigros in hoc opere, vocat maledictos. Loquitur enim in genere, abstrahendo ab hujus vel illius Chaldæi tyrannide, tantumque spectat opus hoc in se, prout est opus justitiæ divinæ : sic enim in se sanctum est, et quicumque illi cooperantur, sancti sunt et benedictione digni : milites vero et lictores qui ei cooperari renuunt, iniqui sunt et maledictione digni. Sic Cyrus puniens et evertens Babylonem, itaque peragens reipsa justum Dei contra eam judicium, vocatur beatus, *Psalm.* CXXXVI, 8 : « Filia Babylonis misera : beatus, qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis. Beatus, qui tenebit, et allidet parvulos tuos ad petram. » Vide *Can.* XXXVI.

Secundo, proprie et particulatim, « maledictus est, » scilicet si sciat hanc esse Dei voluntatem, uti Chaldæi potuerunt scire ex hac prophetia Jeremiæ et aliorum : « qui facit opus Domini, » id est vastationem Moab, quam Dominus decernit et imperat (sic cædem Chaldæorum vocat opus Domini, cap. L, 25) « fraudulenter » (ita legendum cum Romanis, Hebræo et Chaldæo, non *negligentes*, licet ita vertant Septuaginta, sed idem significant : miles enim vel servus, qui negligenter opus a duce vel hero præceptum peragit, fraudulenter agit : defraudat enim herum suo jure et lucro), ut scilicet fingat se velle occidere Moabitas, et interim ob lytrum vel aliam causam eis parcat, unde explicans subdit : « Maledictus qui prohibet gladium suum a sanguine. » Præclare Aristides, hymno in Jovem : « Ignavia, ait, in rebus

divinis est nefaria. Sin « opere tanto » erimus inferiores, facile per argumenti naturam excusabimur, ut qui non ultro destiterimus, sed necessario victi sumus; præstat autem rideri a diis si opus sit, quam reprehendi. »

Hinc patet quod, si Chaldæi cognita hac Dei voluntate bona fide totos se ei conformassent, studuissentque illam tantum exsequi, non peccassent, imo recte et pie egissent, vastando Moabitas : verum quia ipsi non tam Deo, quam suæ ambitioni et avaritiæ servierunt, in ejus et aliarum gentium excidio : hinc tyranni fuerunt, ideoque pariter et ipsi traditi sunt gladio Cyri et Persarum, ut audiemus cap. L.

Mortificationis gladio truncandæ sunt cupiditates.

Tropologice maledictus est, qui hostes suos, scilicet affectus pravos, mortificationis gladio non insequitur, non cædit; sed vivere patitur et dominari. Illi enim sunt hostes Dei, æque ac animæ propriæ, quam, nisi occidantur, occident. Maledictus ergo est qui cæde pravarum cupiditatum (quæ crudeliores sunt hostes, bellumque crudelius gerunt, quam Moabitæ) mortificationis gladium minime cruentat. Hic enim gladius cupiditates truncans, non solum de illis ipsis, sed etiam de dæmone triumphum agit. Dæmones enim per cupiditates nostras non oppugnant; unde S. Augustinus, lib. *De Agone Christiano*, cap. II : « Ibi, inquit, vincuntur inimicæ potestates, ubi vincuntur cupiditates. »

Rursum S. Gregorius, III part. *Pastor.* admon. 26 : « Maledictus, inquit, qui prohibet gladium suum a sanguine : gladium quippe a sanguine prohibere, est prædicationis verbum a carnalis vitæ interfectione retinere, de quo rursum gladio dicitur : Et gladius meus manducabit carnes. » Notent hoc concionatores, qui vitia populi non castigant, sed dissimulant aut etiam palpant.

Magistratus est reus criminum quæ non punit.

Denique proprie judicibus, magistratibus et prælatis dicitur : « Maledictus qui prohibet gladium suum a sanguine. » Nam, ut ait B. Petrus Damianus, *epist.* 11, cap. III : « A sanguine gladium suum prohibet, qui se ab inferenda reprobis ultione digna coercet : facti siquidem culpam habet, qui quod potest, negligit emendare. » Idque probat exemplo Heli, qui morte a Deo punitus est, eo quod non satis severe castigasset peccata filiorum.

Audi sapientem morionis sententiam. Superiori sæculo ad Ludovicum XI, regem Franciæ, venit quidam perpetrati homicidii reus, veniam criminis petens. Rex facti enormitatem considerans, quodque jam tertio impune cædem commisisset : « Ecquid, ait, tu rursus veniam postulas? jam tertium homicidium perpetrasti. » Id audiens regis morio : « Quid, inquit, Domine, tertium? imo primum duntaxat est, quod hic perpetravit; secundum et tertium tuum est : quia si primum non condonasses, reliqua non perpetrasset. » Præclarius ergo fecit alter, scilicet S. Ludovicus, rex Franciæ; postulaverat ab eo quispiam homicida facinoris condonationem : rex annuerat; at paulo post orans, incidensque in illum versum psalmi CV : « Beati qui faciunt justitiam in omni tempore; » protinus eam remissionem revocavit, dicens : « Princeps, qui cum crimen punire possit, illud non punit, non minus coram Deo reus est, quam si ipse perpetrasset. » Memorabile quoque est quod legimus in *Vita Jacobi Carrariensis principis Patavini*. Hic moriturus quosvis admisit, qui queri de se vellent. Venit cum aliis unus, qui arroganter pecuniam quam ob remissam capitis damnationem acceperat, sibi restitui postulavit, tanquam contra justitiæ ordinem datam. Cui princeps generosa voce : « Si tunc justitia in te reddita fuisset, nunc, quod injuste facis, queri de me non posses. Nullius ergo peccati mihi conscius sum, nisi quod mitius quam merueras, fueris mulctatus. »

11. FERTILIS FUIT. — Hic causam cladis assignat, scilicet fertilitatem, indeque lasciviam omnemque luxum. Eamdem causam calamitatis Belgicæ jam per quinquaginta annos scimus et vidimus. Comparat Moabitas vino, terram eorum dolio, pacem et abundantiam rerum fæcibus, mores eorum sapori et odori vini, *q. d.* Sicut vinum, præsertim forte, quale est in regionibus calidis, quamdiu in suis residet fæcibus, suum fortem, austerum et fæculentum saporem retinet et odorem; sed ut eum mutet, et fiat purius, suavius et delicatius, de vase in vas aliud transfunditur : sic Moabitæ in sua regione hactenus resederunt in summa pace et opulentia, nunquam capti vel abducti, ac consequenter in germana sua superbia, solitisque peccatis, præsertim Sodomæ et Gomorrhæ, cui vicinissimi sunt, remanent quasi fæcibus; fæces enim sunt otium et tranquillitas, ait Vatablus; et, ut Hugo, vitia et deliciæ; et, ut Chaldæus et Lyranus, divitiæ, quia sicut vinum fæce, sic regna divitiis conservantur. Proprie vero, ut Sanchez, fæces sunt locus ipse natalis, sive patria, quæ mater appellatur, æque ac fæces vini. Hic enim locus Sodomæ vicinus, tot flagitiis infectus aliquid tetrum et Sodomiticum exhalabat in Moabitarum mores. Vers. 11.

12. ET (ideo) MITTAM EI ORDINATORES (qui lagunculas aut dolia ordine solent disponere, puta victores, ut vertit Vatablus), ET STRATORES, — non qui lagenas confringunt, et fragmenta calcant et sternunt, uti volunt aliqui; sed « stratores, » id est qui solent prosternere aut inclinare dolia, ut vinum ex uno in aliud fundant. Unde Septuaginta vertunt : *Declinatores qui eum declinabunt*; et Hebræa habent : צעים וצעהו *tsoim vetseuhu*, id est *transmigratores, et transmigrare facient eum*; id est transfusores, et, ut ita dicam, transvasatores, qui transfundant eum ex uno vase in aliud. Per hos intelligit Chaldæos, qui Moabitas ex Moab in Chaldæam, quasi in aliud dolium traduxerunt, ut ipsi ibi humiliati et afflicti, novum saporem, id est novos mores, novam animi demissionem, novum Dei cultum induerent; unde sequitur : « Et vasa Vers. 12.

ejus exhaurient, » id est urbes Moab, incolis in captivitatem abductis, evacuabunt.

ET LAGUNCULAS EORUM COLLIDENT. — Id est urbes eorum destruent; pro eodem enim capit vasa et lagunculas, *q. d.* Postquam vinum transfuderint, vasa in quibus erat confringent, hoc est, postquam Moabitas ex urbibus abduxerint, urbes ipsas vastabunt ac diruent, inquiunt Maldonatus et Vatablus.

Sic tropologice, ut quis innovetur, subinde domum, urbem, regionem mutare debet, ut cum concubinam, socium, aut aliam proximam peccandi illecebram domi habet, quam deserere debet. Apte quoque hæc transferas ad innovationem, quæ fit transeundo ad Religionem.

13. ET CONFUNDETUR MOAB A CHAMOS, — quia videbit se a Chamos non posse defendi, quin cum eo trahatur ignominiose ad ludibrium in Babylonem : sicut Israelitas a captivitate Assyriorum tutari non potuerunt vituli aurei, quos erexerant et colebant in Dan et Bethel. Meminit Bethel præ Dan; quia Bethel celebrior et sanctior erat locus, consecratus a Jacobo patriarcha, *Genes.* XXVIII, 18; ideoque peccatum et idololatria ibidem commissa a Judæis, erat sceleratior; faciebant enim ex *Bethel*, id est domo Dei, *Bethaven*, id est domum idoli et diaboli, uti ait Osee, cap. IV, 15, uti et faciunt hæretici et apostatæ nostri.

15. CIVITATES ILLIUS SUCCIDERUNT. — Ita Romana; alii, ut Plantinus, legunt *succenderunt*, itaque legendum videtur. Hebraice enim est *ascenderunt*, scilicet per ignem et fumum in cœlum, id est evanuerunt in favillas et auras. Nota : Hebr. pulchra est antithesis, « civitates » ejus quasi *cherem* et *anathema*, id est quasi hostia piacularis justitiæ divinæ, oblata et succensa ascendit in cœlum; « juvenes » vero superbi et tumidi descenderunt ad lanienam et mortem, indeque ad sepulcrum et infernum.

Aliter Maldonatus : « Civitates, » inquit, id est populus imbellis, ascendet in captivitatem; « juvenes » vero militares et bellicosi descendent ad gladium.

Vers. 17. 17. CONSOLAMINI EUM OMNES. — Ex consolatione prævium luctum intelligit, *q. d.* Tanta erit Moab vastitas et luctus, ut omni omnium consolatione indigeat. Est metalepsis.

QUI SCITIS NOMEN EJUS, — qui habetis cum eo notitiam et amicitiam. Sic Christus ait : « Ego cognosco, » id est amo et curo, « oves meas; » et vice versa, « nescio vos, » id est sperno, negligo vos. Porro consolationis formam præscribit, dicens :

DICITE : QUOMODO CONFRACTA EST VIRGA FORTIS, BACULUS GLORIOSUS? — Idem est baculus et virga, *q. d.* Quomodo confractum est sceptrum, id est regnum gloriosum Moab? In voce *fortis*, latet ironia, *q. d.* Moab jactabat se fortem et invictum, sed levi Chaldæorum flatu prostratus, ostendit quam fuerit debilis et infirmus.

18. HABITATIO (o populi, qui habitas in) DIBON (1)! — Quod interpretatur *fluens*, ait S. Hieronymus, vel *sufficienter intelligens*, *q. d.* O populi Dibon, qui ante gloriabaris de copia aquarum et sapientiæ! jam luge ac sede in siti et summa desolatione ac oblivione, quasi myricæ in deserto, uti dixit vers. 6. Addit Isaias, cap. XV, aquas Dibon fœdandas esse civium sanguine. Vers. 18.

Sic Deus irrogat pœnam culpæ congruentem, atque glorianti de litteris, earum ignorationem; diviti paupertatem; superbo contumeliam; lascivo carceres; guloso et luxurioso morbos et cruciatus infligit.

VASTATOR MOAB, — id est Nabuchodonosor, qui vastavit Moabitas.

20. CONFUSUS EST MOAB. — Hæc est responsio Moabitarum fugientium, ad interrogationem civium Aroer, quæ præcessit. Vers. 20.

21. JUDICIUM. — Vindicta Dei veniet ad urbes non tantum montanas, sed et campestres Moab. Quæ enim sequuntur usque ad vers. 25, nomina sunt urbium Moab. Vers. 21.

25. CORNU MOAB, ET BRACHIUM, — id est fortitudo, potentia, gloria et regnum; quia robur et imperium animalium est in cornibus et armis sive brachiis. Hisce enim pugnant et manus conserunt milites. Vers. 25.

26. INEBRIATE EUM (2), *q. d.* — O Chaldæi! propinate Moab calicem furoris Domini, quasi lictores et exsecutores justæ Dei vindictæ; vino iræ et ultionis Dei eum implete et inebriate, hoc est afflictionibus ita eum opplete, ut quasi ebrius vomere cogatur omnes opes et gloriam suam, utque volutet se in suo vomitu, præ afflictione et dolore manus pedesque terræ allidendo, itaque aliis sit risui, uti ebrii et vomentes a sobriis rideri solent. Forte perstringit Moabitarum crapulam usque ad vomitum. Alludit ad *Job* XX : « Divitias, quas devoravit, evomet, et de ventre illius extrahet eas Deus, et erunt in derisum. » Causam subdit : « Fuit enim in derisum tibi, Israel, » *q. d.* Quia tu, o Moab! derisisti Israelitas cognatos et vicinos tuos, cum ab hostibus vastarentur, « quasi inter fures reperisses eum » (Israelem), id est instar furis, Vers. 26.

(1) « Descende de gloria, et sede in siti. » *Sitim* opponit *gloriæ*, augendo afflictionem, quasi dicat : non tantum eris ignominiosa, sed et rebus necessariis egebis in captivitate. C. B. Michaelis luctum indicari putat, in quo non tantum a cibo, sed et omni potu abstinetur, coll. *Jon.* III, 7. Schmidius et J. D. Michaelis sitis mentionem hic ideo fieri putant, quod Dibon, quam alloquitur, ad Arnonem sita optimis aquis abundaret; cf. *Isaiæ* cap. XV, 9. (Rosenmuller.)

(2) « Quoniam contra Dominum erectus est. » Terram nempe Israeliticam non solum occupando, sed etiam gloriando contra Jovam, tandem aliquando reddita sibi esse, erepta olim ab Israelitis. Nempe pleræque urbes, quarum hic mentio fit, ante Sichonis bellum et victorias, fuerunt Moabiticæ, diu deinde Israeliticæ, Israelitisque in exilium abductis, denuo Moabitis occupantibus cesserunt. Confer. *Judic.* XI, 42, ubi Camoschus Jovæ opponitur. (J. D. Michaelis.)

qui, cum in furto deprehenditur, ridetur et ostentui habetur : ita tu risisti Israelem. Ita Chaldæus, Vatablus et alii (1).

Nota : « Allidet manum, » id est, inquiunt Hugo, Rabanus et Lyranus, habebit colligatam manum, id est potestatem et dominatum. Alii, *q. d.* Præ nimio dolore manum ad manum complodet. Sed aptius est quod dixi, scilicet allidet manus pedesque terræ, volutando se in suo vomitu, id est in sua terribili clade et punitione, in sua horribili afflictione et cruciatu : solent enim ebrii et vomentes præ angustia, manus non tantum complodere, sed et allidere terræ, pulsare lectum aut sedem, versare se in omnem partem, et alia angoris et doloris signa edere, juxta illud *Job* XX, 22 : « Cum satiatus fuerit, arctabitur, æstuabit, et omnis dolor irruet super eum. »

Vers. 28. 28. RELINQUITE CIVITATES, — *q. d.* Cogemini, o Moabitæ! relinquere civitates, et habitare in rupibus et cavernis, easque profunde ingredi, ut ibi lateatis quasi columbæ : hebraice enim est, *trans os foveæ*, id est in ulterioribus cavitatibus cavernæ (2).

Secundo, τὸ *habitate in petra*, sic accipi potest, *q. d.* Fugite ad urbem Moab, quæ petra dicitur; quia in petra et altissimo monte sita, ideoque munitissima et ab hoste tutissima est.

Sic tropologice, e mundo fugiendum est ad Petram, id est ad Christum. Aliter, *tertio*, apposite explicant Sanchez et Christophorus a Castro, ut sit ironia, *q. d.* Licet, o Moab! fugias ad rupes et speluncas quibus abundas; inde tamen te extrahent Chaldæi, qui ut feroces prædæque inhiantes canes venatici, te quasi leporem undequaque scrutabuntur (3).

30. EGO SCIO, etc., JACTANTIAM EJUS. — Hebraice עברתו *ebrato*, id est iracundiam ejus. Superbia enim facit homines iracundos et contumaces. Ita Vatablus.

QUOD NON SIT JUXTA EAM (scilicet jactantiam) VIRTUS (id est fortitudo et vires) EJUS, — *q. d.* ait Theodoretus : Plus se jactat Moab quam possit facere. Tales et hodie multos videmus, qui « in pace sunt leones, in prælio cervi. » Vide *Isaiæ* XVI, 6.

R. Joseph Kimchi vertit, *novi transgressionem*, id est imprægnationem et incestum, *ejus*, scilicet quod natus sit Moab ex Lot per incestum cum filia : videre enim suum ortum, vitia et miserias, est remedium ad retundendam superbiam.

NEC JUXTA QUOD POTERAT CONATA SIT FACERE, — *q. d.* Non consideravit quid posset, quid ferrent humeri; sed plus conata est facere quam præstare poterat.

31. MURI FICTILIS. — Hebraice קיר חרש *kir cheres*, videtur esse nomen proprium urbis in Moab dictæ *Kir*, id est paries vel murus, de qua *Isaiæ* XVI, 7; ita Septuaginta, Vatablus, Pagninus et alii : cui appositum est *cheres*, id est fictilis, quia muros habebat fictiles, et, ut Isaias ait, *coctiles*, id est latericios, quales paucæ urbes in ea regione, utpote saxosa, habuerunt. Unde et IV *Reg.* III, captis cæteris urbibus, dicuntur soli intacti mansisse muri fictiles, id est *kir cheres*, urbs habens muros latericios, *q. d.* Quantumcumque fortis sis et latericia, evertenda tamen es a Deo, cui nihil, quantum forte, resistere potest. Vers. 31.

Alii censent Moabitas in genere vocari viros muri fictilis, quia latericiis muris cingebantur. Ita Maldonatus (4).

32. DE PLANCTU JAZER, — *q. d.* Fletu simili fle- Vers. 32.

(1) Vers. 27. « Fuit enim in derisum tibi Israel, quasi inter fures reperisses eum. » Sunt qui ita capiant, tibi nihil furatus est, ut causam habuisses deridendi Israelem. Ita et J. D. Michaelis : « Tibine nocuit, aut aliquod pudendi sceleris contra vicinos commisit quod malis ejus tam impotenter illudis? Nempe pleræque urbes Rubenitarum olim fuerant ante Sichonis bellum Moabitarum, et æterno jure, nullo postliminio, a Moabitis ut suæ æstimabantur..... Spectatur lis perpetua Moabitarum cum Israelitis de urbibus a Sichone occupatis, quæ jure belli a Sichone ceperant Israelitæ; *Num.* XXI. Israelitica occupaverant Moabitæ, non Israelitæ Moabitica. (J. D. Michaelis.)

(2) Hoc Gussetius in *Lexico*, pag. 573, eo refert, inquit Rosenmuller, quod columbæ non directe e regione orificis ponere solent nidum, sed ad alterum latus orificis hinc et illinc; unde qui peristereones struunt, cellularum fenestras non in earum medio, sed in latere faciei extremo aperiunt, ut sic columbis ab altero latere foraminis spatium nidi collocandi suppetat. Chaldæus intelligit de columba de turre sua descendente, ut se in fovea aliqua occultet. Sed magis, ut recte Grotius notat, antecedentibus convenit, similitudinem spectare columbam, quæ præ metu insidientium nidum sibi quærit in aliquo latere scissæ rupis. Ita *Cantic.* II, 14. Cf. *Ezech.* VII, 16. Apposite Bochartus, *Hieroz.*, part. II, lib. I, cap. III, tom. II, pag. 646, comparat illud Homeri *Iliad.* φ, 495 :

Φύγεν ὥς τε πέλεια
Ἥ ῥά θ' ὑφ' ἱερηκος κοίλην εἰσέπτατο πέτρην,

Fugit ut columba, quæ ab accipitre volavit in cavam petram, in antrum. Quamvis etiam extra metum columbas in antris nidificare, dicit Virgilius, *Æneid.* V, vers. 213 :

Qualis spelunca subito commota columba
Cui domus, et dulces latebroso in pumice nidi;

(3) Vers. 29. « Audivimus superbiam Moab, » etc. Verba hæc Dei esse plures putant. Malumus pro vatis verbis habere, qui nomine omnium loquatur, quasi diceret : omnium ore celebrata est Moabi superbia, nec est qui de ea non audierit; Deus loquitur vers. 30. Sunt hæc et quæ proxime sequuntur ex Isaia desumpta, sed ita, ut quæ illic unico versu sequuntur, hic in duos versus sint distracta. Insolentiam et animi elationem exprobrat et Sophonias, cap. II, 8. Cf. *Isaiæ* XXV, 11.

(4) Juxta Schnurrerum, non Jeremiæ attribui possunt hæc verba, quibus sui animi sensum significaret Propheta; itaque statuendum, inquit, alios homines fingi atque in scenam produci, qui lamentantium personam suscipiant. Breviter, post על כן cogitatione addendum esse verbum יאמר *iamar* (dicet), seu יאמרו *iomerou* (dicent), ut sensus prodeat hic : Propterea lugubres voces audientur hujusmodi, *de Moab*, etc..... Sed nihil vetat, inquit Rosenmuller ad vers. consimilem 36, quominus vatem ipsum dolore tactum existimemus, ob miseram sortem eorum, quibus mala divino jussu denuntiat.

tui facto super Jazer, deflenda est fertilis vitibus, et metaphorice hominibus, Sabama; quia æque ac Jazer vastata est, id est vastabitur a Chaldæis. Unde Septuaginta vertunt : *Juxta planctum Jazer plangam te, vinea Sabama*, ut sint verba Prophetæ. Chaldæus tamen accipit quasi verba Dei, *q. d.* Sicut feci flere Jazer, ita flere te faciam, vinea Sabama. Omnes hæ urbes fuerunt Moabitarum. Notum est Hebræos urbes, præsertim optimas et amœnas agris et vineis, metaphorice vocare vineas, et cives vites, ut patet cap. II, 21, cap. XII, 10, *Isaiæ* III, 14. Sicut enim in vinea est propago palmitum et botrorum, sic in urbe est propago civium. Unde et Christus Ecclesiam vocat vineam, se vitem, christianos palmites, *Joan.* XV, 5.

PROPAGINES. — id est cives tui quos propagasti, Chaldæos fugientes, pervenerunt ad urbem Jazer, et ad illi vicinum mare Mortuum, imo ultra illud fugerunt, vel in Judæam, vel in Palæstinam, vel in Ægyptum : nam alioqui euntibus vel abductis in Chaldæam, nullum erat transeundum mare. Quare non recte videntur explicare Chaldæus, Hugo, Lyranus, Vatablus sic, *q. d.* Cives Sabama abducentur trans mare in captivitatem; cives vero Jazer ad mare tantum pervenient.

Melius explicant Maldonatus et Sanchez sic : « Propagines, » id est multitudo civium tuorum usque ad mare et ultra perveniebat, *q. d.* Nimis fertilis eras, nimis longe mittebas sarmenta tua, oportet te amputare; sic enim dicitur de Israele, *Psalm.* LXXIX, 12 : « Extendit palmites suos usque ad mare. »

Denique S. Hieronymus per *mare* Babylonem accipit, ad quam abducti sunt Moabitæ. Verum primus sensus, uti maxime planus, ita genuinus est.

Vers. 33. 33. ABLATA EST LÆTITIA ET EXSULTATIO DE CARMELO, — id est de loco culto et fertili Moab, qui in ubertate similis erat Carmelo monti Judææ. Ita S. Hieronymus, Pagninus et Vatablus, quia scilicet tam messem quam vindemiam Moabitarum tollent et vastabunt Chaldæi. Aliter Sanchez : subaudiendo enim notam similitudinis *sicut*, sic explicat : Sicut Judæa, ab hoste vastata, cessavit lætitia de Carmelo, succisis pariter ejus vineis et incolis, ita sublata est lætitia a Moab, illa nimirum quam ei vini atque vindemiæ nobilitas, æque ac Carmelo, afferebat.

SOLITUM CELEUMA. — Hebraice est : *Celeuma non erit celeuma, q. d.* Lætum illud carmen vertetur in luctum. Ita Vatablus. *Secundo*, celeusma non erit celeusma adhortantium sese ad calcandum uvas vinumque exprimendum; sed ad fugiendum hostem adventantem. Ita R. Salomon. *Tertio*, celeusma non erit Moabitarum, sed Chaldæorum cohortantium se ad eorum cædem, et ad conculcationem messis et vindemiæ eorum. Ita Maldonatus. Vide cap. XXV, 30, et cap. LI, 14. Ita gulonum et potorum clamor et celeusma lætitiæ sæpe in luctum et celeusma tristitiæ, plaususque in planctum vertitur, dum extrema gaudii luctus occupat.

34. DE CLAMORE, — *q. d.* Fugientes de Hesebon urbe et fine orientali Moab, continuabunt fugam et clamorem usque ad Eleale, quæ urbs est finis occidentalis Moab.

A SEGOR USQUE AD ORONAIM VITULA CONTERNANTE. — Ita Romana; supple, clamor fugientium et vastatorum audietur. Nominat hasce duas urbes, tanquam extremos et sibi oppositos terminos Moab. Segor enim erat ab Oriente juxta mare Mortuum : Oronaim ab Occidente septentrionali, hoc est ea parte quæ Assyrios et Babylonios respicit. Dicitur Oronaim in duali, a singulari Oron, *q. d.* Duplex Oron. Erant enim duæ urbes conjunctæ, quarum una Oron vel Bethoron superior, altera Bethoron inferior dicebatur, *Josue* cap. XVI et XVIII. Ita S. Hieronymus et ex eo Adrichomius.

Nota : *Segor*, ait S. Hieronymus in *Genes.* XIV, prius dicta est hebraice *Bale*, id est devoratio; deinde *Salisa*, id est tertia vel conternans, eo quod, ut tradunt Hebræi, tertio terræ motum sit passa et absorpta. Sic et Theodoretus, Suidas, Hugo et Lyranus. Rursum dicta est *Segor*, id est parva, a Lot eo fugiente ex Sodomis, *Genes.* XIX, 22.

Segor dicitur vitula conternans, cur?

Secundo et certius, Segor dicitur vitula conternans, id est pulchra, fortis, succulenta, perfecta, exsultans. Sicut enim in hominibus trigesimus annus est perfectæ ætatis : ita in pecoribus tertius annus robustissimus est. Audi S. Cyrillum in *Isaiæ* cap. XV, 5 : « Tertius annus animantibus ratione carentibus ad ætatis florem, et ad maturitatem vires efficiendo sufficit, itaque eo tempore domari debent. Quamdiu ergo vitula est jugi inexperta, lasciviens et juvencula exsultat. » Idem docent Columella, lib. VI, cap. II, et Varro, lib. VII, cap. II. Sensus ergo est, *q. d.* Moabitæ, et præsertim incolæ Segor, instar vitulæ triennis saginati et lascivientes, jam evecti ad plenum robur, opulentiam et felicitatem temporariam, evertentur : habitabant enim in Pentapoli, quæ antequam conflagraret igne cœlesti, erat amœnissima et fertilissima instar paradisi, ut dicitur *Genes.* XIII, 10. Segor autem precibus Lot ab hoc igne mansit intacta, *Genes.* XIX, 21. Ita ex Septuaginta, Chaldæus, Vatablus, Pagninus, S. Hieronymus, Cyrillus et Basilius in *Isaiæ* XV, 6; eadem enim habet ibi Isaias. Perperam ergo aliqui putant, quod *vitula conternans* sit nomen proprium urbis, diversæ a Segor.

AQUÆ QUOQUE NEMRIM. — Nemrim oppidulum est, ait S. Hieronymus in *Isaiæ* XV, 6, juxta Segor et mare salsissimum sive Mortuum, indeque salsis aquis ac proinde sterilibus affluens, *q. d.* Simili sterilitate quæ est in Nemrim, punietur omnis Moab. Ita Hugo. *Secundo*, S. Hieronymus et Rabanus, *q. d.* Aquæ dulces ante in Nemrim, post ejus subversionem, sunt conversæ in amaritudinem. *Tertio*, ut Lyranus, aquæ Nemrim « pessimæ, » quia videlicet sanguine et cadaveribus cæsorum sunt infectæ, et quia turbabuntur multitudine calcantium eas hostium, inquit Maldonatus. *Quarto*,

« pessimæ, » id est, ut hebraice, *desolatæ erunt*; et, ut ait Isaias cap. XV, « desertæ, » id est perdentur et inutiles erunt, eo quod deficiat habitator qui agros colat et riget, ut patet *Isaiæ* XV, 6, qui ait : « Quia aruit herba, defecit germen, viror omnis interiit, » *q. d.* ait Vatablus. Nullus locus a clade intactus in Moab relinquetur, neque quisquam in Nemrim loco irriguo habitabit; unde aquæ ejus desertæ videbuntur.

Aquæ Nemrim quæ et quales?

Nota : Aquæ Nemrim videntur fuisse amaræ, ex aquis salsis maris Mortui vicini, eo per meatus terræ se insinuantibus, indeque vocari hebraice Nemrim, id est amaræ, a radice מרה *mara*, id est amarus fuit. Ut ergo has aquas dulces conservarent, ne a salsis affluentibus ex mari Mortuo salsedinem contraherent, debebant accolæ meatus per quos affluebant quotannis obturare : item aquas dulces aggeribus a salsis separare, et salsas percolando dulcorare. Verum accolis per Chaldæos sublatis, incultæ, et, ut ait Isaias, desertæ manebant aquæ Nemrim, ideoque amaræ, indeque pessimæ erant. Rursum enim salsuginem contrahebant ex aquis maris Mortui.

Nemrim, id est, amaræ, sunt voluptates.

Hic sensus valde genuinus videtur; simulque symbolice et tropologice docet Moabitas omnesque alios qui voluptatibus indulgent, quod omnis voluptas et dulcedo, Deo vindice, eis in amaritudinem sit convertenda, sicut Deus aquas Sodomæ et Pentapolis ante dulcissimas, ob eorum libidines fecit salsissimas; et rursum aquas Nemrim antea dulces, per desolationem Chaldæorum fecit amaras et pessimas. Cogita ergo, o gulose, o luxuriose! tuas delicias esse aquas Nemrim, tuum mel brevi fore fel, te a dæmonibus cibandum esse absinthio, imo igne et sulphure æterno et ardentissimo. Audi et gentilem Senecam : « Ipsæ voluptates in tormenta vertuntur. Epulæ cruditatem afferunt : ebrietates nervorum torporem tremoremque : libidines, manuum, pedum articulorumque omnium depravationes. »

Vers. 36. 36. COR MEUM AD MOAB (id est propter Moab) QUASI TIBIÆ (scilicet in luctu adhibitæ, lugubrem edet sonum) AD VIROS MURI FICTILIS, — id est ad viros urbis dictæ *Kir cheres*. Vide dicta vers. 31.

Nota : Veteres in luctu adhibebant tibias, quia lugubrem edunt sonum; hinc *Matth.* IX, 23, dicitur de puella defuncta : « Et cum venisset Jesus in domum principis, et vidisset tibicines. » Sic et Ovidius :

Cantabat mœstis tibia funeribus.

Licet Servius in illud *Æneid.* V :

Laudumque immensa cupido,

scribat pueros cum tibiæ, viros cum tubæ sonitu sepeliri solitos. Et Gellius, lib. XX, cap. II, docet veteres habuisse proprium instrumentum siticinum, id est eorum qui ad sitos, id est mortuos, canunt eorumque cadaver suo cantu ad sepulcrum comitantur. Cujus formam describit Galenus, lib. III *De Symptom. causis*, ubi et alia addit huic loco propria. Dicit enim viscerum rugitum, cum vacua sunt, similem esse tibiæ funereæ. « Porro, ait, sunt alii (scilicet viscerum rugitus) bombosi, bombis latissimarum tibiarum non absimiles, quales habere solent hi qui tymbaulæ, id est siticines, nominantur. » Vides ut viscera sonitum edere possint tristem et funereum, ut ingenti dolore et gemitu commota resonent, sicut ab halitu inflata tibia, aut a plectro percussa cithara.

QUIA PLUS FECIT QUAM POTUIT, — id est, quia plures congregavit divitias, quam par aut justum erat. Verba sunt Prophetæ qui personam et affectum hominis Moabitæ induit et exprimit, ut futuram vastationem ob oculos ponat.

Aliter Vatablus et alii ex Hebræo, *q. d.* Ideo lugebo, quia divitiæ quas Moab sibi comparaverat multo labore, perierunt.

Vers. 37. 37. OMNE ENIM CAPUT (Moabitarum erit) CALVITIUM, — id est decalvatum, quia omnes erunt vel captivi vel lugentes : utrique enim olim decalvabantur.

IN CUNCTIS MANIBUS (erit) COLLIGATIO, — *q. d.* Omnium Moabitarum manus vinculis colligabuntur. Hebraice est, *super omnes manus erunt incisiones;* et Septuaginta, *omnes manus incidentur :* quia scilicet ex doloris vehementia et impatientia, more veteri manus dentibus vel unguibus laniabunt; vel potius, ut vertit noster Interpres, quia ex vinculorum colligatione manus incidentur et lacerabuntur.

Vers. 38. 38. SUPER OMNIA TECTA, — quæ in Moab et Judæa, uti et in Hispania et Italia multis in locis plana sunt, ut in iis sedeant et inambulent homines, uti dixi *Deuter.* XXII, 8. Hæc S. Hieronymus, *ad Suniam et Fret.*, « domata, mæniana et solaria » appellat.

SICUT VAS INUTILE, — id est reprobatum : unde hebraice est, *in quo non est voluntas*, id est quod nemo vult, sed omnes reprobant.

Vers. 39. 39. QUOMODO DEJECIT CERVICEM MOAB. — quæ quasi vitula conternans cervicem attollebat, nunc « submisit tristi colla superba jugo, » ut trahat plaustrum, vel aret colatque agros Chaldæorum. Loquitur de Moab in genere nunc masculino, nunc feminino : quia nunc populum, nunc regionem intelligit.

IN EXEMPLUM — terroris, ut omnes gentes videntes cladem Moab, timeant ne in eamdem incurrant.

Vers. 40. 40. QUASI AQUILA, — scilicet involabit in Moab Nabuchodonosor cum suis alis, id est exercitu. Comparat Chaldæos ob fortitudinem, celeritatem et rapacitatem aquilæ volanti : idem facit Ezechiel, cap. XVII, 3. Ita Theodoretus.

Aquila symbolum victoriæ violentæ et magnificæ.

Nota : Aquila signum est impetus, vastationis, ac victoriæ celeris, violentæ ac magnificæ. Hinc horum omen gentiles sæpe usque ad superstitionem sumpserunt ab aquilis.

Pugnantibus Locris cum Crotoniatis, aquila a

facie Locrorum nunquam recessit, eosque tamdiu circumvolavit, quoad vincerent. In cornibus quoque duo juvenes diverso a cæteris armorum habitu, eximia magnitudine, ex albis equis, coccineis chlamydibus paludati, pugnare visi sunt : nec ultra apparuerunt quam pugnatum est.

Cornelius Tacitus, lib. II *Annal.* auspicium aquilarum octo Germanico duci castrorum datum, notat his verbis : « Intentus paratusque miles, ut ordo agminis, in aciem adsisteret (*adstitere* legit Lipsius, et mea quidem sententia melius). Visis Cheruscorum catervis, quæ per ferociam proruperant, validissimos equitum incurrere latus, Stertinium cum cæteris turmis circumgredi tergaque invadere jubet, ipse in tempore adfuturus. Interea pulcherrimum augurium, octo aquilæ sylvas petere et intrare visæ, imperatorem advertere (id est ad se suique considerationem verterunt : est enim *adverto* hoc sensu usurpatum sæpius a Tacito, ut notat Lipsius), « exclamat, irent, sequerentur Romanas aves propria legionum numina. »

Cæsari contra Pompeium dimicanti victoriam nuntiarunt aquilæ, Dione auctore, lib. XLIII : « Aquilæ (inquit) legionum ejus alas concutientes, et fulmina, quæ aurea pedibus tenebant, abjicientes, Pompeio exitium palam denuntiabant, ipsæque ad Cæsarem quasi avolabant. »

Simili pacto tradunt primam aquilam, quæ in exercitu Crassi ferebatur, sua sponte, nemine cogente, esse conversam, cum adversus Parthos proficisceretur, ut auctor est Plutarchus in *Vita Crassi*.

Appianus quoque, lib. IV *De Bello civili*, binas aquilas refert in Cassii castris apparuisse, ubi ait : « Paulo post et imperatores secuti sunt. Eo tempore aquilæ duæ superne demissæ, argenteas signiferorum aquilas insederunt, tundentes rostris, vel, ut quidam tradunt, alis protegentes. Permanserunt in exercitu, alentibus imperatoribus ex publico, donec pridie quam pugnatum est avolarunt. »

41. SICUT COR MULIERIS PARTURIENTIS, — quod in angustiis est, infirmum, pusillanime et plenum doloribus : in partu enim ipsa viscera confringi et disrumpi videntur præ doloris acerbitate.

42. QUONIAM CONTRA DOMINUM (id est contra Israel qui est populus Domini) GLORIATUS EST, — uti dixit vers. 27; qui enim eos tangebat, tangebat pupillam oculi Domini, *Zachar.* II, 8.

43. PAVOR. — *Pavorem* vocat, hostilem gladium; *foveam*, casum improvisum; *laqueum*, insidias Chaldæorum ad capiendos Moabitas, *q. d.* Alii gladio trucidabuntur; alii, dum fugiunt gladium, cadent in foveam, id est improviso aliquo casu peribunt; alii sicut aves laqueo vivi capientur. Per hæc tria, cætera calamitatum et cladium genera intelligit, ut patet ex sequent. Simile est *Isaiæ* XXIV, 17 et 18. Vide ibi dicta.

Nota : In Hebræo pulchra est paronomasia inter hæc tria פחד פחת פח *pach*, *pachat*, *pachad*, id est *laqueus*, *fovea*, *pavor* (1).

44. ANNUM VISITATIONIS (id est punitionis) EORUM. Vers. 44.

45. IN UMBRA HESEBON STETERUNT (*q. d.* Moabitæ qui de laqueo, hebraice, de potentia et impetu ac invasione Chaldæorum fugerint, conferent se ad urbem munitissimam Hesebon, ut in ea sint tuti; sed fallentur, incident enim in majus periculum et malum : nam milites acerrimi instar ignis omnia depopulantes, scilicet Chaldæi, vi vel astu Hesebon ingressi, aut ipsimet milites Hesebon, qui tumultuantibus inter se et dissidentibus Moabitis Hesebonem Chaldæis prodent, egredientur ex Hesebon, et ardentissimi ut flamma erumpent ex urbe regis Seon (quæ est eadem cum Hesebon jam dicta), et devorabunt universam Moabitidem usque ad ultimum ejus angulum, ut habent Hebræa : quin et) VERTICEM (id est urbes et arces ipsas) FILIORUM TUMULTUS, — id est tumultuantium; *filios* enim *tumultus* vocat principes, qui Moabitis fuerunt causa tumultuandi et rebellandi Chaldæis, quasi satis ad id virium, armorum et militum haberent : aut certe Moabitas inter se tumultuantes, dum alii pacem cum Chaldæo vellent, alii bellum, alii aliud suaderent in re ancipiti et perplexa. Ita Chaldæus, Theodoretus, Rabanus, Hugo, Lyranus et Sanchez, qui tamen per *verticem* accipit duces et principes civium et militum tumultuantium. Et recte.

Nota : Citat *Numer.* XXI, 26, quia quod ibi in Hesebon gestum narratur ab Amorrhæis ante Mosen, hic rursum gerendum dicitur a Chaldæis. Rursum pro *Sion*, uti legunt Plantiniana, legendum est *Seon*, cum Romanis, Hebræo, Septuaginta et Chaldæo; fuit enim Seon rex Amorrhæorum, quem devicit Moses : regia ejus erat Hesebon, quæ inde dicta est urbs Seon, *Num.* XXI, 26, 27 et 28.

46. PERIISTI, POPULE CHAMOS, — populo Moab, qui idolum Chamos colebas. Vers. 46.

47. CONVERTAM CAPTIVITATEM, — tum temporalem Moabitarum, ut redeant e Babylone in Moab; id enim factum patet ex *Sophon.* II, 9, et ex Josepho, lib. XIII *Antiq.* XX. Ita Theodoretus, Lyranus et alii. Cum enim Cyrus Persa, capta Babylone, dedit libertatem Judæis, dedit et Moabitis, tum spiritualem eorum aliarumque gentium captivitatem sub jugo diaboli, solvam per Christum et Apostolos. Ita Rabanus, Hugo et Vatablus. Vers. 47.

HUCUSQUE JUDICIA, — hucusque protenditur justa

(1) « Pavor, et fovea, et laqueus super te. » Formidine occupaberis, laqueo ab hostibus capieris, in scrobem exitio tuo paratam cades. Tropicæ locutiones, ex venatu ductæ. Cum ingens fera capienda est, veluti cervus, aper, ursus, saltus pars, ubi ea latet, cingitur partim validissimis retibus, quo fera impellitur, partim densiore filo, appensis identidem vario colore plumis, quæ vento agitatæ feram terreant, atque in retia impellant. Hujus moris passim veteres meminere. (Calmetus, *Script. sacr. Curs. complet.*) Vide similem loquendi modum *Isaiæ* XXIV, 17.

sententia, justum decretum, justa vindicta, justum supplicium Dei de Moab. Hoc addit ob prophetiæ prolixitatem.

Nota : Hanc cladem subiit Moab ob duo vitia: scilicet *primum* superbiæ, *secundum* gulæ et libidinis, quo servivit deo Chamos, id est Beelphegor. Hæc vitia orta sunt ex opulentia et munitione terræ Moab. Denique Moab vastata est a Nabuchodonosore anno regni ejus 23, ait Josephus, id est quinto anno post excidium Jerusalem : tunc ergo hæc prophetia exsecutioni data est. Idem colligitur ex *Isaiæ* cap. XVI, vers. 14.

CAPUT QUADRAGESIMUM NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prædicit excidium per Chaldæos Ammonitis, vers. 1, *Idumæis, vers.* 7, *Damasco, vers.* 23, *Cedar, vers.* 28, *Ælam, vers.* 34 (1).

1. Ad filios Ammon. Hæc dicit Dominus : Numquid non filii sunt Israel? aut hæres non est ei? Cur igitur hæreditate possedit Melchom, Gad : et populus ejus in urbibus ejus habitavit? 2. Ideo ecce dies veniunt, dicit Dominus : et auditum faciam super Rabbath filiorum Ammon fremitum prælii, et erit in tumulum dissipata, filiæque ejus igni succendentur, et possidebit Israel possessores suos, ait Dominus. 3. Ulula, Hesebon, qnoniam vastata est Hai; clamate, filiæ Rabbath, accingite vos ciliciis : plangite et circuite per sepes : quoniam Melchom in transmigrationem ducetur, sacerdotes ejus et principes ejus simul. 4. Quid gloriaris in vallibus? defluxit vallis tua, filia delicata, quæ confidebas in thesauris tuis, et dicebas : Quis veniet ad me? 5. Ecce ego inducam super te terrorem, ait Dominus Deus exercituum, ab omnibus qui sunt in circuitu tuo : et dispergemini singuli a conspectu vestro, nec erit qui congreget fugientes. 6. Et post hæc reverti faciam captivos filiorum Ammon, ait Dominus. 7. Ad Idumæam. Hæc dicit Dominus exercituum : Numquid non ultra est sapientia in Theman? Periit consilium a filiis, inutilis facta est sapientia eorum. 8. Fugite et terga vertite, descendite in voraginem, habitatores Dedan : quoniam perditionem Esau adduxi super eum, tempus visitationis ejus. 9. Si vindemiatores venissent super te, non reliquissent racemum : si fures in nocte, rapuissent quod sufficeret sibi. 10. Ego vero discooperui Esau, revelavi abscondita ejus, et celari non poterit : vastatum est semen ejus, et fratres ejus, et vicini ejus, et non erit. 11. Relinque pupillos tuos : ego faciam eos vivere : et viduæ tuæ in me sperabunt. 12. Quia hæc dicit Dominus : Ecce quibus non erat judicium ut biberent calicem, bibentes bibent : et tu quasi innocens relinqueris? non eris innocens, sed bibens bibes. 13. Quia per memetipsum juravi, dicit Dominus, quod in solitudinem, et in opprobrium, et in deser-

(1) De vicinis Judææ populis in hoc capite prophetat Jeremias.

PRIMO, *de Ammonitis* omni ævo Hebræis infensis, *primo*, expostulat de occupata per hos sorte Gad, 1; *secundo*, iis denuntiat incursiones hostiles, incendia, vastitatem et luctum universalem, 2, 3; *tertio*, eorum retundit vanam gloriam et confidentiam, incusso terrore, vers. 4, 5; *quarto*, denique spondet futurum e captivitate reditum, vers. 6.

SECUNDO, *de Idumæis*, horum *primo*, vanam sapientiam confundit prædictione capiendæ fugæ, 8; sustinendæ deprædationis majoris quam vindemiatores vineam, aut fures domum evacuare solent, 9-11; perferendæ pœnæ, ad aliorum exemplum quibus ut ignosceret Deus ratio erat, et æquitas suadere videbatur; Judæorum scilicet qui arcto fœdere cum Deo conjuncti erant, et tamen a pœna non fuerunt immunes, 12; *secundo*, eorum Deus insolentem arrogantiam deprimit, 16; confirmata jurejurando comminatione ignominiosæ devastationis undique inferendæ, 13-15; subversionis et solitudinis horribilis inducendæ, 17, 18; stragis ac ruinæ ab hoste divinitus excitato faciendæ, 19-22.

TERTIO, *de Syris* seu *Damascenis*, quorum describit *primo*, pavorem de tristi nuntio, 23; *secundo*, fugam et desperationem, 24, 25; *tertio*, cæsos hinc milites, et urbem incendio perditam, 26, 27.

QUARTO, *de Agarenis. Primo*, prædicit, in Arabia Petræa, irruente Nabuchodonosore, futuram devastationem, direptionem et pecorum translationem, 28, 29. *Secundo*, in Arabia Deserta, sub ejusdem regis invasionem, suadet fugam incolis, nulla ratione munitis, 30, 31, simulque indicit pecoribus direptionem, et terris solitudinem ac desertum, 32, 33.

QUINTO, *de Ælamitis*, notato tempore factæ prophetiæ, 34, narrat illorum quidem cladem, dispersionem et panicum timorem, solii autem regii ad alium translationem, 35-38, additque de reparatione posthac faciendi vaticinium.

tum, et in maledictionem erit Bosra : et omnes civitates ejus erunt in solitudines sempiternas. 14. Auditum audivi a Domino, et legatus ad gentes missus est : Congregamini, et venite contra eam, et consurgamus in prælium : 15. ecce enim parvulum dedi te in gentibus, contemptibilem inter homines. 16. Arrogantia tua decepit te, et superbia cordis tui : qui habitas in cavernis petræ, et apprehendere niteris altitudinem collis, cum exaltaveris quasi aquila nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus. 17. Et erit Idumæa deserta : omnis qui transibit per eam stupebit, et sibilabit super omnes plagas ejus. 18. Sicut subversa est Sodoma, et Gomorrha, et vicinæ ejus, ait Dominus : non habitabit ibi vir, et non incolet eam filius hominis. 19. Ecce quasi leo ascendet de superbia Jordanis ad pulchritudinem robustam; quia subito currere faciam eum ad illam : et quis erit electus, quem præponam ei? quis enim similis mei? et quis sustinebit me? et quis est iste pastor, qui resistat vultui meo? 20. Propterea audite consilium Domini, quod iniit de Edom; et cogitationes ejus, quas cogitavit de habitatoribus Theman : Si non dejecerint eos parvuli gregis, nisi dissipaverint cum eis habitaculum eorum. 21. A voce ruinæ eorum commota est terra : clamor in mari Rubro auditus est vocis ejus. 22. Ecce quasi aquila ascendet, et avolabit : et expandet alas suas super Bosran : et erit cor fortium Idumææ in die illa, quasi cor mulieris parturientis. 23. Ad Damascum : Confusa est Emath et Arphad : quia auditum pessimum audierunt, turbati sunt in mari : præ sollicitudine quiescere non potuit. 24. Dissoluta est Damascus, versa est in fugam, tremor apprehendit eam : angustia et dolores tenuerunt eam quasi parturientem. 25. Quomodo dereliquerunt civitatem laudabilem, urbem lætitiæ! 26. Ideo cadent juvenes ejus in plateis ejus : et omnes viri prælii conticescent in die illa, ait Dominus exercituum. 27. Et succendam ignem in muro Damasci, et devorabit mœnia Benadad. 28. Ad Cedar, et ad regna Asor, quæ percussit Nabuchodonosor rex Babylonis. Hæc dicit Dominus : Surgite, et ascendite ad Cedar, et vastate filios Orientis. 29. Tabernacula eorum, et greges eorum capient : pelles eorum, et omnia vasa eorum, et camelos eorum tollent sibi : et vocabunt super eos formidinem in circuitu. 30. Fugite, abite vehementer, in voraginibus sedete, qui habitatis Asor, ait Dominus : iniit enim contra vos Nabuchodonosor rex Babylonis consilium, et cogitavit adversum vos cogitationes. 31. Consurgite, et ascendite ad gentem quietam, et habitantem confidenter, ait Dominus : non ostia, nec vectes eis; soli habitant. 32. Et erunt cameli eorum in direptionem, et multitudo jumentorum in prædam : et dispergam eos in omnem ventum, qui sunt attonsi in comam : et ex omni confinio eorum adducam interitum super eos, ait Dominus. 33. Et erit Asor in habitaculum draconum, deserta usque in æternum : non manebit ibi vir, nec incolet eam filius hominis. 34. Quod factum est verbum Domini ad Jeremiam prophetam adversus Ælam, in principio regni Sedeciæ regis Juda, dicens : 35. Hæc dicit Dominus exercituum : Ecce ego confringam arcum Ælam, et summam fortitudinem eorum. 36. Et inducam super Ælam quatuor ventos a quatuor plagis cœli : et ventilabo eos in omnes ventos istos : et non erit gens, ad quam non perveniant profugi Ælam. 37. Et pavere faciam Ælam coram inimicis suis, et in conspectu quærentium animam eorum : et adducam super eos malum, iram furoris mei, dicit Dominus : et mittam post eos gladium donec consumam eos. 38. Et ponam solium meum in Ælam, et perdam inde reges et principes, ait Dominus. 39. In novissimis autem diebus reverti faciam captivos Ælam, dicit Dominus.

1. AD FILIOS AMMON, — id est prophetia ad Ammonitas, aut de Ammonitis, aut contra Ammonitas : hæc enim omnia significat Hebræum *lamed*, quod Noster vertit *ad* (1).

(1) Edita videtur hæc prophetia ut ea quæ præcedit contra Moabitas, expugnata Hierosolyma, et adimpleta quinto post anno.

ISRAEL. — Israeli, *q. d.* Cum Israel habeat filios legitimos hæredes, ad quos pertinet terra Gad trans Jordanem, cur Melchom, id est Ammonitæ, quorum rex, dominus et deus est Melchom, occuparunt violenter terram Gad? Notat Theodoretus, cum decem tribus abductæ sunt in Assyrios, tunc Ammonitas vicinam sibi Galaaditidem

(quæ erat terra et sors tribus Gad, Ruben et dimidiæ tribus Manasse, quas primo omnium abduxerunt Assyrii; IV *Reg.* XIII), utpote jam vacuam et desertam, in odium et irrisionem Israelitarum invasisse et occupasse, uti voluerunt facere sub Jephte, *Judic.* XI, 13; ideoque Deus hic eis quasi sibi suoque populo injuriis et raptoribus excidium intentat. Justum enim est ut privetur suis, qui invadit aliena. Rursum aliam excidii Ammonitarum causam dat Ezechiel cap. XXV, 6, quod nimirum in Israelis excidio exsultarint, illudque adjuverint.

Mystice, Alcazar per Moab et Ammon fratres ex carnali et incesto concubitu genitos, accipit appetitum duplicem, puta per Moab concupiscibilem, per Ammon irascibilem, qui jugiter rationem et spiritum oppugnant. Ita ipse in *Apocal.* XIV, 11, notat. 6.

CUR IGITUR HÆREDITATE POSSEDIT. — Ammonitæ erant cognati Israelitarum, erant enim filii Lot nepotis Abrahæ, *Genes.* XIX, 37; itaque cum viderent Israelitas pene abductos et abolitos esse, eorum hæreditatem, quasi jure suo occuparunt. Sed retorquet hoc Deus, aitque Israelem adhuc sufficientes habere hæredes proximos, scilicet reliquias decem tribuum, et iis deficientibus, tribum Juda et Benjamin, ut cognati, scilicet Ammonitæ, de hæreditate ejus adeunda cogitare non debeant.

Vers. 2. 2. RABBATH. — Urbs est Arabiæ, Ammonitarum metropolis, postea vocata est Philadelphia a Ptolemæo Philadelpho, ut asserit Stephanus, lib. *De Urbibus*. Dicta est Rabbath, id est magna vel multa, a populi et loci magnitudine.

ERIT IN TUMULUM DISSIPATA. — Chaldæus: *Erit in acervum desolationis cum filiabus suis*, id est minoribus oppidis et villis, in acervum, inquam, lapidum et ruderum, uti esse solent urbes dirutæ.

POSSIDEBIT, — *q. d.* Israel ex captivitate rediens, non tantum terram suam, sed etiam Ammonitarum, qui ipsorum hæreditatem occupantes possederant, occupabit et possidebit. Id impletum est per Machabæos, ut patet lib. I *Machab.* cap. V, 6, et ex Josepho, XIII *Antiq.* cap. XXI. Ita Hugo et Lyranus.

Vers. 3. 3. ULULA, HESEBON. — Hesebon urbs erat Moabitarum, vicina Hai, aliisque urbibus Ammonitarum; unde ex clade Hai et Ammonitarum, monet Hesebonem et Moabitas, ut se ad similem cladem parent. Hinc patet Hai et reliquas urbes Ammon, prius esse vastatas quam Hesebon et urbes Moab: hæc ergo prophetia de Ammonitis præcessit illam cap. præcedentis de Moabitis. Ita Isidorus, Maldonatus et alii (1).

Vers. 4. 4. QUID GLORIARIS IN VALLIBUS? — propter earum fertilitatem. Erat enim vicina Sodomæ et Pentapoli, quæ ante subversionem ita fertilis erat et amœna, ut videretur paradisus Dei, *Genes.* cap. XIII, vers. 10 (2).

DEFLUXIT (Chaldaice, *desolata est*) VALLIS TUA; — quia vastata ab hoste. Sicut enim in hieme defluunt frondes, fructus, omnisque viror et germen camporum et vallium: ita et in vastatione hostili.

FILIA DELICATA. — Hebraice *filia* שובבה *scobeba*, id est *rebellis*, vel aversa; Septuaginta, *filia temeritatis* sive impudentiæ; quia ut suas delicias sequeretur, impudenter Deo rebellavit; Chaldæus, *regnum insipiens*. Noster *scobeba* deduxit a radice ישב *iascab*, id est sedit, quievit, pacifica, dives et felix fuit: unde שובה *scuba* significat quietem, *q. d.* Quievisti et sedisti hactenus in tuis deliciis et vitiis, æque ac soror tua Moab in suis fæcibus, cap. XLVIII, 11; nunc iis cum illa excutieris.

QUIS VENIET AD ME, — ut me capiat?

TERROREM — bellicum, milites terribiles, vel terrorem panicum, ut eo correpti fugiatis nemine persequente, qualem Deus immisit in Chananæos, *Genes.* XXXV, 5, *Exodi* XXIII, 27, et alibi. Ita Sanchez.

5. SINGULI A CONSPECTU VESTRO, — mutuo, *q. d.* Unus ab alio, unus huc, alius alio dispergetur, ut vitæ consulat, uti fit in communi clade et perturbatione; unde Hebræa habent: *Unusquisque in faciem suam*, scilicet quo eum ducet, vel rapiet facies sua, diffugiet.

6. REVERTI, — tum a captivitate temporali; ita Vers. 6. Theodoretus, Hugo, Lyranus; tum a spirituali diaboli, per Christum; ita Rabanus et Vatablus (3).

Dices: *Ezech.* XXV, 10, dicitur non amplius fore memoriam Ammon. Respondeo: *Ammon*, id est regni Ammon; fuit tamen gens Ammon, sed depressa, de quo plura *Ezech.* XXV. Cyrus enim capta Babylone, detentos in ea Ammonitas, æque ac Judæos laxavit.

7. Ad IDUMÆAM, — prophetia est, vel dirigitur, Vers. 7. scilicet ea quæ sequitur (4).

THEMAN, — urbs erat principium Idumææ, sapientibus abundans, sic dicta a Theman filio Eliphaz filii Esau, ait Theodoretus, *Genes.* XXXVI, 11,

(1) Nebucadnezar a septentrione veniens primo Ammonitidem vicit, deinde fraternam aggressus est Moabitidem.

Mantua, væ miseræ nimium vicina Cremonæ!
(Virgilii *Eclog.*)
(J. D. Michaelis.)

(2) Situm Ammanæ, id est Rabbæ Ammonitarum, sic describit Albufeda *Tab. Syr.* pag. 92: « Circumjecta regioni arva sativa sunt, ac terra bona et abundans » (Cf. Burckhardti *Itiner. Comment.* pag. 612, vers. teut.). Ipsa urbs in monte sita, ad cujus præcipites radices Jabbocus fluit, ergo hic sub monte vallis profunda, Polybius, lib. V, cap. LXXI. (J. D. Michaelis.) Sed poterant, inquit Rosenmüller, Ammonitæ de vallibus suis et ideo gloriari, quod undique montibus cincti essent, ut hostis eos vix aggredi auderet.

(3) Eadem quæ supra, cap. XLVIII, 47, Moabitis facta est promissio. Græcus Alexandrinus hunc versum omisit. In codice Jesuitarum et codice regio Parisiensibus, nec non in versione Syro-Hexaplari insertus est cum asterisco sub nomine Aquilæ et Theodotionis. (Rosenmüller.)

(4) Quatuor hujus vaticinii versus (9, 14, 15 et 16) sunt ex Abdiæ contra Idumæos prophetia, paucis mutatis transumpti. (Rosenmüller.)

q. d. Qui factum est, ut Themani sapientes, jam inopes consilii non potuerint se contra hostes defendere? Videntur ergo in Theman fuisse gymnasia et academiæ sapientiæ, tam divinæ quam humanæ. Certe eam ostendit Eliphaz disputans de Deo, Deique providentia cum Job : fuit enim Eliphaz Themanites.

PERIIT CONSILIUM A FILIIS — Theman; Septuaginta, *a sapientibus Theman* : hebraice enim בניהם *banim*, tam sapientes quam filios significat. Nota : Cum Deus vult urbem aut gentem aliquam punire, aufert sapientes, aut eos ita excæcat, ut stulta dent consilia. Ita contigit Roboamo, Absaloni et aliis.

8. DESCENDITE IN VORAGINEM, — in fossas ad latendum. Ita Theodoretus, Hugo, Lyranus. Est ironia, *q. d.* Descendes, et latitabis in speluncis, sed frustra : ibi enim te scrutabuntur et occident, vel capient Chaldæi. Patet vers. 10.

HABITATORES DEDAN. — Regio est, ita dicta a Dedan filio Abrahæ ex Cetura, *Genes.* XXV, 3. Sita est in Idumæa, vel juxta eam, ut ex hoc loco patet. Sic et alii Abrahæ filii in vicinis Arabiæ provinciis habitarunt. Causam cur descendere debeant, subdit :

QUONIAM PERDITIONEM ESAU ADDUXI, — id est cladem definitam a me contra Idumæam, jam illi inducam.

Vers. 9. 9. NON RACEMUM? — *Non*, id est *nonne*, est enim interrogatio. Sensus est, *q. d.* Vindemiatores hinc inde occultum aliquem racemum prætereunt et relinquunt in vite, quia eum inter tot folia latentem non vident : at Chaldæi nihil in te relinquent, omnia scrutabuntur et prædabuntur. Eadem sententia est *Abdiæ*, I, 5. Ita Rabanus, Hugo, Lyranus. Sic Virgilius :

> Non ego te vidi Damonis, pessime, caprum
> Excipere insidiis?

non, id est *nonne*?

SI FURES IN NOCTE, — *q. d.* Fures non omnia furantur; quia multa sunt abscondita et reclusa, quæ ab illis videri et rapi non possunt; sed ego discooperiam et nudabo Idumæam, ut quidquid est in ea absconditum, ab hostibus inveniri possit, *q. d.* In Idumæa nihil relinquam, sed illam et ejus opes omnes quas abscondit, prodam hostibus Chaldæis, ita ut vastetur semen, id est omnes filii, fratres et vicini ejus. Porro dicit : « Discooperui Esau, » et « revelavi abscondita : » quia Idumæi habitabant in scissuris petrarum et speluncis, ait Abdias vers. 3 et 6; tum quia Idumæa sita est in montibus et petris; tum ob calores solis, quibus feritur illa regio, ut ab iis se cavernarum et antrorum umbris et frigore tuerentur. Ita S. Hieronymus in *Abdiæ* vers. 6. Hæc ergo eorum antra specusque scrutati sunt et diripuerunt Chaldæi.

10. ET NON ERIT, — scilicet superstes, qui dicat socio morienti : Relinque mihi liberos tuos et viduam; ego eorum curam geram, ego eos in vita conservabo, nutriam et protegam, *q. d.* Omnes occidentur et morientur. Patet *Abdiæ* vers. 18; *Psalm.* CXXXVI, 7. Ita Vatablus.

Secundo, Rabanus, Hugo, Lyranus sic exponunt, « et non erit, » supple frater, vicinus, sed omnes peribunt. Unde subdit Deus, dicitque : « Relinque » ergo mihi « pupillos » et viduas tuas; ego eos servabo : patet enim Deum servasse aliquos in Idumæa, quia postea rursum Idumæi subacti sunt a Machabæis.

Tertio et optime, « non erit, » scilicet semen, ut præcessit, id est posteritas Idumææ audacter dicens : Relinque pupillos tuos si quos habes, ego faciam eos vivere; sed scito te nullos, id est paucos et vix ullos, relinquere (1), *q. d.* Ita omnes Idumæi peribunt sæviente Chaldæo, ut ne viduas quidem et infantes superstites relinquant, de quibus ego, qui maximam viduarum et pupillorum curam gero, possim tibi dicere : « Relinque pupillos tuos, ego » eos nutriam; unde Septuaginta vertunt : *Et non est relinqui orphanum tuum ut vivat.* Ita Maldonatus.

12. ECCE QUIBUS NON ERAT JUDICIUM. — Judæi, maxime qui pii erant et boni, non videbantur mereri supplicium captivitatis; hi tamen eo puniti sunt : quanto magis tu, o Idumæa! quæ nocens es eodem punieris? Ita Theodoretus, Hugo, Rabanus, Vatablus. Aliter Sanchez, *q. d.* Ecce pupilli tui et orbi, qui erant innocentes, immunitatem a communi cæde consecuti non sunt; quomodo ergo tu tibi impunitatem a tuorum scelerum turpitudine pollicearis? Vers. 12.

13. NON ERIS INNOCENS (id est impunita. Est catachresis). SED BIBENS BIBES, — id est omnino bibes, et usque ad fæces exhauries calicem iræ Dei, quem tibi propinat. Vers. 13.

IN MALEDICTIONEM ERIT BOSRA. — Ita horrende castigabitur et evertetur Bosra, ut videatur a Deo maledicta, utque ab omnibus alicui maledicere volentibus assumatur in exemplum, dicantque : Maledicat tibi Deus, sicut maledixit Bosræ. Sicut enim benedictio omnium bonorum, sic maledictio omnium malorum congeriem et complexum significat. Porro Bosra metropolis erat Idumææ. Bosra hebraice significat munitam. Ex hac ortus est Jobab, secundus rex Idumææ, *Genes.* XXXVI, 33. Erat quoque alia Bosra in Moab.

14. AUDITUM AUDIVI, — id est rem hanc audivi. Est metonymia. *Auditus* ponitur pro re audita. Orditur hic excidium Idumææ inferendum, ab ovo, scilicet a legato qui sequitur. Vers. 14.

(1) Hæc interpretatio nativa magis videtur quam illa quæ ad populum hebræum convertit sermonem, cujus pupillorum et viduarum curam in se suscepturum promitteret Deus, quod universæ orationis contextus et consilium vix ferat. Nec magis admittenda ut longius petita C. B. Michaelis interpretatio, qui ad populum hebræum et ipse referens hunc versum, sic instituit : *Relinque pupillos tuos*, Idumæa, id est eum populum, qui patrem in terris non habet, ac proinde apud te, ac tua partim tyrannide *pupillus* est. Ab illis igitur manus abstine, noli eos affligere, ut adhuc fecisti. »

LEGATUS AD GENTES MISSUS EST. — « Legatus » hic fuit *primo*, Dei voluntas, instinctus et excitatio, qua ipse excitavit Chaldæos ut invaderent Idumæam, ait Cyrillus et Ribera in *Abdiam*. Lyranus et Sanchez hic. *Secundo*, Theodoretus, « legatus, » inquit, id est angeli, qui ad bellum Chaldæos excitent. *Tertio*, « legatus, » quem scilicet Chaldæi miserunt ad gentes sibi subjectas, ut se ad bellum contra Edom pararent. Hic sensus est planissimus. Vide *Isaiæ* v, 26, et *Canon.* XXXVI et XXXVII.

Mystice, S. Hieronymus et Rupertus : Christus, inquiunt, a Patre legatus missus est ad Idumæos aliasque gentes, ut eorum gentilismum et vitia everteret, eosque ex paganis faceret christianos.

15. ECCE ENIM PARVULUM, — quia Idumæa angusta et montosa, paucos habebat incolas : hi tamen superbiebant in loci sui munitione, eo quod habitarent in collibus et cavernis petrarum, ut ait vers. 16. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Rabanus, Hugo. Sumpsit hæc et plura Jeremias ex Abdia, cujus prophetia tota est de excidio Idumææ. Sensus est, *q. d.* O Idumæi! dedi vobis regionem saxosam et montosam, ita ut vestræ domus videantur potius bestiarum, quam hominum esse antra et latibula; paucos ergo parvulosque et abjectos vos effeci : quin et rursum per David et Joab, qui in vobis omnes masculos occidit, II *Reg.* XI, 15, vos contudi, et pene exstirpavi; et tamen superbitis, putatis vos ob loci munitionem invictos, ob rupium asperitatem inaccessos. Fallimini : hæc omnia pervadet Chaldæus.

Aliter Vatablus et Maldonatus, *q. d.* « Dedi, » id est dabo et efficiam te per Chaldæos parvum et contemptibilem, o Edom! dejiciam te ac deprimam, cum tu ibi magnus esse videaris : omnis enim qui se exaltat humiliabitur. Vide *Abdiæ* II et III, *Job* XX, 6, *Matth.* X, 15.

Vers. 16. 16. ARROGANTIA TUA.—Hebraice תפלצתך *tiphlatstecha*, id est timor et tremor tui, quod scilicet terrori esses vicinis propter potentiam. Ita Chaldæus. Hic terror peperit arrogantiam. Vatablus et Pagninus vertunt : *Idolum tuum decepit te* : quasi idolum hoc consultum ab Idumæis, eis promiserit victoriam contra Chaldæos ; sed falso.

Superbia est idolum fallax. Sic tropologice, superbia est idolum, quod sibi fingunt homines, cum putant se pluris esse quam sint : hoc superbos decipit. Sic idolum, puta statuam altissimam, fecit sibi Nabuchodonosor, ut in ea adoraretur, *Daniel.* III, 1.

QUI HABITAS IN CAVERNIS PETRÆ (id est in montibus et rupibus inaccessis, uti Helvetii), ET APPREHENDERE NITERIS (hebraice תופשי *tophesci*, id est tenes et occupas) ALTITUDINEM COLLIS, — id est montis Seir. Aliter Maldonatus, « apprehendere niteris, » id est, inquit, attingere tibi videris altitudinem collis, *q. d.* Qui tibi videris esse excelsus, et similis altissimo colli.

17. ET SIBILABIT, — vel ex irrisione, vel ex admiratione tantæ cladis; utriusque enim sibilus apud Hebræos erat signum, *q. d.* In extrema clade, miseria et ejulatu Idumæorum, nemo eis ob eorum superbiam compatietur, sed potius eis insultabunt, eosque exsibilabunt.

19. ECCE QUASI LEO. — Nota cum Theodoreto : Nabuchodonosor comparatur leoni ob furorem et fortitudinem; unde de eo dixit cap. IV : « Ascendit leo de cubili suo. » Minus ergo recte Maldonatus per leonem hic intelligit Machabæos, qui subegerunt Idumæos, I *Machab.* V. Nam hic agitur de Chaldæis, non Machabæis.

Idumæa autem vocatur per ironiam *pulchritudo robusta*, eo quod Idumæi jactarent se habere pulchras et robustas urbes, sed falso : quæ enim pulchritudo potest esse in cavernis petrarum? In hanc venit Nabuchodonosor de superbia Jordanis, id est transito Jordane tumido (in messe enim ex nivibus in Libano liquatis augetur et intumescit Jordanis, ut patet *Josue* III, 15), superbus, quasi victa Judæa auctisque copiis, venit in Idumæam, *q. d.* Sicut Jordanis intumescens, ingenti aquarum exundatione terram obruit; ita Chaldæus multitudine militum in Judæa confluentium et augescentium, operiet Idumæam; idque veniens a Jordane et Judæa. Patet *Abdiæ* vers. 18. Ita Rabanus, Hugo, Vatablus. Sic Nabuchodonosorem comparavit flumini, cap. XLVI, vers. 7 : « Quis est iste, qui quasi flumen ascendit : et veluti fluviorum, intumescunt gurgites ejus? »

Addunt Rabanus, Theodoretus et Hugo superbiam vocari partem extremam Jordanis, quæ quia plures e montibus successive defluentes in se colligit rivos et aquas; hinc magis intumescit et superbit, hoc est, majores volvit aquarum moles et gurgites. Insuper Chaldæus, Lyranus et Sanchez « superbiam Jordanis » vocari putant eum Jordanis locum, ubi et densior est sylva, et pascua magis pinguia, quibus leones et feræ saginentur, fiantque animosi et superbi (1), *q. d.* Chaldæi eo impetu et ardore irruent in Idumæam, quo leo de sylvis et pascuis Jordanis uberrimis procurrit, et in prædam irruit. Denique hebræum מן *min*, id est *de*, vertas *præ*, ut hæc sit sententia : *Ecce* Chaldæus *quasi leo ascendet* inflatus et tumidus *præ superbia Jordanis*, id est magis superbus quam Jordanis aquis turgidus. Causam subdit :

QUIA SUBITO CURRERE FACIAM EUM AD ILLAM, — *q. d.* Quia ego robur, ardorem et impetum indam Chaldæo, ut quasi leo furens procurrat in Idumæam.

QUIS ERIT ELECTUS, QUEM PRÆPONAM EI? — « Ei, » scilicet Idumææ, hoc est Idumææ rebus, puta ejus vindictæ, punitioni et excidio. Res enim sæpe ponitur pro rei adjunctis. Sic ait Apostolus : « Induimini Christum », id est mores et virtutes Christi. Sensus ergo est, *q. d.* Quem eligam, ut eum tantæ rei et cladi Idumæorum præponam, nisi invictum et terribilem Nabuchodonosorem? cui ego, qui in fortitudine similem non habeo

(1) Vide annotat. ad vers. 5 cap. XLII *Jerem.*

faveo, et propter quem pugno. Ita Chaldæus, Theodoretus, Hugo, Vatablus. Verum quia jam designavit Nabuchodonosorem vindictæ suæ in Idumæos administrum, dicens : « Ecce leo (puta Nabuchodonosor sævus ut leo) ascendet, » etc.; hinc *secundo*, melius Lyranus et Sanchez τὸ *ei* proprie accipiunt, *ei* scilicet Idumææ, *q. d.* Quem eligam, ut eum præficiam Idumææ, ut Chaldæis resistat? *q. d.* Nullum, tum quia ego Nabuchodonosorem mitto, tum quia nullus mihi est similis, nullus est qui mihi resistat. Ait ergo Deus, inquit Sanchez : Quis Idumææ gentis imperator tam fortunatus sit et robustus, qui mecum, qui Chaldæorum aciem rego, confligere audeat? Quis me, qui in Chaldæorum manibus contra Idumæam pugno, ardentem, versantem et commoventem omnia sustinebit?

PASTOR, — scilicet populorum, id est rex. Ita Chaldæus. Sic Isaias, cap. XLIV, 28, Cyrum vocat pastorem : et Homerus Agamemnonem vocat ποιμένα λαῶν, id est *pastorem populorum*.

Vers. 20. 20. SI NON. (Est forma jurantis, in qua supplendum est, *q. d.* dispeream, puniar, habear mendax, si non effecero) UT PARVULI GREGIS, — id est vilissimi quique exercitus Chaldæorum, dejiciant, et, ut Vatablus vertit, raptent per terram ignominiæ causa Idumæos, suis viribus præfidentes et superbientes. Ita Chaldæus, Hugo, Lyranus, Vatablus. Nam pro *dejecerint eos*, hebraice est יסחבום *iiscabum*, id est *traxerint, distraxerint, raptarint eos*; Chaldæus, *detrahent et occident eos*; Septuaginta, συνυψωθῶσι, id est *abripientur*, συνυψόω, id est *tollo, aufero, avripio*. Nonnulli codices, uti Regii, legunt συμψηθῶσι, id est *vestigia perturbent*, a συμψάω, id est *corrado* contero, confundo, et perturbo alicujus vestigia, ne amplius appareant. Ita Deo volente et juvante omne infirmum fit validum, ac eo se subtrahente omne validum fit infirmum.

Aliter Maldonatus : Parvuli, inquit, gregis sunt pueri qui gregem custodiunt, ita vocantur Judæi : quia pauci et jam subacti, qui in castris Chaldæorum militantes, expugnarunt Idumæos antiquos suos hostes. Hic sensus loco congruit.

Vers. 21. 21. A VOCE RUINÆ, — *q. d.* Præ fragore casus eorum terra commovebitur et contremiscet. Hebræi enim omnem sonitum vocant vocem.

CLAMOR IN MARI RUBRO AUDITUS EST. — Mari enim Rubro vicina est Idumæa.

Vers. 22. 22. QUASI AQUILA. — Aquila est Nabuchodonosor, celer et rapax : alæ sunt copiæ ejus militares.

Vers. 23. 23. DAMASCUM. — Post Moabitas, Ammonitas et Idumæos, qui cognati erant Judæorum, ideoque gravius castigandi, quod eis bellum intulissent; transit ad Syros, quorum caput erat Damascus (sicut Jerusalem Judææ, Rabbath Ammonitidis) *Isaiæ* VII, 8, quia hi quoque Judæos afflixerunt. Idem facit Isaias, cap. XVII, 1 (1).

Nota : Damascus nobilis fuit civitas, unde vers. 25, eam vocat civitatem laudabilem, urbem lætitiæ : hinc Julianus Apostata in epistolis vocat Damascum Jovis urbem, et totius Orientis oculum. Condita est ab Hus filio Aram, filii Sem, filii Noe, ait Josephus, lib. I *Antiq.* cap. VI; inde dicta est Aram, ait S. Hieronymus, postea restaurata a Dammesec servo Abrahæ, dicta est Damascus, ait idem S. Hieronymus, idque apte : dicitur enim hebraice Dammesec, quasi דם שק *dam sac*, id est sanguinis (id est vini rubri) saccus; et græce Damascus, quasi αἷμα et ἀσκὸς, id est *vini uter* : optimo enim vino abundat. Unde finxerunt Bacchum Damasci in sacco habitasse. Damasci quoque texuntur omnifarii ac diversorum colorum bombycini, serici et byssini panni : item ex xylo sive gossypio candidissima mollissimaque xylina sive gossypina lina; unde mercatoribus abundat, qui ea in alia emporia, totamque Europam transmittunt et divendunt. Hinc Damascus fuit caput et regia Syriæ, quæ inde Damascena est dicta. Primus Damascum subegit David rex, II *Reg.* VIII, 6. Damasci regem inungere et constituere Hazaelem jussus est a Deo Elias, III *Reg.* XIX, 15. Hæc urbs ob opes in fastum et luxum abiens vastitati a Deo addicta fuit, quam ei comminati sunt Amos, Isaias, Jeremias et Zacharias. Ergo Teglathphalasar, mercede conductus ab Achaz rege Judææ anno Achaz quarto, eam expugnavit et exussit. Idem fecit postea Nabuchodonosor. Restituta fuit a Macedonibus et Ptolemæis. Tandem Pompeii tempore Damascus a Romanis capta est. Post aliquot sæcula in Saracenorum potestatem venit. Christiani tempore belli sacri eam obsederunt; sed proditi a Syris itineris ducibus deficiente commeatu obsidionem solverunt. Denique circa annum Christi 1400, Tamberlanes eam funditus delevit, atque in trophæum tres ex calvariis cæsorum turres summo ingenio erectas reliquit. Postea a Soldano Ægypti in integrum restituta fuit. Demum anno Christi 1517, Selymus victo et occiso Soldano Ægyptum, Damascum et Syriam occupavit : unde etiamnum paret Turcæ. Damascus nobilis est conversione S. Pauli. Locus etiamnum templo illustratus (in quo christiani sepeliuntur) exstat situs in colle, ex quo primum urbs conspici potest. Ita Ludovicus Romanus, Bredenbachius, Adrichomius et alii.

Damascus urbs Jovis et Orientis oculus.

Damasci origo et etymon.

Jeremias exitium vaticinatur, historia plane nihil compertum habemus. Interierat vetus regnum Damascenum, in historia bellica celebre, fundatum sub Salomone, deletum ab Assyriis. Resurrexerit necesse est; quis enim contra regnum, quod non est, vaticinetur, et quidem in tanta locorum vicinia? Verum nullo omnino teste novimus quale fuerit tempore Jeremiæ. Ac forsan ne regno quidem Damasceno, sed urbi, cuicumque demum parebat, aliisque vicinis urbibus, tristia vaticinatur Propheta (J. D. Michaelis). Cæterum nihil vetat, quin, priori destructo Damascenorum regno, aliud exiguum exsurrexerit regnum contra quod vaticinatur Jeremias. Eodem tempore ac præced. edita et adimpleta fuit hæc prophetia.

(1) De hujus Damasceni sive regni, sive reipublicæ, cui

Porro Damascus sex diætis distat a Jerusalem.

CONFUSA EST EMATH (quæ postea ab Antiocho Epiphane aucta, dicta est Epiphania) ET ARPHAD. — Erant hæ duæ Syrorum civitates, *q. d.* Primo a Chaldæis capietur Damascus, eaque fama percellentur Emath, Arphad, et aliæ minores Syriæ civitates.

TURBATI SUNT IN MARI, — velut in mari; intelligitur enim *caph* similitudinis, *q. d.* Sicut qui est in mari pavoris, id est pavido ac fluctuanti, exorta tempestate quiescere non potest: sic incolæ Arphad et Emath, audito Chaldæorum adventu, præ metu, curarum et angorum æstibus quiescere non poterunt, quia videbunt se iis quasi mari conclusos, nec fugere posse, nec resistere (1). Ita Chaldæus, Lyranus, Vatablus et Pagninus. Aut « in mari », id est instar maris procellosi, quod fluctus jactat in cœlum. Sic enim ב sæpe capitur pro כ, id est, *in* pro *instar, sicut.*

QUOMODO DERELIQUERUNT? — Id est, quomodo cives deseruerunt Damascum metu Chaldæorum? ut urbs frequens et nobilis jam sit instar pagi rusticani et deserti. Hebræus, Chaldæus et Septuaginta habent: *Quomodo non est derelicta urbs laudis*, id est celeberrima ab opibus, palatiis, muris, imperio, etc., apud omnes gentes laudata et illustris? *derelicta*, inquam, ut esset immunis ab ista clade, *q. d.* Decebat urbem tam nobilem servari, nec vastari. Est vox potius Jeremiæ quam Damascenorum, commiserantis tantæ Damascenorum cladi.

Vers. 27. 27. BENADAD — rex Syriæ et Damasci, pater Azaelis. Hic Benadad Damascum splendidis ædificiis ornavit. Ita Theodoretus.

Vers. 28. Cedar, qui? 28. CEDAR. — Est regio Arabiæ in Saracenorum solitudine, a Cedar secundo Ismaelis filio ita dicta, *Genes.* XXV, 13. Fuit ergo Cedar ex Ismaele Abrahæ nepos, incoluitque eam regionem, eique suum nomen Cedar dedit, quæ postea Arabia Petræa dicta fuit: in qua erat mons Sina et Horeb, ubi Hebræi legem a Deo acceperunt: Arabiæ enim Petrææ pars est Cedar. Incolæ dicti sunt Cedareni, et Agareni ab Agar matre, quæ fuit uxor Abrahæ, eique genuit Ismaelem: dicti sunt et Saraceni, non a Sara uxore Abrahæ, sed a Saraca metropoli sua, ait Stephanus, lib. *De Urbibus.* Apte vocantur Cedareni, id est nigri, quia ob æstum solis quo torrentur, sunt corpore fusco. Radix enim קדר *hadar* significat nigrescere, esse atrum.

Mores et domus eorum describit hic Jeremias, scilicet quod in tabernaculis ex pellibus et cortinis habitent; unde et ἀνέπτιοι, id est *sine familia et foco*, et ἀμαξικοί, id est *in plaustris* (hisce enim suas uxores, liberos et supellectilem secum vehunt, et quaquaversum circumducunt) *degentes* sunt appellati. De quibus Horatius lib. III *Carm.* ode 24:

> Quorum plaustra vagas rite trahunt domos:
> Nec cultura placet longior annua.

Vivunt ex pecoribus et ex raptu etiam hodie, adeo ut Turca, cui subsunt, hosce Arabes prædones omni sua potestate compescere, et a prædis cohibere nequeat. Agunt enim in rupibus, sylvis locisque desertis instar ferarum.

Ex hac Ismaelis Arabumque gente ortus est Mahometus Arabs, monstrum et pernicies orbis, qui, cum moriens dixisset sese in cœlum abiturum, illi diu et nequidquam rei miraculum exspectantes, tandem tetro coacti odore, cadaver ejus ferrea arca incluserunt, quod in Mecha urbe Arabiæ Petrææ condiderunt, servantque ad cultum et idolum posterorum.

AD CEDAR, ET AD REGNA ASOR. — Idem est « Cedar », quod « regna Asor. » Nam Asor est metropolis Cedarenorum, ait S. Hieronymus in *Isaiæ* XXI, Sanchez, et favent Rabanus, Hugo, Lyranus. Alii censent aliam hanc esse Asor, quæ sita fuerit in Chanaan, cujus rex fuit Jabin, habens ducem Sisaram, quem occidit Jahel, *Judic.* IV, 2 et 21. S. Hieronymus in *Locis Hebraicis*, dicit Asor esse decapolim, id est decem urbes, quæ sunt Tiberias, Sephet, Cedes, Asor, Cæsarea Philippi, Capharnaum, Jonitera, Bethsaida, Corozaim et Betsan; et has vocari a Jeremia « regna Asor, » id est diversas dominationes et toparchias Asor. Sed forte S. Hieronymus, si tamen is est auctor libri, lapsus fuit memoria, ut pro חצור *Chasor* sive Asor, per *tsade*, scriptum putarit עשור *Asor*, per *ain* et *sin*, quod significat *decem*, indeque decapolim. Septuaginta pro חצור *Chazor* sive Asor legentes חציר *Chasir*, vertunt, Reginæ aulæ; quod Theodoretus interpretatur, *q. d.* Ad Cedar civitatem reginæ aulæ, id est quæ quasi regina Agarenis imperat, qui in aulis subdialibus et tabernaculis habitant.

PERCUSSIT, — percutiet.

VASTATE FILIOS ORIENTIS. — « Filii Orientis » sunt filii prognati a Getura et Agar uxoribus Abrahæ: hi enim habitarunt ad Orientem posterorum Isaac, puta Hebræorum, uti dixi *Genes.* XXV, 6.

29. PELLES EORUM, — puta tabernacula facta e pellibus: in his enim habitabant Cedareni domibus carentes. Hæc cum camelis eorum et vasis, id est supellectile tenui et pastoritia, « tollent » Chaldæi. Vers. 29.

ET VOCABUNT SUPER EOS (contra eos) FORMIDINEM, — formidabiles Chaldæos.

31. CONSURGITE, — o Chaldæi, quasi milites mei! Est vox Dei. Vers. 31.

AD GENTEM QUIETAM, — pace abundantem.

NON OSTIA, NEC VECTES EIS. — Hi sunt Agareni et Nomades vagabundi, qui extra urbes habitant in tabernaculis, euntque pabulatum ab una re-

(1) Petita est imago sollicitudinis irrequietæ ab ipsa maris irrequieta natura, quod semper in motu est: nequeunt æstum sedare et quietem recuperare, sed usque et usque ingentes quasi fluctus volvunt curarum et sollicitudinum. (Rosenmuller.)

gione in aliam, *q. d.* Fugite, o Idumæi, ad Nomades; sed frustra : nam et horum cameli et bona diripientur, ut sequitur. Est ironia.

Vers. 32. 32. QUI SUNT ATTONSI IN COMAM, — id est Saraceni, qui juxta aures comam attondebant, uti faciunt nunc Walachi et Germani nonnulli; de quibus cap. IX, 26.

Vers. 34. 34. ÆLAM. — Non erat urbs maris Rubri, ut vult Theodoretus, sed pars Persiæ, ita dicta ab Ælam primogenito Sem. Ita Josephus, lib. I *Antiquit.* VII, et S. Hieronymus in *Traditionibus*, in cap. X *Genes.* 22. Hi tulerant opem Chaldæis contra Judæos, inquiunt Hebræi, ideoque contra eos hic vaticinatur Jeremias.

Vers. 35. 35. CONFRINGAM ARCUM ÆLAM, ET SUMMAM (ita legendum cum Romanis, Hebræo, Chaldæo et Septuaginta, non *sumam*, uti passim legitur) FORTITUDINEM EORUM, — id est confringam arcus Ælamitarum : erant enim ipsi peritissimi sagittarii; unde omne suum robur bellicum ponebant in arcubus. Ita Maldonatus. Idem patet *Isaiæ* XXII, 6.

Vers. 36. 36. INDUCAM SUPER ÆLAM QUATUOR VENTOS A QUATUOR PLAGIS COELI, — id est inducam quatuor militum phalanges instar ventorum, ex quatuor cœli plagis, et ventilabo eos in omnes ventos istos, *q. d.* Hostes undique contra Ælamitas excitabo, qui omnes, tanquam venti validissimi, in omnes terræ partes abripiant.

Vers. 38. 38. PONAM SOLIUM MEUM, — *q. d.* Subigam mihi et imperabo Persis, vel per Alexandrum Magnum, ut vult Hugo; vel, ut vult Isidorus, per Cyrum; vel, ut optime Theodoretus, per Nabuchodonosorem. Hic enim fuit flagellum orbis, et calix iræ Dei, quem Jeremias cap. XXV, 17 et 25, propinavit Ælamitis, æque ac aliis gentibus. Porro quo anno Nabuchodonosor vastaverit Ælamitas ignoratur. Sanchez Ælamitas et Medos ultimo inter gentes loco, et ultimis Nabuchodonosoris annis vastatos putat; quia eis ultimo loco a Jeremia propinatur calix iræ Dei, cap. XXV, 25. Verum hæc ratio non concludit. Nam ibidem vers. 17 et 19, hunc calicem primo propinat Judæis, deinde Pharaoni et Ægyptiis, postea Ammonitis, Moabitis, Tyriis, quos ante Ægyptios vastatos esse constat. Perperam Rabbini id factum putant per Assuerum, qui repudiata Vasthi, et suspenso Aman cum decem filiis, Esther in reginæ, Mardochæum in Aman locum substituit. Verum tunc nec Ælamitæ, nec ulli eorum reges cæsi et eversi sunt.

Vers. 39. 39. REVERTI FACIAM CAPTIVOS ÆLAM, — scilicet per Cyrum, qui Babylone eversa, regnum ad Ælamitas, id est Persas, transtulit, ita Lyranus; et spiritualiter, per Christum eosdem reducam ad libertatem et fidem Evangelicam, ita Rabanus et Vatablus. Unde *Actor.* II, 9, inter alias gentes conversas ab Apostolis in Pentecoste, numerantur Ælamitæ. Hinc postea in Perside ita christianismus floruit, ut ibidem multa martyrum millia dederit : inter quos illustres fuerunt Simeones et Acepsimas Episcopi, Azades, Usthazanes et Pusices aulici, Æithalas, Jonas, Barachisius, et alii ad sedecim millia numerati, præter alios plurimos, quorum numerus iniri non potuit, qui sub Sapore rege Persarum tempore Constantii Imperatoris constantissime pro fide Christi mortem oppetierunt, ut narrat Sozomenus, lib. II, cap. VIII, IX, X, et ex eo Baronius.

CAPUT QUINQUAGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prædicit Chaldæis excidium per Cyrum et Darium, eo quod superbe alias gentes oppresserint, præsertim Judæos, quibus libertatem pollicetur : unde vers. 21, *Darium et Cyrum evocat et immittit in Babylonem. Tertio, vers.* 33, *Judæis salutem, Chaldæis ubique gladium intentat. Quarto, vers.* 41, *Persarum fortitudinem et ferociam describit. Hæc prophetavit Jeremias anno quarto Sedeciæ, ut patet cap.* LI, *vers.* 59 (1).

1. Verbum, quod locutus est Dominus de Babylone, et de terra Chaldæorum, in manu Jeremiæ prophetæ. 2. Annuntiate in gentibus, et auditum facite : levate signum, prædicate, et nolite celare : dicite : Capta est Babylon, confusus est Bel, victus est Merodach, confusa

(1) Postquam Ægyptiis, Philistinis, Idumæis cæterisque vicinis gentibus mala prædixit quæ ipsis Nabuchodonosor illaturus erat, Jeremias ad Babylonem et ad Chaldæos denique devenit, eaque illis prophetat quæ ex Cyro cæterisque regibus illius successoribus imminebant, qui Nabuchodonosoris imperium eversuri erant, et Babylonem ad miserrimarum urbium conditionem redacturi erant. Mala enim quæ contra Babylonem prædicit, non omnia eodem tempore contigerunt. Nam non nisi post multa demum sæcula penitus eversa fuit. (Calmetus.)

Et ea forsan fuit ratio cur Rosenmuller asseruerit quæ jam sequuntur duo capita L, LI, non unum continuum vaticinium, sed plures in Babylonem non uno tempore habitas orationes, quas, uti sub finem hujus pericopæ infra cap. LI, 59, notatur, litteris consignata et in singulari libro junctas Jeremias tradidit Saraiæ. Sex vero omnino similis argumenti vaticinia juxta illum auctorem conjuncta videntur, hoc fere modo distribuenda; *primum*, cap. L, 1-20; *secundum*, 21-32; *tertium*, 33, 46; *quartum*, LI, 1-19; *quintum*, 20-24; *sextum*, 25-58. Additur cap. LI, 59-64 Jeremiæ de promulgandis illis vaticiniis in Babylonia mandatum. Quidquid sit de ista divisione,

sunt sculptilia ejus, superata sunt idola eorum. 3. Quoniam ascendit contra eam gens ab aquilone, quæ ponet terram ejus in solitudinem : et non erit qui habitet in ea ab homine usque ad pecus : et moti sunt, et abierunt. 4. In diebus illis, et in tempore illo, ait Dominus : venient filii Israel, ipsi et filii Juda simul : ambulantes et flentes properabunt, et Dominum Deum suum quærent. 5. In Sion interrogabunt viam, huc facies eorum. Venient, et apponentur ad Dominum fœdere sempiterno, quod nulla oblivione delebitur. 6. Grex perditus factus est populus meus : pastores eorum seduxerunt eos, feceruntque vagari in montibus : de monte in collem transierunt, obliti sunt cubilis sui. 7. Omnes, qui invenerunt, comederunt eos : et hostes eorum dixerunt : Non peccavimus : pro eo quod peccaverunt Domino decori justitiæ, et exspectationi patrum eorum Domino. 8. Recedite de medio Babylonis, et de terra Chaldæorum egredimini : et estote quasi hædi ante gregem. 9. Quoniam ecce ego suscito, et adducam in Babylonem congregationem gentium magnarum de terra aquilonis : et præparabuntur adversus eam, et inde capietur : sagitta ejus quasi viri fortis interfectoris, non revertetur vacua. 10. Et erit Chaldæa in prædam : omnes vastantes eam replebuntur, ait Dominus. 11. Quoniam exsultatis, et magna loquimini, diripientes hæreditatem meam : quoniam effusi estis sicut vituli super herbam, et mugistis sicut tauri. 12. Confusa est mater vestra nimis, et adæquata pulveri, quæ genuit vos : ecce novissima erit in gentibus, deserta, invia et arens. 13. Ab ira Domini non habitabitur, sed redigetur tota in solitudinem : omnis qui transibit per Babylonem, stupebit, et sibilabit super universis plagis ejus. 14. Præparamini contra Babylonem per circuitum omnes qui tenditis arcum; debellate eam, non parcatis jaculis : quia Domino peccavit. 15. Clamate adversus eam, ubique dedit manum, ceciderunt fundamenta ejus, destructi sunt muri ejus, quoniam ultio Domini est : ultionem accipite de ea ; sicut fecit, facite ei. 16. Disperdite satorem de Babylone, et tenentem falcem in tempore messis : a facie gladii columbæ unusquisque ad populum suum convertetur, et singuli ad terram

quæ rationibus plus minusve probabilibus nititur, non idcirco admittendum consectarium quod inde educit his verbis Rosenmuller : « Nobis quidem additamenti illius cap. LI, 59-64; in quo hæc vaticinia jam quarto Sedeciæ anno litteris mandata dicuntur, nulla ratione habita, sed illis simpliciter ex se et ex suo argumento consideratis, ea non ante eversam Hierosolymam et deportatam insignem populi partem in Chaldæam edita videntur, cum sensu malorum, quæ hostium sævitia patriæ suæ intulisset, incensus vatis animus, ea illis imprecaretur et denuntiaret, quæ hic legimus. Quid? quod cap. LI, 24, Jova dicit, se repensurum esse Babyloniis omnia illa mala, quibus *Sionem affecisset*. Vide et cap. L, 17-28; LI, 34, 51, quæ expugnatam jam a Chaldæis Hierosolymam arguunt. Quæ quidem sententia Rosenmuller eo magis miranda videtur, quod ipse rejiciendam statuit sententiam Eichornii, qui duobus hisce capitibus tria carmina seriora contineri arbitratur, quæ non futura Babyloniæ fata prænuntient, sed quibus vates præsens interesset, canant; nam, ut ait Rosenmuller ad vers. 3, minime necesse est, cum Eichornio statuere Prophetam canere, quorum ipse testis fuisset; Prophetam etenim mens sua futuri præsaga haud fefellit. Sed cur eadem ratio non valeret de iis quæ in Babylonis utraque eversione, una sub Cyro, et altera sub Dario Hystaspe eventura erant?

Præmissis igitur inscriptione, argumento de ruina Babylonis, casu idololatriæ, et depopulatione regionis, 1-3,

PRIMO, Propheta dat auspicium de reditu Judæorum in gratiam Dei et patriam, 4-5 : *primo*, attingendo breviter prævias Judæorum seductorum exerrationes, 6; *secundo*, secutas ab hostibus, jus sibi persuadentibus, oppressiones, 7; *tertio*, futuram Judæorum libertatem, expiatis pristinis in Babylonica servitute delictis, 8.

CUNDO, rationem subjicit, cur exsules Hebræi quantocius Babylonem relinquant, scilicet Babylonis ruina quam exhibet, *primo*, referendo hostium irruptionem, cædem et rapinam, 9-10; *secundo*, subjiciendo causam quare Deus Chaldæam hostibus in prædam daturus sit : quia Chaldæi Judæos prædati et de eorum interitu lætati fuerunt, 11; *tertio*, addendo tristes inde secuturos effectus, 12, 13; *quarto*, excitando gentes ad stragem et vices Babyloniis reddendas, 14-16.

TERTIO, utramque partem supra dictam amplificat, *primo*, præmittendo captivitates Judæorum successu temporis factas, 17; *secundo*, promittendo horum restitutionem in patriam, 18-20; *tertio*, permixtim, evocando hostes ad subigendam et dissipandam Babylonis potentiam, 21, 26, 29; describendo cladem editam, artem et vim impensam, noxam secutam, 22, 25, 30.

QUARTO, iterum *primo*, rationes affert cur Babyloniæ vastatio sit induceuda, scilicet superbia, 31, 32; et dura Hebræorum servitus, qui haud aliter liberandi sunt nisi ut immites eorum domini ad imperii et potentiæ fastigio dejiciantur, 33, 34; *secundo*, enumerat mala ex bello, siccitate et depopulatione inferenda, 35-40; *tertio*, describit oppugnatorem, oppugnatam et Deum de utroque decernentem, 41-46.

Jeremiam legisse et imitatum fuisse ea de interitu Babylonis vaticinia, quæ in libro Isaiæ vaticiniorum leguntur, cap. XIII, XIV, visum est Jahnio, *Einleit. in V. A. T.* vol. II, part. II, pag. 463, et etiam Calmeto *Comment.* ad vers. 1. Sed, ut recte observat Rosenmuller, pauca illa quæ in utrisque vaticiniis similia reperiuntur (veluti *Isai.* XIII, 7, coll. *Jerem.* L, 43; *Isai.* XIII, 14, coll. *Jerem.* L, 8, 16; LI, 6, 9, 45, 50; *Isai.* XIII, 17, coll. *Jerem.* L, 42) minime ita sunt comparata, ut unum ab altero illa mutuatum statuamus necesse sit, cum communia sint et obvia omnibus vatibus de eadem re loquentibus.

suam fugient. 17. Grex dispersus Israel, leones ejecerunt eum : primus comedit eum rex Assur : iste novissimus exossavit eum, Nabuchodonosor rex Babylonis. 18. Propterea hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel : Ecce ego visitabo regem Babylonis, et terram ejus, sicut visitavi regem Assur : 19. et reducam Israel ad habitaculum suum : et pascetur Carmelum et Basan, et in monte Ephraim et Galaad saturabitur anima ejus. 20. In diebus illis, et in tempore illo, ait Dominus, quæretur iniquitas Israel, et non erit ; et peccatum Juda, et non invenietur : quoniam propitius ero eis, quos reliquero. 21. Super terram dominantium ascende, et super habitatores ejus visita, dissipa, et interfice quæ post eos sunt, ait Dominus : et fac juxta omnia quæ præcepi tibi. 22. Vox belli in terra, et contritio magna. 23. Quomodo confractus est, et contritus malleus universæ terræ ? quomodo versa est in desertum Babylon in gentibus ? 24. Illaqueavi te, et capta es, Babylon, et nesciebas : inventa es et apprehensa, quoniam Dominum provocasti. 25. Aperuit Dominus thesaurum suum, et protulit vasa iræ suæ : quoniam opus est Domino Deo exercituum in terra Chaldæorum. 26. Venite ad eam ab extremis finibus, aperite ut exeant qui conculcent eam : tollite de via lapides, et redigite in acervos, et interficite eam : nec sit quidquam reliquum. 27. Dissipate universos fortes ejus, descendant in occisionem : væ eis, quia venit dies eorum, tempus visitationis eorum ! 28. Vox fugientium, et eorum qui evaserunt de terra Babylonis, ut annuntient in Sion ultionem Domini Dei nostri, ultionem templi ejus. 29. Annuntiate in Babylonem plurimis, omnibus qui tendunt arcum : consistite adversus eam per gyrum, et nullus evadat : reddite ei secundum opus suum : juxta omnia quæ fecit, facite illi, quia contra Dominum erecta est, adversum Sanctum Israel. 30. Idcirco cadent juvenes ejus in plateis ejus : et omnes viri bellatores ejus conticescent in die illa, ait Dominus. 31. Ecce ego ad te, superbe, dicit Dominus Deus exercituum : quia venit dies tuus, tempus visitationis tuæ. 32. Et cadet superbus, et corruet, et non erit qui suscitet eum : et succendam ignem in urbibus ejus, et devorabit omnia in circuitu ejus. 33. Hæc dicit Dominus exercituum : Calumniam sustinent filii Israel, et filii Juda simul : omnes qui ceperunt eos, tenent, nolunt dimittere eos. 34. Redemptor eorum fortis, Dominus exercituum nomen ejus, judicio defendet causam eorum, ut exterreat terram, et commoveat habitatores Babylonis. 35. Gladius ad Chaldæos, ait Dominus, et ad habitatores Babylonis, et ad principes, et ad sapientes ejus. 36. Gladius ad divinos ejus, qui stulti erunt : gladius ad fortes illius, qui timebunt. 37. Gladius ad equos ejus, et ad currus ejus, et ad omne vulgus, quod est in medio ejus ; et erunt quasi mulieres : gladius ad thesauros ejus, qui diripientur. 38. Siccitas super aquas ejus erit, et arescent : quia terra sculptilium est, et in portentis gloriantur. 39. Propterea habitabunt dracones cum faunis ficariis : et habitabunt in ea struthiones : et non inhabitabitur ultra usque in sempiternum, nec exstruetur usque ad generationem et generationem. 40. Sicut subvertit Dominus Sodomam et Gomorrham, et vicinas ejus, ait Dominus : non habitabit ibi vir, et non incolet eam filius hominis. 41. Ecce populus venit ab aquilone, et gens magna ; et reges multi consurgent a finibus terræ. 42. Arcum et scutum apprehendent : crudeles sunt et immisericordes : vox eorum quasi mare sonabit ; et super equos ascendent, sicut vir paratus ad prælium contra te, filia Babylon. 43. Audivit rex Babylonis famam eorum, et dissolutæ sunt manus ejus : angustia apprehendit eum, dolor quasi parturientem. 44. Ecce quasi leo ascendet de superbia Jordanis ad pulchritudinem robustam : quia subito currere faciam eum ad illam ; et quis erit electus, quem præponam ei ? quis est enim similis mei ? et quis sustinebit me ? et quis est iste pastor, qui resistat vultui meo ? 45. Propterea audite consilium Domini, quod mente concepit adversum Babylonem ; et cogitationes ejus, quas cogitavit super terram Chaldæorum : Nisi detraxerint eos parvuli gregum, nisi dissipatum fuerit cum ipsis habitaculum eorum. 46. A voce captivitatis Babylonis commota est terra, et clamor inter gentes auditus est.

Vers. 1. IN MANU JEREMIÆ, — per Jeremiam, opera Jeremiæ.

Vers. 2. 2. ANNUNTIATE IN GENTIBUS. — Sunt verba Prophetæ jubentis ut apud omnes gentes annuntient excidium Babylonis, eo quod ipsa omnibus pene gentibus jugum servitutis imposuerat, ut ipsæ jam de excusso hoc jugo lætissimum libertatis recuperatæ nuntium accipiant.

LEVATE SIGNUM, — id est vexillum, ut ad illud populi convocentur in prælium ad excidium Babylonis; ita Sanchez: vel potius in signum excidii ejus, et victoriæ de ea partæ, ut omnes gentes ab eis oppressæ festos dies agant, ac triumphum de exstincta Chaldæorum tyrannide, deque recuperata libertate. Unde sequitur: « Dicite: Capta est Babylon, » gentium dominatrix, malleus orbis, monarcha universi; io, triumphe. Addit Sanchez per *signum* posse accipi lapides terminales, vel deos Terminos, qui in limitibus agrorum erigebantur, ut eos ab aliorum prædiis disterminarent, quales multos hic Romæ videmus priscæ gentilitatis indices, *q. d.* O Judæi! capta jam Babylone, evertite titulos et signa, quæ Chaldæi in Judæa excitaverunt, quasi ejus heri et domini; ac vestra pro iis restituite. Jam enim, excusso Chaldæorum jugo, Judæa vobis, quasi avitis heris et dominis restituetur. Propheta ergo hic in spiritu prævidens futura, ea hic inducit quasi jam facta et præterita; cum enim adhuc capienda esset Babylon, ait: « Capta est; » qui inducit gentes de ea capta exsultantes et gratulantes, sic:

CONFUSUS EST (id est certo confundetur) BEL, VICTUS EST (vincetur) MERODACH. — Sunt hi duo dii et idola Babyloniorum. Ita Rabanus et Vatablus.

Bel vel Baal fuit Nemrod. Nota: Bel, sive Belus, fuit Nemrod primus rex et tyrannus in orbe, conditorque imperii Babylonici, ut dixi *Genes.* x, 8. Hunc Ninus filius inter deos retulit; indeque idola passim in Scriptura vocantur Bel, Baal, Baalim: primi enim Babylonii, inde Phœnices et Judæi, inde Carthaginenses coluerunt Bel sive Belum.

Merodach fuit filius Baladan, qui primus, declinante imperio Assyriorum, imperium Babylonium restituit, ideoque inter deos relatus videtur, æque ac Saturnus, Jupiter, Hercules aliique primi gentium principes ab iis inter deos relati sunt.

Secundo, per *Merodach* potest accipi cum Theodoreto, Hugone et Lyrano Balsasar: hic enim proprie victus est et cæsus a Cyro, hicque dictus est Evilmerodach, ut dixi *Daniel.* cap. v, 1. Sicut enim a primo Pharaone cæteri Ægypti reges dicti sunt Pharaones, a Cæsare Cæsares, a Seleuco reges Asiæ dicti sunt Seleucidæ: ita a primo Merodach ejus posteri, Babylonis reges dicti sunt Merodach.

Confusus est ergo Bel; quia suis cultoribus Babyloniis contra Cyrum opitulari non potuit, iisque est spoliatus, imo cum iis ductus est captivus in Persidem: « victus est Merodach, » sive deus, sive Balsasar.

Vers. 3. 3. GENS AB AQUILONE. — Medi enim et Persæ, qui orientales sunt Babyloni, aquilonares gentes, scilicet Armenos, Hircanos, Sacas, Cadusios et alios convocarunt contra Babylonem, ut Chaldæum communem tyrannum tollerent. Adde, Media aliquantulum vergit ad aquilonem Babylonis. Vocat eos potius aquilonares, quam orientales: quia aquilo Judæis erat infaustus et infestus, æque ac horribilis, ex eo quod ex aquilone, puta ex Chaldæa, acre sibi intentari flagellum primo audierant, deinde reipsa experti sunt. Hærebat in auribus et mente eorum illa *Jeremiæ* cap. I, vox: « Ab aquilone pandetur omne malum super omnes habitatores terræ. » Ergo aquilo eis erat in proverbium, ut, cum grandem cladem aut malum significare vellent, aquilonem nominarent. Sensus itaque est, *q. d.* Vos, o Judæi! vestrum habuistis aquilonem, puta Chaldæos; scitote et illos suum aquilonem habituros, scilicet Persas et Medos, gentesque eis confœderatas. Ita Sanchez.

MOTI SUNT, — movebuntur, id est dispergentur.

ET ABIERUNT, — id est fugient, vel ibunt in captivitatem.

Vers. 4. 4. VENIENT FILII ISRAEL, IPSI ET FILII JUDA SIMUL. — Nota: Cyrus et postea Artaxerxes, non tantum duabus, sed et decem tribubus dedit facultatem redeundi: multi ergo illorum ex Media et vicina Assyria (utramque enim jam occupabat victor et monarcha Cyrus) redierunt, et junxerunt se Judæ et Esdræ sub uno capite, quasi una respublica. Unde omnes vocati sunt Judæi, non Samaritæ, Rubenitæ, Gaditæ, etc. Insinuat id Josephus XI *Antiq.* v, et colligitur ex *Isaiæ* XI, 24, aliisque locis, quibus Deus promittit se tam Israel quam Juda e captivitate reducturum.

VENIENT. — Hebraice נלוו *niluu*, sociabunt se, conjungent se.

FLENTES — præ lætitia ob reditum ex Babylone tempore Cyri; *secundo* et magis, *q. d.* Fideles tempore Christi, cujus typus erat Cyrus, flebunt præ gaudio, redeuntes ex captivitate diaboli.

Vers. 5. 5. IN SION INTERROGABUNT VIAM, — dicentes: Quæ est via in Judæam, in Jerusalem? mystice, in Ecclesiam.

HUC FACIES EORUM, — scilicet directe respicient et contendent.

VENIENT, ET APPONENTUR. — Hebraice נלוו *niluu*, id est copulabuntur, agglutinabuntur, et indivulse adhærebunt Domino, ejusque populo fœdere sempiterno, quod scilicet duret semper, id est tamdiu quamdiu durabit judaismus et Judæorum respublica; *secundo* et proprie, fœdus hoc sempiternum, est fœdus Evangelicum, quod sancivit Christus cum suis fidelibus.

Vers. 6. 6. GREX PERDITUS (*q. d.* Errabat Israel per montes instar ovium, quia) PASTORES, (id est reges,)

SEDUXERUNT EOS (dum) FECERUNT EOS VAGARI IN MONTIBUS (ad sua idola colenda vagari, inquam, ex uno monte et idolo ad alium; hinc) OBLITI SUNT CUBILIS SUI, — id est templi, in quo solebant requiescere. Ita Theodoretus et Rabanus (1).

Secundo, Chaldæus, Vatablus et Maldonatus, explicant de pœna exsilii et captivitatis, *q. d.* Populus meus seductus a regibus et pseudoprophetis peccavit; hinc sine pastore, sine rege, sine sacerdote errat in captivitate : et de monte in montem ductus est, donec veniret Babylonem; ubi multo tempore exsulans, quasi oblitus est cubilis, id est patriæ suæ : paupertas enim, servitus, et ærumnæ quas tot annis in Babylone patitur, ita eum opprimunt, ut patriæ uberis, lætæ et felicis memoriam ei excusserint. Hinc dixit vers. præced.: « In Sion interrogabunt viam. » Hinc secundus sensus sequitur ex primo : fuit enim effectus et pœna primi.

Vers. 7. 7. COMEDERUNT, — expilarunt eos.

ET HOSTES EORUM (Judæorum) DIXERUNT : NON PECCAVIMUS — expilando Judæos, imo putavimus nos obsequium præstare Deo, perdendo gentem tam impiam, quæ ita peccavit in Dominum tam sanctum et justum; ideoque ab eo prædæ omnium exposita videtur, ac data in direptionem et spolium. Sic enim non peccant milites, dum urbem hostilem in prædam a duce datam capiunt et expilant. Unde sequitur : « Pro eo quod peccaverunt Domino. »

Deus est decor justitiæ tripliciter.

DECORI JUSTITIÆ. — Sic vocat Deum, *primo*, quod populum suum antequam peccaret decorasset justitia; *secundo*, quod decor esset populi propter leges justitiæ, quas illi dederat et quibus eum gubernabat; *tertio*, quod ejus justitiam et pietatem multis beneficiis decoraret et præmiaret. Potest *secundo* verti, *habitaculo justitiæ*, id est in quo, cum justi essent, confidebant, et a quo quasi in habitaculo protegebantur, dicentes : « Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur.» Unde Chaldæus vertit : *Peccaverunt discedendo a Deo habitaculo justitiæ et veritatis* (2).

ET EXSPECTATIONI (id est spei) PATRUM, — in quem patres sperabant, puta Domino Deo peccarunt : hic est enim exspectatio Israel, cap. XIV, 8. Vide ibi dicta, ne frustra, et cum chartæ temporisque dispendio eadem repetamus.

(1) רעים *roim, pastores,* hoc loco non sunt tantum reges, verum et sacerdotes et prophetæ, quorum erat, populum recte ducere, in vero Dei cultu tenere..... Montes ovibus periculosi sunt, si virgultis intricentur, per quæ callem invenire nequeunt. Respicitur ad cultum superstitiosum et impium qui in montibus potissimum exerceri solebat. (Rosenmuller.)

(2) S. Hieronymus נוה *neve*, ejusdem cum נאוה *nave* significationis putavit. Nec tamen hic aptum sensum facit. J. D. Michaelis probat Græcam Alexandrinam verborum נוה-צדק *neve tsedeq*, interpretationem, νομὴ δικαιοσύνης, *pascuum justitiæ*, quæ interpretatio eo magis nobis placet, quod perstat in similitudine pecoris, vers. 6.

8. ESTOTE QUASI HÆDI ANTE GREGEM. — Nemo ex vobis in reditu ex Babylone in Judæam refugiat primas tenere, imo quisque conetur esse primus in agmine redeuntium : sicut hædi, id est hirci jam statæ ætatis et roboris (hos enim significat hebræum עתודים *attudim*) generose et festinanter, etiam per arduas rupes, montes et saxa gregem præcedere solent, et ante eum exsilire; læti enim et secure redibitis, esto ardua quædam superanda sint. Unde Chaldæus vertit : *Estote quasi principes in capite populi, q. d.* Hactenus quasi grex sine ductore errastis, nunc constituite vobis principes, qui populum antecedant, et redite in ovile vestrum. Aliter Theodoretus, *q. d.* Estote superiores Babyloniis, sicut arietes aut hirci superiores sunt ovibus. Alii exponunt, *q. d.* Redite, o Judæi! e Babylone hilares et alacres, instar hædorum præ gaudio subsilientium, juxta illud Poetæ :

Hædique petulci
Floribus insultant.

Et sane huc quoque respicit Propheta.

Tropologice Hugo : Hædi, ait, sunt pœnitentes, qui fugiunt Babylonem, id est confusionem vitiorum, eorumque viciniam et occasiones, juxta illud *Apoc.* XVIII, 4 : « Exite de illa (Babylone), populus meus, ut ne participes sitis delictorum ejus, et de plagis ejus non accipiatis.»

9. INDE, — ex eo loco in quo primo Cyrus posuerit sua castra, Babylon capietur quasi primo conflictu et oppugnatione. Ita Vatablus. Significat Cyrum non mutaturum castra, non vocaturum novas copias, sed per prima sua castra brevi et facile expugnaturum Babylonem. Perperam Hugo et Dionysius legunt *in die;* hebraice enim est משם *misscam*, id est *inde* : neque de die capta est Babylon, sed noctu, *Daniel.* cap. V, 30.

SAGITTA EJUS (id est earum, scilicet gentium, erit) QUASI VIRI FORTIS INTERFECTORIS. — Hebraice משכיל *maskil*, id est *orbantis;* vel, ut Septuaginta et Vatablus, *prudentis* (*maskil* enim per *schin* significat orbare, per *sin* intelligere), id est sagittandi periti. Quis est hic mystice? utique concionator, qui spiritu Dei plenus, verba ignea jaculatur ad cor, ut cor Babyloniorum, id est peccatorum, penetret, ut sermones ejus sint quasi sagittæ potentis acutæ in corda inimicorum Christi, ut eos Christo occidat, imo redivivos resuscitet. Ad litteram Ælamitis, id est Persis, tribuitur in Scriptura arcus et sagittæ, quia hæc erant præcipua eorum arma : unde sagittandi erant peritissimi, et scopum hostemque quem vellent destinato ictu, certo configebant.

10. REPLEBUNTUR, — spoliis locupletabuntur, et, Vers. 10. ut hebraice est, saturabuntur.

11. QUONIAM EXSULTATIS (causam dat excidii Vers. 11. Babylonis, scilicet quod exsultarit in perditione

hæreditatis Domini, id est Judæorum), ET MAGNA (id est superba, sit locuta, tribuens sibi victoriam; et) QUONIAM EFFUSI ESTIS. — Significat eorumdem aviditatem in expugnanda et diripienda terra Judæorum, quod, sicut vitulus irruit in herbam, et eam depascitur avidissime, eaque se impinguat ferociens et lasciviens, ideoque mugiens : ita ipsi depasti sint Judæam et Judæos. Ita Rabanus et Hugo. Hoc recte de vitulo, minus recte de tauro; taurus enim ob herbam non mugit, sed vel ob feminam, vel ob hostem jam protritum a se; tunc enim superbit, et victoriam celebrat mugitu, eoque insultat victo. Unde Pagninus vertit : *Sicut vitula quæ pascit germina, et exsultastis sicut tauri habita victoria.* Et hoc proprie significat hebræum צהל *tsahal*, id est hinnire, uti hinniunt equi victorum. Hinc per catachresin eumdem gaudii affectum et sonum significat in bobus et tauris, quem illi exprimunt per mugitum. Ita Delrio, *adagio* 871. Sic Christus ait *Psalm.* XXI, 13 : « Circumdederunt me vituli multi : tauri pingues obsederunt me. »

Vers. 12. 12. MATER VESTRA, — Babylon, ut patet ex seq. ADÆQUATA PULVERI, — plane eversa est, et solo adæquata. Est hyperbole.

NOVISSIMA ERIT IN GENTIBUS, — **abjectissima erit** inter gentes.

13. SIBILABIT, — id est obstupescet, **vel irridebit.** Vide cap. præced. vers. 17.

Vers. 15. 15. UBIQUE (scilicet) CLAMATE (quod) DEDIT MANUM, — id est victa est Babylon, et victam se fatetur : miles enim, cum hosti dat manum, dat et arma, sequc suaque omnia ei quasi victori et domino dedit et subjicit. Sic ait Turnus ad Æneam victorem, *Æneid.* XII :

> Vicisti, et victum tendere palmas
> Ausonii videre : tua est Lavinia conjux.

Rursum, victus victori protendit manum supplicem, ut ab eo vitam et veniam impetret (1). Ita Saxo victus a Carolo Quinto, equo desiliens, manum ei porrigens, ait : « Clementissime Cæsar, victum me tibi sisto, veniamque peto. » Cui Cæsar : « Jam me Cæsarem agnoscis et vocas, qui me ante Carolum a Gandavo vocitabas. » Septuaginta vertunt, *dissolutæ sunt manus ejus;* Chaldæus, *tradita est in manus eorum,* scilicet hostium. Aliter Rabanus et Hugo, *q. d.* Babylon ad omnia regna vastanda extendit manum suam; hinc et ipsa vastabitur (2).

16. DISPERDITE SATOREM, — *q. d.* Interficite in Babylone, non solum milites, sed et agricolas qui serunt; quibus tamen in excidiis urbium solet parci, ita ut nemo remaneat, neque qui serat, neque qui metat. Ita Theodoretus. Unde Septuaginta vertunt : *Dispergite semen de Babylone* (3).

Chaldæus putat « satorem » vocari Nabuchodonosorem, qui serebat ubique bella et clades; eumdem dici messorem, quia gladio demetebat gentes.

A FACIE GLADII COLUMBÆ, — id est metu gladii Persici, extenti in columbam, id est in exercitum Chaldæorum, quisque fugit. Vide dicta cap. XXV, 38. Nec enim columba habet gladium quo feriat, sed collum quo gladio hostili juguletur. Pro *columbæ* Septuaginta vertunt, *Græci,* quia Cyrus, ait Theodoretus, Iones aliosque Græcos prius a se victos secum contra Babylonem duxit. Verum ipsi perperam pro *iona,* id est *columba,* legerunt *iavan,* id est *Græcia,* ut dixi cap. XXV. Non recte ergo aliqui hic per columbam intelligunt Medos et Persas; eo quod cum imperio etiam militare vexillum Chaldæorum, habens insigne columbæ, ad eos translatum sit : nam hoc necdum translatum erat. Adde : Persarum insigne erat nunc aquila, teste Xenophonte, lib. VII *Cyripæd.*; nunc effigies solis, teste Curtio, lib. III.

17. GREX DISPERSUS, — *q. d.* Israel, quia unum Deum deseruit, sparsus per idola; ideo ut grex sparsus, factus est præda tyrannis, qui feri sunt instar leonum. Nam *primo,* Salmanasar « comedit, » id est vastavit, decem tribus quasi carnes circumdantes ossa, relinquens tantum ipsa ossa, id est tribum Juda fortissimam, in qua erat regnum, sacerdotium et templum, quasi ossa et robur populi; sed hæc ossa perfregit, comminuit et avulsit Nabuchodonosor; itaque plane rempublicam Judæorum evertit, et quasi exstinxit. Ita passim Hebræi, Græci et Latini. Causam dat excidii Babylonis : quia nimirum ipsa excidit Judæos, vo- Vers. 17.

(1) *Dedit manum,* gestu submittentium sese, et fidem ac submissionem pollicentium, vel quasi vinciendas manus præbentium, ut *Thren.* V, 6; II *Paralip.* XXX, 8, phrasis Latinis quoque usitata. Cicero, lib. *De Amicitia,* cap. XXVI, ad extremum : « Det manus vincique se patiatur. » Lactantius, *Institut.* lib. V, cap. I : « Timent enim ne a nobis revincti manum dare aliquando cogantur. »
(Rosenmuller.)

(2) « Destructi sunt muri ejus. » Id non factum est cum Cyrus Babylonem expugnavit, qui per Euphraten exsiccatum urbem ingressus est, sed sub Dario Hystaspe, qui omnes muros ejus effodit, portasque evertit, teste Herodoto, lib. III, cap. CLIX.

(3) Hoc nonnulli, ut Grotius, eo referunt, quod Babylon ambitum habuit magis regionis quam urbis, uti inquit Aristoteles, *Polit.* lib. III, cap. II. Hinc in urbe multi erant agri, in quibus seri et meti solebat (Plinius, *Hist. natural.* lib. XVIII, cap. XVII); ita ut urbs sibi ipsa semper ad alimenta procuranda sufficeret nec penuria posset ad deditionem cogi; vide Raphelii *Annot. ad S. Script.* ex Herodoto collectas ad hunc locum. Multos igitur in urbe agricolas fuisse necesse est, quos interficere hostes Babyloniorum jubentur. Id vero cum a Cyro factum non esset, qui potius agricolis extra Babylonis mœnia parci jussit; in eo quoque Eichornius argumentum deprehendere sibi visus est, describi non a Cyro factam Babylonis expugnationem, sed seriorem ejus destructionem per Darium Hystaspidem. Nobis quod hic dicitur ad descriptionem summæ vastationis regioni alicui inducendam pertinere videtur, *q. d.* occidite non solum milites, sed etiam agricolas, ut omnes incolæ pereant, adeoque tota regia inculta jaceat. (Rosenmuller.)

luitque delere eorum nomen, regnum et gentem. Justum enim est, ait Aristoteles V *Ethic. ex Rhadamanto*, ut, quod quis injuste aliis damni intulit, idem subeat et patiatur. Hæc enim est lex talionis : Occidens occidatur, mutilans mutiletur, agens in exsilium exsulet, erretque vagus toto orbe, comburens comburatur, exscindens exscindatur.

19. PASCETUR CARMELUM, — in pinguibus Carmeli, puta Judææ, pascuis laute pascetur Juda quasi grex Domini (antea dispersus, ut dixit vers. 17) eaque depascetur rediens e Babylone. Ita Septuaginta. Ex Carmelo totam Judæam, utpote fertilem et opimam, intelligit per synecdochen.

SATURABITUR ANIMA, — id est appetitus eorum, sic capitur anima, *Psalm.* XLI, 3, *Psalm.* LXII, 6, *Isaiæ* V, 14.

20. QUÆRETUR INIQUITAS ISRAEL, ET NON ERIT, — *q. d.* Si (hoc enim sæpe omittunt et subaudiunt Hebræi), vel etiamsi quæratur iniquitas Israel, non invenietur : quia Judæi post reditum e Babylone, non amplius coluerunt idola, uti fecerant ante, ob quæ capti et puniti sunt. Ita Theodoretus, Hugo, Lyranus. Consequenter non invenietur « iniquitas, » id est pœna iniquitatis, puta captivitas, fames, paupertas, exsilium, etc. *q. d.* Nullæ apparebunt captivitatis et cladis reliquiæ. Ita Sanchez, ut sit metonymia in hac voce frequens in Scriptura.

Secundo et verius, *q. d.* Tempore Christi, per Christum omnis eorum iniquitas delebitur et auferetur. Ita Vatablus et Dionysius.

QUOS RELIQUERO. — Ex Israel enim reliquiæ salvæ factæ sunt, *Rom.* IX, 27, et cap. XI, 5.

21. ASCENDE (scilicet, o Dari et Cyre!) SUPER (id est contra) TERRAM DOMINANTIUM, (id est Chaldæorum, qui quasi « malleus » totam terram percusserunt, ut dicitur vers. 23), VISITA et DISSIPA (Babylonem), ET INTERFICE — incolas. Ita Theodoretus. Est apostrophe Dei et Prophetæ ad hostes Chaldæorum.

Nota : Pro *visita* Chaldæus, Vatablus et Hebræi retinent Hebræum *pekod*, vertuntque : *Ascende contra habitatores pekod*, quasi *pekod* sit nomen urbis in Chaldæa : vel potius Babylon dicatur *pekod*, id est visita vel visitare, id est visitatio, ut suo nomine moneatur semper, se brevi a Deo visitandam esse et puniendam. Simile est *Isaiæ* VIII, 3, *Ezech.* XXIII in Hebræo.

INTERFICE QUÆ POST EOS SUNT, — dele omnem posteritatem eorum, puta filios et nepotes.

JUXTA OMNIA QUÆ PRÆCEPI. — *Præceptum* vocat impulsum et instigationem, quem Deus immisit Persis ad invadendam Babylonem, uti dixi *Can.* XXXVII.

Vers. 22. 22. VOX BELLI, — clamor bellicus auditur, *q. d.* Audire mihi videor tubarum clangorem, et fragorem armorum Cyri Persarum, ac videre quam gravi contritione et ruina lapsa sit Babylon.

Vers. 23. 23. QUOMODO CONFRACTUS EST, ET CONTRITUS MALLEUS UNIVERSÆ TERRÆ? — hoc est Babylon, quæ quasi malleus adamantinus percussit et contudit totam terram; ita ut nihil quantumvis durum vel æneum ei resistere, aut ejus ictum sustinere posset, quin confringeretur et dissiliret. Sic Fredericus II Imperator jactabat se esse malleum Romæ, et Romanæ Ecclesiæ, quin et totius orbis; sed ab Innocentio II aliisque Pontificibus confractus et contritus est, ut dixi *Isaiæ* I, 10 (1). Malleus Babylonis quis?

Sic de Assyriis ait Isaias cap. X, 5 : « Væ, Assur, virga furoris mei! » et de Cyro, per quem Deus castigavit Chaldæos, cap. XLV, 1 : « Cujus apprehendi dexteram. » Sic Attila vocatus fuit « metus orbis et flagellum Dei. » Præclare S. Augustinus in *Psalm.* LXXIII : « Impietas, inquit, eorum tanquam securis Dei facta est, facti sunt instrumentum irati, non regnum placati. Facit enim hoc Deus, quod plerumque facit et homo. Aliquando iratus homo apprehendit virgam jacentem in medio, fortasse qualecumque sarmentum : cædit inde filium suum, ac deinde projicit sarmentum in ignem, et filio servat hæreditatem. Sic aliquando Deus per malos erudit bonos. » Quocirca qui erudiuntur per malos, iis irasci non debent, nec eis imputare suas plagas, sed Deo juste castiganti. Pulchre B. Dorothæus, *Doctrina* VII : « Nos vero, inquit, cum verbum ullum in nos dictum audivimus, canes imitamur. Hi enim, si quis in eos lapidem jecerit, jaciente demisso, lapidem remordent. Ita nos, Deo relicto, qui nobis hujuscemodi tribulationes ad peccatorum nostrorum purgationem procurat, ad lapidem, hoc est ad proximum, currimus. » Secus fecit S. Job, qui spoliatus a Chaldæis, percussus morbo a Satana, dixit : « Dominus dedit, Dominus abstulit, » non Chaldæi, non Satan. Unde S. Augustinus in *Psalm.* XXXI : « Prorsus, inquit, ad Deum tuum refer flagellum tuum, quia nec diabolus tibi aliquid facit, nisi ille permittat, qui desuper habet potestatem. »

Symbolice S. Augustinus, tract. *De Honestate mulierum*, tom. IX, docet quod malleus Babylonicus olim dominans, et conterens totam terram, id est omnes homines, sit luxuria : « Et quamvis, inquit, post adventum Christi per universa monasteria monachorum, et per clericos, vel etiam laicos castitatem servantes, quasi confractus malleus ille videatur; tamen adhuc multo plures sunt, qui ab illo malleo quotidie confringuntur, quam illi qui de ruina collisionis illius liberantur. » S. Gregorius, lib. XXXIV *Moral.* cap. X, per malleum accipit diabolum, S. Paulinus, *epist.* 12, curam rerum temporalium.

QUOMODO VERSA EST IN DESERTUM BABYLON IN GENTIBUS? — inter gentes, vel potius instar aliarum gentium, in desertum et solitudinem redacta est Babylon?

(1) Malleum vocat Chaldæos pari de causa, ut ob quam Francorum quidam dictus est *Martellus*. (Grotius.)

Vers. 24. 24. ILLAQUEAVI TE — quasi feram laqueo inopino et improviso; quia capta est Babylon cum festum ageret, et Balsasar cum suis se inebriaret, *Daniel.* v, 1; tunc enim Cyrus Euphratem in fossas avertit, et sicco alveo milites in urbem immisit, ut dicam vers. 38. Prius enim Babylonem occupavit Cyrus, quam Cyri et occupationis metus et formido.

Vers. 25. 25. APERUIT DOMINUS THESAURUM SUUM. — Causam dat et modum, quo tanta urbs tam facile capta et eversa est, nimirum quod Deus aperuerit armarium, vel armamentarium suum, scilicet Persidem et Mediam, ait Vatablus. Vel potius secretarium omnipotentiæ suæ et justitiæ vindicativæ, in quo infinita continentur tela et supplicia, quæ in hostes immittat, puta error, torpor, præfidentia, fames, pestis, bellum, etc., quin et grandines, tonitrua, fulmina, omnesque creaturæ: hæ enim militant et pugnant pro Deo contra insensatos. Ex hoc Deus deprompsit Darium et Cyrum, eorumque exercitus, vires et animos, quasi arma, quibus Babylonem everteret, unde Babylonis eversionem vocat opus Dei. Ita Theodoretus. Subdit enim :

QUONIAM OPUS EST DOMINO DEO EXERCITUUM IN TERRA CHALDÆORUM, — *q. d.* Sicut architectus volens ædificare palatium, ad id lapides, calcem, operas, fabros omniaque necessaria accersit; et sicut rex parans bellum, milites, duces, arma, annonam reliquaque quibus opus est, studiose comparat: ita et Deus accersivit et comparavit Cyrum et Persas; quia opus hoc excidii Babylonis per eos peragere destinabat; ideoque eis copias, pecunias, robur, animos reliquaque opportuna ad hoc opus suppeditavit.

Vers. 26. 26. VENITE AD EAM AB EXTREMIS FINIBUS, — scilicet, o Persæ! cogite ab extremis regionibus milites contra Babylonem. Aliter Vatablus et Pagninus vertunt, scilicet : *Venite ad eam in fine ejus,* quasi dicat: O Dari et Cyre! invadite Babylonem, instat finis imperii ejus; unde Septuaginta vertunt : *Quia venerunt tempora ejus,* excidii scilicet, ut terminentur ejus imperium et monarchia.

APERITE (scilicet portas et urbes) UT EXEANT — milites qui Babylonem oppugnent et conculcent. Sanchez censet hæc a Deo dici ad angelos Persarum custodes et præsides, *q. d.* Vos, o angeli Persarum præsides! removete claustra et remoras, quæ hactenus Persarum cohibuerunt ardorem, et ambitiosum contra Chaldæos pugnandi et dominandi desiderium. Hæc enim imperiorum claustra et repagula commemorat Zacharias cap. VI, 1, et Isaias cap. XLV, 1, agens de Cyro et Persis. Vatablus vertit : *Aperite granaria ejus, et diripite;* hebraice enim אבוס *abus* significat præsepe, horreum; unde et Septuaginta vertunt : *Aperite apothecas ejus, scrutamini eam quasi speluncam, q. d.* O Persæ! studiose scrutamini Babylonis apothecas, ac thesauros ac opes in iis quasi speluncis reconditas vestigate et diripite. Noster *abus* deducit a בוס *bus,* id est calcavit.

TOLLITE DE VIA LAPIDES, ET REDIGITE IN ACERVOS. — *q. d.* Facite viam planam et expeditam, ne quid remoretur Persas Babylonem venturos ut eam vastent. Solent enim duces exercitus præmittere fossores et cæsores, qui arbores et sepes sternant, viamque exercitui venturo complanent et dilatent, quales vidimus in bellis Belgicis, quos ipsi *pionniers,* Itali *guastatori* vocant. Sic Annibal aceto rupit et complanavit Alpes, ut copias transmitteret in Italiam. Ad hos ergo fossores hic convertit se Propheta, jubetque ut vias Persis sternant in Babylonem.

Potest, *secundo,* verti cum Vatablo : Conculcate eam sicut calcari solent in area manipuli tritici, ut grana exprimant. Ita R. David et R. Salomon.

Tertio, R. Joseph vertit : *Elevate cumulos cumulos,* id est facite multos cumulos de spoliis Chaldæorum.

Vers. 27. 27. FORTES. — Hebraice פרים *parim,* id est juvencos, id est fortes quasi juvenes tauros. Comparat Chaldæos vitulis et juvencis mox mactandis et laniandis.

Vers. 28. 28. VOX — scilicet, audietur fugientium Judæorum; aliqui enim Judæi mox ut cœpit obsideri Babylon, ex ea profugerunt Hierosolymam, ibique nuntiarunt jam obsideri et expugnari Babylonem; itaque impleri ultionem quam ob cladem Judæis et Gentibus illatam ei intentarat et prædixerat Jeremias, ac proinde propediem Judæos ex ea liberandos et redituros in patriam.

Vers. 29. 29. ANNUNTIATE IN BABYLONEM. — Id est, dicite passim, et convocate eos qui sagittandi periti sunt, ut designato loco conveniant, ituri contra Babylonem, quod Galli dicunt: *Donnez le rendezvous*: ita Maldonatus; unde Hebræa habent: *Annuntiate contra Babylonem multis : omnes jaculantes arcu castrametamini contra eam.*

SECUNDUM OPUS SUUM, — sicut ipsa fecit et vastavit alias gentes.

Vers. 31. 31. ECCE EGO AD TE (id est contra te venio), O SUPERBE! — Alloquitur Deus Nabuchodonosorem, vel potius Balsasar, et sub eo quemvis superbum.

Vers. 33. 33. CALUMNIAM, — id est, ut Hebræus, Septuaginta et Chaldæus, *vim* et oppressionem, id est violentam captivitatem sustinent Judæi, ad eam injuste et quasi per calumniam damnati in tyrannico Chaldæorum tribunali et judicio. Ad hoc enim alludens subdit :

Vers. 34. 34. REDEMPTOR EORUM FORTIS, — *q. d.* Esto fortes sint Chaldæi, fortiterque Judæos in Babylone detineant; tamen fortior iis est Dominus, qui Judæos e Babylone redimet et liberabit.

JUDICIO (id est in justitia, sive juste) DEFENDET DEUS CAUSAM EORUM (Judæorum), UT EXTERREAT TERRAM (Chaldæorum; Vatablus vertit: *Ut requiem det terræ* (aliis gentibus), ET COMMOVEAT HABITATORES BABYLONIS.

Vers. 36. 36. GLADIUS AD DIVINOS (contra divinos et astro-

logos Chaldæorum veniet), QUI STULTI ERUNT, — id est apparebunt, quia nesciunt divinare suum interitum.

38. SICCITAS SUPER AQUAS EJUS ERIT. — Nota ex Xenophonte, lib. VII *Cyripædiæ*, Herodoto, lib. I, Theodoreto, Vatablo, Capella et a Castro, hac arte Cyrum cepisse Babylonem : scilicet Euphratem qui Babylonem interluit, in multas latas et altas fossas ad hoc a milite ante factas derivavit, ea nocte qua Babylonii quasi securissimi festa et convivia agitabant, ita ut sicco alveo militem in urbem immiserit, et cives somno vinoque sepultos trucidarit. Hæc est siccitas, de qua Jeremias hic. Idem insinuat Jeremias, cap. seq., vers. 32 (1).

Tradit Frontinus, lib. V, cap. VII, hoc stratagemate jam dicto ter captam fuisse Babylonem, scilicet *primo*, a Semiramide; *secundo*, a Cyro; *tertio*, ab Alexandro.

Aliter Maldonatus, *q. d.* Deus immittet Chaldææ sterilitatem et ariditatem. Nota : Noster legit יְבֵשׁוּ *iabescu*, id est *arescent*; unde vertit : « Siccitas super aquas; » Septuaginta vero legerunt alio puncto יָבְשׁוּ *iabosu*, id est, *erubescent super aquas*.

IN PORTENTIS, — id est in portentosis et monstrosis deorum suorum et idolorum figmentis. Hebræum אֵימִים *emim* significat terrores, id est homines vel deos terrificos et truces.

39. DRACONES CUM FAUNIS FICARIIS.— Ita Romana : non *fatuis sicariis*, ut habent Plantiniana; nec *fatuis siccariis*, id est in locis siccis habitantibus, uti legit et explicat Maldonatus. Hebraice est צִיִּים אִיִּים אֶת *tsiim et iim*, quod Chaldæus vertit, *Cercopitheci cum felibus*; alii, *feles cum ululis*; optime Pagninus vertit, *feræ et monstra* aut spectra, puta dæmones qui desertas terras vel insulas incolunt. Hebræum enim צִיָּה *tsia* significat aridum desertum, אִי *ii* insulam; unde Noster, *Isaiæ* XXXI, 21 et 22, vertit, *bestias et ululas*; et *Isaiæ* XXXIV, 14, vertit, *dæmones et onocentauros*; hic vertit, *dracones cum faunis ficariis*. Fauni sunt monstra, id est bestiæ (ex infando congressu hominum cum bestiis, verbi gratia pastorum cum capris prognatæ), aut dæmones instar hominum in sylvis et montibus desertis degentes. Dicuntur ficarii, quia caprifico sustentantur, ejusque ficus comedunt. Significat ergo summam desolationem Babylonis, ut scilicet fiat spelunca draconum, ferarum et dæmonum. Vide dicta *Isaiæ* XXXIV, 14.

Nota : Fauni dicuntur, quasi fari nesciant, quia incondite loquuntur et strident ut bestiæ, v. g. caprissando ut hirci : aut, ut Hesychius, dicuntur Fauni, quasi φαίνοντες ἑαυτούς, id est *ostendentes seipsos* : vel quia raro videntur, vel quia dæmones solent sub eorum specie apparere, qualis forte fuit ille quem S. Antonius vidit offerentem sibi palmulas, et alter quem sibi iter ad S. Paulum primum Eremitam ostendentem conspexit.

NON INHABITABITUR ULTRA USQUE IN SEMPITERNUM. — Quæres, quomodo Jeremias et Isaias dicunt omnino desolandam esse Babylonem, cum post Nabuchodonosorem etiam sub tempora Alexandri Magni opibus inclyta fuerit, et unum e septem spectaculis et miraculis mundi? Respondeo hanc prophetiam non simul, sed sensim et successive impletam esse : *primo* enim per Cyrum Babyloni adempta est monarchia et imperium; *secundo*, Darius Hystaspis Babylonem repugnantem expugnavit, et mœnia solo æquavit, teste Herodoto, lib. III, et Justino, lib. I; *tertio*, Seleucus Nicanor, condita prope Babylonem Seleucia, quæ et Babylonia inde est dicta, exhausit Babylonem civibus et opibus, eaque transtulit Seleuciam; idem fecere Parthi condita Ctesiphonte juxta Babylonem, testis est Plinius, lib. VI, cap. XXVI; *quarto*, tempore Adriani Imperatoris : « Babylon, inquit Pausanias, lib. VIII, omnium quas unquam sol vidit urbium maxima, jam nihil præter muros reliqui habet; » *quinto*, tempore Theodosii Imperatoris, S. Hieronymus in cap. XIII *Isaiæ*, scribit venationes tantum regias esse Babylone, et omnis generis bestias tantum murorum ejus ambitu coerceri. Adhuc hodie visuntur priscæ Babylonis ruinæ, quæ miram ejus amplitudinem et magnificentiam satis arguunt et testantur. Babylonis varia excidia.

Unde allegorice in Babylone excidium mundi et reproborum, ac nominatim Romæ, quæ ad Neroniana tempora redibit, eritque sceleratissima in fine mundi, est adumbratum, ut dixi *Apocal.* cap. XVII.

41. REGES. — Xenophon, lib. V *Cyripædiæ* : Cyrus, inquit, contra Babylonem et alias gentes, multos secum reges abduxit, vel sponte addictos, vel armis subactos, ut Embdam Armeniorum, Antucham Hyrcaniorum, Damaram Cadusiorum, Crœsum Lydiorum, etc. Vers. 41.

44. ECCE QUASI LEO ASCENDET DE SUPERBIA JORDANIS. — Cap. XLIX, 19, idem dixit de Nabuchodonosore, et de eo hic accipiunt Rabanus, Hugo, Lyranus, quod Judæa victa superbus quasi triumphator ad urbem suam pulchram Babylonem ascenderit. Vers. 44.

Secundo, Vatablus : Darius Medus, inquit, ascendit contra Chaldæum, de superbia Jordanis, id est ob superbam Judææ gloriam, et magnificentiam a Chaldæo profligatam et conculcatam.

Tertio et optime, a Castro explicat, quasi dicat : Sicut leo ascendere solet de pascuis turgidi Jordanis ad prædam, sic veniet Persa contra Babylonem pulchram et invictam urbem.

Cætera usque ad finem cap. explicata sunt cap. præced. a vers. 19 ad 22, ubi eadem contra Idumæos dicta sunt. Vide hic, o christiane! humanarum rerum vicissitudinem, considera et com-

(1) Hoc interpretes fere eo referunt, quod Cyrus Babylonem ita expugnavit, ut Euphrate, qui urbem inaccessam fecit, in paludem derivato, per alveum, ex quo abscesserat in urbem ingressus est... Sed *aquarum exsiccandarum* mentio pertinet ad *deserti* descriptionem, in quod Babylon sit redigenda, ut quod mox vers. 39, de feris in ejus loco commorantibus dicitur. (Rosenmuller.)

para Babyloniorum sortem cum ea ex qua prolapsi sunt, indeque collige quod a caducis ad æterna mentem transferre, atque Deo rebusque cœlestibus adhærere, tantummodo sit sapere : « Nemo enim valet mobilia diligere, et ipse immobilis stare, » ait S. Gregorius, lib. VIII *Moral.* cap. XXVIII; vel juxta novam editionem, cap. XXIV : « Sit ergo res temporalis in usu, æterna in desiderio; illa in itinere, hæc in perventione; » ait idem S. Gregorius, homil. 36 *in Evangel.*

CAPUT QUINQUAGESIMUM PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit multis exaggerare excidium Babylonis, unde, vers. 14, *exaggerat potentiam Dei, qua robur Babylonis conteret. Tertio, vers.* 27, *convocat contra eam multas gentes. Quarto, vers.* 34, *causam assignat, ejus tyrannidem in Judæos. Quinto, vers.* 45, *monet Judæos ut fugiant e Babylone. Denique, vers.* 59, *Jeremias hanc suam prophetiam scripto dat Saraiæ eunti in Babylonem, ut eam ibi legat, et lectam in Euphratem projiciat, addens fore ut pari modo projiciatur Babylon, æterna scilicet et irreparabili ruina* (1).

1. Hæc dicit Dominus : Ecce ego suscitabo super Babylonem et super habitatores ejus, qui cor suum levaverunt contra me, quasi ventum pestilentem. 2. Et mittam in Babylonem ventilatores, et ventilabunt eam, et demolientur terram ejus : quoniam venerunt super eam undique in die afflictionis ejus. 3. Non tendat qui tendit arcum suum, et non ascendat loricatus, nolite parcere juvenibus ejus, interficite omnem militiam ejus. 4. Et cadent interfecti in terra Chaldæorum, et vulnerati in regionibus ejus. 5. Quoniam non fuit viduatus Israel et Juda a Deo suo Domino exercituum : terra autem eorum repleta est delicto a sancto Israel. 6. Fugite de medio Babylonis, et salvet unusquisque animam suam : nolite tacere super iniquitatem ejus : quoniam tempus ultionis est a Domino, vicissitudinem ipse retribuet ei. 7. Calix aureus Babylon in manu Domini, inebrians omnem terram : de vino ejus biberunt gentes, et ideo commotæ sunt. 8. Subito cecidit Babylon, et contrita est : ululate super eam, tollite resinam ad dolorem ejus, si forte sanetur. 9. Curavimus Babylonem, et non est sanata : derelinquamus eam, et eamus unusquisque in terram suam : quoniam pervenit usque ad cœlos judicium ejus, et elevatum est usque ad nubes. 10. Protulit Dominus justitias nostras : venite, et narremus in Sion opus Domini Dei nostri. 11. Acuite sagittas, implete pharetras : suscitavit Dominus spiritum regum Medorum : et contra Babylonem mens ejus est, ut perdat eam, quoniam ultio Domini est, ultio templi sui. 12. Super muros Babylonis levate signum, augete custodiam : levate custodes, præparate insidias : quia cogitavit Dominus, et fecit quæcumque locutus est contra habitatores Babylonis. 13. Quæ habitas super aquas multas, locuples in thesauris, venit finis tuus pedalis præcisionis tuæ. 14. Juravit Dominus exercituum per animam suam : Quoniam replebo te hominibus quasi brucho, et super te celeuma cantabitur. 15. Qui fecit terram in fortitudine sua, præparavit orbem in sapientia sua, et prudentia sua extendit cœlos. 16. Dante eo vocem, multiplicantur aquæ in cœlo : qui levat

(1) Ejusdem vaticinii expositionem prosequitur Jeremias, et PRIMO, inducit Deum Babeli exitium denuntiantem, *primo*, per allegoricam propositionem et expositionem excidii præ clade Judæorum majoris, 1-5; *secundo*, per tropum alium idem exprimentem, 6-10; *tertio*, per ironiam oppositioni frustraneæ illudentem, 11-13; per contestationem Dei omnipotentiam suam proponentis, et jurejurando firmantis, 14-19; *quarto*, per hypotyposin prœliorum, in qua sistitur Deus ut copiarum militarium imperator, qui mandat iis, quibus id negotii incumbit, ut signis militaribus datis convocent copias e variis sui imperii populis, 20-32.

SECUNDO, sequitur *primo*, dialogus Judææ querentis et postulantis et Dei decernentis vindictam Babylonis, 33-40; *secundo*, interrogatio et subjectio ætiologica tum luctus pro Chaldæis, tum solatii pro Judæis, 41-49; *tertio*, repetita consolatio Judæorum, æque ac descriptio malorum Chaldæis imminentium, 50-58.

TERTIO, Isaiæ cum rege Sedecia Babylonem proficiscenti mandat Jeremias, ut si illuc pervenerit, vaticinia de Babylonis interitu ab ipso in singulari volumine conscripta publice prælegat, et prælecta lapidi alligata in Euphratem demergat, hac addita asseveratione, simili modo Babylonem demersum iri, 59-64.

nubes ab extremo terræ, fulgura in pluviam fecit : et produxit ventum de thesauris suis. 17. Stultus factus est omnis homo a scientia : confusus est omnis conflator in sculptili, quia mendax est conflatio eorum, nec est spiritus in eis. 18. Vana sunt opera, et risu digna, in tempore visitationis suæ peribunt. 19. Non sicut hæc, pars Jacob : quia qui fecit omnia ipse est, et Israel sceptrum hæreditatis ejus : Dominus exercituum nomen ejus. 20. Collidis tu mihi vasa belli, et ego collidam in te gentes, et disperdam in te regna : 21. et collidam in te equum et equitem ejus : et collidam in te currum et ascensorem ejus : 22. et collidam in te virum et mulierem : et collidam in te senem et puerum : et collidam in te juvenem et virginem : 23. et collidam in te pastorem et gregem ejus : et collidam in te agricolam et jugales ejus : et collidam in te duces et magistratus. 24. Et reddam Babyloni, et cunctis habitatoribus Chaldææ, omne malum suum, quod fecerunt in Sion, in oculis vestris, ait Dominus. 25. Ecce ego ad te, mons pestifer, ait Dominus, qui corrumpis universam terram : et extendam manum meam super te, et evolvam te de petris, et dabo te in montem combustionis. 26. Et non tollent de te lapidem in angulum, et lapidem in fundamenta, sed perditus in æternum eris, ait Dominus. 27. Levate signum in terra : clangite buccina in gentibus, sanctificate super eam gentes : annuntiate contra illam regibus Ararat, Menni, et Ascenez : numerate contra eam Taphsar, adducite equum quasi bruchum aculeatum. 28. Sanctificate contra eam gentes, reges Mediæ, duces ejus, et universos magistratus ejus, cunctamque terram potestatis ejus. 29. Et commovebitur terra, et conturbabitur : quia evigilabit contra Babylonem cogitatio Domini, ut ponat terram Babylonis desertam et inhabitabilem. 30. Cessaverunt fortes Babylonis a prælio, habitaverunt in præsidiis : devoratum est robur eorum, et facti sunt quasi mulieres : incensa sunt tabernacula ejus, contriti sunt vectes ejus. 31. Currens obviam currenti veniet : et nuntius obvius nuntianti : ut annuntiet regi Babylonis, quia capta est civitas ejus a summo usque ad summum : 32. et vada præoccupata sunt, et paludes incensæ sunt igni, et viri bellatores conturbati sunt. 33. Quia hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel : Filia Babylonis quasi area, tempus trituræ ejus; adhuc modicum, et veniet tempus messionis ejus. 34. Comedit me, devoravit me Nabuchodonosor rex Babylonis; reddidit me quasi vas inane, absorbuit me quasi draco, replevit ventrem suum teneritudine mea, et ejecit me. 35. Iniquitas adversum me, et caro mea super Babylonem, dicit habitatio Sion : et sanguis meus super habitatores Chaldææ, dicit Jerusalem. 36. Propterea hæc dicit Dominus : Ecce ego judicabo causam tuam, et ulciscar ultionem tuam, et desertum faciam mare ejus, et siccabo venam ejus. 37. Et erit Babylon in tumulos, habitatio draconum, stupor et sibilus, eo quod non sit habitator. 38. Simul ut leones rugient, excutient comas veluti catuli leonum. 39. In calore eorum ponam potus eorum, et inebriabo eos ut sopiantur, et dormiant somnum sempiternum, et non consurgant, dicit Dominus. 40. Deducam eos quasi agnos ad victimam et quasi arietes cum hædis. 41. Quomodo capta est Sesach, et comprehensa est inclyta universæ terræ? quomodo facta est in stuporem Babylon inter gentes? 42. Ascendit super Babylonem mare, multitudine fluctuum ejus operta est. 43. Factæ sunt civitates ejus in stuporem, terra inhabitabilis et deserta, terra in qua nullus habitet, nec transeat per eam filius hominis. 44. Et visitabo super Bel in Babylone, et ejiciam quod absorbuerat de ore ejus, et non confluent ad eum ultra gentes, siquidem et murus Babylonis corruet. 45. Egredimini de medio ejus, populus meus : ut salvet unusquisque animam suam ab ira furoris Domini. 46. Et ne forte mollescat cor vestrum, et timeatis auditum, qui audietur in terra : et veniet in anno auditio, et post hunc annum auditio; et iniquitas in terra, et dominator super dominatorem. 47. Propterea ecce dies veniunt, et visitabo super sculptilia Babylonis : et omnis terra ejus confundetur, et universi interfecti ejus cadent in medio ejus. 48. Et laudabunt super Babylonem cœli et terra, et omnia quæ in eis sunt : quia ab aquilone venient ei prædones, ait Do-

minus. 49. Et quomodo fecit Babylon ut caderent occisi in Israel : sic de Babylone cadent occisi in universa terra. 50. Qui fugistis gladium, venite, nolite stare : recordamini procul Domini, et Jerusalem ascendat super cor vestrum. 51. Confusi sumus, quoniam audivimus opprobrium : operuit ignominia facies nostras : quia venerunt alieni super sanctificationem domus Domini. 52. Propterea ecce dies veniunt, ait Dominus : et visitabo super sculptilia ejus, et in omni terra ejus mugiet vulneratus. 53. Si ascenderit Babylon in cœlum, et firmaverit in excelso robur suum : a me venient vastatores ejus, ait Dominus. 54. Vox clamoris de Babylone, et contritio magna de terra Chaldæorum : 55. quoniam vastavit Dominus Babylonem, et perdidit ex ea vocem magnam : et sonabunt fluctus eorum quasi aquæ multæ : dedit sonitum vox eorum. 56. Quia venit super eam, id est super Babylonem, prædo, et apprehensi sunt fortes ejus, et emarcuit arcus eorum, quia fortis ultor Dominus reddens retribuet. 57. Et inebriabo principes ejus, et sapientes ejus, et duces ejus, et magistratus ejus, et fortes ejus : et dormient somnum sempiternum, et non expergiscentur, ait rex, Dominus exercituum nomen ejus. 58. Hæc dicit Dominus exercituum : Murus Babylonis ille latissimus suffossione suffodietur, et portæ ejus excelsæ igni comburentur, et labores populorum ad nihilum, et gentium in ignem erunt, et disperibunt. 59. Verbum, quod præcepit Jeremias propheta, Saraiæ filio Neriæ filii Maasiæ, cum pergeret cum Sedecia rege in Babylonem, in anno quarto regni ejus : Saraias autem erat princeps prophetiæ. 60. Et scripsit Jeremias omne malum, quod venturum erat super Babylonem, in libro uno : omnia verba hæc, quæ scripta sunt contra Babylonem. 61. Et dixit Jeremias ad Saraiam : Cum veneris in Babylonem, et videris, et legeris omnia verba hæc, 62. dices : Domine, tu locutus es contra locum istum ut disperderes eum : ne sit qui in eo habitet ab homine usque ad pecus, et ut sit perpetua solitudo. 63. Cumque compleveris legere librum istum, ligabis ad eum lapidem, et projicies illum in medium Euphraten : 64. et dices : Sic submergetur Babylon, et non consurget a facie afflictionis, quam ego adduco super eam, et dissolvetur. Hucusque verba Jeremiæ.

1. SUSCITABO SUPER BABYLONEM VENTUM PESTILENTEM (vel « ventilatores, » vers. 2, puta Cyrum et Persas) ET SUPER HABITATORES EJUS, QUI COR SUUM LEVAVERUNT CONTRA ME, — puta contra populum meum, scilicet Judæos affligendo et captivando.

QUASI VENTUM PESTILENTEM, — *q. d.* Suscitabo hostes, scilicet Persas et Medos, qui Babyloniis quasi ventus pestilens pestem, id est mortem, afflent, eosque qui in Babylone rerum domina, sese invictos, securos, immobiles et inviolabiles putabant, ventilent et dispergant, ut sequitur : Chaldæos enim versu seq. comparat areæ quæ a vento ventilatur. Ita Theodoretus. Unde Septuaginta vertunt : *Suscitabo super Chaldæos ventum urentem corrumpentem.*

Secundo, τὸ *ventum pestilentem* potest referri ad id quod proxime præcedit, « qui cor suum levaverunt contra me. » Hoc ergo superborum cor vocat « ventum pestilentem, » tum quia coram Deo putet et fœtet instar venti et halitus pestilentis, quem v. g. Ætna vel Avernus eructat; tum quia omnes virtutes omniaque bona adurit, siccat et perdit, uti ventus pestilens afflat et perdit omnia germina, *q. d.* Ventosis et superbis Chaldæis suscitabo ventilatores Persas, qui eos ventilent; fastum eorum fastu Persarum, vires et animos Balsasaris viribus et animis majoribus Cyri contundam. Unde Septuaginta vertunt : ἐξαποστελῶ ἐπὶ Βαβυλῶνα ὑβριστάς, καὶ καθυβρίσουσιν αὐτήν : *mittam in Babylonem contumeliosos, et contumelia afficient eam*, vel *injurios, et injuria afficient eam.* Ita Delrio, *adagio* 874.

3. NON TENDAT QUI TENDIT ARCUM SUUM, — *q. d.* Nemo conetur Babylonem arcu suo et armis defendere, quia certo exitio a Deo destinata est, et Persæ omnem defensionem prohibebunt. Ita Hugo et Lyranus.

Secundo, Maldonatus et Sanchez explicant, *q. d.* Non erit opus in expugnanda Babylone, ut sagittarius arcum intendat, aut loricatus cominus cum hoste digladietur : ego enim Chaldæos epulis et mero soporabo, itaque quasi manus eorum ac pedes ligabo, ut neque sagittarii arcum tendere, neque loricati fugere aut movere se possint. Trucidate ergo eos intrepide et animose, nec parcatis illis. Aliis punctis hæc legunt Vatablus et Pagninus, scilicet pro אל *al*, id est *non*, legunt *el*, id est *ad*; unde vertunt : *Ad eum qui tendit arcum, et loricatum* (id est ad milites Cyri), *dicit Dominus : Ne parcatis juvenibus ejus.* Sed hi multa subaudiunt et supplent. Primus ergo sensus planior, secundus planissimus est.

5. NON FUIT VIDUATUS ISRAEL, — *q. d.* Israel non est quasi vidua derelicta; sed sponsus ejus, scili-

cet Deus, adhuc vivit, ejusque quasi uxoris curam gerit; ergo liberabit et vindicabit eum, exscindendo Babylonem.

TERRA AUTEM EORUM (Israelis et Judæ) REPLETA EST DELICTO A SANCTO ISRAEL, — id est propter Sanctum Israel, puta propter Deum ab eis offensum, *q. d.* Ideo tradita fuit Chaldæis Judæa, quia Deum offendit. Ita Theodoretus et Hugo.

Secundo et melius : « Terra eorum, » scilicet Chaldæorum, « repleta est delicto, » ideoque punienda « a Sancto Israel, » id est propter Sanctum Israel a Chaldæis offensum, dum ejus populum, scilicet Israel Dei cultui addictum et sanctificatum, tot injuriis in captivitate afflixerunt; dum enim populum Dei indigne tractarunt, ipsi Deo injuriam irrogarunt. Ita Hugo, Lyranus, Vatablus. Et favent Septuaginta ac Maldonatus : « Delicto, inquit, a Sancto Israel, » id est contra Sanctum Israel, commisso.

Tertio, a Castro : « Delicto, » inquit, id est pœna delicti et vastitate, « repleta est » Chaldæa, « a Sancto Israel, » id est a Deo.

6. FUGITE (tum Judæi, tum potius gentes quæcumque) DE MEDIO BABYLONIS, — mox exscindendæ, ne cum ea pereatis, uti verisimile est a Persis noctu Babylonem invadentibus, non tantum Chaldæos, sed et Judæos aliosque ex qualibet gente eis occurrentes, promiscue esse occisos.

NOLITE TACERE SUPER INIQUITATEM EJUS, — Babylonis; sed increpate eam, o Prophetæ! ne se putet injuste puniri. Ita Rabanus et Hugo.

Secundo, Maldonatus et Sanchez putant esse apostrophen Prophetæ ad hostes, *q. d.* « Nolite, o Persæ! tacere, » id est dissimulare, cessare et parcere Chaldæis.

Tertio et melius, ex Hebræo sic explices, *q. d.* Fugite e Babylone in alias urbes et loca, o Judæi et quivis alii, præsertim advenæ! ne taceatis, id est ne quiescatis in iniquitate ejus, ut discatis et imbibatis ejus pravos mores, et cum ea evertamini. Hæc enim præmonuit Jeremias diu ante obsidionem Babylonis, quæ et ipsa sat diu duravit; atque ad imbibendum pravos alicujus mores, sufficit cum eo pauci temporis conversatio; facile enim malum, difficile bonum discitur. Rursum ne taceatis « in iniquitate, » id est in pœna iniquitatis ejus, quæ ei imminet. Unde sequitur : « Quoniam tempus ultionis est, » *q. d.* Fugite ex urbe, ne ejus clades vos involvat.

Alii : Ne taceatis, id est ne esse desinatis, et occidamini propter iniquitatem ejus. Unde Septuaginta, Chaldæus, Vatablus et alii vertunt : *Ne disperdamini*, vel *exscindamini in iniquitate ejus*. Sic Lot dicitur : « In monte salvum te fac, » *Genes.* cap. XIX, 15.

Fugiendum e Babylone tropologice.

Tropologice S. Bernardus, serm. 50 *De Convers. ad clericos* : « Quidni periclitetur castitas in deliciis, humilitas in divitiis, pietas in negotiis, veritas in multiloquio, charitas in hoc sæculo nequam? Fugite de medio Babylonis, fugite et salvate animas vestras, convolate ad urbes refugii, ubi positis et de præteritis agere pœnitentiam, et in præsenti obtinere gratiam, et futuram gloriam fiducialiter præstolari. »

7. CALIX. — Putat Hieronymus Prado in *Ezech.* XXVII, 31, hic alludi ad calicem damnatorum, qui ex vino generoso et delicato dabatur damnatis ad mortem in loco supplicii, ut animosius tolerarent cruciatus, et mortis supremum agonem, *q. d.* Babylonii propinarunt aliis gentibus calicem damnatorum, id est eas ad mortem damnarunt et morte affecerunt. Verum calix hic Jeremiæ torquebat et cruciabat bibentes; erat ergo plenus felle, non vino. Est ergo alius sensus simplicior et magis genuinus, nimirum hic : « calix aureus, » id est vinum aut potius fel calice contentum aurescens, id est flavescens ut aurum, *Prov.* XXIII, 31, « est Babylon, » hoc est, pœnas acres et felleas Deus per Babylonios propinavit et inflixit aliis gentibus, inquiunt Vatablus et Pagninus. *Tertio* et simplicissime, Theodoretus, Chaldæus, Origenes et Rabanus, *q. d.* Babylon fuit calix aureus, id est regnum dives, splendidum; unde *Daniel.* II, 32, vocatur « caput aureum. » Hic calix plenus est felle et absinthio, id est continet calamitates, strages et excidia; dicitur esse in manu Domini, quia Dominus ejus crudelitate ac tyrannide uti voluit, et per eam flagellavit et percussit gentes. Clarius id significat versio Syriaca : *Calix auri* (aureus) *Babylon in manu Domini, de cujus vino inebriat* (Dominus) *universam terram.*

Vers. 7.

Babylon fuit calix aureus propter opes et luxum.

Dominus ergo hunc calicem aliis gentibus propinat, ut ex eo inebrientur, id est impleantur ejus invasione et stragibus pene ad insaniam : itaque propinatrix calamitatum omnibus fuit Babylon. Fuit ergo ipsa quasi calix iræ Dei, sed aureus ob splendorem et gloriam imperii : per hæc enim Deus infligebat supplicium iis omnibus, quos plectere volebat. Perinde fere esset ac si diceretur Chaldæos esse flagellum Dei, quo ipse castigabat nationes : licet autem flagellum esset inauratum, non ideo tamen plaga ejus minus erat luculenta. Sed jam cecidit et per Cyrum contritus est hic calix Babylonius, quia Deus eum dejecit in terram et confregit.

Secundo, quia quasi calix propinavit gentibus iram et supplicia Dei.

Notat etiam calix aureus opes, luxum, ac consequenter idololatriam, quam Babylonii gentibus aliis invexerunt. Unde huc alludit S. Joannes, *Apoc.* XIV, 8, et cap. XVII, 4, nimirum « venenum » non vitro, sed « auro » velatur, propinatur et « bibitur » ut ait Seneca.

Tropologice S. Gregorius, XXXIV *Moral.* VIII : « Babylon, inquit, id est mundi hujus gloria, dicitur calix aureus, quia dum pulchra esse temporalia ostentat, stultas mentes in sua concupiscentia deebriat; ut speciosa temporalia appetant, et invisibilia pulchra contemnant. Aureus ergo calix Babylon est; quia, dum visum exterioris pulchritudinis ostendit, sensum internæ rectitudinis subtrahit. » Nam, ut vulgo dicitur : « Auro loquente,

nihil pollet quævis oratio. » Et S. Ambrosius, lib. *De Elia*, cap. XV : « Constitue, inquit, ante oculos pompam hujus sæculi, vide speciosam illecebram, sed inanem gratiam, non seducant te vasa aurea et argentea ; habemus et nos thesaurum in vasis fictilibus. Vas Apostolorum fictile est, sed in eo thesaurus est Christi. » Vide et Origenem, *hom.* 2, hic, ubi docet Babylonium calicem aureum esse sermonem verborum lenociniis adornatum, qui prava audientibus instillat, qualis est hæreticorum, meretricum, adulatorum, etc.

BIBERUNT GENTES, ET IDEO COMMOTÆ SUNT. — Arabicus : *Biberunt omnes populi, et babylonizati sunt,* id est confusi sunt.

8. TOLLITE RESINAM (1) (*q. d.* O gentes Chaldæis subditæ ! Babylonis ruinæ medelam afferte. Est ironia. Unde respondent hi medici, puta gentes) : 9. CURAVIMUS BABYLONEM, ET NON EST SANATA ; — ergo de salute ejus desperantes, recedamus quisque in terram suam. Ita Theodoretus, Hugo et Vatablus. Est dialogus Prophetæ et gentium.

Alii volunt esse vocem Prophetarum, vel, ut Origenes, Rabanus, Lyranus, angelorum custodum Babylonis, qui quod nihil proficerent in ejus curatione, eam erant deserturi. Sic Hierosolymæ, paulo ante excidium ejus, audita est vox angelorum in templo in die Pentecostes : « Migremus hinc, » ait Josephus lib. VII *Belli*, cap. XIX. Verum angeli non ululant, nec medebantur temporali auxilio Chaldæis contra Medorum impetum a Deo decretum (de quo hic est sermo), sed spirituali, contra peccata quæ curare conabantur.

Tropologice, hinc docet Origenes angelos sanctos animam impiam, quæ eorum correptiones et inspirationes in vita contempsit, deserere in agone mortis ; cum undique ipsa a morbo, mundo, carne et dæmonibus impetitur, maximeque infirma est et imbecillis ad resistendum : quo fit ut ab hoste superetur, et trahatur in tartara. Sicut medicus, inquit, derelinquit ægrum, de cujus curatione desperat, « ne inter manus suas exspirans, causam interitus ejus ad se retorqueat. »

PERVENIT USQUE AD COELOS JUDICIUM EJUS. — « Judicium » vocat scelera enormia Babylonis, quæ vindictam et judicium Dei clamabant et expostulabant in cœlum : hæc enim faciebant plagam ejus incurabilem et desperatam, uti præcessit.

Aliter R. Salomon et Maldonatus, *q. d.* Relinquamus Babylonem, quia ipsa non tam ab hominibus, quam a Deo cœlitus impugnatur ; unde ipsa incurabilis est, nec ab homine vel angelo adjuvari potest.

Alii : « Judicium, » inquiunt, id est pœna ejus justo Dei judicio ei inflicta, « pervenit ad cœlos, » id est ingens est et immensa, ut sit hyperbole, qualis est illa : « It clamor cœlo. »

10. PROTULIT DOMINUS JUSTITIAS NOSTRAS. — Id est, Deus probavit ipso facto justam esse causam nostram, qua querimur nos injuste a Chaldæis opprimi : nullam enim eis injuriam intulimus ; Chaldæorum vero causam esse injustam ostendit, infligens eis justum hoc excidium ob oppressionem nostram, patet ex seq. Est vox populi Dei, sive Judæorum. Vers. 10.

NARREMUS, etc., OPUS DOMINI, — quomodo scilicet Chaldæos contriverit, et nos liberaverit.

11. IMPLETE PHARETRAS — sagittis, o Persæ ! ad jaculandum in Babylonios. Ita multi. Aut aptius, « implete pharetras » sagittis, o Chaldæi ! ut iis Persas arceatis a Babylone : quia « suscitavit Dominus spiritum regum Medorum » et Persarum : « et contra Babylonem mens ejus est. » Ita Sanchez. R. David vertit, *congregate clypeos*. Verum melius vertit Noster, « implete pharetras : » cui consentiunt Septuaginta et Chaldæus, Hebræum enim מלאו *milu* significat *implete*, non *congregate*. Vers. 11.

TEMPLI, — a Chaldæis in Jerusalem succensi.

12. LEVATE SIGNUM. — Censent Theodoretus, Hugo, Lyranus et Sanchez esse sermonem ironicum ad Chaldæos a Persis et Medis obsessos, *q. d.* Vexillum in muris patrium erigite, o Chaldæi ! custodias instaurate, insidias struite ut exploretis hostium consilia, milites instruite ad resistendum Persis. Alii tamen, ut Rabanus, Vatablus et Maldonatus, censent esse sermonem ad Persas obsidentes Babylonem : horum enim erat struere insidias, *q. d.* Explicatis vexillis, o Persæ ! invadite Babylonem, agite ut vexilla vestra in ipso muro Babylonis collocetis in signum captæ urbis : ideoque « augete custodiam, » id est excubias ; « levate, » hebraice, *excitate* « custodes, » *q. d.* Novos vigiles submittite, qui urbem cingant et stringant. Vers. 12.

PRÆPARATE INSIDIAS, — *q. d.* Agite cuniculos, Euphratem alio deducite, simulate quietem aut fugam, aliosque dolos struite, quia fecit, id est faciet, Dominus quæ locutus est contra Babylonem.

13. QUÆ HABITAS SUPER AQUAS, — o Babylon, quæ sita es juxta Euphratem, esque locupletissima ! Euphrates enim Babylonem interluebat, et per varios sinus et rivos deductus, varias ejus plateas oberrabat.

VENIT FINIS TUUS PEDALIS PRÆCISIONIS TUÆ. — Finem pedalem præcisionis vocat finem pede Dei, quasi æqua et justa mensura, sceleribus Babylonis commensum et emensum. Pes enim est genus mensuræ, etiam in vindemia et vini expressione (cui supplicia scelerum a Deo juste decreta com-

(1) « Subito cecidit Babylon, » etc. Sunt qui continuari existiment imaginem calicis, versu superiore propositam. Ita Dathius qui vertit : *Subito cadit calix ille aureus e manu Jovæ, Babylon et frangitur.* Sed recte J. D. Michaelis monuit, vatem non pergere in cœpta imagine, sed novam incipere, puellæ formosæ et lapsu vulneratæ. Quod suo calculo approbat Schnurrerus : quod Jova, inquiens, sua manu tenet poculum, haud elabitur ; quod ex auro confectum est vas, non facile diffringitur..... Nempe personam hic agit Babel civitas, quæ subito corruens, læditur frangiturque. (Rosenmuller.)

parare solent Prophetæ); unde Plinius, lib. XVIII, cap. XXXI, pedem justum vocat, quando una uvarum pressura viginti culeos implet: favet vox « præcisionis, » quæ uvarum est, et notat excidium Hinc et vers. seq. ait: « Super te celeuma (quod est calcantium uvas) cantabitur. » Nicolaus Damascenus apud Stobæum, *serm.* 32, et Alexander ab Alexandro, lib. IV *Genial.* cap. XVII, narrant Indos quosdam, qui Pedalii vocantur, solere a Deo solam justitiam postulare ut munus excellentissimum. Pedale ergo est justus pes, sive justa mensura punitioni Babylonis præstituta, jam sceleribus Babylonis commensum et emensum : jam enim mensuram cupiditatis et iniquitatis suæ compleverat Babylon, qua completa eam præscindere et perdere decreverat Deus. Hebræa enim ad verbum habent : *Venit finis tuus*, scilicet *mensura*, id est terminus et competentio, *cupiditatis*, *avaritiæ*, vel *rapinæ tuæ* : quia scilicet illa ad summum jam pervenit; unde instar finis tibi, puta *tempus præcisionis* tuæ et excidii tui : pedalem enim mensuram tibi tuoque imperio duplicem præstituit et prædefinivit Deus : *primam* opum et gloriæ, æque ac scelerum; *secundam* temporis, ut nimirum imperium teneas per 70 annos. Utramque mensuram jam implesti. Ergo finem tibi dabit Deus, teque pro meritis puniet et exscindet.

Moraliter, nota exiguam hic mensuram, scilicet pedalem, peccatorum, æque ac deliciarum, opum et imperii a Deo constitui Babyloni, et cuivis regno; ac multo magis cuivis homini (uti docet S. Augustinus, lib. *De Vita Christiana*, cap. III et IV, tom. IX), qua impleta omnia simul ipsius scelera punit, eumque morte præsenti et æterna pro meritis mulctat. Ita cum impii putant se esse in cursu et vento prospero ad omnem felicitatem, se esse in flore, se stare in culmine gloriæ, subito a Deo dejiciuntur et præcipitantur in interitum. Ita Sanchez. Quocirca merito miseram hominum regumque sortem miserans Sidonius Apollinaris, lib. VIII, epist. 11 *ad Lupum*, exclamat : « O necessitas abjecta nascendi, vivendi misera, dura moriendi ! » Et Aristides : « Nihil est in rebus humanis securum, nihil æquabile, nihil sibi sufficiens. »

Secundo, Hugo, Lyranus et Maldonatus, sic explicant : « Pedalis præcisionis tuæ, » id est, ut funditus exscindaris : loquitur enim, inquit ipse, de Babylone metaphorice, quasi de arbore, cujus pes, id est truncus, præscindendus est, *q. d.* Jam « securis ad radicem tuam posita est. » Verum Hebræum אמתך *ammat*, non pedem, id est truncum, sed cubitum et mensuram significat.

Tertio, Vatablus et Pagninus vertunt : *Venit finis oppressionis tuæ, eo quod brachio tuo opprimebas alios*; unde pari modo tu jam opprimeris a Medis. Hinc et Chaldæus vertit : *Venit tempus visitationis malitiæ tuæ*. Et Isidorus ac Castrius, *q. d.* Venit finis et tempus quo Babylon æqua mensura tantum pœnarum exsolvat, quantum aliis gentibus intulit et inflixit. Septuaginta vertunt : *Venit finis tuus vere in viscera tua*, ut scilicet ea discerpant Medi : scilicet pro *ammat*, id est cubito vel pedali, legerunt *amen*, id est vere; vel אמת *emet*, id est *in veritate*.

14. REPLEBO TE HOMINIBUS QUASI BRUCHO. — Militum Medorum multitudinem et murmur comparat bruchis, qui turmatim in germina, arbores et vineas involantes, eas stirpitus depascuntur : item vindemiatoribus communi voce quasi celeusmate se invicem ad torcular comprimendum exhortantibus. Vide dicta cap. XLVIII, 33. Vers. 14.

15. PRÆPARAVIT. — Hebraice מכין *mechin*, id est firmavit, fundavit. Vers. 15.

16. DANTE EO VOCEM, — *q. d.* Tonante Deo, cœlum videtur disrumpi et pluvias effundere. Exaggerat hic potentiam Dei, ut ostendat eam posse robur Babylonis evertere. Reliqua usque ad vers. 20, explicata sunt cap. X, 14, 15, 16. Est hic a vers. 16 usque ad 20, longa et pulchra Dei descriptio, per elogia fortitudinis, sapientiæ et beneficentiæ ipsius, quibus uti res omnes creavit, ita iisdem assistit jugiter, easque dirigit et gubernat. Simili modo Gentiles Deum descripserunt. Aristides hymno *in Jovem* : « Omnia, inquit, ubique sunt Jovis plena, cum ipse rebus singulis assideat, non secus atque pueris præceptores, et bellici vectores aurigis : omniumque deorum beneficia Jovi ferenda sunt accepta; nam illi hujus, ceu ducis in exercitu, imperio parentes, humanis rebus provident. » Et mox : « Jupiter, ait, omnium rerum pater est, fluviorum, cœli, terræ, deorum, hominum et stirpium; hic omnia dat et facit; hic in concionibus et judiciis, cum victoriam tribuit, Forensis vocatur; in præliis, Trophæus; in morbis aut ubicumque opem fert, Servator. Hic est Liberator, hic Mansuetus, quippe Pater; hic Rex, Urbitenens, Elicius, Pluvius, Cœlestis coryphæus. Ab hoc incipere merito debemus, et in hoc desinere, dictorum omnium et factorum præsidem ipsum et adjutorem, seu universi imperatorem, et solum præfectum, semper invocantes. »

20. COLLIDIS TU MIHI VASA BELLI, ET EGO COLLIDAM IN TE GENTES. — Id est, ut Hebræa habent, o Babylon ! tu mihi fuisti מפיץ *mephits*, id est malleus collidens et conterens vasa (1), id est instrumenta bellica aliarum nationum, quo malleo adhuc gentes conteram, regnaque contundam; equos, equites, juvenes, senes, pastores, agricolas et cæteros, quos describit usque ad vers. 24. Quapropter post hæc ego « reddam Babyloni,

(1) Hæc vox hoc solo loco obvia, vix dubium est *malleum* significare a נפץ *quatere*, dictum : « Pugnabant et malleo, gravesque ictus infligebant, » qui si aciem haberet, bipennis dicebatur. Ejusmodi malleum pugnatorium *derbasch* Arabibus dici, auctor est Niebuhr, *Itiner.* tom. II, pag. 200. A mallei omnia frangentis similitudine et Judas Machabæus מכבי *macabi* nomen accepit, I *Machab.* II, 4. (J. D. Michaelis.)

et cunctis habitatoribus Chaldææ omne malum suum, » et pari modo eam conteram, quo ipsa alias gentes contrivit. Unde Chaldæus, Vatablus, Pagninus et a Castro sic vertunt et explicant : Tu, o Babylon ! es mihi malleus et instrumentum bellicum, quo alias gentes contero ; ac demum post eas omnes malleum ipsum, id est te, conteram. Sic eam malleum terræ vocavit cap. L, 23.

Nota : Τὸ *in te* idem est quod *per te* ; Theodoretus aliter accipit τὸ *mihi*, *q. d.* Tu collidis mihi, id est in populum meum confringis et dispergis omnia vasa tua bellica. Sed prior sensus est genuinus.

Nota : Futurum *collidam*, ubique hic accipi potest pro præterito *collisi*, tumque melius cohæret cum vers. 24, *q. d.* Collisi per te gentes ; nunc pariter, imo magis mereris collidi quam alii.

Vers. 23. 23. AGRICOLAM ET JUGALES EJUS, — id est boves, quibus jugatis agricola arat. Est hypotyposis vastationis bellicæ.

25. ECCE EGO AD TE, MONS PESTIFER. — Nota : Babylon sita est in loco humili, scilicet campo Sennaar ; hic tamen vocatur mons, tum ob gloriam et fastum imperii, ita Theodoretus et Lyranus ; tum ob celsa palatia, atque murorum altitudinem et fortitudinem, ita Vatablus et Maldonatus. Erat enim murorum Babylonis, ait Orosius lib. II, cap. VI, latitudo 50 cubitorum, altitudo quater tanta, ambitus 480 stadiorum. Vide dicta *Daniel.* IV, 27 (1).

PESTIFER. — Septuaginta, *mons corrupte* ; Chaldæus, *dissipans* ; Hebræus, משחית *maschit*, id est *vastans* ; quia omnes gentes in suam potestatem et impietatem adducit. Comparat Babylonem monti vastanti et laceranti, ac pestem, id est necem et exitium, omnibus afferenti ; quia, sicut ex montibus prodire solent feræ quæ omnes laniant, ita ex Babylone prodibant milites, qui gentes omnes laniabant. Ita Maldonatus. Unde sequitur : « Qui corrumpis, » id est perdis, vastas, exscindis, « universam terram. »

EVOLVAM TE DE PETRIS, — de turribus, mœnibus et munitionibus ejiciam te. Persistit in metaphora montis : sicut enim urbem vocavit montem, ita turres vocat rupes ; quod enim sunt rupes in monte, hoc sunt turres in urbe.

ET DABO TE IN MONTEM COMBUSTIONIS, — id est combustum, ut feræ, id est milites, ex eo diffugiant.

26. NON TOLLENT DE TE LAPIDEM IN ANGULUM. — Hoc est, ita, o Babylon ! quæ videris rupes solidissima, Persarum malleo contunderis, ita eorumdem igne combureris, ut omnes tui lapides in minuta fragmenta dissiliant, aut in cinerem redigantur, nec supersint lapides justæ molis et magnitudinis, qui in angulis domorum et fabricarum collocentur, *q. d.* Babylonis domos, parietes et lapides in acervum redigam, et in rudera æterna. Ita Lyranus. Est hyperbole.

Symbolice, per lapides angulares reges et principes intelliguntur, *q. d.* ut vertit Chaldæus : *Non tollent deinceps ex te regem in regnum, et principem in principatum, quia omnes delebuntur.* Ita et Theodoretus, Hugo, Vatablus et Maldonatus.

SED PERDITUS IN ÆTERNUM ERIS. — Hebraice, *eris in desolationes sempiternas*, id est non restaurabéris ultra. Videre est etiamnum rudera antiquæ Babylonis. Magis tamen loquitur Propheta de abolitione imperii Babylonici.

27. LEVATE SIGNUM, — id est vexillum. Alloquitur Deus quasi dux belli suos centuriones et chiliarchas Persarum et Medorum, *q. d.* Conscribite militem, delectum castrensem agite. Vers. 27.

SANCTIFICATE SUPER EAM GENTES, — convocate gentes ad sacrum bellum gerendum contra Babylonem. Vide dicta cap. VI, 4.

ANNUNTIATE (bellum) CONTRA ILLAM REGIBUS ARARAT, — id est Armeniæ, non superioris et montosæ, ut Vatablus, sed inferioris : Ararat enim, ait S. Hieronymus in cap. XXXVII *Isaiæ*, regio in Armenia campestris est, per quam Araxes fluit ad radices Tauri montis altissimi, super quem arca Noe primo requievit ; unde arcæ pars fertur superesse in Armenia apud montem Cordiæorum.

MENNI. — Videtur esse Minyarum in Armenia regio, de qua Josephus lib. I *Antiq.* IV.

ASCENEZ. — Gens Armeniæ vicina, dicta ab Aschenez filio Gomer, filii Japhet, filii Noe : Josephus putat esse Rhegium urbem Italiæ, Vatablus Gothiam, Judæi Germaniam. Verum ex hoc loco Jeremiæ apparet Ascenez fuisse populum in Asia, Medis vicinum : cum Medis enim vocatur hic ad excidium Babylonis ; atque verisimile est, ex his Asianis Ascaniis posterioribus sæculis multos transisse in Europam, ab eisque ortos esse nostros Ascanios, id est Tuiscones sive Germanos. Ita Torniellus anno mundi 1931, num. 21. Ascenez Asiani, unde orti et dicti sunt Tuiscones.

NUMERATE CONTRA EAM TAPHSAR. — Pro *Taphsar* Septuaginta vertunt, *machinas* ; Chaldæus, *bellatores* ; Vatablus, *nobilitatem* ; Noster, *Nahum* III, 17, vertit, *parvos duces* vel *principes* : תפח *taph* enim

(1) Recte observasse videtur Jo. D. Michaelis, inquit Rosenmuller, ignivomo monti, omnia circumjecta late vastanti, comparari hoc loco Babylonem. « Oportet certe phrasin ab aliquo montium genere in rerum natura desumptam esse, nec video aliud montium genus, quod perdere et vastare terras dici possit ; ita cogunt pene sequentia montem ignivomum intelligere ; nam *primo*, ex alto petrarum capite dejiciendus dicitur, quod in majore terræ motu accidere ignivomis montibus, excavatis incendio, possit ; *secundo*, faciendusque dicitur mons combustus, cujus omnes lapides ita fracti sint et exusti, ut fundandis ædibus sint inutiles (vers. 26). Simillimam habet imaginem, *Apocal.* VIII, 8, ubi regni magni interitus describitur, ac si mons magnus ignivomus (πυρὶ καιόμενος) in mari rueret et submergeretur. Nemo dubitabit, quin ibi Joannes de terræ motu et monte ignivomo loquatur. » Tales montes et Psalmista, *Psalm.* CIV, 32, respicere videtur, cum dicit : *Aspicit terram et tremit, tangit montes, et fumigant.* Vide et *Psal.* CXLIV, 5. Palæstinæ australis montes olim ignem evomuisse plura indicia arguere observat Volney, (*Itiner.* part. I.)

parum, שר *sar* principem significat. Jubet ergo principes vel duces conscribi ad bellum hoc. Ita Pagninus et Vatablus. Noster Interpres videtur *Taphsar* accipere ut nomen proprium loci, ex quo conscribendi sint milites vel lixæ.

ADDUCITE EQUUM QUASI BRUCHUM ACULEATUM, — qui in bello erectos et horrentes attollat crines, ac hirsutas et hispidas jubas, quasi aculeos bruchorum, id est locustarum, uti dixi *Isaiæ* cap. XXXIII, 4, quæ aculeum habent in cauda, pedibus et dentibus. Equos enim Persarum feroces esse, et quasi a natura stimulos habere et aculeos, neque alienis egere calcaribus, docet Oppianus, et ex eo Sanchez. Quocirca Vatablus vertit, *quasi examen horridum evigilabit,* quæ hactenus videtur dormivisse, *cogitatio Domini* de punienda Babylone. Hebraice est, *excitabitur cogitationes Domini*, id est, unaquæque cogitationum : quidquid Dominus cogitavit, id jam suscitabitur et exsecutioni dabitur.

31. (1) A SUMMO AD SUMMUM, — ab extremitate una ad aliam.

32. VADA (Euphratis) PRÆOCCUPATA SUNT — a Persis. Nam cum Cyrus Euphratem, qui Babylonem interluit, per fossas a militibus factas alio derivasset, ut per ejus alveum pedites incedere possent, milites partim ea parte qua Euphrates urbem ingreditur, partim ea parte qua egreditur, in urbem immisit, teste Herodoto, lib. I. Et hoc est quod hic ait Propheta, « a summo ad summum. » Simili modo Tiberis inundationes Romæ damnosas, multi olim avertere, urbemque siccam conservare cogitarunt, et etiamnum cogitant, derivando Anienem aliosque fluvios qui in Tiberim influunt, in fossas, quibus per valles alio decurrant. Actum fuit ab Aruntio et Ateio hac de re in senatu sub Tiberio Cæsare; sed itum est in hanc sententiam : « Optime rebus mortalium consuluisse naturam, quæ sua ora fluminibus, sucs cursus atque originem, ita fines dederit ipsum Tiberim : nolle prorsus accolis fluviis orbatum minore gloria fluere. » Ita Tacitus lib. I.

ET PALUDES INCENSÆ SUNT — a Persis, ut incensis carectis, quæ transitum militum impediebant, expeditior eis esset via in urbem; aut, ut Sanchez, ut incensis paludibus, quasi elevatis facibus, via ostenderetur transituris per Euphratis alveum in urbem : noctu enim capta est Babylon. Porro per *paludes* intellige juncos et arundines, aiunt Vatablus et Pagninus, quæ apud Nilum et Euphratem in locis paludinosis crescunt in arborum altitudinem; vel certe per *paludes* intellige munitiones aliquas erectas in paludibus.

Nota : Per Euphratem quo superbiebat Balsasar et Babylon, quasi per illum esset inexpugnabilis, per eumdem expugnata est. Hic verum est illud : « Unde salus, inde vulnus. »

33. FILIA BABYLONIS QUASI AREA (male legunt aliqui *arca*), TEMPUS TRITURÆ EJUS, — *q. d.* Hactenus Babylon fuit quasi area plena frugibus, domibus, civibus, opibus et spoliis omnium gentium; jam triturabitur, ut omnes hæ opes excutiantur, illisque ipsa spolietur. Ita Theodoretus, Vatablus et Lyranus. Vel potius, area, id est, seges convehenda in aream (ut sit metonymia) est Babylon. Unde sequitur : « Tempus messionis ejus, » scilicet advenit, ut a Persis messoribus demetatur, et bonis omnibus spolietur : messem enim vocat spoliationem rerum omnium; trituram vero attritionem et afflictionem civium. Sic enim David trituravit Ammonitas, et « fecit super eos tribulas, et trahas, et ferrata carpenta (hisce enim segetes excutiuntur et triturantur in Palæstina, Canariis aliisque locis) transire, » II *Reg.* XII, 31, quo hic alludit Jeremias, et forte ad litteram ita Persæ triturarunt Chaldæos, quia ipsi triturarunt Judæos, Moabitas aliasque gentes, ut ait Isaias cap. XXI, 10, et cap. XXV, 10, hoc est, eos acriter vexarunt et afflixerunt. Vocatur ergo hic Babylon area trituræ, id est area, in qua quasi in theatro, conterendi erant, et capite bonisque mulctandi Chaldæi, ad publicum omnium gentium spectaculum, terrorem et exemplum. Sic area trituræ, id est contritionis martyrum, fuit amphitheatrum Romæ.

ADHUC MODICUM, ET VENIET TEMPUS MESSIONIS EJUS, — ut per falcem volantem quam vidit Zacharias, cap. V, id est per gladium et arma Persarum demetatur, id est capiatur et incendatur Babylon, deinde trituretur (prius enim segetes demetuntur, quam triturentur), id est cives ejus occidantur, ac opes excutiantur et diripiantur.

34. COMEDIT ME. — Verba sunt cœtus Judæorum vel Jerusalem, narrantium suas oppressiones a Chaldæis illatas, quod quasi a belluis sit devorata, et ut vas inane relicta, educto omni populo in captivitatem. Idem tropologice facit dæmon in anima peccatoris quam sibi subjugat, et devastat. Urbs vocatur *vas*, quia capit cives, uti vas capax est vini; sed uti vas vino exhausto, ita et urbs civibus exhaustis, est quasi dolium vacuum et inane.

ABSORBUIT ME — totam, sicut dracones marini, id est, balænæ, sorbent integras naves. Huic enim comparatur Pharao, *Ezech.* XXIX, 3. Pari modo Nabuchodonosor, ut immanis balæna, absorbuit totam Jerusalem, urbem spoliando et incendendo, vel abducendo in Babylonem. Sicut enim Pharao inter rivos Nili, sic Nabuchodonosor inter fluenta Euphratis et Tigris, degebat ut crocodilus, vel ut balæna. Unde subdit vers. 36 : « Desertum faciam mare ejus. »

REPLEVIT (Nabuchodonosor) VENTREM SUUM TENERITUDINE MEA. — Hebræus et Septuaginta, *deliciis meis*, id est *primo*, adolescentibus meis nobilibus, ita Hugo; *secundo*, me ipsa, quæ sum tenere in

(1) « Currens obviam currenti veniet, » etc. Cursores emissi ex aula regia sciscitatum de statu urbis oppugnatæ, perturbati sibi invicem occurrunt.

Dei cultu enutrita, ita Dionysius; *tertio*, bonis omnibus meis, puta deliciis et divitiis, rebusque pretiosis quas tenere diligebam, ita Chaldæus et Theodoretus. Et tunc per ventrem accipe ærarium Nabuchodonosoris, item ejus avaritiam; hæc enim auri est avida, æque ac venter famelicus cibi; sed hic cibo impletur, illa auro satiari nequit, est enim inexplebilis.

ET EJECIT ME, — id est evomuit me, *q. d.* Postquam omnes meas opes devoravit, domosque incendio absumpsit, ejecit me, id est cives et filios meos, ex terra mea, et in Babylonem abduxit.

35. INIQUITAS ADVERSUM ME, — violentia et clades mihi Sioni et Judææ inique a Babylone illata.

ET CARO (interfectorum meorum erit) SUPER BABYLONEM, — ut dignas solvat pœnas suæ tyrannidis. Unde subdit Dominus :

36. EGO ULCISCAR ULTIONEM TUAM, — id est injuriam tibi a Chaldæis illatam. Est metalepsis; injuria enim ulciscenda vocatur *ultio*.

DESERTUM FACIAM MARE EJUS, — id est, tum Euphratem, hunc enim alio derivavit Cyrus : ita Lyranus; tum potius « mare, » id est abundantiam hominum et opum, quæ videbatur tanta, ut quasi mare exhauriri non posse videretur. Ita Theodoretus et Vatablus.

ET VENAM, — id est, regnum et dominationem ejus in omnes et singulas gentes, ita Theodoretus; vel potius « venam » vocat reconditos ejus thesauros, ita a Castro. *Tertio* et aptius « venam » vocat, tum vectigalia quæ Babyloniis ab omnibus gentibus solvebantur, tum mercimonia; ex hisce enim quasi ex venis manabant juges Babylonis opes.

37. ET ERIT BABYLON IN TUMULOS (tum lapidum ex ruina domorum; tum arenarum, ex siccato Euphratis alveo; ideoque erit) HABITATIO DRACONUM — terrestrium, qui loca deserta incolunt.

38. SIMUL UT LEONES RUGIENT. — Hoc et de Persis victoribus cum Maldonato et Sanchez; et de Chaldæis victis, accipi potest cum Lyrano, Hugone, a Castro; hi enim audientes Persas Babylonem ingressos, et somno et vino expergefacti, comas excutient, ac rugient præ dolore, vel potius præ ira et indignatione; sed sero et frustra : sequentia enim Chaldæis competunt. Audi Virgilium XII *Æneid.* graphice iras et animos leonis describentem :

> Pœnorum qualis in arvis
> Saucius ille gravi venantum vulnere pectus,
> Tum demum movet arma leo, gaudetque comantes
> Excutiens cervice toros, fixumque latronis
> Impavidus frangit telum, et fremit ore cruento.

39. IN CALORE PONAM POTUS EORUM. — Est hypallage : id est, in potibus et compotationibus Balsasaris et Chaldæorum ponam calorem eorum, id est faciam ut incalescant, inebrientur, occidantur : convertam eorum convivia in perpetuam ebrietatem, ex qua nunquam expergefiant, sed dormiant somnum sempiternum, scilicet in morte, sepulcro et inferno. Multi enim Chaldæorum dormientes et ebrii, alii semisomnes et semisobrii, alii evigilantes et sobrii occisi sunt; itaque omnes a somno temporali ad somnum perpetuum Persarum gladio transmissi sunt. Quid enim est somnus, nisi mors brevis? et quid est mors, nisi somnus perpetuus? vide historiam *Daniel.* V, 4 et 30. Idem prædixit Isaias cap. XXI, 5; Chaldæi enim deridebant Persas obsidentes, eo quod haberent in urbe res necessarias ad viginti annos, ut iis tolerare possent obsidionem, ait Xenophon lib. VII; unde præfidentes suis viribus et opibus indulgebant genio, et tunc a Cyro oppressi sunt. Ecce, hic compotationum est finis, hæc sunt sepulchra concupiscentiæ et bacchantium.

41. QUOMODO CAPTA EST SESACH? — id est Babylon. Vide dicta cap. XXV, 26. Est epiphonema Prophetæ, mirantis Babylonem esse captam, quæ videbatur insuperabilis.

INCLYTA UNIVERSÆ TERRÆ. — Hebræus : *Laus et gloria universæ terræ;* Syrus vertit : *Quomodo capta est princeps regnorum, gloria universæ terræ; quomodo facta est in stuporem Babylon?* Arabicus Antiochenus : *Quomodo capta est Arysche*, id est præcipua, et caput regnorum? Arabicus Alexandrinus : *Quomodo obsessa est urbs præstans, gloria universæ terræ? quomodo facta est Babylon stupor?*

42. MARE, — grandis exercitus Medorum et Persarum obruit Babylonem. Arabicus vertit : *Elevatum est mare contra Babylonem, immersa est in multitudine fluctuum ejus.*

44. ET VISITABO SUPER BEL (id est super Chaldæos cultores Beli, ut sit metonymia. Ita Chaldæus et Lyranus. *Secundo* et planius, per *Bel* ipsum Beli idolum accipe; hoc enim quotidie devorabat sacrificia plurima cibosque sibi oblatos, *Daniel.* cap. XIV, 2, ac centum talentorum millia thuris, quæ quotidie ei adolebantur, teste Herodoto. Item anathemata et donaria, uti vasa templi Hierosolymitani. Hæc enim in Beli templum et cultum intulit Nabuchodonosor, *Daniel.* I, 2. Unde subdit) : ET EJICIAM QUOD ABSORBUERAT DE ORE EJUS, — *q. d.* Bel hæc omnia absorpsit et rapuit, sed Cyrus coget eum eadem revomere et reddere. Ita Theodoretus et Vatablus. In Hebræo est elegans paronomasia : *Visitabo Bel in Babel, et ejiciam* בלעו *bilo*, id est *devorationem ejus de ore ejus, et Babel corruet.*

46. VENIET (Babylonem) IN ANNO (scilicet primo Balsasaris) AUDITIO, — id est rumor belli, quod Medi parant : anno secundo venient ipsi Medi cum iniquitate, id est violentia : tertio anno Babylon ab iis expugnabitur, et dominator Cyrus dominatorem Balsasarem occidet. Ita Vatablus et R. David.

Secundo et simplicius, *q. d.* O Judæi! ne mollescat cor vestrum, cum varios belli Persici contra Chaldæos audietis rumores (hi enim vocantur « auditio et auditio, » eaque « in anno, et post

annum, » hoc est toto anno, imo post annum crebra et iterata auditio), et propter eos orientur iniquitates, id est seditiones, tumultus, et rapinæ, et bella intestina, aliis faventibus Persis, aliis Chaldæis, aliis antiquas inimicitias ulciscentibus; quia cum has turbas et iniquitates videritis, scitote imminere excidium Babylonis, et vestram liberationem. Simile ait Christus de excidio urbis et orbis, *Matth.* XXIV, 4. Ita a Castro. Paulo aliter Sanchez, qui per *iniquitatem* accipit continuatam in hisce belli rumoribus Chaldæorum contra Judæos tyrannidem et oppressionem, *q. d.* Ne animos vestros, o Judæi, debilitet et frangat, quod cum uno anno, deinde alio atque alio belli rumor audiatur, nihil tamen Chaldæi de sua in vos iniquitate et severitate priori remittant, maneantque dominatores, donec novus dominator Cyrus succedat. Dies namque brevi veniet quo Babylonem cum suis sculptilibus puniam et evertam.

48. LAUDABUNT COELI. — Id est, angeli cœli laudabunt justam Dei vindictam de Babylone, vel potius, *q. d.* Nova erit mundi facies, ut cœli et terra præ gaudio exsilire videantur, ob cæsum tyrannum Babylonium, sub quo omnes gemebant, quique terram tributis, rapinis, cædibus, excidiis vexabat; quin et cœlo ac cœlitibus erat injurius, arrogando sibi divinos honores, ac idola pro Deo colendo, omnesque ad eorum cultum cogendo. Est hyperbolica prosopopœia.

50. QUI FUGISTIS GLADIUM. — Loquitur Judæis, qui fugerant gladium in vastatione, non Jerusalem, ut Vatablus (hi omnes pene jam mortui erant, paucique tantum senes admodum ex ea erant superstites), sed Babylonis, ut jam « procul, » id est post 70 annos, recordentur pristini cultus Domini, et reditus in Jerusalem, de quo a parentibus plurima audierant, et vero a Jeremia et Ezechiele oraculum et promissionem Dei acceperant. Ita Rabanus, Theodoretus, Lyranus et alii.

Vers. 51. 51. CONFUSI SUMUS. — Est mimesis. Respondent enim Judæi, quasi dicant: Cum recordamur Jerusalem, confundimur, et pudet nos opprobrii, quo afflictos audivimus patres nostros in excidio Hierosolymæ, et contumeliæ, quam barbari Chaldæi intulerunt templo sancto Domini; atque opprobriorum et blasphemiarum, quas eos petulanter contra Dominum ejusque templum jactare, eique insultare sæpe audivimus, nimirum Bel esse potentiorem Deo nostro, ac evertisse ejus urbem, gentem et thronum in templo. His respondet Deus se Bel eversurum cum cæteris sculptilibus; Chaldæos vero ita vulneraturum, ut non gemant, sed mugiant instar boum dum mactantur; denique se Babylonem, quæ turres et muros in cœlum attollere, ideoque munitissima videbatur, vastaturum.

54. 54. VOX CLAMORIS DE BABYLONE, — audietur. Simile fuit cap. XLVIII, 3.

55. PERDIDIT EX EA VOCEM MAGNAM, — id est turbam tumultuantem, et vocibus magnis conclamantem, *q. d.* Faciet Deus ut in Babylonem, ubi jam ob hominum turbam magnus est strepitus et murmur, magnum inducatur silentium et solitudo, ex civium occisione et fuga.

ET SONABUNT FLUCTUS EORUM, — Babyloniorum cum occidentur ejulatus resonabunt, sicut fluctus aquarum multarum. Ita Maldonatus.

57. INEBRIABO PRINCIPES EJUS, — calice iræ meæ et extrema clade, ut dormiant somnum mortis æternum. Alludit rursum ad crapulam Balsasaris et Babyloniorum, cum Babylon caperetur. Vide vers. 39.

58. MURUS BABYLONIS ILLE LATISSIMUS SUFFOSSIONE SUFFODIETUR. — Erant enim muri Babylonis lati 50 cubitos, alti 200; longi adeo, ut per circuitum haberet portas centum. Ita Herodotus, lib. I, Diodorus, Solinus et alii. Vide dicta *Daniel.* V.

LABORES POPULORUM AD NIHILUM, ET GENTIUM IN IGNEM ERUNT, — *q. d.* Babylonis insanæ substructiones, palatia, arces, templa, muri, horti pensiles, etc., tanto labore totius pene Asiæ tot annis exstructa, igne cremabuntur, et in nihilum redigentur. Ita Chaldæus, Lyranus et alii.

Aliter Vatablus, *q. d.* Fatigabuntur populi et plebs (in exstinguendo igne), et lassabuntur, id est non poterunt exstinguere ignem, quo flagrabit Babylon (1).

59. CUM SEDECIA, — qui ibat in Babylonem ad Nabuchodonosorem, ut eum salutaret eique munera offerret, ut eum sibi et captivis Judæis redderet benevolum: contigerunt enim hæc anno quarto Sedeciæ, ut hic dicitur, quando omnia Hierosolymæ cum Chaldæis erant pacifica. Ita Hebræi in *Seder Olam*, cap. X, ac Latini. Minus recte ergo Septuaginta et Chaldæus vertunt: *Cum abiret a Sedecia*, quasi Sedecias non iverit in Babylonem, sed Saraiam legatum pro se eo miserit. Ex dictis liquet hanc prophetiam contra Babylonem quæ habetur cap. L et LI (quæque hoc libello descripta a Jeremia tradita est Saraiæ, ut eam Judæis in Babylone captivis legeret, ac deinde in Euphrate submergeret) dictam esse a Jeremia anno 4 Sedeciæ, puta 7 annis ante excidium Jerusalem.

SARAIAS AUTEM ERAT PRINCEPS PROPHETIÆ, — id est orationis et legationis, ut quasi orator peroraret apud Nabuchodonosorem. Sic Aaron vocatur propheta, id est interpres et orator Mosis apud Pharaonem, *Exodi* VII, 1. Rursum « prophetiæ, » scilicet illius quam hic nomine totius reipublicæ Judaicæ commendavit Jeremias, ut eam in Babylone promulgaret voce, et reipsa perageret. Ita Sanchez. Hebraice est, *princeps quietis*; quia in quiete et in somnis olim sæpe Deus Pro-

(1) Totum hoc hemistichium versus posterius legitur et *Habac.* II, 13, verbis nonnihil transpositis. Recte monet J. D. Michaelis, non Jeremiam ex Habacuc, nec hunc ex nostro corrigendum esse. Imitari enim non est singula verba eodem ordine describere. (Rosenmuller.)

phetis et Sanctis sua revelabat. Aliter Vatablus : *quietis*, inquit, id est ne quis regem quiescentem interturbaret, hic Saraias custodiebat ejus cubiculum, *q. d.* Erat præfectus cubiculi regii; vel *quietis*, id est recreationis regis erat præfectus, et sic quod Noster vertit « prophetiæ, » a Castro explicat, *q. d.* « Prophetiæ, » id est psalmorum et musicæ, ut ea regem recrearet. Aliter quoque Maldonatus. Erat, inquit, « princeps prophetiæ, » id est primus inter Levitas qui prophetias decantare solebant, aut princeps sacerdotum, ut vocatur cap. seq. 24. Sed dubium est an ille Saraias sit idem cum hoc.

Denique Chaldæus et Septuaginta pro מְנֻחָה *menucha*, id est quietis, legunt מִנְחָה *mincha*, id est munerum, *q. d.* Saraias erat munerum regi oblatorum, vel a rege distribuendorum præfectus, quem postea in aulis regum et principum vocarunt comitem vel præfectum sacrarum largitionum. Hic sensus cohæret cum primo (idem enim erat legatus et munerum largitor), qui videtur esse maxime appositus.

Vers. 61. 61. ET DIXIT JEREMIAS AD SARAIAM : CUM VENERIS IN BABYLONEM, ET VIDERIS, ET LEGERIS OMNIA VERBA HÆC, — hoc est, videndo et inspiciendo legeris verba hæc, quæ in libro tibi dato scripsi de Babylonis excidio, « legeris, » inquam, non Babyloniis; hi enim si Babylonis cladem ex te audirent, in te æque ac in Judæos captivos sævirent; sed Joachin et Judæis in Babylone detentis; ut lenias eorum dolorem, et captivitatis ærumnas spe libertatis iis dandæ a Cyro, cum ipse Babylonem evertet.

63. PROJICIES. — *Primo*, ad consolationem Judæorum in Babylone captivorum, ut in spem liberationis erigantur. Ita Theodoretus.

Secundo, ad monitionem Chaldæorum, qui ex Judæis intelligent te meo jussu et oraculo divino hæc de eorum excidio legisse, et lecta projecisse in Euphratem; ut ipsi hanc cladem pœnitentia evadant : hinc Jeremias monuit eos anno quarto Sedeciæ, id est fere 70 annis antequam hanc cladem eis Deus inferret. Sic ait Michæas, cap. VII, 19 : « Projiciet in profundum maris omnia peccata nostra, » id est plane ea abolebit, sicut aboletur quod projicitur in fundum maris. Sic Phocenses, teste Herodoto, lib. I, fœdus ineuntes inter se de non redeundo in patriam, ferri pondus projecerunt in mare cum gravi exsecratione, si in patriam redirent prius, quam pondus hoc sponte ex imo ad summum maris prosiliret, « ferream, ait, massam in mare demerserunt, et jurarunt non prius se in Phocæam redituros, quam hæc massa e fundo maris emergeret, atque in summa aqua exstaret. » Hoc juramentum et exsecrationem quasi æternæ durationis firmamentum adhibet Horatius in *Epodon*, ode 16 :

> Sed juremus in hæc; simul imis saxa renarint
> Vadis levata, ne redire sit nefas.

64. SIC SUBMERGETUR BABYLON, — non tam in Euphratem, quam in mare excidii et calamitatum. Ad hoc caput alludit sæpe S. Joannes *Apocal.* XVIII, describens excidium novæ Babylonis, id est Romæ redeuntis ad gentilismum in fine mundi, ac nominatim ad hunc versum alludit vers. 21, dicens : « Et sustulit unus angelus fortis lapidem quasi molarem, magnum, et misit in mare, dicens : Hoc impetu mittetur Babylon civitas illa magna, et ultra jam non invenietur. » Ubi Alcazar per angelum fortem intelligit Jeremiam. Vide ibi dicta.

HUC USQUE VERBA JEREMIÆ, — scilicet de Babylone; est enim hic epilogus prophetiæ contra Babylonem titulo respondens . cap. L, 1 : idque quia longior fuit de ea prophetia. Simile fuit in prophetia contra Moab, cap. XLVIII, 47. Alii tamen volunt absolute hic esse finem totius prophetiæ Jeremiæ, idque verius et aptius est; sequens enim caput historia est, non prophetia, petita ex lib. IV *Reg.* cap. ult.

Videtur hanc clausulam addidisse Baruch scriba Jeremiæ, adeoque collegisse omnes prophetias Jeremiæ diverso tempore editas in hoc volumen, neglecto tamen ordine temporis quo sunt editæ : quem sane Jeremias servavisset, si singulas suo tempore et ordine scripsisset, ut ex eis unum volumen conficeret. Quocirca Septuaginta et Arabicus Alexandrinus hoc loco immediate ante cap. LII, et ultimum ponunt cap. XLV Jeremiæ juxta Vulgatam editionem, quod continet prophetiam Jeremiæ ad Baruch, et de Baruch, ac deinde ponunt cap. LII, post quod statim subjiciunt ipsam prophetiam Baruch, ac post illam Threnos.

CAPUT QUINQUAGESIMUM SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Enarrat historiam cladis Jerusalem, mox Sedeciæ, vers. 8; *deinde templi, ejusque vasa a Chaldæis avecta, vers.* 17; *post hæc principes cæsos, et populum abductum, vers.* 24; *denique liberationem et exaltationem Joachin, vers.* 31.

1. Filius viginti et unius anni erat Sedecias, cum regnare cœpisset : et undecim annis regnavit in Jerusalem, et nomen matris ejus Amital, filia Jeremiæ de Lobna. 2. Et fecit malum in oculis Domini, juxta omnia quæ fecerat Joakim. 3. Quoniam furor Domini erat in Jerusalem et in Juda, usquequo projiceret eos a facie sua : et recessit Sedecias a rege Babylonis. 4. Factum est autem in anno nono regni ejus, in mense decimo, decima mensis : Venit Nabuchodonosor rex Babylonis, ipse et omnis exercitus ejus, adversus Jerusalem, et obsederunt eam, et ædificaverunt contra eam munitiones in circuitu. 5. Et fuit civitas obsessa usque ad undecimum annum regis Sedeciæ. 6. Mense autem quarto, nona mensis, obtinuit fames civitatem : et non erant alimenta populo terræ. 7. Et dirupta est civitas, et omnes viri bellatores ejus fugerunt, exieruntque de civitate nocte, per viam portæ quæ est inter duos muros, et ducit ad hortum regis (Chaldæis obsidentibus urbem in gyro), et abierunt per viam quæ ducit in eremum. 8. Persecutus est autem Chaldæorum exercitus regem ; et apprehenderunt Sedeciam in deserto, quod est juxta Jericho : et omnis comitatus ejus diffugit ab eo. 9. Cumque comprehendissent regem, adduxerunt eum ad regem Babylonis in Reblatha, quæ est in terra Emath : et locutus est ad eum judicia. 10. Et jugulavit rex Babylonis filios Sedeciæ in oculis ejus : sed et omnes principes Juda occidit in Reblatha. 11. Et oculos Sedeciæ eruit, et vinxit eum compedibus, et adduxit eum rex Babylonis in Babylonem, et posuit eum in domo carceris usque ad diem mortis ejus. 12. In mense autem quinto, decima mensis, ipse est annus nonus decimus Nabuchodonosor regis Babylonis : venit Nabuzardan princeps militiæ, qui stabat coram rege Babylonis in Jerusalem. 13. Et incendit domum Domini, et domum regis, et omnes domos Jerusalem, et omnem domum magnam igni combussit. 14. Et totum murum Jerusalem per circuitum destruxit cunctus exercitus Chaldæorum, qui erat cum magistro militiæ. 15. De pauperibus autem populi, et de reliquo vulgo, quod remanserat in civitate, et de perfugis, qui transfugerant ad regem Babylonis, et cæteros de multitudine, transtulit Nabuzardan princeps militiæ. 16. De pauperibus vero terræ reliquit Nabuzardan princeps militiæ vinitores et agricolas. 17. Columnas quoque æreas, quæ erant in domo Domini, et bases, et mare æneum, quod erat in domo Domini, confregerunt Chaldæi, et tulerunt omne æs eorum in Babylonem. 18. Et lebetes, et creagras, et psalteria, et phialas, et mortariola, et omnia vasa ærea, quæ in ministerio fuerant, tulerunt : et 19. hydrias, et thymiamateria, et urceos, et pelves, et candelabra, et mortaria, et cyathos : quotquot aurea, aurea ; et quotquot argentea, argentea, tulit magister militiæ : 20. et columnas duas, et mare unum, et vitulos duodecim æreos, qui erant sub basibus, quas fecerat rex Salomon in domo Domini : non erat pondus æris omnium horum vasorum. 21. De columnis autem, decem et octo cubiti altitudinis erant in columna una, et funiculus duodecim cubitorum circuibat eam : porro grossitudo ejus quatuor digitorum, et intrinsecus cava erat. 22. Et capitella super utramque ærea : altitudo capitelli unius quinque cubitorum : et retiacula, et malogranata super coronam in circuitu, omnia ærea. Similiter columnæ secundæ, et malogranata. 23. Et fuerunt malogranata nonaginta sex dependentia : et omnia malogranata centum, retiaculis circum-

dabantur. 24. Et tulit magister militiæ Saraiam sacerdotem primum, et Sophoniam sacerdotem secundum, et tres custodes vestibuli. 25. Et de civitate tulit eunuchum unum, qui erat præpositus super viros bellatores : et septem viros de his qui videbant faciem regis, qui inventi sunt in civitate : et scribam principem militum, qui probabat tirones : et sexaginta viros de populo terræ, qui inventi sunt in medio civitatis. 26. Tulit autem eos Nabuzardan magister militiæ, et duxit eos ad regem Babylonis in Reblatha. 27. Et percussit eos rex Babylonis, et interfecit eos in Reblatha in terra Emath : et translatus est Juda de terra sua. 28. Iste est populus, quem transtulit Nabuchodonosor : In anno septimo, Judæos tria millia et viginti tres : 29. In anno octavo decimo Nabuchodonosor, de Jerusalem animas octingentas triginta duas : 30. In anno vigesimo tertio Nabuchodonosor, transtulit Nabuzardan magister militiæ animas Judæorum septingentas quadraginta quinque; omnes ergo animæ, quatuor millia sexcentæ. 31. Et factum est in trigesimo septimo anno transmigrationis Joachin regis Juda, duodecimo mense, vigesima quinta mensis, elevavit Evilmerodach rex Babylonis ipso anno regni sui, caput Joachin regis Juda, et eduxit eum de domo carceris. 32. Et locutus est cum eo bona, et posuit thronum ejus super thronos regum, qui erant post se in Babylone. 33. Et mutavit vestimenta carceris ejus, et comedebat panem coram eo semper cunctis diebus vitæ suæ; 34. et cibaria ejus, cibaria perpetua dabantur ei a rege Babylonis, statuta per singulos dies, usque ad diem mortis suæ, cunctis diebus vitæ ejus.

Quæres, an hoc caput sit Jeremiæ? Respondent Theodoretus, Hugo, Rabanus et Lyranus esse : quibus adde translatum esse hoc caput ex lib. IV *Reg.* cap. ult. in hunc locum : libri enim III et IV *Regum* auctor est Jeremias, ut ex Procopio, Kimchi et Isidoro docent Sixtus Senensis lib. I *Biblioth.*, et Abulensis, *Quæst.* IV in cap. XVII *Judicum.* Inde ergo illud huc transtulit Baruch scriba et compilator oraculorum Jeremiæ, idque tum ut ea quæ toto libro contra Jerusalem prophetavit Jeremias, impleta esse ostenderet; tum ut viam sterneret ad lamentationes sequentes. Unde Baruch quædam addidit ex se, scilicet gesta post mortem Jeremiæ, ut exaltationem Joachin, factam post mortem Nabuchodonosoris sub Evilmerodach. Certum est hoc caput esse canonicam Scripturam.

1. FILIA JEREMIÆ, — non hujus Prophetæ : hic enim erat de Anathoth, fuitque cælebs, sed alterius oriundi ex Lobna.

12. DECIMA MENSIS. — Dices : IV *Reg.* XXV, 8, dicitur septima die venisse Nabuzardan. Respondeo : Septima die discessit ex Reblatha, in qua degebat Nabuchodonosor, et decima die (tridui enim est iter) pervenit in Jerusalem.

21. DECEM ET OCTO CUBITI ALTITUDINIS ERANT IN COLUMNA UNA. — Dices : II *Paral.* cap. III, 15, dicuntur hæ columnæ habuisse 35 cubitos altitudinis. Respondeo : Utriusque columnæ tota altitudo simul juncta erat 36 cubitorum : ergo unius altitudo erat 18 cubitorum : bis enim 18 faciunt 36; in libro tamen *Paralip.* assignantur non 36, sed 35 cubiti, quia medius cubitus in quaque columna abscondebatur in ejus capitello.

Dices *secundo* : Hic dicuntur fuisse in quaque columna malogranata 96, sed III *Reg.* VIII, 20, dicuntur fuisse ducenta, id est centum in quaque. Respondeo : Centum erant, sed 96 tantum videbantur : corpus enim sphæricum videri undique non potest uno obtutu, quatuor ergo latebant. Ita Vatablus et Lyranus.

ET FUNICULUS, — *q. d.* Circumferentia columnarum, quam funiculo, aut, ut hebraice est, filo dimetiri solemus, erat duodecim cubitorum.

28. IN ANNO SEPTIMO — Nabuchodonosoris, qui fuit undecimus et ultimus Joakim : tunc enim occiso Joakim, abduxit in Babylonem tria millia Judæorum, ut hic dicitur, et inter eos Ezechielem. Ita Josephus, lib. X *Antiq.* VIII. Anno vero 18 regni sui, qui fuit undecimus et ultimus Sedeciæ, Nabuchodonosor cepit Jerusalem, et transtulit Judæos 832. Ex hoc Jeremiæ loco, patet nullam captivitatem fuisse anno 4 Joakim, qui fuit primus Nabuchodonosoris, ut volunt R. Saadias et Maldonatus in *Daniel.* I; alioqui enim eam, æque ac alias recensuisset hic Jeremias; aut certe exiguam fuisse, scilicet Danielem et paucos alios abductos esse. Vide dicta *Daniel.* I, 1.

30. IN ANNO VIGESIMO TERTIO TRANSTULIT, etc., SEPTINGENTAS QUADRAGINTA QUINQUE, — scilicet ex Ægypto, ea perdomita, transtulit reliquias Judæorum quæ eo confugerant in Babylonem. Ita aliqui. Verum Ægyptum perdomuit Nabuchodonosor anno regni sui non 23, sed 35, uti patebit *Ezech.* XXIX, 17. Dico ergo Nabuchodonosorem hoc anno 23, subegisse Ammonitas et Moabitas, ac deinde rursum racemasse Judæos vicinos tam in Judæa residentes, quam profugos ad Ammon et Moab, atque eos qui duabus prioribus captivitatibus superstites remanserant, abduxisse numero 745. Ita Lyranus et Dionysius. Annus hic 23 fuit quintus ab eversione urbis et templi. Vers. 30.

31. VIGESIMA QUINTA MENSIS. — Dices : Lib. IV *Regum*, cap. XXV, 27, dicitur id factum 27 die mensis.

Respondeo : Evilmerodach id statuit et cœpit facere die 25, sed perfecit et complevit die 27 mensis. Ita Vatablus. Puta 25 die Joachinum exemit vinculis et carcere, 27, exaltavit eum supra alios reges. Ita Sanchez. Tradit vel fabulatur R. David die 25 mortuum fuisse Nabuchodonosorem, die 26 sepultum, et Evilmerodach eductum e carcere quo tenebatur, quia regnum affectabat : die vero 27 eum regem esse constitutum, tumque eum pariter Joachin e carcere eduxisse et exaltasse, eo quod in carcere eo familiariter usus esset.

Alii fabulantur Evilmerodach timuisse ne Nabuchodonosor a morte ad vitam rediret, sicuti paulo ante a forma bestiali ad humanam redierat; exspectasse ergo tertium diem a morte, puta 27, quo sepulto patre jam securus regnum adiit. Alii fingunt Evilmerodach ex consilio Joachin patris cadaver in trecentas partes dissecuisse, easque totidem vulturibus devorandas objecisse, ne crederetur pater rursum victurus, et in regnum rediturus, uti dixi *Isaiæ* XIV, 16. Nota hic Joachin in carcere fuisse 37 annis, id est toto tempore quo regnavit Nabuchodonosor : eo mortuo eduxit eum Evilmerodach, cum Joachin jam esset 55 annorum. Nam cum esset 18 annorum, abductus est, et in carcere conclusus. Porro eduxit et exaltavit eum Evilmerodach, vel quia pater ejus moriens, et tyrannidis suæ ac superbiæ pœnitens, uti innuitur *Daniel.* V, 34, ita ei præceperat; vel quia in carcere moribus et alloquio ejus delectatus, amicitiam cum eo contraxerat.

32. ET POSUIT THRONUM EJUS SUPER THRONOS REGUM, — quos tum pompæ causa, tum ne rebellarent, in aula asseclas habebat, uti etiamnum reges aulæ asseclas habent duces et principes. Aut certe hi reges fuerunt ii quos devicerat, et carceri cum Joachin incluserat, uti rex Tyri, rex Ægypti, rex Edom, Ammon, Moab, etc.

Denique nota hic *primo*, Jeremiam paulo ante expugnationem urbis, secreto e templo extulisse arcam Testamenti et altare thymiamatis (et candelabrum et mensam panum propositionis, inquit Torniellus; nam nullius horum fit mentio in spoliis captis a Chaldæis), eaque occultasse in loco aliquo subterraneo, ac postea ea transtulisse in montem Nebo, uti dicitur II *Machab.* II, 4. Vide dicta *Exodi* XXV, 10.

Secundo, ea quæ hoc cap. a vers. 30 et deinceps scribuntur, contigisse post mortem Jeremiæ, ac proinde non ab ipso, sed a Baruch vel ab Esdra esse scripta et addita. Reliqua hujus cap. explicanda sunt IV *Reg.* cap. ult.; eo enim pertinent :

> Hic finis Joachin fatorum, hic exitus illum
> Sorte tulit, Sedeciæ hæc fata, hæc funera Judæ,
> Hæc Solymorum extrema dies : fuit Ilium, et ingens
> Gloria Abrahamidum, Isacidumque decus?

Quam vere dixit theodidactos noster Thomas, lib. I *De Imitat. Christi*, cap. I : « Vanitas vanitatum, et omnia vanitas, præter amare Deum, et illi soli servire. Ista est summa sapientia : per contemptum mundi, tendere ad cœlestia regna. Vanitas igitur est, divitias perituras quærere, et in illis sperare. Vanitas quoque est, honores ambire, et in altum se extollere. Vanitas est, carnis desideria sequi; et illud desiderare, unde postmodum graviter oportet puniri. Vanitas est, longam vitam optare, et de bona vita parum curare. Vanitas est, præsentem vitam solum attendere, et quæ futura sunt non prævidere. Vanitas est, diligere quod cum omni celeritate transit; et illuc non festinare, ubi sempiternum gaudium manet. » Vanitas est, hortos, palatia et urbes brevi ruituras ædificare; et de domo in cœlis ædificanda non cogitare. Vanitas est, aurum et argentum, hoc est terram rubram et albam, congerere; et cœlestes immortalesque opes negligere. Vanum est, et nimis vanum, filiis aut nepotibus ditandis ita insudare, ut periculum gehennæ semper ardentis tibi ipsi accersas, ac vitam sempiternam amittas. O vanitas! o vanitatum vanitas! O vani, o stolidi filii Adæ! ut quid, ut quid, ut quid diligitis vanitatem, vanissimam et merissimam vanitatem, et quæritis mendacium? O Veritas, o felicitas, o æternitas! quam raro versaris in mentibus hominum! quam pauci te cogitant, nulli penetrant! quia impenetrabilis es.

ÆTERNITATEM COGITA, α et ω.

ÆTERNA congere. ÆTERNA construe.

Quam arcta via quæ ducit ad vitam! quam pauci inveniunt eam!

GESTORUMQUE JEREMIÆ

SYNOPSIS ET GEMMÆ.

I. Audi Jeremia, audi sacerdos audi propheta Domini. Priusquam te formarem in utero, novi te : et antequam exires de vulva, sanctificavi te, et prophetam in gentibus dedi te.

A, a, a, Domine Deus : ecce nescio loqui, quia puer ego sum.

Ego dedi te in civitatem munitam, et in columnam ferream, et in murum æreum, super omnem terram.

Quid tu vides, Jeremia? Virgam vigilantem ego video. Bene vidisti, quia vigilabo ego super verbo meo ut faciam illud.

Quid tu vides? Ollam succensam ego video, et faciem ejus a facie aquilonis.

Ab Aquilone pandetur malum super omnes habitatores terræ.

II. Sanctus Israel Domino, primitiæ frugum ejus.

Quid invenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia elongaverunt a me, et ambulaverunt post vanitatem, et vani facti sunt?

Obstupescite, cœli, super hoc : et portæ ejus, desolamini vehementer.

Duo enim mala fecit populus meus : me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.

Scito, et vide, quia malum et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum.

A sæculo confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, et dixisti : Non serviam.

III. Fornicata es cum amatoribus multis : tamen revertere ad me, dicit Dominus : saltem amodo voca me : Pater meus, dux virginitatis meæ tu es.

Prævaricatrix Juda, et aversatrix Israel, mœchata es cum lapide et ligno.

Revertere, et dabo vobis pastores juxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina.

In tempore illo vocabunt Jerusalem solium Domini, et congregabuntur ad eam omnes gentes in nomine Domini.

Quomodo ponam te in filios, et tribuam tibi terram desiderabilem, hæreditatem præclaram exercituum gentium?

Convertimini filii revertentes, et sanabo aversiones vestras.

IV. Si abstuleris offendicula tua a facie mea, non commoveberis.

Et jurabis : Vivit Dominus in veritate, et in judicio, et in justitia.

Novate vobis novale : circumcidimini Domino, et auferte præputia cordium vestrorum.

Clamate : Ascendit leo de cubili suo, et prædo gentium se levavit.

Ecce quasi nubes ascendet, et quasi tempestas currus ejus : velociores aquilis equi illius : væ nobis, quoniam vastati sumus.

Ventrem meum doleo, ventrem meum doleo, sensus cordis mei turbati sunt in me : contritio super contritionem vocata est : vastata est omnis terra.

Quia sapientes sunt ut faciant mala ; bene autem facere nescierunt.

Vocem quasi parturientis audivi, angustias ut puerperæ.

Vox filiæ Sion intermorientis, expandentisque manus suas : væ mihi, quia defecit anima mea propter interfectos.

V. Circuite vias Jerusalem, et quærite in plateis ejus, an inveniatis virum facientem judicium, et propitius ero ei.

Idcirco percussit eos leo de sylva : lupus ad vesperam vastavit eos : pardus vigilans super civitates eorum.

Stupor et mirabilia facta sunt in terra : prophetæ prophetabant mendacium, et sacerdotes applaudebant manibus suis, et populus meus dilexit talia.

VI. Hæc est civitas visitationis et vindictæ, quia omnis calumnia inventa est in medio ejus.

Idcirco furore Domini plenus sum, laboravi sustinens.

A minore usque ad majorem omnes avaritiæ student : Propheta et sacerdos faciunt dolum, dicentes : Pax, pax, et non erat pax.

Probatorem dedi te in populo meo robustum : et probabis viam eorum. Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus projecit illos.

VII. Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes : Templum Domini, templum Domini, templum Domini est.

Tu ergo noli orare pro populo hoc, et non obsistas mihi : quia non exaudiam te.

VIII. Ossa principum, sacerdotum et civium expandent ad solem et lunam quibus servierunt, et quæ adoraverunt.

Et eligent magis mortem quam vitam omnes qui residui fuerint.

Milvus in cœlo cognovit tempus suum : turtur, et hirundo, et ciconia, custodierunt tempus adventus sui : populus autem meus non cognovit judicium Domini.

IX. Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum ? et plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei.

Unusquisque se a proximo suo custodiat, et in omni fratre suo non habeat fiduciam.

Deducant oculi nostri lacrymas, et palpebræ nostræ defluant aquis.

Quia ascendit mors per fenestras, ingressa est domos nostras, disperdere parvulos deforis, juvenes de plateis.

X. A signis cœli nolite metuere, quæ timent gentes : quia nec male possunt facere, nec bene.

Quis non timebit te, o Rex gentium ? tuum est enim decus : in universis regnis nullus est similis tui.

Dii, qui cœlos et terram non fecerunt, pereant de terra, et de his quæ sub cœlo sunt.

Deus noster est qui facit terram in fortitudine sua, præparat orbem in sapientia sua, et prudentia sua extendit cœlos.

Qui fulgura in pluviam facit, et educit ventum de thesauris suis.

XI. Maledictus vir, qui non audierit verba pacti hujus.

Quid est, quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa ?

Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam, vocavit Dominus nomen tuum.

Ad vocem loquelæ, grandis exarsit ignis in ea, et combusta sunt fruteta ejus.

Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam : et non cognovi.

Quia cogitaverunt super me consilia, dicentes : Mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium.

Tu autem, Domine sabaoth, qui judicas juste, et probas renes et corda, videam ultionem tuam ex eis : tibi enim revelavi causam meam.

XII. Justus quidem tu es, Domine, si disputem tecum : verumtamen justa loquar ad te.

Quare via impiorum prosperatur : bene est omnibus qui prævaricantur et inique agunt ?

Congrega eos quasi gregem ad victimam, et sanctifica eos in die occisionis : quoniam dixerunt : Non videbit novissima nostra.

Si cum peditibus currens laborasti : quomodo contendere poteris cum equis ?

Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam : dedi dilectam animam meam in manu inimicorum ejus.

XIII. Jussu Domini abscondi lumbare in Euphrate : et post dies plurimos tuli illud, et ecce computruerat. Sic, ait Dominus, putrescere faciam superbiam Juda.

Sicut enim adhæret lumbare ad lumbos viri, sic agglutinavi mihi omnem domum Israel.

Plorans plorabit, et deducet oculus meus lacrymam, quia captus est grex Domini.

Dic regi, et dominatrici : Humiliamini, sedete : quoniam descendit de capite vestro corona gloriæ vestræ.

Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas : et vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum.

XIV. Exspectatio Israel, salvator ejus in tempore tribulationis : quare quasi colonus futurus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum ?

XV. Si steterit Moyses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum : ejice illos a facie mea, et egrediantur.

Quo egrediemur ? Qui ad mortem, ad mortem : et qui ad gladium, ad gladium : et qui ad famem, ad famem : et qui ad captivitatem, ad captivitatem.

Quis miserebitur tui, Jerusalem ? quis ibit ad rogandum pro pace tua ? Tu reliquisti me, retrorsum abiisti.

Væ mihi, mater mea, quare genuisti me, virum rixæ, virum discordiæ ? omnes maledicunt mihi.

XVI. Non accipies uxorem, et non erunt tibi filii et filiæ in loco isto.

Mortibus *enim* ægrotationum morientur : non plangentur, et non sepelientur.

Ecce ego auferam de loco isto vocem gaudii, vocem sponsi et vocem sponsæ.

Vere mendacium possederunt patres nostri, vanitatem quæ eis non profuit.

XVII. Peccatum Juda scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino, exaratum super latitudinem cordis eorum.

Maledictus homo, qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum.

Benedictus vir, qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus.

Pravum est cor omnium, et inscrutabile : quis cognoscet illud ?

Exspectatio Israel, Domine : omnes, qui te derelinquunt, confundentur : recedentes a te, in terra scribentur : quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum.

Et ego non sum turbatus, te pastorem sequens : et diem hominis non desideravi. Tu scis.

Non sis tu mihi formidini, spes mea tu in die afflictionis.

XVIII. Surge, et descende in domum figuli : ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea, domus Israel.

Ecce ego contra vos malum.

XIX. Contere lagunculam testeam coram populo in valle filii Ennom, quia sic conteram populum istum et civitatem : in Topheth sepelientur.

XX. Seduxisti me, Domine, et seductus sum : fortior me fuisti, et invaluisti.

Factus sum in derisum tota die, omnes subsannant me.

Maledicta dies, in qua natus sum : dies, in qua peperit me mater mea, non sit benedicta.

XXI. Dic Sedeciæ regi : Ecce ego do coram vobis viam vitæ, et viam mortis.

Qui habitaverit in urbe hac, morietur gladio, et fame, et peste : qui autem egressus fuerit, et transfugerit ad Chaldæos, vivet.

XXII. Dic Sellum filio Josiæ : Non revertetur huc amplius; sed in loco, ad quem transtuli eum, ibi morietur.

Dic Joakim : Væ qui ædificat domum suam in injustitia, et amicum suum opprimet, et mercedem ejus non reddet ei.

Non plangent eum : Væ, frater; væ, domine : sepultura asini sepelietur, putrefactus et projectus extra portas Jerusalem.

Terra, terra, terra, audi sermonem Domini : Scribe virum istum sterilem : nec enim erit de semine ejus vir qui sedeat super solium David.

XXIII. Væ pastoribus, qui disperdunt et dilacerant gregem pascuæ meæ. Suscitabo super eos pastores, et pascent eos.

Ecce turbo Dominicæ indignationis egredietur, et tempestas erumpens super caput impiorum veniet.

Si occultabitur vir in absconditis, et ego non videbo eum? numquid non cœlum et terram ego impleo?

Numquid non verba mea sunt quasi ignis, et quasi malleus conterens petram?

XXIV. Quid tu vides, Jeremia? Ficus, ficus bonas, bonas valde; et malas, malas valde.

Hæc dicit Dominus : Sicut ficus hæ bonæ, sic cognoscam transmigrationem Juda in bonum, et reducam eos in terram hanc.

Et sicut ficus pessimæ, sic dabo Sedeciam et reliquos qui remanserunt in Jerusalem, in vexationem afflictionemque, in opprobrium, et in parabolam, et in maledictionem.

XXV. Mittam Nabuchodonosorem servum meum, et servient omnes gentes istæ regi Babylonis septuaginta annis.

Sume calicem vini furoris hujus de manu mea, et propina de illo cunctis gentibus : ut dem eas in solitudinem, stuporem, sibilum et maledictionem.

Bibite, et inebriamini, et vomite et cadite neque surgatis a facie gladii, quem ego mittam inter vos.

Dominus de excelso rugiet, et de habitaculo sancto suo dabit vocem suam.

XXVI. Dabo domum istam sicut Silo : et urbem hanc dabo in maledictionem cunctis gentibus terræ.

XXVII. Hæc dicit Dominus : O Jeremia, fac tibi vincula et catenas : et pones eas in collo tuo. Et mittes eas ad regem Edom, Moab, Ammon, Tyri et Sidonis.

XXVIII. Hæc dicit Dominus Hananiæ : Catenas ligneas contrivisti, et facies pro eis ferreas : jugum *enim* Nabuchodonosor ferreum posui super collum cunctarum gentium.

XXIX. Hæc dicit Dominus : Ædificate domos in Babylone : plantate hortos : accipite uxores, quia manebitis ibi septuaginta annis.

XXX. Væ, quia magna dies illa, nec est similis ejus : tempusque tribulationis est Jacob.

XXXI. In charitate perpetua dilexi te : ideo attraxi te, miserans.

Hinnite, contra caput gentium personate : Salva, Domine, populum tuum, reliquias Israel.

Audiens audivi Ephraim transmigrantem, castigasti me, et eruditus sum, quasi juvenculus indomitus.

Creavit Dominus novum super terram : femina circumdabit virum.

XXXII. Eme tibi, o Jeremia! agrum patruelis tui, qui est in Anatoth, quia hæc dicit Dominus : Adhuc possidebuntur domus, et agri, et vineæ in terra ista.

Heu, heu, heu, Domine Deus, fortissime, magne et potens : cujus oculi aperti sunt super omnes vias filiorum Adam, ut reddas unicuique secundum vias suas.

XXXIII. Erit mihi Jerusalem in nomen, et in gaudium, et in laudem, et in exsultationem cunctis gentibus terræ.

Audietur in ea vox lætitiæ, vox sponsi et vox sponsæ, vox dicentium : Confitemini Domino, quoniam bonus : quoniam in æternum misericordia ejus.

XXXIV. Audi, Sedecia rex : capieris, et Babylonem introibis : non morieris in gladio, sed in pace, plangentque te : væ, Domine.

Vos non audistis me, ut prædicaretis annum septimum libertatis unusquisque proximo suo : idcirco ego prædico vobis libertatem ad gladium, ad pestem et ad famem.

XXXV. Posui coram Rechabitis scyphos plenos vino, et dixi : Bibite vinum. Qui responderunt : Non bibemus.

Propterea hæc dicit Dominus : Non deficiet vir de stirpe Jonadab filii Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus.

XXXVI. Hæc dicit Dominus : Tolle, o Jeremia, volumen libri, et scribes in eo omnia verba, quæ locutus sum tibi, adversum Israel et Judam.

Non erit ex Joakim qui sedeat super solium David, et cadaver ejus projicietur ad æstum per diem, et ad gelu per noctem.

XXXVII. Hæc dicit Dominus : Chaldæi a Jerusalem recedentes ut pugnent contra Pharaonem, redibunt, capientque urbem, et succendent eam igni.

XXXVIII. Hæc dicit Dominus : Quicumque manserit in civitate hac, morietur gladio, et fame, et peste; qui autem profugerit ad Chaldæos, vivet.

XXXIX. Nabuchodonosor capit Jerusalem, Sedeciam excæcat, filios ejus et nobiles occidit, Jeremiam liberat.

Dic ad Abdemelech : Liberabo te, et erit tibi anima tua in salutem, quia in me habuisti fiduciam.

XL. Nabuzardan ait Jeremiæ : Si placet tibi ut venias mecum in Babylonem, ponam oculos meos super te; sin autem, habita apud Godoliam, quem præposuit rex Babylonis civitatibus Juda.

XLI. Ismahel occidit Godoliam, et populum capit : insequitur eum Johanan, et populum liberat, cum quo metuens Chaldæos, fugere cogitat in Ægyptum.

XLII. Johanan et principes consulunt Jeremiam : quibus ille : Manete in Judæa, et obedite Chaldæis : omnes enim qui ingredientur Ægyptum, morientur gladio, fame et peste.

XLIII. Contemnunt illi et fugiunt, secumque Jeremiam pertrahunt in Ægyptum. Jeremias in Taphnis prophetat : Veniet Nabuchodonosor, et percutiet terram, delubra et deos Ægypti.

XLIV. Quare, o Judæi, provocatis Deum sacrificando diis alienis in terra Ægypti?

Ecce ego tradam Pharaonem Ephree in manu quærentium animam illius.

XLV. Hæc dicit Dominus ad Baruch : Dixisti, væ misero mihi, quoniam addidit Dominus dolorem dolori meo.

Ecce quos ædificavi, ego destruo : et tu quæris tibi grandia? dabo tibi animam tuam in salutem.

XLVI. Hæc dicit Dominus adversus exercitum Pharaonis Nechao : Præparate scutum, state in galeis, polite lanceas, induite vos loricis.

Vitula elegans atque formosa Ægyptus : stimulator ab aquilone veniet ei. Post hæc habitabitur sicut in diebus pristinis

XLVII. Hæc dicit Dominus contra Palæstinos : Venit calvitium super Gazam, conticuit Ascalon.

O mucro Domini, usquequo non quiesces? Quomodo quiescet, cum Dominus præceperit ei, ibique condixerit illi?

XLVIII. Ad Moab : Fugite, salvate animas vestras, et eritis quasi myricæ in deserto.

Date florem Moab, quia florens egredietur : maledictus, qui prohibet gladium suum a sanguine.

XLIX. Ad filios Ammon : Ulula, Hesebon, quoniam vastata est Hai : Melchom capietur, sacerdotes ejus et principes ejus simul.

Parvulum dedi te, o Edom, in gentibus, contemptibilem inter homines.

Quomodo dereliquerunt civitatem laudabilem, urbem lætitiæ?

Succendam ignem in muro Damasci, et devorabit mœnia Benadad.

L. Capta est Babylon, confusus est Bel, victus est Merodach.

Gladius ad Chaldæos, ait Dominus, et ad habitatores Babylonis, gladius ad divinos ejus, gladius ad fortes illius, gladius ad equos ejus, et ad omne vulgus ejus.

LI. Fugite de medio Babylonis, et salvet unusquisque animam suam : quoniam tempus ultionis est a Domino : vicissitudinem ipse retribuet ei.

Calix aureus Babylon in manu Domini, inebrians omnem terram : de vino ejus biberunt gentes, et ideo commotæ sunt.

Ecce ego ad te, mons pestifer, qui corrumpis universam terram : evolvam te de petris, et dabo te in montem combustionis.

Sanctificate contra Babylonem gentes, reges Mediæ, duces ejus, cunctamque terram potestatis ejus.

Inebriabo Chaldæos, ut sopiantur, et dormiant somnum sempiternum.

Deducam eos quasi agnos ad victimam, et quasi arietes cum hædis.

Laudabunt super Babylonem cœli et terra, et omnia quæ in eis sunt : quia ab aquilone venient ei prædones.

Qui fugistis gladium, venite : recordamini procul Domini, et Jerusalem ascendat super cor vestrum.

Dic Saraiæ : Cum veneris in Babylonem, leges omnia verba libri hujus, librumque projicies in medium Euphraten, et dices : Sic submergetur Babylon, et non consurget a facie afflictionis.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto : sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

COMMENTARIUS

IN THRENOS

SIVE

LAMENTATIONES JEREMIÆ.

PRÆFATIO.

Threni pathetici.

Threni maxime pathetica et affectuosa totius S. Scripturæ sunt pars. Jeremias enim uti (teste Isidoro Pelusiota, libr. I, *epist.* 298), omnium Prophetarum fuit calamitosissimus, ita pariter omnium maxime threnodus hic ubique cunctos ad dolorem, luctum et ploratum excitat. Jeremias, inquam, vel potius Spiritus Sanctus per Jeremiam, in hisce Threnis videtur omnia sua lamenta conglobasse, atque compassioni, planctui et lacrymis habenas omnes laxasse. Idque merito, quippe qui videbat omnes suas prophetias, minas, monita et obsecrationes in irritum cecidisse, deplorata omnia, urbem Jerusalem quam tantopere salvare cupiebat, Judæam, rempublicam, et regnum gentis suæ, templum illud Salomonis orbis miraculum, populum Dei, adeoque Synagogam totam, Deique Ecclesiam vastatam, eversam et incensam a Chaldæis. Juste ergo inconsolabiliter lamentatur, et suspirat gemitibus inenarrabilibus, ut suo exemplo suos cives gemere doceat, et pœnitentiam agere, ut a Deo veniam, atque gentis, urbis et reipublicæ restitutionem impetrent: uti de facto impetrarunt, quando 70 captivitatis anno a Cyro in patriam remissi sunt, urbs et templum reædificata, respublica et Ecclesia restaurata fuerunt.

Ostenditur juxta Jerusalem, et in ejus chorographia depingitur ad meridiem urbis, non longe ab Haceldema, fovea Jeremiæ, in qua ipse aspiciens Jerusalem a Chaldæis vastatam, dolens et flens hosce Threnos dictavit, ubi Helena imperatrix mirifica construxit opera, ait ex Nicephoro Adrichomius in *Descript. Jerusalem,* num. 224.

Dat ergo Jeremias hic nobis typum, exemplum et carmen, quod in urbium, regnorum, reipublicæ et Ecclesiæ eversione, quod in publica calamitate et clade, quales plurimas hisce annis in Belgio vidimus et videmus, totidem verbis usurpemus, ut intimo compassionis affectu has strages tum corporum, tum magis animarum, sanguineis lacrymis apud Deum deploremus. Quocirca merito Paschasius censet hoc triste Jeremiæ carmen vocari posse Threnos threnorum, vel Lamentationes lamentationum; sicut lætum Salomonis Epithalamium vocatur Canticum canticorum : uti enim eo nihil lætius, ita hoc nihil tristius in Scriptura aut apud profanos reperiri potest, ut cum eo comparata tragica Senecæ, et similium, umbræ esse videantur, et ludi poetarum arte rhetorica conscripti et conficti. Hic enim non ars loquitur et gemit, sed ipse Spiritus divinus, qui totum Jeremiam occupaverat, ut gentis suæ populique Dei excidium plangeret gemitibus inenarrabilibus.

Tropologice Threni congruunt animæ pœnitenti.

Rursum mystice Jerusalem hæc ita vastata communiter accipitur hominum respublica et societas, sive genus humanum in Adamo diaboli fraude eversum, atque de primæva felicitate, paradiso et originali innocentia dejectum. Proprie vero ac peculiariter Jerusalem hæc est anima, quæ peccato mortali consentiens, statu justitiæ et regno Dei privata, dæmonis regnum, jugum et tyrannidem subit, et clades longe majores, quam Jerusalem olim, vel quodvis regnum aut respublica eversa, experiri et perpeti cogitur, ut merito pœnitens Threnos hosce usurpet, ac inter alia dicat illud cap. III, 12: « Tetendit arcum suum, et posuit me quasi signum ad sagittam. Misit in renibus meis filias pharetræ suæ; » et vers. 15 : « Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absinthio. » Exempla et lamenta pœnitentium stupenda vide apud Climachum, gradu 5 *De Pœnitentia;* et item in Vita S. Mariæ Magdalenæ, S. Mariæ Ægyptiacæ, et S. Pelagiæ pœnitentis. Audi et S. Hieronymum de seipso epist. *ad Florentinum* : « Ego cinis, et vilissima pars luti, et jam favilla : ego cunctis peccatorum sordibus inquinatus, diebus ac noctibus opperior cum tremore reddere novissimum quadrantem. Sed tamen quia Dominus solvit compeditos, et super humilem et trementem verba sua requies-

cit; forsitan et mihi in sepulcro scelerum jacenti dicat : Hieronyme, veni foras. »

Symbolice, Christo patienti.

Rursum symbolice in hisce Threnis Christi patientis affectus, ac dolorum acerbitatem ita in se graphice hic exprimit ac depingit Jeremias, ut Christum hic in cruce gementem, loquentem, lamentantem audire tibi videaris. Quare Ecclesia mater nostra hos Threnos sanctissimo anni tempore, hebdomada nimirum majori, ipsoque die Veneris sancto usurpat, et publice ac lamentabiliter decantat, ut Christum patientem repræsentet, omnesque ad compassionem moveat, atque ad pœnitentiam peccatorum, dolorem, seriam confessionem, vitæque emendationem efficacissime excitet et impellat. Qua de causa et ipsas alphabeti litteras *aleph, beth, ghimel* lugubri voce decantat : quod licet taxet hic Petrus a Figueiro, eo quod hæ litteræ non exprimantur in Hebræo; tamen recte ab Ecclesia inductum est, ut significetur hoc carmen esse alphabetarium, et quasi alphabetum pœnitentiæ a pœnitentibus usurpandum esse. Atque hinc alter sequitur Threnorum usus et fructus, scilicet quod Threni non tantum serviant proprie cujusque meditationi, qua se quisque ad compunctionem, compassionem et orationem excitet; sed consequenter vel maxime serviant concioni, ut concionator horum meditatione commotus et compunctus, dolore et amore accensus iisdem populum et peccatores ad threnos, ad luctum et lacrymas concitet. Sane ad hoc nulla aptior vox, nulla potentior sententia, nulla efficacior oratio quam Threnorum. Atque hic unus est scopus et solus ad quem collimare debet concionator, scilicet non ut aures titillet, non ut sublimia doceat, non ut eloquentia plausum cieat; audiatque : Quam bene hic dicit, quam pulchre discurrit! sed ut auditores ad peccatorum detestationem, ad vitæ novæ propositum, ad planctum et suspiria impellat.

Alphabetum pœnitentium sunt Threni.

Threni sunt concio ad planctum.

Pulchre non minus quam vere Noster P. Ramirez, celebris quondam in Hispania concionator, hoc indicium dabat bonæ vel malæ concionis. Vis, inquit, scire an concio bona, an concionator bonus fuerit? finita concione, inspice populum domum redeuntem : si videris eum exporrecta fronte hilarem, ad invicem colloquentem, connutantem, applaudentem : O quam bene dixit! quam eloquens, quam doctus, quam eleganter peroravit hic concionator! scito malam concionem, infructuosam et vanam; scito malum concionatorem et vanum fuisse. Sin populum domum redire videas tristem, demisso vultu, silentem, et quasi meditabundum ac percussum; scias bonam fuisse concionem, bonum concionatorem, qui non aures, sed cor populi tetigerit et pupugerit, atque luctum et lacrymas elicuerit. Hoc est quod S. Hieronymus docuit Nepotianum, scribens ad eum : « Docente te, inquit, in Ecclesia, non clamor populi, sed gemitus suscitetur : lacrymæ auditorum laudes tuæ sint : » ergo « prædicator » cum Jeremia planctum moveat instar turturis gemendo. « Illius, inquit S. Bernardus, serm. 59 *in Cantic.*, doctoris libenter vocem audio, qui non sibi plausum, sed mihi planctum moveat. Vere turturem exhibes, si gemere doceas. Et si persuadere vis, gemendo id magis quam declamando studeas oportebit. »

Signum bonæ vel malæ concionis.

Concionator planctum moveat, non plausum.

Talis fuit S. Vincentius Fererius, qui spiritu Apostolico concionabundus obiit Hispaniam, Italiam, Britanniam, Flandriam, Angliam, Scotiam, Hiberniam, nec tantum urbes majores, sed ubique villas et pagos Christi exemplo circumiens ac prædicans : « Pœnitentiam agite : appropinquavit enim regnum cœlorum. » Quocirca quocumque is pedem intulisset, mox sequebantur generales priorum delictorum pœnitentiæ, communis morum reformatio : cessabant blasphemiæ, perjuria, aleæ, quin et ludi, tantaque erat omnium contritio, religio, modestia, ut prisca Apostolorum ætas rediisse videretur. Dicitur convertisse Judæorum viginti quinque, Saracenorum octo, Christianorum perditæ vitæ supra centum millia. Incedebat stipatus quadraginta asseclarum et auditorum millibus, ac mox a concione diverberantium se innumera erat multitudo.

Talis fuit S. Antonius de Padua juvenis 36 annorum : mortuus est enim anno ætatis 36, qui ex longa oratione et meditatione promens conciones loquebatur, non ut homo, sed ut Angelus. In Quadragesima concionans, ita Patavinos cives commovit ad planctum et pœnitentiam, ut turmatim per plateas publice se cædentes incederent, inclamantes : Misericordia, misericordia. Atque inde cœpit publicus disciplinæ in hebdomada sancta usus. Verba ejus erant ardentia, et quasi sagittæ ignitæ feriebant corda audientium, quia manabant ex corde ardente. Inde audiebantur singultus, lacrymæ, tunsiones pectorum; sequebantur peccatorum insignium conversiones, morum et vitæ mutationes, hæresum abjurationes (fuit enim ipse malleus hæreticorum), usurarum restitutiones, etc. Hinc lingua ipsius incorrupta miraculo manet, quam 32 annis post ejus obitum S. Bonaventura Generalis Ordinis Franciscanorum in manus accipiens, exosculans et illacrymans : « O lingua, inquit, benedicta, quæ semper laudasti Deum, et alios laudare docuisti! jam patet quanti meriti et pretii sis apud Deum, qui te ad tam sublime officium efformavit. »

Hoc sæculo P. Ignatius Martinez e Societate nostra, vir magnæ doctrinæ, et majoris sanctitatis, Paduam veniens, linguamque eamdem visitans et exosculans, ita immutatus est, ut spiritum et linguam sancti induisse videretur. Rediens enim in Lusitaniam, deposito veteri rhetorum more, cœpit concionari apostolice, tanto spiritu et fructu, ut totam Lusitaniam commoverit, quæ etiamnum ejus, quasi Apostolici viri, memoriam veneratur et celebrat. Da nobis, Domine, multos Vincentios, Antonios, Bernardinos : da Paulos, da Apostolicos præcones.

De S. Joanne Baptista, præcone primo pœnitentiæ et Christi, ait Christus *Joan.* v : « Ille erat lucerna ardens, et lucens. » Est enim, inquit S. Bernardus, serm. *De Nativ. S. Joannis*, « tantum lucere vanum, tantum ardere parum : ardere et lucere perfectum. Audi quid dicat Scriptura, *Eccles.* XXVII : Sapiens permanet ut sol, stultus autem ut luna mutatur. Quia enim splendet luna sine fervore, modo plena, modo exigua, modo nulla videtur. Mutuatum siquidem lumen nunquam in eodem permanet statu, sed crescit, deficit, extenuatur, annihilatur, et penitus non comparet. Sic qui conscientias suas in alienis labiis posuerunt, modo magni, modo parvi sunt, modo nulli, secundum quod adulantium linguis vel vituperare placuerit, vel laudare. At vero solis splendor igneus est, et, cum fervet acrius, etiam oculis lucidior exhibetur. Sic sapientis ardor internus foris lucet; et si non ei datur utrumque, curat semper ardere magis. Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur? » Et inferius : « Ille erat lucerna ardens et lucens. Non ait, lucens et ardens, quia Joannis ex fervore splendor, non fervor prodiit ex splendore. Sunt enim qui non eo lucent, quia fervent; sed magis fervent ut luceant. At isti plane non fervent charitatis spiritu, sed studio vanitatis. Vultis nosse quemadmodum arsit Joannes et luxit? Ego utrumque in eo triplicem posse arbitror inveniri, et ardorem scilicet et splendorem. Ardens enim erat in seipso vehementi austeritate conversationis : erga Christum intimo quodam et pleno fervore devotionis : erga peccantes proximos constantia liberæ increpationis. Luxit nihilominus (ut paucis dixerim) exemplo, digito, verbo : opere seipsum, Christum indice, nosmetipsos nobis sermone declarans. »

Vere Cicero, lib. II *De Oratore* : « Ardeat, inquit, orator, si judicem velit incendere. »

ARGUMENTUM.

Hic liber hebraice vocatur אֵיכָה *echa*, id est *quomodo*; quia ab hac voce incipit. Hebræi in Commentariis vocant eum קִינוֹת *kinot*, Septuaginta θρήνους, id est *lamentationes* vel *fletus*. Threni ex Hebræo in Latinum conversi sunt a S. Hieronymo, in Græcum a Symmacho et Septuaginta. Nam jam olim Aquilæ et Theodotionis versio in Threnis desiderata fuit. Titulus hic nullus est in Hebræo, sed in Græcis et Latinis Bibliis, ac in textu Arabico Alexandrino, in Antiocheno enim desideratur (a Septuaginta, ut videtur, additus; unde non est canonica Scriptura; probatus tamen est ab Ecclesia, quæ eumdem titulum Bibliis Latinis, etiam Romanis præfigit); hic est : « Et factum est, postquam in captivitatem redactus est Israel, et Jerusalem deserta est, sedit Jeremias propheta flens, et planxit lamentatione hac in Jerusalem, et amaro animo suspirans, et ejulans dixit. » Unde clare liquet auctorem Threnorum esse Jeremiam, idque tota sentit Ecclesia (1). Rursum, Threnos esse compositos a Jeremia, non ante excidium Hieroso-

(1) A Jeremia vate scriptos esse Threnos iisdem fere argumentis probatur, ac eum prophetiarum quæ suo nomine inscribuntur esse auctorem. Scilicet *primo*, ex constanti veterum Judæorum sententia (quod non solum ex iis quæ græcæ Alexandrinæ versioni sunt præmissa, et ab Esdra juxta Huetium conscripta; verum ex Josepho, et eo quem Origenes dedit catalogo librorum, quos sacros Hebræis habent, cognoscitur) nec non ex unanimi Ecclesiæ traditione.

Secundo, hunc unanimem judaicæ et christianæ Ecclesiæ consensum confirmant manifesta styli Threnorum cum Jeremiæ vaticiniis similitudo. Similes in vaticiniorum libro et Threnis querelæ et planctus, velut *Jerem.* VIII, 25 (al. IX 1), 28; XIII, 17, XIV, 17, coll. cum *Thren.* I, 16; III, 48 49; rursus *Jerem.* XIV, 13 seqq., coll. cum *Thren.* II, 14; *Jerem.* cap. XIV, 7, 20, coll. cum *Thren.* III, 40 seqq., atque *Jerem.* X, 19; XLV, 3, coll. cum *Thren.* I, 5-12. Præterea addit Rosenmuller, iidem qui in Jeremiæ vaticiniis cernuntur styli characteres, in Threnis reperiuntur. Quo in argumento illustrando, inquit, ita præ aliis diligenter versatus est Pareau, I, 1, § 6, 7, 8, pag. 17 et seqq., ut quæ a viro doctissimo uberius sunt exposita hic in compendium redacta exhibere visum est. *Primo* enim, illa sive sententiarum, sive verborum redundantia, quam in sermonibus Jeremiæ propheticis ipsi propriam observamus, æque in Threnis cernitur. Neque enim tantum redeunt in uno subinde eodemque carmine eædem imagines, quin et eædem formulæ, sed in universum quoque stylus est diffusior, etsi cum varietate quadam ex affectuum varietate oriunda : scilicet in Threnis conscribendis Jeremias, ut in sermonibus propheticis non iisdem semper movebatur affectibus, atque adeo quo majore ferebatur animi impetu, eo minus diffuso stylo utebatur. Unde factum est, ut verbi gratia, caput primum et secundum, licet eumdem præ se ferant styli characterem, hoc tamen habeant discrimen, ut prius, sermonibus passim affectibus compositum plus habeat redundantiæ, quam posterius, quippe maximam partem fervidiores affectus spirans. Alius styli Jeremiæ character positus est in incuria quadam ac negligentia. Quemadmodum enim ab eo, qui diffusiore stylo utitur, accuratum omnium rerum ordinem, dispositionis artificium, justamque partium proportionem vix exspectes; ita nec Jeremias magnam habet concinnitatis laudem, quippe qui sæpius res protulerit eo modo atque ordine, quo primum ipsi in mentem venirent. Quæ tamen accusatio non eo pertinet, ut censeri debeat omnia temere miscuisse. Singularis enim est, et ab altero lectore non difficulter observandus cogitationum sententiarumque nexus, ut si carminum argumenta perspicias, et consideres quinam animi motus ex rerum istarum contemplatione apud ipsum enascerentur, mox agnoscas, quidquid primo incuitu male junctum videri possit, tamen in vatis mente justo quodam ac naturali ordine fuisse connexum : cujus generis exempla passim occurrunt, tum in carminibus ejus longioribus, tum in Threnis quoque,

lymæ, ut aliqui censuerunt, sed post illud : id enim clare dicit titulus (1).

Quæres, an titulus hic sit Scriptura canonica, et ejusdem auctoritatis cujus sunt Threni? Negant S. Bonaventura, Lyranus, Sanchez, a Castro, Franciscus Lucas in *Notis Biblior.*, censentque ab interprete quopiam illum Threnis adjectum esse, ad hoc, ut Threnis argumentum præfigeret, quo simul eosdem apte et consequenter cum ultimo capite Jeremiæ, quo fuse narrata est vastatio Hierosolymæ, brevi ejusdem compendio copularet. Rationes sunt duæ : prior, quod hic titulus in pluribus codicibus desideretur, uti testantur Lyranus et Lucas; posterior, quod non exstet in Hebræo, sed in versione Septuaginta, unde ab illis videtur additus; illi autem Interpretes duntaxat fuere, non Scriptores canonici. Idem dicendum est de epigraphe, sive titulo, qui præfigitur capiti sexto, et de titulo præfixo Ecclesiastico, uti ibidem censet Jansenius.

Contrarium opinatur P. Greiserus, tom. I *Defens. Bellarm.* lib. I, XIV, cujus ratio est *primo*, quod in Bibliis Romanis jussu Clementis VIII, editis in Præfatione, utique ex mente et voluntate Pontificis, dicatur in hac editione Bibliorum nihil non canonicum contineri; eaque de causa se rejecisse orationem Manassis, et librum III ac IV Esdræ, eo quod non sint canonici. In illis autem Bibliis hic titulus Threnorum, æque ac titulus Ecclesiastici inseruntur, vel potius præfiguntur textui Scripturæ canonicæ : ergo uterque est canonica Scriptura. *Secundo*, quia titulos et præfationes S. Hieronymi ab hac editione rejecerunt Romani, eo quod non sint canonicæ : cum ergo has duas ponant, censent eas esse canonicas. *Tertio*, quia Septuaginta (ut patet in editione Regia et Romana) titulum hunc non præfigunt Threnis, sed ponunt in ipso eorum textu, et ab eo illos inchoant, eumque faciunt initium cap. I.

Prior sententia, uti communior, ita verior videtur. Hic enim titulus non est auctoris canonici, puta Jeremiæ, sed Interpretum, puta Septuaginta, unde non exstat in Hebræo, nec in Syro, nec in Arabico, nec in Chaldæo : quod signum est ejus auctorem non esse Baruch. Hic enim scripsisset hebraice, uti scripsit Threnos ipsos, dictante Jeremia.

Rursum, in multis Bibliis hic titulus deest, et a multis interpretibus præteritur, puta a Theodoreto, Eusebio, Olympiodoro, S. Hieronymo, Paschasio, Rabano, Ruperto et aliis. Hi enim hujus tituli mentionem nullam faciunt in suis Commentariis.

Ad *primum* alterius sententiæ, respondeo :

Primo, illa verba præfationis Bibliorum Clementis VIII : « In hac editione nihil non canonicum, nihil adscititium, nihil extraneum apponere visum est; » non esse Pontificis, sed auctoris præfationis, qui fuit unus e Doctoribus, qui huic Bibliorum emendationi et editioni jussu Pontificis præfuerunt, quæ facta est, ut ipse ait, « annuente » tantum Pontifice, non vero decernente et definiente singula. Itaque cum ait, *Nihil non canonicum*, intellige, non ex Pontificis decreto, sed ex illorum qui editioni præfuerunt, opinione et sententia.

Secundo, « nihil, » id est nullum librum, librive partem non canonicam, « apponere visum est, » quales in aliis Bibliis appositæ visuntur, uti sunt oratio Manassis, liber III et IV Esdræ : quæ proinde in hac editione Romana rejecta sunt, ut ipse auctor præfationis mox explicando subjungit. Per *nihil* ergo, non intelligit titulos librorum, sed ipsos libros ipsumque Scripturæ textum : quare etiamsi addantur huic editioni librorum tituli, capita, capitum numeri, versus, etc., vere tamen dicitur, nihil non canonicum illi adjectum esse. Ita P. Serarius, *Prolegom. in Biblia* cap. XX et præcedent. Idemque mihi asseruerunt Romæ viri docti, atque imprimis illustrissimus Cardinalis Bellarminus, præfationis illius auctor, qui et lib. I *De Verbo Dei*, cap. XX : « Apocrypha quoque esse, inquit, videtur præfatiuncula, quæ præfigitur Threnis Jeremiæ : nam nec est in Hebræis codicibus, nec in omnibus Latinis, et ab expositoribus non attingitur. » Denique, si quis accurate verba præfationis illius jam citata expendat, et cum iis quæ sequuntur conferat, videbit per τὸ *non cano-*

in quibus neque dispositionis artificium laudari, nec tamen ordo nimis neglectus, aut plane turbatus dici potest.

Tertio Jeremiam esse Threnorum auctorem probatur adhuc impossibilitate sententiæ contrariæ. Equidem juxta Conzionem quinque quos hoc libro legimus Threnos non a solo Jeremia, verum et ab aliis quibusdam vatibus scriptos esse in *Proœm. ad Thren.*, a se vernacule redditos (in Bengelii *Archiv. fur die Theologie*, vol. I, pag. 162) arguere videtur diversitas, quæ in hisce elegiis observatur, et rationis exterioris, et styli atque dictionis. Haud enim, inquit, intelligitur, cur, si hæc carmina unius poetæ essent, is in quatuor prioribus componendis acrostichidis, sive alphabetici versuum ordinis, artificii usus sit, in quinto non item. Sed ut bene notat Rosenmuller qui mirum videri potest, poetam varia carmina vario metro et diversa structura composuisse? Aut quis unquam exspectaverit in omnibus ejusdem poetæ carminibus unam semper eamdemque dictionem servari? Cf. Bertholdti *Einleit in die Schriften d. A. u. N. T.* part. V, pag. 2322 et seq.

(1) Pareau, I, 1, pag. 50, singula hæc carmina non post eversam demum rempublicam composita censet; sed si temporis ratio habeatur, eo ordine collocanda, ut primo loco ponatur cap. I, post instauratam Hiersolymæ obsidionem (*Jerem.* XXXVII, 5-10, 19) conscriptum; deinde cap. III, quod spectet ipsum Jeremiam, e fovea cœnosa extractum (*Jerem.* XXXVIII, 1-3); tum cap. IV, illud tempus respiciens, quo Chaldæi urbem perrumperent, regemque ex ea fugientem caperent (*Jerem.* XXXIX, 1-5; IV *Reg.* XXV, 1-5); posthæc demum cap. II, quo horrenda urbis templique ac civium in ipsa vastatione repræsentetur conditio; denique ultimo loco cap. V, quo Judæorum in patria superstitum querelæ contineantur. Ordinem paulo diversum, quo hæc carmina poni possunt, proposuit J. M. Hartmann in Proœmio ad Threnos a se vernacule redditos. (Rosenmuller.)

nicum, non titulos, sed libros, librorumve partes non canonicas duntaxat excludi : per *adscititium* vero excludi marginales concordantias, notas et varias lectiones, quæ Bibliis Plantinianis aliisque adscriptæ leguntur : per *extraneum* denique, præfationes et argumenta librorum, quæ ex S. Hieronymo in aliis Bibliis iis præfixa visuntur. Sic enim auctor hæc verba partito explicare videtur, dum ternas hasce rerum classes ab hisce Pontificiis Bibliis, in sequentibus ordine jam dicto ablegat. Unde sequitur duntaxat hanc præfationem, sive titulum Threnorum non esse extraneum, sed *intraneum;* quia scilicet intra contextum Bibliorum ab immemorabili tempore repositus est, non tanquam Scriptura canonica, sed tanquam titulus libri et Scripturæ canonicæ, illi pro argumento a prisco aliquo scriba, vel a Septuaginta adjectus et præfixus : sicuti Evangelio S. Matthæi, non a S. Matthæo, sed aliquo alio, adjectus est hic titulus quasi intraneus, « Evangelium secundum Matthæum. » Nam ab eodem aliis Evangeliis similis est additus, ad ea ab invicem discernendum, nimirum hic : « Evangelium secundum Marcum, secundum Lucam, secundum Joannem. » De quo vide Maldonatum, Præfat. *in S. Matthæum.* Sic *Thren.* v, additus est ab aliquo hic titulus, *Oratio Jeremiæ,* hoc enim est in Hebræo.

Ad *secundum,* jam dixi Doctores hosce exclusisse præfationes S. Hieronymi, non ea de causa quod non sint canonicæ, sed quod sint recentes et extraneæ, non priscæ et intraneæ, quales sunt hæ Septuaginta, quæ tot sæculorum usu Scripturæ insertæ cum ea coaluisse, ideoque ei quasi intraneæ videntur.

Ad *tertium* respondeo, in nonnullis Græcis codicibus, uti Complutensibus, titulum hunc non imponi, sed præponi capiti primo : in Latinis vero Bibliis, etiam hisce ipsis Romanis, clarum est præponi, esto eodem charactere quo textus impressus sit; cum in Plantinianis aliisque diverso eoque minutiore charactere cusus visatur. Denique in Bibliis Græcis, Regiis et Romanis *aleph,* et versiculus primus Threnorum non huic titulo, sed statim post eum ad initium textus in margine annotatur : quo significatur ab eo incipere Threnos, non a titulo. Et ita Ecclesia in hebdomada sancta, Threnos orditur ab *aleph* et a textu, non ab hoc titulo.

Argumentum Threnorum non est mors Josiæ.

De argumento Threnorum dissident interpretes. *Primo,* Hebræi, Chaldæus, Rabanus, Maldonatus hic, et S. Hieronymus in *Zachar.* cap. XII, putant Jeremiam hic plangere cladem et mortem Josiæ regis Juda, cum ipse cæsus est a Pharaone Nechao; quod enim tunc Josiam planxerit Jeremias, patet ex II *Paralip.* XXXV, 25. Verum hic alius fuit planctus, aliique threni, qui interciderunt. Nam hisce nostris Threnis plangit Jeremias vastitatem et desolationem Hierosolymæ, ut patet tum ex titulo jam allato, tum ex ipsis Threnorum sententiis : tempore autem Josiæ Jerusalem non fuit vastata, nec capta : ergo hi Threni non sunt de clade Josiæ (1).

Nec captivitas Jechoniæ

Secundo, Eusebius putat Jeremiam hic in primo suo alphabeto plangere captivitatem Joachin vel Jechoniæ. Verum huic sententiæ obstat idem quod priori : sub Joachin enim non fuit vastata civitas, sed sub Sedecia.

Sed excidium Jerusalem per Chaldæos.

Dico ergo, argumentum Threnorum est : Plangit hic Jeremias urbis et templi excidium, et eversionem factam a Chaldæis, atque regis Sedeciæ totiusque populi captivitatem. Huic enim apte omnes Threnorum sententiæ conveniunt, eamque vel præsupponunt vel significant. Unde patet Jeremiam scripsisse hos Threnos anno undecimo Sedeciæ, qui fuit 19 Nabuchodonosoris : illo enim anno ipse cepit et vastavit Hierosolymam. Ita Origenes, Theodoretus, Olympiodorus, Procopius. Ubi adverte : Excidium Hierosolymæ per Nabuchodonosorem et Chaldæos fuit typus excidii Hierosolymæ per Titum et Romanos; imo quod inchoatum est per Nabuchodonosorem, hoc perfectum et consummatum est per Titum : itaque hi Threni consummate accipi possunt de exscidio Judæorum per Romanos, ut patebit cap. IV, 10 et 20. Ita S. Hieronymus, Theodoretus et alii.

Threni scripti sunt anno undecimo Sedeciæ.

(1) Fuere quidem qui Threnos easdem esse nænias existimarent, quibus Jeremiam Josiæ regi parentasse, II *Paralip.* XXXV, 25, relatum legimus, quæque idem inter nænias litteris consignatas servatæ tunc dicuntur. Ita Josephus, *Antiq.* lib. X, cap. V, § 1, postquam Josiæ mortem narrasset, hæc addit : Ἱερεμίας δ' ὁ προφήτης ἐπικήδειον αὐτοῦ συνέταξε μέλος θρηνητικὸν ὁ καὶ μέχρι νῦν διαμένει, Hieronymus in *Comment. ad Zachar.,* XII, 11 : « Super quo (Josia) Lamentationes scripsit Jeremias, quæ leguntur in Ecclesia, et scripsisse eum, Paralipomenon testatur liber. » Quorum duorum virorum sententiam plures ex Christianis interpretes, nostra etiam ætate J. D. Michaelis in not. 97, ad Lowhtii *de sacra Hebræor. poesi* Prælect. XXII; et J. Dathius in Nota Threnis a se latine translatis et primo editis anno 1779, amplexi sunt. Uterque tamen postea sententiam suam mutavit, Michaelis quidem in *der neuen Oriental. u. exeget. Biblioth.,* part. I, pag. 106; Dathius vero cum librum suum post sex annos curis secundis denuo in lucem emisit, priorem suam sententiam pluribus argumentis ipse refutavit, conclusitque suam de hac re dispu tationem his verbis : « Aliud accedit argumentum, adeo evidens, ut ipse indigner me ejus vel oblitum, vel negligentiorem fuisse. Si hæc carmina in memoriam optimi regis, Josiæ, composita sunt, cur virtutes ejus, pietas in Deum, merita in rempublicam non celebrantur. Cur nulla mortis tristissimæ mentio injicitur? Si quoque concedatur, posse locum cap. IV, 20, de rege Josia explicari, tamen hic unus locus non sufficit ad hunc regem tantis meritis insignem, tam acerbe ab omnibus deploratum, tanquam objectum primarium horum carminum constituendum. Quæ omnia lugent urbem vastatam, templum destructum (V, 6 seqq.), omnem rempublicam sine spe restitutionis sublatam. » Sed locus ille IV, 20, ne quidem cum aliqua veri specie de Josia explicari potest. Est enim is talis *vita nostra, Jovæ unctus, captus est in eorum foveis.* Quod minime Josiæ convenit, qui non captus, sed occisus est, II *Reg.* XXIII, 29. Plura vide in Eichornii *Einleitung in das A. T.,* part. III, pag. 626, edit. tert. cf. Pareau, I, 1, pag. 41. (Rosenmuller.)

Nota *primo* : Threni ex ingenti doloris et compassionis affectu a Jeremia scripti sunt ; unde pleni sunt affectuum : ideoque sententiæ sæpe non cohærent. Sicut enim qui vehementer dolet et affligitur, sine ordine jam clamat, jam luget, jam indignatur, jam obsecrat, et in omne pathos se versat : ita Jeremias hic iisdem affectibus et dolori suo, sine ordine aut ordinato discursu indulget, atque sententias quasi tumultuarie congerit, prout eas dolor effundit (1).

Carmine alphabetario sunt scripti.

Nota *secundo* : Artificium hic majus est quam in cæteris prophetiis ; carmine enim scribit, non certis quidem numeris temporum ac pedum, ut Latini et Græci solent, sed ut Hebræi, certo fere numero syllabarum ; et initio carminis litteras hebraicas ordine alphabeti pertexens, quod idem facit David *Psalm.* CXVIII. *Primus* enim versus incipit ab *aleph, secundus* a *beth, tertius* a *ghimel,* et ita consequenter. Quare acrostichi sunt hi versus. Atque ut hoc ipsum in Græca et Latina versione significetur, hac de causa hæ litteræ, *aleph, beth, ghimel,* etc., singulis versibus integræ ad marginem adscribuntur, quod non fit in textu Hebræo ; quia ibi singuli versus a singulis litteris, id est a dictionibus, quæ a singulis litteris incipiunt, suo ordine inchoantur. Porro utitur Jeremias litteris hisce alphabeti, ut per eas quasi elementa, inquit Rupertus, tanquam pueri, ad scientiam Dei adipiscendam, et ad cordis compunctionem, vitæque emendationem nos æque ac Judæi inducamur. Simili modo et ratione docet ex Hebræis Origenes, tot esse libros veteris Testamenti quot sunt litteræ Hebræorum, scilicet 22. Quia, inquit, sicut litteræ sunt elementa ad omnem sapientiam, ita libri illi initia sunt ad omnem Dei cognitionem.

Porro a Græcis tale carmen vocatur acrostichis, præsertim cum ex primis aliquot versuum continuo ordine sequentium litteris, oratio aliqua connectitur, teste Cicerone, libro II *De Divinat.*, uti fit in quibusdam Ennianis et Sibyllinis. Quale est illud Sibyllinum, cujus primæ litteræ reddunt hanc sententiam : Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ υἱὸς σωτὴρ, *Jesus Christus Dei Filius salvator ;* quod recenset Eusebius, lib. IV *De Vita Constantini,* cujus sententiæ initiales litteræ rursum reddunt hanc vocem, ἰχθὺς, id est *piscis*, quo nomine proinde Christus subinde a Patribus appellatur.

Aliud mysterium in hisce alphabeti litteris non latet, inquiunt Lyranus et Vatablus, nisi litterarum hebraicarum etyma velis interpretari, uti facit S. Hieronymus, epist. 155 *ad Paulam Urbicam.* Alii tamen, ut Rupertus, Hugo, S. Thomas, putant hic aliquid mysterii, quod nos lateat, contineri. Sanchez censet has litteras additas esse quasi notas, quæ Hebræis in memoriam revocarent, non tantum singulorum versuum initium, sed et totam numerosam eorum compositionem ; sicut in memoria artificiali, imagines phantasiæ objectæ revocant in memoriam totum quod discendum dicendumque est. Verum has imagines quisque sibi congruas format et fingit, nec apparet quomodo hic singulæ litteræ totos versus repræsentare possint singulis hominibus.

Nota *tertio* : Sunt hic quatuor alphabeta juxta quatuor capita. In *primo* alphabeto, cap. I, sub singulis litteris, terni dodecasyllabi versus concluduntur. In *secundo* alphabeto, cap. II, terni quoque versus sub una eademque littera continentur, quorum primus 16, reliqui duo 12 syllabarum sunt. In *tertio,* cap. III, terni versus non solum sub una littera ponuntur, sed ab eadem etiam singuli inchoantur, quorum unus non servato ordine 12, alii 14 syllabarum esse solent. *Quarto*, cap. IV, sub una littera binos versus complectitur. Hic ergo sunt dimetri, in cæteris trimetri. Quocirca S. Hieronymus, epist. 155 *ad Paulam Urbicam*, ait eos quasi Sapphico metro esse conscriptos, hoc est trimetro. Nam alioqui pedes et numeros Sapphici carminis non habent ; atque numerus et mensura eorum jam ignoratur. Vetus enim Hebræorum poesis interiit.

Symbolice, quadruplici hoc alphabeto innuitur, quod Jeremias non tantum Judæorum, sed et quatuor plagarum orbis, id est totius mundi, peccata deploret, omnesque ad ea deplorandum invitet. Unde et infernus patere dicitur, et extendi ad stadia 1600, *Apocal.* XIV, 20. Hic enim numerus a quadragenario est tetragonus. Nam quadragies quadraginta faciunt 1600, ut significetur patere infernum ad quatuor mundi plagas, ad excipiendum impios undequaque in eum ruentes. Ita Petrus Bongus lib. *De Numer. Mysteriis.*

Finis Threnorum quis?

Nota *quarto* : Finis scribendi Threnos fuit, ut Jeremias hoc carmine suam in patriam charitatem et commiserationem testaretur, atque ejus modulatione suum et civium suorum dolorem leniret, atque alios ad commiserationem flecteret, omnesque ad pœnitentiam, reconciliationem cum Deo, ac peccatorum fugam incitaret. Quare S. Gregorius Nazianzenus, *orat.* 1 *pacificatoria* : « Quoties,

(1) « Qui itaque artificiosam totius argumenti dispositionem, aptam partium collocationem, rerum junctarum et seriem, et in his omnibus singularem aliquam elegantiam requirit, id postulat a vate, quod erat ab ejus proposito alienum..... In iisdem rebus hæret plerumque et immoratur diutius, eadem novis vocibus, imaginibus, figuris variat et amplificat ; ita ut fiat potius rerum prope similium coacervatio quædam et cumulus, quam plurium et diversarum subtilis aliqua connexio, atque per gradus ordinate facta deductio. Hæc autem non ita accipi velim, quasi hic nulla omnino ordinis ratio haberetur, ac non plerumque ab una vel re, vel imagine, vel persona, vel figura, in aliam satis et elegans et facilis transitus fieret. Hoc tantum dico, eam esse naturam et consilium hujus poematis, cum sit sententiarum distinctarum congeries, in quibus singulis funebrium næniarum formam imitetur, ut omne illud artificium ordinis et distributionis, quod in aliis plerisque elucet, nec postulet, nec admittat. » (Lowthus *de Sacra Hebræor. poesi* Prælect. XXII.)

inquit, has lamentationes lego (lego autem quoties ea lectione præsentis felicitatis sensum castigare voluero), vox mihi inter legendum abrumpitur, et lacrymis obruor, et velut sub respectum venit illa clades, et cum lugente luctum conjungo. »

Finis hrenorum quatuolex.

Finis ergo et scopus Spiritus Sancti et Jeremiæ in Threnis conscribendis fuit, *primo*, parentare Hierosolymæ jam vastatæ et quasi mortuæ. Celebrat enim hic funus et exequias ejus, utpote patriæ et matris suæ amantissimæ, eoque simul lenit dolorem suum et civium suorum. Ad hoc enim inventum est carmen funebre. *Secundo*, hoc carmen est quasi epitaphium, quod Hierosolymæ memoriam ad posteros transmittat. *Tertio*, idipsum est stimulus ad pœnitentiam, ut Judæi ad Deum conversi, veniam ac suam et Hierosolymæ restaurationem a Deo impetrent. *Quarto*, tropologice datur hic schema et forma sacri luctus et pœnitentiæ, de quo mox plura. S. Chrysostomus, homil. *in titulum Psalmi* L : « Prophetæ, inquit, velut quidam pictores sunt virtutis ac militiæ, » qua contra peccata ac diabolum decertamus. Alii Prophetæ alias virtutes pingunt. Jeremias pictor est tum crucis, tum compunctionis. Hac enim excelluit, eamque lectori imprimit : ubique enim threnodus gemit et plangit : quia « magna, inquit, velut mare est contritio tua, » o Jerusalem! Porro compunctio mater est devotionis, omniumque virtutum. Si vis sentire devotionem, da te solitudini et compunctioni, et, ut ait Psaltes, in cubili et corde tuo compungere; nam, ut ait *Psalm.* L : « Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies. » Et auctor lib. *De Spiritu et anima*, tom. III, S. Augustinus, cap. XLIX : « Meditatio, ait, parit scientiam, scientia compunctionem, compunctio devotionem, devotio perficit orationem. » Compunctio enim gignit *primo*, humilitatem : quis enim superbiat, qui se infernum commeruisse considerat? *Secundo*, patientiam, ut omnes humiliationes, mortificationes, morbos, adversitates, tribulationes, persecutiones fortiter, imo alacriter suscipiat, Deoque gratias agat, et canat cum S. Theodoro in tormentis : « Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. » Benedictus Deus, qui leniter in hac vita mea peccata castigat, ne ea puniat æternis gehennæ incendiis. *Tertio*, amorem Dei, quis enim non summe diligat Deum, a quo se veniam læsæ majestatis divinæ gratis consecutum, inferno erutum, et cœlo redditum confitetur? *Quarto*, amorem proximi : nam qui offendit Deum, jam hujus offensæ gravitatem et indignitatem agnoscens, satagit eam compensare conversione aliorum, qui Deum honorent et glorificent; uti S. Paulus suam Ecclesiæ persecutionem sarcivit et compensavit omnium Gentium conversione, ac perpetuis et heroicis laboribus et persecutionibus, quos pro ejus propagatione continuo et generose sustinuit. *Quinto*, compunctio mentem avocat a terra omnique concupiscentia terrena, ac jungit Deo. Ei enim qui vere compungitur, amarescit mundus, et nil sapit nisi Deus. Unde S. Bernardus tract. *De Modo bene vivendi*, cap. X : « Bona, ait, compunctio thesaurus est desiderabilis, et inenarrabile gaudium in mente hominis. Anima quæ in corde habet compunctionem, proficit ad salutem : lacrymæ pœnitentium pro baptismate reputantur apud Deum. » Et paulo post : « Compunctio cordis, sanitas est animæ. Compunctio mentis, illuminatio est animæ : quia tunc anima illuminatur, quando ad lacrymas compungitur. Compunctio lacrymarum, remissio est peccatorum : quia tunc peccata dimittuntur, quando cum lacrymis ad memoriam reducuntur. Compunctio Spiritum Sanctum reducit ad se : quia cum Spiritu Sancto mens visitatur, statim homo peccata sua plorat. »

Jeremias est pictor crucis et compunctionis.

Compunctio est mater devotionis et virtutum.

Hisce de causis illustres Sancti, qui aliquando peccatum mortale commiserunt, tota vita se addixerunt compunctioni et pœnitentiæ. Licet enim scirent Deum hoc peccatum sibi jam condonasse, tamen ex zelo amoris et honoris divini, ejus offensam jugiter in se vindicare voluerunt. Profunde enim considerantes quanta sit illa majestas, potentia, bonitas divina, quamque illa peccato lædatur et offendatur, noluerunt sibi parcere, sed jugiter peccatum hoc punire, ut Deo amorem et honorem, quem peccando læserant, pœnitendo restituerent. Audierat S. Magdalena a Christo : « Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum; » et tamen per triginta annos usque ad mortem in Bauma sua pœnitens, continuis lacrymis, gemitibus, pœnitentiis, orationibus sese addixit, omnibusque sæculis exemplar pœnitentiæ sese constituit.

Sciebat Petrus qui Christum negaverat, Christum se respexisse, et culpam hanc condonasse; et tamen singulis noctibus ad galli cantum, ait S. Clemens, procidens in genua lacrymis uberrimis illam deflevit, adeo ut oculi ejus ex assiduo ploratu apparerent quasi sanguine respersi, inquit Nicephorus, lib. II, cap. XXXVII.

Audierat S. Paulus, post persecutionem vocatus a Christo : « Vas electionis est mihi iste; » et tamen passim inter pœnitentes se collocat : « Ego, inquit, sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei, » I *Cor.* XV, 9. Et : « Fidelis sermo, et omni acceptione dignus : quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. Sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri sunt illi, in vitam æternam, » I *Timoth.* cap. I, 15.

Sciebat regius Propheta peccatum homicidii et adulterii sibi a Deo remissum. Nam mox ut de

eo increpitus a Nathan propheta, dixit: « Peccavi Domino, » ab eo audivit : « Dominus quoque transtulit peccatum tuum, » II *Reg.* XII, 13; et tamen jugiter compungitur, gemit, plorat, pr venia obsecrat. « Lavabo, inquit, per singulas noctes lectum meum : lacrymis meis stratum meum rigabo, » *Psalm.* VI, 7. Et *Psalm.* LXXIX, 6: « Cibabis nos pane lacrymarum : et potum dabis nobis in lacrymis in mensura, » hoc est magna mensura, ut imbres et torrentes, imo flumina lacrymarum emittam, quæ bibam et potem.

S. Augustinus etiam moriens, lacrymis se dabat, lacrymansque psalmos Pœnitentiales meditabatur et recitabat, ideoque nullum nisi medicum ad se admittebat. Addebatque, nullum quantumvis bene sibi conscium committere debere, ut sine pœnitentia e vita excederet. Ita Possidonius in ejus Vita, cap. XXX et XXXI.

Ut alios omittam, hoc compunctionis spiritu inter omnes Patres excelluit S. Ephrem, qui in omnibus suis scriptis non aliud quam mortem, judicium, luctum, pœnitentiam sonat, ut in eo hæc Christi beatitudo impleatur : « Beati qui lugent : quoniam ipsi consolabuntur. »

S. Ephremo proximus est S. Hieronymus, qui passim in epistolis pœnitentiam, austeritatem, mundi contemptum, vitam perfectam verbo et exemplo docet et inculcat : qua de causa epistolæ ejus dicendi libertate, efficacia, acrimonia, æque ac styli elegantia, spiritu et præceptis virtutum ac perfectionis, cuique statui accommodatis, superant omnes omnium Patrum et Doctorum epistolas, aureæque sunt et dignissimæ quæ ob omnibus assidue legantur et terantur.

Hoc suo compunctionis spiritu imbuit ipse omnes suos discipulos et asseclas, ac nominatim S. Paulam et Eustochium. Unde de S. Paula ita scribit in ejus Epitaphio : « In ea fontes crederes lacrymarum : ita levia peccata plangebat, ut illam gravissimorum criminum crederes ream. Cumque a nobis crebrius moneretur ut parceret oculis, et eos servaret Evangelicæ lectioni, aiebat : Turpanda est facies, quam contra Dei præceptum purpurisso, et cerussa, et stibio sæpe depinxi; affligendum corpus, quod multis vacavit deliciis; longus risus perpeti compensandus est fletu. » *Epistola* vero 17, S. Hieronymus nomine S. Paulæ invitans S. Marcellam in Bethlehem, sic ex ejus persona ait : « Cum per Silo et Bethel ad nostram speluncam redierimus, canemus iugiter, crebro flebimus, indesinenter orabimus; et vulneratæ jaculo Salvatoris, in commune dicemus: Inveni quem quæsivit anima mea : tenebo eum, et non dimittam. » Rursum S. Hieronymus scribens ad Eustochium : « Amemus Christum, ait, ejusque semper quæramus amplexus; et facile vidobitur omne difficile, brevia putabimus universa quæ longa sunt, et jaculo illius vulnerati per singula momenta dicemus : Heu me, quia peregrinatio mea prolongata est! »

Porro materia, objectum, causa et stimulus ad compunctionem est multiplex, sed maxime triplex. *Primus,* sunt peccata propria : signum enim veræ pœnitentiæ et conversionis est, illa, licet jam remissa, perpetuo lugere et plangere. *Secundus,* peccata aliena, infidelitas, hæresis, grassationes, persecutiones, ærumnæ publicæ civitatum, provinciarum, regnorum, et totius Ecclesiæ. Ita S. Augustinus, Wandalis invadentibus Africam, et Hipponem obsidentibus, ipse in urbe ab iis obsessus, assidue non suam, sed urbis et Africæ cladem plangebat, teste Possidonio in ejus *Vita,* cap. XXIX. *Tertius* stimulus est, hoc exsilium, in quo tot periculis, tentationibus, ærumnis, infortuniis circumdati versamur. Quis enim in eo positus non gemat, non suspiret ad cœlum, ad Deum? Certe suspirabat S. Paulus : « Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? » Suspirabat Psaltes : « Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum : ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum : quando veniam et apparebo ante faciem Dei? Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie : Ubi est Deus tuus? Hæc recordatus sum, et effudi in me animam meam : quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei, » *Psalm.* XLI, 2: et : « Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam? » *Psalm.* LIV, 7. Stimulus compunctionis triplex.

Præclare S. Gregorius lib. VI, *epist.* 187 : « Duo, ait, sunt compunctionis genera. Unum, quod æternas pœnas metuit : aliud, quod cœlestibus præmiis suspirat. Deum sitiens anima, prius timore compungitur, post amore. Ante enim semetipsam in lacrymis afficit, quia, dum malorum suorum recolit numerum, pro his perpeti supplicia æterna pertimescit. At vero cum longa mœroris anxietate fuerit formido consumpta, quædam de præsumptione veniæ securitas nascitur, et in amore cœlestium gaudiorum animus inflammatur, ac flet amarissime, quia differtur a regno. Contemplatur enim mens, qui sint illi Angelorum chori, quæ ipsa societas beatorum spirituum, quæ visio internæ charitatis Dei, » etc. Additque hoc esse irriguum inferius et superius, quod petiit Axa a patre suo Caleb, *Josue* XV. Vide eumdem lib. XXIII *Moral.* cap. XIII, quod totum est de hac re.

Nota *quinto* : Falluntur Rabbini, dum putant has Lamentationes capitis I, II et IV esse librum illum quem combussit Joakim, *Jerem.* XXXVI; caput vero III *Thren.* continere alium librum, quem eodem cap. XXXVI, jussu Dei pro priore combusto restituit Jeremias, eoque dictante rescripsit Baruch. Nam *primo* ille liber erat minarum de futuro excidio, hi vero Threni sunt Lamentationes de excidio jam peracto et præterito. *Secundo,* ille liber continebat minas non tantum contra Judæos, sed etiam contra alias gentes, ut patet ibi-

dem vers. 2; Threni autem solius Jerusalem et Judææ excidium spectant. *Tertio*, ibidem vers. 29, dicitur in libro illo scriptum fuisse : « Festinus veniet rex Babylonis, et vastabit terram istam; » hæc autem verba in Threnis non inveniuntur.

Tropologice. Tropologice luget hic Jeremias captivitatem animæ sub peccato, inquit Origenes, quæ in Babylone, id est vitiorum confusione, inquit Olympiodorus, vincta tenetur. Hæc enim Deo sponso suo viduata, vectigalis facta diabolo, in singulos sæpe dies, imo horas, novorum malorum operum et lapsuum, novæque culpæ æque ac pœnæ ei pendit tributum, ideoque exsulat et proscripta est a Deo, a cœlo, a Sanctis et Angelis, ab omni bono et virtute. Diabolus enim est verus Nabuchodonosor, id est *insessio angustiæ*, ait Olympiodorus, scilicet est crudelissimus tyrannus. Quocirca B. Isaias Abbas, tom. II *Biblioth. SS. Patrum*, orat. 29, lamentationes animæ peccatis subditæ, instar Threnorum Jeremiæ conscripsit, in quibus inter cætera ita plangit : « Væ nobis, qui in hoc exiguo vitæ spatio voluptati dediti sumus, quia ut iniquæ et brevi carnis cupiditati satisfaciamus, nos jucundissimo divinæ gloriæ spectaculo indignos constituimus! »

« Væ nobis, qui carnem nostram, quæ in putredinem resolvenda est, et vermium esca futura, in peccatis fovemus et enutrimus, nec ignem, in quo sumus perpetuo excruciandi, nec vermem, qui nunquam dormit, extimescimus! »

« Væ nobis, qui mortalitatem cum immortalitate non comparamus, et divinam ac formidandam rectitudinem negligimus. »

« Væ nobis, qui corporis morbos et dolores tam facile sentimus; in animæ autem ægritudinis et vulneribus gravissimis caremus omni sensu! »

« Væ nobis, qui cum de omni actione, de omni verbo otioso, de omnibus denique improbis et impuris cogitationibus rationem reddituri simus apud judicem severissimum, tamen tanquam liberi simus futuri, nullis reddendis rationibus obnoxii, totum vitæ nostræ tempus sine ulla hujus rei sollicitudine transigimus! »

« Væ nobis, qui pulicum, et lendium, et pediculorum, et muscarum, et culicum, et apum morsus atque aculeos ferre non possumus; ab ingenti autem dracone, qui fauces horrendas aperit, ut nos devoret et absorbeat, omnibusque pestiferis mortis aculeis vulneret, nec studemus aufugere, nec ullum adversus eum imploramus auxilium! »

Allegoriæ. Allegorice proprie Threni sunt planctus de Ecclesia militante, cum ipsa ob peccata suorum fidelium vexatur a persecutoribus; hæc enim est allegorica Jerusalem vastata. Ita Threnos hosce per omnia adaptat Ecclesiæ Alvarus a Pelagio, lib. II *De Planctu Ecclesiæ initio*, ubi plangit defectus et abusus laicorum, Ecclesiasticorum et Religiosorum in particulari. Vide et Cardinalem Bellarminum, lib. *De Gemitu columbæ*.

Audi similes S. Hieronymi threnos de cladibus sui sæculi (quales et hoc experimur) in *Epitaphio Nepotiani* : « Viginti et eo amplius anni sunt, quod inter Constantinopolim et Alpes Julias quotidie Romanus sanguis effunditur. Scythiam, Thraciam, Macedoniam, Dardaniam, Daciam, Thessalonicam, Epiron, Achaiam, Dalmatiam, cunctasque Pannonias Gothus, Sarmata, Quadus, Alanus, Hunni, Wandali, Marcomanni vastant, trahunt, rapiunt. Quot matronæ, quot virgines Dei, et ingenua nobiliaque corpora his belluis fuere ludibrio! Capti Episcopi, interfecti presbyteri, et diversorum officia clericorum. Subversæ Ecclesiæ, ad altaria Christi stabulati equi, Martyrum effossæ reliquiæ. Ubique luctus, ubique gemitus, et plurima mortis imago. Romanus orbis ruit, et tamen cervix nostra erecta non flectitur. » Et inferius : « Felix Nepotianus, qui hæc non videt, qui hæc non audit. Nos miseri, qui aut patimur, aut patientes fratres nostros tanta perspicimus, et, tamen vivere volumus, eosque qui his carent, flendos potius, quam beatos putamus. Olim offensum sentimus, nec placamus Deum. Nostris peccatis barbari fortes sunt, nostris vitiis Romanus superatur exercitus, et quasi hæc non sufficerent cladibus, plus pene bella civilia, quam hostilis mucro consumpsit. Miseri Israelitæ, ad quorum comparationem Nabuchodonosor servus Dei dicitur. Infelices nos, qui tantum displicemus deo, ut per rabiem barbarorum, illius in nos ira desæviat. Ezechias egit pœnitentiam, et centum octoginta quinque millia Assyriorum ab uno Angelo una nocte deleta sunt. Josaphat laudes Domini concinebat, et Dominus pro laudante superabat. Moyses contra Amalec, non gladio, sed oratione pugnavit. Si erigi volumus, prosternamur. Proh pudor, et stolida usque ad incredulitatem mens! Romanus exercitus, victor orbis et dominus, ab his vincitur, hos pavet, horum terretur aspectu, qui ingredi non valent, qui, si terram tetigerint, se mortuos arbitrantur. Et non intelligimus Prophetarum voces : Fugient mille uno persequente? Nec amputamus causas morbi, ut morbus pariter auferatur, statimque cernamus sagittas pilis, tiaras galeis, caballos equis cedere. »

Lateburius explicat Threnos de B. Virgine plangente Christi tormenta et crucem. Verum hic sensus non est proprius, sed tantum accommodatitius.

Quomodo vero quædam ex Threnis proprie per allegoriam competant passioni Christi, dicam cap. III.

Threnos ex præscripto Rabbinorum legunt Judæi in suis synagogis die nona mensis Ab, id est julii; quia ea die corruit Israel, et Jerusalem cum templo succensa est.

Quinam in Threnos scripserint. Nota : Tomo V S. Hieronymi exstant *Commentarii in Threnos*, sed non sunt S. Hieronymi; idque patet tum ex stylo, tum quod in iis inveniantur sententiæ ex S. Gregorio Papa, qui longe S. Hie-

ronymo fuit posterior, decerptæ. Codex manuscriptus Gemblacensis tribuit eos Venerabili Bedæ. In operibus Rabani Basileæ excusis continentur et hi Commentarii, planeque videntur esse Rabani.

Scripserunt quoque in Threnos Origenes, Olympiodorus, Theodoretus, Procopius, et posterioribus sæculis Lyranus, Hugo et alii multi, inter quos excellit Paschasius Ratbertus Abbas Corbeiensis, qui floruit anno Domini 880. Novissime e Societate nostra scripserunt Martinus Delrio, Gaspar Sanchez, et Christophorus a Castro (1).

(1) Inter acatholicos interpretes satis luculenter ex parte scripserunt :

Joann. Henric. Pareau, *Threni Jeremiæ philologice et critice illustrati.* Lugd. Batav. 1790, in-8.

J. Theoph. Lessing, *Observationes in Tristia Jeremiæ prophetæ.* Lipsiæ 1770, in-8.

J. F. Schleusnerus, *Curæ criticæ et exegeticæ in Threnos Jeremiæ.* Lips. 1783, in-8.

Rosenmuller, *Scholia in Threnos.* Lips. 1827, part. VIII, vol. II.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Plangit desolationem Jerusalem, non primam sub Joachin, sed extremam sub Sedecia templo combusto : atque per antithesin prioris status et felicitatis bona cum malis posterioris, puta excidii et captivitatis confert. Sic Christus allegorice flevit super Jerusalem vastanda per Titum, Luc. XIX, 41.

1. Quomodo sedet sola civitas plena populo : facta est quasi vidua domina gentium : princeps provinciarum facta est sub tributo. 2. Plorans ploravit in nocte, et lacrymæ ejus in maxillis ejus : non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus : omnes amici ejus spreverunt eam, et facti sunt ei inimici. 3. Migravit Judas propter afflictionem, et multitudinem servitutis : habitavit inter gentes, nec invenit requiem : omnes persecutores ejus apprehenderunt eam inter angustias. 4. Viæ Sion lugent, eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem : omnes portæ ejus destructæ : sacerdotes ejus gementes : virgines ejus squalidæ, et ipsa oppressa amaritudine. 5. Facti sunt hostes ejus in capite, inimici ejus locupletati sunt : quia Dominus locutus est super eam propter multitudinem iniquitatum ejus : parvuli ejus ducti sunt in captivitatem ante faciem tribulantis. 6. Et egressus est a filia Sion omnis decor ejus : facti sunt principes ejus velut arietes non invenientes pascua : et abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis. 7. Recordata est Jerusalem dierum afflictionis suæ, et prævaricationis omnium desiderabilium suorum, quæ habuerat a diebus antiquis, cum caderet populus ejus in manu hostili, et non esset auxiliator : viderunt eam hostes, et deriserunt sabbata ejus. 8. Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est : omnes, qui glorificabant eam, spreverunt illam, quia viderunt ignominiam ejus : ipsa autem gemens conversa est retrorsum. 9. Sordes ejus in pedibus ejus, nec recordata est finis sui : deposita est vehementer, non habens consolatorem : vide, Domine, afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus. 10. Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus : quia vidit gentes ingressas sanctuarium suum, de quibus præceperas ne intrarent in ecclesiam tuam. 11. Omnis populus ejus gemens, et quærens panem : dederunt pretiosa quæque pro cibo ad refocillandam animam ; vide, Domine, et considera, quoniam facta sum vilis. 12. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus : quoniam vindemiavit me ut locutus est Dominus in die iræ furoris sui. 13. De excelso misit ignem in ossibus meis, et erudivit me : expandit rete pedibus meis, convertit me retrorsum : posuit me desolatam, tota die mœrore confectam. 14. Vigilavit jugum iniquitatum mearum : in manu ejus convolutæ sunt, et impositæ collo meo : infirmata est virtus mea : dedit me Dominus in manu, de qua non potero surgere. 15. Abstulit omnes magnificos meos Dominus de medio mei : vocavit adversum me tempus, ut contereret electos meos : torcular calcavit Dominus virgini filiæ suæ Juda. 16. Idcirco ego plorans, et oculus meus deducens aquas : quia longe factus est a me consolator, convertens animam meam : facti sunt filii mei perditi, quoniam invaluit inimicus. 17. Expandit Sion manus suas, non est qui consoletur eam : mandavit Dominus adversum Jacob in circuitu ejus hostes ejus : facta est Jerusalem quasi polluta menstruis inter eos. 18. Justus est Dominus, quia os ejus ad iracundiam provocavi ; audite, obsecro, universi po-

(1) In isto primo capite quod præsertim Hierosolymæ calamitates complectitur : PRIMO, Propheta descriptione oratoria utens, *primo*, interrogat de urbis solitudine, incolarum luctu sine solatio, multorum exsilio, et paucorum frequentia in sacris, 1-4 ; *secundo*, respondet, atque hæc mala tribuit peccatis tanquam causæ, 5-8 ; *tertio*, suppli-

puli, et videte dolorem meum : virgines meæ, et juvenes mei abierunt in captivitatem. 19. Vocavi amicos meos, et ipsi deceperunt me : sacerdotes mei et senes mei in urbe consumpti sunt : quia quæsierunt cibum sibi ut refocillarent animam suam. 20. Vide, Domine, quoniam tribulor, conturbatus est venter meus : subversum est cor meum in memetipsa, quoniam amaritudine plena sum : foris interficit gladius, et domi mors similis est. 21. Audierunt quia ingemisco ego, et non est qui consoletur me : omnes inimici mei audierunt malum meum, lætati sunt, quoniam tu fecisti : adduxisti diem consolationis, et fient similes mei. 22. Ingrediatur omne malum eorum coram te : et vindemia eos, sicut vindemiasti me propter omnes iniquitates meas : multi enim gemitus mei, et cor meum mœrens.

1. QUOMODO. — Vox est non inquirentis, sed admirantis et obstupescentis ad tantam tantæ urbis et reipublicæ cladem et eversionem, sicut dixerat Jeremias cap. XVIII, 16 : « Omnis qui præterierit per eam obstupescet, et movebit caput suum. » Porro in hac clade admiratur Propheta tam calamitosam, et pene incredibilem status mutationem in rebus omnibus, sed maxime in tribus in quibus elucebat Hierosolymæ majestas, scilicet *primo*, in populi frequentia, quæ jam redacta est ad solitudinem ; hoc est enim quod ait : « Quomodo sedet sola civitas plena populo. » *Secundo*, in regis et magistratuum prudentia, qua gentibus antea quasi domina præcellebat, jam illis est viduata. Unde ait : « Facta est quasi vidua domina Gentium. » *Tertio*, in imperio quo multis nuper solebat imperare, jam Chaldæis servit, et pendit tributum ; hoc enim est quod tertium *aleph* versum concludens dicit : « Princeps provinciarum facta est sub tributo, » *q. d.* Fierine potuit ut magnifica et inclyta Jerusalem, civitas sancta, Syriæ emporium, paradisus Asiæ, ocellus Orientis, mundi regina, religionis arx, fidei fax, sacrorum columen, Ecclesiæ columna, thronus Dei, deliciæ hominum et Angelorum, a Deo et Chaldæis profanaretur, everteretur, combureretur? ut tot milliones hominum qui in ea erant, ad tam paucas, viles et pauperes animas redigerentur? ut David, Salomon, Ezechias, Josias, aliique illustrissimi ejus reges et principes in hoc regni deliquio una omnes quasi interirent? ut amplum illud et nobile Salomonis imperium concideret, et serviret Chaldæis?

Triplici decore spoliata est Jerusalem.

SEDET. — Loquitur *primo* de Jerusalem quasi de matrona valde afflicta et mœrente : hæc enim præ mœrore et debilitate ac pudore (si violata sit, uti hic violata erat Jerusalem cum templo) solet sedere et plorare. Potest tamen, *secundo*, cum Maldonato *sedet* accipi pro *jacet* : sedere enim, uti et stare in Scriptura subinde non certum situm significat, sed tantum præsentiam, ut idem sit quod adesse et esse præsentem, sive quis stet, sive sedeat, sive jaceat, *q. d.* Quomodo Jerusalem jacet prostrata, quæ prius stabat, imo verticem supra omnes gentes erigebat? Sic dixit cap. XLVIII, 18 : « Descende de gloria, et sede in siti (in loco arido et siticuloso), habitatio filiæ Dibon. » Sic Vespasianus devicta Judæa cudi fecit nummum, in qua Judæa quasi mulier pingebatur sedens, et incumbens palmæ. Palma enim est insigne Judææ, quia ejus est ferax.

SEDET SOLA CIVITAS. — « Sola » *primo*, quasi deserta a civibus suis, ideoque lugens ; *secundo*, quasi de solio gloriæ et regni dejecta ; *tertio*, quasi menstruata, et ob menstrua polluta et immunda, sic enim Jerusalem vocatur vers. 17, aut quasi leprosa (leprosi enim extra castra et urbes soli degebant) et separata a consortio et tutela Dei et Sanctorum, ideoque quasi projecta et excommunicata.

Sedet sola tripliciter.

FACTA EST QUASI VIDUA, — *q. d.* Jerusalem quasi vidua orbata est *primo*, rege suo, scilicet Sedecia jam capto ; *secundo*, pontifice, scilicet Saraia jam a Chaldæis occiso ; *tertio*, aliis principibus et magistratibus jam pariter vel occisis vel captis. Hi enim sunt quasi mariti reipublicæ, quæ iis ablatis fit quasi vidua. Hic sensus maxime innatus est et genuinus.

Vidua tripliciter.

Secundo, « vidua, » quia derelicta est a Deo qui Synagogæ erat maritus, inquiunt Rupertus, Bonaventura et Dionysius unde ait *quasi* quia maritus ejus, puta Deus, non est mortuus, sed eam tantum ut adulteram repudiavit, prædæque Chaldæis exposuit.

Tertio, τὸ *vidua* opponitur voci *domina Gentium* : hebraice enim est רבתי בגוים *rabbati baggoim*, id est magna, id est multa gentibus, *q. d.* Jerusalem, quæ antea frequentabatur a Gentibus, tam proselytis et ad judaismum conversis, quam gentilibus, mercium, sapientiæ, aliave de causa ad eam, quasi ad nobilissimum emporium confluentibus, jam iis viduata est. Ita Chaldæus et Origenes. Unde Hebraice vidua vocatur אלמנה *almana*, id est ligata, et silens, id est serva, quæ antea erat domina. Vidua enim videtur habere ligatas manus, æque ac os, ut se in judiciis tueri, suasque injurias propulsare non possit ; sed omnium

cat Deum et proponit tum hostium sacrilegam audaciam, tum extremam populi penuriam, 9-11.

SECUNDO, ipsa Hierosolyma per prosopopœiam, *primo*, exaggerat suam afflictionem, 12, 13 ; *secundo*, agnoscit justitiam Dei hostes et mala, nullo relicto solatio, sibi immittentis, 14-19 ; *tertio*, postulat sibi solatium, et hostibus excidium, 20-22.

calumniis et rapinis videtur exposita, dataque in prædam, quia ejus tutor et vindex, puta maritus, obiit. Talis erat hic Jerusalem.

Nota τὸ *quasi*, *q. d.* Jerusalem non est proprie femina et vidua, sed illi similis civitas. Rursum non est plane viduata et desolata, quia post 70 annos captivitatis rursum Dei ope et nutu replebitur copia tam principum et indigenarum, quam gentium ad eam confluentium. Alii τὸ *quasi* exponunt, *q. d.* Jerusalem non est vere vidua, sed quasi, quia est mœcha et adultera. Sed hoc subtilius est quam solidius; agit enim de pœna, non de culpa Hierosolymæ.

PRINCEPS PROVINCIARUM FACTA EST SUB TRIBUTO, — *q. d.* Jerusalem quæ sub Davide et Salomone dominata est Philistæis, Moabitis, Syris, Ammonitis, Idumæis, aliisque gentibus et provinciis, ut patet II *Reg.* VIII, et III *Reg.* IX; nunc servit Chaldæis barbaris et infidelibus, iisque pendit tributum.

Tributum hebraice vocatur *mas*, id est liquefactio, cur?

Nota : Tributum vocatur Hebraice מס *mas*, a radice מסס *masas*, id est liquefecit; significat ergo *mas* non tantum censum e falcultatibus, sed omnem contributionem, omneque onus personale, quo tributarius in servitute alicujus se suaque omnia insumit, liquefacit et exhaurit : quod fit, cum verbi gratia quis damnatur ad agros et vineas colendas, ad fodinas metallicas, ad lateres formandos, ad onera bajulanda, etc., uti contigit Hebræis in Ægypto, *Exodi* I.

Allegorice.

Allegorice, Synagoga fuit typus Ecclesiæ; dicatur ergo nunc de Ecclesia quæ olim in Græcia, Asia, Ægypto, Africa, Anglia, Scotia, Hollandia, Dania, Suecia floruit; jam vero Turcæ aut hæresis jugum patitur : « Quomodo sedet sola civitas? » etc.

Ita hosce threnos Africæ a Wandalis arianis afflictæ adaptat Victor Uticensis, in fine lib. III *Histor. Wandal.* : « Adestote, ait, angeli Dei mei, et videte Africam totam dudum tantarum Ecclesiarum cuneis fultam, nunc ab omnibus desolatam; tantis ordinibus sacerdotum ornatam, nunc sedentem viduam et abjectam. Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus. Egressus est a facie ejus omnis decor, etc. Deprecamini, Patriarchæ; orate, sancti Prophetæ; estote, Apostoli, suffragatores ejus. Præcipue tu, Petre beate, quare siles pro ovibus tuis? Tu S. Paule Gentium magister, cognosce quid Wandali faciunt ariani, et filii tui gemunt lugendo captivi. »

Tropologice, anima plena populo, id est probis cogitationibus et affectionibus quasi civibus, per peccatum iis orbatur et desolatur. *Secundo*, domina gentium, id est vitiorum et passionum, quas ratione regebat et Dei timore, jam omni hoc dominio, imo et Deo, et rationis imperio viduata est. *Tertio*, princeps in provinciis, id est anima suis potentiis et membris imperans, facta est mancipium dæmonis : « Tot sceptris serviens quot dedita est vitiis, » inquit S. Hieronymus, quibus dat tributum, cum iis omnes suas opes et vires impendit et exhaurit. Sceptrum ergo habet superbia in anima impii; sceptrum quoque habet avaritia, libido, cæteraque vitia : tot tyrannis servit impius quot vitiis obtemperat. Nam sceptrum et dominium rationi eripit, illudque tradit concupiscentiæ, perinde ac si quis reginæ optimæ coronam detraheret, eamque meretricis petulantissimæ capiti imponeret : regina enim est ratio, meretrix est concupiscentia. Ita S. Chrysostomus, homil. 11 *in epist. ad Romanos.* Unde S. Augustinus, tract. 41 *in Joan.*: « Tolle, inquit, peccati regnum, noli dare concupiscentiis tuis vires : sequendo eas, vires eis addis; dando eis vires, quomodo vinces, quando contra te inimicos nutris viribus tuis? » Huic ergo animæ peccatrici Jeremias, id est prædicator commiserando et admirando dicit : « Quomodo sedet sola civitas plena populo? facta est quasi vidua domina gentium, » etc. De gravitate peccati vide dicta *Jeremiæ* II in procemio.

Anima peccans regnum dat concupiscentiæ.

2. PLORANS PLORAVIT. — *Primo*, R. Salomon putat hac geminatione duplicem ploratum significari, unum ob templi, alterum ob urbis eversionem. Verum dico esse hebraismum. « Plorans ploravit, » id est, continuo et effuse ploravit, scilicet urbs Jerusalem, id est pauci cives relicti Hierosolymis a Nabuchodonosore. *Secundo* et simplicius, urbi ipsi per prosopopœiam, ad pathos datur hic vita, vox, ploratus, etc., quia urbi tribuit personam matronæ olim felicis et gloriosæ, nunc vilis, miseræ et plorantis, ut dixi vers. 1.

IN NOCTE. — Chaldæus sic explicat : Cum Moses, inquit, exploratores in terram promissionis misisset, iique retulissent terram esse aditu difficilem, Judæi ea nocte præ tristitia plorarunt : quibus Deus iratus præcepit ut ea nocte futuram templi vastationem deflerent. Sed hæ sunt Judæorum fabulæ. Ploravit ergo Jerusalem « in nocte, » id est in calamitate, cujus symbolum est nox, inquiunt Rabanus, S. Thomas et Lyranus.

Secundo, « in nocte, » quia nocte diei nonæ mensis Ab, capta est Jerusalem; quamobrem tunc cœpit ejus ploratus. Ita aliqui Hebræi, et idipsum quoque insinuat Chaldæus, imo Scriptura, *Jerem.* LII, 7.

Nox apt compunctioni.

Tertio et simplicissime, « in nocte, » quia nox ob silentium, solitudinem, vacationem a labore, tranquillitatem, collectionem et contractionem animi, aptior est meditationi, compunctioni et lacrymis. Ita Origenes, Isidorus, S. Thomas et alii. Alludit ad vocem *vidua* : sic enim vocavit Jerusalem, vers. 1; nam vidua solet noctu maxime, mariti et socialis thori recordari, suamque viduitatem experiri ac deflere, ut ait sponsa, *Cant.* III, 1 : « In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea. »

Quarto, addit Sanchez novam rationem : Quia, inquit, sicut servis nefas erat queri de dominorum imperio, licet crudeli et acerbo; sic etiam

coram lugere, aut animi languorem ostendere, capitale erat crimen. Sic coram Ariovisto rege « nemini in dolore summo mutire, nedum lacrymari licuit, » ait Cæsar lib. I *De Bello Gallico*. Ita Jerusalem hic subacta et serva coram Chaldæis interdiu plorare non audebat : plorat ergo nocte. Sic apud Sophoclem Electra felicem vocat Nioben, cui plorare filiorum mortem permissum est.

LACRYMÆ EJUS IN MAXILLIS EJUS, — scilicet hærent et perennant, *q. d.* Jugiter lacrymatur, juges lacrymarum rivi ex oculis per maxillas ejus decurrunt; ut non curet eas abstergere, quia novæ semper affluunt, aliæque aliis continuo succedunt. Aliter Hugo et Sanchez, *q. d.* Hærent in maxillis ejus lacrymæ, quia barbari Chaldæi non permittunt ei otium, ut faciem abluat; aut potius, quia ipsa, cum sit tota in luctu, non laborat de cultu et munditie, sed perennibus lacrymis luctum præ se fert et profitetur.

NON EST QUI CONSOLETUR EAM. — Hoc ei ad cumulum doloris accedit, quod non habeat consolantem. Cum enim tristitia sit quasi onus quoddam infirmum animum prægravans; ubi amici lugenti condolent, videntur eum quasi juvare in onere portando, ipseque alleviatur sentiens se non solum onus suum portare, præsertim quia inde videt se ab eis amari, ex quo tacita quadam delectatione afficitur, quæ tristitiam minuit. Ita ex Aristotele S. Thomas, II II, *Quæst.* XXXVIII, art. 3.

Tristitia est onus, sublevat quod consolator.

Hinc et S. Gregorius, lib. V *Moral.* cap. III, ait : « Laborantis visitatio est laboris sublevatio, » multo magis dolentis visitatio et consolatio, est doloris sublevatio. Quocirca David in persona Christi queritur, *Psalm.* LXVIII, 21 : « Sustinui qui simul contristaretur, et non fuit : et qui consolaretur, et non inveni. » Et in inferno una e maximis damnatorum pœnis est, quod neminem in cœlo, vel in terra habeant, qui extremis eorum tormentis vel nutu compatiatur; sed omnes laudent in eis justum Dei judicium, eosque his et majoribus pœnis dignos esse censeant.

Chari Jerusalem qui? Respondeo. Primo. Secundo. Tertio. Quarto. Quinto.

EX OMNIBUS CHARIS EJUS. — *Primo* chari et amici Hierosolymæ hic vocantur sacerdotes et prophetæ, ait Hugo. *Secundo*, gentium idola quæ colebant, et in quibus sperabant Judæi : cum his enim quasi amasiis suis fornicata fuit Jesusalem; sed jam in excidio ab iisdem fuit deserta et derelicta. Ita Rabanus. *Tertio*, hi chari sunt angeli custodes, inquiunt S. Bonaventura et Dionysius. *Quarto*, planius Origenes : Chari Hierosolymæ, inquit, sunt vicini Judæi aliarum urbium. *Quinto*, Olympiodorus sic explicat, *q. d.* In excidio Jerusalem alter alterum, amicus amicum non est consolatus, quia æque omnes fuerunt desolati. *Sexto* et aptissime, chari et amici Hierosolymæ hic vocantur gentes vicinæ, et amicæ antea Judæis, nunc inimicæ; quia cum Chaldæis vastarunt Judæos. Tales fuerunt Idumæi et Ægyptii. Hi enim hujus matronæ, scilicet Hierosolymæ, fuerunt amasii, ut dixit Jeremias cap. IV, 30, quia eam quasi adulteri ad sua idola et vitia pertraxerunt : nunc vero hostes effecti eam per excidium viduam factam deserunt, imo spernunt, irrident et impugnant. Ita S. Thomas, Hugo, Bonaventura, Lyranus et Dionysius. Hæc enim justa est pœna meretricum et adulterarum, ut mel eis vertatur in fel, amasii in hostes, adulatores in irrisores.

Pœna meretricum sunt amasii versi in hostes.

Idem tropologice contigit animæ peccanti; hæc enim cum creaturis et voluptatibus fornicata, mox ab iisdem amarorem, horrorem, nauseam, aliosque corporis et animi cruciatus, justo Dei judicio perpetitur, præsertim in morbo et morte. Idipsum duabus pulchris parabolis Barlaam clare repræsentat regi Josaphat apud Damascenum, cap. XIII et XIV *Histor.* eorumdem.

Vers. 3. Gimel.

3. MIGRAVIT JUDAS PROPTER AFFLICTIONEM. — Chaldæus, Vatablus, Dionysius et Isidorus sic vertunt : Abiit Judas in captivitatem, eo quod ipse afflixit pupillos et viduas, et cum duritia tractavit servos Hebræos, nec eos stato a lege et Deo tempore liberos dimisit, ut patet *Jerem.* XXXIV, 14 (1).

Secundo, Lyranus et Rupertus : « Propter afflictionem, » inquiunt, hoc est, ut affligeretur et serviret Chaldæis propter peccata sua.

Tertio, Origenes : « Propter afflictionem, » inquit, hoc est quia afflixit, id est dejecit se, et servivit peccatis.

Quarto, optime Rabanus, Hugo, S. Thomas, Dionysius et Isidorus sic explicant, *q. d.* Judas, id est multi Judæorum, ut afflictionem, onera, tributa, servilia ministeria in aggeribus construendis, agris colendis, lateribus et calce comportandis, castris purgandis et muniendis, quæ quasi mancipia subituri erant, aut jam subibant, uti subierant in Ægypto, *Exodi* I et V, ut, inquam, servitutem tantam, tamque variam, duram, et multiplicem Chaldæorum effugerent; migrarunt partim ante excidium Jerusalem, partim in illo, et post illud, ad vicinas gentes, scilicet Ammon, Moab, et præsertim Ægyptios : sed nec ibi invenit requiem, quia Chaldæi persequentes ibidem apprehenderunt eam, id est eos, puta Judæos : de iis enim loquitur nunc masculine, quasi de viro et populo; nunc feminine, quasi de matrona : talis enim est urbs et gens.

OMNES PERSECUTORES EJUS APPREHENDERUNT EAM INTER ANGUSTIAS, — in loco periculis undequaque septo ut effugere non posset, v. g. in arcto utrinque muris concluso; sic enim erant Judæi fugien-

(1) Recte post C. B. Michaelem monet filius Joannes Davides, hic non esse de deportatione in Babyloniam sermonem, sed de migratione ad finitimas gentes, et desertione patriæ gravi servitute oppressæ, ac sub jugo Chaldæorum, qui Judæam invaserant, ingemescentis... (Porro minime parvum fuisse numerum eorum Judæorum, qui ut ferocientis hostis tyrannidem effugerent, ad Moabitas, Ammonitas, Idumæos et in alias plures regiones migraverant, colligitur ex *Jerem.* XL, 11. (Rosenmuller.)

tes in Ægyptum : nam neque in Judæam redire poterant, quia ipsa a Chaldæis tenebatur; neque in Ægypto manere, quia ab iisdem vastabatur Ægyptus. In his ergo verum erat istud :

Incidit in Scyllam, cupiens vitare Charybdim.

Et istud :

Cinerem vitans in prunas incidit.

Nota in Hebræo pulchram et nervosam paronomasiam. Nam מצרים *metsarim*, quod significat angustias, alludit ad מצרים *Mitsraim*, id est Ægyptus, *q. d.* Migrarunt Judæi in *Mitsraim*, id est in Ægyptum, quasi in *metsarim*, id est in angustias suas, tanquam mures in muscipulam suam, scilicet in Chaldæorum captivitatem et gladium, qui eos ibi comprehendit. Hoc eis prædixerat et minatus fuerat Jeremias, cap. XLII, 11, et cap. XLIII, XLIV et XLVI.

Tropologice, qui fugit crucem incidit in majorem.

Tropologice, multi ab Ecclesia fugiunt ad hæreticos, propter arctam servitutem mandatorum Ecclesiæ; sed et ibi in majores incidunt perturbationes animæ et conscientiæ. *Secundo*, anima pia cum a Deo affligitur, si eum fugere velit, in majores incidet afflictiones : dum enim crucem unam excutit, aliam graviorem incurrit. *Tertio*, Religiosus qui fugit labores Religionis, in sæculo majores inveniet angustias conscientiæ cruciantis, amicorum et curarum; item afflictiones ac tentationes a carne, mundo et dæmone.

Vers. 4. DALETH.

4. VIÆ SION, — id est viæ ad templum quod erat in monte Sion. Ita Origenes, Hugo, Lyranus et Dionysius. *Secundo* et melius, Sion, id est Jerusalem, cujus potior pars erat arx et mons Sion. Ita Theodoretus, Hugo, S. Thomas et Bonaventura. Hæ viæ ad Jerusalem lugent metaphorice, id est desertæ sunt et desolatæ, sicut prata rident, cum florent. Cives enim civitatis, et turbæ viarum sunt quasi anima et vita : unde iis submotis videntur lugere et emori. Aliter Lyranus : Viæ, inquit, lugent, id est gramina et herbam copiosam, quasi comam instar lugentium produxerunt, eo quod nullius vestigio tererentur. Verum lugentes apud Hebræos, in luctu comam non alebant, sed tondebant, ut patet *Job* I, 20; *Jerem.* VII, 29; *Michææ* I, 16 (1).

Secundo, viæ Jerusalem lugent metonymice, quia luctum excitant considerantibus tum veterem frequentiam et concursum ad solemnitates, scilicet Paschæ, Pentecostes et Tabernaculorum, quibus omnes Judæi non tantum ex Judæa, sed ex toto orbe confluebant Hierosolymam; tum præsentem, eversa urbe et templo, solitudinem.

OMNES PORTÆ EJUS DESTRUCTÆ. — Portæ serviunt *primo*, ad speciem et decorem urbis; *secundo*, ad munimen : unde olim erant altæ et munitæ quasi arces; *tertio*, ad senatum et judicia : hæc enim olim judices peragebant in portis, quia ad eas liber omnibus tam indigenis quam exteris erat accessus; *quarto*, ad nundinas, testa, ludos, omnemque populi panegyrim et conventum. In portis ergo destructis, hæc omnia pariter destructa et eversa esse significat. Unde cap. V, 14 ait : « Senes defecerunt de portis, juvenes de choro psallentium. » Ita S. Thomas.

SACERDOTES EJUS GEMENTES, — quia munere suo amoti sunt; vel potius, ut Chaldæus, quia cessant sacrificia eorum et sacra omnia : dum enim ea vigerent, sacrificantes hymnos et psalmos cantabant ac jubilabant; nunc iis ablatis, silent et gemunt.

VIRGINES (quæ in urbis et templi festis solebant choros ducere, et Dei laudes canere, I *Reg.* XVIII, 6, jam) SQUALIDÆ — sunt; hebarice נוגות *nugot*, id est afflictæ.

Allegorice virgines sunt sanctimoniales, aliæque quæ virginitatem Deo dicarunt; hæ squalent cum a pristina puritate et secessu deficiunt, atque mundanas familiaritates, urbanitates et colloquia sectantur, itaque faciem suam a Deo sponso suo ad homines convertunt.

Secundo et adæquate, virgines quælibet Hierosolymæ, quæ antea mire formosæ erant, ac nitoris et cultus studiosissimæ, jam in barbarorum Chaldæorum potestatem redactæ, eorumque ancillæ factæ, multæ etiam ab eis violatæ, lugent et squalent. Hoc est quod Sionidis superbis et comptulis minatus est Isaias, cap. III, vers. 24 : « Et erit pro suavi odore fœtor, et pro zona funiculus, et pro crispanti crine calvitium, et pro fascia pectorali cilicium. » Quocirca « ipsa, » mater Jerusalem, suarum filiarum amantissima, videns earum squalorem et sordes, tota est « oppressa amaritudine. »

Tropologice viæ ad vitam, virtutem et cœlum sunt virtutes, fides, justitia, misericordia, etc.; hæ lugent, quia ab hominibus desertæ et neglectæ sunt.

Secundo, portæ, id est sensus destructi sunt, cum per eos hostis, peccatum et mors, intravit in animam.

Tertio, sacerdotes gemunt, id est mens et spiritus, quæ solebant offerre Deo meditationes, oblationes et preces; jam peccato obruta gemunt, easque negligunt.

Quarto, virgines, id est puræ et cœlestes cogitationes squalent; hinc omnia amara sunt peccatori.

Porta Sion in anima, quæ?

Rursum, portæ Jerusalem sunt virtutes animæ. Porta fundamenti est humilitas : porta excelsa in monte Sion est charitas : porta templi est religio : porta vallis est cognitio Creatoris per pulchritudinem creaturarum; in hac sunt duæ valvæ, una creaturæ, altera Creatoris; porta sterquilinii est confessio, per quam emittuntur sordes animæ :

(1) J. D. Michaelis inde quod *viæ Sion lugere* dicuntur ob defectum eorum qui ad festa veniunt, colligit urbem et templum tunc adhuc stetisse, sed festa parum fuisse frequentata. Sed nihil obstat, quominus et de urbe flammis vastata illud dici possit. (Rosenmuller.)

porta fontis est effusio lacrymarum : porta gregis est cura pascendæ animæ suæ et suorum : porta piscium est temperantia et observatio jejuniorum : porta equorum est robur et alacritas ad pugnandum contra hostem : porta orientalis est fides : porta fictilis est consideratio fragilitatis humanæ : porta anguli est mutua beneficentia : porta media est mediocritas. Hæ omnes destruuntur per peccatum.

5. FACTI SUNT HOSTES EJUS IN CAPITE, — id est in caput, *q. d.* Facti sunt hostes superiores, et dominantur Hierosolymis; Solymitæ vero, olim rerum domini, nunc abjecti sunt, factique in caudam : sunt enim mancipia Chaldæorum.

Sic tropologice animæ peccatrici dominantur hostes, puta dæmones et concupiscentiæ. Audi S. Gregorium, lib. I *Moral.* XIX : « Facti sunt hostes in capite, quasi dicat : Cum bonum opus non bona intentione sumitur, huic adversantes spiritus ab ipso cogitationis exordio principantur : tantoque eam plenius possident, quanto et per initium dominantes tenent. » Ubi S. Gregorius per *caput*, tropologice accipit initium actionis et intentionis. Nam, ut ait S. Bernardus, lib. *De Præcept. et dispens.*, « bonum opus prorsus condemnat intentio prava. » Sicut enim ex lutulento puteo quidquid exit turbulentum est : sic ex animo corrupto nil nisi corruptum egreditur.

INIMICI EJUS LOCUPLETATI SUNT — Hierosolymæ spoliis. Hebraice est שלו *scalu*, id est prosperati sunt, feliciter eam expugnarunt et diripuerunt, itaque ex spoliis ejus « locupletati sunt. »

QUIA DOMINUS LOCUTUS EST, — id est, hæc ipsa comminatus est Judæis, si ab eo ejusque lege deflecterent, per Mosen, *Deut.* XXVIII, 13, et *Levit.* XXVI, et alibi : et nunc recenter per me Jeremiam, per Isaiam et alios prophetas. Septuaginta, Chaldæus et Vatablus vertunt : *Quia Dominus afflixit vel humiliavit eam.* Hebræum enim הוגה *hoga* deducunt a יגה *iaga*, id est doluit et dolere fecit. Noster vero *hoga* proprie deducit ab הגה *haga*, id est meditatus est, mussitavit, locutus est.

PARVULI EJUS (qui vix fari et incedere cœperant, quibusque proinde hostes, licet barbari, parcere solent) DUCTI SUNT IN CAPTIVITATEM ANTE FACIEM TRIBULANTIS, — ante hostem Chaldæum, eos quasi pecora agentem et minantem in Chaldæam. Hic enim eos, non quasi pastor, sed quasi prædo, abripere cogitabat vel occidere.

Tropologice, parvuli, novitii in fide vel religione, ducuntur in captivitatem, cum seniorum peccatis et pravis exemplis in dissolutionem et scelera abducuntur.

Vers. 6. Vau. Filia Sion quid?

6. ET EGRESSUS EST A FILIA SION OMNIS DECOR EJUS. — Nota *primo* : Filia Sion est Jerusalem, quia ipsa erat in valle, et velut sub protectione arcis et montis Sion, quasi matris suæ. Ita Lyranus et Hugo.

Secundo, Origenes et Chaldæus : Filia, id est cœtus et plebs, quæ in urbe Sion, quasi fœtus in matris utero, continebatur.

Tertio et optime, Jerusalem urbs pulcherrima dicitur « filia, » quia Hebræi urbes pulchras et dilectas, metaphorice vocant filias. Sic filia Babylonis est urbs Babylonis, sive ipsa Babylon formosa et amabilis quasi filia.

DECOR, — id est, *primo*, regnum, aiunt Hebræus et Vatablus ; *secundo*, Lyranus, regnum et sacerdotium; *tertio* et plenius, S. Thomas, Hugo, Dionysius et Bonaventura, « omnis decor, » id est omnis ornatus et templi, et domorum, et civium, et magistratus, et sacerdotum, et virginum, et politiæ rerumque omnium.

FACTI SUNT PRINCIPES EJUS VELUT ARIETES. — Legit Interpres אלים *elim*, id est arietes : jam aliis punctis legunt איליים *aialim*, id est quasi cervi, scilicet timidi et fugaces, facti sunt Sedecias et principes Juda. Ita Chaldæus et Pagninus. Eam ob causam Achilles, objurgans Agamemnonem apud Homerum, ait eum habere cor cervinum, id est esse timidissimum. Noster melius vertit, « arietes non habentes pascua, » id est sine cibo et pastu, *q. d.* Principes Hierosolymæ, quasi arietes emaciati, fame et lassitudine fuerunt confecti, cum in Babylonem captivi abirent, ita ut, Chaldæis ad gradiendum festine impellentibus, vix possent ingredi. Ita Origenes, Hugo, Lyranus et Dionysius.

Tropologice, anima est filia Sion, id est speculationis, et filia Sion, id est cœli civis, quæ antea per meditationem sugebat lac Angelorum, jam per peccatum perdidit omnem decorem virtutum, quo Deo et Angelis placebat præ omnibus creaturis : anima enim ornata gratia Dei, est regina pulcherrima, superans omnem naturalem pulchritudinem Angelorum omniumque creaturarum. Ratio est, quia per gratiam fimus « divinæ consortes naturæ, » ut ait S. Petrus ; ac per consequens excellentissime et proxime participamus supernaturalem et summam Dei pulchritudinem, quæ omnem naturalem et creatam in immensum transcendit. Vide hanc sponsæ pulchritudinem in *Cant. Canticorum* descriptam. *Secundo*, principes, id est ratio et voluntas, in ea præ fame rerum spiritualium lassa deficiunt. Hinc *tertio*, quo dæmon eas impellit, eo cogitatione et affectu feruntur : carent enim viribus et fortitudine resistendi; hanc enim habebant a gratia, qua jam sunt spoliati. Hæc tum omnibus, tum maxime prælatis conveniunt : hi enim quasi arietes gregem debent præire, ducere, defendere, et pascere verbo et exemplo; sed si ad pascua voluptatum abeunt, ab hoste a tergo urgente minantur ad famem et mortem spiritus tum sui, tum suorum. Ita S. Hieronymus.

Anima sancta est regina pulcherrima.

7. RECORDATA EST. — Hebræi et Vatablus vertunt satis apposite : *Recordata est Jerusalem in diebus afflictionis suæ, in quibus dabat pœnas prævaricationis suæ, omnium desiderabilium suorum;* quorum possessione olim exsultabat, nunc eorumdem amissione cruciatur, quasi dicat : In diebus afflictionis suæ recordata est antiquæ prosperita-

tis suæ, auxitque illi dolorem recordatio, ut *Psal.* CXXXVI, 1, dicitur : « Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus, cum recordaremur Sion. » Sed Septuaginta, Chaldæus et Noster vertunt in genitivo, « recordata est dierum afflictionis suæ. » Verba ergo hujus versus involuta, ita ordinanda et exponenda sunt, *q. d.* Jerusalem recordata est *primo*, dies hosce præteritos, in quibus perfecte afflicta est; videlicet cum caderet populus in manus Chaldæorum absque auxiliatore : est enim hoc ejus vulnus recens, et quasi adhuc stillans et vivum. *Secundo*, recordata est simul causæ tantæ calamitatis, videlicet suæ prævaricationis. *Tertio*, denique recordata est omnium desiderabilium ornamentorum, quæ in urbe et templo fuerunt a tempore Salomonis. Cogita ergo quam tristis sit, cum se omnibus videt spoliatam, quamque se cruciet, quod tanta Dei beneficia non pluris fecerit et custodierit. Ita Paschasius, Lyranus et Dionysius.

Lysimachus rex cum præ siti se cum exercitu hosti tradidisset, hausta aqua exclamavit : « Dii, inquit, boni, quam exiguæ voluptatis causa quantum regnum amisi, et ex rege me servum effeci! » Idem dicat Jerusalem : idem dicat anima pœnitens.

Nota *primo* : Pro *prævaricationis*, hebraice est מרודים *merudim*, quod Vatablus proprie vertit, *rebellionis*, scilicet in violanda Dei lege et colendis idolis. Sed Septuaginta vertunt, ἀπωσμῶν, id est *expulsionum suarum*, hoc est, ut Pagninus vertit, *indigentiarum, vagationum et transmigrationum suarum*; nimirum hi τὸ *merudim*, id est rebellionem, sumunt metonymice pro pœna rebellionis, quæ fuit exsilium, et dispersio per gentes.

Nota *secundo* : Per desiderabilia intelligit opes et delicias, quas quisque in excidio jam amissas recordatur et luget. *Secundo*, ut Vatablus, desiderabilia hæc sunt regnum, sacerdotium, pax, victoria, prophetiæ cæteraque ornamenta illius populi; uti et templi, puta festa, oblationes, sacra vasa, vestes, etc. Hebræi τὸ *cum caderet populus*, referunt ad sequentia, tunc *hostes deriserunt sabbata ejus*. Melius Romana, Septuaginta, Origenes et alii referunt ad præcedentia, *q. d.* Recordata est Jerusalem dierum afflictionis, etc., tunc, cum hostilis gladius in populum impune grassaretur, nec esset qui ei ferret auxilium; cumque hostis ei, ejusque festis et religioni petulanter illuderet.

VIDERUNT EAM HOSTES (Chaldæi, inquiunt Hugo et Dionysius. Melius a Castro, *hostes*, scilicet vicini Idumæi, Moabitæ et Ammonitæ) : ET DERISERUNT SABBATA EJUS, — id est omnia festa, cultum et religionem Judæorum. Ita Latini omnes. Videntur ergo Chaldæi irrisisse tum circumcisionem, aliosque Judæorum ritus; tum proprie cultum sabbati, quod nimirum Deum colerent sacro hoc otio; ideoque eos coegisse ut in sabbatis æque, imo magis laborarent quam aliis diebus profanis. Sic enim Gentiles Judæos ridebant, quod septimam diem, ac consequenter septimam temporis et vitæ partem otiando transigerent; indeque eos vocabant Sabbatarios. Audi Juvenalem, *satyra* 5, Judæum depingentem :

> Cui septima quæque fuit lux
> Ignava, et partem vitæ non attigit ullam.

Vide quæ dixi de sabbato, *Deuter.* V, 12.

Verum Hebræi et Græci τὸ *sabbata* accipiunt appellative, vertuntque cessationes, vacationes, vacantias, quod scilicet jam cessent omnia negotia, commercia, lites, nundinæ, etc., in Jerusalem, uti minatus fuerat Dominus, *Levit.* XXVI, 33, vel, ut Chaldæus, quod cesset jam felicitas et lætitia, qua prius ex bonis suis fruebatur. Septuaginta vertunt, ἐν μετοικεσίᾳ, id est *in habitatione ejus*, scilicet solitaria, id est in ejus solitudine, vel in ejus transmigratione.

Tropologice, anima pœnitens dum videt ob peccata se affligi, vel a vitiis, vel a vitæ ærumnis, gemit dum recordatur tum peccatorum, tum felicis status Adæ, atque virtutum et beneficiorum Dei quæ perdidit, instar S. Job cap. XXIX, vers. 2, quod hostis ex templo animæ suæ rapuerit altare thymiamatis, id est sacrificia et orationes; et candelabrum luminis, id est intelligentiam rerum divinarum; et mensam panum propositionis, id est virtutem eleemosynæ; et alia vasa, id est virtutes : tum denique quod dæmones rideant ejus religionem et cessationem a bonis operibus. Idem potest applicari animæ damnatæ. Tropologica.

Audi S. Gregorium, V *Moral.* cap. XXII : « Hostes, inquit, sabbata videntes, irrident, cum maligni spiritus ipsa vacationis otia ad cogitationes illicitas pertrahunt, ut unaquæque reproba anima quo remotior ab externis actionibus servire Deo creditur, eo magis eorum tyrannidi illicita cogitando famuletur. » Otium enim est pulvinar diaboli, fons et scaturigo malarum cogitationum omnisque peccati. Proprie autem Turcæ, hæretici aliique infideles rident sabbata, id est festa christianorum, dum ipsi lascivis spectaculis, ebrietati, libidini festis diebus vacantes, turpiter otiantur. Ita risit et subsannavit legatus Turcæ bacchanalia christianorum : dum enim Parisiis ageret apud regem Galliæ, videretque illis diebus miram christianorum petulantiam et compotationes, ac statim post die Cinerum eorum modestiam et gravitatem : Quid, ait, accidit christianis? heri videbantur ebrii et insani, hodie videntur sobrii et sani : quis est iste cinis tantæ virtutis qui fronti eorum aspersus, mira metamorphosi ex stultis sapientes, ex petulantibus modestos, ex lascivis castos reddidit? « Cur enim quod dilectus repudiat, non irrideat inimicus? » ait S. Bernardus, serm. 46 *in Cant.* Turcæ de Bacchanalibus dictum.

8. PECCATUM PECCAVIT, — id est, ut Vatablus, perpetuo, assidue et graviter peccavit (1). Per *pec-*

(1) Constructio verbi cum suo nomine sensum intendit, notante C. B. Michaelis, uti *Jerem.* XLVI, 5, מנוס נסו, *manous, nasou fuga fugiunt*, id est velocissime fugiunt.

catum antonomastice intelligit idololatriam, quasi fornicationem spiritualem : loquitur enim de Jerusalem quasi de filia meretrice et adultera.

PROPTEREA INSTABILIS FACTA EST. — Vatablus : *Propterea varie jactata est,* q. d. Ideo Synagoga suo loco mota, et captiva in Babylonem abducta est, quia e suo fundamento, puta a Deo, recessit. Sicut enim navis, deserta a nauclero, omnibus ventis et undis jactatur : sic et Jerusalem, et quælibet civitas deserta a Deo, rectore suo, bellorum et tumultuum fluctibus jactatur et propellitur. Hoc ei minatus est *Jerem.* cap. XXXIV, 17, et Moyses *Deuter.* XXVIII, 25.

Nota : Impii in suis infortuniis fatum, Deumque inclementiæ impie accusant; pii vero ea in seipsos et peccata sua pie et vere retorquent.

Secundo, Origenes, Pagninus et Vatablus vertunt : *Propterea facta est in commotionem,* id est capitis agitationem, id est derisionem et ludibrium gentibus, ut sequitur hic et cap. seq., 15.

Tertio, apte Hebræum נִידָה *nida* significat elongatam a consortio cæterorum, scilicet menstruatam, et sic Noster vertit vers. 17; unde quasi de tali subdit : « Viderunt ignominiam, et sordes in pedibus ejus, » *q. d.* Peccatum peccavit Jerusalem, pollutaque est sanguine immundo; propterea facta est in elongationem et separationem.

Anima per peccatum fit instabilis, cur?

Tropologice, anima ob peccatum, præsertim superbiæ, fit instabilis, et ex uno vitio in aliud ruit, donec tandem Deus denudet palam ejus turpitudinem, tuncque confusa et pœnitens retrorsum convertitur, et ad Deum redit, ut sequitur.

Causa prima.

Porro hujus instabilitatis in peccatore causa est : *prima,* quia peccator avellit se a Deo, qui dicit : Ego sum qui sum, scilicet stabilis semper idemque; quique est אֱמֶת *emet,* id est veritas, stabilitas, constantia tum sua, tum rerum omnium : solus enim Deus angelos, cœlos aliaque stabilia firmat et stabilit. Unde canit Psaltes *Psalm.* XVII : « Diligam te, Domine, fortitudo mea : Dominus firmamentum meum, et refugium meum. » Hinc et sanctus ille dicebat : Mens mea in Deo est fixa et solidata. Quod de Olympo monte cecinit Lucanus, lib. II *Pharsal.* : « Nubes excedit Olympus, » ideoque in eo non sunt venti, non pluvia, non nix. Hoc de cœlo dixit S. Augustinus, lib. I *De Genes. contra Manich.* cap. XV : « Nubes excedit Olympus : pacem summa tenent. » Et Sapiens, *Eccli.* XXIV, 11 : « In his omnibus requiem quæsivi, et in hæreditate Domini morabor. » Et Psaltes, *Psalm.* LXXV, 3 : « Factus est in pace locus ejus, et habitatio ejus in Sion. » Et *Psalm.* LXXII, 28 : « Mihi autem adhærere Deo bonum est : ponere in Domino Deo spem meam. Quid enim mihi est in cœlo? et a te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum. » « Deus cordis, » quia tu solus cor imples et adæquas, imo superas. Legimus de S. Deicola abbate, quod semper facie erat læta et ridenti; cumque causam rogaretur, dixit : « Christum a me tollere nemo potest. » Hoc est quod rursum jubilans ait Psaltes *Psalm.* CII, 2 et 5 : « Benedic, anima mea, Domino, qui replet in bonis desiderium tuum. » *Secunda,* quia cor hominis instabile est, eo quod sit amplissimum et immensum; quia infinitarum rerum est capax : unde infinitorum desideriorum in se habet perennem fontem et scaturiginem; quare hunc fontem, cum sit immensus et infinitus, nulla creatura vel creata voluptas utpote finita et valde limitata ac angusta, satiare et implere potest; sed solus Deus qui æque est immensus, a quo peccator se avertit, et hoc est quod ait S. Augustinus lib. I *Confess.* I : « Fecisti nos, Domine, ad te, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te. » Et tract. 24 *in Joan.* : « Qui vult gaudere de se, tristis erit; qui autem de Deo vult gaudere, semper gaudebit : quia Deus sempiternus est. » Unde sapienter monens infert : « Vis habere gaudium sempiternum? adhære illi qui sempiternus est. » Et iterum in *Soliloq.* cap. XXX : « Anima rationalis, inquit, facta est capax majestatis tuæ, ut a te solo, et a nullo alio possit impleri. » S. Augustinum ut magistrum sequitur S. Bernardus, qui serm. in illud : *Ecce nos reliquimus omnia* : « Anima, inquit, rationalis cæteris omnibus occupari potest, repleri omnino non potest. » Nam quod ait Sapiens *Eccles.* V, 9 : « Avarus non implebitur pecunia, » hoc idem de aliis dicas : Ambitiosus non replebitur honoribus, nec gulosus epulis, nec potator vino, nec scortator libidinibus, etc. Causam subdit S. Bernardus : « Panis namque animæ justitia est, et soli beati, qui esuriunt illam : quoniam ipsi saturabuntur. » Idem, lib. *De Diligendo Deo,* cap. III, ait : « Anima re qualibet temporali inflari potest, satiari non potest; quia non sunt naturales cibi animæ. » Concludit ergo S. Augustinus, vel quisquis est Auctor lib. *De Spiritu et anima* : « Quid ergo per multa vagaris, homuncio, quærendo bona animæ tuæ et corporis tui? Ama unum bonum, in quo sunt omnia bona, et sufficit : desidera simplex bonum, quod est omne bonum, et satis est. »

Tertia.

Tertia, quia omnis creata voluptas, quam ambit peccator, fluxa est et evanida, ac permixta cum multo felle et dolore, in quem fere semper desinit : « Extrema enim gaudii luctus occupat. » Quod dum videt peccator, post peccatum voluptatem habitam fastidit, et aliam quærit : quam dum paulo post evanidam videt, pari modo fastidit, et ita ad aliam et aliam semper abit, initio amans, mox nauseans; sicque inter alternantia desideria et fastidia, quibus continuo jactatur, miser vagatur et oberrat, quærens requiem, et non inveniens. *Quarta,* quia sicut una virtus ad aliam, ita unum vitium ad aliud transit et inclinat. Sicut enim est concatenatio virtutum, ita est et vitiorum, de qua vide Origenem homil. 23 *in Numer.* *Quinta,* quia remorsus et angores conscientiæ non sinunt peccatorem quiescere. Unde peccator partim quietem quærens, partim volens hos angores

fugere vel excutere, ab una voluptate in aliam, ab uno peccato et loco in alium se transfert; sed infelix suos aculeos secum ubique defert: hac de causa Cain parricida factus est vagus et profugus, *Genes.* IV, 14. Lutherus, ut hos remorsus obrueret, assiduus erat in popinis, sed postea acrius eum invadebant. *Sexta,* quia peccator laborat et æstuat plurimis pravis desideriis, adeoque peccatum non est aliud quam inordinatus animæ æstus et desiderium, puta febris animæ, inquit S. Ambrosius. Sicut ergo febris est calor vitiosus et exæstuans, qui quamdiu durat, nulla aqua, nullo frigore restingui potest; sed efficit ut febricitans semper sitiat, et corrupto appetitu nunc aquam, nunc vinum, nunc cerevisiam hanc illamve appetat, semperque bibat et nunquam satietur: ita prorsus se res habet in peccato et peccatore. Et hoc est quod ait Isaias cap. LVII, 20: « Impii autem quasi mare fervens, quod quiescere non potest, et redundant
Septima. fluctus ejus in conculcationem et lutum. » *Septima,* quia anima justa per peccatum perdit suam virginitatem, id est innocentiam: fitque meretrix, id est levis et petulans; ideoque alios et alios amasios quærit: est enim libido insatiabilis. Huc proprie respicit Jeremias: comparat enim Jerusalem meretrici.

VIDERUNT IGNOMINIAM EJUS, — id est nuditatem et turpitudinem: idololatras enim Scriptura comparat meretrici, cui Deus minatur ignominiam, id est denudationem turpitudinis femorum et crurum; uti etiamnum subinde meretrices et fures in indusio publice in theatro, omnium ludibrio exponuntur. Ita Jerusalem suis rebus nudata et spoliata ob peccata turpissima fuit, et valde ignominiosa. Hinc quasi matrona cujus turpitudo et nuditas omnium irrisioni exponitur, præ pudore faciem suam convertit retrorsum, seque abscondere et latere conatur. Alii explicant: Convertit se vel conversa est, *primo,* a mala ad bonam vitam. Ita Origenes et Olympiodorus. *Secundo,* a gloria et prosperitate, in captivitatem. Ita S. Thomas et Lyranus. *Tertio, q. d.* Vadens in captivitatem, frequenter retro respexit valedicens patriæ. Verum primus sensus, quem antea dedi, est litteralis et genuinus.

9. SORDES EJUS IN PEDIBUS EJUS. — Hebraice בשוליה *besculeha,* id est in fimbriis ejus, quæ scilicet sunt in ora et extremitate vestis circa pedes. Ita Pagninus, Brixianus et alii. Pro *sordes* hebraice est טמאתה *tumata,* id est contaminationes ejus, scilicet menstrua, vel potius sanguis et sordes ex fornicatione et puerperio, quæ ex puerpera post partum defluunt in vestis oram et fimbrias, *q. d.* Sicut in fornicariæ puerperæ fimbriis cruore infectis, scilicet ad pedes, apparent sordes ejus, quibus proditur ejus fornicatio et puerperium: sic in pedibus, id est extrema hac Hierosolymæ vindicta, qua ipsa publice, nudis et sordidis pedibus, quasi serva et mancipium, ducitur in captivitatem, produntur ejus peccata quibus id meruit, ut aiunt Hugo et Bonaventura. Sordes ergo pedum significant eam esse putidam et abjectam; ut omnes eam non tantum irrideant, sed et subsannent ac abominentur.

Secundo, Chaldæus, Lyranus et Vatablus sic explicant, *q. d.* Sicut mulier impudens non veretur sanguinem menstruum, publice in fimbriis circumferre; ita Jerusalem sine ulla verecundia peccavit et fornicata est cum idolis, quasi suis amasiis.

Tertio, Paschasius et Hugo: Sordes, inquiunt, sunt peccata in pedibus, id est in doctoribus et apostolis, qui debebant aliis esse via et pedes ad bonum; hi enim suis sordibus et scandalis eos avertunt potius et abducunt. Verum hic sensus non est litteralis, sed mysticus.

NEC RECORDATA EST FINIS SUI, — id est hujus extremæ pœnæ, captivitatis scilicet, *q. d.* Cum esset in suis deliciis et peccatis, non cogitavit quid futurum esset sibi, quem finem habitura essent tot ejus scelera; esto eum ipsi intentarent, et ob oculos ponerent Prophetæ; quod nimirum punienda esset et exscindenda, postquam scelera sua, sicut Sodoma et Gomorrha, complesset, *q. d.* Ita peccavit, ut videretur non recordari esse Deum, qui eam tandem puniturus esset, æque ut illi qui dixerunt: « Quomodo scit Deus? et si est scientia in Excelso? » *Psalm.* LXXII, 11. Ita Chaldæus, Hugo, Bonaventura, Lyranus, Dionysius et Vatablus. Ex Hebræo vertas: *Sordes ejus in pedibus ejus, quia non est recordata finis sui,* quasi dicas: Ideo audacter peccatis se sordidavit, quia non cogitavit eorum supplicium, seque propter ea acerrime fore puniendam. Aliter Sanchez, *q. d.* Diuturna erit servitus Jerusalem, cujus finis ipsa non recordabitur, quia libertatem, quæ finis est servitutis et exsilii, non videbit nisi post longum tempus, in novo quasi sæculo, quando hisce emortuis, nova erit hominum generatio.

Allegorice Paschasius, Judæa non est recordata Christi, qui finis est legis.

Tropologice S. Thomas et Rabanus: Jerusalem et anima peccatrix non est recordata finis, id est mortis suæ et judicii extremi. Ita duo illi senes ardentes concupiscentia Susannæ: « Everterunt sensum suum, et declinaverunt oculos suos ut non viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum justorum, » *Daniel.* XIII, 9. Efficacissimum enim remedium contra peccata est meditatio novissimorum. Vide dicta *Deut.* XXXII, 29. Docet Albertus Magnus in lib. *De Vegetabilibus,* corvum non redire ad nidum, si in eo ponatur cinis ac pulvis vitri: sic dæmon fugit a nido cordis nostri, si in eo posita sit memoria cineris et pulveris, in quem convertendum est vitrum; vitrum autem sumus nos, imo vitro fragiliores.

DEPOSITA EST VEHEMENTER. — Hebræus, Chaldæus et Septuaginta, *descendit mirabiliter,* vel *corruit cum admirationibus,* id est corruit gravissime, corruit admirabili casu, omnibus admirantibus talem florentissimæ Hierosolymæ casum: Judæi

vertunt, *parvi pendit miracula* (hæc enim significat Hebræum פלאים *pelaim*), ait Leo Castrius lib. II *Apologetici*, pag. 196. Quod recte adaptes Judæis spernentibus Christum ejusque miracula, imo ea calumniantibus ac dicentibus : « In Beelzebub ejicit dæmonia. » Idcirco enim excisi sunt a Tito.

VIDE AFFLICTIONEM, — ut miserearis, et ex ea eripias me. Propheta, nomine Jerusalem, ad Deum se convertit, ut se a tanta clade eripiat. Deus enim speculative semper cominus omnia videt; orat ergo Propheta ut videat, id est videndo et miserando levet gentis suæ ærumnas.

ERECTUS EST INIMICUS. — Hebraice est הגדיל *higdil*, id est magnificavit se, insolenter extulit et jactavit se hostis, quasi non tua, sed sua virtute me dejecerit.

10. MANUM SUAM MISIT HOSTIS, — scilicet Chaldæi, et eis se jungentes vicini Ammonitæ et Moabitæ, prædati sunt desiderabilia quæ erant in urbe, et maxime vasa templi, et libros legis, ait Lyranus.

QUIA VIDIT (ipsa Jerusalem, ut patet ex Hebræo feminino ראתה *raata*, hoc est *vidit*, id est videre coacta est, quod nunquam ante viderat) GENTES, — scilicet Chaldæos, aiunt Rabanus et S. Thomas, vel magis proprie gentes impias et impuras, scilicet Ammonitas et Moabitas, quibus ob scelera et odium Judæorum interdictus erat ingressus in Ecclesiam, id est in cœtum et congregationem Judæorum, ut essent de populo Judaico incolæ et cives Hierosolymæ, ut dixi *Deuter.* XXIII, 3 (1). Has non tantum ipsam Ecclesiam, puta cœtum populi, sed quod multo indignius est, libere et audacter ipsum sanctuarium, puta templum sanctum, ingredi vidit. Est ergo argumentum a minori ad majus; aliud enim hic est Ecclesia, aliud sanctuarium. Ita Chaldæus, Theodoretus, Olympiodorus, R. Salomon, Lyranus, Vatablus et Isidorus.

Aliter explicat Paschasius, Hugo, S. Thomas et Maldonatus, ut vox *quia* det causam expilationis, *q. d.* Quia Judæi induxerunt gentes incircumcisas et interdictas in templum, ut patet *Ezech.* XLIV, 7; hinc ab eis illud ipsum spoliatum est : sicut permisit Deus ut Babylonii expilarent thesauros regis Ezechiæ, quos ipse eisdem ostenderat, *Isaiæ* XXXIX, 2, 4, 5.

Tertio, idem Paschasius et S. Thomas : Deus permittit infideles et hæreticos spoliare templa et urbes, quia gentes, id est sacerdotes, impure more gentium viventes, ausi sunt ingredi sanctuarium, et sacra altaria, vasa ac victimas pollutis manibus pertractare. Sed hic sensus est symbolicus.

11. QUÆRENS PANEM. — Loquitur de fame quæ fuit in Jerusalem tempore obsidionis, IV *Regum*, cap. XXV, 3.

DEDERUNT PRETIOSA QUÆQUE PRO CIBO. — Sic peccator pro pane, imo mica una consolationis, puta pro exiguis deliciis, pro modica gula, fastu et ambitu, puncto honoris, dat omnia sua desiderabilia, quin et vires suas omnes, ipsamque animam impendit et dæmoni vendit.

FACTA SUM VILIS, — omni vilitate, quam hucusque recensui et planxi. Sic et Septuaginta. Sed Chaldæus et Vatablus vertunt : *Quia fui epulatrix* (hoc enim quoque significat hebræum זוללה *zolela*); idcirco scilicet juste punior hac vilitate et fame. Arabicus vertit : *Vide, Domine, quod facta sim quasi prostituta omnibus transeuntibus viam*; hoc est quasi vilis serva, qua omnes ad libidinem abutuntur.

12. O VOS OMNES! — Inducit Jerusalem suas ærumnas deplorantem, easque per comparationem cum aliis exaggerantem. Pro *o* hebraice est לוא *lo*, id est *non ad vos*, scilicet tam grave malum perveniat, quale ad me pervenit; non vobis contingat quod mihi contigit. Ita Syrus, Vatablus et Pagninus. Sed noster Interpres pro *cholem* substituit *scurec*, et pro *lo*, id est *non*, legit לוא *lu*, id est *utinam*, *o si ad vos*, scilicet perveniat doloris mei sensus; unde Chaldæus vertit : *Adjuro et obtestor vos omnes prætereuntes, declinate huc, aspicite et videte si est dolor sicut dolor meus.* Sic Septuaginta solent *lu* vertere per εἰ, id est *si*; vel ἐάν, id est *utinam*, et sic pro οἰ, hic apud Septuaginta videtur legendum εἰ, *q. d.* O si, utinam; aut certe, ut vult Maldonatus, pro οἰ, legendum disjuncte per diastolen οἴ, quod respondet hebræo הוי *hoi*, id est *heu*. Sunt verba plebis relictæ Hierosolymis, sive pauperum terræ, qui suum dolorem detegunt transeuntibus. Ita Theodoretus. Vers. 12. LAMED.

Denique Sanchez putat hoc esse epitaphium, quod Jerusalem in suo quasi busto, in quo ipsa sepulta jacet, incidi jubet, quo ipsa viatores alloquitur, ut dolorem suum dolendo solentur, *q. d.* O vos hospites, qui transitis, spectatisque non urbem, sed excisæ urbis informe bustum! videte si quispiam habuit graviorem aut dolendi aut lacrymandi materiam. Qui sensus plane patheticus est. Sic passim in epitaphiis ipsi sepulti vivos et lectores alloquuntur, uti Ovidius in hocce suo, quod sepulcro inscribi curavit :

> Hic ego qui jaceo, tenerorum lusor amorum,
> Ingenio perii Naso Poeta meo.
> At tibi, qui transis, non sit grave, quisquis amasti,
> Dicere : Nasonis molliter ossa cubent.

Tropologice, eadem et plura dicit anima in Purgatorio, et magis anima damnata in inferno. Præclare S. Chrysostomus, homil. 5 *ad Populum* : Tristitia, ait, nobis data est ut doleamus, non de morte aut alia re, sed tantum de peccato; ibi enim solum utilis est tristitia, cum alibi fit inutilis; nec enim dolendo possum mortuum, aut rem amis- Tristitia sola de peccato utilis est.

(1) Illos populos ex nativo in Judæos odio adsociasse se Chaldæis Judæam depopulantibus, jam sub Joakimo refertur IV *Reg.* XXIV, 2; nec dubium est idem ab illis factum esse, cum Nebucadnezar in Judæam irrumperet, urbemque exscinderet. Cf. *Ezech.* XXV, 36.

sam revocare et recipere; sed tantum gratiam peccato amissam dolendo ac pœnitendo possum recuperare; hic ergo tantum utilis est dolor.

Allegorice, multi hæc adaptant Christo peccata urbis et orbis luenti, matrique ei compatienti; utriusque enim dolori nullus fuit similis. Nam, ut ait Ethicus : « Pulsus doloris est amor. » Ut scias quanta sit febris et calor, tangis et tentas pulsum : ita ut scias quantus fuerit dolor Christi et Virginis, cogita quantus fuerit utriusque amor tum mutuus, tum erga omnes homines. Nam mensura et « ulna doloris amor.» Quantus amor, tantus dolor; et vice versa, quantus dolor, tantus amor. Ratio a priori est, quia quantum quis amat bonum aliquod, tantum odit malum illi oppositum, tantumque dolet si illud ei infligatur. Quantum ergo Virgo amavit Christi salutem et vitam, tantum doluit de ejus cruciatu et morte.

VINDEMIAVIT ME, — *q. d.* Hostis Chaldæus aut Deus spoliavit me bonis omnibus, uti vinea in vindemia spoliatur omni suo fructu et bono. Hebræum עולל *olel* significat *racemare*, hoc est prætermissos in collectione uvarum, et in vindemia racemos vestigare, legere et carpere : ita enim Jerusalem prius quasi vindemiata fuit tempore Joachin, cum Nabuchodonosor inde extulit omnes thesauros, IV *Reg.* XXIV, 13. Postea vero quasi racemata fuit, cum Nabuzardan sub Sedecia omnia reliqua in ea spoliavit, et Babylonem transtulit, *Jerem.* LII, 17, et IV *Reg.* XXV, 13. Sic vindemia sumitur pro eadem racematione vers. 22, et cap. II, vers. 20. Et hanc racemationem diserte comminatus est Judæis Jeremias, cap. VI, vers. 9 : « Usque ad racemum colligent quasi in vinea reliquias Israel. »

UT LOCUTUS EST. — Hebræum הוגה *hoga* rursum verti potest : *Sicut afflixit me Dominus*, uti dixi vers. 5.

IN DIE IRÆ FURORIS SUI. — Hebraice בחרון אפו *bacharon appo*, id est in die iræ nasi sui. Sic vocat iram ac si sit flammeus halitus e naribus, et æstuans spiritus, qui quidquid comprehendit, adurit. Docte S. Augustinus in *Sententiis*, num. 157 : « Ira, ait, Dei, non perturbatio est ejus, sed judicium quo irrogatur pœna peccato. Cognitio vero ipsius, et recogitatio mundanarum rerum, est incommutabilis ratio. Neque enim sicut homines, ita Deum cujusquam facti sui pœnitet, cujus de omnibus omnino rebus tam fixa est sententia, quam certa præsentia est. »

13. DE EXCELSO (de cœlo) MISIT IGNEM IN OSSIBUS MEIS.— Chaldæus, *in castella mea* : כרך *kerach* enim vel כרכא *carca*, chaldaice significat arcem, turrim vel urbem munitam a rotunditate; radix enim כרך *kerach* significat involvere, convolvere, *q. d.* Vindicta Dei hostibus meis quasi faces suppeditavit et accendit, quibus non modo carnem et cutem, id est agros et villas, sed ossa quoque mea, id est munitissimas quasque arces, turres, templum, palatia, quæ urbem quasi ossa firmabant, expugnaret, succenderet, et in cinerem redigeret. Ita Origenes, Theodoretus, Hugo, S. Thomas, Bonaventura, Lyranus et Dionysius (1).

Secundo, Olympiodorus, Hugo, Paschasius, Vatablus, S. Thomas : Ignem, id est divinam iram et vindictam, immisit in principes qui erant quasi ossa reipublicæ, eamque instar ossium fulciebant et sustentabant. Alludit ad *Ezech.* XXIV, 9 : « Væ civitati sanguinum, cujus ego grandem faciam pyram! Congere ossa, quæ igne succendam : consumentur carnes, et coquetur universa compositio, et ossa tabescent. »

Tertio, Sanchez hæc metaphorice accipit : Ignis, ait, significat acrem cruciatum, ossa significant interiora et viscera, *q. d.* Deus de cœlo immisit acrem cruciatum in intima mea, ut cor meum dolore emori, viscera mea angore dissolvi videantur.

ERUDIVIT ME. — Hebraice ירדנה *iirdenna*, id est dominatus est ei, scilicet ignis ossi, id est cuilibet ossium. Ita Vatablus, R. Salomon et Kimchi. Vel potius legendum ירדנה *iardenna*, id est dominari fecit illum, scilicet ignem, in ossibus meis : « erudivit » ergo, id est castigavit, punivit me igne, sicut aurum adulterinum purgatur, et quasi castigatur igne; et boves duri erudiuntur, id est castigantur et domantur, stimulo. Vel potius Noster legit יורנה *iorenna*, id est erudivit, hoc est, docuit me, per hanc pœnam deinceps non peccare, nec idola colere : unde Judæi deinceps post captivitatem Babylonicam idola non coluerunt, uti fecerant ante.

Tertio, Septuaginta aliis punctis pro *iirdenna*, legentes ירדנה *ieredenna*, a radice ירד *iarad*, id est descendit, vertunt : *Deduxit* vel *descendere fecit illud*, scilicet os, id est quodlibet ossium meorum.

Moraliter, disce hic : sicut aurum vitiatum, quia solidum et durissimum est, excoquendum et a scoria purgandum est igne : ita urbes et provinciæ moribus omnino corruptæ, igne, peste, gladio a Deo purgandæ sunt, ut iis adulti et senes, qui in vitiis enutriti consenuerunt et incorrigibiles sunt, absumantur, et nova filiorum soboles succrescat, quæ hac patrum clade erudita sapiat, bonosque mores induat. Ita Judæi per captivitatem Babylonicam, quasi per ignem transeuntes, toti facti sunt alii, adeoque qui ante eam pronissimi erant ad idola, post eam omnia idola abominati sunt. Idem facit Deus, cum ani-

Moraliter, Deus urbes et animas perversas acri cruce immissa corrigit.

(1) Quatuor, quæ hoc versu cumulantur, similitudinibus, unum idemque, magnitudinem, puta iræ divinæ et malorum, quibus populus Judaicus oppressus esset, atrocitatem significari, non vero, ut nonnullis visum, singulis tropis singula malorum genera describi, recte monuit Fritz, additque specialem hanc poeseos Judæorum, Arabum, Persarum, aliarumque, quas Orientales vocamus, gentium indolem esse, ea quibus præcipue legentis audientisve animum corripi vult poeta, locutionibus variis, fere synonymis describere. (Rosenmuller.)

mam valde corruptam vult convertere ; ingenti enim morbo, casu, aliave clade eam affligit et collidit, ut ad se redeat, resipiscat, seque reformet : alios eadem de causa in spiritu rapuit ad videndum inferorum pœnas, et cœlitum gloriam ; alios per efficaces instinctus, et meditationes aut prædicationes de morte et novissimis contundit et compungit, ut vitam mutent. Ita convertit Nabuchodonosorem mutando eum in bestiam ; Saulum prosternendo Paulum effecit; Magdalenæ immittendo septem dæmones qui eam vexarent, a vitiis curavit.

Narrat Plutarchus, lib. *De Sera Numinis vindicta*, sub finem, Thespesium sceleratæ et deploratæ vitæ hominem fuisse : de quo consultum oraculum num quæ spes foret eum emendandi, respondit : « Melior erit postquam fuerit mortuus. » Paulo post Thespesius gravi casu collisus per triduum exanimis jacuit ; tertio die ad se rediit : rogatus quomodo rediisset, dixit in casu hoc animam suam eductam e corpore prorsus aliam esse factam ; alia enim omnia vidisse et sensisse, perinde ac si quis e navi in mare corruat alia sentit et sapit. Itaque vidisse se bonorum felicitatem ; impiorum, ut Neronis, quin et proprii sui parentis, pœnas (in qua tamen visione fabulæ Gentilium admiscentur), ac quemdam e cognatis vita functis ad eum accessisse et salutasse : « Salve, Thespesi, » cui ille : « Non Thespesius vocor, sed Aridæus ; » mox anima cognati : « Aridæus fuisti, sed deinceps eris Thespesius, » id est divinus. Ita factum est, qui enim antea erat impius, spurcus, planeque vitiosus, hoc casu et raptu factus est pius, castus, justus, speculum virtutum : ita frangenda est malæ consuetudinis obfirmatio, et duro nodo durus quærendus est cuneus. Sicut ergo medicus ut curet laborantem morbo Gallico similive, qui sanguinem, humores totumque corpus infecit et corrupit, prius exhaurit humores omnes ita corruptos per crebras purgationes, per sudores, per phlebotomiam, per inediam ; hominemque quasi exsuccum reddit, redigitque pene ad portas mortis, ac deinde ita expurgatum novis pharmacis et cibis restaurat, renovat, sanat : eodem prorsus modo facit Deus, ut homines vitiis corruptos immutet et sanet.

EXPANDIT RETE PEDIBUS MEIS. (*Rete* vocat insidias, quas Chaldæi quasi venatores, in omnibus viis Judæis tetenderant, ut nullum eis pateret effugium ; omnes enim vias insederant, ut Judæos fugientes interciperent : hinc) CONVERTIT ME RETRORSUM, — scilicet ex fuga reduxit me, id est fugitivos meos ad Nabuchodonosorem. Ita Hugo.

Secundo, Chaldæus et Maldonatus explicant, *q. d.* Fecit ut retro cadens terga verterem hosti.

Tertio, Origenes, Olympiodorus et Lyranus explicant, *q. d.* Convertit me a gloria in ignobilitatem ; ut e throno regni et gloriæ, in quo auguste considebam, retrorsum dejicerer, et præcipitarer in terram et in ergastulum.

Allegorice Paschasius, Hugo et Dionysius : Misit Deus e cœlo ignem, id est Spiritum Sanctum linguis igneis in Apostolos, qui erant quasi ossa Ecclesiæ, et per eos erudivit Ecclesiam ; expandit rete prædicationis, et convertit me, scilicet Ecclesiam gentium, ut ad Deum redirem.

Sed quia ignis hic vindictæ est et supplicii, melius mystice sic explices : Misit Deus ignem, scilicet tribulationis et tentationis, in ossa, id est robustas virtutes meas, ut vitiorum rubiginem in me excoquat et expurget, ait S. Gregorius, et hoc quasi reti capiar ne fugiam, sed reducar ad Deum. Rete Dei est tribulatio. Rete ergo Dei quo peccatores vel sæculares venatur, communiter est tribulatio.

14. VIGILAVIT JUGUM INIQUITATUM MEARUM, — *q. d.* Jugum supplicii mihi infligendi ob meas iniquitates, me dormiente, nec cogitante vigilavit, ut, cum impleta esset mensura peccatorum a Deo præstituta, et vindictæ destinata, mox eo jubente, et tempus hoc statuente, me invaderet mihique incumberet, id est, ut Septuaginta, Deus et justitia divina vigilavit ut me puniret cito. Vers. 14. Num.

Ubi nota *primo* : Septuaginta pro עֹל *ol*, i. e. *jugum*, alio puncto legerunt עַל *al*, i. e. *super* ; unde verterunt : *Vigilavit Deus super iniquitates meas.* Sed aptius Noster legit *ol*, vertitque *jugum*, tum quia sequitur : « In manu ejus convolutæ sunt, et impositæ collo meo, » ergo iniquitates hæ colligatæ fecerunt jugum, quod peccantis collo impositum est ; tum quia hoc jugum minatus est Judæis Jeremias, cap. XXVIII, 14. Porro Sanchez nostrum Interpretem cum Septuaginta concilians, τὸ *vigilavit*, accipit active : « vigilavit » Dominus « jugum, » i. e. vigilanter Dominus, tanquam excubitor, speculatur et attente, quando jugum veniret, id est tempus servituti et exsilio destinatum. Sic subinde verba neutra accipiuntur pro activis cum epitasi, ut : « Exsultabit (id est cum exsultatione cantabit) lingua mea justitiam tuam ; » et : « Jubilate (id est cum jubilo canite), montes, laudem, » *Isaiæ* cap. XLIX. Sic Virgilius : « Corydon ardebat (id est ardenter amabat) Alexin ; » sic « ventus avolat, (id est avolare facit) paleas. » Ponitur enim *cal* pro *hiphil*. Verum hæc acceptio verbi *vigilavit* insolens videtur et inusitata. Quocirca planius dicemus, per prosopopœiam hic jugo attribui vigiliam. Sicut enim peccata clamant vindictam, ita et vigilant, ut Deum quasi admoneant, ut, impleta eorum mensura, quasi tempore a se prædefinito ad vindictam prosiliat, eamque jam olim a se decretam exsequatur : Unde

Nota *secundo* : Hoc jugum vigilans non est aliud quam virga vigilans, visa a Jeremia incumbere Hierosolymæ, cap. I, vers. 11, *q. d.* Floruit iniquitas mea, protulit tempestive gemmas, germina et surculos, ex quibus complexis fecit Deus jugum flagellumque castigationis, et mox imposuit inflixitque illud cervicibus meis. Unde R. Abraham vertit clare : *Acceleratum est jugum iniquitatum mearum*, quasi Deus jugum hoc manu

teneat, ut statim mihi Hierosolymæ (quasi bovi loris alligato) illud imponat (1).

Nota *tertio* : Hebraice est נשקד *nischkad*, quod per *schin* significat *vigilavit;* jam legunt נשקד *niskad* per *sin*, quod hic tantum reperitur; et sic R. Salomon, et ex eo Vatablus vertit : *Impressum est*, vel *designatum jugum meum in manu ejus*, id est Deus quibusdam notis et punctis peccata mea in suis manibus designavit et descripsit, ut illorum recordetur, illaque puniat. Sic ait Job, cap. XIV, vers. 17 : « Signasti quasi in sacculo delicta mea; » et Isaias, cap. LXV, vers. 6 : « Ecce scriptum est coram me; » et Jeremias XVII, 1 : « Peccatum Juda scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino. » Ita enim peccata cujusque scripta sunt in mente et memoria Dei, ut jugiter oculis ejus obversentur, vindictam postulent, eumque de tempore vindictæ a se præstituto admoneant, uti paulo ante dixi. Addit Sanchez jugum dici notari punctis, ut ejus gravitas et pondus significetur, scilicet jugum hoc distinctum esse foraminibus, ut multitudo ostendatur vinculorum, quæ per singula puncta inserantur, ut iis arctius peccatoris collum innodetur. Quot enim in jugo sunt foramina, tot in eo solent plerumque esse nexus et colligationes. Addunt alii, punctis significari, Deum minima etiam peccata, quæ videntur esse instar apicis et puncti, minimasque eorum circumstantias notare, judicare, punire. *Tertio*, Vatablus et Pagninus *niskad* vertunt, *colligatum, implexum est*, q. d. Jugum pœnæ nobis imponendum, nexum et implicatum est nostris iniquitatibus quasi nodis; de quo Isaias, cap. V, ait : « Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, et quasi vinculum plaustri peccatum. » Quocirca pro *vigilavit* legunt ipsi, *ligavit*, sed perperam : Biblia enim Romana et alia correctiora legunt, *vigilavit*. Alludit enim et refricat Judæis virgam vigilantem, quam vidit cap. I, vers. 11. *Quarto*, Chaldæus vertit : *Aggravatum est jugum;* forte pro *niskad* legit נקשה *nicsa*, a radice לשה *lasca*, id est gravis fuit. Denique Syrus vertit : *Vigilarunt* (excitata sunt) *super* (contra) *me peccata mea manibus meis, velut sella aptata sunt juga ejus super collum meum;* Arabicus Antiochenus : *Et nocte excitata sunt in me peccata mea, et manus meæ remissæ sunt; ne possim robore*, id est ne in me sit virtus tolerandi; Arabicus Alexandrinus : *Et facta sunt quotidie laboriosa, Domine, super me peccata mea, et roborata sunt onera ejus, et vincula ejus super collum meum; et hoc manu ejus.*

Culpa et pœna sunt duo fratres et comites.

Moraliter nota pœnam esse individuum comitem peccati, adeoque culpam et pœnam esse quasi duos fratres simul cubantes, ita ut, si unus se moveat et surgat, statim evigilet alter. Rursum sicut prætor excubat ad fures et latrones, ita vindicta et pœna excubat ad molimina peccati, ut illud capiat et plectat. Vide dicta *Jerem.* I, 11.

IN MANU EJUS CONVOLUTÆ SUNT, — *q. d.* Fecit Deus ex pœnis iniquitatum mearum, quasi catenam et coronam spineam, eamque injecit et imposuit collo meo, ita gravem, ita me deprimentem, ut sub hoc onere infirmetur virtus mea, ut gemens cadam, nec possim resurgere, aut in libertatem me restituere. Refert Theodoretus in *Philotheo*, S. Eusebium anachoretam imposuisse collo suo jugum ferreum ducentarum librarum, ut deorsum semper cogeretur intueri, et terram respicere; eo quod curiosius quadam vice oculos sustulisset, et transeuntes aspexisset. Quale ergo quamque ponderosum erit jugum, quod ob plurima peccata mortalia perpetrata, diabolus, imo Deus peccatoris cervici in gehenna imponet?

INFIRMATA EST VIRTUS MEA. — Hebraice הכשיל כחי *hichschil cochi*, id est infirmavit, dejecit, prostravit (jugum illud) virtutem meam, vel vires meas; hoc ergo jugum pœnarum, erectas peccatorum, præsertim superborum, cervices deprimit et confringit.

15. ABSTULIT (hebraice סלה *silla*, id est calcavit, protrivit) MAGNIFICOS MEOS, — אבירי *abbirai*, id est validos meos, duces scilicet et milites, sicuti calcantur uvæ in torculari; unde sequitur : « Torcular calcavit Dominus. » Eodem sensu Hebræum *silla* Chaldæus vertit כנש *kenas*, id est collegit; et Septuaginta ἐξῆρεν, id est *decerpsit*. Vers. 15. Samech.

VOCAVIT (vocando, id est jubendo, adduxit) TEMPUS, — scilicet maturitatis et vindemiæ, ut me calcaret, puta tempus a se statutum et condictum meæ punitioni. Hebraice enim est מועד *moed*, id est condictum, statutum scilicet tempus, vel locus, vel milites; unde Vatablus vertit : *Vocavit super me congregationem Chaldæorum*. Melius tamen Noster cum Chaldæo et Septuaginta *moed* vertunt statutum tempus. Passim enim hoc, vel locum significat : hic autem locum significare nequit.

Quintuplex tempus.

Nota : Tempus hic quintupliciter exponi potest. *Primo* « tempus, » id est ultio quæ fit in tempore. Sic dicitur *Lucæ* XXI, 24 : « Et Jerusalem calcabitur a Gentibus, donec impleantur tempora nationum, » id est tempus ultionis sumendæ de nationibus. *Ezechiel.* XXX, 3 : « Appropinquat dies Domini, dies nubis : tempus gentium erit, » quo scilicet Deus puniet gentes per Chaldæos; et cap. XXII, vers. 4 : « Adduxisti tempus (id est ultionem) annorum tuorum. » *Jerem.* XXVII, 7 : « Servient (Nabuchodonosor) omnes gentes, et filio ejus, donec veniat tempus terræ ejus; » id est ultio et vastitas Babylonis per Cyrum.

Secundo, « vocavit adversum me tempus, » id est, quæsivit opportunitatem et tempus aptum ad me puniendum. Sic dicitur *Ezech.* VII, 7 : « Venit tempus (opportunitas), prope est dies occisionis. » Est enim hoc tempus vindemiæ, id est vindictæ.

(1) Metaphora, ut recte notat Rosenmuller, videtur desumpta ab agricola, qui postquam jugum alligavit bovi, habenam retinet et implicat etiam manui suæ. Ita, inquit, jugum collo meo impositum et implicitum ac perplexum est, deinde et ligatum in manu Dei, ut excutere nequeam, nec ulla sit relaxatio.

Subdit enim : « Torcular calcavit Dominus. »

Tertio, « vocavit tempus, » scilicet annum et diem statutum meo excidio. Sic dicitur *Psalm.* LXXIV, 3 : « Cum accepero tempus, ego justitias judicabo. » *Ezech.* XXI, 25 : Quorum « venit dies in tempore iniquitatis præfinita. » Hic sensus est maxime genuinus.

Quarto, « vocavit adversum me tempus, » id est milites, puta Chaldæos, in tempore meæ vastitati condicto ; unde Pagninus vertit : *Vocavit adversum me congregationem*, *q. d.* Signavit Deus Chaldæis tempus et diem in qua eram vastanda, illamque adduxit, ipsosque evocavit ad accelerandum supplicium. Ita dicit Amos cap. V, 18 : « Væ desiderantibus diem Domini ! » Et quia illudebant, dicebantque hunc diem sero venire, dicit eis Vates : « Ad quid eam vobis ? dies Domini ista, tenebræ, et non lux. » Solent peccatores accelerare contra se tempus divinæ iræ, augentes quotidie scelera, et implentes mensuram vindictæ eorum a Deo præstitutam. *Ezech.* VII, 10 : « Ecce venit : egressa est contritio, floruit virga ; » hebraice est, *egressa est contractio*, et sic legit S. Hieronymus, *q. d.* Contractum et decurtatum est tempus calamitatis vestræ, dies ultionis instat, « floruit virga, » illa scilicet quæ jam diu vobis minabatur plagam : germinavit vestra superbia, et floruit supplicium ; unde subdit Vates : « Fac conclusionem, quoniam terra plena est judicio sanguinum, et civitas plena iniquitate, » *q. d.* Non est ultra tempus litigandi et se defendendi, quia terra sceleribus abundat : litem ergo concludite, ferte sententiam condemnationis in eam. Et infra : « Venit tempus, prope est dies occisionis. »

Quinto, « vocavit tempus, » scilicet miserum et calamitosum. Sic sumitur *Psalm.* LXXX, 16 : « Inimici Domini mentiti sunt ei, et erit tempus eorum in sæcula, » id est miseria et vastitas Judæorum usque ad finem sæculi durabit, ut exponit Theodoretus.

Tempus nos accusabit in judicio.

Anagogice, vocabit Deus tempus adversus impios in die judicii. Tunc enim tempus erit accusator et testis contra impios, illosque redarguet, quod tempus breve a Deo datum ad merendam æternitatem beatam, expenderint in vanis et damnosis voluptatibus. Merito ergo monet S. Paulus, *Ephes.* V, ut redimamus tempus, quoniam dies mali sunt. Vide ibi dicta. Nam, ut ait Virgilius :

> Sed fugit interea, fugit irreparabile tempus.

Et Horatius :

> Heu, heu fugaces, Posthume, Posthume,
> Labuntur anni.

Præteritum fuit ; futurum non est, sed erit ; præsens quod est, quid est nisi unum nunc et momentum temporis ? Vide quam parum habeas de tempore : mutamur et currimus, et nescientes ad mortis terminos pervenimus.

Dicebat Hippocrates de medicina : « Vita brevis, ars longa, experimentum periculosum, occasio præceps, judicium difficile : ideo maxima adhibenda est cura. » Idem dicat sibi fidelis de arte bene vivendi, et merendi in hoc tempore exiguo. O christiane ! adverte vitæ brevitatem, et artem serviendi Deo longam et difficilem : experientia est ardua, et interim occasio bene agendi e manibus nostris elabitur, o quot bene cœperunt, sed non perseverarunt ! Adhibe ergo diligentiam quam maximam, ut possis ditescere in bono, comparare lucra meritorum, dissolvere debita peccatorum. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis : veniet dies cum non habebis tempus, nec horam, nec instans pœnitendi, bene agendi, salvandi animam tuam. Dum ergo habes tempus, operare bonum, vive Deo, vive cœlo, vive ÆTERNITATI. Dicebat S. Bernardus : « Tempus vivendi perdidi, quia perdite vixi. » Quid dicemus nos peccatores et pigri ad omne bonum ?

TORCULAR CALCAVIT DOMINUS VIRGINI FILIÆ JUDA. — Vatablus vertit : *Quasi in torculari pressit filiam Juda*, ut, sicut in torculari ex uvis exprimitur vinum, ita ex hac vastatione exprimatur sanguis Judæorum, non tantum virorum, sed et virginum ac puellarum. Ita Hector Pintus. Unde Arabicus Antiochenus vertit : *Velut torcular calcavit Dominus me. Virgo filia Sion est super hoc flens.* Minus recte Arabicus Alexandrinus hæc ad hostes Judæorum refert, vertitque : *Fecit* (Dominus) *inimicos meos ut torcular quod calcatur.*

Secundo, Chaldæus sic explicat : Virgines Juda Deus constuprari permisit a Chaldæis : *Polluerunt*, inquit (Chaldæi), *virgines domus Juda, donec sanguis virginitatis earum effunderetur, sicut vinum e torculari defluit.*

Torcular significat graves pœnas.

Tertio, torcular in Scriptura significat graves pœnas et supplicia, ait S. Hieronymus in *Isai.* LXIII, Rabanus, Theodoretus et alii : qui enim calcant uvas, ne unum quidem granum relinquunt non expressum. Calcavit ergo Deus Judæorum torcular, id est captivitatem hanc acrem immisit Judæis, ita ut nullum granum, sed tantum pauci acini, id est pauperes, relicti sint in Judæa ad colendam terram. Ita Hugo, Bonaventura, Lyranus et Dionysius.

Quarto et optime, *q. d.* Sicut si uvas calces, vinum elicis ; ita si peccata in torculari divinæ justitiæ et judicii premas, non aliud elicies quam iram et vindictam Dei. Hoc modo jam calcavit Deus peccata virginis filiæ Sion, id est populi Jerusalem, calcando ipsos peccatores Judæos. Ita Origenes et Olympiodorus, *q. d.* Adduxit Deus Chaldæos vindemiatores, qui Judæis torcular calcent, id est eos sternant, calcent, affligant. Alludit ad triumphatores, qui hostes sternere et calcare solent : sicut David stravit Ammonitas, egitque super eos ferrata carpenta, I *Paral.* XX.

Porro dativus *virgini* hanc vim habet, *q. d.* Jerusalem nullos sumptus fecit in calcando suo torculari ; quia Deus adduxit illi vindemiatores,

qui gratis et sponte illud calcarunt. Loquitur de summo damno, quasi de summo beneficio, irrisorie. Sensus enim est : Dominus Hierosolymæ calcavit torcular, expressitque vinum amarissimum, utpote ex uva fellis et botro amarissimo, quo ad ebrietatem et insaniam potavit ipsosmet Judæos.

Vinum consolationis non habebis nisi premaris in torculari crucis.

Sic Christus pro nobis et peccatis nostris in torculari crucis pressus est, et Sancti cum Christo hic in torculari afflictionis premuntur, ut vinum consolationis in eis exprimatur. Audi S. Augustinum in *Psalm.* LV : « Dei uva factus es ut conculceris. Uva eram, vinum ero, sed prius calcabor. » Ubi Nota hæc allegorice, non proprie et directe, sed indirecte tantum spectare ad Christum. Proprie enim spectant ad Ecclesiam peccatis et peccatoribus commixtam; ad Christum vero, quia ipse Ecclesiæ peccata et supplicia in se luenda susceppit, ut quod Christus dicit, censeatur dicere et gemere Ecclesia; et vice versa quod Ecclesia, hoc Christus.

Vers. 16. Ain.

16. EGO PLORANS. — Chaldæus vertit : *Ambo oculi mei lacrymas effundunt instar fontis aquarum.* Hebræum עין *ain* et oculum et fontem significat. Vim harum lacrymarum in S. Petro post Christi negationem flente ostendit S. Leo, serm. 9 *De Passione* : « Felices, ait, S. Apostole, lacrymæ tuæ, quæ ad diluendam culpam negationis, virtutem sacri habuere baptismatis, et fons charitatis lavit verba formidinis. » Vide dicta *Jerem.* IX, 1.

LONGE FACTUS EST CONSOLATOR, CONVERTENS ANIMAM MEAM, — qui scilicet animam præ tristitia quasi exeuntem e corpore, reducat per consolationem; ut redeat quasi ad corpus, et in eo recreata et refocillata tranquille quiescat, *q. d.* Dolor tantus est, ut me exanimet, nec est qui eum soletur et leniat.

FILII MEI PERDITI. — Hebraice שוממים *scomemim*, desolati; Septuaginta ἠφανισμένοι, *attoniti dolore et timore*, stupidi, ut nesciant quid agant aut quo se vertant.

Vers. 17. Phe.

17. EXPANDIT SION MANUS. — Sicut parturiens vel moriens viribus dissolutis collabitur, et manus expandit, tum ut precabunda auxilium astantium imploret, tum quia a spiritibus vitalibus deserta virium et animæ patitur deliquium, ut manus et membra continere et regere non valeat, sed ea expandi et dissipari sinat. Ita Chaldæus, Paschasius et Hugo. Hoc est enim quod ait Jeremias cap. IV, 31 : « Vox filiæ Sion intermorientis, expandentisque manus suas : væ mihi, quia defecit anima propter interfectos! » Aliter quoque Sanchez : Sion, ait, expandit manus ad Chaldæum hostem et victorem, tanquam victa et supplex, sed frustra; barbarus enim nil nisi iras spirat.

Secundo, Theodoretus et Pagninus vertunt : *Sion percutit, frangit, complodit manus suas* præ luctu et dolore.

Tertio, Vatablus vertit : *Fregit Sion manibus suis*, scilicet panem, *q. d.* Lugentibus solet ab aliis frangi panis; at Sion non habet consolatorem, sed ipsa debet sibi frangere panem. Primus sensus est aptissimus.

MANDAVIT, — mandato suo vocavit et immisit hostes in me. Est metalepsis, *q. d.* Deus est, qui quasi dux Chaldæos conscripsit, eos in aciem produxit, et in Jacobæos sævire jussit.

FACTA EST JERUSALEM QUASI POLLUTA MENSTRUIS INTER EOS, — id est facta est abominabilis, uti mulier menstruata, inquiunt Theodoretus et Lyranus. Vel potius, *q. d.* Hostes vicini, ut Moabitæ, Ammonitæ et alii, Jerusalem, id est Hierosolymitas, e sui medio, eque sua vicinia expulerunt in captivitatem, sicut expellitur menstruata ab hominum consortio, juxta legem *Levit.* XV, 19. Hebræum enim נדה *nidda* significat elongatam et ejectam, quia excommunicatam.

Tropologice notat S. Hieronymus menstrua significare desideria et opera tum carnalia, tum sanguinaria; ac proinde eis pollutos vocari tum libidinosos, tum homicidas.

18. QUIA OS EJUS AD IRACUNDIAM PROVOCAVI. — Hebraice, *quia ori ejus rebellavi*, vel *quia os ejus exacerbavi, amaricavi* (hoc enim proprie est מריתי *mariti*) *et irritavi*, scilicet hoc ipso quod legem ore ejus latam transgressa sum, minasque Jeremiæ et Prophetarum contempsi, provocavi eum ut ore suo ferret sententiam excidii contra me. Ita Theodoretus, Lyranus et alii. Addit Sanchez, *q. d.* Os Domini suavitate plenum, amarum mihi reddidi peccando. Ipsum enim stillat melle et nectare : ast ego dum illi meum fel et absinthium propino, ita illud amaricavi, ut in me verba fellea, et irarum plena de cædibus, incendiis, excidio effunderet. Ego ergo ad hæc ipsum meis sceleribus coegi et compuli.

Aliter Origenes, Hugo et Bonaventura : Os Domini, inquiunt, sunt Prophetæ, præsertim Jeremias, quem toties Judæi exacerbarunt, maxime cum ex Dei ore moneret eos ne ad Ægyptios confugerent; hoc enim ipsi eo invito fecerunt. Sunt hæc verba Hierosolymæ : male ergo R. Salomon putat hæc a Jeremia dici in persona Josiæ regis, qui monitus a Deo ne contra regem Ægypti pugnaret, parere noluit, itaque in bello occisus est, lib. IV *Reg.* XXIII, 29. Auctor lib. *De Essentia divinitatis*, apud S. Augustinum, per *os* Domini accipit Christum, quem Judæi tot injuriis lacerarunt. Sed hic sensus est mysticus.

19. VOCAVI AMICOS. — Per amicos intelligit Theodoretus idola; Origenes, Assyrios et Chaldæos; alii, Ammonitas; S. Thomas, amicos domesticos; optime Chaldæus, Paschasius, Hugo, S. Thomas, Lyranus et alii intelligunt Ægyptios, qui cum venissent in auxilium Judæorum obsessorum a Chaldæis, videntes eorum copias et vires reversi sunt, et Judæos juvare non sunt ausi, aut noluerunt, ut patet *Jerem.* XXXVII, 6. Sic in hora mortis vocabimus amicos quos coluimus, mundum scilicet et carnem, sed illi nos deserent. Vide dicta vers. 2.

Vers. 19. Gorh.

In morte amici nos deserunt.

Audivimus in Belgio nuper insignem virum, in

Exemplum.

morte vocantem et implorantem opem uxoris: Charissima conjux, adjuva me in his angustiis; cumque illa flens diceret: Ecqui possum te juvare, charissime marite, in morbo incurabili? Vocavit filium primogenitum: Fili, adjuva, eripe me ex hisce angustiis; ego pro te nocte et die laboravi, et vitam sæpe periculo exposui; cumque ille pariter gemens, diceret: Utinam, mi pater, te morte eripere possem! sed hoc vires meas exsedit. Vocavit secundum, deinde tertium, ac cæteros ordine filios et filias, deinde famulos et ancillas, quemque sigillatim compellans, ac ejus implorans opem: cumque singuli dolentes idem responderent, dicerentque contra mortem non esse remedium, exclamavit ille: O vanas hominum curas! o quantum est in rebus inane! ecce ego tibi, o uxor, vobis, o filii et filiæ, laboravi, sudavi, vires et vitam impendi, quin et animam forte oppignoravi: et ecce hæc est merces mea, ut in hac hora ultima implorans opem vestram, non inveniam. O quam satius fuisset si Deo servivissem! si amicos in terra et in cœlis parassem, qui in hoc articulo mihi adessent! O si vivere liceret, quam saperem!

QUÆSIERUNT CIBUM. — Supple, et non invenerunt, *q. d.* Fame consumpti sunt.

20. VIDE, DOMINE. — Id est, benigno vultu nos aspice, miserere nostri, fer opem afflictis. Est hic apostrophe crebra ad Deum, ut ostendat Jeremias, quo in ærumnis sit fugiendum, scilicet ad Deum.

VENTER MEUS. — Hebraice, *viscera mea turbata sunt*, dolore scilicet, gemitu, singultu, instar aquæ perturbatæ, vel ebullientis; hoc enim est Hebræum חמרמר *chamarmar*.

SUBVERSUM EST COR MEUM. — Id est, vertit se cor meum intra me ad luctum, et torquetur. « Subversum » ergo, id est, dolore perturbatum et obrutum, ideoque quasi exanimatum est. Alii explicant: *Cor meum vertit se ad pœnitentiam*. Sed prior sensus est genuinus.

QUONIAM AMARITUDINE (cordis, puta dolore) PLENA SUM. — *Secundo*, verti potest cum Pagnino, Vatablo, Chaldæo: *Quia rebellando rebellavi*, vel *amaricando amaricavi*, id est irritavi Dominum: sic Noster vertit, vers. 18. *Tertio*, optime, utrumque nectendo sic explices, *q. d.* Doleo non tam ob mala quæ patior, quam quia Deum irritavi et amaricavi. Ita a Castro.

FORIS (id est in plateis) INTERFECIT (hebraice שכלה *scikela*, id est orbat, scilicet filiis me matrem Jerusalem) GLADIUS — Chaldæorum.

ET DOMI MORS SIMILIS EST. — Quia ibi mei cives et filii moriuntur fame, *Jerem.* XIV, 18: ita Chaldæus, Olympiodorus, Hugo et Vatablus; vel, ut alii, moriuntur domi terrore, quo mortem et gladium Chaldæorum irrumpentium in horas exspectant. Sic tropologice peccator foris flagellis divinis, intus pavore damnationis concutitur, et magis concutietur in morte iturus ad judicium.

Audi S. Bernardum (sive auctorem lib. *De Interiori domo*, cap. XXXVIII): « Undique, inquit, erunt tibi angustiæ; hinc erunt accusantia peccata, inde terrens justitia; subtus patens horridum chaos inferni, desuper iratus judex; intus urens conscientia, foris ardens mundus. Si justus vix salvabitur, peccator sic deprehensus in quam partem se premet? Latere erit impossibile, apparere intolerabile. » Angustia peccatoris et morte.

Paulo aliter S. Gregorius, III *Moral.* XXIV: « Sæpe, inquit, et foris flagellis atterimur, et intus carnali suggestione fatigamur. Hinc est enim quod Jeremias deplorat dicens: Foris interficit gladius, et domi mors similis est. Foris enim gladius interficit, cum nos exterius feriens vindicta configit: sed domi mors similis est, quia et flagella quidem sustinet, et tamen intus conscientia a tentationis sordibus munda non est. » Quam hoc verum sit quilibet in se experitur, vel expertus est aliquando.

21. AUDIERUNT. — Scilicet ficti mei amici et infideles, puta Ægyptii, de quibus vers. 19. Ita S. Thomas; item vicini Idumæi et Ammonitæ, ita Paschasius et Hugo, *q. d.* Quocumque me verto, desolatam et afflictam me invenio: si enim amicos adeo, illi subducunt se, nec me consolantur; si inimicos, illi gaudent et irrident me.

QUONIAM TU FECISTI, — *q. d.* Quoniam ipsi vident te fecisse et immisisse in me hanc plagam: quos enim tu spernis et affligis, communiter homines spernunt et affligunt, idque justo tuo judicio et afflictorum merito.

ADDUXISTI (adduces post 70 annos desolationis, DIEM CONSOLATIONIS. — Hebraice, *diem quem vocasti*, id est quem nominasti, et ab æterno designasti; quo scilicet convocabis contra Babylonem Cyrum, Persas et Medos, ut me e captivitate liberent: qui Chaldæis hostibus meis erit dies destructionis, tuncque fient ipsi similes mei in vastitate et miseriis. Ita Rabanus, Hugo, Dionysius, Lyranus.

Secundo, clarius et aptius ad præced., *q. d.* Vicinis Ægyptiis et Idumæis, quando mea vastatione lætantur, adduces, Domine, eumdem Nabuchodonosorem, qui eos eodem modo vastabit: « et fient, » id est ut fiant, « similes mei, » uti prædixit Jeremias cap. XXV, vers. 29. Hæc ergo erit dies ultionis hostibus, ut vertit Chaldæus, nobis vero erit dies consolationis: « Lætabitur enim justus cum viderit vindictam: manus suas lavabit in sanguine peccatoris, » *Psalm.* LVII, 11.

Nota, pro *similes mei* Theodoretus et Olympiodorus legunt, *hei mihi!* legerunt enim in Septuaginta, οἱ μοι; sed legendum est cum Bibliis Romanis, Complutensibus et Origene, ὅμοιοί μοι, id est *similes mei*, ut habent Hebræa et Latina.

22. INGREDIATUR OMNE MALUM. — Scilicet tam culpæ hostium meorum, quam pœnæ qua me affligunt, meæ miseriæ insultando, meque cum Chaldæis vastando et diripiendo, *q. d.* Recordare, considera et animadverte, Domine, eorum in me

malitiam et injurias, ut eos punias sicut me punivisti.

VINDEMIA EOS SICUT VINDEMIASTI ME. — Vindemiam vocat racemationem, qua post collectionem uvarum racemi pauci reliqui colliguntur, *q. d.* Pari modo residuos eorum (Idumæorum et Ægyptiorum) in captivitatem vel mortem deducas, uti meos residuos deduxisti. Vide dicta vers. 5 et 12.

Dices : Quomodo Jeremias hic hostibus male precatur; hoc enim est contra charitatem, estque species vindictæ.

Respondet, *primo*, Hugo hæc esse verba populi captivi; in plebe autem multi sunt mali et vindicativi.

Secundo, Rabanus, Paschasius et Dionysius imprecationem hic pro prædictione accipiunt! « vindemia, » id est vindemiabis, « eos. »

Tertio, Origenes censet hæc esse verba Prophetæ, postulantis punitionem hostium, ut per eam ipsi resipiscant, et a peccatis emendentur.

Quarto et optime dicemus hæc dici a Jerusalem et a Synagoga ex zelo justitiæ, iisque tantum peti ut justam vindictam exerceat Deus in hostes superbos, et infideles humiliet, ac pro meritis puniat.

bus? Respondeo primo. Secundo. Tertio. Quarto.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Est hic secundum alphabetum carminis lugubris, quo rursum Jeremias plangit non tam regni Judaici, quam urbis Hierosolymæ et templi incendium et eversionem per Chaldæos, præsertim vero refricat pristinum ejus splendorem et gloriam, qui per excidium plane obscuratus, attritus et exstinctus est. Ita Eusebius, Rupertus, Hugo, Lyranus (1).

1. Quomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filiam Sion : projecit de cœlo in terram inclytam Israel, et non est recordatus scabelli pedum suorum in die furoris sui. 2. Præcipitavit Dominus, nec pepercit, omnia speciosa Jacob : destruxit in furore suo munitiones virginis Juda, et dejecit in terram : polluit regnum, et principes ejus. 3. Confregit in ira furoris sui omne cornu Israel : avertit retrorsum dexteram suam a facie inimici : et succendit in Jacob quasi ignem flammæ devorantis in gyro. 4. Tetendit arcum suum quasi inimicus, firmavit dexteram suam quasi hostis : et occidit omne quod pulchrum erat visu in tabernaculo filiæ Sion, effudit quasi ignem indignationem suam. 5. Factus est Dominus velut inimicus : præcipitavit Israel, præcipitavit omnia mœnia ejus : dissipavit munitiones ejus, et replevit in filia Juda humiliatum et humiliatam. 6. Et dissipavit quasi hortum tentorium suum, demolitus est tabernaculum suum : oblivioni tradidit Dominus in Sion festivitatem, et sabbatum; et in opprobrium, et in indignationem furoris sui, regem, et sacerdotem. 7. Repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suæ : tradidit in manu inimici muros turrium ejus : vocem dederunt in domo Domini, sicut in die solemni. 8. Cogitavit Dominus dissipare murum filiæ Sion : tetendit funiculum suum, et non avertit manum suam a perditione : luxitque antemurale, et murus pariter dissipatus est. 9. Defixæ sunt in terra portæ ejus : perdidit et contrivit vectes ejus; regem ejus et principes ejus in gentibus : non est lex, et prophetæ ejus non invenerunt visionem a Domino. 10. Sederunt in terra, conticuerunt senes filiæ Sion : consperserunt cinere capita sua, accincti sunt ciliciis, abjecerunt in terram capita sua virgines Jerusalem. 11. Defecerunt præ lacrymis oculi mei, conturbata sunt viscera mea : effusum est in terra jecur meum super contritione filiæ populi mei, cum deficeret parvulus et lactens in plateis oppidi. 12. Matribus suis dixerunt : Ubi est triticum et vinum? cum deficerent quasi vulnerati in plateis civitatis : cum exhalarent animas suas in sinu matrum suarum.

(1) Prosequitur Propheta calamitatum ipsius urbis Hierosolymæ descriptionem, et PRIMO conqueritur, *primo*, de gravissimis malis universæ genti immissis a Deo irato, et ipso arma contra eam veluti suscipiente, 1-5; *secundo*, de rebus sacris profanatis, abolitis, aut destructis, 6, 7; *tertio*, de urbe diruta, lege et prophetia sublata, incolis luctu, mœrore et inedia consumptis, 8-12; *quarto*, de regni excidio per pseudoprophetas promoto, per hostium irrisiones exacerbato, per Dei decretum consummato, 13-17.

SECUNDO, cohortatur Propheta ad fletum et supplicem deprecationem ad Deum, 18, 19; et proponit formulam precum, 20-22.

13. Cui comparabo te? vel cui assimilabo te, filia Jerusalem? cui exæquabo te, et consolabor te, virgo filia Sion? magna est enim velut mare contritio tua: quis medebitur tui? 14. Prophetæ tui viderunt tibi falsa et stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent: viderunt autem tibi assumptiones falsas, et ejectiones. 15. Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam: sibilaverunt, et moverunt caput suum super filiam Jerusalem: Hæccine est urbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium universæ terræ? 16. Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui: sibilaverunt, et fremuerunt dentibus, et dixerunt: Devorabimus: en ista est dies, quam exspectabamus: invenimus, vidimus. 17. Fecit Dominus quæ cogitavit, complevit sermonem suum, quem præceperat a diebus antiquis: destruxit, et non pepercit, et lætificavit super te inimicum, et exaltavit cornu hostium tuorum. 18. Clamavit cor eorum ad Dominum super muros filiæ Sion: Deduc quasi torrentem lacrymas, per diem et noctem: et non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui. 19. Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum: effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini: leva ad eum manus tuas pro anima parvulorum tuorum, qui defecerunt in fame in capite omnium compitorum. 20. Vide, Domine, et considera quem vindemiaveris ita: ergone comedent mulieres fructum suum, parvulos ad mensuram palmæ? si occiditur in sanctuario Domini sacerdos et propheta? 21. Jacuerunt in terra foris puer et senex: virgines meæ, et juvenes mei ceciderunt in gladio: interfecisti in die furoris tui: percussisti, nec misertus es. 22. Vocasti quasi ad diem solemnem, qui terrerent me de circuitu, et non fuit in die furoris Domini qui effugeret, et relinqueretur: quos educavi, et enutrivi, inimicus meus consumpsit eos.

1. QUOMODO OBTEXIT CALIGINE. — Quasi dicat: Quomodo tristi calamitate hac vastitate obtexit Deus pristinum illum decorem et splendorem Jerusalem: quomodo obscurata est illa magnificentia, illa majestas urbis sanctæ: R. Abraham et Kimchi vertunt: *Quomodo exaltavit filiam Sion usque ad nubes*: nam eam elevavit quasi in cœlum (ut sequitur), indeque in terram projecit. Hebræum enim יעיב *iaib*, ab עב *ab*, id est nubes, deducitur, significatque nubificare, id est nube tegere et obnubilare, ut vertunt Noster, Septuaginta et Chaldæus. Sed R. Abraham nubificare exponit usque ad nubes attollere. Simili modo queritur Seneca in *Octavia*:

> Quid me, potens fortuna, fallaci mihi
> Blandita vultu, sorte contentum mea,
> Alte extulisti? gravius ut ruerem edita
> Receptus arce?

Sed prior sensus verior est et congruentior. De nubibus enim et cœlo sequitur. Est enim gradatio, *q. d.* Quomodo Deus meam gloriam tam magnificam obscuravit: nec tantum obscuravit, sed quasi stellam fulgidam e nubibus dejecit, imo e cœlo ipso præcipitavit? Ita Sanchez et alii.

DE CŒLO.— Paschasius, de tutela et protectione sua. Melius Rabanus, Hugo, Lyranus et Thomas exponunt, *q. d.* De culmine regiæ dignitatis, et de sublimi gradu gloriæ deposuit Jerusalem, et quasi in terram dejecit, ejusque superbas domos et templum solo æquavit. Est hyperbole: Jerusalem, inquam, « inclytam Israel, » id est, quæ Israelis erat urbs inclyta, Israelis gloria et decus ob Dei templum et cultum. Ita Septuaginta et Hebræa.

Sic tropologice anima sancta, quæ erat civis Sanctorum, et domestica Dei, dum peccat, quasi e cœlo gratiæ, in terram peccatorum dejicit se, cum brutis et serpentibus vivens, terram comedens, ejusque bonis se pascens et oblectans. Est enim anima sancta quasi cœlum, in quo sol est intellectus vel zelus justitiæ, luna fides et continentia, astra reliquæ virtutes, quæ in adversis hujus sæculi emicant sicut stellæ in nocte, inquit S. Bernardus serm. 27 *in Cant.* Sic de angelo peccante ait Christus: « Videbam Satanam quasi fulgur de cœlo cadentem; » et Isaias de rege Chaldæorum, puta de superbo Balsasare, jam prostrato, cap. XIV, 12, ait: « Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram, qui vulnerabas gentes? qui dicebas in corde tuo: In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte Testamenti, in lateribus aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci. » Et de rege Tyri ait Ezechiel cap. XXVIII, 12 et sequent.: « Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, et perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti: omnis lapis pretiosus operimentum tuum. Tu Cherub extentus, et protegens, et posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti. Perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te. Et eleva-

Anima sancta est cœlum, luna est fides, sol est zelus.

cum est cor tuum in decore tuo, in terram projeci te, » etc. Ecce hi sunt typi animæ e sublimi statu gratiæ corruentis, et præcipitantis se in statum peccati et damnationis.

NON EST RECORDATUS SCABELLI, — id est Hierosolymæ. Ita Rupertus et Rabanus. *Secundo*, templi, inquiunt Chaldæus, Theodoretus, Olympiodorus, S. Thomas, Lyranus et passim alii. *Tertio* et propriissime, « scabelli, » id est arcæ testamenti : propitiatorium enim cum Cherubinis erat quasi sedes Dei, arca vero ei subjecta erat quasi scabellum ejusdem, ut dixi *Exodi* XXV, 20. Sub arca metonymice locum arcæ et totum templum accipe : alioqui enim arcæ ipsius memor fuit Deus, cum eam per Jeremiam e templo eduxit et abscondit, ne in Chaldæorum manus incideret, lib. II *Machab.* II, 5.

Scabellum Christi est humanitas et crux.

Allegorice scabellum divinitatis est humanitas Christi et crux. Ita S. Augustinus et Cassiodorus illud *Psalm.* XCVIII : « Adorate scabellum pedum ejus, » id est adorate arcam, allegorice exponunt, *q. d.* Adorate humanitatem Christi.

Anima sancta scabellum est Dei, peccans diaboli.

Tropologice, anima quæ erat scabellum Dei, per peccatum fit scabellum diaboli. Tamberlanes rex Tartariæ, cum prælio vicisset Bajazetem imperatorem Turcarum, eum captum cavea inclusit et circumduxit : ac quoties equum erat conscensurus, eo quasi scabello utebatur : calcans enim dorsum Bajazeti, humi strati, equum inscendebat. Unde non ferens hanc ignominiam Bajazetes, caput ad caveam allidendo se occidit. Ita dæmon peccatorem a se victum facit sibi scabellum. Id visibiliter patet in sagis, quas quasi vilissima mancipia tractat, cædit et flagellat.

Tamberlanes Bajazete usus est quasi scabello.

Vers. 2. BETH.

2. PRÆCIPITAVIT (hebraice בלע *billa*, id est absorbuit, deglutivit me) (1), NEC PEPERCIT, — *q. d.* Sine misericordia præcipitavit et absorbuit me. Hebræi enim sæpe verbum ponunt pro adverbio, ut *non pepercit* idem sit quod imparcibiliter, irremissibiliter, immisericorditer. Ita Maldonatus.

POLLUIT REGNUM EJUS. — Septuaginta vertunt : *Polluit regem ejus*, id est in opprobrium dedit, indigne tractavit regem et principes, ut ait vers. 6. Nam Joakim per Chaldæos jugulavit, et sepelivit sepultura asini; Joachin carceri inclusit; Sedeciam excæcavit. Reges enim Hebræorum oleo ungebantur, et quasi Deo consecrabantur : unde David Saulem vocabat Christum Domini; nec ausus fuit in eum, licet hostem, manus injicere. *Secundo*, alii, « polluit, » id est pollutum esse ostendit. *Tertio* et genuine, « polluit, » hebraice חלל *chillel*, id est profanavit, hoc est, Deus regnum, id est regem, principes et populum Juda, antea sibi addictum et quasi sacrum, jam quasi profanum, immundum et pollutum, extra fanum et templum projecit, et profanis gentilibus vastandum, spoliandum, jugulandum, servituti et carceri mancipandum tradidit. Sic dicitur *Psalm.* LXXVIII, 1 : « Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam. »

(1) « Metaphoræ ratio, qua notio *absorbendi, deglutiendi* transfertur ad excidium, plerumque ducitur, quemadmodum in verbo אכל *acal* ab *aviditate*, veluti feræ bestiæ, omnia absorbentis et devorantis. Suspicor tamen, si minus passim, at hoc loco pulchriorem respectum esse ad *terram voraginosam* et *dehiscentem*, quæ id quod superimpositum est absorbeat et deglutiat; ut Deus hic dicatur tanquam per terræ voraginem in orcum detrudisse lætas Jacobitarum mansiones. » (Pareau.)

Vers. 3. GHIMEL. Cornu significat res quatuor.

3. CONFREGIT (hebraice גדע *gada*, id est *concidit*) OMNE CORNU ISRAEL, — id est omnem gloriam et superbiam Israelis; ita Chaldæus, Rupertus, Lyranus. *Secundo*, Paschasius, Rabanus et Vatablus, « omne cornu, » id est omne regnum, scilicet tam regnum Israelis, sive decem tribuum, quam Juda et Davidis. *Tertio*, Origenes, Olympiodorus, S. Thomas, Hugo, Theodoretus, « omne cornu, » id est omnes principes, qui eminebant, erantque quasi culmen et robur regni, uti cornu est et eminet in animali. *Quarto* et simplicissime, « omne cornu, » id est omne robur et fortitudinem, ademit Deus Israeli, ne possit hominibus resistere. Hebræi enim robur vocant *cornu*, eo quod tauris omne robur sit in cornibus. Est ergo Judæus et peccator ἀκέρατος, ἄδοξος, ἄθεος, id est *incornis*, *ingloriosus*, *sine Deo*. Judæi ex Scriptura colligunt decem cornua, scilicet *primo*, opum et rerum copiæ; *secundo*, protectionis et miraculorum; *tertio*, regni; *quarto*, ducum et sapientum; *quinto*, prophetiæ; *sexto*, legis; *septimo*, sacerdotii; *octavo*, tabernaculi, arcæ et propitiatorii; *nono*, murorum, civium et militum; *decimo*, Messiæ, quæ patribus a Deo data, et ob posterorum scelera ab Israele in ejus excidio ablata esse tradunt. Unde hæc cornua explicans, subdit vers. 5 : « Præcipitavit omnia mœnia ejus, dissipavit munitiones ejus; » et vers. 7 : « Repulit Dominus altare suum; » et vers. 9 : « Contrivit vectes ejus, regem ejus et principes; non est lex et Prophetæ, » etc.

Peccator est incornis, inglorius, atheus.

Audi Rabbinos in *Midras Tehillim*, id est in *Expositione Psalmorum*, ad illum vers. *Psal.* LXXIV, 11 : « Omnia cornua peccatorum confringam, et exaltabuntur cornua justi, » atque ex eis Galatinus, lib. IX, cap. XIV, decem hæc patrum cornua recensentem : « *Primum* cornu fuit Abrahæ, de quo dictum est *Isai.* V : Vinea fuit dilecto meo in cornu filio olei. *Secundum* cornu Isaac, de quo scriptum est *Genes.* XXII : Et ecce aries unus retentus in densitate per cornua sua. *Tertium* cornu Joseph, id est cornu regni, de quo dicitur *Deuter.* XXXIII : Cornua rhinocerotis cornua ejus. *Quartum* cornu Mosis, de quo dictum est *Exodi* XXXIV : ignorabat quod cornuta esset facies ejus. *Quintum* cornu prophetiæ, de quo dictum est I *Reg.* I : Et oravit Anna, et dixit : Exsultavit cor meum in Domino, et exaltatum est cornu meum. *Sextum* cornu legis, de quo dicitur *Habacuc* III : Et duo cornua de materia ejus ei. *Septimum* cornu sacerdotii, de quo *Psalm.* CXI : Cornu ejus exaltabitur in gloria.

Octavum cornu Levitarum, de quo I *Paralip.* XXV : Omnes isti filii Heman Videntis regis in sermonibus Dei, ut exaltaret cornu. *Nonum* cornu Jerusalem, de quo *Psalm.* XXI : Et a cornibus unicornium exaudisti me. *Decimum* cornu Messiæ, de quo I *Reg.* II : Et dabit imperium regi suo, et sublimabit cornu Christi sui. Et sic dicit *Psalm.* CXXXI : Illuc producam cornu David, paravi lucernam Christo meo. Quando autem peccavit Israel, ablata sunt ei cornua hæc, et data gentibus sæculi, sicut dictum est *Daniel.* VII : Ecce bestia quarta terribilis, etc., et cornua decem habebat. Omni autem tempore quo cornua gentium sæculi sana fuerint, cornua Israel confracta erunt, sicut dictum est *Thren.* II : Confregit in ira furoris omne cornu Israel. » Ita isti rabbinizant.

AVERTIT RETRORSUM DEXTERAM SUAM (id est, Deus Israeli subtraxit auxilium suum, retraxit ab eo auxiliarem manum), A FACIE INIMICI. — Id est coram inimicis, dum jam cum eis pugnandum esset. Ita Chaldæus, Origenes, Olympiodorus, Theodoretus.

Alii, ut Olympiodorus et Lyranus, non male vertunt, *dexteram ejus*, scilicet populi, *q. d.* Deus subtraxit virtutem populo, ejusque vires debilitavit, dum veniendum esset ad manus cum Chaldæis : itaque effecit ut succumberet, fugeret et cæderetur ab eis.

Tertio, Maldonatus explicat, « avertit, » non Deus, sed Israel, « dexteram suam, » *q. d.* Israel, Deo deserente, fugit suos hostes, non est ausus cum iis manum conserere. Apud Hebræos enim est crebra et tacita transitio ab una persona ad aliam. Prima expositio optime congruit nostræ versioni Latinæ.

QUASI IGNEM FLAMMÆ. — Qua succensa est Jerusalem, et templum : vel *flammam* vocat vastitatem, qua quasi flamma cito circumcirca omnia vastavit. Unde vers. seq. dicit : « Effudit quasi ignem indignationem suam. » Hinc Maldonatus, *ignem*, inquit, *id est hostem qui instar ignis omnia consumpsit.* Alludit ad *Jerem.* XXI, 14, ubi ait : « Succendam ignem in saltu ejus, et devorabit omnia in circuitu ejus. » Sicut enim rustici, ut agrum sylvescentem expurgent, in variis partibus ignem in frutices ejus injiciunt, ut ille proserpens arbusta omnia quaquaversum comburat, itaque agrum sibi, aratro et sementi restituat : ita et Deus totam Jerusalem sceleratam excidit, ut novam quasi urbem et gentem conderet, aut potius pristinam revocaret et renovaret.

Tropologice, hisce tribus versibus, nota novem effectus peccati. In novem enim damna et ærumnas se conjicit peccator. *Primo*, obtegitur caligine et excæcatur ; *secundo*, de cœlo in terram, imo in infernum projicitur ; *tertio*, ex templo Dei fit scabellum diaboli ; *quarto*, omnes ejus speciosæ virtutes et gratiæ diripiuntur ; *quinto*, omnes munitiones ejus destruuntur ; *sexto*, polluitur ejus regnum sanctum et castum ; *septimo*, cornu et robur ejus confringuntur ; *octavo*, gratia Dei destitutus, retrorsum abit, et corruit coram inimicis ; *nono*, succenditur in eo flamma concupiscentiæ, quæ omnia animæ bona depascitur : licet enim Adam et homo per peccatum læsus sit in intellectu, memoria, voluntate et appetitu irascibili ; tamen omnium maxime læsus est in appetitu concupiscibili : sicut enim fera rapitur ad prædam, ita concupiscentia rapitur et rapit hominem ad voluptates et illecebras peccati.

4. TETENDIT ARCUM. — « Arcum, » id est vim suam ultricem, ait Origenes, qua quasi firma dextra et arcu jaculatus est Deus sagittas firmissimas, certissimas, et efficacissimas instar fulminum, id est clades maximas in Jerusalem. Ita Rupertus.

FIRMAVIT DEXTERAM SUAM QUASI HOSTIS. — Ut enim directe quis, et magno impetu sagittam ex arcu jaculetur, necesse est ut arcum sinistra firmiter teneat, et dextera firmiter eo quo collimavit explodat, uti docet Vegetius, lib. I, cap. XV. Idem est in explosione nostrarum bombardarum. Hebræus et Chaldæus habent : *Stetit dextera ejus quasi hostis*, id est stetit Deus, Deique manus et auxilium a dextera Chaldæorum, quasi hostis Judæorum. Dixit « quasi, » ait Origenes, quia Deus non punit tanquam inimicitias gerens, sed ex amore, ut prosit his qui patiuntur, aut his qui vident, et aliorum punitionem speculantes sapiunt.

OCCIDIT (id est perdidit suis sagittis (in his enim metaphorice persistit) omnia pulchra ædificia, ait Rupertus et S. Thomas, monilia et vasa ; *secundo* et proprie, occidit omnes pulchros et florentes juvenes, virgines et sacerdotes. Ita Chaldæus, Olympiodorus, Theodoretus et Hugo, idque) IN TABERNACULO FILIÆ SION, — id est in Jerusalem. Olympiodorus tamen et Lyranus nomine tabernaculi accipiunt templum.

EFFUDIT QUASI IGNEM INDIGNATIONEM SUAM, — perinde ac Ætna, Hecla similesque montes effundunt et vomunt ignes, et igneos torrentes, quibus circumcirca ad centum milliaria omnia in cineres vertunt.

5. REPLEVIT (Septuaginta, *multiplicavit*) IN FILIA JUDA HUMILIATUM ET HUMILIATAM, — *q. d.* Replevit Deus Jerusalem plurimis (geminatio enim Hebræis notat copiam, præsertim si masculino generi jungatur femininum, ut dixi *Isaiæ*, III, 1) humiliatis, id est afflictis, viris et mulieribus ; vel omnes et viros et feminas humiliavit, id est afflixit. Hebraice est : *Replevit in filia Juda impulsum et impulsum*, id est calamitates, omni ex parte Judæos impellentes ad ruinam et luctum ; unde Chaldæus, Vatablus, Maldonatus et Pagninus vertunt : *Replevit in filia Juda luctum et luctum*, vel fletum et luctum.

6. DISSIPAVIT QUASI HORTUM TENTORIUM SUUM. — Pro *dissipavit* hebraice est יחמס *iachmos*, id est rapuit, diripuit, abripuit : inde enim deductum nomen חמס *chamas*, significat vim, violentiam, rapinam, *q. d.* Deus a fundamentis diripuit tem-

plum, quod erat quasi tentorium et tabernaculum suum, sicut a fundamentis diruitur tentorium in horto cum inde transfertur. Τὸ enim *hortum* idem est quod *tabernaculum horti* : unde ex Hebræo pro *hortum* verti potest *horti*, *q. d.* Sicut qui hortos custodiunt, postquam fructus collecti sunt, tugurium, sive casam in qua degebant, radicitus diruunt et avellunt, illamque vel dissipant, vel comburunt, vel alio transferunt : sic Deus diruit et combussit templum, ejusque sacerdotes et populum vel occidit, vel in Babylonem transtulit. Porro per *tentorium* Maldonatus accipit Jerusalem ; alii passim accipiunt templum, idque aptius est ; sequitur enim : « Oblivioni tradidit Dominus in Sion festivitatem et sabbatum. » Alii passim plane sic explicant, *q. d.* Dissipavit Deus tabernaculum suum, sicut dissipatur hortus fracta et disjecta sepe, ut omnium rapinæ pateat ; aut dum ex horto fit ager arabilis, vel sylva. Hoc enim minatus fuit Judæis Isaias, cap. v, 5.

Templum vocatur tabernaculum ob tres analogias. Prima. Secunda. Tertia.

Nota templum vocari « tabernaculum, » tum quia alludit ad tabernaculum Moysis, quod erat quasi templum mobile, et ambulans cum Hebræis per desertum ; tum quia ad tabernaculum conveniebat populus ad Dei cultum et preces, ut ibi ab omni malorum æstu tegeretur et protegeretur ; tum denique quia templum erat quasi domus temporanea Dei habitantis inter Judæos : tabernaculum enim uti facile figitur, ita et refigitur, dum disturbatur, vel alio transfertur. Tale fuit templum Judaicum, in quo modico tempore, scilicet usque ad Christum, Deus habitavit : per Christum enim fundavit Ecclesiam, ad quam commigravit, in eaque fixit sibi thronum sempiternum, uti docet Isaias, cap. XXXIII, 20, et Angelus ad Deiparam, *Luc.* I, 32.

Porro hic maxime vox *tabernaculum* innuit divinam protectionem, quasi Deus ex templo, velut tugurio, prospectaret totam urbem, eamque ac simul totam Judæam circumjacentem tutaretur : sic enim custos horti ex suo tugurio prospicit et tutatur totum hortum a furibus et feris.

Vocatur et auxilium, cur?

Hac de causa II *Paral.* IV, templum hebraice vocatur עזרה *azara*, id est auxilium, tutela : eo quod Dominus e templo suis auxilium ferret.

Hinc *secundo*, Vatablus et Pagninus vertunt, *q. d.* Quam facile hortulanus transfert tugurium horti sui, tam facile Deus transtulit templum, id est templi ornamenta, Babylonem ; unde editio Septuaginta Caraffæ sic habet : *Fecit avolare quasi vitem tabernaculum suum.*

Tertio, Vatablus rursum vertit : *Dissipavit tabernaculum suum simile paradiso*, *q. d.* Deus templum suum, licet amœnissimum et pulcherrimum instar paradisi, diruit.

Quarto, R. Abraham vertit : *Nudavit et discooperuit tabernaculum suum.* Unde et editio Septuaginta communiter sic habet : διεπέτασεν ὡς ἄμπελον τὸ σκήνωμα αὐτοῦ, id est *extendit* vel *expandit tabernaculum suum quasi vineam*, ut scilicet plebs et sacerdotes, qui sunt quasi vinea Dei, ejus protectione, templo et arce nudati, hostium prædæ exponantur.

Oblivioni (id est in oblivionem) tradidit, — *q. d.* Fecit Deus ut nulla amplius mentio dierum festorum fieret, eo quod non essent qui eos celebrare possent ; sicut dixit cap. I, 4 : « Viæ Sion lugent, eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem. » Rursum festa Judaica Deus oblivioni tradidit, quia quasi non curans, nec æstimans ea, permisit illa aboleri, illisque silentium diuturnum, et quasi justitium indici.

In opprobrium regem et sacerdotem. — Repete verbum *tradidit*, *q. d.* Tradidit Deus Sedeciam regem in opprobrium, quia eum excæcavit in Reblatha, id est Antiochiæ ; Saraiam vero pontificem occidit, IV *Reg.* XXV. Ita Chaldæus, Rupertus, Maldonatus et Castrius. Unde hebraice est : *Et abjecit in indignatione iræ suæ regem et sacerdotem*, ac consequenter regnum ipsum et sacerdotium ; hoc enim a pontifice, illud a rege, quasi a capite pendet et sustinetur. Ita Sanchez et alii. Unde sequitur : « Repulit altare suum, » etc. (1).

7. Maledixit sanctificationi suæ. — Hoc est, Deus passus est everti sanctuarium suum, perinde ac si illud odisset, exsecraretur, eique omne malum imprecaretur ; item perinde ac si maledictum, non benedictum et consecratum esset. Rursum maledictio omnem cladis et malorum congeriem, sicuti benedictio omnium bonorum et desiderabilium cumulum significat.

Pro *maledixit* hebraice est נאץ *niets*, id est repulit, aspernatus, exsecratus est ; Chaldæus, *contempsit* ; Septuaginta, *vi excussit* ; sed ipsi pro *niets* legerunt נער *nier*, id est excussit. Porro *sanctificationem* vocat sanctuarium, id est templum suum. Ita Chaldæus, Vatablus, Pagninus. *Secundo*, Paschasius, Rabanus, S. Thomas per *sanctificationem* intelligunt sacrificia, quibus populus sanctificabatur. *Tertio*, Hugo intelligit plebem a Deo electam et sibi sanctificatam. Sic enim dicitur *Psalm.* CXIII, 2 : « Facta est Judæa sanctificatio ejus, Israel potestas (imperium, regnum) ejus. »

Tradidit in manus inimici (Nabuchodonosoris) muros turrium (Hebræus et Chaldæus, *palatiorum* ; Symmachus, *basilicarum*) ejus, — scilicet urbis, aiunt Origenes, Rabanus, Hugo : vel potius templi, de quo præcessit. Ita Olympiodorus, S. Thomas et Lyranus.

Porro muros turrium, id est muros turritos,

(1) J. D. Michaelis in notis ad versionem Teutonicam neminem alium hic intelligi posse dicit, nisi pium regem Josiam, cum tempore destructæ sub Sedecia Hierosolymæ, regi sacerdotibusque præcipue iratus esset Deus. Verum recte monet Pareau, non apparere quænam vis huic observationi insit, cum de regis sacerdotumque dignitate externa tantum agatur. « Scilicet comparatur Deus hosti qui omnia perdit, neque templi urbisque splendorem curat, neque sacrorum majestatem respicit, neque personæ regis sacerdotumque ullam rationem habet. »

(Rosenmuller.)

vel turribus munitos et ornatos. In iis enim fuisse turres docent Vilalpando, tom. II, lib. II, cap. XX, Adrichomius, Josephus et alii.

Tropologice, Deus aufert ab anima peccante muros, id est gratias gratis datas, et munitiones, id est gratias gratum facientes, puta fidem, spem, charitatem, inquit S. Gregorius, lib. XI *Moral.* XI.

VOCEM DEDERUNT, — scilicet hostes Chaldæi, in templi combustione et deprædatione, et io pæana, io triumphe canentes. Ita Chaldæus, Origenes, Theodoretus, Olympiodorus et alii omnes præter Rupertum, qui de Judæis hæc accipit, *q. d.* Judæi nunquam altius in gaudio solemnitatum suarum cecinerunt, quam tunc in angustia et dolore suo vociferando clamaverunt.

Moraliter, disce hic optimos urbium muros et turres esse religionem, frustraque muris cingi, nisi et religione ac justitia cingantur; unde de Romanis ait Cicero, lib. III *De Natura deorum*: « Diligentiore urbem religione quam ipsis mœnibus cingitis. » « Nisi enim Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam, » *Psalm.* CXXVI, 2.

Quare vere ait Lactantius, lib. III *De Ira*, cap. XII: « Religio et timor Dei solus est qui custodit hominum inter se societatem; » quia, ut inquit Livius, lib. V : « Omnia prospera eveniunt colentibus Deum, adversa spernentibus. » Hinc factum, ut Romæ ab ejus conditore Romulo cum primis urbis fundamentis religio, etsi vana, stabilita sit, et templa « Jovi Statori, et Feretrio dedicata; et sacra diis aliis, Albano ritu, Græco Herculi facta, » ut ait Livius lib. I. Scribit Plinius, lib. *De Viris illust.* cap. II, Numam Pompilium secundum Romanorum regem, ferum populum religionis institutione et utilibus legibus domuisse, suumque regnum ita formasse, ut pendente ejus regno nemo illi bellum moverit. Cyrus filium Cambysem admonebat, ut nihil publicum vel privatum ageret, nisi prius ad Deum confugeret, et nisi prius ejus voluntatem agnosceret, cum mundus, inquit, erroribus sit plenus. Deus vero ut qui semper fuit, præterita, præsentia et futura agnoscit; et invocatus preces exaudit eorum qui religionem et pietatem colunt, et multis signis eis quid agere debeant ostendit. Testis est Xenophon, lib. VIII *Cyripæd.*

Agesilaus Lacedæmonum dux adeo religioni addictus fuit, ut delubra etiam in hostico agro sita veneraretur, ab iisque vim militum prohiberet. « Existimabat quippe divina auxilia non minus in hostili, quam amico in solo imploranda esse, » ait idem Xenophon in *Laud. Agesilai.*

Vis fidelium exempla? David moriturus ait ad Salomonem filium : « Proficere poteris, si custodieris mandata et judicia, quæ præcepit Dominus Moysi, » I *Paralip.* XXII, 13. Hic igitur parentis præcepto obediturus, a Deo sapientiam precatur, Deo templum magnificum exstruxit, religionem amplificavit, viginti quatuor millia Levitarum constituit : tumque supra omnes reges opibus et gloria floruit. At vero postquam per uxores idololatras ad idola deductus ea venerari cœpit, Dominus dixit : « Quia habuisti hoc apud te, et non custodisti pactum meum, et præcepta mea quæ mandavi tibi, disrumpens scindam regnum tuum, et dabo illud servo tuo, » III *Reg.* XI, 11. Audi de Josaphat Scripturam, II *Paral.* XVII, 3 : « Fuit, ait, Dominus cum Josaphat, quia ambulavit in viis David patris sui primis; et non speravit in Baalim, sed in Deo patris sui, et perrexit in præceptis illius, etc., confirmavitque Dominus regnum in manu ejus, et dedit omnis Juda munera Josaphat; factæque sunt ei infinitæ divitiæ, et gloria multa. » Quocirca recte et salubriter Justinianum Imperatorem Agapetus Diaconus monet : « Sceptrum Imperii cum a Deo susceperis, cogitato quibusnam modis placebis ei qui id tibi dedit; cumque omnibus hominibus ab eo sis prælatus, præ omnibus eum honorare festina. » Ita ipse in *Parænet. ad Justin.*, quam refert Baronius tom. VII. Ita ex cultu divino gloriosi et felices evaserunt Constantinus et Carolus cognomento Magni, et hujus avus Carolus Martellus, Alfonsus II, Castellæ rex, Rudolphus ex Comite Habspurgensi Imperator, qui suæ familiæ Austriacæ Imperium in hunc usque diem consignavit. Hoc est quod Dominus ait ad Heli, I *Reg.* II, 30 : « Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. » Idem sensit Ethnicus C. Marcius apud Livium, lib. XLIV, dicens : « Favere pietati fideique deos, per quæ populus Romanus ad tantum fastigium pervenit. »

VOCEM DEDERUNT (inimici, ut præcessit, puta Chaldæi) IN DOMO DOMINI, SICUT IN DIE SOLEMNI, — *q. d.* Sicut olim templum perstrepebat festivo musicorum, organorum, psalteriorum modulatione et cantu; ita in ejus excidio perstrepuit celeusmate Chaldæorum exsultantium, eorumque tympanis et tubis clangentibus; perinde ut et templi pavimentum antea victimarum, nunc sacerdotum sanguine inundat.

8. COGITAVIT, — *q. d.* Non casu, non subito, non temere, sed maturo et destinato decreto Deus destruxit Jerusalem.

TETENDIT FUNICULUM. — Funiculis olim metiebantur agros et hæreditates : hinc metaphorice *Psalm.* XV, 6, *Psalm.* LXXVII, 55, et alibi in Scriptura funiculus significat hæreditatem aut sortem cuique debitam. Hic ergo significat pœnam, et plenam vastitatem peccatis Jerusalem debitam et commensuratam. Ita Theodoretus, Olympiodorus, Rabanus, Rupertus et S. Thomas. Unde Rupertus per hunc funiculum accipit 70 annos captivitatis; hæc enim est longitudo hujus funiculi. Rabanus vero et Isidorus, « funiculum, » inquiunt, quia hostes urbem Hierosolymam quasi funiculo diviserunt, et inter se distribuerunt.

Funiculus, primo, est sors cuique debita.

Secundo et melius, funiculus, vel, ut hebraice est, קַו *kaf*, id est regula, hic intelligitur ille, qui

Ia ad destruendum. ab architectis æqua rectitudine extenditur, et libratur pondere plumbeo, ut ad perpendiculum construant domos, vel eas destruant et complanent : ne quid inæ quale, curvum, eminens, depressum, hians vel impolitum relinquatur. Hac enim regula, quasi amussi et norma indagant, quid rectum sit, et apte commensum, ut relinquatur; quid curvum et improportionatum, ut dejiciatur; idque tam in designatione et delineatione, quam in ipsa exsecutione et actuali destructione earumdem. Solent enim architecti, qui aliquid designant ædificare vel destruere, primo in ipsa designatione funem extendere, ut ad justam proportionem rectamque mensuram ædificent, aut destruant; ac deinde ad eumdem funem et mensuram actu ædificant vel destruunt, ne a sua designatione et idea aberrent, *q. d.* Cogitavit Deus, et quasi fune extenso designavit justam Hierosolymæ demolitionem, atque sicut designavit, ita et reipsa perfecit, effecitque ut Chaldæi eamdem, quasi ad justam hanc divinæ sententiæ regulam, vastarent et destruerent. Sicut ergo Jerusalem fuit olim belle ad regulam constructa, ita et nunc ad eamdem plane destructa est, atque complanata quasi ad filum a Chaldæis, qui velut securi otiose et sine metu cum deliberatione et certa destinatione id unum constanter agere videbantur. Ita Hugo.

Funiculus hic quinque significat. Significat ergo hic funiculus *primo*, accuratum Dei examen meritorum et demeritorum : inde justum decretum et sententiam Dei de evertenda Jerusalem. Unde S. Bonaventura : « Per funiculum,

Primo. ait, justitiæ divinæ rectitudo intelligitur, secun-

Secundo. dum merita illi populo infelici retribuentis. » *Secundo*, certam hujus sententiæ mensuram, quæ mensuræ scelerum ejusdem responderet, ut eadem mensura qua mensa erat Deo et proximis,

Tertio. remetiretur ei, inquit S. Hieronymus. *Tertio*, ipsam sententiæ contra eam latæ exsecutionem.

Quarto. *Quarto*, Chaldæos tam destinate, animose et studiose hanc Dei sententiam exsecutos esse, ac Jerusalem destruxisse, ac si fabri fuissent, qui non aliud cogitant, quam de apte ædificando aut de-

Quinto. struendo aliquo ædificio. *Quinto*, Jerusalem ab iis solo æquatam et complanatam esse. Similis phrasis est, II *Reg.* VIII, 2, ubi dicitur de Davide : « Mensus est eos (Moabitas) funiculo, coæquans terræ : mensus est autem duos funiculos, unum ad occidendum, et unum ad vivificandum, » *q. d.* David plane humiliavit Moabitas et prostravit, ut eos quasi in terram prostratos funiculo dimetiri posset : atque ex eis duas partes et sortes fecit, sed cum mensura justitiæ, uti decebat æquum principem, unam occidendorum, alteram servandorum. Ita Angelomus, Beda et Cajetanus ibidem, quem vide. Et IV *Regum*, XXI, 13 : « Et extendam, ait, super Jerusalem funiculum Samariæ, et pondus domus Achab, » id est pronuntiabo contra Jerusalem eamdem sententiam quam pronuntiavi contra Samariam, et juxta eam illam destruam et demoliar. Unde explicans subdit : « Et delebo Jerusalem, sicut deleri solent tabulæ, » *q. d.* Eam solo æquabo. Sic hisce annis vidimus funiculum Dei extensum super Belgium nostrum, eoque urbes vastatas, monasteria, templa et palatia plurima rasa, et solo æquata esse.

ET NON AVERTIT MANUM SUAM. — Id est postquam cœpit Hierosolymam destruere et demoliri, non cessavit, nec manum ab opere removit donec rem perficeret.

LUXIT, — id est luctum excitavit. *Secundo*, aliqui putant pro אבל *abal*, id est luxit, legendum esse נבל *nabal*, id est defluxit, corruit. *Tertio* et optime, sicut metaphorice rident prata dum florent : sic « luxit, » id est lugubris fuit, quia desolatus et eversus est, Hierosolymæ « murus et antemurale. » Solent enim ante muros facere vallum aut aggerem, ut hostem longius a muris arceant, isque dicitur antemurale. Addit Sanchez in vehementi clade et luctu, principum præsertim, muros subinde fuisse eversos. Ita enim Hephæstionis mortem luxit Alexander Magnus, teste Plutarcho in *Pelopida* : « Alexander, inquit, cum obiisset Hephæstion, non solum equos totondit, verum etiam pinnas et propugnacula a mœnibus eripuit; ut etiam civitates lacrymari viderentur. » Addit Ælianus, lib. VII, ipsa quoque mœnia Ecbatanæ fuisse eversa.

Symbolice Hugo : Murus, inquit, Hierosolymæ et cujusvis animæ est custodia angelorum; antemurale est custodia hominum, v. g. prælatorum et pastorum.

Allegorice, Christus, sublatus a Synagoga Judæorum, translatus et factus est Ecclesiæ murus et antemurale, id est omne præsidium et firmamentum ejusdem. Hic « luxit, » quando flevit super Jerusalem; corruit, cum crucifixus est.

Vers. 9. Teth. 9. DEFIXÆ SUNT IN TERRA PORTÆ EJUS. — Portas et vectes intellige urbis et templi, in quo erat arca. Ita Chaldæus, Origenes, Theodoretus, Hugo, Lyranus, Dionysius. Hæ ergo portæ et vectes, « in terra defixæ sunt; » quia murorum cum portis ruentium lapsu et ruderibus ita obrutæ sunt, ut vix quidquam earum appareret (1). Fabulantur Rabbini portas Jerusalem in ejus excidio, ne ab hoste everterentur, a terra fuisse absorptas; idque quia erant a Davide fabricatæ, et quia per eas transivit arca, ac ea veniente canentibus Levitis : « Elevamini, portæ, » *Psalm.* XXIV, sponte se reserarunt.

Principes sunt vectes populi. *Secundo*, Paschasius, Rabanus, Rupertus, S. Thomas et a Castro per pertas intelligunt principes et judices qui sedebant in portis, *Deuter.* XVI, 18. Iidem, inquiunt, dicuntur vectes, quia continent populum, et arcent hostes. Hi defixi sunt in terra, quia abducti detinentur in Babylone, terra gentili et hostili, ibique obscuri et clausi carcere, vivi quasi sepulti sunt. Unde explicans subdit : Perdi-

(1) Vel cum C. B. Michaelis hoc ita intelligi potest, quod portæ dirutæ in subjectas fossas desederint.

dit « regnum et principes ejus. » Prior sensus uti simplicior, ita magis litteralis; posterior magis symbolicus videtur.

NON EST LEX, — quia omnia volumina legis cum templo sunt combusta; qua de causa Esdras, post captivitatem ea ex memoria, vel ex inspiratione divina reparare et restituere debuit. Ita Paschasius, Hugo, Dionysius, Lyranus. Verum hoc incertum, imo parum probabile est. Bibliorum enim exemplaria non erant in solo templo, sed Judæi ea domi habebant et legebant. Erant ergo illa sparsa per Judæam.

Secundo, sensus esse potest, *q. d.* Jam non est observantia legis, quia ante captivitatem eam violaverunt Judæi. Ita Theodoretus, Rabanus, Vatablus et Sanchez; post eam etiam volentes, non possunt ipsi juxta legem in templo, utpote combusto, peragere divinum officium, itaque eam observare. Ita Theodoretus, Chaldæus, Vatablus. Rursum non potest jam lex legi in sabbatis, uti assolet, nec populus, utpote dispersus et abductus, ad eam audiendam congregari. Cessant ergo legis promulgatio, cognitio et observatio (1).

Tertio et simplicissime, *q. d.* Jam nulla est forma civitatis; hanc enim facit lex cum magistratibus: nam magistratus, qui legis sunt custodes et vindices, sunt capti, et consequenter lex omnis jacet. Ita Rupertus et S. Thomas.

PROPHETÆ EJUS NON INVENERUNT VISIONEM A DOMINO. — « Prophetæ, » id est pseudoprophetæ, aiunt Origenes, Theodoretus, Hugo, Lyranus, *q. d.* Ideo eversa est Jerusalem, quia legem Dei non observavit, nec ejus Prophetas audivit; sed a falsis seducta, Dei jussa contempsit. Ita Theodoretus, Rabanus, Vatablus et Sanchez. *Secundo*, melius Chaldæus, Paschasius, Rupertus, S. Thomas, *q. d.* Veri Prophetæ, ob peccata populi, a Deo irato responsa non accipiunt. Luget enim Jeremias defecisse, uti magistratus, reges, principes, ita et veros Prophetas; adeoque totum Judæorum statum in miserabilem conditionem esse commutatum, tamque sacra quam profana esse subversa. Licet enim Jeremias subinde tunc temporis visiones acciperet a Domino, tamen is unus erat, populoque invisus, exosus, habitusque pseudopropheta. Adde, putabat Jeremias excisa jam urbe, quasi habito jam fine, se amplius non prophetaturum.

Vers. 11. CAPH. Jecur sumitur quintupliciter. Primo. Secundo.

11. EFFUSUM EST IN TERRA JECUR MEUM. — « Jecur, » id est sanguis, cujus fons est hepar, *q. d.* Præ dolore et angustia sudo sanguinem (instar Christi *Luc.* XXII, 44) ita copiose ut pene sim exsanguis, aiunt Rupertus, Hugo, Dionysius. *Secundo*, *q. d.* Prostratis his filiis et civibus meis, quos ita amo, ab hostibus, simul « jecur meum, » id est amor meus, cujus sedes est hepar, in terram projectus est, *q. d.* Omnis affectus, omnis animus in me concidit et collapsus est. *Tertio*, alii explicant, *q. d.* « Jecur, » id est felleæ, id est amarissimæ lacrymæ, indices summi doloris, a me effusæ sunt, ut jecur ponatur pro conceptaculo fellis, quod in cava jecoris parte sedem habet. Ita a Castro. *Quarto*, « effusum est in terra jecur, » id est vita, voluptas, felicitas et gloria mea; hæc enim in jecore vel consistunt, vel symbolice significantur. Unde Hebræum כבד *cabed*, id est jecur, voce et etymo quasi idem est cum כבוד *cabod*, id est gloria. Hinc veteres Ethnici, si in victimæ extis deesset jecur, habebant hoc magnæ infelicitatis augurium. Unde Plinius, lib. XI, cap. XXXVII: « M. Marcello, inquit, circa mortem, cum periit ab Annibale, defuit in extis jecur. Defuit et C. Mario, cum immolaret Uticæ; item Caio principi calendis januariis, quo anno interfectus est; et Claudio successori ejus, quo mense interemptus est veneno. » E contrario: « Augusto sacrificanti Spoleti primo potestatis suæ die, sex victimarum jecinora, replicata intrinsecus ab ima fibra reperta sunt, responsumque duplicaturum intra annum imperium. » Huic expositioni favet versio Syriaca, quæ sic habet: *Reversus est in terram honor meus* (gloria mea) *super contritione filiæ populi mei*. Favet et Arabica quam mox citabo. *Quinto* et optime ut sit hyperbole, *q. d.* « Cum deficerent, » scilicet præ fame et siti, mei parvuli et lactentes emorientes; ita præ commiseratione afflicta fui, ut viderer meum jecur et viscera ac interiora omnia effusura in terram. Nominat jecur præ aliis visceribus, quia jecur sedes est commiserationis et amoris. Sic sæpe Psaltes queritur præ dolore effusa esse viscera sua, uti et *Job*, cap. XVI, vers. 14. Huic expositioni favet Arabicus Antiochenus: *Convoluta sunt viscera ejus in ventre ipsius, et coagulatum est cor ejus, quia honor ejus revolutus est super terram*; et Arabicus Alexandrinus: *Dolore affecerunt me viscera mea præ multitudine fletus. Cecidit honor meus super terram præ dolore super civitate populi mei*. Narrat Gregorius Nyssenus in *Elogio S. Basilii* fratris sui, ipsum Præfecto cuidam ariano minitanti se jecur ejus de visceribus erepturum, subridendo respondisse: « Gratiam tibi hujus voluntatis et propositi nomine habebo. Etenim haud mediocriter molestum est jecur visceribus incumbens. Si ejeceris ergo illud, ut minaris, re molesta atque odiosa corporis liberaveris. » Quinto.

Est hic illustre schema et effigies pœnitentium, in quo externa species et squalor apposite cum interno dolore congruit, ejusque est index et testis. *Primo*: « Sederunt, inquit, in terra; » *secundo*, « conticuerunt; » *tertio*, « consperserunt cinere capita sua; » *quarto*, « accincti sunt ciliciis; » *quinto*, « abjecerunt in terram capita sua, » quæ olim superbe in cœlum erexerant, ut mise-

(1) « Destructo templo, inquit Pareau, cessat cultus lege præscriptus, ut *Ezech.* VII, 26: *Lex peribit a sacerdote.* » Verum ut rectius notat Rosenmuller eo Ezechielis et hoc loco totum legum Mosaicarum corpus, tam quæ res sacras, quam quæ civiles spectant, intelligi patet, quæ eversa urbe cessabant.

ros, humiles et supplices se profiteantur; *sexto*, « defecerunt præ lacrymis oculi mei; » *septimo*, « conturbata sunt viscera mea; » *octavo*, « effusum est in terra jecur meum super contritione filiæ populi mei. » Audi pœnitentes effundentes jecur suum apud Climachum, gradu 5 *De Pœnitentia* : « Quosdam, inquit, vidi noctibus totis usque mane sub dio stare pervigiles, pedesque immobiles tenere, cumque somno miserabiliter oppressi agitarentur, vim naturæ inferre, nullamque sibi ipsis requiem indulgere; sed seipsos increpare, ignominiisque et contumeliis afficere atque excitare. Alios miserabiliter in cœlum intuentes, et illinc adjutorium cum gemitu et suspiriis ac vocibus invocantes. Alios in oratione existentes, ac reorum in morem vinctis post terga manibus, humi luridas facies inclinantes, indignosque se qui in cœlum aspicerent, vociferantes. Nonnullos in pavimento strato cilicio et cinere sedentes. Alios jugiter pectora tundentes. Plurimi, ut in mortibus fieri solet, super animabus suis ululatum diræ vocis emittebant. Alii ex intimo corde rugiebant, atque intra os gemitus sonum cohibiebant. Interdum vero cum se continere non possent, repente exclamabant; vidisses in illis æstuantes linguas instar canum ex ore procedentes. Ex his alii sub ardentissimo solis æstu seipsos crucîabant: alii contra acerrimo frigore se affligebant. Quidam modicum aquæ degustantes ne omnino siti exarescerent, ita quiescebant; nonnulli cum panis exiguum quid accepissent, reliquum manu longius projiciebant, indignos se qui rationali cibo vescerentur, asserentes, quippe qui irrationabiliter egissent. Quem apud illos locum risus habere poterat? quem otiosus sermo?

12. MATRIBUS SUIS DIXERUNT : UBI EST TRITICUM ET VINUM? — « Dixerunt, » non lactentes, sed parvuli grandiusculi; hi enim pane et vino, illi lacte vescuntur.

QUASI VULNERATI, — sicut vulnerati ex vulnere deficiunt, ita hi fame moriebantur, exanimabantur et exspirabant; fames enim telum est durius ferro in viscera adacto; quod non tantum matrum, sed et hostium viscera compungeret. Balbutiens parvulus anhela voce poscebat panem, et in ipsa postulatione deficiente halitu, animam exhalabat. Infans os ad ubera matris arida admovebat, et in eorum complexu liquente spiritu exspirabat; scilicet erat hic :

Luctus, ubique pavor, et plurima mortis imago.

EXHALARENT ANIMAS, — præ inedia. Ita Chaldæus, et alii passim. Aliter Vatablus; vertit enim, *cum effunderent animam suam*, id est votum et desiderium suum.

IN SINU MATRUM, — petendo ab eis panem et alimenta. Simile est I *Reg.* I, 15, et cap. XVIII, 1; Jerusalem enim a Chaldæis fuit obsessa per biennium, unde fuit in ea ingens fames, ita ut multi ea sint enecti; adeoque matres comederint filios suos, uti patet vers. 20.

13. CUI COMPARABO TE. — Hebraice מה אעידך *ma aidech*, quod testimonium afferam, id est quod exemplum calamitatis reperire potero, quæ similis sit tuæ, ut te consoler (1)? solatium enim est misero habere socium in malis. Sed tua clades superat stragem Ægyptiorum sub Mose, *Exodi* XIV, Chananæorum sub Josue, cap. VII, Philistinorum sub Davide, Hebræorum sub Heli; omnemque aliam hactenus in orbe visam, vel auditam. Ita Hebræi, Chaldæus et Septuaginta. Vers. 13. Mem.

CUI EXÆQUABO TE? — Septuaginta vertunt : *Quis salvabit te?* per metathesin enim pro אשוה *asue*, legerunt אושע *osca*, id est salvabo, a radice ישע *iasca*, id est salvavit.

ET CONSOLABOR TE, — ut consoler te, scilicet per socium aliquem aut sociam, tibi in pœna parem aut supparem.

MAGNA EST VELUT MARE. — Sicut nulla aquarum copia cum mari comparari potest, ita ut omnia flumina in mare influentia, illud non augeant, quia sunt instar guttæ : sic nullus dolor cum tuo dolore conferri potest, quia omnes aliorum clades ad tuam se habent, sicut gutta ad mare. Ita Lyranus. Rursum sicut mare tam vastum est, ut contineri vel includi non possit : ita dolor tuus tam magnus est, ut nullo consolationis obice cohiberi possit. *Tertio*, Chaldæus et Vatablus exponunt, *q. d.* Tanta est afflictio tua, quantus est æstus maris; tot dolores, quot sunt procellæ et fluctus quibus mare confringitur. Unde Syrus vertit : *Multiplicata est velut mare contritio tua;* et Arabicus : *Invaluit contritio tua. Quarto*, contritio tua est « velut mare, » quia est amarissima, insanabilis, profundissima, maxima, et quasi abyssus malorum. Septuaginta vertunt : *Magnum est poculum contritionis tuæ*; legerunt enim כוס *cos*, id est *calix*, *pro* כיב *kelam*, id est *quasi mare*. Denique sicut mare, fluctus attollens et collidens, naves conterit et confringit, ac confractas absorbet : ita Deus contrivit et absorpsit rempublicam Judæorum, fecitque ut paucæ tantum tabulæ, naufragii indices, enatarent. Ita jam Judæi toto orbe dispersi, quid sunt aliud quam miserandi hujus naufragii signa et tabulæ, juxta illud *Isaiæ*, XXX, 17 : « Donec relinquamini quasi malus navis. » Rursum Rupertus : « Ut mare, inquit, quia quicumque accedit ad medendum » tuis malis et fluctibus, « persecutionum et mortis patitur naufragium. » Contritio velut mare quintuplex. Prima. Secunda. Tertia. Quarta.

Nota : Tanti sunt maris fluctus et contritio, ut Cato doluerit se unquam navi ivisse quo pedibus

(1) Aliter C. B. Michaelis, juxta Hebræum : « *Qua contestatione erga te utar?* q. d. Magnitudo mali tui videtur solatium a me exigere, quod et libentissime tibi impertirer; sed argumenta consolationis quærenti nihil occurrit quod tuum quodammodo lenire possit dolorem. » Similiter Pareau : *Quomodo te obtester*, scilicet ut solatium admittas?

pervenire poterat. Aristoteles *viros nauticos* vocat *bis mortuos*, quod nunquam de vita sint securi, donec ad portum pervenerint. Cropilus Platonis discipulus, domus paternæ fenestras mare spectantes clausit : rogatus cur? Æquora, ait, respicere nolo, ne cupiat illa animus conscendere. Insipientem enim magis decet navigare quam sapientem; nam terram Deus hominibus, aerem avibus, aquam piscibus assignavit. Recte *Eccli.* cap. XLIII, 26 : « Qui navigant mare, enarrent pericula ejus. » Et *Psalm.* CVI, 23 : « Qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis. Ipsi viderunt opera Domini, et mirabilia ejus in profundo. » Hinc Seneca ait navigantes incedere inter vitæ mortisque vias : et Anacharsis, eos quatuor tantum digitis (quibus navis mari eminet) a morte distare, testis est Laertius. Quocirca Psaltes *Psalm.* LXVIII, 3 : « Veni, ait, in altitudinem maris, » id est in culmen malorum.

Tropologice, hæc omnia facile est adaptare animæ peccatrici, quæ ut mare fluctibus cogitationum, desideriorum, dolorum, anxietatum, timorum, omniumque passionum assidue jactatur et æstuat. Unde Hugo septem qualitates maris totidem vitiis accommodat : Mirabiles scilicet maris elationes (*Psalm.* XCII) superbiæ; salsedinem, quæ sitim affert, avaritiæ semper clamanti : Affer, affer; amaritudinem, invidiæ; fluctus, iracundiæ; spumas, luxuriæ; secundum illud Judæ : « Fluctus feri maris despumantes confusiones suas; » altitudinem, hypocrisi et astutiæ humanæ, cujus cor profundum et inscrutabile; voragines, gulæ; turbationem et nigredinem, tristitiæ. Ita et Delrio, *adagio* 878.

Allegorice, multi hæc adaptant Christo ob peccata nostra, atrocissima in cruce patienti, et matri ei compatienti; magna enim velut mare fuit contritio tua, o Christe et o Virgo, quæ vere poteras dicere cum Noemi : « Nolite me vocare Noemi (id est *pulchram*), sed vocate me Mara (id est *amaram*), quia amaritudine replevit me Omnipotens, » *Ruth* I, 20. Pariter vocate me Mara, non Maria.

CONTRITIO, — id est, pœna et plaga qua contrita es; ita Interpretes : vel qua te contriverunt Chaldæi. Aliter Rupertus, *q. d.* Casus et peccatum tuum superat Ninivitarum peccatum, qui ad prædicationem Jonæ pœnituerunt, et Tyri et Sidonis quæ mari adjacent; quia si vidissent ea quæ in te fecit Deus, in cinere et cilicio pœnitentiam egissent, Luc. X, 13. Verum « contritio » hic uti non significat virtutem contritionis et pœnitentiæ, ita nec lapsum in peccatum; sed tantum afflictionem, dolorem et tristitiam. Hoc enim est hebræum שבר *scebar*; inde tamen ad pœnitentiam assurgere licet : ordinarie enim dolor de pœna inducit homines ad dolorem de culpa, quæ fuit causa pœnitentiæ : qui enim clare videt contritiones, id est, pœnas quas invexit culpa, facile incitatur ad contritionem et pœnitentiam de culpa. Sicut ergo dolor et contritio de pœna est instar maris : ita et contritio de culpa sit instar maris oportet. Nec enim omnes aquæ maris sufficerent ad lacrymas, quibus unum peccatum mortale condigne deflendum esset.

Merito ergo S. Ambrosius, lib. *Ad Virginem lapsam*, cap. VIII, hanc ei pœnitentiæ formam præscribit : « Imprimis, inquit, omnis cura hujus vitæ interimenda tibi est, et quasi mortuam te existimans, sicut es, quomodo possis reviviscere cogita. Deinde lugubris tibi accipienda est vestis, et mens ac membra singula digna castigatione punienda. Amputentur crines, qui per vanam gloriam occasionem luxuriæ præstiterunt; defluant oculis lacrymæ, qui masculum non simpliciter aspexerunt; pallescat facies quæ quondam viruit impudice; denique totum corpus injuriis et jejuniis maceretur, cinere aspersum, et opertum cilicio perhorrescat, quia male sibi de pulchritudine placuit. Peccator si sibi non pepercerit, a Deo illi parcetur; grandi plagæ alta et prolixa opus est medicina; grande scelus grandem habet necessariam satisfactionem. » Sic velut mare ingens fuit contritio S. Magdalenæ, S. Mariæ Ægyptiacæ, et aliorum pœnitentium apud Climachum, *gradu* 5, nec non S. Pelagiæ pœnitentis, quæ a B. Nonno conversa, mutato habitu fugit Hierosolymam, ibique ad finem vitæ in oratione et lacrymis austeram egit pœnitentiam, uti habet ejus Vita 12 octobr. De qua proinde vere et acute Poeta christianus : Forma pœnitentiæ ex S. Ambrosio.

E pelago in pelagus, lacrymosa Pelagia, transis,
Tristia dum lacrymis obruis acta tuis.

14. PROPHETÆ (pseudoprophetæ, quos tu veros Prophetas esse dicebas) VIDERUNT (id est prophetaverunt.) (Videntes enim vocabantur Prophetæ) STULTA (hebraice, *insulsa*; quia) NON APERIEBANT INIQUITATEM TUAM, — sed illam excusabant et elevabant tibi blandiendo, et adulando tuis deliciis, cupiditatibus et vitiis.

Nota : Prædicator non debet mollia et placentia, sed dura et aspera, nonnunquam et sale reprehensionis condita prædicare : ubi hoc sal, ibi sapientia, ibi puritas, ibi veritas, ibi compunctio, ibi sanitas. Sed molles et carnales oleo blandiloquentiæ perfundi malunt, quam sale perfricari : hinc putrescunt et pereunt.

UT TE AD POENITENTIAM PROVOCARENT. — Recte : hebraice enim est, *ad convertendum conversionem tuam*. Septuaginta tamen id ipsum vertunt : *Ut captivitatem tuam reducerent* vel *averterent*, ut explicat Theodoretus. Rursum R. Salomon vertit, *ad convertendas*, id est corrigendas, *aversiones*, id est prævaricationes, *tuas*; hæc enim omnia significat hebræum שבותך *scebutech*. Sensus est, ait Olympiodorus : Prophetæ tui non indicarunt tibi quod verum est, non posuerunt tibi ob oculos gravitatem iniquitatum tuarum, ut eas agnoscerres, ingemisceres, converteris ad Deum, ita-

que captiva non fieres; quia, ut Chaldæus vertit: *Non prædicarunt ultionem quæ ventura erat super te* ℣ *scelus.*

VIDERUNT AUTEM (id est prophetaverunt) TIBI ASSUMPTIONES FALSAS. — Hebraice est משא *massa*, id est pondus vel onus, ut Aquila vertit, id est prophetiam onerosam et supplicium minitantem: ita Chaldæus, Pagninus, Vatablus; unde Noster vertit, *assumptio*: eo quod onus hoc assumatur, aut levetur contra aliquem. Rursum eo quod assumendum sit ab eo, cujus humeris a Deo per Prophetam intentatur et imponitur.

Dices: Hi prophetæ prophetabant Judæis prospera et læta; quomodo ergo eorum prophetiæ vocantur onus? Respondeo: Onus, vel assumptio, aliquando extenditur ad quamlibet prophetiam etiam lætam. *Secundo*, proprie erat hic onus, quia hi Prophetæ ut imitarentur Jeremiam intentantem Judæis « onus Domini, » utque ejus minas ostenderent esse inanes et falsas, prophetabant onus hoc Domini incumbere Chaldæis, non Judæis; scilicet Chaldæos brevi a Deo puniendos et vastandos esse; itaque incitabant Judæos ut eis rebellarent, et fortiter contra eos dimicarent. *Tertio* et subtilius, Maldonatus: Hi prophetæ, inquit, ne semper jucunda vaticinari viderentur, subinde levia quædam adversa miscebant, sed falsa et conficta, sicut adulatores, ut Plutarchus dixit opusculo *De Discrimine adulatoris et amici*, ne ad gratiam semper loqui videantur, aliquando eos quibus maxime adulantur reprehendunt, sicut catuli qui fingunt se dominum mordere, sed dentes non figunt. Verus enim amicus dentem figit et mordet, ut vitium ab amico demordeat et auferat. Idcirco ergo eorum prophetias vocat onus.

Adulator ficte amicum subinde carpit.

ET EJECTIONES. — Hebraice מדחים *madduchim*, id est *expulsiones*. Jam *primo*, Olympiodorus, Theodoretus, Vatablus subaudiunt τὸ *a Deo*: prophetabant enim ea quæ expellebant Judæos a via recta, et longe faciebant a Deo. *Secundo*, « ejectiones, » scilicet Chaldæorum e Judæa, vel ex ipsa Chaldæa et imperio suo, inquiunt Hugo, S. Thomas, Bonaventura. *Tertio*, « ejectiones, » scilicet quæ ex dorso tuo ejicerent onera, comminata a veris prophetis, eaque rejicerent in dorsum hostium tuorum, scilicet Chaldæorum. Ita Paschasius. Aut prædicebant « ejectiones, » id est prædicebant brevi fore, ut Joachin, aliique e Judæa in Babylonem ejecti, in patriam redirent. *Quarto*, Lyranus et Dionysius, « ejectiones, » *q. d.* Falsa eorum onera, id est prophetiæ, licet in speciem blandæ et prosperæ, revera tamen fuerunt tuæ ejectiones, quia dum tu eis credis, meruisti ut ejicereris e terra tua, et captiva ires in Babylonem: meruisti ut dejicereris de dignitate, gradu, decore, et omnibus bonis tuis, et incideres in ignominiam, pauperiem, exsilium, omnesque ærumnas. Hic sensus videtur plenior et nervosior. *Quinto*, Maldonatus, ut dixi, censet hosce pseudoprophetas aliqua tristia lætis miscuisse, aliquasque Judæis ejectiones et exsilia, sed levia et brevia intentasse, præsertim si sibi suisque prophetiis non crederent, nec obedirent.

15. PLAUSERUNT, — irridentium gestu, ait Lyranus: vel potius, ut Theodoretus, Olympiodorus, Hugo, S. Thomas, gestu admirantium, dolentium et obstupescentium tantam Hierosolymæ mutationem et cladem.

HÆCCINE EST URBS PERFECTI DECORIS? — Hebraice: *Hæccine est urbs, consummatio decoris?* id est consummati decoris, ut videretur vocanda ipse decor, ipsa pulchritudo, imo consummatio omnis pulchritudinis. Sic de Jezabel regina formosissima, lacerata a canibus, « prætereuntes dicebant: Hæccine est illa Jezabel? »

GAUDIUM UNIVERSÆ TERRÆ, — quia scilicet illa tanquam domina universæ terræ, quæ illi parebat, gaudebat et gloriabatur. Rursum Jerusalem opibus, pompa, sapientia, aula, pontificatu (erat enim sedes et aula tam pontificum quam regum), pace, tubis, psalteriis omnibusque bonis cumulata, videbatur esse gaudium orbis, præsertim in festis et solemnitatibus, ad quas proinde gentes ex toto orbe confluebant, ac videbantur eam intrantes, sibi in nuptias, et mera gaudia ingredi. Nam, ut dicitur *Psalm.* LXXXVI, 7: « Sicut lætantium omnium habitatio est in te. » Erat enim Jerusalem terrestris typus Jerusalem cœlestis, quæ est civitas æternæ felicitatis et voluptatis.

16. APERUERUNT SUPER TE OS, — quasi belluæ famelicæ te pleno oris gutturisque rictu devorare et deglutire cupientes. Ita Origenes, Rabanus, Hugo. Vel ut tibi insultarent et exprobrarent, teque irriderent et subsannarent. Ita Theodoretus, Paschasius, Hugo, S. Thomas, Vatablus. Vers. 16. PHE.

SIBILAVERUNT, — instar serpentium, qui præda capta, antequam eam lanient et vorent, sibilant.

FREMUERUNT DENTIBUS, — instar luporum et leonum, qui in prædam quam unguibus tenent, dentes stridendo acuunt. Hic etiam est gestus insultantium et subsannantium.

DEVORABIMUS, — devoremus; concitant enim hic seipsos ipsi hostes contra Jerusalem, utque rabiem magis explicent, dicunt instar anthropophagorum ad carnes humanas inhiantium: *Devorabimus*, non *devoremus*; Hebræus et Septuaginta habent, *devoravimus*, id est *devorabimus*, more prophetico.

INVENIMUS, VIDIMUS. — Invenire est rem consequi, et votorum compotem fieri, ut patet *Prov.* cap. XIX, 8; videre est re concupita frui et pasci; quasi dicant: En adest tamdiu optata dies, qua expugnemus et vastemus Judæos, nobis ita invisos: qua nos satiemus eorum spoliis, sanguine et cædibus

17. COMPLEVIT SERMONEM QUEM PRÆCEPERAT, — scilicet edici aut comminari tibi per Prophetas. Ita Chaldæus, Rupertus, Bonaventura. Vers. 17. AIN.

Vel simplicius, « quem præceperat, » id est ordinaverat et statuerat quasi præcepti sui violati

pœnam et supplicium, quod tibi jam intulit. Hoc enim sanxit et comminatus est *Levit.* cap. XXVI, 14 et 25; *Deuter.* XXVIII, 15 et sequent.

DESTRUXIT, ET NON PEPERCIT, — id est irremissibiliter, et, ut ita dicam, imparcibiliter destruxit Judæam et Jerusalem. Ponitur enim verbum pro adverbio, more Hebræo.

EXALTAVIT CORNU, — id est potentiam, robur et vires. Ita S. Thomas, Hugo et Vatablus, ac consequenter victorias, triumphos, gloriam et imperium. Ita Chaldæus.

HOSTIUM TUORUM. — Nota : Jeremias hoc cap. et cap. III, præponit litteram *pe* litteræ *ain*, cum communiter jam illi postponi soleat, uti postposuit cap. I. Quocirca videtur, quod olim inter has litteras non fuerit certus ordo; sed jam hæc, jam illa præposita fuerit. Ita Sanchez. Aut potius sensus et sententiæ quam litterarum (harum enim sunt leves minutiæ) ordinem et connexionem spectavit Jeremias. Quia enim in præcedenti littera *samech* dixerat : « Sibilaverunt, et moverunt caput suum super filiam Jerusalem? Hæccine est urbs, dicentes, perfecti decoris? » etc. Hinc illi apte subjungit litteram non *ain*, sed *pe*, quæ *os* significat, ac cœptam in *samech* sententiam prosequens, dicit : « Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui : sibilaverunt, et fremuerunt dentibus suis, et dixerunt : Devorabimus : en ista est dies quam exspectabamus : invenimus, vidimus. » Simile est cap. III, 48.

18. CLAMAVIT COR EORUM AD DOMINUM. — « Eorum, » non Chaldæorum et Rabsacis, *Isaiæ* cap. XXXVI, 4, blasphemantis Deum, quasi Judæos non potuisset tueri a sua manu et exercitu, ut explicant Paschasius, Rabanus, S. Thomas, Lyranus. Hic enim non ad, sed contra Dominum clamavit. Non etiam Mosis et Prophetarum, ut Rupertus, sed Judæorum, qui in sui expugnatione, ex intimo corde et dolore clamarunt ad Deum, ut eorum misereretur. Ita Chaldæus, S. Thomas, Lyranus, Dionysius (1).

SUPER MUROS, — pro muris, ne muri Jerusalem subverterentur; aut potius, ut jam subversi, ut patet ex vers. præced. restaurarentur. Aliter Sanchez : Judæi, inquit, hic muros filiæ Sion, id est seipsos (res enim continens ponitur pro contenta, scilicet urbs et muri pro civibus) cohortantur, ut quisque jugiter fleat, et clamet ad Dominum, qui solus Chaldæos reprimere, et muros restaurare potest. Dicit ergo unus ad alterum : « Deduc quasi torrentem lacrymas. » Verum hic clamor est ad Dominum, non ad cives, estque non murorum, sed pro muris. Unde et Romana ante « deduc » ponunt colon, quasi ibi nova incipiat sententia, uti mox declarabo. Aliter quoque ex Hebræo vertunt Septuaginta, nectuntque sequentibus, nimirum : O mure Sion (olim scilicet splendide, nunc meræ ruinæ), descendere fac quasi torrentem lacrymas, quasi sit prosopopœia ad muros, ut fleant. Verum melius Latinus Interpres hæc ita dispungit et disjungit, ut ante « deduc, » ponat punctum, ibique inchoetur nova sententia, in qua Propheta a Judæis clamantibus pro muris sermonem convertit ad filiam Sion, quam jugiter flere vult; unde ait : « Deduc quasi torrentem lacrymas, » non deducite.

NEQUE TACEAT, — id est, ne cesset a lacrymis : tacere enim Hebræi sæpe sumunt pro cessare, ut dixi *Jerem.* XLVII, 6.

19. LAUDA. — Septuaginta, Vatablus et Pagninus vertunt, *vociferare* vel *clama*. Hebræum enim רנן *ranan* significat clamare, sive laudando, sive cantando, sive lugendo : passim tamen significat jubilare et laudare. Sic Noster hic vertit, « lauda, » id est ora, obsecra : idque *primo*, quia oratio est tacita laus Dei, et in ea assumi debet laus ejusdem. *Secundo*, quia Judæi orantes, laudes majorum assumebant, dicentes : Propter merita Abraham, Isaac et Jacob, miserere mei; sic enim fecit Jeremias, cap. VII, 11, et Judith, cap. IX, 2. *Tertio*, quia a laude et gratiarum actione inchoanda est oratio; sic enim petituri aliquid a principe, ejus benevolentiam captamus, initio commemorando et laudando ejus in nos et alios munificentiam. *Quarto*, quia efficacissima est oratio, si tam in adversis quam prosperis laudemus, et gratias agamus Deo, dicamusque cum Davide : « Benedicam Dominum in omni tempore; » et cum S. Job : « Dominus dedit, Dominus abstulit : sit nomen Domini benedictum. » Unde sanctus ille Abbas in *Vitis Patrum*, tractatu *De fortitudine*, docet singulare remedium contra omnes tentationes et tribulationes esse, si quis in iis se Deo resignet, eique gratias agat; atque Deum a tali mox omne bellum tentationis auferre, hujusque rei experimentum et exemplum affert.

Oratio vocatur laus, cur? Resp. Primo. Secundo.

Dei laus vincit omnes tentationes.

IN PRINCIPIO VIGILIARUM. — Non dicit, in prima vigilia, aut in ortu auroræ, ut vertit Chaldæus, neque in principio, id est, ante omnes vigilias, ut exponunt Origenes et Olympiodorus; sed explicat id quod dixerat : « Consurge, lauda in nocte, » scilicet per singulas vigilias noctis, in earum exordiis laudando, id est adorando, Deum : ad hoc enim afflictio tua te excitabit, ut, cum

(1) Hebraice : *O mure filiæ Sion, demitte instar torrentis lacrymas.* Quæ prosopopœia cum recentiorum interpretum nonnullis justo audacior nec satis concinna videretur, locum mendosum esse putarunt, eique alii alio modo mederi tentarunt..... Neque tamen uti scite monet Pareau, gravis causa hunc locum sollicitandi apparet. « Nam quemadmodum apud optimos quosque scriptores, etiam Græcos et Latinos, per fictionem personæ regionibus, urbibus, reipublicæ, non sermo tantum, ut, secundum Quintilianum, *De Institut. orat.* lib. IX, cap. II, urbes etiam vocem accipiant, sed et animi sensus tribuuntur, et apud Hebræos id genus est longe frequentissimum. Sic *Isai.* III, 26, *mœror* et luctus denuntiatur *portis Sioniticis.* Supra I, 4, *viæ Sionis* dicuntur *lugere.* Quidni igitur hoc loco deserta et desolata mœnia decurrere faciant torrentem lacrymarum, deinde etiam *oratione supplici* deprecentur hanc tam miseram sortem? »

(Ex Rosenmuller.)

alii homines dormiant, tu mœsta dormire non possis, sed ad Deum evigiles, eumque ardenter et frequenter depreceris, ut extremam tuam miseriam levet.

Nota *primo* : Romani in castris noctem in quatuor vigilias distribuebant, ut quater, id est singulis ternis horis, alii vigiles aliis dato signo a tibicine, in statione succederent. Unde Lucanus, lib. VII :

Tertia jam vigiles commoverat hora secundos.

Hinc Judæi acceperunt primam, secundam, tertiam, quartam noctis vigiliam, *Marc.* XIII, 34. Rursum et Christiani, et Judæi, hinc acceperunt horam orationis Primam, Tertiam, Sextam et Nonam; nam prima vigilia incipit hora prima, secunda incipit hora tertia, tertia incipit hora sexta, quarta incipit hora nona.

Inde orationis horæ, Prima, Tertia, Sexta, Nona.

Nota hic, *secundo*, viros pios noctu, initio vigiliarum excitatos, solere Deum laudare et precari. Ita christiani olim antelucanos hymnos Christo et Deo canebant, ut scribit Plinius ad Trajanum. Ita Theodoricus, Gothorum rex, « antelucanos suorum sacerdotum cœtus, minimo comitatu expetebat quotidie, et grandi sedulitate venerabatur, » inquit Sidonius Apollinaris, lib. I, *epist.* 2. Atque hinc orti sunt tres nocturni, et Laudes in Officio Ecclesiastico : hi enim respondent quatuor vigiliis noctis. Hoc etiam monuit Moyses, *Deut.* VI, 7, dicens : « Meditaberis (in præceptis Dei) dormiens. » Hac de causa Deus voluit gallos gallinaceos canere, ut dormientes ad id excitent, ut ibi dixi. Quare recte S. Hieronymus Eustochium virginem instruit, dicens : « Esto cicada noctium, lava per singulas noctes lectum tuum, lacrymis tuis stratum tuum riga. Vigila, et fias sicut passer in solitudine. » Audi et insigne dogma S. Gregorii Nazianzeni, et ex eo Damasceni, lib. II *Parallelorum*, cap. XXXIX : « Præstantissimus hic est ordo, ut qui orationem aliquam aut negotium aggreditur, et a Deo incipiat, et in Deo finem faciat. »

Antelucanæ piorum preces.

Principium tibi sit, tibi finiat omnia Christus.

EFFUNDE SICUT AQUAM COR TUUM ANTE CONSPECTUM DOMINI, — ut cordis tui duritia per amorem et devotionem liquefiat, ait S. Thomas.

Secundo, Paschasius : Effunde, inquit, ex intimo corde lacrymas compunctionis; Chaldæus : Effunde per pœnitentiam, sicut aquam perversitatem cordis tui.

Tertio et optime, *q. d.* Sicut qui vas invertit, totam profundit aquam; ita e vase cordis, omnia tua desideria, ærumnas et gemitus lacrymis magis quam verbis, Deo explica et profunde.

Ubi nota : Non ait : Effunde sicut oleum, cujus pars aliqua semper vasi adhæret, sed sicut aquam; quia ejus nihil in vase remanet, sed tota effunditur : ita totum cor nostrum, omnesque ejus amores et dolores Deo effundere debemus. Hæc est oratio Deo grata.

Huc facit expositio Sanchez, quæ talis est : Ne cesses a lacrymis et precibus, donec, exhaustis aliis lacrymarum fontibus, cor ipsum extabescat, et per stillantes oculos liquefactum emanet. In hujus signum, aquam effundebant afflicti et deprecantes, ut patet I *Reg.* VII, 6.

Moraliter, nota hic vim et efficaciam orationis non consistere in verbis multis bene compositis, sed in affectu, gemitu, desideriis et affectuosa ignitaque cordis effusione. Unde ait S. Bernardus : « Clamor magnus in auribus Dei est desiderium vehemens; » apud Deum enim valet non clamor oris, sed amor cordis; et Paulus, *Roman.* VIII : « Spiritus, inquit, postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. » Hinc David orans ait, *Psalm.* CXLI, 3 : « Effundo in conspectu ejus orationem meam. » Et *Psalm.* XLI, 5 : « Effudi in me animam meam. » Et *Psalm.* LXI, 9 : « Effundite coram illo corda vestra. » Sic tempore Judith, cap. VI, 14 : Omnes Judæi, « communi lamentatione et fletu unanimes preces suas Domino effuderunt. » Ita sterilis Anna effudit animam suam in conspectu Domini, et filium Samuelem impetravit, I *Reg.* I, 15. Effundere enim cor coram Domino, est omnes cordis affectus, omnes dolores, omnia sensa animi, omnia vota et desideria coram Deo exponere, et in ejus sinum ac providentiam transfundere, ut ipse iis succurrat et provideat. Itaque hæc phrasis significat, orantis *primo*, ingentem afflictionem : sic enim valde afflicti per lacrymas, gemitus et querimonias, solent suos dolores effundere in aures amicorum et audientium; *secundo*, humilitatem, quod cor suum, instar aquæ in terram, coram Deo quasi profundant; *tertio*, sinceritatem, quod omnes affectus coram Deo effundant, nil celent, nil reservent; *quarto*, resignationem, quod omnia sua in Dei providentiam profundant et resignent; *quinto*, spem et fiduciam, quod omnes suos affectus et vota, a se quasi alienando et abjiciendo, uni Deo credant et committant.

Vis orationis est in affectu, non in verbis.

Effundere cor coram Domino quinque res significat.

LEVA MANUS — ad eleemosynas, ad opera misericordiæ et virtutum : ita Origenes, Paschasius, Rabanus, Rupertus, Hugo; *secundo* et melius, Chaldæus et S. Thomas : « Leva manus, » id est ora. Xenophon, lib. IX *Pædiæ Cyri* : « Manus, ait, sustollimus in cœlum, quo habitu testamur nos vel orationem, tanquam munus jucundissimum Deo offerre; vel cor, quasi donum eximium, attollere ad Deum. » Hinc in sacrificio sacerdos levat manus. Vide de hoc gestu multa quæ notavi I *Timoth.* cap. II, 8.

Orantes cur levant manus.

PRO ANIMA, — propter animam, propter vitam qua privati sunt parvuli, qui paulatim fame consumpti sunt (hoc enim est hebræum עטף *ataph*), ut eorum intuitu tui miserescat. Quare minus recte aliqui hæc referunt ad preces pro animabus existentibus in purgatorio, quod hinc probare contendunt, cum alia clara argumenta suppetant.

COMPITORUM. — Hebraice רוצות *chutsoth*, id est platearum.

20. VIDE. — Est oratio Hierosolymitanorum, ad quam impulsi et inducti sunt a Jeremia vers. præced. Ita Hugo et S. Thomas.

QUEM VINDEMIAVERIS, — id est usque ad quam paucas reliquias abduxeris et captivaveris nos per Nabuzardan. Vide cap. I, 22. Ita Olympiodorus.

ERGONE COMEDENT? — *q. d.* Quis unquam audivit tantam rabiem famis, ut matres comederint suos infantes, uti factum est in Jerusalem?

AD MENSURAM PALMÆ.—Hebraice טפוחים *tappuchim*, id est magnitudinis palmæ, palmares, id est infantes recens natos et parvulos. Nota : Hebræum טפח *tapach* significat palma explanare, distendere, uti matres explanant membra parvulorum, ne contracta aut distorta maneant; sed ut ea apte complanent : hinc *tapach* significat etiam educare, et ad incrementum ac magnitudinem perducere, ut patet vers. 20 et ultim. Unde Pagninus vertit, *parvulos educationum*; Chaldæus, *infantes amabiles, qui involvebantur sericis linteis, q. d.* Matres comederunt parvulos suos, quos recens genuerunt, educarunt, fasciis involverunt, palmaque conformarunt, quosque proinde tenerrime amabant : tanta fuit famis acerbitas! Hoc minatus erat Dominus, *Deuter.* XXVIII, 53; idque factum esse Hierosolymis patet *Thren.* IV, 10 : « Manus mulierum coxerunt filios suos. »

Infidelium pœna est, ut obsessi edant filios.

Nota : Hæc pœna fuit infidelitatis et infidelium ut matres comederent filios. Sic enim in Samaria, cum coluit vitulos aureos, matres in obsidione comederunt filios, ut patet IV *Reg.* VI, 28. Idem contigit Hierosolymæ obsessæ a Chaldæis, ut patet hic, quia ipsa Jeremiæ et Deo fuit incredula. Idem eidem contigit obsessæ a Tito et Vespasiano, ut testatur Josephus, lib. III *Belli*, cap. VIII, quia ipsa tum fuit incredula Christo. Idem contigit hoc sæculo in urbe Franciæ, quæ vulgo Sancerra dicitur : cum enim illa a Catholicis obsideretur, duæ calvinianæ mulieres infantes suos comederunt sub annum Domini 1572, uti testatur Florimundus Remundus, lib. *De Antichristo*, cap. VII; quin et ipsi hæretici qui interfuerunt, et librum de hac obsidione ediderunt.

SI OCCIDITUR SACERDOS? — Hinc videtur aliquis sacerdos et propheta in templo a Chaldæis esse occisus, unus vel plures. Hebræi cum Chaldæo accipiunt hæc de Zacharia filio Joiadæ, *q. d.* Quid querimini, matres, comedisse filios, cum vos ipsi occideritis Zachariam prophetam atque sacerdotem in templo? unde tradunt Judæi Zachariæ occisi sanguinem, instar ollæ ferventis efferbuisse, usque ad adventum Nabuzardan : qui id resciens, ejus necem magna senatorum cæde ultus est, et tum sumpta vindicta fervescere desiit. Sed horum fides sit penes Judæos. Ego certe nec expositioni huic, nec historiæ fidem habeo : olet enim Rabbini alicujus cerebrum et commentum.

21. JACUERUNT — occisi. Lyranus, Maldonatus et Sanchez, vel potius, ut ex Hebræo, Chaldæus vertit, *q. d.* Divites et delicati, qui cubare solebant super turgidos pulvinos et lectos eburneos, jam a Chaldæis ejecti et despecti, « foris, » id est in plateis, jacent et cubant. Ita et Paschasius, Hugo et S. Thomas. Sic cap. IV, vers. 5, dicit de iisdem : « Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora. »

PERCUSSISTI. — Hebræus, Chaldæus, Septuaginta, laniasti, mactasti quasi lanio; hoc enim est hebræum טבחתּ *tabachta*.

22. VOCASTI QUASI AD DIEM SOLEMNEM, QUI TERRERENT ME DE CIRCUITU, — *q. d.* Tuo, quasi ducis castrorum hostilium, nutu et imperio, vocatæ et congregatæ finitimæ gentes, uti olim solebant confluere Hierosolymam, cum aliquod festum celebre agebatur; ita nunc cum Chaldæis venerunt ad me terrendum et expilandum. Patet *Jeremiæ* I, 15. Hebræa nervosius habent : *Vocasti* מגורי *megurai*, id est *timores, terrores* vel *pavores meos*, id est, ut Vatablus, vocasti hostes qui mihi sunt timori, et quos timeo, ne mihi parvulos et filios eripiant. Septuaginta, *vocasti colonias* vel *parœcias meas*, id est omnes in villis et locis vicinis habitantes convocasti metu Chaldæorum Hierosolymam, ubi omnes obsessi, cæsi vel capti sunt. Ita Theodoretus. Notat Sanchez hic alludi ad tria, quæ fiebant in die festo et solemni : *primo*, in eo mactabantur victimæ, *q. d.* Sic vocasti Chaldæos quasi victimarios, ut non boves, sed cives tibi jugularent; *secundo*, ad festa undique confluebat ingens hominum copia, *q. d.* Sic ingentem hostium vim congregasti contra Jerusalem; *tertio* (quod maxime hic intendit) in festis erant securitas, facilitas et lætitia, *q. d.* Te duce hostes evocante, ipsi quasi de victoria et præda certi, sic alacres in urbem confluxerunt, ac si dies obire vellent solemnes et geniales, nec belli pondus difficile subire. Vers. 22. Thau.

EDUCAVI. — Hebraice טפחתי *tippachti*, id est parvulos complanavi, formavi et enutrivi, de quo dixi vers. 20. Singula hæc verba ponderanda sunt, singula enim ingens continent pathos.

CONSUMPSIT EOS. — Septuaginta vertunt, *omnes eos*; legerunt enim כלם *cullam*; melius Noster et alii passim legunt כלּם *killam*, id est consumpsit eos.

Tropologice, totum hoc caput facile est adaptare animæ peccatrici, quæ a Deo tot beneficiis affecta, ob ingratitudinem omnia illa, omnemque gratiam et decorem perdidit; unde pœnitens redit ad Deum oratque pro venia.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, Olympiodorus, Paschasius et Bonaventura putant Jeremiam ad litteram hoc capite loqui de Christo et Christi passione. Verum Jeremias luget hisce Threnis ad litteram sui temporis calamitatem : ergo tantum allegorice luget Christi afflictiones et cruces. Secundo, Theodoretus, Rabanus, Hugo, S. Thomas, Lyranus et Vatablus putant hoc caput esse vocem populi, sive cujuslibet Judæi, vel Hierosolymis, vel in Babylone lugentis communem cladem. Tertio et planissime, ut verba sonant, Origenes, Eusebius, Rupertus, Hebræi et Vatablus censent Jeremiam hic lugere suas calamitates, præsertim eas quibus, tempore obsidionis, a suis civibus afflictus fuit, Jeremiæ 20 *et seq. hoc enim est quod initio capitis ait :* Ego vir videns paupertatem meam ; *et vers.* 14 : Factus, *ait,* sum in derisum omni populo meo ; *unde et carcerem vinculaque sua plangit, vers.* 5, 6, 7, 9, *ac inediam et famem, vers.* 15, 16, 17, *ac verbera et alapas, vers.* 3, 12, 30; *simul tamen in seipso repræsentat et luget afflictionem populi sui, uti dicam vers.* 7, 8, 10. *Deinde, vers.* 21, *spem in Deum erigit, ostendendo utilitatem tribulationis. Quarto, vers.* 40, *suos cives hortatur ut convertantur ad Deum. Tandem, vers.* 50, *suas ærumnas et suorum civium plangendo, mala similia suis inimicis imprecatur* (1).

1. Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus. 2. Me minavit, et adduxit in tenebras, et non in lucem. 3. Tantum in me vertit, et convertit manum suam tota die. 4. Vetustam fecit pellem meam, et carnem meam, contrivit ossa mea. 5. Ædificavit in gyro meo, et circumdedit me felle, et labore. 6. In tenebrosis collocavit me, quasi mortuos sempiternos. 7. Circumædificavit adversum me, ut non egrediar : aggravavit compedem meum. 8. Sed et cum clamavero, et rogavero, exclusit orationem meam. 9. Conclusit vias meas lapidibus quadris, semitas meas subvertit. 10. Ursus insidians factus est mihi : leo in absconditis. 11. Semitas meas subvertit, et confregit me : posuit me desolatam. 12. Tetendit arcum suum, et posuit me quasi signum ad sagittam. 13. Misit in renibus meis filias pharetræ suæ. 14. Factus sum in derisum omni populo meo, canticum eorum tota die. 15. Replevit me

(1) Non solo suo nomine loquitur Jeremias hoc Threno, ut recte monet Rosenmuller, sed universus populus hebraicus suam miseriam sub unius viri persona conquestus inducitur; hinc a vers. 40, in prima *Pluralis* persona loquitur, a qua vers. 48 seqq. ad primam *Singularis* redit. Cum negat Pareau, ullum hujus apud hebræos poetas consuetudinis exemplum afferri posse, non est recordatus vir doctissimus plurium Psalmorum, qui totius populi hebræi acerba fata inter barbaros oppressores sub imagine hominis omni cruciatuum genere affecti conqueruntur, veluti *Psalm.* VI, XII, XIII, XXII. Quod Pareau Jeremiam ait constanter solere populos inducere vel sub persona mulieris, vel in plurali numero loquentes, nihil valet. Quid enim obstat, quo minus vates e solita forma semel iterumque discesserit?

Sed a vero discedere nobis videtur idem Rosenmuller, cum non admittendam censet sententiam eorum qui Jeremiam ita per totum hoc caput loqui existiment, ut suas afflictiones cum publica calamitate conjungat, adeoque modo veluti privatus modo totius populi nomine lamentetur. Nihil enim obstat quin de isto duplici objecto, scilicet de propriis et patriæ malis hæc lamentatio decurrat, quin argumentum carminis inconstans et vagum sit, ut objicit Rosenmuller.

PRIMO igitur, Propheta repræsentat perpessiones in corpore, provenientes *primo*, ex paupertate, vexatione ac verberatione a Deo ipso illata, 1-4 ; *secundo*, ex captivitate et carcere omne levamen excludente, 5-9 ; *tertio*, ex Dei ferientis implacabili studio, et hostium illudentium cantico, 10-14 ; *quarto*, ex dolore et luctu continuato, omnem animi æquitatem elidente, et interitum afferente, 15-18.

SECUNDO, exhibet affectus varios in animo, cujusmodi sunt, *primo*, conversio ad Deum, cum humilitate ac spe conjuncta, 19-21 ; *secundo*, testificatio conscientiæ de Dei misericordia, 22-24 ; *tertio*, prædicatio divinæ bonitatis, exemplo credentium, sperantium, ac patientiam colentium probatæ, 25-31 ; *quarto*, veneratio divinæ justitiæ, ad emendationem, non ad destructionem percutientis, 32-36 ; *quinto*, commendatio submissionis erga Dei voluntatem, inspectionis in propriam conscientiam et deprecationis in Deum, cum acri objurgatione contra illos qui ita desipiunt, ut excludant Deum a gubernatione rerum humanarum, 37-41.

TERTIO, sequitur oratio Prophetæ et populi, utrumque argumentum repetens, *primo*, per confessionem culpæ, 42 ; *secundo*, per tolerantiam pœnæ a Deo immissæ et ab hostibus illatæ, 43-47 ; *tertio*, per profusionem lacrymarum, 48-51 ; *quarto*, per querelas de sui persecutione, oppressione et proxima ruina, 52-54 ; *quinto*, per supplicationem utriusque postulantem, sibi salutem et redemptionem, 55-58 ; hostibus pares injuriis, contumeliis et sannis illatis vices, 59-64 ; voti utriusque executionem, 65, 66.

amaritudinibus, inebriavit me absinthio. 16. Et fregit ad numerum dentes meos, cibavit me cinere. 17. Et repulsa est a pace anima mea, oblitus sum bonorum. 18. Et dixi : Periit finis meus, et spes mea a Domino. 19. Recordare paupertatis, et transgressionis meæ, absinthii, et fellis. 20. Memoria memor ero, et tabescet in me anima mea. 21. Hæc recolens in corde meo, ideo sperabo. 22. Misericordiæ Domini quia non sumus consumpti : quia non defecerunt miserationes ejus. 23. Novi diluculo, multa est fides tua. 24. Pars mea Dominus, dixit anima mea : propterea exspectabo eum. 25. Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum. 26. Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei. 27. Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua. 28. Sedebit solitarius, et tacebit : quia levavit super se. 29. Ponet in pulvere os suum, si forte sit spes. 30. Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis. 31. Quia non repellet in sempiternum Dominus. 32. Quia si abjecit, et miserebitur secundum multitudinem misericordiarum suarum. 33. Non enim humiliavit ex corde suo, et abjecit filios hominum, 34. ut contereret sub pedibus suis omnes vinctos terræ, 35, ut declinaret judicium viri in conspectu vultus Altissimi. 36. Ut perverteret hominem in judicio suo, Dominus ignoravit. 37. Quis est iste, qui dixit ut fieret, Domino non jubente? 38. Ex ore Altissimi non egredientur nec mala nec bona? 39. Quid murmuravit homo vivens, vir pro peccatis suis? 40. Scrutemur vias nostras, et quæramus, et revertamur ad Dominum. 41. Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cœlos. 42. Nos inique egimus, et ad iracundiam provocavimus : idcirco tu inexorabilis es. 43. Operuisti in furore, et percussisti nos : occidisti, nec pepercisti. 44. Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio. 45. Eradicationem, et abjectionem posuisti me in medio populorum. 46. Aperuerunt super nos os suum omnes inimici. 47. Formido et laqueus facta est nobis vaticinatio, et contritio. 48. Divisiones aquarum deduxit oculus meus, in contritione filiæ populi mei. 49. Oculus meus afflictus est, nec tacuit, eo quod non esset requies, 50. donec respiceret et videret Dominus de cœlis. 51. Oculus meus deprædatus est animam meam in cunctis filiabus urbis meæ. 52. Venatione ceperunt me quasi avem inimici mei gratis. 53. Lapsa est in lacum vita mea, et posuerunt lapidem super me. 54. Inundaverunt aquæ super caput meum : dixi : Perii. 55. Invocavi nomen tuum, Domine, de lacu novissimo. 56. Vocem meam audisti : ne avertas aurem tuam a singultu meo, et clamoribus. 57. Appropinquasti in die, quando invocavi te : dixisti : Ne timeas. 58. Judicasti, Domine, causam animæ meæ, redemptor vitæ meæ. 59. Vidisti, Domine, iniquitatem illorum adversum me : judica judicium meum. 60. Vidisti omnem furorem, universas cogitationes eorum adversum me. 61. Audisti opprobrium eorum, Domine, omnes cogitationes eorum adversum me; 62. labia insurgentium mihi, et meditationes eorum adversum me tota die. 63. Sessionem eorum, et resurrectionem eorum vide; ego sum psalmus eorum. 64. Reddes eis vicem, Domine, juxta opera manuum suarum. 65. Dabis eis scutum cordis laborem tuum. 66. Persequeris in furore, et conteres eos sub cœlis, Domine.

Allegorice, Jeremias hic afflictus Christum patientem et cum eo quemvis martyrem repræsentat. Vide Dionysium Carthusianum illi singula adaptantem.

Tropologice, has Jeremiæ voces et lamenta imitetur pastor populi, in obsessa urbe; et Sanctus quilibet, in communi calamitate et punitione reipublicæ. Ita S. Augustinus, inquit Possidonius, cum Africa a Wandalis vastaretur, flebat et lamentabatur assidue, cumque ejus urbs Hippon ab eis obsideretur per 14 menses (unde et post mortem ejus capta ab eis et concremata est), tertio obsidionis mense, ex dolore in febrim incidit: orabatque Dominum, ut aut urbem liberaret, aut servos suos ad perferendam voluntatem suam fortes faceret, aut se de hoc sæculo eriperet. Hoc tertium contigit ei : mortuus est enim in obsidione. Sub mortem Davidis psalmos pœnitentiales assidue legebat, et ubertim flebat, dicebatque etiam laudatos christianos et sacerdotes, absque digna et competenti pœnitentia, exire de corpore non debere. Legant ergo tales hosce Threnos Jeremiæ.

1. EGO VIR, — *q. d.* Ego Jeremias hujus cladis communis, qua cum civibus meis involutus sum, non modicam partem video, id est experior et sus-

tineo. Isaias enim, Sophonias et alii prophetæ cladem hanc futuram prædixerunt, sed eam non viderunt, jam ante defuncti : Ezechiel vivebat, sed procul aberat, degens in Babylone; solus Jeremias præsens cladem Hierosolymæ aspexit, ac ejus pars magna fuit, non ob propriam, sed ob civium et patriæ stragem, quæ assidue oculos ejus feriebat. Pro *vir* Syrus vertit *gigas*, quo nomine Syri solent vocare Deum, ob robur immensum. Hinc in abstracto vocant eum גבורותא *gaborutho*, *q. d.* Ipsa giganteitas, id est ipsa immensa fortitudo, et fortissima immensitas. Vide dicta *Isaiæ*, cap. LVII, 15.

PAUPERTATEM. — Hebræum עני *oni* plenius vertas cum Chaldæo et aliis, *afflictionem*; et Latinis quoque afflictio et miseria vocatur *paupertas* per synecdochen. Mystice S. Bernardus, serm. 2 *De Cœna Domini* : « Secundum, inquit, ferculum (in mensa Christi) est paupertas spiritualis, quam tria constituunt : depositio rerum et contemptus; vilitas et abjectio sui ipsius; abdicatio propriæ voluntatis in omnibus. Voluntaria ergo paupertas, quæ sine possessione vel desiderio habetur, quanto expeditior est, tanto securior est. Custos et magistra est virtutum : sicut e contrario radix est vitiorum immoderata rerum affluentia. Expedit esse nudos, cum diabolo, qui nudus est, luctaturos. Nudus athleta fortius dimicat; natator exuitur, ut fluvium transeat; viator, rejectis sarcinulis, bene cursitat. Nobilis itaque titulus voluntariæ paupertatis, quam Christus docuit verbo : Beati, inquiens, pauperes spiritu, etc. Consecravit exemplo; nec enim habuit propriam domum in qua caput reclinaret, et in qua cum discipulis pascha manducaret; nec proprium habuit unde tributum solveret. Commendavit eam etiam ore prophetico, dicens : Ego vir videns paupertatem meam. » Subdit exempla : « Hujus paupertatis exemplum primi post Christum Apostoli tradiderunt, quando in primitiva Ecclesia multitudinis credentium erat cor unum, et anima una, et omnia communia. Hæc Religiosis Apostolorum sequacibus indicta est; quæ comitem quærit paupertatem spiritus, ut humilia et abjecta de seipso sentiat et judicet, » etc.

IN VIRGA INDIGNATIONIS, — in castigatione, qua peccatis meis meorumque civium offensus et indignatus, me Jeremiam cum meis Judæis castigat. Alludit ad virgam vigilantem, *Jerem.* I, 11.

EJUS, — inimici. Ita Olympiodorus. Melius alii, « ejus, » scilicet Dei; hujus enim indignationem his Threnis passim inculcat, eumque assidue mente, æque ac ore volvebat afflictus ab eo Jeremias. Sic sponsa, *Cant.* I, 1 : « Osculetur, inquit, me osculo oris sui. » Quis? utique sponsus, quem unum mente volvo, et alios pariter volvere opinor.

Nota : Solent pastores suarum ovium, et Sancti reipublicæ communem cladem, suis peccatis ex humilitate attribuere. Ita fecit hic Jeremias; ita fecit Daniel, cap. IX, et Machabæi, lib. II, cap. VII. Ita S. Lupus, Trecensis Episcopus, Attilæ adventanti occurrens, rogansque quis esset, ac audiens : Ego sum Attila, rex Hunnorum, flagellum Dei, dixit : « Et quis est mortalium qui Dei flagello resistat? Ego sum lupus dissipator gregis Domini; veni ergo, Dei mei flagellum, illoque utere, ut Deus concedit. » Jussit ergo portas aperiri, frenumque Attilæ tenens, pedes eum cum copiis per mediam urbem deduxit. Attila quasi attonitus, alia porta egressus, civitatem intactam reliquit. Ita Nicolaus Olanus in *Attila*, cap. IX.

Allegorice Christus est vir, hebraice גבר *gaber*, id est fortis, de quo dixit Jeremias, cap. XXXI, 22 : « Femina circumdabit virum. » Hic enim vir, cum Moses, Gedeon, Jeremias aliique prophetæ omnes se excusarent a salvando Israele, solus nostram afflictionem viriliter in se suscepit, et suam fecit.

Tropologice hic vir est Adam, « qui paradiso pulsus veras interni gaudii delicias amisit, » ait S. Gregorius lib. XXXIV *Moral.* cap. II.

2. ME MINAVIT. — Hebraice est, duxit et deduxit.

IN TENEBRAS, — in carcerem tenebrosum, in quem a Phassur aliisque Judæis conjectus Jeremias, in eo vitam egit per tres annos, *Jerem.* XXXII et XXXVIII. Rursum tenebræ significant res adversas, lumen prosperas (1). *Psalm.* LIV, 6 : « Timor et tremor venerunt super me, et contexerunt me tenebræ; » *Job* XVII, 12 : « Post tenebras spero lucem, » *q. d.* Post nubila Phœbus, post luctum spero gaudium.

ET NON IN LUCEM, — *q. d.* In meras et cimmerias tenebras, omni luce carentes. Hanc enim auxesin significat negatio adjecta affirmationi, ut cap. II, vers. 17 : « Destruxit et non pepercit, » id est plane, sine ulla misericordia destruxit. *Ezech.* XVIII, 21 : « Vita vivet, et non morietur, » id est omnino vivet; *Isaiæ* XXXVIII, 1 : « Morieris tu, et non vives, » id est certo morieris; *Joan.* I, 20 : « Confessus non negavit, » id est plane et diserte, sine ulla negatione aut tergiversatione, confessus est se non esse Christum.

3. TANTUM IN ME VERTIT, ET CONVERTIT MANUM SUAM TOTA DIE, — *q. d.* Deus per totos dies mihi non aliud fecit quam me assidue colaphis et alapis cædere. Est metaphora a colaphizantibus, qui continuo alicui alapas impingunt manu, nunc unam genam, nunc alteram conversim feriendo, itaque ictus geminando, iisque faciem versando et reversando instar fabri, qui ferrum versat, tundit et retundit, donec illud in eam formam quam cupit, effingat.

(1) Imago a tenebris ducta, ut apud aliorum populorum, ita et apud Hebræorum poetas frequens est, ad miseram conditionem repræsentandam, vide *Isai.* V, 30; *Jerem.* XIII, 16; *Mich.* VII, 8. Hoc autem loco respici ad profundas et umbrosas valles, ovibusque minus tuta loca, Pareau probabile putat ex pastoritio verbo נהג *naag*, latine *minavit*, ut hic vertit Hieronymus. Sed utrumque verbum et latius usurpari, et in universum *ducere* significare constat. (Rosenmuller.)

4. VETUSTAM FECIT PELLEM MEAM — assidua ærumna, fame et verberibus, detrivit in me juvenilem decorem, et seniles rugas pelli meæ induxit: unde et ossa, quibus fulcitur corpus, id est vires meæ occisæ et quasi contritæ sunt. Ita Origenes, S. Thomas, Dionysius. Sic Psaltes ait, *Psal.* CXVIII, 83: « Factus sum sicut uter in pruina; » uter enim, pruinæ expositus, contrahi et corrugari ac quasi senescere solet.

Vers. 4 BETH.

Vers. 5. 5. ÆDIFICAVIT IN GYRO MEO, — scilicet vallum et aggeres, quibus vallarunt Hierosolymam Chaldæi. Ita Chaldæus, Origenes, Theodoretus.

Secundo et melius, Origenes et Rupertus supplent vocem *carcerem*, *q. d.* Deus carcerem mihi aptavit, eoque me conclusit. Patet ex vers. seq. ubi ait: « In tenebrosis collocavit me. »

Tertio, non male Maldonatus et Sanchez metaphorice explicant: « Ædificavit in gyro meo, » hoc est circumvallavit me labore et felle, uti statim explicat, id est omni ex parte circumdedit me periculis et laboribus, sicut urbem quæ cincta est muris; ita ut non possim ex uno malo fugere, quin incurram in aliud (1).

CIRCUMDEDIT ME FELLE ET LABORE, — id est amaritudine et defatigatione in tot laboribus, persecutionibus et ærumnis. Hebræa sic quoque verti possunt: *Circumdedit caput et suspendit ipsum*, scilicet catena et furca, quæ collo Jeremiæ injecta fuit; *tertio*, Chaldæus vertit: *Circumdedit civitatem, eradicavit capita*, id est duces populorum; *quarto*, Hebræi per *fel* accipiunt Nabuchodonosorem, per *laborem* Nabuzardan, qui urbem et templum incendit. Sed primus sensus est planissimus.

Allegorice Christus in passione felle potatus est, et fatigatus tot itineribus, plagis ac cruce.

6. IN TENEBROSIS COLLOCAVIT ME, QUASI MORTUOS SEMPITERNOS, — in perpetuum morti et oblivioni datos, *q. d.* Jacui in carcere tenebroso et tetro, perinde ac jacere solent in sepulcro mortui in perpetuum, de quibus dicitur *Psalm.* XLVIII, 12: « Sepulcra eorum domus illorum in æternum. » Hinc apud Persas, carcer in quem morituri conjiciebantur, vocatur λήθη, *lethe*, id est oblivio; Romanis *barathrum*, a profunditate et luto. Sic Ezechiel, cap. XXXVII, Judæos in Babylone captivos vocat mortuos, et Babylonem vocat eorum sepulcrum; ac consequenter reditum e captivitate in patriam et libertatem, vocat resurrectionem: uti enim servitus civilis est mors; ita carcer est sepulcrum, et incarceratio civilis hominis sepultura.

Vers. 7. GHIMEL. 7. CIRCUMÆDIFICAVIT ADVERSUM ME. — Hebraice est גדר *gadar*, id est quasi sepem obstruxit super me, *q. d.* Deus undique me Jeremiam conclusit carcere et compedibus, ne qua effugiam. Ita Chaldæus, Origenes, Hugo, Dionysius.

Secundo, Rabanus et S. Thomas accipiunt hæc de populo obsesso Hierosolymæ; Theodoretus, Rupertus et Lyranus de captis in Babylone. Jeremias enim hic ita suam calamitatem luget, ut simul etiam cladem populi lugeat: hæc enim eum angebat, ac si propria fuisset. Unde quædam verba magis Jeremiæ, quædam magis populo conveniunt, ut quod hic dicit: « Circumædificavit adversum me; » et vers. 5: « Ædificavit in gyro meo. »

Tropologice S. Gregorius, homil. 12 *in Ezech.*: « Habemus, inquit, compedes ipsam infirmitatem et corruptionem mortalitatis nostræ; sed, cum tribulatio nobis et gemitus additur, ipsæ naturæ compedes aggravantur. »

8. CUM CLAMAVERO (ex Hebræo verti potest: *Cum clamabam*); EXCLUSIT, — vel, ut Septuaginta, *obstruxit*, scilicet fenestras, viam et fores cœli, ne ad Deum pervadat oratio mea, *q. d.* Deus mihi est inexorabilis, ut ait vers. 42 et 44. Hinc patet hæc non tam ad Jeremiæ personam, quam ad populi, quam ipse hic repræsentat, pertinere. Jeremiæ enim exorabilis et favens fuit Deus, populo vero inexorabilis: unde pro eo Jeremiæ vetuit orare, cap. XIV, vers. 11. Quæ sane extrema afflicti, et undique ab hostibus obsessi, est calamitas; ut tam Deum, quam homines, habeat infensos, ac cœlum ipsi æneum, æque ac terra ferrea esse videatur.

9. CONCLUSIT VIAS MEAS LAPIDIBUS QUADRIS, — *q. d.* In carcere quasi lapidibus quadris obstructus teneor, ne qua via abeam aut evadam: hinc semitas, scilicet evadendi, subvertit, id est evertit, hoc est egrediendi omnem modum et viam ademit, ut nullum usquam pateat effugium, nullus elabendi aditus. Pro *subvertit*, a Castro vertit, *excæcavit*, id est cæcas fecit semitas, id est occultavit vias evadendi, ne eas invenire possim. Verum hebraice non est עור *iffer*, id est excæcavit, sed עות *iffa*, id est curvavit, dejecit, evertit; Vatablus vertit, *depravavit*. Hac phrasi significat Deum tam Judæis, quam Jeremiæ, omnem spem auxilii et evasionis tum e carcere, tum potius ab instante urbis et gentis excidio præcidisse. Hæc phrasis notat ejus qui positus est in arctis, e quibus eluctari nequit, extremum angorem et desperationem. Sic Job, cap. XIX, vers. 8: « Semitam, ait, meam circumsepsit, et transire non possum (2). »

Vers. 10. DALETH. 10. URSUS INSIDIANS FACTUS EST MIHI. — Deum juste sævientem in se et Judæos, vocat ursum et leonem; quia Deo tribuit, quod hostes quasi ursi et leones, Jeremiæ insidiantes et invadentes, Deo

Deus Judæis fuit quasi ursus et leo, cur?

(1) Amaritudo et ærumna sistuntur audaci et eleganti figura, quasi hostiles copiæ quibus Jova miserum circumdat et angustat. Imagine haud absimili usus est Ovidius, *Trist.* V, v, 41:

Tam me circumstat densorum turba malorum.

Jobus, XIX 12, calamitatum turbas contra ipsius tentorium castra ponere queritur. (Rosenmuller.)

(2) C. B. Michaelis allegoricas hasce phrases sumptas observat a venatoribus, aut ursis leonibusve, qui vel intra angustos ac circumseptos utrinque tramites, unde evadere non possint, feras concludunt, vel per devia ac perplexa agitant, ut nesciant quo vadant.

permittente, fecerunt, quibus ipse fuit quasi scopus, in quem ipsi omnes sagittas conjecerunt. Ita Rupertus, *q. d.* Deus, qui mihi ante erat pater et protector, jam in Chaldæis factus est mihi ursus et leo. In urso notatur sævitia laniandi et devorandi; in leone etiam invictus animus, terror et fortitudo. Unde Scriptura hæc duo animalia solet jungere, cum horribilem cladem significat, ut *Proverb.* cap. XXVIII, 15; *Osee,* cap. XIII, 8; *Amos,* cap. V, 19.

Nota : Loquitur hic Jeremias nomine, non tantum suo, sed et patriæ et civium suorum; quibus ipse datus erat pastor, propheta et præco. Unde de Hierosolyma hæc explicant Theodoretus, Chaldæus et alii, *q. d.* Chaldæi, quasi ursi et leones, Hierosolymæ insidiati, eam ceperunt, vastarunt, et in eam quasi scopum omnia tela jaculati sunt.

Secundo, aliqui per ursum accipiunt Nabuchodonosorem, per leonem Titum. Gravius enim et sævius fuit excidium illatum Judæis a Tito et Romanis, quam a Chaldæis. Verum omnia hæc proprie spectant ad excidium Chaldæorum : ulterius tamen acies Prophetæ, vel Spiritus Sancti, hæc omnia direxit ad excidium Romanorum. Sicut ergo Judæis ursus et leo fuit Nabuchodonosor, ita fuit et Titus.

11. SEMITAS MEAS SUBVERTIT. — Recte : hoc enim significat hebræum סורר *sorer,* quod a סור *sur,* id est recessit, geminata littera *resch* descendit, et significat, declinavit, recedere fecit, evertit, subvertit (1), *q. d.* Sicut ursus et leo hominem in semita aggredientes eum supplantant, subvertunt, occidunt : ita et Deus me Jeremiam volentem per semitas occultas ex Hierosolyma effugere, per Phassur et Judæos comprehendit, subvertit, et in carcerem detrusit : pari modo populum meum, puta Judæos, ex Hierosolyma capta fugientes per semitas hortorum regiorum, a Chaldæis comprehendi, subverti, et occidi aut captivari fecit. Unde explicans, subdit : « Confregit me. »

Secundo, « semitas, » id est actiones meas omnes subvertit, id est in alium exitum, quam in quem ego intendebam, declinavit; fecit ut omnia mihi male succederent. Ita Maldonatus.

Tertio, Chaldæus *sorer* a סיר *sir,* id est spinæ, deducens, vertit : *Spinis sepsit semitas meas,* ut, si progredi velim, in spinas incurram, iisque pungar et cruenter.

CONFREGIT ME, — *q. d.* Totum me a capite ad talos, a cute ad ossa concussit, conquassavit, contrivit.

POSUIT ME DESOLATAM. — Ita et Septuaginta, *me,* scilicet Jerusalem; vel potius animam Jeremiæ : unde hebraice est masculine שוממם *scomem,* id est desolatum me posuit.

12. TETENDIT ARCUM SUUM, — id est omnium malorum telis objectus fui, omnibus ærumnis, quasi jaculis suis confixit me Deus.

POSUIT ME QUASI SIGNUM AD SAGITTAM, — posuit me scopum in quem ipse et omnes sua tela collinent, ut eum configant. Pro *signum* hebraice est מטרה *mattara,* quæ vox non tantum signum significat, sed et custodiam, id est carcerem; quasi in eo Jeremias defixus sit instar scopi, ut sagittis configeretur. Hinc Arabicus Antiochenus vertit : *Fecit me obstaculum* (Alexandrinus *adversum*) *sagittæ suæ.*

Sagittarii certo scopum configentes, qui?

Legimus de exercitatis et peritis sagittariis, quod quolibet ictu scopum configerent. Tales fuerunt olim incolæ insularum Balearium, qui pueros suos ita in arte jaculandi exercebant, ut cibum eis non darent, nisi prius eum sagitta confixissent : et Benjaminitæ, qui etiam pilum jaculando tangebant, *Judic.* XX, 16. Celebratur Alcon Cretensis sagittarius, qui, cum vidisset filium Phalarum a serpente circumplexum, adeo certo ictu serpentem percussit, ut filii corpus non tangeret. De quo Virgilius, *eclog.* 5 :

Aut laudes Alconis habes, aut jurgia Codri.

Domitianus imperator, teste Suetonio, quarumcumque ferarum capita ita directe sagitta feriebat, ut duobus jactibus quasi duo cornua efficeret; quandoque in pueri procul stantis, præbentisque pro scopo dispansam dexteram, sagittas tanta arte libravit, ut omnia digitorum intervalla digitis intactis contingeret. Simile est quod faciunt malleatores æris Dionanti, qui inter duos pollices locum malleo percutienti ostendunt et præbent, quem percussores ita certo et continuo ictu feriunt, ut ab hominum memoria in tanto numero vix ullus inventus sit qui errarit, et pollicem tenentis æs tetigerit et læserit. Parthi fugientes hostem a tergo sagittis certo configebant, testibus Virgilio et Lucano :

Fidentemque fuga Parthum versumque sagitta.

Et :

Ocyor et missa Parthus post terga sagitta.

Multo magis Deus certo scopum quem vult attingit et ferit, quemque vult mortificare directe tangit in eo quod amat et concupiscit, illudque adimit, vel in eo cruciat. Ita Jacob nimis amantem suum Joseph mortificavit, permittendo Joseph vendi et abduci. Ita Davidem in Absalone, Abrahamum in Isaaci immolatione, Heli in filiis afflixit.

13 MISIT IN RENIBUS (id est in teneram carnem

(1) Id est, inquit Rosenmuller, fecit ut mihi deficiant viæ; id vero fit vel mobilitate soli in præcipitia dehiscentis, vel fossis aut aggeribus, quibus via intercipitur, fitque invia, vel diverticulis tortuosis eam ignorabilem reddentibus. Otto significare putat : *Fecit ut aliquis a via declinaret,* deduxit aliquem a via. Metaphoram a leone et urso petitam (vers. 10) hoc commate continuari arbitratur : « Dici, inquit, omnino potest bestia aliquem a via deducere, si clamore suo illum ita reddat attonitum, ut de via recta decedat. » Hanc interpretationem quam lix commendabilem censet Rosenmuller, haud tam in levi habendam existimamus.

Filiæ pharetræ sunt sagittæ.

et corpus meum : est synecdoche) FILIAS PHARETRÆ, — id est sagittas quæ in pharetra, quasi filiæ in matris utero continentur. Sic Horatius, *ode* 22, lib. II, vocat : « Pharetram gravidam sagittis. » Nomine *pharetræ* significat Dei providentiam, judicium, vindictam, ex qua emittit tela, id est flagella, « in renes, » id est concupiscentias et desideria mea, intima æque ac secretissima (tales enim in homine sunt renes), quia omnia votis et voluntati meæ contraria facit; non ut me perdat, sed ut corrigat, erudiat, perficiat. Ita Origenes et Rabanus. Hinc Arabicus Alexandrinus vertit : *Injecit sagittam suam in renes meos*; Antiochenus : *Ingressa est jam in renes meos sagitta ej us*.

Secundo, nominat renes, ut significet maximum dolorem; hic enim in renibus maxime sentiri solet. Quocirca renes in arcano sermone sunt quasi sedes correptionis castigationisque divinæ, juxta illud *Psalm.* XXV, 2 : « Ure renes meos; » et *Jerem.* XII, 2 : « Prope es tu ori eorum; et longe a renibus eorum. » Unde *Psalm.* XV, ", dicitur : « Usque ad noctem increpuerunt me renes mei; » et *Job* XVI, 14 : « Convulneravit, ait, lumbos meos (qui sunt sedes renum), et effudit in terram viscera mea. » « Pharetra Dei, inquit Rabanus, est occultum Dei judicium vel consilium : sagittam vero de pharetra ejicit, quando de occulto judicii consilio apertam sententiam emittit : quod enim flagellatur, quisque agnoscimus; sed ex qua causa flagellum veniat ignoramus. Cum vero post flagella, vitæ correctio sequitur, aut non sequitur, consilii ratio aperitur : aliquos enim feriendo corrigit et emendat, alios duriores reddit, ut justius damnet, ut Pharaonem. »

Pharetra Dei est occultum Dei judicium.

Moraliter, dicat hoc cum Jeremia Christus in cruce, S. Sebastianus et quilibet christianus : « Tetendit arcum suum, et posuit me quasi signum ad sagittam; misit in renibus meis filias pharetræ suæ. » Sic enim Christus « positus est in signum, cui contradicetur, » et in scopum de quo configendo Judæi et Gentiles certarunt, *Lucæ* II, 34. Sic Job, cap. XVI, 13 : « Ego, inquit, ille quondam opulentus repente contritus sum, etc., posuit me quasi in signum : circumdedit me lanceis suis; » et S. Paulus, I *Thessal.* III : « Nemo, inquit, moveatur tribulationibus istis : ipsi enim scitis quod in hoc positi sumus, » quasi scopus, ut jaculis trajiciamur. Idem I *Corinth.* IV : « Spectaculum, inquit, facti sumus mundo, angelis et hominibus, etc. : usque in hanc horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis cædimur, etc. : tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc; » et II *Corinth.* XI : « In laboribus, inquit, plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter, » etc. *Primo* ergo sciat fidelis, quod tota vita boni christiani est crux, vel interna vel externa, vel immissa, vel sponte assumpta; hancque quotidie exspectare et optare debet : quotidie enim vel a Deo, vel a dæmone, vel a carne, vel ab amicis, vel ab inimicis, vel a maledicis linguis sagitta aliqua configetur. Sic morbi sunt sagittæ Dei. Sagitta in renibus est calculus, sagitta in latere est pleuritis, sagitta in oculo est catarrhus, sagitta in capite est vertigo, sagitta in stomacho est cruditas; sagittæ in aure sunt convicia et maledicta; sagittæ in anima sunt motus superbiæ, iræ, libidinis, etc., quos suscitat dæmon; sagittæ in bonis sunt damna opum et fortunarum. Ita Fredericus III imperator audiens ab improbis multa in se maledicta jactari, ad proceres suos conversus : « An nescitis, inquit, principes quasi signum ad sagittas expositos? turres enim prælatas fulgura feriunt, humilia tecta prætereunt. »

Christus et martyr est quasi signum ad sagittam.

Tota vita christiani est crux.

Secundo, sciat sagittas has undecumque venientes esse sagittas Domini, id est providentiæ et amoris ejus erga nos; non signa odii, non tela maleolentiæ. Sagittat ergo nos Deus *primo*, ut nos recalcitrantes et superbos sternat, sibique subjiciat; sic sagittavit Paulum, cum eum prostravit et convertit. *Secundo*, ut peccata præterita castiget et expiet; ita sagittavit hic Jeremiam et Judæos. *Tertio*, ut concupiscentias in carne nostra occidat; sic luxuriosos sagittat morbis, utque cum concupiscentiis certare easque vincere doceat. *Quarto*, ut hominem ad perfectam patientiam, id est sanctitatem et perfectionem, perducat. « Patientia enim opus perfectum habet, » inquit S. Jacobus cap. I, 4 : sic sagittavit Job. *Quinto*, ut hominem Christo similem et vicinum efficiat. Statuit enim Deus suam virtutem et gloriam in hoc mundo ostendere in forti sanctorum patientia : unde veniens in mundum non alium sibi locum elegit, quam in cruce. Vis ergo invenire Deum? quære crucem. In cruce es, gaude : Deum enim tecum habes, ipse enim ait : « Cum ipso sum in tribulatione : eripiam eum, et glorificabo eum. » Ita, cum S. Antonius post acrem luctam cum dæmonibus rogaret Christum : « Ubi eras, bone Jesu, ubi eras? » respondit illi Dominus : « Antoni, hic eram, sed exspectabam videre certamen tuum. » *Sexto*, ut hominem a terrenis desideriis et cogitationibus ad cœlestia transferat, cœloque præparet.

Deus ex amore sagittat nos ob sex causas. Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta.

Tertio, sciat christianus quod quotidie se offerre debeat cruci, et stare constanter, quasi signum ad sagittam; imo quotidie aliquam crucem a Deo petere, uti faciebat S. Xaverius, qui in assiduis laboribus, persecutionibus et ærumnis orabat Deum ut se iis non liberaret, nisi majores immitteret : generosi enim animi est cum S. Paulo gloriari in cruce. Ergo, ut adversa quælibet superemus, cogitemus nos hic a Deo positos esse quasi signum ad sagittam, ac resolvamus constanti animo nos omnes Dei sagittas excepturos; ideoque mentem per cogitationem, spem et amorem in cœlo et Deo defigamus : qui enim in cœlo cum Beatis versatur, omnia hæc infima bona et mala, quasi minima et nullius momenti, des-

Christianus quotidie petat et exspectet crucem.

picit. Quare animum a terra et a corpore ad angelos transferamus; conversatio nostra sit in cœlis. Corpore tantum degamus in terris, ut sagittæ hæ solum corpus feriant, non animum. Anima hic instar angeli in corpore assumpto versetur : angelus enim nulla bona vel mala corporis assumpti sentit, quia angelus est a corpore sejunctus, et in cœlo habitans. Ita faciat et anima sancta : cum enim hoc fecerit, et per resignationem ac patientiam cruce superior evaserit, nullam crucem sentiet, et sæpe illa liberabitur. Ideo enim Deus crucem immittit, ut ad patientiam et victoriam nos perducat, qua parta bellum omne et crucem subducit.

Vers. 15. 15. INEBRIAVIT ME ABSINTHIO. — Idem dicit quod priore hemistichio : « Replevit me amaritudinibus; » et vers. 5 : « Circumdedit me felle, et labore; » unde vers. 19, fel et absinthium conjungit S. Hieronymus, per hæc accipit angustias, necessitates, malorum magnitudinem : Theodoretus amaram et acerbam vitam; idque ad eorum purgationem et medicinam, ait Hugo. Huic enim servit absinthium.

Nota : Pro *replevit*, hebraice est השביעני *hisbiani*, id est *saturavit me*, ut vertunt Septuaginta, *amaritudine*, quasi myrrha. Myrrha enim hebraice vocatur מור *mor* : inde hebraice מרור *meror* et *mara*, ac latinum *amara* et *amaritudo*. Myrrhæ enim amarities inter amara primas tenet : unde si comedatur, lacrymas ciet, ventremque et totum hominem amaricat. Hinc doloris et acerbitatis est symbolum, uti significat hoc ejus ænigma :

De lacrymis, et pro lacrymis mea cœpit origo.
Ex oculis fluxi, sed nunc ex arbore nascor.
Lætus honor frondis, tristis sed imago doloris.

Hinc sponsa in *Cantic.* cap. I, 12 : « Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi. » Et cap. IV, 6 : « Vadam ad montem myrrhæ, et ad collem thuris. » Talis fuit mons Calvariæ Christo crucifixo, ejusque sponsæ. Et cap. V, 5 : « Manus meæ stillaverunt myrrham, et digiti mei pleni myrrha probatissima. »

Vers. 16. Vau. 16. FREGIT AD NUMERUM DENTES MEOS. — Hebraice est : *Fregit dentes meos in calculo*, vel *ad calculum*, quo scilicet rationes et numeri subducuntur : « ad numerum » ergo, id est ordine et sigillatim quemque designando : hoc enim est hebræum חצץ *chatsats*; unde dicitur חץ *chets*, id est sagitta, quia una post aliam ordine emittitur, *q. d.* Ad unum omnes dentes meos fregit, dum videlicet calculos sive lapillos pani meo miscuit, quos dum mordeo, confringo dentes meos. Unde

Secundo, alii passim cum Chaldæo et Septuaginta vertunt : *Confregit lapide dentes meos*. Mixti ergo reipsa fuerunt in carcere lapilli panibus Jeremiæ, qui attriverunt dentes illius, idque vel ex malitia Judæorum, vel potius ex fame et penuria; sic enim dum pauperes sub cinere coquunt suos panes, multum pulveris et lapillorum eis admiscetur. Sic ergo Jeremias panem scrupulis plenum comedit, qui magnum ei dolorem et molestiam attulit. Unde Seneca, lib. I *De Benefic.* cap. VII, beneficium quod noxam et cruciatum affert, vocat panem lapidosum. Ita Hebræi et Vatablus.

Tertio, Maldonatus : *Confregit lapide dentes meos*, id est, inquit, maximum mihi dolorem fecit, ac si lapide contrivisset mihi dentes, eosque instar arenæ comminuisset et pulverizasset, ait H. Pintus.

Quarto, alii : L*apide*, inquiunt, id est calculo decretorio et condemnatorio, ad mortem damnavit omnes dentes, id est omnia membra mea. Olim enim judices, calculis in urnam jactis, ferebant sententiam, condemnationis, si atrum calculum jacerent; absolutionis, si candidum. Primus sensus est planissimus.

Allegorice dentes sunt Apostoli, qui confracti sunt, cum fugerunt in passione Christi.

Tropologice : Dentes, inquit Rabanus, sunt prædicatores, qui populo, vel interni sensus, qui animæ cibum verbi Dei præmandunt et dissecant, atque aliena præcidunt. Si præmansores hi edentuli sint, vel dentes habeant obstupescentes; puta si sint imperiti, aut in terra terræque bonis defixi, famem sentiet totum corpus, id est totus populus et tota anima.

CIBAVIT ME CINERE, — prostravit me, ut humi sedens in cinere, cum eo panem meum miscere debeam. Sic ait David, *Psalm.* CI, 10 : « Quia cinerem tanquam panem manducabam : et potum meum cum fletu miscebam. »

Nota : Cinis et saccus, sive cilicium, olim erant signa luctus et habitus pœnitentium. Ita Judith et Judæi in obsidione Holophernis inducti ciliciis, cinere asperserunt capita, *Judith* cap. IV, 9 et 16, et cap. IX, 1. Idem fecerunt, cum angelus sub Davide plagam inferret populo, I *Paral.* XXI, 16. Idem fecit Esther cum suis, cap. IV, 1 et 3; Job cap. XVI, 15, qui et cap. XLII, ait : « Ago pœnitentiam in favilla, et cinere; » et Machabæi, lib. I, cap. II, 14, et Daniel, cap. IX, 3. Unde Chaldæus hic vertit, *humiliavit in cinere*; alii, *involvit, obtexit, obruit me cinere*; si *me*, ergo et panem cibumque meum. Minus recte Vatablus transfert, *vertit me in cinerem*; et Tigurina, *præcipitavit me in lutum.*

Moraliter cibat se cinere, qui sæpe de morte cogitat illudque recolit : « Cinis es, et in cinerem reverteris, » *Genes.* III, 19. *Secundo*, qui memor est suæ vilitatis, illudque ruminat : « Quid superbit terra et cinis? » *Eccles.* X. *Tertio*, qui cum S. Job, cap. XLII, « pœnitentiam agit in favilla et cinere. » Ita S. Franciscus, teste S. Bonaventura, pœnitentiæ causa, et ut gulam ac sensualitatem mortificaret, panem suum aspergebat cinere, ut eum redderet insipidum. Idem fecit S. Jacoponus S. Francisci assecla, qui hunc modum vincendi gulam tradebat : si quis cinere, absinthio, aliave

Modus vincendi gulam.

amara vel insipida re cibos sapidos faceret insipidos : imo ipse tentatus appetitu carnis, ut eum vinceret, carnem emit, eamque putrescere permisit, putidamque quotidie ori admovebat. « Cibavit ergo me cinere, » *q. d.* A gustu et cunctis meis sensibus abstulit omnem saporem, omnem delectationem et consolationem : nec tantum a sensibus, sed et ab omnibus facultatibus et potentiis animæ meæ : hoc enim est quod sequitur :

17. REPULSA EST A PACE ANIMA MEA. — Ita legunt Romana, Hebræa et Septuaginta. *Pacem* vocat quietem, prosperitatem et gaudium; unde sequitur : « Oblitus sum bonorum, » scilicet felicitatis pristinæ, *q. d.* Anima mea caret omni solita tranquillitate, lætitia et felicitate. Tanta enim malorum omnium congeries me ita obvallat et penetrat, ut omnem præteritæ lætitiæ, et bonorum memoriam mihi excutiat. Dicant hoc damnati, qui in tormentis repulsi sunt a pace et a Deo, qui est omne bonum : ubi bonorum quæ hic habuerunt, non reminiscuntur amplius. Sic Epuloni refricabat Abraham memoriam bonorum, quæ in vita habuerat : « Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, » *Luc.* XVI, quia præteritarum deliciarum non recordabatur; sicut Beati in cœlo obliti sunt laborum quos hic sustinuerunt, S. Laurentius suæ craticulæ, S. Stephanus lapidum, S. Catharina rotæ, S. Sebastianus sagittarum, aliique martyres suorum tormentorum jam quasi non recordantur. Unde, *Job.* XI, 16, dicitur : « Miseriæ quoque obliviscaris, et quasi aquarum quæ præterierunt non recordaberis, et quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam, et cum te consumptum putaveris, orieris ut lucifer? » Cum sancti videbantur consumpti a tyrannis, oriebantur ut splendentes stellæ in cœlo. Sicut aquæ fluminum jam delapsæ non retrocedunt ut recurrant, sed ad mare pergunt : sic illæ miseriæ jam elapsæ ad Beatos non recurrent, ut dicitur *Apoc.* XXI : « Et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor : quia prima abierunt. » Hinc Christus resurgens, audiens duos discipulos de sua morte loquentes : « Tu solus peregrinus es in Jerusalem, et non cognovisti quæ facta sunt in illa his diebus? » ait *quæ?* quasi oblitus tormentorum omnium quæ biduo ante sustinuerat. Sancti ergo cum Christo dicunt illud Josephi, *Genes.* XLI : « Oblivisci me fecit Deus laborum meorum. » Sicut ergo Beati malorum, sic damnati bonorum hujus sæculi penitus obliviscuntur. Vere Sapiens, *Eccli.* cap. XI, 19 : « Malitia, inquit, unius horæ oblivionem facit luxuriæ magnæ; » nimirum acerbitas et angustia horæ mortis, omnium deliciarum transactarum memoriam abolet. Dum ergo es in deliciis, memento finis : insonent tibi illæ damnatorum voces, *Sapient.* V, 8 : « Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra, » etc.

Damnati bonorum, Beati malorum obliviscuntur.

18. PERIIT FINIS MEUS. — Hebraice est נצחי *nischi*, quod *primo*, Chaldæus, Vatablus et Pagninus vertunt, *periit robur meum* vel fortitudo mea; *secundo*, Septuaginta *periit victoria mea, q. d.* Spes victoriæ mihi periit, qua sperabam me hostes et tot mala superaturum, utpote cum videam Deum mihi adversum; *tertio*, alii vertunt, *periit stabilitas* aut *perpetuitas mea; quarto*, R. Salomon, *periit scutum meum et ætas mea; quinto*, R. Abraham, *periit statio mea in fortitudine quæ mihi erat; sexto*, Noster optime vertit, « periit finis meus, » id est perii ego, periit vita mea brevi finienda, *q. d.* Venit finis vitæ meæ, quo ego cum vita peribo; actum est de vita mea : ut sit hypallage. Vel simplicius, *periit finis*, id est, periit mihi spes videndi finem malorum meorum, *q. d.* Nunquam miseriæ meæ finientur, non est quod exspectem unquam liberationem ab his malis, non est quod deinceps sperem ullam quietem, libertatem, gaudium aut consolationem. Est hebraismus, sic enim Hebræi dicunt : Periit fuga a me, periit spes, periit gaudium; hoc est, nullum mihi est effugium, nulla spes, nullum gaudium; sic ergo et *periit finis*, hoc est, nullus erit malorum meorum finis.

Periit finis sextupliciter. *Primo.* *Secundo.* *Tertio.* *Quarto.* *Quinto.* *Sexto, et optime.*

Dicant hoc reprobi ad ÆTERNITATEM gehennæ et incendii damnati. Spes finis levat dolores, etiam acerbissimos. Dicunt enim miseri : « O passi graviora, dabit Deus his quoque finem. » Verum ubi dolorum non est finis, idque miser certo scit, hoc est quod cruciat, quod in desperationem et rabiem eum adigit. Quocirca hæc vel maxima damnatorum est pœna, cogitatio æternitatis suæ.

19. RECORDARE, — O Deus! Est repentina apostrophe Prophetæ plangentis, et dolore fluctuantis, atque huc illucque respectantis, num alicubi spes opis affulgeat. Dum enim ad naturam et humana præsidia respicit, desperat aitque : « Periit finis meus : » dum vero ad Deum suspicit, spem concipit oratque : « Recordare paupertatis et transgressionis meæ, » id est miseriæ, in quam propter transgressiones meas incurri. Ita Rabanus.

Vers. 19. ZAIN.

Secundo et melius, « paupertatis, » id est miseriæ, « et transgressionis, » qua scilicet mei cives Hierosolymitæ et Anathothitæ in me affligendo amicitiæ et humanitatis jura violant. Ita Hugo, Lyranus et Dionysius; unde Septuaginta vertunt, *persecutionis meæ*; Chaldæus, *quam dure tracter ab hostibus*; Vatablus, *rebellionis meæ*, qua scilicet mihi et oraculis meis rebellant. Hebræum enim vox מרודי *merud* significat rebellionem, et τὸ *meæ* sumitur passive non active, idemque est quod *contra me*. Minus recte ergo Dionysius exponit : « Transgressionis, » id est exsilii, quo de terra propria in alienam translatus et transgressus sum; et Paschasius : « Transgressionis, » inquit, quam scilicet ego Christus in me luendam pro hominibus accepi. Christus enim factus est pro nobis peccatum et maledictum, ut ait Apostolus, *Galat.* III, 13.

Mystice tamen hæc verba adaptari possunt

Christo peccata nostra luenti, quasi ipse in cruce victima, scelera cujusque fidelis animæ dependens, dicat ei : « Recordare paupertatis (nuditatis) et transgressionis meæ, absinthii et fellis, » quo pro te potatus sum. Cui mens pia vicario amore et compunctione transfixa occurrat, dicatque : « Memoria memor ero (tantæ erga me charitatis), et tabescet in me anima mea. » Christi enim patientis personam hic sustinet et repræsentat Jeremias.

ABSINTHII ET FELLIS, — id est amarissimæ afflictionis, ut dixi vers. 5 et 15.

Vers. 20. 20. MEMORIA MEMOR ERO, — *q. d.* Dum ex vehementi et acerbo sensu calamitatis meæ, et populi mei, assidue eam mente volvo et memoror, tabescit et instar ceræ liquescit et fatiscit anima mea. Ita Theodoretus et Rupertus. *Secundo,* Hugo et S. Thomas exponunt sic : Dum recordor beneficiorum Dei, tabesco et liquesco. *Tertio,* Rabanus, Lyranus et Dionysius sic : Dum recordor peccatorum propter quæ ita acerbe punior, tabesco. *Quarto*, alii sic : Dum recordor et recolo hæc tria : *primo,* infirmitatem meam; *secundo,* lapsum meum; *tertio*, iræ Dei flagella; tunc mens mea pudore et compunctione quasi tabescit; « ideo sperabo : » quia cor contritum non despicit Deus. Primus sensus uti simplicior, et magis cum præcedentibus connexus, ita et germanior est; incipit enim hic Jeremias ex tribulatione sua se erigere, seque excitare ad spem et fiduciam meliorum.

Moraliter, de memoria Dei. Moraliter, disce hic quantum bonum sit jugis Dei suique memoria. Hæc enim omnium bonorum est causa, sicut oblivio omnium malorum. Hinc iterum Moses inculcat Hebræis : « Recorderis Domini Dei tui, » *Deuter.* VIII, 2, 18, etc. Sic Anna recordante et invocante Dominum, quasi merces subditur : « Recordatus est ejus Dominus, » ut conciperet et pareret Samuelem, I *Reg.* I, 19. Sic Esther memorante et orante Dominum, dicitur cap. X, 12 : « Recordatus est Dominus populi sui, ac misertus est hæreditatis suæ, » ut per eam liberaret Judæos neci destinatos ab Aman. Ex adverso Isaias Damasco excidium et desolationem intentat, cap. XVII, 10 : « Quia, inquit, oblita es Dei salvatoris tui, et fortis adjutoris tui non es recordata. » Et Ezechiel Hierosolymæ, cap. XXIII, 35 : « Quia, inquit, oblita es mei, et projecisti me post corpus tuum, tu quoque porta scelus tuum. » Et Osee, cap. I, 6, jubetur filiæ suæ imponere nomen : « Absque misericordia : Quia, inquit, non addam ultra misereri domui Israel, sed oblivione obliviscar eorum, » qui obliti sunt mei. Et cap. IV, 6 : « Oblita es legis Dei tui, obliviscar filiorum tuorum et ego. » Quocirca sancti et sapientes summe caverunt oblivionem Dei, ac in jugi Dei memoria, cogitatione, invocatione, amore et laude se exercuerunt. Hinc Henoch « ambulavit cum Deo, » *Genes.* V, 24, uti et Noe, *Genes.* VI, 9. Tobias moriturus aureum filio dedit præceptum, quod utinam parentes filiis inculcent : « Omnibus, inquit, diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, » cap. IV, 6; et vers. 20 : « Omni tempore benedic Deum : et pete ab eo, ut vias tuas dirigat, et omnia consilia tua in ipso permaneant. » Memorabilis vero fuit Esther regina, quæ Deo fidenter ait cap. XIV, 16 : « Tu scis necessitatem meam, quod abominer signum superbiæ et gloriæ meæ, quod est super caput meum, etc., et nunquam lætata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum usque in præsentem diem, nisi in te, Domine Deus. » Quam crebram Dei memoriam habuerit David patet ex Psalmis, ut *Psalm.* XV, 8 : « Providebam Dominum in conspectu meo semper. » *Psalm.* XXIV, 15 : « Oculi mei semper ad Dominum : quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos. » *Psalm.* LXXVI, 4 : « Memor fui Dei, et delectatus sum. »

Dei ergo memoria in fideli et sancto parit, non tantum ingens meritum, opem et gratiam, sed et cœlestem delectationem. Hoc est quod ait Baruch cap. V, 5 : « Exsurge, Jerusalem, etc., et vide collectos filios tuos ab Oriente sole usque ad Occidentem, in verbo sancti gaudentes Dei memoria. » Et Isaias cap. XXVI, 8 : « Nomen tuum, et memoriale tuum in desiderio animæ. » Et vers. 4 : « Sperastis in Domino in sæculis æternis, in Domino Deo forti in perpetuum. » Et cap. LXIII, 7 : « Miserationum Domini recordabor. » Et *Jerem.* LI, 50 : « Recordamini procul Domini. » Cassianus ex Abbate Isaac, *Collat.* X, cap. VI, docet non tantum perfectionem, sed et beatitudinem hujus vitæ consistere in jugi Dei memoria, quæ, ait, facit ut homo « imaginem futuræ beatitudinis in hoc corpore possidere mereatur, » ac subdit : « Hic finis totius perfectionis est, ut eo usque extenuata mens ab omni situ carnali ad spiritalia quotidie sublimetur, donec omnis ejus conversatio, omnis volutatio cordis, una et jugis efficiatur oratio. » Medium et praxin suggerit cap. IX : « Erit, inquit, ad perpetuam Dei memoriam possidendam, hæc inseparabiliter proposita vobis formula pietatis : Deus, in adjutorium meum intende : Domine, ad adjuvandum me festina. Hic namque versiculus, etc., recipit omnes affectus. Habet siquidem adversus discrimina universa invocationem Dei; habet humilitatem piæ confessionis suæ fragilitatis; habet sollicitudinis ac timoris perpetui vigilantiam; habet confidentiam præsentis semper astantisque auxilii; habet amoris et charitatis ardorem. » Tentat te dæmon gula, superbia, ira, acedia; illico dic : « Deus, in adjutorium meum intende. » Hunc ergo versiculum dormiens, vigilans, orans, operans assiduo mente revolve. Ita Ecclesia eum identidem iterat, singulasque Horas ab eo inchoat, ac suo exemplo docet idem facere quemlibet fidelem. Nemo enim ita occupatus est, quin initio cujusque horæ, si velit, se assuefacere possit, ut voce vel mente aspirando ad Deum, dicat : « Deus, in adjutorium meum intende. »

TABESCET IN ME ANIMA MEA. — Septuaginta : *Confabulabitur mecum anima mea*; Symmachus : *Secum colloquetur*; Pagninus : *Incurvabitur, humiliabitur*; Vatablus : *Lamentabitur anima mea*, scilicet se et suas ærumnas, ut pene tabescat et deficiat. Ita Theodoretus et Rupertus.

Vers. 21. 21. HÆC RECOLENS, — scilicet tot ærumnas (earumque assiduam memoriam, indeque animi dolorem et contritionem), quibus videor satisfecisse delictis meis, et Deo, de quibus præcessit : simul etiam recolens argumenta et motiva ad spem efficacissima, quæ hic subjungo vers. 22. et sequent.; hæc, inquam, recolens, animum pene collapsum resumo : Deus enim cor contritum despicere, et pristinæ suæ in me populumque suum clementiæ oblivisci nequit. Est enim illa, æque ut ipse, immensa et intermina.

IDEO SPERABO. — Ita legendum cum Romanis, Hebræo et Chaldæo ; male ergo quidam legunt, *in Deo sperabo*. Sic Christus suum fel et dolores recolit, et commemorat coram Patre, eosque illi offert, ut fructum in nobis assequatur.

Vers. 22. Heth. 22. MISERICORDIÆ DOMINI, — scilicet sunt in causa quod non simus plane ob peccata consumpti, *q. d.* Nunquam ita sævit ira Dei, ut non temperetur misericordia, ad quam confugere licet. Chaldæus, Pagninus et alii vertunt : *Misericordiæ Domini sunt tantæ quod non deficiunt, q. d.* Immensæ Dei misericordiæ et miserationibus tribuendum est, quod ejus clementia tot peccatis nostris irritata, tamen non deficiat, nec cesset nos exspectare, nobis benefacere, et nostri misereri : putant enim ipsi תמנו *tamnu* positum esse pro תמו *tammu*.

Tropologice dicat jugiter anima pœnitens cum S. Maria Ægyptiaca : « Misericordiæ Domini quia non sumus consumpti. » Et cum Isaia ac S. Paulo *Rom.* IX, 29 : « Nisi Dominus sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, et sicut Gomorrha similes fuissemus. »

Vers. 23. 23. NOVI DILUCULO. — Id est, a pueritia fui illustratus tua cognitione. Ita Rabanus, Hugo, S. Thomas, Lyranus. Sed nota : Τὸ *novi* non est præteritum a *nosco*, sed est nomen plurale a *novus*. Id ita esse patet ex Hebræo חדשים *chadascim*, et ex Septuaginta, Pagnino, Vatablo et aliis, qui vertunt : *Novæ quotidie apparent in nos misericordiæ tuæ*; et Chaldæus qui vertit : *Miracula sua depromit diluculo ;* et Syrus : *In novitate* (innovatione) *diluculi multa est fides tua;* et Arabicus : *Fides tua, Domine, multa est, et nos speramus quod respicies nos, ut ortus matutini repente.* Et sic quidam Latini codices, teste Francisco Luca, legunt hic *novæ*, sed Romani legunt *novi :* retinent enim genus masculinum quod est in Hebræo *chadascim*. Ergo *novi*, supple *dies*, quotidie clari et læti ex tuarum affluentia misericordiarum illucescunt nobis : vel *novi*, scilicet effectus misericordiæ tuæ apparent in dies, *q. d.* Adeo non deficiunt misericordiæ tuæ, ut quotidie novas recipiamus, et novæ quotidie ipso summo mane celeriter nobis proveniant; nam cum sole, imo ante solem in ipsa aurora, in dies nova e cœlo in homines beneficia, quasi manna, depluunt.

Præclare S. Bernardus in *Meditat.* cap. VI : « Sicut, inquit, nullum est momentum, quo homo non utatur vel fruatur Dei bonitate et misericordia ; sic nullum debet esse momentum, quo eum præsentem non habeat in mente. »

Pro *diluculo* hebraice est לבקרים *labbecarim*, id est singulis matutinis, sive quolibet mane : mane sive diluculum significat celeritatem et assiduitatem miserendi et benefaciendi in Deo. Legimus in Vita B. Mechtildis virginis admirandæ, eam aliquando audivisse sanctos sibi dicentes : « Eia, quam felices vos estis qui adhuc vivitis in terris, et quam multa promereri potestis : quia si homo sciret quanta una etiam die promereri posset, mox ut e somno evigilaret, tanto gaudio cor ejus dilataretur, pro eo quod dies illa illuxisset, in qua Deo vivere, et ex Dei gratia suum meritum ad Dei laudem augere posset, quod tota die ad omnia quæ agere aut pati deberet, alacrior et fortior redderetur. » Refert hoc D. Blosius, lib. IV *Spiritualis gratiæ*, cap. IV, et alii. Hoc ergo est novum beneficium (unum e multis) quotidie diluculo cogitandum, atque tunc Deus simul se insinuat, et alias pias cogitationes et impulsus menti immittit, quibus homo de vitæ hujus brevitate, et alterius æternitate, de virtutum dignitate, et vitiorum turpitudine ac damnis cogitans excitet se, ut illo die contra vitia sua strenue dimicet, et in virtutibus valide crescat et proficiat. Utinam omnes hosce sanctos Dei satus et inspirationes mane exciperent, ad easque se disponerent per pias cogitationes, et per meditationem, quæ vitæ sanctæ fulcrum est et basis ! Mane enim mens æque ac caput maxime serena est, vigil et acer, adeoque aptissima ad alta et divina cogitandum et meditandum, atque Dei satus et instinctus sanctos recipiendos et ruminandos. Vidit hoc per umbram gentilis Pythagoras, inter cujus aurea documenta et carmina hoc recenset Hierocles ejus discipulus :

Visio S. Mechtildis.

Mane aptissimum meditationi.

Ante precatus
Numina, opus facito.

Tertio, aliqui cum nonnullis codicibus Septuaginta pro *chadascim*, legunt חדשים *chodascim*, id est *menses in matutinis*, ut sensus sit, *q. d.* Novus quisque mensis renovatur instar mane, vel ut diluculum ; renovatur, inquam, tuis misericordiis quas illo mense novas nobis præstas, ideoque primo die mensis cujusque celebramus diem festum Neomeniæ, id est novi mensis, ut nova pro novo mense a Deo beneficia poscamus. Idem faciunt christiani prima Dominica mensis.

Allegorice S. Hieronymus, vel potius Rabanus, hæc refert ad tempus primitivæ Ecclesiæ : hoc enim Ecclesiæ fuit quasi aurora et diluculum : « Loquitur, inquit, Propheta ad primitivam Ecclesiam in

Jerusalem, laudans speciem ejus; quæ post diluculum resurrectionis Christi veterem hominem exuens, novi hominis pulchritudinem ortu suo declarabat, » *q. d.* « Diluculo, » id est in resurrectione Christi, exsistent novi homines, id est per gratiam renovati, qui novos mores, novam vitam præ se ferent.

MULTA EST FIDES TUA. — *Primo*, aliqui τὸ *tua* passive capiunt, ut « fides tua » idem sit, quod fides et fiducia nostra quam in te habemus, *q. d.* Ex tot novis misericordiis quas in dies experimur, fides nostra in te augetur, ut magis in te credamus, confidamus, omniaque nostra tibi committamus, aiunt Theodoretus, Rabanus, Hugo, S. Thomas. Id enim utilissimum et futissimum esse discimus per experientiam : Deus enim in se confidentes, et recumbentes in sua providentia, per omnes actiones, passiones et difficultates dirigit et secundat, deducitque velut ovem Joseph; ut dicant cum Davide : « Dominus regit me (hebraice, *Dominus est pastor meus*), et nihil mihi deerit, » etc.

Secundo et melius, Lyranus, Dionysius et Vatablus sic explicant : Multa est fides, id est fidelitas et veracitas tua, Domine, quia fidelissime imples quod promittis; unde non mirum, si quotidie novas misericordias a te experiamur : has enim exhaurire nequeunt peccata nostra, cum ipsæ illa longe superent et antevertant.

Tertio, alii utrumque jungunt, *q. d.* Magnum est in te credere, quia nunquam fallis in eo quod promittis, sed semper illud adimples; ac nominatim id quod promisisti Davidi, *Psalm.* LXXXVIII, dicens : « Si autem dereliquerint filii ejus legem meam, etc., visitabo in virga iniquitates eorum : misericordiam autem meam non dispergam ab eo. » Illa enim est immensa, ac longe major peccatis nostris; quam proinde ut in hac castigatione nostra reipsa ostendas, oramus et obsecramus.

Vers. 24. 24. PARS MEA DOMINUS, — id est sors mea hæreditaria, hæreditas mea, et omne bonum meum est Dominus; unde Rupertus sic explicat, *q. d.* Alii solliciti sint et turbentur circa plurima, venentur opes et honores : mihi, ait Jeremias, cui dictum est cap. XVI, 2 : «Non accipies uxorem, nec erunt tibi filii et filiæ, » unum est necessarium, videlicet Dominus, quem rejecta omnium terrenorum sollicitudine, solum exspectabo. Sic ait David, *Psalm.* XV, 5 : « Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei : tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi; » et *Psalm.* LXXII, 25 : « Quid enim mihi est in cœlo? et a te quid volui super terram? » Sane ne hilum quidem : « Defecit caro mea, et cor meum : Deus cordis mei (anima et centrum), et pars mea Deus in æternum. » Sic S. Paulinus, ait S. Augustinus, captus a Wandalis aiebat : « Domine, non excrucier propter aurum et argentum : ubi enim omnia mea sint tu scis », scilicet « tu es pars mea, et portio mea in terra viventium; » et S. Franciscus : « Deus meus et omnia. »

Dominus est sors et pars Sanctorum. Exempla.

Secundo, « Dominus est pars mea, » id est mensura mea et remuneratio mea, scilicet meorum operum, ac præsertim patientiæ in captivitate et tribulatione. Ita Maldonatus. Sic enim capitur « pars, » *Job.* XXIX, 29 : « Hæc est pars (id est remuneratio, retributio) hominis impii a Deo. »

25. BONUS EST DOMINUS SPERANTIBUS IN EUM. — Vers. 25 Tertia. Dat causam cur Deum in partem suam elegerit, eumque exspectet : quia scilicet suis bonus est. Porro plures enumerat utilitates tolerantiæ et spei. Novem fructus spei et tolerantiæ. *Prima* est, quod bonum, id est propensum et beneficum, inveniat Deum. Sic ait Poeta *Æneid.* XII : Primus.

Vos mihi manes
Este boni,

id est propitii et faventes. *Secunda* est, vers. 26, quod præstoletur in silentio, et certo exspectet liberationem et salutem a Deo. *Tertia* est, vers. 27, quod hominem a puero assuefaciat jugo disciplinæ et tolerantiæ, itaque sensim et facile eum ad perfectam patientiam et sanctimoniam perducat. *Quarta*, vers. 28, quod afferat animæ solitudinem, quietem et tranquillitatem. *Quinta*, vers. 29, quod hominem humiliet usque ad pulverem. *Sexta*, vers. 30, quod hominem faciat mansuetum, facilem, imo gaudentem in plagis et opprobriis, ut iis quasi deliciis pasci et saturari videatur. *Septima*, vers. 37, quod inducat resignationem animi, qua homo totum se resignet in manus et providentiam Dei : scit enim et credit ab ea hæc omnia sibi immitti in suum bonum, ideoque in ea plane conquiescit et recumbit. *Octava*, vers. 40, quod hominem inducat ad serium sui examen et emendationem. *Nona*, vers. 41, quod inducat hominem ad orationem, pœnitentiam, et implorationem opis et clementiæ divinæ.

Secundus. Tertius. Quartus. Quintus. Sextus. Septimus. Octavus. Nonus.

Docte et pie S. Bernardus, lib. V *De Consider.* cap. XI : « Dico, inquit, tibi, Pater Eugeni, solus est Deus qui frustra nunquam quæri potest, nec cum quæritur inveniri non potest. Doceat te hoc experimentum tuum : aut si non, experto credito, non mihi, sed sancto qui ait : Bonus es, Domine, sperantibus in te, animæ quærenti te. » Unde recte infert : « Quid ergo est Deus? Quod ad universum spectat, finis. Quod ad electionem, salus. Quod ad se, ipse novit. Quid est Deus? voluntas omnipotens, benevolentissima virtus, lumen æternum, incommutabilis ratio, summa beatitudo, creans mentes ad se participandum, vivificans ad sentiendum, afficiens ad appetendum, dilatans ad capiendum, justificans ad promerendum, accendens ad zelum, fecundans ad fructum, dirigens ad æquitatem, formans ad benevolentiam, moderans ad sapientiam, roborans ad virtutem, visitans ad consolationem, illuminans ad cognitionem, perpetuans ad immortalitatem, implens ad felicitatem, circumdans ad securitatem. »

Illustris descriptio Dei.

ANIMÆ QUÆRENTI ILLUM. — S. Bernardus in *Psal.* XC, serm 9, notat, « quod *sperantes in eo* pluraliter dixerit, quod hoc videatur commune multo-

rum; *quærentem* vero *eum* singulariter, quod singularis sit puritatis, singularis gratiæ, singularis perfectionis, non modo nil sperare nisi ab eo, sed nihil quærere nisi eum. »

26. BONUM (utile æque ac honestum) EST PRÆSTOLARI CUM SILENTIO, — sine murmure, sine querela et turbato animo, tranquille, tacite et patienter submittere se tribulationi a Deo immissæ, et exspectare « salutare, » id est salutem, ut habent Septuaginta, et liberationem Dei; hebraice ad verbum est, *bonum est, et silebit;* quod Hebræi exponunt, *q. d.* Bene faciet homo si exspectet et taceat : nam, ut ait S. Bernardus, *epist.* 341 : « Enervat animam consolatio præsentium, roborat exspectatio futurorum. » Sic canit David *Psalm.* LXI, 1 : « Nonne Deo subjecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum. Nam et ipse Deus meus, et salutaris (salvator) meus : suceptor meus, non movebor amplius. » Et Moyses ad Hebræos trepidantes ob adventantem Pharaonem cum copiis, *Exod.* XIV, 14 : « Dominus, inquit, pugnabit pro vobis, et vos tacebitis. » Idem monet Isaias dicens, cap. XXX, 15 : « In silentio et in spe erit fortitudo vestra. »

Silentium est mater devotionis.

Moraliter, disce hic silentium esse matrem compunctionis, devotionis et tolerantiæ. Unde Climachus, *gradu* 4 : « Studiosus, inquit, silentii appropiat Deo, ipsique jugiter in abdito cordis assistens illustratur ab eo. » Thalassius : « Silentium purificat mentem et perspicaciorem reddit : custodit cor. » S. Franciscus : « Silentium calefacit cor amore Dei. » Alius : « Silentium mater est sapientissimarum cogitationum. » Merito ergo Gerson Cancellarius Parisiensis, tom. II, in responsione ad IV, *Quæst.* XCXI, concl. 3 : « Religionum, inquit, fundatores considerantes multiplex in linguæ vitio pendere animæ periculum, sanxerunt providissime pro summo remedio, juge pro loco et tempore suis sequacibus silentium, certas pœnas in robur suarum sanctionum contra transgressores adjicientes. Et clarum est experientia docente, quod ubi hæc censura silentii servatur arctius, ibi religio viget laudabilius et perfectius. » Turrecremata, tract. LVII in cap. VI *Regul. S. Benedicti,* decem rationes et fructus silentii assignat. *Prima* est, quia per illud vitantur peccata quæ a loquacitate oriuntur. Aureum est dogma S. Bernardi, tract. *De Perfect.* : « Bis ad limam veniant verba, quam semel ad linguam : » lima est silentium. Vere enim S. Augustinus, epist. 7 *ad Marcell.* : « Quamvis, ait, Tullius (ut scribitur) nullum verbum emiserit unquam, quod revocare vellet : hæc tamen laus credibilior est de nimium fatuo, quam de sapiente perfecto. » *Secunda,* vitantur scandala dissensionum, et pericula, in quæ loquaces incurrunt; unde illud vetus proverbium : « Silentii tutum præmium. » *Tertia,* quia convenit statui discipulorum silere, quales sunt religiosi, qui exercentur assidue in schola virtutum. *Quarta,* facit ad hominis perfectionem : unde Apollonius Thyanæus cum tacere nesciret, Pythagoricum et quinquennale sibi indixit silentium adeo pertinaciter, ut imperatori interroganti non φησι, sed scripto responderet. *Quinta,* operatur ad veritatem religionis, quæ sine silentio vana reputatur. *Sexta,* roborat hominem, cum portam obstruit hostibus. *Septima,* adjuvat pacem societatis, quæ in collegiis et claustris maxime necessaria est. *Octava,* præparat ad contemplationem et collocutionem cum Deo. *Nona,* conservat fervorem devotionis. *Decima,* signum est sapientis et prudentis viri. Unde Seneca : « Summa, ait, summarum hæc erit tibi, tardiloquentem te esse jubeo; » et Euripides : « Decorum silentium corona est viri; » et Climachus : « Dum, inquit, sub magistri manu sumus, silentio supremo, ignorantiam semper prætendentes, nos ipsos assuefaciamus : vir enim tacitus philosophiæ filius plurimam scientiam semper possidet. » Nam, ut idem ait, *gradu* 11, « taciturnitas in cogitatione est mater orationis, captivitatis revocatio, ignis divini amoris observatio, cogitationum diligens inspectio, specula hostium, carcer luctus, lacrymarum amica, memoriæ mortis operatrix, suppliciorum pictor, judicii indagatrix, sagax mœroris subministratrix, inimica fiduciæ, quietis conjux, ambitiosæ doctrinæ adversatrix, scientiæ adjectio, speculationis opifex, secretus in Deum profectus, occultus ascensus. » Hinc Esseni etiam in cœtibus suis, agapis et mensis mirum servabant silentium, teste Josepho lib. II, cap. VII. Porro esseni fuere religiosi ante Christum Judæi, et post Christum christiani effecti. De Tabennesiotis idem testatur Cassianus, lib. IV, cap. XVII. Plura de silentio dixi *Isaiæ* XXX, 15, XXXII, 17.

Decem fructus silentii. Primus. Tertius. Quartus. Quintus. Sextus. Septimus. Octavus. Nonus.

Vers. 27.

27. BONUM EST VIRO, CUM PORTAVERIT JUGUM (Domini) AB ADOLESCENTIA SUA. — « Jugum, » scilicet legis et mandatorum Dei, ut Deo obediat, et illius jugo colla submittat; unde Chaldæus vertit, *bonum est viro si docuerit animam suam, ut portet jugum præceptorum Domini a juventute sua.* Ita Hugo, Dionysius et alii : qui enim huic jugo legis assuetus est, hic facile in adversis erit patiens, mitis et humilis, *Matth.* XI, 30.

Educatio quam tenax.

Hinc Plato in dialogo qui dicitur *Euriphron* : « Consentaneum, ait, est primam de ipsis juvenibus curam suscipere, ut quam optimi evadant, sicut decet agricolam novellarum plantarum primam curam gerere. » Et Sapiens, *Prov.* XXII : « Proverbium est : Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea. » Et *Job* XX, inquit Sophar : « Ossa ejus implebuntur vitiis adolescentiæ ejus, et cum eo in pulvere dormient. » Quocirca S. Hieronymus, epist. 7 *ad Lætam de Instit. filiæ* : « Difficulter, ait, eraditur, quod rudes animi perbiberunt. Lanarum conchylia quis in pristinum candorem revocet? Recens testa diu et saporem retinet et odorem, quo primum imbuta est. Græca narrat historia Alexandrum orbis domitorem, et in moribus et in incessu, Leonidis pædagogi sui non potuisse carere vitiis, qui-

bus adhuc parvulus fuerat infectus. » Et S. Ambrosius in *Psalm.* CXVIII, serm. 19 : « Qui, ait, a juventute jugum portaverit, et habenis maturi moderaminis teneriora volens colla subdiderit, sedebit singulariter remotus a strepitu interpellantium passionum, et quietus silebit : cui necesse est jam non jurgari cum corpore, decertare cum variis cupiditatibus, quia tulit jugum verbi anima quæ quærit Deum, quæ captivas sibi fecit omnes delicias juventutis. »

Secundo, aptius et germanius, « jugum, » scilicet adversitatum quas Deus nobis imponit. Utilissimum enim est, si ab adolescentia sua cum Jeremia quis assueverit adversitati, humiliationi, jugo disciplinæ et correptionis Domini. Tacite hortatur Jeremias hic adolescentes Judæos abductos in Babylonem ad constantiam, quod hæc exercitatio eis deinceps utilis futura sit in omnem vitam, ad facilem quorumvis laborum et malorum tolerantiam, et ad profectum perfectionemque patientiæ, omnisque disciplinæ et virtutis acquirendam : hoc enim jugo solet Deus juvenes domare, mansuefacere, formare et perficere. Rursum Deus solet hoc jugum oleo consolationis, et fructus ingentis lenire et dulcorare. Denique sapiens est et generosus ille animus, qui a puero didicit sibique persuasit, vere esse liberum, qui se divino addixit jugo ; doletque si quod vitæ tempus ab hac ingenua Dei servitute et disciplina subduxit. Vult enim per omne tempus, a puero usque ad senium, ei se subjicere et dedere ; idque cum silentio et patientia, ut scilicet Deo illud imponenti non obstrepat, vel obmurmuret ; nec rursum jugum ipsum conetur excutere : qui enim id facit, non portat jugum lubens, sed trahit invitus, illudque odit, ideoque et meritum sibi imminuit, et pœnam ac dolorem sibi duplicat. Quocirca qui meritum majus, et jugi minorem dolorem et sensum expetit, dicat cum Michæa, cap. VII, vers. 9 : « Iram Domini (id est pœnam ab irato Deo mihi inflictam, patienter et libenter) portabo : quoniam peccavi ei. »

Tertio, alii *beth* pro *caph* accipiunt, et pro *in adolescentia* vertunt *instar adolescentiæ, sicut adolescentes, q. d.* Bonum est ferre jugum Domini instar adolescentum et juvenum vegetorum et animosorum, qui solent esse laborum et malorum patientissimi. Verum secundus sensus est genuinus.

A puero assuescendum est austeræ vitæ.

Ex quo moraliter disce utilissimum esse a juventute assuescere disciplinæ, mortificationi, austeritati, patientiæ : sic enim fiet in sanctitate illustris. Ita Christus a suo præsepio cœpit pauperem et duram agere vitam, ac se parare ad crucem et martyrium. Unde ait : « Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea. » Ita Samson et Samuel a puero vino et sicera abstinuerunt, atque consecrati sunt Nazaræi. Ita S. Joannes Baptista vix bimulus ivit in eremum, vestitus cilicio, locustis victitans, itaque meruit fieri paranymphus et martyr. Ita S. Placidus quinquennis traditus S. Benedicto efformandus, a puero vitæ monasticæ se assuefecit, factusque est illustris religiosus et martyr. Ita S. Nicolaus a puero jejunabat feria quarta et sexta. Ita S. Paulus primus eremita, S. Antonius, et S. Hilarion anno 15 ætatis relictis omnibus, eremum et vitam austeram inierunt. Ita S. Benedictus pueros passim ad suum Ordinem recipiebat, ut a teneris assuescerent austeritati et disciplinæ monasticæ. Ita olim tenelli pueri et virgunculæ a parentibus educabantur ad tormenta et martyria, uti S. Felicitas septem filios educavit et perduxit ad martyrium, teste S. Gregorio, homil. 3 *in Evangel.* Quin et nunc hoc anno et præcedentibus audivimus, in Japonia plures pueros pro Christi fide constanter martyrium obiisse, quos parentes ad hoc educaverant et instigaverant. Exstant catalogus et effigies puerorum martyrum ac crucifixorum.

Exempla.

Atque ita fecit heroina illa, quæ sub Dunaan tyranno duas filiolas suas pie educando, consecravit et virginitati et martyrio, de quibus vide Procopium, et ex eo Baronium, tom. VII, anno Christi 522, pag. 91. Rursum, ut alios prætermittam, ita fecit sub eodem tyranno gloriosa illa matrona, quæ filium suum a lacte educavit ad martyrium : cum enim Dunaan in Nagran Arabiæ civitate christianos persequeretur, matrona hæc se et filiolum quinquennem martyrum sanguine perungebat : quare a tyranno damnata fuit et rapta ad ignem ; et ecce filiolus ejus matrem raptam deflens, a Dunaan rogatus, « an secum in regno, an cum matre in rogo esse mallet ? » respondit : « Cum matre esse volo, ut ipsa me quoque assumat ad martyrium : ad hoc enim ipsa me sæpe hortata est. » Cumque Dunaan ex eo quæreret : « Quid est martyrium ? » respondit puer : « Pro Christo mori, et rursum vivere. » Dunaan rursus : « Quis est Christus ? Veni, inquit puer, ad Ecclesiam, et eum tibi ostendam. » Rursus Dunaan ei blandiebatur : cui puer : « Apage, inquit, Judæe, non te, sed matrem quæro ; » cumque vidisset matrem injici in ignem, momordit Dunaan tyrannum in femore, et cursu contendit ad matrem, atque insiliit in fornacem, matremque amplexus, factus est cum ipsa hæres martyrii. Rem fusius ex Procopio narrat Baronius, tom. VII, anno Christi 522, pag. 93.

Mira pueri martyris fortitudo et sapientia.

Educatio dura facit fortes et longævos.

Multum ergo valet educatio puerorum pia æque ac robusta et dura : facit enim eos animosos, robustos et tolerantes malorum, ideoque naturaliter longævos : cum e contrario educatio mollis et delicata eos faciat molles, effeminatos, infirmos, debiles, ideoque brevioris vitæ. Hac de causa videmus in Alpibus ubi summa sunt frigora, parentes suas proles parvulas nudas pene in rupibus tempore gelidissimo exponere, ut ad frigus ferendum assuescant et indurescant. Sane vidi in Alpibus robustissimos viros et feminas, in frigore vix vestitos, in aquis gelidis nudipedes incedere et labo-

rare, imo ludere. Ita Spartani suos pueros flagellis exercebant ad tolerantiam laborum et dolorum. Audi Plutarchum in *Lacon.* : « Lacedæmone inquit, pueri per integrum diem flagellis cæsi sæpe ad mortem usque apud Dianæ Orthiæ aram, læti alacresque tolerant, atque inter se de victoria certant, in eo posita quis diutius magisque perferat verbera; victoremque summa consequitur gloria. Certamen illud *flagellatio* dicitur, et quotannis habetur. » Quid mirum ergo si S. Edmundi Archiepiscopi Cantuariensis mater, cum eum puerum Parisios ad studia mitteret, duo ei ciliicia dederit, jusseritque ut bis vel ter in hebdomade illa gestaret; ac deinde sæpius alia et alia illi submiserit; tum ut iis juvenilem ardorem et libidinem edomaret, tum ut cruci assuesceret? Unde ipse matris consilia secutus ciliciis loricam addidit, iisque mire corpus afflixit, ut patet ex *Vita* ejus, cap. IX. Plura sanctorum et martyrum qui a puero cœperunt, exempla vide in *Speculo juventutis*, quod nuper edidit Bernardus Dorhofius.

Vers. 28. Job. 28. SEDEBIT SOLITARIUS, — id est mœstus, pœnitens, et peccatorum suorum gravitatem, quibus hoc jugum meruit, cum Magdalena meditans et deplorans. *Secundo* et potius, « sedebit solitarius, » quasi securus, patiens, edomitus jugo Domini, confidens et auxilium ac liberationem ab hoc tribulationis jugo exspectans, non ab homine, sed a Deo. Ita Origenes, Theodoretus, Olympiodorus.

Moraliter de amore solitudinis. Moraliter, nota hic quæ bona pariat solitario solitudo. Moses in solitudine per 40 annos didicit præesse populo, ibique in rubo ardenti vidit Dominum. Christus Dominus in desertum secessit mox a baptismo, *Matth.* IV. Thebaicæ solitudines olim plenæ erant monachorum turmis virisque sanctissimis. Amantissimus solitudinis fuit S. Hieronymus, ad quam suos charissimos sodales et amicos scriptis litteris invitavit. Scribens ad Rusticum : « Mihi, ait, oppidum carcer, solitudo est paradisus; » et ad Heliodorum : « O desertum Christi floribus vernans! o solitudo in qua magni illi nascuntur lapides, de quibus in Apocalysi civitas magni regis ædificatur! o eremus familiarius Deo gaudens! » Celebris est ob Platonis nomen villa Academia, in qua ipse docebat semotus ab urbe Athenarum, teste Laertio. Hesiodus canit se poeticam didicisse a musis, sed in monte Helicone dum agnos pasceret, nimirum :

Carmina secessum scribentis, et otia quærunt.

In deserto pasti sunt filii Israel manna per 40 annos, et columna duce confisi iter in terram promissam instituerunt, ibique, non in Ægypto, legem a Deo acceperunt. S. Bernardus, serm. 40 *in Cant.* : « O sancta, ait, anima, sola esto, ut soli omnium serves teipsam, quem ex omnibus tibi elegisti. Fuge publicum, fuge et ipsos domesticos, secede ab amicis et intimis, et ab illo qui tibi ministrat. An nescis te verecundum habere sponsum, et qui nequaquam suam velit tibi indulgere præsentiam præsentibus cæteris? » Jeremias, cap. IX, 2, optat solitudinem, ut ibi defleat interfectos conjuges. Sicut pestis solet grassari in exercitu et hominum frequentia, non in villis et solitudine : sic et vitia. Hinc optat Psaltes *Psalm.* LIV : « Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam? » Et rursum : « Elongavi fugiens, et mansi in solitudine. » Est enim eremus murus et antemurale virtutum. Sicut difficile est, ait S. Chrysostomus, arborem juxta viam plantatam fructus usque ad maturitatem servare, sic difficile est virum in medio turbarum sæculi innocentiam usque ad finem servare. Naturalis calor quo magis interius hiemis tempore reconditur, eo magis viget et concoquit; quo vero plus in æstate diffunditur, eo magis languet : eadem caloris spiritualis, hoc est divini amoris, est ratio : quo enim minus ad exteriora diffluit, eo plus in interioribus fervet. Hinc ait S. Bernardus in *epist.* : « Experto crede, aliquid plus invenies in sylvis quam in libris. Ligna et lapides docebunt te quod a magistris audire non possis. » Denique solitudo non tantum peccandi occasiones aufert, sed et mentem in cœlum ad Deum sustollit. Hoc est quod ait Dominus, *Ose.* II : « Ecce ego lactabo eam, et ducam eam in solitudinem : et loquar ad cor ejus. » Et S. Hieronymus, *ad Marcellam.* epist. 15 *De Laudibus Asellæ* : « Asella, ait, unius cellulæ clausa angustiis, latitudine paradisi fruebatur. » Et interius : « Sponso aut orans loquebatur, aut psallens. Et cum gauderet proposito suo, in eo vehementius exsultabat, quod se nullus cognosceret. » Denique memorabile est quod scribit Dionysius Cassius in *Vita Adriani imper.*, de quodam ejus præfecto, qui vocabatur Similis : Præfecturam, inquit, invitus accepit, quam deinde deposuit vacatione data : vixitque dimissus, in agro septem annos (quod fuit reliquum vitæ) in otio et quiete exegit, atque hæc moriens sepulcro inscribi jussit : « Similis hic jacet, cujus ætas quidem multorum annorum fuit, septem tamen duntaxat annis vixit. »

QUIA LEVAVIT SUPER SE, — scilicet jugum tribulationum Domini, de quo præcessit. Ita Theodoretus, Olympiodorus, Vatablus. Hunc sensum exigit nostra versio, ut et Syriaca et Arabica, quam mox citabo. *Secundo*, Vatablus vertit, *quia levavit*, scilicet Deus, *super ipsum* hoc jugum, *q. d.* Quia scit afflictus et patiens, Deum sibi hoc jugum imposuisse, cui contrariare nec possumus, nec debemus; hinc patienter id subit, quia eumdem cum voluerit, illud depositurum et ablaturum credit.

Tertio, Hugo, Rabanus, Rupertus et Lyranus legunt, *quia levavit se super se*, scilicet a terrenis ad cœlestia, *q. d.* Seipsum supergressus libravit se a terra in cœlum, ab infirmitate ad robur, a pusillanimitate in animi celsitudinem. Alii explicant, *levavit se super se*, id est suum statum transcendens elatus est in fastum et superbiam. Unde B. Petrus Damianus, priorem sensum sequens, *epist.* 130

« Solitarius, ait, plane dum tacet se elevat super se, quia mens humana dum intra silentii claustra undique circumcluditur, in superiora sublimis erigitur, ad Deum per cœleste desiderium rapitur, et in amore ejus per ardorem spiritus inflammatur; et tanquam fons vivus dum per verborum circulos fluere hinc inde non sinitur, undis excrescentibus in altiora cumulatur : templum ergo tui pectoris nunc per silentium crescat, virtutum structura consurgat, uti supernus ille sponsus, quem totis visceribus diligis, velut in thalamo suo delectabiliter requiescat. » Et S. Bernardus, serm. 1 *De SS. Petro et Paulo* : « Levabit se super se, id est inquit, cum adolescens esset, et lubricæ ætatis sentiret ardores, senem induit, relinquens quod erat, assumens quod non erat : levavit se super se, quia non respicit ad se, sed ad illum qui est super se : sedebit enim et tacebit etiam modo a strepitu diabolicarum suggestionum, a strepitu carnalium desideriorum, a strepitu mundi. Felix anima quæ linguas istas non exaudit : audiat licet. » Et S. Basilius, tract. *De Laude vitæ solitariæ* : « Sedebit, inquit, solitarius, et tacebit; elevabit enim se supra se. Habitator enim tuus) o cella, o solitudo!) se elevat supra se, quia Deum esuriens anima a terrenarum se rerum obtutibus erigit, et in divinæ contemplationis arce suspendit, a mundi se actionibus segregat, atque in altum contemplationibus cœlestibus desideriis pennas librat : cumque illum qui est super omnia conspicere satagit, semetipsum quoque homo cum reliqua mundanæ vallis dejectione transcendit. » Verum hæc lectio corrupta est et falsa : legendum enim est cum Hebræis, Græcis et Latinis Romanis, aliisque emendatis, *levavit super se*. Unde Syrus vertit : *Sedebit solus et tacebit, quia recepit super se jugum tuum*; et Arabicus Antiochenus : *Sedebit solus et tacebit; quia jam imposuit sibi jugum tuum*; et Arabicus Alexandrinus : *Sedebit solus et tacebit, quia recepit, ut custodiat mandata tua*. Ipse ergo per jugum intelligit Dei legem et mandata, non crucem et tribulationem.

29. PONET IN PULVERE OS SUUM, — humiliabit se, et Deum adorans vultu in terram demisso, usque ad pulverem deprimet os suum (1), atque humiliter de se sentiens et loquens dicet cum Abrahamo : Ego sum terra et cinis, ac quasi reus et supplex ore incumbens terræ et cineri, veniam postulabit, dicetque cum Job : Parce mihi, Domine; et cum Davide : Miserere mei, Deus; si forte humili prece spei et liberationis suæ compos fieri posset. Sic e contrario *ponere in cœlum os suum, Psalm.* LXXII, 9, est superbe ac magnifice loqui contra Deum, cœlum et cœlites, iisque quasi insultare. Ita Origenes, Rabanus, Lyranus, Vatablus. Aliter Sanchez : Ponet, inquit, os in pulvere, quasi victus, ut victor caput ejus calcet, uti fecit *Josue* cap. X; unde vers. 34 hic subdit : « Ut contereret sub pedibus suis omnes vinctos terræ. »

Aliter et Theodoretus, *q. d.* Tacebit et generose feret convicia et probra, perinde ac si os haberet plenum terra S. Ambrosius in *Psal.* CXVIII, *serm.* 10, pro hoc versu ita legit : « Dabit in sepulturæ fossuram os suum, si tamen est spes patientiæ; » itaque explicat : « Ostendit supra modum patientiæ taciturnitatem, ut tanquam sepeliat os proprium, ne loquatur et velut quodam aggere virtutum obstruat, ne vocem doloris emittat, tantum pondus afferens patientiæ quam spes foveat, ut vocem ipsam velut busto quodam ac tumulo sepeliat ac includat, quam nulla extorquere, nulla excitare possit injuria. » Taciturnitas est sepulcrum impatientiæ.

30. DABIT PERCUTIENTI SE MAXILLAM, — *q. d.* Hac spe animatus Dei servus ultro se flagellis, probris, alapis exponet : alapa enim non tantum dolorem, sed et ignominiam pudoremque insignem infligit. Sic Paulus, II *Corinth.* XII, datum sibi ait angelum Satanæ, qui se colaphizet, id est humiliet, et pudore afficiat : hoc enim facit stimulus carnis, id est tentatio libidinis. Describit singularem patientiam viri cujuslibet, qui ab adolescentia jugum Domini portaverit. Quod quamvis generaliter dictum sit, tamen specialiter de Christo intelligendum est : Christi enim typus fuit Jeremias incarceratus, alapa percussus et vexatus a Judæis; et Christus omnium martyrum, et omnis patientiæ perfectissima fuit idea et exemplar. Ita Maldonatus passim, Patres et Interpretes. Vers. 30.

SATURABITUR OPPROBRIIS, — quia propter Deum ea feret, ita læte ac si cibum sumeret laute et splendide; ut hac resignatione et humili tolerantia Deum sibi promereatur, conciliet, reddatque benevolum : cogitabit enim et sibi persuadebit, « quia eum non repellet in sempiternum Dominus. »

Nota : Illustrium sanctorum et perfectorum est pasci et saturari opprobriis. Docet hoc S. Dorothæus magnus perfectionis doctor, narratque exempla mira sancti cujusdam Patris, qui ab alio gravissimis conviciis lacessitus, se non avertit, sed attendit quid diceret, et gratias etiam egit : « Benedictum, inquit, sit, frater, os tuum a Domino. » Illo contra respondente : « Ne tu, improbe et voracissime senex, hæc dicis, ut lauderis : Sane, inquit senex, ita planissime, mi frater, se res habet ut dicis. » Hac salutatione peracta quispiam rogavit Patrem, utrum nihil fuerit his maledictis commotus? Qui nunquam alias tam pacatum se fuisse affirmavit, ut qui suam animam tum singulari Christi gratia senserit custoditam. Annon hoc perfectum opus et heroicum? Moraliter, sanctorum est pasci opprobriis

Idem sanctus Pater rogatus qua ratione, si ab alio contemnaris et conviciis appetaris, animus sit ad æquitatem componendus, ne in iram prosiliat? « Si, inquit, teipsum contempseris, non perturbaberis, » uti docuit Pœmen Abbas : « Nam si

(1) Respicit ad adorationis ritum, quo solebant Orientales prona in terram facie sese prosternere; vide *Job*, 20. Ante verba quæ sequuntur subaudiendum לאמר *lemor, dicendo : Si forsan est spes.* (Rosenmuller.)

teipsum abjeceris, plena animi pace perfrueris. » Et subjecit : Quidam, ait, frater, quem ego religiosa veste Deo initiavi, cœpit postea multa de me sinistra et obscena loqui. Id ego secreto cognovi mihique dixi : « Hic est a Christo missus, ut omnem animæ tuæ vanitatem et gloriam ferro adurat. Hic est medicus animæ tuæ; sicuti nocent qui beatum te et sanctum prædicare solent. » Dixi ergo referentibus ejus convicia in me, illa aperta esse mala, eorumque minimam partem quæ in me vidisset : occulta vero latere in animo infinita quæ non vidisset. Postea frater ille Cæsareæ mihi occurrit, meque identidem salutavit et osculatus est, quasi nihil de me dixisset. Ego vicissim eum peramanter resalutavi et osculatus sum, quasi nihil scirem eorum quæ contra me dixerat. Tum ille flens procidit ad pedes meos : Ignosce, ait, Pater; multa enim indigna de te dixi. Ego contra osculo complexum compello, dicoque me omnia hæc cognovisse, et tamen eodem amore semper eum prosecutum esse, nec induci potuisse ut ullum verbum sinistrum contra eum proferrem, sed continuis votis ei numen propitiasse. Argumentum tibi, inquit, sit : laborabam graviter oculis, cum memor tui, impressi illis signum sanctæ crucis, et oravi : « O Domine Jesu Christe, per preces illius (te nominabam) sana me : » extemplo curatus sum.

Idem narrabat, cum mendicus quidam minus quam sperabat a B. Dionysia stipis accepisset, cœpit de illa et me inhonesta evomere; cumque illa tantam injuriam vellet ulcisci, dixi : « Domina, tibi ipsi insidiaris: omnem enim virtutem ab anima excludis. Quid dignum iis sustinebis quæ pro te Christus sustinuit? Meministi, domina, quantam vim opum velut stercora dissiparis? Quod si mansuetudinem tibi non comparaveris, perinde eris ac faber ferrarius, qui massam ferri tundit, et nullum inde vas conficit. S. Ignatius ait : Mansuetudinem volo, qua omnis vis et potestas principis hujus mundi enervatur. Nota certa contemptus mundi est, nulla re perturbari. » Aurum contempsisti, aciculæ punctura moveris? non es serva Dei, sed honoris quem amas; quod enim animi sunt vitia, tot sunt et domini. Nam, ut ait Apostolus : « A quo quis superatus est, hujus et servus est. » His illa auditis emendata et admirata : « Invenisti, ait, Deum quem desideras. » Hæc omnia ex Patrico et Dorotheo refert Noster Raderus in *Viridario* part. III, cap. II.

Climachus, cap. *De Humilitate* : Diem, ait, perdidisse te puta, quo non sustinueris opprobria. Quocirca regula undecima Constitutionum nostrarum tam serio et graviter inculcat nobis ardens desiderium patiendi injurias et contumelias. Scribit de seipso S. Gregorius Nazianzenus, quod ignominia quam honore et splendore sit clarior. Idem de fratre suo Cæsario, qui a Juliano Apostata præfectura ærarii dejectus fuerat, eo quod esset christianus, aut potius sponte eam hortante Nazianzeno deseruerat, scribit, quod ex honoris hujus neglectu factus sit honoratior, quodque ignominia hac sit decoratus et illustratus.

33. QUIA SI ABJECIT (*q. d.* Esto videatur Deus afflictum ad tempus abjecisse, tamen) ET MISEREBITUR, — id est, etiam rursus miserebitur ejusdem : Non enim « continebit in ira sua misericordias suas, » *Psalm.* LXXVI, 10; hebraice est, *si dolore affecerit, miserebitur;* percutiet enim et ipse sanabit, *Deuter.* cap. XXXII, 39. Hæc spes certa miserationis et liberationis divinæ excitavit Jeremiam, virosque sanctos, ut facies alapis alacriter præberent, et gauderent saturari opprobriis. Ita Tobias, cap. III : « Post tempestatem, inquit, tranquillum facis : et post lacrymationem et fletum, exsultationem infundis. »

NON ENIM HUMILIAVIT EX CORDE SUO, — *q. d.* Non est Deo volupe, proprium, aut per se intentum affligere homines, sed per accidens hoc Deus facit, et quasi coactus ob peccata nostra : proprium enim est Dei misereri, et, ut dicitur, *Sapient.* I, 13 : « Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum. » Unde Septuaginta vertunt : *Non respondit ex corde suo, et humiliavit filios viri.* Hebræum enim ענה *ana* et humiliare significat et respondere; quod Theodoretus ita exponit : Quasi Deus non ex animo loquatur, quando innuit se iratum esse, cum intus gerat viscera misericordiæ. Chaldæus prorsus aliter exponit, sic : *Quia, propterea quod non affligit unusquisque animam suam, et non aufert superbiam de corde suo, ideo hoc fecit, ut devolveretur interitus super filios hominum.* Sicut ergo medicus vult ustionem et cauterium amici ægri, non propter se, sed ut eum morbo liberet : ita et Deus vult tribulationem nostram, ut animæ vitia resecet, non ut hominem tribulet et cruciet.

34. UT CONTEREREt. — Hic versus et duo sequentes pendent ex præcedenti, *q. d.* Deus non humiliat ut conterat, quasi sævus dominus et tyrannus. Aut potius hi tres versus pendent ex fine vers. 36, scilicet « Dominus ignoravit, » ibi enim concluduntur hi tres versus litteræ *lamed,* qui hic incipiunt, *q. d.* « Dominus ignoravit, » hoc est, ignorat et nescit ut conterat pro arbitrio, pro non meritis, vinctos terræ, utque declinet more perversorum judicum judicium, id est normam judicii alicujus viri, nolens eum ad sui defensionem admittere; sed ex odio vel gratia, aut donis corruptus, volens causa inaudita eum insontem damnare, aut sontem plus æquo punire, ut hominem suam causam coram se agentem et juste defendentem pervertat, et injuste damnet; hæc enim « Dominus, » qui justissimus est et clementissimus pater, « ignoravit, » hebraice *non vidit,* id est facere non novit, nec cogitavit. Ita Olympiodorus, Rupertus, Lyranus, Vatablus. Unde Syrus vertit : *Ad condemnandum hominem in judicio suo Dominus non vidit;* et Arabicus Antiochenus adversative, sed eodem sensu, vertit : *Et homo fecit judicium*

Vers. 34. LAMED.

ejus et exaudivit eum, quia Dominus videt eum (1)

Secundo, hæc, ut pendent ex fine versus 36, « Dominus ignoravit, » alii accipiunt hoc modo, quasi occurrat objectioni huic. Si verum est quod dicis, Deum non abjecisse suos fideles, sed eorum misereri; cur ergo videmus multos ex eis, ut Judæos, conteri sub pedibus tyrannorum, scilicet Chaldæorum, et judicium eorum deflecti, eosque juste se defendentes condemnari, et bonis omnibus everti? Respondet hæc omnia, si fiunt, non fieri Deo probante, sed quasi ignorante, id est non volente, non jubente, sed permittente, hoc est, non fieri voluntate sua antecedente, sed consequente, scilicet ob prævisam et permissam Chaldæorum culpam. Ita Rabanus, Hugo, S. Thomas; unde Arabicus Alexandrinus vertit: *Et condemnavit bonum in judicio, et non videt id.*

Tertio, Chaldæus et Theodoretus explicant, *q. d.* Deus non humiliat ex se, et sua inclinatione, sed ob peccata, eos scilicet qui solent alios conterere, et injuste damnare. Primus sensus est planissimus.

OMNES VINCTOS TERRÆ; — Judææ scilicet, id est omnes Judæos a Chaldæis vinctos et captos, ita Hugo; vel, ut S. Thomas, « vinctos, » id est afflictos in terra, tenues et pauperes, *Psalm.* LXVIII, 34.

Secundo, Olympiodorus et Vatablus per *vinctos terræ* intelligunt peccatores; hi enim peccatis obstricti et vincti sunt.

Tertio, Theodoretus: hi, inquit, *vincti terræ* sunt homines terræ alligati, qui terrena sapiunt, nec mentem ad sublimia et cœlestia erigunt. Sed primus sensus est litteralis.

Vers. 35. 35. UT DECLINARET (Deus) JUDICIUM VIRI (non justa lance ejus merita ponderando, sed declinando judicii libram in unam vel alteram partem) IN CONSPECTU VULTUS ALTISSIMI, — id est suo. Est hebraismus, loquitur enim Deus de se in tertia persona.

Vers. 36. 36. UT PERVERTERET HOMINEM, — id est hominis causam et judicium.

DOMINUS IGNORAVIT, — id est practice nescit, non facit tria jam dicta, scilicet ut conterat, declinet et pervertat hominem in judicio. Ex Hebræo alter hi versus quatuor (scilicet 33, 34, 35, 36), verti et connecti possunt cum Maldonato sic: Non humiliavit Deus ex corde, « ut contereret, » scilicet hostis Chaldæus Judæos, eorumque judicium declinaret, et perverteret: « Dominus ignoravit, » hebraice, *Dominus non vidit;* id est ita ut Dominus non videret, id est non provideret aut curaret, *q. d.* Deus non humiliavit Judæos ex corde, quia non permisit Chaldæos affligere Judæam sine magno consilio et providentia; fecit enim hoc ut Judæi emendarentur. Unde sequitur: « Quis est, » etc., *q. d.* Hæc cum ita sint, quis audeat dicere fieri quidquam Domino non jubente? id est sine ejus voluntate ac providentia. Id significarunt Ægyptii imagine Dei, quam pingebant tenentem manu zonam qua cœlum et terram cingebat, intelligentes per zonam providentiam, qua Deus omnia colligat, continet et moderatur. Eamdem significavit scala a terra in cœlum porrecta, quam vidit Jacob, *Genes.* cap. XXVIII.

37. QUIS EST ISTE? — Dixit Propheta, *non ex corde,* Vers. 37. id est non ex Dei beneplacito, quasi pœnis innocentum Deus per se delectetur, mala Judæis evenisse: nec Deum eos studio humiliasse et afflixisse, jam ne quis dicat: Ergo a fortuna et casu hæc Judæis acciderunt, occurrit dicens, id tam impium et insulsum esse, ut a nemine dici possit. Hebraice est: *Quis est qui dixit: Fuit hoc, et Dominus non præcepit? q. d.* Nihil homini contingit in rebus humanis præter Dei voluntatem et præceptum, id est ordinationem, sive jubentem, sive permittentem. Ita Theodoretus, Rupertus, Hugo. MEM.

Aliter explicant alii, *q. d.* Quis tyrannus, verbi gratia Nabuchodonozor, dicat jubeatque aliquid mali fieri, ita ut id statim fiat, etiam præter Dei voluntatem? *q. d.* Id fieri nequit: tyrannus enim est tantum instrumentum et virga furoris Dei, *Isai.* X, 5.

38. EX ORE ALTISSIMI NON EGREDIENTUR NEC MALA NEC BONA? — Pendet hæc interrogatio ex vers. præced. *q. d.* Quis tam impius sit, ut dixerit nec adversa, nec prospera evenire nobis ex ore, id est ex præcepto et ordinatione Dei? Est hæc consolatio efficax in omni tribulatione, si cogitemus nihil evenire nobis, cujus auctor non sit Deus, et omnia ab eo attemperari ad nostram salutem, atque interim culpam nostram agnoscamus, ejusque clementiam et opem humiliter imploremus. Hoc est quod ait Isaias, cap. XLV, 6: « Ego Dominus, et non est alter, formans lucem, et creans tenebras, faciens pacem, et creans malum. » Et Amos III, 6: « Si erit malum in civitate quod Dominus non fecerit. » Et Ecclesiasticus cap. XI: « Bona et mala, vita et mors, paupertas et honestas, id est opulentia, a Deo sunt. » Vers. 38.

39. QUID MURMURAVIT? — *q. d.* Cum punitur homo, non excuset se, accusando fatum, fortunam, Dei voluntatem; sed suæ voluntati malæ et peccatis id tribuat, dicatque illud, *Psal.* CXVIII: « Cognovi, Domine, quia æquitas judicia tua, et Vers. 39.

(1) Illa vero si pro simplici negatione capiuntur: *Dominus nequaquam videt,* statuendum erit, vel referri hisce versibus impiorum illorum Judæorum voces, qui Deum querebantur immisericordem esse, et se a Deo negligi, Deoque connivente fieri, quod improbi ipsos conterant, vel, לֹא רָאָה *lo raa, non videt,* hic valere *non probat,* quasi sit: non videt cum approbatione. Quo sensu tamen hanc loquendi formulam Hebræis usurpatam fuisse, idoneo exemplo probari posse, equidem vehementer dubito. Alii vero, qui Prophetæ verba sua ipsius persona continuari censent, verba לֹא רָאָה *lo raa,* interrogative capere necesse est, לֹא *lo* posito pro הֲלֹא *alo, nonne?* Unde hic sensus emerget: Nonne videt Deus, quam atrociter hostes in nos sæviunt et tanquam justus judex suæ immanitatis pœnas ab iis repetet? Ita verba illa cepit Chaldæus, qui ea sic reddit: Fierine potest, ut in conspectu Jovæ non reveletur? (Rosenmuller.)

in veritate tua humiliasti me; » et rursum : « Justus es, Domine, et rectum judicium tuum, » uti dicebat Mauritius imperator cum a Phoca suos filios coram se interfici videret. Ita Hugo, S. Thomas, Lyranus. Sic fere etiam explicant Origenes, Olympiodorus, Theodoretus, sed de culpa, non de pœna, *q. d.* Homo peccatum suum non fato, sed sibi adscribat.

Secundo, Vatablus exponit : Cur dolet homo de suo peccato anxie se vexando, et desperabunde loquendo? pœniteat potius, et revertatur ad Dominum.

Tertio, Chaldæus explicat : *Cur divitias invenit homo, quibus abutatur diebus vitæ suæ?* id est, quare non bene utitur dotibus quibus a Deo dotatus est? radix enim hebraica אוֹן *aven* significat etiam divitias labore aut rapina partas. Primus sensus est planissimus.

PRO PECCATIS SUIS, — id est pro pœnis peccatorum suorum; sive, cum pro peccatis affligitur, *q. d.* Temere et injuste murmurat « homo vivens, » cum pro peccatis punitur, quia tantum, et plus commeruit : Deus enim citra condignum punit, et judicium misericordia temperat in hac vita. At post hanc vitam judicium faciet sine misericordia in gehenna. Damnatus ergo gemat et queratur, non « homo vivens. » Rursum « vivens, quia universa vanitas homo vivens. » Cur ergo Deo obmurmuret vivens, cujus tota vita, quin et ipse totus, est vanitas? Ita Sanchez (1).

Est hic locus illustris de numine et Dei providentia, quæ singula in particulari regit et ordinat; cui proinde in omnibus nos subdere, et resignare debemus.

Viderunt idipsum gentiles. Pythagoræ hæc est aurea sententia : « Quibuscumque infortuniis divinitus homines anguntur, prout sors tua fuerit, eam ferto moderate, neque indignare : decet vero etiam mederi. » Modum et causam assignat ejus discipulus et interpres Hierocles : « Voluntatis, ait, nostræ divinique judicii nexus infortunium parit, nihilque aliud totum hoc divinum infortunium exsistit, quam Dei adversus peccata calculus. Tibi ergo et culpæ tuæ indignare, non Deo : culpam tolle, et illud auferet Deus. » Quare ipse perpetuo hæc infortunia vocat δαιμονίας τυχὰς, id est *divinas fortunas*, vel sortes nobis juste a Deo judice immissas. Nam « calamitates, ait, invexerunt nostra iniquitas et judicium divinum, cujus est in sceleratos animadvertere. » Homerus, *Odyssea* I, ita Jovem loquentem inducit :

> Quam temere incusant mortales numina! Divos
> Auctores faciunt, si quid sensere malorum,
> Cum præter fatum his pariat mens stulta dolores.

Chrysippus, teste Laertio lib. VI, cap. II, dicebat non debere « ferri audirique homines nequam, aut ignavos et audaces, qui cum in culpa et maleficio revicti sunt, perfugiunt ad fati necessitatem, tanquam in aliquod asylum; et quæ pessime fecerunt, ea non suæ temeritati, sed fato attribuenda esse dicunt. »

Seneca, *epistola* 108 : « Optimum, ait, est pati, quod emendare non possis, et Deum (quo auctore cuncta proveniunt) sine murmuratione comitari. Malus miles est, qui imperatorem gemens sequitur. Hic est magnus animus qui se Deo tradit. At contra ille pusillus ac degener, qui obluctatur, et de ordine mundi male existimat, et emendare mavult deos quam se. »

Idem *De Providentia* : « Quid enim est boni viri? præbere se fato. » Thucidydes, lib. II *in orat. Periclis* : « Ferre quæ divinitus immittuntur, necessario oportet; quæ ab hostibus, viriliter. »

Quid jam dicat fidelis et christianus, qui fide illuminatus certo novit Dei providentiam regere omnes causas secundas, omniaque tam adversa quam prospera moderari et dirigere ad suorum servorum et amicorum salutem; qui identidem audit illud Apostoli : « Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum? » Sane hæc deberet cujusque christiani in paupertate, morbo, persecutione, calumnia, naufragio, incendio, spoliatione, exsilio, morte, etc., esse constans et solida cogitatio, resolutio et consolatio : Ego certus sum nihil mihi posse accidere, quantumvis adversum, durum et acerbum, quod prius a summa cœlestis Imperatoris aula non fuerit ordinatum. Certus sum quod nihil mihi inferre possunt homines, dæmones, et creaturæ omnes totius mundi, amplius quam Deus velit, providerit, eisque facultatem dederit, qui suis omnia facit cooperari in bonum. Fiat ergo idipsum in me, non recuso, non refugio : nihil enim aliud volo, quam ut Dei voluntas fiat, eaque in me, omnique creatura plene adimpleatur. S. Clemens in lib. *Recognit.* narrat se conversum a S. Barnaba missum fuisse ad S. Petrum, ut ab eo plenius erudiretur. Ivit ergo; mox S. Petrus dixit ei, ut veniret postera die ad disputationem quam ipse habiturus erat cum Simone Mago. Magus deinde a Petro petiit inducias ad triduum; dedit ei illa S. Petrus, indoluit de datis ei induciis Clemens; avebat enim audire S. Petrum et ardebat. Cui S. Petrus : « Gentiles, inquit, turbantur, cum res non accidunt ex voto, uti desiderant; at nos christiani, qui scimus Deum gubernare et moderari res omnes, in quolibet rerum eventu in pace consistimus et consolatione. Scito has inducias Dei consilio dari ad tuum bonum, ut scilicet interim te præparem ad futuram disputationem, quo eam melius et plenius capias. » Hoc est quod in sua *epist.* fide-

(1) Vates hoc commate perversam Judæorum sentiendi rationem castigat, qua longius aberant, ut sibimetipsis ob mala in se quasi coacta culpam imputarent, ut potius ob res adversas in sese omni culpa vacuas integrosque, ut quidem sibi persuadebant, cumulatas Numen increparent; et fontem genuinum malorum quibus affligebantur, recludit. (Rosenmuller.)

les docet idem S. Petrus : « Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum; quoniam ipsi cura est de vobis. » Ergo in quolibet rerum eventu Deo fidere, ad eumque recurrere debemus, eique dicere cum Jeremia, XIV, 9 : « Tu autem in nobis es, Domine, etc., ne derelinquas nos. » Nam, ut aiebat B. Theresia : « Si Deo nitimur, nulla est tanta potentia, quam non pro nobis humiliet Deus. » D. Ludovicus Blosius, vir egregie pius æque ac doctus, lib. *Monil. spiritual.* cap. XI, narrat B. Gertrudi apparuisse sponsum suum Jesum, qui ferens in dextera sua sanitatem, et in sinistra infirmitatem, monebat eam ut eligeret quam vellet. Illam vero ab utraque Domini manu se avertentem dixisse : « Domine, ego toto corde desidero, ut non meam voluntatem respicias, sed tuum beneplacitum in omnibus perficias. » Quocirca id laudans Dominus ei dixit : « Qui vult ut ad ipsum libere veniam, debet mihi clavem propriæ voluntatis resignare. Quod si ex humana fragilitate eam resumere contigerit, mox pœniteat, ac eam iterato mihi resignet : et suscipiet eum dextera misericordiæ meæ, deducetque ad regnum claritatis æternæ. » Præstitit id B. Gertrudis : unde nec pericula, nec tribulationes, nec damna rerum, nec impedimenta alia, sed nec delicta quidem vel defectus proprii, securam constantemque confidentiam, quam ad benignissimam Dei misericordiam retinebat, unquam in illa obscurare potuerunt. Certissime enim confidebat, tam adversa quam prospera omnia, sibi in bonum a Dei providentia converti. Et eidem aliquando Dominus dixit : « Secura illa confidentia quam quis erga me habet, credens me revera posse, scire et velle ei in omnibus fideliter adesse, transvulnerat cor meum, tantamque vim facit pietati meæ, ut nullatenus possim tali homini abesse vel deesse. »

Pari modo ad S. Mechtildem ait Dominus : « Mihi valde gratum est, ut homines in bonitate mea confidant, et de me præsumant. Nam quisquis in me humiliter confisus fuerit, ac mihi bene crediderit, ego et in hac vita illi adero, et post mortem supra omne meritum ei benefaciam. Quantum quis mihi credere, et de bonitate mea pie præsumere potest, tantum et in infinitum amplius obtinebit. Ideoque utile homini est, ut magna sperando a me, mihi bene credat. » Mechtildi vero quærenti, quidnam potissimum credere deberet de ineffabili ipsius bonitate, respondit Dominus : « Certa fide crede, quod ego te post mortem suscipiam sicut pater filium suum charissimum, quodque nullus unquam pater tam fideliter cum unico suo nato hæreditatem suam divisit, sicut ego omnia bona mea et meipsum tibi communicabo. Quicumque hoc de bonitate mea firmiter, et cum humili charitate crediderit, beatus erit. »

Vers. 40. Num. 40. SCRUTEMUR VIAS NOSTRAS, — examinemus perscrutando omnes latebras usque ad imum fundum, omnes actiones vitæ et conscientiæ nostræ. « Scrutemur, inquit S. Bernardus, serm. 58 in *Cant.*, in fine, vias nostras et studia nostra; et in eo se quisque judicet profecisse, non cum non invenerit quod reprehendat, sed cum quod invenerit reprehendet : tunc te non frustra scrutatus es, si rursum opus esse scrutinio advertisti. Et toties non te fefellit inquisitio tua, quoties iterandum putaveris; si autem semper cum hoc opus est facis, semper facis : semper ergo opus esse tibi memineris superni auxilii et misericordiæ Christi. »

Examen conscientiæ quale et quam utile?

Rursum scrutemur sine adulatione, et sine dissimulatione fundum cordis nostri, in quo aliquando latet appetitus aliquis qui omnia opera inquinat, quique Deo displicet, et ejus gratiam ac bona a nobis avertit; hunc tolle et evelle, si vis a Deo benedici et irrorari. Hujus scrutinii et examinis magna est necessitas et utilitas, eoque omnes viri sancti usi sunt, quin et gentiles; unde illud Poetæ :

> Non prius in dulcem declines lumina somnum,
> Quam prius exactæ reputaveris acta diei.

S. Hieronymus lib. III, *Apolog. contra Ruffinum*, cap. X, inter aurea Pythagoræ præcepta hoc ponit : « Duorum temporum quam maxime habendam curam mane et vesperi, id est eorum quæ acturi sumus, et eorum quæ gesserimus. » Galenus, lib. *De Cognoscendis et curandis animæ morbis*, cap. VI : « Singulis, inquit, diebus ea quæ superius dicta sunt, tibi revoca in memoriam. Atque hoc quidem præstabit te sæpius facere : quod si non possis tam sæpe, saltem matutinis horis semper antequam quidquam eorum quæ acturus sis aggrediaris, et vespertinis antequam cubitum eas. » Si Stobæo, *serm.* 3, credimus, Phocylides primus omnium mortales docuit, ter in die se et suas actiones discutere : qua re Pythagoram vicit.

Inter fideles S. Ephrem Syrus, tom. III, in *Serm. Ascet.* : « Diebus, inquit, singulis vesperi et mane diligenter considera, quo pacto sese habeat negotiatio tua, ac mercimonii ratio; et vespere quidem ingressus cubiculum cordis tui, examina teipsum ac dicito : Putasne hodie in aliquo Deum exacerbavi? numquid verba otiosa protuli? num per contemptum negligentiamve peccavi? num fratrem irritavi? num cui detraxi? » etc. Deinde deprehensis peccatis jubet dolorem et lacrymas superfundi. Subdit mox de matutino examine : « Et facto jam diluculo, rursus eadem tecum meditare et dicito : Quomodo, putas, ista nox præteriit? numquid improbæ et sordidæ cogitationes invaserunt me, atque illis libenter immoratus sum. »

S. Dorothæus, *serm.* 11 : « Quo pacto, inquit, per singulos dies nos ipsos purgare et expiare debeamus, exactissime docuerunt Patres nostri, nempe utvesperi sedulo quisque perquirat, quo-

modo pertransierit diem illum. Rursus mane examinet quomodo exegerit noctem illam, et pœnitentiam agat et resipiscat coram Deo, si quod peccatum admiserit. » S. Bernardus, lib. *De Vita solitaria* : « Nemo, inquit, te plus diligit, nemo fidelius judicabit. Mane præteritæ noctis fac a tetipso exactionem, et venturæ diei tu tibi indicito cautionem; vespere diei præteritæ rationem exige, et supervenientis noctis fac indictionem : sic districto nequaquam tibi aliquando lascivire vacabit. »

S. Bonaventura, tom. II, *epistola* 25, *memor.* 24, agens de puritate conservanda sic ait : « Ad quod diligentius et purius conservandum, quotidiana discussione septies in die examines vitam tuam, semper ante vel immediate post quamlibet horam canonicam, considerans et discutiens attentissime qualiter de hora in horam ambulaveris digne coram Deo, sine macula in justitiæ semita. »

De S. Xaverio scribit Tursellinus lib. VI, cap. VI : « Sæpius in die diligentius conscientiam excutiebat suam, et cæteros ad idem faciendum magnopere hortabatur, in eo perfectæ vitæ cardinem verti ratus. »

Denique S. Pater noster Ignatius bis in die examen conscientiæ nobis præscripsit, illudque totius Societatis nostræ usu receptum est; item examen particulare cuique circa vitium aliquod exstirpandum; ipse autem in singulas horas se examinare solebat, atque horam cum hora, diem cum die, hebdomadem cum hebdomade, mensem cum mense conferre, ut videret quid profecisset, vel qua in re defecisset, ut testatur Ribadeneira lib. V, cap. I *Vitæ* ejus.

Vers. 41. 41. LEVEMUS CORDA NOSTRA CUM MANIBUS. — Tropologice S. Gregorius, XVIII *Moral.* III : « Corda, inquit, cum manibus levat, qui orationem suam operibus roborat : nam quisquis orat, sed operari dissimulat, cor levat et manus non levat; quisquis vero operatur, et non orat, manus levat et cor non levat. »

Vers. 42. 42. AD IRACUNDIAM CONCITAVIMUS. — Hebraice מרנו *marinu*, id est exacerbavimus, rebellavimus. Vide dicta cap. I, 20 (1).

IDCIRCO TU INEXORABILIS ES. — Hebraice, *idcirco tu non pepercisti*, id est non parcis, sed flagellas nos.

Vers. 43. SAMECH. 43. OPERUISTI IN FURORE, — id est furorem et iram quasi velum obtendisti tibi, ne quemquam agnosceres, videres, vel peccantem audires, sed sine respectu percuteres nos; unde explicans subdit : *Operuisti nubem, etc.* Ibi enim in hebræo idem est verbum quod hic, scilicet סכות *saccota.*

(1) Initio hujus versus subaudiendum est לאמר *temere dicendo.* Cohæret hic versus cum præcedente hoc modo : Sinceris precibus jungamus confessionem commissorum a nobis delictorum, qua agnoscimus nos dare pœnas, quas pati meruimus, nec injuste illas a Deo nobis inflictas esse. (Rosenmuller.)

Ita Pagninus et Vatablus. Rursum quasi dicat : Iram quasi sepem et vallum inter te et nos interposuisti, ut hostili animo nos persequereris et invaderes. Hoc enim quoque significat hebræum *saccota*; unde סכות *succot* vocantur tabernacula castrensia : atque סך *sac* significat aggerem et vallum, quo dux castra sua tegit, et ab hoste separat ac communit.

Secundo, Maldonatus sic explicat, « operuisti, » id est armasti te furore quasi scuto, et percussisti nos, hebraice ותר דפנו *vattir dephenu*, id est et persecutus es nos. Aut, ut alii, operuisti faciem tuam, ne nos filios tuos ab hoste jugulari videres; sicut pater operit faciem, ne videat filium male tractari ab hoste, aut a chirurgo secari.

Tertio, alii, *q. d.* Operuisti nos calamitatibus ex ira tua et furore profectis. Ita Hugo, et S. Thomas et Lyranus. Huc pertinet expositio Sanchez : Operuisti nos, id est ad captivitatem et mortem nos damnasti. Captivis enim et damnatis solebat velari facies, uti factum est Amano, *Esther* VII; et *Ezechiel.* cap. XII, 12, de Sedecia : « Facies ejus operietur. » Hinc et lictores, audientes pontifices contra Christum clamantes : « Reus est mortis, » faciem ejus velarunt et velato illuserunt. Quia et apud Romanos judex, reum adjudicans morti, dicebat : « I, lictor, colliga manus, caput obnubito, arbori infelici suspendito. » Sunt ergo hic duæ facies velatæ : *prima* Judæorum hoc loco; *secunda* Dei, de qua subdit : « Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio. » Hic sensus appositus est.

Quarto, q. d. Obtexisti nos caligine furoris tui, ut quo fugiamus non possimus videre, et sic obcæcatos nos persecutus es usque ad exsilium. Ita Chaldæus, Origenes et Vatablus. Primus sensus aptior est, et proprie respondet hebræo *saccota.*

44. OPPOSUISTI (obtendisti) NUBEM (scilicet peccatorum nostrorum) TIBI (inter te et nos, quia tuis oculis ea semper intueris quasi densam nubem, impedientem) NE (ad te) TRANSEAT ORATIO — nostra; Septuaginta, *propter orationem,* scilicet repellendam. Ita Origenes, Theodoretus, Rupertus, Hugo, S. Thomas, Lyranus. Sic ait Psaltes, *Psal.* LXXXIX, 8 : « Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo; » et Isaias, LIX, 2 : « Iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum. » Ex adverso de humili ait Ecclesiasticus, cap. XXXV, 21 : « Oratio humiliantis se nubes penetrat, » etc.

Nota : Peccata vocantur nubes : *primo,* quia sunt quasi atri et tetri vapores ascendentes ex pravo corde, quasi ex caliginosa et palustri terra; *secundo,* quia solis, id est Dei, aspectum, benevolentiam et beneficentiam adimunt; *tertio,* quia, sicut ex nubibus grandines, tonitrua et fulmina prodeunt, ita ex peccatis prosilit ira, furor et supplicia Dei; *quarto,* sicut nubes dispescunt cœlum a terra, ita peccata separant hominem a Deo, cœlo et angelis. Unde dives Epulo audivit ab Abraham : « Inter nos et vos chaos magnum firmatum est : ut hi

Peccata sunt nubes ob quatuor causas. Prima. Secunda. Tertia. Quarta.

qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare, » *Luc.* XVI, 26.

Potest, *secundo*, per nubem accipi firma Dei sententia, qua decreverat Judæos punire, nec pati se exorari; hoc enim est quod ait *Prov.* I, 24 : « Quia vocavi, et renuistis, etc. Ego quoque in interitu vestro ridebo; » et vers. 28 : « Tunc invocabunt me, et non exaudiam : mane consurgent, et non invenient me. » Alludit ad judicem qui lata sententia mortis, ne amicorum preces pro reo audiat et sententiam revocet, domi se concludit, nec aliquem ad colloquium admittit. Hinc R. Samuel apud Galatinum, lib. X, cap. III, R. Haninæ roganti : « Quid est quod scriptum est *Threnor.* III : Protexisti nube te, ne transeat oratio? » respondit : « Quia portæ orationis quandoque apertæ sunt, quandoque vero clausæ : portæ autem pœnitentiæ nunquam clausæ sunt in mundo isto, sicut dictum est *Psalm.* LXV : Spes omnium finium terræ, et in mari longe, est scilicet pœnitentia. Sicut enim mare hoc nunquam clauditur, sed quicumque vult, lavat se ibi in omni hora qua vult : ita ipsa pœnitentia, quacumque hora homo vult ipsam facere, facit, et Deus benedictus recipit illam. Oratio autem habet tempora, sicut dictumest *Psal.* LXIX : Ego vero orationem meam ad te, Deus : tempus beneplaciti. »

Tropologice S. Gregorius, libro XXVIII *Moral.* cap. IX : « Sancti, inquit, viri Deo orantes dicunt : Opposuisti nubem, ne transeat oratio, quasi dicant : Menti nostræ terrenis voluptatibus assuetæ curarum suarum phantasmata justo judicio objicis, quibus eam in ipsa orationis suæ intentione confundis, et quam desideriis infirmis deditam non ignoras, recte cæcatam ab intuenda lucis tuæ perspicuitate reverberas; ut, cum in te intenditur, ipso a te cogitationum suarum nubilo reflectatur, et quæ terrena hæc assidue cogitat, quia vult, hæc etiam toleret in oratione cum non vult. »

45. ERADICATIONEM ET ABJECTIONEM POSUISTI ME IN MEDIO POPULORUM. — Pro *eradicationem* hebraice est סחי *sechi*, id est rasura, verbi gratia pavimenti, aut domus leprosæ, *q. d.* Abrasisti nos a Judæa, et fecisti nos viles et despectos quasi sordes et rasuram, quæ abraditur a pavimento. Unde Syrus vertit : *Eradicatos et contemptos fecisti nos inter populos*; et Arabicus Alexandrinus : *Fecisti nos inter populos despectos et expulsos.* Huc alludens S. Paulus I *Corinth.* IV, 13, ait : « Tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus. » Noster Interpres vertit, « eradicationem, » id est arborem eradicatam, *q. d.* Sicut arbor infructuosa eradicatur, et loco suo evellitur : ita nos e Judæa eradicasti, evulsisti, et ejecisti in Babylonem. Pro *abjectionem* hebraice est מאוס *maos*, id est reprobationem, id est scobem, ramenta et sordes quæ e domo aliave re everruntur, reprobantur et abjiciuntur in fimetum vel sterquilinium. Unde S. Paulus vertit, « peripsema, » cum ait : « Omnium peripsema usque adhuc. » Loquitur Jeremias in persona non sua, sed populi. Hoc est quod eis minatus erat Dominus, *Jerem.* XVIII, 7 : « Repente loquar adversum gentem et adversus regnum, ut eradicem, et destruam, et disperdam illud. »

Secundo, Chaldæus et Hebræi vertunt : *Posuisti nos amotionem et ejectionem*, ut scilicet exsularemus, atque huc illucque vagaremur inter gentes, uti Dominus minatus fuerat *Jerem.* XXXIV, 17.

Tertio, Septuaginta vertunt : *Connivere me, et ejici fecisti nos in medio populorum : connivere* est oculos claudere præ metu, pavore et trepidatione ne transeat oratio. Hinc R. Samuel recte ait : *Portæ orationis aliquando apertæ sunt, aliquando vero clausæ : portæ autem pœnitentiæ nunquam clausæ sunt in hoc mundo.* Si roges : Cur Deus tam severe castigat suos? Respondeo : Quia parum proficit erga nos, cum mitius agit. Vitia nostra radicitus inhærent, ipsisque medullis infixa sunt, nec nisi asperiore et penetrabiliore scalpro evelluntur.

46. APERUERUNT SUPER NOS OS SUUM, — ut quasi belluæ nos toto quasi ore avidissime devorarent, id est vastarent et perderent : est metaphora a lupis et leonibus, qui voraces ad prædam rictum totius oris pandunt.

Secundo, « aperuerunt os, » scilicet ad irrisionem, *q. d.* Irriserunt nos et conviciati sunt nobis. Ita Theodoretus, Lyranus, Vatablus, Maldonatus.

Tertio, « aperuerunt os, » scilicet, ad iniqua decreta contra nos condenda.

47. VATICINATIO. — Ita et Septuaginta, non *vastatio*, uti corriguntLyranus et Reuchlinus in *Lexico Hebraico* : licet enim Hebræi et Vatablus Hebræum שאת *set* vertant, *vastatio*, *q. d.* Pavor et fovea, id est laqueus, fuit nobis nostra vastatio et contritio; tamen Noster cum Septuaginta *set* accipit pro משא *massa*, id est onus, hoc est, onerosa prophetia et vaticinatio : tam enim *set* quam *massa* ab eadem radice נשא *nasa*, id est tulit, portavit, derivatur. Sensus ergo est, *q. d.* Vaticinata supplicia a Jeremia et Prophetis injecerunt nobis formidinem, et ex formidine laqueum et contritionem; dum enim ea timuimus, et evitare voluimus, rebellando Chaldæis, contra præceptum Dei et Jeremiæ, tunc incidimus in captivitatem et ruinam.

Secundo, alii explicant, *q. d.* Quæ vaticinati sunt Prophetæ, verum exitum habuerunt et habent; nam timemus, rapimur, conterimur, licet ea ante sperneremus. Ita Rabanus et Dionysius.

Tertio, S. Thomas sic explicat : Vaticinatio pseudoprophetarum causa nobis fuit, *primo*, formidinis ante vastationem; *secundo*, laquei, dum in ipsa sumus capti; *tertio*, contritionis post ipsam.

Quarto, Rupertus explicat ut sint verba Jeremiæ, *q. d.* Quia vaticinatus sum quæ præcepit Deus, hinc timore concutior, illaqueor, in nervum conjicior et conteror. Primus sensus est aptissimus. Simili enim modo minatur Isaias, cap. XXIV, 17 : « Formido, et fovea, et laqueus super te, qui habitator es terræ. »

48. DIVISIONES. — Hebraice פלגומים *palge maim*,

Moraliter, de lacrymarum fructu.

id est rivos aquarum. S. Gregorius in *Psalm.* CI, ait, quod in vere pœnitentibus tanta debet esse lacrymarum copia, ut possint dividi, sicut aquæ dividuntur ab olitore ad irrigandum olerum areolas. Tunc divisiones aquarum deducimus, cum pro singulis peccatis seorsim lacrymas fundimus. S. Bernardus : Firmum, ait, est mihi propositum nunquam ridendi, quousque audiam ex ore Dei illa verba : « Venite, benedicti ; » neque a fletu desistam donec liber sim ab illa sententia : « Ite, maledicti, in ignem æternum. » Hic luctus arcet peccata. Vere cecinit Ovidius :

Veneris damnosa voluptas
Non solet in mœstos sæpe venire thoros.
Mens erit apta capi tunc, cum lætissima rerum,
Et sedes in pingui luxuriabit humo.
Pectora dum gaudent, nec sunt arctata dolore,
Ipsa patent, blanda tunc subit arte Venus.

Ita « S. Domnina, inquit Theodoretus in *Philotheo*, cap. XXX, continuis lacrymis non solum rigabat genas, sed etiam vestimenta ex pilis ; talibus enim indumentis tegebat corpus. Vehemens enim amor in Deum illas pariebat lacrymas ad divinam inflammans contemplationem, et pungens aculeis, et urgens ad eum qui est hinc futurus excessum. » Ita S. Olympias neptis Ablavii præfecti, nobilissima et sanctissima, ideoque S. Chrysostomo charissima, jugiter flebat : « Omnis ejus vita, ait Palladius in *Lausiaca*, cap. CXLIV, erat in compunctione, et frequenti profluvio lacrymarum, et potius videre licebat fonti æstate sua deficere fluenta, quam hujus non sublimibus et Christum semper videntibus oculis lacrymas deficere. » Ita Abbas Macarius, rogatus dicere verbum ædificationis : « Lacrymans ait : Ploremus, fratres, et producant oculi nostri lacrymas, antequam eamus hinc, ubi lacrymæ nostræ corpora comburant. Et fleverunt omnes, et ceciderunt proni in faciem, dicentes : Pater, ora pro nobis. » Rursum « præteriens aliquando Abbas Pastor in Ægypto, vidit mulierem in monumento sedentem et flentem amare, et dixit : Si veniant omnia delectabilia mundi hujus, non transferent animam illius a luctu. Ita et monachus debet semper habere luctum in semetipso. » Ita habetur in *Vitis Patrum*, titulo *De Compunctione*. Senex quidam vidit quemdam ridentem, et dixit ei : « Coram cœli et terræ Domino rationem totius vitæ nostræ reddituri sumus, et tu rides? ut umbra corpus, sic compunctio te comitetur. » Ibidem : Alius donum lacrymarum vocabat terram promissionis, eo quam, si post 40 annos cum filiis Israel perveneris, non timebis bellum. Ibidem : Alius dixit : « Cum tentaris, adversus eum qui te impugnat, gladium lacrymarum exacue » Ibidem, tit. *De Jugi oratione* : S. Antonium requisivit frater, dicens : « Quid faciam pro peccatis meis? » respondit : « Qui vult liberari a peccatis, fletu et planctu liberabitur ab eis; et qui vult ædificari in virtutibus, per fletum lacrymarum ædificatur. Ipsa laudatio psalmorum, planctus est. Memento lacrymarum Ezechiæ et Petri. » Ibidem, lib. VII, cap. XXXVIII : S. Abraham eremita, teste S. Ephrem in ejus Vita, omni die lacrymabatur : « Quem, ait, peccatorem vel impium audiens, pro eo ut salvaretur, cum lacrymis diebus ac noctibus Domino non supplicabat. » S. Arsenius pannum habebat in sinu propter lacrymas, quæ ob desiderium vitæ æternæ crebro currebant ex oculis ejus, ait Rufinus. Abbas Pammon, videns mulierem theatricam, flebat ; rogatus cur? « Ob duas causas, ait : Prima est, perditio hujus mulieris. Secunda, quia ego non habeo tantam curam placendi Deo, quantam hæc hominibus turpibus, » ait idem Rufinus.

49. OCULUS MEUS AFFLICTUS EST.— Vatablus, *flevit oculus meus* (id est oculi mei), et non quiescit sine intermissione, donec respiciat me Dominus de cœlo, et preces meas attendat. Hebraice est oculus meus נגרה *niggera*, id est extractus est, vel defluxit, id est in lacrymas ita effunditur, ut evelli et excidere videatur : « eo quod non esset requies, » a lacrymis, vel eo quod non esset qui mihi aliquam consolationem et requiem afferret. Nota : In Hebræo Jeremias hic commutat ordinem litterarum. Nam litteræ *pe* postponit *ain*, quæ in alphabeto præcedit ; idque ob verborum et sententiæ connexionem ; quia enim in littera *pe* dixerat vers. 48, פלגו *palge*, id est, « divisiones aquarum deduxit oculus meus, » hinc apte id prosequens subjungit *ain*, quæ hebraice significat *oculum*, de eoque dicit vers. 49 : « Oculus meus afflictus est, nec tacuit, etc. Oculus meus deprædatus est animam meam. » Vide dicta cap. II, 16. Vers. 49. AIN.

51. OCULUS MEUS DEPRÆDATUS EST ANIMAM MEAM. — Id est oculus eripuit mihi animam flendo, anima mea per oculos mihi in lacrymas effluxit, *q. d.* Miserabilis aspectus filiarum mearum captivarum, ab hoste illusarum, animam mihi expectoravit. Pro *deprædatus est* hebraice est עולל *olel*, id est vindemiavit, *q. d.* Sicut qui prædantur vineam, ita ut ne unum racemum relinquant : sic oculus meus jugi suo fletu consumpsit et quasi prædatus est omnes vires, omniaque gaudia animæ meæ, ipsumque vitæ spiritum et succum cordis suxit et exhausit, « in cunctis, » id est propter cunctas urbis filias, puta Sionidas virgines teneras et delicatas, quas in captivitatem abire vidit. Ita Hugo, S. Thomas, Lyranus, Dionysius, qui tamen per *filias urbis* accipiunt urbes Hierosolymæ subditas, et vastatas a Chaldæis. Paulo aliter Sanchez, *q. d.* Ex quo oculo meo intuitus sum tantam populi mei stragem, nil in me reliquum est, quod voluptati esse possit aut solatio, neque alicui rei vacandum mihi video, nisi lacrymis. Vers. 51.

Multo potiori jure illacrymentur oculi, qui specie vanitatis, et boni commutabilis delectati, cor seduxerunt, ut posthabito summo bono et pulchro, amplecterentur sordes creaturarum. Unde S. Gregorius, lib. XXI *Moral.* cap. II, hanc sententiam

extendens ad oculum, qui per curiositatem et culpam deprædatur animam, sic explicat : « Oculus, ait, meus deprædatus est animam meam : concupiscendo enim visibilia invisibiles virtutes amisit; quæ ergo interiorem fructum per exteriorem visum prodidit (alii legunt *perdidit*), per oculum corporis pertulit prædam cordis. Unde nobis ad cordis munditiem sensuum disciplina servanda est : nam quantalibet virtute mens polleat, quantalibet gravitate vigeat, carnales tamen sensus puerile quiddam exterius perstrepunt, et nisi interioris gravitatis pondere et quasi juvenili quodam vigore refrænentur, ad fluxa quæque et levia mentem enervem trahunt. Unde Job ait : Pepigi fœdus cum oculis meis. »

Post primi parentis delictum oculi sunt ostia mortis, et hostes animæ, de quibus recte dixit Seneca : « Ingenti providentia posuit Deus in oculis visum et fletum, ut qui delictum committunt videndo, pœnas exsolvant plorando. » Quocirca Homerus cecinit Tiresiam cæcum solum sapere apud inferos, cum cæteræ animæ umbrarum more vagarentur. Et Cicero, lib. V *Tuscul.* : « Tiresiam, inquit, augurem nunquam Poetæ inducunt deplorantem cæcitatem suam. » Democritus Abderites censuit cæcitatem plurimum ad ingenii acumen et quietam contemplationem conferre; quare oculis se privavit, ait Gellius lib. X, ratus commentationes suas exactiores et vegetiores fore, si eas oculorum illecebris et impedimentis liberasset. Homerus mente oculatissimus fuit cæcus. Audi eum in hymno : « Sum cæcus vir, habito vero in saxosa Chio. » Oculi enim sunt cupidinum illices, et in amore duces. Unde Virgilius in *Bucol.* :

Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error.

Et in *Georg.* :

Uritque videndo femina.

Et alius : « Mulieris oculus est spiculum juvenibus. » Quocirca faciat quisque quod monet *Ezech.* cap. XX, 7 : « Unusquisque offensiones oculorum suorum abjiciat; » et Christus : « Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, » etc., *Matth.* V, 29. Nam, ut ait S. Bernardus, serm. 5 *in Festo omnium Sanctorum* : « Vulgo dicitur : Quod non videt oculus, cor non dolet. »

Refert Joannes Moschus in *Prato spirit.* cap. XCVI, de sanctimoniali quadam, quod, cum ob speciem persecutionem assiduam pateretur a juvene, ab eo quæsierit quid eum ita in sui amorem raperet; cumque ille dixisset : Oculi tui; illa effodit sibi oculos, eosque misit juveni, qui, stupefactus et compunctus, vitam mutavit, monachumque se fecit.

Idem fecit S. Lucia virgo; sed hæc miraculose postmodum oculos a se effossos recuperavit, uti refert Jacobus de Vitriaco et Chronica Fratrum Prædicatorum.

S. Audomarus Episcopus Teruani, anno Christi 638, cæcus exsitens cum Atrebati in elevatione corporis S. Vedasti ejus meritis lumen recepisset, ægro animo id tulit, oransque pro cæcitate eam rursum impetravit; dictitabat enim eam in salutem suam sibi a Deo immissam esse. Ita Sigebertus in *Chronico*. Nam, ut de S. Spe Abbate cæco per 40 annos ait S. Gregorius, IV *Dialog.* X : « Deus venerabilem senem dum exterioribus tenebris premeret, interna nunquam luce et consolatione destituit. »

S. Aquilinus Episcopus Ebroicensis petiit a Deo, ut sibi oculorum lumina clauderet, quo melius et attentius cœlestia contemplaretur, impetravit, et tamen Episcopatu egregie concionando rite perfunctus est. Ita habet auctor Vitæ 19 octobris.

S. Herluca Bavara, cum adolescentula in corpore magis quam animo ornando esset studiosior, primum morbo, deinde cæcitate a Deo percussa, ad cor rediit, a vanitate ad sanctimoniam transiit. Monita deinde divinitus, ut orbem cereum ad S. Cyriaci martyris tumulum pro altero oculorum recuperando votum mitteret; misit, recepit, tam acute ad ultima vitæ tempora vidit, ut aquilas et lynces superaret, nec eos ulla vi lacrymarum, quas uberrimas profundebat, corrumperet, neque minutissima telæ acupictura hebetaret. Altero tamen caruit semper, ne causam utriusque olim amissi ex animo deleret. Ita ex Chronicis refert P. Gretserus in *Appendice Gregorii VII*, et Raderus in *Viridar.* part. III, cap. III.

Nota : Symmachus vertit : *Oculus meus demersit animam meam*, quasi in mare quoddam lacrymarum; Vatablus : *Oculus meus dolorem fecit animæ meæ propter multum fletum, præ cunctis filiabus urbis meæ*, id est plus flevi quam omnes filiæ urbis meæ. Minus recte vertit R. Salomon : *Oculus meus inquinavit animam meam.* Dicit autem, inquit ipse Jeremias, animam suam inquinatam esse, quia cum esset ex genere sacerdotali, non debebat mortuos flere juxta legem *Levit.* XXI, 2. Melius Arabicus vertit : *Lacrymati sunt oculi mei, et contristata est anima mea propter omnes urbes meas*; et Syrus : *Oculus meus contristatus* (vel anxiatus, conturbatus) *est super anima mea, e cunctis filiabus civitatis meæ*, vel civitatum mearum.

52. VENATIONE CEPERUNT ME (Theodoretus, Hugo, S. Thomas, Lyranus exponunt de populo capto a Chaldæis, qui vocantur venatores, *Jerem.* XVI, 16; hi enim venati sunt Judæos) GRATIS, — id est sine ulla Judæorum culpa, non quod ipsi non peccassent in Deum, sed quod non peccassent in Chaldæos.

Secundo et melius, redit hic Jeremias ad se et suas ærumnas, et carcerem; nam *Jerem.* XXXVII, insidiati sunt illi Judæi dicentes, quod ad Chaldæos profugeret, et conjecerunt eum in carcerem; unde ait : « Venatione ceperunt me gratis, » id est sine demerito meo, cum nihil eos læsissem, imo juvissem : ita Origenes, Lyranus, Rupertus, Vatablus; sic enim sumitur τὸ *gratis*, *Psalm.* XXXIV,

7, et CVIII, 3, et CXVIII, 161. Vel « gratis, » quia nihil commodi ex meo malo percipiunt.

53. LAPSA EST IN LACUM VITA MEA. — Hebraice : *Strinxerunt in fovea*, id est carcere, *vitam meam*, ut nulla esset spes redemptionis. Unde Septuaginta vertunt : *Mortificaverunt in lacu vitam meam*, quia ibi spe omni salutis privatus Jeremias, quasi mortuus fuit.

POSUERUNT LAPIDEM SUPER ME, — super lacum, sive puteum, in quem quasi in carcerem Jeremiam conjecerunt, *Jerem.* XXXVIII, 6. Sic lacum leonum, in quem Daniel conjectus fuit cap. VI, 17, texerunt lapide. Et David *Psal.* LXVIII, 16 : « Neque urgeat super me puteus os suum, » obstructum scilicet lapide. Videtur ergo id tum moris fuisse.

Tropologice S. Gregorius, lib. XXVI *Moral.* XXIV : « In lacum, inquit, vita labitur, cum labe iniquitatis inquinatur; lapis vero superponitur, cum etiam dura consuetudine mens in peccato devoratur, ut, etsi velit exsurgere, jam utcumque non possit, quia desuper moles malæ consuetudinis premit. »

54. INUNDAVERUNT AQUÆ, — scilicet laci; quia projectus sum usque ad collum, ait Josephus, in lacum limosum; vel potius « aquæ » tribulationum et ærumnarum. Sic enim ait Psaltes *Psalm.* LXVIII, 2 : « Salvum me fac, Deus : quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. »

PERII. — Hebraice נגזרתי *nigzarti*, id est *excisus sum*, scilicet quia vita mea staminis instar succiditur; quod a suo Clotho fieri dixere Poetæ.

Hæc Christi passioni et sepulcro allegorice conveniunt; sepulcro enim lapidem imposuerunt Judæi. Ita S. Hieronymus, aut potius Rabanus, Olympiodorus et Rufinus in *Symbolum*, sub medium.

Vers. 55. Copt. 55. DE LACU NOVISSIMO, — de afflictionibus maximis.

Secundo, S. Thomas et Theodoretus de carceribus subterraneis, in quos Babylone conjecti sunt Judæi.

Tertio et optime, Jeremias qui in lacum novissimum, id est imum vel infimum (hoc enim est Hebræum תחתיות *tachtiioth*) et profundissimum conjectus est, de se et suo lacu loquitur, uti dixi. Ita Chaldæus, Olympiodorus, Hugo, Lyranus.

56. VOCEM MEAM AUDISTI, — cum me per eunuchum Abdemelech carcere liberasti, *Jerem.* XXXVIII; nunc ergo oro ut rursum, sicut soles, me audias.

NE AVERTAS (hebraice, *ne abscondas*) AUREM TUAM A SINGULTU. — Hebraice, *a respiratione*, quæ crebra facit singultum (1), *q. d.* In te spero et respiro, quia in humanis nulla mihi est respiratio, relaxatio, spes aut consolatio. Scripsit hosce Threnos Jeremias post excisam Jerusalem : unde hic partim commemorat mala quæ in obsidione urbis, et ante, passus est a Judæis; partim pro futuris, jam sibi a Judæis in Ægypto imminentibus, opem Dei postulat; dira enim ibidem passus est, et tandem lapidatus. Vide cap. XLII, XLIII et XLIV. Hæc ejus postulatio opis futuræ hic incipit, et porrigitur usque ad finem capitis.

57. APPROPINQUASTI, — accessisti ad me, mihi manum et opem tuam præbuisti, dum me per eunuchum carcere eduxisti, *Jerem.* XXXVIII. Chaldæus vertit : *Applicasti angelum qui me liberaret, in die quo invocavi te. Angelum* intelligit eunuchum, qui hic Jeremiæ fuit instar angeli, vel verum angelum Jeremiæ custodem, qui eunuchum induxit, ut Jeremiam e carcere liberaret, et Jeremiam in carcere confortavit, refricans ei illam Dei, cap. I, 17, vocem : « Ne formides. » Vers. 57.

58. JUDICASTI, — dum scilicet *primo*, hostem meum Hananiam pseudoprophetam interfecisti, *Jerem.* XXVIII, 17; *secundo*, dum me per eunuchum, et deinde per Nabuchodonosorem liberasti carcere; *tertio*, dum prophetias meas, quas ipsi quasi falsas insectantur, ipso eventu veras esse comprobasti, faciendo ut rex, populus et urbs caperentur, uti prædixeram. Ita Chaldæus, Origenes, Rupertus, Hugo, Lyranus, Vatablus. Sed R. Salomon et S. Thomas hæc accipiunt de populo, quem Deus olim a Pharaone, et aliis sæpe liberavit et judicavit, id est vindicavit et in libertatem asseruit. Vers. 58. Res.

59. INIQUITATEM ILLORUM. — Hebraice est עותתי *avvatati*, id est iniquitatem meam, aut perversitatem meam, puta injuriam quam mihi faciunt hostes mei Judæi; τὸ enim *meam* passive capitur, id est quam ego patior. Ita Chaldæus. Vers. 59.

60. OMNEM FUROREM. — Hebraice נקמתם *nigmatam*, id est ultionem eorum. Vers. 60.

61. OPPROBRIUM ILLORUM, — quo illi me affecerunt. Vers. 61. Sin.

62. LABIA INSURGENTIUM MIHI, — audisti. Vers. 62.

63. SESSIONEM ET RESURRECTIONEM EORUM VIDE; EGO SUM PSALMUS EORUM. — Vide quod ego eorum tum quando sedent, tum quando surgunt et stant, sim fabula et canticum. Sic Christus ait : « In me psallebant qui bibebant vinum, » *Psalm.* LXVIII, 13, et *Job*, cap XXX, 9 : « In eorum canticum versus sum. » Vers. 63.

Secundo, sessio est orantium; stare est laborantium, *q. d.* Sive in otio sint, sive in negotio, in me dicteria jaciunt.

Tertio, sessio est judicum, qui seria tractant; resurrectio feriantium cum a seriis cessant, *q. d.* Sive seria tractent, sive ab iis cessent, me irrident. Ita a Castro.

Quarto, sessio et resurrectio significant omnem motum, situm, habitum, actionem. *Psalm.* CXXXVIII, 2 : « Tu cognovisti sessionem meam, et resurrectionem meam, » id est omnes motus et actiones meas, *q. d.* Vides, Domine, quod Judæi in omni

(1) רוחת *raveat*, scilicet *respirationem*, sumpsit Hieronymus pro *gemitu, singultu*, qualis est oratio in magna angustia versantium. Et ipsa *oratio* eleganter vocari potest *respiratio*. Cum enim ea curas et molestias nostras in sinum Dei conjicimus, tunc spiritus, antea compressus, quasi dilatatur et violenter emergit. Hinc dicit Job, cap. XXXII, 2 : « Si loquar, respiratio erit mihi. »

(Rosenmuller.)

opere et actione sua in me psallant, me rideant et subsannent. Ita Maldonatus. Orat Propheta Deum, ut, sicut olim ante excidium ei affuit, sic et nunc adsit, ac a machinationibus Judæorum volentium fugere in Ægyptum, vel jam eo profugorum liberet.

65. DABIS EIS SCUTUM CORDIS. — In Hebræo est pulchra paronomasia : pro מגינת *meginna*, id est cantico suo, quo psallunt in me, vers. 63, dabis eis juste et apte mercedem מגנה *meginna*, id est scutum, vel circumcinctionem cordis, id est mœrorem et angorem qui cor cingat, claudat, angat, opprimat, inquiunt Vatablus et Chaldæus (unde et Arabicus vertit : *Constringe eos mœrore cordis*); ita ut cor malis oppressum tandem obdurescat, fiatque insensibile, quasi scutum vel lapis; hoc enim in extremis periculis et ærumnis naturaliter fieri experientia constat, uti ego ipse in periculo præsentissimo captivitatis et vitæ constitutus expertus sum. Aut, *q. d.* Dabis eis cardiacam passionem, ut vocant medici, qua cor quasi imposito operimento præ dolore suffocatur; ita R. David et Maldonatus. Hic sit carcer eorum qui me injusto carcere concluserunt. Sic Sedecias qui Jeremiam carcere clausit, et principes ejus, qui ad id eum impulerunt, a Chaldæis capti sunt, incarcerati, excæcati et occisi, itaque angustiis et doloribus circumcincti et oppressi.

Alludit ad scutum veterum, quod totum pene tegebat militem, ideoque ei longitudine fere erat æquale, cum clypeus et parma solum caput vel pectus occulerent. Id docet Livius lib. I : « Pro clypeo secundæ classi datum est (scutum) quod sine lorica essent, ut scutum et clypei et loricæ loco esset, et totum corpus protegeret. » Unde Ammianus, lib. XVI, docet milites in scutis, quasi in scaphis flumina transmisisse. Quin et milites occisos in acie, in scuto, quasi in feretro efferebant, uti Pallantem elatum docet Virgilius *Æneid.* X. Hinc illud Lacænæ ad filium : « Aut scutum refer, « quasi victor; » aut in scuto redi, » quasi occisus in feretro. Sensus ergo est, *q. d.* Sicut scutum totum militem cingit et tegit : ita tuus labor totos eos circumcingat et opprimat. Rursum, *q. d.* Tu, Domine, mihi Jeremiæ in carcere fuisti scutum amicum; sed hostibus meis et tuis esto scutum hostile. Sicut enim tuam fidem et benignitatem, scutum esse mihi voluisti; sic qui me persequuntur, non aliud habebunt abs te cordis sui scutum, quam indignationem, laborem, infortunium. Ita Sanchez, qui et addit, Hebræum *meginna* posse deduci a radice נגן *nagan*, id est canere, psallere, ut *meginna* sit idem quod *negina*, *q. d.* Ego sum illis psalmus et fabula ad convicium : tu eris eisdem psalmus ad laborem et luctum, quale est epicedium, aut ferale carmen, quod in mortuorum exsequiis cantari solet. Hæc allusio non est incommoda; idem enim verbum ad plura alludere potest; genuina tamen et propria significatio *meginna* est, ut significet *scutum*, uti vertunt Noster et alii, a radice גנן *ganan*, id est texit, protexit. Quocirca prior expositio solida est et germana.

Aliter Septuaginta vertunt enim, ὑπεραπισμὸν καρδίας, id est *protectionem cordis*. Et R. Joseph scutum hoc attribuit Prophetæ, quo Deus illum sit protecturus, ne Judæi illi infensi ei possint nocere. Sed repugnant verba textus dicentis : « Dabo eis, » non, *ei*. Alii per scutum vel tegumentum cordis accipiunt ignorantiam, excæcationem, obdurationem et incredulitatem. Ita Hugo, Lyranus, Dionysius. Unde tropologice per hoc scutum accipias crassam et affectatam ignorantiam mandatorum Dei et Ecclesiæ, ait Delrio *adagio* 881.

Denique R. Salomon pro *scutum cordis* vertit *contritionem* vel *confractionem cordis*. Radix enim מגן *magan*, inquit, significat confringere et conterere. Sed in utroque errat, et se Hebræarum vocum imperitum ostendit.

LABOREM TUUM. — Hebraice תאלה *taala*, id est maledictionem, exsecrationem, ut nil eis prospere cedat, *q. d.* Dabis eis scutum cordis, scilicet tuam maledictionem, quæ cor eorum contegat, constringat et induret.

Secundo, R. Salomon *taala* vertit, stultitiam tuam a radice יהל *iaal*, quæ in niphal significat esse stultum : unde אויל *evil* vocatur stultus, *q. d.* Ipsi dixerunt tua, o Domine, oracula et minas Jeremiæ de excidio Hierosolymæ, deque captivitate et ærumnis Judæorum, esse falsa et stulta; jam ergo hoc eis in os refricabis, ut hæc oracula quæ ipsi vocarunt stultitiam, reipsa eis eveniant, sintque scutum et oppressio cordis eorum : tunc videbunt non tua, sed sua dicta et facta fuisse stultitiam, seque opponendo se Deo et Prophetis stulte egisse.

Tertio et optime, תאלה *taala*, id est maledictio, per metathesin ponitur pro תלאה *telaa*, id est labor : alludit enim ad vers. 5 : « Circumdedit me felle et labore, » uti hebraice est *telaa*. *Telaa* significat laborem, defatigationem, molestiam, dolorem, angorem et cruciatus, *q. d.* Defatigationem, dolorem et molestiam, qua te, o Domine, laborare fecerunt hostes mei Judæi, dum te suis peccatis assiduis fatigarunt, hanc redde eis quasi par pari, ut illi pariter malis et ærumnis a te immissis laborent, crucientur et fatigentur; hæcque sit eorum scutum, sive circumcinctio et oppressio cordis. Ita Rupertus, Hugo, S. Thomas. Unde Syrus, Arabicus uterque, et Chaldæus, *telaa* vertunt, *plaga*, *percussio*, *afflictio*, illudque referunt ad verbum sequens תרדוף *tirdoph*, quod Noster vertit, *persequeris*; ipsi vero vertunt, *persequetur* (utroque enim modo verti potest). Sic ergo Syrus vertit : *Dabis eis mœrorem cordis, et plaga tua persequetur eos;* Arabicus : *Constringe eos mœrore cordis; et persequetur eos persecutio tua;* Chaldæus : *Afflictio tua fatigabit eos*, *q. d.* Sentiant Judæi, Domine, manum tuam duram, et nos defatigantem; nimirum id eis reipsa evenit, eum extrema fame

aliisque miseriis laborarunt in obsidione, et postea cum capta urbe ducti sunt in carceres, et in Babylonem. Ita Lyranus. Labor ergo hic active capitur, non passive, *q. d.* « Laborem tuum, » scilicet, non quo tu laboras et doles, sed quo eos laborare et dolere facies. Unde explicans subdit « Persequeris in furore, et conteres eos sub cœlis, Domine. »

Allegorice, *q. d.* Laborem tuum, id est laboriosam vitam, passionem et crucem, quam tibi, o Christe, imposuerunt Judæi, redde eis in excidio per Titum et Vespasianum. Ita Delrio. Huc pertinet expositio S. Hieronymi, vel potius Rabani, nisi quod ipse per *scutum cordis* accipit scandalum Judæorum, ex humana infirmitate quam videbant in Christo : « Dedit, inquit, eis scutum cordis, laborem suum; quia recto judicio inde illos (Judæos) contra se superbe obstinatos exhibuit, unde ipse pro nobis in infirmitate laboravit; repulerunt quippe a se verba prædicantium, qui dedignati sunt in Domino infirma passionum, » *q. d.* Punivit Deus juste Judæos excæcatione et obduratione, quia repulerunt Christum pro se in humanitate laborantem, afflictum et patientem : ex eo enim eum magis amare et colere debuissent, quo magis indigna pro eis suscepit; quia ergo hoc non fecerunt, sed a Christo laborante aversi sunt, hinc juste a Deo excæcati et obdurati sunt. Sic et S. Gregorius, hom. 22 *in Evang.*: « Dabis, inquit, eis scutum laborem tuum; ne enim prædicationis spicula eorum corda penetrarent, dum passionis ejus laborem dedignati sunt; quasi eumdem laborem illius pro scuto tenuerunt, ut eo ad se transire ejus verba non permitterent, quo eum laborare usque ad mortem viderunt. » Denique Hector Pintus sic exponit : Tu, Christe, dabis hominibus laborem quem pro eis suscepisti, ut sit eis scutum in omni tentatione. Tua passio erit illorum protectio, tuus labor erit illorum clypeus. At qui hunc repulerint vel neglexerint, hic affligentur et in gehennam ibunt. Verum hic sensus parum cohæret litteræ et contextui.

66. SUB COELIS, — de terra. Hoc vere accidit; nam per septuaginta annos captivitatis omnes Jeremiæ inimici perierunt, nec in Judæam aliquis ex eis reversus est : sicut in deserto perierunt omnes murmurantes, et soli Josue et Caleb Chanaan ingressi sunt, *Numer.*, cap. XIV, 29.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, Rupertus et Hugo putant hoc cap. Jeremiam plangere excidium Hierosolymæ per Titum et Romanos, quia ejus causam affert vers. ult., scilicet, quod Christum occiderint. Secundo, Hebræi, Lyranus et Dionysius putant eum plangere necem Josiæ optimi regis, quæ fuit causa ruinæ et excidii Judæorum; quia ei successerunt impii filii, qui sua impietate rempublicam everterunt, et sic vers. ult. per Christum accipiunt Josiam. Tertio, Paulus Burgensis censet Prophetam plangere templi et cultus divini eversionem. Quarto verisimilius, Theodoretus, Hugo, Bonaventura et Dionysius censent eum lugere lapsum urbis et templi, ac totius populi, præsertim nobilium juvenum, vers. 2, lactentium, vers. 3, Nazaræorum, vers. 7, mulierum coquentium filios, vers. 10, ex statu tam felici in tam miserum et infelicem : idque primo et proprie per excidium Chaldæorum, deinde per excidium Romanorum. Inde, vers. 20, obiter avolat ad Christum, ac vers. 21, cladem minatur Idumææ, ac Judæos spe melioris sortis consolatur.

***Tropologice deplorat lapsum animæ fidelis, et ruinam per peccatum, quæ multo miserabilior est clade Hierosolymæ* (1).**

1. Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum? 2. Filii Sion inclyti, et amicti auro primo : quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli? 3. Sed et lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos : filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto. 4. Adhæsit lingua

(1) De templi et urbis desolatione præsertim agitur in hoc capite, et PRIMO, recenset Propheta, *primo*, direptionem, destructionem sanctuarii, et exspoliationem et contemptum sacerdotum, 1, 2; *secundo*, duritiem partim, partim impotentiam parentum, proles perire sinentium, 3, 4; *tertio*, defectum et penuriam opulentorum et pœnam propter majora crimina præ Sodomitarum pœna majorem, 5, 6; *quarto*, gloriam et venerationem Nazaræorum conversam in neglectum et contemptum, 7, 8; *quinto*, famem extremam, vivos ad optandam mortem, et matres ad vorandos partus proprios inducentem, 9, 10; *sexto*, minas Domini incendio et eversione completas, 11; *septimo*, hostes præter omnium exspectationem, urbe potitos, et incolas errantes, vulneratos, a se invicem abhorrentes, divisos et desperantes, 12, 14, 15.

SECUNDO, enumerat causas hujus mali, *primo*, mendacia prophetarum, iniquitates et homicidia sacerdotum, 13; *secundo*, contemptum et irreverentiam laicorum erga sa-

lactentis ad palatum ejus in siti : parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis. 5. Qui vescebantur voluptuose, interierunt in viis : qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora. 6. Et major effecta est iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum, quæ subversa est in momento, et non ceperunt in ea manus. 7. Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores. 8. Denigrata est super carbones facies eorum, et non sunt cogniti in plateis : adhæsit cutis eorum ossibus : aruit, et facta est quasi lignum. 9. Melius fuit occisis gladio, quam interfectis fame : quoniam isti extabuerunt consumpti a sterilitate terræ. 10. Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos : facti sunt cibus earum, in contritione filiæ populi mei. 11. Complevit Dominus furorem suum, effudit iram indignationis suæ : et succendit ignem in Sion, et devoravit fundamenta ejus. 12. Non crediderunt reges terræ, et universi habitatores orbis, quoniam ingrederetur hostis et inimicus per portas Jerusalem. 13. Propter peccata prophetarum ejus, et iniquitates sacerdotum ejus, qui effuderunt in medio ejus sanguinem justorum. 14. Erraverunt cæci in plateis, polluti sunt in sanguine : cumque non possent, tenuerunt lacinias suas. 15. Recedite, polluti, clamaverunt eis : recedite, abite, nolite tangere : jurgati quippe sunt, et commoti dixerunt inter gentes : Non addet ultra ut habitet in eis. 16. Facies Domini divisit eos, non addet ut respiciat eos : facies sacerdotum non erubuerunt, neque senum miserti sunt. 17. Cum adhuc subsisteremus, defecerunt oculi nostri ad auxilium nostrum vanum, cum respiceremus attenti ad gentem, quæ salvare non poterat. 18. Lubricaverunt vestigia nostra in itinere platearum nostrarum, appropinquavit finis noster : completi sunt dies nostri, quia venit finis noster. 19. Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cœli : super montes persecuti sunt nos, in deserto insidiati sunt nobis. 20. Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris : cui diximus : In umbra tua vivemus in gentibus. 21. Gaude, et lætare, filia Edom, quæ habitas in terra Hus : ad te quoque perveniet calix, inebriaberis, atque nudaberis. 22. Completa est iniquitas tua, filia Sion, non addet ultra ut transmigret te : visitavit iniquitatem tuam, filia Edom, discooperuit peccata tua.

1. Quomodo, — quo tanto scelere hominum, qua tanta indignatione Dei ?

Obscuratum est aurum. — « Aurum » vocat templum auro obtectum et fulgidum, II *Paral.* III, 5 et 8, *q. d.* Quomodo templum ita fulgens auro, ut videretur totum esse aureum, imo aurum, jam igne crematum a Chaldæis, versum est in nigredinem, ut jam non aurum, sed fuligo et nigredo exusta esse videatur. Templi cladem præ cæteris deplorat, tum quia ipsum erat quasi sedes et thronus Dei, tum quia ita auro erat fulgidum, ita structura magnificum, ut esset orbis miraculum. Ita Chaldæus, Rabanus, Hugo (1).

Lapides, — gemmæ, quibus Rationale, quod erat vestis pontificis, ornabatur : ita Rabanus; vel simplicius, ut Hugo et Dionysius, « lapides, » quibus exstructum erat templum, dispersi sunt in plateis.

Secundo, Theodoretus, S. Thomas et Lyranus hæc sic explicant, *q. d.* Quomodo status regni felix sub Josia et pius, jam sub ejus filiis mutatus est in miserum, impium et idololatricum, et « lapides, » id est cives ejus dispersi sunt per gentes ?

Tertio, alii per *aurum* Josiæ filios, principes et nobiles auro splendidos; per *lapides* sacerdotes et templi ministros aut doctores sapientia et pietate insignes accipiunt. Ita Olympiodorus, Vatablus, Lyranus et Dionysius.

Quarto, R. Salomon per *aurum* intelligit ipsos vultus Judæorum, et facies antea fulgentes et nitentes ut aurum; nunc autem præ squalore offuscatos, tetros et luridos, juxta illud *Joel.* II, 6 : « Omnes vultus redigentur in ollam, » id est denigrabuntur ut olla; et *Nahum* II, 10 : « Facies omnium eorum sicut nigredo ollæ. »

Quinto, D. Thomas refert hæc ad obscurationem mentium : aurum enim est symbolum sapientiæ et divinæ cognitionis, quæ in Judæis per peccatum est obscurata; unde dicitur *Proverb.* VIII, 10:

cerdotes et seniores, 16; *tertio*, spem positam in exterorum auxilio, 17; *quarto*, subornatos cives, instantes hostes, captum regem, 18, 20.

Tertio, duobus extremis versibus vates suorum afflictos animos erigit spe, non tantum vindictæ, quam de infensis sibi gentibus sumpturus sit idem, verum et finis miseriarum, quibus nunc opprimuntur, 21, 22.

(1) Facile accederemus sententiæ Schultensii, qui *aurum* hoc loco non proprie capiendum putavit, sed per metaphoram designare potiorem Hebræi populi partem, qui quondam *auri* instar in Dei sanctuario fulgebat. Nam quod vers. 2 propriis, id hic impropriis et allegoricis verbis exprimitur.

« Doctrinam magis quam aurum eligite ; » et cap. XVI, 16 : « Posside sapientiam, quia auro melior est : et acquire prudentiam, quia pretiosior est argento. » Idem docet S. Augustinus in illud *Psal.* LXXI : « Dabitur ei de auro Arabiæ. » Verum hæc symbolica aut mystica sunt. Primus ergo sensus est litteralis.

MUTATUS EST COLOR OPTIMUS, — scilicet auri nitor et splendor. Hebraice est כתם *ketem*, quod R. Jona vertit, *margaritas;* alii vertunt, *signatum*, vel forma aliqua insignitum. Alii et verius censent *ketem* proprie significare massam auri optimi et obrizi, indeque ipsum aurum fulgidum, ac monilia aurea, sive fulgorem auri et aureorum monilium vocari *ketem;* unde Noster vertit, « color optimus; » Aquila vertit, *tinctura;* Septuaginta vertunt, *argentum;* forte legerunt כסף *keseph*. Sensus est, *q. d.* Quomodo forma illa, et fulgor auri optimus mutatus est in templo per incendium in fumum fuscedinem et atrorem ollæ?

2. FILII SION; — id est omnes Judæi tum forma præstantes, ut Chaldæus, tum opibus et vestibus pretiosis splendidi, ut Origenes, et maxime filii Josiæ, qui in arce Sion, ubi erat regia, educabantur more regio. Unde Septuaginta vertunt, οἱ τίμιοι, id est *venerabiles illi et honorabiles.*

Aliter Theodoretus et S. Thomas : censent enim filios Sion vocari viros pietate et sapientia insignes, quos vers. 1 vocavit lapides pretiosos : unde hebraice eadem est pene vox ibi, scilicet אבנים היקרים *abanim haiecarim*, id est lapides pretiosi, quæ hic, הבנים היקרים *habbanim haiecarim*, id est filii pretiosi, nobiles, splendidi, « amicti : » hebraice המסלאים *hammesullaim*, id est comparati; Chaldæus, *similes;* Septuaginta, *elevati in auro*, id est aureis vestibus gloriosi et superbi. Addit Josephus, lib. VIII *Antiq.* VII, juvenes Hebræorum nobiles solere ramenta auri capillis inspergere, ut ad radios solis caput micare et coruscare videretur.

REPUTATI SUNT IN VASA TESTEA, — id est, ut Chaldæus, captivitate et ærumnis obscurati, nigri facti sunt et fuliginosi instar ollæ testaceæ in qua cibi coquuntur. *Secundo* et melius, viles facti sunt, et nullius pretii, æque ac aridi et exsucci instar testæ, qui antea rosei erant et floridi : item fragiles et imbecilli, ut vasa testea. Sic *Jerem.* XIX, 11, dicitur : « Conteram populum istum, et civitatem istam, sicut conteritur vas figuli, quod non potest ultra instaurari, » idque merito et congrua vindicta; ipsi enim in corporibus aureis, ornatis et bene saginatis animos gestabant luteos et testaceos. Hinc Chaldæus vertit : *Quorum imagines* aut *vultus similes erant auro, assimilati sunt lagenis testaceis*, ubi per lagenas videtur notare eorum vinositatem et crapulam. Quid enim est homo vinosus? est lagena mentis et rationis inops et vacua, sed vino oppleta et quasi saburrata.

Ebrius est lagena mentis inops, vino saburrata.

Tropologice, cum aliqua Religio (aut fidelis quispiam, præsertim clericus) olim florens et fervens, ac virtutibus fulgens tepescit, nigrescit et dissolvitur, dicere licet : « Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus? » præsertim si lapides sint dispersi, nec sint qui curent eos colligere et disciplinam restaurare. Ita S. Basilius *ad Monachum lapsum* : « O gravem, ait, cæcitatem! O immanem crudelitatem! Deum non timuisti, homines non es reveritus, nullam amicorum rationem habuisti; sed simul omnia facto naufragio perdidisti, simul omnibus spoliatus es. Quocirca, iterum miser, tui gratia doleo. Qui omnibus regni Dei vigorem annuntiabas, regno Dei excidisti. Qui doctrinæ timorem omnibus incutiebas, non habuisti timorem Dei ante oculos tuos. Qui vitæ sanctimoniam prædicabas, scelestus deprehenderis. Quomodo te lugebo? quomodo super te dolebo? Quomodo cecidit Lucifer qui mane oriebatur, super terram contritus est? Quomodo Nazaræus auro splendidior, fuligine factus est obscurior? Quomodo filius Sion præclarus, factus est vas inutile? » Audi Rabanum : « Quid auro, quod cæteris metallis præeminet, nisi excellentia sanctitatis? quid colore optimo, nisi cunctis amabilis reverentia Religionis exprimitur? quid per sanctuarii lapides, nisi sacrorum ordinum personæ signantur? quid platearum nomine, nisi præsentis vitæ latitudo dicitur? lata enim et spatiosa est via quæ ducit ad perditionem. Aurum ergo obscuratur, cum terrenis actibus vita polluitur : color optimus commutatur, cum quorumdam qui agere religiose credebantur, existimatio anteacta minuitur, et quasi pallescit : sanctuarii lapides in plateas disperguntur, cum causa sæcularium foris lata itinera expetunt hi qui ad ornamenta Ecclesiæ internis mysteriis, quasi in secretis sanctuarii vacare debuerant. Jacent ergo dispersi per plateas, cum personæ sacrorum ordinum voluptatum suarum latitudini deditæ, terrenis negotiis inhærent, » ac præsertim cum illi qui antea in una congregatione erant uniti, jam per odia et schismata dividuntur, et Ecclesiam templumque Dei destruunt; et qui antea erant honorati, jam divisi et dispersi, tanquam viles et communes lapides pedibus conculcantur. Et S. Bernardus, *serm.* 2 in illud : *Non est regnum Dei esca et potus* : « Filii, inquit, Sion, illius videlicet speculativæ civitatis quam ædificavit Dominus, ut videatur in gloria sua, filii supernæ Jerusalem quæ est mater nostra, inclyti per dignitatem conditionis, amicti auro primo per divinitatis imaginem : quomodo ergo reputati sumus in vasa testea, in hæc lutea et fragilia corpora degeneravimus? » Et S. Gregorius, hom. 17 *in Evang.* : « Aurum, inquit, obscuratum est; quia sacerdotum vita quondam per gloriam virtutum clara, nunc per actiones infimas ostenditur reproba. Color optimus est mutatus : quia ille sanctitatis habitus, per terrena et abjecta opera ad ignominiam despectionis venit. Lapides vero sanctuarii interius habebantur, nec sumebantur

Tropologice, de Religione dissoluta.

in summi sacerdotis corpore, nisi cum Sancta sanctorum ingrediens, in secreto sui Conditoris apparebat. Nos ergo, fratres charissimi, nos sumus lapides sanctuarii, qui apparere semper debemus in secreto Dei, quos nunquam necesse est foris conspici, id est, nunquam in extraneis actionibus videri. Sed dispersi sunt lapides sanctuarii, quia hi qui per orationem intus esse debuerant, per vitam foris vacant. Ecce jam pene nulla est sæculi actio, quam non sacerdotes administrent. In capite ergo platearum dispersi sunt; quia et jacent per ministerium operis, et honorari volunt de imagine sanctitatis. » Hæc et plura S. Gregorius digna quæ a sacerdotibus sæpe legantur et ruminentur.

3. SED ET LAMIÆ. — Amplificat malum per comparationem cum lamiis, *q. d.* Crudeles feræ nudant mammas, iisque lactant et alunt catulos suos; solæ feminæ Hierosolymitanæ præ fame ita factæ sunt crudeles in filios suos, ut non tantum eis lac negarint, sed et eos a se repulerint quasi struthio, qui deserto assuetus vagatur, ova sua derelinquit, et pullorum curam negligit; imo ut eos occiderint et devorarint, ut ait vers. 10. Ita Origenes, Theodoretus, Rupertus, Lyranus, Vatablus et passim alii. Solus Hugo sic explicat, *q. d.* Ita Judæa in solitudinem redacta est, ut feræ ibi pariant et alant catulos, atque struthio ibi moretur quasi in deserto. Septuaginta vertunt: *Filiæ populi mei in incurabile, quasi struthio in deserto.* Quod Olympiodorus, Origenes, Theodoretus sic explicant: Sicut struthio, alas vix habens, deserto avolare non potest: ita Judæi relicti in Judæa ad eam colendam adeo infirmi sunt et invalidi, ut aufugere et e servitute se eripere non possint. Chaldæus vertit: *Cœtus populi mei traditi sunt crudelibus, et matres eorum lamentantur super eis, sicut lamiæ in deserto.* Hebraice enim est לאכזר *leachsar*, id est *crudeli*, in dativo. Sed melius cum Nostro et Septuaginta *leachsar* vertas, *in crudelem*, scilicet mutata est, id est facta est Jerusalem sæva et crudelis ut struthio in deserto.

Nota: Pro *lamiæ* hebraice est תנין *tannin*, id est draco, sive is marinus sit, sive terrestris. Ita Septuaginta, Chaldæus et alii. Quare mirum est Syrum et Arabicum vertere, canem sylvestrem: *Discooperuerunt*, inquiunt, *ubera sua canes sylvestres, et lactaverunt catulos suos.*

Ubi nota: In Syria est fera similis lupo et cani, quæ in sylvis degens ululat ut canis, quam proinde Syri canem sylvestrem vocant: videtur ergo esse species lupi, hiænæ vel lyciscæ.

Sic lamia piscis est ex cetorum genere, qui et parit mammasque habet. Ita Aristoteles lib. I *Hist. animal.* cap. V, et ex eo Guilielmus Rondeletius, lib. XIII *De Piscibus*. Hic piscis voracissimus est: unde a λαιμὸς, id est *guttur*, dicitur lamia, quia magnam habet gulam, magnum guttur: lamia ergo hic piscis accipi posset.

Secundo et aptius, lamiam hic accipias, ut sit nomen terrestris draconis, de quo scribit Philostratus, lib. IV *De Vita Apollonii*, et Dion Chrysostomus, scilicet in Africa lamias esse feras muliebri facie, uberibus totoque corpore ita specioso, ut ipsis retectis homines ad se alliciant, captosque devorent; reliqua pars corporis squamis est prædura, alis carent et voce, sed sibilum edunt instar draconum.

Mantichora bellua, quæ?

Similia de mantichora bellua habent Aristoteles, lib. II *De Histor. anim.* cap. I, in fine; Plinius, lib. VIII, XXI; Solinus, cap. LV *Polyhist.* Et forte hanc intelligit hic Jeremias, quia ipsa est vultu humano, corpore leonino; hic autem pro *catulos* hebraice est גוריהן *gurehen*, quod catulos leoninos significat. Albertus Magnus tale monstrum vultu virgineo se vidisse in Germania narrat lib. XXVI *De Animalibus*. Atque inde veneficæ, quæ pueros necant vel vorare dicuntur, vocantur lamiæ, sive empusæ, de quibus Cælius Rhodiginus, lib. XXIX, cap. V, et Delrio in *Magicis*.

Lamiæ et empusæ veneficæ, quæ?

Porro dicitur draco nudare mammam; quia habet thecam vel operimentum, quo mammam includit. Ita Vatablus et alii. Plura de lamiis dixi *Isaiæ*, cap. XXXIV, 14.

Tropologice, lamiæ sunt hypocritæ et hæretici.

Tropologice Rabanus: « In lamia, inquit, duplicitas Judæorum, et fictio hypocritarum exprimitur; lamia enim habet faciem humanam, sed corpus bestiale. « Rursum lamiæ, inquit S Gregorius lib. XIX *Moral.* XV, et ex eo Rabanus, sunt hæretici, qui humanam quidem faciem, sed belluina per impietatem corda gestant: hi mammam nudant, cum errorem libere prædicant; catulos lactant, cum male sequaces parvulorum animas, dum perversa insinuant, ad impietatem nutriendo confirmant. » Hi crudeles sunt ut struthiones, quia se et suos perdunt.

STRUTHIO. — Hebræum יענים *ieenim* recentiores vertunt *cuculum*, qui parit in alienis nidis, et ova sua aliis fovenda exponit: sed *struthionem* hic vertunt Chaldæus, Septuaginta, Vatablus, Origenes et alii. Struthio enim ova sua ponit in terra, et quasi sua non sint negligit, et soli fovenda relinquit adeo exposita, ut pedibus hominum aut ferarum conterantur; ad pullos autem ita obduratur, ac si eos non peperisset, ut docet Job cap. XXXIX, 14. Vide de struthione Plinium, lib. X, cap. X. Unde struthio stoliditatis et inhumanitatis est symbolum; quamvis enim gemant et ululent ejus pulli, ipse nihil eis compatitur. Unde *Michææ* I, dicitur: « Faciam planctum velut draconum, et luctum quasi struthionum; » hebraice, *sicut filiæ struthionis*, id est sicut pulli a matribus struthionibus derelicti, qui miserabiliter plangunt et ejulant.

Struthio stoliditatis symbolum.

4. IN SITI, — præ siti, *q. d.* Lactentes non potuerunt sugere ubera matrum, quæ ob inediam exaruerant: unde præ siti adhæserunt linguæ eorum palato, uti fit in homine sitibundo et arido. Alii grandiores parvuli petierunt panem, et non erat qui daret eis. Hæc omnia signant magnam famem,

inediam et penuriam. « Qui vescebantur voluptuose, » *q. d.* Divites et nobiles delicate enutriti, « interierunt in viis,» *q. d.* In locis publicis enecti fame jacuere; et « qui nutriebantur, » bajulabantur et accubabant « in » fasciis et vestibus « croceis, amplexati sunt stercora, » id est fimeta et sterquilinia, in quibus cubarent, et fimo quasi culcitra se tegerent, uti contigit ipsi S. Job. Et sic peregrini pauperes, ne in plateis frigidis pernoctent, fimetum adeunt, in eoque cubant, ut ejus calore noctu incalescant. Ita Lyranus, Castrius et alii. Aut, ut Sanchez, in sterquilinio, id est loco impuro, contabescunt, ibique sepeliuntur sepultura asini.

Hæc verba Victor Uticensis, lib. II *Wandal.* apposite adaptat Christi confessoribus ab Hunerico rege ariano in arcto carcere inclusis. « In quo, ait, jacebant unus super alium quasi agmina locustarum, nec erat secedendi locus, sed stercora et urinam ibidem faciebant, ut ille tunc fetor et horror universa pœnarum genera superaret: ad quos aliquando dantes ingentia munera Mauris, dormientibusque Wandalis, vix clam admissi sumus intrare. Qui introeuntes velut in gurgite luti usque ad genua cœpimus mergi, illud tunc Jeremiæ videntes fuisse completum : Qui nutriti sunt in croceis, amplexati sunt stercora sua. Exeuntes itaque die Dominica linita habentes stercoribus vestimenta, facies simul et capita, a Mauris tamen crudeliter minabantur, hymnum cum exsultatione Domino decantantes : Hæc est gloria omnibus Sanctis ejus. »

Nota *primo*: Pro *croceis* hebraice est תולע *thola*, id est *cocco*, ut vertunt Septuaginta; unde aliqui pro *croceis* putant legendum *cocceis*, id est coccineis : quanquam croceus color accedit ad rubrum et coccineum. Unde Gellius, lib. II, cap. XXVI, inter varias rubri species recenset et croceum : et croceæ vestes speciosæ sunt et pretiosæ, æque ac coccineæ. Quocirca Syrus vertit : *Qui nutriti sunt super coccos, ecce dormiunt in sterquiliniis*; et Arabicus : *Qui nutriti erant in locis tincturæ mollis, et cocco, ecce sunt in sterquiliniis.*

Hinc, *secundo*, patet hæc referri ad vestitum, non ad cibum, licet eo referant Hugo, S. Thomas et Dionysius, *q. d.* Qui croceis cibis et deliciis vescebantur, nunc in fame stercora columbina aliaque comedunt, uti contigit in Samaria tempore Elisæi prophetæ, IV *Reg.* VI, 25. Denique aliqui hæc referunt ad vilia ministeria sordium et latrinarum, quæ Judæi coacti sint præstare Babyloniis heris suis; unde S. Augustinus in *Psalm.* LXXX : « Manus, inquit, ejus (Israelis) in cophino servierunt. Per cophinum significantur opera servilia, mundare stercora, terram portare, » etc.

Tropologice, *q. d.* Viri religiosi et fervidi, qui olim quasi aquilæ in cœlo versabantur cum angelis, nunc quasi scarabæi volutantur in cœno et stercore voluptatum carnalium cum asinis et porcis. Ita S. Bernardus, serm. *De Obedientia, patientia et sapientia* : « Propheta, ait, deplorat, oblitas propriæ conditionis ingenuas creaturas tantam dissimulare miseriam : nec modo non reputare quod tolerant, sed tanquam bona magna complecti quæ paulo minus extrema sunt mala. »

6. MAJOR EFFECTA EST INIQUITAS (id est pœna iniquitatis, Hierosolymæ) PECCATO (id est pœna peccati) SODOMORUM. — Sic iniquitas et peccatum sumitur pro pœna peccati, *Exodi* XXVIII, 38; *Levit.* V, 1, et infra cap. V, 7. Ex majori punitione Judæorum quam Sodomæ, colligit majorem eorum culpam : nam Sodoma subito a Deo punita et concremata brevis temporis dolorem sensit : Jerusalem vero longa obsidione et dolore enecta, diuque torta et cruciata fuit. Ita Origenes, Chaldæus, Theodoretus, Rupertus. Unde S. Thomas : « Hic, inquit, exaggerat pœnam in comparatione ad pœnam Sodomorum; major effecta est iniquitas, id est major in pœna ostensa est; major fuit culpa, propter ingratitudinem, et propter Sanctorum profanationem : hinc et major fuit pœna, quia diuturnior. »

IN MOMENTO. — Mors enim repentina minus doloris habet : unde talem εὐθανασίαν sibi optabat Augustus Cæsar. Hinc de impiis in cumulum felicitatis eorum ait Job, cap. II, 13 : « Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt, » id est subito moriuntur, nec diuturno cruciantur morborum dolore; unde sequitur :

ET NON CEPERUNT IN EA MANUS. — Subaudi, aliquid boni agere, et dare eleemosynas, inquiunt Paschasius et Dionysius. Sodomitæ enim subversi sunt ob inhumanitatem, quia « manum egeno et pauperi non porrigebant, » inquit Ezechiel, cap. XVI, 49. *Secundo*, Lyranus : « Non ceperunt in ea (Sodoma) manus » hostium, scilicet spolia, *q. d.* Minus punita fuit Sodoma quam Jerusalem, quia bona Jerusalem rapuerunt sibi Chaldæi : quæ fuit una pœna Judæorum, nempe quod viderint hostes suos gaudere et luxuriari in bonis ipsorum, quod non viderunt Sodomitæ.

Tertio, Rabanus explicat, *q. d.* Magistri et doctores in Jerusalem non ceperunt manus, id est fructum manuum et laborum suorum, id est doctrinæ et concionis suæ.

Quarto, Chaldæus per *manus* accipit Prophetas; vertit enim : *Non manserunt in ea Prophetæ, ut eam converterent ad pœnitentiam.*

Quinto et optime, « non ceperunt in ea, » id est in ejus expugnatione, laborare « manus, » *q. d.* Non fuit opus incipere, multo minus perficere, expugnationem Sodomæ per manus hominum et Chaldæorum, uti in Hierosolymis; sed Deus per se, id est per angelum pluentem ignem et sulphur, evertit Sodomam (1). Unde ipsa velut momen-

(1) Hebræus ולא-חלו בה ידים *ouelo calou ba iadim*, potest verti, *nec irruerunt in eam manus*, id est, non fuit Sodoma vi hostili diu agitata et oppressa, antequam diueretur. Quæ interpretatio optime congruit antecedentibus, *subversa est in momento.*

taneo horæ supplicio igne absumpta, pœnam suam luit. Sic milites in bello cadentes putant se felices, juxta illud Poetæ :

Quid enim? concurritur, horæ
Momento aut cita mors venit, aut victoria læta.

Hebraice *chalu* quadrupliciter exponitur.

Hebraice est חללו *chalu*, quod *primo*, a חלל *chalal* deductum, significat incipere : unde Noster vertit « ceperunt, » id est inceperunt. *Secundo*, a חול *chol*, deductum, significat profanare et violare; unde alii vertunt : *Chaldæi et gentes non profanarunt in ea manus suas*, vel manibus suis eam non violarunt. *Tertio*, a חיל *chail*, id est strenuitas vel exercitus, significat castrametari. Unde Vatablus et Pagninus vertunt, *non sunt contra eam castrametatæ manus hostium. Quarto*, a חלה *chala*, significat dolere, infirmari, cruciari; unde Septuaginta vertunt : *Non laboraverunt in ea manus*; Symmachus : *Non vulnerarunt eam manus;* alii : *Non doluerunt, non infirmatæ sunt manus;* quia Hierosolyma magno conatu, labore et dolore Chaldæorum, æque ac Judæorum obsessa et expugnata fuit; ut sensim impii Judæi attererentur, et ut diu torquerentur; non sic Sodoma, cujus incuriam repente obruit pavor, pavorem disjecit angustia, angustiam præripuit cita mors.

7. CANDIDIORES NAZARÆI EJUS. — « Ejus, » scilicet Hierosolymæ. Nota : Nazaræi, i. e. separati, consecrati et coronati erant, qui se Deo devovebant, vino et sicera abstinendo, comam non tondendo, *Num.* 6; multi etiam a mulieribus se continendo, ut ait Epiphanius, *hæres.* 29, et S. Augustinus, serm. 107 *De Tempore.* Horum externam pulchritudinem mutatam dicit : erant enim inter eos multi nobiles et juvenes pulchri, id est candore roseo, eumque sua temperantia et abstinentia, uti contigit Danieli et sociis, forte etiam arte ac studio augebant, cum se Deo consecrarent, ut internam puritatem externa repræsentarent : hi jam in fame et captivitate luridi et squalidi effecti sunt. Unde sequitur : « Denigrata est, » etc. Nota : Sicut ingluvies mater est fœditatis et turpitudinis : ita parcimonia et temperantia mater est venustatis.

Secundo, non male Rabanus, Lyranus, Dionysius, Nazaræi, inquiunt, id est levitæ et sacerdotes, Deo consecrati, sacris vestibus ex hyacintho, cocco, purpura et bysso confectis induti, candore nivem, nitore lac, rubore ebur, cæruleo colore sapphirum referebant : byssus enim candida est, coccus nitens, purpura rubea, hyacinthus cærulea.

Verum huic expositioni obstat, quod solus pontifex in tunica hyacinthina gestaret ephod ex bysso, cocco, purpura et hyacintho; reliqui vero sacerdotes pro ea gestarent tunicas ex lino duntaxat, ut patet *Exodi* XXVIII, 6, 31, 33 et 40; vide ibi dicta. Quare hæc vestium et colorum variegatura non ad Nazaræos, nec ad sacerdotes et levitas, sed ad solum summum pontificem spectabat.

Porro candor hic Nazaræorum non tam colorem album, quam candicantem et fulgidum significat, scilicet cutem et vultum eorum fuisse nitentem et lucentem. Sic in transfiguratione Christi dicuntur vestes ejus factæ candidæ, id est splendentes et fulgidæ. Candidi, id est splendentes.

Tropologice, Christus est Nazaræus, tum quia a Nazareth, quæ florem aut coronam significat, oriundus; tum quia sanctificatus et Patri ex utero consecratus : et Christiani sunt Nazaræi, maxime Religiosi et perfectionis studiosi, qui puritate vitæ nivem, nitore lac, charitate et fervore ebur, cœlesti conversatione sapphirum referunt : imo de his ad litteram intelligunt Origenes, Theodoretus, Hugo, S. Thomas et Dionysius. Sed constat Jeremiam ad litteram loqui de suo tempore et clade Chaldæorum. Huc facit versio Arabica Antiochena : *Mundati sunt remoti ejus* (qui removerunt et separarunt a communi hominum vivendi modo et conversatione), *et albi facti sunt sicut nix;* et Alexandrina : *Nitidi facti sunt, abstinentes se ex hominibus ejus magis quam nix.* Christus est Nazaræus et Religiosi.

Tales Nazaræi fuerunt primi discipuli et Religiosi S. Dominici, qui sane non tantum suis, sed et nobis omnibus Religionis illustre dederunt exemplum et speculum, de quibus auctor *Vitæ S. Dominici*, lib. VI, cap. IV et seq. ita scribit : « Raro ecclesiæ vacabant orantibus fratribus; ubi si quæsiti essent, crebrius inveniebantur : quippe qui ab illis non discederent, die ac nocte in preces intenti. Vidisses ibi pœnitentiæ gemitus et suspiria, suaque et aliorum peccata deplorantes. Post Horas et Completorium, recipiebant se in angulos, actusque suos severo examine discutientes, nodosis loris corpora sua dire lacerabant. Alii sub precibus inter cœlum et terram visi sunt manere suspensi. Alii, in favilla et cinere jacentes, dabant gemitus, ponentesque in pulvere os suum, nolebant oculos levare in cœlum. Alii præ amoris impatientia quiescere non valentes, nolebant indulgere somno, quousque gratiam sentirent novam ipsos calefacientem. » Fervor discipulorum S. Dominici.

Subdit de eorum pietate erga B. Virginem : « Officium Virginis matris reverenter et stantes persolvebant. Post Completorium ejus altare triplici nonnunquam ordine ambiebant, ut merito dici posset : Circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium : nempe pœnitentes verecundia rubicundi, et innocentes virginali pudicitia candidi. Post matutinas pauci ad lectionum studia, pauciores ad lectum se conferebant : plerique in precibus pernoctabant : » et, ut alibi ait, ab una hora orandi ad aliam anhelabant.

Tertio, de abstinentia hæc habet cap. V : « Alii ad dies octo potu prorsus sibi interdicebant; alii cibo apposito frigidam infundebant; alii modo ab hoc, modo ab illo edulio sibi temperabant. Quidam tota Quadragesima interdiu non bibebant, nec loquebantur nisi interrogati. In conventu lecturis et servituris multi certatim suam offerebant operam; non hominibus, sed angelis sibi servire

videbantur, ita ut præ cordis jubilo etiam scutellas clam exoscularentur. »

Quarto, de charitate ita scribit : « In sublevandis Fratrum oneribus mira erat omnibus commiseratio, et indefessa atque efficax sermonis et operis consolatio. In suscipiendis Fratribus a labore venientibus, humanissima in eis visebatur jucunditas, ingerebantque se passim eorum abluendis pedibus, et servitiis impendendis. Si quis commiseratione erga infirmos benignior, in accipiendis hospitibus hilarior, in eorum lavandis pedibus humilior, in monasterii servitiis sedulior esse posset, is se apud Deum beatiorem existimabat. Non raro sibi ipsis detrahebant tunicas, cucullos, scapularia, et vel peregrinis Fratribus, vel alia occasione indigentibus dabant. Permulti non contenti habitus monastici asperitate, clam induebant cilicia, et lumbos zonis ferreis stringebant. »

Hinc miro fervore prædicabant, adeoque « omne eorum officium erat, Deum laudare, benedicere, prædicare. Multi non sumebant cibum, nisi prius verbum Dei prædicassent vel multis, vel uni. Prædicabant, non ut ederent; sed ut prædicarent, edebant. Hinc B. Virgo visa est eis suggerere quæ prædicarent. Hinc et tanta salus animarum consecuta est. Ardebant animi eorum divini amoris igne, atque inde manantia verba auditorum animos inflammabant. Nec solum ille ardor in sermonibus inerat, sed magis etiam in actione fervescebat. Multi humi prostrati cum lacrymis multis et attentissimis precibus postulabant, ut ad Tartaros, vel ad alios Barbaros mitterentur. Flagrabat in eis ardens desiderium tum salutis animarum, tum pro Christo martyrii obeundi. Ibant igitur accincti virtutibus ardentes, eratque aspectus eorum ut carbonum ignis ardentium, et ignito eloquio compungebant et incendebant frigidos peccatores : erant cæteris mentibus puriores, et humilitate sublimiores. Utinam recalescat ille ignis, et qui nunc, proh dolor ! est in nubilo, fervoris sol ! O Domine ! Domine, tui sacri ignis flamma tepidos rursus accendat, ut, sicut olim, serviant tibi cum fervore, et tui ardeant amore. Amen. » Hucusque Auctor.

Vis ideam perfecti Nazaræi ? Accipe in hac aurea Eusebii Emisseni sententia, homilias *de S. Maximo* : quanquam homiliæ hæ falso ascribantur Eusebio Emisseno, qui fuit Syrus, et, ut ait S. Hieronymus lib. *De Scriptor. Eccles.*, signifer Arianæ factionis; nam illæ non Græcam, nec Syram, sed Latinam elegantiam redolent, imo repræsentant. Unde Baronius, anno Domini 441, ascribit eas Eucherio Lugdunensi; Bellarminus, lib. *De Scriptor. Eccles.*, Fausto Rhegiensi, alii Cæsario Arelatensi : qui eas nuper edidit anno 1602, inscribit Eucherio. Auctor ergo hic, quisquis ille sit, S. Maximum ex Religioso Lirinensi Episcopum ita celebrat : « Et qui jam dudum in Abbate Pontificem gesserat, postmodum Abbatem in Pontifice custodivit; neglector quietis, fugax voluptatis; appetitor laboris, impatiens honoris; pauper in pecunia, dives in conscientia; humilis ad merita, superbus ad vitia. » Eadem sententia habetur in *Vita S. Wilibaldi*, cap. XXXVI, quam scripsit Philippus Episcopus Eystettensis, et edidit P. Gretserus.

Vis exemplum priscum et vivum? Accipe S. Gregorium Nazianzenum, qui cum S. Basilio monachi vitam egit, hæcque de seipso scribit, tract. *De Silentio et jejunio* : « Maceravi continuis laboribus carnem meam, quæ in flore ætatis recalcitrabat et bulliebat : vici gulam ventris, et tyrannum juxta eum residentem (libidinem) : mortificavi meos oculos; repressi impetum iræ, frenavi membra mea : planxi risum : consecravi res meas omnes Christo. Terra mihi erat lectus, vestis cilicium; vigilia mihi erat somnus, et lacrymæ mea requies. Per diem humeros fatigavi oneribus et laboribus : nocte steti quasi statua scribens hymnos; nullam delectationem in animum vel in cogitationem admisi. Hæc fuit ratio vitæ meæ in juventute; quia caro et sanguis instar incendii evomebant flammas, et me a via in cœlum avertere satagebant. Abjeci pariter a me grave onus divitiarum, ut levior ascenderem ad Deum. » Eadem, imo majora, fuere virtutum exercitia S. Basilii; nam Gregorius eum longe sibi præfert, eumque vocat gigantem.

Denique S. Bernardus, serm. 9 *in Cœna Domini* : « Cum videris, inquit, monachum ad contumeliam humilem, ad opprobria patientem, suis devotum Prioribus, in moribus mansuetum, tacitum ad loquendum, assiduum ad silentium, in claustro attente legentem, in ecclesia suis vocibus Christum cum omni devotione laudantem : si non continue, tamen quotidie lacrymantem, parcum in refectione, ad obedientiam promptum, ubique proclivum, ubique inclinatum, ubique verecundum, ore cœlum pulsantem, semper ad Dominum corde clamantem, cultorem proximi, et contemptorem sui, cunctos diligentem, seipsum odientem; tunc dicere poteris : Monachus iste sui Creatoris servat mandatum. O quam beatus est monachus talis ! Profecto iste laboris sui præmium habebit Dominum Jesum. »

NITIDIORES LACTE. — Codices Septuaginta hic variant, et varie hæc dispungunt. Aliqui enim legunt ἐτυρώθησαν, id est *sicut lac coagulati sunt;* unde in Breviario Romano in Communi Martyrum tempore Paschali, in responsorio Lectionis octavæ legimus : « Candidati facti sunt Nazaræi ejus, splendorem Deo dederunt, et sicut lac coagulati sunt. » Alii, ut Origenes, seorsim legunt ἐπυρώθησαν, id est *igniti*, igne probati et coacti sunt. Alii, ut codices Vaticani, legunt ἐπυῤῥώθησαν, id est *rubuerunt* idque respondet Hebræo חכליל *chaclile*, et Latino *rubicondiores*, quod sequitur.

RUBICUNDIORES EBORE ANTIQUO. — Ebur enim vetustate fit rubrum ex candido : hebraice est, *rubicundiores* אצם מפנינים *etsem mippeninim*, id est

osse (scilicet elephanti, id est ebore : ebur enim quia inter ossa soliditate, magnitudine et pretio excellit, hinc vocatur *os* antonomastice) *ex angulatis*, id est ex fortioribus et melioribus ossibus, quale est ebur antiquum. Ita Delrio. Aut potius *mippeninim*, id est ex anterioribus, id est ex antiquo ebore : hoc enim melius est, et rubescit vel natura, vel potius arte et tinctura, uti mox dicam. Quare minus germane a Castro ebur antiquum exponit, non vetus, sed pretiosum et optimum. Sic enim accipit τὸ *antiquum* Cicero, lib. I *De Inventione*, cum ait : « Qui pauperes sunt, iis antiquior, » id est potior et charior, « est officio pecunia. » Non enim hic pretii, uti nec antiquitatis, sed coloris et ruboris in ebore spectantur dos et conditio. Unde idem a Castro : Aut potius, inquit, ebur dicitur antiquum, respectu prisci et antiqui temporis, quo ebur minio tingi et rubricari solebat, de quo mox. Aliter vertunt Chaldæus, Pagninus, Vatablus : rubebant אצם *etsem*, id est corpore, facie vel specie, præ פניניים *peninim*, id est margaritis; alii, *præ coraliis* vel *rubinis* (1); a Castro, *præ lychnite*, qui claritatem purpureo colore suffundit, qua vigorem excitat lucernarum; unde lychnites dictus est. Syrus vertit : *Rubra facta sunt ossa eorum plus sardonyche*; vel, ut Arabicus, *præ sardio*.

Ebur rubicundum, quod?

Dices : Ebur est candidum, et antiquum flavum fit et pallidum, non rubeum, teste Plinio, lib. VIII, III, ubi asserit in pallore cognosci elephanti senectam, in candore juventam. Respondeo : Ebur antiquum dicitur rubescere, id est flavescere (uti ait Ovidius mox citandus et alii, ipseque oculis meis conspexi) et aurescere, *q. d.* Nazaræi toto corpore erant candicantes et lactei : at vero capite et capillis erant rutilantes et aurescentes instar eboris antiqui rubescentis, id est flavescentis : rubeus enim color non tantum vocatur purpureus, sed et aureus. Audi Gellium : « Latina oratio una ruboris appellatione, multas rufi coloris species differentes significat, » et inter illas « aureum ; » commendatur enim in capillis aureus color. Unde Tacitus Germanis rutilas attribuit comas, et Silius Batavos vocat auricomos, et Homerus priscis illis heroibus Menelao Spartano, Meleagro et Achilli, flavam sive auream cæsariem assignat : deorum quoque Bacchi et Narcissi aurea fuit coma, ut scribit Philostratus. Commodi etiam imperatori statua, ut divinitatis cœleste quoddam jubar referret, erat in coma auri scobe respersa, ut scribit Herodianus. Ita et Antoninus Verus, teste Capitolino, dicitur « tantam habuisse curam flavescentium capillorum, ut capilli auri ramenta aspergeret, quo magis coma illuminata flavesceret. »

Heroes et dii auricomi.

Hinc flava cæsaries apud Romanos nomen dedit nobili familiæ Flaviæ : sicut et Ænobarborum ; hi enim ita dicti sunt a barba flava. David fuit flavo capillo. Adolescentes nobiles in aula Salomonis « ramentis auri capillum quotidie spargebant, ut ad solarem radiorum contactum fulgor a capitibus eorum reflecteretur, » inquit Josephus lib. VIII *Antiq.* cap. II. Scribit Polemon, « capillos moderate flavescentes naturæ docilis mitisque, et quæ ad felicem fortunam tendat, esse signum ; » et Apuleius : Flavo, inquit, capillo præditi bellatores, et ingenio præsignes sunt ; et, ut medici docent, valde bono sunt corporis temperamento. Hinc sicut David et Salomon flavo, ita Christus subflavo fuit capillo, inquit Nicephorus. Denique flavus color symbolum est florentis juventæ. Ita Pineda in *Salomone prævio*, lib. VI, cap. IV.

Flavi dicti a flava coma.

Flavedo signum naturæ docilis et mitis.

Secundo, respondent noster a Castro, Sanchez et Pineda in *Job* cap. XXVIII, 6 : Veteres, inquiunt, ebur tempore pallescens, et decolor effectum,

Veteres ebur tingebant minio.

(1) *Corallia* voce פניניים *peninim*, designari argumentis pluribus ostendere studuit Bootius in *Animadvers. S. Script.* lib. IV, cap. III. Illis tamen multa et gravia opposuit Bochartus in *Hieroz.* part. II, lib. V, cap. VII, tom. III, pag. 619 et seqq., et *margaritas* illam significare contendit. Bootii sententiam nostra ætate defendit J. D. Michaelis in *Supplem. ad Lexic.* pag. 2023 et seqq., argumento maxime nostro loco usus, quo פניניים *peninim*, *rubere* (אדמו *ademon*) dicuntur. Additque argumentum ex etymo vocis petitum, quod corallia nomen habeant a forma ramosa qua crescunt... Vocem *peninim* margaritas significare Bocharto verisimile visum, *primo* quidem, propter convenientiam vocis *fenin* cum πίννα, quod est conchæ margaritiferæ nomen apud Græcos et Latinos, unde πίννινος λίθος pro margarita in Græca Alexandrina versione, *Esther* I, 6, πίννινον ἔριον pro *bysso quæ ex pinna educitur*, passim... *Deinde*, quod *feninim* plurale semper est, videlicet quia in torquibus margaritæ plures consertæ ; nomina vero gemmarum (a quibus *peninim* ut diversum quid distinguuntur *Job* XXVIII, 15-19) singularia fere, quia in annulis et ornatu quotidiano singulæ adhibentur. *Denique*, ex nomine משך *mesech*, *extractionem* denotante, et *Job* XXVIII, 18, de comparandis *peninim* usurpato, quo alludatur ad modum quo vel conchæ vel margaritæ a piscatoribus e fundo maris extrahuntur. Novis argumentis Bocharti sententiam vindicavit Pareau in *Animadvers. ad Job.* cap. XXVIII, ad calcem Commentationis suæ *de immortalitatis notiis* Daventi 1807). Cum vero, quominus *peninim* denotare margaritas existimemus, verbum אדמו *ademon*, obstare videatur, quod *rubere* significare constat, margaritarum vero præcipua virtus in candore ponitur, ad hanc dubitationem tollendam observat Pareau, verbum אדם *adam*, habere generalem notionem *splendendi intensius*, quod peculiariter in utraque dialecto Hebraica et Arabica peculiariter ad rubedinem transfertur, sed in Arabica etiam ad *albedinem*. Addit reperiri, Forskalio et Brutio testibus, in sinu Arabico speciem quamdam conchæ, ex qua venerint margaritæ *peninim* dictæ, quæ sint candidæ quidem, sed adjuncta quadam rubedine decoratæ, magnoque habitæ pretio. « Atque ille ipse color, inquit Pareau, in hoc Threnorum loco omnium optime convenit, non dicam verbo *adam*, cum generalis huic sit *intensius splendendi* notio, sed ipsius potius loci imagini, cum candor, cui rubri quid admixtum sit, egregie referat splendidum corporis humani colorem, dum hoc sanum est ac vigore plenissimum. » (Ex Rosenmuller.) Huic interpretationi eo propensius astipulamur, quod præter vim nativam hebrææ vocis, sequenti comparationi optime concordat, *sapphiro pulchriores*.

ut ei pristinum decorem et splendorem restituerent, illud illuminabant et tingebant minio, vel purpura; sicque fiebat purpureum. Ita Plinius, lib. XVI, cap. XLIII, et Virgilius, *Æneid.* lib. XII :

> ndum, *ait*, sanguineo veluti violaverit ostro
> Si quis ebur ; vel mixta rubent ubi lilia multa
> Alba rosa : tales virgo dabat ore colores.

Et Ovidius clare, lib. II *Amor.* eleg. 5, utrumque, scilicet ebur antiquum pallere, et idcirco purpureo colore tingi docet, dicens :

> Aut, quod ne longis flavescere possit ab annis,
> Mæonis Assyrium femina tingit ebur.

Et Homerus, *Iliad.* IV : « Veluti, cum quædam mulier ebur purpura tinxerit; » et Lucianus in corpore pulchro requirit, ut corporis partes decenti rubore florescant : « Qualem Homerus quasi inter omnes pictores præstantissimus, adjecit Menelai femoribus, ebori purpureo ostro infecto assimilatis. » Sic ergo Nazaræi carnem et vultum habebant candidum, sed purpureo rubore inspersum et floridum, qualis est in juvenibus pulchris. Hic sensus videtur convenientior, tum quia hoc proprie sonat τὸ *rubicundiores*; tum quia pulchritudo maxime in vultu, ejusque roseo colore spectatur. Unde et sponsa in *Canticis* ait : « Dilectus meus candidus et rubicundus; » et talis est color eboris minio vel purpura tincti, cum eboris antiqui color sit pallescens et decolor. Porro nominat potius ebur, quam lanam aut sericum purpura tinctum : quia ebur, utpote tersum et politum, dum purpura tingitur, ita fit purpureum, ut splendescat et emicet, ac scintillet instar ignis, quod non facit pannus aut sericum, utpote glabra, nec tersa et polita.

SAPPHIRO PULCHRIORES. — Hebraice : *Sapphirus excisio eorum;* Symmachus : *Sapphirus membra eorum;* Chaldæus : *Sapphirus erat vultus eorum;* alii : *Sapphirus erat expositio eorum, q. d.* Nazaræi pulchre membris erant distincti et efformati, quasi essent excisi e sapphiro. Sic, cum quem mire candidum significare volumus, dicimus eum videri ex alabastro. Ita Vatablus. Origenes vertit : *Excisi ex eis*, id est præelecti, illustriores ex eis, *sapphiro erant similes*, ob cœlestem conversationem et mores : nam, ut ait Plinius lib. XXXVII, cap. IX, sapphirus est gemma cærulei coloris aureis punctis quasi stellis collucens. Sapphirus enim Plinii alia est a moderna, fuitque instar lapidis lazuli, uti docui *Apocal.* XXI, 19. Pineda, lib. VI *De Rebus Salom.* cap. IV : Sicut colorem lactis ad cutem, rubedinem ad capillos, ita sapphirum ad oculos Nazaræorum refert, quasi illi sapphirini fuerint : idque appositum est.

8. DENIGRATA. — Hebraice est יחשך *iachascech*, id est obscurata est; Septuaginta, ἐσκότασε, id est *obtenebrata est*, hoc est, ut Noster interpretatur, « denigrata est; » *q. d.* Nazaræi præ fame quam passi sunt in obsidione, et postea in captivitate (1), præ macie et miseriis facti sunt nigriores carbonibus; ita ut non agnoscerentur etiam ab amicis, cum eis obviabant : et pellis eorum aruit instar ligni, olim virentis, nunc aridi. Alludit ad Hebræum אצם *etsem*, id est ebur, *q. d. Etsem*, id est ebur rubens, factum est אץ *ets*, id est lignum squalidum et aridum.

Tropologice hæc referas ad Clericos et Religiosos, qui a priscis Sanctis sui Ordinis plane deciderunt, soluta prorsus disciplina, unde non sunt cogniti in plateis; quia eorum conversatio a vita sæcularium non differt, imo subinde est pejor; cujus rei causa fuit, quod minimas regulas et defectus contempserint, indeque sensim ad majora et graviora progressi, tandem etiam vota substantialia violarint, ut docet S. Antoninus, II part. hist. tit. XV, § 2. Hisce dici potest illud *Amos* IX, 7 : « Numquid non ut filii Æthiopum vos estis mihi, filii Israel? ait Dominus, » *q. d.* Eratis olim filii Abrahami, candidi ut angeli; jam per peccatum facti estis nigri quasi Æthiopes, et quasi dæmones. Rursum S. Gregorius, XXXII *Moral.* XXIII : « Nazaræi, inquit, sunt continentes et abstinentes; hi in Ecclesia plerumque tam mira opera faciunt, ut ab eis multi qui cœlestem vitam tenuerunt (quos candor nivis significat); multi, qui terrena bene dispensaverunt (quos lac significat), superari videantur; sunt rubicundiores ebore antiquo, quia sæpe ante oculos nonnullis præcedentibus patribus studii ferventioris existunt : sapphiro sunt pulchriores, quia ad superna tendentes per cœlestem conversationem videntur vincere. Sed dum virtutum copia in quamdam sui fiduciam mens adducitur, et præsumptione propria fuscatur, subjungitur : Denigrata est super carbones facies eorum; nigri enim post candores fiunt, et frigidiores, carbonibus exstinctis, id est frigidis mentibus, evadunt, » etc.

Tropologice, Nazaræi hic sunt Clerici deviantes a priscorum vita.

9. MELIUS FUIT OCCISIS GLADIO (id est cita et brevi morte peremptis), QUAM INTERFECTIS FAME, — id est longa inedia cruciatis et tabe consumptis. Hebraice est pulchra allusio : melius fuit mortuis חרב *chereb*, id est gladio, quam רעב *raab*, id est fame; nam, ut ait Homerus : « Mori fame miserrimum est. »

EXTABUERUNT (hebraice יזובו *iazubu*, id est defluxerunt paulatim in mortem) CONSUMPTI (hebraice מדקרים *meduccarim*, id est confossi) A STERILITATE TERRÆ, — hebraice מתנובות שדי *mittenubot sadai*, id est a fructibus agri, id est ob defectum fructuum et sterilitatem : vocat transfossos, ut alludat ad gladio confossos, *q. d.* Melius est illis qui gladio, quam qui fame confossi interierunt : qui enim fame consumuntur, perinde enecantur ac si fame perfossi defluerent sanguine,

(1) Non de iis qui captivi abducti sunt, verum de his qui diuturnæ obsidionis malis ad extremum discrimen venerunt, loquitur.

spiritu et vita, ac lenta tabe conficerentur. Durum ergo telum, durus gladius est fames.

10. MANUS MULIERUM, — *q. d.* Matres natura in parvulos suos maxime benevolæ et misericordes, media ita efferatæ sunt, ut filios quasi cibum electum et delicatum (hoc enim significat Hebræum ברות *baroth*) vorarent. Aliter Origenes, *q. d.* Matres ex misericordia occiderunt filios, ut eos lenta fame, tabe, et tot ærumnis per citam mortem eriperent; nam, ut dixit vers. 9 : « Melius fuit occisis gladio, quam interfectis fame. »

IN CONTRITIONE, — id est in obsidione quæ attulit urbi contritionem, hoc est excidium. Id factum narrat etiam Baruch, cap. II, 4.

Vers. 11. CAPH. 11. COMPLEVIT — omnem iram, vel id quod minatus est per Moysen, *Deut.* XXVIII, 53.

IGNEM — quo urbs et templum arsit : ita Hugo, S. Thomas, Lyranus; *secundo*, « ignem, » id est famem, ait Vatablus; *tertio*, Theodoretus, « ignem, id est tribulationem, quæ fundamenta, id est reges et principes cum plebe, devoravit.

12. NON CREDIDERUNT REGES, — scilicet finitimi, et alii qui norant munitiones Jerusalem (unde et Jebusæi munitioni arcis Sion præfidentes, irriserunt Davidem eam oppugnantem, ponentes in muris claudos et cæcos, quasi ab his solis posset defendi, II *Reg.* V), quamque ipsa Deo curæ esset, et a Deo contra Sennacherib et alios reges protecta fuisset, eam posse ab hostibus capi. Ita Chaldæus, Origenes, Theodoretus, Lyranus.

Secundo, Hugo, Rupertus, S. Thomas : « Non crediderunt reges terræ, » scilicet Judææ, ut Sedecias et Joakim, qui librum Jeremiæ de adventu Chaldæorum combussit, *Jerem.* XXXVI, « et habitatores orbis, » scilicet cives terræ Judææ.

13. PROPTER PECCATA PROPHETARUM (pseudoprophetarum) ET SACERDOTUM — impiorum, ut Phassur et aliorum, qui regem inducebant, ut sanguinem justorum et innocentum, etiam Jeremiæ funderet, *Jerem.* XX, 1, et cap. XXII, 3. Sanchez hæc refert ad justos occisos a Manasse instinctu falsorum prophetarum et sacerdotum. Ob hos enim excisam esse Jerusalem docuit Jeremias cap. XV, 4, et IV *Reg.* XXIV, 3 et 4.

14. ERRAVERUNT, — scilicet pseudoprophetæ et impii sacerdotes, polluti sanguine innocentum, quem fuderant in obsidione et vastatione civitatis, quasi « cæci; » cumque hostis domos eorum occupasset, nescientes quo se vertere vel incedere, tenuerunt aliorum lacinias, ut ab eis vel hospitium vel auxilium quærerent; sed hi quorum laciniæ erant, eos a se rejecerunt, dicentes : « Recedite, polluti, » nolite nos tangere et polluere. Ita Dionysius.

Secundo, S. Thomas, Rabanus, Hugo, *q. d.* Judæi vulnerati, excæcati et exoculati a Chaldæis, et polluti sanguine occisorum in quos impingebant, dum non possent recto tramite incedere quæsierunt qui eis manum daret ac deduceret; cumque neminem invenire possent, apprehenderunt aliorum lacinias, ut eorum ducatu graderentur. Solent enim moribundi homines quidquid possunt manu apprehendere ac fortiter tenere, inquit Maldonatus. Sic et Lyranus, nisi quod ipse hæc de justis accipiat.

Tertio, R. Salomon sic explicat : Volutati sunt in sanguine usque eo, ut non possent alii attingere eorum lacinias, dicerentque eis : « Recedite, polluti. »

Quarto, Hebræi, Vatablus, Pagninus, *q. d.* Judæi cæci, oberrantes in plateis, polluti sunt sanguine occisorum, ita ut accedentes dedignarentur contingere vestes illorum, sed dicerent : Discedite a nobis, quia polluti estis sanguine : quo dicto, avolarunt et amoti sunt ab eis. Hi omnes ex Hebræo vertunt : *Tenuerunt lacinias eorum* (sic enim verti potest), non *suas*, ut vertit Noster.

Quinto et optime, *q. d.* Propter peccata pseudoprophetarum et sacerdotum, præsertim homicidia, tam ipsi quam cæteri omnes Judæi in vastatione Jerusalem errarunt, quasi cæci; tum ob perturbationem animi, tum ob caliginem et fetorem cadaverum et sordium : omnes enim plateæ plenæ erant occisis, hinc eorum sanguine multi polluebantur. Cæteri, cum non possent transire facile, et sine contactu occisorum et pollutorum, ne ea tangerent et ab eis polluerentur, continebant et levabant lacinias suas, et clamabant ad alios occurrentes et oberrantes, jam sanguine occisorum maculatos et pollutos : Recedite, polluti, ne tangatis aliquem e nobis, nosque polluatis : cumque alii quasi cæci hæc non curarent, cœperunt jurgari, atque ita jurgati commoti sunt, id est abducti sunt captivi, ibique vagantur huc illuc, ubi inter gentes existentes dixerunt gentes de eis : Non addet ultra Deus ut habitet in eis. Sanchez hæc accipit tantum de sacerdotibus : illi enim soli, inquit, ex contactu mortui polluebantur, juxta legem *Levit.* cap. XXII, 4. Verum laicos quoque eodem contactu pollutos fuisse patet *Num.* XIX, 11 et seq. (1).

(1) Mirum, inquit Rosenmuller, interpretes quos vidi, omnes fugisse quod vers. 14, 15, continue legentem vix latere posse crederes, verba גַּם-נָעוּ *gam naou* respicere ad illud נָעַר *naou*, vers. 14, quod *titubare, vacillare, vagari, errare* denotat. Quod cum illi non animadverterent, utriusque versus sensum assequi haud potuerunt. Discedunt autem in duas potissimum partes, aliis, iisque plerisque summam, hostibus in urbem irrumpentibus, confusionem, aliis sacerdotum et prophetarum mendacium per urbem ruentium furorem, civiumque horrorem describi existimantibus... N. G. Schrœderus in *Observatt. ad orig. Hebr.* pag. 148, ratione plane nova hunc locum exposuit de calamitatibus quas ipsi adeo prophetæ et sacerdotes, muneris dignitate præ aliis venerabiles, subire debuerunt. Vide apud Rosenmuller Schrœderi expositionem, quam etsi acute et subtiliter disputatam, tamen plura ponere quæ minus certa et explorata judicat... Aliis interpretationibus propius ad veritatem ipsi Rosenmuller accessisse videtur Pareau, qui vatem indignatione commotum recordatione sceleratorum illorum sacerdotum et prophetarum, quos vers. 13 commemoraverat, doloris

TENUERUNT LACINIAS SUAS. — Ita Hebræa, Græca, Romana. Male ergo legunt aliqui : *Tenuerunt lascivias suas*, id est adhæserunt suis concupiscentiis et libidinibus. Porro lacinia est vestis extrema pars, et cæsuræ particulatim concisæ decoris causa : dicitur enim lacinia a *lacerando*. Hinc lacinia tenere est leviter rem tenere, hoc est, extrema vestis ora.

Vers. 15. 15. RECEDITE, POLLUTI. — Alii putant hæc esse verba hostium, Judæos tanquam contaminatos exsecrantium ; ita Chaldæus. Alii censent esse verba ipsorum pollutorum, dicentium aliis : Recedite a me, quia pollutus sum. Alii et melius autumant hæc esse verba Judæorum mundorum clamantium ad immundos : « Recedite, polluti, » ne nos inficiatis, uti dixi vers. 14.

JURGATI SUNT. — Hebraice נצו *natsu*, id est irruerunt, et quasi involarunt in invicem, rixati sunt, verbis contenderunt, aliis dicentibus : Recedite; aliis nolentibus recedere. Septuaginta vertunt : *succensi sunt*, scilicet ira; Vatablus : *Inquinati sunt;* Chaldæus : *Abominabiles erant;* R. Abraham : *Avolarunt*, scilicet in captivitatem.

DIXERUNT INTER GENTES (quicumque eos inter gentes dispersos et vagabundos videbant, dixerunt) : NON ADDET ULTRA (scilicet Deus) UT HABITET IN EIS. — Hebraice est : *Non addent Judæi ultra ad inhabitandum*, ut scilicet redeant in terram suam Judæam, ad eam inhabitandam. Ita Origenes et Vatablus. Alii, *q. d.* Ne polluant et coinquinent Judæi, propellamus eos a nobis in alias regiones.

16. FACIES (ira quæ facie ostenditur) DOMINI DIVISIT (id est dispersit) EOS (inter gentes (1); quia ipsi) FACIES SACERDOTUM NON ERUBUERUNT, — sed eos sine respectu sacerdotii aut senii vexarunt et occiderunt; juste ergo nunc par pari eis redditur : sic enim Judæi Jeremiam sacerdotem impudentissime tractarunt, alapis ceciderunt, incarcerarunt, etc.; sic postea Christum pontificem cruciarunt et crucifixerunt. Sunt verba Jeremiæ, ait Theodoretus, vel hostium et gentium inter quas dispersi erant Judæi, ut volunt Vatablus, Rabanus, S. Thomas, Lyranus, qui ipsorum sceleribus attribuebant hanc eorum dispersionem et exsilium.

Aliter Origenes, Chaldæus, Lyranus et S. Thomas exponunt, ut sit sermo de Chaldæis, non de Judæis, *q. d.* Chaldæi non pepercerunt sacerdotibus aut senibus Judæorum, propter peccata pseudoprophetarum et sacerdotum ipsorum. Sed prior sensus est genuinus.

17. CUM ADHUC SUBSISTEREMUS (*q. d.* Cum adhuc staret respublica nostra, cum erecti staremus in exspectatione Ægyptiorum, ut obsidionem Chaldæorum solverent), DEFECERUNT OCULI NOSTRI — spectantes et intenti ad auxilium Pharaonis, quod promiserat, quia diu exspectatus licet non venit, et veniens nos salvare non potuit; quia non spectro suorum patrum, ut fabulantur Hebræi, sed a Chaldæis repulsus est. Vide *Jerem.* cap. XXXVII. Ita Origenes, Rabanus, Theodoretus, Hugo. Vers. 17. AIN.

Aliter Chaldæus et Olympiodorus : ipsi enim hæc de Romanis explicant, quorum auxilium exspectarunt Judæi contra Antiochum tempore Machabæorum, sed frustra : nullum enim ab eis acceperunt. Verum hi Threni non sunt de tempore Machabæorum, sed Chaldæorum et Jeremiæ.

18. LUBRICAVERUNT. — Hebraice צדו *tsadu*, id est venati sunt hostes gressus nostros; quia præcluserunt viam ne libere possemus incedere, et in mediis plateis insidias nobis posuerunt. Noster forte *tsadu* deduxit a צד *tsad*, id est latus, *q. d.* Laterarunt, id est ad latera inclinarunt vestigia nostra, quod fit dum lubricamus ob semitæ glabritiem et difficultatem; aut ob trepidationem et capitis turbationem, et vertiginem, uti hic Judæis accidit. Alii legunt צרו *tsaru*, id est coarctarunt, præcluserunt nobis semitam et vestigia, ut consistere non possemus, ideoque vacillaremus et lubricaremus, *q. d.* Nil firmi fuit nobis, sed omnia lubrica. Septuaginta pro צעד *tsaad*, id est gressus, vestigia, legerunt צעיר *tsair*, id est parvulus : unde vertunt : *Venati sunt parvulos nostros, ne irent in plateis nostris.* Vide *Jerem.* IX, 21. Vers. 18. SADE.

19. VELOCIORES FUERUNT PERSECUTORES NOSTRI AQUILIS COELI. — Tum cum e Chaldæa in Judæam equis velocissimis æque ac robustissimis et ferocissimis, quasi aquilæ advolarunt, ut ait *Jerem.* IV, 13, et cap. XLVIII, 40; tum potius, cum Sedeciam et principes fugientes ex urbe jam capta, comprehenderunt, IV *Reg.* XXV, 5. Pulchre et vere S. Augustinus in *Psalm.* CXXIII : « Ideo, inquit, te quærit major raptor, quia invenit minorem : ideo te quærit major aquila, quia prior cepisti lepo- Vers. 19. COPH.

sensu paulisper suspenso, et interrupta gravissimorum patriæ malorum descriptione, vers. 14, 15, quantopere illorum hominum mores detestetur declarare observat. « Vates igitur affectu plenus videre sibi videtur impios illos sacerdotes et prophetas per urbem inconsiderate discurrentes et sanguine innocentium, quem passim fundunt, pollutos. Simul obversantur ipsius menti complures urbis incolæ ad hoc spectaculum horrore quodam correpti, sibique mutuo acclamantes, ut contagiosum istorum hominum occursum evitent. At videt mox Deum intervenientem, eosque qui bonis civibus merito odiosi sunt, ejicientem et dispergentem in perpetuum, ipsis adeo gentibus divinæ pœnæ justitiam agnoscentibus. » Nec tamen hic interpres sagacissimus animadvertit verba כי נצו גם נעו *ki natsou gam naou*, respicere ad נעו *naou*, vers. 14, qua observatione partis posterioris vers. 14 sensus recluditur. A descriptione sacerdotum et prophetarum sanguinariorum vates transit ad pœnam ipsis inflictam ob oculos ponendam, inde a verbis *ki natsou gam naou*, quæ explicavimus, *quia avolarunt, imo vagati sunt*. Sequitur : Dixerunt inter gentes : *Non addent habitare*, scilicet in patria, e qua expulsi sunt; nulla eis relicta est spes ad sua unquam redeundi. (Ex Rosenmuller.)

(1) Alii, ut Pareau, putant hic continuari sermonem gentium quas de exsilio falsorum prophetarum, et improborum sacerdotum loquentes repræsentat Jeremias; alii, ut Rosenmuller, existimant non esse gentium verba, sed Prophetæ, descriptionem miseriarum, quibus sui populares, opprimuntur, continuantis.

rem : præda tibi fuit minor, præda eris majori. » Justum enim est et congruum, ut in quo peccasti, in eo et puniaris. Aquilas nominat, quia velocissimæ sunt; unde Pindarus ait aquilam esse reginam volucrum, delphinum piscium. Et Aristophanes : Athenienses, ait, oraculum acceperunt fore, ut tanto post se intervallo urbes alias relinquerent, quanto aquila alias aves celeritate superat.

SUPER MONTES PERSECUTI SUNT NOS; — ibi enim suas rupes inaccessas et cavernas abditas latebrasque habebant Judæi, in quas tempore belli se recipiebant, teste Josepho, lib. I *Belli*, XII.

Vers. 20. Spiritus oris nostri non est Josias,

20. SPIRITUS ORIS NOSTRI, — id est Josias, per quem quasi auram et aerem nostrum respirabamus, et sub cujus umbra, id est innocentia, justitia et meritis, inquit Chaldæus, ac patrocinio pie et pacate vivebamus inter gentes : Josias, inquam, noster rex, a Pharaone Nechao vulneratus est et cæsus, IV *Reg.* XXIV, *q. d.* A cæde Josiæ cœpit calamitas nostra, cœpit ruina Judæorum; quia successerunt ei filii impii qui regnum perdiderunt. Ita Chaldæus, Hebræus, Rabanus, Hugo, Vatablus, S. Thomas, Sanchez, et S. Hieronymus in XII *Zachariæ*; unde Vatablus, Chaldæus et Pagninus pro *Christus Dominus*, vertunt, *Christus Domini*, id est unctus a Domino in regem, et ita verti potest ex Hebræo. Suavissima enim et gratissima Judæis erat Josiæ memoria et nomen, ut patet *Eccli.* XLIX, 1; unde vocant eum suum spiritum, animam et vitam. Sed hactenus in Threnis nulla facta est mentio Josiæ, sed Sedeciæ; nec Josias captus, sed vulneratus est. Denique Josias non potest dici Christus Dominus, ut vertit Noster et Septuaginta.

Secundo, S. Thomas, Maldonatus et aliqui Hebræi per Christum accipiunt Sedeciam, de quo præcessit, *q. d.* Christus Domini, id est Sedecias rex, qui solus nos Judæos tutari poterat a Chaldæis, captus est ob peccata populi, et etiam sua. Sic Saul, licet impius, a Davide vocatur Christus Domini, id est a Domino unctus in regem (1). Hic sensus apte cohæret præced. et sequent.

Sed Christus.

Verum, quia Noster et Septuaginta vertunt : « Christus Dominus, » id est יהוה *iehova*, ut habent Hebræa, id est Deus : hinc S. Clemens, Irenæus, Justinus, Origenes, Tertullianus, Ambrosius, Hieronymus, Theodoretus, Olympiodorus et alii passim, quos fuse citat hic Christophorus a Castro, accipiunt ad litteram de Christo, ut ad eum more prophetico avolet Jeremias, quasi ad clausulam et catastrophen suarum lamentationum et prophetiarum, *q. d.* Post omnes has calamitates illud ultimo maxime lamentandum venit, quod peccatis nostris Christo (hujus enim, utpote Regis et Salvatoris nostri, mentem meam subit imago, cum ejus parentes et antitypos, Josiam, Jechoniam et Sedeciam commemoro) mortem certissimo affe remus sub Pilato, et in Dei præscientia jam attulimus, imo nos Judæi proprie Christum nostrum crucifigemus et occidemus : atque licet Deus id ita eventurum præsciat, tamen ex immenso suo erga nos amore hæc omnia permittet; imo nos captivitate Babylonica liberabit et in Judæam reducet; uti præscit nos Christum suum occisuros, idque ad hoc, ut per Christi mortem nos a dæmonis captivitate et morte æterna liberet. Quis ergo hanc tam indignam innocentis Christi et Filii Dei captivitatem et necem non lamentetur? quis ejus potius quam Sedeciæ casum non lugeat? quis Creatorem suum et redemptorem Jesum captum, et cruci affixum, siccis oculis, intueatur? Utroque ergo modo verti potest, scilicet *Christus Domini*, ut sic intelligatur Sedecias, et *Christus Dominus*, ad quem avolat Jeremias, quemque maxime amabat et plangebat, cujus typus fuit rex Sedecias. Obiter ergo perstringit casum Sedeciæ, quasi typum, et sub eo proprie et directe intelligit. lugetque casum Christi antitypi; hic enim proprie captus et mortuus est in peccatis, non suis, sed nostris. Rursum, Christi mors et cædes fuit causa excidii Jerusalem per Titum et Romanos; cujus typus et inchoatio fuit excidium ejusdem per Chaldæos, quod hisce Threnis luget Jeremias. Sic Isaias a Cyro ad Christum subito avolat, cap. XLV, dicens : « Rorate, cœli, desuper; » et *Zachar.* IX, 9, ab Israele ad Christum : « Ecce, inquit, rex tuus veniet tibi justus, et salvator. » Vide *Can.* IV et V.

ORIS NOSTRI. — Hebræum אַפֵּינוּ *appaim* significat os, nares, faciem. Unde Aquila, Symmachus, Chaldæus vertunt : *Spiritus narium nostrarum*; Septuaginta προσώπου, id est *faciei nostræ*; Tertullianus legit : *Spiritus personæ ejus Christus*; quia ait ipse lib. V *Contra Marcion.* cap. XI : « Paternæ personæ spiritus est Christus. » Christus ergo vocatur « spiritus oris nostri, » *primo*, quia ipse menti et ori nostro afflat spiritum prophetiæ. Ita Origenes et Eusebius, IV *Demonst.* XXIV. Christus enim qua Deus Jeremiæ aliisque Prophetis suggerebat sua oracula. *Secundo*, quia Christus finis erat et scopus omnis prophetiæ. *Tertio*, Origenes, Rupertus, Rabanus, Hugo, Lyranus : Spiritus, inquiunt, oris nostri, id est anima et vita nostra est Christus; quia sicut sine spiritu corpus mortuum est, ita anima sine gratia Christi mortua est. Hinc Christus inspiravit in Apostolos, *Joan.* XX, dicens : « Accipite Spiritum Sanctum, » idque fecit ad vitam in nobis renovandam, sicut eamdem ipse inchoavit, cum *Genes.* II, 7, inspiravit in faciem hominis spiritum vitæ. *Quarto*, Theodoretus : Spiritus, inquit, lucis divinæ vehiculum est Christus, quia ipse mentem illustrat scientia Dei. Favet S. Cyrillus in cap. V *Osee*, sub finem, ubi pro *Spiritus* legit, *lumen : Lumen faciei nostræ*, inquit, *Christus Dominus*. Huic lumini apposite respondet umbra, de qua subditur : « In umbra tua vivemus in gentibus. » Sic Anna mater Tobiam filium vocat « lumen oculorum suorum, baculum senectutis, so-

Christus est spiritus ori nostri ob quatuor causas. Prima, Secunda, Tertia.

(1) Recte videtur Dathius judicare laudem, quam Sedeciæ vates tribuit, venire ex affectu dolentis, quo nonnunquam rem amissam lugemus nobis caram, quanquam defectuum et vitiorum non expertem. (Rosenmuller.)

latium vitæ, » *Tobiæ* X, 4. Simili de causa dixit Plinius, lib. II, cap. XCIX, sidus lunæ rerum spiritum existimari : « Hoc enim esse quod terras saturet, accedensque corpora impleat, abscedens maniat. Ideo cum incremento ejus augeri conchylia, et maxime spiritum sentire quibus sanguis non sit. Sed et sanguine hominem etiam cum lumine ejus augeri ac minui. Frondes quoque ac pabula sentire, in omnia eadem penetrante vi. » Porro apte deitatem soli, humanitatem Christi lunæ comparari, multis analogiis ostendit Alcazar, *Apocal.* XII, 1, explicans illud : « Luna sub pedibus ejus. »

Dicitur vero Christus etiam spiritus narium nostrarum, quia, ut Origenes, Dei amatores assidue Christum spirant, illumque semper ante oculos, in corde et ore habent, ut cum S. Bernardo dicant : « Jesus mel in ore, melos in aure, jubilus in corde ; » *secundo,* quia Christus in rebus afflictissimis unicum nobis est refugium et respiraculum : ita S. Thomas; *tertio,* quia, ut Chaldæus vertit : Christus Dominus charus nobis est et amabilis ac pretiosus, ut anhelitus et spiritus vitalis, quem per nares emittimus, ac, ut aura quam attrahimus, et respiratio quam intromittimus : sicut enim respiratio calorem cordis temperat, itaque vitam conservat : ita Christi gratia temperat concupiscentiam, et vitam gratiæ conservat. Denique, Christus est spiritus in quo vivimus, movemur et sumus; ut cum S. Paulo dicamus : « Vivo autem, jam non ego : vivit vero in me Christus, » *Galat.* II, 20; vide ibi dicta ; et *Coloss.* III, 3 : « Vita vestra est abscondita cum Christo in Deo. Cum Christus apparuerit, vita vestra, » etc. Denique, luculenter hunc versum ita reddit Interpres Arabicus Alexandrinus : *Spiritus facierum nostrarum, qui erat forma* (species) *nostra, Christus Dominus derelictus est in delictis eorum, et corruit in foveam eorum ille, in cujus ala* (protectione) *dixi quod vivemus, et in umbra ejus inter populos.* Minus recte vertit Arabicus Antiochenus : *Insidiati sunt nobis, et insufflarunt nobis ad spiritum Christi Domini. Captus est in venatione eorum, cujus in umbra diximus nos esse victuros inter gentes.*

Moraliter, dicat cum Jeremia fidelis et Christo dicata anima : Christus est meus spiritus, meus anhelitus, mea anima, mea vita; Christus est quem spero et spiro, in quo respiro; quem inspiro et exspiro; Christus mihi charior, mihi intimior, mihi pretiosior est ipso spiritu vitali, ipsa anima et vita mea : quia ipse est anima animæ meæ : ipse spiritus mentis meæ, ipse centrum cordis mei. Sicut ergo anima corpus animat et vivificat, ac consequenter singula membra informat, movet, regit, dirigit, ut per os loquatur, per aures audiat, per oculos videat, per pedes ambulet, etc.; ita Christus animat et vivificat animam meam, et per eam corpus, omnesque sensus, potentias et membra ; ac proinde ea movet et dirigit ad omne bonum, et ad suum Deique obsequium. Facit enim ut lingua nil nisi honestum et sanctum loquatur, ut oculi nil nisi pudicum videant, ut aures non nisi verbo Dei et castis sermonibus pateant, ut cor nil nisi cœlestia amet, ut mens nil nisi divina cogitet, ut pedes non nisi ad opera bona progrediantur. Ita spiritus et anima Pauli erat Christus, ideoque dicit : « Mihi vivere Christus est, et mori lucrum, » *Philip.* I, 21. « Sine Christo enim vanum omne quod vivimus, » ait S. Hieronymus. Et : « Christum habitare per fidem in cordibus vestris, » *Ephes.* III, 17. Et : « Sive vivimus, Domino vivimus : sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus, » *Rom.* XIV, 8. Unde cum morimur, dicimus cum S. Stephano : « Domine Jesu, suscipe spiritum meum. » Et : « Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis, » *Galat.* IV, 19. Sicut enim gallina, incubando et fovendo ova, parturit pullos, eisque suum calorem, spiritum, animam et vitam aspirat : ita Paulus quasi incubando et fovendo Galatas, eis quasi parturiens suum calorem, suum spiritum, suam animam, suam vitam, puta Christum, aspirabat et inhalabat. Ita Sancti eminentes Christo adeo conjuncti, familiares et intimi fuerunt, ut non tam ipsi quam Christus in eis vivere, spirare, loqui, operari, pati videretur. Hinc S. Dionysius et rerum spiritualium magistri docent apicem perfectionis in hac unione et inoperatione Christi consistere; scilicet ut anima in orando, operando et patiendo, potius se passive quam active habeat, itaque excipiat omnes Christi inspirationes, impulsus, inoperationes, etc., iisque sinat se agi et dirigi ad omnem virtutem. Quocirca tales in Christo Christique providentia, cura et amore secure requiescunt, omnesque sollicitudines, timores et cruces in ipsum conjiciunt, dicentes : « Dominus sollicitus est mei, » ipse meam curat salutem, gratiam et gloriam : non timebo ergo quid faciat mihi homo, caro, mundus aut dæmon. Hæc est vita paradisi, et inchoatio cœlestis felicitatis. Jesu dulcissime, esto spiritus oris mei; ut quoties respiro, toties te inspirem et exspirem, toties te memorem, sentiam, sapiam, proloquar, omnibusque aspirem et inhalem; ut, dum spiritus hos regit artus, tu spiritum meum inhabites, animes et regas; ut nil nisi te inspirante, ex te, per te, de te dicam, doceam, scribam, agam. In te enim est totum quod desiderare possum et debeo : tu salus mea et redemptio; tu spes mea et fortitudo; tu lumen oculorum meorum; tu decus meum et gloria; tu mea vita, meus amor, meæ deliciæ, mea æternitas, mea beatitudo. Sive ergo vivam, sive moriar, in manus tuas spiritum meum et cor meum, imo tuum cum S. Catharina Senensi, commendo.

IN PECCATIS NOSTRIS. — Hebraice בשחיתותם *bischitotam,* quod *primo,* S. Ambrosius in *Psal.* CXVIII, serm. 11, vertit, *in interitu nostro. Secundo,* Dionysius Alexandrinus in *Resp. ad quæst. Pauli Samo-*

sateni, vertit, *in calumniis nostris*. *Tertio*, Septuaginta, *in corruptionibus nostris*, vel, ut Romani codices habent, *in corruptionibus eorum* : hoc enim significat affixum in voce *bischitotam*. Sed Noster cum S. Ambrosio et aliis pro *eorum* vertens *nostris*, legit בשחיתותנו *bischitotenu*. *Quarto*, Chaldæus et Vatablus vertunt, *in retibus eorum*; Arabicus, *in venatione ipsorum*. *Quinto*, Syrus, Pagninus, et R. Salomon, *in foveis eorum*, scilicet persecutorum Chaldæorum (inquiunt ipsi), de quibus vers. præced. hæc omnia significat Hebræa radix שחה *scacha*, vel שחת *scachat*. *Sexto*, Noster clare et plane vertit, « in peccatis nostris, » id est, ut Olympiodorus et alii, propter peccata nostra, uti ait Isaias cap. LIII, vers. 5, quod Theodoretus explicat, ob peccata et corruptissimam impietatem, et invidiam Judæorum in Christum. Alii generalius explicant : *ob peccata omnium hominum* ; hæc enim in se luenda suscepit Christus.

IN UMBRA, — in tua protectione, inter gentes iniquas, a malis tuti vivemus, *Cant.* II, 3, Ita Rupertus, Hugo, Lyranus. Hic sensus est planissimus.

Secundo, Origenes, « in umbra, » inquit, id est ad tui imitationem : umbra enim est imago corporis, cujus est umbra.

Umbra deitatis est humanitas.

Tertio, idem *homil.* 8 : « In umbra, » id est in nomine Jesu, vel in humanitate et carne ejus, sub qua quasi umbra divinitatis vitam accepimus spiritualem. Sic et S. Bernardus, serm. 28 *in Cant.*, qui putat hæc dici ex persona incipientium : « Ut quiescant, inquit, saltem in umbra, qui solis ferre ardorem minus validos se sentiunt : et carnis dulcedine nutriantur, dum necdum valent percipere quæ sunt spiritus Dei : umbram siquidem Christi, carnem reor esse ipsius, de qua obumbratum est et Mariæ, ut ejus objectu fervor splendorque spiritus illi temperaretur : in carnis ergo devotione interim consolentur, qui vivificantem spiritum necdum habent. » Nam, ut idem ait serm. *in Nativ. B. Mariæ* : « Inter cœlestes beatitudines non in umbra vivitur, sed potius in splendore : In splendoribus Sanctorum, inquit, ex utero ante luciferum genui te. Ecclesia vero ait : Sub umbra ejus quem desideraveram sedi. » Hac de causa, ut idem ait serm. 6 *De Ascens.* : « Apostoli » ante missionem Spiritus Sancti, utpote adhuc imperfecti, « meram lucem spiritus sustinere non poterant; sed exhiberi illis oportuit Verbum in carne, solem in nube, lumen in testa, mel in cera, cereum in laterna. » Et *serm.* 3 : « In umbra, inquit, non inter angelos, ubi purissimum lumen purissimis oculis intuebimur. » Ita quoque S. Ambrosius, in *Psalm.* CXVIII, serm. 19, litt. *coph.* : « Umbra, inquit, tua, o Christe! caro fuit; quæ nostrarum æstus refrigeravit cupiditatum, quæ compescuit insolentiam vitiorum, quæ restinxit ignes libidinum, quæ avaritiæ diversarumque passionum incendia temperavit : et quid dicam de umbra Domini, quando et Apostolorum umbra sanabat? » Auctor lib. II *De Incarn. Verbi*, ante finem, apud S. Augustinum, tom. IV, per umbram hanc accipit animam Christi : « Quia, inquit, sicut umbra corporis inseparabilis est a corpore, et indeclinabiliter motus ac gestus corporis suscipit et gerit; sic anima Christi a deitate et Verbo, cui inseparabiliter inhæret, suum opus ac motum suscipiebat, et pro ejus nutu ac voluntate cuncta perpetrabat : in hujus enim umbra per fidem vivimus inter gentes. »

IN GENTIBUS, — quia Christus a Judæis ad gentes se Ecclesiamque suam transtulit, inquit S. Augustinus loco jam citato, et Rufinus in *Exposit. Symbol.*

21. GAUDE, ET LÆTARE, FILIA EDOM. — Est ironia, vel concessio, qualis est illa *Eccle.* XI, 9 : « Lætare, juvenis, in adolescentia tua, » etc.; nam Jeremias hic prædicit excidium Idumæorum, per eosdem Chaldæos; quia ipsi irriserant Judæos, et juverant Chaldæos in excidio Judæorum, idque patet ex *Abdia*, I, 10, et *Ezech.* XXXV, 13 : ita Theodoretus, Rabanus, Hugo, S. Thomas, Lyranus; redit enim et revolat Propheta de more a Christo ad sua tempora.

Hebræi, Chaldæus et R. Salomon per Idumæos accipiunt Romanos, quos aiunt ortos ab Idumæis. Sed illud falsum est, ut patet ex præcedenti; hoc incertum, imo pariter falsum, et recte refutatum a Lyrano et Hugone.

QUÆ HABITAS IN TERRA HUS. — Hinc patet terram Hus eamdem esse cum Idumæa, vel certe in se complexam fuisse Idumæam.

INEBRIABERIS, ATQUE NUDABERIS, — *q. d.* Hoc calice furoris, hac vindicta Dei ita repleberis, ita affligeris, ut videaris esse ebria et emotæ mentis, ut more ebrii nuderis, id est spolieris tuis bonis, quin et vestibus. Rursum ut more ebrii discooperias et nudes infirma et verenda tua, id est loca terræ imminuta præsidio nudes, per quæ hostis intret. *Secundo*, nudaberis murorum ambitu disjecto. Unde R. Abraham putat hic alludi ad verba quæ Idumæi dicebant, cum Jerusalem everteretur : « Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea, » *q. d.* Evertite Jerusalem usque ad fundamenta; utrobique enim idem est verbum ערה *ara*, *q. d.* O Edom! everteris usque ad fundamentum, quia tu hoc Hierosolymæ optasti, et ut fieret cooperatus es. *Tertio*, Septuaginta vertunt cum Chaldæo, Vatablo, Pagnino : Effundes, evacuabis, evomes, scilicet cives tuos in captivitatem, ut maneas vacua et solitaria.

Moraliter, discant hic homines non gaudere in casu et ruina miserorum, etiam hostium, sed compati ac timere ne idem sibi eveniat. Ita cum Franciscus Valesius, rex Franciæ, captus a Carolo V, scripsisset in pariete cubiculi sui : « Hodie mihi, cras tibi; » id legens Carolus subscripsit : « Homo sum, humani a me nihil alienum puto. »

22. COMPLETA EST INIQUITAS TUA, — id est pœna iniquitatis tuæ, *q. d.* Pœna iniquitati tuæ, o Jeru-

salem, debita, hac captivitate septuaginta annorum complebitur : sed in eam succedet Idumæa tibi inimica, cujus peccata Deus discooperiet, et nota faciet orbi per publicam vastationem et perpetuam captivitatem. Ita Theodoretus, Origenes, Hugo, S. Thomas, Lyranus. Concludit Jeremias Threnos consolatione Judæorum, quod exsilium et pœna eorum brevi sit finienda, atque in eorum hostes Idumæos derivanda. Hinc patet hosce Threnos a Jeremia esse scriptos post excidium Hierosolymæ.

Dices : Quomodo ait : « Non addet ultra ut transmigret te, » cum postea Judæi a Tito et Romanis vastati sint? Respondeo, « non ultra, » scilicet ad longum tempus, « transmigrabit te : » nam tempore Romanorum fuit quasi aliud sæculum, et alia Jerusalem. Simile est *Isai.* II, 4. Adde sub Tito non fuisse proprie transmigrationem, sed excidium Judæorum.

Secundo, aliter S. Thomas : « Non ultra, » inquit, punieris, scilicet pro his peccatis; sed si nova committas, uti revera facies, rursum punieris per Titum.

Tertio, Hugo et Lyranus : « Non ultra, » supple, si Deo servieris fideliter.

Quarto, Theodoretus : « Non ultra addet, » scilicet Nabuchodonosor, ut transmigret te.

Allegorice, Origenes et Olympiodorus : Christi morte auferetur a filia Sion, id est ab Ecclesia, iniquitas omnis, et Idumæi, id est impii homines, disperdentur, qui semper hostiliter Ecclesiam sunt persecuti. Simile est *Daniel.* IX, 24. Judæi hanc felicitatem non quasi peractam sub Esdra, sed quasi futuram adhuc exspectant, eamque sibi promittunt in terrena Jerusalem, ad quam se reducendos per suum Messiam sperant. Unde Chaldæus vertit : *Deinde solvet iniquitatem tuam, Synagoga, et redimeris per manus Christi et Eliæ, et non addet amplius Dominus transmigrare te, et in illo tempore visitabo iniquitatem tuam, Roma, ædificata in Italia, et plena turmis Idumæorum, et venient Persæ, et angustiabunt te, et vastabunt; quoniam publicata sunt coram Domino peccata tua.* Eadem est opinio Rabbinorum; putant enim se libertatem non assecuturos, nisi per eversionem Romæ et Romanorum. Ita miseri se fabulosis spebus et odiis lactant : quid enim Romanis cum Idumæis? et quasi Assyrii, Turcæ et alii non magis afflixerint Judæos quam Romani.

Moraliter, disce hic quam Deus afflictos, lugentes et pœnitentes consoletur, quamque tristibus læta submittat, ut in tribulatione merito sperare possimus, ac dicere : « Post tenebras spero lucem; post nubila Phœbus. » Ita cum eamdem Jerusalem vastasset et spoliasset Ramisus, dux exercitus Chosrois Persarum regis, anno Domini 614, solatium ei dedit per S. Joannem Eleemosynarium Archiepiscopum Alexandrinum, qui Hierosolymam misit Chrysippum quemdam virum pium, tradens ei multum auri, frumentumque et alia alimenta et indumenta, et ad ea vehenda jumenta plurima, tum ut aspiceret vastitatem, tum etiam ut eos qui remanserant ex captivitate, per ea quæ dicta fuerunt, recrearet. Præterea Theodorum quoque Amathuntis Episcopum, et Anastasium præfectum magni montis Antonii, et Gregorium Episcopum Rhinocurorum emittit ad eos recipiendos qui abducti fuerant in captivitatem, vim auri præbens innumerabilem. Ita habet *Vita S. Joannis Eleemosynarii.*

Sic luctus S. Monicæ pro Augustino filio manichæo utrique saluti fuit. Monicæ enim multum oranti et lugenti divinitus dictum est, ubi ipsa esset, ibi et illum futurum. Ab Episcopo etiam, quem ut pro illo oraret cum fletu rogaverat, audivit fieri non posse, ut tantarum lacrymarum filius periret. Qui tandem Ambrosii Episcopi prædicatione conversus, non solum errorem omnem abjecit, sed etiam errantibus viam veritatis monstravit, obscura declarando, dubia edisserendo, certa confirmando, prava falsaque omnia plenissime confutando. Tantum profecit matris pro filio lugentis assidua sollicitudo! Ita S. Augustinus, lib. III *Confess.* cap. XII et sequent.

S. Dominicus, ut habet auctor Vitæ, lib. I, cap. IV, Fratrum Prædicatorum antistes, optabat se totum impendere saluti proximorum, tum se revera Christi fore membrum existimans, si ejus se exemplo animabus lucrandis prorsus manciparet. Plenum erat sanctissimis affectionibus pectus ejus, atque erga omnia tum prospera, tum adversa proximorum, mira pietate movebatur, afflictorum rebus duris cruciabatur, pauperum penuria et miserorum calamitatibus torquebatur; atque in primis pereuntium animarum zelo mire angebatur, et mente sauciabatur. Ita nimirum instar Prophetæ, Dominicus peccata hominum et afflictorum miserias contemplans, æstuabat animo intrinsecus, et flens largissime latentem commiserationis affectum per lacrymas prodebat foris. Hanc enim excellentissimam charitatis gratiam specialiter habebat a Deo donatam, flendi scilicet pro peccatoribus et miseris, atque afflictis omnibus condolendi. Atque hisce lacrymis tot parturivit filios, tot animas convertit, et ad æternam quietem transmisit. Annon ergo egregiam luctus sui consolationem accepit? *Judic.* II, ascendit Angelus ad locum flentium, flentesque Hebræos consolatus est. Deus Ninivitas ad prædicationem Jonæ lugentes, venia et gratia sua dignatus est. De Apostolis dicitur *Psalm.* CXXV : « Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua; venientes autem venient cum exsultatione, portantes manipulos suos. » Et sponsus sponsam lugentem vocat et consolatur : « Jam hiems transiit, imber abiit et recessit, tempus putationis advenit, etc.; surge, amica mea, et veni. »

DISCOOPERUIT (quasi dicat : revelabit) PECCATA TUA — Deus toto orbi, dum ea publico excidio puniet.

CAPUT QUINTUM

SYNOPSIS CAPITIS.

Hoc caput est quasi brevis iteratio et summa Threnorum. Sicut enim rhetores in peroratione iterant densantque ea, quæ tota oratione dixerunt, tum memoriæ, tum motus causa, ut magis auditores moveant : ita et facit hic Jeremias. Inscribitur hoc caput non in Hebræo, sed a Septuaginta et nostro Interprete, Oratio Jeremiæ : *nam primo, mala populo ob peccata a Deo illata, et in Threnis recensita, refricat, et summatim enumerat : deinde orat pro misericordia, ut Deus populum in pristinum statum restituat. Hanc orationem Jeremias composuit post vastatam Jerusalem, antequam iret in Ægyptum. Porro hæc oratio non est composita ordine litterarum Hebraicarum; totidem tamen habet versus, scilicet* 22 (1).

1. Recordare, Domine, quid acciderit nobis : intuere, et respice opprobrium nostrum. 2. Hæreditas nostra versa est ad alienos, domus nostræ ad extraneos. 3. Pupilli facti sumus absque patre, matres nostræ quasi viduæ. 4. Aquam nostram pecunia bibimus : ligna nostra pretio comparavimus. 5. Cervicibus nostris minabamur, lassis non dabatur requies. 6. Ægypto dedimus manum, et Assyriis ut saturaremur pane. 7. Patres nostri peccaverunt, et non sunt : et nos iniquitates eorum portavimus. 8. Servi dominati sunt nostri : non fuit qui redimeret de manu eorum. 9. In animabus nostris afferebamus panem nobis, a facie gladii in deserto. 10. Pellis nostra, quasi clibanus exusta est a facie tempestatum famis. 11. Mulieres in Sion humiliaverunt, et virgines in civitatibus Juda. 12. Principes manu suspensi sunt : facies senum non erubuerunt. 13. Adolescentibus impudice abusi sunt : et pueri in ligno corruerunt. 14. Senes defecerunt de portis, juvenes de choro psallentium. 15. Defecit gaudium cordis nostri : versus est in luctum chorus noster. 16. Cecidit corona capitis nostri : væ nobis, quia peccavimus! 17. Propterea mœstum factum est cor nostrum, ideo contenebrati sunt oculi nostri. 18. Propter montem Sion quia disperiit, vulpes ambulaverunt in eo. 19. Tu autem, Domine, in æternum permanebis, solium tuum in generationem et generationem. 20. Quare in perpetuum oblivisceris nostri? derelinques nos in longitudine dierum? 21. Converte nos, Domine, ad te, et convertemur : innova dies nostros, sicut a principio. 22. Sed projiciens repulisti nos, iratus es contra nos vehementer.

1. RECORDARE. — Hæc verba *recordare, intuere,* emphasim continent; non enim nudum et otiosum intuitum et recordationem, sed practicum, affectuosum et efficacem, scilicet affectum cum effectu conjunctum significant. Deus ergo recordari et intueri dicitur, cum miseretur, indulget, a pœnis liberat, favet, beneficia confert, etc. Recordatio enim Dei, uti et intuitus, est operativus et efficax, cum hominis sit otiosus et ineffica. EX adverso oblivisci et non intueri, idem est, quod negligere, non curare.

2. HÆREDITAS NOSTRA. — Judæa quam jure hæreditario possidebamus, jam facta est Chaldæorum, eisque est tributaria. Recenset a vers. 1 usque ad 19 totidem mala et clades (scilicet singulis versibus unam), puta 18, quæ illis per excidium obvenerunt. Quæ omnia et singula ad litteram evenerunt christianis, cum ob sua peccata perdiderunt eamdem terram sanctam, Græciam, Asiam aliasque provincias, quæ a Turcis vel hæreticis occupantur. Hi ergo hæc usurpent. Tropologice, hæc omnia facile est adaptare peccatori, qui todidem, imo plura damna per peccatum incurrit. Vide Dionysium Carthusianum.

(1) In hac oratione Propheta PRIMO, ut Deum efficacius flectat ad miserendum Judæis, tristem illorum conditionem exponit, *primo*, ob amissam hæreditatem et familiam, 1-3; *secundo*, ob victus difficultatem, 4-6; *tertio*, ob pœnas patribus debitas, sibi autem irrogatas, et subjectionem etiam servis præstandam, 7, 8; *quarto*, ob periculum in comparatione annonæ, et angustias famis, 9, 10; *quinto*, ob vim mulieribus, virginibus et pueris illatam; principibus autem et senibus mortem vel ignominiam irrogatam, 11-13; *sexto*, ob judicia et gaudia publica cum gloria regni sublata, 14-16; *septimo*, ob deploratam a Propheta vastitatem Sion, 17, 18.

SECUNDO, precatur, post contestationem divinæ potentiæ, *primo*, pro accelerando aversionis et exsilii termino, 19, 20; *secundo*, pro concedenda conversionis gratia et sanctitatis dono, 21; *tertio*, pro statuendo pœnarum fine, 22.

Vers. 3. 3. PUPILLI FACTI SUMUS ABSQUE PATRE, — quia patres occisi aut capti sunt a Chaldæis; unde uxores solitariæ et desolatæ manent quasi viduæ, et filii orphani. Ita Hugo, Lyranus, Chaldæus.

Secundo, Rabanus et S. Thomas, *q. d.* Orbati sumus protectione paterna Dei, qui Synagogæ maritus, et singulorum in ea erat pater.

Tertio, Maldonatus, *q. d.* Orbati sumus rege Josia et Sedecia; rex enim reipublicæ et patriæ est quasi pater. Verum primus sensus est planissimus. Sequitur enim : « Matres nostræ quasi viduæ. »

4. AQUAM NOSTRAM PECUNIA BIBIMUS : LIGNA, etc. — quasi dicat : Etiam res communes et viles, uti est aqua, emere debuimus. *Secundo*, aquam et ligna quæ prius erant nostra, jam a Chaldæis occupata, pecunia vel tributo redimere debuimus et etiamnum debemus. *Tertio*, Sanchez, quasi dicat : In Babylone, aquam Babyloniis omnibus communem, nos Judæi captivi ab iis pecunia emere debemus, quod durum et inhumanum est. Nam, ut docet Cicero lib. I *Officior.*, res omnes quas ad communes hominum usus natura genuit, ut aqua, aer, ignis, etc., jure naturæ sunt omnium et singulorum.

5. CERVICIBUS NOSTRIS MINABAMUR. — Hebraice : *Super colla nostra persecutionem passi sumus*, quia scilicet funibus ad collum ligatis ducebantur in Babylonem. Ita Rabanus et S. Thomas, iisque suas sarcinas imponebant Chaldæi, aiunt Chaldæus et Hugo : ii vero qui remanserant in Judæa, quasi bruta ad opus et agriculturam urgebantur. Unde Sanchez per cervices oppressas, scilicet servitutis jugo, accipit quodlibet durum et vile ministerium. Portabant, inquit, servi onera, aut humeris et cervicibus imposita, sicut jumenta dorso; aut actis in jugum plaustrale cervicibus, quod boum est, ita ut plaustrum traherent, et in eo onus, stercus puta, saxa, arenam, etc. Minari autem suis cervicibus dicuntur, quia ex hesterno opere conjectabant, quid sibi ferendum esset oneris in crastinum; quocirca illud sibi indicebant, dicebantque : O collum ingenuum quondam et liberum, quot te manent onera servilibus etiam cervicibus indigna! O brachia, qui vos labor, quæ vos exercebunt et frangent ministeria! O caput mille jam conviciis et diris exsecrationibus devotum! Ita Judæos jam vilissima tractare opera cernimus : « Quorum cophinus fœnumque supellex, » ait Juvenalis, *Satyra* 3, qui proinde eos Verpos vocat, et irridet. Aliter Maldonatus : Vox, inquit, *minabamur*, capitur passive, *q. d.* Cervicibus nostris hostes grave malum minabantur, scilicet, ut Lyranus et Dionysius, minabantur se cervices nobis amputaturos, nisi faceremus statim quæcumque vellent. Unde aliqui pro *minabamur* legunt, *minabantur*. Verum codices Romani et alii correctissimi habent *minabamur*, quod hic non significat comminari; cum enim hoc significat, active semper capitur, nunquam passive; sed significat agi et duci instar pecorum, hoc enim notat Hebræum נרדף *nirdaph*; unde versus etymologicus hæc duo ita distinguit :

Pastor ovem baculo minat, lupus ore minatur.

Tertio, Chaldæus vertit : *Cum iremus in exsilium, vidit Nabuchodonosor principes Israel euntes vacuos, id est sine sarcina; jussit ergo consuere libros legis, et ex eis facere utres; impleveruntque lapillis qui erant ad ripam Euphratis, et imposuerunt eos supra cervices eorum.* Ita referunt vel fabulantur Judæi. Aut, si hoc verum est, merito id passi sunt, ut membranas legis in saccos conversas lapillis et arena plenas portarent, qui legem habebant in membranis tam aridam et sterilem non in corde scriptam, ac proinde otiosam et inutilem, quæ proinde hoc pondus exsilii eis accersivit, eosque degravavit et oppressit, ut in quo peccaverant, in eodem quoque punirentur.

LASSIS NON DABATUR REQUIES. — Aliter ex Hebræo vertunt R. Salomon et R. Josephus, *labor non relinquitur nobis*, id est, laboramus et fabricamus ad aliquid lucrandum; sed mox lucrum omne quod percepimus, nobis auferunt inhumani heri, quibus servimus. Sic dæmon sagas ad scelera adigit, et lassat, nec dat eis requiem; sic lassant compotationes, convivia, ludi, libidines etiam nocturnæ, nec misero homini lasso et exhausto dant requiem; unde aiunt impii, *Sapient.* v, 7 : « Lassati sumus in via iniquitatis; » nec enim dæmon, nec concupiscentia, nec mundus peccatori, qui eis servit quasi mancipium, ullam dant requiem. E contrario servire Deo est quiescere, imo regnare.

6. ÆGYPTO DEDIMUS MANUM, — id est pepigimus fœdus cum Ægyptiis, inquit R. Abraham. *Secundo* et melius, *q. d.* Ab Ægyptiis auxilium et annonam petiimus, iisque supplices facti sumus, et quasi mendici extendimus eis manus ad petendam eleemosynam. Ita Vatablus, Lyranus, Rabanus, Hugo, S. Thomas. *Tertio*, « dedimus manum, » id est dedidimus et subjecimus nos, ac servivimus quasi mancipia Ægyptiis et Assyriis, ut panem lucraremur, quo victitaremus, et traheremus ærumnosam animam : ita Chaldæus; hicque sensus videtur aptissimus. *Quarto*, aliter vertunt Septuaginta, *Ægyptus dedit manum Assur ad saturitatem ipsorum*, id est Ægyptii et Assyrii suppeditaverunt annonam Judæis, ut pane saturarentur.

8. SERVI. — Ammonitæ et Idumæi, qui prius nobis tributarii serviebant, jam cum Chaldæis Jerusalem expugnarunt. Ita Hugo, S. Thomas (1), Lyranus.

Secundo, *q. d.* Chaldæi, qui ex Cham, Chus et

(1) Intelligit potius Jeremias, recte observante Pareau, milites Nabuchodonosoris, quorum voluntati parere cogebantur miseri Judæi, quique ita etiam appellantur, IV *Reg.* x, 11.

Nemrod (qui primus regnavit in Babylone, *Genes.* cap. x, 10) orti, a Noe damnati sunt ut sint servi Sem et posterorum, id est nostri, *Genes.* IX, 27, vel, ut Rabanus, qui ob impietatem et idololatriam sunt servi; cum Judæi sint ingenui : hi jam nobis dominantur; unde Judæi Gentiles vocabant servos, se vero liberos. Hinc ad Christum, volentem eos e peccati servitute liberare, dicunt *Joan.* VIII, 33 : « Semen Abrahæ sumus, et nemini servivimus unquam. »

Tertio, Sanchez : Verisimile est, inquit, tanquam prædæ partem datos esse Judæos Chaldæorum servis, qui scilicet in bello Judaico eis servierant, agebantque in castris : aut potius, Chaldæi servos suos præponebant Judæis, ut ab illis durum operis diurni pensum severe exigerent, uti fecerunt servi Pharaonis Hebræis in Ægypto, *Exodi* I, 11 et 14. Ingens est hic dolor, æque ac ignominia et probrum, qui mire heri animum pungit et premit. Eadem enim plaga a superiori, vel æquali illata, longe minus cruciat, quam si a subdito, ac præsertim a servo infligatur. Ita Maximianus Imperator ut S. Sergium primicerium suum, qui se christianum libere profitebatur, maxime affligeret, judicandum et atrociter puniendum misit ad Antiochum præfectum Orientis, qui S. Sergii servus exstiterat, ac ejus favore illam dignitatem obtinuerat; qui ut Maximiano satisfaceret, jussit S. Sergium calceari calceis aculeatis, iisque indutum instar mancipii currere ante rhedam suam; itaque eum deduxit per tres leucas cum acri pudore, æque ac dolore; nam aculei rivos sanguinis ex pedibus ejus eliciebant. Hoc tormentum deinde iterari jussit. Verum cum S. Sergium nullo pudore vel dolore vinci cerneret, capite eum plecti jussit anno Domini 309, die 7 octobris, qua die Ecclesia ejus triumphum anniversaria martyrii memoria recolit.

9. IN ANIMABUS NOSTRIS, — id est cum animæ, id est vitæ, periculo, ob Chaldæos ubique palantes, et in locis desertis insidiantes ac grassantes (uti etiamnum in Judæa et Syria grassantur Arabes), tam in obsidione quam urbe jam capta egressi sumus pabulatum, ut annonam et victum ex agris in urbem nos inveheremus : ita Hugo, Lyranus, Dionysius, Vatablus et R. Joseph, qui addit : Modicum, inquit, illud panis, quod nobis ab Assyriis comparabamus et efferebamus, rapiebatur in itinere, nec erat qui nos liberaret de violentia ipsorum.

10. PELLIS, — *q. d.* Sicut clibanus igne frequenti uritur, siccatur, nigrescit : ita pelles nostræ præ fame a calore naturali uruntur, siccantur, nigrescunt.

A FACIE TEMPESTATUM FAMIS, — id est, propter ingentem famem quæ in nos irruit, quasi valida tempestas. Hebraice est *propter exustiones famis*, id est fame urente, aut propter exustiones agrorum famem afferentes.

12. PRINCIPES MANU (hebraice, *manu eorum*, scilicet hostium) SUSPENSI SUNT (1).

13. ADOLESCENTIBUS IMPUDICE ABUSI SUNT. — Hebraice, *Juvenes ad molendum tulerunt*, *q. d.* Ad rem vilissimam, id est ad molas agitandas, juvenes, quasi viribus valentes applicuerunt. Ita Chaldæus, Vatablus, Pagninus (2).

Secundo, Noster melius vertit : Adolescentibus turpiter abusi sunt; hoc enim metaphorice significat *molere* apud Hebræos, uti patet *Job* XXXI, 10, in Hebræo, et etiam apud Horatium aliosque Latinos, quorum verbis in re obscœna libens abstineo. Sic et Græci μύλλειν, id est *molere*, sumunt pro scortari; unde μυλλὰς vocatur *scortum*.

PUERI IN LIGNO CORRUERUNT, — id est ligneo patibulo suspensi sunt. Ita Chaldæus, Hugo, Lyranus. Vel potius, ut Vatablus, sub ligneo manubrio, quo molam volvebant, præ lassitudine corruerunt. Vel, ut Lyranus, sub onere lignorum, quod ultra vires ferre pro Chaldæis cogebantur, corruerunt. *Quarto*, Maldonatus et Sanchez exponunt, *q. d.* Pueri virgis et baculis percussi sunt usque ad sanguinem et mortem.

14. SENES (judices) DEFECERUNT DE PORTIS (urbium, in quibus solebant sedere, dum judicia exercebant, aut civitatis vel civium causas tractabant); JUVENES DE CHORO PSALLENTIUM. — Decus enim civitatis florentis consistit in duobus, nimirum in senum gravitate, prudentia, æquitate; atque in juvenum vigore, lætitia et voluptate; qui choros ducere, in iisque psallere et saltare solebant. Utrumque defecit Hierosolymæ afflictæ. Pro *choro* hebraice est נְגִינָה *negina*, quod erat genus instrumenti musici; sed quia ad illud choros et choreas ducere solebant, hinc metonymice pro iis sumitur.

16. CECIDIT CORONA CAPITIS NOSTRI. — Hoc est diadema regni, puta regnum nostrum translatum est ad Chaldæos : ita Hugo, S. Thomas, Lyranus; *secundo*, Maldonatus per coronam intelligit gloriam; *tertio*, Rabanus, Vatablus et Isidorus per coronam accipiunt templum; *quarto* et proprie, solebant Judæi in festis et conviviis hilarioribus coronas capiti imponere, *q. d.* Defecerunt illi dies, ac deliciæ, in quibus lætari et capita coronare solebamus. Ita Sanchez. Hæc omnia usurpent pœnitentes, imitenturque voces et ejulatus pœnitentium hic, et similes apud Climachum, gradu *De pœnitentia*.

17. CONTENEBRATI SUNT OCULI NOSTRI, — præ jugi et nimio fletu, ut sibi contigisse queritur Job,

(1) Alluditur ad principum ac nobilium necem Nabuchodonosoris jussu factam, *Jerem.* XXIX, 6, quos igitur Chaldæi trucidatos suspenderant, ut Judæos vexarent, quibus mortuorum suspendium res videbatur ignominiosissima. (Pareau.)

(2) Hebræorum interpretum nonnulli verba proprio sensu intelligunt, et comminiscuntur, cum Babylonis deessent molæ, Chaldæos eas juvenibus Israelitis imposuisse, ut eas Babylonem portarent.

cap. XVI; 17; *secundo*, « contenebrati, » *q. d.* Ita hac clade perculsi, prostrati et attoniti fuimus, ut oculi nostri viderentur inverti et obtenebrari; *tertio*, Sanchez : Contenebrati, ait, sunt oculi, quia mœsti fugiunt lucem et homines, ac tenebras quærunt, ut Dido apud Virgilium :

Mortem optat, tædet cœli convexa tueri.

Vers. 18. 18. VULPES AMBULAVERUNT IN EO, — *q. d.* Templum et mons Sion ita desertus est, ut vulpes libere et intrepide in eo versentur.

Vers. 20. 20. QUARE IN PERPETUUM. — Hebraice, *cur in longitudinem dierum*, cur tam longo tempore nos derelinquis, quasi ad te non pertineremus? præsertim cum, ut præcessit vers. 19, in æternum permaneas, et æternum habeas apud nos regnum et solium, cui nulla hostium vis prævalere potest.

Vers. 21. 21. CONVERTE NOS, — *q. d.* Quia malorum nostrorum origo fuit, a te, o Domine, recedere; hinc tu qui es immutabilis et firmus in promissis, æque ac regno æterno, ut dixi vers. 19; tu, inquam, juxta promissa tua *Levit.* XXVI, 23, ne omnino abjice nos, et pactum tuum nobiscum; atque quia ad hoc requiritur, ut oremus pro peccatis nostris, ut eorum venia a te accepta, tibi per gratiam reconciliemur; oro, Domine, converte nos ad te per veram et seriam pœnitentiam, qua veniam hanc et gratiam assequamur. Ita Chaldæus, Olympiodorus, Rabanus, Lyranus et alii. Hinc consequenter orat Propheta, ut ad illud tempus et sæculum reducatur populus, in quo ad Deum fide et mente conversus, eum pie et religiose colebat : et ab illo vicissim se ad populum suum convertente, pace bonisque omnibus donabatur (1). Ita Rabanus et S. Thomas. Si enim ipse convertere velit populum suum exsulem ad locum et patriam suam, æque ac ad se, convertetur eo, simulque redibit ad pristinum decus et gloriam, perinde ac si a morte resurgeret. Unde subdit : « Innova dies nostros sicut a principio. » Duplex ergo hic significatur conversio, *prima* et potissima ad Dei gratiam et amicitiam; *secunda* consequens, ut ab exsilio ad libertatem, patriam, pristinaque bona Judæi convertantur et redeant. De secunda tantum accipit hæc Hugo.

Hinc Concilium Tridentinum, *sess.* VI, cap. v, et Theologi docent, ad conversionem peccatoris necessariam esse gratiam, et liberum arbitrium gratiæ cooperans, hocque velle Zachariam cum ait cap. I, 3 : « Convertimini ad me, et convertar ad vos; » sed gratiam debere prævenire et excitare liberum arbitrium, peccato quasi oppressum et sopitum; hocque velle hic Jeremiam, sicque eum cum Zacharia esse conciliandum.

INNOVA DIES NOSTROS, SICUT A PRINCIPIO, — ut pie et religiose te colamus, sicut cœpimus sub Mose in Sina, cum nobis dedisti legem; et tu vicissim nos, et dies nostros in pace custodias. Ita Chaldæus, Rabanus, S. Thomas.

Secundo, Olympiodorus, Dionysius, Hugo, Lyranus, *q. d.* Libera nos e Babylone, sicut olim ex Ægypto eduxisti in terram promissam. Huic petitioni similis est illa *Job* XXIX, 2 : « Quis mihi tribuat, ut sim juxta menses pristinos, secundum dies quibus Deus custodiebat me? sicut fui in diebus adolescentiæ meæ, quando secreto Deus erat in tabernaculo meo, » etc.

22. SED PROJICIENS. — Est hæc alia ratio, propter quam debeat exaudiri, quam clarius exprimunt Septuaginta, Chaldæus, Vatablus; vertunt enim : *Quia satis nos repulisti*, scilicet summam vindictam et captivitatem in nos exercendo, *q. d.* Jam satis pœnas dedimus, et iræ tuæ satisfecimus; redde ergo clementiam tuam nobis, et converte nos ad te. Hanc enim petitionem ex pudore et afflictione subticet. Eadem de causa Hebræa et Noster addunt voculam *sed*, *q. d. Oravi dicens* : *Converte nos*; sed ecce non impetro, longeque absumus ab hac conversione, quia ecce tu projiciens hucusque repulisti nos; quare tacens et confusus gemo, hocque meo gemitu tacite et verecunde imploro tuam misericordiam, ut tandem iræ tuæ parcas, flagella tua contineas, meique miserearis. Hic sensus est aptissimus. Est enim aposiopesis ad pathos, qualis esse solet valde afflictorum pro venia obsecrantium; in his enim dolor et pudor multa supprimunt. *Secundo*, Maldonatus hæc putat respondere versui 20, cum illoque jungenda esse, *q. d.* « Quare in perpetuum oblivisceris nostri? sed, » id est, atque adeo, « projiciens repulisti nos. » *Tertio*, alii vertunt : *Quamvis projeceris nos, tamen jam iræ tuæ in nos effusæ sat pœnarum dedimus. Quarto*, Sanchez sic explicat, *q. d.* Sed quid votis insisto, quid precibus urgeo, ut rem Judaicam quamprimum instaures, cum tu vehementer iratus, populum ad annum usque septuagesimum abjeceris, et captivitati Babylonicæ addixeris? Hic sensus quoque appositus est (2).

(1) Recte monet Pareau, non agi hoc loco de reditu in patriam, cum non exsules inter Chaldæos, sed superstites in vastata sua patria Judæi loquantur, sed de reditu in statum pristinum felicem, quomodo verbum שׁוּב *schoub*, et *Psal.* LXXX, 4, 8, 20, et alias usurpatur. (Rosenmuller.)

(2) Post versum 22 in codicibus Hebræis repetitur versus 21. Laborant enim Judæi hac superstitione, quod, ubi finitur aliquis liber tristi et minaci sententia, ut fugiant malum omen, repetunt versum penultimum. Id hic faciunt, et in fine Isaiæ, Malachiæ, et libri Coheleth. (Rosenmuller.)

COMMENTARIUS

IN

BARUCH PROPHETAM.

PROOEMIUM.

Quæritur, *primo,* an Baruch sit liber canonicus? Negant Calvinus, Kemnitius (1), et ex Catholicis Joannes Driedo, lib. I *De Script.* cap. ult. Negare quoque videtur S. Hieronymus, *Proœmio in Jeremiam*, Lyranus, Dionysius et aliqui alii. *Primo,* quia non est in Hebræorum canone, nec hebraice exstat. *Secundo,* quia S. Gregorius Nazianzenus in *Carmine,* S. Hieronymus in *Prologo galeato,* Damascenus, lib. IV *De Fide,* cap. XVIII, ubi recensent libros canonicos, omittunt Baruch. *Tertio* denique, quia falsum videtur quod post templi et altaris vastationem dicit cap. I, 10, Hierosolymis holocausta oblata esse, et festa celebrata.

Baruch liber est canonicus.

Verum jam de fide est librum Baruch esse canonicum, in eoque nunc consentiunt omnes orthodoxi. Ita definiunt Concilia Florentinum et Tridentinum in decreto de libris canonicis (2). Idem patet ex S. Cyrillo, S. Gregorio Nazianzeno et Nysseno, ex Eusebio, Athanasio, Clemente Alexandrino et Ambrosio, qui eum citant quasi canonicum. Vide Bellarminum lib. I, *De Verbo Dei,* cap. VIII. Ad *primum* respondeo, multos libros esse in canone Christianorum, qui non fuerunt in canone Hebræorum, uti sunt libri *Machabæorum, Tobiæ, Judith, Ecclesiasticus, Sapientia* (3). Baruch olim exstitisse hebraice, eaque lingua scriptum esse non est dubium : nostra quoque editio Latina hebraizat; unde videtur translata ex Hebræo, non ex Græco; nam Græcus uberior subinde est quam Noster; et Noster a Græcis sæpe discrepat. Ad *secundum* respondeo, veteres qui omittunt Baruch, eum comprehendere nomine Jeremiæ, cujus fuit scriba, ut mox patebit (4). Ad *tertium* respondebo cap. I, 10.

Argumentum libri.

Quæritur, *secundo,* quodnam sit hujus libri argumentum? Respondeo : Caput primum continet epistolam Judæorum in Babylone captivorum, quam ipsi scribunt et mittunt ad Judæos, qui erant Hierosolymis cum pecunia a se collecta, et libro Baruch, qui liber incipit cap. I, 15. Cap. II, Baruch tradit piam orationem usurpandam a Judæis in captivitate, qua confitentes peccata sua, remissionem a Deo impetrent. Cap. III, hortatur captivos, ut ad Deum Deique legem redeant, sicque Deum sibi reconcilient. Cap. IV, inducit Jerusalem quasi matrem, plorantem filiorum captivitatem. Cap. V, consolatur eos spe celeris et læti reditus in patriam. Cap. VI, est epistola Jeremiæ, qua monet Judæos, cum jam abducerentur in Babylonem, quomodo se ibi circa idola gerere debeant.

Jeremias est auctor, Baruch scriba hujus libri.

Nota : Dicitur liber Baruch, vel quod Baruch sit auctor (5), ut volunt Lyranus et Dionysius, vel gogam, cujus auctoritas non minor erat, semper Baruchi prophetias ut ad scripturam sacram pertinentes habuisse, et ex eorum manibus Ecclesiam tum Orientalem, tum Occidentalem ut vere est verbum Dei, accepisse.

(1) Adde inter protestantes, apud quos iste liber excidit e numero sacrorum librorum, Grotium, Ludovicum Capellum, Eichornium, Bertholdtium et de Wette, qui affirmant illum esse fœtum cujusdam Judæi hellenistæ, qui quo majorem auctoritatem suo operi conciliaret, illud sub nomine Baruchi produxit, et nullum itaque libri vere divini signum et characteres præ se ferre.

(2) Liber Baruch insertus fuit in præcipuis Canonibus Ecclesiasticis, præsertim in Canone concilii Laodicensis, quo Ecclesia Græca usa est ad decernendum qui erant libri vere inspirati; et in Canone concilii Carthaginensis, juxta quem Ecclesia Occidentalis libros vere canonicos definivit. Cujus si apertior in isto Canone et in cæteris sacris catalogis mentio desideretur, ratio est quod sub uno eodemque Jeremiæ nomine hujus prophetæ vaticinia et Baruch liber comprehenderentur.

(3) Verum est equidem Palæstinæ Judæos, quibus sanctum fuit quovis libros non hebraice scriptos e canone scripturarum expungere, librum Baruchi exclusisse, sed fatendum est etiam Judæorum hellenistarum syna-

(4) Huic libro eamdem auctoritatem tribuunt ac prophetiis Jeremiæ, sub cujus nomine illum citare solent. Nam licet sub expresso Baruchi nomine opus non semel Patres laudarunt, ut videre est apud Calmetum, *Dissertatio prævia in Baruch,* frequentius tamen sub Jeremiæ; et hodie usque in Ecclesia aliquid legitur Baruchi sub Jeremiæ nomine in officio sabbati Pentecostes, *Proph.* VI,

(5) Verisimilior et magis probata nobis videtur sententia eorum qui existimant ipsum Baruch esse auctorem libri qui nomine suo inscribitur; ipsamque epistolam a captivis in Babylone ad fratres Hierosolymæ agentes, in tabulis exaratam esse ac delatam ab eodem Barucho ne dubitamus quidem, inquit Calmetus; et asse-

potius quod Baruch eum scripserit, uti testatur ipse cap. I, 1, dictante scilicet Jeremia : unde passim Patres citant et vocant hunc librum Jeremiæ : vide eos apud Maldonatum in *Proœm.*, et apud Christophorum a Castro in cap. I, 1. Cum enim Jeremias persuasisset Jechoniæ regi, ut Deo obediens se cum suis traderet Nabuchodonosori, et transmigraret in Babylonem, composuit hunc librum paræneticum et consolatorium, quem tradidit Baruch, ut eum Babylonem deferret ad exsulum consolationem, et spem eorum erigendam : tradidit, inquam, non tam scripto quam verbo; Baruch vero, post obitum Jeremiæ, hunc librum scripsit et publicavit. Nam, vastata Jerusalem, Baruch cum Jeremia a Judæis fugientibus abductus est in Ægyptum, teste Josepho, imo teste Jeremia cap. XLIV; cumque ibi a Judæis lapidatus esset Jeremias, et mox Nabuchodonosor Ægyptum esset vastaturus, Baruch inde secessit in Babylonem, ut Judæos consolaretur, ibique anno 5 a vastata Jerusalem, qui fuit 23 Nabuchodonosoris, scripsit hunc librum, ut patet cap. I, 2. Scriptus est ergo hic liber post excisam Jerusalem, non ante, de quo plura cap. I, 2.

rendum eadem fide censemus, divino illum spiritu afflatum, auctorem epistolæ fuisse, ut fratrum precibus morem gereret, eaque expressisse pios et religiosos sensus, quos in captivis Babyloniæ animadverterat. Præter testimonium et inscriptionem ipsius libri, ea est una ex regulis critices, ut cum authenticitas alicujus libri traditione antiquissima, constanti et universali nitatur, nequaquam rejicienda est, nisi liber præ se vel potius contra se ferat evidentis suppositionis signa. Porro nihil est sane in toto libro Baruchi, ætati moribus Baruchi ac tandem reliquis temporum et eventuum circumstantiis absonum. Omnia contra apprime definita, tempus, locus, nomina propria personarum, etc. Nedum insuper Judæis aduletur ut impostoribus mos est, increpat illos dure et ecrum infidelitatem acrius exprobrat.

Hanc præsertim difficultatem opponit Ludovicus Cappellus, et post eum Eichornius, librum Baruchi nomine inscriptum nonnisi ex excerptis librorum Danielis et Nehemiæ constare; et cum Baruch longe ante Danielem et Nehemiam vixit, inde sequi, illum non esse auctorem libri qui ipsi adjudicatur. — Fatemur multa in Baruchi libro occurrere quæ eisdem fere terminis in Daniele et Nehemia leguntur, sed cum hi similiores loci sunt orationes ad Deum, *primo*, dici potest cum Calmeto et Jahn, « quod istæ orationes simile aliquid cum aliis Danielis et Nehemiæ præ se ferant, id alias ab aliis derivare non probat, communes enim erant orandi formulæ apud Judæos; » *secundo*, quis e contra admissa semel et præsertim probata Baruchi libri authenticitate, non concludat (licet falso contendat Bertholdtius hanc ratiocinandi rationem esse petitionem principii) Danielem et Nehemiam a Barucho verba objecta mutuatos esse; sicque ejus authenticitatem confirmasse. Cæterum agnoscimus Baruchum ipsum plura ex scriptoribus antiquioribus, v. g. Moysis, Isaiæ ipsiusque Jeremiæ usurpasse, nam hæc est agendi ratio scriptorum sive Veteris sive Novi Testamenti, plura mutuari ab iis qui ante vixerunt et sua facere, quod nedum eorum authenticitatem labefactet, e contra eam stabilit et confirmat. Aliis difficultatibus ipse Cornelius in Commentario respondet, et nos ipsi in annotationibus respondebimus.

Quæritur, *tertio*, quis et qualis fuerit Baruch? Respondeo : Fuit nobilis familiæ, ita Josephus X *Antiq.* XI; fratrem enim habuit Saraiam principem : uterque enim fuit filius Neriæ, filii Maasiæ, ut patet cap. LI, *Jerem.* cap. LIX, collato cum cap. I, 1, hic. Rursum Baruch fuit discipulus, assecla et scriba Jeremiæ, ejusque laborum et tribulationum particeps et socius. Quare ex sapientia, patientia, zelo et sanctitate Jeremiæ facile est conjicere, quam sapiens, patiens, zelosus et sanctus fuerit Baruch. Unde Baruch hebraice idem est quod benedictus. *Tertio*, tradunt Hebræi, non tantum Baruch fuisse prophetam, sed et ejus patrem Neriam, avum Maasiam, proavum Sedeciam, abavum Sedei : illos enim nominat, cap. I, 1. Regula enim Hebræorum est, illos omnes fuisse prophetas, quos propheta aliquis initio libri quasi progenitores suos commemorat : quæ an vera sit alibi examinabitur. Putatur hic liber (idque ex ejus historia colligitur) eodem tempore quo liber Tobiæ, esse conscriptus : unde ab aliquibus post illum collocatur.

Baruch fuit nobilis.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hoc caput est epistola Judæorum in Babylone captivorum ad suos contribules in Jerusalem, qua significant se lecto libro Baruch compunctos, petere ut orent, et sacrificent tam pro se, quam pro Nabuchodonosor et Balsasar, simulque mittunt eis librum ipsum a Baruch in Babylone conscriptum, ut eum legant, et pariter compungantur. Incipit vero hic liber vers. 15 (1).

1. Et hæc verba libri, quæ scripsit Baruch filius Neriæ, filii Maasiæ, filii Sedeciæ, filii Sedei, filii Helciæ, in Babylonia, 2. in anno quinto, in septimo die mensis, in tempore quo ceperunt Chaldæi Jerusalem, et succenderunt eam igni. 3. Et legit Baruch verba libri hujus ad aures Jechoniæ filii Joakim regis Juda, et ad aures universi populi venientis ad librum, 4. et ad aures potentium filiorum regum, et ad aures presbyterorum, et ad aures populi, a minimo usque ad maximum eorum omnium habitantium in Babylonia, ad flumen Sodi. 5. Qui audientes plorabant, et jejunabant, et orabant in conspectu Domini, 6. et collegerunt pecuniam secundum quod potuit uniuscujusque manus, 7. et miserunt in Jerusalem ad Joakim filium Helciæ filii Salom sacerdotem, et ad sacerdotes, et ad omnem populum, qui inventi sunt cum eo in Jerusalem : 8. cum acciperet vasa templi Domini, quæ ablata fuerant de templo, revocare in terram Juda decima die mensis Sivan, vasa argentea, quæ fecit Sedecias filius Josiæ rex Juda, 9. posteaquam cepisset Nabuchodonosor rex Babylonis Jechoniam, et principes, et cunctos potentes, et populum terræ, ab Jerusalem, et duxit eos vinctos in Babylonem. 10. Et dixerunt : Ecce misimus ad vos pecunias, de quibus emite holocautomata, et thus, et facite manna, et offerte pro peccato ad aram Domini Dei nostri : 11. et orate pro vita Nabuchodonosor regis Babylonis, et pro vita Balthasar filii ejus, ut sint dies eorum sicut dies cœli super terram : 12. et ut det Dominus virtutem nobis, et illuminet oculos nostros, ut vivamus sub umbra Nabuchodonosor regis Babylonis, et sub umbra Balthasar filii ejus, et serviamus eis multis diebus, et inveniamus gratiam in conspectu eorum. 13. Et pro nobis ipsis orate Dominum Deum nostrum : quia peccavimus Domino Deo nostro, et non est aversus furor ejus a nobis usque in hunc diem. 14. Et legite librum istum, quem misimus ad vos recitari in templo Domini, in die solemni, et in die opportuno. 15. Et dicetis : Domino Deo nostro justitia, nobis autem confusio faciei nostræ ; sicut est dies hæc omni Juda, et habitantibus in Jerusalem, 16. regibus nostris, et principibus nostris, et sacerdotibus nostris, et pro-

(1) In hoc Baruchi libello distingui possunt *Procemium* et *Argumentum*, quod sequitur Epistola Jeremiæ ; PRIMO, in *Procemio* datur notitia *primo*, de auctore, cujus genealogia et locus scriptionis notatur ; *secundo*, de tempore, quod incidit in annum quintum captivitatis Babylonicæ, 2 ; *tertio*, de usu scripti, quod fuit prælectum Babylone, captivis omnium ordinum Judæis præsentibus, 3, 4 ; *quarto*, de effectu lectionem secuto, scilicet, universali auditorum comploratione, jejunio et oratione, 5 ; collatione pecuniæ deferendæ ad superstites in Jerusalem, 6, 7 ; additione vasorum argenteorum pro sacro usu, in defectu aureorum ablatorum, vers. 8, 9 ; *quinto*, de consilio mittentium pecunias et libellum, 10, 14.

SECUNDO, *Argumentum* constat ex formula orationis præscripta, I, 15-22 ; II, 1-35 ; III, 1-8 ; ex commendatione veræ sapientiæ, III, 9-38 ; IV, 1-9 ; et ex parænesi ad capiendam fiduciam, IV, 10-37 ; V, 1-9. Porro formula orationis præscripta continet, *primo*, confessionem peccatorum a Judæis tum Moysis tempore, tum postea commissorum, 15-22 ; *secundo*, terribilem, sed justam, a Deo vindictam de populo nec emendato, nec veniam precato sumptam, cap. II, 1-16 ; *tertio*, imprecationem divinæ misericordiæ, cum adjunctis jam confessione, jam deprecatione, jam obtestatione, 11-26 ; *quarto*, commemorationem factarum a Prophetis et Moyse minacium exhortationum ; continuatæ autem a populo obdurationis ; et hinc immissarum a Deo pœnarum, 21-29 ; *quinto*, prædictionem futuræ in captivitate pœnitentiæ, et hanc secuturæ liberationis ac restitutionis, 30-35 ; *sexto*, repetitionem confessionis, deprecationis, obtestationis et supplicationis, cap. III, 1-8.

phetis nostris, et patribus nostris. 17. Peccavimus ante Dominum Deum nostrum, et non credidimus, diffidentes in eum : 18. et non fuimus subjectibiles illi, et non audivimus vocem Domini Dei nostri, ut ambularemus in mandatis ejus, quæ dedit nobis. 19. A die, qua eduxit patres nostros de terra Ægypti, usque ad diem hanc, eramus incredibiles ad Dominum Deum nostrum : et dissipati recessimus, ne audiremus vocem ipsius. 20. Et adhæserunt nobis multa mala, et maledictiones, quæ constituit Dominus Moysi servo suo : qui eduxit patres nostros de terra Ægypti, dare nobis terram fluentem lac et mel, sicut hodierna die. 21. Et non audivimus vocem Domini Dei nostri secundum omnia verba prophetarum, quos misit ad nos : 22. et abivimus unusquisque in sensum cordis nostri maligni, operari diis alienis, facientes mala ante oculos Domini Dei nostri.

1. ET HÆC VERBA. — Vocula *et* respondet Hebræo *vau*, quod non semper est copulativum, seb subinde inchoativum : unde a *vau*, id est ab *et*, inchoatur liber *Ezech.*, liber I *Machab.*, libri II *Esdræ*, et alii : quanquam Maldonatus putat voculam *et* copulare librum cum ejus titulo, qui est *Prophetia Baruch.*

2. IN ANNO QUINTO, IN SEPTIMO DIE MENSIS (primi Nisan), IN TEMPORE (id est a tempore : sic enim Hebræum *beth*, id est *in*, sæpe capitur pro מן *min*, id est *a*) QUO CEPERUNT CHALDÆI JERUSALEM, ET SUCCENDERUNT EAM. — Quia enim hoc excidium fuit famosissimum, hinc ab eo cœperunt Judæi numerare annos, et in eo novam constituerunt æram chronologicam, sicut jam suam æram consignant in excidio Hierosolymæ per Titum, indeque numerant suos annos. Ita Theodoretus, Hugo, Lyranus, Torniellus et alii. Aliter hæc nectunt et explicant Vatablus et a Castro, sic : « In septimo die mensis, » scilicet illius, « in tempore, » id est quo tempore « ceperunt Chaldæi Jerusalem, » hoc est in tempore mensis quinti, *q. d.* Eodem die et mense quo capta est Jerusalem (sed alio anno, puta 5 posteriore), scripsit Baruch hunc librum, ut ex hac commemoratione et circumstantia temporis, populum vehementius promoveret ad commiserationem et lamenta. Hic sensus non est incongruus; prior tamen videtur solidior, illeque per secundum excludi non debet : nam τὸ *in anno quinto*, pendet a τῷ *in tempore quo ceperunt Chaldæi Jerusalem*; unde enim alias hunc annum 5 inchoabimus et numerabimus? plane ergo vult dicere Baruch se hunc librum scripsisse anno 5 capta et succensa Jerusalem (1).

Unde patet eum hæc scripsisse non ante, sed post eversam Jerusalem : negat hoc Maldonatus, qui τὸ *in tempore* generaliter accipit, *q. d.* Illa tempestate, illo sæculo vel lustro, quo capta est Jerusalem, ut nomen καιρὸς, non ad punctum, sed ad totum captivitatis tempus referatur, *q. d.* Anno quinto captivitatis, numerando et inchoando eam ex eo tempore, quo Jechonias Babylonem ductus est : eo enim tempore cœpit captivitas. Itaque 5 anno postquam Jechonias captus est, et sex annis antequam urbs et templum everterentur, Baruch hunc librum scripsit, et in Babylone captivis legit. Probat id Maldonatus ex eo quod tunc adhuc steterit altare, ut patet cap. I, 10; ergo et templum. *Secundo*, ex eo quod Jechoniæ hic liber lectus sit, non Sedeciæ, cui pariter legendus fuisset, si post urbis excidium et Sedeciæ captivitatem hæc scripta essent.

Verum prior sententia planior et verior est, eamque satis in sequentibus insinuat Baruch, ut cum ait cap. II, 2 et 3 : « Facta sunt in Jerusalem mala, quæ non sunt facta sub cœlo, ut manducaret homo carnes filii sui, et carnes filiæ suæ. » Hoc enim contigit in obsidione et excidio Jerusalem, non ante. Rursum vers. 26, luget excidium templi : illud autem simul cum urbe eversum est.

Ad *primum* respondeo, post excidium fuisse altare, non templum, de quo plura vers. 10. Ad *secundum*, Jechoniæ hæc lecta sunt, non Sedeciæ : quia Sedecias Chaldæis rebellaverat, ideoque captus et excæcatus detrusus erat in carcerem, sine ulla spe reditus aut regni; Jechonias vero, quia se Chaldæis dediderat, eis charus erat : unde Evilmerodach eum in solium extulit. In Jechonia ergo sitæ erant spes Judæorum, nec frustra : nam Zorobabel, nepos Jechoniæ, Judæos ex Babylone in Judæam reduxit.

3. AD AURES JECHONIÆ, etc., ET POPULI VENIENTIS AD LIBRUM, — qui ad librum hunc audiendum concurrebat. Nota : Licet Jechonias esset captus in Babylone, tamen quia sponte se tradiderat Nabuchodonosori; hinc ipse permisit eum agere in libera custodia, uti principibus captivis fieri solet, ex qua posset subinde egredi ad certos usque terminos, præsertim comitatus militibus eum custodientibus. Agebatur enim jam annus captivitatis 16; sensim ergo major ei data est libertas, uti et reliquis Judæis, qui proinde hic vers. 4, dicuntur habitasse in Babylonia, ad flumen Sodi (2).

(1) Vide Respons. ad Calmetum hunc sententiam impugnantem, in Biblia de Vence, *Préface sur Baruch.*

(2) Vox Sodi (hebraice זד *zad*, superbus) hic significat Euphraten sic vocatum propter intumescentes fluctus; et propter eamdem rationem regio quæ in vicinia Koufa super Euphraten circumjacet, vocatur Souwad. (D'Allioli.)

Dices : IV *Reg.* XXV, 27, dicitur Jechonias usque ad regnum Evilmerodach fuisse in carcere. Respondeo : Carcer ibi vocatur libera custodia jam dicta; sic Paulus erat in carcere Romæ, de quo tamen ait Lucas *Actor.* XXVIII, 16 : « Permissum est Paulo manere sibimet cum custodiente se milite. » Et vers. 30 : « Mansit autem biennio toto in suo conducto; et suscipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum, prædicans regnum Dei : » « conducto, » scilicet hospitio, puta domo conducta. Exstat etiamnum, mihique ostensa fuit Romæ hæc domus, quæ ab olim conversa est in ecclesiam, vocaturque Diaconia B. Mariæ : sita est in via Lata juxta Collegium nostrum. Locus is erat amplissimus ac celeberrimo urbis loco : talem enim quærebat Paulus non pro se, sed pro Luca aliisque suis comitibus (quos plures habebat; nec enim unus ipse sufficiebat ad tot millia hominum convertendum, imo alloquendum), proque Romanis, ut scilicet inter eos magis fidem Christi dispergere, omnibusque Evangelium prædicare posset, uti docet S. Hieronymus, *in epist. ad Philem.* vers. 22.

4. FILIORUM REGUM. — Ita vocantur principes sanguinis regii cum Jechonia capti, *Daniel.* I, 3.

6. UNIUSCUJUSQUE MANUS, — *q. d.* Pro cujusque facultate.

7. ET MISERUNT IN JERUSALEM AD JOAKIM. — Conjicit Torniellus hunc Joakim eumdem esse Eliacim, de quo Isaias cap. XXII, 20 et seq. Uterque enim fuit filius Helciæ, et hebraice Joakim idem est quod Eliacim, ut patet *Judith* IV, 5, collato cum *Judith* XV, 9, et quia Isaias facit mentionem quorumdam vasorum quæ videntur esse illa, quæ hic dicuntur transmissa ad Joakim (1). Addit Torniellus hunc Joakim fuisse patrem vel patruum Saraiæ. Helcias enim genuit Azariam, Azarias Saraiam, qui cum Josedec filio suo a Chaldæis ductus est captivus, IV *Reg.* cap. ult. 18. Cum ergo reliqui abducerentur in Babylonem, videtur hic Joakim præ senio relictus in Jerusalem cum Godolia, et eadem de causa post necem Godoliæ, non potuisse fugere cum reliquis in Ægyptum, sed cum aliis paucis mansisse in Jerusalem. Quidquid sit, satis constat Joakim fuisse principem sacerdotum qui remanserant in Jerusalem : ideo enim ad eum pecunia hic mittitur.

AD SACERDOTES, ET AD OMNEM POPULUM, — scilicet ad paucos tum sacerdotes, tum laicos, qui remanserant in Jerusalem, aut ex vicinis gentibus ad quas profugerant, vel ex Ægypto (metuentes ejus cladem a Jeremia prædictam) in Jerusalem redierant. Ita Lyranus.

8. CUM ACCIPERET, — scilicet Joakim sacerdos, ait Maldonatus, qui cum Sedecia Babylone rediens ibi accepit vasa quæ de templo sublata fuerant, reportanda in Jerusalem : non quidem eadem, neque aurea (hæc enim abstulerat, sibique servabat Nabuchodonosor et Balsasar, *Daniel.* V, 2), sed argentea, quæ vice eorum in Babylone fieri curarat Sedecias. Verum hæc vasa sunt missa ad Joakim in Jerusalem, ut hic dicitur : non ergo ea in Babylone accipere potuit Joakim; dico ergo, « cum acciperet, » scilicet Baruch ipse, de quo vers. 1 et 3. Baruch enim hæc omnia dirigebat nomine populi : unde ipse hæc vasa templi quæ ditiores Judæi a Chaldæis pretio redemerant, remisit in Jerusalem. Ita Vatablus.

REVOCARE, — ad revocandum et restituendum ea, sive ut revocarentur et restituerentur hæc vasa in Jerusalem.

DECIMA DIE MENSIS SIVAN. — *Sivan* respondet nostro maio.

9. POSTEAQUAM CEPISSET. — Refer hæc verba ad proxime præcedentia, « vasa argentea quæ fecit Sedecias, » *q. d.* Baruch remisit in Jerusalem vasa argentea quæ fecit Sedecias, pro aureis quæ abstulerant Chaldæi : fecit, inquam, initio regni sui, cum scilicet post captum et abductum Jechoniam a Nabuchodonosore creatus est rex. Vers. 9.

10. ET DIXERUNT, — scilicet Jechonias, principes, seniores, et populus Judæorum in Babylone captivus, « dixerunt, » id est scripserunt ea quæ sequuntur ad suos contribules in Jerusalem. Græce est εἶπεν, id est *dixit* hoc est scripsit, scilicet Baruch nomine omnium Judæorum in Babylone captivorum. Vers. 10.

FACITE MANNA. — Nota « manna » non sumi hic pro manna quod pluit in deserto, nec pro manna medico, sed esse vocem Hebræam et Chaldæam. Hebraice enim מן *man*, et Chaldaice מנא *manna*, idem est quod pars, donum, oblatio. *Secundo* et verius, *manna* idem est quod מנחה *mincha*, id est oblatio proprie dicta (2). Septuaginta enim pro *mincha*, vertunt subinde et scribunt *manaa*, vel *manna*, ut patet *Jerem.* XVII, 26, et *Daniel.* II, 46; vide ibi dicta. Noster ergo secutus Septuaginta, pro *mincha* vertit *manna*. Ita S. Hieronymus, vel potius Rabanus in cap. XVII *Jeremiæ*, Vatablus, Maldonatus et alii. Jam sensus est, *q. d.* Ex holocaustis et thure jam dicto facite oblationem Deo. Thus enim quod holocaustis semper superponebant, significat ea offerri Deo, qui est in cœlis sursum. *Manna* idem quod *mincha*.

OFFERTE (hostias) PRO PECCATO. — Hæ enim he-

Alii hanc vocem derivatam dicunt a verbo צד *tsad*, id est *vastare*.

(1) Difficile est admittere cum Calmeto, istum Joakim esse eumdem quem in historia Judith sub Manasse summi sacerdotis munia implere vidimus, et quem etiam ad Rabsacen tempore Sennacheribi expeditionis missum legimus, 125 annis ante quintum Sedeciæ annum, et qui tunc non minus 140 annos natus fuisset. A fortiori si, ut probatur, non quinto Sedeciæ, sed quinto a capta et incensa Jerusalem anno, librum Baruchi scriptum esse dicimus. Aliunde iste Joakim non summus sacerdos, sed unus ex sacerdotibus dicitur.

(2) Hæc est inter alias, una ex rationibus quæ probant exemplar hujus libri hebraicum olim exstitisse, et ex eo versionem græcam factam fuisse, uti ex frequentibus hebraismis intelligendum datur. Vide infra vers. 14

braice vocantur חטאת *chatta*, græce ἁμαρτίαι, id est *peccata*, per metonymiam, ut dixi *Levit.* IV.

AD ARAM DOMINI DEI NOSTRI.—Licet enim a Chaldæis jam exustum esset templum, et altare eversum, tamen Judæi in ruinis templi erexerunt altare levi opere, ut haberent suæ religionis publicum exercitium, in quo sacrificabant: perinde ac habuerunt altare, antequam ædificatum esset templum et tabernaculum, in quo sacrificabant, ut patet *Exodi* XXIV, 4. Ita Lyranus. Id ita esse satis colligitur ex *Jerem.* XLI, 5, ut ibi dixi.

Quod ergo dicitur *Daniel.* III, 38: « Non est in tempore hoc, etc., holocaustum, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum, » intellige publicus et solemnis, qualis erat in templo.

Dices: I *Esdræ* III, 3, dicitur Esdras post reditum e Babylone, sub Artaxerxe ædificasse Hierosolymis altare; ergo antea nullum erat. Respondeo negando consequentiam: nam antea erat altare, sed vile, subitaneum et nullius pretii; Esdras vero potestate a rege accepta, convocatis undique Judæis, amplum et splendidum magna cum solemnitate erexit.

Vers. 11. 11. ORATE PRO VITA NABUCHODONOSOR.—Nota hic insignem pietatem Judæorum captivorum, qui pro impio tyranno et eversore regni Judaici jubent Deum precari, illique offerri sacrificia. Id illis mandaverat Deus *Jerem.* XXIX, 7: « Quærite, inquit, pacem civitatis, ad quam transmigrare vos feci: et orate pro ea ad Dominum; quia in pace illius erit pax vobis. » Statuerat enim Deus illos in Babylone ad 70 annos pro sui expiatione relinquere, ut ibi subessent et servirent Chaldæis. Hinc S. Paulus jubet orari pro regibus et principibus, qui tunc erant ethnici, I *Timoth.* II, 1 et 2; causas ibi recensui. Idem fecerunt primis Ecclesiæ sæculis christiani, ut patet ex Tertulliano in *Apologet.*

ET PRO VITA BALTHASAR.—Balsasar hic recensetur quasi primogenitus Nabuchodonosoris, eique in regno successurus. Ergo hic Balsasar vel fuit frater senior Evilmerodach, qui præmature ante patrem moriens, fratrem Evilmerodach regni hæredem reliquit; vel potius hic Balsasar idem fuit cum Evilmerodach, quem IV *Reg.* cap. ult. 27, constat Nabuchodonosori in regno successisse; ita ut ipse fuerit binomius, dictusque sit tam Balsasar quam Evilmerodach, qui fuit ultimus rex Chaldæorum, sub quo capta est Babylon. Vide dicta *Daniel.* V, 1, et *Jerem.* XXVII, 7.

SICUT DIES COELI, — id est, sint dies eorum æterni et longævi, ut vivant quamdiu cœlum durabit. *Secundo*, sint tranquilli, constantes et felicissimi, sicut vita cœlicolarum tranquilla est, constans et felicissima. Est hyperbole. Sic ait Seneca: « Lucida dum current annosi sidera mundi. » Sic dicitur de Salomone, *Psal.* LXXXVIII, 30: « Et ponam in sæculum sæculi semen ejus: et thronum ejus sicut dies cœli, » *q. d.* Vivat et regnet Salomon diutissime, adeoque si fieri posset, optaremus ei regnum semper durans et perpetuum, sicut cœli perpetuo durant, idque constanter in eodem semper tenore, modo et ordine; cum elementa et elementaria quotidie mutentur, nascantur, crescant, senescant, oriantur, occidant. Sic Seneca in *Hercule Œtæo* canit:

> Nulla te terris rapiet vetustas:
> Tu comes Phœbo, comes ibis astris.

12. DET DOMINUS VIRTUTEM (græce ἰσχύν, id est *fortitudinem robur*) NOBIS,— ad tolerandas ærumnas captivitatis.

ET ILLUMINET OCULOS NOSTROS, — non ad cognoscenda peccata, ut vult Theodoretus, sed ut luce, id est prosperitate et lætitia, perfundat nos. Lux enim symbolum est et causa prosperitatis et lætitiæ, sicut tenebræ adversitatis et tristitiæ. Sic ait Job cap. XVII, vers. 12: « Post tenebras spero lucem. » Et Jeremias, *Thren.* III, 2: « Me adduxit in tenebras, et non in lucem. » *Secundo*, « illuminet oculos nostros, » ut scilicet videamus quæ nobis agenda, quæ fugienda sint, quomodo caute et religiose inter barbaros vivere, quomodo prudenter et decenter cum Chaldæis agere debeamus. Illuminare oculos, quid?

SUB UMBRA, — sub tutela et præsidio, ac benevolentia et gratia Nabuchodonosoris: optant enim regis favorem, ut Deus eum illis reddat benevolum: inde enim omnis eorum felicitas et prosperitas pendebat.

SERVIAMUS EIS, — potius quam aliis crudelioribus et impientioribus regibus: alioqui enim absolute optabant ab eorum, æque ac ab aliorum servitute et dominatu liberari.

14. IN DIE OPPORTUNO. — Græce, καὶ ἐν ἡμέραις καιροῦ, *et in diebus temporis*, quod Hebræi dicunt בימי מועד *bime moed*, id est in diebus solemnibus, quibus convenit et congregatur populus.

15. DOMINO DEO NOSTRO JUSTITIA. — Hinc incipit liber, id est scriptura, Jeremiæ sive Baruch; porro inchoat a prece, quæ durat ab hoc versu per totum caput secundum, usque ad vers. 8 cap. III, in qua *primo*, humiliter confitetur peccata populi, eumque juste captivitate puniri. Deinde obsecrat et multis rationibus Deum impellit ad misericordiam. Sumpsit hinc orationem suam Daniel, cap. IX, 19.

DEO NOSTRO JUSTITIA, — scilicet adscribatur et tribuatur, *q. d.* « Omnia quæ fecisti nobis, in vero judicio fecisti, » *Daniel.* III, 31. Idem ait Daniel, cap. IX, vers. 7: « Tibi, Domine, justitia: nobis autem confusio faciei, » *q. d.* Tu, Domine, dignus es justitiæ et justæ scelerum vindictæ laude; nos ignominia: quia juste, utpote rei, a te plectimur.

SICUT EST DIES HÆC, — id est usque ad hodiernum diem.

16. PROPHETIS NOSTRIS, — non tantum falsis, sed et veris, scilicet Ezechieli, Danieli, Baruch, justis et innocentibus accedit confusio et probrum cap-

tivitatis, non ob sua, sed ob communia peccata populi, cujus ipsi erant pars; idque factum est ad bonum populi, ut scilicet eum in captivitate docerent et consolarentur. Ita Hugo et Lyranus.

17. PECCAVIMUS. — Græce ὧν ἡμάρτημεν, id est *eorum quæ peccavimus*, *q. d.* Peccatorum nostrorum confusio (eo enim hæc pertinent) faciem nostram tegit et obruit, hoc est, pudenda hac et ignominiosa captivitate punimur, ita ut toti mundo probrum simus, et coram omnibus gentibus confundamur et erubescamus, quia peccavimus Domino. Ita Vatablus, Maldonatus et alii. Præclare S. Augustinus in *Sententiis*, sent. 72 : « Rectus, ait, est et bene invocat Deum, qui in omnibus malis quæ patitur, se accusat, non Deum ; et in bonis quæ facit, non se laudat, sed Deum. Sicut enim Deus repellit peccata sua defendentem, sic recipit confitentem. » Et *Sentent.* 83 : « Vera fidelium humilitas est, in nullo superbire, in nullo murmurare, nec ingratum esse, nec querulum; sed in omnibus Dei judiciis gratias Deo agere, Deumque laudare, cujus omnia opera aut justa sunt aut benigna. » Et *Sentent.* 88 : « Non acceditur ad altitudinem Dei, nisi per humilitatem; cui propinquat subditus, longe ab eo recedit elatus. » Et *Sent.* 118 : « Melior est in malis factis humilis confessio, quam in bonis superba gloriatio. »

DIFFIDENTES IN EUM, — quod vel nollet, vel non posset nos liberare a Chaldæis. Unde relicto Deo confugimus ad opem Ægyptiorum, ideoque deseruit nos Deus, tradiditque Chaldæis.

18. ET NON FUIMUS SUBJECTIBILES ILLI. — Non fuimus illi subjecti; vel proprie « subjectibiles, » est id prompti et parati ut ei in omnibus subjiceremur. Cætera vide *Daniel.* IX, 10.

19. INCREDIBILES. — ἀπειθοῦντες, id est *increduli*, rebelles, contumaces.

DISSIPATI (dispersi per varia idola et peccata RECESSIMUS, NE AUDIREMUS VOCEM IPSIUS. — Græce est, ἰσχνδιάζομεν, id est *leves fuimus*, ex tempore, tumultuarie, improvide, leviter egimus ut pueri, qui ad muscæ volatum cum capite cor mutant; ita minima occasio nos distraxit, « ne audiremus vocem Domini. » Theodotion vertit, ἐπινοοῦμεν, id est *excogitabamus*, scilicet alia et alia peccatorum genera.

Nota τὸ *recessimus*. Nam, ut ait S. Augustinus, *Sententia* 63 : « Magna miseria est hominis, cum illo non esse, sine quo non potest esse. In quo est enim, sine dubio sine illo non est; et tamen si ejus non meminit, eumque non intelligit, neque diligit, cum eo non est.

20. ET (id est propterea; respondet enim Hebræo *vau*, quod sæpe non copulativum, sed causale est, significans *ideo*, *propterea*) ADHÆSERUNT NOBIS MULTA MALA. — Nota τὸ *adhæserunt*, *q. d.* Ita tenaciter instar glutini nobis adhærent nostræ calamitates, ut ab iis nos expedire non possimus. Vide *Jerem.* XLII, 16.

QUÆ CONSTITUIT DOMINUS MOYSI, — quæ nobis per Moysen comminatus est *Deut.* XXVII et XXVIII.

SICUT HODIERNA DIE, — supple, cernimus, vel liquido constat. Vide dicta vers. 15.

21. ET (id est *quia* : vide dicta vers. 20) NON AUDIVIMUS VOCEM DOMINI.

22. ET ABIVIMUS UNUSQUISQUE IN SENSUM CORDIS NOSTRI, — secuti sumus sensiculos nostros, sensualitates nostras.

OPERARI (id est sacrificare, aut potius servire) DIIS ALIENIS. — De quo plura capite sequenti, vers. 21 et 22.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

rgit confiteri, quod juste Judæi a Deo puniantur. Deinde, vers. 11, pro eis intercedit, oratque veniam, eo quod ipsi sint populus Dei, cui pœnitenti eam Deus promisit; et quia per hoc celebrabitur Dei nomen, et magnifica clementia ac potentia.

1. Propter quod statuit Dominus Deus noster verbum suum, quod locutus est ad nos, et ad judices nostros, qui judicaverunt Israel, et ad reges nostros, et ad principes nostros, et ad omnem Israel, et Juda : 2. ut adduceret Dominus super nos mala magna, quæ non sunt facta sub cœlo, quemadmodum facta sunt in Jerusalem, secundum quæ scripta sunt in lege Moysi, 3. ut manducaret homo carnes filii sui, et carnes filiæ suæ. 4. Et dedit eos sub manu regum omnium, qui sunt in circuitu nostro, in improperium, et in desolationem in omnibus populis, in quibus nos dispersit Dominus. 5. Et facti sumus subtus, et non supra : quia peccavimus Domino Deo nostro, non obaudiendo voci ipsius. 6. Domino Deo nostro justitia : nobis autem, et patribus nostris confusio faciei, sicut est dies hæc. 7. Quia locutus est Dominus

super nos omnia mala hæc, quæ venerunt super nos : 8. et non sumus oeprecati faciem Domini Dei nostri, ut reverteremur unusquisque nostrum a viis nostris pessimis. 9. Et vigilavit Dominus in malis, et adduxit ea super nos : quia justus est Dominus in omnibus operibus suis, quæ mandavit nobis : 10. et non audivimus vocem ipsius ut iremus in præceptis Domini, quæ dedit ante faciem nostram. 11. Et nunc, Domine Deus Israel, qui eduxisti populum tuum de terra Ægypti in manu valida, et in signis, et in prodigiis, et in virtute tua magna, et in brachio excelso, et fecisti tibi nomen sicut est dies iste : 12. peccavimus, impie egimus, inique gessimus, Domine Deus noster, in omnibus justitiis tuis. 13. Avertatur ira tua a nobis : quia derelicti sumus pauci inter gentes, ubi dispersisti nos. 14. Exaudi, Domine, preces nostras et orationes nostras, et educ nos propter te : et da nobis invenire gratiam ante faciem eorum, qui nos abduxerunt : 15. ut sciat omnis terra quia tu es Dominus Deus noster, et quia nomen tuum invocatum est super Israel, et super genus ipsius. 16. Respice, Domine, de domo sancta tua in nos, et inclina aurem tuam, et exaudi nos. 17. Aperi oculos tuos, et vide : quia non mortui, qui sunt in inferno, quorum spiritus acceptus est a visceribus suis, dabunt honorem et justificationem Domino : 18. sed anima, quæ tristis est super magnitudine mali, et incedit curva, et infirma, et oculi deficientes, et anima esuriens dat tibi gloriam et justitiam Domino. 19. Quia non secundum justitias patrum nostrorum nos fundimus preces, et petimus misericordiam ante conspectum tuum, Domine Deus noster : 20. sed quia misisti iram tuam, et furorem tuum super nos, sicut locutus es in manu puerorum tuorum prophetarum, dicens : 21. Sic dicit Dominus : Inclinate humerum vestrum, et cervicem vestram, et opera facite regi Babylonis : et sedebitis in terra, quam dedi patribus vestris. 22. Quod si non audieritis vocem Domini Dei vestri operari regi Babyloniæ : defectionem vestram faciam de civitatibus Juda, et a foris Jerusalem : 23. et auferam a vobis vocem jucunditatis, et vocem gaudii, et vocem sponsi, et vocem sponsæ, et erit omnis terra sine vestigio ab inhabitantibus eam. 24. Et non audierunt vocem tuam, ut operarentur regi Babylonis : et statuisti verba tua, quæ locutus es in manibus puerorum tuorum prophetarum, ut transferrentur ossa regum nostrorum, et ossa patrum nostrorum de loco suo : 25. et ecce projecta sunt in calore solis, et in gelu noctis : et mortui sunt in doloribus pessimis, in fame et in gladio, et in emissione. 26. Et posuisti templum in quo invocatum est nomen tuum in ipso, sicut hæc dies; propter iniquitatem domus Israel, et domus Juda. 27. Et fecisti in nobis, Domine Deus noster, secundum omnem bonitatem tuam, et secundum omnem miserationem tuam illam magnam : 28. Sicut locutus es in manu pueri tui Moysi, in die qua præcepisti ei scribere legem tuam coram filiis Israel, 29. dicens : Si non audieritis vocem meam, multitudo hæc magna convertetur in minimam inter gentes, quo ego eos dispergam : 30. quia scio quod me non audiet populus, populus est enim dura cervice : et convertetur ad cor suum in terra captivitatis suæ : 31. et scient quia ego sum Dominus Deus eorum, et dabo eis cor, et intelligent; aures, et audient. 32. et laudabunt me in terra captivitatis suæ, et memores erunt nominis mei. 33. Et avertent se a dorso suo duro, et a malignitatibus suis : quia reminiscentur viam patrum suorum qui peccaverunt in me. 34. Et revocabo illos in terram, quam juravi patribus eorum, Abraham, Isaac, et Jacob, et dominabuntur eis : et multiplicabo eos, et non minorabuntur. 35. Et statuam illis testamentum alterum sempiternum, ut sim illis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum : et non movebo amplius populum meum, filios Israel, a terra quam dedi illis.

1. PROPTER QUOD. — Græce καὶ, id est *et*, quod respondet *vau* causali Hebræo; unde recte Noster vertit, « propter quod, » ut dixi cap. I, 20.

STATUIT VERBUM SUUM. — « Statuit, » non est idem quod decrevit, uti explicant Hugo et Lyranus, sed « statuit, » id est stabilivit ipso eventu, et reipsa stare fecit; respondet enim Hebræo הקים *iakem*, id est stare fecit, suscitavit, id est implevit, « verbum suum, » *q. d.* Suscitavit Deus Chaldæos, ut mala quæ per Moysen et Prophetas commina-

tus est, nobis inferrent; fecit ut nobis evenirent clades quas prædixerat. Sic accipitur « statuit » vers. 24, *Isai.* XLIV, 24; *Jerem.* XXVIII, 6 et alibi.

Vers. 2. 2. SECUNDUM QUÆ SCRIPTA SUNT, — *q. d.* Mala quæ nobis inflicta sunt, similia, imo eadem sunt cum iis quæ Moyses scripsit, et comminatus est legis suæ prævaricatoribus, *Deut.* XXVII et XXVIII.

Vers. 3. 3. UT MANDUCARET HOMO CARNES FILII. — Hoc factum esse Hierosolymæ sub Chaldæis patet, *Thren.* II, 20, et cap. IV, 10.

Vers. 4. 4. DEDIT EOS SUB MANU. — Id est in manu et potestate; græce enim est ὑποχειρίους, quasi dicas, *submanuales*, id est subjectos omnibus regibus vicinis: quia Judæi nunc ab Ægyptiis, nunc ab Assyriis, nunc a Chaldæis, nunc a Syris, nunc ab Ammonitis, etc., sub jugum mittebantur.

IN OMNIBUS POPULIS, — inter omnes populos.

Vers. 5. 5. FACTI SUMUS SUBTUS, ET NON SUPRA, — facti sumus subditi et servi, non domini hostium et gentium vicinarum. Alludit ad illud, *Deut.* XXVIII, 12: « Constituet te Dominus in caput, et non in caudam: et eris semper supra, et non subter, si tamen audieris mandata Domini. » Vide ibidem vers. 43.

Vers. 6. 6. SICUT EST DIES HÆC, — sicut hæc dies declarat, et factum esse demonstrat.

Vers. 7. 7. QUIA LOCUTUS EST. — Græca habent ἃ ἐλάλησεν, *quæ locutus*, id est comminatus, *est*.

Vers. 8. 8. UT REVERTEREMUR, — deprecantes eum, ut converteret nos nam sine gratia Dei prævenientе et excitante ne a peccatis resurgere et converti potest. Unde, *Thren.* V, 21, dicitur: « Converte nos, Domine, ad te, et convertemur. »

Vers. 9. 9. VIGILAVIT DOMINUS. — Id est vigilavit nostræ culpæ et punitioni, uti prætor invigilat furibus capiendis et plectendis, *q. d.* Celeriter et citius opinione nostra punivit nos; alludit ad virgam vigilantem, *Jerem.* I, 12.

Vers. 10. 10. NON AUDIVIMUS, — non obedivimus. Hebræi enim verbum simplex usurpant pro composito quo carent.

UT IREMUS (ut ambularemus) IN PRÆCEPTIS DOMINI, QUÆ DEDIT ANTE FACIEM NOSTRAM, — id est quæ nostræ libertati et electioni proposuit, ut ea amplectamur vel respuamus, *Deuter.* XXX, 15.

Vers. 11. 11. ET NUNC, DOMINE. — Incipit hic secunda orationis et deprecationis pars, qua obsecrat Propheta Deum, ut populo suo exciso et capto misereatur, utque Deum ad misericordiam flectat multas rationes affert: *prima* est, quod Judæi sint populus Dei, quem tanto labore et cura eduxit ex Ægypto, *q. d.* Noli, Domine, tuum opus, tuam Ecclesiam perdere; *secunda*, vers. 13, allegat ingentem populi calamitatem et cladem, qua factum est ut ex tot centenis millibus pauci supersint; *tertia*, vers. 14, non propter merita nostra, sed « propter te, » inquit; id est propter infinitam tuam clementiam parce: sic Ecclesia orationes concludit dicens: « Per Christum Dominum nostrum; » *quarta*, vers. 15, « ut omnis terra, » inquit, id est omnes gentes celebrent Dei clementiam, patientiam et paternam providentiam; *quinta*, vers. 17, ne publicus Dei cultus in templo conticescat; *sexta*, vers. 28, quia Deus pœnitentibus veniam promisit; *septima*, vers. 34, ob merita et promissiones factas Abrahæ, Isaaco et Jacobo.

Vers. 12. 12. IN OMNIBUS JUSTITIIS TUIS, — contra omnia præcepta tua. Hæc enim vocantur *justitiæ*, tum quia præscribunt id quod justum est, tum quia observantem justificant. Justitiæ, id est præcepta.

Vers. 15. 15. QUIA NOMEN TUUM INVOCATUM EST SUPER ISRAEL, — id est quia Israel vocatus est nomine Dei, scilicet populus et filii Dei, hoc est ipsius cultui addicti. *Secundo*, *q. d.* Quia Israel nomen tuum, id est te invocat, colit et obsecrat super se, ut scilicet ejus miserearis. Sic dicitur, *Jerem.* VII, 11: « Domus, in qua invocatum est nomen tuum, » id est templum in quo colebaris; qui enim Deum colit, eum invocat.

Vers. 16. 16. RESPICE, DOMINE, DE DOMO SANCTA TUA, — respice nos de cœlo. Ita Lyranus et Dionysius. *Secundo*, *q. d.* Respice nos de templo tuo, vel potius, de templi jam diruti loco: in templo enim et templi loco Deus suam præsentiam, aurem et opem exhibebat. Ita Theodoretus et Hugo. Unde Judæi ad templum conversi orabant, ut patet, *Daniel.* VI, 10. Deus in templo exhibet suam aurem.

Vers. 17. 17. APERI OCULOS. — Significat Deum quasi dormire, aut connivere.

ET VIDE (considera) QUIA NON MORTUI QUI SUNT IN INFERNO, — (id est peccatores, inquit Theodoretus; verum hoc mysticum. *Secundo*, *q. d.* Cadavera mortuorum quæ sunt in sepulcris. Ita Hebræi; verum hoc est arctius et alienius, nec enim sepulcrum est infernus. *Tertio*, *q. d.* Damnati in inferno non laudant Deum. Ita Græci, Hugo, et Delrio, *adagio* 197 *in digresso*; verum hoc quoque arctius est. *Quarto*, Lyranus per *infernum* accipit limbum patrum, ad quem descendebant mortui ante Christum: in hoc enim limbo nulla erat Dei laus, scilicet utilis et meritoria; verum et hoc utrinque arctius est. *Quinto* et optime, per *infernum* accipe omnem locum inferorum ad quem descendebant mortui, sive is sit gehenna, sive purgatorium, sive limbus patrum aut puerorum). Infernus quintuplex.

QUORUM SPIRITUS, etc., (*q. d.* Quorum animus a corpore separatus est) DABUNT HONOREM (græce δόξαν, id est *gloriam*) ET JUSTIFICATIONEM, — quasi dicat: Mortui non celebrabunt, nec prædicabunt gloriam aut justitiam Domini, ut suo ore et laude eum justificent et glorificent. Objiciunt hæretici: Mortui non laudant Deum, ut hic dicitur, et *Psalm.* CXIII, 17, et *Eccli.* cap. XVII, vers. 26; ergo sancti vita functi non sunt invocandi. Respondeo negando consequentiam et antecedens explico: Mortui dicuntur non laudare Deum, non quasi omnino id non faciant, ut volunt hæretici, sed falso et imperite; si enim ipsi putant mortuos non posse laudare Deum, quia nihil sunt, quasi anima eorum cum corpore interierit, sunt athei; Quo sensu mortui non laudant Deum.

si nolle, sunt blasphemi in animas justas et sanctas; et contrarium patet, *Apoc.* v, 14, uti S. Joannes vidit 24 seniores Deum adorantes et glorificantes. Dicuntur ergo mortui non laudare Deum, *primo*, quia qua mortui sunt, non possunt suo corpore, ore et lingua (hæc enim jam mortua, et in pulverem redacta sunt) Deum laudare, et hoc est quod ait Ecclesiasticus, cap. XVII, 26 : « A mortuo quasi nihil, (id est tanquam ab eo qui nihil est) perit confessio, » id est laus Dei; unde explicans subdit : « Confiteberis, vivens, etc., quoniam non est immortalis filius hominis, etc., et omnes homines terra et cinis. » Homo ergo vivus laudat Deum; mortuus vero cum non sit, non potest dici
Secundo. id facere. *Secundo*, mortui non laudant Deum, propter nova beneficia quæ quotidie a Deo recipiunt, dum ab eo a miseriis in quibus sunt, mirabiliter liberantur, sicut accidit viventibus; hoc est quod ait Psaltes, *Psalm.* LXXXVII, 11 : « Numquid mortuis facies mirabilia, aut medici suscitabunt, et confitebuntur tibi? »
Tertio. *Tertio*, mortui non laudant Deum, ea laude qua viventes id faciunt, nec ea laude quæ a viventibus audiatur; unde respectu viventium nulla est eorum laus, uti nec vox aut vita. Hac de causa, et hoc respectu infernus, ad quem olim descendebant omnes mortui, in Scriptura vocatur דומה *duma*, id est *locus silentii*, tenebrarum et oblivionis, quia in eo ipsi a viventibus sunt separati, et nullum cum eis habent commercium, sed videntur eis esse mortui, silentio et oblivioni traditi. Licet ergo in limbo patriarchæ, prophetæ, aliique sancti laudarent Deum, tamen illa laus a viventibus percipi non poterat, sed eis erat abscondita, incognita et quasi
Laus in Scriptura vocatur ea quæ publica est in templo. nulla. Scriptura enim vetus per *laudem Dei*, intelligit externam et perceptibilem, quæ alios ædificet et excitet ad eamdem, qualis est pœnitentium, obsecrantium et implorantium Dei misericordiam, uti erat hæc laus Baruch et Judæorum, quæ proprie vocatur *gloria* vel glorificatio : gloria enim est laus et claritas publica; honor et laus possunt esse privata et secreta. Nam, ut ait Cicero, II *Tuscul.* VI : « Gloria est consentiens laus bonorum, incorrupta vox bene judicantium de excellenti virtute. » Sic vulgo dicimus : « Romana gloria, gloria ævi nostri, » etc. Maxime vero intelligit laudem publicam et solemnem, qualis fiebat in templo, communi levitarum et sacerdotum concentu : in templo enim Deus suam præsentiam exhibebat, ibique Dei laus ad omnes, etiam filios et nepotes subnascentes, propagabatur; unde illustris Dei laus antonomastice hic vocatur *laus*. Porro mortuorum meminit, *q. d.* Nos hic in captivitate et carcere quasi mortui videmur, et brevi moriemur ex ærumnis carceris : hoc enim est quod ait cap. III, 11 : « Coinquinatus es, (o Israel) cum mortuis : deputatus es cum descendentibus in infernum, » et vers. 4 : « Audi orationem mortuorum Israel; » reduc ergo nos, Domine, ad Jerusalem et templum, ut quasi redivivi publico concentu te laudemus, et filios nostros, omnesque videntes ad tui cultum et laudem excitemus.

18. SED ANIMA, QUÆ TRISTIS EST (Describit formam exsulis et captivi, *q. d.* Anima quæ affligitur in captivitate et exsilio) MAGNITUDINE MALI (et ærumnarum, ideoque gemens et pœnitens) INCEDIT CURVA ET INFIRMA (atque pro ope et liberatione recurrit ad Deum, ejusque misericordiam implorat) ET OCULI DEFICIENTES (præ fame, debilitate et lacrymis : sic dicitur, *Psalm.* LXVIII, 4 : « Defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum; » et *Psalm.* CXVIII, 123 : « Oculi mei defecerunt in salutare tuum;) » ET ANIMA ESURIENS (id est totus homo jejunio exhaustus, fame et esurie deficiens, panemque et reliqua a Deo petens et mendicans) DAT TIBI GLORIAM, — quod tu solus possis et velis ei succurrere : « Oculi enim omnium in te sperant, quia tu das escam illorum in tempore opportuno, et imples omne animal benedictione. »

ET JUSTITIAM, — quia confitetur se ob gulam, aliaque peccata juste a te fame et ærumnis captivitatis puniri, atque pœnitens sperat a te pasci et recreari, quia credit et profitetur te justum et fidelem esse in promissis, quibus pœnitentibus teque invocantibus alimoniam, omnemque opem necessariam promisisti. Aliqui, ut Valentia Noster tract. *De Pœnitent.*, disp. 7, *Quæst.* II, puncto 1, non male sic exponunt, « dat justitiam, » id est reddit compensationem pro offe:a, qualem qualem potest. Pœnitentia enim e quasi quædam justitia, licet non rigida, sed ta qualis esse potest inter Creatorem et creatura.

SUPER MAGNITUDINE MALI, ET INCEDIT CURVA. — Ita Romana. Aliter jam habent Græca, scilicet ἡ ψυχὴ ἡ λυπουμένη ἐπὶ τὸ μέγεθος ὃ βαδίζει κυπτόν καὶ ἀσθενοῦν; quod primo Vatablus sic vertit et explicat, *anima mœsta super magnitudine quæ declinans et labascens abit*, id est anima mœsta super magnificentia et decore Israelis, qui declinat et perit. *Secundo*, melius a Castro sic : *Anima tristis super* magnitudine, scilicet corporis, *quod* scilicet corpus alioqui magnum, robustum et erectum, propter ærumnas captivitatis et exsilii *curvum incedit et infirmum*. Huc pertinet explicatio Maldonati quæ talis est : *Anima quæ affligitur propter magnitudinem quæ* (magnitudo) *incurva et infirma vadit*, id est anima mole corporis labascente curvatur et infirma deprimitur, juxta illud, *Sapient.* IX, 15 : « Corpus quod corrumpitur, aggravat animam. » Alii denique putant in Græco esse errorem, sicque corrigendum esse : ἡ βαδίζει κύπτουσα καὶ ἀσθενοῦσα. Ita enim habet Latina editio, unde Noster in Græco ita legisse videtur.

19. NON SECUNDUM JUSTITIAS. — Id est non propter justitias, non præfidentes justitiis patrum nostrorum. Græcum enim ἐπὶ, quod Noster vertit « secundum, » capitur pro Hebræo על *al* (id est *super*, *propter*), quod est in eadem hac oratione apud *Daniel.* cap. IX, 18. Vers. 19.

FUNDIMUS PRECES. — Græce est, ἔλεον, id est *fun-*

dimus miserationem vel miserabilitatem nostram, id est miserabiles nostros gemitus et preces; hoc enim est hebræum תחנונינו *tachanunenu*, quod est apud Danielem.

s. 20. 20. SED QUIA MISISTI, — *q. d.* Fundimus preces, quia ærumnis tuis urgemur et cogimur ad te recurrere.

IN MANU PUERORUM, — per pueros, manus enim Hebræis significat instrumentum et causam instrumentalem.

Vers. 21. 21. OPERA FACITE. — Ἐργάσασθε, id est *servite* : servorum enim est operari pro hero, et hoc respondet hebræo עבד *abad*, quod est apud Jeremiam. Ita Vatablus et Maldonatus.

Vers. 22. 22. DEFECTIONEM VESTRAM FACIAM, — faciam vos deficere, et expelli ab urbibus Juda. Unde sequitur :

Vers. 23. 23. ERIT TERRA SINE VESTIGIO AB INHABITANTIBUS EAM, — id est terra tota deserta erit ab habitatoribus et vestigiis transeuntium : græce est, « terra erit » εἰς ἄβατον, id est *in invium* : Jeremias, cap. VII, 34, (quod aliudit hic Baruch) habet, « in desolationem. » Græca Romana jam pro ἐκλίψιν, id est *defectionem*, habent ἐκλίψειν ποιήσω, id est *deficere faciam de urbibus Juda vocem sponsi et sponsæ* : quæ lectio clara est, et plane ex præcedentibus fluit.

A FORIS JERUSALEM. — Ita vocat suburbana Hierosolymæ, vicosque et civitates ei subjectas.

Vers. 24. 24. ET STATUISTI. — Id est idcirco fecisti, ut reipsa nobis evenirent mala quæ minatus eras per prophetas. Vide dicta vers. 1.

UT TRANSFERRENTUR. — Id est, ait Maldonatus, ut non sepelirentur in sepulcris patrum suorum, sed in terra aliena morerentur, ut sit metalepsis ; per translationem enim sepulturæ intelligit translationem mortis, et consequenter ipsorum morientium, puta translationem ipsorum viventium in Babylonem. *Secundo* et planius, « ut transferrentur, » id est ut effoderentur, et effossa projicerentur huc illuc sub dio; hoc enim fecisse Chaldæos, ut thesauros e sepulcris Judæorum eruerent, dixi *Jerem.* VIII, 1 et 2.

Vers. 25. 25. IN DOLORIBUS PESSIMIS — ἐν πόνοις πονηροῖς, id est *in laboribus laboriosis et malignis*, puta acerbæ captivitatis.

IN EMISSIONE, — in exsilio, in dispersione. Ita Theodoretus.

Vers. 26. 26. POSUISTI, — id est redegisti templum ad eum statum quo hodie conspicitur, scilicet ut sit combustum et desolatum. Unde Græca habent, *non est templum tuum.*

IN QUO INVOCATUM EST NOMEN TUUM, — quod vocabatur templum Dei.

IN IPSO. — Hæc verba redundant, est enim hebraismus.

27. SECUNDUM OMNEM BONITATEM TUAM. — Græce est, ἐπιείκειαν, *q. d.* « Punivisti nos benigne et remisse. » Est enim *epiikia* quædam juris remissio, indulgentia et benignitas. Hoc est quod ait Jeremias, *Thren.* III, 22 : « Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti. » Aliter quoque explicat Maldonatus : Ipsam, inquit, punitionem vocat *benignitatem Dei*, quia per eam factum est ut populus peccata sua recognosceret, et Dei misericordiam imploraret, uti significatur versibus 31, 32, 33. Verum priorem sensum exposcit græcum ἐπιείκεια. Vers. 27. Epiikia est juris remissio.

28. CORAM FILIIS ISRAEL, — proponendo eam filiis Israel, ut eam libere acceptarent vel respuerent. Vide dicta vers. 10. Vers. 28.

29. MULTITUDO HÆC MAGNA. — Græce ἡ βόμβησις ἡ μεγάλη, id est *turba hæc magna*, et quasi examen apum, quod bombare vel bombulare dicitur ob sonum quem edit. Est onomatopœia, *q. d.* Judæi fuerunt quasi alveare plenissimum, non apibus, sed hominibus; nunc inane sunt et vacuum, ita ut pauci supersint ex tanto numero. Vers. 29.

30. QUIA SCIO QUOD ME NON AUDIET POPULUS. — Citat non verba, sed sensum Deuteronomii cap. XXXI, 29. Vers. 30.

POPULUS EST ENIM DURA CERVICE. — A Castro insignem hic dat regulam : Vis, inquit, scire quanta sit tua superbia et culpa? vide quanta flagella morborum, ignominiæ, paupertatis, tentationum, adversitatum illi curandæ adhibeat Deus, qui scientissimus morborum animæ est medicus. Superbiam tuam ex adversitate, qua ei medetur Deus.

ET CONVERTETUR AD COR SUUM, — resipiscet : vexatio enim dabit illi intellectum, *Isai.* XXVIII, 19. Citat Levit. cap. XXVI, vers. 39, 40, 41.

31. ET DABO EIS COR — novum. Citat non verba, sed sensum Deuter. XXX, 6. Vers. 31.

33. AVERTENT SE A DORSO SUO DURO, — a sua contumacia et morum duritie : hujus enim symbolum est durum dorsum, æque ac cervix. Vers. 33.

35. ET STATUAM. — Hæc ex Jeremia sumpta sunt cap. XXXI, 31. Vide ibi dicta. Vers. 35.

TESTAMENTUM ALTERUM SEMPITERNUM, — id est diuturnum : vel « sempiternum, » scilicet ut quiete possideant Judæam sub hac conditione, si videlicet, et quamdiu leges meas servabunt, inquit Dionysius. *Secundo*, melius et plenius, testamentum hoc sempiternum est novum, quod nobiscum iniit Christus : nam cum captivis redeuntibus e Babylone alterum novumque fœdus Deum iniisse non legimus; et, si iniisset, vere non fuit sempiternum, nam Judæi rursum per Titum et Romanos Judæa ejecti sunt : fœdus autem Christi proprie est, eritque cum Ecclesia sempiternum. Ita Hugo, Lyranus et alii.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prosequitur orationem et preces usque ad vers. 9; *inde docet tam Judæos quam gentes ob neglectum sapientiæ periisse : in sapientia enim sitam esse immortalitatem, salutem et beatitudinem; quare illam a Deo petendam esse, Deumque ut eam homines docerct, esse incarnatum.*

Nota : Per sapientiam accipit practicam, scilicet Dei cognitionem, amorem, cultum, id est legis Dei observantiam : hoc enim sapientia in Proverbiis, et omnibus libris sapientalibus significat : ita Theodoretus (1).

1. Et nunc, Domine omnipotens, Deus Israel, anima in angustiis, et spiritus anxius clamat ad te : 2. audi, Domine, et miserere, quia Deus es misericors, et miserere nostri : quia peccavimus ante te. 3. Quia tu sedes in sempiternum, et nos peribimus in ævum ? 4. Domine omnipotens, Deus Israel, audi nunc orationem mortuorum Israel, et filiorum ipsorum qui peccaverunt ante te, et non audierunt vocem Domini Dei sui, et agglutinata sunt nobis mala. 5. Noli meminisse iniquitatum patrum nostrorum, sed memento manus tuæ, et nominis tui in tempore isto : 6. quia tu es Dominus Deus noster, et laudabimus te, Domine : 7. quia propter hoc dedisti timorem tuum in cordibus nostris, et ut invocemus nomen tuum, et laudemus te in captivitate nostra, quia convertimur ab iniquitate patrum nostrorum, qui peccaverunt ante te. 8. Et ecce nos in captivitate nostra sumus hodie, qua nos dispersisti in improperium, et in maledictum, et in peccatum, secundum omnes iniquitates patrum nostrorum, qui recesserunt a te, Domine Deus noster. 9. Audi, Israel, mandata vitæ : auribus percipe, ut scias prudentiam. 10. Quid est, Israel, quod in terra inimicorum es? 11. inveterasti in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis : deputatus es cum descendentibus in infernum. 12. Dereliquisti fontem sapientiæ; 13. nam si in via Dei ambulasses, habitasses utique in pace sempiterna. 14. Disce ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus : ut scias simul ubi sit longiturnitas vitæ et victus, ubi sit lumen oculorum, et pax. 15. Quis invenit locum ejus? et quis intravit in thesauros ejus? 16. Ubi sunt principes gentium, et qui dominantur super bestias, quæ sunt super terram? 17. qui in avibus cœli ludunt, 18. qui argentum thesaurizant, et aurum, in quo confidunt homines, et non est finis acquisitionis eorum? qui argentum fabricant et solliciti sunt, nec est inventio operum illorum? 19. exterminati sunt, et ad inferos descenderunt, et alii loco eorum surrexerunt. 20. Juvenes viderunt lumen, et habitaverunt super terram : viam autem disciplinæ ignoraverunt, 21. neque intellexerunt semitas ejus, neque filii eorum susceperunt eam, a facie ipsorum longe facta est : 22. non est audita in terra Chanaan, neque visa est in Theman. 23. Filii quoque Agar, qui exquirunt prudentiam quæ de terra est, negotiatores Merrhæ, et Theman, et fabulatores, et exquisitores prudentiæ et intelligentiæ : viam autem sapientiæ nescierunt, neque commemorati sunt semitas ejus. 24. O Israel, quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis ejus! 25. Magnus est, et non habet finem : excelsus et immensus. 26. Ibi fuerunt gigantes nominati illi, qui ab initio fuerunt, statura magna, scientes bellum. 27. Non hos elegit Dominus,

(1) Absoluta cum vers. 8 ad Deum precatione, nunc instituit Propheta admonitionem ad populum sive sapientiæ veræ commendationem factam :

Primo, a damnis illius neglectæ, quibus opponit rationem a contrario eventu, multiplicique fructu obedientiæ, 9-14;

Secundo, a raritate et paucitate illorum qui illam adipiscuntur, et ab ejus pretio præ thesauris majore et durabiliore, 16-19;

Tertio, ab illius valore sagacioribus hujus sæculi et gentibus omnibus abscondito ac ignoto, 20-23;

Quarto, ab ejusdem dono solis Israelitis præ aliis tam aliunde inclytis, 24-28;

Quinto, ab impossibili viribus humanis ad illam accessu, 29-31;

Sexto, ab auctore et fonte illius Deo, in creatione omnium potentissimo et sapientissimo, et in incarnatione indulgentissimo, 32-38.

neque viam disciplinæ invenerunt :propterea perierunt. 28. Et quoniam non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam. 29. Quis ascendit in cœlum, et accepit eam, et eduxit eam de nubibus? 30. Quis transfretavit mare, et invenit illam? et attulit illam super aurum electum? 31. Non est qui possit scire vias ejus, neque qui exquirat semitas ejus : 32. sed qui scit universa, novit eam, et adinvenit eam prudentia sua : qui præparavit terram in æterno tempore, et replevit eam pecudibus et quadrupedibus : 33. qui emittit lumen, et vadit : et vocavit illud, et obedit illi in tremore. 34. Stellæ autem dederunt lumen in custodiis suis, et lætatæ sunt; 35. vocatæ sunt, et dixerunt : Adsumus : et luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit illas. 36. Hic est Deus noster, et non æstimabitur alius adversus eum. 37. Hic adinvenit omnem viam disciplinæ, et tradidit illam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo. 38. Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.

Vers. 1. 1. IN ANGUSTIIS. — Tunc enim coacta anima ad Deum, quasi unicum solatium recurrit, et Deus auxilium talibus promisit. Denique proponit hic Synagoga suas angustias et miserias, ut iis Deum ad misericordiam commoveat. Ipse enim dixit, *Psalm.* XLIX, 15 : « Invoca me in die tribulationis : eruam te, et honorificabis me. » Ita omnes angustiis pressi Deum inclamantes ab eo adjuti sunt. Ita Anna opprobrium sterilitatis depulit, dum flendo et ingemiscendo ad Deum, Samuelem impetravit, I *Reg.* I, 10. Ita David : « Ad Dominum, inquit, cum tribularer clamavi : et exaudivit me, » *Psal.* CXIX, 1. Ita Jonas, cap. II, in ventre ceti invocavit Deum : « Cum angustiaretur, inquit, in me anima mea, Domini recordatus sum : ut veniat ad te oratio mea ad templum sanctum tuum, etc. Et dixit Dominus pisci : et evomuit Jonam in aridam. » Ita Tobias angustiatus orans cum lacrymis, exauditus est, cap. III, vers. 24.

Deus adest orantibus in tribulatione.

Vers. 3. 3. QUIA TU SEDES (id est permanes et perduras) IN SEMPITERNUM, ET NOS PERIBIMUS IN ÆVUM? — Quasi dicat : Cum tu vitam degas æternam, permittesne nos tam cito mori, et perire in æternum? nam per et post hanc vitam continuo tendimus ad mortem æternam, uti scilicet huic sæculo mortui, non amplius eo revertamur. Hoc est quod ait S. Job, cap. XIV : « Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, etc. Qui quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra. » Quin et Hippocrates in principio *Definitionum* : « Ars, inquit, longa, vita brevis. » Idem, epist. *ad Damagetum* : « Homo, ait, totus a nativitate morbus est. » Et quid est morbus, nisi via et inchoatio mortis? Idem ibidem : « Homo, ait, dum educatur, inutilis est, et alienum auxilium implorat : dum crescit, protervus est, insipiens, pædagogo indigens : dum in vigore est, audax est : dum decrescit, miserabilis, ubi labores suos imprudenter recolit et jactat. » Solon, rogatus quid esset homo, ait : « Putredo est in exortu, bulla in omni vita, esca vermium in morte. » Merito ergo exclamat, et suspirat gemitque Lucretius :

O miseras hominum mentes, o pectora cæca!
Qualibus in tenebris vitæ, quantisque periclis
Degitur hoc ævi quodcumque est!

Audi et Ciceronem, lib. III *Tusc.* : « Theophrastus, inquit, moriens accusasse naturam dicitur, quod cervis et cornicibus vitam diuturnam, quorum id nihil interesset, hominibus, quorum maxime interfuisset, tam exiguam vitam dedisset : quorum si ætas potuisset esse longinquior, futurum fuisse ut omnibus perfectis artibus, omni doctrina hominum vita erudiretur. » Eadem fuit querela Aristotelis apud Senecam, lib. *De Brevitate vitæ*, cap. I. Accedit quod finis vitæ, puta annus et dies mortis, nobis sint incerti, sed ex improviso nos occupent sicut fur in nocte, uti ait S. Paulus. Quare prudenter monet S. Augustinus, serm. 120 *De Tempore* : « Præveniendus est dies qui prævenire consuevit. » Prævenire solet dies mortis homines imparatos, is præveniendus est a prudentibus et suæ salutis amantibus diligenti præmeditatione et præparatione. Ita gentilis Seneca hunc diem præveniebat, ut omnes dies pro extremis haberet; sic enim ait *epist.* 94 : « Non me ad eum diem aptavi quem ultimum mihi spes avida promiserat, sed nullum non tanquam ultimum aspexi. » Spes vitæ avida multos promittit annos, coerce hanc spem, non fallet te : singulos dies extremos puta, para te ad mortem, imo ad immortalitatem :

Mors incerta instat.

Ad eam te para.

Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.

Quocirca recte idem Seneca, *epist.* 115 : « Nihil, ait, æque tibi profuerit ad temperantiam rerum omnium, quam frequens cogitatio brevis ævi, et hujus incerti. Quidquid facies, respice ad mortem. » Et Martialis, lib. V *Epigr.* :

Cras te victurum cur dicis, Posthume, semper?
Dic mihi cras istud, Posthume, quando venit?
Quam longe cras istud? ubi est, aut unde petendum?
Numquid apud Parthos Armeniosque latet?
Jam cras istud habet Priami vel Nestoris annos.
Cras istud quanti, dic mihi, possit emi?
Cras vives, hodie jam vivere, Posthume, serum est.
Ille sapit quisquis, Posthume, vixit heri.

Præclare S. Hieronymus in *Epitaphio Nepotiani* : « Xerxes, ait, ille rex potentissimus, qui subvertit montes, maria constravit, cum de sublimi loco infinitam hominum multitudinem, et innumerabilem vidisset exercitum, flesse dicitur, quod post

centum annos nullus eorum, quos tunc cernebat, superfuturus esset. O si possemus in talem ascendere speculam, de qua universam terram sub nostris pedibus cerneremus, jam tibi ostenderem totius orbis ruinas, gentes gentibus et regnis regna collisa; alios torqueri, alios necari, alios absorberi fluctibus, alios ad servitutem trahi; hic nuptias, ibi planctum; illos nasci, istos mori; alios affluere deliciis, alios mendicare; et non Xerxis tantum exercitum, sed totius mundi homines, qui nunc vivunt, in brevi spatio defuturos. Vincitur sermo rei magnitudine, et minus est omne quod dicimus. Redeamus igitur ad nos, et quasi e cœlo descendentes paulisper nostra videamus. Sentisne, obsecro te, quando infans, quando puer, quando juvenis, quando robustæ ætatis, quando senex factus sis? Quotidie morimur, quotidie commutamur, et tamen æternos nos esse credimus. Hoc ipsum quod dicto, quod scribitur, quod relego, quod emendo, quod de vita mea tollitur. Quot puncta notarii, tot meorum damna sunt temporum. Scribimus atque exscribimus : transeunt maria epistolæ; et findente sulcum carina, per singulos fluctus ætatis nostræ momenta minuuntur. Solum habemus lucri, quod Christi nobis amore sociamur. »

Audi patheticum B. Petri Damiani epitaphium, qui depositis purpura cardinalitia et episcopatu Ostiensi, sponte se ad suam eremum Camaldulensem, solitudinis et contemplationis desiderio, recipiens, sancte obiit anno Domini 1072. Quod ipsemet sibi composuit :

Quod nunc es, fuimus : es, quod sumus, ipse futurus.
His sit nulla fides, quæ peritura vides.
Frivola sinceris præcurrunt, somnia veris,
Succedunt brevibus sæcula temporibus.
Vive memor mortis, quo semper vivere possis,
Quidquid adest transit : quod manet, ecce venit.
Quam bene providit, qui te male munde reliquit,
Mente prius carni, quam tibi carne mori.
Cœlica terrenis præfer, mansura caducis,
Mens repetat proprium libera principium.
Spiritus alta petat, quo prodit fonte, recurrat :
Sub se despiciat quidquid in ima gravat.
Sis memor, oro, mei, cineres pius aspice Petri :
Cum prece, cum gemitu dic : Sibi parce, Deus.

græce pro *sempiternum* et *ævum*, eadem est vox αἰών quasi ἀεὶ ὤν, id est *semper existens*, *q. d.* ait Theodoretus : Tu es æternus, nos temporanei, imo quasi nullius ævi. Nam tibi competit vita æterna, nobis interitus et mors æterna; tu vivis in æternum, nos morimur et perimus in æternum; tibi adest αἰών sive ævum vitæ, nobis ævum mortis : semel enim mortui huic vitæ, amplius ad eam non redibimus in æternum. Miserere ergo, o Æterne, mortalium et mortalitatis nostræ : hæc enim tam fragilis est, ut sicut a vita sua, ita et recto et virtute quotidie decidat et peccet : nos ergo valde egemus tua misericordia, cum tu non egeas nostra miseria; valet multum ad impetrandam misericordiam, et petentis infirmitas, et ejus a quo postulatur celebrata facultas. Sic Psaltes ait, *Psalm.* CII, 13 : « Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se : quoniam ipse cognovit figmentum nostrum. Recordatus est quoniam pulvis sumus. » Ita Maldonatus.

Deus habet ævum vitæ, nos mortis.

4. AUDI NUNC ORATIONEM MORTUORUM ISRAEL, — scilicet Abrahæ, Isaac, Jacob, et aliorum sanctorum patriarcharum, qui dum viverent orabant, et jam mortui in limbo orant pro suis posteris. Ita Hugo et Lyranus. Sic enim Judas Machabæus vidit Jeremiam jam defunctum orantem pro populi salute, II *Machab.* XV, 14. Verum quia hos mortuos vocat peccatores, dum filios eorum vocat filios τῶν ἁμαρτανόντων, id est *peccatorum*; hinc melius per *mortuos* accipias eos qui recenter et proxime erant vita functi, qui licet peccassent, tamen pœnitentes decesserant, ideoque in limbo, æque ac in vita et morte, orabant pro filiorum libertate. Hinc patet animam manere post mortem, esseque immortalem, ait Theodoretus. Potest *tertio*, cum Maldonato sic explicari : « Orationem mortuorum, » id est nostram, qui ita afflicti sumus ut nihil a mortuis differre videamur, uti ait vers. 11 : « Et, (id est *idcirco*) agglutinata sunt, (id est tenaciter adhærent) nobis mala. » Vers. 4. mortui Israel, qui?

5. MEMENTO MANUS TUÆ, — id est potentiæ tuæ, quam sæpe pro populo tuo exeruisti, et toti mundo ostendisti, *q. d.* Ne consideres quid nos mereamur, sed quid deceat solitam tuam potentiam, opitulationem et gloriam. Vers. 5.

7. DEDISTI TIMOREM TUUM IN CORDIBUS NOSTRIS. — Id est terrefecisti nos multis cladibus et ærumnis affligens, ut disceremus te timere et revereri. Vers. 7.

CONVERTIMUR. — Græce ἀπεστρέψαμεν, *aversati sumus* peccata patrum. Ita Theodoretus. Aliter Vatablus : Convertimur, inquit, ad cor, in mente revolvimus, recordamur peccata patrum nostrorum, ob quæ puniti sunt. Aliter quoque Maldonatus : *Redieramus*, inquit, *ad ingenium* (et ad) *omnem iniquitatem patrum nostrorum*. Sed primus sensus est planissimus, eumque exposcit nostra Vulgata, editio Latina.

8. IN PECCATUM. — Id est in pœnam et opprobrium peccati, ut ab omnibus vocemur magni peccatores, quod ob peccata tantas ærumnas patiamur. Ita Hugo et Lyranus. Aliter Dionysius : « In peccatum, inquit, id est in peccati, verbi gratia, idololatriæ occasiones, quas habemus in assidua cum Chaldæis idololatris conversatione. *Tertio*, græce est ὄφλησις, id est debitum, quod ærario debetur, *q. d.* Hic in captivitate oneramur tributis, et consequenter debitis et ære alieno. Ita Vatablus. Vers. 8.

9. AUDI, ISRAEL. — Hic finitur oratio, et incipit secunda libri pars, scilicet admonitio ad pœnitentiam et prudentiam, id est ad legem Dei resumendam et observandam : hujus enim neglectu inciderant in captivitatis ærumnas. Est hic ergo apostrophe pathetica ad populum cum emphatica oratione. Vers. 9.

10 et 11. QUID EST? (*q. d.* Cogita quæ sit causa tanti mali, tam longi exsilii tui; nam) INVETERASTI (id est consenuisti) IN TERRA ALIENA, — in Chaldæa.

COINQUINATUS ES CUM MORTUIS, — *q. d.* In Babylone versaris velut in sepulcro, quasi cum mortuis jam esses mortuus, ita sordes, ita squales. Patet ex sequentibus. Mortui enim sive cadavera sunt coinquinata tum naturaliter, tum moraliter ex lege veteri.

DEPUTATUS ES CUM DESCENDENTIBUS IN INFERNUM. — *Infernus* hic significat statum mortuorum, nam corpus descendebat sub terram ad sepulcrum, anima ad infernum. Ita Theodoretus. Solent Hebræi valde ærumnosos et squalidos comparare mortuis. Sic enim ait David, *Psalm.* XXVII, 1 : « Nequando taceas a me, et assimilabor descendentibus in lacum; » et *Psalm.* LXXXVII, 5 : « Æstimatus sum cum descendentibus in lacum : factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber. »

Aliter Hugo et Lyranus, *q. d.* « Coinquinatus es cum mortuis, » scilicet spiritualiter, id est cum peccatoribus, puta Chaldæis, quorum vitiis contaminatus, instar eorum addictus es inferno. Hic sensus magis est mysticus quam litteralis; quem secutus S. Bernardus, serm. 85 *in Cantic.*, docet, quomodo anima quantumcumque vitiis corrupta, per amorem possit redire ad nuptias, et ad thalamum sponsi, puta Dei et Christi : « Docuimus, inquit, omnem animam, licet oneratam vitiis, peccatis irretitam, captam illecebris, exsilio captivam, corpore carceratam, luto hærentem, infixam limo, affixam membris, confixam curis, distentam negotiis, contractam timoribus, afflictam doloribus, erroribus vagam, sollicitudinibus anxiam, suspicionibus inquietam, et postremo advenam in terra inimicorum juxta Prophetæ vocem, coinquinatam cum mortuis, deputatam cum his qui in inferno sunt : licet, inquam, sic damnatam, et sic desperatam; docuimus tamen hanc in sese posse advertere non modo unde respirare in spem veniæ, in spem misericordiæ queat, sed etiam unde audeat aspirare ad nuptias Verbi, cum Deo inire fœdus societatis non trepidet, suave jugum amoris cum Rege ducere angelorum non vereatur, etc. Exempla sunt in Vita S. Magdalenæ, S. Mariæ Ægyptiacæ, S. Pelagiæ pœnitentis, etc., quas Deus ex cœno libidinum ereptas sibi despondit, atque ex feminis et sirenibus angelos terrestres effecit.

12. DERELIQUISTI FONTEM SAPIENTIÆ, — scilicet Deum, *Eccli.* I, 1, dum ejus rivum, scilicet legem, reliquisti. Est anthypophora sive subjectio, qua præcedenti interrogationi respondet, causamque tantæ cladis et captivitatis assignat, eamdem scilicet quam assignavit magister ejus Jeremias, cap. II, 13, dicens : « Duo enim mala fecit populus meus : me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. » Sapientiam enim vocat *aquam vivam*, nam apud Deum est fons vitæ, *Psal.* XXXV, 10.

13. IN PACE SEMPITERNA. — Ita legendum cum Romanis, Græcis, Hugone et aliis, non *in pace super terram*, uti passim legitur. Porro pax Hebræis est prosperitas, et rerum omnium affluentia et felicitas. Unde Psaltes, *Psalm.* CXXI, 7, cum dixisset : « Fiat pax in virtute tua, » explicans subjecit : « Et abundantia in turribus tuis. » Porro pax et felicitas plena esse nequit, nisi semper duret, sitque æterna. Hinc vir sapiens dixit : « Absque æternitate divinæ rationes quietem non haberent, » multo minus humanæ et angelicæ. Unde idem : « Absque æternitate, ait, æviternitas non esset, et absque æviternitate nulla creatura quietem haberet, » præsertim rationalis, quæ æterna æternitati creata et destinata est. Quocirca S. Bernardus : « Ut mens, inquit, quieta sit, in æternitate figenda est. » Et S. Augustinus explicans illud, *Psalm.* IV : *In pace in idipsum dormiam et requiescam*, ait : « Singulares ergo et simplices, id est, secreti a multitudine ac turba nascentium rerum ac morientium, amatores æternitatis et unitatis esse debemus, si uni Deo et Domino nostro cupimus inhærere. » Idem in *Sententiis* : « Non potest quisquam fraudari delectationibus suis, cui Christus est gaudium. Æterna enim exsultatio est quæ bono lætatur æterno. »

14, DISCE (tuo flagello et verbere) UBI SIT PRUDENTIA, — perinde ac si quis ægroto ob crapulam diceret : Disce ubi sit temperantia, ut discas ubi sit sanitas; aut puero ob petulantiam castigato diceret : Disce quid sit esse petulantem, disce quid sit modestia, ut scias ubi sit libertas, et a plagis immunitas.

UBI SIT VIRTUS. — Græce ἰσχὺς, id est *fortitudo* ad resistendum hostibus, aiunt Theodoretus et Hugo; non ergo loquitur de virtute morali, ut vult Lyranus.

UBI SIT INTELLECTUS, — id est rerum agendarum intelligentia. Nota : Sapientiam practicam Baruch nunc vocat *prudentiam*, nunc *intellectum*. Vocatur sapientia, quia est *sapida scientia*, sive cognitio conjuncta cum sapore, gustu, affectu et amore rerum cognitarum; vocatur *prudentia*, quia vere prudentis est ita sapere, scilicet timere et amare Deum ac cœlestia, non caduca. Vocatur *intellectus*, quia facit fidelem vere intelligentem, et æstimantem res ut in se sunt, nimirum parvas ut parvas, temporales ut temporales, magnas ut magnas, æternas ut æternas. Sic, *Lucæ* I, 17, hæc sapientia vocatur prudentia justorum : « Ut convertat (Joannes Baptista, ait Gabriel) corda patrum in filios, et incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam. » Eadem *Sap* X, 10, vocatur *scientia sanctorum* : « Dedit, ait, illi (Jacobo) scientiam sanctorum. » Sic in *Proverbiis* et alibi Sapiens sapientiam hanc sive Ethicam sanctorum, copiæ causa, vocat nunc *sapientiam*, nunc *scientiam*, nunc *prudentiam*, nunc *intellectum*, nunc *doctrinam*, nunc *disciplinam*, nunc *discretionem*, nunc *eruditionem* : hæc enim omnia idem sunt, et eamdem rem denotant, et tantum distin-

guuntur connotato, sive etymo, et etymi propria significatione, ut patet cuique illud intuenti. Dicitur enim *scientia*, quia facit hominem scientem; dicitur *discretio*, quia discernit inter bonum et malum; dicitur *doctrina*, quia docet viam virtutis et salutis; dicitur *disciplina*, quia discenda est, decetque fidelem discipulum, etc.

UT SCIAS SIMUL UBI SIT LONGITURNITAS VITÆ. — Græce, ποῦ ἐστὶν μακροβίωσις καὶ ζωή, *ubi sit longævitas et vita*, aut potius *victus* et alimonia qua vitam sustinemus. Sic enim magis ζωή, id est victus, distinguitur a μακροβιώσει, id est a longævitate.

UBI SIT LUMEN OCULORUM, — quod oculos mentis illuminat, « lex » enim « est lux, » *Proverb.* VI, 23. *Secundo*, ut Maldonatus, lumen oculorum res prosperas, sicut, tenebræ adversas, significat.

Sex effectus sapientiæ sive obedientiæ.

Nota hic sex effectus sapientiæ, sive obedientiæ legis divinæ. *Primus* est, vers. 13, pax sempiterna; *secundus*, vers. 13, est prudentia et virtus; *tertius*, est intellectus; *quartus*, est longævitas; *quintus*, est victus et rerum copia; *sextus*, est lumen oculorum. Unde, *Sap.* VI, 21, dicitur : « Concupiscentia scientiæ deducit ad regnum perpetuum. Si ergo delectamini sedibus et sceptris, o reges populi, diligite sapientiam, ut in perpetuum regnetis; » et vers. 26 : « Multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum; et rex sapiens stabilimentum populi est; » et cap. VII, 8 : « Præposui illam (sapientiam) regnis et sedibus, et divitias nihil esse duxi in comparatione illius. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa. Infinitus enim thesaurus est hominibus; » et vers. 25 : « Vapor est virtutis Dei, et emanatio quædam claritatis omnipotentis Dei sincera : candor est enim lucis æternæ, et speculum sine macula. Et cum sit una, omnia potest : et omnia innovat, amicos Dei et prophetas constituit. Neminem enim diligit Deus, nisi eum qui cum sapientia inhabitat. Est enim hæc speciosior sole; » et cap. VIII, 1 : « Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter. Hanc amavi, et quæsivi sponsam mihi assumere. Et si divitiæ appetuntur, quid sapientia locupletius? sobrietatem et prudentiam docet, et justitiam, et virtutem. Si multitudinem scientiæ desiderat quis, scit præterita, et de futuris æstimat. Habebo propter hanc claritatem ad turbas, etc., immortalitatem et memoriam æternam; disponam populos, timebunt me audientes reges horrendi. » Unde cap. IX toto affectu pro ea obsecrat dicens : « Tu elegisti me regem populo tuo : mitte illam (sapientiam) de cœlis sanctis tuis, ut mecum sit et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te. »

Miros vero effectus et exempla sapientiæ recenset cap. X. *Primo*, Adami, vers. 1 : « Hæc (sapientia), inquit, illum qui primus formatus est, etc., custodivit, et eduxit illum a delicto suo; » *secundo*, a contrario Caini, vers. 3 : « Ab hac ut recessit injustus (Cain) in ira sua, per iram homicidii fraterni deperiit; » *tertio*, Noe, vers. 4 : « Cum aqua deleret terram, sanavit iterum sapientia, per contemptibile lignum justum gubernans; » *quarto*, Abrahæ, vers. 5 : « Hæc scivit justum (Abraham), et conservavit sine querela Deo, et in filii misericordia fortem custodivit, » quia scilicet effecit, ut Abraham fortiter vinceret amorem et misericordiam filii sui Isaaci, quando Deo jubente eum immolare voluit; » *quinto*, Loth, vers. 6 : « Hæc justum a pereuntibus impiis (Sodomitis) liberavit fugientem, descendente igne in Pentapolim; » *sexto*, Jacob, vers. 10 : « Hæc profugum (Jacobum) iræ fratris (Esau) justum deduxit per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei (in Bethel, *Genes.* XXVIII, 12) et dedit illi scientiam sanctorum : honestavit illum in laboribus, et complevit labores illius. In fraude circumvenientium (Labani et filiorum ejus) illum affuit illi; » *septimo*, Joseph, vers. 13 : « Hæc venditum justum non dereliquit, sed a peccatoribus liberavit eum : descenditque cum illo in foveam, et in vinculis non dereliquit eum, donec afferret illi sceptrum regni; » *octavo*, Hebræorum, vers. 15 : « Hæc populum justum liberavit a nationibus (Ægyptiis), quæ illum deprimebant. Intravit in animam servi Dei (Mosis), et stetit contra reges horrendos in portentis et signis. Et reddidit justis mercedem laborum (spoliando Ægyptum), et deduxit illos in via mirabili : et fuit illis in velamento diei, et in luce stellarum per noctem : transtulit illos per mare Rubrum, » etc.

Exempla christianorum.

Vis exempla christianorum? Alfonsus Aragoniæ rex potentissimus, teste Panormitano lib. III *De gestis ejusdem*, rogatus quomodo tot partis regnis opibusque privari, et ad paupertatem redigi posset, respondit : « Si venderetur sapientia; illam enim omnibus opibus præferrem et emerem. » Vere enim « nescit homo pretium ejus, « ut ait Job », nec invenitur in terra suaviter viventium. » Idem sciscitanti quo nomine sapientiam decorandam censeret, dixit : « Eam ego existimo Dei filiam, ac solam rerum omnium esse immortalem, solique homini inter animantia datam. »

Constantinus imperator orat. *ad cœtum Sanct.* cap. XXV : « Hæc, ait, cœlestis plane et divina sapientia est, ut pati malimus injuriam quam facere, et damnum potius accipere quam inferre parati simus. » Ita enim vincimus hostes omnes, et pacem cum Deo et hominibus, atque gaudium animi conservamus, uti nos docuit Christus et apostoli, tam exemplo quam verbo.

Exempla gentilium.

Vis exempla gentilium? Cicero, in libro *De Finibus*, docet sapientiam esse hominis custodem et procreatricem. Alius « *sapientes* vocabat *Prometheos*. Ignis enim Promethei doctrina est, qua remota ex homine truncus; et addita, e trunco redditur homo; » Lucretius, lib. II :

> Nil dulcius est, bene quam munita tenere
> Edita, doctrina sapientum, templa serena :
> Despicere unde queas alios, passimque videre
> Errare, atque viam palantes quærere vitæ.

Juvenalis : « Nullum numen abest, si sit prudentia. » Alius : « Una est recte gubernandi ars, sine qua nec regere quis potest, nec regi, prudentia. »

Regina Saba venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis, eaque audita dixit : « Beati viri tui, qui stant coram te semper, et audiunt sapientiam tuam. Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuisti, et posuit te super thronum Israel, eo quod dilexerit Dominus Israel in sempiternum, » III *Reg.* x, 8.

Porro sapientiam hanc non esse inanem speculationem, sed in timore Dei et custodia legum ejus consistere docet Psaltes, *Psalm.* cx, 10 : « Initium sapientiæ timor Domini ; » et Job cap. xxviii, 28 : « Timor Domini, ipsa est sapientia ; » et *Eccli.* cap. i, 20 : « Plenitudo sapientiæ est timere Deum ; » et *Eccles.* cap. xii, 13 : « Deum time, et mandata ejus observa : hoc est enim omnis homo. Si hoc est omnis homo, » ergo, inquit S. Bernardus, « absque hoc nihil est homo ; » nec homo est, sed aut saxum aut bestia. Et Moses, *Deuteron.* iv, 6 : « Hæc est vestra sapientia, et intellectus coram populis, ut audientes dicant : En populus sapiens et intelligens, gens magna. Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. » Denique, *Sapient.* vi, 18 : « Initium enim illius (sapientiæ) verissima est disciplinæ concupiscentia ; concupiscentia ergo disciplinæ dilectio est ; et dilectio custodia legum illius est ; custoditio autem legum consummatio incorruptionis est ; incorruptio autem facit proximum esse Deo. »

Vers. 15. Sapientia non invenitur nisi apud Deum.

15. Quis invenit locum ejus? — scilicet sapientiæ seu disciplinæ : patet ex anteced. et seq. Docet veram sapientiam quæ homines beat, nulla arte aut ingenio inveniri, nulla potentia acquiri posse, sed in Deo quasi in suo fonte quærendam esse, ab eoque postulandam. Simili modo, ait Job cap. xxxviii, 36 : « Quis posuit in visceribus hominis sapientiam? vel quis dedit gallo (hebraice לשכוי *lassecui*, quod Arias vertit, *contemplationi ;* alii, *intellectui*) intelligentiam? » Et Jacobus, cap. i, 5 : « Si quis indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter. »

16. Ubi sunt principes, — *q. d.* Quid contulit principibus principatus, pompa et gloria? utique parum vanitatis, sed nihil veritatis : hæc enim eis sapientiam conferre non potuerunt.

17. Qui in avibus coeli ludunt. — Græce ἐμπαίζοντες, id est *illudunt*, dum eas cantu, esca aut reti decipiunt, capiunt, et postea eis ad cantum et recreationem abutuntur. Unde Vatablus vertit : *Qui aves cœli ludos faciunt. Secundo*, recte Noster Vincentius Regius, *Evangelic. dilucidat.* lib. IV, cap. xiv : *Ludere*, inquit, est quasi ludendo aliquid facere, id est sine difficultate, ut *Proverb.* viii, 30 : « Cum eo eram cuncta componens, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum. » Ergo *ludere in avibus cœli*, est adeo potentem et imperiosum esse, ut videatur quis non modo in bestias, sed et in aves cœli pro arbitratu dominari ; unde Nabuchodonosor dicitur imperasse avibus cœli, *Daniel.* iv, 18 (1).

18. Qui argentum fabricant. — Argentum, inquit Maldonatus, fabricare, est non modo argentum conflare, sed etiam quibusvis modis et artibus corradere, et varias rationes excogitare inveniendæ pecuniæ, ita ut eam excudere quodammodo videantur. Proprie argentum fabricant, qui e suis venis et mineralibus illud liquando et conflando efformant, efformatumque recondunt : quod est regum et principum.

Nec est inventio operum illorum, — supple, numeri aut termini, non est invenire numerum aut terminum excellentium operum illorum. Aliter Maldonatus et Vincentius Regius, *q. d.* Nihil lucri percipiunt ex operibus suis ; εὕρεμα enim aut εὕρεσις aut ἐξεύρεσις, id est *inventio*, lucrum et emolumentum significat ; quia quod invenimus in lucro ponimus, ut *Eccli.* xx, 9 : « Est inventio in detrimentum », id est lucrum damnosum ; et cap. xxix, 4 : « Multi quasi inventionem, » id est « quasi lucrum, æstimaverunt fœnus ; » et vers. 7 : « Computabit illud quasi inventionem, » id est in lucris ponet. *Tertio*, alii, *q. d.* Non est invenire, id est comprehendere opera illorum. *Quarto*, alii, *q. d.* Opera eorum pereunt, ita ut non inveniantur amplius. *Quinto*, alii, *q. d.* « Non est inventio, » id est nullus est finis operum illorum, scilicet congerendi auri et opum. Tertius sensus et primus sunt planissimi, apteque respondent ei quod præcessit : « Non est finis acquisitionis eorum, » *q. d.* Quid prodest principibus, quod non solum hominibus, sed et bestiis dominentur? quod in avibus cœli ludant? etc., cum sapientia careant, nec eam consequi possint ; ibi enim eam quærunt ubi non est. Est enim non in auro et pompa, sed in Deo quasi in suo fonte quærenda, et ab eo postulanda : ideo principes olim famosi exterminati sunt, et ad inferos descenderunt.

Inventio pro lucro ponitur.

19. Ad inferos descenderunt. — Talis fuit Balsasar rex Chaldæorum potentissimus, cujus miserabilem casum et descensum instar Luciferi describit Isaias, cap. xiv, 4 et seq., et Daniel, cap. v, Item rex Tyri, cujus casum describit Ezechiel cap. xxviii, et Pharao, cujus demersionem in mare et abyssum describit Moses, *Exod.* cap. xiv, et alter Pharao, cujus stragem describit Ezechiel, cap. xxix (2).

Vers. 19.

(1) Notandum reges Orientales olim ut naturæ totius dominos haberi voluisse, et imperium tam in animantia quam in homines exercere gloriatos fuisse.

(2) « Et alii loco eorum successerunt. » Hæc enim doctrina sæpe est in Scriptura, maximeque apud Jobum, qua mutatio regnorum ac potestatum, et quædam successio divinitus facta demonstratur. Neque enim sunt ita stabiles divitiæ atque opes, ut certos eosdemque possessores semper habeant. » (Badvellus.)

Vers. 20. 20. JUVENES, — *q. d.* Qui loco patrum surrexerunt juvenes, lucem hujus vitæ aspexerunt, acres et animosi vixerunt, vel etiamnum vivunt in terra, sed viam sapientiæ, æque ut parentes, ignorarunt, *q. d.* Nati sunt juvenes qui illis succederent, et opes omnes quas collegerant dilapidarent. Ita Vatablus et Maldonatus.

Vers. 22. 22. NON EST AUDITA IN TERRA CHANAAN. — Nota : Chananæi, scilicet Phœnices, uti Tyrii, nauticæ et mercaturæ erant addicti, ejusque scientissimi : hinc et primi inter gentiles litteras invenerunt. Audi Eusebium lib. I *Præpar.* VII : « Jaatus, inquit, Phœnix primus elementa litterarum conscripsit, primus naves construxit, primique Phœnices herbarum vires ad medicinam invenerunt. » Et Lucanus lib. III :

Phœnices invenerunt litteras.

> Phœnices primi (famæ si creditur) ausi
> Mansuram rudibus vocem formare figuris.

IN THEMAN. — Erat metropolis Idumææ, ita dicta a Theman filio Eliphaz, filii Esau, *Genes.* XXXVI, 11 et 15. Per Theman totam Idumæam intelligit. Est synecdoche, *q. d.* Esto Chananæi et Idumæi visi sint sapientissimi in re nautica, in mercimoniis, in parabolis et fabulis rerum naturalium; tamen veram sapientiam quæ animam sanctificat, et ad salutem ac beatitudinem perducit, ignorarunt : licet enim S. Job ejusque amici eam cognoverint, tamen eam non a Chananæis vel Idumæis, sed a Deo; non a terra, sed e cœlo acceperunt : illa enim « desursum est, descendens a Patre luminum, » *Jacob.* I, 17.

Nota hic antiquitatem gymnasiorum et academiarum. Nam tempore Mosis et Josue Cariat-Sepher, id est *urbs litterarum*, dicta est academia Palæstinæ, *Josu.* XV, 15. Sic Theman fuit academia Idumææ, Thecua Chananææ; unde vocatur *mater in Israel*, II *Reg.* XX, 19, et ex illa prodiit mulier illa sapiens Thecuitis, quæ Absalonem Davidi reconciliavit, II *Reg.* XIV, 2. Sic Ægypti academiæ erant Memphis, Heliopolis, Alexandria; uti Hellades Athenæ. Vide Middendorpium lib. *De Academiis.*

23. FILII QUOQUE AGAR, — qui quasi filii Abrahæ sapientiam venditabant, sed mundanam : erant enim negotiatores mercium, et mercandi ac fallendi subinde peritissimi.

NEGOTIATORES TERRÆ. — Corrige cum Romanis et Græcis, *negotiatores Merrhæ;* nomen est loci : forte Merrha est Maara Sidoniorum, de qua Josue, XIII, 4; hi enim præcipui erant mercatores, a quibus Tyrii sunt orti.

FABULATORES, — qui fabulas, uti metamorphoses Jovis, hominum, animalium narrant; vel, ut Theodoretus, qui per se symbola et parabolas sua tradunt : sic enim Æsopus per fabulas mores hominum informavit. Sic μυθολογοι sive fabularum scriptores vel interpretes, olim philosophi, imo theologi habebantur, a quibus nata est theologia μυθικὴ, id est *fabulosa*, de qua Fulgentius librum scripsit, ejusque meminit S. Augustinus, lib. VI *De Civitat.* cap. V, et Eusebius lib. III *De Præpar.* cap. II, *q. d.* « Narraverunt mihi iniqui fabulationes : sed non ut lex tua, » *Psalm.* CXVIII, 85.

EXQUISITORES PRUDENTIÆ ET INTELLIGENTIÆ, — naturalis et mundanæ, supple, exstiterunt, fueruntque celebres et famosi : sed tamen viam veræ et divinæ sapientiæ nescierunt.

24. O ISRAEL ! — Postquam ostendit sapientiam non fuisse inventam in Chanaan, nec in Theman, nec apud alios gentiles; nunc convertit sermonem ad Israelitas, ut eos doceat quantas Deo gratias agere debeant, quod ipsi soli ex omnibus gentibus hanc sapientiam per Dei legem et prophetas adepti sint, quamque eam excolere, et juxta eam vivere et conversari debeant.

QUAM MAGNA EST DOMUS DEI. — Per domum Dei non intelligit templum Hierosolymitanum, ut vult Hugo; non etiam cœlum tantum, ut vult Lyranus, nec enim in templo aut cœlo fuerunt gigantes; templum etiam suum habuit finem, quorum utrumque hic de domo Dei negatur. Domus ergo Dei hic est totus mundus. Ita S. Ambrosius lib. VI *Hexam.* III, et alii; nam, ut ait Diogenes apud Plutarchum in fine lib. *De Tranquillitate animi* : « Mundus est fanum quoddam sanctissimum et Deo dignum. » Et Thales Milesius rogatus : « Quid omnium esset pulcherrimum? » respondit : « Mundus : est enim opus Dei, quo nihil est pulchrius. » Ita Laertius lib. I, *q. d.* Sapientia nec visa est in Chanaan, nec in Theman, quæ regiones hominibus visæ sunt sapientissimæ, nec usquam in toto mundo, qui domus est Dei, reperitur : imo nec apud gigantes bellicosissimos, nec in cœlo, nec ultra mare, ut sequitur vers. 26, 29, 30; sed tantum apud Deum mundi opificem, et ductorem ac doctorem, ut dicitur vers. 32. Deus enim est sapientia increata, qui terram, animalia et stellas creavit, et creata gubernat in sapientia, ut dicitur vers. 33 et 34, quique hanc sapientiam in parvo mundi angulo collocavit, cum eam solis pene Judæis olim communicavit : nunc vero per Christum omnibus gentibus eamdem communicat, et per totum mundum dispergit, ut dicitur vers. 37 et 38.

Domus Dei est totus mundus.

Mundus est fanum Dei sanctissimum.

Hinc, *secundo*, tacite hic insinuat Propheta locum, fontem et iter sapientiæ esse, si ascendas a mundo qui domus est Dei, ad Deum ipsum, id est si ascendas a creaturis ad Creatorem. Datur enim sapientia illis qui Deum totius mundi, qui nobis immensus videtur, quasi domus suæ præsidem et patremfamilias agnoscunt et colunt; quique Dei magnitudinem et pulchritudinem metiuntur ex magnitudine et pulchritudine mundi, et maxime cœli, ubi thronus est gloriæ Dei, et hæreditas sapientium sanctorum ejus; eorum, inquam, qui non in terra reptant, sed super solem in cœlo cum Deo et angelis versantur, terram exilem despiciunt, et cœlum immensum affectant. Sapienter Demonax, cum quidam exquire-

rent an mundus esset animatus? et rursus, an globosus? « Vos, inquit, de mundo solliciti estis, at vestram ipsorum immunditiem non curatis. » Ita refert Antonius in *Melissa*, part. II, serm. 77. Et S. Augustinus in *Sententiis*, num. 73 : « Mirabilis, ait, est fabrica mundi, sed mirabilior fabricator. Et male occupatur creatis, qui a Creatore discedit; cui si inhæserit, inferiora calcabit, ne, quod dilexerit contra naturam, convertatur in pœnam. »

25. MAGNUS EST, ET NON HABET FINEM, — *q. d.* Locus possessionis Dei, de quo præcessit, immensus est, nec habet terminum. Dices, quomodo mundus dici potest immensus, cum sit creatus et finitus? Respondet Theodoretus, Baruch loqui de loco non materiali, sed spirituali sanctorum, qui est ipse Deus : non enim, inquit, loquitur de finita aliqua possessione, sed de infiniti boni possessione, quæ est ipse Deus. Huc accedit Noster Christophorus Gillius, lib. II, tract. 9 *De Immensitate Dei*, cap. XVI, ubi domum hanc, et locum Dei interpretatur immensitatem et ubiquitatem Dei : locus enim quasi Dei est ubique. Hinc sicut Deus est immensus, ita et locus ejus est immensus : nam supra cœlos per immensa illa vacui spatia porrigit se Dei immensa substantia. Verum hic locus Dei potius symbolicus est, quam proprius et litteralis; litteralis enim est mundus : hic enim est « locus possessionis ejus, » ipsaque possessio Dei; unde sequitur : « Ibi fuerunt gigantes : » hi enim fuerunt in mundo, non in Deo, nec in spatiis vacuis supra cœlum.

Fateor tamen Baruch ad hunc locum Dei symbolicum quoque respicere : ex mundo enim quasi loco creato Dei vastissimo, colligit Dei creatoris et possessoris mundi vastitatem et immensitatem. Unde S. Augustinus, lib. III *Contra Maxim.* cap. ult., hinc colligit contra Arianos, Filium Dei esse immensum; est enim argumentum petitum ab analogia et proportione, *q. d.* Si mundus est tantus, et pene immensus, quantus quamque immensus debet esse ipse mundi Creator et Dominus?

Mundus ergo vocatur *immensus*, quia maximus est et capacissimus per hyperbolen.

Terræ ambitus est 22500 milliarium.

Pro quo nota : Terræ et maris ingens vastitas patet ex tot regnis et insulis in tabulis geographicis, et ex eo quod docent mathematici, ambitum sive circulum terræ sub æquatore, ubi maximus est, esse 22500 milliarium.

Cœli magnitudo probatur. Primo : Stella quævis continet terram decies et octies.

Cœli vero quanta sit amplitudo liquet *primo*, ex eo quod, ut et Alphraganus et communiter astronomi docent, stella quævis fixa sextæ et infimæ magnitudinis (distinguunt enim eas in sex magnitudinum differentias) totam terræ magnitudinem contineat decies et octies; primæ vero et summæ magnitudinis eamdem contineat centies et septies.

Secundo : Terra est punctum respectu cœli.

Secundo, ex eo quod globus terræ, respectu firmamenti, sit instar puncti. Quocirca Diogenes docebat « cœlum esse sphæram volubilem et tectum immensum. »

Tertio. Stella quævis una hora conficit 42 milliones milliarium, si sit sub æquinoctiali.

Tertio, ex eo quod convexum firmamenti contineat in suo gyro milliones mille et septemdecim cum dimidio. Unde sequitur, quod punctum quodlibet in æquatore positum, sive stella quælibet in æquinoctiali, conficiat suo motu et circulatione singulis horis milliaria quadragies bis millena millia, 398 millia et 437, hoc est milliones 42, et insuper tertiam partem millionis, hoc est tantum quantum eques 40 milliaria quotidie conficiens, posset 2904 annis conficere. Una ergo hora quælibet stella sub æquinoctiali conficit bis millies ambitum terræ : sol vero una hora percurrit unum millionem et centum quadraginta millia milliarium, hoc est terræ ambitum quinquagies.

Quarto : sol quatuor millionibus distat a terra. Firmamentum octoginta millionibus distat a terra. Spissitudo firmamenti est 80 millionum. Lapis molaris 92 annis egeret ut e firmamento in terram caderet.

Quarto, ex eo quod sol quatuor millionibus milliarium distet a terra, ita ut si e terra recta ascenderes ad solem, deberes conficere quadragies centena millia milliarium : millio enim sunt decies centena millia. Firmamentum vero distat a terra 80 millionibus milliarium cum medio, ita ut si a terra ascenderes ad concavum firmamenti, deberes conficere 80 milliones cum medio. Jam vero eadem est distantia a concavo firmamenti ad ejus convexum : spissitudo enim firmamenti est 80 millionum. Unde sequitur quod, si lapis molaris a convexo firmamenti caderet, opus ei esset 92 annis ut terram attingeret, etiamsi singulis horis caderet ad 200 milliaria : nec enim amplius posset.

Quinto.

Quinto, ex eo quod totus mundus intra concavum firmamenti contentus, si conferatur ad globum e terra et aqua conflatum, eamdem proportionem habeat, quam ad unum vel unitatem habent myriadum 11 millia et 623 myriades. Myriadem voco mille milliones, millio sunt decies centena millia, ut dixi. Quocirca Ptolemæus mathematicorum princeps, qui floruit sub Adriano imperatore anno Domini 130, lib. I *Almagesti* VI, docet terram esse punctum respectu firmamenti, sive cœli stellati, idque tribus rationibus mathematicis evidenter demonstrat. *Prima* est, quod si terra esset alicujus quantitatis respectu firmamenti, non contingeret medietatem cœli videri. Rursum, oculus exsistens in centro terræ, videret medietatem cœli : sed idem exsistens in superficie terræ videt eamdem medietatem : ergo insensibilis est quantitas terræ quæ est a superficie ad centrum, et per consequens quantitas totius terræ insensibilis est respectu firmamenti. *Secunda*, cernimus quotidie extremas umbras gnomonum in horologiis, aliorumque corporum ita uniformiter et regulariter incedere, motuique solis conformari, ac si in centro terræ extremitates gnomonum illorum, sive corporum essent collocatæ. Ergo gnomen seu stylus quicumque in superficie terræ positus, non discrepat a centro mundi sensibiliter : quia sol et circa mundi centrum, et circa hujusmodi stylum uniformi motu incedit;

hoc enim fieri non posset, si notabiliter stylus a centro mundi distaret. *Tertia*, in omnibus terræ partibus, sive climatibus, eodem tempore a variis astronomis magnitudo et distantia unius ejusdemque stellæ, v. g. martis, eadem semper est deprehensa. Ergo nullus terræ locus ab alio, respectu unius ejusdemque puncti cœlestis, differt sensibiliter. Rursum, eædem stellæ non majores, sed æquales apparent juxta horizontem positæ, ubi dimidium terræ inter oculum et stellam interjicitur, ac positæ in medio cœli, ubi nil terræ interjicitur. Signum ergo est terram nihil hic augere, et esse insensibilem.

Sexto, ex eo quod multo minor sit proportio totius mundi intra concavum firmamenti contenti, ad complexum cœli empyrei, quam sit globi terræ et aquæ ad firmamentum.

Septimo, 4000 annorum non pervenires a terra ad convexum firmamenti, licet quotidie ascenderes ad centum milliaria.

Septimo, quia ex dictis sequitur quod, si bis mille annis viveres, et quotidie directe in altum ascenderes centum milliaria, idque continuo, post bis mille annos necdum pervenires ad concavum firmamenti. Rursum post alios bis mille annos recta ascendens et conficiens quotidie centum milliaria, non pervenires a concavo firmamenti ad ejusdem convexum : inde vero ad empyreum longe major est distantia.

Hæc et plura docet P. Christophorus Clavius in *Sphæra* ex communi mathematicorum sententia, quibus uti et aliis in sua arte credendum est. Ite nunc, mortales, ambite prædia, domos, villas, regna, et punctum hoc in infinita puncta discerpite. Nimirum hoc puncto luditis cœlum : hoc instanti a vobis luditur Æternitas. Sapientius Cicero : « Quid ei potest videri magnum in rebus humanis, cui æternitas omnis, totiusque mundi nota sit magnitudo? » Idem in *Somnio Scipionis* : « Ipsa terra ita mihi parva visa est, ut me imperii nostri, quo quasi punctum ejus attingimus, pœniteret : quam cum magis intuerer, quæso, inquit Africanus, quousque humi defixa tua mens erit? nonne aspicis quæ in templa veneris. » Et inferius : « Sentio, inquit, te sedem etiam nunc hominum contemplari, ac domum : quæ si tibi parva, ut est, ita videtur, hæc cœlestia semper spectato, illa humana contemnito. » Hinc Horatius docet in rebus humanis nil esse admirandum, quia nil magnum :

> Nil admirari, prope res est una, Numici,
> Solaque, quæ possit facere et servare beatum.

Et Ptolemæus, ut habetur in *Præfat. Almagesti*, dictitabat non esse mirandum si regna ab uno in alium transferantur : « Ille, inquit, inter homines altior est mundo, qui non curat in cujus manu sit mundus. » Quocirca Plotinus, lib. III, a viro probo et sapiente exigit oblivionem rerum inferiorum et terrenarum, ut duntaxat memor sit altissimarum et divinarum.

Præclare Seneca, lib. I *Natur.* Quæst. *in Proœmio* : « Punctum est, inquit, in quo navigatis, in quo bellatis, in quo regna disponitis : sursum ingentia spatia sunt. » Item : « Hoc est punctum quod inter gentes ferro et igni dividitur : o quam ridiculi sunt hominum termini! » Deinde cum formicis homines conferens : « Cum te, ait, in illa vere magna sustuleris, quoties videbis exercitus subrectis ire vexillis, dices : It nigrum campis agmen. Formicarum iste discursus est, in angusto laborantium. » Boetius vero, lib. II *De Consolatione*, « terram » non solum punctum, sed « punctum puncti » appellat. Terra enim tota punctum est respectu cœli : hujus terræ quam exigua portio est illa quam possidemus! sane ex puncto punctum decerpimus et occupamus. « In hoc ergo, inquit, minimo quodam puncti puncto conclusi, de pervulganda fama, de proferendo nomine cogitatis? » Tam parvus est vicus orbis terrarum, si cœlo conferatur.

Gnomæ sanctorum de terræ parvitate et cœli magnitudine.

Quare merito S. Ludovicus episcopus Tolosanus, Caroli Siciliæ regis filius, regnum terrenum vocabat *splendidam servitutem* : « Si domum, inquit, ac paternum regnum contemplor, parvum id est, contemplanti ingentia illa spatia quæ sursum sunt; in quorum possessionem animus admittitur, si se homo erexerit super se. » Et S. Fulgentius visa Romana magnificentia : « Quam speciosa, inquit, est Jerusalem cœlestis, si ita fulget Roma terrestris, et si in hoc sæculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem, quænam præstabitur sanctis diligentibus veritatem? » Et Porphyrius, Gazæ episcopus, videns Theodosii imperatoris infantem cum tanta pompa baptizari : « Si ea, inquit, quæ paulo post evanescunt tantum gloriæ splendorem habent, quantum habitura sunt cœlestia, quæ parata sunt sanctis et electis Dei? » Denique hinc S. Ambrosius, lib. VI *Hexam.*, ostendit pauperem æque felicem esse ac divitem : quia ei, inquit, communis est hæc domus amplissima, scilicet mundus, et communis fax, scilicet sol, communes stellæ quasi tapetes, communis aer, communis aqua, etc.

27. NON HOS ELEGIT DOMINUS. — Deus enim non staturam, non robur, non numerum, sed mores eligit; imo in prima vocatione ad fidem et gratiam mores non eligit, sed eligendo eos facit et format bonos. Hoc est quod ait Moses, *Deuteron.* VII, 6 : « Te elegit Dominus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis qui sunt super terram. Non quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis junctus est Dominus, et elegit vos, cum omnibus sitis populis pauciores. »

29. QUIS ASCENDIT, — *q. d.* Ab homine nusquam nec in cœlo, nec in terra inveniri potest sapientia, sed tantum apud Deum qui est fons et pelagus sapientiæ : cum ergo divina et cœlestis sit sapientia, nemo potest eam scire nisi Deo revelante, sicut ipse revelavit eam olim Judæis per Mosen et prophetas, quibus proinde facilis et ad manum fuit hæc sapientia, ut dicitur *Deuter.* cap. XXX, 11, atque ut eamdem plenius et clarius doceret, ad Vers. 29.

nos tandem et carnem nostram descendit factus homo, ut ait vers. ult.

Promethei fax, quæ? Sic poetæ fingunt Prometheum, cum lux orbi deesset, facem suam in cœlo accendisse, eaque orbi lumen præbuisse. Per facem enim hanc et lumen, significarunt sapientiam a Deo in terras demissam, eam illuminasse, et docuisse viam salutis. Vide *Job.* XXVIII, 12 et seq.

Vers. 30. 30. ATTULIT ILLAM SUPER (id est potius quam) AURUM ELECTUM. — Sapientia enim est margarita pretiosa, pro qua sapiens mercator mare transfretabit, ut eam sibi comparet, imo opes omniaque sua pro ea dabit : ipsa enim omne pretium superat, ut ait Job, cap. XXVIII, 15, et Salomon, *Proverb.* cap. III, 15.

Vers. 31. 31. NEQUE QUI EXQUIRAT SEMITAS EJUS. — Græce est, *non est qui animo comprehendat semitam ejus.*

Vers. 32. 32. SED QUI SCIT UNIVERSA. — *q. d.* Solus Deus, qui est ipsa sapientia æterna et increata, eam invenit, et cui vult communicat. Nota : Deus ab æterno habuit innatam quasi sibi sapientiam increatam, tumque ex ea adinvenit et elicuit creatam dandam creaturis, de qua hic loquitur Baruch.

PRÆPARAVIT (id est *firmavit*) (hoc enim est hebræum כּוֹן *con*) TERRAM, — ut duret æterno tempore, id est semper.

Vers. 33. 33. QUI EMITTIT LUMEN, ET VADIT. — « Qui solem suum oriri facit super bonos et malos, » *Matth.* cap. V, 45.

ET OBEDIT ILLI IN TREMORE, — id est statim, celerrime et ad nutum, ac si summa humilitate et tremore Deum et Dominum suum agnosceret. Est catachresis poetica.

Vers. 34. 34. IN CUSTODIIS SUIS, — in suis stationibus et locis a Deo designatis. Est metaphora ab excubiis militum : stellæ enim sunt militia cœli et milites Dei.

ET LÆTATÆ SUNT. — Id est fulserunt, vel prompte et alacriter Deo obedierunt, tam in lucendo quam gyrando, quin et miraculose ad Dei nutum se sistendo, vel lumen et iter reflectendo, uti contigit sub Josue.

Vers. 35. 35. DIXERUNT, — non verbo, sed facto : est enim hic continua prosopopœia. Simili utitur Job, cap. XXXVIII, 35 : « Numquid mittes fulgura, et ibunt, et revertentia dicent tibi : Adsumus ? »

Vers. 36. 36. ADVERSUS EUM. — Græce, πρὸς αὐτὸν, *ad eum,* id est qui ei, scilicet Deo, comparetur.

Vers. 37. 37. HIC ADINVENIT. — Conclusio est totius discursus, scilicet Deum esse a quo sapientia petenda et requirenda sit.

ET TRADIDIT ILLAM JACOB PUERO SUO, — scilicet cum Jacobæis dedit legem per Mosen in Sina, cumque eos docuit viam salutis per Isaiam aliosque prophetas.

Vers. 38. 38. POST HÆC IN TERRIS VISUS EST, — scilicet in Sina, quando in nube apparens Hebræis dedit legem, et quando cum eis, præsertim cum Mose, per 40 annos in deserto est conversatus, colloquens cum eo familiariter, nunc in columna ignis et nubis, nunc in tabernaculo. Ita aliqui apud Lyranum. Unde ex Græco verti potest, « hæc, » scilicet sapientia, vel via disciplinæ, id est lex Dei, « visa est in terris, » scilicet in monte Sina. Sed respondeo : « In terris visus est, » scilicet Deus, qui est ipsa sapientia, dum carnem induit, et cum hominibus per triginta tres annos conversatus est : « visus est, » id est nascetur et videbitur : « conversatus est, » id est conversabitur : loquitur enim prophetice. Ita Theodoretus, Hugo, Lyranus, Dionysius hic : item Tertullianus lib. *Contra Praxeam*, cap. VI; Cyprianus, lib. I *Contra Judæos*, cap. V; Chrysostomus, homil. 2 *in Matth.*; Athanasius, Quæst. XXXVI *ad Antioch.*; Eusebius, lib. VI *Demonstr.* cap. XIX; Ambrosius, lib. I *De fide* II; Hilarius, lib. V *De Trinitate* in fine; Nazianzenus, orat. 4 *De Theologia* : Augustinus, lib. XVIII *De Civit.* XXXIII, Cyrillus, lib. X *Contra Julian.*; Basilius, lib. IV *Contra Eunom.*, Bernardus; serm. 13 *in Cant.* et alii, qui hinc contra Arianos docent Christum Filium Dei esse verum Deum, unumque cum Patre. Unde ait : « Post hæc, » id est post legem veterem datam Israeli in Sina.

Unio et communicatio idiomatum in Christo. Ubi nota : In incarnatione tam arcta fuit unio Dei cum homine in Christo, ut viso hoc homine, puta Jesu, vere Deus videri diceretur, et hoc homine inter homines ambulante et conversante, vere Deus ipse ambulare et conversari cum hominibus dici posset; adeoque eumdem hominem digito demonstrantes, vere dicere possemus : Hic est Deus noster, ut ait hic Baruch. Per incarnationem enim deitas et humanitas ita unita sunt in una hypostasi, ut ipsæ idiomata et attributa mutua sibi invicem communicarint, tamque dici possit quod Deus sit natus, visus, passus, crucifixus, mortuus; quam quod hic homo, puta Jesus, sit filius Dei, homousios Patri, æternus, immensus, etc. Vox enim *hic homo*, et vox *Deus*, in Christo unam eamdemque hypostasin significant, scilicet Verbi et Filii Dei, quæ utramque naturam, divinam scilicet et humanam, sustentavit, cui proinde omnia attributa et actiones, æque ac passiones tam humanitatis quam divinitatis competunt, vereque attribuuntur. Vide hic quanta sit concordia et parilitas Prophetæ cum Evangelista S. Joanne; quod enim Propheta hic futurum prædicit : « Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est; » hoc Evangelista factum narrat, aitque : « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis : et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre. » Unde patet contra Judæos Messiam vere esse Deum, non merum hominem.

Ex unitate hypostasis.

Tertio, a Castro et Lyranus utrumque sensum jam datum conjungunt, *q. d.* Postquam Deus, id est Dei Filius, adinvenit ab æterno sapientiam et viam disciplinæ (est enim ipse verbum, sapientia et idea Patris æterni), in terris visus est; quia Filius Dei passim in Veteri Testamento Patribus

apparuit, puta angelus corpus humanum assumens, in eoque apparens gerebat personam Filii Dei quandoque incarnandi. Sic ergo Filius Dei visus est Jacobo patriarchæ, vel Jacobo, id est posteris Jacobi, scilicet Mosi et Hebræis, præsertim cum in Sina eis dedit legem : de ea enim agit in anteced. et seqq. Deinde plane et perfecte in veritate quæ veteri illo typo in Sina adumbrabatur, visus est corporaliter in terra, cum de Virgine natus cum hominibus conversatus est. Sed τὸ *post hæc*, scilicet postquam « adinvenit viam disciplinæ, et tradidit illam Jacob puero suo, » ut præcessit, priorem sensum excludit; et solum secundum sensum Patrum, qui de Christo est; patitur, eumque exposcit; alioqui græcum μετὰ τοῦτο, id est *post hoc*, scilicet postquam adinvenit viam disciplinæ, utrumque sensum aliquatenus admittit, magis tamen secundum; τὸ enim *post hoc* totum versum præcedentem referre videtur, *q. d.* « Postquam adinvenit viam disciplinæ, et tradidit illam Jacob puero suo, » in terris visus est (1).

Pulchre S. Bernardus, serm. 2 *De Cœna Domini* : « Ut invisibilis, inquit, videretur a nobis, ut immortalis moreretur pro nobis, Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Habitavit hoc Verbum in nobis obrumbratum carne, quam pro nobis assumpsit ex nobis; Verbum in carne, sol in nube, mel in cera, lumen in testa, cereus in lucerna. Sustinuit in assumpta carne incommoda nostra, sine peccato carnis portans in carne peccata nostra, et hoc totum non propter se, sed propter nos, ut redderet nos incolumes de infirmis, cohæredes de extraneis, liberos de servis. » Vide hic quam purus fuerit amor Christi in nos, qui sibi nihil, omnia nobis quæsivit, sine suo commodo, imo cum magno incommodo : totum enim se pro nobis in vita et morte expendit et exhausit. Redde amorem amori, purum puro.

Mysterium incarnationis quantum.

Huc alludit S. Paulus, *Hebr.* I, 1, cum ait : « Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime locutus est nobis in Filio. » Et *ad Tit.* III, 4, dicens : « Cum autem benignitas et humanitas (græce φιλανθρωπία, id est, *singularis* ille *erga homines amor*) apparuit Salvatoris nostri, etc., » et cap. II, 11 : « Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, et sæcularia desideria, sobrie et juste, et pie vivamus in hoc sæculo, exspectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei. » Ecce hæc est vera sapientia, quam ut nos doceret Christus, incarnatus est. Unde, I *Timoth.* III, 16, vocat hoc « magnum pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, » etc.

Præclare S. Cyprianus, serm. *De Ascensione* : « Quid amplius, ait, vis, o homo? prius dicebatur Deo : Tuus est homo; nunc dicitur homini : Tuus est Deus. » Ex quo optime concludit : « O homo! sufficis tu Deo, sufficiat tibi Deus. » Unde S. Augustinus, serm. 26 *De Tempore*, sic argumentatur : « Deus sequendus erat qui videri non poterat, homo sequendus non erat qui videri poterat : ut ergo haberet homo, et quem videret homo, et quem sequeretur homo, Deus factus est homo. » Quare S. Leo, serm. 1 *De Nativit.* : « Agnosce, ait, o homo, dignitatem tuam, et divinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire. » Merito S. Paulus, I *Corinth.* XVI, 22 : « Si quis non amat, ait, Dominum Jesum Christum, sit anathema, » id est sit *a Deo separatus*. Et rationem reddit : *maranatha*, id est *Dominus noster venit*, *q. d.* Talis non potest excusari ullo modo, quia jam Dominus venit, summum nobis ostendens amorem æque ac humilitatem, docensque reipsa omnem sapientiam, puta veram in Deum fidem, spem, charitatem, patientiam, religionem, misericordiam, zelum, orationem, mansuetudinem, sobrietatem, modestiam, justitiam, magnanimitatem, cæterasque virtutes, omnemque perfectionem vitæ christianæ. Unde ipse ait : « Ego sum via, veritas et vita : ego sum lux mundi. Discite a me, quia mitis sum et humilis corde. Beati pauperes spiritu, beati mites, beati misericordes, beati qui esuriunt, beati pacifici, beati mundo corde, beati qui persecutionem patiuntur, » etc.

O sapientes, o felices, qui hanc Christi sapien-

(1) Grotius non dubitat asserere hunc versus sensum esse ex illis quæ dixit a christiano aliquo exscriptore addita. Sed præterquam quod hunc versum in omnibus codicibus manuscriptis et in omnibus versionibus Baruchi legimus, idem versus respondet alteri sententiæ ex *Prov.* VIII, 30, 31, et *Eccli.* XXIV, 13, 14, et *Sapient.* IX, 10, 11. Porro quis omnia simul hæc loca supposita esse arguat? Rationalistæ vero interpretes (et inter catholicos P. Hubigantius) genuinum hujus versum adulterare satagentes, ita vertunt : Tunc Deus velut in terris visus est, et cum hominibus conversatus est; ut pariter in sensu figurato de sapientia divina dicitur (*Prov.* VIII, 34; *Sap.* IX, 11; *Eccli.* XXIV, 10-12.) Sed hic dicitur Deum homini apparuisse et cum illo conversatum fuisse, postquam dictum est illum populum Israeliticum informasse per legem et prophetas. Ergo, ut recte concludit d'Allioli, apparitio et conversatio Dei inter homines hic dantur ut operationes diversæ et distinctæ ab iis quibus Israelem docuit. Nam, ut bene notat Calmetus, postquam sese Deus patriarchis exhibuit, legemque Israeli dedit, quid jam reliquum esse poterat, præterquam quod ipse inter homines descenderet, mediusque versaretur? Id porro incredibili clementia gessit, humanæ carnis et naturæ exuviis indutus : « Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, » Dei adventus, seu res elapsa prædicitur, prophetarum more, qui futuras res ceu præteritas memorant (*S. Script. Curs. Compl.*) Aliunde si de Sapientia explices : *Post hæc Sapientia in terris visa est, et cum hominibus conversata est*, res ad idem rediret, et imperitæ tautologiæ auctorem argueret. Cæterum, præter unanimem Patrum et interpretum consensum, habemus hic ipsos protestantes veritati testimonium reddentes his verbis : « Ego non dubito, inquit Badvellus, quin Christum Filium Dei in carne revelatum intellexerit. Is enim est æterna Dei sapientia, per quam omnia creata sunt, quæ postea carne induta cum hominibus est conversata, ab eisque visa et contrectata. »

fiam audiunt, hauriunt, gustant, ut dicant cum S. Paulo : « Vivo ego, jam non ego : vivit vero in me Christus ; » et : « Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum, » I *Corinth.* cap. II, 2. Vere Poeta :

Si Christum noscis, nil est si cætera nescis.
Si Christum nescis, nil est si cætera noscis.

De talibus dici potest, quod de S. Paulo dixit Dionysius Areopagita, « in Paulo vivere vitam amatoriam. » Nam, ut idem ait I *Corinth.* XV, 48 : « Qualis terrenus (Adam), tales et terreni : et qualis cœlestis, tales et cœlestes. Igitur, sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cœlestis, » et *Ephes.* IV, 23 : « Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis. »

Christus est doctor sapientiæ.

Christus enim talis est magister et doctor sapientiæ, qui, ut dicitur *Actor.* cap. I, 1, cœpit prius facere, deinde docere. Quare nos christiani debemus tenere illud, *Isai.* XXX, 20 : « Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, et exsultare, » ut ait Joel, cap. II, 23, « Domino Deo nostro, quia dedit nobis doctorem justitiæ, » atque gaudere quoties in Evangelio audimus : « Dixit Jesus discipulis suis ; » quin et invicem adhortari verbis, *Isai.* cap. II, 3 : « Venite, ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus ; » et cap. XXX, 21 : « Hæc est via, ambulate in ea ; et non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram. » Itaque Christus Christique sapientia et vita est omne bonum nostrum. « Ergo, inquit S. Paulinus, *epist.* 4, illum amemus, quem amare debitum est : illum osculemur, quem osculari castitas est : illi subjiciamur, sub quo jacere, supra mundum stare est : propter illum dejiciamur, cui cadere resurrectio est : illi commoriamur, in quo vita est. » Rursum Christus non tantum verbis et exemplis, sed et gratia sua mentem illuminans, et affectum inflammans nos docet. Unde ait Apostolus, I *Corinth.* cap. I, 30 : « Qui (Christus) factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio. »

Christus fideli semper sit in ore et corde.

Christum ergo gestemus in oculis, in ore, in aure, in corde. Ita Constantinus imperator Christi nomen duabus descriptum litteris initialibus, uti Deus ei in visione monstraverat, semper in galea et in labaro gestabat, itaque ubique victor evasit. Vide Baronium anno Christi 312. Ita Diaconus ille et Martyr apud Eusebium, lib. V *Histor.*, cap. I, nomine Sanctus, cum examinaretur de suo nomine, patria, familia, statu, non aliud respondebat, quam « christianus sum ; » et S. Blandina in tormentis dicens assidue : « Christiana sum, et apud nos nihil sceleris admittitur, » summum dolorum levamen et consolationem sentiebat.

Denique vide hic, o christiane, dignitatem tuam, tuique nominis, et tuæ sapientiæ. « Christianismus, » inquit Nyssenus, tract. *De Profess. christiani*, « est imitatio naturæ divinæ. » Si ergo christianus es, Christum imitare, noli vacuum ferre nomen et inane, sed plenum, tanti mensuram nominis imple operibus nomine dignis : qui aliter facit nomen ementitur, simia Christi est, non christianus. Dicat proinde christianus : Mihi genus ab Jove summo, Filius Dei meus frater, meus doctor, meus pædagogus est : divine ergo mihi vivendum est : angelus sim oportet ; nam, ut ait S. Petrus, *epist.* I, cap. II, 9 : « Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. » Denique cum Christus factus sit homo, ut nobiscum conversaretur, et nos familiariter cum eo versari, cogitari et colloqui discamus. Quisque sibi proponat et imprimat speciem Christi vel nascentis, vel docentis, vel crucifixi, vel aliud agentis, scilicet illam, qua se facilius magisque ad amorem et pietatem moveri persentiscit : atque per eam ad deitatis et Trinitatis contemplationem et venerationem transcendat. Ideo enim Christus humanitatis nostræ factus est particeps, ut nos divinitatis suæ tribueret esse participes, ut dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur.

Ita per 34 annos assidue versata est cum Christo B. Virgo, quanto fructu ; quanto pietatis, quanto amoris et dulcedinis sensu ? Ita S. Paulus : « Vivo, ait, jam non ego : vivit vero in me Christus. » Et : « Mihi vivere Christus est, et mori lucrum. » Ita S. Magdalena per triginta annos in Bauma sua non aliud egit, quam versari cum Christo, ejus dicta, facta, beneficia sibi collata, passionem et mortem recolendo, ac præ suavitate consolationum cœlestium continenter lacrymando : quocirca Christus eam e cœlo visibili specie plus centies visitavit, et mire recreavit. Ita S. Hieronymus ut vivaciter sibi semper ob oculos poneret Christum, secessit in Bethlehem, ibique ad Christi præsepe, eum nascentem, vagientem, lactentem assidue contemplans, vitam cum Christo jucundissime et sanctissime transegit. Quocirca ipse scribens ad Eustochium : « Amemus, ait, nos Christum, ejusque semper quæramus amplexus, et facile videbitur omne difficile : brevia putabimus universa quæ longa sunt, et jaculo illius vulnerati per horarum momenta dicemus. Heu me, quia peregrinatio mea prolongata est. » Eustochium ergo, Paula, Melania, et nobilissimarum Romanarum virginum chorus S. Hieronymum in Bethlehem secutus est. Audi quibus verbis Paula et Eustochium eodem invitent Marcellam, *epist.* 17, apud S. Hieronymum : « Cum comitante Christo per Silo et Bethel, et cætera loca, in quibus Ecclesiæ, quasi quædam victoriarum Domini erecta sunt vexilla, ad nostram speluncam (Christi nascentis in Bethlehem) redierimus ; canemus jugiter, crebro flebimus, indefinenter orabimus, et vulneratæ jaculo Salvatoris

in commune dicemus : Inveni quem quæsivit anima mea, tenebo eum, et non dimittam illum. »

Ita S. Edmundus Cantuariensis archiepiscopus adhuc puer cum Christo puero corporaliter sibi apparente, in schola familiariter versabatur, indeque tantus Ecclesiæ præsul evasit. Ita S. Catharina Senensis cum Christo, quasi sponsa cum sponso jugiter tractabat, ab eoque et spineam coronam quam capiti impressit, et novum cor, novamque mentem *christiformem* accepit. Ita a puero versata fuit cum Christo S. Joanna regina : unde et pingitur cum puero Jesu qui porrigit ei annulum, eoque eam sibi desponsat. Imaginis vero ejus ex *Vita* hæc est subscriptio : « B. Joanna sanctitate celebris filia Ludovici XI, et uxor Ludovici XII, regum Franciæ, ducissa Bituricensis, post diversas, etiam a puerilibus annis, a Filio Dei ejusque sanctissima Matre acceptas revelationes, anno 1502, fundavit sanctissimum Ordinem ejusdem Deiparæ Virginis Mariæ (Annuntiationis, unde et vulgo *Annuntiatæ* vocantur, quæ in Francia et in Belgio, præsertim Lovanii et Antuerpiæ valde florent) ab Alexandro VI et Julio II et Leone X pontificibus approbatum et confirmatum. Denique post mortem miraculis clara, migravit ad cœlestem suum sponsum Biturigis anno Domini 1504, ætatis suæ annum necdum quadragesimum ingressa. »

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit commendare et hortari suos ad sapientiam, eamque docet sitam esse in Dei lege et cultu : id facit a vers. 1 *usque ad* 9. *Inde inducit Jerusalem quasi matrem lugentem filiorum suorum captivitatem, quos consolatur spe liberationis a vers.* 9 *usque ad vers.* 30. *Exinde ad finem capitis Propheta consolatur ipsam Jerusalem, prædicens excidium Babylonis, et Judæorum libertatem* (1).

1. Hic liber mandatorum Dei, et lex, quæ est in æternum : omnes qui tenent eam, pervenient ad vitam, qui autem dereliquerunt eam, in mortem. 2. Convertere, Jacob, et apprehende eam, ambula per viam ad splendorem ejus contra lumen ejus. 3. Ne tradas alteri gloriam tuam, et dignitatem tuam genti alienæ. 4. Beati sumus Israel : quia quæ Deo placent, manifesta sunt nobis. 5. Animæquior esto, populus Dei, memorabilis Israel : 6. venumdati estis gentibus non in perditionem : sed propter quod in ira ad iracundiam provocastis Deum, traditi estis adversariis. 7. Exacerbastis enim eum qui fecit vos, Deum æternum, immolantes dæmoniis, et non Deo. 8. Obliti enim estis Deum, qui nutrivit vos, et contristastis nutricem vestram Jerusalem. 9. Vidit enim iracundiam a Deo venientem vobis, et dixit : Audite, confines Sion, adduxit enim mihi Deus luctum magnum : 10. Vidi enim captivitatem populi mei, filiorum meorum, et filiarum, quam superduxit illis Æternus : 11. Nutrivi enim illos cum jucunditate : dimisi autem illos cum fletu et luctu. 12. Nemo gaudeat super me viduam, et desolatam : a multis derelicta sum propter peccata filiorum meorum, quia declinaverunt a lege Dei. 13. Justitias autem ipsius nescierunt, nec ambulaverunt per vias mandatorum Dei, neque per semitas veritatis ejus cum justitia ingressi sunt. 14. Veniant confines Sion, et memorentur captivitatem filiorum, et filiarum mearum, quam superduxit illis Æternus.

(1) Primo, a vers. 1 ad 9, ut bene notat Cornelius, prosequitur Propheta incœptam commendationem sapientiæ ab amplitudine ejusdem, omnes leges complectente, et ad veram felicitatem ac gloriam perducente, 1-4; et iterum causam justam ostendit calamitatis eorum, scilicet culpam et contumaciam adversus Dominum susceptam, Deique misericordiam eos hac castigatione ad salutem revocantis, 5-9.

Secundo, sequitur parœnesis ad capiendam fiduciam, in qua per prosopopœiam Ecclesia Jerosolymitana inducitur, *primo*, lugens ob captivitatem incolarum peccatis ipsorum accersitam, et ab hoste barbaro injectam, 9-16; *secundo*, deliberans, et quod unum potest, pro iisdem preces spondente, 17-20; *tertio*, excitans illos ad fiduciam et preces, ac certam suam spem declarans de eorum liberatione ac reditu, 21-24; *quarto*, cohortans simul eosdem ad pœnitentiam, et meliorem rerum conversionem præsagiente, 25-29.

Tertio, Propheta ipsam Hierosolymam alloquitur in fine hujus capitis et in toto capite sequenti, et *primo*, vindicem talionem hostibus Hierosolymæ reddendam prænuntiat, 30-35; *secundo*, florem urbi et populum patriæ rediturum promittit; *tertio*, Hierosolymam ad luctum ponendum cohortatur, v, 1; *quarto*, futuram urbis sanctitatem, gloriam et donorum abundantiam celebrat, 2-4; *quinto*, iterum honorificum incolarum reditum asserit, et omnia universis prospera a Deo obventura prædicit, 5-9.

15. Adduxit enim super illos gentem de longinquo, gentem improbam, et alterius linguæ : 16. qui non sunt reveriti senem, neque puerorum miserti sunt, et abduxerunt dilectos viduæ, et a filiis unicam desolaverunt. 17. Ego autem quid possum adjuvare vos ? 18. Qui enim adduxit super vos mala, ipse vos eripiet de manibus inimicorum vestrorum. 19. Ambulate, filii, ambulate : ego enim derelicta sum sola. 20. Exui me stola pacis, indui autem me sacco obsecrationis, et clamabo ad Altissimum in diebus meis. 21. Animæquiores estote, filii, clamate ad Dominum, et eripiet vos de manu principum inimicorum. 22. Ego enim speravi in æternum salutem vestram : et venit mihi gaudium a sancto super misericordia, quæ veniet vobis ab æterno salutari nostro. 23. Emisi enim vos cum luctu et ploratu : reducet autem vos mihi Dominus cum gaudio et jucunditate in sempiternum. 24. Sicut enim viderunt vicinæ Sion captivitatem vestram a Deo, sic videbunt et in celeritate salutem vestram a Deo, quæ superveniet vobis cum honore magno, et splendore æterno. 25. Filii, patienter sustinete iram, quæ supervenit vobis : persecutus est enim te inimicus tuus, sed cito videbis perditionem ipsius : et super cervices ipsius ascendes. 26. Delicati mei ambulaverunt vias asperas : ducti sunt enim ut grex direptus ab inimicis. 27. Animæquiores estote, filii, et proclamate ad Dominum : erit enim memoria vestra ab eo qui duxit vos. 28. Sicut enim fuit sensus vester ut erraretis a Deo : decies tantum iterum convertentes requiretis eum. 29. Qui enim induxit vobis mala, ipse rursum adducet vobis sempiternam jucunditatem cum salute vestra. 30. Animæquior esto, Jerusalem, exhortatur enim te, qui te nominavit. 31. Nocentes peribunt, qui te vexaverunt : et qui gratulati sunt in tua ruina, punientur; 32. civitates, quibus servierunt filii tui, punientur ; et quæ accepit filios tuos. 33. Sicut enim gavisa est in tua ruina, et lætata est in casu tuo, sic contristabitur in sua desolatione. 34. Et amputabitur exsultatio multitudinis ejus, et gaudimonium ejus erit in luctum. 35. Ignis enim superveniet ei ab æterno in longiturnis diebus, et habitabitur a dæmoniis in multitudine temporis. 36. Circumspice, Jerusalem, ad orientem, et vide jucunditatem a Deo tibi venientem. 37. Ecce enim veniunt filii tui, quos dimisisti dispersos, veniunt collecti ab oriente usque ad occidentem, in verbo sancti gaudentes in honorem Dei.

1. HIC LIBER MANDATORUM DEI. — Id est sapientia, de qua egi cap. præced., non est aliud quam « liber mandatorum Dei. » Vide dicta, cap. III, 14.

ET LEX QUÆ EST IN ÆTERNUM. — Nota : Non loquitur de lege evangelica, ut vult Theodoretus, sed veteri : hanc enim suis Judæis commendat. Lex vetus æterna quadrupliciter. Ita Hugo et Lyranus. Hæc est æterna, *primo*, quia durat longissimo tempore, scilicet toto tempore legis veteris. *Secundo*, quia lex vetus quoad moralia præcepta, est æterna; quoad cæremonialia, est æterna, non in se, sed quoad eorum completionem et perfectionem in suo antitypo : durant enim illa in lege nova, puta in mysteriis Christi et Ecclesiæ, quæ adumbrabant et præsignificabant, per eaque implentur. *Tertio*, quia lex vetus in se semper vera et justa est, continetque veras, non fallaces promissiones, esto mutanda et abolenda esset. *Quarto*, quia observatores sui perducebat ad vitam æternam : qui enim eam ex charitatis et obedientiæ spiritu observabant, salvabantur. Ita Maldonatus.

2. CONVERTERE, JACOB (o Jacobæi, o Israelitæ), AMBULA AD SPLENDOREM EJUS, — sequere legem quasi facem prælucentem, incede per viam quam ipsa tibi sua luce et splendore demonstrat : nam, ut ait David, *Psalm.* CXVIII, 105 : « Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis ; » et Salomon, *Proverb.* VI, 25 : « Mandatum lucerna est, et lex lux. »

CONTRA LUMEN EJUS, — id est a regione luminis ejus, sicut fit cum præeuntem lucernam sequimur.

3. NE TRADAS ALTERI GLORIAM, — ne te subjicias aut complaceas cuiquam contra aut præter Dei voluntatem, ut scilicet ejus gratia gloriam tuam, quæ est unius summi veri Dei cultus et religio, prodigas declinando ad idola et vitia. Hic sensus appositus est et genuinus. Vers. 3. Gloria fidelium triplex.

Secundo, Maldonatus : « Gloriam, » inquit, Judæorum vocat Dei legem : per hanc enim apud gentes erant celebres et gloriosi.

Tertio et melius, « gloriam » Judæorum vocat eorum Ecclesiam, sacerdotium, prophetas, etc., quibus gloriosus erat populus Dei, *q. d.* Vide ne Deum Deique legem offendas, ne Deus tibi iratus a te auferat suum cultum, Ecclesiam, prophetas, sacrificia, miracula, aliaque privilegia, quibus cæteris gentibus gloriose præemines, eaque transferat in Chaldæos aut aliam gentem, sicut transtulit in eos tuam patriam, opes et cives : et sicuti post Christum omnia hæc a Judæis transtulit ad

christianos, juxta prædictionem Christi, *Matth.* XXI, 41. Ita Hugo, Lyranus et a Castro.

4. BEATI SUMUS, ISRAEL, QUIA QUÆ DEO PLACENT, MANIFESTA SUNT NOBIS, — quia scilicet voluntatem suam, per legem quam nobis dedit, declaravit. Hoc est in quo exsultat Psaltes, dicens *Psalm.* CXLVII, 9 : « Non fecit taliter omni nationi : et judicia sua (leges suas) non manifestavit eis; » et Moses, *Deuter.* IV, 8 : « Quæ est enim alia gens sic inclyta, ut habeat cæremonias, justaque judicia, et universam legem, quam ego proponam hodie ante oculos vestros.

5. MEMORABILIS ISRAEL, — id est, o Israel, qui es non in oblivione, sed in memoria Dei, ut te liberet. Ita Hugo et Lyranus. Sed nota : Græce est μνημόσυνον, id est *memoriale* vel *monumentum*, *q. d.* O populo Dei, o Synagoga Judæorum! tu es monumentum Israelis, scilicet in quo servantur nomen et memoria Israelis sive Jacobi, et totius populi ex eo nati, qui æterna memoria est dignus. Populum vocat memoriale, eo quod bellis accisus ad paucos redactus esset, et qui superstites erant quasi reliquiæ a Deo fuissent conservati, ne Israelis memoria et stirps interiret.

Vers. 6. 6. VENUMDATI ESTIS GENTIBUS. — Id est traditi estis in servitutem Chaldæis, perinde ac si eis in servitutem essetis venditi. Est catachresis. Sic Apostolus, *Rom.* VII, 14, ait se venumdatum sub peccato, id est traditum concupiscentiæ; et Achab dicitur « venumdatus ut faceret malum, » id est traditus suis libidinibus et nequitiis, III *Reg.* XXI, 25. *Secundo*, proprie Chaldæi Judæos a se captos vendebant aliis Chaldæis et gentibus; erant ergo Judæi venumdati gentibus.

NON IN PERDITIONEM, — non ut penitus vos perderet et aboleret, sed ut castigaret et expiaret.

8. OBLITI ENIM ESTIS DEUM QUI NUTRIVIT VOS. — græce est, ἐπελάθεσθε δὲ τον φύσαντα ὑμᾶς Θεὸν αἰώνιον; hoc est, *obliti estis Deum æternum qui vos genuit*, ideoque meriti estis, ut pariter Deus obliviscatur vestri in æternum; sed ipse 70 annis tantum vestri obliviscetur, vosque in captivitate relinquet, ut ad eum recurrentes, pristinam ejus paternam curam experiamini. Hæc Dei est immensa bonitas.

CONTRISTASTIS NUTRICEM VESTRAM JERUSALEM. — Jerusalem vocat, non civitatem et cives, hi enim peccaverant, et contristaverant Jerusalem; sed Ecclesiam quæ eos in fide, lege et cultu Dei nutriverat. Sicuti enim Deum vocat *patrem*, ita Synagogam vocat *matrem* Judæorum.

9. VIDIT. — Jerusalem, id est Ecclesia per prophetas, quasi oculos suos; hi enim præviderunt et prædixerunt hæc mala, quæ populo Dei acciderunt.

AUDITE CONFINES SION. — Vox est Sion vel Jerusalem, id est Ecclesiæ, quasi matris ad filios suos captos, et ad « confines, » id est finitimas olimque sibi subditas urbes. Ita Theodoretus, *q. d.* Cum vidisset Ecclesia futuram captivitatem impendere, monuit vos, luxitque orbitatem sibi imminentem : sed vos monita hæc non curastis, nec resipuistis.

Vers. 12. 12. NEMO GAUDEAT SUPER ME, — nemo mihi insultet. Monet, ait Maldonatus, Ecclesia hæreticos et infirmos in fide, ne sibi insultent dicantque : Vexatur Ecclesia a Deo, quia non est vera Ecclesia Dei, hinc Deus eam negligit; et ne dicant : « Non est salus ipsi in Deo ejus, » *Psalm.* III, 3, aut : « Ubi est Deus eorum? » *Psalm.* CXIII, 2. Vexatur enim ad tempus, non quod sit pseudoecclesia, sed quod filii ejus Deum offenderint.

VIDUAM ET DESOLATAM, — derelictam a Deo meo marito, ejusque vicario Summo Pontifice, æque ac filiis meis orbatam.

MEMORENTUR, — plangendo mecum commemorent cladem filiorum, ut hic planctus mihi sit solatio, allevietque tristitiam meam.

Vers. 15. 15. ADDUXIT SUPER (contra) ILLOS DE LONGINQUO, (de Chaldæa) GENTEM IMPROBAM, — græce, ἀναιδές, id est *impudentem*, quæ sine pudore et respectu dignitatis aut ætatis, nobiles æque ac pauperes, senes æque ac juvenes, feminas æque ac viros, indigne tractet, spoliet vel occidat, *Thren.* IV, 10 et cap. V, 12.

ET ALTERIUS LINGUÆ, — id est barbaram, græce ἀλλόγλωσσον : hæc enim ingens est miseria, uti nos videmus dum christiani a Turcis capti eos intelligere nequeunt, ideoque cum eis obsequi, et quæ jubent exsequi non valeant, male mulctantur. Hoc Judæis comminatus erat Moses, *Deuter.* XXVIII, 49, et *Jerem.* cap. V, 15.

Vers. 16. 16. ABDUXERUNT (ita legendum, non, *adduxerunt*, ut habent Plantiniana) DILECTOS VIDUÆ (filios meos quæ sum vidua) ET A FILIIS UNICAM DESOLAVERUNT, — id est filiis privatam me desertam ac solam reliquerunt.

Vers. 19. 19. AMBULATE, FILII, — ite in captivitatem, et ego sola relinquar, fortiter tolerabo meam desolationem, ut vos fortiter et æquanimiter toleretis captivitatem, donec Deus vos ex ea liberet, et mihi restituat.

Vers. 20. 20. EXUI ME STOLA PACIS. — « Stola » vestis erat talaris ac muliebris, qua utebantur tempore prosperitatis et lætitiæ, pro qua Jerusalem hic desolata ait se sumere saccum obsecrationis, id est vestem lugubrem, qualis est pœnitentium, vel obsecrantium pro venia, puta cilicium, ut patet, *Jon.* III, 6. Vide dicta, *Thren.* II, 10.

Cilicium est vestis obsecrationis, stola exsultationis.

CLAMABO AD ALTISSIMUM IN DIEBUS MEIS, — ut vos e Babylone ad me Jerusalem reducat. Loquitur quasi femina quæ 70 annis esset victura, quibus duratura erat captivitas, *Jerem.* XXV, 11.

Vers. 22. 22. EGO ENIM SPERAVI IN ÆTERNUM, — græce ἐπὶ τῷ αἰωνίῳ, *in æternum* : sic Deum appellare solet, *q. d.* Esto duret captivitas vestra 70 annis, Deus hosce annos superabit (est enim æternus), iisque exactis vos ex ea liberabit, dabitque salutem æternam, itaque suam felicitatem et æternitatem vobis communicabit.

Nota : « Salutem » vocat liberationem e capti-

vitate Babylonica, ut explicant Theodoretus et Hugo, et sub ejus typo intelligit liberationem a peccato et morte, plenamque redemptionem per Christum; hæc enim proprie erit æterna. Ita Lyranus.

ET VENIT MIHI GAUDIUM A SANCTO, — a Deo cui Seraphini accinunt Sanctus, Sanctus, Sanctus, *Isai.* VI, *q. d.* Cum sperarem et orarem Deum pro vestra liberatione, ipse spem et gaudium mihi infudit, dum per prophetas mihi significavit, quod vos brevi (græce enim est ἐν τάχει) salvabit et liberabit. Deum enim vocat « salutarem, » id est salvatorem : hoc enim est græcum σωτῆρος.

24. VICINÆ SION. — Gentes et urbes gentiles vicinæ Judææ, ut Ammonitæ et Idumæi, qui Judæos in captivitatem euntes irriserant, *Jerem.* XLVIII, 27.

CAPTIVITATEM VESTRAM A DEO, — in quam Deus juste vos duci permisit.

SPLENDORE ÆTERNO. — « Æterno, » id est longo tempore duraturo. Græca Romana habent, *cum splendore ipsius æterni*, scilicet Dei, *q. d.* Redibitis cum splendore et gloria divina : omnes enim videbunt Deum vestrum esse liberatorem et reducem.

25. PERSECUTUS EST TE INIMICUS — Chaldæus. Ita omnes præter Theodoretum qui per inimicum accipit vicinos Idumæos et Ammonitas; hi enim Judæis erant infesti.

SUPER CERVICES IPSIUS ASCENDES, — illi dominaberis, illi imperabis, adeo ut iis quasi suppedaneis uti possis : sicut Sapor rex Persarum usus est Aureliano imperatore Romano, ac Tamberlanes Bajazete imperatore Turcarum. Sic Job, cap. XVI, 13, ait : « Tenuit cervicem meam, confregit me; » sicut miles, gallinam cervice apprehendens et intorquens, confringit et necat. Hinc videtur quod Cyrus Judæos extulerit, ut cum suis hostibus, puta Chaldæis, a Cyro victis, quasi domini imperiose agere non possent. Plenius tamen id factum est a Christo, qui Ecclesiam et apostolos fecit dominari cunctis gentibus, *Isai.* LX, 14. Ita ad litteram Alexander papa III Frederici Ænobarbi superbam cervicem domuit et calcavit, cum Venetiis ejus in terra prostrati collum pede premens dixit : « Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem. » Resultanti Frederico : « Non tibi, sed Petro; » Alexander rursum : « Et Petro et mihi. » Ita Chronicon Bessarionis, et recentiores chronologi, præsertim hæretici. Verum hæc, utpote turgida et insolentia, ab insigni modestia Alexandri III et a veritate aliena esse ostendit cardinalis Baronius, anno Christi 1177, tom. XII, ex historicis illius ævi, qui absolutioni Frederici interfuere.

26. DELICATI MEI, — filii a me in deliciis educati. Supplenda est hic altera pars antithesis, hoc modo : Inimicus duxit delicatos meos per vias asperas; Deus autem reducet eos per vias planas. Idem mystice facit diabolus, et ex adverso Christus : hoc enim est quod ait Isaias, cap. XL, 4 : « Erunt prava in directa, et aspera in vias planas. »

27 ERIT ENIM MEMORIA VESTRA, — id est *vestri*, *q. d.* Recordabitur Deus vestri, ut, sicut vos duxit Babylonem, ita et inde reducat.

28. SICUT FUIT SENSUS VESTER (græce διάνοια, id est *cogitatio*, conceptus et voluntas vestra, ut) ERRARETIS A DEO : DECIES TANTUM, etc., — græce δεκαπλασιάσατε, id est *decuplate conversi quærere eum.* Hoc est quod huc alludens Paulus monet, *Rom.* cap. VI, 19 : « Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem, » quasi dicas : O filii mei Judæi, esto Deum offenderitis, nolite desperare, quia animæ pœnitentis et generosæ est non succidere animo, ob peccatum in quod lapsa est, sed inde fortius resurgere et duplicare, imo decuplare, cursum in stadio virtutis. Atque ita fieri solet, indeque fit quod ait S. Gregorius, « ut plerumque gratior sit Deo fervens post culpam vita, quam securitate torpens innocentia. » Id vere est in S. Paulo, in S. Magdalena, in S. Petro, Matthæo et aliis vere pœnitentibus.

30. ANIMÆQUIOR ESTO. — Maldonatus putat esse verba Jerusalem, id est Ecclesiæ, ad Jerusalem, id est ad civitatem Jerusalem. Verum, ut caveamus hanc æquivocationem in voce Jerusalem, convenientius dicemus esse verba Dei, aut potius Prophetæ ad Jerusalem. Est enim in prophetis crebra enallage personarum, quas quasi in dialogo loquentes varie inducunt.

EXHORTATUR ENIM TE, — græce παρακαλέσει σε, quod Theodoretus et alii vertunt, *consolatur te*, scilicet exhortando te ad spem melioris sortis et fortunæ.

QUI TE NOMINAVIT, — ut voceris Jerusalem, quæ ante Salem et Jebus dicebaris, ait Dionysius. *Secundo*, Hugo, « Qui te nominavit, » inquit, id est qui te nominatam ac celebrem per orbem fecit; *tertio*, alii, « nominabit, » id est nomen novum tibi dabit, cum te e captivitate quasi novam reducet et reformabit, ut voceris novus Israel; *quarto*, « nominavit, » id est unice diligit, habetque in sua memoria et cura, noscens te ex nomine : sic de Beseleel dicitur : « Vocavi ex nomine, » *Exodi* XXXI, 2; et de Mose : « Novi te ex nomine, » *Exodi* XXXIII, 12; et de Christo, *Isai.* XLIX, 1 dicitur : « Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei; » *quinto* et optime : « Qui te nominavit, » id est vocavit, « civitatem Sancti, id est Dei, » *Isai.* cap. LII, 1 et cap. LX, 14. Deus enim in Jerusalem suum habebat templum, quasi regale solium in sua metropoli.

31. NOCENTES PERIBUNT. — Græce est δείλαιοι οἵ σε κακώσαντες, id est *miseri erunt qui te vexarunt*, uti præclare prædixit Isaias, cap. XVII, XVIII, XIX; et Jeremias, cap. XLVI, XLVII, XLVIII, XLIX, L.

32. ET QUÆ ACCEPIT, — Babylon, quæ filios tuos in captivitate et carcere excepit et afflixit.

34. ET AMPUTABITUR, — græce καὶ περιελῶ, id est *et auferam* exsultationem frequentis multitudinis ejus; ita est qua frequens ejus populus exsultat, vel qua ipsa Babylon ob frequentiam et multitudinem populi sui exsultat.

ET GAUDIMONIUM, — γαυρίαμα, id est *superbia et jactantia*, qua insolenter exsultat, convertetur in luctum : ita in tyrannis et impiis, « extrema gaudii luctus occupat; » contra piis et afflictis, ait Christus : « Tristitia vestra vertetur in gaudium. »

35. IGNIS, — id est, acerba punitio instar ignis superveniet Babyloni; *secundo*, proprie, « ignis ab æterno, » scilicet Deo, ad multos dies per Persas in Babylonem conjectus, eam combussit et in cineres redegit, ut patet, *Isai.* XIII, 19; *Jerem.* L, 39. Idque in congruam pœnam, eo quod Babylonii tyrannice Hierosolymam igne combusserant.

HABITABITUR A DÆMONIIS, — a Satyris et Faunis. Vide dicta *Jerem.* L, 39, et *Isaiæ* XXXIV, 14.

37. AB ORIENTE AD OCCIDENTEM, — id est ex Persia, Media, Babylonia, quæ ab oriente sunt Jerusalem (licet ipsa Babylon proprie esset ad septentrionem Hierosolymæ), redibunt Judæi ad Jerusalem.

IN VERBO SANCTI, — id est juxta promissum Dei, quo ipse illud per prophetas pollicitus est, quodque illud ipsum exsequetur et jubebit per Cyrum, cui hoc inspirabit, quemque Judæis benevolum efficiet. Ita Theodoretus.

Allegorice hoc verius est in fidelibus, qui ex omni orbis parte confluunt ad Christum Christique Ecclesiam.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jubet Jerusalem induere vestem lætitiæ, ob lætum filiorum e Babylone reditum, Deo præeunte, ac rebus omnibus in via illis collætantibus. Ita Theodoretus et Hugo.

Allegorice hoc verius est in salute, liberatione et gloria per Christum parta. Ita Lyranus et Hugo.

1. Exue te, Jerusalem, stola luctus, et vexationis tuæ : et indue te decore, et honore ejus, quæ a Deo tibi est, sempiternæ gloriæ. 2. Circumdabit te Deus diploide justitiæ, et imponet mitram capiti honoris æterni. 3. Deus enim ostendet splendorem suum in te, omni qui sub cœlo est. 4. Nominabitur enim tibi nomen tuum a Deo in sempiternum : Pax justitiæ, et honor pietatis. 5. Exsurge, Jerusalem, et sta in excelso : et circumspice ad orientem, et vide collectos filios tuos ab oriente sole usque ad occidentem, in verbo sancti gaudentes Dei memoria. 6. Exierunt enim abs te pedibus ducti ab inimicis : adducet autem illos Dominus ad te portatos in honore sicut filios regni. 7. Constituit enim Deus humiliare omnem montem excelsum, et rupes perennes, et convalles replere in æqualitatem terræ : ut ambulet Israel diligenter in honorem Dei. 8. Obumbraverunt autem et sylvæ, et omne lignum suavitatis Israel ex mandato Dei. 9. Adducet enim Deus Israel cum jucunditate in lumine majestatis suæ, cum misericordia et justitia, quæ est ex ipso.

1. INDUE TE DECORE, — amplectere exsultabunda decorem et gloriam, qua te operiet et quasi vestiet Deus, cum te gloriose e Babylone reducet in Judæam.

Moraliter S. Augustinus in *Sentent.* num. 9 : « Deum quærens, inquit, gaudium quærit. Sic ergo quærat, ut non in se, sed in Domino gaudeat. Accedendo enim ad Deum illuminatur ignorantia, et corroboratur infirmitas, data sibi et intelligentia qua videat, et charitate qua ferveat. »

Nota, scriptura per *induere* vel vestire significat duo : *primo*, copiam rei, ut res illa hominem quasi vestis undique ambire et operire videatur, ut dixi in S. Paulum, *Can.* XXVIII; *secundo*, arctam conjunctionem rei, ut vestis arcte corpori conjungitur, illudque stringit. Hunc decorem et gloriam Hierosolymæ pariter apprecatur Isaias, cap. LII, 1 et cap. LXI, 3.

CIRCUMDABIT TE DEUS DIPLOIDE JUSTITIÆ. — Ita legendum cum Romanis non, *circumdato te diploide a Deo justitiæ*, ut passim alii codices habent. Per *diploidem justitiæ* intelligit tunicam sacerdotalem et pontificiam, per *mitram honoris* cidarim, in qua scriptum erat *sanctitas Jehova*. Inde vocatur *diplois justitiæ*, quia erat index sanctitatis divinæ quam imitari debet sacerdos, *q. d.* Res- Diplois justitiæ quæ?

tituet Deus tibi, o Jerusalem, vestes sacerdotales, ipsumque sacerdotium et pontificatum, ac consequenter restaurabit templum, suumque in eo cultum et religionem; ita Theodoretus. *Secundo*, simplicius et aptius a Castro et Maldonatus : Diplois, inquiunt, est tunica talaris muliebris, loquitur enim de Jerusalem quasi de muliere : dicitur *diplois*, id est *duplex*, quia pelle et panno erat inferta et suffulta. Dicitur *justitiæ*, id est justa, quia Deus juste et fideliter, ut promiserat, compensavit ejus dedecus gloria, tristitiam hilaritate, captivitatem libertate.

ET IMPONET MITRAM CAPITI HONORIS ÆTERNI, — id est, mitram honorificam et gloriosam, quæ ostendat Jerusalem æterna gloria affectam, et sacerdotio ac regno rursum decoratam esse : hac enim de causa sacerdotes in capite gerebant coronas et mitras, ut patet, *Ezech.* XVI, 12. Verum simplicius mitram hic æque ac diploidem, non sacerdotalem, sed muliebrem accipias, *q. d.* Sicut regina ornatur sua mitra et diploide, ita Jerusalem rursum sua gloria et decore ac honore vestietur et ornabitur. Est enim hic continua metaphora sive allegoria in prosopopœia Hierosolymæ, de qua quasi de regina in regnum restituta loquitur, cui omnis suus ornatus tam sacer quam profanus, tamque sacerdotium quam regnum restituitur, et hoc modo hic sensus priorem ambit et complectitur. Id ita esse patet ex simili loco, *Ezech.* XVI, 2, 10, 11, 12, 13 collatis cum vers. 18 et 19. Mitra ergo est ornamentum capitis muliebre : Servius *calanticam* vocat.

Mitra vestis reginæ.

3. DEUS ENIM OSTENDET, — id est, Deus faciet ut toto orbe sis nominatissima et clarissima : hoc est quod eidem Hierosolymæ, sed per Christum restauratæ, id est Ecclesiæ christianæ, ait Isaias, cap. LX, 2 : « Super te orietur Dominus, et gloria ejus in te videbitur. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui. »

Vers. 4.

4. NOMINABITUR (est hebraismus ויקראו לך *vaiicra lach*, id est imponetur tibi nomen a Deo, scilicet, PAX JUSTITIÆ, ET HONOR PIETATIS. — Jam *vocari* vel nominari ponitur pro *esse*, *q. d.* O Jerusalem! eris civitas in qua abundabit pax nata ex justitia, et honor sive gloria ex pietate proveniens; ita ut merito vocari possis, *primo*, « Pax justitiæ, » id est abundans pace, hoc est prosperitate et rerum copia, quæ tibi obveniet ex justitia, qua Deus juste tuos oppressores et tyrannos Chaldæos evertet, teque ex eis liberabit : item ex justitia quam coles, quaque tuos cives gubernabis; *secundo*, eris et vocaberis « honor, » id est gloria, « pietatis, » ut omnes gentes perpetuo tuam pietatem, id est cultum et religionem, celebrent. Hæc et sequentia inchoate competunt Jerusalem Judaicæ e Babylone redeunti sub Esdra; plene vero competunt eidem christianæ, hoc est Ecclesiæ quæ in Jerusalem cœpit, et a captivitate peccati et diaboli liberata est per Christum. Ita Theodoretus, Hugo et Lyranus.

Ecclesia vocatur *pax justitiæ*.

Et *honor pietatis* cur?

5. IN VERBO SANCTI GAUDENTES DEI MEMORIA, — *q. d.* Vide filios tuos Babylone redeuntes juxta verbum, id est juxta promissum et ordinationem Dei, gaudentes et lætabundos ex memoria Dei sui liberatoris, et ex recordatione divinæ beneficentiæ quæ eis hanc liberationem præstabit. Loquitur de futuro bono, quasi præsens illud spectet, digitoque aliis ostendat, more prophetico.

Nota : Solus Deus est verum et plenum cordis gaudium. Ratio est, quia solus Deus cor hominis et angeli adimplet; solus omnem ejus capacitatem, omnia ejus desideria exsaturat. Expertus id Psaltes canebat, *Psalm.* LXXII, 25 : « Quid enim mihi est in cœlo? et a te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum. » Qui rursum inde se gaudio perfusum significat, *Psalm.* LXXVI, 4 : « Memor fui Dei, et delectatus sum; » et *Psalm.* CXLIV, 7 : « Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt; et justitia tua exsultabunt. » Quocirca merito S. Augustinus in *Soliloq.* cap. XVIII : « Sicut, ait, nulla est hora, vel punctum in omni vita mea, quo tuo beneficio non utar; sic nullum debet esse momentum, quo te non habeam ante oculos in memoria mea, et te non diligam ex omni fortitudine mea; » et Nazianzenus, orat. *De Cura pauper.* : « Non tam sæpe respirare oportet, ait, quam Dei meminisse. Deus enim perpetuo et continenter nobis benefacit, in esse conservans, et necessaria ministrans; » et S. Ephrem, serm. paræn. *De secundo Domini adventu* : « Semper, ait, Dei memineris, et cœlum mens tua evadet; » S. Ignatius *ad Heronem* : « Memento, ait, Dei, et non peccabis; » S. Hieronymus, lib. VII *in Ezech.* cap. XXII : « Memoria, ait, Dei excludit omnia flagitia, » ac consequenter omnem tristitiam : hæc enim ex peccato et concupiscentiæ peccantis remorsu oritur : nam secura mens quasi juge convivium. Refert S. Dorotheus se Dositheo discipulo hoc dedisse præceptum, aureis litteris describendum : « Nunquam cordi tuo excidat Deus; cogita semper Deum tibi præsentem, et te coram illo stare. » Fecit id Dositheus exacte, adeo ut nec in ægritudine, etiam gravissima et extrema, Dei cogitationem dimiserit : indeque ex milite nobili et dissoluto, sanctus et perfectus evasit, ac post mortem inter beatos anachoretas jam cum Christo regnantes conspectus fuit. Denique Jeremias, *Thren.* III, 20 : « Memoria, inquit, memor ero, et tabescet in me anima mea. » Vide ibi dicta.

Moraliter, memoria Dei solidum parit gaudium.

6. PORTATOS IN HONORE SICUT FILIOS REGNI, — honorifice reductos, equisque et curribus vectos quasi filios regum : Cyrus enim dedit redeuntibus aurum, argentum, equos, camelos, lib. I *Esdr.* II, 66. Quin et Darius « rex misit una cum eis equites mille, donec deducerent eos in Jerusalem cum pace, et cum musicis et cum tympanis et cum tibiis; et omnes fratres erant ludentes, » ut dicitur, III *Esdr.* V, 2. Vide Josephum XI *Antiq.* IV. Ita Theodoretus. Si talis fuit lætitia redeuntium

e Babylone; quanta erit redeuntium tum ex judaismo et gentilismo ad Ecclesiam, tum ex hoc exsilio ducibus angelis remeantium in cœlum? de his enim cæteri interpretes hunc locum accipiunt; hi enim sunt filii regni cœlestis. Hos ergo hic maxime spectat, sed ita ut priores simul, quia typus et præambulones eorum erant, suique temporis, obiter innuat et quasi perstringat. De his simili modo ait Psaltes, *Psalm.* CXXV, 6: « Euntes ibant et flebant, etc.: venientes autem venient cum exsultatione. » Vide, *Isai.* cap. LXVI, 20, et cap. XLIX, 22.

7. CONSTITUIT ENIM DOMINUS HUMILIARE OMNEM MONTEM. — Est allegoria significans tantum quod Deus redeuntibus e Babylone omnem vitæ asperitatem leniet et auferet, ait Theodoretus, atque hostes vel aperte in montibus, vel clam in latebris vallium Judæis insidiantes reprimet et compescet, ut eis nocere non possint, nec enim legimus Deum proprie eis complanasse montes, et valles implesse (1).

Allegorice Deus humiliat montes; id est omnem superbiam: et valles, id est pusillanimitatem erigit, omniaque impedimenta et inæqualitatem vitæ spiritualis amovet et levigat, ut verus Israel, id est fidelis populus, recta in viis et legibus Dei ambulet, juxta prophetiam S. Joannis Baptistæ, *Luc.* III, 5.

Anagogice hoc verissimum est in cœlesti itinere, quod Deus justis expeditissimum facit.

UT AMBULET ISRAEL, DILIGENTER (celeriter et expedite, græce ἀσφαλῶς, id est *tuto*, secure) IN HONOREM DEI, — id est in gloriam Dei, ut ex hoc eorum glorioso reditu Dei reducis gloria et honor celebretur. Sic ait Psaltes, *Psalm.* CXIII, 1: « In exitu Israel de Ægypto, etc., facta est Judæa sanctificatio ejus, Israel potestas ejus, » id est, ex liberatione Judææ et Israelis ex Ægypto sanctitas et potentia Dei liberatoris omnibus apparuit et inclaruit.

8. OBUMBRAVERUNT, — id est obumbrabunt; loquitur enim prophetice. Legit interpres in Græco ἐσκίασαν; et recte Complutensia legunt ἐσκίρτησαν, id est *exsultaverunt*, ut alludat ad illud, *Psalm.* CXIII, 4: « Montes exsultaverunt ut arietes. »

SYLVÆ, — *q. d.* Uti olim Deus populum in deserto proficiscentem protexit ab æstu solis per columnam nubis expansam super castra: ita faciet eidem nunc Babylone redeunti, ut scilicet sylvæ et arbores suavissimum odorem spirantes, suam Dei jussu umbram ei præbeant. Hoc efficere facile fuit divinæ Providentiæ: potuit enim ita iter, tempus aliaque per causas secundas disponere, ut jucundissimum esset iter Hebræis, sicut est in maio apud nos. Adde, allegorice et hyperbolice hæc tantum significare lætissimum fuisse reditum, sicut lætissime redeuntibus sylvæ, prata et omnia quæ transeunt amœna, sibique arridere videntur. Simili prosopopœia ait Psaltes, *Psalm.* XCIII: « Lætentur cœli, et exsultet terra, commoveatur mare et plenitudo ejus; gaudebunt campi, et omnia quæ in eis sunt. Tunc exsultabunt omnia ligna sylvarum, » cum scilicet Judæi Babylone redeuntes reædificabunt templum; et Isaias, cap. XLIV, 23: « Resonate, montes, laudationem, saltus et omne lignum ejus. » Simili utitur Virgilius, *eclog.* 5:

> Ipsi lætitia voces ad sidera jactant,
> Intonsi montes; ipsæ jam carmina rupes,
> Ipsa sonant arbusta Deus, Deus, ille Menalca.

Theodoretus tamen per *sylvas* figurate accipit gentes inter Babylonem et Judæam interjacentes, quæ quasi sylvæ non ferebant Deo fructum pietatis: hæ Israelem redeuntem jussu Cyri et Darii, cum omni obsequio, honorifice prosecutæ sunt.

Allegorice hæc uti et priora veriora sunt in Ecclesia sub Christo, ubi omnia justis serviunt, viamque ad Deum suavem faciunt, maxime a terra euntibus in cœlum.

OMNE LIGNUM SUAVITATIS, — εὐωδίας, id est *suave olens*.

9. IN LUMINE MAJESTATIS SUÆ, — *q. d.* Sicut Deus in columna ignis noctu Hebræos duxit per desertum, ita eos ex Babylone reducet quasi lumen solis stabile, et solito jucundius eis præferens, suaque luce, id est præsentia, eos recreans et exhilarans: sicut enim vers. præced. allusit ad columnam nubis, ita hic alludit ad columnam ignis, quæ hebræorum castra noctu illuminabat in deserto. Vocat hoc lumen « majestatis Dei, » id est lumen augustum et magnificum, Deo dignum, et a Deo peculiari et extraordinaria providentia productum, ad suam magnificentiam et gloriam Hebræis aliisque gentibus ostendendam. Simili schemate et prosopopœia de Judæis ab excidio Aman liberatis per Esther, cap. VIII, vers. 16, dicitur: « Judæis autem nova lux oriri visa. » Sic Horatius gaudium Romanorum ex Cæsaris adventu ita describit:

> Vultus ubi tuus
> Affulsit populo, gratior it dies,
> Et soles melius nitent.

CUM MISERICORDIA (qua Hebræos e duro carcere liberavit), ET JUSTITIA — qua tyrannos Babylonios cæterosque hostes Judæorum punivit, aiunt Theodoretus et Hugo; *secundo*, « cum justitia, » id est juste, puta fideliter exsequens id quod promiserat.

QUÆ EST EX IPSO, — cujus ipse auctor est, non

(1) Vastum erat desertum inter Judæam et Babylonem, summaque itineris asperitas et difficultas, quæ intercludere reditum populi videbatur. Itaque ut omnis dubitatio ex piorum animis tollatur, dicit Deum omnia impedimenta sublaturum, omniaque quæ aspera esse videbantur ita commutaturum, ut ad eorum iter plana, expedita et accommodata sint... Quamvis enim Propheta alias difficultates respiciat, tamen non dubium est quin etiam ad illam intermediæ solitudinis vastitatem prophetiam suam accommodet. (Badvellus.)

nos, nec nostra merita; ita Vatablus. *Secundo,* Maldonatus « quæ est ex ipso, » id est, inquit, quæ ejus promissis ultronee factis respondet.

Octo felicitates Babylone redeuntium.

Nota : Hoc capite Deus Judæis Babylone redeuntibus promittit octo felicitates, scilicet, *primo,* vers. 1 et vers. 2, diploidem lætitiæ æque ac justitiæ, et mitram honoris æterni; *secundo,* vers. 3, splendorem maximum; *tertio,* vers. 4, nomen novum, scilicet « pax justitiæ et honor pietatis; » *quarto,* vers. 5, quod collecti ab oriente usque ad occidentem turmatim redibunt simul, gaudentes in verbo Sancti; *quinto,* vers. 6, quod pedibus exierint, sed equis et curribus vecti splendide redibunt, quasi filii regni; *sexto,* vers. 7, quod Deus eis montes, aspera et profunda quæque complanabit, ut æquabili et facili via transeant; *septimo,* vers. 8, quod sylvæ eis umbram, ligna odorata suavem halitum aspirabunt; *octavo,* vers. 9, quod solem jucundius et fulgidius lucentem eis quasi facem præferet. .

Hæc mystice facile est adaptare animæ sanctæ tendenti in cœlum, tanquam peregrinanti adhuc in corpore et Ecclesia militante, quam e corpore exeunti. In cœlo enim, ait S. Augustinus in *Psal.* XLIX : « Omnia summa sunt, vera sunt, sancta sunt, æterna sunt, » et ad illa ait idem, *Psalm.* LXXXVI et LXXXIX : « Ipse rex descendit, et factus est nobis via in peregrinatione, ut in illo ambulantes nec erremus, nec deficiamus, nec in latrocinantes aut in laqueos incidamus, sed in illam civitatem perveniamus ambulantes. Ergo in Christo et adhuc peregrinantes, et suspirantes desiderio ineffabilis quietis, quæ in illa civitate habitat, non nos avertat inimicus a via. »

Octo dotes beatorum. Prima, lætitia æterna.

Primo ergo in cœlo fruemur lætitia et honore sempiterno : « Quæ lingua, inquit S. Augustinus in *Psalm.* CXVIII, dicere, vel quis intellectus capere sufficit, illa supernæ civitatis quanta sint gaudia? angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ conditoris assistere, præsentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari? » Hinc *Apoc.* XXI, 4, dicitur : « Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum : et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra : quia prima abierunt; » et *Isai.* XXXV, 10 : « Lætitia sempiterna super caput eorum : gaudium et lætitiam obtinebunt. » Rursum S. Augustinus, oratione *Contra Paganos, Judæos et Arianos,* cap. XXI, comparans hanc vitam cum futura : « Hic, inquit, falsitas, ibi veritas; hic perturbatio, illic fida possessio; hic pessima amaritudo, illic sempiterna dilectio; hic periculosa elatio, illic est secura exsultatio; hic timetur ne qui erat amicus efficiatur subito inimicus; illic semper qui est manet amicus, quia nullus illic admittitur inimicus; hic quidquid est bonum timetur ne pereat; illic quidquid acceperis ab eo servatur qui fecit, ut ne tu transeas, et quod acceperis non amittas; hic mors, ibi vita; hic omnia quæ creavit Deus, illic Deus erit omnia in omnibus; ibi videbimus quod oculus non vidit, ibi audiemus quod auris hic non audivit, ibi intelligemus quod cor humanum comprehendere hic non valet, videntes scientesque exsultabimus inenarrabili gaudio. »

Secundo, splendebunt et « fulgebunt sancti sicut sol in regno Patris eorum; » et, ut ait Daniel cap. XII : « Qui docti fuerint, fulgebunt ut splendor firmamenti; et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. » Atque, ut ait Apostolus, I *Cor.* XV, 41 : « Alia claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate : sic et resurrectio mortuorum. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria, » etc.

Tertia, nomen novum quod?

Tertio, habebunt beati nomen novum, scilicet *pax justitiæ;* ibi enim est Jerusalem, id est visio pacis; quare beati insultabunt timori, tristitiæ et morti, dicentes : Ubi est, o mors! victoria tua, ubi est stimulus tuus? S. Augustinus in *Psalm.* XXXVI : « Quæ erunt, ait, o amator Dei, deliciæ tuæ? delectabuntur in multitudine pacis : aurum tuum erit pax, argentum tuum pax, prædia tua pax, vita tua pax, Deus tuus pax, quidquid desideras pax tibi erit. Hic quod est aurum, non potest tibi esse argentum : quod est vinum, non potest esse panis. Ibi Deus tuus totum tibi erit : manducabis eum ne esurias; bibes eum ne sitias; illuminaberis ab eo ne sis cæcus; fulcieris ab eo ne deficias. Possidebit te totum integrum totus integer, totum habebis totum, et ille habebit; quia et tu et ille unum eritis; quod unum totum et ille habebit, qui vos in pace possidebit. »

Rursum habebunt beati nomen : *honor pietatis.* Erunt enim piissimi, ideoque summe a Deo et angelis honorati : canent enim piissime et lætissime Deo perpetuum Alleluia : « Beati, inquit Psaltes, qui habitant in domo tua, Domine : in sæcula sæculorum laudabunt te; » et : « Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei, sicut lætantium omnium habitatio est in te. » S. Bernardus in lib. *Meditat.* cap. IV : « Ibi, inquit, videbimus gloriæ decorem, sanctorum splendorem, et regiæ potestatis honorem; cognoscemus Patris potentiam, Filii sapientiam, Spiritus Sancti benignissimam clementiam. O beata visio, videre Deum in seipso, videre in nobis, et nos in eo felici jucunditate et jucunda felicitate! »

Quarta, multitudo Beatorum.

Quarto, in cœlo erunt turmæ et agmina sanctorum. « Ibi, inquit S. Bernardus loco citato, una erit omnium lingua, jubilatio indefessa, unus affectus, amor æternus : patebit veritas, fulgebit sicut sol humanitas glorificata, quieta erit et concors carnis et spiritus societas, angelorum et hominum unum erit gaudium, unum colloquium, unum convivium : quæ ergo nos angit vesania vitiorum sitire absinthium, et non magis convolare ad angelorum societatem, ut possimus intrare in potentias Domini, et videre superabun-

dantes divitias illas bonitatis illius? » Et S. Augustinus in lib. *Med.* XXII et XXV : « Ibi, ait, est dulcis solemnitas omnium ab hac tristi peregrinatione ad tua gaudia redeuntium; ibi prophetarum providus chorus; ibi duodecim apostolorum numerus; ibi innumerabilium martyrum victor exercitus; ibi sanctorum confessorum sacer conventus; ibi veri et perfecti solitudinis cultores; ibi sanctæ mulieres quæ voluptates sæculi et sexus infirmitatem vicerunt; ibi pueri et puellæ, qui annos suos sanctis moribus transcenderunt. Dispar est gloria singulorum, sed communis est lætitia omnium. Omne opus eorum laus Dei sine fine, sine labore. Felix ergo et vere in perpetuum felix, si post resolutionem hujus corpusculi audiam illa cantica cœlestis melodiæ. » Quale gaudium erit audire et videre virgines, martyres; confessores per millia turmatim prodire e Japonia, e China, e Græcia, ex Persia, ex Æthiopia, ex Peru totoque orbe, et in unam beatorum Ecclesiam colligi? ibique narrare suam conversionem, sua eventa, sua martyria? omnesque invicem quasi fratres amplecti ac jubilare.

Quinta, curru triumphali bunt in cælum.

Quinto, circuierunt hic in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus : sed ab angelis curru quasi triumphali vehentur in cœlum. « Currus enim Dei decem millibus multiplex, millia lætantium. » Eis ergo acclamari poterit, quod Elisæus Eliæ dum in cœlum raperetur acclamabat : « Pater mi, pater mi, currus Israel, et auriga ejus. » Sic anima Lazari ab angelis, cum jubilo translata est in cœlum. Sic et animæ S. Martini, S. Servuli, S. Nicolai, S. Catharinæ, et aliorum sanctorum angelis cœlesti melodia concinentibus, glorioso triumpho in cœlum subvectæ sunt.

Sexta, Deus eis omnia complanabit.

Sexto, Deus illis omnia complanabit, nihil ibi erit asperum, nihil sublime, nihil depressum; sed omnia facilia et æquabilia, omnia læta et jucunda : « Erit enim eorum summa felicitas, inquit S. Bernardus, *Meditat.* IV, summa jucunditas, vera libertas, perfecta charitas, æterna securitas, et secura æternitas; ibi est vera lætitia, plena scientia, omnis pulchritudo, et omnis beatitudo. Est ibi pax, pietas, bonitas, lux, virtus, honestas, gaudia, lætitiæ, dulcedo, vita perennis, gloria, laus, requies, amor, et concordia dulcis. »

Septimo, omnia beatos recreabunt, Deus, angeli, elementa, astra, aer, terra; quin et infernus ac damnati, quos se vicisse et pedibus premere gaudebunt. Merito ergo exclamat S. Augustinus, loco citato : « O vita quam præparavit Deus his qui diligunt eum, vita vitalis, vita beata, vita secura, vita tranquilla, vita pulchra, vita munda, vita casta, vita sancta, vita ignara mortis, vita nescia tristitiæ, vita sine labe, sine dolore, sine anxietate, sine corruptione, sine varietate, sine perturbatione, vita totius elegantiæ et dignitatis plenissima : ubi non est adversarius impugnans, ubi nulla peccati illecebra, ubi est amor perfectus et timor nullus, ubi dies æternus, et unus omnium spiritus! quanto plus te considero, tanto plus amore langueo. O tu vita felicissima! o regnum vere beatum! cui nulla tempora succedunt per ævum : ubi continuus sine nocte dies nescit habere tempus : ubi victor miles illis hymnidicis angelorum sociatus choris, cantat Deo sine cessatione canticum de canticis Sion? »

Octavo, vis solem beatorum? audi S. Joannem, *Apocal.* XXII, 5 : « Nox ultra non erit : et non egebunt lumine lucernæ, neque lumine solis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos, et regnabunt in sæcula sæculorum; » et cap. XXI, vers. 23 : « Civitas non eget sole, neque luna, ut luceant in ea : nam claritas Dei illuminabit eam, et lucerna ejus est Agnus. Et ambulabunt gentes in lumine ejus. » Quin et sol ipse congaudens sanctis, longe erit fulgentior solito. « Et erit lux lunæ sicut lux solis, et lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum, » inquit Isaias, cap. XXX, 26.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jeremias Judæis captivis per Nabuzardan collectis, in Babylonem jamjam ituris hanc dedit epistolam, qua eos dehortatur ne Chaldæorum idola sequantur : illa enim non aliud esse quam truncos et lapides, probat ex eorum materia, fabrica, turpitudine, impotentia et ineptitudine ad omnia. Porro hanc epistolam esse Jeremiæ, patet ex II Machab. II, 1, *ubi ejus nomine citatur; atque ex Patribus, nominatim ex Tertulliano in* Scorpiaco, *ubi ait tres pueros;* Danielis III, *noluisse adorare statuam regis, eo quod Jeremias hac de re eos sua epistola præmonuisset, et ne id facerent corroborasset* (1).

Exemplar epistolæ, quam misit Jeremias ad abducendos captivos in Babyloniam a rege Babyloniorum, ut annuntiaret illis secundum quod præceptum est illi a Deo. 1. Propter pec-

(1) Postquam Jeremias de imminente captivitate, ejusque causa ac duratione prophetice locutus est, 1, 2, ad cavendam idololatriam Judæos exhortatur, ad sperandum aliorum exemplum et metum humanum, ad orandum

cata quæ peccastis ante Deum, abducemini in Babyloniam captivi a Nabuchodonosor rege Babyloniorum. 2. Ingressi itaque in Babylonem, eritis ibi annis plurimis, et temporibus longis, usque ad generationes septem : post hoc autem educam vos inde cum pace. 3. Nunc autem videbitis in Babylonia deos aureos, et argenteos, et lapideos, et ligneos in humeris portari, ostentantes metum gentibus. 4. Videte ergo ne et vos similes efficiamini factis alienis, et metuatis, et metus vos capiat in ipsis. 5. Visa itaque turba de retro, et ab ante, adorantes, dicite in cordibus vestris : Te oportet adorari, Domine. 6. Angelus enim meus vobiscum est : ipse autem exquiram animas vestras. 7. Nam lingua ipsorum polita a fabro : ipsa etiam inaurata et inargentata, falsa sunt, et non possunt loqui. 8. Et sicut virgini amanti ornamenta; ita accepto auro fabricati sunt. 9. Coronas certe aureas habent super capita sua dii illorum : unde subtrahunt sacerdotes ab eis aurum et argentum, et erogant illud in semetipsos. 10. Dant autem et ex ipso prostitutis, et meretrices ornant : et iterum cum receperint illud a meretricibus, ornant deos suos. 11. Hi autem non liberantur ab ærugine et tinea. 12. Opertis autem illis veste purpurea, extergunt faciem ipsorum propter pulverem domus, qui est plurimus inter eos. 13. Sceptrum autem habet ut homo, sicut judex regionis, qui in se peccantem non interficit. 14. Habet etiam in manu gladium, et securim; se autem de bello, et a latronibus non liberat. Unde vobis notum sit quia non sunt dii. 15. Non ergo timueritis eos. Sicut enim vas hominis confractum inutile efficitur, tales sunt et dii illorum. 16. Constitutis illis in domo, oculi eorum pleni sunt pulvere a pedibus introeuntium. 17. Et sicut alicui qui regem offendit, circumseptæ sunt januæ; aut sicut ad sepulcrum adductum mortuum, ita tutantur sacerdotes ostia clausuris et seris, ne a latronibus exspolientur. 18. Lucernas accendunt illis, et quidem multas, ex quibus nullam videre possunt : sunt autem sicut trabes in domo. 19. Corda vero eorum dicunt elingere serpentes, qui de terra sunt, dum comedunt eos, et vestimentum ipsorum, et non sentiunt. 20. Nigræ fiunt facies eorum a fumo, qui in domo fit. 21. Supra corpus eorum, et supra caput eorum volant noctuæ et hirundines, et aves etiam similiter et cattæ. 22. Unde sciatis quia non sunt dii. Ne ergo timueritis eos. 23. Aurum etiam quod habent, ad speciem est. Nisi aliquis exterserit æruginem, non fulgebunt : neque enim dum conflarentur, sentiebant. 24. Ex omni pretio empta sunt, in quibus spiritus non inest ipsis. 25. Sine pedibus in humeris portantur, ostentantes ignobilitatem suam hominibus. Confundantur etiam qui colunt ea. 26. Propterea si ceciderint in terram, a semetipsis non consurgunt : neque si quis eum statuerit rectum, per semetipsum stabit, sed sicut mortuis munera eorum illis apponentur. 27. Hostias illorum vendunt sacerdotes ipsorum, et abutuntur : similiter et mulieres eorum decerpentes, neque infirmo, neque mendicanti aliquid impertiunt; 28. de sacrificiis eorum fœtæ et menstruatæ contingunt. Scientes itaque ex his quia non sunt dii, ne timeatis eos. 29. Unde enim vocantur dii? Quia mulieres apponunt diis argenteis, et aureis, et ligneis : 30. et in domibus eorum sacerdotes sedent, habentes tunicas scissas, et capita, et barbam rasam, quorum capita nuda sunt. 31. Rugiunt autem clamantes contra deos suos, sicut in cœna mortui. 32. Vestimenta eorum

solum Deum, et sperandam ab eodem tutelam, 3-6; vanitatem idololatriæ et absurditatem ostendens.

Primo, ex idolorum ornatu mere ascititio, ad turpia etiam usurpato, nec decorem, nec vires tamen conferente, 7-15.

Secundo, ex eorumdem impotentia, et substantia omnis actionis experte, 16-22.

Tertio, ex simulacrorum materia et fragilitate, 23-26.

Quarto, ex victimis contaminatis, et sacrificulis hypocritis, 27-32.

Quinto, ex libidinosa et vana mulierum idola colentium superstitione, 42-44.

Sexto, ex defectu omnis auxilii inde sperandi, 33-41.

Septimo, ex fabricantium illa ac custodientium vilitate et debilitate, 45-51.

Octavo, ex impotentia idolorum in omnis generis necessitatibus probata, ab ipsis eorum sacerdotibus agnita, et facto contestata, 52-58.

Nono, ex collatione cum astris, elementis et animalibus, virtute majore a Deo præditis, 59-68.

Decimo, ex æqualitate prædictæ impotentiæ cum illa stipitis, spinæ ac cadaveris pari, 69, 70.

Undecimo, ex opprobriis idola et idololatras excepturis, a justo autem illorum contemptore evitandis, 71 72.

auferunt sacerdotes, et vestiunt uxores suas, et filios suos. 33. Neque si quid mali patiuntur ab aliquo, neque si quid boni, poterunt retribuere : neque regem constituere possunt, neque auferre. 34. Similiter neque dare divitias possunt, neque malum retribuere. Si quis illis votum voverit, et non reddiderit ; neque hoc requirunt. 35. Hominem a morte non liberant, neque infirmum a potentiori eripiunt. 36. Hominem cæcum ad visum non restituunt, de necessitate hominem non liberabunt. 37. Viduæ non miserebuntur, neque orphanis benefacient. 38. Lapidibus de monte similes sunt dii illorum, lignei, et lapidei, et aurei, et argentei. Qui autem colunt ea, confundentur. 39. Quomodo ergo æstimandum est, aut dicendum, illos esse deos? 40. Adhuc enim ipsis Chaldæis non honorantibus ea : qui cum audierint mutum non posse loqui, offerunt illud ad Bel, postulantes ab eo loqui : 41. quasi possint sentire qui non habent motum, et ipsi cum intellexerint, relinquent ea : sensum enim non habent ipsi dii illorum. 42. Mulieres autem circumdatæ funibus in viis sedent, succendentes ossa olivarum. 43. Cum autem aliqua ex ipsis attracta ab aliquo transeunte dormierit cum eo, proximæ suæ exprobrat quod ea non sit digna habita, sicut ipsa, neque funis ejus diruptus sit. 44. Omnia autem quæ illis fiunt, falsa sunt. Quomodo æstimandum aut dicendum est, illos esse deos? 45. A fabris autem et ab aurificibus facta sunt. Nihil aliud erunt, nisi id quod volunt esse sacerdotes. 46. Artifices etiam ipsi, qui ea faciunt, non sunt multi temporis. Numquid ergo possunt ea quæ fabricata sunt ab ipsis esse dii? 47. Reliquerunt autem falsa et opprobrium postea futuris. 48. Nam cum supervenerit illis prælium, et mala ; cogitant sacerdotes apud se, ubi se abscondant cum illis. 49. Quomodo ergo sentiri debeant quoniam dii sunt, qui nec de bello se liberant, neque de malis se eripiunt? 50. Nam cum sint lignea, inaurata, et inargentata, scietur postea quia falsa sunt, ab universis gentibus et regibus : quæ manifesta sunt quia non sunt dii, sed opera manuum hominum, et nullum Dei opus cum illis. 51. Unde ergo notum est, quia non sunt dii, sed opera manuum hominum, et nullum Dei opus in ipsis est? 52. Regem regioni non suscitant, neque pluviam hominibus dabunt : 53. Judicium quoque non discernent, neque regiones liberabunt ab injuria : quia nihil possunt, sicut corniculæ inter medium cœli et terræ. 54. Etenim cum inciderit ignis in domum deorum ligneorum, argenteorum, et aureorum, sacerdotes quidem ipsorum fugient, et liberabuntur : ipsi vero sicut trabes in medio comburentur. 55. Regi autem, et bello non resistent. Quomodo ergo æstimandum est, aut recipiendum quia dii sunt? 56. Non a furibus, neque a latronibus se liberabunt dii lignei, et lapidei, et inaurati, et inargentati quibus hi qui fortiores sunt, 57. aurum, et argentum, et vestimentum quo operti sunt, auferent illis, et abibunt, nec sibi auxilium ferent. 58. Itaque melius est esse regem ostentantem virtutem suam; aut vas in domo utile, in quo gloriabitur qui possidet illud ; vel ostium in domo, quod custodit quæ in ipsa sunt ; quam falsi dii. 59. Sol quidem, et luna, ac sidera cum sint splendida, et emissa ad utilitates, obaudiunt. 60. Similiter et fulgur cum apparuerit, perspicuum est : idipsum autem et spiritus in omni regione spirat. 61. Et nubes, quibus cum imperatum fuerit a Deo perambulare universum orbem, perficiunt quod imperatum est eis. 62. Ignis etiam missus desuper ut consumat montes et sylvas, facit quod præceptum est ei. Hæc autem neque speciebus, neque virtutibus uni eorum similia sunt. 63. Unde neque existimandum est, neque dicendum illos esse deos, quando non possunt, neque judicium judicare, neque quidquam facere hominibus. 64. Scientes itaque quia non sunt dii, ne ergo timueritis eos. 65. Neque enim regibus maledicent, neque benedicent. 66. Signa etiam in cœlo gentibus non ostendunt, neque ut sol lucebunt, neque illuminabunt ut luna. 67. Bestiæ meliores sunt illis, quæ possunt fugere sub tectum, ac prodesse sibi. 68. Nullo itaque modo nobis est manifestum quia sunt dii : propter quod ne timeatis eos. 69. Nam sicut in cucumerario formido nihil custodit : ita sunt dii illorum lignei, et argentei, et inaurati. 70. Eodem modo et

in horto spina alba, supra quam omnis avis sedet. Similiter et mortuo projecto in tenebris, similes sunt dii illorum lignei, et inaurati, et inargentati. 71. A purpura quoque et murice, quæ supra illos tineant, scietis itaque quia non sunt dii. Ipsi etiam postremo comeduntur, et erunt opprobrium in regione. 72. Melior est homo justus, qui non habet simulacra : nam erit longe ab opprobriis.

QUAM MISIT JEREMIAS. — Hinc patet hanc epistolam esse Jeremiæ, scriptam vero a Baruch ; unde in Græcis Sixtinis sive Caraffæ, hæc epistola ponitur immediate post Threnos Jeremiæ (1).

(1) Jeremiam hujus epistolæ esse auctorem multipliciter probatur, *primo*, ex ipsa inscriptione; *secundo*, ex aliusione non obscura ad illam facta per auctorem libri II *Machab.* II, 1; *tertio*, ex testimonio Ecclesiæ apud quam semper recepta est ut a Jeremia scripta; et si aliquando Barucho adjudicatur, ea causa est quod in pluribus exemplaribus Græcis, ut in nostris Bibliis Baruchi vaticiniis adjuncta est; sed eam post Lamentationes Jeremiæ exhibent plura exemplaria; *quarto*, ex eo quod nihil in ea sane est ætati, moribus Jeremiæ, ae tandem reliquis circumstantiis absonum, ut recte observat Huetius : « Cæterum auctorem indicat Jeremiam lemma ipsum ac materies operis; tum et ii ad quos scripta est, et scriptionis tempus : et decimum præterea prædictionum ipsius caput, quod in eodem versatur argumento, et sententias habet ejusdem κόμματος (notæ) magnam ostendit germanitatem.

Objiciunt equidem iidem rationalistæ qui Baruchi authenticitatem impugnant, *primo*, quod ista epistola non in omnibus exemplaribus græcis invenitur, et a Judæis, nec non a S. Hieronymo repudiata fuit; *secundo*, quod longe dissimili modo ac Psalmista, Isaias et ipse Jeremias de idolorum vanitate loquatur, ut a Jeremia scripta credi possit; *tertio*, quod in ista epistola dicitur captivitatem Babylonicam duraturam usque ad generationes septem (VI, 2) seu ultra 200 annos, dum *Jerem.* XXIX, 10, dicitur illam futuram 70 annorum.

Sed respondemus ad *primum*, nihil mirum esse si non aliquibus exemplaribus græcis desideretur : nam in tam exiguo libello comprehenditur ut facile alicui amanuensi excidere potuerit, idque eo majus credibile est, quod, ut supra diximus, non eumdem in omnibus manuscriptis codicibus obtinet locum, et aliunde illam prætermittere opportunum visum fuerit, quia de iisdem ageret ac cap. X, 1, 16 *Jerem.* In annotationibus ad *Proœmium Baruchi* rationes exposuimus, ob quas eam Judæi nec non et librum Baruchi in Canone non inseruerunt. Quoad vero Hieronymi sententiam Judæorum repulsæ faventem, feliciter compensatur aliorum SS. Patrum testimonio. Ad *secundum* : esto dissimiliter et prolixius de idolis tractat auctor hujus epistolæ ac alii scriptores sacri; sed quid inde concludendum? Quod ista minutissima amplificatione indigebant Judæi ad idolorum cultum tam propensi, præsertim cum inter idololatras vitam degerent. Nedum ista descriptio tempori quo vivebat Jeremias absona videatur doctissimis nostræ ætatis scriptoribus; ex hac epistola e contra multa maximi pretii indicia educi posse asserunt tum de idolorum ornatu, tum de artibus in usu apud Babylonios. Vide Raoul Rochette, *Description de Babylone, Annales de Philosophie chrétienne*, tom. XI, pag. 148, et tom. X, pag. 441. Ad *tertium*, vide Commentarium Cornelii infra vers. 2. Juxta sententiam inter plures a nostro interprete indicatas dicimus; quod equidem apud antiquos reperiuntur generationes, 100, 50, 33, 30, 10 et 7 annorum, sed vox γενεὰ significat hic spatium 10 annorum, ut mos est in oriente, ubi ad maturam ætatem sæpius perveniunt cum decimo anno. Aliunde sic etiam Diogenes Laertius scribit scholam Pythagoræ 19 ætatibus, generationibus substitisse, ad exprimendum illam 190 annis stetisse.

AD ABDUCENDOS, — ita Romana et Græca, non *ad abductos*, uti legunt Hugo et Lyranus, unde et vers. 1 ait, *abducemini*, non *abducti estis*. Respondet Hugo hanc epistolam scriptam ad Judæos dum in itinere essent, quo tempore partim abducti erant, partim abducendi. Lyranus vero et Dionysius aiunt eam scriptam antequam abducerentur, sed missam postquam essent abducti. Sed nullum hujus rei testem citant; gratis ergo ista dicuntur. Quare vera lectio est, « ad abducendos. »

2. USQUE AD GENERATIONES SEPTEM. — Id est usque ad 70 annos manebitis in Babylone. Nota, græcum γενεὰ, id est *ætas* vel *progenies*, quæ in Scriptura dicitur generatio, varie definitur. *Primo*, Dionysius Halicarnassus, lib. I *Rom. Ant.*, dat illi centum annos. Sic et Varro, lib. V, qui et addit sæculum dici a *sene*, « quod illud spatium senescendorum hominum putarint. » Sic et Scriptura, *Genes.* XV, 16, ubi dicitur fore ut Hebræi generatione quarta ex Ægypto revertantur, id est post 400 annos. *Secundo*, Censorinus *De die natali*, et alii passim, dant ei annos triginta. Sic Nestor dicitur vixisse tres ætates, id est 90 annos. *Tertio*, Herodotus, lib. I, dat ei 23 annos. *Quarto*, Eusebius, lib. X *Præpar.* cap. ult., dat ei annos viginti. *Quinto*, S. Augustinus, in *Psalm.* CIV, dat ei annos quindecim : ea enim ætate homo potens est ad generandum. *Sexto*, γενεὰ sive *generatio* est spatium septem annorum, sic medici vetant ante duas generationes venam incidi puero : et apud Suidam Orpheus dicitur vixisse novem generationes, id est 63 annos. *Septimo*, ætas est annus : unde Virgilius, III *Georgic.* :

Vers. 2.

Generatio vel ætas capitur octuplici-ter.

At tribus exactis ubi quarta advenerit ætas.

Ubi Servius : « Quarta ætas, inquit, id est quartus annus, » et addit : Ætas, ait, significat quodvis tempus. Sic ait et Varro : « Ætatem vix decimam, » id est vix decimum annum, « ingressus ; » et Plinius, lib. VIII, cap. XL : « Annua, inquit, ætas canum justa est ad pariendum. » Hinc *octavo*, γενεὰ, sive *ætas*, est spatium decem annorum : denarius enim insignis plenusque est numerus, qui omnes simplices numeros, quos arithmetici *digitos* vocant, puta omnes ab uno ad novem, in se complectitur. Rursum, denarius primus est numerus multitudinis post digitos, estque terminus

numerandi: nam post decem redimus ad unitatem: decem et unum sunt undecim; decem et duo sunt duodecim, et ita consequenter. Sic hoc loco capitur γενεὰ, id est *generatio*.

Generationes septem sunt 70 anni. Septem ergo generationes sunt septuaginta anni captivitatis, qui inchoantur anno undecimo Joakim, et terminantur anno primo Cyri, ut dixi, *Jerem.* XXV, 11; eo enim se refert Baruch discipulus et scriba Jeremiæ. Licet a Castro hæc referat ad 70 annos desolationis, qui, inquit, inchoantur anno undecimo Sedeciæ, et terminantur anno secundo Darii Hystaspis, de quibus dicendum est, *Zach.* I, 12. Nonnulli generationem hic accipiunt septem annorum, ut septem generationes sint 49 anni; tot enim, inquiunt, fluxerunt ab anno undecimo Sedeciæ, quando hæc scripsit Jeremias, usque ad annum primum Cyri: nam Nabuchodonosor exinde regnavit 24 annos, Evilmerodach 23, Baltasar 3; verum hæc nostræ chronologiæ non consentiunt: inchoando enim annos 70 captivitatis ab anno undecimo Joakim, dicendum est ab anno undecimo Sedeciæ usque ad primum Cyri fluxisse annos 59.

Aliter has septem generationes explicat Vilalpando Noster in *Apparatu Ezech.* part. I, lib. III, cap. II: Generatio, inquit, complectitur quatuordecim annos; tunc enim mas potens est generare, tuncque valide matrimonium contrahit. Porro generatio hic capitur non pro actu generandi, sed pro genitis sive filiis. Generatio ergo prima ab Jerusalem est translata Babylonem: ea cum primum Babylonem appulit, filios, id est secundam generationem, procreavit; hæc vero post quatuordecim annos tertiam; tertia post totidem annos, scilicet anno 28 desolationis, quartam genuit; quarta anno 42 desolationis genuit quintam; hæc sextam anno 56, quæ tandem septimam generationem edidit anno desolationis 70 quo e captivitate liberati sunt. Hæc explicatio non est improbabilis, nec incongrua.

Vers. 3. 3. OSTENTANTES METUM GENTIBUS, — ad incutiendam hominibus religionem et sacrum quemdam metum ac reverentiam.

Vers. 4. 4. FACTIS ALIENIS. — Græce est ἀλλοφύλοις, id est *alienigenis*, puta Chaldæis, *q. d.* Ne vos conformetis Chaldæorum idololatriæ.

Vers. 5. 5. ADORANTES, — Græce est προσκυνοῦντας αὐτὰ, id est *adorantes* (scilicet turbam, puta Chaldæos) *ipsa*, scilicet idola. Noster non legit τὸ αὐτὰ; unde *adorantes* retulit ad Judæos, non ad Chaldæos.

Vers. 6. 6. ANGELUS ENIM, — scilicet Michael, ut colligitur, *Daniel.* XII, 1, ubi inducitur Michael quasi custos et præses Hebræorum, *q. d.* Me adorate, non idola Chaldæorum, nec est quod Chaldæos timeatis: ego enim vos ab illis defendam; nam ego paternam vestri curam gero. *Primo*, quia angelum meum vobis destino in tutorem, utque ipse vos educat ex Babylone, sicut eduxit ex Ægypto; eo enim alludit, scilicet ad Exodi XXXIII, 2. *Secundo*, quia exquiram animas vestras, id est vindex vester ero, ulciscar injurias vestras, ac præsertim mortem si quis eam vobis intulerit. Ita Hugo et Lyranus.

Vers. 8. 8. AMANTI ORNAMENTA (sicut virgini φιλοκάμῳ, id est ornatum amanti et affectanti, undecumque ornamenta conquiruntur): ITA (Chaldæi idololatræ) AURO ACCEPTO — idolis ornatum asciscunt.

Vers. 9. 9. UNDE SUBTRAHUNT, — *q. d.* Sacerdotes aurum a diis suis auferunt, et in suos usus convertunt, dantque prostitutis et meritricibus quas domi alunt. Ita Græca. Ex eo quod idola sint insensibilia quasi saxa et metalla, quæ patiantur sibi ornamenta eripi, omnemque aliam injuriam tolerent; ostendit eos non esse deos, imo non esse animatos, nec ullam habere nostri cognitionem, curam atque providentiam. Vere Poeta:

> Idolum nihil est nisi marmor inutile, cujus
> Est proprium numquam vivere, scire nihil.

Vers. 11. 11. AB ÆRUGINE ET TINEA, — *q. d.* Idola corroduntur ærugine et tinea, atque pulveribus opplentur, nec eos excutere possunt, perinde ac si mera ligna aut lapides essent, uti revera sunt: non ergo sunt dii.

Vers. 13. 13. SCEPTRUM AUTEM HABET, — idolum sceptrum gestat, quasi rex et judex esset omnia gubernans, cum neminem damnare et interficere possit. Est enallage: locutus est enim de idolis in plurali, nunc de iis loquitur in singulari numero.

Vers. 17. 17. SICUT ALICUI QUI REGEM OFFENDIT, CIRCUMSEPTÆ SUNT JANUÆ (dum quasi reus carceri includitur); AUT SICUT AD SEPULCRUM ADDUCTUM MORTUUM. — Id est, sicuti cadaver mortuum cum ad sepulcrum adducitur, tutari solent custodes, ne spolietur pretiosis vestibus, armis et instrumentis, cum quibus illud humare solent tam Judæi quam gentiles. Ita Hugo et Lyranus. Aliter ex Græco jam vertit Vatablus, sic: *Uti cuipiam qui regem offendit atria circumcludi solent, tanquam ad supplicium abducendo: ita sacerdotes ædes eorum muniunt ostiis, claustris et vectibus, ne a latronibus, aut potius furibus* (quos et ipsos a *latendo* λῃστὰς voces) *compilentur*.

Vers. 18. 18. SUNT AUTEM SICUT TRABES, — idola sunt stipites, ligna et saxa, quæ lumen videre non possunt. Vide Delrio, *adagio* 883.

Vers. 19. 19. CORDA. — Aliqua enim idola erant interius terrea, vel ex alia fragili materia; exterius vero erant ænea vel aurea, et sic serpentes qui terram comedunt, comedebant corda, id est interiora horum deorum. *Secundo*, Maldonatus: « Corda, inquit, id est medullam ligni ex quo facti sunt, elingunt et corrodunt serpentes, id est vermes, ut sit catachresis.

Vers. 21. 21. CATTÆ, — catti, feles: græce enim est αἴλουροι. Ita Vatablus.

Vers. 24. 24. EX OMNI PRETIO, — maximo pretio sunt empta, et tamen carent spiritu. Ita Vatablus.

IN QUIBUS SPIRITUS NON INEST IPSIS. — Τὸ *ipsis* per hebraismum redundat, unde videtur inter-

pres ex Hebræo hæc transtulisse : nam in Græco non est.

26. MUNERA. — Græcum δῶρον etiam significat *palmum minorem*, qui quaternum digitorum erat, idem quod παλαιστη, seu *tertia pars spithamæ*, ut tradit Eustathius. Sic accipit hic Pagninus, *q. d.* Palmo humerisque fulciunt idolum, ut stet, ne cadat.

27. MULIERES EORUM DECERPENTES, — ex donariis quæ idolis oblata sunt. Græce ταριχεύουσαι, id est *in penum recondentes*, *q. d.* Omnia sibi reservant, nihil egenis impertiuntur.

28. FŒTÆ, — puerperæ, quæ quia immundæ, arcentur templo et sacris, *Levit.* XII, 2. Licet enim hac lege Judæorum gentiles non obligarentur, tamen per se indecens erat personas ita sordidas et pollutas sacra contingere, præsertim apud Judæos quibus id erat abominabile ; unde Propheta id eis inculcat, ut ex cultorum irreverentia ostendat ipsius culturæ, puta idololatriæ turpitudinem.

29. QUIA MULIERES APPONUNT — escas, vel donaria et anathemata suis idolis. Est subjectio : rogarat enim : Unde idola sunt dii ? Respondet : Quia stultæ et superstitiosæ mulierculæ eis, quasi diis dona apponunt : mulieres ergo faciunt hosce deos.

30. TUNICAS SCISSAS. — Quod vetatur Judæis, *Levit.* X, 6.

BARBAM RASAM. — Quod vetatur laicis Judæorum, *Levit.* XIX, 27 ; et sacerdotibus, *Levit.* XXI, 5, tum honestatis et decoris causa, tum ne hac in re communicarent cum sacerdotibus Isidis, aliorumque deorum gentilium. Vide dicta *Levit.* XIX et XXI, *Ezech.* XLIV, 22. Notat illorum hypocrisin et simulationem. Rursum Judæos absterret ab eorum cultu et cæremoniis, quod eæ repugnent ritibus a Deo et Mose institutis.

31. RUGIUNT CONTRA DEOS (clamant ad deos suos misero et lugubri ejulatu) SICUT IN COENA MORTUI, — id est, sicut solent audiri lugubres clamores et gemitus in cœna funerea alicujus mortui, maxime qua gentiles, ut ait Epiphanius *in Ancorat.*, ad sepulcrum ferentes cibum, insolenti clamore evocabant defunctos, dicendo : Resurge, o Hector ! comede et bibe. Vel dicentes, Vale. Sic Achillem in funere Patrocli fecisse ait Homerus *Iliad.* XVIII : « Salve, mi Patrocle, atque vale ; » et Æneam in funere Pallantis, Virgilius, *Æneid.* XI :

Valedicebant gentiles defunctis offerentes eis cibos.

> Salve æternum mihi maxime Palla,
> Æternumque vale.

Ita Hugo, Lyranus et Dionysius. Innuit deos gentium fuisse homines, jamque esse mortuos. Nam ut ait Cicero, lib. I *De Natura Deor.* : « Suscepit vita hominum consuetudoque communis, ut beneficiis excellentes viros in cœlum fama ac voluntate tolleret. Hinc Hercules, hinc Castor, hinc Pollux, hinc Æsculapius, hinc Liber. » Nam Æsculapium medicina ; Liberum, Saturnum et Cererem agricultura ; Apollinem cithara ; Vulcanum fabrica deos fecit. Hinc Ægyptus Isidem, doctæ Athenæ Minervam coluere ; quod illa lini, hæc olei usum artemque lanificii invenisse credatur.

« Accesserunt etiam Poetæ, ait Lactantius, lib. I, cap. XV, qui compositis ad voluptatem carminibus, in cœlum eos sustulerunt, sicut faciunt qui apud reges etiam malos, panegyricis mendacibus adulantur. Quod malum a Græcis ortum est. Unde eos sic increpat Sibylla :

> Græcia quid confidis in viros principes ?
> Ad quid dona inania mortuis ponis ?
> Immolas idolis : quis tibi in mentem dolorem
> Imposuit, ut hæc perficias magni Dei ore
> Relicto ?

Porro cœna hæc mortuorum a Græcis vocabatur περίδειπνον, a Tertulliano in *Apolog.* et a Latinis *silicernium*. Hinc senes capulares, etiam dicti *silicernii*, quasi pro quibus jamjam morituris cœna funeralis paranda esset. Non ergo a curvitate, quod *silices* spectent, ita dicti sunt, ut aliqui putarunt, sed a *cœna* hac quæ *silicernium* dicebatur, eo quod cum *silentio edentes cernerentur*, vel quod silentes cogitarent se mox illum secuturos esse. Unde abeuntes a convivio, velut non amplius se visuri, invicem salutabant, dicebantque : Vale. Hinc Varro : « Funus exsecuti, laute ad sepulcrum antiquo more silicernium confecimus, id est convivium in quo pransi discedentes dicimus aliis alii : Vale. »

34. NEQUE HOC REQUIRUNT, — non expostulant, non ulciscuntur voti et promissi sibi facti neglectum et perfidiam.

40. ADHUC IPSIS CHALDÆIS NON HONORANTIBUS EA, — *q. d.* Præsertim cum etiam ipsi Chaldæi contemnant idola sua ; cum enim muti a Belo muto loquelam petunt, nec impetrant, sicque intelligunt idola sua esse muta, relinquunt ea et missa faciunt. Ita Juvenalis, *satyra* 13. Jovi insultat :

> Audis,
> Jupiter, hæc, nec labra moves ? cum mittere vocem
> Debueras, vel marmoreus, vel aheneus.

41. QUASI POSSINT SENTIRE QUÆ NON HABENT MOTUM, — scilicet naturalem, ut animalia. Non enim potest quippiam, quod totum sit atque integrum, et suam naturam retineat, tali motu carens, habere sensum. Omne ergo quod sentit, per se et moveri potest, vel progrediendo, vel se dilatando et contrahendo. Dico *per se* : nam *per accidens*, puta per morbos, et in toto animali, et in parte potest perire motus manente sensu : in toto quidem, ut per catalepsim ; in parte vero, cum paralysis non procedit usque ad sensus sublationem. Adde, ex motu nos judicare de sensu et vita : unde Ecclesia non baptizat abortivos fœtus, nisi motus alicujus speciem præ se ferant. Hæc et plura Valesius *Sacræ Philosoph.* cap. LXXIX. Ratio a priori est, quia animalia omnia habent ce-

Vers. 41.

Quæ motu carent, carent et sensu.

tebrum : a cerebro autem quasi a proprio principio manat tam motus quam sensus, per instrumenta, scilicet per nervos et musculos.

Nota : Idola et statuæ movere se possunt variis modis. *Primo*, si eis indatur argentum vivum. *Secundo*, per ventum quem sinibus suis affabre factis excipiunt, quomodo Albertus Magnus olim, et nunc Mirabiliarii faciunt corvos et dracones volantes, quales sæpius vidi. *Tertio*, per pondera, rotas et æquilibria dextre in statua, quasi in horologio, disposita. Ita oblata est mihi Norimbergæ venalis statua pueri Jesu elegantissima, quæ mox ut loculum in quo jacebat aperiebas, caput motitando annictare et arridere videbatur. Ita Augustæ Vindelicorum vidi tum alia, tum Centaurum inauratum Nostro P. Trigautio pro Sinensibus donatum, qui tactu rotulæ cujusdam per se et sponte procurrebat ad spatium trium quatuorve pedum, telum ex arcu ejaculabatur usque in tabulatum, sonabat, pulsabat, aliaque mira faciebat. Verum nihil horum fit motu animali, qui a forma intrinseca, puta ab anima et spiritu vitali, proficiscitur : unde motus hi non diu durant, et cessante causa impellente cessant.

ET IPSI — cultores idolorum, puta Chaldæi, relinquunt ea, ut dixi. Græca contrarie habent, *et non possunt ipsi intelligentes relinquere ea*, id est ipsi idololatræ adeo sunt dementati et excæcati, ut cum intelligant idolorum mutorum vanitatem et stoliditatem, ea tamen ex inveterata prava consuetudine relinquere non possint.

42. MULIERES CIRCUMDATÆ FUNIBUS. — Nota ex Herodoto, lib. I, Babylonias et Cyprias virgines ante matrimonium, imo omnes eorum mulieres sic coluisse Venerem, ut semel saltem in vita ad Veneris templum desiderent, suamque pudicitiam exponerent, ut qui *primo* obvius vellet, eis abuteretur, dato tamen pretio cum hac imprecatione : « Tanti ego tibi deam Milyttam, » id est Venerem, « imploro, » hocque pretium istæ illusæ templo Veneris dicabant, sicque virginitate quasi Veneri dicata, putabant se faustas inire nuptias. Audi S. Augustinum, lib. IV *De Civit.* cap. x : « Veneri, ait, Phœnices donum dabant de prostitutione filiarum, antequam eas jungerent viris. » Idem de Phœnissis mulieribus testatur S. Athanasius, orat. *Contra idola*, ubi originem idololatriæ investigans eam institutam esse ait « desiderio eorum, qui stupris et propudiis pleni, figmentis repræsentantur; » itaque turpissimam sibi suorum deorum vitam idolorum cultores imitandam proposuisse. Et Strabo, lib. XI, in fine, agens de sacris Persarum, Medorum et Armeniorum, sic scribit de Anattide : « Hæc est Venus in oriente culta, Armeniorum idolum : illustrissimi ejus nationis filias suas virgines ei dedicant, ac lex est ut longo tempore apud deam constupratæ, deinde nuptum dentur, nemine talis mulieris conjugium dedignante (o miseros cornutos, et infames gentilium maritos!) Tale quippe etiam Herodotus de Lydiis mulieribus scribit : omnes enim eæ meretrices sunt. » Sic Scoti gentiles, filias suas sponsas antequam a sponsis cognoscerentur, *primo* regi suo violandas tradebant : cujus incestus loco et vice jam christiani effecti induxerunt, ut novæ sponsæ certum nummum regi pendant. Cujus rei testes sunt Polydorus Virgilius et Hector Boetius in *Hist. Scot.* Vide hic gentilismi stolidam et insanam spurcitiam, religionis, id est superstitionis larva, dæmonis suggestu obtectam.

Virgines Cypriæ colebant Venerem stupro, ejusque pretio.

Hac de causa juxta templum Veneris plurima erant diverticula, ait Herodotus, funiculis distincta, additque aliquas difformes ad duos vel tres annos ibi desedisse, et amasios exspectasse in tentoriis, quæ funibus tendebantur. Atque de hisce funibus putant aliqui Baruch hic loqui. Verum obstat quod non erat necesse hos funes rumpere; quod tamen de suis ait hic Baruch : deinde addit ipsas mulieres circumligatas fuisse funibus : ergo mulierum, non tentoriorum erant hi funes.

Quare *secundo*, funiculi hi possunt accipi serta de juncis et floribus contexta, quibus hæ prostitutæ capita cingebant, teste Herodoto, et Strabone qui ait eas *thominge*, id est vinculo vel funiculo, coronatas fuisse.

Virgines Veneri se vinciebant funibus, cur?

Tertio et propriissime, hæ mulieres cingulo vel funiculo corpus vinciebant, ut significarent se virgines, et Veneris religione et amore captas detineri, hocque signo quasi Veneri sacras, primo obvio sui copiam facere, et petere ut funem solvat, et nefaria sacra Veneri faciat : sicque incesta copulatione, cesto sive zona dirupta, matrimonium inibant. Idem faciebant conjugatæ si Veneri se dicare vellent. Ita ex Herodoto, Strabone et Curtio, lib. V, a Castro. Hinc cestus, sive zona priscis signum erat virginis et virginitatis, quam tunc primum solvebant mariti, cum nova nupta primo eorum thalamum subibat. Sic Romani in philtro, amasii statuam ternis funiculis colligabant. Testis est Virgilius, *ecloga* 8.

Zona symbolum erat virginitatis.

Πίτυρα, id est, ossa sive nucleos olivarum comburebant, cur?

OSSA OLIVARUM, — τὰ πίτυρα, id est *furfures tritici* vel *hordei*, ait Vatablus. Sic enim πίτυρα accipiunt Hesychius, Dioscorides et Theophrastus. Sed melius Noster hic vertit, « ossa olivarum, » id est nucleos duros et quasi osseos olivarum (sic Beroaldus apud Henricum Stephanum in *Lexico* πιτυρίν vocat *ossiculum olivæ*), vel minutas olivas duriores, ac pene osseas, utpote quæ solo fere constent nucleo. Dicuntur hæ πίτυρα, quod furfuracei sint coloris, vel quod in olivis tritis et contusis ossa sint quasi furfures et excrementa. Ita Athenæus, lib. II, cap. XIV, ex Callimacho et Philemone : Πιτυρίδες, ait, sunt olivæ θλασταὶ id est *tritæ*, contusæ; vel, ut alii legunt, φαύλαι, id est *malæ*. Oliva enim priscis tam Ægyptiis quam Hebræis, teste Pierio, *hieroglyph.* 53, hieroglyphicum fuit misericordiæ, pacis, amoris, concordiæ; imo supplicationis, spei et precum. Unde Statius :

Vittataæ laurus et supplicis arbor olivæ,

Philtrum ex nucleis olivarum quale? Hinc Romani pro oliva laurum teste Virgilio urebant, quasi amasio supplicantes. Hoc ergo *philtrum* sive veneficium magicum erat, quo diabolares istæ, quas nec divitiæ, nec forma, nec genus commendabat, cremando ossa, id est nucleos, olivarum flammam concupiscentiæ testabantur, et procorum duritiem mollire et incantare studebant, ne diu desiderarent, sed cito amasium allicerent. Unde simul cum hac crematione precabantur, ut sic hospites earum amore torrerentur. Demum sic adusta, et in cineres redacta spargebant in ventum, jacta trans caput. Sic enim Theocritus, in *Pharmaceutria*, docet hoc a Babyloniis didicisse Græcos, scilicet Smithæam veneficam, quæ Delphidem juvenem deperibat. Sic enim ait: « Sicut ego hanc ceram Deo juvante liquefacio, ita præ amore statim liquefiat Myndius Delphis; utque volvitur hic æneus orbis, ope Veneris, sic ille volvatur ante nostras fores. Iynx, trahe tu illum meum virum ad domum nostram, nunc sacrificabo vel succendam pityra. » Et Virgilius, *eloga* 8 :

> Fer cineres, Amarilli, foras, rivoque fluenti
> Transque caput jace.

Ita Guevara *præfatione in Habacuc.* Vide Delrio *in Magic.* part. I, *Quæst.* III, sect. II, et Pererium in *Daniel.* V, 4.

Porro apposite ignem concupiscentiæ suæ testabantur cremando nucleos olivarum, quia hi nuclei, utpote oleati et pingues, vehementer ardent imo præ nucleis aliarum arborum flammam vomunt : qua de causa in Apulia fornaces, in quibus coquitur vitrum, calx, etc., quæ ardentissimæ sunt, nucleis olivarum tritis accendunt : oleis enim ita abundant, ut inde ignem struant. Lignum autem oleæ, etiamsi viride sit et recenter succisum, ardet tamen et flammam edit, quia pingue et oleatum. Idipsum Romæ mihi affirmarunt viri graves oculati testes, imo ad oculum ostenderunt.

Affert obscœnitatem hanc idololatrarum Jeremias, *q. d.* O Hebræi, advertite obscœnitatem idololatriæ, videte an hic sit Deus, cui quasi lenoni stupra, et stupri pretia gentiles offerunt, contra legem, *Deut.* XXIII, 18; rursum cui ne olivas quidem aut oleum, sed tantum ossa olivarum contrita, scilicet sordes et excrementa, dedicant. Nimirum talibus gaudet dæmon, hoc ejus est thymiama, ut habent Græca. Deus autem vester et verus gaudet castitate, victimis purissimis et optimis, ac thymiamate odoratissimo.

Dæmon gaudet obscœnitate, Deus castitate.

Hinc Isidorus, lib. III *Sententiarum*, cap. XIII : Poetæ, aut, finxerunt Venerem impudicam esse deam, et Martem adulterum esse deum, ut hominibus hæc flagitia persuaderent, quasi in iis deos imitarentur; quis enim non honestum putaret, sibique licere arbitraretur, quod dii fecisse dicebantur?

44. FALSA, — vana sunt, res nihili, res mendaces sunt, *q. d.* Idola omnisque eorum cultus falsa sunt, et superstitiose ab hominibus adinventa.

45. SACERDOTES. — Græce τεχνῖται, id est *fabricatores* sive artifices idolorum, quales erant sacerdotes, qui ea curabant fieri, vel ipsi ea faciebant.

46. NON SUNT MULTI TEMPORIS, — *q. d.* Artifices idolorum sunt brevis ævi et vitæ; quomodo ergo possunt facere deos æternos et immortales?

47. RELIQUERUNT AUTEM FALSA ET OPPROBRIUM, — reliquerunt idola, quæ sunt res falsæ et mendaces, dignæque opprobrio. *Secundo*, reliquerunt posteris falsam fidem et religionem idolorum, dignamque opprobrio, *Tertio*, *q. d.* Pro diis reliquerunt materiam falsitatis et opprobrii posteris : magna enim falsitas, error et opprobrium est ligna et lapides colere quasi deos. Ita Maldonatus. Vers. 47.

49. SENTIRI, — existimari, *q. d.* Palpari pene potest manibus quod ipsi non sunt dii. Ita Græca. Vers. 49.

50. SCIETUR POSTEA, — prudentia naturalis ex eventu et experientia quod idola non sentiant, nec juvent, docebit tandem omnes gentes ea non esse deos. Ita Hugo. *Secundo*, *q. d.* In lege et luce evangelica totus mundus cognoscet et despiciet idola. Ita Lyranus. Vers. 50.

ET NULLUM DEI OPUS CUM ILLIS, — idola scilicet nihil posse facere quod proprium sit Dei; puta non posse mortuos suscitare, cæcos illuminare, mutis loquelam dare, reges creare, pluvias tribuere, ut sequitur.

51. UNDE ERGO NOTUM EST, — *q. d.* Non aliunde quam ex ipsa idolorum inspectione, et ex experientia, *q. d.* Quid opus est argumentis? res in se nota et clara est, scilicet quod idola non sunt dii. Unde Græca habent, τίνι οὖν γνωστέον ἐστὶν, *cui ergo cognoscendum est eos non esse deos? q. d.* Quis tam hebes est, ut debeat doceri idola non esse deos? Vatablus pro οὖν legit οὐ, unde vertit, *quis nesciat illos non esse deos?* Vers. 51.

53. JUDICIUM QUOQUE NON DISCERNENT, — non diriment lites hominum edito miraculo, uti Deus diremit litem Aaronis contra Core, Dathan et Abiron, *Num.* 16, et alias sæpe.

SICUT CORNICULÆ, — imbelles et imbecilles, quæ licet avium putentur esse duces, tamen ignave volantes vix teli jactum effugiunt, et in prælio statim hosti cedunt.

Secundo, sicut corniculæ infirmissimæ sunt aves, et præter crocitationem nihil habent : sic et idola præter materiam et externam figuram nihil habent. Hinc a corniculis proverbium est κρώζειν, id est *cornicari*, significans inepte garrire, quod usurpat S. Hieronymus, epist. *ad Rusticum*, et Persius, *satyra* 5 :

> Nescio quid tecum grave cornicaris inepte.

Tertio, sicuti gentiles observabant volatus et clamores cornicularum, ut ex iis superstitiose divinarent res futuras : ita et observabant idola, id est idolorum victimas, earumque gestus et mo-

tus, ut ex iis divinarent futura. Ita olim puellæ nubiles ut ominatas consequerentur nuptias, opimum prandium afferebant cornici, ut patet ex Phœnice Colophonio apud Athenæum, lib. VIII. Quin et apud Romanos, ait Festus, « Corniscarum divarum lucus trans Tiberim cornicibus dicatus erat, quod in Junonis tutela esse putabantur. » Superstitionis origo fuit, quod cornix sit conjugalis amoris symbolum. Mares enim, feminis connubio conjuncti, nunquam ad alteram divertunt cornicem, nec femina quoad vivit, ad alium marem : quod si mors divortium fecerit, qui superstes est perpetuum sibi indicit cælibatum. Ita Horus Apollo, lib. I *Hierogl.* cap. VIII, et ibidem, P. Nicolaus Causinus. Insuper vulgus corniculam, quia garrula est, fatidicam putat. Hinc illud ejus ænigma :

> Vivo novem vitas, si non me Græcia fallit :
> Et non irascens ultro convicia dico.

Vers. 56. 56. QUIBUS HI QUI FORTIORES SUNT, — *q. d.* Qui idolis injurii sunt, eaque diripiunt, iis sunt fortiores, *q. d.* Fures sunt potentiores idolis.

Vers. 59. 59. OBAUDIUNT, — obediunt Deo creatori et gubernatori suo.

60. IDIPSUM (id est similiter) SPIRITUS (id est ventus) IN OMNI REGIONE SPIRAT. — Nam, ut ait Seneca, lib. V *Natur. Quæst.* cap. XVI, XVII, XVIII : « Totidem ventorum sunt, quot cœlo discrimina. Nulla enim propemodum regio est, quæ non habeat aliquem flatum ex se nascentem, et circa se cadentem. » Et Plinius, lib. II, cap. XLVII : « Omnes, ait, venti vicibus suis spirant, majori ex parte autem, ut contrarius desinenti incipiat. » Quin et S. Thomas in *Job.* cap. XXXVII, 12 : Venti, inquit, videntur per vices suas solis motum sequi, ut primum cum oriente sole orientales, deinde meridionales, postea occidentales venti spirent. Idem innuit, *Eccles.* I, 5 : « Oritur sol, et occidit, et ad locum suum revertitur : ibique renascens, gyrat per meridiem, et flectitur ad aquilonem : lustrans universa in circuitu pergit spiritus. »

Vers. 62. 62. HÆC AUTEM (idola) NEQUE SPECIEBUS (græce εἰδέαις, id est formis et pulchritudinibus) NEQUE VIRTUTIBUS (id est viribus) SIMILIA SUNT — soli, igni, fulguri, etc.; sed informia sunt, inepta, mortua, imbecilla.

65. NEQUE REGIBUS MALEDICENT, — neque regibus facient male nec bene, non facient reges felices vel infelices. Præ aliis hominibus nominat reges, quia in iis dirigendis maxime cernitur Dei providentia, quæ regna et respublicas præmiat vel punit per suos reges et præsides. Ipse enim confert, conservat, amplificat, vel minuit, debilitat aut tollit regna, ut indicavit vers. 33 et 52, et *Job* cap. XII, 18, et *Daniel.* IV, 14. Ita Maldonatus.

Vers. 66. 66. SIGNA ETIAM IN COELO, — *q. d.* Plus possunt sol et luna, plusque præstant hominibus quam idola : tum quia signa sunt dierum, mensium et temporum, eaque describunt, *Gen.* I, 14, eo enim alludit; tum quia gentibus timorem incutiunt : gentes enim ex superstitione metuebant ab astris, ut patet *Jerem.* X, 2.

69. FORMIDO, — græce προβασκάνιον, id est *terriculamentum*, v. g. Puer stramineus cum arcu, positus in horto ut aves terreat et fuget, quæ cum vident puerum non moveri, pulso timore libere in cucumeres involant. Hæc Græci vocant μορμολύκεια. Ita Horatius : Vers. 69. Formido quid?

> Deus inde ego furum, aviumque maxima formido.

Comparat idola hisce terriculis avium, quæ fructus vere non custodiunt, sed tantum ex opinione et phantasia avium, quæ putant ea esse veros homines, cum tantum sint simulacra hominum : sic enim et idola non sunt dii, sed simulacra. *Secundo*, comparat ea spinæ hortensi, id est rhamno, cui aves libere insident, cum videant spinam esse sine aculeis. *Tertio*, cadaveri mortuo et insensibili.

Tropologice, talis est princeps et prælatus insipiens et timidus, ait Hugo, et ex eo Delrio, *adagio* 886 : Sicut enim, inquit, aves primo intuitu metuunt hoc terriculum, mox tamen ut moveri aut lædere non posse advertunt, assident propius, deinde insident et coinquinant : ita subditi primo prælatum reverentur, at dum vident ignavum et timidum, contemnunt, supplantant, conculcant. Hic similis est Sobnæ præposito templi, cui ait Isaias cap. XXII, 15 : « Quid tu hic, aut quasi quis hic? » De talibus queritur Jeremias, cap. XXIII, 13 : « In prophetis Samariæ vidi fatuitatem. » Et Zacharias, cap. XI, 17 : « O pastor, et idolum, derelinquens gregem. » Tales enim sunt idola : umbræ et larvæ pastorum, non veri pastores; quibus, uti et idolis, ac terriculis, recte competit vetus parœmia : « Simia in purpura. » Quam multos id genus simios videre est in aulis principum, quibus si purpuram, si torquem, si gemmam detrahas, meros cerdones deprehendes! In hos competit illud quod, teste S. Hieronymo *ad Pammach.*, « de Cæsare egregie dixit Tullius : Cum quosdam, ait, ornare voluit, non illos honestavit, sed ornamenta ipsa turpavit. »

71. A PURPURA QUOQUE ET MURICE, QUÆ SUPRA ILLOS TINEANT. — Ita legendum, non *teneant*, *q. d.* Ex vestibus idolorum purpureis et muriceis, quæ a tineis consumuntur, utique scietis quid sint idola, scilicet quod sint saxa et ligna, non dii.

Nota : Pro *murice* aliqui legunt *marmore* : græce enim est τῆς μαρμάρου, quod Vatablus vertit, splendore; μάρμαρ enim signat fulgorem, splendorem, et a splendore dictus est tam lapis marmor, uti docet Anselmus Boetius, lib. II *De Lapidibus*, cap. CCLXVI, quam hic murex sive purpura : nam, ut ait Poeta, *Æneidos* IV : « Tyrioque ardebat murice læna : » *læna*, id est toga duplex, quæ erat amictus auguralis, ait Paulus Manutius; si ardebat, ergo et splendebat. *Secundo*, marmor tingi solet

rubeo colore. Hinc significat muriceum sive conchyliatum et purpureum colorem et vestem, quæ supra idola *tineat*, id est a tinea arroditur et consumitur; græce σηπομένης, id est quæ *putrescit*.

SCIETIS ITAQUE. — Potius legendum cum Maldonato, *scietis utique*: sic enim connexa erit sententia præcedentium, eaque hic explebitur. Id ita esse patet ex Græco.

ET ERUNT OPPROBRIUM, — erunt omnibus risui et probro. Omnes enim rident, cum vident aliquod idolum saxeum, vel ligneum, cariosum, truncum pedibus, manibus, oculis aut capite, adorari aut adoratum fuisse.

Ex hoc capite refellitur Calvinus, qui ait Gentiles non fuisse tam stupidos, ut adorarent ligna et lapides, sed in iis adorasse Deum, quasi in imagine, uti faciunt Christiani. Hoc enim falsissimum esse patet ex toto hoc capite, et ex Arnobio, Lactantio, Tertulliano, Justino, Athenagora et aliis, qui passim rident Gentiles, quod lapides et ligna pro diis colant. Idem videmus hodie facere Japones et Indos. Simplices ergo statuas colebant ut deos: sapientiores quasi corpus vel membra Dei; putabant enim numen statuæ et idolo, sui quasi simulacro, esse affixum, in illo habitare, et circa illud versari et ludere: sapientissimi riserunt idola, ut Socrates et Plato; licet quidam ex eis ea coluerint metu hominum, qua de re alibi plura dixi.

Quocirca Barlaam, apud Damascenum in *Historia* cap. x, Josaphato demonstrat stultitiam idololatrarum per apologum aucupis et lusciniæ, eamque triplicem. *Primo*, quod res præteritas, puta Jovem, Mercurium aliosque homines flagitiosos jam mortuos suscitare velint. *Secundo*, quod tententent impossibilia: petunt enim vitam a statua inanimata. *Tertio*, quod credant rem incredibilem, scilicet saxa esse deos. Apologum lusciniæ recensui *Jerem.* VIII, 7. Et S. Augustinus, in *Sententiis*, Sent. II, 15: « Sic, ait, sunt qui colunt idola, quomodo qui in somnis vident vana. Si autem evigilet anima ipsorum, intelligit a quo facta sit, et non colit quod ipsa fecit. »

Moraliter quam Sancti exhoruerint idola.

Moraliter ergo disce hoc capite, quam impia et stolida sit idololatria, quæ Deum verum divinitate sua privare, eamque in creaturam transferre conatur. Hinc Sancti eam, ut summum crimen læsæ Majestatis divinæ, tantopere detestati sunt, ut maluerint quævis tormenta et mortes acerbissimas pati, quam idola colere. Primis trecentis Ecclesiæ Christianæ annis, plusquam sexcenta Christianorum millia hac una de causa martyrium subierunt, vel ad furcas, vel ad ignes, vel ad gladios, vel ad cruces, vel ad bestias damnati.

Quocirca B. Remigius Archiepiscopus Rhemensis, cum Clodovæum Francorum regem, primum ex regibus Franciæ conversum ad Christum post superatos Alemannos baptizare deberet, coram procerum frequentia, deponenti ornamenta regalia, et ad sacrum se lavacrum humilianti, cunctis audientibus dixit: « Mitis depone colla Sicamber; adora quod incendisti; incende quod adorasti, » hoc est Christum adora, cujus ecclesias incendisti paganus; incende idola, quæ tunc adorasti. Ita Joannes Trithemius, lib. I *Compend. Annal.*, et lib. *De Origine Francorum.*

S. Chrysogonus, Diocletiano Imperatore Romæ inclusus in carcere, ibi biennium vixit. Sed cum Imperator Diocletianus Dalmata, obscuro loco natus, Romam scripsisset, ut reliquis Christianis, qui in vinculis essent, interfectis, Chrysogonus Aquileiam ad se mitteretur, eo perductus est; cui Imperator: Accersivi, inquit, te, Chrysogone, ut honoribus augeam, si modo induxeris animum deos colere. At ille: « Ego eum, qui vere est Deus, mente et oratione veneror; deos autem, qui nihil sunt nisi dæmonum simulacra, odi et exsecror. » Quo responso excandescens Imperator, ad Aquas Gradatas eum securi percuti jubet. Ita habet ejus *Vita*.

Romæ, sub Adriano Imperatore Seraphia Virgo Antiochena, cum in domo Sabinæ præclarissimæ feminæ apud urbem commaneret, rapta ab officio Præsidis, exhibita est in conspectu ipsius. Cui ille: Sacrifica diis immortalibus, quibus sacrificant domini Imperatores. B. Seraphia respondit: « Timeo, et colo omnipotentem Deum, qui fecit cœlum et terram, et omnia quæ in eis sunt. Nam dii quos jubes adorare, non sunt dii, sed sunt dæmonia; et ideo non licet mihi eos adorare, quia Christiana sum. » Rursum Præses: Sacrifica diis, inquit, ne morte plectaris. Cui virgo: « Non facio voluntatem patris tui Satanæ, quia Christiana sum. » Quare varie torta tandem capite plexa, Martyr in cœlum evolavit. Ita Ado in *Martyrol.* 3 septemb.

SS. Perpetua et Felicitas Africanæ Martyres sub Severo Imperatore anno Domini 205, quas sæpe dilaudat S. Augustinus, damnatæ ad leones, cum ducerentur ad amphitheatrum ut iis objicerentur, alta alacrique voce canebant: « Omnes dii Gentium dæmonia, Dominus autem cœlos fecit; » cumque Præses juberet alapis faciem et os earum contundi, illæ majori et contentiori voce idipsum canendo iterarunt, ut habent earum Acta 7 martii. Illa enim die S. Perpetua a leonibus, S. Felicitas a leopardis dilacerata, de idolis et dæmonibus triumpharunt.

Tropologice idolum hæretici est hæresis, superbi honor, gulosi crapula, inobedientis propria voluntas, etc. Morere hisce tuis idolis, vive Deo: despice vana, suspice vera: despice terrena, suspice cœlestia: morere sæculo, vive cœlo: morere tempori, vive ÆTERNITATI.

COMMENTARIUS

IN EZECHIELEM.

PROOEMIUM.

An Ezechiel fuerit Pythagoras?

Affirmant aliqui.

Fuerunt nonnulli veterum qui putarunt Ezechielem fuisse Pythagoram. Audi Clementem libro primo *Stromat.*: « Alexander, inquit, in libro de Symbolis Pythagoricis, refert Pythagoram fuisse discipulum Nazarethi Assyrii. Quidam eum existimant Ezechielem; sed non est, ut ostendetur postea. Clearchus autem Peripateticus dicit se nosse quemdam Judæum, cum quo versatus est Aristoteles. » Insinuat Aristotelem sua hausisse a Judæis, æque ac Pythagoram et Platonem, qui proinde vocatus est Moses Atticus. Atque ab Ezechiele nomen accepisse videtur Ezechielus poeta tragicus, de quo idem Clemens eodem libro sic scribit : « De Mosis educatione nobiscum quoque consentiet Ezechielus Judaicarum tragœdiarum poeta in Actu qui inscribitur ἐξαγωγὴ, id est *Eductio*, sic scribens ex persona Mosis, » ubi multa ejus carmina de Mose recitat. Ad hosce accedit S. Ambrosius, qui Pythagoram a Judæis ortum censet. Sic enim scribit *ad Irenæum* lib. III, epist. 20 : « Pythagoricum mandatum in aliquorum scriptis prædicari invenimus, quo ille discipulos suos communem atque usitatam populo prohibuit ingredi viam. Sed hoc unde assumpserit non est incognitum. Nam cum ex populo Hebræorum (ut plerique arbitrantur) genus duxerit, ex ejus disciplina derivavit etiam magisterii præcepta, meritoque magnus apud Philosophos habitus, qualem (ut aiunt) vix reperis ullum. Legerat itaque in Exodo Mosi divino præceptum esse oraculo : Solve calceamentum pedum tuorum. Id etiam præceptum Jesu Nave, videlicet, ut detritæ et popularis vitæ deponerent pulverem, qui viam Domini ambulare desiderarent. Legerat præceptum eidem Mosi, ut montem cum sacerdotibus ascenderet, populus autem deorsum staret. » Et Theodoretus, lib. I *De Fide*, ubi Pythagoram circumcisum asserit : « Fertur, inquit, Pythagoras circumcisionem subiisse acceptam ab Ægyptiis, quam tamen Ægyptii ab Hebræis patribus accepissent. » Favet et ratio, vel potius conjectura. Nam tam Ezechiel, quam Pythagoras totus mysticus est et symbolicus, uterque sua oracula suamque Ethicam docet per symbola et ænigmata. Ad hæc, uterque eodem fere tempore floruit, videlicet Ezechiel sub Nabuchodonosore, Pythagoras sub Cyro et Cambyse, teste Eusebio in *Chronico*. Insuper sicut Ezechiel cum Deo collocutus est, ab eoque edoctus, ita et Pythagoras dixit se familiarem esse Apollini, ab eoque doceri : unde et Pythagoras dictus a Pythio Apolline, quod cum illo colloqueretur, ideoque non minus vera doceret, quam Pythius. Quocirca ipse suis erat instar oraculi : de eo enim dicebant, *αὐτὸς ἔφα*, *Pythagoras hoc dixit*; ergo verum est et indubitatum. Unde Ovidius de eo canit libro XV *Metamorph.*

S. Ambrosius Judæum fuisse Pythagoram censet.

> Mente deos adiit, et quæ natura negavit
> Usibus humanis, oculis ea pectoris hausit.

Respondeo negative.

Verum certum est Pythagoram nec Ezechielem fuisse, nec Judæum, etsi a Judæis et Prophetis sua dogmata, forte etiam circumcisionem, mutuatus sit. Nam *primo*, veteres passim docent Pythagoram ex Samo insula prodiisse : ergo Græcus fuit, non Judæus. *Secundo*, Pythagoras docuit *μετεμψύχωσιν*, id est *animarum* ex uno corpore in aliud, non tantum hominis, sed et bestiæ *transmigrationem* : quæ plane Hebræorum placitis repugnat, et nominatim oraculo *Ezech.* cap. XXXVII, de anima ad sua ossa suamque carnem redeunte. Pythagoras enim, uti diserte docet Tertullianus, lib. *De Anima* cap. XXVIII, ut hunc suum de animarum transmigratione errorem populo probaret, mortem simulavit, subterraneo latuit in specu per septennium, illic se patientia damnans una matre conscia : et ubi satis visus est corpulentiam interpolasse, de adytis fallaciæ emersit, ut ab inferis redire crederetur, dicens se primo fuisse Æthalidem sive Euphorbum; Pyrrhum deinde piscatorem, et mox Hermotymon. Pythagoræ est illa vox, quam in se transcribens Hermias Philosophus irridet tract. *De Gentilium Philosophorum irrisione*, qui exstat tom. IV *Biblioth. SS. Patrum* : « Nunc, ait, immortalis sum, et gaudeo; nunc contra mortalis fio, et ploro : mox in individua corpora solvor, aqua fio, fio aer, fio ignis : paulo post nec aerem, nec ignem, sed feram me facit, piscem me facit. Itaque vicissim

fratres habeo Delphinos. Cum vero intueor corpus, pertimesco, et nescio quo nomine id vocem nominemve, an canem, an lupum, an taurum, an avem, an serpentem, an draconem, an chimæram. In cunctas enim bestias commutor, terrestres, aquatiles, volucres, multiformes, agrestes, cicures; mutas, vocales; brutas, ratione munitas. Nato, volo, sublimis in aera feror, serpo, curro, sedeo.» *Tertio*, quia Ezechiel et Pythagoras non fuerunt synchroni, sed hic illo fuit posterior. Ezechiel enim floruit regnante apud Chaldæos Nabuchodonosore, apud Romanos Tarquinio Prisco, olympiade 49. Pythagoras vero floruit eversa Chaldæorum monarchia, regnante apud Persas Cambyse, apud Romanos Tarquinio Superbo, olympiade 64. Ita Eusebius *in Chronico*. Ergo Ezechiel quindecim olympiadibus, hoc est 60 annis, præcessit Pythagoram. Insuper Eusebius: «Olympiade, inquit, quinquagesima sub Cyro floruit Thales præceptor Anaximandri; hic Anaximenis, hic Anaxagoræ, hic Periclis fuit magister; Anaxagoræ vero temporibus Xenophanes et Pythagoras fuerunt.» Ergo Pythagoras Cyro duabus, Ezechiele tribus vel quatuor generationibus fuit posterior.

Ezechiel S. Scripturæ oceanus et labyrinthus.

QUÆRITUR ERGO PRIMO: — Quis, et qualis fuit Ezechiel? Respondet S. Hieronymus in cap. XLVII et alibi: « Ezechiel Scripturarum et oceanus, et mysteriorum Dei labyrinthus: » mysteria quæ alii prophetæ aperto sermone prophetant, ipse sacris veluti hieroglyphicorum arcanis tegit et obsignat.

An filius Jeremiæ?

Primo ergo Ezechiel fuit sacerdos, oriundus ex tribu Levi, uti testatur S. Hieronymus in cap. XIV *Ezechiel.* 23, imo ipse Ezechiel cap. I, 3. Patria ei fuit Sarara, ait Epiphanius in ejus *Vita*. Fuit filius Buzi. Hunc Buzi tradunt, aut potius fabulantur Hebræi, fuisse Jeremiam Prophetam, qui dictus fuit *Buzi*, id est *contemptus*, eo quod Judæis esset contemptui et ludibrio. Nazianzenus vero, *orat.* 47: « Ferunt, inquit, Ezechielem servum Jeremiæ prius exstitisse. » Sed et hoc fabulosum videtur. Fuit enim ipse ex genere sacerdotali, quod apud Judæos erat nobilissimum. Videtur ergo hæc lacinia Nazianzeno assuta: aut certe Nazianzenus Rabbinorum sui temporis sententiam refert tantum, non probat, uti et facit sæpe ejus discipulus S. Hieronymus.

Ezechiel, id est robur Dei.

Secundo, Ezechiel hebraice idem est quod חזק אל *chezec el*, id est *robur* seu *fortitudo Dei*, aut roboratus a Deo. Unde cap. III, 8, audit a Deo: « Ecce dedi faciem tuam valentiorem (hebraice est חזקים *chazakim*, unde *Ezechiel*) faciebus eorum, et frontem tuam duriorem frontibus eorum. Ut adamantem, et ut silicem dedi faciem tuam. » Origenes tamen et S. Hieronymus in cap. XLVII, 8, Ezechielem interpretantur, *imperium Dei*; חזק *chazac* enim *roborari* et *prævalere*, hoc est dominari et imperare, significat.

Fuit Prophetæ.

Tertio, fuit Propheta, doctor et Martyr; unde fuit typus Christi, ideoque, æque ut Christus, vocatus *filius hominis*. Ita S. Gregorius, Isidorus et alii.

Porro S. Gregorius, lib. XXVI *Moral.* cap. V: «Ezechiel, inquit, magistrorum speciem tenet.» Idem *in Ezechiel.* homil. 12: « Ezechiel, inquit, typum prædicantium tenet. » Idem, lib. III *Exposit. in* I *Reg.* cap. IX: « Ezechiel, ait, durus prædicator contra duros in malo veniebat, ut dura quæ ventura erant locuturus ostenderet, septem diebus in medio eorum, antequam loqueretur, flebat, » *Ezech.* III, 15. « Illos enim imitari electus prædicator debet, qui et acuta prædicant, et quæ loquuntur observant. »

Portentum.

Quarto, fuit ipse sui sæculi portentum, uti de eo dicit Deus, cap. XXIV, 24, ut portentosis suis dictis et factis flecteret et frangeret Judæorum duritiem et obstinationem in peccatis. Hac de causa obsidionem urbis in latere descripsit, panem stercore boum coctum comedit, et super unum latus cubavit 390 diebus, cap. IV, 1. Hac de causa describit cap. I currum bellicum Dei, cum angelis bellum, vindictam et excidium Judæis aliisque gentibus minitantis et comparantis.

Martyr.

Quinto, fuit Martyr, occisus a Judæis, et a duce populi sui, ait Epiphanius, apud Babylonem, eo quod eos de cultu idolorum argueret. Unde in *Romano Martyrol.* de eo ita legimus die 10 aprilis: « Ezechielis Prophetæ, qui a judice populi Israel, quod eum de cultu idolorum argueret, apud Babyloniam interfectus, in sepulcro Sem et Arphaxad, Abrahæ progenitorum sepultus est, ad quod orationis causa multi confluere consueverunt. » Idem docent S. Dorotheus in *Synopsi* cap. XVI. Isidorus, lib. *De Vita et obitu Sanctorum*, cap. XXXIX, Epiphanius, lib. *De Prophet. vita et interitu*, cap. XIX. Porro de genere mortis non constat. Auctor operis imperfecti *in Matthæum*, hom. 46, tradit eum raptatum et excerebratum: « Misi, ait, Ezechielem, et tractum super lapides excerebrasti eum. » Adrichomius in *Descript. Terræ sanctæ*, pag. 246, anno mundi 3386, tradit eum equis fuisse distractum; sed veterem hujus rei auctorem neminem citat.

Miracula ejus.

Sexto, Epiphanius, Isidorus, Dorotheus ibidem miracula ejus narrant. *Primo*, quod quasi alter Moses, Judæos per flumen Chobar sicco pede deduxerit, Chaldæis eos insequentibus in eo demersis; *secundo*, quod piscium copiam suis precibus a Deo impetrarit, qua Judæos fame pene enectos refecit; *tertio*, quod venenatos serpentes in impios Danitas et Gadditas immiserit. Verum horum fides sit penes auctores.

QUÆRITUR SECUNDO, — quando cœperit prophetare, et quandiu prophetarit Ezechiel? Respondeo: Daniel e Jerusalem abductus fuit a Nabuchodonosore in Babylonem anno 3 Joakim, *Daniel.* I, 1. Ezechiel vero post eum abductus fuit 8 anno, puta anno 11 et ultimo Joakim, scilicet postquam a Chaldæis occisus est Joakim, eique in regno suc-

cessit filius Joachin per tres menses; et eo deinde pariter abducto, Sedecias, qui erat frater Joakim. Ita Josephus, lib. X *Antiq.* VIII (1).

Secundo, Ezechiel vaticinari orsus est anno 5, postquam abductus est, puta anno 5 transmigrationis Joachin, qui pariter fuit annus 5 regni Sedeciæ. Patet id, *Ezechiel.* I, 2. Prophetare ergo cœpit Ezechiel post Isaiam, anno 199, post Jeremiam, annis 34. Jeremias enim cœpit anno 13 Josiæ, *Jerem.* I, 2, a quo 13 anno usque ad 5 Sedeciæ sunt 34 anni. Ita S. Hieronymus sub initium cap. I *Ezech.* Ante Danielem vero Ezechiel prophetare cœpit annis 22. Excipio historiam Susannæ : hanc enim Daniel spiritu prophetico a morte liberavit antequam inciperet prophetare Ezechiel, ut patebit *Daniel.* XIII. Perrexit tamen Ezechiel prophetare, ac post eum Daniel, Judæis in Babylone, eodem tempore quo Jeremias pergebat Judæis prophetare in Jerusalem. Causam dat S. Hieronymus in *Ezech.* cap. XII, 7 : « Illius (Jeremiæ), inquit, prophetia mittebatur ad captivos in Babylone, et hujus (Ezechielis) ad eos qui habitabant in Jerusalem, ut unius in diversis regionibus Dei providentia probaretur, et intelligerent audientes quæcumque accidebant populo, nequaquam idolorum potestate, sed Domini jussione consistere. » Denique S. Hieronymus, Origenes, Gregorius et Hebræi censent Ezechielem cœpisse prædicare et prophetare anno ætatis 30. Eodem enim cœperunt alii, et Christus, et Joannes Baptista. Verum hoc incertum est : nam puer abductus est, si credimus Josepho, et mox anno 5 cœpit prophetare : atque de Jeremia constat eum puerum cœpisse prædicare, *Jerem.* I, 6.

Tertio, prophetavit Ezechiel annis 20. Cœpit enim anno 5 transmigrationis Joachin : finiit ejusdem anno 25, ut patet cap. XL, 1. Quare ibidem falsus videtur S. Gregorius, *homil.* 13, dum eum prophetasse scribit annis 25; putat enim ipsum cœpisse anno 5 Joakim patris, non Joachin filii, cujus contrarium diserte tradit Josephus, lib. X, cap. VIII, et S. Hieronymus. Imo ipse Ezechiel, qui toto hoc libro prophetias suas consignat per annos transmigrationis Joachin, non Joakim (hic enim non transmigravit, sed occisus est); quia nimirum ipse eodem anno quo Joachin, et, ut videtur, cum ipso Joachin abductus est in Babylonem. Ita enim habet S. Hieronymus in *Præfat.*, et communis interpretum opinio.

Adde jam dictis unam prophetiam, quam habuit Ezechiel cap. XIX, 17, anno transmigrationis Joachin 27, quam si cæteris addas, colliges eum prophetasse præcise 22 annis. An ulterius prophetarit, ex scriptis ejus non liquet.

Cœpit ergo Ezechiel prophetare anno mundi 3317, qui fuit ante Christum 632, in hunc enim annum incidit annus quintus transmigrationis Joachin sive Jechoniæ, qui idem fuit quintus regni Sedeciæ, uti dixi in Proœmio in Synopsi chron. Desiit vero prophetare anno mundi 3339, qui fuit ante Christum 610, quo cœpit prophetare Daniel, uti ostendam *Dan.* II, 1. Eodem ergo anno quo desiit Ezechiel, cœpit Daniel, ut ille huic lampada tradidisse videatur. Nunc accipe quadrigam chronologiæ quatuor Prophetarum. Isaias cœpit prophetare anno 17 Oziæ, cum ageret annum ætatis 30 circiter; ergo cœpit ante Romam annis fere 50. Roma enim condita est sub annum 11 (licet Eusebius in *Chron.* habeat decimum sextum) Joatham filii Osiæ; ac post 4 annos, Romulus occiso fratre Remo in ea regnare cœpit, cum Isaias esset circiter 80 annorum, uti dixi *Proœmio in Isaiam.* Ab anno 11 Joatham, usque ad annum 13 Josiæ, quo cœpit prophetare Jeremias, fluxerunt anni 120. Totidem fluxerunt ab 1 anno Romæ conditæ usque ad annum 2 Anci Martii, qui fuit quartus rex Romanorum. Ergo Jeremias cœpit prophetare anno 2 Anci Martii. Ab hoc anno 2 Anci usque ad annum 13 Tarquinii Prisci fluxerunt anni 34. Totidem fluxerunt ab anno 13 Josiæ usque ad annum 5 Sedeciæ, quo cœpit prophetare Ezechiel. Cœpit ergo anno 13 Tarquinii Prisci. Ab hoc anno 13 Tarquinii Prisci usque ad annum 35 ejusdem Tarquinii Prisci, fluxerunt anni 22. Totidem fluxerunt ab anno 5 transmigrationis Joakim, usque ad annum 27 transmigrationis ejusdem, quo cœpit prophetare Daniel. Cœpit ergo Daniel anno 35 Tarquinii Prisci. Accipe horum seriem et synopsin, per parallela annorum regum Juda et regum Romæ.

Chronologia 4 Prophetarum.

(1) Authenticitas Ezechielis prophetiarum non solum ab Interpretibus orthodoxis, sed etiam ab acatholicis et rationalistis, et quidem doctissimis, ut Rosenmuller, Eichorn, Bertholdt, Gesenius, De Wette et Winer admittitur. Paucissimi tantum, ut Œder, Vogel, Corrodi, contra hunc unanimem omnium interpretum consensum, ultima capita Ezechieli abjudicare conati sunt, allegatis causis tam parvi levisque momenti, ut in iis immorari vel ad modicum nullius utilitatis judicamus. Vide si libet, *Introduction historique et critique aux livres de l'ancien et du nouveau Testament*, par J.-B. Glaire, tom. IV.

In hujus libri canonicitate asserenda et vindicanda concurrunt, *primo*, sacri scriptores, *Eccli.* XLIX, 10, 11; S. Joannes, *Apocal.* XX, 7 et seq., et ipse Christus, *Joan.* X, 16, qui vel innuunt vel etiam citant quædam ex prophetiis Ezechielis excerpta; *secundo*, certa adimpletio permultarum prophetiarum quæ ab humano ingenio prævidi nequibant, XXIV, 1, coll. cum XXIII, 21, de ultima Hierosolymæ obsidione; cap. XII, 12, 13, de fuga Sedeciæ; XXV, 14, coll. cum I *Machab.* V, 65, et II *Machab.* X, 16, de debellandis Idumæis; cap. XXIX, 18, et XXVI de Tyro obsidendo et expugnando; cap. XXIX, de Ægypto ad minimum inter regna redigendo; cap. XXXIV, 22 et seqq., XXXVII, 21 et seqq. de adventu et regno Messiæ; *tertio*, universalis tum Judaicæ, tum Christianæ Ecclesiæ traditio; *quarto*, futiles rationes, vel potius næniæ quas vel increduli, vel rationalistæ contra divinam hujus libri inspirationem objiciunt, ut suo cuique loco notabimus.

REGES JUDA.

Ozias vel Azarias, cujus anno 17 cœpit prophetare Isaias, regnavit annis 52

Joatham regnavit annis 16

Achaz regnavit annis 16

Ezechias regnavit annis 29

Manasses regnavit annis 55

Amon regnavit annis 2

Perperam enim Eusebius in *Chronico* ex Septuaginta dat Amoni annos 12, cum constet eum tantum biennium regnasse, uti diserte dicitur II *Paral.* XXXIII, 21 et IV *Reg.* XXI, 19.

Josias regnavit annis 31

Eodem tempore in Ægypto regnabat Pharao Nechao; ab hoc enim occisus est Josias.

Joakim regnavit annis 11

Joachin sive Jechonias, filius Joakim, regnavit mensibus tribus: post quos captus a Nabuchodonosore transmigravit in Babylonem, succedente sibi Sedecia patruo: iidem ergo sunt anni transmigrationis Jechoniæ et regni Sedeciæ. Ab hac transmigratione Jechoniæ incipiunt 70 anni captivitatis Babylonicæ.

Sedecias regnavit annis 11

Post quos a Nabuchodonosore captus, et excæcatus, atque eversa est Jerusalem regnumque Juda. Ita nimirum Hierosolyma ruente succrevit Roma, et in ea quasi in semine Romana Ecclesia, cui hæc sua oracula conscripserunt Prophetæ.

ROMA, EJUSQUE REGES.

Romæ conditio (qua prima urbis jacta sunt fundamenta) quinque annis antecessit regnum Romuli.

Ita Eusebius in *Chronolog.*, et alii exactiores Chronologi, licet nonnulli exordia Romæ et Romuli confundant. Roma enim condita est Palilibus (qui postea dies festus fuit) anno 40 Amulii regis Latii, inquit Eusebius, qui secundum tabulam Chronologicam, quam Genesi præfixi, fuit annus 11 Joatham, ac post 4 annos, scilicet post annum 44 Amulii, abavunculi sui, puta anno Joatham 16, cœpit in ea regnare Romulus, qui regnavit annis 39.

Porro Roma condita est olympiadis sextæ anno 3, uti ex Varrone, Livio, Solino et Dionysio docent Gordonus, Mercator, Torniellus, et passim alii Chronologi. Quocirca initium olympiadum præcessit initium Romæ annis 23; tot enim annos faciunt sex olympiades. Quapropter initium olympiadum in tabula chronologica quam Genesi præfixi, consignatur anno 40 Osiæ vel Azariæ regis Juda; qui regnavit 52 annis, cui successit filius Joatham, cujus anno 11 condita est Roma. Numera enim annos a 40 Oziæ ad 11 Joatham, invenies 23. Iidem auctores, licet varient in consignatione initii olympiadum, et urbis Romæ ad annos regum Juda; consentiunt tamen in eo quod Roma condita sit post Trojam eversam anno 432

Post Romulum ante Numam fuit interregnum unius anni 1

Numa Pompilius, secundus rex Romanorum (sub quo a Manasse occisus est Isaias) regnavit annis 41

Tullus Hostilius, tertius rex Romanorum, regnavit annis 32

Ancus Martius, quartus rex Romanorum, regnavit annis 23

Secundus annus Anci incidit in 13 Josiæ, quo cœpit prophetare Jeremias.

Tarquinius Priscus, quintus rex Romanorum, regnavit annis 37

Annus 13 Tarquinii Prisci incidit in annum 5 transmigrationis Jechoniæ, et in annum 5 regni Sedeciæ, quo cœpit prophetare Ezechiel, qui pariter fuit annus 13 Nabuchodonosoris, qui tum regnabat in Babylonia.

Eodem pariter anno in Media et Perside cœpit regnare Astyages, regnavitque 38 annos, quibus exactis successit ei Cyrus.

Anno 27 transmigrationis Jechoniæ et captivitatis Babylonicæ, qui fuit annus 16, ab eversa Jerusalem, et a capto Sedecia, cœpit in Babylone prophetare Daniel, *Dan.* II, 1.

Anni 70 captivitatis Babylonicæ finiuntur anno 27 Cyri, qui fuit annus 1 monarchiæ Cyri et Tarquinii Superbi septimus; licet Eusebius in *Chronic.* putet fuisse annum hunc Tarquinii 27, eo quod Amoni regi Juda det annos, non duos, sed 12 (quod repugnat S. Scripturæ Hebrææ et Latinæ), atque 70 annos captivitatis non a transmigratione Jechoniæ; sed decem annis serius, puta a capto Sedecia, et ab eversa Jerusalem ordiatur. Adde enim his 10 annis 10 Amonis, habebis annos 20 Eusebii, quos ipse hic addit et interserit, ut anno Tarquinii Superbi, non 7, sed 27, qui et Cyri fuit 27, putet expleri annos 70 captivitatis Babylonicæ. Insuper Eusebius annos Romuli quinque annis serius quam nos orditur, puta ab anno 5 Achaz, cum nos ab anno 16 Joatham eos ordiamur.

Rursum annus 35 Tarquinii Prisci incidit in annum 27 transmigrationis Jechoniæ, quo cœpit prophetare Daniel.

Servius Tullus, sextus rex Romanorum, regnavit annis 34

Anno 14 Servii Tulli moritur Astyages, et succedit ei in regno Persidis Cyrus, qui regnavit in ea 30 annis, ac anno 27 regni sui expugnavit Babylonem, factusque est monarcha. Eodem tempore in Lydia regnabat Crœsus, quem devicit Cyrus; tunc quoque floruit Solon legislator Atheniensis.

Tarquinius Superbus, septimus et ultimus rex Romanorum, regnavit annis 35

Ergo 27 annus Cyri, quo capta Babylone obtinuit monarchiam, ac solvit Judæorum captivitatem Babylonicam, incidit in annum 7 Tarquinii Superbi; annus vero 30 Cyri, quo mortuus est, incidit in annum 10 ejusdem Tarquinii. Cyro successit Cambyses, regnavitque 8 annos, sub quo floruit Pythagoras, inquit Eusebius in *Chronic.*, qui tot annos dat cuique regi Romanorum quot hic assignavi; licet alii varient, et quibusdam dent plures, quibusdam pauciores annos.

QUÆRITUR TERTIO, — quodnam sit ejus argumentum? Respondeo: Idem est quod Jeremiæ, sed figuris et ænigmatibus magis involutum et obscurum. Sicut ergo Jeremias primis 27 capitibus excidium Judæorum et captivitatem Babylonicam impiis Judæis minatur ac prædicit, ita idem facit Ezechiel per prima 24 capita, causasque, scilicet peccata eorum, recenset et arguit. *Secundo*, sicut Jeremias a cap. XLVII ad LI, aliis gentibus, ut Ammon, Moab, Edom, Philistæis, Tyro, Ægypto, idem Chaldæorum excidium intentat: ita facit et Ezechiel a cap. XXV ad XXXIV. Denique ultimis XIV capitibus prophetat liberationem et reditum e captivitate, Christi regnum pastorale, baptismum, vocationem Gentium, resurrectionem, interitum Gog ac Magog, itaque suos solatur. Unde cap. XL et sequent., ad finem usque prædicit urbem incensam, et templum cum suis quas minutim describit partibus et dimensionibus reædificanda, scilicet non tam litteraliter quam mystice in Christo et Ecclesia (1).

Tres partes prophetiæ Ezechielis.

Idem ex parte facit Jeremias a cap. XXX ad XXXIV. Deus ergo, qui omni tempore Ecclesiæ et fidelibus providet doctores et prædones, hoc sæculo Judæis in Babylone dedit Ezechielem, Judæis vero in Jerusalem dedit Jeremiam.

Causa prophetandi fuit, ut Jeremiæ prophetiam de urbis et gentis excidio confirmaret. Erat enim Hananias, *Jerem.* XXVIII, et Semeias cap. XXIX, aliique pseudoprophetæ, qui Jeremiam falsitatis arguebant, vaticinantes Judæis pacem et prospera omnia, ac eos qui in Babylonem abducti fuerant, brevi in patriam redituros; cum Jeremias contrarium ediceret, scriberetque abductis in Babylonem, ut domos ædificarent, plantarent vineas, ducerent uxores, quasi ibi mansuri ad 70 annos, cap. XXIX, 5: Ezechiel ergo missus est a Deo, tum ut Jeremiæ oracula confirmet, tum ut captivos in Babylone soletur. Erant enim quos pœnitebat deditionis suæ, quam fecerant Chaldæis, eo quod viderent Jerusalem subsistere, nec everti, uti minatus fuerat Jeremias. Hisce Ezechiel prædicit, post quinque annos certo evertendam Jerusalem, omnesque cives abducendos in Babylo-

Ezechiel missus est ut in Babylone, Jeremias, ut in Jerusalem idem prophetent.

(1) Plerumque, prophetiæ Ezechielis in ejus libro collocatæ sunt eo ordine quo editæ sunt, exceptis vaticiniis contra gentes exteras. Sic capitis XXVI prophetia undecimo a transmigratione Jechoniæ anno edita, ponitur ante cap. XXIX prophetiam quæ decimo a transmigratione anno inscribitur. Sic etiam prophetia cap. XXIX, 17 et seqq., antecedit prophetiam cap. XXXII, licet tempore posterior.

nem, ac proinde eos gaudere debere, quod hoc excidium non sint visuri, sed pacifice degant in Babylone. Ita S. Hieronymus in *Præfatione.*

Atque hac de causa, tanta est inter Jeremiam et Ezechielem affinitas et consensio, ut uterque non tantum idem prædicat, sed iisdem sæpe verbis ac sententiis utatur, uti in decursu ostendam. Quocirca quod philosophus rogatus, quo pacto differret Dialectica a Rhetorica, respondit : « Sicut manus contracta a seipsa explicata; » idem de Ezechiele et Jeremia dicere liceat, utrumque scilicet idem iisdem vaticinari, sed Ezechielem obscure per symbola, instar manus complicatæ et convolutæ; Jeremiam vero aperte et plane, instar manus explicatæ et explanatæ. Sicut ergo Zeno Logicam pugno, Rhetoricam palmæ comparabat; ita pugno Ezechielem, palmæ Jeremiam compares. Rursum, sicut S. Augustinus in *Psalm.* CV, dixit, « Novum Testamentum in Veteri velari, Vetus in Novo revelari : » ita pariter dicas Jeremiam in Ezechiele *velari*, Ezechielem in Jeremia *revelari*, ut « Ezechiel sit Jeremias *velatus*, et Jeremias Ezechiel *revelatus.* »

Porro Josephus, lib. X *Antiq.* cap. X et XI, scribit Sedeciam et Judæos nec Ezechielis nec Jeremiæ oraculis credidisse, eo quod contraria vaticinari viderentur. Nam Jeremias, cap. XXI, 7, prædixerat Sedeciam in Babylonem abducendum : Ezechiel vero in cap. XII, 11, negaverat eum Babylonem visurum. Sed utrumque fuisse verum docuit eventus. Nam a Chaldæis excæcatus Sedecias, ductus est in Babylonem, itaque eo ivit; sed quia cæcus, eam non vidit. Et utrumque loco citato prædixit Ezechiel. Frustra ergo antilogia hæc incredulitati Judæorum prætexitur.

Denique Ezechiel omnes, tam Gentes quam Judæos, ad Dei cultum et Jesu Christi obsequium allicit et invitat, tum spe præmiorum, tum metu pœnarum et excidii. Hoc est quod ait Ecclesiasticus cap. XLIX, 10 : « Ezechiel vidit conspectum gloriæ, quam ostendit illi in curru Cherubim. Nam commemoratus est inimicorum in imbre, benefacere illis qui ostenderunt vias rectas, » quod scilicet Deus ulcisceretur inimicos suos, instar imbris et procellæ desuper irruentis (huic enim Deum ultorem comparat Ezechiel, cap. XVIII, 22, et cap. XXXVIII, 5), quodque benefaceret recte agentibus, aut ad eum per pœnitentiam redeuntibus, ut patet iisdem locis jam citatis.

Citant veteres oraculum de partu Virginis, ex Ezechiele juxta versionem Septuaginta petitum, estque hoc : *Pariet vitula et dicent : Non peperit, q. d.* Pariet B. Virgo, at hæretici virginem peperisse negabunt. Ita Epiphanius, lib. I *Contra hæresin Ebionitarum*, et Tertullianus, lib. *De Carne Christi*, cap. XXIII. Alii legunt : *Peperit, et non peperit, q. d.* Virgo peperit, at non peperit ut aliæ matres ex viri semine, cum dolore et reseratione claustri virginalis. Ita Clemens, lib. VII *Stromat* Vide Delrio, *adagio* 915. Verum nil tale jam in Ezechiele reperitur.

Ezechiel symbolicus et obscurus.

QUÆRITUR QUARTO, — quanta sit Ezechielis sublimitas et obscuritas? Respondeo : illa ad oculum patet, si quis solum cap. I, et cap. XL, cum seq. octo inspiciat. Hinc S. Gregorius Nazianzenus, *orat.* 23 : « Ezechiel, ait, omnium Prophetarum maximus est et excelsus. » Idem, *oratione* 34 : « Quid, inquit, Isaiam et Ezechielem rerum maximarum spectatorem, reliquosque Prophetas commemorem? quorum alter Dominum sabaoth in gloriæ throno sedentem vidit, eumque a Seraphim senis alis præditis in orbem cinctum, ac laudatum, et occultatum, seque ipsum carbone perpurgatum, atque ad obeundum Prophetæ munus adornatum : alter vehiculum quoque Dei, hoc est Cherubinos, describit, thronumque ipsis excelsiorem, eoque sublimius firmamentum, atque insuper eum qui in firmamento sese utcumque conspiciendum præbebat, vocesque etiam quasdam, et impetus atque actiones, sive divinum hoc fuerit spectrum, solis optimis et sanctissimis viris spectabile, sive minime fallax noctis visio; sive mentis impressio quædam et informatio, cum rebus futuris quasi cum præsentibus commercium habens; sive arcanum quoddam aliud prophetiæ genus, dicere nequeo; novit hoc Prophetarum Deus, et qui hujusmodi afflatibus agitantur. » Hebræi tradunt duas esse in Scriptura leges, alteram scriptam, de rerum creatione; alteram secretam traditam Mosi de divinitatis specie : illam appellatam *beresciť*, istam *mercaba;* illam contineri Genesi, istam in Ezechielis curru; illam vulgatam esse omnibus, hanc solis sapientibus detectam. Quocirca S. Hieronymus hic apud Hebræos vetitum asserit, ne quis Ezechielis principium et finem, Cantica Canticorum, et initium Geneseos, legat ante ætatem sacerdotalem, id est ante annum trigesimum. Est enim Ezechiel inter Prophetas, quod inter Græcos Heraclitus, qui teste Plutarcho in *Vita Fabii Maximi* ab obscuritate dictus est σκοτεινός, id est tenebricosus, ait Delrio, *adag.* 197 (1).

(1) In Ezechielis vaticiniis quamvis verborum structura et ratio satis sit plana et expedita, visionum tamen, imaginum ac parabolarum varietate et copia reliquos prophetas omnes longo post se intervallo relinquit. Interdum enim per visiones, ut cap. I et seqq., VIII-XI, XXXVII, XL et seq., mox per actiones symbolicas, ut cap. IV, V, XII; nunc per similitudines, ut cap. XV, XXXIII, XXXIV; nunc per parabolas, ut cap. XVII; item per carmina et fictiones poeticas, ut cap. XIX; necnon per allegorias, ut cap. XXIII, XXIV, denique per manifestas prædictiones, exprobrationes et minas, ut cap. VI, VII, XI, XIV, XVI, rel., agit, tantaque ubertate et figurarum varietate floret, ut unus omnes prophetici sermonis numeros et modos explevisse, jure suo dicendus sit. Habet vero Ezechiel hoc potissimum sibi proprium, ut quas exhibet imagines ita plene, ita copiose pingat, totasque absolvat, ut nihil addi posse, nihil in mente lectoris relinqui dixeris. In iis vaticiniis, quæ per visiones et imagines proponit, hunc fere modum tenet, ut enarratis prius accurate omnibus ac singulis, quæ mentis suæ oculis objecta essent, Deum

Amplius tradunt et observant Rabbini, scilicet, neminem ante trigesimum annum ad Ezechielis lectionem admittunt. Rursum, negant fas esse cuiquam Ezechielem scriptis commentariis explicare, nisi summa tantum ejus capita attingendo. Verum hæc eorum est superstitio. Quod enim Deus per Prophetam scribi, hoc et legi et explicari voluit. Ezechielis ergo precibus adjuti eum inchoabimus.

Porro obscuritatis in Ezechiele causa est duplex. Prior est, materiæ et rerum sublimitas, uti cap. I, Deum, Deique et Angelorum attributa per currum Cherubim, per rotas oculatas, per quaternas animalium facies, per firmamentum, per crystallum, per electrum, etc., adumbrat et explicat. Posterior est, modus dicendi et sermo in se facilis quidem et simplex, sed qui figuratus sit, suaque proponat per symbola et ænigmata. Cujus rei unam causam dat Theodoretus, videlicet, quod Judæos redarguat, eosque exscindendos et reprobandos prædicat, ex adverso Gentium vocationem et salutem prænuntiet, ideoque timendum fuisse ne, si Judæi plane dicta et scripta ejus intelligerent, ex invidia librum abolerent. Verum, si ita est, cur non aboleverunt prophetiam Jeremiæ, quæ clare (uti et quædam capita Ezechielis) hoc excidium denuntiant? Potius ergo ad varietatem prophetiæ id referendum videtur, ut scilicet quæ Jeremias clare Judæis in Jerusalem, eadem iisdem in Babylone per symbola Ezechiel repræsentaret; ut Babylonii ea intelligere, itaque Judæos irridere et subsannare nequirent; sed soli Judæi, quibus ea explicabat Ezechiel.

Interpretes Ezechielis.

Scripserunt in Ezechielem e Latinis S. Hieronymus et S. Gregorius, e Syris Theodoretus, e Græcis Apollinaris Junior, Laodiceæ Episcopus (qui fuit præceptor S. Hieronymi), anno Christi 380, sub Gratiano Imperatore; Polychronius Apameæ Episcopus (ex quo multa sumpsit Theodoretus), frater Theodori Mopsuesteni, anno Christi 400; Origenes, Severus (1) et alii qui recensentur in *Catena Græcorum*, quæ exstat hic in *Biblioth. Vaticana*, qua et usus est P. Prado et Vilalpando, qui jussu et impensis Serenissimi Philippi II Regis Hispaniæ, sedecim annos et vitam impenderunt *in Ezech.* editis tribus tomis in 28 prima, et tria finalia (puta 40, 41, 42, quæ sunt de templo) capita Ezechiel (2).

S. Hieronymus et Gregorius scripserunt obsessa Roma.

Porro S. Hieronymus et Gregorius hanc Ezechielis expositionem aggressi sunt, cum Roma et Romanum Imperium a Wandalis et Gothis, ac a Longobardis, perinde ac Judæa et Jerusalem a Chaldæis tempore Ezechielis vastaretur, ut ex eo, atque ex simili Israelitarum strage, suam suorumque solarentur: « Duo, inquit S. Gregorius, Præfat. in lib. II *Commentar. in Ezech.*, sunt quæ in hac re (expositione Ezechielis) perturbant animum meum. Unum, quod hæc eadem visio tantæ obscuritatis nebulis tegitur, ut vix in ea aliquid intellectu interlucente videatur. Aliud, quod jam Agilulphum Longobardorum regem ad obsidionem nostram summopere festinantem, Padum transmisisse cognovimus. » Scripsit ergo S. Gregorius hæc anno Domini 595, Mauritii Imperatoris 10, Pontificatus sui anno 6, uti notat Baronius. Miratur, et merito, S. Bernardus, lib. I *De Consider. ad Eugen.* cap. IX, Gregorium ita occupatum in Pontificatu, æque ac afflictum, id præstare potuisse: « Non defuere, inquit, Romani Pontifices, qui sibi otia inter maxima negotia invenirent. Obsidio urbi, et barbaricus ensis civium cervicibus imminebat: numquid tamen istud terruit B. Papam Gregorium, quo minus sapientiam scriberet in otio? Eo nempe temporis (quod ex ejus Præfatione liquet) obscurissimam et extremam partem Ezechielis tam diligenter, quam eleganter exposuit; » nec tantum exposuit, sed ad populum pro concione dixit, uti ipse testatur in præfatione, lib. I. S. Hieronymus vero *Præfat.* lib. I *in Ezech.*: « Ad Ezechielem, ait, transire cupiebam: et ecce subito mors mihi Pammachi atque Marcellæ, Romanæ urbis obsidio, multorumque fratrum et sororum dormitio nun-

loquentem inducat, qui ipsum de illorum significatione edocet, et quæ ei per figuras futura ostendisset statim claris verbis exponit. Vaticiniorum hujus Prophetæ proprietates verissime descripsit Lowthus. « Ezechiel, inquit, elegantia quidem multum inferior est Jeremia, sublimitate autem vel Isaiæ par, sed in genere dissimillimo. Est enim atrox, vehemens, tragicus, totus in δείνωσει, in sensibus elatus, fervidus, acerbus, indignabundus, in imaginibus fecundus, magnificus, truculentus, et nonnunquam pene deformis; in dictione grandiloquus, gravis, austerus, horridus, et interdum incultus, frequens in repetitionibus, non decoris aut gratiæ causa, sed ex indignatione et violentia. Quidquid susceperit tractandum, id sedulo prosequitur, in eo unice hæret defixus, a proposito raro deflectens, ut rerum seriem et junctūram vix unquam requiras. In cæteris a plerisque vatibus fortasse superatus; sed in eo genere, ad quod unice videtur a natura comparatus, nimirum vi, impetu, pondere, granditate, nemo ex omni scriptorum numero eum unquam æquavit. Dictio ejus satis est perspicua; omnis prope in rebus sita est obscuritas. Visiones præcipue sunt obscuræ, quæ tamen (ut apud cæteros, Oseam, Amosum, Zachariam) nuda et plane historica narratione exponuntur. Ezechielis autem pars major, eaque media, poetica est, siquidem aut res spectemus, aut dictionem; sed in sententiis adeo plerumque est rudis et incompositus, ut sæpe dubitem quid de eo hac in parte statuendum sit. » *De Poesi sacra Hebr.* prælect. XXI.

Lingua Hebraica, qua utitur Ezechiel, declinat ad Aramæismum, habetque haud paucas voces et formas Chaldaicas, pronti a scriptore, qui in Mesopotamia, sive Syria aquilonari vixit exspectes. Præterea habet plures cum æquali suo Jeremia, loquendi formulas, construendi modos et verborum formas communes. (Rosenmuller.)

(1) S. Ephrem qui scripsit Syriaco sermone Commentarium in Ezechielem.

(2) Omnes qui ante ipsos Ezechieli explicando operam impenderunt, inquit Rosenmuller, Pradus et Villalpandus superant eruditione, diligentia atque subsidiorum idoneorum usu. Ea usurpabant adjumenta, ad quæ non cuivis aditus patet, ut cognoscitur ex iis quæ de interpretibus quorum opera adjuti hunc laborem susceperunt, dixit Villalpandus in *Præfat.* part. I, pag. 12 et 13.

tiata est; » et mox : « Postquam clarissimum terrarum omnium lumen exstinctum est, imo Romani Imperii truncatum caput, et, ut verius dicam, in una urbe totus orbis interiit, obmutui et humiliatus sum. » Scripsit ergo ipse hos in Ezechiel Commentarios, anno Domini 410, qui fuit Honorii Imperatoris 16, Innocentii I Pont. 9; illo enim contigit hoc Romæ per Alaricum regem Gothorum excidium, uti ex Orosio et aliis docet D. Baronius.

Denique in Ezechielem scripserunt Lyranus, Hugo, Dionysius, Vatablus, Hector Pintus, et Petrus Serranus Cordubensis, cujus et in Leviticum Commentarii exstant (1).

(1) Haud prætermittendi sunt insuper, Maldonatus, Calmetus et auctor jam a nobis in *Argum. Isaiæ* indigitatus, H. Bodin, can. hon. parochus S. Symphoriani in urbe Turonica, qui edidit opus cui titulus : *Les Livres prophétiques de la sainte Bible, traduite en français sur les textes originaux, avec des remarques*, 2 vol. in-8, Parisiis, 1855, in quo satis exquisitas annotationes licet breviores invenire est.

Opportunum judicamus indigitare inter acatholicos interpretes, ut jam fecimus, eos quorum opera haud parvam utilitatem ad assequendum geminum Ezechielis sensum præbere possunt.

Rosenmuller, *Scholia in vetus Testam.* part. VI, 2 vol. in-8.

Exposition of the Prophecy of Ezechiel, by Will. Greenhill. London, 1649, in-4; Belgice quatuor voluminibus, in quaternis. Hagæ Comitum, 1732-1736. Melioribus Commentariis in Ezechielem accensetur hoc opus.

Joann. Frid. Starckii V. D. M. Francofurtani, *Commentarius in prophetam Ezechielem, in quo ex fontibus sacris cujusque versus et commatis sensus eruitur, et doctrinæ ad cognitionem veritatis et praxin pietatis adduntur, Interpretum celeberrimorum explicationibus, ut totam revelationem, ita etiam templum Ezechielis illustrantibus, inspersis observationibus, quæ pertinent ad criticam, antiquitatem et historiam, cum triplice indice et præfatione Joan. Georg. Pritii.* Francof. ad Mœn. 1731, in-4.

Hermanni Venema *Lectiones Academicæ ad Ezechielem*, part. I, usque ad cap. XXI. Edidit et præfatus est Joann. Verschuir. Leovard. 1790, in-4.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ezechiel videt currum gloriosum, Deumque in solio ei præsidentem. Primo ergo videt turbinem, nubem et ignem venientia ab Aquilone. Secundo, vers. 5, *ex igne videt prodeuntia animalia quatuor, singula cum quaternis faciebus, scilicet hominis, et a dextro ejus leonis, a sinistris bovis, desuper aquilæ, quæ ibant instar fulguris. Tertio, vers.* 15, *videt quatuor rotas horrendæ altitudinis, plenas oculis, quæ pariter cum quatuor animalibus incedebant : habebant enim spiritum vitæ. Quarto, vers.* 22, *videt super animalia firmamentum instar cristalli horribilis, et in eo solium ex sapphiro. Quinto, vers.* 26, *videt in solio sedentem hominem, superne similem electro, inferne totum igneum et amictum iride* (1).

1. Et factum est in trigesimo anno, in quarto, in quinta mensis, cum essem in medio captivorum juxta fluvium Chobar, aperti sunt cœli, et vidi visiones Dei. 2. In quinta mensis, ipse est annus quintus transmigrationis regis Joachin, 3. factum est verbum Domini ad Ezechielem filium Buzi sacerdotem in terra Chaldæorum, secus flumen Chobar : et facta est super eum ibi manus Domini. 4. Et vidi, et ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone : et nubes magna, et ignis involvens, et splendor in circuitu ejus : et de medio ejus quasi species electri, id est de medio ignis : 5. et in medio ejus similitudo quatuor animalium : et hic aspectus eorum similitudo hominis in eis. 6. Quatuor facies uni, et quatuor pennæ uni. 7. Pedes eorum pedes recti, et planta pedis eorum quasi planta pedis vituli, et scintillæ quasi aspectus æris candentis. 8. Et manus hominis sub pennis eorum in quatuor partibus : et facies, et pennas per quatuor partes habebant. 9. Junctæque erant pennæ eorum alterius ad alterum : non revertebantur cum incederent : sed unumquodque ante faciem suam gradiebatur. 10. Similitudo autem vultus eorum facies hominis, et facies leonis a dextris ipsorum quatuor : facies autem bovis, a sinistris ipsorum quatuor, et facies aquilæ desuper ipsorum quatuor. 11. Facies eorum, et pennæ eorum extentæ desuper : duæ pennæ singulorum jungebantur, et duæ tegebant corpora eorum : 12. et unumquodque eorum coram facie sua ambulabat : ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur, nec revertebantur cum ambularent. 13. Et similitudo animalium, aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium, et quasi aspectus lampadarum. Hæc erat visio discurrens in medio animalium, splendor ignis, et de igne fulgur egrediens. 14. Et animalia ibant et revertebantur, in similitudinem fulguris coruscantis. 15. Cumque aspicerem animalia, apparuit rota una super terram juxta animalia, habens quatuor facies. 16. et aspectus rotarum, et opus earum, quasi visio maris : et una similitudo ipsarum quatuor : et aspectus earum et opera, quasi sit rota in medio rotæ. 17. Per quatuor partes earum euntes ibant, et non revertebantur cum ambularent. 18. Statura quoque erat rotis, et altitudo, et horribilis aspectus : et totum corpus oculis plenum in circuitu ipsarum quatuor. 19. Cumque ambularent animalia, ambulabant pariter et rotæ juxta ea : et cum elevarentur animalia de terra, elevabantur simul et rotæ. 20. Quocumque ibat spiritus, illuc eunte spiritu, et rotæ pariter elevabantur, sequentes eum. Spiritus enim vitæ erat in rotis

(1) Allegorice hæc divinæ naturæ, inquit Rosenmuller, præstantissima quæque, quæ singulis quibusdam animantium generibus priva sunt, in se una comprehendentis, repræsentatio, quam per visionem numen illi exhibuit, quem ad homines nuntium mittere vellet, sane perquam apte huic oraculorum syllogi præmissa est. Varias Hebræorum Christianorumque de hujus visionis symbolica et arcana significatione sententias multi exposuere, præter auctores a Cornelio citatos : Aug. Pfeiffer, in *Dubiis vexat.* pag. 768; Campeg. Vitringa, in *Observatt. S. Script.* tom. I, lib. IV, cap. I, II; Herder, *De Genio poes. Hebr.* part. I, pag. 180 et seqq.; et Stæudlin, in *Symbolis novis*

21. Cum euntibus ibant, et cum stantibus stabant : et cum elevatis a terra, pariter elevabantur et rotæ, sequentes ea : quia spiritus vitæ erat in rotis. 22. Et similitudo super capita animalium firmamenti, quasi aspectus crystalli horribilis, et extenti super capita eorum desuper. 23. Sub firmamento autem pennæ eorum rectæ alterius ad alterum : unumquodque duabus alis velabat corpus suum, et alterum similiter velabatur. 24. Et audiebam sonum alarum, quasi sonum aquarum multarum, quasi sonum sublimis Dei : cum ambularent quasi sonus erat multitudinis ut sonus castrorum; cumque starent, demittebantur pennæ eorum. 25. Nam cum fieret vox super firmamentum, quod erat super caput eorum, stabant, et submittebant alas suas. 26. Et super firmamentum, quod erat imminens capiti eorum, quasi aspectus lapidis sapphiri similitudo throni : et super similitudinem throni, similitudo quasi aspectus hominis desuper. 27. Et vidi quasi speciem electri, velut aspectum ignis, intrinsecus ejus per circuitum : a lumbis ejus et desuper, et a lumbis ejus usque deorsum, vidi quasi speciem ignis splendentis in circuitu. 28. Velut aspectum arcus cum fuerit in nube in die pluviæ : hic erat aspectus splendoris per gyrum.

1. ET FACTUM EST. —Conjunctio *et*, ait S. Gregorius hic *homil.* 1, et S. Augustinus *in Psalm.* IV, nectit verba exteriora Prophetæ cum visione interiore. Prius ergo interius in mente quædam viderat, vel audierat a Deo, quæ subticet, eaque cum aliis quæ postea vidit et audivit quæque hic enarrat, per copulam *et* conjungit. Verum simplicius et solidius S. Augustinus ibidem, Origenes, Maldonatus et alii hic, notant vocem *et* per pleonasmum addi more Hebræo, ideoque redundare et superfluere. Hebræi enim *vau*, id est *et*, ponunt quasi libri vel narrationis exordium, ut patet in libro Exodi, Levitici, Numerorum, Josue, Judicum, Regum, qui omnes incipiunt a *vau*, id est *et* (1).

IN TRIGESIMO ANNO — vitæ Ezechielis, inquit Origenes, *homil.* 1, S. Gregorius, *homil.* 2, et Torniellus *in Chronol.* Verum hoc improbat S. Hieronymus : non enim solent Prophetæ in publicis scriptis annos consignare a numero vitæ suæ, vel alterius privati. *Secundo*, « 30 anno, » ab ultimo scilicet jubilæo, inquiunt S. Hieronymus et R. David. *Tertio*, « 30 anno, » scilicet ab anno 18 Josiæ, quo inventus est liber legis, et celebratum pascha solemne; ita Jonathas Paraphrastes Chaldæus quoque, ut ait Maldonatus et Theodoretus, prænuntiata fuit captivitas (de ea enim hic agitur) Babylonica, IV *Reg.* XXII, 16, his verbis : « Ecce, ego adducam mala super locum istum, etc., omnia verba legis quæ legit rex Juda; » ab illo enim anno 18 Josiæ usque ad annum 5 transmigrationis Joachin præcise sunt anni 30. Rursum insignis quidam chronologus censet hunc esse annum 30 regni Astyagis, avi Cyri. *Quarto* et certius, Noster Prado : « In trigesimo anno, » ex quo, inquit, cœpit regnare Nabopolassar, pater Nabuchodonosoris, et conditor monarchiæ Chaldæorum. Ab anno enim 1 Nabopolassar publica auctoritate constituta est æra, a qua Babylonii annos numerabant, et publica instrumenta consignabant. Sicut ergo Daniel, Esdras et Nehemias consignant sua monumenta per annos Cyri, Darii, Artaxerxis, regum Persarum, quia inter eos degebant, eisque erant subjecti : ita et Ezechiel per initium regni Chaldæorum sua oracula consignat, quia inter Chaldæos agebat, eisque cum omnibus Judæis, ipsaque Judæa erat subditus. Id ita esse patet ex eo quod Nabopolassar, teste Josepho, lib. I *Contra Apion.*, regnavit 19 annis. Ei successit filius Nabuchodonosor qui cœpit regnare anno 4 Joakim. Porro Joakim regnavit annis 11, a quibus deme annos 4 quibus ante Nabuchodonosorem regnavit Joakim cum patre ejus Nabopolassar, remanent anni Joakim septem, quibus adde annos 5 Sedeciæ (idem enim est annus 5 Sedeciæ et 5 transmigrationis Joachin, ut patebit vers. 2) habebis annos 30 quos quærimus. Sic etiam Sinenses annos suos numerant et consignant per annos regis eo tempore regnantis, nec aliam habent æram, uti testatur P. Nicolaus Trigault oculatus testis, lib. I *De Expedit. Sinensi* (2).

Anni Nabopolassar, quibus utitur Ezechiel.

Objicit contra hanc sententiam insignis Chronologus : Nabonassar, a quo æra Babyloniorum

ad Prophetar. interpretat. pag. 262 et seqq. Quibuscum conferri potest Bochartus in *Hieroz.* part. I, lib. III, cap. V, tom. II.

Cæterum, jam plene uniuscujusque partis hujus visionis varios sensus enucleavit noster doctissimus interpres, ut nonnisi notas paucissimas quasdam huic luxurianti et completæ explanationi subjicere opus sit.

(1) Notat Vatablus ו *vau*, in principiis librorum apposita, tantum convertere futura in præteritum.

(2) Cum duplici æra insigne sit vaticinium Ezechielis, inquit Pradus, earumque altera ad Judæorum rempublicam pertineat (vers. 2), necesse est alteram, id est annum trigesimum ad Chaldæorum rempublicam (in qua vixit vates) esse referendam..... Favet huic sententiæ Prophetam apud Babylonios hæc scripsisse, atque adeo Chaldæorum se consuetudini accommodasse, quemadmodum postea fecerunt Daniel, Aggæus, etiam et Zacharias, atque Esdras, qui omnes, utpote subditi Babyloniis vel Persis, eorum regum annalibus sua instrumenta communiunt.

consignatur teste Ptolemæo, 123 annis præcessit Nabuchodonosorem et Ezechielem : ergo nequit esse is, cujus anno 30 cœpit hic prophetare Ezechiel. Respondeo Nabonassar alium esse a Nabopolassar nostro; ille enim hunc antecessit 123 annis. Id patet tum ex aliis, tum ex Ptolemæo, qui lib. V *Almagest.* cap. XIV, asserit annum 5 Nabopolassar fuisse 127 a Nabonassaro. Nabonassar enim cœpit regnare anno 9 Joatham regis Juda, olympiadis 5, anno 4, ante Alexandrum Magnum anno 412. Nam Ptolemæus tradit Alexandrum mortuum esse æra Nabonassar 424; ab hoc enim Nabonassar, Ptolemæus, qui floruit sub Adriano Imperatore, testatur lib. III *Almagest.* cap. VIII, se habuisse priscas astronomicas observationes usque ad sua tempora. Porro hunc Nabonassar censet Genebrardus *in Chronol.*, et alii, fuisse Salmanasar : melius Scaliger, lib. V *De Emend. temp.*, et ex eo Torniellus, aliique multi censent fuisse Baladan regem Babylonis, de quo IV *Reg.* XX, 12, et *Isaiæ* cap. XXXIX, 1. A Nabonassar ergo Ptolemæus numerat et consignat annos Cambysis (ait enim annum Cambysis 7 esse 225 ab anno primo Nabonassari), Darii, Alexandri, Ptolemæi Philadelphi, Augusti et Adriani. Noster vero Nabopolassar, vel, ut Josephus, lib. I *Contra Apion.*, vocat, Nabulassar, fuit pater Nabuchodonosoris Magni, uti docet Eusebius, Bellarminus *in Chron.*, Scaliger et Josephus, qui et lib. X *Antiq.* cap. XI, ex Beroso vocat eum Nabuchodonosorem Seniorem. Porro ab hoc Nabopolassar, æque ac a Nabonassar, æram annorum fuisse constitutam docet diserte Scaliger, lib. V *Emend. temp.*, dicens pag. 217 : « Nabopolassar, qui a Beroso Chaldæo Ναβουλάσσαρος citante Josepho, sed emendatius ab Eusebio Ναβοπολάσσαρος, quomodo et a Ptolemæo dicitur. Is igitur Nabopolassar fuit pater Magni Nabuchodonosoris, ut testatur idem Berosus apud Josephum et Eusebium, qui totius Syriæ et Asiæ imperium obtinuit. Quare ab initio ejus imperii æra instituta, ut a Nabonassaro. Primusque ejus annus consurgit a 123 Nabonassari. Hæc æra imprimis Biblicæ historiæ studiosis notanda est, cum sit ea qua utitur Ezechiel Propheta : qui in Chaldæa prophetans æra, qua tunc Chaldæi utebantur, tempora signat. » Confirmatur, quia non est alia æra communis et publica illius ævi, a qua hunc annum trigesimum Ezechielis arcessere possimus. Accedit, quod ab hoc Nabopolassar, id est a Nabuchodonosore Seniore eversam esse Niniven, anno 13 Josiæ regis Juda, asserat S. Hieronymus, *Præfat. in Jonam*, et alii. Idem colligitur ex Tobia, cap. ult. vers. 16, et ex Josepho, lib. IX *Antiquit.* cap. XI, uti ostendi *Jerem.* cap. II, 2. Hoc si verum est, non est dubium exinde æram Babyloniorum esse constitutam, perinde ut Persarum constituta est ab anno 1 Cyri, Græcorum ab 1 Alexandri. Nabopolassar enim eversa Ninive, quæ erat sedes regum Assyriorum, eorum monarchiam evertit, et transtulit in se ac Babylonios, perinde ac Cyrus ad Persas, Alexander ad Græcos. Unde tunc in Scriptura nullos Assyriorum reges legimus, sicut legimus cum Nabonassaro, sive Baladan rege Babylonis, in Ninive regnasse Sennacherib regem Assyriorum, et post eum Asarhaddon. Causa erroris P. Pradi et aliorum, qui Nabonassar confuderunt cum Nabopolassar, putantes hos duos unum esse eumdemque, fuit, quod chaldaice idem, aut fere idem sint hæc nomina, Nabonassar, Naboneser, Nabuchodonosor, Nabopolassar, Nabopolnassar, uti ostendit Scaliger lib. V; unde et Alfonsini eumdem faciunt Nabuchodonosor et Nabonassar; et in Albatenio Nabonassar Ptolemæi semper vocatur Nabuchodonosor.

IN QUARTO, — scilicet mense, ut sequitur. Ita Septuaginta, quod enim nos præponendo vocem *mensis*, dicimus, *in quarto mense die quinta*, hoc Hebræi eam postponendo, dicunt : « In quarto in quinta mensis. » Mensis hic quartus, vel fuit Tebet, id est januarius; hic enim est quartus ab octobri, a quo Hebræi incipiebant annum communem et profanum. Ita S. Hieronymus. Vel potius est Tammus, id est junius, vel partim junius, partim julius. Hic enim est quartus a Nisan, id est a martio, a quo incipiebant annum sacrum, quo utitur sacra Scriptura, et scriptores hagiographi. Ita Chaldæus.

JUXTA FLUVIUM CHOBAR. — « Chobar » est Euphrates (hic enim alluit Babyloniam, in qua Ezechiel erat captus), ut volunt Rabbini, et ex iis Maldonatus, aut potius est rivus, vel ramentum Euphratis (1). Euphrates enim, æque ac Nilus in Ægypto, juxta Babylonem in varios rivos se dividit. Dictus est « Chobar, » ab aquarum copia : hebræum enim et Chaldæum כביר *kebir* crebrum, copiosum, multum significat : aut, ut Plinius, lib. VI, cap. XXVI, a Chobare præfecto, qui Euphratem fidit, deducto ex eo rivo Chobar : ne nimis præcipiti, copioso et violento cursu Babylonem infestaret vel obrueret.

Chobar rivus Euphratis, unde?

APERTI SUNT COELI, — *q. d.* Videbatur mihi cœlum, id est æther, ex hiatu in eo apparente, et fulguribus intermicantibus dividi et aperiri. Sic Silius Italicus, lib. IV :

> Ruptoque polo micat ignibus æther.

Et Statius :

> Subita face (*id est fulgure*) rumpitur æther.

Hæc omnia non revera fiebant, sed per visionem symbolice objiciebantur phantasiæ Prophetæ, ut attentionem ejus excitarent; et majestatem Dei, ejusque currus Cherubici repræsentarent. Aperiri enim videbantur cœli, ut Deum currumque ejus, in cœlo quasi clausum et invisibilem conspiceret.

(1) Chobar (vel Chaboras, juxta Ptolemæum) cujus et hic et infra, III, 15, 23; X, 15, 22, mentio facta, est flumen Mesopotamiæ quod oritur supra Rasænam in montibus Masiis, atque prope Circesium (olim Charcamis) Euphrati illabitur.

Simili ratione, Christo baptizato, aperti sunt cœli, *Matth.* III, 16, et Stephano martyrium obeunti, *Actor.* VII, 56. Quanquam in baptismo Christi, non per phantasiam, sed oculis corporeis vidit tam Christus, quam reliqui astantes, hiatum quemdam in cœlo, ita ut cœlum videretur aperiri, uti cum Jansenio, Suarez et aliis docui, *Matth.* III, 16.

ET VIDI — imaginaria et mentali visione : si quis insuper oculis corporeis eum hæc vidisse contendat, non obluctabor (1).

VISIONES DEI, — id est mirabiles, magnificas, divinas. Sic vocantur cedri Dei, montes Dei, id est excelsi et maximi. *Secundo*, « Dei; » quia Deus has visiones ei objiciebat, non phantasia, non Angelus, *q. d.* Non somniavi, non finxi; sed a Deo accepi quæ narraturus sum.

Cur ad aquas prophetet Ezechiel.

Quæres cur juxta aquas Ezechiel et Daniel viderint suas visiones, et mysteria divina?

Respondent R. Salomon et R. David, Spiritum Sanctum nunquam Prophetis locutum nisi in Terra Sancta, puta in Judæa; ideoque Jonam fugisse in Tharsis, quasi Spiritum Sanctum, et spiritum prophetiæ posset effugere. Si quando vero extra Terram Sanctam iis loquatur, non loqui nisi in loco aliquo mundo, qualis est fluvius, et aqua. Verum hæc Rabbinica, id est futilia sunt. Respondeo ergo causam esse, quia Prophetæ juxta fluenta, quasi loco silenti et amœno, et suavi murmure aquæ, quasi musica Elisæi (vide historiam IV *Reg.* cap. III, 15), delectati et excitati, mentem in Deum elevabant, itaque per orationem et contemplationem ad visiones et raptus divinos se disponebant. Ita Prado. Hinc et Poetæ cum Musis adamarunt et adamant fontes Heliconis, ut sublimiore conceptu et voce loquantur. Poetæ enim suis erant Prophetæ.

Mysticam causam dat Apollinaris : Quia, inquit, Spiritus Sanctus, qui Prophetas erudit, comparatur aquæ, et aquas, id est populos multos, hic docet; atque, ut Theodoretus ait, eos per aquas baptismi regenerat; æque ac per aquas lacrymarum pœnitentiæ abluit, et pristino nitori restituit. Sicut ergo Ezechieli juxta Chobar aperti sunt cœli, ita Christo in Jordane baptizato aperti sunt cœli, et vox Patris intonuit : « Hic est Filius meus dilectus. » Denique S. Gregorius, *homil.* 2. « Chobar, » id est gravitas, inquit, est genus humanum, cui peccatorum suorum pondera portanti, et defluenti ad mortem, per incarnationem appropinquare dignatus est Christus, qui est Ezechiel, id est *virtus Dei*.

Symbolice, flumen non est aliud, quam magna vis præterlabentis aquæ, quo significatur vis propheticæ gratiæ, quæ data est Ezechieli et Prophetis, non fuisse instar habitus permanentis, sed instar actualis illuminationis, quæ velut per transcursum, more fluentis aquæ, datur et præterit. Ita S. Hieronymus.

2. IN QUINTA, — supple DIE.

IPSE EST ANNUS QUINTUS TRANSMIGRATIONIS REGIS JOACHIN. — Joachin hic idem est qui et Jechonias, filius Joakim, qui patre Joakim a Chaldæis cæso, tres menses regnavit, sponteque se tradidit Chaldæis, qui eum cum suis traduxerunt Babylonem. Unde hæc ejus cum suis traductio non vocatur captivitas, quasi bello et vi capti abductique fuerint, sed transmigratio, scilicet deditiorum. Joachin transmigrante, mox Chaldæi ei suffecerunt in regno Judææ patruum, scilicet Sedeciam : quocirca idem est annus regni Sedeciæ qui et transmigrationis Joachin vel Jechoniæ. Hic ergo annus utriusque quintus præcessit excidium Jerusalem 6 annis; excisa enim est ipsa anno 11 et ultimo Sedeciæ, qui pariter fuit 11 a transmigratione Joachin.

3. FACTUM EST VERBUM. — Quod prius vocavit *visionem*, hic vocat *verbum*, scilicet oraculum et prophetiam continentem tam visiones, quam verba et jussa Dei. Vide *Can.* I. Porro hæc capitis I visio obscurissima est, et quasi ænigma. Primo, ergo ænigmatis ipsius speciem, sequendo et explicando verba textus, proponam. Deinde in fine capitis, quid singula symbolice significent, per quæstiones elucidabo.

AD EZECHIELEM, — ad me. Est enallage personæ, loquitur enim de se in tertia persona. Vide *Can.* XVI. Causam dat S. Gregorius, *hom.* 2, scilicet, ut per hoc indicent Prophetæ, non se, sed Spiritum Sanctum per ipsos loqui.

FILIUM BUZI, — id est *filium contemptus* : talis enim est Ezechiel, id est *fortitudo Dei* : quem enim mundus contemnit, hunc Deus corroborat, et favore suo prosequitur.

Allegorice S. Gregorius, *hom.* 2 : Ezechiel, ait, id est Christus, qui est fortitudo Dei, est filius Buzi : quia ex populo Judaico, quem propter perfidiam despexit, incarnari dignatus est.

ET FACTA EST SUPER EUM IBI MANUS DOMINI. — « Manus, » id est potentia, efficacia, impulsus et virtus præpotens, puta Spiritus Domini, non perturbans, ut volunt rabbini; sed elevans et roborans spiritum Ezechielis ad videndum mysteria divina, et ad prophetandum. Ita Theodoretus et Chaldæus.

Manus symbolum prophetiæ, cur?

« Manus *ergo* Domini » vocatur prophetia Domini, tum hic, tum capite II, 9, et cap. III, 14 et 22, et cap. VIII, 1 et alibi. Atque hinc factum est, ut in vetustis imaginibus Prophetarum, quales vidi in antiquis Bibliis Vaticanis, in quibus Prophetæ depinguntur, pingatur superne manus e cœlo porrecta, et radiis circumdata: quasi index Dei loquentis, suggerentisque Prophetæ sua oracula. Cum enim Deum uti in se est, depingere non possent, faciem Dei cum facie Prophetæ (ne illi Deum adæquare videantur) pingere noluerunt; facies enim personam, uti in se est, clare

(1) Nobis quidem dubium non est, inquit Rosenmuller, voluisse eum qui hæc litteris consignavit, persuasum sit legentibus, fuisse ea omnia quæ hic describuntur, oculis vatis vere obversata.

repræsentat : sic autem a Prophetis videri non potuit Deus. Unde et Deus ipse ad Mosen ait : « Posteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris, » *Exod.* XXXIII ; pinxerunt ergo manum, quasi membrum remotum a facie, et quia manus index est potentiæ, impetus et operationis divinæ, quæ Prophetas ad prophetandum evexit et impulit.

4. ET ECCE, — rem miram.

VENTUS TURBINIS, — ventus turbulentus, qui vocatur *turbo*. Unde Theodotion vertit : *Flatus tempestatis;* Theodoretus ex Symmacho : *Ventus impetu flans;* Septuaginta : *Ventus auferens* aut extollens (1). Hic ventus significat indignationem Dei, et vindictam validam, celerem et impetuosam. Venit ab Aquilone, id est e Babylone : significat enim Babylonios, qui ad Aquilonem erant respectu Jerusalem, eam eversuros.

Eosdem specie ollæ accensæ venientes ab Aquilone vidit et prædixit Jeremias, cap. I, 13. Ita Theodoretus : licet enim Ezechiel in Babylone esset, ibique hæc videret, tamen quia de Judæa agit, ita loquitur ac si Hierosolymis esset. Ita Maldonatus. Simile est, *Jerem.* XXIII, 19 : « Ecce turbo Dominicæ indignationis egredietur, et tempestas erumpens super caput impiorum. »

NUBES MAGNA, — quasi vehiculum Dei, ait Scholiastes : vel potius « magna, » quia tenebrosa erat, ac pluvia, grandine et procellis gravida. Hæc « nubes » significat Dei iram, jam tela omnia, et dira in Judæos hostes suos parantem. Unde, *Sophon.* I, 15, vocatur « dies nebulæ et turbinis : » nubes enim copiam et inundationem hastarum et telorum significat, ait Theodoretus. De nube hac plura dicam cap. X, 3 et 4.

ET IGNIS INVOLVENS. — Vatablus vertit : *Ignis se reciprocans, q. d.* Nubes hæc erat ignita, et volumina flammarum sese per totam nubem insinuabant et involvebant. *Secundo*, Septuaginta vertunt : *Ignis fulgurans*, id est jaculans fulgetra. Hebraice est, *ignis recipiens se* : fulmina enim e nubibus ita emicant, ut cum iis convolvi, et se iterum intra nubem receptare videantur : perinde ac cum domus aliqua comburitur, flammæ foras erumpentes, rursum intra domum se receptant, et cum trabibus sese convolvunt et implicant, ut iis se pascant. Hæc omnia significant magnam tempestatem.

Quocirca ignis hic symbolice significat tum acrem Dei punitionem, ut ait S. Hieronymus, tum urbis et templi Jerusalem inflammationem, ut ait Theodoretus.

ET SPLENDOR IN CIRCUITU EJUS, — scilicet nubis. Nam in circuitu ignis non poterat non esse splendor, *q. d.* Nubes hæc ignea circumcirca splendorem quasi iridis emittebat. Ita Prado. *Secundo* et aptius, *q. d.* Nubes hæc adeo crebras coruscationes et fulgetra ejaculabatur, ut totum circumcirca spatium resplenderet : ignis enim fulgurans et procellosus, non iridem, sed fulgetra evomebat. Ita Maldonatus. Splendor hic significat terribilem Dei præsentis majestatem et gloriam, quæ se in reorum horribili supplicio ostendit. Ita Theodoretus et Polychronius.

ET DE MEDIO EJUS. — Non nubis, ut vult Chaldæus; sed ignis, ut patet ex Hebræo et Septuaginta. Unde et Noster explicans subdit, « id est de medio ignis. » Significat ergo Propheta se vidisse in medio ignis, qui erat in medio nubis flammas et flumina ejaculans, fuisse speciem, id est imaginem, hominis ex electro, ut patet vers. 27.

Quæres quidnam sit electrum? Respondeo : Hebraice est חשמל *chasmal*, quod nusquam nisi apud Ezechielem reperitur. Rabbini recentiores vertunt, *angelum*. Unde Lyranus ait se mirari cur S. Hieronymus verterit *electrum;* sed mirari non debuit, cum et Septuaginta et Aquila et Theodotion, doctissimi Hebræi, verterint, *electrum*. Porro Angelum hunc *Chasmaleem* vel *Hasmaelem* tradunt, vel potius fingunt, fuisse doctorem Ezechielis. Audi ex eis hæc enarrantem Agrippam, lib. III, cap. XLVII *De Vanitate scientiar.* : « Fatidici, inquit, spiritus solent bene expurgatis animis etiam sese visibiles præbere et comites, cujus exempla multa sunt in sacris Litteris, ut in Abrahamo, et ancilla ejus Agar, in Jacob, Gedeone, Elia, Tobia, Daniele et multis aliis. » Hactenus bene; at quæ sequuntur, qualia ! « Sic Adam, inquit, familiarem consuetudinem habuit cum Angelo Raziele : Sem filius Noe cum Jophiele; Abraham cum Sadkiele; Isaac et Jacob cum Peliele; Joseph, Josue et Daniel cum Gabriele; Moses cum Mettratton; Helias cum Mathiele; Tobias junior cum Raphaele; David cum Cerniele; Manue cum Phadaele; Cenez cum Ceruele; Ezechiel cum Hasmaele; Esdras cum Uriele; Salomon cum Michaele. » Ista isti, aut magi, aut nominum et portentorum figuli, quos non Uriel, sed Magiel aut Vaniel et Stultiel nescio quis exagitat. S. Scriptura enim, æque ac Ecclesia, non nisi tria Angelorum nomina agnoscit, *Michael, Gabriel, Raphael;* atque hasce patrum cum Angelis familiaritates ignorat.

Hasmael angelus Rabbinorum.

Primo ergo Antonius Nebrissensis in *Quinquagena* cap. XVIII, et alii multi putant *electrum* esse id quod vulgo dicitur *ambra*, id est bitumen : quod e scopulis maris manat, vel in littore effoditur liquidum, sed aeris et aquæ frigiditate gelatum durescit (perinde ut crystallus), diciturque succinum et ambra : atque invenitur in insula Florida, aliisque Indici Oceani littoribus : quin

(1) Juxta H. Bodinum, forsan primitus legerunt loco בָּאָה *veniens*, מֵבִיא *adducens (part. Ben. in hiphil)* ou bien encore הֵבִיא *(præt. in hiphil)* quod quidem satis credibile redderet versio Septuaginta et Arabica. Itaque sic verteret hunc locum : Et vidi, et ecce ventus tempestatis adduxit (vel adducens) ab aquilone nubem magnam, et ignis (erat) involvens se (in medio nubis) et splendor undique ei (nubi scilicet).

et in Germania, in iis maris littoribus quæ sunt inter Suevi amnis et Vistulæ ostia; sed rarius, crebrius vero in Prussia, in littore Pucici sinus, non longe a cœnobio quod Olivam vocant. Verum obstat, quod ambra in igne non durat: hæc autem electrina imago visa est ab Ezechiele in igne durare, imo splendescere.

Secundo, Plinius, lib. XXXIII, cap. IV, et ex eo S. Gregorius ac Noster Alcasar in cap. IV *Apoc.* 3, not. 4, censent electrum esse metallum conflatum ex auro et quinta argenti parte, cujus natura, inquiunt, est ad lucernarum lumina argento clarius splendescere.

Tertio, Origenes, S. Hieronymus, Theodoretus ex S. Dionysio, cap. XV *Cælest. hierarc.*, Prado et alii passim censent electrum non esse succinum, nec aurum vel argentum, sed æris speciem. Dico ergo electrum esse æs selectum et præstantissimum, quod vocatur *aurichalcum*, quasi aureum æs: quia fulget ut aurum, durum est ut æs: dicitur et *orichalcum*, id est *montis æs*; vel *chalcolibanum*, id est *æs Libani*, puta ex monte Libano effossum; id enim erat præstantissimum: unde ex eo facta sunt vasa templi, teste Josepho lib. VII *Antiq.* cap. V, sicut postea æs Corinthium fuit in pretio, et toto orbe celebratum. Dices: Cur ergo S. Hieronymus et alii dicunt *electrum* esse auro et argento splendidius et præstantius, cum constet æs iis esse vilius? Respondeo, quia aurichalcum apud veteres, teste Servio in lib. XII *Æneid.* Virgilii præ omnibus metallis habitum fuit in pretio; eo quod splendorem auri, et æris duritiem possideret: unde fiebat subinde ex auro et ære commixtis (inde enim fieri æs præstantissimum docet Scaliger et alii), alias ex ære optimo, sed in camino per ignem plane excocto, expurgato et conflato, ita ut magis quam aurum fulgeret. Quocirca superabat aurum, tum splendore, tum duritie. Addit Plinius: « Electrum quod est nativum venena deprehendit; namque discurrunt in calicibus arcus cœlestibus similes, cum igneo stridore, et gemina ratione prædicunt. » Unde et Serenus Poeta cecinit:

Electrum est aurichalcum, id est æs præstantissimum.

Produnt electri variantia pocula virus.

Quod si verum est, non mirum veteres electrum æstimatione anteposuisse auro.

Porro electrum esse æs, non argentum, suadet *primo*, aliarum figurarum Ezechielis similitudo. Nam Cherubini igneas ex se scintillas emittebant, et ex ære ardenti videbantur conflati; perinde ac *Daniel.* X, 6, pedes Gabrielis Archangeli dicuntur fuisse quasi species æris candentis, id est politi et fulgentis. *Secundo*, quia hoc æs suo fulgore optime repræsentabat majestatem Dei; sua vero duritie ejusdem invictum robur: de quo plura in fine cap. *Tertio*, quia S. Joannes, *Apocal.* I, 15, ad Ezechielem hic alludens, vidit effigiem similem Dei, aitque de ea: « Pedes ejus similes aurichalco, sicut in camino ardenti. » Ergo et hic species Dei visa est Ezechieli esse ex aurichalco, id est ære aureo. *Quarto*, quia hebræum *chasmal* deducitur a חשל *chassal*, id est dejecit, prostravit, domuit; et per metathesin alludit ad חלמיש *challamis*, id est silex, *q. d.* Est æs durum ut silex, quod omnia dejicit, comminuit et prosternit: tum quia alia metalla superat, ut dixi; tum quia sua duritie penetrat lapides et muros, omniaque prosternit. Hac enim specie significabatur fortitudo Dei, prosternentis et evertentis Jerusalem. Denique, quia *chasmal* proprie significat *lucidissimam scintillam*, et excitatissimam flammam ignis, quæ propter excellentiam visum et aciem oculorum debilitat; qualis est electri seu æris igne candentis, talisque fuit hic. Æs ergo in igne fulgens et scintillans est *chasmal*, hoc est *electrum*.

Probatur primo.

Symbolice electro, sive aurichalco, aurea Dei bonitas repræsentatur, quæ omnia creavit, hominesque ad se, uti electrum paleas, trahit.

Vers. 5. 5. ET IN MEDIO EJUS (scilicet ignis jam dicti, prodibat) SIMILITUDO QUATUOR ANIMALIUM. — Hector Pintus cum nonnullis censet hæc quatuor animalia unum idemque fuisse animal, repræsentans unum Christum; sed illud unum habuisse quatuor animalium speciem et faciem, ideoque vocari *quatuor animalia*. Probat id ex eo quod cap. X, 15 et 20, de iisdem dicatur in singulari: « Et elevata sunt cherubim: ipsum est animal, quod videram juxta fluvium Chobar. » Verum, certum est non unum, sed quatuor fuisse animalia. Id enim hic deserte dicit, repetit et inculcat Propheta. Idem clare patet, *Apocal.* IV, 6, ubi hæc animalia non tantum facie, sed toto corpore; nec tantum individuo, sed et specie ac natura discriminantur. Denique quatuor fuisse liquet ex eo quod singula erant a singulis lateribus, sive rotis currus Dei, quasi ejus stipatores: latera autem hæc et rotæ erant quatuor. Ita communiter interpretes. Hinc Hebræi hanc visionem vocant מרכבה *mercaba*, id est quadrigam: quia ex quaternis animalibus, æque ac rotis constabat.

Ezechiel vidit 4 animalia, non unum.

Porro hæc quatuor animalia significabant quatuor primarios Angelos, qui sunt quasi principes et stipatores Dei, mundi et Ecclesiæ protectores, omnisque providentiæ et gubernationis Dei administri; ac nominatim belli, victoriæ et triumphi, quem de Pharaone et Ægypto, aliisque hostibus egit, præsides et ductores, uti dicam in fine capitis.

Denique vocat ea *similitudinem* animalium: quia vere non erant animalia, sed animalium speciem tantum præ se ferebant. Symbolice enim hæc omnia per ideas et figuras imaginarias objecta sunt imaginationi Prophetæ. Ita S. Hieronymus.

ET HIC ASPECTUS (hæc species, hæc forma qua conspiciebantur) EORUM, SIMILITUDO HOMINIS IN EIS,— *q. d.* Species eorum erat similis speciei hominis, forma eorum erat humana; facie et toto corpore videbantur esse homines.

Tropologice S. Gregorius, *homil.* 2: Sancta ani-

malia, id est prædicatores, inquit, habent speciem hominis; quia Christi mores imitantur, ac proinde sicut ei hic in labore, gratia et passione conformantur, ita eidem conformabuntur et in gloria. Christi ergo crucifixi exemplar menti suæ emprimunt, ut ex eo ejusdem imaginem exprimant in mentibus audientium, instar S. Pauli doctoris Gentium, qui se asserit nec aliud scire, nec aliud prædicare nisi Christum crucifixum, I *Cor.* cap. I, 23, et cap. II, 2.

6. QUATUOR FACIES UNI. — Quæritur. Quodque animal ex hisce quatuor, quot facies habebat? PRIMO, Chaldæus censet quodque animal fuisse quadripartitum, et unicuique parti quatuor fuisse facies; itaque quodque animal habuisse sedecim facies, quatuor vero animalia habuisse 64 facies.

SECUNDO, noster Hieronymus Prado et Pererius in *Apocal.* IV, disp. 18, e contrario censent, quodque animal tantum unum habuisse caput et vultum, scilicet humanum. De iis enim hic dicitur : « Hic aspectus eorum, similitudo hominis in eis, » id est hæc quatuor animalia erecta erant, et toto corpore habebant figuram humanam : ita tamen ut quatuor aliorum animalium insignibus essent induta et vestita. Si objicias : Quomodo ergo Propheta vers. hoc et 10, diserte cuique dat quatuor facies, sive vultus? Respondent esse hebraismum, quo per *quatuor facies* significatur ea habuisse quatuor formas, figuras, aspectus, habitus, similitudines, insignia. Sic enim Hebræi vocant faciem cœli, aeris, terræ, id est formam sive speciem eorum. Erant ergo in his animalibus Cherubim, facies, id est forma humana in vultu et toto corpore : erat facies, id est forma vituli in pedibus : quia habebant ungulam bifidam, qualis est vitulorum; sic enim explicat vers. 7. *Tertio,* facies, id est forma, leonis erat in pectore, cervicibus, armis : quia in his erant jubæ instar leonum. *Quarto,* in humero erat facies, id est forma, aquilæ scilicet alæ. Finge hominem, adde illi in cervice et pectore jubas leonis, adde alas aquilæ, adde pedes bovis, habebis unum Cherubinum, cui reliqui tres erant omnino similes. Et has quatuor formas habuisse Cherubinos templi et tabernaculi Mosis, opinatur Prado. Unde et Josephus vocat eos animalia volucria et ignota.

Probant hanc sententiam *primo*, quia unumquodque animal ex hisce quatuor hieroglyphicum fuit, et concinnum ac pulchrum; ergo non habuit quatuor facies; hoc enim valde inconcinnum et monstrosum fuisset, præsertim in stipatore Dei, quales erant hi Cherubini. Sic enim pinguntur cum pluribus capitibus et faciebus Proserpina, Cerberus, Hydra, aliaque monstra.

Secundo, quia *Apocal.* IV, 7, singula hæc animalia clamant humana voce : « Sanctus, sanctus, sanctus, » ergo habebant singula faciem et os humanum. Bos enim, nisi magicus sit, non loquitur, sed mugit uti leo rugit. Idem S. Joannes vocat hæc animalia similitudines aquilæ, leonis, vituli; de homine vero agens vocat faciem hominis, quasi ea sola proprie fuerit in quolibet eorum.

Tertio, hi Cherubim Ezechielis erant tales (imo iidem) quales fecit Moses in tabernaculo : hi autem unum habebant os et vultum, quo alter alterum aspiciebat, *Exod.* XXV, 22, et quales fecit Salomon, quorum facies versæ erant ad exteriorem domum, II *Paralip.* III, 13; ergo habebant unicam tantum faciem tam hi Salomonis, quam illi Ezechielis. Hæc sententia nova licet, ingeniosa tamen, concinna et plausibilis videtur.

TERTIO, alii passim cuique e quatuor hisce animalibus et Cherubinis, dant quatuor facies, sive vultus; et consequenter totidem capita, aut potius semicapita, ita ut anterius quodlibet haberet caput et faciem hominis, quasi primariam et eminentiorem, cui a dextris inserta vel annexa erat facies et caput leonis; a sinistris facies et caput vituli; sursum facies et caput aquilæ : ita ut per quatuor hæc capita et facies, in unum quasi corpus et caput compacta, essent quatuor animalia, scilicet homo, leo, bos et aquila.

Hæc sententia vera et quasi certa videtur. Nam *primo*, hoc proprie significat hebræum פנים *panim*, quod Septuaginta, Chaldæus, Noster et alii passim, tam hic quam capite X, constanter vertunt, *vultus* vel *facies*. Cum enim de aliis, quæ proprie faciem non habent, loquitur Propheta, ut de iride, electro, firmamento, eorum formam et speciem non vocat *panim*, sed מראה *mare*, id est *visionem;* vel דמות *demut*, id est *similitudinem*. Et sane, quis per faciem leonis intelligat jubas? per faciem bovis, pedes et ungulas? per faciem aquilæ, alas? Quod si eas intellexisset Ezechiel, utique explicuisset, cum singula graphice depingat, et fuse enarret. Insuper, si facies fuissent jubæ, nominasset eas alicubi, sicut nominavit alas in pennis, ungulam in pede, non in facie.

Secundo, quia vers. 10 diserte has facies vocat « vultus, » itaque eas depingit, ut non jubas, non ungulas, sed facies proprie dictas se intelligere demonstret. Ait enim : « Similitudo autem vultus eorum : facies hominis, et facies leonis a dextris ipsorum quatuor; facies autem bovis, a sinistris ipsorum quatuor, et facies aquilæ desuper ipsorum quatuor. » Quid clarius, præsertim cum faciem bovis fuisse a sinistris, faciem leonis a dextris asseveret; hoc enim de jubis et ungulis dici nequit. Hæ enim tam a dextris quam a sinistris sunt vitulo æque ac leoni.

Tertio, quia vers. 8 ait : « Facies et pennas, » id est alas, « per quatuor partes habebant, » distinguit hic Propheta facies ab alis. Ergo alæ aquilæ non erant facies aquilæ.

Quarto, quia post facies describit animalium pennas, pedes et manus. Ergo facies non fuerunt pennæ, sive alæ ac pedes; sed sicut proprie sumuntur pedes, pennæ et manus, ita et facies. Ait enim : « Quatuor facies uni, et quatuor pennæ uni : pedes eorum pedes recti, et planta pedis eo-

rum quasi planta pedis vituli : » ergo pennas et pedes vituli non numeravit inter facies.

Quinto, quia de iis dicit vers. 9 et 12 : « Unumquodque eorum coram facie sua ambulabat. » Ubi certum est apud omnes, faciem proprie sumi pro vultu, scilicet primario, qui erat ante, scilicet hominis. Ergo vocem *facies* hic proprie capit : constanter enim toto capite eas vocat facies et vultus, non jubas, non ungulas.

Sexto, quia S. Joannes, *Apocal.* IV, 7, de hisce quatuor animalibus agens, dicit primum animal fuisse simile leoni, secundum vitulo, tertium homini, quartum aquilæ. Ergo proprie habebant faciem, primum leonis, secundum vituli, tertium hominis, quartum aquilæ : tum quia animalia illa Apocalypseos erant separata et sejuncta, ita ut quodque unius tantum animalis speciem seu formam exhiberet; tum quia ex facie proprie dignoscitur et denominatur quodque animal, æque ac homo, inquit S. Gregorius. Et ita tota Ecclesia ex *Apocal.* IV, pingit quatuor Evangelistas, scilicet Matthæum, quasi hominem, facie humana : Marcum, quasi leonem, facie leonina : Lucam, quasi bovem, facie bovina : Joannem, quasi aquilam, facie aquilina. Ita Cherubinos hosce cum quatuor faciebus et capitibus expressos vidi in priscis et vetustis imaginibus, uti in Carolinis deauratis, quæ Bibliis Caroli Magni imperatoris insertæ sunt, et Romæ religiose asservantur in basilica S. Pauli, ubi illæ mihi ostensæ sunt. Ex adverso quis unquam S. Marcum vidit pingi corpore et facie humana, cum jubis leoninis? Lucam, quasi hominem, cum ungula bovis? Nam a sola ungula et jubis non potest dici et denominari animal, quod sit leo vel bos; hoc tamen ait S. Joannes : « Primum, ait, animal simile leoni, secundum vitulo, » etc. Quod enim Prado, pag. 38, exponit, primum fuisse simile leoni per solas jubas : secundum vitulo per ungulas, etc. Rursum S. Joannem vocare quatuor animalia ipsas quatuor facies animalium ab Ezechiele hic descriptas, *q. d.* S. Joannes : Vidi quatuor animalia Ezechielis, in quatuor angulis solii Dei constituta, quorum quodque quatuor habebat facies, id est quaternis erat vestitum animalibus, quorum primum erat simile vitulo per ungulas, secundum leoni per jubas, tertium aquilæ volanti per alas; hoc, inquam, facile refellitur, tum ex jam dictis, tum ex eo quod inde sequeretur, tam secundum, tertium et quartum animal fuisse simile leoni, quam primum; ac vicissim tam primum fuisse simile vitulo, quam secundum, etc., quod tamen negat S. Joannes; non enim ipsas species quatuor animalium in uno animali coadunatas, sed singula animalia disparata, et separatim in quatuor angulis solii collocata, vocat quatuor animalia, de iisdemque mox subdit, dicens : « Et animal primum simile leoni, et secundum animal simile vitulo, » etc.; unde et hoc modo, hacque forma quatuor Evangelistas, per illa significatos, concipit et depingit tota Ecclesia.

Aliter respondet Pererius, scilicet primum animal vocari simile leoni, eo quod in eo excelluerit præ aliis species leonis, quia præ aliis erat jubatum; secundum vitulo, quia præ aliis erat ungulatum, etc. Sed et hoc iisdem argumentis refellitur : quatuor enim solida animalia integra et disparata, ac consequenter quatuor animalium facies habentia describit S. Joannes; non autem unum duntaxat quatuor animalium insignibus indutum et vestitum. Ita tam illa quam hæc Ezechielis describunt et explicant omnes Patres et Interpretes, S. Justinus *ad Orthod.* Quæst. XLIV, ubi hæc quatuor animalia vocat *quadrifrontia.* S. Hieronymus, Theodoretus, Gregorius, Lyranus et Petrus Serranus hic, Ribera, Viegas et alii, *Apocal.* cap. IV, Antonius Fernandius *visione* XIII, Sebastianus Barradius, tom. IV *in Evangel.* lib. IX, cap. XIII, Ludovicus Alcazar, *Apocal.* IV, 7, not. 12, et passim alii, estque hic communis quasi Doctorum sensus. Ut alios præteream, S. Dionysius Areopagita diserte idipsum asseverat, cap. XV *Cœlest. Hierarch.,* ubi loquens de tribus faciebus horum quatuor animalium, leonis scilicet, aquilæ et vituli, eas vocat effigies bestiarum; et faciei bovis assignat cornua. Rursum in aquila notat oculorum aciem et vim, qua ex adverso, vultu irretorto solem intuetur. Et cap. II, 2, agens de aquila Ezechielis, ait eam fuisse « ad aquilarum recurvis rostris effigiem. » Cavendum ergo est Interpreti S. Scripturæ ne, dum sensus expeditos tradere nititur, magis intricatos afferat.

Ad *primum* respondeo, monstra quoque esse animalia quæ vultum habent hominis, jubas leonis, alas aquilæ, pedes bovis. Monstris ergo utitur Scriptura quasi hieroglyphicis, perinde ac Ægyptii, ut per ea res monstrosas vel miras, arcanas et magnas indicet ac monstret. Talis fuit monstrosa illa statua ex quatuor metallis conflata, portendens quatuor monarchias, *Daniel.* II. Talia fuerunt monstra ex variis animalibus conflata, *Daniel.* VII. Nam *primum,* scilicet leo, habebat tres alas, et mox speciem hominis; *secundum,* scilicet ursus, pariter habebat alas, et tres dentium ordines, etc. Porro in hisce monstrosis hieroglyphicis res melius monstrantur et repræsentantur per facies, quam per pedes, aut jubas. Similia hieroglyphica prodigiosa sunt plura in *Apocal.,* ut cap. V, 6, ubi Filius hominis describitur quasi agnus occisus, habens cornua septem et oculos septem; et cap. IX, locustæ proponuntur loricatæ, similes equis, facie humana, capillis mulierum, dentibus leonum; et cap. X, 1, describit Angelum amictum nube : « Et iris, inquit, in capite ejus, et facies ejus erat ut sol, et pedes ejus tanquam columnæ ignis, » et cap. XIII describit bestiam habentem capita septem, et cornua ac diademata decem, quæ similis erat pardo, et habebat pedes ursi, et os leonis; et cap. XVII, 2, Babylonem depingit, quasi mulierem sedentem super bestiam coccineam, habentem cornua septem et

Respondeo ad primum contrariæ sententiæ.

capita decem. Denique Noster Alcazar hos Cherubinos quadrifrontes concinne et pulchre depingit in eorum effigie, quam exhibet *Apocal.* cap. IV, pag. 392.

Ad *secundum* respondeo, hæc animalia Ezechielis non induci, ut loquentia : nihil enim dicunt; quod si quid dicerent, ore humano, non aquilino, bovino, vel leonino loquerentur. Apud S. Joan. vero, *Apoc.* IV, 7, cum non quatuor facies tantum, sed quatuor integra sint animalia, loquuntur omnia. Et quid mirum? nonne asina Balaam per angelum voces humanas edidit? Adde hæc non fuisse vera animalia, sed animalium spectra quædam et symbola pulchris vultibus, pulchris ac splendidis corporibus prædita. In symbolis autem non spectandum est quid natura valeat, sed quid Deus significare velit. Ita Barradius, tom. IV, lib. IX, cap. XIII. Porro S. Joannes faciem hominis vocat, aliorum vero similitudines : quia facies hominis in Cherubinis Ezechielis, ad quos alludit, erat primaria; cæterorum vero ascititia instar emblematis, de quo plura inferius. Adde, facies propria est homini, et humana; nec bruta proprie dicuntur habere faciem.

Ad *tertium* respondeo, Cherubinos hosce fuisse similes Mosaicis in multis, sed non in omnibus. Insuper, verisimile est Mosaicos pariter quatuor habuisse facies, ut dixi *Exodi* XXV, 22; ita tamen ut facie primaria, scilicet humana, sibi invicem essent obversi, seque invicem aspicerent. Nota : Hi Cherubini non erant nudi, ut Mosaici, sed vestiti, imo armati, uti eos depingit Alcazar : stipabant enim quasi milites currum bellicum Dei, euntis ad excidium Jerusalem et aliarum gentium. Atque hæc fuit causa, cur in capite galeam et exuvias, puta similitudines sive facies aquilæ, leonis et bovis gestarent, uti docent Græci Patres. Hæ enim facies non erant eis naturales, sed ascititiæ (ideoque non directæ, sed laterales; erant enim ad latus faciei humanæ, quæ erat directa, ideoque propria et naturalis) uti et galeæ. Solebant enim veteres Romani terribilia monstra animalium in galeis præferre, ad virium et roboris ostentationem, et ad terrorem hostibus incutiendum, atque ad omen victoriæ, vel raræ aut arcanæ alicujus rei repræsentationem. Ita Plinius, lib. X, cap. IV, docet Romanos in galeis gestasse figuras minotaurorum, luporum, aprorum et aquilarum. Vide Alexandrum ab Alexandro, lib. I *Genial.* XXII. Sic Pyrrhus, teste Plutarcho, hircina cornua gestabat in galea, quia volebat videri natus Jove Hammonio, qui hirci specie colebatur. Sic Turnus, ut animos suos et iras in Trojanos patefaceret, in casside gestabat chimæram incendia vomentem, de quo Virgilius, lib. VII *Æneid.* :

> Cui triplici crinita juba galea alta Chimæram
> Sustinet, Ætnæos efflantem faucibus ignes.

Idem, lib. X *Æneid.*, galeæ Cycni plumas cycnorum addidit, quibus se ex Cycno natum esse gloriabatur. Sic enim de eo canit :

> Cujus olorinæ surgunt de vertice pennæ,
> Crimen amor vestrum, formæque insigne paternæ.

Sic Cimbri equites in galeis hiantium animalium formidabiles species ostentabant, teste Plutarcho in *Mario*, quales etiamnum Romæ ad radices Capitolii ex spoliis Marii, quæ ex Cimbris retulit, appensas conspicimus. Pro quibus omnibus Constantinus Imperator crucem Christi in galea gestavit, de quo canit Prudentius, lib. I *Contra Symmach.* :

> Ardebat summis crux addita cristis.

Sic etiamnum Poloni equites, non tantum pennas struthionum in galeis, sed et singuli in tergo integras exuvias leopardi, lupi aut leonis gestant; insuper alas aquilarum in ephippiis utrinque, tum ut sint formidabiles hostibus; tum quia alæ hæ, utpote ingentes, juvant celeritatem equorum in cursu. Id accepi Romæ a Patribus nostris Polonis.

Simili modo Cherubini hic depinguntur, quasi habentes aquilam impositam galeæ, cui ad dexteram annexa vel conjuncta erat facies leonis, a sinistris vero bovis. Inducuntur enim hic quasi juvenes et milites galeati Dei cum exuviis leonis, aquilæ et bovis, quasi cœlestis militiæ duces, qui ad devastandam Jerusalem pergebant. Ita Alcazar. Et sic hi Cherubini non fuerunt monstrosi, sed concinni : instar enim animosorum militum, hisce faciebus, quasi galea se vestiunt et ornant.

Porro sumunt exuvias horum trium animalium potius quam aliorum, quia hæc tria principalia sunt quasi reges in suo genere. Leo enim rex et princeps est ferarum, aquila volucrum, bos armentorum; perinde ac homo universorum est rex et dominus. Ita Pererius, *Apocal.* V, disp. 18 et seq. Adde, videtur Deus hasce quatuor facies Cherubim magnificas opposuisse statuæ Manassis, idololatræ et impiissimi regis, qui ante annos quinquaginta ex fastu similem sibi effigiem posuit. De eo enim sic scribit Eusebius in *Chron.* : « Manasses XVI rex Hebræorum, regnavit annis 55, impius, Isaiam interfecit, statuamque suam posuit quinque facies habentem. » Hasce enim facies, hæcque ejus idola debellaturi et vindicaturi veniunt quadrifaciales Cherubini. Quatuor ergo facies significant eos ad quatuor, id est omnes, mundi plagas respicere, omnia quæ ubilibet geruntur intueri; hostes omnesque eorum insidias et conatus cernere, eosque quaquaversum terribili vultu aspicere, invadere et persequi. Rursum, significant Dei Domini sui (cujus stemmata et insignia gerunt) omniscientiam et omnipræsentiam, quodque omnia ubivis locorum nuda et aperta sint oculis ejus lucidissimis, et quaquaversum respicientibus; denique quod providentia ejus omnia penetret, inspiciat, provideat, præmiando pios,

et puniendo impios, quam dotem a Deo participant et mutuantur angeli.

Alias hujusce rei causas et significationes symbolicas afferam in fine capitis. Denique Clemens Alexandrinus, lib. V *Stromat.* (idem innuitur I *Machab.* III, 48) docet Gentiles ex hisce Cherubinis quadrifrontibus mutuatos esse suos sphingas quasi ænigmata Dei. Sphinx enim habebat imaginem tam feræ, quam hominis, ut significaret, quod Deum oporteat non solum amare, ut sanctis pium et benignum; sed et timere, ut justum et sævum ac terribilem vindicem impiorum.

ET QUATUOR PENNÆ UNI. — « Uni, » scilicet faciei, inquiunt Chaldæus, R. Salomon et Maldonatus. Putant enim ipsi quamlibet faciem habuisse quatuor alas, duas ad volandum, duas ad tegendam partem corporis faciei illi subjectam, ac proinde quemque Cherubim constantem quatuor faciebus, habuisse sedecim alas : imo Chaldæus et R. Salomon, cum quodque animal putant fuisse quadripartitum, ac proinde sedecim habuisse facies, quarum cuilibet dant quatuor alas; hinc consequenter asserunt quodque animal habuisse 64 alas; omnia vero simul habuisse 256 alas. Verum hæc sunt ridicula et paradoxa. Dico ergo « uni, » scilicet animali, ut patet ex Hebræo, *q. d.* Quodque animal quatuor habebat alas, duas ad volandum, duas ad tegendum femora. Ita communiter Interpretes.

Nota : Ezechiel in Hebræo de hisce animalibus nunc loquitur in genere feminino, ut cum dicit מראהן *marehen,* id est visio earum; respicit enim pronomen *hen* חיות *chaiot*, id est animal, quod Hebræis est femininum. Nunc loquitur in genere masculino, quia respicit speciem hominis quam habebant hæc animalia. Homo enim, sive vir, est masculini generis apud omnes gentes.

Symbolice S. Dionysius, cap. XV *Cœlest. Hierarch.*: « Alis, inquit, significatur et cœlestis vitæ cursus, et quod ad superna ferantur, mortalibus atque infimis omnibus excepti, et terreni corporis sarcina liberi. »

7. PEDES (id est tibiæ et crura, ut vertunt Septuaginta : simili synecdoche per manus accipit tota brachia) RECTI, — id est sine poplitibus, vertebris et juncturis, aiunt Vatablus, Pintus et Maldonatus, quales sunt pedes elephantum, qui carent genibus. Verum hi non hominum, sed brutorum sunt pedes. « Recti » ergo pedes vocantur humani, quia brutorum sunt recurvi; in poplite enim curvantur; homo autem poplitem non habet in pedibus, uti bruta, sed in genibus; illa ergo curvat homo; pedes vero habet rectos (1). Itaque licet planta eorum esset vitulina, puta ungula bifida, ut mox dicam; pedes tamen, sive tibiæ, erant humani, non vitulini. Unde « recti » vocantur, ne quis eis ob ungulam, proportionem aut pulchritudinem humanam deesse suspicaretur. Hinc patet hæc animalia, non quatuor, ut volunt Dionysius Carthusianus et aliqui alii, sed duos tantum habuisse pedes; erant enim specie humana, ut patet vers. 5; homo autem bipes est, non quadrupes. Perperam ergo ait Petrus Serranus hæc animalia quaternos habuisse pedes, uti quaternas habebant facies, alas et manus. De pedibus enim id falsum est, de cæteris verum. Significat Propheta Deum quasi principem sedere in solio : angelos, puta Cherubim, ei quasi stipatores adstare cum timore ac reverentia, ac habere crura recta, id est promptos pergere quoquoversus, esseque præsto ad omnem occasionem, et nutum Dei, quasi aurigæ sui. Rectitudo ergo pedum, eorum alacritatem, rectitudinem et promptitudinem significat.

Pedes recti, qui?

Symbolice ergo angeli habent pedes rectos tres ob causas : *prima* est, quia non incerte vagati sunt, declinando ad dextram vel sinistram, sed semper ad exactissimam justitiæ libram gressus suos direxerunt, et quasi modulati sunt : rectum enim est id, cujus medium æquabiliter sua interjacet puncta, ait Euclides, lib. I, definitione IV; *secunda* est, quia pedes recti significant affectus voluntatis angelicæ quaquaversum esse perfectos. Nam, ut ait S. Hieronymus in cap. XXV *Job*, beati spiritus omne liberum arbitrium suum Dei solius charitate vertunt, hoc est in gyrum perfectionis educunt. Hinc et aurea zona cor, id est voluntatem Christi, ambit, *Apocal.* I, 13; quia voluntas Christi perfectissima est in omnibus suis desideriis. Hinc *tertio*, Theodoretus : Pedes recti, inquit, significant summam angelorum erga Deum obedientiam in omnibus, utpote ad omnem quasi venti flatum versatilium. Ita Antonius Fernandius loco citato.

Tropologice, S. Gregorius, *homil.* 3 : Sancti, ait, habent pedes rectos; quia eorum egressus et opera, ad sequendam iniquitatem non sunt retorta.

ET PLANTA PEDIS EORUM QUASI PLANTA PEDIS VITULI. — Aquila, teste S. Hieronymo, Chaldæus et R. Salomon vertunt : *Quasi planta pedis rotundi*, *q. d.* Habebant pedes teretes, versatiles et rotundos, ut facile ad quamlibet mundi plagam se verterent, et quo vellent incederent. Hoc videntur quoque voluisse Septuaginta, πτερωτοὶ οἱ πόδες αὐτῶν, id est *pennati pedes eorum*, hoc est agiles et celeres, ut pennati et alati esse viderentur, sicuti Gentiles suo Mercurio nuntio veloci, in pedibus addiderunt talaria. Unde S. Dionysius, *Cœlest. Hier.* cap. XV : « Sanctorum, ait, spirituum pennatos Theologia pedes effinxit : » non quod vere haberent talaria, instar Mercurii; nec rursum *pennati*, id est pennis cooperti. Licet enim id verum esset, tamen hoc non significat vox *pennati*. *Pennati* ergo

(1) Rosenmuller e contra : Significatur, inquit, pedes illorum ad perpendiculum directos esse, non in planum protensos, ut pedes humani, et planta pedum eorum erat rotunda et omni parte sibi similis, cum pes humanus in longum porrectus et certæ semper regioni cœli oppositus sit, a qua si homo se convertere velit, necesse habet pede suo circumagi. Sic etiam sentit Maldonatus.

idem est quod celeres et veloces instar volucrum pennatorum. Addit Alcazar, *pennati* dicuntur, quia pennæ et alæ hæ imæ nascebantur ex eorum pedibus, id est ex summa parte femorum : licet enim id fieret, ut iis tegerent femora, tamen simul per hoc significabatur eorum agilitas et velocitas. Verum Hebræum עגל *egel* non originem, sed rotunditatem pedum, aut potius vitulinos pedes significat. Quocirca Noster et alii melius vertunt, « vituli; » hebraice enim est עגל *egel*, quod *vitulum*, non עגול *agol*, quod *rotundum* significat. Esto *egel*, id est vitulus, nuncupetur ab *agol*, eo quod sit rotundus, et dum petulcus lascivit, in rotundum se gyret et saltet. Adde plantas vituli esse rotundas.

Habebant ergo Cherubim pedes vituli, hoc est ungulam rotundam et bifidam instar vituli : *primo*, ut significetur eos esse mobiles et versatiles in omnem partem ad Dei nutum; *secundo*, vitulus, quia victima, significat sacerdotium et sacrificium, per quod Hebræos ex Ægypto, *Exodi* XII, 3, et omnes homines a potestate et tyrannide diaboli redemit Jesus Christus, qui quadrigam moderatur, de quo in fine capitis; *tertio*, plantæ vitulinæ horum quatuor animalium, significant eorum gressus omnes ad utilitatem electorum tendere. Vitulus enim et bos utilitatis et beneficentiæ est symbolum. Ita Alcazar. Sed de hoc plura inferius, *Quæst.* III.

ET SCINTILLÆ QUASI ASPECTUS ÆRIS CANDENTIS. — Ita quoque vertunt Chaldæus et Septuaginta; hebræum נחושת *nechoset*, proprie significat æs. Vatablus tamen vertit, *chalybem, q. d.* Mittebant scintillas tales quales chalybs politus emittit. Nota : Animalia hæc habebant pedes ex ære polito, sive ex aurichalco, ac proinde fulgentes ac scintillantes. Rursum, insistebant in medio ignis; ergo igniti scintillabant. Denique, ex igne elatæ scintillæ, et ab animalibus, eorumque pedibus repercussæ coruscabant quasi æs vel chalybs *candens;* hebraice קלל *kalal*, id est *politus;* Septuaginta, ἐξαστράπτων, id est *effulgurans*.

Notant hi pedes symbolice Angelos et Apostolos, de quibus dicitur : « Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona! » « Candens ergo æs, ait S. Gregorius, *hom.* 3, scintillas projicit; quia de eorum exhortationibus verba flammantia ad aures audientium procedunt. »

8. ET MANUS HOMINIS SUB PENNIS EORUM IN QUATUOR PARTIBUS. — Habebant brachia respondentia quatuor eorum faciebus, ita ut unicuique faciei duo paria brachiorum subjicerentur, essentque unicuique animali brachia sedecim, inquit Maldonatus. Sic Geryon et Briareus, a gentilibus poetis brachiorum multitudine armati pinguntur; quia terribiles erant bellatores, quales erant et hi Cherubini. Tot enim habebant manus, quot alas; cum ergo Maldonatus, et aliqui alii eis tribuant 16 alas, ut dixi vers. 7, hinc consequenter tribuunt eis 16 manus. Chaldæus vero, R. Salomon et Antonius Fernandius, *visione* XIII, sect. VI, sicut singulis dant 64 alas, ita et dant 64 manus. *Secundo*, optime Richardus Victorinus, *tract.* in hanc visionem, Petrus Serranus hic, et Alcazar loco citato, censent quemque Cherubim habuisse quatuor manus, uti et quatuor alas, scilicet sub qualibet ala manum, ut inter paria alarum et manuum justa esset proportio. Porro alæ hæ manus tegebant et quasi vestiebant, ut vestiunt in vespertilione et nonnullis avibus. Habebant ergo binas manus, æque ac alas, a dextris; et binas a sinistris : itaque iis quasi quadrum, sive quadratum, ut habent Hebræa, efficiebant. Et hoc est quod ait Noster, illos habuisse manus in quatuor partibus. Recte, ait Alcazar in *Apoc.* IV, pag. 380, Cherubinis properantibus ad obstinatorum excidium, quatuor tribuuntur manus; quia hæ apposite significant eos fortissimos esse bellatores æque ac celerrimos, ita ut fulmina in sceleratos desuper contorqueant. Hinc a Poetis Briareus centimanus dicitur et pingitur.

Verum, quia Cherubini erant specie humana, homo autem tantum duas habet manus, hinc (aiunt alii) et ipsi duas tantum habuisse videntur. Quod ergo dicitur, illos manus habuisse a quatuor partibus, vel, ut hebraice est, רבעיהם *ribehem*, id est quadraturis, vel lateribus eorum; quadraturas et latera, non interna, uti volunt Maldonatus et Alcazar, sed externa intellige, quibus scilicet obversi erant ad quatuor latera currus, de quo sequitur, et per ea dispositi; ut, sicut currus erat quadratus, sic et ipsi sua positione ad quatuor ejus rotas et latera collocati, quadraturam efficerent. Erat ergo hæc quadratura currus, cui se conformabant stipatores Cherubini. Ita Chaldæus. Sensus ergo est, *q. d.* Singula animalia, quæ erant in quaternis lateribus currus, habebant sub alis binas manus, et consequenter bina brachia. Sicut enim sub pedibus tibias, sic sub manibus brachia, per synecdochen intelligit. Hæc sententia naturæ, sed prior S. Scripturæ et textui est conformior. Ait enim : « Et manus hominis sub pennis eorum in quatuor partibus, et facies et pennas per quatuor partes habebant. » Atqui quaternas habebant facies, ad quatuor partes sive latera : ergo et quatuor manus. Hæc enim animalia symbolica sunt, non naturalia.

Manus significant eorum efficaciam et operationem sub alis absconditam et invisibilem, inquit Theodoretus, et ex eo Prado et S. Gregorius, *homil.* 3 : « Manus, ait, hominis sub pennis, est virtus operis sub volatu contemplationis, » id est virtus Marthæ sub Maria. Ita Apollo sapientiæ præses a Spartanis cum quatuor auribus, totidemque manibus fingebatur, quo significabant viro prudenti multa esse audienda, deinde sedulo, manibus operi admotis, exsequenda. Nihil enim aures prosunt sine manibus, auditio sine operatione, scientia sine praxi. Ægyptii, ait Horus, *hieroglyph.* 27, sermonem notantes, pingebant

linguam, et sub ea manum, significantes ut sermo sit efficax, opere implendum esse, quod quis dicit et suadet. Quid enim prodest χρυσὸν λαλούντων ἄπραακτος λόγος, ait Nazianzenus in *Iambicis*. « Odi homines ignava opera, » ait Pacuvius. Rursum, hæ manus erant ad quadraturam currus, ut utrinque Cherubini tam anteriores quam posteriores, ignem qui erat in prunario in medio currus, manibus ex eo possent accipere, eoque inflammare Jerusalem : ad hoc enim destinabantur, idque reipsa fecerunt, cap. x, 2. Unde Chaldæus ex suo interserens *Seraphim* ex *Isaiæ* VI, 2, sic vertit : *Et manus quasi hominis factæ erant, ut haurirent in eis prunas de medio* (curru) *Cherubini sub firmamento, quod erat super capita eorum, ad dandum super pugillos Seraphim, ut dispergerent eas super locum impiorum, ad disperdendos sceleratos qui transgrediuntur verbum ejus, et ut susciperent in eis conversionem omnium qui convertuntur.* Denique manus hæ erant alatæ, ut significetur celeritas angelorum in operando et in exsequendo Dei jussa, puta vindictam hic.

ET FACIES ET PENNAS PER QUATUOR PARTES HABEBANT. — Hebraice est : *Et facies et pennæ* (quaternæ enim erant) *secundum quatuor ipsa, q. d.* Juxta numerum quatuor animalium, quaternæ erant cuique facies et alæ, æque ac manus, æque per omnia similes, per quatuor partes, id est loca et situs, dispositæ. Quaternis enim locis erant dispositæ alæ, et totidem sub alis dispositæ erant manus ; facies vero quaternis quoque locis, sed diversis a locis alarum et manuum, ut patet, erant dispositæ. Nec enim alæ et manus erant ante, ad dexteram, ad sinistram et desuper, uti erant facies ; sed omnes erant laterales, puta ad sinistram et ad dexteram, sed duæ erant sursum, et alteræ duæ deorsum. Ludit enim in quaternario, datque causam vel potius congruentiam, cur fuerint « manus hominis sub pennis eorum in quatuor partibus ; » quia nimirum similiter « facies et pennas per quatuor partes habebant, » ut scilicet esset quaternitas tam in manibus quam in faciebus, alis, animalibus eorumque partibus, id est locis ; simul quoque redit ad id quod dixerat vers. 6, singula animalia habuisse quatuor facies : hic enim declarat quomodo illæ fuerint sitæ, et quo ordine positæ, nempe singulis erat una facies ante, altera a dextris, tertia a sinistris, quarta sursum sive desuper, uti explicat vers. 10. Hinc Noster vertit : « Per quatuor partes : » hæ enim non significant quatuor plagas mundi, sed quatuor situs, scilicet ante, ad dexteram, ad sinistram et sursum. Ita Alcazar.

9. JUNCTÆQUE ERANT PENNÆ ALTERIUS AD ALTERUM. — *Primo*, Vatablus sic explicat, *q. d.* Contigua erant sibi animalia : stabant enim in eadem linea recta. Verum obstat, quod vers. 8, dicat ea fuisse a quatuor lateribus, scilicet currus.

Secundo, Maldonatus ex Hebræo sic exponit hæc de alis, non diversorum animalium, sed unius et ejusdem, *q. d.* In eodem animali ala unius faciei alæ alterius faciei erat conjuncta, ita ut totum animal alis tectum esset.

Verum τὸ *alterius ad alterum*, animal respicit, non faciem, ut patet : sic enim dicendum fuisset, *ad alteram*. Dico ergo, sensus est, *q. d.* « Junctæ erant pennæ » horum quatuor animalium, videlicet quando eas explicabant et expandebant ad volandum. Tunc enim inter duos priores Cherubinos, unus sua ala alam alterius tangebat : similiter et inter duos posteriores, qui erant ad duas ultimas rotas currus Dei, unus sua ala alam alterius contingebat, uti pulchre in imagine exprimit et repræsentat Prado.

Porro hæc conjunctio significabat, tum eorum unionem, tum motum parem et uniformem, quod scilicet uno eodemque impetu omnia simul in eamdem partem, æqualique celeritate volare possent, et reipsa volarent. Ita Maldonatus.

Tropologice S. Gregorius, *homil.* 7 : « Quod, inquit, apud Ezechielem penna, hoc apud Petrum (*epist.* I, cap. IV), accepta gratia dicitur. Et quod ille ait : Rectæ pennæ alterius ad alterum ; hoc Ecclesiæ pastor dicit : Unusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes. »

NON REVERTEBANTUR CUM INCEDERENT, — id est non regrediebantur, sed cum curru suo semper antrorsum progrediebantur, *q. d.* Cum incederent, ad destinatum locum constanter et recta pergebant, non convertebantur retrorsum, non etiam huc illucque deflectebant gyrando (hoc enim innuit Hebræum לֹא יסבו *lo iissabu*), sed coram facie antrorsum semper pergebant. Significat angelos recta properare eo quo mittuntur, nec desistere, sed perseverare donec illud perficiant, idque citissime. Rursum, significat providentiam, decretum et motum Dei immutabilem esse, ac retractari non posse, inquiunt Apollinaris Polychronius et Prado. Deo enim, quasi domino suo, in omnibus se conformant Cherubini ; unde et ejus symbola gerunt, quibus ejus proprietates repræsentant.

Physici de motu sublunarium, præsertim animalium, hæc tradunt axiomata. *Primo*, motus ad locum, est naturalis ; in loco, est voluntarius ; extra locum, est violentus. *Secundo*, motus naturalis est, ad locum suum sibique proprium, ideoque hic motus est rectus, sive fit per lineam rectam, ut patet cum lapis descendit deorsum, ignis sursum : circularis vero motus est voluntarius. *Tertio*, naturalis motus in fine validior est quam in principio : secus est in violento. Motus ergo hic Cherubinorum quaquaversum ita voluntarius est, ut videatur esse naturalis : ambulant enim coram facie sua, id est recta antrorsum. Rursus, ita naturalis est et voluntarius, ut videatur esse violentus : eunt enim in similitudinem fulguris coruscantis, idque uniformiter, hoc est, æque celeriter in fine ac in principio, et vice versa.

Tropologice, S. Gregorius docet, *homil.* 5, nos motum Cherubinorum imitari, dum per viam vir-

tutum in cœlum, vi gratiæ et spiritus divini nos impellentis, tendimus : « Quia, inquit, ante nos æterna sunt, post nos temporalia, nos vero et illa pergentes invenimus, et ista recedentes quasi post dorsum relinquimus, nec ad mala perpetranda redimus. » Sic ambulabat Paulus ea quæ retro sunt obliviscens, et ad interiora se extendens, *Philip.* III, 13.

10. SIMILITUDO AUTEM VULTUS EORUM : FACIES HOMINIS. — Hinc putant nonnulli Hebræi, testibus Vatablo et Maldonato, hæc animalia tantum unam habuisse faciem, scilicet humanam, sed quæ simul referret aliquid ferinum, puta leoninum, bovinum et aquilinum: quomodo Aristoteles in *Physiognomica*, alios homines ad leones, alios ad boves, alios ad alia animalia referri dixit; et Plato, singulos homines in cerebro aliquid alicujus bestiæ habere, asseruit. Verum ex dictis contrarium certum est, scilicet, quaternas habuisse facies, ita nimirum ut primaria esset hominis, uti hic significatur; tres reliquæ secundariæ, et laterales, ideoque ascititiæ, proprie essent facies leonis, bovis et aquilæ, quæ dextræ vel sinistræ vocantur respectu faciei hominis (1).

FACIES LEONIS A DEXTRIS. — Laborat hic Prado, qui per *facies leonis* intelligit jubas, per *facies bovis* ungulas, quomodo illa fuerit a dextris, hæc a sinistris; jubas enim a dextris, æque ac a sinistris habent leones; uti et ungulas boves. Quocirca ipse *primo* respondet : Dextrum, inquit, et sinistrum, non significant hic situs aut loci differentiam certam, sed confusam, *q. d.* Una parte hæc animalia erant similia homini et leoni, altera vero parte bovi et aquilæ. Sic Abraham ait ad Lot, *Genes.* XIII, 9 : « Si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam, » id est, si tu ad unam partem iveris, ego ad aliam me convertam.

Secundo : Ad dexteram, inquit, id est sursum, habebant jubas leonis; ad sinistram, id est deorsum, habebant calceos bovis. Sed quis unquam dextrum vocavit sursum, sinistrum deorsum?

Tertio ergo et propriissime, inquit ipse, horum animalium armus dexter erat jubatus, pes vero sinister erat fissus et calceatus : unde proprie a dextris habebant faciem, id est speciem, leoninam; a sinistris bovinam. Verum si jubata fuerunt hæc animalia, utique toto corpore jubata fuerunt, si calceata ungula, utroque pede calceata et ungulata fuerunt. Hoc enim exigit concinnitas et proportio; unde et *Apoc.* IV, 7, hæc animalia vocantur homo, bos, leo, aquila; scilicet a toto, vel potiori parte corporis, saltem ea qua leo et bos dignoscuntur, scilicet leo jubis, bos ungula. Quare dicendum est has facies fuisse proprie dictas, quarum leonina erat a dextris, bovina a sinistris, ut dixi vers. 6.

ET FACIES AQUILÆ DESUPER IPSORUM QUATUOR. — Τὸ *desuper* non habent Hebræa, nec Chaldæus, nec Septuaginta, nec Complutensia, nec Arabicus Alexandrinus : Romana tamen et alia Latina, ac Syrus, et Arabicus Antiochenus, passim legunt τὸ *desuper*. Unde ex Hebræo videtur excidisse vocula עַל *al*, id est desuper. Nam S. Hieronymus in *Comment.* eam legit et explicat, ut et S. Gregorius, omnesque Latini. Quare aquila in capite et galea Cherubinorum eminebat, uti Romani et alii in capite olim gestabant aquilas, ut dixi vers. 6.

Quocirca minus recte censent Theodoretus (cujus verba mox citabo), Richardus Victorinus et Maldonatus, faciem aquilæ fuisse aversam, et a tergo oppositam faciei hominis. Propheta enim ait eam fuisse desuper, non a tergo; ac milites in galeis hosti adversas, non aversas gestant aquilas.

Symbolice, quatuor facies eædem omnibus et singulis, significant quatuor horum animalium miram per omnia concordiam et consensionem. Tale est Geryonis emblema : depingitur enim homo tricorpor, triplici capite, manibus ter binis, cui titulus inscribitur : *Concordia insuperabilis.*

11. FACIES EORUM. — Supple, erant tales, et eo modo dispositæ, quo dictum est, *q. d.* Hactenus de faciebus. Ita Vatablus. Verum Romana hæc jungunt sequentibus, *q. d.* Tam facies quam alas Cherubim fuisse exstentas et eminentes. Significant hæ alæ agilitatem Cherubinorum et Angelorum, ac vim sublimiora penetrandi, inquit Severus in *Catena*. Vers. 11. Alæ symbolum agilitatis et mentis sursum tendentis.

Tropologice S. Gregorius, *homil.* 4 : « Significatur, ait, quod omnis intentio, omnisque contem-

(1) Animantium thronum divinum gestantium, seu Cheruborum forma, ducta est a *tauro*, *leone*, *aquila* et *homine*, utpote naturis inter res cæteras creatas principatum tenentibus : quippe *leo* in feras, *aquila* in aves, *bos* in pecora, *homo* in omnes imperat et primas tenet. Simulque symbolis illis spirituum horum Deo ministrantium, videntur intelligentia, vires, velocitas, obsequium adumbrari : bos enim et leo inter animalia summo corporis robore enitent, homo et aquila ingenii et visus acumine præstant. Erat autem hæc non solum Ægyptiorum, verum et totius fere Asiæ populorum inde a remotissima rerum memoria communis consuetudo, ut in sua mythologia, quam rectius *theologicam* et *physicam*, *symbolicam* seu *allegoricam* dixeris, ad certas disciplinæ suæ arcanæ doctrinas exprimendas varias animantium formas in uno simulacro conjungerent, cujusmodi simulacris multiformibus deorum proprietates maxime insignes repræsentare voluerunt. Quod videre est apud Porphyrium, *De Abstinent.* lib. IV, sect. IX, de sacerdotibus Ægypti loquentem; Eusebium, *Præpar. Evang.* lib. III, cap. XII, simulacrum solis, quod Elephantinopoli visitur, describentem; apud Clementem Alexandrinum, *Strom.* lib. V, sphingis imaginem, quam templorum Ægyptiorum fores insculptam ostendebant, depingentem; et apud Apuleium pompæ Ægyptiacæ cæremonias referentem, *Metamorph.* lib. XI. Vide etiam Herbelot, *Biblioth. Orient.*, sub nominibus *Anka*, *Simorg* seu Simorg-Anka; Chardini *Itiner.* tom. I, Tab. LVI et LVII, et Niebuhrii *Itiner.* tom. II, Tab. XX, de quibus docte et solito acumine disseruit A. H. L. Heeren..... Nihil igitur vates noster insoliti vel inauditi instituisse censendus est, qui summi Numinis thronum talibus naturis, quæ ex variorum animantium formis compositæ essent, gestandum tribuit; verum imitatus est hac in re populorum istius ætatis doctrina et artibus maxime excultorum exemplum et morem. (Rosenmuller.)

platio Sanctorum super se tendit, ut illud possit adipisci, quod in cœlestibus appetit. Qui enim per bona quæ facit, terrenam gloriam concupiscit, pennas suas et faciem deorsum deprimit. »

DUÆ PENNÆ SINGULORUM JUNGEBANTUR, — non pennis alterius Cherubini, sed inter se, *q. d.* Binæ singulorum pennæ erant æqualiter extentæ, et elevatæ; ac quasi junctim aut complicatæ, aut potius expansæ. Unde Vatablus vertit : *Duæ alæ erant ex adverso positæ, et correspondentes, quibus volabant.* Significatur his alis eos paratos fuisse ad volandum quocumque Deus jussisset. Aliis vero duabus pennis et alis tegebant femora sua. Tegumen femorum significat angelorum castitatem et puritatem ab omni concupiscentia. *Secundo*, quod divini sint, non tantum cum volant ad Deum in oratione; sed etiam cum per femora et pedes quasi descendunt, euntque ad opera externa, in quibus homines etiam spirituales sæpe labuntur, et quasi homines deficiunt. Ita Apollinaris.

Alæ tegentes femora significant castitatem.

Tropologice S. Gregorius, *homil.* 4 : « Quatuor, ait, sunt virtutes, quæ a terrenis actibus omne pennatum animal levant, in futuris videlicet amor et spes, quæ sunt conjunctæ; quia electi amant cœlestia, et sperant quæ amant : de præteritis autem timor et pœnitentia, quæ a Dei oculis eorum mala præterita abscondunt; » ideo tegunt eorum corpora.

12. ET UNUMQUODQUE EORUM CORAM FACIE SUA AMBULABAT, — quia facies habebant quatuor, inquit Theodoretus, ad quatuor mundi plagas : ergo ad quamcumque incederent, coram facie una, quæ illi plagæ obversa erat, ambulabant. Audi Theodoretum : « Homo, ait, ad borealem partem incedens, deinde cum vult ad australem redire, necessario convertitur, unam tantum faciem sortitus; sed cui tot sunt numero facies, quot partes orbis terræ, huic australe nihil est, sed ubique facies illius omnia intuetur, et quocumque velit incedit, neque indiget conversione. » Ita et Richardus Victorinus, *tract.* in hanc visionem, et Maldonatus.

Secundo et melius, « coram facie sua, » scilicet primaria, puta humana, *q. d.* Quodlibet animal licet esset quadriforme, tamen coram facie sua humana ambulabat; excepta enim triplici aliorum animalium facie, quoad cætera omnia erat homo : unde plane decebat ut ad eam faciem ambularet : alioqui enim retrogrado et averso incessu ambulasset.

Spiritus motor currus.

UBI ERAT IMPETUS, — *q. d.* Deus quasi auriga, vice flagelli et habenarum spiritum, id est vim, impulsum et energiam divinam impresserat animalibus ad progrediendum, volandum vel sistendum.

Tropologice S. Gregorius, initio *hom.* 5 : « Electos, inquit, impetus spiritus agit ad charitatem, humilitatem, continentiam, etc., reprobos agit impetus carnis ad gulam, odium, rixas, etc. Examina ergo uter spiritus te agat, et cave ne impetus carnis pro impetu spiritus latenter se subjiciat. »

Vers. 13. Aspectus quasi carbonum.

13. ASPECTUS EORUM QUASI CARBONUM IGNIS, etc., ET IN MEDIO ANIMALIUM SPLENDOR IGNIS. — Nota : In medio animalium erat quasi fornax, vel foculus sive prunarium, ut patet tum ex hoc loco, tum ex cap. x, 2, 6, 7. Ex hac fornace ignis diffusus igniebat Cherubinos, ut viderentur esse flammei, et quasi ardentes carbones, vel lampades, hebraice לפידים *lappidim*, id est faculæ vel titiones. Idem ignis aerem ambientem splendore et fulgetris complebat. Quocirca probabiliter censet Prado, ex hac Ezechielis visione ortam fuisse consuetudinem Chaldæorum et Persarum, præferendi ante regem (qui quasi deus quidam est in terris) et ante exercitum ignem, sive arulam cum igne : hoc enim eos fecisse testantur Curtius, lib. III, et Xenophon, lib. VIII. Illos postea imitati sunt Romani, teste Herodiano, lib. I, cap. II.

Tropologice S. Gregorius, *homil.* 5 : « Quia, inquit, sancti viri quosdam juxta se positos, quasi tangendo, ad amorem patriæ cœlestis accendunt, carbones sunt : quia vero quibusdam longe positis lucent, eorum itinera, ne in peccati sui tenebras corruant, lampades fiunt. »

HÆC ERAT VISIO DISCURRENS, — *q. d.* Videbatur in medio animalium splendor ignis discurrere, et de igne fulgur egredi. Mystice, ignis hic est charitas, et subinde tribulatio : hac enim nos carneos purgari oportet, ait Vatablus, hæcque facit ut Dei amore inflammemur.

14. IBANT (Hebræa et Septuaginta, *currebant*) ET REVERTEBANTUR, — non retro : hoc enim negavit, vers. 3 et 17, sed in latus, vel gyrum, *q. d.* Ad nutum aurigæ, puta aurigantis Dei, nunc huc, nunc illuc se flectebant aut circumvolvebant. Ita aliqui. *Secundo* et melius, Vatablus, *q. d.* Dum irent Cherubini, non aspiciebant huc illuc, sed recta ad locum, ad quem impetu spiritus Dei agebantur, tendebant : cum autem venissent ad locum quo mittebantur, revertebantur, id est convertebant se, et ibant quocumque Deus jubebat : aut revertebantur, ut rursum se sisterent Deo, quasi prompti ad alia ejus jussa excipienda, et pari rectitudine et fortitudine exsequenda. Licet enim hi Cherubini essent stipatores tam rotarum, quam solii Dei; tamen nec rotis, nec solio erant alligati, sed Deo jubente evolabant et revolabant celerrime instar fulguris. Deus enim in solio longe supra rotas et super Cherubim eminente, altissime residebat. Unde poterat vel residere, vel simul cum rotis et Cherubim progredi, prout volebat. Hinc a rotis et a Cherubim separare se et divellere visus est, cap. IX, vers. 3, et cap. X, vers. 18.

Tropologice S. Gregorius, *homil.* 5, *q. d.* Electi sic ad bona ardenter tendunt, ut iis peractis ad Deum redeant, illique omnem operum gloriam ascribant.

IN SIMILITUDINEM FULGURIS, — *q. d.* Cherubini erant non tantum instar carbonum, sed instar

fulguris, quod splendidissimum, celerrimum, efficacissimum, et plusquam igneum omnia pervadit.

Moraliter, tales debent esse Prælati, puta Episcopi, pastores, rectores, nimirum ut sint instar S. Basilii, de quo scribit S. Nazianzenus in *Carmine funebri* :

Βρόντη σεῖο λόγος, ἀστεροπὴ δὲ βίος.

Tonitru tuus (o Basili) *erat sermo, at vita fulgur.* Sic Marci III, 17, SS. Jacobus et Joannes apostoli, a Christo vocati sunt *boanerges*, id est filii tonitrui, id est tonantes, scilicet Evangelii prædicatione, atque terrorem incutientes gentilibus, hæreticis omnibusque improbis. Tale tonitru dedit S. Joannes, qui unus fuit ex quatuor hisce Cherubim, habens faciem et speciem aquilæ, cum initio Evangelii intonuit, dicens : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, etc., et Verbum caro factum est. » Ita Epiphanius, *hæres.* 73. Unde et scribente eo Evangelium, tonitrua et fulgura, æque ut in Sina, cum ibi tabulas legis a Deo acciperet Moses, emicasse, ex Prochoro et aliis docet Cardinalis Baronius, anno Christi 99, in fine.

Secundo, per *boanerges*, id est filios tonitrui, Baronius accipit fulmina : fulmen enim ex tonitru, quasi filius ex patre nasci et prodire videtur. Sic Hebræi *filios pharetræ* vocant sagittas, *filios areæ* vocant frumenta et grana tritici, *q. d.* Jacobus et Joannes verbis et factis erunt fulminantes, et quasi fulmina Christi ; quomodo Poeta dixit :

Duo fulmina belli Scipiadæ :

Ita hic :

Duo fulmina belli Zebediadæ.

Sic Seleucus, quintus post Alexandrum Magnum Syriæ rex, cognominatus est Ceraunius, id est fulmineus, quod ingenio veloci et audaci esset quasi fulmen, de quo Appianus in *Syriaco*, et Daniel, cap. XI, 10.

Sic legio christianorum sub Antonio Pio Imperatore ab eo *fulminea* est cognominata, quod in summa rerum desperatione et siti, suis precibus pluviam et fulmina in hostes Romanorum a Deo impetrasset, teste Eusebio, lib. V, cap. I.

Sic Plinius, lib. XXX, cap. IV, Martem appellat fulminantem. Sic quasi Martes fulminantes erant hi Cherubini. Et Cicero ad Papirium, lib. IX, *epist.* 21 : « Insanire tibi videris, quod imitere verborum meorum, ut scribis, fulmina. »

Tertio, boanerges, id est filii tonitrui, hoc est Christi, qui ad nos venit cum luce doctrinæ, ac tonitru et horrore miraculorum, æque ac metus gehennæ, quem prædicando suis incussit, atque cum pluvia gratiæ, inquit Noster Salmeron. Det Deus nobis multos tales boanerges, multa talia fulgura et tonitrua. Denique hinc patet quanta futura sit dos agilitatis in Beatis, nimirum in ictu oculi penetrabunt quasi angeli, ab Oriente usque ad Occidentem instar fulguris, uti de Christo veniente ad judicium dicitur *Matth.* cap. XXIV, vers. 27.

15. ROTA UNA JUXTA — unum animal : hoc est singulæ rotæ erant juxta singula animalia ; hæ enim quatuor rotæ erant per omnia similes, et quasi una rota, ut qui unam videret, omnes videret. Ita S. Hieronymus. Non enim unam, ut vult Lyranus, sed plures fuisse rotas patet ex eo quod sequitur : « Et aspectus rotarum, » etc. Transit hic Propheta a Cherubinis ad rotas. Hinc patet hæc quatuor animalia non fuisse in ipso curru, ut aliqui opinantur, sed juxta currum. Erant enim quasi ejus stipatores ; unde cap. X, 9, dicitur : « Rotæ juxta Cherubim. » Porro inter has rotas erat arula cum igne, ex qua ignem acceperunt Cherubim, quo succenderunt Jerusalem, ut dicitur cap. X, 6. Sicut enim in templo altare thymiamatis erat coram Deo residente in Sancto sanctorum, ut thymiamatis suffitu eum honoraret : ita et instar illius erat hic arula. Simili modo regibus Chaldæorum et Persarum præferebatur foculus ignis, uti dixi vers. 13.

SUPER TERRAM, — non quæ hic a nobis calcatur, sed quæ ei similis in cœlo Ezechieli per visionem ostensa est : sicut pictores currum pingunt in pariete, quasi terræ insistentem.

HABENS QUATUOR FACIES. — Vatablus vertit : *Ad quadraturam facierum ipsorum*, id est ad quatuor angulos, in quibus singulis erant singula animalia, hoc est quadruplex, sive quadripartita erat rota, *q. d.* Vidi quatuor rotas consistentes ad quatuor animalium latera ; singula enim animalia suam habebant rotam, ut patet cap. X, 9. Ita Maldonatus.

Secundo, Vatablus putat hanc quadraturam fuisse quatuor semicirculos cujuslibet rotæ : rotam enim quamlibet fuisse duplicem instar sphæræ, sive coluri mathematici, de quo mox.

Tertio, melius ex Hebræo vertas, *secundum quatuor facies ejus*, scilicet animalis, *q. d.* Rota quælibet habebat sibi insculptam faciem bovis, leonis, hominis et aquilæ, æque ut quilibet e Cherubinis. Ita S. Hieronymus. Erant enim similes Cherubinis ; unde quisque Cherubim suam habebat rotam : atque stemmata ac trophæa Dei tam in rotis currus triumphalis, quam in Cherubinis stipatoribus exprimebantur, uti ostendam in fine capitis. Videntur hæ quaternæ facies ad quatuor rotarum latera, quasi ad quatuor earum angulos fuisse disposita et distributa.

Nota : Animalia sub se habebant rotas ; quia rotæ tangebant terram, animalia autem alis se super terram librabant. Symbolice, Scholiastes : Rota super terram, inquit, significat continuationem providentiæ Dei et Angelorum in homines, tam suavem et efficacem, quam est motus rotæ. *Secundo*, rota est anni circularis revolutio, et spirituum periodus, ait idem Scholiastes. *Tertio*, Origenes : Rota, ait, est hic mundus, et generatio

una alteri in eo succedens. Omnes ergo sub rota sumus:

> Et fugit interea, fugit irrevocabile tempus.
> Eheu fugaces, Posthume, Posthume,
> Labuntur anni,

ait ex Lyrico S. Hieronymus.

16. ET ASPECTUS (id est forma, figura, species) ROTARUM, ET OPUS (id est materia) EARUM, QUASI VISIO MARIS, — id est marini et cærulei erat coloris (1). Hebraice est, *quasi species Tharsis*, vel *lapidis Tharsis*, uti habetur cap. X, 9. Porro lapidem Tharsis Aquila interpretatur chrysolithum; Symmachus, hyacinthum : quia uterque est marini coloris (*Tharsis* enim significat mare). R. Salomon vero et Maldonatus vertunt, *crystallum*, quæ ex aquis non colorem modo, sed et originem et nomen trahit, inquit Plinius lib. XXXVII, cap. II, *q. d.* Tam materia quam forma rotarum videbatur esse crystallina, aut hyacinthina, aut chrysolithina. Mare enim solis radiis fulgens habet speciem chrysolithi, per quem ardens cœlestis sapientia significatur.

Rursum, rotæ hæ mari similes significant res creatas habere speciem maris : quia non tantum splendore, et quasi colore referunt mare; sed etiam motu suo rato et constanti, mare ac cœlum imitare videntur. Nam mare ex impressione cœlesti, statis vicibus noctu interdiuque æstuat : ita rotæ visæ sunt ad motum Cherubim ire et redire, quasi æstus marinus : ut huc videatur respexisse David, *Psalm.* LXXVI, 20 : « In mari via tua, et semitæ tuæ in aquis multis : et vestigia tua non cognoscentur. » Ita Hugo Cardinalis et Antonius Fernandius, lib. *De Vision. vet. Testam.*, vis. XIII, sect. XII. Rotæ, ait, mari similes, statos æstus marinos, reciproca sua motione exprimunt. In mari enim ejusque vastitate, reciprocatione, fluctibus, balænis et piscibus, etc., maxime relucet mira Dei providentia et gubernatio, quam currus hic Cherubicus repræsentat. Vide *Psalm.* CIII, 25, et *Psalm.* CVI, 23.

UNA SIMILITUDO IPSARUM QUATUOR, — *q. d.* Rotarum singularum similis erat species, figura, dimensio, color.

QUASI SIT ROTA IN MEDIO ROTÆ. — Hoc est, quasi sit circulus circulum secans in sphæra ad angulos rectos sphærales, ita ut quælibet rota haberet quadraturam, id est quatuor semicirculos, ex quibus fiebat colurus, sive sphæra et sphæricus globus : atque ita has quatuor rotas quasi quatuor coluros et globos, depingunt Parisienses quidam in suis Bibliis, Richardus Victorinus, *tract.* in hanc Ezechielis visionem, Vatablus, Alcazar, Lyranus ac Maldonatus hic, qui censent has rotas fuisse duplices; unam enim intersecasse alteram, uti fit in coluro, atque ita universim fuisse octo : licet enim integræ tantum essent quatuor, quæ et loco erant disjunctæ; tamen singulæ constabant ex duabus rotis, sive circulis sese intersecantibus ad angulos rectos, in modum crucis, atque ita universim erant octo. Erant ergo hæ quatuor currus Dei rotæ quasi quatuor coluri sive sphæræ. Porro quotiescumque quiescebant hæ rotæ, quiescebant in puncto aliquo quo se secabant, eoque terram attingebant : sic enim fiebat ut cum movendæ essent, quamcumque in partem moveri possent sine conversione corporis rotæ. Hoc est, ait Maldonatus, quod dicitur vers. seq. : « Per quatuor partes earum euntes ibant. » Erant enim hæ rotæ symbolicæ, cœlestes et divinæ : referebant enim cœlestes coluros, sphæras et circulos. Hoc enim proprie significat, « rota in medio rotæ : » erantque simul curules, ac mobiles et gyrabiles ad quamvis mundi plagam. Aliter Hieronymus Prado : Rota, ait, in medio rotæ erat modiolus, qui solet esse in rotis; ex eo enim radii procedunt ad canthos, sive ad ipsam rotæ peripheriam, quasi illa sit rota extima, modiolus vero sit rota intima. Verum, modiolus non est rota, multo minus est rota in medio rotæ, et, ut Arabicus Antiochenus vertit, *rota in rota;* et, ut Syrus, *rota intra rotam;* et, ut Arabicus Alexandrinus, *rota, quæ sit in interiori parte* (in ventre) *alterius rotæ.*

erant quatuor coluri.

Symbolice, rota hæc in medio rotæ, *primo*, est circulatio rerum sublunarium et terrestrium, quæ a sole, cœlis, et motu primi mobilis ambitur, et fit. *Secundo*, est principium, profectus et finis rerum omnium, quæ in orbem hic aguntur. Ita Apollinaris, qui *tertio* addit per eam significari misericordiam et justitiam, quæ a Deo quasi pariter et vicissim procedunt, tanquam eant in orbem; omnia enim opera Domini misericordia et veritas, sive æquitas et justitia; unde Psaltes : « Misericordiam et judicium cantabo tibi; Domine. »

Quæres, an rotæ hæ fuerint solæ, an axi conjunctæ, ita ut efficerent currum? Axe junctas, perfectumque currum fuisse, cui imposita fuerit arula, sive focus ignis cum arca fœderis, censet Prado. Probat, quia *Eccli.* XLIX, 10, et passim ab Interpretibus vocatur currus. Verum, cum Propheta hic et cap. X, solas rotas nominet, easque fuse et operose describat, nec nominet axem, currum, aliaque ad currum necessaria, frustra quis ea confinget, rotisque addet. Quod enim Propheta

(1) Quemadmodum alias emblemata rerum, Prophetis in visione ostendendarum desumpta et quasi mutuata sunt a templo ejusque apparatu et instrumentis, quippe quod ex ipso nostro Propheta, nec non Zacharia, et Apocalypsi Joannis imprimis, argumentis clarissimis constat; ita et hæc *rotarum Cherubis junctarum*, quæ in hac visione basin divini throni faciunt, imago deprompta videtur a structura basium illorum λουτρῶν seu labrorum, quæ in atrio templi inservierunt lustrationibus sacerdotum et Levitarum, quæ quidem bases, summa arte confectæ, Cherubinis et rotis innixæ pluribus, I *Reg.* VII, 30 et seqq., describuntur. Quanta intercedat convenientia inter bases illas λουτρῶν, et basin divini throni apud Nostrum, ostendit Vitringa, *Observatt. S. Script.* lib. IV, cap. I, § 17 et seqq. (Rosenmuller.)

non exprimit, quis exprimere et fingere audeat? Adde, in hisce rotis non sedebat Deus, sed in solio supra firmamentum elevato; ergo non opus erat curru. Hujus enim usus non est, nisi ut quis in eo sedeat, eoque vehatur. Porro ad sustinendam arulam vel focum ignis, non erat opus curru, tum quia non constat an vere fuerit arula (hæc enim non nominatur), an tantum ignis et prunæ: hæc enim nominantur; tum esto ignis et prunæ fuerint in arula (uti fieri solet), hæc sustinebatur et movebatur a spiritu Dei, æque ac rotæ et Cherubini. Hic enim spiritus omnia sustinebat, agebat, et quasi animabat. Nisi quis malit arulam hanc a Cherubinis Deo prælatam, aut ex firmamento super rotas expanso suspensam fuisse, ex eoque pendulam hæsisse inter rotas, sicuti in templis nostris lampades ex alto suspensæ, ante Venerabile Sacramentum pendulæ hærent. Hæc enim arula ignis est instar lampadis : præfertur enim Deo, ut indicet eum esse lucem et ignem mundi, uti est Christus in Eucharistia, quod lampade ei prælucente significatur. Id ita esse patet ex eo, quod rotæ hæ erant currus et solii Dei : videbantur ergo quasi sustinere firmamentum, cui insistebat solium Dei, non autem ipsam arulam : sic enim fuissent rotæ currus arulæ, non currus et solii Dei. *Tertio*, quia rotæ aptius sunt symbolum providentiæ Dei quam currus, aptiusque repræsentant orbes tum elementares, tum cœlestes, quibus singulis singuli præsunt angeli, sicuti singulæ rotæ hic sequuntur motum et ductum singulorum Cherubinorum, qui singuli singulis rotis adstant, ut dicitur cap. x, vers. 9. *Quarto*, quia rotæ hæ erant coluri, ideoque ad quamvis partem et plagam mundi gyrabiles : ergo carebant axe. Axis enim in longum porrigitur, firmusque consistit, ac firmat currum. In his autem rotis nihil erat firmum et consistens, sed omnia volubilia, omniaque rotabantur : constat autem axem, totumque currum non posse sursum, deorsum, antrorsum et retrorsum rotari. *Quinto*, nulla fit hic equorum mentio, qui in curru sunt necessarii, ut eum protrahant.

Dices : Cur ergo vocatur hic currus Dei? Respondeo : Vocatur currus metaphorice et analogice : *primo*, quia sicut in curru sunt quatuor rotæ, ita erant et hic. Ubi enim sunt quatuor rotæ, æque semper distantes, quæ simul semper aut consistunt aut moventur, idque eadem et pari velocitate ac tenore, ita ut dum binæ priores procedunt, mox pari passu binæ posteriores sequantur, ibi dicimus esse currum et quadrigam : quadrigam enim faciunt quatuor rotæ, ut bigam duæ: atqui ita erat hic; ergo jure vocatur currus. Simili modo Cherubini, quos fecit Salomon, I *Paralip.* XXVIII, 1, ad altare thymiamatis, ut illud alis suis velarent, similes Cherubinis Mosaicis velantibus arcam, vocantur ibidem quadriga, id est currus, Cherubim. Ibi ergo ipsos Cherubim Scriptura vocat currum, quia eis quasi solio curuli insidebat Deus, *q. d.* Confecit Salomon Cherubinos, qui binis alis utrinque junctis facerent quadrum, et quasi quadrigam, essentque quasi currus, aut potius solium curule, cui insideret Deus. Ita Lyranus, Abulensis et Vatablus. Sic Deus dicitur vehi, equitare super Cherubim, iis quasi currui insidere, quia Cherubini quos fecit Moses, alis expansis exhibebant quasi solium Deo; cumque essent duo, speciem quamdam exhibebant bigæ, sive currus : multo ergo magis quatuor hæ rotæ Cherubinorum, quæ exhibent speciem non bigæ, sed quadrigæ, analogice possunt vocari currus, sive quadriga Dei.

Secundo, singulæ rotæ, cum essent coluri et sphæræ, habebant speciem quamdam currus rotundi et tecti, ita ut viderentur hic esse quatuor partiales parvique currus.

Denique recte vocatur hic Ezechielis currus Cherubim, non quod solæ rotæ efficerent currum; sed quod tota hæc visio speciem currus exhiberet. Nam quatuor rotæ erant quasi rotæ currus, sive quadrigæ, super rotas et Cherubim expansum erat firmamentum, quasi tabulatum currus (quod aliquo modo referebat et repræsentabat propitiatorium, quod cum arca et Cherubim fecit Moses) super quo erat solium Dei, ita ut hæc omnia simul quasi repræsentarent Deum solio et currui triumphali, qui quaternis rotis subjectis agebatur, insidentem. Erat ergo hic currus, non quales sunt terreni; sed divinus, qui tamen aliquo modo terrenis esset similis. Erant enim in hoc Dei curru in imo quatuor rotæ; super has eminebant Cherubini, super Cherubinos expansum erat firmamentum, super hoc erat solium regale, cui insidebat Deus. Hic enim currus significabat totum universum, omnesque creaturas, quibus præsidet Deus creator. Rotæ ergo imæ significant orbes quatuor elementorum, omnesque orbes cœlestes, quos regunt Cherubini, id est Angeli. Hisce imminet firmamentum, id est cœlum empyreum, in quo solium suum habet Deus, gloriamque suam Beatis ostendit et communicat. De quo plura inferius. Sicut ergo orbes elementares orbibus cœlestibus, et hi cœlo empyreo immediate subjiciuntur, et inter se continua successione, sine axe aliove vinculo copulantur, ita et rotæ hæ sine axe aliove vinculo, inter se et cum firmamento sola dispositione, puta proportionata serie, successione et ordine, quem in eis causabat spiritus vitæ qui erat in rotis, cohærebant et copulabantur. Denique hac de causa rotæ, licet integræ tantum essent quatuor, tamen quia singulæ erant duplices, hinc revera erant octo; quia repræsentabant septem orbes planetarum, et octavum orbem firmamenti, in quo sunt stellæ et astra. Hæc enim, quia sola hominibus conspicua sunt, tantum repræsentat hic Scriptura, sub quibus cæteros orbes quos astrologi ponunt, comprehendit.

17. PER QUATUOR PARTES EARUM EUNTES IBANT, — Vers. 17; *q. d.* In quatuor currus lateribus pari passu, rec-

titudine et constantia, æque ac velocitate movebantur hæ quatuor rotæ; non enim revertebantur, sed directe et constanter pergebant ad locum destinatum, quasi quadrata castrorum acies recte ordinata. Nota : Hæc geminatio « euntes ibant, » significat tum constantem rectitudinem, tum velocitatem in motu rotarum (1).

Secundo et congruentius, Maldonatus et Vatablus, *q. d.* Ibant hæ rotæ ad quatuor latera, scilicet nunc ad dexteram, nunc ad sinistram; nunc antrorsum, nunc retrorsum; ubi tamen motum aliquem inchoaverant, ad scopum pergebant, quem ubi attigerant, in quamlibet partem erant gyrabiles. In omnem ergo partem moveri poterant, Deique currum per quatuor mundi plagas agere; insistebant enim puncto rotas intersecanti in modum crucis, ut jam dictum est. Qua re significabant Evangelium Dei quavis mundi plaga perferendum et propagandum.

ET NON REVERTEBANTUR, — scilicet retro, ut retrorsum agerentur, et agerent solium Dei; hoc enim indecens fuisset. Significat directum et constantem motum rotarum antrorsum, *q. d.* Cum rotæ aliquo tenderent, eo constanter et recta tendebant, non incidebant, non circumflectebant motum, non gyrabant (hoc enim significat Hebræum לא יסבו *lo iissabbu*), uti gyrare et circuire solent currus nostri, cum in paludes, anfractus, rupes aliaque invia incidunt. Hæ enim rotæ Dei recta pertransibant, aut recta librabant se sursum cum opus erat, itaque avia omnia superabant. Nam spiritus vitæ erat in rotis. Cessante tamen illo motu, cum ad locum destinatum pervenissent, poterant alium inire, et quaquaversum, etiam retro se flectere si vellent; uti de facto currus hic retro actus quandoque fuit. Nam *primo* Ezechiel, consistens in Chobar et Babylone, vidit hunc currum e Chobar tendentem Hierosolymam, quasi ad ejus expugnationem et excidium. Unde cap. VIII, vers. 4, spiritu raptus in Jerusalem, ibi eumdem vidit; ait enim : « Et ecce ibi gloria (gloriosus currus Cherubim) Dei, juxta ostium quod respiciebat ad aquilonem; » et cap. IX, vers. 3 : « Gloria Domini assumpta est ad limen domus. » Inde vero cap. XI, vers. 22, currus hic motus fuit, et tetendit ad montem Oliveti. Ait enim : « Elevaverunt Cherubim alas suas : et ascendit gloria Domini de medio civitatis, stetitque super montem, qui est ad Orientem. » Denique *tertio*, cap. XLIII, vers. 2, ex monte hoc revectus est in urbem. Ait enim : « Et ecce gloria Dei Israel ingrediebatur per viam orientalem; » et vers. 4 : « Majestas Domini ingressa est templum, per viam portæ, quæ respiciebat ad Orientem. » Ex his locis liquet currum hunc Dei *primo* e Babylone Hierosolymam, id est ab ortu ad occasum perrexisse; *secundo*, rediisse ad ortum, scilicet ad montem Oliveti; ac *tertio*, inde ad occasum, puta ad urbem et templum, rediisse. Ivit ergo et redivit currus. Ita Alcazar loco superius citato.

Alii τὸ לא יסבו *lo iissabbu* vertunt : *Non volvebantur in orbem*, non circinabant; sed quasi fixo cantho et gradu procedebant, aut raptabantur instar animalium, uti fit, cum rotæ curruum in declivi, et descensu montis, ne ruant in præceps, catena ferrea vinciuntur et constringuntur, itaque immotæ sensim trahuntur et raptantur. Unde ait : « Spiritus vitæ erat in rotis. » Verum ad quid rotæ, nisi ad rotationem et volubilitatem? rotatio enim proprius est motus rotæ et currus. Unde cap. X, vers. 13, rotas istas vocat volubiles.

18. STATURA QUOQUE ERAT.— Hebraice, *dorsa*, vel *canthos habebant, eratque illis altitudo* tanta, ut *metum* (terrorem et stuporem) *afferrent aspicientibus*, *q. d.* Habebant hæ rotæ ingentem altitudinem, æque ac ambitum et peripheriam, scilicet, ut hæc earum currusque altitudo et magnitudo responderet magnificentiæ solii et aurigæ, puta, Dei dignitati et majestati. Unde Richardus Victorinus, *tract.* in hanc Ezechielis visionem : Erant, inquit, hæ rotæ aspectus horribilis, id est enormis magnitudinis. Canthos voco circulos extimos rotæ, qui fere lignei sunt, et canthis, sive laminis ferreis obducuntur et muniuntur. Hi enim sunt quasi dorsum et peripheria rotarum. Vers. 18.

Tropologice S. Gregorius, *homil.* 6 : « S. Scriptura, ait, staturam habet, quia mores ad standum dirigit, ne ad terrena curventur. Altitudinem habet, quia in cœlesti patria æternæ vitæ gaudia promittit. Horribilem quoque aspectum habet, quia omnibus reprobis gehennæ supplicia minatur. » Vide sequentia.

TOTUM CORPUS (hebraice *dorsa*, sive canthi earum), PLENUM OCULIS, — id est ocellis pulcherrimis, quales sunt in caudis pavonum, ex lucis et coloris commixtione et reflexione, sicque pulcherrime hi ocelli respondebant colori marino rotarum; glaucum enim oculi est coloris marini. Rursum hi oculi significant rotas has habere motus certissimos, quasi oculis ducibus factos. Ita Fernandius, *vis.* XIII, sect. XIII.

Symbolice, rotæ ornatæ ocellis sunt cœli ornati stellis lucidissimis, quasi ocellis et floribus pulcherrimis. Ita Severus in *Catena*. Quin et Plinius, lib. II, cap. V : « Inde, ait, tot stellarum collucentium illos oculos. »

Mystice, oculi hi sunt symbolum circumspectionis et vigilantiæ, quæ esse debet in aurigatione currus, id est in regimine orbis et reipublicæ. Hinc tam rotæ, quam Cherubim, ut patet cap. X, 12, et

(1) Rotæ ita fuerunt compositæ, ut recte observat Rosenmuller, ut moveri potuerint ad quatuor plagas cœli, absque quo currus, qui quadratus erat, necesse habuerit circumagi et converti ad illam cœli plagam, in quam moveretur, propterea quod habuerit duplices rotas sibi invicem insertas, ut ad vers. 16 explicatum est. Nostra enim plaustra quibus rotæ oppositæ sunt, moveri possunt, absque quo opus habeant converti ac circumagi; sed ad duas alias regiones cœli, quas sibi ab utroque latere habent, æque moveri non possunt, nisi circumagantur, et ad illas convertantur.

Apoc. IV, 8, pleni erant oculis. Quot ergo vides noctu stellas in cœlo, tot et longe pluribus angelorum et beatorum oculis, cogita te ubique aspici, ac dicito cum Apostolo : « Spectaculum (græce θέατρον, id est *theatrum*) facti sumus mundo, et angelis, et hominibus, » I *Cor.* IV, 9. Maxime vero cogita oculum illum Dei lucidissimum et maximum te, tuaque facta, dicta et cogitata ubique intueri, æque ac regere. Hinc Ægyptii Deum pingebant, quasi oculum baculo insistentem : baculo, sive sceptro denotabant Dei potentiam et imperium; oculo ejus omniscientiam et omniprovidentiam. « Deus ergo totus est oculus, totus est auris, » quia omnia videt, omnia audit. Hoc est quod ait Sapiens, *Sap.* I, 7 : « Spiritus Domini replevit orbem terrarum : et hoc (πνεῦμα id est *hic spiritus*), quod continet omnia, scientiam habet vocis. » Nolite ergo murmurare, detrahere, vana loqui; quia hic spiritus qui omnia continet, singulas vestras voces audit et notat. Et *Proverb.* XV, 3 : « In omni loco oculi Domini *lucidiores sole* contemplantur bonos et malos. » Merito ergo dixit Boetius : Magna nobis injecta est necessitas bene agendi, quando omnia agimus in conspectu judicis cuncta cernentis, qui, ut ait Poeta, est :

Ἥλιος ὃς πάντ' ἐφορᾷ, καὶ πάντ' ἐπακούει.

Sol qui omnia videt, et omnia audit. Deus ergo est sol, est ἔνδικον ὄμμα, id est *justus oculus*, judex vindexque omnium, perinde ac ab Ovidio, IV *Metamorph.*, sol vocatur mundi oculus. Et Psaltes, *Psalm.* CXXXVIII, 7 : « Quo ibo a spiritu tuo? et quo a facie tua fugiam? etc. Et dixi : Forsitan tenebræ conculcabunt me : et nox illuminatio mea in deliciis meis. Quia tenebræ non obscurabuntur a te, et nox sicut dies illuminabitur. »

Tropologice, significatur rectorem debere esse pervigilem, ut omnia circumlustret et perspiciat. Ita fingunt Poetæ Argum pastorem plenum fuisse oculis; illi enim Juno custodiendam dedit Io Inachi filiam mutatam in vaccam. Sed Mercurius a Jove missus dulcedine cantus illum sopitum occidit. Oculos tamen Argi Juno indidit caudæ pavonis, quæ dicitur avis Junonia. Unde Virgilius, VII *Æneid.* :

Et custos virginis Argus.

Et Ovidius, lib. I *Metamorph.* :

Centum luminibus cinctum caput Argus habebat,
Inque suis vicibus capiebant bina quietem :
Cætera servabant, atque in statione manebant.

Rector ergo sit Argus, sit centoculus.

Porro censet Prado oculos hosce in rotis, ac consequenter in Cherubinis, non fuisse vivos et humanos, sed symbolicos et quasi pictos, aut cælatos, quales visuntur in cauda pavonis. Verum alii passim veros hic accipiunt oculos, qui videbantur esse vivi : « spiritus enim vitæ erat in rotis. » Et tales habuerunt Cherubini, *Apocal.* IV, 8; unde ibidem, cap. V, 6, Agnus, id est Christus, dicitur similes habere septem oculos, humanos utique et vivos. Dices : Hi oculi cum rotis perpetuo rotatu per terram volvebantur; ergo non erant veri, nec vivi; fuissent enim ad terram allisi et læsi. Respondet Alcazar, *Apoc.* IV, oculos hos non tetigisse terram, sed vel ad latera rotarum fuisse dispositos, vel introrsum in canthis fuisse reconditos, et quasi cancellis inclusos, ut tangi aut lædi nequirent. Et tales oculos Poetæ dant Argo, utpote vigiles et excubantes. Vivos in rotis oculos dixi, non quod vere essent vivi (nec enim rotæ vivebant), sed quod essent vivaces, et similes vivis. Erant enim tales, quales sunt oculi angeli dum corpus assumit : hi enim videntur veri vivique oculi, revera tamen non sunt, quia angelus iis, uti et toti corpori assumpto, assistit tantum, illudque movet et agitat, non autem informat et animat.

19. CUMQUE AMBULARENT ANIMALIA, AMBULABANT PARITER ET ROTÆ, — *q. d.* Rotæ æqualiter ad cursum animalium volvebantur, sive sursum, sive deorsum, ita ut idem semper esset inter rotas et animalia spatium. Ita Maldonatus. Vers. 19.

20. QUOCUMQUE IBAT SPIRITUS (scilicet animalium), ILLUC ET ROTÆ, etc., SEQUENTES EUM. — De animalibus enim dixit vers. 12 : « Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur. » Ita Maldonatus. *Secundo*, Septuaginta vertunt : *Ubicumque erat nubes, illuc spiritus ambulabat, ambulabant animalia, et rotæ.* Per *nubem* accipiunt sedentem in nube, eaque tectum, scilicet Deum, *q. d.* Ad nutum Dei præsidentis agebatur spiritus, id est vis et impetus impellens tam animalia quam rotas. Vers. 20.

21. QUIA SPIRITUS VITÆ ERAT IN ROTIS, — *q. d.* Quocumque animalium spiritus impellebat animalia, eo spiritus rotarum impellebat et rotas. Erat enim unus idemque hic Dei spiritus, æquabiliter, non animans, sed impellens tam rotas quam animalia. Fuit enim quasi spiritus animalis, et halitus vitalis Dei, ab eo rotis aspiratus, per rotas permeans et diffusus, illasque movens et agitans, instar illud Platonis et Virgilii : Vers. 21.

Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, et magno se corpore miscet.

Sensus est : Hoc Dei vehiculum non trahebatur equis, bobus, aut camelis; sed per se currebat, ac si vitam habuisset, animalibus præcedentibus, et rotis subsequentibus per se motis, ex vi et impulsu, quem Deus iis per angelos imprimebat. Hinc Cherubim præeunt, eorumque ductum et motum per omnia sequuntur rotæ.

Symbolice significatur, ait Polychronius, quod cœli, resque omnes et tempora, perinde ac si spiritum et sensum haberent, moveantur a Deo, pareantque Dei præceptis. Rursum, quod cœli ac mundus sint quasi currus Dei præsidentis, sponte currens sub Domino sine equis, sine habenis, sine temone; quodque Deus supervehatur omni-

bus cœlestibus, iisque sine strepitu et rigore dominetur, inquit Apollinaris. *Tertio,* quod Deus per Angelos gyret cœlos, tempora, et creata omnia; eaque suavissime, æque ac fortissime regat et moveat, sicque eis quasi spiritum vitalem, animalem et motivum imprimat. Et hoc est quod ait vers. 19 : « Cum ambularent, » vel elevarentur, « animalia, » id est angeli, « ambulabant pariter et » elevabantur « rotæ, » id est cœli.

22. SIMILITUDO SUPER CAPITA ANIMALIUM FIRMAMENTI, QUASI ASPECTUS CRYSTALLI HORRIBILIS, etc.,— *q. d.* Super capita Cherubinorum vidi firmamentum, id est cœlum sphæricum expansum coloris aerii, diaphanum et splendescens, quasi crystallum, eratque horribile, id est, augustum et eximii splendoris, ideoque admirabile, suspiciendum et venerandum. Erat enim palatium, aut potius suppedaneum Dei sedentis in throno; ideoque ejus divinitatem et majestatem quodammodo repræsentabat. Unde *firmamentum* hoc Syrus vocat *tegmen,* vel tectum; Arabicus Antiochenus *umbraculum;* Arabicus Alexandrinus, *caliginem,* vel obscuritatem. Quocirca verisimile est cœlum hoc illustribus stellis, variis et plurimis fuisse interstinctum. Tale enim est nostrum firmamentum, et tale in hac visione depingit Noster Antonius Fernandius, et alii. Aristoteles, *De Mirab. auscult.,* scribit stagnum esse ambitu suo scutum non excedens, in quod si quis lavandi gratia ingrediatur, in latum extendit; quod si iteret, amplius dilatari. Talis est natura Dei : « Tantum recedit, quantum capitur, » ait Nazianzenus, *orat.* 1. Id repræsentat hic firmamentum horribile, et, ut Arabicus vertit, caligo.

Horrendum, id est stupendum.

Nota : *Horribile,* id est *horrendum,* per metalepsin sumitur pro re mira et stupenda. Ita Nonius Marcellus, lib. *De Proprietate sermonum* : « Horrendum, ait, significat novum et admirabile. » Hinc illud Virgilii, lib. III *Æneid.* :

> Horrendum dictu, video mirabile monstrum.

Et lib. VIII :

> Nascenti cui tres animas Feronia mater,
> Horrendum dictu, dederat.

Secundo, horrendum, id est venerandum. Ita Virgilius de domo Pici, lib. VII *Æneid.* :

> Horrendum sylvis, et relligione parentum.

« Horrendum, id est venerandum, non quod horrori sit, » ait Servius. Et hoc significat Hebræum נורא *nora,* id est terribilis, horribilis. Sic enim Deus sæpe vocatur *nora,* quia metuendus est et colendus. Unde Chaldæus pro *nora* vertit חסין *chasin,* id est fortis : *Quasi aspectus,* inquit, *gelu fortis.* Et Septuaginta subinde pro *nora* vertunt, ἔνδοξον, id est gloriosum. Quia enim cœlum est forte, potens, *gloriosum,* augustum et admirabile Dei habitaculum, hinc venerationem et sacrum quemdam horrorem intuentibus incutit.

Nota *secundo* : Quia rotæ hæ, et animalia videbantur esse in terra; in ea enim visuntur animalia et rotæ; hinc, ne putaremus eorum aurigam, puta Deum, cœlo subesse et tegi, subjicit cœlum supra rotas et supra Cherubim expandi, Deum vero supra cœlum, in suo solio residere, et tam cœlum quam terram pedibus premere, et utrique dominari.

23. PENNÆ (alæ) EORUM RECTÆ (id est extentæ ad eamdem rectitudinem et altitudinem) ALTERIUS AD ALTERUM. — Hebraice אשה אל אחתה *issca el achota,* id est *femina ad sororem suam,* id est unaquæque ad eam quæ sibi vicina erat. Non vult dicere alam unius animalis alæ alterius fuisse conjunctam; sed in eodem animali, alam sinistram ex æquo respondisse dextræ, et dextram sinistræ; easque pari rectitudine et mensura fuisse expansas et elevatas. Vide dicta vers. 11. Ita Maldonatus. Vers. 23.

ALTERUM (id est quodlibet aliorum animalium) SIMILITER VELABATUR — duabus suis alis. Patet ex textu Hebræo, qui habet : *Unicuique duæ* alæ *tegentes illis, unicuique duæ* alæ *tegentes corpora ipsorum.* Sic enim iterant Hebræi verba, cum distributionem universalem significant.

24. AUDIEBAM SONUM ALARUM, QUASI SONUM AQUARUM. (Duplex erat motus Cherubim. *Primo,* volabant quasi aves, cum vi spiritus tollebantur in altum; tuncque alarum concussione mirum, sed confusum excitabant sonum et fragorem, quasi aquarum multarum, dum in mari ad littus, vel in flumine ad saxa alliduntur, et) QUASI SONUM SUBLIMIS (hebraice שדי *saddai,* id est *omnipotentis,* ut vertit Noster cap. x, 5) DEI, — id est, quasi sonum tonitrui. Unde Symmachus et Theodotion vertunt, *quasi tonitru Dei potentis.* Tonitruum enim est vox et sonus Dei *Psalm.* XXVIII, 3 : « Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit : Dominus super aquas multas. » Aut, ut Scholiastes : « Quasi sonum sublimis Dei, » id est quasi sonum tubæ clangentis, quæ erat signum et insigne adventus Dei in castra, *Num.* XXIII, 21. *Secundo,* cum ambulabant Cherubini, edebant sonum et murmur, quasi turbæ multæ, et castrorum; quia quadriga hæc exercitus et castrorum Dei erat hieroglyphicum.

CUMQUE STARENT, DEMITTEBANTUR PENNÆ EORUM, — a motu et concussione, *q. d.* Cum cessarent, tunc non movebant, non concutiebant alas suas; servabant tamen semper eas extentas, et ad volandum paratas, uti dixi vers. 11. Unde Septuaginta vertunt, *cessabant alæ eorum.*

25. CUM FIERET VOX. — Notat celerem angelorum in omnibus ad Dei nutum obedientiam, ait Theodoretus, *q. d.* Cum Deus quasi auriga voce signum daret Cherubinis ut sisterent, statim « submittebant, » hebraice תרפינה *terapena,* id est remittebant, hoc est, cessare et quiescere faciebant alas suas, servando tamen eas extentas, ut dixi vers. præced.

26. SIMILITUDO THRONI. — Est hysterologia, sive

inversus ordo. Verba enim transponenda, et ita ordinanda sunt : *Super firmamentum erat similitudo throni, quasi ex sapphiro* fabricati, id est candoris, pretii et splendoris admirandi. Nam sapphirus, ait Plinius lib. XXXVII, cap. II, aerii est coloris, aureis punctis micans, centroque crystallino. Quocirca sapphirus significat nobilitatem et splendorem divinæ Majestatis nobis inaccessum et invisibilem. Vide de symbolis sapphiri ea quæ dixi *Exodi* XXIV, 10, et cap. XXVIII, 18.

QUASI ASPECTUS HOMINIS, — *q. d.* Visus sum mihi videre hominem, puta regem, in hoc solio. Huc pertinet illud Luciani : « Quid sunt homines? Dii mortales. Quid sunt dii? Homines immortales. » Nota : « Aspectus » toto hoc capite significat colorem vel apparentiam, quæ aspicienti videtur inesse rei a se visæ.

Homines sunt dii mortales.

An Deus in hoc solio steterit, an vero sederit, non exprimit Propheta. Putant aliqui stetisse, *primo*, quia hic est situs bellatoris et triumphatoris, qualis hic inducitur Deus. *Secundo*, quia cap. X, 18, de eo ait Propheta : « Et egressa est gloria Domini a limine templi, et stetit super Cherubim. » *Tertio*, quia sic S. Stephanus vidit Christum stantem, quasi paratum ad præliandum secum contra Judæos, ac probabile est Beatos in cœlo stare, non sedere, uti dixi *Coloss.* III, 1. Verum S. Hieronymus, Antonius Fernandius, *visione* XIII, et alii passim censent et pingunt Deum sedisse, idque *primo*, quia sic Isaias cap. VI, 1, vidit Deum sedentem in solio, uti et Daniel, cap. III, 55, et cap. VII, 9. cum ait : «Antiquus dierum sedit; » et S. Joannes, *Apocal.* IV, 10, eumdem vidit sedentem in throno, circumstantibus iisdem Cherubinis; *secundo*, quia regis et judicis est sedere, non stare : Deus autem hic inducitur ut rex et judex; *tertio*, hoc exigit solium, solium enim est ad sedendum, non ad standum; *quarto*, quia sessio nobis magis indicat Dei majestatem, potentiam et tranquillitatem, nimirum eam ita super omnia creata esse elevatam, efficacem et tranquillam, ut solo verbo et nutu suo vel per se, vel per angelos, efficiat quidquid voluerit, puniendo hos, præmiando illos, ac regendo totum orbem, sicut peritus auriga sedens in curru, placide solo nutu aurigatur, regitque equos et currum. Hinc pulchre pieque S. Bernardus, serm. 23 *in Cant.*: O vere, ait, quietis locus in quo Deus non quasi turbatus ira, nec velut distentus cura percipitur, sed quiescens! Hic ergo vere quiescitur. Tranquillus Deus tranquillat omnia, et quietum aspicere quiescere est. Quocirca Deus in Scriptura vocatur Altissimus, ut significetur Deum in iis quæ in orbe efficit, altitudini suæ nulla ex parte derogare, sed in omnibus, quas humano more assumit, passionibus, suam nihilominus in seipso conservare eminentiam. Hinc *Lucæ* I, 35, Gabriel ait B. Virgini concepturæ Dei Filium : « Virtus Altissimi obumbrabit tibi, » *q. d.* Hæc Dei virtus in te supplebit defectum mariti; sed ita, ut de altitudine sua nihil amittat, de ea non descendat, sed in ea permanens, levi tantum umbra obumbret tibi ad concipiendum Christum. Unde Petrus Chrysologus, serm. 1 *De Incarnatione*, ait Gabrielem missum, ut opus Incarnationis Altissimi virtute quasi suspensum ostenderet. Hac ergo de causa Deus hic eminenti loco considere visus est Ezechieli. In imo enim erat nubes et turbo, in nube erant rotæ cum Cherubim, inter rotas erat arula cum igne, super arulam firmamentum, super firmamentum solium eminens, in solio residebat Altissimus specie humana. Si ergo nubes et ventos transcendit Olympus, estque pacatissimus et serenissimus semper, multo magis id facit Deus.

27. ET VIDI QUASI SPECIEM ELECTRI. — De electro vide dicta vers. 4. Ex Hebræo sic clare vertit Vatablus : *Et vidi velut speciem electri, intra quam speciem*, sive *in cujus speciei medio conspiciebatur tanquam ignis per circuitum a lumbis ejus sursum versus, et a lumbis ejus deorsum versus.* Hæc species, sive imago est illa ipsa, quam vidit vers. 4. Nam firmamentum erat intra nubem : nimirum, hæc imago erat hominis, sive regis, qui videbatur habere totum corpus ex electro accenso, quod interius, sursum et deorsum, et circumquaque ignitum erat; sursum tamen splendidius erat, deorsum calidius, et magis ignitum. Huic expositioni favet Syrus : *Vidi*, inquit, *quasi aspectum Dei, et quasi aspectum ignis intrinsecus per circuitum, ex aspectu lumborum ejus et desuper; et e lumbis ejus, et deorsum, vidi quasi aspectum ignis.* Similis fuit species angeli quem vidit Daniel, cap. X, 5.

Vers. 27.

Dei corpus sursum erat ex electro.

Secundo, S. Gregorius et Maldonatus sic vertunt et explicant : A lumbis sursum electrum, sive electrina imago videbatur; a lumbis vero deorsum videbatur ignis, sive ignea. Volunt ergo ipsi hanc speciem hominis sedentis in solio superne fuisse electrinam, inferne igneam. Hæc sententia videtur verior. Nam cap. VIII, 1, videns et describens eamdem hanc speciem directe ait : « Cecidit ibi super me manus Domini. Et vidi, et ecce similitudo quasi aspectus ignis : ab aspectu lumborum ejus, et deorsum, ignis; et a lumbis ejus, et sursum, quasi aspectus splendoris, ut visio electri. » Quid clarius? Accedit : si tam superne, quam inferne erat species electri igniti, ut vult prior expositio; quorsum distinguit Ezechiel visionem corporis a lumbis sursum, ab ea quæ erat a lumbis deorsum? Huic expositioni favet Arabicus uterque : *Aspectus*, inquit, *ejus* (Dei) *a dorso ejus et supra velut lazuli* (lapis, vel etiam chrysoberyllus), *et a dorso ejus et deorsum velut ignis.* Lapis autem lazuli aureis punctis interpungitur. Itaque species hæc hominis superne videbatur esse aurea, quasi esset ex aurichalco splendenti et radianti : ita tamen, ut intrinsecus haberet ignem inclusum, qui per aurichalcum pellucebat et splendebat; inferius vero femora et tibiæ ejus videbantur esse rotæ igneæ. Itaque, quoad speciem et aspectum, prima expositio cum secunda hac con-

Deorsum ex igne.

sentire, et quasi in idem redire videtur. Sive enim inferior pars vere fuerit ex electro, æque ut superior, sive non; Prophetæ tamen apparebat tota ignea, ita ut ei, non electrum, sed ignis esse videretur. Itaque pars superior splendebat ut aurichalcum, uti dicitur cap. VIII, 2; inferior vero ut ignis, uti hic dicitur.

Ænigma cucurbitæ. Simile fuit ænigma Demetrii Phalerei: « Vidi, inquit, virum πυρίχαλκον, id est *ignæreum*, agglutinantem adeo agglutinanter, ut consanguineus fieret. » Hoc est, vidi hominem qui cucurbitas æreas (talibus enim olim utebantur, teste Celso) corpori admoveret : porro cucurbitam vocat ignæream, quia cum corpori admovetur, in ea stupa accensa introcluditur, ut corpori agglutinetur. Meminit hujus ænigmatis Aristoteles, libro III *Rhetor.*, et Plutarchus, dial. *De sapientibus*. Sic Deus visus hic fuit Prophetæ quasi πυρίχαλκος, id est *ignæreus*.

Vers. 28. Iris circa Deum. 28. VELUT ASPECTUM ARCUS,— *q. d.* Ignis et splendor, qui infra lumbos apparebat, similis erat colori, qui in iride apparet. Nam unus ex coloribus iridis est igneus. Ita Maldonatus.

Secundo et melius, *q. d.* Corpus hoc regis sedentis in solio supra firmamentum, infra lumbos igneum, radios vibrabat in nubem opacam vicinam; et ex radiorum reflexione conflabatur splendida et pulcherrima iris in conspectu solii magnifici. Sic enim naturaliter fit iris ex radiis solis in nube roscida varie receptis et transparentibus. Unde τὸ *splendentis* idem est quod splendorem emittentis, et in nube refringentis. Ita Lyranus. Hic enim est aspectus iridis, scilicet multicolor; non autem solus igneus, ut vult Maldonatus. Nota iridem hanc infra sedentem in solio fuisse, uti infra eum erat et firmamentum; præsertim quia iris hæc producebatur ex igne pedum et femorum, non autem capitis et pectoris ejus. Fuit ergo vel infra, vel ad latus ejus in circuitu. Sic et S. Joannes, *Apoc.* IV, 3, Deum vidit amictum iride : « Et iris, inquit, erat in circuitu sedis, similis visioni smaragdinæ. »

Symbolice. Symbolice, electrum est Christi humanitas præstantissima; ignis, divinitas; iris, gloria miraculorum, doctrinæ et virtutum Christi, uti inferius dicam pluribus.

Idea et synopsis totius visionis cap. I. Hæc ergo est idea visionis, æque ac summa capitis totius. Objecta est phantasiæ Ezechielis species turbinis a vento aquilonari excitati; quem consecuta est atra nubes : in nubis medio splendidus visebatur currus, habens ignitas rotas quatuor, easque vitali spiritu præditas, et altitudinis horrendæ. *Secundo*, rotas circumstabant quatuor animalia, aut potius quatuor juvenes alati, toti flammantes et scintillantes; quorum quisque ante habebat faciem hominis, a dextris faciem leonis, a sinistris faciem bovis, desuper faciem aquilæ. *Tertio*, hi juvenes habebant singuli quatuor alas, binis velabant femora, binis volabant junctis, id est pariter et æqualiter extensis; idque cum tanto fragore, ut castra diceres te audire collatis signis dimicantia, vel mare ad scopulos allisum, aut tonitruum. Habebant et singuli suas manus. Singuli autem stabant a singulis lateribus currus, puta ad singulas rotas, itaque quadrum efficiebant, ac ab omni parte stipabant quadrigam Dei. *Quarto*, super juvenes cœlum visebatur extensum pellucidum, quasi crystallus; cui impositum erat solium regale, in quo sedebat homo, toto corpore splendens et ignitus : habebat enim superne corpus ex electro, id est ex aurichalco interius ignito; inferne tibias plane igneas; idemque iride fulgenti erat circumamictus. *Quinto*, ante hunc hominem, sive regem inter rotas, erat arula vel foculus ignis, de quo vers. 13. Porro spiritus Dei agebat tam Cherubinos quam rotas, et currum directe versus Jerusalem.

Cherubim Ezechielis similes sunt Mosaicis et Salomonicis. Nota *primo* : Hæc visio similis fuit, et repræsentavit Cherubinos, tum tabernaculi Mosis, tum templi Salomonis. Fecit enim Salomon quadrigam Cherubim in templo, I *Paralip.* XXVIII, 18. Hæc enim erat currus et solium gloriæ Dei. Unde et Ezechiel postea hunc eumdem vidit Hierosolymis in templo : ibi enim Deus quasi habitabat, indeque ignis, id est ira ejus, prosiliit ad punienda peccata populi, et maxime sacerdotum, commissa in templo, ut patet cap. X, 2, et cap. XI, 1 et seq.; imo cap. X, 20, diserte ait : « Intellexi quia Cherubim essent, » scilicet templi. Quocirca ita censet Prado : Pro duobus, inquit, Cherubim, quos fecit Moses ad arcam, quæ erat quasi biga Dei, Salomon addidit duos alios, III *Reg.* VI, 23; ita ut jam essent quatuor, itaque ex biga Mosis fecit quasi quadrigam. Deinde arcam cum propitiatorio, quod erat quasi solium Dei, imposuit, ut videtur, plaustro cum rotis; indecens enim erat ut arca humi reperet. Et hoc est quod I *Paralip.* XXVIII, 18, dicitur David reliquisse Salomoni aurum, ut ex eo « fieret similitudo quadrigæ (hebraice מרכבה *mercaba*, id est currus), Cherubim extendentium alas, et velantium arcam fœderis Domini. » Sic et arca a Mose non videtur humi posita fuisse; sed suos habuisse pedes et fulcra, ut ex Hebræo verti potest, *Exodi* XXV, 12. Ubi pro, pones circulos *per quatuor arcæ angulos*, ex Hebræo verti potest, *per quatuor arcæ pedes*, id est globos et sphærulas, quæ erant instar rotarum. Verum prius hoc de quadriga Salomonis ad arcam, non videtur verum. Nam duo Cherubini quos Mosaicis parvis addidit Salomon, erant iis longe majores : ergo non poterant cum iis combinari ut facerent quadrigam : præsertim, quia illi Salomonis aliter erant dispositi quam Mosaici, nimirum uterque consistebat ab uno eodemque latere, ita ut, alis expansis, porrigerent se in longum a latere meridionali Sancti sanctorum, ad oppositum latus septentrionale ejusdem; ita ut unus una ala tangeret parietem meridionalem, alter sua ala tangeret parietem septentrionalem. Cum ergo in eodem ordine consisterent, nec alas jungere et complicare, nec currum aut quadrigam efficere poterant. Itaque

verius est quod ibidem censet Abulensis, scilicet Salomonem jussu Davidis duplices fecisse Cherubinos, unos ad arcam, III *Reg.* VI, de quibus jam dixi; alteros ad altare thymiamatis utrinque dispositos, uti dispositi erant Mosaici ad arcam, ita ut alis binis utrinque expansis et conjunctis facerent quadratum, ideoque vocantur quadriga Dei, I *Paralip.* XXVIII.

Porro caminus ignis, quem vidit Ezechiel in curru inter quatuor animalia, repræsentabat altare thymiamatis sive incensi in templo, et tabernaculo.

Rursum, hosce Cherubinos Ezechielis fuisse similes Salomonicis et Mosaicis, liquet ex eo quod omnes erant alati, vultuque humano. Denique hos æque ac illos fuisse quadruplici facie, colligitur ex eo quod tales vidit Ezechiel, non tantum hic, sed et cap. XLI, 18, in templo illo suo, quod erat simile templo Salomonis, et tabernaculo Mosaico. Ibi enim vidit Cherubim in pariete inter palmas sculptos dimidiata cælatura, non integra: « Duasque facies, inquit, habebat Cherub, faciem hominis juxta palmam ex hac parte; et faciem leonis juxta palmam ex alia parte, » quia nimirum, in dimidiata sculptura (qualem requirit murus et paries) duæ facies aquilæ et vituli ipso muro abscondebantur et tegebantur, ut recte advertit Alcazar loco citato. Quocirca et Mosaicos Cherubim effictos fuisse quadriformi hac facie, verisimile est, uti dixi *Exodi* XXV, 22. Licet Moses facies has, nec quoad numerum, nec quoad formam et figuram descripserit; veritus nimirum ne populus Judæorum ad idololatriam pronus eas deinde effingeret, et quasi idola coleret. Hinc ergo liquet ternos hosce Cherubinos fuisse similes, adeoque hosce Ezechielis expressos esse ad illos Mosis et Salomonis, eosque referre et repræsentare. Hinc consequenter videtur, inquit Prado, quod currus hic Ezechielis non fuerit vacuus, sed continuerit arcam Testamenti adinstar Mosis et Salomonis, quasi scabellum pedum Dei sedentis in solio, quasi in propitiatorio : atque ante arcam videtur fuisse arula sive foculus ignis, quasi altare thymiamatis, quod in tabernaculo et templo erat ante arcam. Verum nulla hic arcæ Testamenti fit mentio. Adde, hæ rotæ vacuæ erant et solæ, uti ostendi vers. 15. Quocirca congruentius dicemus rotas ipsas quatuor, quæ speciem exhibebant quadrati et quadrigæ, formam quamdam dedisse arcæ, quæ pariter quadrangula erat, et quasi quadriga, id est currus Dei. Unde sicut super arcam expansum erat propitiatorium, ita hic super rotas expansum erat firmamentum quasi suppedaneum Dei: sicut ergo firmamentum gerebat typum propitiatorii, ita rotæ referebant arcam. Hinc rotas stipabant et circumstabant Cherubini, sicut iidem stipabant arcam. Rursum, sicut super Cherubim arcæ erant quasi solium Dei, ita hic super Cherubim et firmamentum erat solium Dei ex sapphiro. Differt tamen hæc visio a Cherubinis arcæ, *primo,* quod ad arcam erant duo tantum Cherubini; hic vero ad rotas erant quatuor; *secundo,* quod Cherubini arcæ jungebant alas, iisque junctis efficiebant quasi sedem et solium Dei: hic vero alas non jungebant; sed solium Dei elevatum super illos erat ex sapphiro. Origo ergo et occasio horum Cherubim, currusque Dei, quem vidit Ezechiel, fuerunt Cherubini et arca Mosis : sed in quibusdam ab eo differentes et dissimiles; quia Cherubini et arca Mosis facta fuerunt post victoriam Hebræorum de Ægyptiis, quando illi cum Pharaone mersi sunt in mari Rubro : unde repræsentabant triumphum et currum triumphalem Dei. Hic vero repræsentant currum bellicum Dei : Deus enim hic vectus curru bellico, et Cherubinis stipatus pingitur : quia prodit in aciem, ut debellet impios Judæos aliasque gentes. Ex dictis sequitur hanc Ezechielis visionem simul complecti Cherubinos Mosis ad arcam, et Cherubinos Salomonis ad altare incensi : ambiunt enim Cherubini Ezechielis quadrigam rotarum, uti Mosaici ambiebant arcam. Rursum ambiunt arulam ignis, uti Salomonici ambiebant altare incensi.

Cherubim similes Seraphinis Isaiæ

Secundo, hæc visio Cherubim apud Ezechielem, similis est visioni Seraphim apud Isaiam, cap. VI. Utrique enim erant juvenes alati, igniti, et stipatores solii Dei. Dissimilis fuit tamen in quibusdam. *Primo,* Seraphim Isaiæ alis velabant faciem; Cherubini vero Ezechielis facie erant aperta. Ratio discriminis est, quod Seraphim astabant Deo : unde præ tantæ majestatis reverentia velabant facies. Hi vero Cherubini tendunt ad bellum, et in hostem feruntur, quem videre debebant, ut eum ferire possent : oculos ergo habent apertos et circumlustrantes. Hac de causa, *secundo,* Seraphim Isaiæ habebant sex alas; Cherubim vero Ezechielis tantum quatuor. Nam quod Prado respondet Cherubim habuisse duas manus, quæ supplebant, et erant instar duarum alarum, quas insuper habebant Seraphim, non videtur congrue dici : nam manus non sunt alæ. Rursum etiam Seraphim habebant manus : nam iis acceperunt calculum ignitum de altari, *Isaiæ* VI, 6. Quocirca licet subinde Patres Seraphim cum Cherubim confundant, easdemque figuras Ezechielis et Isaiæ nunc vocent Cherubim, nunc Seraphim, uti facit Cyrillus Hierosolymitanus, *catech.* 9, et Cyrillus Alexandrinus in *Liturgia,* quam ex lingua Ægyptia in Latinam convertit Victorius Hacurensis Maronita, et Clemens Alexandrinus, lib. V *Strom.*, et Tertullianus, lib. II *Contra Marcion.* cap. XXII. Ex quibus, et ex R. Mose Ægyptio, lib. III *More,* cap. XII, Maldonatus et Prado censent Seraphim Isaiæ, et Cherubim Ezechielis non tam chororum distinctorum inter angelos, quam muneris et significationis diversæ esse nomina. Tamen contrarium longe verius est, scilicet Cherubim a Seraphim, et nomine, et significatione, et munere, et choro, et natura, ac specie plane esse distinctos et diversos. Hinc enim S. Dionysius, *Eccles.*

Hierarch., et post eum tota Ecclesia primum ordinem angelorum ponit Seraphim, secundum Cherubim. Nec enim alibi in Scriptura eos est reperire.

Cherubim Ezechielis et Joannis Apocalypsis cap. IV. similes.

Tertio, hæc visio similis, et pene eadem est cum visione S. Joannis, *Apocal.* cap. IV, 7, ubi ait : Vidi quatuor animalia. « Animal primum simile leoni, secundum vitulo, tertium habens faciem quasi hominis, quartum simile aquilæ volanti. » Negat hoc Isidorus Clarius. Sed eamdem esse utrobique visionem communiter asserunt S. Hieronymus, Richardus, Ansbertus, Rupertus, Hugo, Alcazar et alii, quos citat et sequitur Noster Viegas in *Apocal.* IV, sect. XII, in fine capitis. Differunt tamen in nonnullis. *Primo*, S. Joannis animalia erant disparata plane, scilicet homo, leo, bos, aquila ; Ezechielis erat unum quadruplicatum : quodlibet enim habebat speciem hominis, sed faciem quadruplicem, scilicet hominis, leonis, bovis et aquilæ. *Secundo*, animalia S. Joannis habebant alas sex ; Ezechielis quatuor tantum. *Tertio*, illa Joannis plena erant oculis intus et foris ; Ezechielis foris tantum. Ex hisce patet hanc ideam Cherubim, currus et solii Dei, quater in Scriptura iterari. *Primo* enim Cherubinos ad arcam fabricavit Moses, jussu Dei, *Exodi* XXV. *Secundo*, præter Cherubinos arcæ, duos alios majores fabricavit Salomon, III *Reg.* VI, 23, et alios ad altare thymiamatis, I *Paralip.* XXVIII, 18. *Tertio*, quaternos Cherubinos stipantes quadrigam Dei vidit Ezechiel. *Quarto*, eosdem vidit Joannes, *Apocal.* IV, 5. Joannes enim sequitur Ezechielem, qui quaternos vidit; eo quod binos Mosaicos, et binos Salomonicos repræsentarit, unicaque visione sit complexus.

Quarto, eadem similis est visioni Danielis, cap. VII, ubi Deum vidit quasi judicem in throno imposito rotis igneis, circumstantibus millibus angelorum, quos significant hic quatuor Cherubim. Quatuor enim latera sunt omnia, *q. d.* Ab omni latere stipatus erat Deus angelis et Cherubinis.

Quinto, simili modo passim in Scriptura inducitur Deus quasi eques, vel auriga, vectus carruca cœlorum, vel Cherubinorum; diciturque volare, sedere, equitare super Cherubim, *Deuteron.* XXXIII, 26; *Psalm.* XVII, 10, *Psalm.* LXXIX, 2; *Psalm.* XCVIII, 1; IV *Reg.* XIX, 15; *Isaiæ* XXXVII, 16; *Daniel.* III, 55; *Habacuc* III, 8.

Denique hoc æmulati Poetæ finxerunt et pinxerunt Jovem, Apollinem, Mercurium, etc., curru regali et divino equitantes. Quin et Plato, teste S. Justino, orat. *ad Gentes*, ex hoc curru Cherubico Ezechielis, affirmat Jovem volucri in cœlo curru vehi : « Jupiter, inquit, in summo volucrem regit æthere currum. » Hinc Josias, IV *Reg.* XXIII, 11, abstulit e templo equos, quos dederant soli reges Juda, currusque solis combussit.

Hæc de ipso cortice litteræ, et specie ænigmatis; nunc ejus significationem indagemus.

Sex visiones capitis primi.

Sex visiones hoc capite describit Ezechiel. *Primo*, vers. 4, ventum, nubem, turbinem et ignem, id est procellam et tempestatem adducentem currum Dei bellicum et gloriosum. *Secundo*, currum et quadrigam Dei obscure, vers. 4, sed clare, vers. 15, usque ad finem capitis. *Tertio*, ejus stipatores, quatuor Cherubim, a vers. 5 usque ad 15. *Quarto*, speciem rotarum, a vers. 15 usque ad 22. *Quinto*, Dei solium et scabellum; puta, firmamentum ac prævium ignem in arula, a vers. 22 ad 27. *Sexto*, Dei in eo sedentis formam humanam ex electro ignito et coruscante, quam amiciebat iris, vers. 27 usque ad finem capitis.

Quæst. : Quid ventus, turbo, ignis?

QUÆRITUR (ergo) PRIMO, — **quid significent ventus, turbo et ignis?**

Respondeo : Significant potestatem, id est calamitatem grandem imminere Judæis aliisque gentibus ab Aquilone; id est a Chaldæa. Vide dicta *Jerem.* I, 11 et 13. Hoc est, quod *Osee* VIII, 7, minatur : « Ventum seminabunt, et turbinem metent. »

Nubes magna significat ingentem exercitum Nabuchodonosoris; de eo enim dixit Jeremias cap. IV, 13 : « Ecce quasi nubes ascendet, et quasi tempestas currus ejus. » Nubes ergo innuit, *primo*, velocitatem ejus ; *secundo*, impetum, cui nemo resistere possit; *tertio*, quod sicut nubes imbrem, grandinem, fulmina et tonitrua ejaculatur : ita ille ingentes clades et strages sit editurus. Quocirca :

Ignis involvens significat, *primo*, iram et indignationem Dei, quæ jamjam per Chaldæos erat effundenda in Judæos, et alias gentes; *secundo*, bilem et truculentiam Nabuchodonosoris, qui quasi fulmen erat omnia afflaturus et consumpturus; *tertio*, futurum per eum templi et urbis incendium: Vide *Jerem.* IV, 4, et *Thren.* II, 4.

Tempestas hæc tribuitur Deo, quia Deus per Chaldæos eam effecit. Quocirca « splendor in circuitu » symbolum est divinæ majestatis et gloriæ; Deus enim « amictus est lumine sicut vestimento, » *Psalm.* CIII, 2. Dei enim quasi ductu et impulsu venerunt et vicerunt Chaldæi, sine quo nihil efficere potuissent. Ita Maldonatus.

Currus ergo hic Dei tempestate involvitur, venitque ad aquilonem ; quia vehit Deum iratum, et ruentem ad vindictam per gentes aquilonares, id est per Chaldæos, exercendam in Judæos, Idumæos, Moab, Ammon, Tyrios et Ægyptios. Sic Ovidius, lib. II *Metamorph.*, Deum pingit :

> Ille pater, rectorque deum, cui dextra trisulcis
> Ignibus armata est, qui nutu concutit orbem.

Allegorice S. Gregorius, *homil.* 2, hæc refert ad diem judicii, quo Christus veniet in nube fulgida; et quasi turbo ac ignis convolvet reprobos in gehennam.

QUÆRITUR SECUNDO, — quid significet hic currus Cherubim, et quadriga Dei?

Primo, S. Justinus, Quæst. XLIV *ad Orthodoxos*, et Sixtus Senensis, lib. II *Biblioth.*, verbo *sigillorum septem*, respondent quadrigam hanc significare Nabuchodonosorem quadrifacialem, id est quadriformem. Nam faciem habuit hominis, ungues aquilarum, pilos leonis, fœnum ut bos comedit. Conjunguntur in eo animal mansuetum, scilicet homo; et ferum, scilicet leo : rursum grave, scilicet bos; et leve ac volucre, scilicet aquila : ut significetur mutandum et transponendum ejus imperium leoninum et ferum, in mansuetum et lene regnum Cyri, qui gravem Judæorum captivitatem solvat, ut ex ea Judæi quasi aves evolent. Sic et Maldonatus putat hac visione significari, quod post turbinem et tempestatem, id est cladem Judæorum, erit quadriga rotarum, id est magna regum et regnorum, præsertim in Babylone et Chaldæa, rotatio, conversio et mutatio. Verum hic currus est bellicus, atque ad prælium et excidium Judæorum tendit, uti mox patebit; ergo non pacem, nec felicitatem, sed strages advehit. Fateor tamen per hanc quadrigam posse significari quatuor monarchias, ac præsertim eam, quæ fuit Chaldæorum, uti inferius dicam.

Secundo, Origenes censet quadrigam hanc esse quatuor mundi plagas : hæ habent quatuor facies, id est quatuor elementa, aerem, ignem, terram, aquam, ex quibus omnia constant. Rota in medio rotæ est circulus, et continua revolutio quatuor temporum anni, veris, æstatis, autumni et hiemis :

Namque in se sua per vestigia volvitur annus.

Firmamentum est cœlum, cui Deus quasi cuncta regens, insidet.

Tertio, esse quatuor hominis appetitus.

Tertio, idem Origenes et Nazianzenus, *orat.* 47, quæ inscribitur *significatio in Ezechielem*, censent hanc quadrigam significare quatuor microcosmi, id est hominis, facultates. Nam pars rationalis, est homo; irascibilis, leo; concupiscibilis, vitulus; syntheresis, sive conscientia, est aquila : hæc enim oculatissima est et perspicacissima instar aquilæ, ac secreta et intima mentis perspicit, pungit et mordet. Aut quatuor passiones, quas Virgilius brevi hoc versu complexus est :

Hinc metuunt, cupiuntque; dolent, gaudentque....

Has regit et frenat Deus. Audi Nazianzenum totam hanc visionem breviter et punctim explicantem : « Existimamus per hominem vim rationalem intelligi, per leonem irascibilem, per vitulum concupiscibilem, per aquilam conscientiam reliquis incumbentem, quæ a Paulo spiritus hominis dicitur. Per eum qui insidet, Patrem : per spiritum, Spiritum Sanctum; per nubem, Filium, ab aquilone, id est a puerili institutione, ad excellentiora progredientem. Jam splendor dicitur, quia homo illuminatur; ignis, propter correptionem; fulgurans, quia per intervalla pœnæ infliguntur; electrum, animæ a vitiis repurgatæ statum significat. Illud autem notandum, hominis similitudinem præcedere. Porro natura omnis rationis particeps spiritualibus pennis instructa est. Mutuo autem se constringunt propter societatem et concordiam. Manus vero hominis sub pennis propter ordinis rationem et disciplinam. Firmamentum additur propter soliditatem ac firmitatem; iris autem, propter pacem et fœdus a Deo nobiscum initum. Sapphirus autem arcana designat; crystallus puritatem animique affectionem ab omni fraude alienam. » Persequitur Nazianzenus significationem pedum, rotarum, spiritus, splendoris et ignis, etc., aitque : « Ad hæc recti pedes dicuntur, propter incedendi facultatem et constantiam. Ignis in medio convolutus, non autem segnis ac remissus, et diffluens. Splendor autem, propter quietis finem. Jam pedum vestigium, ut quidem Symmachus reddidit, vituli propter agriculturæ laborem; ut autem Aquila exposuit, rotundum, quia figura ea omnes pulchritudine vincit. Præterea forma rotarum, ut explicat Symmachus, hyacinthina. Revertebantur autem instar formæ Bezec, velut iter ægre facientes, quoniam totam lucem non habent; sed instar formæ Bezec, id est fulguris. Ac siquidem omnibus suis numeris partibusque absolvatur hominis similitudo, aliis hominibus dominatur; sin secus, contrarium contingit. Jam vero leo aliquid habet, alacritatem nempe et acrimoniam, ut eo recte commodeque utamur. Accedit vitulus, ut recte atque honeste concupiscamus. Ait Isaias : Sanctificabis eum in igne ardenti. A lumbis, et supra electrum; superiores etenim partes coerceri nihil necesse est. A lumbis et inferioribus partibus ignis æstuat, nimirum gignendi actiones; atque hæc coercitione et castigatione opus habent. Cæterum spiritus primo extollit, dum purgat; ac deinde eos, qui ab hoc purgati non fuerint, ignis purgat. Tum splendor faustum ac jucundum finem significat. Hujusmodi enim sunt supplicia, in quibus inferendis id unum sibi summus rerum opifex proponit, ut subjacentem materiam arbitratu suo, atque ut per artem licet, fabricetur, velut Deus bonus et sapiens. »

Quarto, Apollinaris et Polychronius in *Catena* volunt hanc quadrigam Cherubim esse angelicos Dei exercitus, scilicet Principatus, Potestates, Virtutes, Dominationes, quibus orbem, quasi currum ipse regit. Habent quatuor facies; quia hi angeli præsident homini, id est omni rationali creaturæ, et leoni, id est agrestibus; et vitulo, id est mansuetis; et aquilæ, id est volucribus, quia omnes creaturas faciunt servire Deo. Ad nutum etiam eorum et motum moventur rotæ, id est orbes cœlestes, et totus orbis. Hoc satis appositum est, ut mox ostendam.

Quinto, Lyranus vult quadrigam esse quatuor

Quinto, esse quatuor monarchias.

monarchias. Verum cum Deus hic armatus inducatur, non tantum contra Judæos, sed etiam contra hæc Chaldæorum et gentium aliarum regna, non videntur ipsa congrue apponi ad vehendam quadrigam Dei. Potest tamen hæc sententia commode accipi, apteque exponi, uti inferius ostendam.

Sexto, Hebræi, et ex parte Catina Syrus apud S. Hieronymum : Quadriga, inquiunt, est quadratura castrorum Israel incedentium per desertum in terram promissam, designata ab angelo duce itineris. Nam in medio eorum erat arca, et Cherubim, quasi currus et thronus Dei. Ad Orientem erat acies sive tribus Juda, Issachar et Zabulon, habens effigiem leonis pro insigni et vexillo, eo quod *Genes.* XLIX, 9, Judas vocatur catulus leonis. Ad austrum erat tribus Ruben, Simeon et Gad, habens insigne hominis, id est caput humanum cum mandragoris, quas ad matrem attulerat Ruben; vel potius, quia Ruben erat primogenitus, et familiæ caput. *Tertio*, ad Occidentem erat tribus Ephraim, Manasses et Benjamin, habens effigiem bovis, quia parens Joseph comparatus fuit bovi, *Deut.* XXXIII, 17. *Quarto*, ad aquilonem erat Dan, Aser et Nephthali, habens insigne aquilæ, ut tradunt Hebræi, et ex eis Andreas Masius in cap. IX *Josue* 9. Aquila enim a duce hujus legionis electa est; quia inimica serpenti, cui Jacob Dan comparaverat, *Genes.* XLIX, 17; horruit enim Dan præferre serpentem pro insigni. Vel potius, ut opinatur Noster Prado, pingebatur aquila, quæ unguibus arreptum gestaret colubrum vel draconem, quod erat Lacedæmoniorum stemma : unde ipsi hoc signo et symbolo obsignarunt litteras, quas ad Judæos quasi ad consanguineos suos miserunt, teste Josepho, lib. XII *Antiq.* cap. V. Ita Hebræi. Vide de hisce castris et insignibus dicta *Numer.* II, 2, *Quæst.* II. Verum Catina per hominem, totum Israel; per vitulum, Levi; per aquilam, Nabuchodonosorem vindicem accipit. Sed non recte : quid enim Nabuchodonosori cum templo, et populo sancto, ac Cherubinis ?

Porro rota in medio rotæ, est quatuor harum legionum consensio, charitas et consanguinitas. Adhæc omnes quatuor sequuntur ductum et impetum spiritus, puta columnam ignis et nubis eos deducentem, protegentem et illuminantem in deserto. Non revertebantur in Ægyptum, sed continuo gressu in Chanaan festinabant.

Huc pertinet expositio Theodoreti, quæ talis est : Leo, inquit, est regnum, vitulus sacerdotium, aquila prophetia homini data a Deo, ut Deum colat, eique serviat et obediat. Sed homo hic est objectum vel subjectum, non donum, uti sunt tria reliqua animalia.

Septimo, a Castro in cap. IX *Jeremiæ*, num. 11, censet quadriforme hoc animal significare rempublicam Judaicam Deo resistentem, eo quod in his quatuor confideret, in sua velocitate, instar aquilæ; in sua fortitudine, instar leonis; in sua abundantia et opulentia, instar bovis; denique in hominis consilio et sapientia. Sed Deum hoc animal suo spiritu agitare, quantumvis pertinax, quocumque voluerit; nec illud ulla vi et industria se ab eo liberare posse, quin rotarum velocitate, ad nutum Dei spiritui obedientium ducatur in Chaldæam. Verum obstat quod Cherubim hic Deo non resistunt, quin potius ad motum eorum movetur currus Dei.

Octavo, Irenæus, lib. III, cap. XI, accipit quatuor fœdera Dei : *primum*, initum cum Adamo; *secundum*, cum Noe; *tertium*, cum Mose; *quartum*, cum Apostolis.

Nono, S. Hieronymus per hæc quatuor accipit omnes creaturas, tam cœlestes quam terrestres, infernas et supercœlestes, quæ Deum laudant.

Nota, quatuor animalia hujus quadrigæ esse Cherubim, ut explicat Ezechiel, cap. X, 20.

Dico ergo hunc currum Cherubim esse symbolum gloriæ Dei, ut dicitur cap. XXI, id est *primo*, essentiæ et beatitudinis : providentiæ item, potestatis, et regni Dei, quo Deus, quasi auriga, pro voluntate omnia regit : astant quasi stipatores et administri cum summa reverentia, obedientia, celeritate Cherubim, id est angeli quatuor, hoc est, a quolibet latere, sive undique. Ita Polychronius, Theodoretus, Origenes, Apollinaris, Severus. Solet enim fortuna uni insistens rotæ depingi, ut ejus mobilitas et inconstantia significetur : Dei vero providentia fortunæ contraria recte pingitur insidens quadrigæ, ut ejus constantia et æquabilitas declaretur. Quatuor rotæ, quatuor animalia, et quatuor utrorumque facies significant providentiam in omnes mundi partes æqualiter, firmiter et constanter pervadentem. Alæ extensæ notant ejus celeritatem : quæ vero corpus tegunt, indicant multa nos in Dei providentia latere : multa esse quæ Dei consilio fiant, quæ, quia causas ignoramus, casu fieri videntur. Splendor ejusdem providentiæ splendorem repræsentat, qui in rerum omnium temperatione, ordine, modo et administratione relucet. Hinc ejus stipatores sunt non Seraphim, sed Cherubim, qui a scientia et sapientia nomen habent. Sapientia enim in providentia et regimine primas tenet, ut dixi *Exodi* XXV, 22. Sic et primas tenet in castris et bellis, quæ significat quoque hic currus, ut mox dicam. Nam, ut ait Vegetius : « Dux belli sit callidior, quam fortior. » Hoc est, quod ait Horatius, lib. I, *epist.* 1 :

Respondeo, primo, currus designat providentiam Dei.

> Ad summum, sapiens uno minor est Jove; dives,
> Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum.

Porro Dei providentia habet quatuor facies; quia fortis est, ut leo; velox et penetrans, ut aquila; suavis et amabilis, ut homo; longanimis et patiens, ut bos. Rota in medio rotæ significat connexionem causarum et rerum omnium inter se, qua Deus eas jugi et continua serie instar rotæ innectit et connectit : unde ejus symbolum apud veteres erat catena, puta annuli annulis consequen-

ter semper inserti et innexi, hac inscriptione : *Arcanis nobis.* Hinc eam Gentiles vocavere fatum. « Fatum enim est inhærens rebus mobilibus dispositio immobilis, per quam divina providentia suis quæque nectit ordinibus, » ait Boetius lib. IV *Consol.* prosa 61. Et Cicero, lib. I *De Divinat.* : « Fieri, ait, omnia a fato, ratio cogit fateri. Fatum autem id appello, quod Græci εἱμαρμένην, id est ordinem seriemque causarum, cum causa causæ nexa, rem ex se gignat : ea est ex omni æternitate fluens veritas sempiterna. Quod cum ita sit, nihil est factum quod non futurum fuerit; eodemque modo nihil est futurum, cujus non causas idipsum efficientes natura contineat. Ex quo intelligitur, ut fatum sit, non id quod superstitiose, sed id quod physice dicitur causa æterna rerum, cur et ea quæ præterierunt, facta sint; et quæ instant, fiant; et quæ sequuntur, futura sint.» Verum, quia Stoici fatum hoc homini, æque ac aliis rebus creatis, necessitatem inferre censebant, hinc fati nomen repudiarunt christiani. Unde S. Augustinus, tract. 37 *in Joan.*, dicentibus Christum fuisse sub fato, et fato sua fecisse, respondet : « Si cor tuum non esset fatuum, non crederes fatum. Si fatum a *fando* dictum est, id est a loquendo, Verbum Dei, quomodo habet fatum, quando in ipso Verbo omnia sunt quæ condita sunt? »

Hinc consequenter symbolice, currus hic est cœlum, et universum cui Deus præsidet. Rotæ sunt cœli, et orbes cœlestes. Rota in medio rotæ, sunt orbes inferiores, medii inter cœlum et terram. Item coluri (horum enim speciem habebant hæ rotæ, ut patet ex dictis vers. 16), zodiacus, horizon, æquinoctialis aliique circuli cœlestes. Item globus terræ et maris, qui rotarum harum est quasi centrum; sicut enim rota hæc conflatur ex duabus, estque sphæra, ita globus terræ conflatur ex duobus, scilicet ex globo terræ et ex globo maris; et sicut rota rotam, ita mare terram intersecat. Hinc et rotæ habebant speciem maris. Atque ita quatuor elementa hic repræsentantur, scilicet aqua et terra in rota duplici : ignis in arula et igne qui erat inter rotas : aer in aere ambiente ignem et rotas. Rursum, rotæ habebant speciem et colorem maris, ut significetur mira Dei providentia, qua non tantum in cœlis variant solis, lunæ, cœlorum et siderum motus et vices, sed et sublunaria omnia generationi et corruptioni, ac perpetuæ mutationi et vicissitudini (instar maris æstuantis et reciprocantis, obnoxia; ita ut stata lege, tempore et modo has mutationes et vices subeant, in iisque perennent. Vere enim dixit S. Gregorius et S. Bernardus, quod « mundus hic sublunaris sit stabilis quædam instabilitas, ac constans quædam inconstantia, et inconstans constantia : » qua in re elucet magna Dei gubernatoris potentia, æque ac providentia. Oculi sunt stellæ. Prunarium, sunt fulgura et tonitrua. Cherubim sunt angeli, qui eis præsunt et movent. Rursum quadriga hæc habens facies quatuor animalium, hoc ipso repræsentat mundum sublunarem, qui ex quatuor elementis constat. Leo enim significat ignem, bos terram, homo aerem, aquila aquam : ex aqua enim Deus creavit aves. Ita Aretas in *Apocal.* IV. Quocirca vere Tertullianus, vel potius Novatianus, lib. *De Trinitat.* cap. VIII, de mundo loquens : « Hic est, inquit, currus Dei decies millies multiplicatus (*Psalm.* LXVII), id est innumerus, infinitus, immensus. Sub jugo enim naturalis legis omnibus datæ, alia quasi frenis revocata retrahuntur, alia quasi effusis habenis excitata impelluntur. Mundum enim istum, currum Dei, cum omnibus et ipsi angeli ducunt et astra, quorum varios licet meatus, certis tamen legibus vinctos inspicimus ad metas definiti sibi temporis ducere. » Quin et Plato in *Phædro* : « Magnus, ait, dux in cœlo Jupiter citans alatum currum, primus incedit exornans cuncta, provideque disponens. Hunc sequitur deorum dæmonumque exercitus per undecim partes ordinatus; permanet autem Vesta in deorum æde sola. » Magni ducis nomine Deus significatur, quasi auriga et anima mundi : quem sequitur deorum dæmonumque exercitus, hoc est, undecim sphærarum animæ, sive intelligentiæ motrices undecim cœlorum, quas plurimi angeli sequuntur, earum mandata perficientes. Vesta centrum universi terramque designat, circa quod immobile, et suo in loco perpetuo consistens, sphæræ omnes rotantur et volvuntur. Sic et Orpheus hymno in Apollinem :

> Sunt tibi totius confinia mundi,
> Et curæ tibi rerum finis, principiumque,
> Tu cithara totum dulci moderaris Olympum,
> Per te cuncta virent.

Modus ascendendi ad Deum.

Hinc, ut docte docet S. Basilius, homil. *De Fide*, ratio et via ascendendi ad Deum, eumque cognoscendi est, mentem sursum erigere, et transcendere omnia creata. Audi S. Basilium : « Tu autem si aliquid de Deo dicere aut audire cupis, mitte corpus una cum sensibus corporeis; relinque terram, mare, et aerem sub tuis ponito pedibus; transi contemplatione temporum pulchre distinctas ordinationes; supra æthera mentis oculos attolle; siderum cursus mirandamque naturam præteri, ordinem, magnitudinem, quantos omnibus usus præbeant, splendorem, motum, collocationem, ut inter se jungantur et distent, mirabili quadam ac perpetua ratione; omnia mente sublimior factus despice.» Pergit ulterius : «Deinde supra cœlum ascende, et animo pulcherrima, quæ ibi adsunt, contemplare, cœlestes exercitus, Angelorum choros, præsulatus Archangelorum, gloriam Dominationum, sedes Thronorum, Virtutes, Principatus, Potestates, singula percurrendo creata; mentem amore divino incensus altius illis attolle, ac omnium conditricem naturam divinam intuere stabilem, immobilem, nihil in se alienum retinentem, simplicem, impassibilem, indivisibi-

lem, incompositam, lucem inhabitantem, inaccessibilem, potentiam ineffabilem, magnitudinem incircumscriptam, gloriam supermicantem, bonitatem desiderabilem, pulchritudinem inenarrabilem, quæ anima vehementer consternata contingi quidem, sermone autem nequaquam explicari possunt. Ibi namque Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus sunt increata natura, Dominica majestas, naturalis bonitas. »

Secundo, currus notat bellum et victoriam Dei, quam?

Secundo, ad litteram hic est currus gloriæ, id est belli, victoriæ et triumphi, quem Deus egit de hostibus, maxime Pharaone et Ægyptiis. Triumphus enim olim umbra erat regni, et quasi regnum temporarium. Hoc enim curru quasi processit Deus in aciem contra Pharaonem. *Habacuc*, cap. III, 8 : « Qui ascendes super equos tuos, et quadrigæ tuæ salvatio; » *Psalm.* LXVII, 18 : « Currus Dei decem millibus multiplex; » *Psalm.* LXXVI, 19 : « Vox tonitrui tui in rota : » eoque currus Pharaonis subvertit, *Exodi* XV, 3 et 4. Unde post hanc victoriam mox hunc currum Cherubim Mosi in Sina ostendit, *Exodi* XXV, 22 et 40; eumque fabricari, et in tabernaculo poni jussit in perpetuum monumentum, tum victoriæ et liberationis Hebræorum ex Ægypto; tum per illam parti regni et populi, id est institutæ Ecclesiæ; quod scilicet in Sina Hebræos a se ex Ægypto redemptos sibi in populum, Ecclesiam et regnum adoptaverit. Unde consequenter currus hic significat Synagogam, sive Hebræos, qui erant regnum Dei. Est ergo hic triumphus Dei redemptoris. Sicut enim in triumphis, ait Apollinaris, eburnea sella curru imposita Imperatores vehebantur, stabant hastati circumcirca, præcedebant subjectæ nationes, trophæa cum armis victoriæ ostentabantur : ita hic Deus solio vehitur, stipant angeli, insignia victoriæ gestant tum angeli, tum rotæ; scilicet vitulum, qui significat sacrificium, cujus immolatione liberati sunt Hebræi, *Exodi* cap. XII, 7. Homo significat immolantes Hebræos. Aquila symbolum est agilitatis, æternitatis (diutissime enim vivit), et sublimis spiritus, id est Angeli percutientis Ægyptum. Leo princeps ferarum significat Deum, fortitudine hic sua quasi regem sævientem in Ægyptios. Hæc ergo insignia et trophæa præfert currui suo triumphali Deus, quasi redemptor Israelis, et triumphator Ægyptius, eaque perpetuo voluit exstare in arca Cherubim et curru hoc. Unde ea stemmata vocat gloriam suam. Tunc etiam assumpsit nomen redemptoris Israel : quo nomine Deus ab Isaia, cap. LXIII, 13, et passim alibi a Prophetis vocatur. Imo tunc proprium et creaturis incommunicabile nomen *Jehova* sibi indidit, *Exodi* III, 14, et VI, 3. Sicut P. Scipio dictus est Africanus a devicta Africa, et frater ejus L. Scipio dictus Asiaticus, a devicta Asia. Vide dicta *Exod.* XXV.

Currus hic fuit Dei bellantis, et

Vidit ergo Ezechiel Deum iratum Hebræis, quasi curru suo bellico ignito vectum, ut Hebræos puniat et proterat, uti olim protrivit Ægyptios. Id ita esse patet, *primo*, ex eo quod currus hic Cherubim fuerit adinstar, imo idem cum Cherubim Mosis, cap. XXV, 22. Illi autem fuerunt symbolum belli et victoriæ Dei de Pharaone aliisque hostibus, uti ibi ostendi; ergo et hic fuit currus belli et vindictæ Dei.

Secundo, quia mox post hunc currum Ezechiel, cap. II, 1 et sequent., et cap. X, 2, vidit et audivit Deum, ex hoc suo curru et solio increpantem Judæos, eisque excidium per Chaldæos minitantem. Ergo currus hic fuit militaris vindictæ et excidii. Unde vers. 24 : « Cum ambularent, inquit, quasi sonus erat multitudinis, ut sonus castrorum. »

Tertio, quia idcirco currus hic venit involutus igne, nube, turbine et procella, idque ab aquilone, cap. I, 4, ut significet se procellam, id est cladem et stragem, Judæis advehere a Chaldæa, quæ aquilonaris est Judææ.

Quarto, quia hunc currum vidit Ezechiel anno 3 transmigrationis Joachin, ut patet vers. 1, qui fuit annus 5 Sedeciæ, et 6 ante excidium Hierosolymæ. Ergo imminens hoc excidium curru isto portendi cognovit. Cum enim a Deo designatus esset Propheta Judæorum, utique imminentes eis post sex annos clades extremas prævidere et prædicere debuit : sicut eodem tempore Jeremias, Sophonias, Habacuc, Nahum easdem prævideruntet prædixerunt. Unde et Jeremias vidit eas venire ab aquilone, cap. I, 14, æque ut Ezechiel hic. Idem ergo hic Ezechiel, quod Jeremias, cap. I, vaticinatur.

Quinto, quia hæc visio ab Ezechiele toti ejus prophetiæ quasi titulus et prologus proponitur. Tota autem ejus prophetia est de excidio Jerusalem et aliarum gentium, eis inferendo a Chaldæis. Ergo eodem spectat hæc visio, et hic currus, ut scilicet excidium hoc referat et repræsentet quasi in synopsi, et in ænigmate quod deinceps toto libro explicat Ezechiel. Atque hoc est quod Ezechiel mox cap. II, 9, vidit sibi dari librum involutum, in quo scriptæ erant lamentationes, carmen et væ.

Denique id clare docet Ezechiel cap. XLIII, 3, dicens : « Et vidi visionem (currus Cherubim) secundum speciem quam videram juxta fluvium Chobar, quando venit ut disperderet civitatem. » Ita censent Chaldæus hic vers. 8, S. Hieronymus, Prado, Alcazar in *Apocal.* cap. IV. Nam, ut tradit S. Hieronymus in *Prologo* hic, et ex eo Lyranus, Judæi, qui cum Joachin dediderant se Chaldæis, et ab eis ducti fuerant in Babylonem, paulo post pœnitere cœperunt de sua deditione, eo quod viderent Jerusalem in suo statu consistere, quam ipsi putabant mox evertendam, eo quod id prædixisset Jeremias cap. XXIV, ubi et addit pejorem fore sortem Sedeciæ et remanentium Hierosolymæ, quam transmigrantium in Babylonem. Cum ergo ipsi per quinque annos contrarium vidissent et experti essent, ideoque dolerent, et facti pœni-

terent; Deus anno quinto dedit Ezechieli spiritum prophetiæ, qui consolaretur captivos, et confirmaret oraculum Jeremiæ, nimirum post paucos annos evertendam Jerusalem, atque tum melius fore iis qui transmigraverant in Babylonem, quam iis qui remanserant Hierosolymæ.

Currus ergo hic symbolice datur Deo, ut significet ejus potentiam, impetum, et quasi pugnam bellicam, qua Judæos aliosque hostes proterit, cædit et punit.

Porro cum eos puniat Deus tum per angelos, tum per homines : hinc consequenter *primo*, S. Dionysius, *Cœlest. Hierarch.* cap. XV, Theodoretus, Alcazar et alii censent hunc currum et rotas esse angelos. Hisce enim vehitur, pugnat et vincit Deus. Unde de eis dicitur *Psalm.* LXVII, 18 : « Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium; Dominus in eis, in Sina in sancto. » Angeli hi vocantur currus, quia olim reges e curribus dimicabant. Hinc et strepitus stridorque alarum Cherubim non aliud significat, quam vastitatem illam perfidæ Hierosolymæ cœlesti bello divinitus per angelos inferendam. Quatuor ergo Cherubim sunt superiores angeli, quasi duces cæterorum angelorum Dei militum : currus et rotæ sunt inferiores angeli. Hinc rotæ plenæ sunt oculis; quia hi angeli ad animarum custodiam sunt destinati, inquit Alcazar. Unde consequenter :

Tertio, currus hic sive quadriga, adumbrabat quatuor monarchias, inquiunt Lyranus, Maldonatus, S. Justinus, Sixtus Senensis et alii, puta Chaldæorum, Persarum, Græcorum et Romanorum; et consequenter Ægyptiorum, Tyriorum, Gog et Magog, de quibus fuse agit Ezechiel, aliorumque omnium regum et regnorum mundi. Totus enim mundus est quasi currus, quem moderatur auriga Deus, uti superius dixi, *q. d.* Deus est, qui quasi Rex regum omnibus regibus et regnis præsidet, ea confert, mutat, transfert, exscindit prout vult : quasi currus enim et rotæ ei subjacent, ut mox rotentur et volvantur eo quo ipse iusserit. Deus etiam est, qui regnis et monarchiis, quasi curru et castris suis utitur ad debellandum suos hostes, ad evertendos reges et regna impia, uti hic usus est monarchia Chaldæorum et Nabuchodonosore ad debellandos Judæos aliasque gentes. Id ita esse colligitur ex eo quod cap. XXVIII, 14, regem Tyri appellat Cherub : « Tu, Cherub extentus et protegens, » etc. Ergo pariter Chaldæi aliique reges sunt Cherubim, et currus ac castra Dei. Hi reges habent quatuor facies, tum quia participant a Deo fortitudinem leonis, beneficentiam vituli, æquitatem et judicium hominis, perspicacitatem et celeritatem aquilæ; tum quia aliquando regunt ut homines, scilicet moderate et pacifice; aliquando ut leones, dum vicinas gentes trucidant; aliquando ut boves, dum eas conculcant; aliquando ut aquilæ, dum eas diripiunt, spoliant, et in captivitatem ducunt. Hinc Nabuchodonosor sæpe vocatur aquila et leo, atque in bovis speciem tandem commutatus herbam quasi bos comedit, *Daniel.* cap. IV, 30. Simili modo virga vigilans, quam vidit Jeremias cap. I, significabat *primo*, sceptrum et regnum Dei; *secundo*, sceptrum Nabuchodonosoris : per hunc enim quasi per virgam Deus flagellavit Judæos. Monarchia ergo ejus et Chaldæorum hoc curru repræsentatur, unde in eo præsidet Deus. Hinc et vox quam Ezechiel supra firmamentum audivit, erat imperium Dei, quo omnia regna gubernat, dilatat, promovet, atque quocumque vult transfert, prout hic jubebat Judæam, gentesque vicinas everti per Chaldæos. Hoc est quod ait Job cap. XII, 18 : « Balteum regum dissolvit, et præcingit fune renes eorum, » et *Eccli.* X, 8 : « Regnum a gente in gentem transfertur propter injustitias, » etc.; et Daniel, cap. IV, 14, dixit huic nostro Nabuchodonosori : « Dominatur Excelsus in regnum hominum; et cuicumque voluerit, dabit illud, et humillimum hominem constituet super eum. » Hoc est quod de curru, id est regnis; et Cherubim, id est regibus, dicit Ezechiel : « Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur, » *q. d.* Eunt quocumque Deus eos impellit, uti hic iverunt Chaldæi impulsi a Deo ad excidium Judæorum aliarumque gentium : perinde ac postea Persæ in Chaldæorum, Græci in Persarum, Romani in Græcorum excidium Deo impellente perrexerunt, eo sensu quem dedi *Canon.* XXXIII et XXXVI. Ignis, qui in medio erat animaliuin, indicabat spiritum igneum Dei in regibus, regnisque omnibus residere, ut eos huc illuc agat et propellat instar animæ. Unde ait : « Spiritus vitæ erat in rotis. Cor enim regis in manu Domini; quocumque voluerit, inclinabit illud. Non revertebantur cum incederent, » quia Dei voluntati nullo modo resistebant, nec resistere poterant. Ibant et revertebantur instar fulguris; quia brevi tempore regna auferuntur (unde Apelles pinxit Alexandrum quasi fulgur, quia subito omnia pervasit, et mox disparuit ut fulgur), et eidem cui ablata fuerunt restituuntur, uti contigit nostro Nabuchodonosori, *Daniel,* IV, 33. Sonus alarum indicabat nunquam regna sine magno strepitu converti. Cherubim præeunt currum, qui eos quaquaversum sequitur; quia reges sua regna secum sive in salutem, sive in interitum trahunt. Oculi rotarum sunt consiliarii regnorum, aut Dei providentia per omnia regna diffusa, qua, sicut corpus oculis, gubernantur. Color rotarum crystallinus, id est cœlestis, indicium erat regna cœlitus a Deo dari. Terribilis rotarum magnitudo, terribilem regnorum magnitudinem declarabat. Ita Maldonatus.

Allegorice, currus hic est symbolum belli et triumphi filii hominis, id est Christi, de Satana, peccato, morte, *Hebr.* I, 2; unde ait Christus : « Data est mihi omnis potestas in cœlo, et in

Allegorice, currus hic est Evangelii et Ecclesiæ.

terra. Ite, docete omnes gentes, » *q. d.* Agite currum Evangelii et gloriæ meæ; vos, o Apostoli, quos binos mitto, quasi bigam, vel binas rotas ad prædicandum regnum Dei per omnes mundi plagas, ut omnes agnoscant Deum currus præsidem, et quem is misit Jesum Christum. Hinc consequenter currus hic migrans e templo Hierosolymitano, cap. III, 12, et cap. X, 18, significat gloriam et Ecclesiam Dei transmigrantem e templo et Judæa ad gentes. Currus ergo est Ecclesia a Christo rege, quasi auriga gubernata, *Cant.* I, 8: « Equitatui meo, » id est quadrigæ vel carrucæ, «assimilavi te. » Hæc dicitur regnum cœlorum et cœlum. *Primo,* quia de cœlo descendit ejus institutum. *Secundo,* quia in cœlis versatur fide, spe, et cœlesti conversatione. *Tertio,* quia regem habet Christum, qui est Rex cœlorum. *Quarto*, quia ad cœlum nos ducit. Quatuor rotæ sunt Apostoli, et Evangelistæ, Pastores ac Doctores. Dicuntur rotæ, quia terram vix extremis digitis pedum tangunt, ait S. Hieronymus. *Secundo*, veloci impetu et efficaci, quasi fulgura feruntur ad ulteriora, quæ retro sunt obliviscentes, et in altum assurgunt semper, id est in cœlum arduum iter, hoc est perfectam viam et vitam, moliuntur. Ita S. Gregorius *hom.* 3. *Tertio*, currum Evangelii et Ecclesiæ agunt, et propagant per totum orbem. Rota in rota significat mutuum eorum et fidelium amorem inter se, et cum capite Christo. Pleni sunt oculis, quia sunt vigilantissimi.

Anagogice, currus hic significat triumphum Beatorum, et Ecclesiam triumphantem. Ita Elias triumphans curru igneo raptus est in cœlum; cui proinde acclamabat Elisæus : « Pater mi, currus Israel, et auriga ejus, » IV *Reg.* II, 12.

QUÆRITUR TERTIO, — quid sint quatuor Cherubim?

Respondeo cum S. Dionysio, cap. XV *Cœlest. Hier.*, Theodoreto, Polychronio, Alcazar, loco citato, esse angelos principes Deo adstantes. Dicuntur Cherubim a scientia et sapientia, qua Deo in mundi gubernatione deserviunt, a radice נכר et רב *nachar* et *rab*, id est *scivit multum*, vel potius per metathesin Cherubim quasi רכובים *recubim*, id est currus, quia stipant currum Dei. Unde Deus dicitur sedere et equitare super Cherubim. Potest etiam deduci per metathesin a כביר *cabbir*, id est multiplex, scilicet scientia, robore, forma ac figura. Habebant enim quatuor facies. Vide dicta *Exod.* XXV, 22, Quæst. V. Porro Cherubim pinguntur quasi juvenes alati et imberbes, ut significetur, ait S. Dionysius eorum perennis vigor, immortalitas et æternitas. Ita Gentiles Apollinem, per quem Deum intelligebant, pingebant quasi puerum impuberem, ut hac ratione perpetuam illi adolescentiam ascriberent. Æsculapium vero ejus filium, per quem res naturales a Deo creatas significabant, pingebant barbatum, et senectute quasi fatiscentem; ut significarent Deum esse immortalem, res vero naturales et creatas mortalitate esse damnatas, ideoque sensim senescere et deficere.

Dices: Cur hic dicuntur esse quator angeli principes Deo abstantes, cum *Tobiæ* XII, 15, dicuntur esse septem?

Respondeo: Septem dicuntur, i. e. omnes, quia septenarius, ob revolutionem septem dierum hebdomadæ, competit cœlestibus, significatque universitatem et perfectionem. Vide Serarium, *Tob.* XII, 15. In curru vero sunt quatuor, quia currus est quadriga, i. e. quadratus; ita ut in quolibet latere, id est undique, angeli stipent currum Dei.

Secundo, curæ sublunarium competit quaternarius; quia sublunaria constant quatuor elementis, et e quatuor mundi plagis fideles in Ecclesiam conveniunt, ait Irenæus, lib. III, cap. XI. Quatuor ergo vocantur omnes angeli Dei stipatores, mundi præsides, et Ecclesiæ protectores. Addit Polychronius proprie esse quatuor ordines angelorum, qui præsunt orbi et Ecclesiæ, scilicet, Dominationes, Principatus, Virtutes, Potestates. Addunt alii, propriissime, esse quatuor angelos principes, quasi consiliarios et præfectos Dei, in gubernatione mundi et regnorum omnium, scilicet, Michael, Gabriel, Raphael, Uriel, aut similes, qui alios inferiores ducunt, et quasi repræsentant, sicut rex repræsentat regnum, princeps rempublicam. Sicut enim in regno et republica sæpe sunt Triumviri, quales erant Romæ Augustus, Antonius et Lepidus; deinde Septemviri : ita et in cœlo primi angelorum principes sunt quatuor, deinde septem. Hoc maxime litterale et genuinum videtur, itaque censent Alcazar, *Apoc.* IV, et Pererius *Apoc.* VI, pag. 304. Favet Pineda, lib. V *De Rebus Salom.* cap. IV, ubi ex Cabalistis explicans Salomonis, id est Christi, *ascensum*, id est currum, *purpureum,* ait purpuram hebraice vocari *Argaman,* eamque vocem constare quatuor litteris quæ sunt initiales quatuor angelorum; nimirum R. Raphael; G. Gabriel; M. Michael; N. Nuriel, qui idem est cum Uriel : atque significare quatuor virtutes, seu attributa Christi; scilicet, Michael repræsentat Christi justitiam et sanctitatem; Gabriel, fortitudinem; Raphael, mansuetudinem et clementiam; Uriel, veritatem et doctrinam. Si dicas Michaelem esse ex ordine primo Seraphim, hos autem esse Cherubim; respondeo Michaelem simul esse Seraphinum et Cherubinum : sicut sunt principes, qui simul sunt Comites et Barones, aut certe, Michaelem Seraphinum habere sibi cognominem Michaelem inter Cherubinos; aut denique dici Cherubinum a sapientia, officio et gubernatione Cherubini, quam Dei jussu usurpat. Quin et in Missa Æthiopum, quæ habetur tomo IV *Biblioth. SS. Patrum,* fol. 120, ita orat sacerdos : « Custodi, Domine, populum tuum per preces majorum angelorum splendentium, Michaelis, et Gabrielis, ac Raphaelis, et Urielis, et quatuor animalium sine carne. » In sepulcro Mariæ conjugis Honorii Imperatoris in capsula argentea reperta fuit aurea

lamina, in qua hæc nomina legebantur Græcis litteris inscripta : Michael, Gabriel, Raphael, Uriel, ut testatur Bartholomæus Marlianus, lib. V *Topograph.* cap. XXI. Urielem etiam inter angelos primarios ponit Esdras lib. IV, cap. IV, vers. 1. Et S. Ambrosius, lib. III *De Fide ad Gratian.* cap. II : « Non moritur, ait, Gabriel, non moritur Raphael, non moritur Uriel. » Et Andreas Cæsar, in *Apoc.* XXII, Albertus Magnus, Bonaventura, Prado, Sixtus Senensis et alii, quos citat Alcazar *Apoc.* I, 4, notat. 4 in fine. Ut ut est, certum est esse quatuor ; esto, qui sint, et quo nomine, sit incertum. Antonius Fernandius, *visione* XIII, sect. IV, censet hæc quatuor animalia fuisse ex tertio ordine angelorum primæ hierarchiæ, qui Throni dicuntur, eo quod per eos quasi judices et vindices Deus sua judicia exerceat, ut hic facit. Scopus enim ejus in hac visione est, comprimere refractarium Sedeciam, et consolari obedientem Jechoniam, qui se jussu Dei tradiderat Chaldæis. Hinc habent speciem bovis, quia corda nostra sulcant, inducuntque ad pœnitentiam ; et aquilæ, quia oculatissimi sunt judiciorum Dei inspectores. Verum alii probabilius opinantur hosce quatuor angelos fuisse ex ordine secundo, qui vocatur Cherubim, *primo*, quia vocantur hic et cap. X, Cherubim : sicut ergo *Isaiæ* VI, per Seraphim proprie accipimus Seraphinos, ita per Cherubim proprie hic videntur Cherubini intelligi. Unde Ecclesia colligens novem angelorum ordines, sicut ex *Isaiæ* VI accipit primum ordinem Seraphim, sic ex hoc loco accepisse videtur secundum Cherubim. *Secundo*, quia Cherubini dicti sunt a sapientia et prudentia, quæ prima est dos rectoris et gubernatoris, qualis hic in toto universo inducitur Deus, cujus administri dicuntur esse Cherubini, qui a Deo hanc sapientiam participant, eaque cæteris antecellunt. Vere enim dixit S. Teresa : « Sanctitas sibi, prudentia aliis magis prodest ; » ut, si quæratur rector, eligendus potius sit prudentior, quam sanctior. Unde et S. Antonius « discretionem » dixit « esse aurigam virtutum. » Hac de re multorum sententias et gnomas citavi *Exodi* XXV, 22, in fine. Hinc patet Cherubinos non tantum assistere Deo, uti volunt aliqui cum S. Dionysio, sed et foras mitti, uti missus est Seraphim ad Isaiam, cap. VI. *Tertio*, quia similiter legimus Cherubinos exercere Dei judicium et vindictam in Adamum, ejusque posteros, dum a Deo positi custodes paradisi terrestris, flammeo gladio prohibent ne Adam, vel quis posterorum ejus illum ingrediatur, *Genes.* III, 24. Ergo similiter Cherubini hi, qui exercent vindictam Dei in Judæos aliasque gentes, sunt veri Cherubini. Denique Ezechiel concludens hanc visionem cap. X, vers. 20, diserte ait : « Et intellexi quia Cherubim essent. » Si ergo ex his sit Michael, Cherubinus sit oportet : si non est, non est ex his.

Sed cur Cherubim habent quatuor facies? Respondeo, quia his significant quatuor insignia et stemmata Domini sui, scilicet Dei sedentis in curru, tum qua creator est, tum qua redemptor, tum proprie qua vindex et castigator est Hebræorum. *Primo*, qua creator est, facies aquilæ significat Dei sapientiam ; hominis, Dei bonitatem, mansuetudinem, clementiam ; leonis, Dei fortitudinem et potentiam ; bovis, Dei justitiam, religionem, et cultum illi debitum, ut scilicet bobus, aliisque victimis illa majestas, quasi rerum omnium principium, finis, causa, et summum bonum, colatur et adoretur. Hæc attributa a Deo ipsi Cherubini, id est angeli, in se participant et repræsentant. Hinc facies non tegunt, tum quia pergunt ad prælium, tum quia insignia Dei quatuor faciebus omnibus repræsentant et ostentant. Secus est de Seraphim *Isaiæ* VI. Illi enim cum Deo assistant adorantes, velant facies. Ita S. Dionysius, cap. XV *Cœlest. Hierarch.* : « Leonis facies, ait, significat vim illam in angelis principalem, robustam et indomabilem, per quam occultissimo illi ineloquibilis divinitatis arcano pro viribus similes nituntur evadere, operti spiritualibus vestigiis, et expedita illa atque ineffabili celeritate itineris ad divini fulgoris secreta tendentis. Bovis autem imago fortitudinis ac roboris præfert speciem, et qua spiritales sulcos suscipiendis cœlestibus fecundisque imbribus scindunt (boves enim cum celeritate fortiter figunt pedem in cursu. Taurus, inquit Horus *hierogl.* 44, integris viribus, fortis ac temperans). Porro effigies aquilæ significat regiam dignitatem, motumque ad superna tendentem, celeremque volatum, atque ad captandum necessarium reparandi viribus cibum, agilitatem atque vigilantiam, et cursum facilitatemque summam : ac propterea vim illam singularem speculandi atque intuendi libere, directe, in nullam partem inclinando aciem luminum, in radium illum uberrimum et lucidissimum deitatis, quem ex se instar solis emittit. »

Quatuor ergo animalium facies, quatuor primariarum Dei virtutum et dotum sunt symbola. Leo enim est symbolum maximæ fortitudinis ; vitulus, summæ beneficentiæ ; homo, rationis et æquitatis ; aquila, altissimæ sapientiæ. Aquilæ enim, ait Plinius, lib. X, cap. III, « clarissima est oculorum acies. » Et inferius : « Implumes etiamnum pullos cogunt subinde adversos intueri solem ; et quos conniventes animadvertunt, præcipitant e nido, velut adulterinos atque degeneres : illos autem quorum facies firma contra steterit, educant. » De leone audi plura. Ægyptii, inquit Horus Apollo in *hierogl.* 17, « animum, sive iram volentes signare, leonem pingunt. Caput enim magnum habet hoc animal, et pupillas quidem ignitas, faciem vero rotundam, et circumquaque radiorum more sparsos pilos instar solis. Quare et sub solio Hori, id est solis, leones supponunt, hujus animalis cum Deo similitudinem maximam demonstrantes. » Addit eosdem per leonem significasse : *primo*, robur ; *secundo*, vigilantiam et custodiam, quia leo apertis oculis dormit ; *tertio*, ter-

ribilem ac formidandum : Deus autem robustissimus est, vigilantissimus et providentissimus, ac maxime formidandus : ejus ergo hieroglyphicum est leo. Hæ ergo quatuor animalium dotes requiruntur in rege et gubernatore, præsertim universi, qualis est Deus. Unde Pierius, hieroglyph. 32 *de capite*, affert antiquissimam picturam divinæ providentiæ, quæ in quatuor angulis hæc nomina habebat inscripta : « Virtus, auctoritas, scientia, felicitas. » *Virtus*, est fortitudo ; *auctoritas*, est justitia; *scientia*, est sapientia; *felicitas*, est beneficentia. « Beatius est enim dare quam accipere. » Has quatuor dotes symbolice significant quatuor angeli; scilicet, Michael justitiam, Gabriel fortitudinem, Raphael beneficentiam, Uriel sapientiam. Hi ergo sunt instar quatuor Cherubim, divinæ providentiæ administri, et suæ quisque virtutis ac dotis præsides, inquit Alcazar in *Apocal.* cap. I, vers. 4 et 5, ubi et addit easdem significari per quatuor Prophetas. Isaias enim hebraice idem est quod *Domini salus*, ecce beneficentiam : Jeremias, *celsitudo Domini*, ecce sapientiam : Ezechiel, *fortitudo Dei*, ecce tibi virtus : Daniel, *judicium Dei*, ecce æquitas et justitia. Ita et S. Hieronymus *Prolog. in Joelem*. Porro inter hos quatuor interjicitur Baruch, id est *benedictus*, ut intelligatur benedictus Dei Christus, his quatuor Dei providentiæ spiritibus communiri. Rursum has quatuor dotes significant nomina ab Isaia indita parvulo nobis nascituro, cap. IX, vers. 6. Vocabitur, inquit, nomen ejus « admirabilis, consiliarius, » ecce sapientia; « Deus fortis, » ecce virtus; « pater futuri sæculi, princeps pacis, » ecce beneficentia; « sedebit super solium David, » ecce justitia.

Emblema gryphi, quid?

Rursum has significaverunt veteres Romani per duplex emblema. *Primum* erat gryphus, id est imago superne habens formam aquilæ, inferne leonis cum magnis auribus. Hoc enim significat sapientiam jungendam fortitudini, sed sapientiam debere præire, fortitudinem sequi. Magnas habet aures, tum quia auditus est sensus disciplinæ, tum quia decet sapientem principem suis consiliariis attentas præbere aures. Unde finxerunt gryphum aurum eruere, illudque ab Arimaspis tueri et servare, ut significarent felicitatis et securitatis reipublicæ causam esse, conjunctionem sapientiæ et virtutis. *Secundum* est Minotauri, qui caput habebat humanum, reliquum corpus bovinum, caudam in spicas desinentem, de quo Ovidius :

Semibovemque virum, semivirumque bovem.

Hoc significabant rempublicam crescere, augeri et ditescere æquitatis (cujus symbolum est homo) et beneficentiæ (cujus symbolum est bos : dat enim lac, carnes, corium, et arat segetes) conjunctione, hoc est, mutuis inter se civium tum justitiæ, tum charitatis officiis. Hæc enim in spicas, id est in fertilitatem, et rerum copiam, desinere. Utrumque hoc symbolum ex Petro Pighio depingit Alcazar, pag. 373.

Adde : Hæ formæ, ait Scholiastes, significant universam naturam, cui imperat Deus, et Dei providentia per angelos, qui omnibus eminent, omniaque moderantur. Unde eorum insignia sibi assumunt. Per aquilam ergo significatur Deum per angelos imperare omnibus avibus, inter quas eminet aquila; per leonem omnibus feris, inter quas eminet leo; per bovem omnibus jumentis, inter quæ eminet bos; per hominem omnibus rationabilibus. Sic et Polychronius et Apollinaris. Simul movent rotas, id est orbes cœlestes, cum subjectis, id est cum aere et igni, et centro, id est globo terræ et aquæ.

Facies quatuor significant quatuor dotes Dei redemptoris.

Secundo, qua Deus redemptor est Israelis, hæ quatuor facies Cherubim sunt hieroglyphicum belli, vindictæ et triumphi illius de Ægyptiis, ut dixi *Quæst.* I. Quibus adde vitulum posse significare Apin, id est vitulum vel bovem, deum Ægyptiorum, ipsosque Ægyptios. Hi enim in triumpho circumstant et præeunt, quasi victi, currum Dei triumphalem. Unde a sinistris esse dicuntur. Hinc et vitulus hic ungulam habet, ut significetur prostratus et calcatus Apis a Deo.

Consequenter hæ quatuor facies symbola sunt et stemmata regni et Synagogæ, quam post hanc victoriam in Sina instituit Deus, id est populi Israelitici, sive castrorum egredientium ex Ægypto : quæ, ut dixi, *opinione* VI, *Quæst.* I, quatuor habebant acies insignitas vexillis horum quatuor animalium ; scilicet acies Juda insignita erat leone, acies Ruben homine, acies Ephraim bove, acies Dan aquila. Aquila significabat prophetiam, homo doctores, leo regnum, vitulus sacerdotium Synagogæ a Deo datum. Ita Theodoretus.

Tertio, proprie et genuine hic, qua bellator et vindex est Deus, atque excisor Hierosolymæ, habet quatuor facies, id est dotes et virtutes, quas in excidio ostendit et exhibuit, scilicet, *primo*, leoninam fortitudinem; *secundo*, humanam justitiam; *tertio*, bovinam æquitatem et beneficentiam; quia Hebræos ita punivit ad eorum salutem, ut ipsi hoc flagello ad cor et Deum, ac consequenter ad pristinam reipublicæ gloriam redirent, uti et factum est : unde et deinceps nunquam publice coluerunt idola. Hinc et Cherubim desinebant in bovis ungulam, ut significarent clades has et excidia Judæorum in clementiam et beneficentiam Dei erga eos desitura. Sic enim Dei ira et castigatio hominibus emendatis in clementiam et misericordiam desinere solet. Vide dicta *Isaiæ* XXXII, 20. Rursum, sicut ungula bovis calcat segetes, sed calcando triturat, et grana pura excutit : ita Deus per Chaldæos calcavit Judæos, sed calcando trituravit, et puros quasi triticum effecit. Hoc est, quod Deus Judæos compellans ait : « Tritura mea, et filii areæ meæ, » *Isaiæ* XXI, 10. Vide ibi dicta. Denique planta vituli fortis, et divisa, significat fortitudinem æque ac discretionem Dei in puniendis his qui merentur, et liberandis illis qui sunt innocentes. *Quarto*, desuper faciem aquilinam,

id est altissimam ostendit sapientiam, et consilium, quam per Christum, Christique redemptionem exhibuit, in qua Judæorum excæcatio et perditio, fuit gentium salus, lux et plenitudo. Ita Alcazar loco citato.

Allegorice, significant quatuor stemmata Christi.

Allegorice, licet alii id velint esse litterale, stemmata hæc sunt filii hominis, id est Christi : imo Hector Pintus ad litteram per quatuor animalia Christum accipit, cujus ductum et motum sequitur rota, id est Ecclesia et Christiani. Verum *Apocal.* v, 8 et 14, quatuor hæc animalia adorant Agnum, id est Christum : non ergo sunt ipsa Christus, sed Christus potius est filius hominis sedens in solio, cujus hæc animalia gestant insignia. Christus enim ostendit quaternas facies : aquilæ, quia est Verbum Patris; hominis, quia est verus homo; leonis, quia est rex; vituli, quia est sacrificium et sacerdos, idque in calce, id est in fine vitæ. Rursum, planta et ungula vituli divisa et fissa, notat pedes Christi crucifixos. Clavis enim per eos in crucem adactis, quasi divisæ et fissæ sunt plantæ Christi, uti ungula vituli quasi adacto clavo secta et fissa videtur. Porro quodque horum quatuor animalium habet hasce quatuor facies; quia hic homo (puta Christus) et rex est, et sacerdos, et Deus : vicissim hic rex (puta Christus) et homo est, et sacerdos, et Deus. Rursum hic sacerdos (puta Christus) et Deus est, et homo, et rex. Denique hic Deus (puta Christus) et homo est, et rex, et sacerdos, ideoque in fine cap., puta cap. II, 1, dicitur : « Hæc visio similitudinis gloriæ Domini. » Hinc et quodque habet quatuor pennas, sive alas, tum ut celeritas redemptionis Christi significetur; tum ut notetur ejus in amore Dei nostrique et virtutibus omnibus soliditas : quod enim quadrum est, solidum est. Sive ergo Christum spectes ut hominem, sive ut regem, sive ut sacerdotem, sive ut Deum, alis, id est amore et virtutibus, quaquaversum plenum cernes. Insuper ungula vituli vel bovis, quia fortis, notat Christi fortitudinem in tolerandis laboribus et doloribus : eadem quia divisa, notat Christi discretionem et prudentiam. Cherubim, scintillantes instar æris candentis, notant fulgorem et sonitum Evangelii : æs enim est sonorum. Hinc et serpens æneus in deserto fuit typus Christi crucifixi. Quod non revertebantur, nec respiciebant retro, notat constantiam Christi in opere redemptionis nostræ.

Cherub ergo repræsentat multiformem sapientiam Christi. Quadriformis est, quia humana facies significat Christi incarnationem; vitulina, mortem; leonina, fortitudinem, quam ostendit in resurrectione; aquilina, ascensionem in cœlum, indeque missionem Spiritus Sancti, quasi aquilæ advolantis, in Ecclesiam, ait Irenæus, lib. III, cap. XI. Unde ultima et superna animalium facies est aquilæ. Quocirca S. Ambrosius, lib. III *De Salomone*, cap. II, citans illud *Proverb.* XXX, 18 : « Tria sunt difficilia mihi, etc. Viam aquilæ in cœlo, » i. e., inquit, « Christi advenientis ad terram, ac redeuntis ad cœlos vestigia comprehendi non possunt. » Has quatuor Christi facies describit Apostolus, *Philipp.* II, 6, et *Hebr.* I, 3, ut ibi dixi, et Isaias cap. IX, 6. Ita Rupertus et Irenæus, qui addit Christum, ut regem, apparuisse patriarchis; ut pontificem, Mosi et Hebræis; ut hominem, Judæis cum viveret; ut Deum, Apostolis in Pentecoste.

Aspectus quasi carbonum ardentium significat charitatem ardentem Christi, qua se pro nobis in mortem dedit; quæ tanta fuit, ut optaret eadem pati usque ad diem judicii, imo pro singulis hominibus toties iterata passione quot sunt homines, si Deo id volitum et placitum esset. Tantus enim erat Christi erga Patrem amor, tantus et erga homines, quos adeo a Patre amari videbat, ut omnis passio hoc amore absorberetur, perinde ac gutta aquæ injecta in ingentem rogum statim ab eo sorbetur. Hac de causa avebat et ardebat crucem et mortem : « Desiderio desideravi, inquit, manducare hoc pascha, » etc. Et : « Baptismo habeo baptizari; et quomodo coarctor usquedum perficiatur? » Hanc crucis sitim afflavit S. Laurentio, qui tyranno minanti ignes et equuleos respondit, hasce epulas se esurire; nec esse quem famelicum aut sitibundum, qui escas et potus ita esuriat et sitiat, ac ipse esuriret et sitiret tormenta omnia, ut amorem amori, puta Christo Domino, rependeret. Fuit ergo Christus portentum infamiæ, portentum nuditatis, portentum dolorum; fuit et portentum humilitatis, patientiæ, etc., sed maxime charitatis. Quod enim majus portentum, quam Deus in cruce ex amore hominum? « Cernis ut in toto corpore » scriptus, imo « sculptus amor, » tot litteris, quot vulneribus. Atque hæc crucis Christi fuit causa. Volebat enim Deus divinum et immensum suum amorem hominibus patefacere et communicare : hoc non potuit magis meliusque facere, quam dando pro nobis Unigenitum suum in crucem et mortem. Hic enim fuit transcendens, exstaticus, immensus, Deo dignus amor. Quocirca sicut de Cherubim dicitur : « Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur; » ita de Christo ait Lucas, cap. IV, 1 : « Jesus autem plenus Spiritu Sancto regressus est a Jordane : et agebatur a Spiritu in desertum, » ut jejunaret « diebus quadraginta, et tentabatur a diabolo. » Pari modo ad prædicandum, ad orandum, ad offerendum se passioni et cruci, atque singulas suas actiones, agebatur Christus impulsu Spiritus Sancti, et Verbi in se inhabitantis. Manus quaternæ significant tum fortitudinem, tum operationem continuam Christi. Amor enim et virtutes in mente sunt torpidæ et inanes, nisi in opera se exerant. Manus hæ erant sub alis, iisque velabantur : quia operationes Christi divinæ, quas S. Dionysius vocat theandricas, *q. d.* Deiviriles, sive Dei hominis, puta Verbi incarnati, tegebantur carnis assumptæ et passionis infirmitate; ut doceret fideles suos, pari

modo dona Dei non ostentare, sed per humilitatem et silentium ea tegere et abscondere. Pennæ extentæ desuper significant Christi et Sanctorum ejus intentionem sursum ferri; cœlum, et Deum unum spectare in omnibus actibus, non terram et homines.

Porro « animalia ibant et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis : » fulgur significat celeritatem et splendorem miraculorum Christi. Hinc pridie Palmarum Hierosolymam ingrediens vectus asello, acclamationes accepit a Cherubinis, id est infantibus et parvulis innocentiæ angelicæ : « Hosanna filio David. Hosanna in excelsis; » quasi Deus, et filius David, homoque et rex ipsorum, ac simul quasi victima, puta Agnus paschalis, urbem ingreditur, exsultans, eminens, et triumphans quasi aquila; quia fortis ut leo, resolutus erat et certus, quod per mortem et crucem vinceret peccatum, mortem et diabolum; ideoque ante duellum triumphat, quia certus de victoria. Quare S. Hieronymus, vel quisquis est auctor Præfationis *in S. Marcum*, hæc quatuor stemmata S. Marco adaptat : « Qui, ait, fremit ut leo, volat ut aquila, discit ut homo, immolat ut sacerdos : qui irrigat ut flumen, florescit ut ager, fervet ut vinum. Christus enim de quo loquitur, homo est nascendo, vitulus moriendo, leo surgendo, aquila est ascendendo. Quatuor insuper sunt qualitates, de quibus S. Evangelia contexuntur : Præcepta, mandata, testimonia, exempla. In præceptis justitia, in mandatis charitas, in testimoniis fides, in exemplis perfectio consistit, » etc.

Hinc *secundo*, S. Irenæus et post eum S. Athanasius, Augustinus, Hieronymus, Ambrosius, Gregorius et communiter Patres et Doctores, quos citant Viegas, Alcazar, Pererius et Ribera, *Apoc.* IV, recte accommodant quatuor Cherubim quatuor Evangelistis, qui sunt præcones triumphi Redemptoris : quatuor facies, sunt quatuor trophæa et excellentiæ Christi, quas suis Evangeliis exprimunt. S. Joannes est aquila, quia canit deitatem Christi; S. Matthæus est homo, quia humanitatis opera describit; S. Lucas est bos, quia incipit a sacerdotio Zachariæ; S. Marcus est leo, quia incipit a rugitu S. Joannis Baptistæ. Quocirca Veneti qui possident corpus S. Marci, et in ejus honorem magnificum templum ædificarunt, eumque mira veneratione colunt, adeo ut Venetiæ videatur esse civitas S. Marci, pro insigni habent leonem S. Marci cum hoc epigraphe : « Pax tibi, Marce Evangelista meus. » Quæ verba S. Marco pergenti ad martyrium apparens dixit Christus. Hæ facies omnes sunt in uno, et in quolibet Cherubino, quia omnes hæc quatuor de Christo annuntiant; sed facies, id est initium, eos distinguit.

Duabus alis, id est fide et scientia divina, in cœlum volant; duabus tegunt femora, id est humanam scientiam abscondunt, imo eam cæcam reddunt. Ita S. Hieronymus. Strident alis, quia « in omnem terram exivit sonus eorum. » Scintillæ ex illis emicabant, quia splendor Evangelii eos quaquaversum sequebatur. Manus hominis habebant sub alis, quia non solum verbis, sed et factis homines ad salutem adjuvabant. Non revertebantur, id est non retractabant quæ dixerant, quia omnia erant vera et certa. In medio eorum erat ignis, quia Spiritu Sancto regebantur et inflammabantur. Ita S. Hieronymus. Hic tamen sensus non est primarius; imo, ut recte notat Prado, mysticus est, non litteralis, ut satis indicat ipse Irenæus primus ejus auctor. Nam certum est apud omnes, Cherubim, uti et Seraphim, esse angelos, non homines evangelistas.

Tropologice, hæ quatuor facies sunt quatuor stemmata Ecclesiæ. Illi enim quasi regno suo Christus rex sua stemmata communicavit, quæ quatuor membra Ecclesiæ constituunt. Aquila enim significat Prophetas, Apostolos, Evangelistas; homo Rectores, Pastores, Episcopos; vitulus, victimas, scilicet martyres; leo, principes Ecclesiæ defensores, uti fuit Constantinus, Carolus, Ludovicus. Hi Cherubini agunt Dei currum et rotas. Rota est prædicatio Evangelii, et circulatio per totum orbem, cui spiritus Dei insinuabat se, ut corda hominum converteret.

Rursum, Cherubim sunt Prælati, ait Bernardus tract. *De Modo bene vivendi ad sororem*, serm. 18 et sacerdotes, maxime præcones. Hi debent esse pleni cœlesti scientia, esseque homines, id est humani; et leones, id est pro justitia et disciplina fortes; et vituli, id est mortificati, ac strenui pro bono communi; et aquilæ, id est contemplativi, ac orationi dediti. Habent ungulam bovis, quia laboriosi sunt in arando et excolendo agro Dominico, puta in prædicando, docendo, exhortando. Unde iis ait Isaias cap. XXXII, vers. ult. : « Beati, qui seminatis super omnes aquas, immittentes pedem bovis et asini. » Rursum S. Gregorius, *hom.* 3 : « In sanctis, ait, prædicatoribus planta pedis est vituli, scilicet mature incedens, et fortis et divisa; quia unusquisque prædicator et veneratione habet in maturitate, et fortitudinem in opere, et divisionem ungulæ in discretione. Non enim prædicatio ejus accipitur, si levis in moribus esse videatur. Et nulla erit maturitatis ostensio, si contra adversa omnia non adfuerit operis fortitudo. Virtutis autem meritum ipsa fortitudo operis amittit, si discretio in intellectu non fuerit. » Jam alæ, manus, pedes, etc. Cherubinorum, quæ de Christo allegorice explicui, simili sensu tropologice hisce Christi asseclis applicanda et adaptanda sunt.

Ita Alcazar, in *Apocal.* IV, pag. 370, per illa quatuor animalia S. Joannis similia hisce Ezechielis ad litteram intelligit viros Apostolicos; unde concludens ait : « Hæc ergo clausula est : Jesu Christi spiritum, qui leo, vitulus, homo et aquila per excellentiam est, præcipuum atque unicum auctorem esse, qui viros Apostolicos leonino robore, vitulina beneficentia, æquitate humana, aquilina

perspicacitate penitus adimplet. » Ita ipse ad litteram, ego tropologice.

Tales similiter debent esse christiani, qui Christum perfecte sequi, ei astare, ejusque currum et Ecclesiam provehere satagunt. Ita S. Gregorius. Hinc aliqui apud S. Hieronymum per hæc quatuor animalia accipiunt quatuor virtutes cardinales. Aquila, inquiunt, est prudentia, leo fortitudo, vitulus temperantia, homo justitia. Sic et S. Gregorius hic, et S. Ambrosius, lib. III *De Virginibus*, sub finem; qui tamen per hominem accipit prudentiam, per aquilam justitiam.

Ita faciem, æque ac nomen leonis habebat S. Pantaleon martyr, qui juvenis Nicomediæ sub Maximiano Imperatore, anno Christi 311, fortissime equuleos, candentes laminas, ungulas, leones et tigrides, quasi aquila conversans cum Christo, eumque invocans, imo præsentem cernens superavit. Quocirca in tormentis Christum alloquens, dicebat : « Cum tu mecum sis, Domine, quid possim timere? » Habuit et faciem bovis, quia multos et verbo, et magis exemplo suæ pietatis et constantiæ ad fidem convertit. Quapropter, cum caput carnificibus amputandum porrigeret, eisque veniam et misericordiam a Deo precaretur, audivit e cœlo vocem : « Deinceps non vocaberis Pantaleon, sed Panteleemon, » id est omnino misericors; « quia per te multi misericordiam consequentur apud Deum. » Ita habet ejus Vita, 27 julii. Hoc etiamnum miraculo publico testatur Deus. Nam duæ ampullæ sanguinis ejus concreti, quarum una asservatur Romæ in templo Congregationis Oratorii, ex qua prodiit Cardinalis Baronius; altera Ravelli in regno Neapolitano, recurrente die martyrii illius, resolvi et liquefieri solent, uti hic Romæ quotannis fieri conspicimus.

Vidi nonnullos apposite quatuor personas agere, hominis, bovis, angeli, leonis. Si humane cum illis ageres, nihil illis humanius; si solide et corddate, nihil illis cordatius (eburnei videbantur); si pie de rebus divinis loquereris, respondebant ut angeli; sin illos pungeres, et bilem acueres, rugiebant ut leones. Aliquos etiam rixari et furere vidisses ut dæmones, ac subito ex angelis ac Cherubinis, quasi in dæmones se transformantes, ut nonnisi diabolos, imo centum millia diabolorum parti adversæ imprecarentur.

Itaque Religiosus, imo quilibet christianus, quadrifacialis sit, scilicet habeat faciem aquilæ in templo, faciem hominis in domo, bovis in cella et officina, leonis in foro et castris, puta in orando sit aquila, in conversando homo, in laborando bos, in dimicando leo, ut tentationes, et adversa arduaque quæque generose aggrediatur et superet tanquam leo. Ita quaquaversum erit angelus, quaquaversum Cherub.

Symbolice, Lyranus has quatuor facies et hæc quatuor animalia quatuor patriarchalibus Ecclesiis adaptat, scilicet leonem Hierosolymitanæ, bovem Antiochenæ, hominem Alexandrinæ, aquilam Constantinopolitanæ. Hi sunt Cherubim Christi, ejusque vicarii Summi Pontificis; cui proinde quatuor horum Patriarcharum stemmata præferuntur. Hierosolymitana enim apte comparatur leoni, ob fortitudinem et constantiam Apostolorum, qui primitus eam erexerunt et in ea vixerunt. Antiochena vitulo, quia subdidit colla Apostolis, *Actor.* XV et seq. Alexandrina homini, ob viros doctissimos, quos habuit Episcopos, aut doctores : quales fuerunt Pantenus, Heraclas, Origenes, Clemens, Athanasius, Cyrillus, Dionysius et alii. Constantinopolitana aquilæ; quia in ea floruerunt viri magnæ contemplationis, uti S. Chrysostomus, Nazianzenus et alii.

Sunt quatuor sedes patriarchales :

Denique alii hos quatuor Cherubim adaptant quatuor Ecclesiæ doctoribus, scilicet hominem esse, facilem Gregorium; leonem, fortem Ambrosium; bovem, laboriosum et solidum S. Hieronymum; aquilam, sublimem Augustinum. Ita S. Hieronymus se bovem vocat, scribens ad S. Augustinum : « Bos lassus, inquit, fortius pedem figit. »

Et quatuor Doctores Ecclesiæ.

Anagogice, hæc quatuor sunt stemmata Ecclesiæ triumphantis, et regni cœlestis, ubi Deus proprie regnat in solio gloriæ. Aquila significat visionem Dei; homo, mutuum Sanctorum amorem et concordiam; leo, eorum potentiam et immortalitatem; vitulus, oblationem Deique adorationem; arula, Dei laudem, gratiarum actionem, et jugem glorificationem cantantium : « Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus sabaoth. » Vide in hac multiplici sensuum varietate fecunditatem sacræ Scripturæ et Theologiæ symbolicæ.

Anagogice, quatuor stemmata Ecclesiæ triumphantis

QUÆRITUR QUARTO, — quid significent rotæ habentes quatuor facies, æque ut Cherubim vers 15? Respondeo : Sicut currus significat Dei majestatem, providentiam, regnum, gloriam : ita rotæ significant Dei æternitatem, celeritatem, efficacitatem in operando; item ejusdem immensitatem. Unde Empedocles : « Deus, ait, est circulus, cujus centrum est ubique, et circumferentia nusquam. » Hinc rotæ plenæ sunt oculis; quia Dei providentia et imperium est oculatissimum; quia Deus totus est oculus, uti eum pingebant Ægyptii. Denique rotæ significant jugem actionem Dei, angelorum et hominum divinorum. Hinc Ægyptii laboris perpetui hieroglyphicum pinxere cœlum, appicto corde, cui foculus ardens subjiciebatur, teste Plutarcho in *Iside et Osire*. Quo significabant viros magnos et cœlestes, jugibus gravibusque curis semper agitari, atque instar cordis aut cœli semper moveri, et, quod de Vespasiano scribit Suetonius, stantes mori. Quocirca Pacatus in *Panegyrico Theodosii* : « Gaudent, inquit, divina perpetuo motu, et jugi agitatione se vegetat æternitas, et quidquid homines vocamus laborem, vestra natura est; ut indefessa vertigo cœlum rotat, ut maria æstibus inquieta sunt, et stare sol nescit : ita tu, Imperator, continuatis negotiis, et

Quæst. IV. Quid significent rotæ habentes quatuor facies? Respondeo. Deus est circulus qualis?

in se quodam orbe redeuntibus, semper exercitus es. » Similes sunt rotæ. Hoc enim earum est ænigma :

Quatuor æquales currunt ex arte sorores,
Sic quasi certantes, cum sit labor omnibus unus,
Et prope sunt pariter, nec se contingere possunt.

Hinc Ægyptii, ait Clemens Alexandrinus, lib. V *Strom.*, rotas in templis ponebant vel pingebant, duas ob causas : prior, ut Dei naturam adumbrarent. Ex eorum enim placitis Democritus, Deum depingens, appellat : « Mentem in igne orbiculari. » Et Parmenides eumdem definit : « Coronam, continentem ardore lucis orbem, qui cingit cœlum. » Et Jamblichus, lib. *De Myst.*, notat Ægyptios Deum pingere solitos sedentem in loto arbore aquatica, cujus folia et poma rotunda sunt, ut significaretur circularis actio mentis in se undique remeans. Hinc et Pythagoræ dogma : Deum adorans, in orbem te gyra, uti gyratur cœlum, quod proinde Stoici « rotundum et volubilem Deum » nuncupant. Quocirca Hebræi aliqui volunt אופנים *ophannim*, id est *rotas*, esse nomen angelorum, sicut Seraphim et Cherubim; atque quia hic proximi sunt Cherubinis, vehuntque thronum Dei, itaque sunt quasi thronus Dei : hinc esse Thronos; vel, ut Prado, esse ex secunda hierarchia, scilicet Principatus. Vide dicenda cap. x, 13.

Verum, quia, ut dixi, Cherubim significant angelos, currus vero mundum; hinc rotæ sunt orbes cœlestes : quatuor in curru sunt omnes. In eis est constellatio bovis, aquilæ, leonis, hominis.

Secundo, sicut currus hic est triumphalis Dei : ita rotæ significant celeritatem et efficacitatem victoriæ, quæ quasi pernici rotatione Pharaonem et hostes protriverit. Consequenter sicut Synagoga est currus Dei : ita rotæ sunt Moses, Aaron aliique duces et doctores Hebræorum.

Allegorice, rotæ sunt Apostoli.

Allegorice, sicut currus Christi est Ecclesia : ita rotæ sunt Apostoli, ut dixi. Sicut ergo Synagoga, ejusque duces participarunt quatuor stemmata et insignia redemptoris sui : ita Ecclesia et Apostoli participant stemmata sui redemptoris et sponsi Christi.

Idem ergo allegorice significant quatuor facies rotarum, quod tropologice quatuor facies Cherubim. Deus enim sua stemmata communicat Cherubinis, id est angelis, et per eos currui et rotis, id est Ecclesiæ et hominibus; atque angeli quasi duces hominum in se ostendunt quales debeant esse homines, maxime apostoli et prælati.

Rota in medio rotæ est eorum concordia, subordinatio et hierarchia ecclesiastica, qua instar cœlestis hierarchiæ alii suo ordine præsunt, alii subsunt, alii mandant, alii exsequuntur. Aliter Gregorius, *hom.* 6, et S. Hieronymus : Rota, aiunt, in medio rotæ, est Testamentum Novum adumbratum, et quasi inclusum et involutum in Veteri. « Quod enim Vetus promisit, hoc Novum exhibuit. Prophetia ergo Testamenti Novi Testamentum Vetus est, et expositio Testamenti Veteris Testamentum Novum est. » Et S. Ambrosius, lib. *De Spiritu Sancto*, cap. XXII : « Rota, ait, est intra rotam, eo quod Judæa intra Ecclesiam sit, lex intra gratiam. » Rursum, rota in medio rotæ, ait S. Hieronymus, est Evangeliorum consonantia et cohærentia (Marcus enim in Matthæo, Matthæus in Luca, etc., includitur), ac mysteriorum fidei connectio.

Ad litteram ergo, *prima* facies in rotis est aquilæ, quæ a nobis in cœlum, quasi ad Deum altissime evolat. Hæc significat Synagogam Hebræorum esse Dei peculium, ut sit Dei populus, et Deus sit eorum Deus : sicque ipsa quasi divinitatem participat, *Deut.* IV, 8. Allegorice, id verius est in Ecclesia et Christianis, II *Petr.* I, 4. Hinc Deus Hebræis daturus legem, *Exodi* XIX, 4, ait : « Vos ipsi vidistis, quæ fecerim Ægyptiis, quomodo portaverim vos super alas aquilarum, et assumpserim mihi. »

Hominis.

Secunda facies, hominis ingenui significat legislationem et liberationem, tum corporalem a servitute Ægyptiorum, *Deuter.* IV, 8, qualis fuit Judæorum; tum allegorice, spiritualem a peccato et timore servili, qualis est christianorum.

Vituli.

Tertia vituli, significat sacerdotium carnale Judæorum; allegorice, spirituale Christianorum, quo vitia mortificamus Deo, ut jugulet in se quisque quod animale est; ut vivat, quod spirituale est.

Quarta leonis, significat regnum temporale Judæorum, et allegorice spirituale Christianorum, quod est, ut animo munifico, spontaneo, regio vincamus omne malum, etiam inimicos. Hoc regnum per vitulum, hoc est mortificationem concupiscentiæ, comparatur. Idem ergo rex et sacerdos sit oportet, sicut Machabæi principes erant et sacerdotes. Sic et Ecclesia, id est Pontifex, qui est caput Ecclesiæ, sacerdos est; ex qua potestate sacerdotali in regiam dignitatem emanat auctoritas, ut princeps sit, et regibus imperare possit, cum Ecclesiæ bonum hoc exigit.

Nota : Ad motum Cherubim, id est angelorum præsidum, moventur rotæ et currus, id est Ecclesiæ præcones et fideles; imo cœli et totus orbis.

Tropologice, homines et regna quasi rotæ rotantur a Deo.

Tropologice, *primo*, significant hæ rotæ omnia regna, omnesque creaturas a Deo rotari, volvi et gubernari, juxta illud *Eccle.* I, 4 : « Generatio præterit, et generatio advenit. Oritur sol, et occidit, » etc. Ita S. Hieronymus. Rotæ, ait Plutarchus in *Numa*, significant in rebus humanis nihil esse stabile, sed volubiles et irremeabiles esse temporum lapsus, ut desidem esse non liceat, sed velis nolis ad alteram vitam curras oportet, juxta illud Persii, *satyr.* 5 :

Vertentem sese frustra sectabere canthum,
Cum rota posterior curras, et in axe secundo.

Et Anacreon :

> Rota velut curulis,
> Properat volucris ætas.

Ita Soldanus vir sapiens, captus a rege Francorum, cum e carcere rotæ conversionem diu fixe contemplatus esset, ex mœrore longo solutus in risum, rege causam sciscitante, respondet : « Hanc ego incertæ inconstantisque hominum felicitatis imaginem sentiens risi, cum quod mihi in mentem veniret, quam instabili nos de re superbiremus; tum simul hoc fieri posse judicans, ut, quomodo ex summo factus sum imus, ita ex humili rursum loco ad prius attollar fastigium. » Ita refert Cedrenus in *Compend.* pag. 475. Ita Heliogabalus *Ixionios amicos* per ludibrium ad rotam aquarum alligatos, sub aquas mittebat, rursusque in summum revolvebat, ait Lampridius : quo ludo sæpe ludunt aulici, in hoc aularum et rerum humanarum æstu. Hæc docte annotavit P. Nicolaus Causinus, *Elect. symbol.* pag. 109.

Secundo, nos quasi rotas esse in manu Dei : itaque nos debere sinere ab eo regi et rotari. Huc spectat veterum proverbium : « Adorato circumactus : » quo monebant adorantem adorare Deum circumactu corporis, et gyrando illud in orbem : nimirum ad imitationem cœli perpetua vertigine circumacti, præsertim quia prisci crediderunt cœlum esse Deum. Addit Plutarchus corporis vertigine significari rotas Ægyptias (symbolicas) quibus illi significabant, nihil in rebus humanis esse stabile aut perpetuum, sed utcumque visum fuerit Deo vitam nostram vertere ac volvere, æquum esse ut boni consulamus. Audi S. Bernardum, lib. *De Natura amoris*, cap. VIII : « Rotæ, ait, in quibus est spiritus vitæ, semper eunt in voluntatem Domini perficiendam, nec revertuntur ad faciendam suam. Si jubentur præesse, præsunt in sollicitudine; si jubentur subesse, in humilitate; si aliquibus coesse, in charitate. Si prælati sunt, sunt sicut patres ad filios; si subjecti, ut filii ad patres suos; si conviventes, omnium servos se faciunt. »

Tertio, debere nos in omnibus ejus impulsum et spiritus impetum sequi; tunc enim a via salutis, qua ipse nos dirigit, aberrare non possumus; si enim resistamus, et alio flectamus iter, a via salutis et a salute aberrabimus.

Hoc ergo secretum est cuique prudenti notandum et practicandum. Vis certam facere salutem tuam, vis assecurare tuam electionem et prædestinationem? Sequere Deum, sine te regi a Deo; statum illum, officium illud, actionem illam, passionem illam amplectere, ad quam te vocat et impellit Deus; esto sit humilis, molesta, difficilis : Deus enim qui te eo vocat, dabit vires et modos, omnia difficilia, omniaque pericula superandi, et recta te diriget ad salutem. Dic ergo cum Psalte : « Dominus regit me, et nihil mihi deerit; » et : « Vias tuas demonstra mihi, et semitas tuas edoce me; » et cum S. Paulo : « Domine, quid me vis facere? Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum; » et cum Samuele : « Loquere, Domine, quia audit servus tuus. » Scimus Samsonem heroica fortitudinis opera, supra humanas vires irruente in se spiritu Domini, perpetrasse, cum leonem occidit, cum tria millia Philistinorum mandibula asini cecidit, cum portas Gazæ humeris in montem sustulit, cum concutiens columnas domus, eam evertit, principesque Philistinorum ejus ruina una secum obruit : verum, cum non spiritum Dei, sed Dalilam suam secutus est, effeminatus et invalidus effectus, hostibus prædæ et ludibrio fuit. Idem prorsus nobis evenit. Oremus ergo Deum assidue, ut impetu hoc spiritus sui nos assidue et continue agat, imo quasi cogat ad omne bonum, præsertim arduum et sublime; utque rectis itineribus, quæ peccati non habeant scandalum, nos impellat et ducat ad cœlum et salutem. Rotæ hæ plenæ sunt oculis; quia in corpore hoc cæco, tot miseriis, illecebris et tentationibus obnoxio, multa vigilantia et circumspectione uti debemus. Hoc est quod Trismegistus in VII *Pimandri* scripsit : « Oportet, inquit, vestem quam circumfers exuere, indumentum inscitiæ, pravitatis fundamentum, corruptionis vinculum, velamen opacum, vivam mortem, sensitivum cadaver, sepulcrum vertibile, domesticum furem, qui dum blanditur odit, dum odit invidet. » Sic finxerunt veteres Janum priscum Italiæ regem, geminam faciem prætulisse, atque oculis ante et retro, præterita et futura considerasse. Denique juxta Minervam draconem, qui est acutissimi visus, pinxerunt, ut significarent summa opus esse vigilia et sollicitudine, ne sapientiam, quam Minerva significat, amittamus. Hinc et S. Joannes, *Apocal.* IV, hæc quatuor animalia vidit plena oculis, ante et retro, et paulo post asserit intus esse oculata. Non enim exteriora solum, sed interiora etiam virtutis et salutis suæ amanti, perspicienda et exploranda sunt. Quare recte S. Gregorius Nazianzenus christianum comparat funambulo. Sicut enim hic omnia circumspicit, ne ex fune labatur, et collidatur : ita et christianus faciat oportet. Quocirca S. Gregorius Magnus hic *hom.* 7 : « Circumspecta, ait, est vita Sanctorum, ne sic sit libera, ut superba sit; ne sic sit humilis, ut formidolosa; ne sic sit parca, ut tenax sit; ne sic sit misericors, ut effusa sit. »

« Rota in medio rotæ, inquit S. Ambrosius lib. III *De Virgin.*, est veluti vita intra vitam, quod sanctus sibi vita non dissonet; sed qualis fuerit superioris ætatis, talis sit et sequentis; vel quod in hac vita corporis, vitæ volvatur usus æternæ. »

Anagogice, sicut hic currus Dei triumphalis repræsentat Ecclesiam Beatorum triumphantem in cœlis : ita rotæ significant ejusdem æternitatem; in rota enim non est principium, nec medium, nec finis : ita nec est in æternitate. Æternitas ergo

est rota et circulus, cujus centrum est semper, circumferentia nunquam : quia nunquam finietur; unde durationis nullum habet limitem vel terminum. Quocirca pingitur æternitas quasi circulus, aut quasi serpens orbicularis, qui caudam ore complectitur : ubi enim una pars temporis in æternitate desinit, ibi alia incipit; itaque semper itur in orbem, estque in ea jugis, et fine carens ac perpetua circulatio. Notat ergo rota perpetuos fore triumphos, æterna fore gaudia, æternas coronas Beatorum. « Lux enim perpetua lucebit sanctis tuis, Domine, et ÆTERNITAS temporum. » Ab æternitate enim increata Dei, manat æternitas creata Angelorum, et æternitas temporum in Beatis. Ita enim competit æternitati æternare, sicut perfectioni perficere, sapientiæ sapere.

Quæst. v. Quid solium firmamentum, arca, arula? Respondeo, primo.

QUÆRITUR QUINTO, — quid significent solium, firmamentum, arca, et arula sive caminus? Respondeo : Solium, *primo*, significat divinam majestatem et celsitudinem; *secundo*, regiam ejus dignitatem; *tertio*, perennitatem et æternam ejus quietem, quam nulla perturbatio inquietare potest; *quarto*, judiciariam potestatem. Deus ergo hic sedet in solio, quasi judex et vindex Hebræorum, ut eos pro meritis puniat. In Scriptura enim, et apud omnes gentes, thronus sive solium est symbolum judicii, ac sedis judicis. Unde *Psalm.* IX, vers. 5, dicitur : « Sedisti super thronum, qui judicas justitiam; » ubi S. Basilius : « Thronus, ait, Dei ex justitia constat. » *Quinto*, gloriam triumphantis. Veteres Rabbini, et ex iis Galatinus, lib. VII, cap. XIX, symbolice per solium hoc Dei accipiunt B. Virginem, in qua sedit et conceptus est Messias Deus. Hinc est ex sapphiro; quia sicut sapphirus licet ex elemento terrestri, opaco et obscuro originem habeat, a sui tamen principio diaphanus est et clarus : ita immaculata mater Messiæ, etsi a parentibus peccato obnoxiis prodierit, a sui tamen initio clarissima, et absque originalis peccati macula fuit.

Scabellum solii crystallinum, id est firmamentum extentum super capita animalium, significat cœlum empyreum, in quo videtur et regnat Deus. Porro quadriga hæc Dei speciem habet arcæ fœderis quadratæ, uti dixi superius.

Arca fœderis legem continet, et pactum Dei, cum Hebræis in Sina initum, et cum christianis in Sion sancitum, ac sanguine Christi confirmatum. Lex illa, et propter legem arca legem continens, dicta est gloria Israel, quia per legem Israel excellebat omnes mundi populos. Sic lex gratiæ et amoris est gloria Ecclesiæ Christi.

Hoc est quod ait Christus, *Joan.* XIII, 34 : « Mandatum novum do vobis : Ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. » Quia ergo Deus hic legis vindex advenit, puniturus Judæos legis violatores, hinc lex ei in arca quasi præfertur.

Caminus ignis, sive prunarium plaustro vectum, est altare thymiamatis; et allegorice sacrificium incruentum Eucharistiæ Deo suavissimum et gratissimum, *Malach.* I, 11. Altare hoc polluerunt Judæi thurificando idolis; quocirca hic illius vindex, contra Judæos insurgit Deus, eosque igne ex illo desumpto comburit. Ita videmus et hodie certam perniciem imminere regnis et rebuspublicis, cum in illis sacra violantur, negliguntur et profanantur.

Symbolice Tertullianus, vel potius Novatianus, lib. *De Trinitate*, cap. VIII : In hoc curru, inquit, id est in mundo, quem quasi auriga regit Dei providentia, « medius est ignis; sive quoniam ad igneum diem judicii mundus iste festinat; sive quoniam omnia opera Dei ignea, nec sunt tenebrosa, sed vigent; sive etiam ne, quia ex terrenis ista fuerant orta principiis, naturaliter et originis suæ rigore torperent, addita est omnibus interioris spiritus calida natura, quæ frigidis concreta corporibus, ad usuram vitæ æqualia omnibus libramenta monstraret. »

QUÆRITUR SEXTO, — quid significet species hominis in solio, quæ superne videbatur esse ex electro, intrinsecus ignito, inferne vero esse ignea, et amicta iride? Respondeo : Electrum hoc sive aurichalcum, quia præstantissimum est, fulgidissimum, durissimum, et sonantissimum, repræsentat majestatem Dei, tum quia ipsa est auro fulgentior, et ære durior ac fortior; tum quia ipsa durum bellum et vindictam contra Judæos aliasque gentes impias moliebatur per Chaldæos. Ignis superne in eo erat intrinsecus, quia gloria deitatis in se latet, et hominibus est abscondita, inquit S. Hieronymus. Inferne vero pedes habet igneos et coruscantes, facientesque iridem; quia Deus cognoscitur per opera ad extra, scilicet per creationem, gubernationem, punitionem, etc., quæ sunt quasi pedes, et inferior pars Dei. Rursum, pedes habet igneos, ut iis tum calcet, tum comburat Judæos gentesque impias. Nam, ut ait Moses, et ex eo S. Paulus *Hebr.* cap. XII, 29 : « Deus noster ignis consumens est. »

Insuper supra lumbos aureo splendore, quasi aurichalcum coruscat, ut significet favorem et amorem suum in veros Israelitas, virosque bonos et sanctos. Infra lumbos vero pedes habet ignitos; hi significant iram et vindictam in Judæos aliosque impios. Hæc enim duo sunt quasi munia et symbola Dei, scilicet misericordia et justitia, quæ toties decantat Psaltes. Ut *Psalm.* C vers. 1 : « Misericordiam, et judicium cantabo tibi, Domine. » Hæc enim sunt quasi duo brachia Dei, quibus orbem et creaturas omnes amplectitur ac regit. Hæc duo significabat quoque columna nubis protegens Hebræos, et ignis perdens Ægyptios. Unde Maldonatus : Erat, inquit, imago supra lumbos electrina, infra lumbos ignea; quia post ignem, id est iram Dei, sequitur electrum, id est misericordia. Cum enim iratus

fuerit, misericordiæ recordabitur, *Habacuc* III, 2. Electrum enim cum vim habeat paleas attrahendi et alliciendi, est symbolum misericordiæ. Sic et Origenes hic, *homil.* 1 : « Auriga, inquit, quatuor animalium non totus est igneus, sed pube tenus, et exinde usque ad summum electri fulgore rutilat; non solum enim tormenta habet Deus, sed sunt in eo etiam refrigeria; punit peccatores, sed per ea ministeria quæ deorsum sunt. »

Secundo, iris sub pedibus Dei, significat *primo*, varietatem et pulchritudinem, tum providentiæ Dei, qua punit impios, præmiat pios; tum creaturarum ejus, in quibus resplendet gloria Dei creatoris, quæ superne in eo intrinsecus est abscondita. Iris enim, quia speciem habet arcus, symbolum est judicii et vindictæ, præsertim duplicis generalis. Cæruleus enim ejus color notat aquæ judicium, jam factum per diluvium : rubicundus notat judicium ignis quo in fine cremandus est mundus. Rursum iris est signum, et vel causa, vel effectus pluviæ. Unde ait : « In die pluviæ. » Significat ergo Deum in impios pluiturum plagas, grandinem et procellas. *Secundo*, iris significat gloriam apud omnes homines et angelos, resultantem ex hac punitione et vindicta Judæorum, aliorumque impiorum. *Tertio*, iris significat vindictam hanc mixtam esse clementia et misericordia. Hujus enim symbolum est iris, ut patet in mundi reconciliatione cum Deo per Noe, cujus symbolum fuit iris, *Genes.* IX, 13. Hinc et *Apocal.* X, 1, de Angelo invitante homines in fine mundi ad reconciliationem cum Deo, dicitur : « Et iris in capite ejus. » Ita et hic iris significat vindictam lenitate temperatam : Deus enim puniebat Judæos et Gentes, non ut eos disperderet; sed ut castigaret, emendaret et salvaret. Vide de iride dicta *Genes.* IX, 13. Unde S. Hieronymus : « Hic arcus, ait, signum est clementiæ, et testamenti Dei, quod fecit cum hominibus; ut quando apparuerit in nube, sciamus nos nequaquam perituros esse diluvio. Ex quo ostenditur post pœnas atque supplicia, et purgationem peccatorum futuram misercordiam, duntaxat in his qui Deum meruerint videre regnantem. » Quocirca sequitur : « Hic erat aspectus splendoris per gyrum, » throni videlicet, vel Dei, vel omnium quæ visa sunt. Iris ergo in nube, est misericordia et auxilium Dei in tribulatione. Rursum, turtures inter amuleta et præsidia varia quæ sibi quæque eligunt animantes, iridis fructum habent, ait Ælianus lib. I, cap. XXXV. Iris est pœnitentia; nam ut illa unguentis et medicinæ nascitur, ut ait Plinius, ita et hæc peccatorum remediis. Turtures vero sunt gemebundi peccatores. Ita Causinus lib. X *Parallel. histor.* cap. XLI.

Allegorice, electrum hoc ignitum est Christus, puta humanitas divinitati unita, et per eam quasi ignita. Sicut enim hæc species electro et igne constabat, ita Christus constat humanitate et divinitate, quia in eo, inquit S. Gregorius *hom.* 2, « cum humanitas ad majestatis gloriam excrevit, divinitas a sui fulgoris potentia humanis se oculis temperavit, et quasi electrum in igne est Deus factus homo in persecutione. » Unde Hebræum חשמל *chasmal*, id est *electrum*, si per anastrophen retrogrado ordine legas, idem est quod למשיח *lammasiach*, id est *Messias*, sive *Christus*. Ita Cabalistæ. Unde et S. Joannes, *Apoc.* I, 15 : « Pedes, ait, ejus (Christi), similes aurichalcho, sicut in camino ardenti. » Quia, ut explicat Rupertus, sicut aurichalcum, multis ignium impendiis ex ære perducitur ad colorem auri, ita illa humanitas, per multas tribulationes passionis et mortis, perducta est ad gloriam majestatis. Christus superne est electrinus, id est beneficus et pius in suos fideles et electos; inferne vero est igneus, id est vindex terribilis in peccatum, mortem, dæmones et reprobos. Iris in circuitu ejus, est gloria miraculorum ejus; item splendor operum, doctrinæ, sacramentorum, virtutum et gratiarum ejus. Iris enim, ut ait Virgilius :

Mille trahit varios adverso sole colores.

Rursum S. Gregorius, *homil.* 7 : A lumbis sursum, inquit, id est ante incarnationem, ignis erat in Judæa tantum intrinsecus, et non splendebat, quia Spiritus Sanctus in multis partibus Judæam repleverat, sed ad notitiam gentium non perveniebat : a lumbis vero et deorsum, ignis in circuitu splendet, quia post incarnationem longe lateque Spiritus Sancti gratia diffusa est : « Per lumbos enim propago mortalitatis signatur. De lumbis enim Abrahæ orta est virgo Maria, in cujus utero Dei Filius incarnatus est, ex qua incarnatione universo mundo innotuit Deus. » Pergit deinde ad iridem : « Una est, inquit, similitudo ignis, et arcus. In igne enim est ardor Spiritus Sancti, qui in arcu quoque signatur, in quo aqua et ignis apparent; et post Mediatoris adventum, eo virtus Spiritus Sancti in humano genere claruit, quo et aqua baptismi electos Dei lavit, et igne divini amoris accendit. Quasi enim admixto colore aquæ simul et ignis, quidam arcus in nube ad probationem ponitur, cum Veritas dicit : Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. Qui arcus in nube est in die pluviæ, quia in Dominica incarnatione, et in effusione prædicationis ostenditur, ut ad veniam corda credentium, Domino parcente, revocentur. »

Tropologice, electrum ignitum sunt Sancti, in camino tribulationis et charitatis, ac præsertim martyrii, probati, excocti et electi. Hi enim Deo sunt selecti, dæmonibus terribiles, aliis suo exemplo et fulgore admirabiles. De quibus dicitur *Sap.* III, 6 : « Tanquam aurum in fornace probavit illos, et quasi holocausti hostiam accepit illos. » Et *Isaiæ* XLVIII, 10 : « Elegi te in camino paupertatis. » Et *Daniel.* XI, 35 : « De eruditis ruent, ut conflentur, et eligantur, et dealbentur. » Hi sunt supra lumbos, ait S. Hieronymus, ubi sensus et

Tropologice, electrum ignitum est Sanctus in tribulatione.

ratio versantur, ideoque non indigent exteriori igne et flammis, sed pretiosissimo metallo et purissimo ; qui vero a lumbis deorsum sunt, ubi est coitus et generatio, ubi incentiva vitiorum, indigent purgatione flammarum, ut purgati habeant arcus, id est iridis, similitudinem. Hi ergo tribulatione fiunt divini, et quasi dii sedentes in throno Dei, superiores mundo, et calcantes omnia prospera et adversa. Hos stipant Cherubim et Angeli, eosque quasi victores triumphali et igneo curru, quasi novos Elias rapiunt et deducunt in cœlum. Rursum æs ignitum, est vita prædicantium sonans et ardens, uti docet S. Gregorius dicens : « Æs candens dicitur, quia vita prædicantium sonat et ardet : ardet desiderio, sonat verbo. » Nam cum desiderio rerum cœlestium, quas prædicat, ardet, eodem ardere facit et accendit auditores.

Mystice S. Bernardus, homil. *De duobus discipulis euntibus in Emmaus*, per scintillas quas electrum hoc proiicit, accipit radium jubilationis, qui ex fervida contemplatione, quasi ex igne, in mente resultat, et quasi scintillat : « Hic, inquit, est ille radius suavissimus contemplationis, quo anima per cincinnum capitis elevatur, cum meditatione exardescente, et oratione scintillante nascitur in corde jubilus quidam, scilicet mellifluus cordis risus, quem nemo scit nisi qui sentit, nec etiam ipse qui sentit, quia cito pertransit. Felix hora, sed brevis mora, quia factum est silentium in cœlo quasi media hora. Norunt experti quæ dico, qui hæc experientia suavitatis intimæ didicerunt : quia cum in fervore orationis admiscetur ardor meditationis, erumpit ille contemplationis radius de medio earum, quasi species electri, hoc est de medio ignis, et scintillæ quasi æris candentis, suspiria scilicet conscientiæ jubilantis. »

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Mittitur Ezechiel ad contumaces Judæos, ac vers. 8, accipit a Deo librum, in quo scriptæ sunt lamentationes, carmen et væ : ut per eorum comminationem, eos ad pœnitentiam, et ad Deum revocet, itaque ipsi minas has evadant (1).

1. Hæc visio similitudinis gloriæ Domini, et vidi, et cecidi in faciem meam, et audivi vocem loquentis. Et dixit ad me : Fili hominis, sta super pedes tuos, et loquar tecum. 2. Et ingressus est in me spiritus postquam locutus est mihi, et statuit me supra pedes meos : et audivi loquentem ad me, 3. et dicentem : Fili hominis, mitto ego te ad filios Israel, ad gentes apostatrices, quæ recesserunt a me : ipsi et patres eorum prævaricati sunt pactum meum usque ad diem hanc. 4. Et filii dura facie, et indomabili corde sunt ad quos ego mitto te : et dices ad eos : Hæc dicit Dominus Deus : 5. Si forte vel ipsi audiant, et si forte quiescant, quoniam domus exasperans est : et scient quia propheta fuerit in medio eorum. 6. Tu ergo, fili hominis, ne timeas eos, neque sermones eorum metuas : quoniam increduli et subversores sunt tecum, et cum scorpionibus habitas. Verba eorum ne timeas, et vultus eorum ne formides, quia domus exasperans est. 7. Loqueris ergo verba mea ad eos, si forte audiant, et quiescant : quoniam irritatores sunt. 8. Tu autem, fili hominis, audi quæcumque loquor ad te, et noli esse exasperans, sicut domus exasperatrix est : aperi os tuum, et comede quæcumque ego do tibi. 9. Et vidi, et ecce manus missa ad me, in qua erat involutus liber : et expandit illum coram me, qui erat scriptus intus et foris : et scriptæ erant in eo lamentationes, et carmen, et væ.

(1) Tria priora Ezechielis capita ejus inaugurationem vel institutionem in Prophetam exhibent : scilicet, postquam præcessit Dei ad munus propheticum Ezechielem vocantis repræsentatio allegorica (cap. I), sequitur ipsa inauguratio atque muneris suscipiendi institutio (cap. II); et oraculorum ab eo proferendorum argumenta, variis expressa imaginibus, atque ad munus cum alacritate obeundum exhortatio (cap. III.)

Præmissa igitur allegorica visione, auditur oraculum sedentis in throno, *primo*, excitans Prophetam, prius animo consternatum, nunc spiritu immisso erectum, II, 1-2 ; *secundo*, decernens eumdem tanquam legatum ad filios Israel apostatas et obduratos mittendum, 3-5; *tertio*, addens animos ad munus strenue obeundum, 6 8; *quarto*, confirmans eumdem dato ad comedendum tristis vaticinii librum mandato, 8-10.

1. HÆC VISIO SIMILITUDINIS GLORIÆ DOMINI (1). — *q. d.* Visio currus Cherubim, quatuor animalium quadrifacialium, quatuor rotarum plenarum oculis, firmamenti crystallini, solii et in eo sedentis regis, superne instar electri, inferne instar ignis, quæ vidi cap. I. Erat visio gloriæ ut magnificentiæ Domini, quam ipse his figuris et symbolis repræsentabat. Gloria enim Domini in se nulli mortali, sed solis Beatis visibilis est.

CECIDI IN FACIEM. — *Primo*, præ magna novitate et admiratione tantæ visionis. *Secundo*, præ timore et reverentia, quasi fasces suos submittens majestati, ait Fernandius, *visione* XIII, com. II, sect. VI. Si enim Seraphim velant ora coram Deo, ait Theodoretus, quidni cadat homo mortalis videns gloriam Dei? *Tertio*, ut adoraret Deum residentem in solio. Cadere enim in faciem, est gestus adorantis: cadere vero in dorsum, est gestus rejecti, obstinati, impœnitentis et reprobi, qui nequit se erigere et surgere. Ita in faciem cecidit Abraham, cum illi Deus loqueretur, *Genes.* XVII, 3, et Isaias, cap. XXI, 3, et Daniel, cap. IX, 3. In dorsum vero cecidit occiditque morte corporali Heli, I *Reg.* IV, 18, et Judæi capientes Christum, audientes ab eo: « Ego sum, » *Joan.* cap. XVIII, 6. Ita S. Hieronymus. De his ait Isaias, cap. XXVIII, 13: « Ut cadant retrorsum, et conterantur, et illaqueentur. »

VOCEM LOQUENTIS, — scilicet Dei e solio: sed dicit « vocem loquentis, » non Dei; quia turbatus, et cadens in faciem, loquentem videre et agnoscere non poterat. Simile contigit Paulo, dum a Christo dejectus et conversus est, *Actor.* IX, 4.

FILI HOMINIS. — Hebraice, *fili Adam*. Nam ab Adamo primo homine, et parente omnium, quivis homo dicitur *Adam, q. d.* O homo! Quia enim Ezechiel inter angelos, puta inter Cherubim, versabatur, hinc distinctionis causa vocatur homo. Idem contigit Danieli, cap. VIII, 17. Ita S. Hieronymus ibi, Maldonatus et Delrio, *adagio* 890. *Secundo*, ne propter sublimitatem visionis angelum te existimes, scito te esse filium hominis. Sic S. Paulus, II *Corinth.* XII, 7: « Ne magnitudo, inquit, revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ, qui me colaphizet. » Ita Theodoretus, *q. d.* Ne superbias, cum elevo te ad prophetiam hanc, et ad visionem tam admirabilem Dei et Cherubim, inquit Vatablus, quasi sis angelus; es enim Adam, id est homo, ab humo rubra, miser peccator, et filius Adæ. Memento quis sis ex infirmitate, ne extollaris de contemplationis magnitudine, ait S. Gregorius, *homil.* 14. Memento tuæ conditionis, ut videas quantum ab angelis quorum colloquio frueris, distes, idque grata mentis cogitatione pertractes. Ergo Ezechiel hic fuit typus Christi, qui post descensum in carnem vocatur « filius hominis. »

Addit Ribera in Commentariis non editis, quæ citat Delrio, *adagio* 890, Ezechielem præ aliis Prophetis toties vocari filium hominis, eo quod cap. I, 26, vidisset Deum in specie hominis solio Cherubico insidentem, indeque, Deo revelante, cognovisse Filium Dei pro nobis incarnandum, foreque filium hominis; quocirca mira dulcedine et devotione perfusum, ingens ardensque desiderium et amorem incarnationis Verbi concepisse, ideoque, inquit, vocatur Ezechiel filius hominis, quasi ardens amator Christi, qui futurus erat filius hominis, ac redemptionis ejus valde particeps futurus, sicut Daniel vocatur, cap. IX et X, « vir desideriorum, » quia ardebat desiderio liberationis et salutis populi sui. Hinc et Ezechiel, viso Deo specie hominis, non fuit exanimatus, nec perculsus, ut Daniel, cap. X, 8; sed cecidit in faciem præ magna lætitia et reverentia, ut Deum tam misericordem erga homines adoraret. Hæc sententia tam probabilis est quam pia. Esto enim Deus, vel Angelus Danieli, et Isaiæ, cap. VI, ac aliis Prophetis subinde specie hominis apparuerit, tamen illa species terrifica erat, et Prophetas percellebat: Ezechieli vero Deus magis blanda, humana ac benevola forma apparuit, tali nimirum qualem assumpsit factus homo. Unde Ezechiel, hac specie visa, sensit Dei incarnandi non timorem, sed suavem amorem sibi indi, quem significat vox *filius hominis*. Denique quod uni Ezechieli, qui in hac re fuit illustris, tribuitur, id de aliis Prophetis non negatur, sicut, cum dicimus S. Petrum fuisse fervidum in amore Christi, non negamus quin et Paulus fuerit. Tertia.

Moraliter, disce hic hominem non vocari אִישׁ *isch*, id est *virum*, a vi et robore, sed אָדָם *adam* ab *adama*, id est *terra* et *pulvere*, ex quo formatus est. Quid est ergo Adam, quid est homo? Moraliter, de miseria hominis.

Primo: « Homo quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet, » *Job* XIV, 2. Nullum enim vitæ spatium est aut metu liberum, aut calamitatibus vacuum, aut mœroribus solutum. Hinc homo mox ut nascitur, flere incipit. Et quis non fleret, dum nascitur, si videret omnes dolores et ærumnas sibi in vita subeundas?

Secundo: « Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri, » *Isaiæ* XL, 6. Vide ibi dicta.

Tertio: « Quæ est vita vestra? vapor est ad modicum parens, et deinceps exterminabitur, » ait S. *Jacob* IV, 15.

Quarto, homo instar umbræ, somnii, venti, avis et navis pertransit, nec post se relinquit vestigium, *Sap.* V, 9.

Quinto: « Universa vanitas, omnis homo vivens, » *Psalm.* XXXVIII, 6. Unde recte Ecclesia in die cinerum: « Memento, ait, homo, quia pulvis es et in pulverem reverteris. » Quid ergo superbis, terra et cinis? Quid intumescis, o homo! qui vitreo vase fragilior es? ait S. Augustinus.

(1) Mediam partem hujus versus usque ad hæc verba: « Et dixit ad me: Fili hominis, » etc., Hebræi cum superiori capite conjungunt quasi ejus epilogum.

Vis Gentiles? *Primo,* Aristoteles apud Stobæum : « Quid, ait, est homo? est imbecillitatis exemplum, temporis spolium, fortunæ lusus, inconstantiæ imago. » Atque hoc est animal, quod tantos molitur tumultus, et cujus cupiditatibus angustus est hic orbis.

Secundo : « Homo nihil aliud est quam ipsa calamitas, » ait Herodotus.

Tertio, Philosophus quidam : « Homo, ait, est mancipium mortis, hospes loci, viator transiens. » Interrogatus idem quomodo se haberet, respondit : « Ut lucerna ad ventum, quæ cito exstinguitur; ut scintilla in mari, quæ cito ab undis sorbetur; ut spuma gracilis, quæ cito a procella dispergitur; ut lanugo, quam subito rapit et dispellit ventus. » Idem ait Sapiens, *Sapient.* v.

Quarto, Sophocles in *Ajace* : « Video, ait, nos nihil aliud esse nisi simulacra, quotquot vivimus, aut tenuem umbram. » Homerus *Iliade* ζ : « Qualis, ait, foliorum generatio, talis est hominum. » Pindarus : « Homo est umbræ somnium. » Seneca : « Homo est animal ad omnem fortunæ contumeliam projectum. » Zeno Imperator : « Ludibrium Dei est homo. »

STA SUPER PEDES. — Id est ne timeas, ait Polychronius, non enim venio, ut te puniam, sed ut eligam in Prophetam populi. *Secundo,* Apollinaris : « Stantis, ait, est divinorum auditio, non resupini, » *q. d.* Erige te, resume vires corporis et animi, quas ex consternatione perdidisti, ut audias et capias, quæ tibi dicturus sum.

Tropologice, Sancti stant erecti supra terrena.

Tropologice, S. Hieronymus : Sanctorum est stare : « State succincti lumbos, » *Ephes.* VI, 14. Nam de peccatoribus dicitur : « Non stabunt (ita habent Hebræa) impii in judicio, » *Psalm.* I, 6; et S. Gregorius hic *hom.* 9 : « Jacenti, inquit, dicitur ut surgat; stanti autem præcipitur, ut ad prædicationem proficisci debeat. Adhuc enim nobis in infirmitatis confusione jacentibus, præberi non debet auctoritas prædicationis. »

Denique vir sanctus, præsertim Dei præco, stet oportet supra mundana omnia erectus, menteque fixus in cœlo. Nam, ut vere ait Cyprianus, epist. *ad Donatum* : « Mundus hic arridet, ut sæviat; blanditur, ut fallat; illicit, ut occidat; extollit, ut deprimat. Fœnore quodam nocendi, quam fuerit amplior summa dignitatis, tam major exigitur et usura pœnarum. » Viderunt idipsum Gentiles, sed per umbram. Hinc Alcinous, lib. *De Doctrina Platonis,* ait : « Philosophiam esse solutionem animæ a corpore, et conversionem quamdam ad ea quæ vera sunt atque divina. »

Vers. 2. 2. ET INGRESSUS EST IN ME SPIRITUS, — id est divina virtus, ait Theodoretus, et, ut S. Gregorius et S. Hieronymus (1), Spiritus Sanctus tetigit me et erexit. *Secundo,* « spiritus, » scilicet animalis, et vigor cordis et corporis quem metus ademerat, Deo me confortante rediit meque erexit, *q. d.* Rediit ad me animus meus. Prior sensus germanior videtur, tum quia de eo subdit : « Et statuit me super pedes meos; » tum quia, cap. III, 24, repetens hæc verba, significat se de Spiritu Dei loqui; ait enim : « Et ingressus est in me spiritus, et statuit me super pedes meos; et locutus est mihi, et dixit ad me : Ingredere, et includere in medio domus tuæ. »

Vers. 3. 3. MITTO EGO TE AD FILIOS ISRAEL (ut prophetes, tam iis qui in Jerusalem, quam iis qui in Babylone captivi sunt), AD GENTES, — scilicet ad Judæos, qui gentium idola et vitia secuti, recte contemptim *Gentes* vocantur (2). Judæi enim prævaricati sunt pactum Dei, quod sequitur. Alii accipiunt per *Gentes,* Moab, Ammon, etc.

APOSTATRICES, QUÆ RECESSERUNT. — Hebraice, *ad rebelles, quæ rebellarunt in me,* vel irritaverunt me; Septuaginta, *quæ in amaritudinem me convertunt,* id est bilem amaram mihi movent; quia nimirum pactum meum, puta conditiones pacti, cum eis per Mosen initi, *Exodi* XXIV, 8; nimirum leges meas, violarunt.

4. ET FILII DURA FACIE. — Hoc est, ut aliqui vertunt, *pertinaces faciebus,* vel *frontibus,* id est, ut Theodoretus et Vatablus, *impudentes,* quos sceleris non pudet, ut effrontes publice scelera patrent, imo de iis glorientur. Sic Cicero *pro Quintio* ait : « Dixi mihi videri ore durissimo esse. » Et in *Pisonem* : « Os tuum ferreum. » Et Seneca : « Durus hic vultus lacrymare nescit. »

Duricordes. ET INDOMABILI CORDE, — obstinato, obdurato animo, cervicosi; et, ut Septuaginta vertunt : στερεοκάρδιοι, i. e. *duricordes,* atque ut Isaias ait cap. XLVIII, 4, frontis æreæ, qui nec minis, nec promissis, nec flagellis ad pœnitentiam induci possunt, vel a malo deterreri. Ita Origenes et Theodoretus. Hebraice חזקי ליב *chiske leb,* id est *fortibus corde,* id est duris et obstinatis, quibus apposite Deus opponit חזקי אל *chiske el,* id est *fortes Dei,* puta Ezechielem (illud enim est ejus etymon) et similes Prophetas. Sic « siliceus homo » a Seneca, lib. III *De Ira,* cap. VII, vocatur durus, et ab Horatio « scopulis durior Icari. » Cassiodorus in *Psalm.* XCIV : « Non credentium corda, inquit, omnino lapidea sunt, et vere silicibus comparanda. » Ennius *Andromache* : « Quasi ferrum, aut lapis durat. » Cassiodorus rursum in *Psalm.* XXXIV : « Saxeo, ait, stupore durata sunt pectora. »

Duri dure increpandi, verecunde moderate. Duri enim dure increpandi sunt, ut durities eorum contundatur, uti docet Apostolus *ad Titum*

(1) « Præceperat Prophetæ sermo divinus et jusserat, inquit Hieronymus : Sta super pedes tuos; sed sine auxilio Dei et adventu Spiritus Sancti stare non poterat, propterea ingreditur in eum, sive assumit et suscitat, ut firmo sit gradu. »

(2) Et revera, nomen גוים *goim,* quo hoc loco Israelitas appellat, probri aliquam notam habere videtur, quasi non amplius *Dei populus,* לא-עמי *lo ammi, Osee* cap. I, 9.

cap. I, 13, et S. Gregorius, III part. *Pastor.* cap. VIII : « Aliter, ait, admonendi sunt impudentes, aliter verecundi. Illos namque ab impudentiæ vitio, non nisi increpatio dura compescit : illos autem ad melius exhortatio modesta componit. » Ita fecit S. Stephanus, *Actor.* VII, 51. Nota hic Deum obduratis non negare gratiam sufficientem (alioqui enim viderentur ipsi esse extra statum salutis, et quasi damnati, nec possent resistere tentationibus vehementibus, sed necessario succumberent iis, ac peccarent) : qua si utantur, sensim majorem accipiunt et majorem, ut tandem vere pœniteant, convertantur et salventur. Hac enim de causa Deus eos vocat et invitat ad pœnitentiam, eisque offert suam gratiam, quasi cupiens eos sibi rursum adoptare in filios. Vide Cardinalem Bellarminum, lib. II *De Gratia et liber. Arbitr.* cap. V. Admirare hic clementiam, et viscera misericordiæ Dei nostri.

ET DICES AD EOS : HÆC DICIT DOMINUS, — *q. d.* Tu prophetabis, uterisque præfatione solita Prophetis dicendo : « Hæc dicit Dominus, » *q. d.* Ego te ex nunc constituo Prophetam, ut nomen meum tuis dictis præferas, dicasque quasi Propheta : « Hæc dicit Dominus. » Ita Vatablus. Porro quidnam sit dicturus, quidque eis per eum dici velit Dominus, audiet in sequentibus.

5. SI FORTE VEL IPSI AUDIANT, ET SI FORTE QUIESCANT (scilicet a peccato, inquiunt Chaldæus et Septuaginta, *q. d.* Dico « si forte. » Nam non ausim certo polliceri quod audient, et quiescent) : QUONIAM DOMUS EXASPERANS EST, — *q. d.* Volo te Judæis etiam aversis et invitis concionari, quia « sæpe fit ut audientes verbum moleste, susciant fructuose, » inquit S. Hieronymus.

Secundo, ex Hebræo sic vertunt et explicant Vatablus, R. David et Maldonatus, *sive audiant, sive cessent*, id est loqueris ad eos, sive audiant te, sive non, quod posterius, spectando eorum indolem, magis credo futurum, « quoniam domus exasperans est, » *q. d.* Esto sint duri et exasperantes, volo tamen te eis prædicare, ut sciant me eis non defuisse ; sed Prophetam et prædicatorem, qui eos libere salutis et officii sui moneret, misisse. Hunc esse sensum colligitur ex cap. III, vers. ult., ubi hæc eadem verba repetuntur, et sensu jam dicto accipiuntur : eodem sensu ergo et nostra versio accipienda videtur, *q. d.* « Et si forte quiescant, » scilicet ab audiendo, hoc est, si audire nolint, vel negligant, *q. d.* Sive audiant, sive non audiant, tu tamen eis concionare.

QUONIAM DOMUS EXASPERANS EST. — Hebraice בֵּית מְרִי *bet meri*, quod *primo* verti potest, *domus mutabilitatis* et defectionis, sive apostasiæ est ; *secundo, domus amaritudinis*, sive domus amaricans et exasperans, et, ut Septuaginta vertunt, *irritans*, scilicet Dominum ; *tertio*, *domus rebellionis*. Ita Chaldæus, Vatablus, Maldonatus et alii, *q. d.* Quamvis Judæi, ad quos te mitto, sint contumaces, rebelles, intractabiles, ideoque me ad iram et indignationem concitent, tamen ne timeas eos.

ET SCIENT QUIA PROPHETA FUERIT IN MEDIO EORUM, — *q. d.* Si audire nolint, inexcusabiles erunt, nec me arguent ; utpote qui eos monui et feci quidquid potui, ut se corrigerent. Sic Deus obduratis dat gratiam, licet prævideat eam fore cassam, idque facit ad suam justificationem ; ut ostendat per se non stetisse, quo minus salvarentur. Id patet in Pharaone. Ita Theodoretus.

6. QUONIAM, — *q. d.* Præmoneo te ne timeas, ut virum te præbeas, quoniam ad incredulos et rebelles mitto te. Vel, *quoniam*, id est quamvis. Vide *Can.* XVI et XXIV. Ita Scholiastes.

INCREDULI, — id est inobedientes, rebelles ; Septuaginta, *insanientes ; quasi boves*, ait Theodoretus, *æstro agitati* ; Vatablus, *contentiosi*. Hebraice סָרָב *sarab* alibi non reperitur. Noster accipit pro סָרַר *sarar*, id est renuere, declinare, avertere se, rebellare.

ET SUBVERSORES. — Vatablus et Hebræi vertunt, *quasi spinæ*, id est, ut Vatablus, *spinosi* ; Chaldæus, *duri* ; Noster vertit, *subversores*, qui alios sua mala doctrina vel exemplo subvertunt, dantque scandalum ; unde cap. III, 20, vertit, *offendiculum*.

SUNT TECUM. — Septuaginta et Chaldæus, *sunt contra te*, *q. d.* Esto res tibi sit cum hominibus rebellibus et asperis, qui quasi spinæ pungere solent eos qui secum agunt, suosque monitores ; tu tamen ne timeas, sed audacter eos increpa.

ET CUM SCORPIONIBUS HABITAS. — *Scorpio* est animalculum venenatum, habens aculeum in cauda aduncum et fistulatum, quo arcuato vulnere ferit, et rupta fistula venenum diffundit. Norunt hoc Itali.

Secundo, Vatablus vertit, *cum spinis*, quia scorpio etiam significat flagellum aculeatum, referens ungues scorpionum, ut patet III *Reg.* XII, 11, ubi dicitur : « Cædam vos scorpionibus. » Notat Judæos, Prophetarum carnifices et flagellatores. Sic enim scorpii utrinque pungunt eos, qui se tangunt. *Secundo*, in voce scorpionum, notat pseudoprophetas pestilentissimos, qui ore blandiuntur, dicentes : Hæc dicit Dominus : sed cauda, id est in fine, venenum impietatis instillant. Vide Viegas in *Apoc.* IX, *Comment.* II, section. XII, ubi scorpiones docet esse hæreticos, ob sex utrorumque analogias et similitudines.

EXASPERANS. — Chaldæus, *rebellis*, *contumax* ; Septuaginta, *irritans*, scilicet me. Vide dicta vers. 5.

7. ET QUIESCANT. — Hebraice, *et si quiescant* ; Vatablus, *sive audiant, sive non audiant*. Vide dicta vers. 5. Vers. 7.

8. ET NOLI ESSE EXASPERANS, — id est rebellis, et irritans Dominum, sicut illi sua inobedientia et rebellione irritant, *q. d.* Noli resistere Spiritui Sancto, qui te vocat ad prophetandum et prædicandum rebellibus ; sicut illi, eidem vocanti ad pœnitentiam resistunt, noluntque audire eum per Prophetas loquentem, sed ab iis se avertunt.

APERI OS TUUM. — Origenes : Aperi vasa animæ tuæ, ad excipienda eloquia mea, id est ea memoriæ manda, ac retine, *q. d.* Quidquid a me acceperis et audieris, æquo animo excipe, nihil recusa, nihil rejice, nihil dissimula, omnia dicito, omnia populo denuntiato.

9. INVOLUTUS LIBER. — Hebraice, *volumen libri.* Veteres enim in consutis pergamenis, sive pellibus et membranis scribebant, easque in spiras et cylindrum convolvebant, cumque legere vellent, eas revolvebant et explicabant. Antiqui in corticibus arborum contortis, ut sunt, scribere cœperunt, deinde in membranis, hædinisve chartis, quas pergamenas vocant, credentes Pergami urbe Troadis primum inventas ab Attalo rege, qui cum Eumene sibi successore celebrem illam bibliothecam, exemplaribus undiquè conquisitis, hædinis chartis construxisse dicitur. Verum chartæ hædinæ antiquiorés sunt Troade et Pergamo : nam illis usus est Moses; quare et volumina vocavit, quod membranæ proprium est in spiras sponte convolvi. Mos autem erat, ut servarentur illæsæ, eas convolvere circa virgam cedrinam, vel alterius pretiosæ materiæ, cui extremum membranæ colligatum erat. Meminit Ovidius ejus consuetudinis :

Scribebant prisci in corticibus arborum, deinde in pellibus.

Nec titulus minio, nec cedro charta notetur,
Candida, nec nigra cornua fronte geras.

Eum autem morem convolvendi librum, existimo observatum in instrumentis magni momenti : alioqui litteras familiares Lacedæmoniorum ad Judæos quadrangula forma complicatas, testatur Josephus, lib. XII *Antiq.* cap. v, dicens : « Portitor litterarum Dimo tales epistolas vobis defert quadrangulo scriptas, figmentum habentes aquilam, » etc. Unde cognoscimus alios atque alios complicandarum chartarum modos apud hos, vel illos exstitisse. Meminit voluminis D. Lucas dicens, *Luc.* IV, 17 : « Ut revolvit librum. » Est eadem phrasis etiam in *Psalm.* XXXIX, 9 : « In capite libri scriptum est de me. » Ita enim vertunt Septuaginta. Hebraice etiam legimus, *in volumine libri,* hoc est, in Pentateucho, seu quinque libris legis, qui antonomasticè appellantur *volumen* a Davide, quod exarati essent oblonga et continenti charta, ex multis membranis consuta, quæ duabus columellis hinc inde astantibus alligata convolvebatur et revolvebatur : quem ritum hodie observant Judæi in synagogis, legis volumen eo quo diximus, apparatu custodientes. Et cæteri quidem libri sacri, ut Psalmi, vel Prophetæ, in membranis scripti erant; quæ convolutæ claudebantur, revolutæ explicabantur, ut vidimus ex Luca. Verum lex, sive explicanda esset, sive complicanda, semper volvebatur in spiras circa unum vel alterum cylindrum. Ita Prado.

EXPANDIT, — ut prophetiam eo scriptam intelligerem, et intellectam Judæis annuntiarem. Ita Polychronius.

SCRIPTUS INTUS ET FORIS. — Id est, ut Syrus, *ante et retro* (unde Septuaginta vertunt, *anteriora et posteriora*), sive in facie et in tergo; et, ut Arabicus, *scriptum erat dorsum ejus, et venter ejus,* id est anterior et posterior, pars : hoc est, pagina tam aversa, quam adversa, puta, undequaque. Veteres hosce libros vocabant Opisthographos, quod a tergo scripti essent; ab ὄπισθεν, id est *retro*, et γράφω, id est *scribo*. De quibus Juvenalis, *satyra* 1 :

Opisthographi libri, qui

Scriptus et in tergo, necdum finitus Orestes.

Et Plinius, *epist.* 49 : « Commentarios 160 mihi reliquit opisthographos, et minutissimis characteribus. » Ad eamdem formam opisthocomæ dicebantur Euboici, qui comam, ut ait Pollux, per terga fusam alerent : sicut acrocomæ Thraces, qui antias in frontem muliebriter demitterent.

Significat hic liber opisthographus prophetiam fore prolixam, ait Vatablus, eamque tam multa mala, quæ Judæis impendebant continere, ut totum volumen implerent intus et foris. Ita Maldonatus. Porro Origenes : « Ante, » inquit, scriptum erat « carmen, » id est promissa sanctis, et vita Beatorum; « foris, » sive retro, scripta erant supplicia peccatorum, scilicet, « lamentum, » peccatoribus non desperatis; « væ, » desperatis et puniendis, quod mox examinabo. Verius enim est, tam ante, quam retro, non nisi mala et minas scripta fuisse. Ita sanctus quidam senex vidit angelos deferentes librum scriptum intus et foris ad S. Ephrem (utpote mitem, et humilem corde) : et surgens mane, audivit ex ore ejus divinos sermones omnis compunctionis et timoris divini, velut ex fonte aliquo scaturientes, et agnovit senex a Spiritu Sancto illa suggeri, quæ ex illius ore manabant. Ita Auctor *Vitæ S. Ephrem.* Sic Moses a Deo accepit tabulas lapideas legis, in quibus digito Dei scriptus erat decalogus : ac per hoc quasi consecratus est legislator et doctor populi, *Exodi* XXXI, 18. Sic Zacharias, cap. V, 1, vidit « volumen volans, » audiitque : « Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem omnis terræ. » Sic Jeremias, dictans sua oracula scribæ suo Baruch, « ex ore suo loquebatur quasi legens » ex libro, *Jerem.* XXXVI, 18. Sic S. Gregorius Thaumaturgus, jussu B. Virginis a S. Joanne Apostolo in somnis Symbolum accepit, quod doceret, et Origenistis opponeret, ait Nyssenus in ejus Vita. Atque hinc videtur manasse mos, ut doctores creentur porrigendo eis librum, Aristotelis in Philosophia, Codicis in Jure, Bibliorum in Theologia. Hinc S. Dominicus, orans in templo S. Petri, vidit S. Petrum scipionem ad peregrinandum, et S. Paulum librum sibi dantem, dicentemque : « Vade, concionare, divinitus ad id ministerium electus. » Ita habet ejus Vita, lib. II, cap. I.

Libro cœlitus accepto consecrati quasi Prophetæ et Doctores.

Mystice S. Gregorius, *homil.* 9 : « Sacra Scriptura, ait, est liber scriptus intus per allegoriam, foris per historiam. Intus, quia invisibilia promittit : foris, quia visibilia præceptorum suorum rectitudine disponit. Intus, quia cœlestia pollicetur :

S. Scriptura scripta intus et foris, quomodo?

foris autem, quia terrena contemptibilia qualiter sunt vel in usu habenda, vel ex desiderio fugienda, præcipit. Involutus est, ut ipsa obscuritas occasio sit plurium sensuum,» insuper et studii ac meditationis, ut illum evolventes, sensim ad divina mentem attollere discamus, ait S. Dionysius, cap. I *Cœlest. Hierarchiæ.*

Symbolice, liber involutus significat arcanum consiliorum et decretorum Dei. Hic scriptus est intus et foris, quia plurima, imo infinita Dei consilia in eo scripta sunt. Est involutus, quia in Dei mente reconditus; sed a Deo Prophetis panditur et communicatur, cum ipse illis sua decreta revelat. Ubi nota : in Deo est quasi triplex liber. *Primus*, creationis et creaturarum, de quo dicitur *Psalm.* CXXXVIII, 16 : « In libro tuo omnes (res) scribentur. » *Secundus*, legum et obligationum, de quo dicitur *Baruch* IV, 1 : « Hic liber mandatorum Dei, et lex, quæ est in æternum. » *Tertius*, providentiæ particularis circa quamlibet creaturam, maxime hominem et angelum, qua v. g. hos in particulari ob merita præmiare, illos ob demerita punire decernit, singulisque suam sententiam dictat, eamque in mente sua quasi conscribit, de quo dicitur, *Psalm.* LXVIII, 29 : « Deleantur de libro viventium.» *Primus* liber est idearum ; *secundus*, legis æternæ ; *tertius*, mortis aut vitæ, uti hic Ezechieli datus est liber mortis. In *primo* enim scriptæ sunt ideæ rerum, in *secundo* leges æternæ Dei, in *tertio* damnandi et salvandi. Ideæ sunt conceptiones, et exemplaria creaturarum singularum in mente divina, secundum quas Deus singulas creat et producit, de quibus ait S. Augustinus, quod in mente Dei sint, vivantque immobiles et sempiternæ rerum omnium rationes. Lex æterna, est conceptus rei gubernandæ, præscribens creaturæ quomodo ipsa debeat operari congrue, vel ad naturam, si irrationalis; vel ad rationem, si rationalis sit. Aut, ut docet S. Thomas, I II, *Quæst.* XCIII, art. 1, lex æterna est summa ratio in mente divina, secundum quam dirigit omnes creaturarum actiones et motus in suos fines; puta, est actus divinæ mentis, quo concipit et judicat regulas practicas necessariæ et æternæ veritatis, ad quas naturaliter quælibet creatura obligatur, quasque Deus cuique imprimit, v. g. homini Deum esse amandum, parentes honorandos, nemini faciendam injuriam. Sicut ergo idea est ratio et conceptus rerum creandarum in mente divina : ita lex æterna in eadem est conceptus rerum gubernandarum: quo scilicet concipit et judicat, quomodo quælibet creatura debeat suas functiones obire, adjuncta simul voluntate eam obligandi, vel imprimendi ei inclinationem ad eam regulam sequendam. Hinc sicut ideæ sunt plures (quæcumque enim creatura suam ideam habet in Deo), ita sunt plures leges æternæ in mente divina respectu diversarum rerum, quæ alio et alio modo gubernantur, et etiam respectu diversorum operum quæ diversis regulis dirigun-

tur. Alia enim est lex cœlorum, alia aquarum, alia ignis, grandinis, nivis, glaciei, quæ faciunt verbum ejus. Nam regulæ secundum quas hæc reguntur, diversæ sunt, et conceptus divinæ mentis inter se ratione distinguuntur. Unde S. Augustinus, IX *De Civit.* XXII, ait angelos in æternis Dei legibus, qui in ejus sapientia vivunt, mutationes temporum prævidere, indicans multas esse leges æternas in Deo. Hæ leges particulares sunt una Dei lex generalis et æterna, imo sunt una eademque res in Deo; omnes enim identificantur cum divina essentia. Hæc lex dicitur liber Dei : quia Deus illam ab æterno concepit, et in mente sua quasi in libro justitiæ descripsit, ac voluit ad eam subditos, qui in ejus sapientia erant, obligare, quando inciperent esse in tempore. Unde S. Augustinus, lib. II *De Ordine*, cap. VII, docet legem hanc quæ est in Deo, esse disciplinam vitæ : « Hæc, ait, disciplina ipsa Dei lex est, quæ apud eum fixa et inconcussa semper manens, in sapientes animas quasi transcribitur, ut tanto se sciant vivere melius, tantoque sublimius, quanto et perfectius eam contemplantur intelligendo, et vivendo custodiunt diligentius. » *Tertius* liber vitæ et mortis est, in quo sigillatim et nominatim describuntur ii, qui legem æternam Dei servant, et qui eam violant : hi enim morti, illi vitæ a Deo destinantur; uti Judæi hic excidio et morti destinabantur : unde in hoc eorum libro Ezechieli tradito, scriptæ erant lamentationes, carmen et væ. Hic ergo liber Ezechielis creatus et temporalis, descendit et derivatur ab illo increato et æterno, qui est in mente Dei, tanquam radius a sole, rivus a fonte, flumen a mari.

CARMEN.— Septuaginta, melos, scilicet lugubre, ut patet ex sequent. Vocat « carmen, » vel quia modulatum, vel potius, quia erat formula quædam conceptis verbis composita ad funus, qua plangebant defunctum. Unde hebraice dicitur הגה *hege*, id est meditatio, quia præmeditata et lugubris. Vatablus et Maldonatus vertunt, *gemitus, q. d.* Scripta erant in eo excidium urbis et templi, exsilium et captivitas Judæorum, omniaque mala eis eventura. Hic ergo liber non continebat totam prophetiam Ezechielis : nam in ea sunt etiam multa læta, multaque promissa; sed tantum priorem ejus partem, quæ minax est, tristis et funesta.

ET VÆ. — « Væ » significat vocis gemitum, et tunsionem pectoris, cum querimonia. Hinc dicitur *Jerem.* XXII, 18 : « Væ, frater! væ, soror! » Est ergo auxesis infortunii et calamitatis, id est captivitatis Judæorum, quæ sensim crescebat, donec Sedecias cum omnibus abductus est. Nam « lamentatio » est simplex planctus, « carmen » est vehementior et præmeditatus : « væ » etiam tunsionem et complosionem significat. Hinc S. Maria Oigniacensis sub mortem, peracta peccatorum pœnitentia, inde ex spe gloriæ jubilans : « Præcesserunt, inquit, lamentationes, me pro peccatis lugente : præcessit carmen, me propter bona sempiterna exsultante

et jubilante; et ecce sequitur væ infirmitatis et mortis: » quod tamen væ, puta naturalis de morte doloris sensus, mox versum est ipsi in jubilum, cum a Christo, B. Virgine et Sanctis se ad cœlestes nuptias vocari intellexit. Ita Jacob de Vitriaco Cardinalis, lib. II Vitæ ejus, cap. XI et sequent.

Secunda Aquilæ. Aquila pro *lamentationes, carmen et væ* vertit, πτίσις, id est *creatio* (hebraice קינים *kinim* a קנה *kana*, id est condere, possidere, deducit), καὶ ἀνείδισις, id est *exemplar* vel *collatio* (hoc enim est Hebraicum הגה *hege*, id est meditatio; et meditari significat tota intentione incumbere, uti pictores in exemplar, vel autographum, ut illud in antigraphum exprimant), καὶ ἔσται, *et erit*: Hebræum enim הי *hi* non a נהה *naha*, sed ab היה *haia*, id est *sum*, deducit, *q. d.* Hæc tria erant in libro scripta, *fabrica, exemplar, et erit*: sicut, *mane, tekel, phares*, hoc est numerus, pondus, divisio; hoc est, ratio petita de regno, rationis examen, et sententia de dividenda et transferenda monarchia Chaldæorum in Persas, scripta fuerunt in pariete, et ostensa Balsasari, *Daniel.* V, 25. *Fabrica* ergo significat urbem, templum, regnum et sacerdotium Judæorum a Deo condita et instituta: *exemplar* significat hæc omnia transfusa a Judæis ad gentes, ibique restituta, scilicet apud christianos: *erit* significat, hanc Dei de eis sententiam fore irrevocabilem; item æternitatem regni et sacerdotii in populo christiano. Hæc enim est summa prophetiæ Ezechielis. Ubi nota bona Synagogæ fuisse exemplar et typum bonorum Ecclesiæ. Hic est sensus juxta versionem Aquilæ; nam nostra versio non nisi mala complectitur.

Tertia R. Salomonis. *Tertio*, R. Salomon: « Lamentationes, » ait, sunt dolores justorum in hoc sæculo; « carmen, » præmium Sanctorum in futuro, ut canant alleluia; « væ, » tormenta impiorum in futuro sæculo. Vide Irenæum, *epist.* 46 et 48: « In scriptura, ait, pœnitens plangitur, justus canitur, maledicitur desperans. » Et S. Gregorium hic, *homil.* 9, « lamentationes » ait esse pœnitentium, « carmina » beatorum, « væ » damnatorum. In sacro, inquit, volumine, id est Scriptura sacra, tria scripta sunt: *primo*, « lamentationes », quia in eo scripta est pœnitentia peccatorum; *secundo*, « carmen », quia ibi prænuntiantur gaudia justorum: unde « carmen in nocte, est lætitia in tribulatione; » *tertio*, « væ » quia illic expressa est damnatio obstinatorum et reproborum. Ita et S. Hieronymus. Quocirca pie concludens S. Gregorius: « Quid igitur, fratres, inquit, quid agendum est miseris nobis, nisi ut evigilemus ad hujus verba voluminis, et mala quæ nos egisse meminimus fletibus puniamus, ut per lamenta pœnitentiæ, perveniamus ad carmen vitæ? Ne, si affligi modo pœnitendo nolumus, væ postmodum sine fine sentiamus. » Sic et S. Ambrosius, lib. II *De Pœnitentia*, cap. VI: « Ezechiel, ait, jussus est flere Jerusalem, et accepit librum, in cujus capite scripta erant lamentatio, et melos, et væ: duo tristia, et unum delectabile: quoniam ille salvus erit in futuro, qui in hoc sæculo plus fleverit. »

S. Chrysostomus in cap. VI *Isaiæ*, ubi excæcationi Judæorum miscetur hymnus Seraphicus: « Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus sabaoth, » quærit cur criminum exprobrationibus misceantur carmen et melodia? ac respondet: Ut, inquit, modulatione carminum peccator erigatur, nec ex conscientia criminum, eorumque objurgatione cadat in animi dejectionem, et desperet; sed ita doleat, plangatque peccata, ut in spem veniæ, lætitiæ et gloriæ cœlestis assurgat.

Hinc patet Aquilam, Origenem, S. Hieronymum, S. Ambrosium, S. Gregorium, R. Salomonem et alios, per *carmen* accepisse læta promissa. Quæ sententia ob tot tamque graves auctores probabilis est; licet contraria videatur textui conformior, ut nimirum « carmen » interjectum inter « lamentationes » et « væ, » ejusdem cum iis sit rationis, sitque carmen triste et threnodum. Omnia enim hæc minacia sunt et funesta.

Nota: S. Joannes, in suis Apocalypticis visionibus, sæpe alludit ad visionem Ezechielis et Danielis. Ita ad hanc visionem Ezechielis alludit, cap. IV et V. Sicut enim Joannes, cap. IV, vidit Deum in augusto solio residentem, et circumamictum iride stipari a quatuor animalibus: ita eodem schemate eumdem stipari a quatuor Cherubinis vidit Ezechiel, cap. I. *Secundo*, sicut S. Joannes, cap. V, vidit in dextera Dei librum signatum, scriptum intus et foris, continentem futura, ac præsertim persecutiones Ecclesiæ, et plagas orbi a Deo immittendas sub tempora Antichristi: ita Ezechiel hoc cap. II, vidit a Deo sibi mitti librum, in quo intus et foris scriptæ erant « lamentationes, carmen, et væ; » puta prophetiam hoc libro ab eo conscriptam de excidio Hierosolymæ et aliarum gentium per Chaldæos.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ezechiel comestione libri, visione gloriæ Dei, crebra jussione et corroboratione Dei, factus quasi adamas, excitatur ut libere prophetet Judæis obstinatis. Hinc secundo, vers. 12, *Spiritu Dei transfertur ad Judæos habitantes juxta Chobar, cum eisque sedet mœrens septem diebus. Inde speculator a Deo constituitur, jubeturque sub pœna mortis, mortem ex parte Dei denuntiare impiis. Tertio, vers.* 23, *rursum videt gloriam Dei, ab eoque domi includitur, et quasi amens ligatur, fitque elinguis; ut hac sua inclusione, et silentio, repræsentet urbis obsidionem* (1).

1. Et dixit ad me : Fili hominis, quodcumque inveneris comede : comede volumen istud, et vadens loquere ad filios Israel. 2. Et aperui os meum, et cibavit me volumine illo : 3. et dixit ad me : Fili hominis, venter tuus comedet, et viscera tua complebuntur volumine isto, quod ego do tibi. Et comedi illud : et factum est in ore meo sicut mel dulce. 4. Et dixit ad me : Fili hominis, vade ad domum Israel, et loqueris verba mea ad eos. 5. Non enim ad populum profundi sermonis, et ignotæ linguæ tu mitteris, ad domum Israel : 6. neque ad populos multos profundi sermonis, et ignotæ linguæ, quorum non possis audire sermones : et si ad illos mittereris, ipsi audirent te. 7. Domus autem Israel nolunt audire te : quia nolunt audire me, omnis quippe domus Israel attrita fronte est, et duro corde. 8. Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, et frontem tuam duriorem frontibus eorum. 9. Ut adamantem, et ut silicem dedi faciem tuam : ne timeas eos, neque metuas a facie eorum : quia domus exasperans est. 10. Et dixit ad me : Fili hominis, omnes sermones meos, quos ego loquor ad te, assume in corde tuo, et auribus tuis audi : 11. et vade, ingredere ad transmigrationem, ad filios populi tui, et loqueris ad eos, et dices eis : Hæc dicit Dominus Deus : si forte audiant, et quiescant. 12. Et assumpsit me spiritus, et audivi post me vocem commotionis magnæ : Benedicta gloria Domini de loco suo; 13. et vocem alarum animalium percutientium alteram ad alteram, et vocem rotarum sequentium animalia, et vocem commotionis magnæ. 14. Spiritus quoque levavit me, et assumpsit me : et abii amarus in indignatione spiritus mei : manus enim Domini erat mecum, confortans me. 15. Et veni ad transmigrationem, ad acervum novarum frugum, ad eos qui habitabant juxta flumen Chobar, et sedi ubi illi sedebant : et mansi ibi septem diebus mœrens in medio eorum. 16. Cum autem pertransissent septem dies, factum est verbum Domini ad me, dicens : 17. Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel : et audies de ore meo verbum, et annuntiabis eis ex me. 18. Si dicente me ad impium : Morte morieris : non annuntiaveris ei, neque locutus fueris ut avertatur a via sua impia, et vivat : ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram. 19. Si autem tu annuntiaveris impio, et ille non fuerit conversus ab impietate sua, et a via sua impia : ipse quidem in iniquitate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti. 20. Sed et si conversus justus a justitia sua fuerit, et fecerit iniquitatem : ponam offendiculum coram eo, ipse morietur, quia non annuntiasti ei : in peccato suo morietur, et non erunt in memoria justitiæ ejus, quas fecit : sanguinem vero ejus de manu

(1) Primis versibus hujus capitis quod nulla alia synopsi præter supra positam indiget, repræsentatur symbolice quod infra vers. 1° propriis verbis dicitur. Desumptum emblema est, ut in decursu dicetur, ex usitata omnibus fere gentibus locutione metaphorica, qua veritatis cupidi rem huic desiderio utilem avide, helluonum instar, devorare, et in succum et sanguinem convertere dicuntur. Sic *Jerem.* xv, 16 : « Inventi sunt sermones tui, et comedi eos. » Allegorice igitur hic exprimitur quod dicitur *Isaiæ* li, 16 : « Posui verba mea in ore tuo; » et *Jerem.* i, 9 : « Ecce dedi verba mea in ore tuo. »

tua requiram. 21. Si autem tu annuntiaveris justo ut non peccet justus, et ille non peccaverit : vivens vivet, quia annuntiasti ei, et tu animam tuam liberasti. 22. Et facta est super me manus Domini, et dixit ad me : Surgens egredere in campum, et ibi loquar tecum. 23. Et surgens egressus sum in campum : et ecce ibi gloria Domini stabat quasi gloria, quam vidi juxta fluvium Chobar : et cecidi in faciem meam. 24. Et ingressus est in me spiritus, et statuit me super pedes meos : et locutus est mihi, et dixit ad me : Ingredere, et includere in medio domus tuæ. 25. Et tu, fili hominis, ecce data sunt super te vincula, et ligabunt te in eis : et non egredieris de medio eorum. 26. Et linguam tuam adhærere faciam palato tuo, et eris mutus, nec quasi vir objurgans : quia domus exasperans est. 27. Cum autem locutus fuero tibi, aperiam os tuum, et dices ad eos : Hæc dicit Dominus Deus : Qui audit, audiat : et qui quiescit, quiescat; quia domus exasperans est.

1. ET DIXIT AD ME. — **Dominus auriga currus** Cherubim.

QUODCUMQUE INVENERIS. — **Supple, in manu mea,** *q. d.* Volumen, quod tibi offero, comede, non ore corporali, sed per visionem imaginariam, qua hæc omnia Ezechieli repræsentabantur.

COMEDE VOLUMEN ISTUD, — scilicet per visionem, ut dixi, quæ significat id quod explicat vers. 10, dicens : « Omnes sermones meos, quos loquor ad te, assume in corde tuo, » *q. d.* Hæc traditio voluminis symbolum est legationis tuæ, tibique infundi spiritum prophetiæ (sicut ergo Doctores creantur, tradendo librum, sic hic Ezechiel creatur Propheta, accipiendo volumen prophetiarum a Deo) : comestio vero significat ea quæ in illa audis et vides, in intima animæ tuæ ruminando et meditando transmitti; ut cum affectu, et ex calore interno ac toto animo et spiritu, ea populo proloquaris : sicut cibus et vinum, sanguinem et spiritus excitant, et novos suggerunt, qui linguam faciunt disertam, *q. d.* « Comede, et pasce; saturare, et eructa; accipe, et sparge; confortare, et labora, » ait S. Hieronymus.

2. CIBAVIT ME, — visus sum mihi volumen hoc comedere : videbatur enim mihi, quod Deus volumen in os meum ingereret, faceretque ut illud devorarem; hoc est, docuit me cuncta quæ in eo erant scripta, scilicet minas et excidia Judæorum aliarumque gentium eis a Deo decreta. Ita Chaldæus.

Vers. 3. 3. VENTER TUUS COMEDET (id est comedat), ET VISCERA TUA COMPLEBUNTUR, — id est compleantur, *q. d.* Non evome, nec tantum auribus et memoria haurias verba prophetiæ; sed meditatione assidua revolve, concoque, pasce, satura voluntatem et affectum tuum, ut quasi plenus et ebrius illa eructes.

Notent prædicatores verbi Dei, se illud assidua meditatione prius debere decoquere. Hinc S. Scriptura doctrinam Prophetarum vocat ructum : quia, ut ructus ex cibo cocto exhalatur, sic verbum Dei, ex corde alimonia cœlesti pleno et amore ebrio, depromi debet. Hoc sentiebat Psaltes, dicens *Psalm.* XLIV, 1 : « Eructavit cor meum verbum bonum, » uti notat ibidem S. Chrysostomus tom. I, et *Psalm.* CXLIV, 7 : « Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt, et justitia tua exsultabunt. » Unde S. Gregorius hic, *homil.* 11 : « Fit, ait, plerumque, quod tales quique ex dono cœlestis gratiæ etiam verbum doctrinæ percipiant, atque de veritatis pabulo, quod ipsi intrinsecus dulciter rumigant, proximos suaviter pascant. »

ET FACTUM EST IN ORE MEO SICUT MEL DULCE. — *Primo*, quia divina et arcana Dei consilia et judicia cognoscere dulce est. Ita S. Hieronymus et Theodoretus. Rursum, per hanc dulcedinem excitabatur ad illa excipienda et prædicanda. Quod enim dixit Plato, tamdiu difficile est hominem in recto contineri, quamdiu recti suavitatem non gustaverit : « Tota enim vita gustu ducitur : » hic etiam locum habet. *Secundo*, concionari intrepide de suppliciis peccatorum, ut convertantur, dulce est; et valde suavis, ait Apollinaris, est delictorum lamentatio, ut patet in Magdalena. *Tertio*, quia dulce est zelanti Dei justitiam, videre supplicia peccatorum, quibus vindicetur Dei honos. Sed, ut habet vers. 14, et ex eo S. Joannes *Apocal.* X, 9, postquam volumen transglutivi, amaricatus est venter meus; quia ut revolvi tanta esse supplicia gentis meæ, ex intimis visceribus indolui. *Secundo*, quia eorum revolutio et prædicatio fuit mihi causa, cur Judæi me vexaverint, afflixerint, occiderint. Hac de causa aiebat Michæas cap. II, vers. 11 : « Utinam non essem vir habens spiritum, et mendacium potius loquerer! »

Verbum Dei est quasi pilula.

Nota hic : Verbum Dei est simile pilulis, quæ foris auratæ vel saccharatæ deglutiuntur cum suavitate; sed cum in ventre dissolvuntur, aloe, myrrha, crocus, etc. ventrem amaricant, et torminibus eum cruciant, ac quasi lacerant. Sic ait D. Thomas in *Apocal.* X : Verbum Dei dulce est rationi, sed amarum sensualitati. Sicut ergo pilulæ, quæ ventrem non lancinant, bonæ non sunt, sed evanidæ et inefficaces, quia noxios humores non expellunt, nec expurgant : ita concio, quæ mentes et conscientias suis vitiis affixas non concutit, non turbat, non exagitat, bona non est; sed evanida, quia aures tantum mulcet, et e corde noxios mores non defricat, non expellit : quod

enim sunt pravi humores in ventre, hoc sunt mali mores in mente.

5. NON ENIM AD POPULUM PROFUNDI SERMONIS. — Est metalepsis : « profundi, » id est obscuri et difficilis intellectu. Quæ enim profunda sunt, obscura sunt; quæ obscura, difficilia aditu sunt : quæ difficilia aditu, etiam difficilia intellectu sunt. Sic ait Virgilius :

Speluncis abdidit atris,

id est profundis. Quæ enim profunda sunt, tenebrosa sunt; quæ tenebrosa sunt, nigra videntur. Hebraice est : *Non ad populum profundi labii, et gravis linguæ.* Alienus enim et barbarus sermo gravis est et molestus, quia insuetus auribus. Septuaginta una voce vertunt nervose et eleganter οὐ πρὸς λαὸν βαθύχειλον καὶ βαρύγλωσσον, id est, *non ad populum profundilabium et gravilinguem*, id est tardilinguem, *tu mitteris.* Ita Prado et Pineda, lib. III *De Rebus Salomonis*, cap. XII.

AD DOMUM ISRAEL. — Subaudi cum Chaldæo et Vatablo, *sed, q. d.* Non mitto te ad Barbaros; sed ad Israelitas, quorum linguam nosti, quique meam noverunt, cum quibus sæpe miscui colloquia per Mosen et Prophetas.

6. NEQUE AD POPULOS MULTOS, — id est diversos, varios, indeque varii sermonis. Ita Maldonatus. Aliter R. David, *multos*, inquit, id est *longinquos*, remotos, multi itineris.

ET SI AD ILLOS MITTERERIS. — Hebraice אִם לֹא *im lo*, id est *si non.* Quod *primo* sic aliqui explicant, *si non*, id est alioqui, quin potius si ad illos mittereris, ipsi audirent te. *Secundo*, Vatablus, τὸ *im*, id est *si*, putat hic esse formulam juramenti exsecratorii, *q. d.* Dispeream, nisi te audissent, si ad eos te misissem. *Tertio*, alii, *q. d.* Si ergo non mitterem te, ipsi audirent te, *q. d.* Judæi nolunt te audire; non quia oderunt te, sed me. Verum dico, pro לֹא *lo*, id est *non*, legendum est לוּ *lu*, id est *utinam, si, q. d.* Si, si inquam, misissem te, etc. Id ita esse patet tum ex Nostro, tum ex Septuaginta et aliis, qui vertunt assertive, non negative. Unde R. David, Vatablus et Maldonatus vertunt : *Certe si misissem te ad eos, audissent te.*

7. ATTRITA FRONTE. — Hebraice, *fortes fronte*; S. Hieronymus, *dura facie*, id est contumaces, impudentes; Septuaginta, *contentiosi.* Vide cap. II, vers. 4, *q. d.* Illi impudentes sunt, sed tu ne cedas impudentiæ ipsorum : et si illi audacter et sine pudore mala perpetrant, tu audacter et sine pudore eos reprehendas. Ita S. Hieronymus. Cum impudentibus enim impudenter agendum est. Si quis ergo sit perfrictæ frontis et effrons, tu esto fronto, et quasi frontonem te iis opponito.

Nota : In vultu et fronte perspicitur animus, ejusque affectus : unde Cicero ad Q. fratrem *De Petitione consulatus*, « frontem » vocat « animi januam; » hinc frons gentilibus erat sacra genio, item pudori; pudoris enim sedes est frons : quocirca non habere frontem dicitur, qui non habet pudorem. Quin et Aristoteles in *Physiognomicis*, scribit exigua fronte homines indociles, et ad disciplinas ineptos videri, atque ad suum genus pertinere : sues enim quia parvam habent frontem, hinc sunt indociles et stupidæ, ideoque impudentes. Rursum, hinc perfricuisse frontem dicuntur ii, qui pudorem omnem dedidicerunt, velut absterso manu a vultu pudore. Solent enim pudibundi, præsertim agrestes et rusticani, qui dicturi facturive quippiam sunt apud ignotos, verecundiæ causa, manu faciem perfricare, ut ita quasi pudorem e fronte eliciant et abstergant. Plutarchus scribit hunc gestum peculiarem fuisse Ciceroni, ut dicturus læva faciem demulceret : et fatetur ipse Cicero, initio dicendi sese timidiorem et verecundiorem fuisse. Ubi enim timor, ibi et pudor. Sic hi Judæi frontem perfricuerant et detriverant; quocirca Ezechiel hic jubetur a Deo duriorem frontem eis opponere, eorumque impudentiam audaci et minaci vultu contundere,

Nam quis
Peccandi finem posuit sibi, quando recepit
Ejectum semel attrita de fronte pudorem?

ait Juvenalis, *satyra* 13.

Porro Deus Prophetæ promittit duram frontem, at non cor durum; quia, licet ei, qui est duro corde, severa et dura ostendenda sit frons, a corde tamen durities absit oportet. Cor enim corripientis debet esse amore plenum, et ex amore, ut durum corrigat, duram assumere frontem. Ita S. Augustinus in *Psalm.* CII : « Quid, inquit, luxurioso filio facturus es? non castigabis? et non verberibus refrenabis? fiat hoc, fiat (admittit ut fiat, imo reprehendit, si non fiat), sed animo dilectionis fac, non animo ultionis. »

Unde idem Augustinus in *Psalm.* LXVIII, 8 : « Operuit confusio (vel, ut ipse legit, irreverentia, et explicat impudentia) faciem meam. Frontosus, inquit, esto, quando audis opprobrium de Christo, prorsus esto frontosus. Quid times fronti tuæ, quam signo crucis Christi armasti? hoc est enim : Propter te sustinui exprobrationem. Et quia non de te erubui, quando mihi propter te insultabatur, operuit irreverentia faciem meam. »

8. DEDI FACIEM, — *q. d.* Hos obstinatos argue, obsecra, increpa; en tibi animos et libertatem indo, faciemque interritam. Ideo, inquit S. Hieronymus : « Dedit tibi vultum durissimum, et frontem, quæ nullo pudore superetur. Ex quo discimus, interdum gratiæ Dei esse, impudentiæ resistere, et cum res poposcerit, frontem fronte concutere. » Hoc uti verbo, ita exemplo suo docuit S. Hieronymus; nam carpens vitia clericorum, odium incurrit. Quocirca scribens *ad Asellam* : « Gratias, ait, ago Deo meo, quod dignus sim quem oderit mundus. » Et epistola *ad Furiam*, ostendens quantis maledictis a maledicis lacesseretur, ait : « Addant, si volunt, Samaritanum, ut Domini mei titulum recognoscam. » Et epist. *ad Pamma-*

chium, laudat eum, quod ex consule monachum professus, vulgi sermones contempserit. « Quis, ait, crederet hoc, ut consulum pronepos, et Furiani germinis decus, inter purpuras senatorum, furva tunica pullatus incederet, et non erubesceret oculos sodalium, ut deridentes se derideret? Prima virtus est monachi, contemnere hominum judicia, et semper Apostoli recordari, dicentis : Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. Tale quid et Dominus loquitur ad Prophetas, quod posuerit faciem eorum quasi urbem æream, et lapidem adamantinum, et columnam ferream, ne paverent ad injurias populi, sed impudentiam subsannantium frontis rigore contererent. »

9. UT ADAMANTEM. — Cujus duritia est indomabilis, qui malleos frangit, incudem findit, ignem superat. Sic ait Hesiodus :

Durus at his animus solido ex adamante creatus.

Origenes, homil. 3 *in Jeremiam*, docet diabolum esse malleum terræ, persecutiones esse incudem; qui ad incudem malleo illisi manent constantes in fide viva, hos esse homines adamantinos, et adamantes Deo charos et pretiosos.

Talis sit concionator, audax, fortis, constans, liber; qui nec pudore vincatur, nec metu taceat, aut pallescat. Sed, ut Tertullianus ait : « Honesta inverecundia veritatem annuntiet, nullius faciem reveritus. » Sed adhibendum tamen est prudens judicium, et discretio cum modestia, quando corripiendi sunt magnates : uti Nathan fecit arguens Davidem. Talis fuit Elias, Joannes Baptista, S. Stephanus. Concionator ergo et Prælatus, sit per mansuetudinem magnes, ut omnes ad se alliciat, per patientiam et constantiam adamas. Rursum Prælatus, dum durum corripit, adhibeat duritiem increpationis, non solum instar adamantis, ut terrorem correptus aspiciat; sed etiam instar silicis, quæ percussa non repercutit, sed scintillas jacit : quia in illa ipsa duritie scintillæ charitatis emicare debent in corripiente. Vide S. Gregorium XXIV *Moral.* XXIV, et S. Bernardum, serm. 44 *in Cantic.* Hujus rei symbolo Summus Pontifex in pectore gestat crucem adamantinam, etiam dum celebrat : quia summa in eo requiritur tum patientia, tum fortitudo in tuenda fide Christi crucifixi contra hæreticos et infideles, æque ac justitia et pietate contra impios, præsertim principes et tyrannos; ut sit instar Petri, qui audivit a Christo : « Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. » Hujus enim petræ successor et hæres est Pontifex. Eadem de causa, Episcopi gestant crucem ex auro, aliove metallo duro. Porro Plinius, lib. XXXVII, adamantis virtutem describit, « invictam, et contemptricem duarum violentissimæ naturæ rerum, ferri ignisque. » Hinc adamantis figura pro emblemate usus est Cosmus Magnus Etruriæ dux, multi etiam alii Italiæ principes.

Censent aliqui S. Scripturam non meminisse adamantis in bonum, sed tantum in malum : unde non ponere eum inter gemmas Rationalis pontificis, *Exodi* XXVIII, 17; nec inter gemmea fundamenta cœli, *Apocal.* XXI, 19; idque, quia adamas est symbolum duritiei, obstinationis et tyrannidis, ut patet *Jerem.* XVII, 1; *Zachar.* VII, 12. Unde græce dicitur ἀδάμας, id est *indomabilis*; hebraice vero *scamir*, a radice שמר *scamar*, id est *custodivit*, cavit, *q. d.* Cave ab adamante, id est a duro, vel tyranno. Huc facit, quod acuminatus nascitur adamas, quodque a magnete abstrahit ferrum, teste Plinio : sic enim tyranni privatos rebus suis spoliant. Addunt alii adamantem unius hirci sanguine mollescere : sic tyranni sola gula et libidine solvuntur et mollescunt. Insuper, quia pretiosissimus est, symbolum esse singularitatis et fastus. Denique, sunt qui putant, hac de causa post Christum, adamantem mutasse naturam, ejusque priscas conditiones interiisse, uti interiit phœnix; ut per hoc significaret Deus, quod Christus indomita et adamantina hominum corda, vi crucis et gratiæ suæ fregerit et mollefecerit, juxta illud quod ipse ait *Joan.* XII, 32 : « Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. » Ita censet Origenes Adamantius, lib. II *in Job*, aut quisquis est auctor : vetus certe est; sed Origenis non esse censent Sixtus Senensis, Doctores Lovanienses et alii, esto Origeni tribuat Trithemius. Idque liquet ex eo quod auctor hic lib. II, meminerit S. Luciani martyris, cum constet Lucianum Origene fuisse posteriorem. Rursum lib. I, meminit Homousianorum, dicitque esse sectam trium Deorum, quæ replet totum orbem : unde liquet auctorem esse arianum, et Ario, ac multo magis Origene posteriorem. Verum hoc auctoris hujus dictum falsum esse, constat experientia. Nunc enim eamdem naturam aliasque dotes easdem in adamante experimur, quas ei attribuit Plinius, excepta duritie : nam nunc nullus est adamas, qui non mallei ictu in partes dissiliat, ait Anselmus, Boetius, lib. II *De Gemmis*, cap. IV. Prius etiam, scilicet quod S. Scriptura adamante non utatur nisi in malum, eo quod symbolum tyranni sit et tyrannidis, falsum est : nam Deus hic Ezechielem prophetam facit adamantem. Rursum, adamas est gemma pretiosissima, clarissima et præstantissima, estque Regum et Pontificum, uti jam dixi. Denique adamas symbolum est invictæ fortitudinis et constantiæ, ideoque Martyrum et SS. Prælatorum : quinimo scribunt medici adamantem, si gestetur, facere hominem fortem et impavidum, ac metus et phantasmata dispellere. Addit S. Epiphanius, tract. *De Lapidibus et gemmis*, pontificem Hebræorum ingredientem in templum tribus anni solemnitatibus, puta in Paschate, Pentecoste et festo Tabernaculorum, adamantem in pectore gestasse, qui splendebat, si populus a peccatis immunis, Deo charus esset; sin autem, obnubilabatur, aut rubescebat ut san-

guis, quasi gladium stragemque Dei comminans, cujus rei penes ipsum sit fides.

Tropologice, adamas erat S. Basilius, de quo scribit Nazianzenus *Oratione funebri* : « Duorum lapidum naturas imitabatur laudabilium : factus est enim percutientibus adamas, dissidentibus magnes. »

Tales adamantes hoc sæculo fuere martyres, ob fidem et fidei veræ prædicationem varie enecti in Anglia, Hollandia, Francia, in quos proinde Hugenottorum furor inaudita feritate desæviit. Nam alios terræ vivos infoderunt, aliorum parvulas proles discerpserunt, sacerdotes eviscerarunt, aliis abstractam capitis pellem refixere clavis, aliis impudenti crudelitate verenda resecuerunt, eaque miseros vorare compulerunt. Nam reliqua erant vulgaria, strangulationes, confossiones, submersiones, carceres, contumeliæ, et verbera. Sacras ædes evertisse, aut fœdasse flammis, ludus erat. Vestes sacras in cineres redegisse, calices surripuisse, confregisse sacras Christi et Sanctorum imagines, pietatis opus credebatur. Vide *Theatrum hereticæ crudelitatis* : Vide et dicta *Isaiæ* cap. L, 7.

Audi et gentilem Senecam, *epist.* 24, ubi docet sapientem vano hominum timore non moveri, sicut pueri personatos et larvatos expavescunt : « Non hominibus tantum, inquit, sed et rebus persona demenda est, et reddenda facies sua. Quid mihi gladios et ignes ostendis, et turbam carnificum circa te frementium? Tolle istam pompam sub qua lates, et stultos territas. Mors est? quam nuper servus meus, quam ancilla contempsit. Pauper fiam? inter plures ero. Exsul fiam? ibi me natum putabo, quo mittar. Alligabor? quid enim? nunc solutus sum? Ad hoc me natura grave corporis mei pondus astrinxit. Moriar? hoc dicis, desinam ægrotare posse, desinam alligari posse, desinam mori posse. » Idem, *epist.* 5 : « Desines timere, si sperare desieris. » Et Cicero, *Tuscul.* IV : « Is est sapiens, is est beatus, cui nihil humanarum rerum, aut intolerabile ad demittendum animum, aut nimis lætabile ad efferendum videri potest. Quid enim videatur ei magnum in rebus humanis, cui æternitas omnis, totiusque mundi nota sit magnitudo? » Rursum Seneca, lib. I *De Clementia* : « Magnam, inquit, fortunam magnus animus decet, cujus est proprium placidum esse tranquillumque, et injurias atque offensiones superne despicere. » Nam, ut recte notat Tacitus lib. IV *Annal.* : « Convicia, si irascare, agnita videntur ; spreta, exolescunt. » Audi et Calani gymnosophistæ responsum ad Alexandrum apud Plutarchum; et S. Ambrosium *epist.* 7 : « Cum enim Alexander eum juberet sequi : Qua me, inquit, laude dignum Græciam petere poscis, si possum cogi facere quod nolo? Et vere plenus auctoritatis sermo, sed magis mens libertatis. Denique et epistolam scripsit Calanus Alexandro : Amici persuadent tibi manus et necessitatem inferre Indorum philosopho, nec in somniis videntes nostra opera. Corpora enim transferes de loco ad locum, animas non coges facere quod nolunt, non magis quam saxa et ligna vocem emittere. Maximus ignis viventibus corporibus dolorem inurit, et gignit corruptionem; super hunc nos sumus: viventes enim exurimur. Non est rex, neque princeps qui extorqueat a nobis facere quod non proposuimus. Nec similes sumus Græciæ philosophorum, qui verba pro rebus meditati sunt ad opinionis celebritatem. Nobis res sociæ verbis, et verba rebus : res celeres, et sermones breves, in virtute nobis libertas beata est. Præclara verba, sed verba ; præclara constantia, sed viri ; præclara epistola, sed philosophi. Apud nos autem et puellæ de mortis appetentia sublimes usque ad cœlum erexere virtutum gradus. Quid Theclam, quid Agnem, quid Pelagiam loquar, quæ tanquam nobilia vitulamina pullulantes ad mortem quasi ad immortalitatem festinaverunt? Inter leones virgo exsultavit, et prodeuntes bestias exspectavit intrepida. Et ut nostra cum Indorum gymnosophistis conferamus : quod ille verbis gloriatus est, S. Laurentius factis probavit, ut vivus exureretur, et flammis superstes diceret : Versa, manduca. Haud degener Abrahamidarum, et Machabæorum concertatus puerorum, quorum alii super flammas canebant, alii cum exurerentur non rogabant ut parceretur; sed invehebantur, ut amplius persecutor inflammaretur. Liber igitur sapiens. Quid autem sublimius S. Pelagia, quæ vallata persecutoribus, priusquam tamen in eorum conspectum veniret, aiebat : Volens morior, nemo me continget manu, nemo oculo protervo violabit virginem. Mecum feram pudorem, mecum incolumem verecundiam : nullum prædones lucrum suæ capient insolentiæ. Pelagia Christum sequitur, libertatem nemo auferet, nemo captivam videbit liberam fidem, insignemque pudicitiam, et prosapiam prudentiæ. »

Quatuor adamantum species, eorumque dotes septem.

Nota : Plinius lib. XXXVII, IV, quatuor recenset adamantum species, ex locis ubi generantur, scilicet Indicum, qui inter omnes principatum tenet, Arabicum, Macedonicum et Cyprium ; atque miras eorum dotes recenset, quæ apte forti viro, præsertim Dei præconi et prælato, conveniunt.

Prima.

Primo : « Maximum, inquit, in rebus humanis, non solum inter gemmas, pretium habet adamas, diu non nisi regibus, et iis admodum paucis cognitus. » Scimus adamantes fuisse merces regum Lusitaniæ, adeoque unum instar nucis venire sexaginta millibus aureorum. Ita fortitudo, et præsertim martyrum, maximi apud Deum et homines est pretii, ut patet in S. Laurentio, S. Stephano, S. Vincentio et aliis.

Secundo : « Indicus adamas, ait Plinius, a crystallo colore translucido non differt, et laterum sexangulo lævore turbinatur in mucronem. » Ita patientia fortis, quasi crystallus mentem ab

omni concupiscentia depurat, facitque pellucidam, ac tunsionibus et pressuris ab omni parte perpolita et angulata, turbinatur in mucronem, qua suos hostes omnes transfigit et perimit, ut merito audiat ipsa : « Omnium patientia victrix. »

Tertia. *Tertio* : « Arabici, ait, adamantes incudibus œ prehenduntur, ita respuentes ictum, ut ferrum utrinque dissultet, incudesque etiam ipsæ dissiliant. Quippe duritia inenarrabilis est, simulque ignium victrix natura, et nunquam incalescens. Unde et nomen indomita vis græca interpretatione accepit : » ἀδαμὰς enim græce idem est quod *indomitus*. An non S. Laurentius sua forti patientia vicit ignes, ferrum et quidquid sub cœlo durum est? Finxerunt Poetæ Herculem habuisse cor adamantinum, ideoque in laboribus et certaminibus tam heroicis fuisse invictum; cessit tamen illud Cupidini. Verius tale cor obtinent christiani Hercules, qui nec amore, nec terrore vincuntur; quibus esto « sit fragilis caro, et corpus luteum, mens tamen adamantina est. »

Quarta. *Quarto* : « Adamas Cyprius, in medicina est efficacissimus. » Quid efficacius in quavis adversitate, patientia et fortitudine? Sæviant in nos tyranni, feræ irruant, ignes urant, catastæ distendant, scorpii dilacerent : hisce omnibus efficaciter dominatur patientia. Nam « in patientia vestra possidebitis animas vestras, » ait Christus Dominus.

Quinta. *Quinto* : « Adamas dissidet cum magnete in tantum, ut juxta positus, ferrum non patiatur abstrahi : aut si admotus magnes apprehenderit, rapiat atque auferat. » Ita fortis Dei præco, ingens habet cum mundo dissidium, nec patitur ab eo homines abduci et illici; quin et si quos allexerit, omni vi et modo abstrahere conatur.

Sexta. *Sexto* : « Adamas venena irrita facit, et lymphationes abigit, metusque vanos expellit a mente : et ob id quidam eum anachiten (*q. d.* indolorium) vocavere. » An non robustus Dei præco, vitiorum venena, vanos hominum metus circa vitam sanctam consectandam, ac inanes sollicitudines depellit, facitque ut in animi quiete et securitate alacres serviant Deo?

Septimo : « Illa invicta vis, ferri ignisque contemptrix, hircino rumpitur sanguine, » ait Plinius, licet Noster Alcazar id fabulosum putet. Quocirca notat S. Hieronymus in *Amos* VII, sicut adamas licet indomitus, hirci tamen sanguine frangitur : ita pariter sanctissimos viros, qui alias erant fortissimi et adamantini, sæpe tamen mortiferæ libidinis calore dissolvi : « Hæc enim, inquit, sanguinis hircorum, et ipsius hirci dicitur esse natura, ut sit ad libidinem calidissimus, et quod ignis edomare nequeat, solus illius dissolvat cruor. » Addit ibidem Christum Dominum esse adamantem nostrum, eumque « stare supra murum adamantinum, id est super Sanctos et Apostolos suos, quibus donavit, ut et ipsi adamantes vocarentur, et a nullo separati dicerent : Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio, an angustia, an persecutio? etc. Petrus quoque erat fortissimus adamas; hinc portæ inferi non prævaluerunt adversus eum. »

Denique Rabbini, et ex eis Lyranus, pro *ut adamantem*, vertunt, *ut vermem fortiorem rupe dedi faciem tuam* : et per vermem intelligunt sanguinem cujusdam vermis, quo sine sonitu incidebantur lapides in fabrica templi Salomonis. Hoc si verum esset, tropologice recte aptaretur Christo dicenti : « Ego sum vermis, et non homo. » Christus enim quasi tenerrimus ligni vermiculus, suæ passionis infirmitate terebravit saxea hostium corda. Verum hic vermis fictitius est : et Hebræum *scamir* adamantem aut sentes ubique, nusquam vermem significat.

ET UT SILICEM, — Hebr. *et fortiorem*, vel *duriorem silice*. Tropologice S. Gregorius, ut adamantem, inquit, ne scilicet per exhibitum honorem ab auditoribus, refrenetur lingua ex verecundia; et ut silicem, ne per despectum taceat ex infirmitate : tam enim honor extollendo, quam despectus deprimendo ligare solet linguam prædicatoris vani vel timidi.

10. SERMONES MEOS. — Hic incipit explicare voluminis significationem, ut dixi vers. 2 : « Sermones, » id est res visas, scilicet librum, « assume in corde, » id est in phantasia tibi figura, deinde audi a me ejus explicationem. Aliter R. David, Vatablus et Maldonatus : ו *vau*, inquiunt, id est *et*, capitur pro *postquam*, *q. d.* Excipe et conserva sermones meos in animo tuo, postquam eos auribus audieris. Sed ו *vau* vix alibi sumitur pro *postquam*.

11. AD TRANSMIGRATIONEM, — id est ad concives qui tecum transmigrarunt Babylonem. Ponitur abstractum pro concreto.

POPULI TUI, — *q. d.* Non tam mei, qui tam fœde a me descivit; sed tui, cujus te præconem, et quasi custodem constitui.

SI FORTE AUDIANT, ET QUIESCANT. — Vatablus, *sive audiant, sive non*. Vide dicta cap. II, 5.

12. ASSUMPSIT ME SPIRITUS, — id est divina virtus, vel Spiritus angelicus. Angelus enim Ezechielem cunctantem quasi per vim rapuit, non tantum in spiritu, sed et in corpore, ac realiter, quasi alterum Habacuc, a flumine Chobar, ubi solus secesserat oraturus, transtulit ad pagum vicinum, ubi Judæos, qui secum transmigraverant in Babylonem, reliquerat. Ita S. Hieronymus, et patet vers. 15. Hinc sequitur : « Et audivi post me vocem. » Ezechieli enim cap. I, currus Cherubim cum toto illo strepitu, non a tergo, sed a fronte apparuerat. Hic vero assumptus a spiritu, missusque Propheta, et translatus ad populum, visionem reliquit a tergo : atque ita dum pergit, strepitum, quem ante se prius audierat, a tergo postea exaudit; ut præsenti adhuc currus et

rotarum stridore, quasi stimulis quibusdam incitatus, ad jussa Dei exsequenda alacrius properaret.

VOCEM COMMOTIONIS MAGNÆ (id est strepitum, tum venti procellosi, qui aera commovebat cum impetu; tum Cherubim, qui magno clamore et fragore clamabant) : BENEDICTA GLORIA DOMINI DE LOCO SUO. — Jam « gloria Domini » est arca Testamenti, inquiunt Hebræi et noster Prado, *q. d.* Ecce brevi arca efferetur ex templo, et urbs ac templum concremabuntur.

Secundo et melius, « gloria Domini » est gloriosus Dei currus Cherubim, ipsaque Dei majestas gloriose illi insidens. Hæc « benedicta est de loco suo, » id est *in loco suo*. Sic enim angeli in nativitate Christi cecinerunt: « Gloria in altissimis Deo. » Aut potius, « de loco suo, » id est de cœlo suo, supple, *venit* et descendit in terram. Currus enim hic Dei aliquando levabatur in cœlum, aliquando descendebat in terram, uti indicavit cap. I, 19. Hic ergo descendit cum magno strepitu, quasi tonitru, ad castigandos Judæos. Hoc enim commotio illa magna significat. Simile est *Psalm.* XLIX, 3 : « Ignis in conspectu ejus exardescet; et in circuitu ejus tempestas valida. » Et *Michææ* I, 3 : « Ecce Dominus egredietur de loco suo; et descendet, et calcabit super excelsa terræ. » Ita S. Hieronymus, Maldonatus et alii.

Tertio, Polychronius et ex eo noster Prado : « Benedicta sit gloria Domini, » quæ, supple, recedit « de loco suo. » Vidit enim Ezechiel Deum, cum suo curru, rotis et Cherubim, ex templo Hierosolymitano, ubi sibi videbatur eum videre et audire loquentem; finita visione et sermone, migrare magno fragore alarum Cherubim, et rotarum, ac venti, ut sequitur vers. 13; ut significaret templi et urbis excidium, seque illud derelicturum, utque Propheta magis stimularetur ad libere et mox prædicandum hæc populo. Secundus sensus magis genuinus et ad rem videtur. Agit enim de Deo quasi vindice et milite armato, veniente in curru suo bellico ad proterendum hostes. Nam de recessu Dei e templo et e Synagoga dicit cap. X, 18.

Tropologice S. Gregorius, *homil.* 10 : « Locus, ait, gloriæ Dei est vel sancta quæque anima, vel unusquisque in cœlestibus permanens angelicus spiritus. Et gloria Domini de loco suo benedicitur, cum vel ab electis hominibus, vel a sanctis angelis auctori omnium laus æterna canitur. »

13. ET VOCEM ALARUM ANIMALIUM. — Septuaginta vertunt : *Et vidi vocem alarum animalium*, ut intelligatur visio fuisse in spiritu, et vox sine sono in visione imaginaria; ubi idem est audire et videre. Vide *Canon.* I.

PERCUTIENTIUM ALTERAM AD ALTERAM. — משיקות *massicot*, id est *quæ osculabantur*, id est attingebant altera alteram. Vide dicta cap. I, vers. 9.

Moraliter S. Gregorius, XXIV *Moral.* VI : « Quid, ait, alas animalium nisi virtutes debemus sentire Sanctorum? qui dum terrena despiciunt, ad cœlestia volando sublevantur. Unde recte per Isaiam cap. XL dicitur : Qui confidunt in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas ut aquilæ. Volantia itaque animalia alis suis se vicissim feriunt; quia Sanctorum mentes in eo quod superna appetunt, consideratis invicem alterius virtutibus excitantur. Ala enim sua me percutit, qui exemplo sanctitatis propriæ me ad melius accendit; et ala mea vicinum animal ferio, si quando alteri opus bonum quod imitetur ostendo. » Vide eumdem hic *homil.* 10.

14. SPIRITUS QUOQUE LEVAVIT ME. — Repetit quod dixit vers. 12, *q. d.* Interim dum Deus de loco suo recedit et descendit, recedo et ego, et quasi avis transferor ex Chobar in suburbia transmigrantium, puta, « ad acervum novarum frugum. » Vers. 14.

ET ABII AMARUS (scilicet, ubi me deposuit angelus, abii lento gradu, meditabundus et tristis) IN INDIGNATIONE SPIRITUS MEI, — qua cum Deo indignabar sceleribus populi mei, propter quæ Deus urbem et templum volebat evertere, simul anxius quid facerem. Dicebam intra me : Si hæc quæ Deus jubet prædicem populo, eum contra me concitabo; si non, Dei majestatem offendam. Hic ecce pilula voluminis in ore dulcis, quia exterius saccharata, in ventre dissoluta operatur, et ventrem torquet et lancinat.

Nota : Septuaginta apud S. Hieronymum et Theodoretum habent, *et abii* μετέωρος, id est *sublimis* (forte pro מר *mar*, id est amarus, per anastrophen legerunt רם *ram*, id est excelsus, sublimis) *in impetu spiritus mei*. Sed delendum cum Vaticanis τὸ *sublimis*, *q. d.* Abii zelo Domini incensus. Ita Maldonatus.

Tropologice, S. Gregorius hic sub finem *homil.* 10 : « Mentem, ait, quam Spiritus Sanctus replet, in amaritudinem temporalium delectatione æternorum commovet. » Vide quæ subdit.

MANUS ENIM. — *Enim*, id est *autem*, *q. d.* Manus autem Domini, id est Dei virtus et auxilium me roborabat, ut parerem Deo, et prædicarem. Hebræum et Septuaginta habent : *Et manus Domini confortabat me*, id est, ut Chaldæus : *Prophetia a facie Domini super me confortata est*, id est spiritus interior prophetiæ me vehementius urgebat, fortior fuit in me, prævaluit : atque hoc sensu vox *enim* dat causam, cur tristis abierit; quia scilicet spiritus prophetiæ urgebat eum tam dira suis vaticinari, nec sinebat tacere.

15. ET VENI AD TRANSMIGRATIONEM (ad Judæos qui in Babylonem transmigraverant) AD ACERVUM NOVARUM FRUGUM, — id est ad areas frumentarias, in quibus Judæi detinebantur triturantes. Nota hoc esse nomen proprium loci. Unde Chaldæus, Aquila, Symmachus, Theodotion retinent Hebræum תל אביב *tel abib* (1). Sed S. Hieronymus illud ver- Vers. 15.

(1) Nomen hoc proprium esse pagi, in quo morabantur Israelitæ exsules, ut *Thelharsa Thelmala*, I *Esdræ* II, 59;

tit : *Acervum novarum frugum* ; quia ita vocatus videtur locus ab Hebræis, qui demessi ex Judæa, eo translati sunt, terendi a Chaldæis, quique ab eis damnati ad opera rusticana, ibi novas segetes excutiebant, itaque ab eis atterebantur; sed a Deo incolumes servabantur in populi seminarium, et spem gentis propagandæ. Ita Vatablus. Aliter Septuaginta; nam pro *tel abib* vertunt *sublimis circuivi*. Videntur ipsi legisse *tal*, a תלל *talal*, id est suspensus, ideoque sublimis; et pro אביב *abib*, legisse אסיב *asib*, id est circuivi.

ET SEDI, — habitavi, commoratus sum cum eis. Sedere est mœsti animi signum, sicut gestire læti. *Psalm.* CXXXVI, 1 : « Super flumina Babylonis, illic sedimus, et flevimus. » Sic Job afflictus sedit in sterquilinio, cap. II, 8. Rursum S. Gregorius, hic *homil.* 11 : « Quasi quoddam, ait, nutrimentum verbi est censura silentii. »

ET MANSI IBI SEPTEM DIEBUS MOERENS, — puta per integram hebdomadem. Tropologice significatur tota vita (hæc enim septem dierum revolutione continua agitur et decurrit) Prophetæ, æque ac peccatori pœnitenti lugendum esse. Septenarius enim est numerus perfectus, ideoque symbolum universitatis : hinc, ut ait Cicero lib. IV *De Republica*, septenarius est nodus rerum omnium; nam conflatur ex ternario, qui est primus numerus impar habens principium, medium et finem, de quo Aristoteles, lib. I *De Cœlo*, cap. I, et ex quaternario, qui est primus numerus par quadratus et perfectus : componitur enim ex duplici binario. Plura de septenario dixi *Deuter.* V, 12.

MOERENS. — Hebraice משמים *masmim*, id est *stupens*, attonitus; Theodotion, *admirans*; Aquila, *quiescens*; Chaldæus, *tacitus*; Septuaginta, *conversans*, id est conferens, et animo versans tantam populi pertinaciam, cum tanta calamitate et supplicio, quod ei eventurum providebam. Speculator Dei, ait S. Hieronymus, « multo tempore debet quiescere, et dolere ad ea quæ videt; nihilque habere eorum in conscientia, quæ in aliis correpturus est. »

Vers. 17 Ezechiel speculator, cur?

17. SPECULATOREM. — Chaldæus, *doctorem*; Septuaginta, σκοπὸν, *inspectorem*. Unde nomen *Episcopus*, id est superintendens, superspeculans : ut, quæ in specula prophetiæ eminus vides, et futura prævides, populo in captivitate prædicas. Ita Theodoretus : « Speculator, ait S. Gregorius, *homil.* 11, in mentis altitudine sedeat : atque vocabulum nominis ex virtute actionis trahat. In alto debet stare per vitam, ut possit prodesse per providentiam, » scilicet, ut prospectet an hostes incurrant, ne cives male cautos opprimant. Sic concionator provideat et moneat de adventu Domini, qui quasi fur veniet ad judicium, ne male cautos opprimat peccatores. Hinc *Cant.* VII, 4 : «Nasus,» id est discretio et prospectio speculatoris, dicitur esse « sicut turris Libani. » Rursum vigilantiæ pastorum symbolum sunt psittaci Brasiliæ, qui, dum gregatim pascuntur, speculatorem unum ex suo grege collocant in arboris cacumine, qui, si quid periculi superveniat, signum edit, quo reliqui possint avolando saluti consulere. Exstat hac de re carmen apud Nicolaum Causinum, *Paral. histor.*, lib. VI, cap. CI :

Dum psittacorum viridis exultat phalanx,
Unus sub alta nixus arbore excubat.
Solersque vigili prospicit cura suis,
Ne quem rapaces aucupis ludant manus.
Sic unus amplo consulens pastor gregi,
Somnos tuetur omnium solus vigil.

Huc facit Evenii pœna, qui oves civitatis custodiens, cum sua incuria permisisset lupum ingredi in ovile, et sexaginta oves devorare, judicio civitatis damnatus, oculis orbatus est, ut narrat Herodotus lib. IX.

DEDI (posui) TE.

18. SI DICENTE ME AD IMPIUM (id est si, cum ego tibi dixero, ut dicas impio) : MORTE MORIERIS, — id est, ut Vatablus, certissime morieris, morte corporis, et consequenter animæ.

NON ANNUNTIAVERIS EI. — Hebræus : *Non expolieris ei*. Doctor enim et monitor rubiginem ab intellectu et voluntate, sua lima admonitionis aufert. Hebræum זהר *zahar* significat etiam repetere, inculcare : uti lima tracta et retracta per ferrum, illud polit; sic concionator eadem sæpe inculcare debet. Septuaginta vertunt : *Si non distinxeris*, id est non distincte et diserte monueris impium. Tropologice, S. Franciscus paulo ante mortem rogatus a quodam, quomodo hæc Ezechielis sententia intelligenda foret, respondit : « Si verba hæc debent generaliter intelligi, ego illa ita censeo declaranda, quod servus Dei sic debet vita et exemplo in se ipso ardere et fulgere, ut luce exempli et sanctæ conversationis omnes impios reprehendat. Sic enim splendor vitæ ejus, et odor famæ ejus annuntiabit omnibus iniquitates suas; cujus oppositum si fecerit, populos aut proximos scandalizando, divinæ ultionis non evadet judicium. » Ita Bartholomæus Pisanus, *Confes.* lib. XII, cap. XXIV, et Rodulphus, *De Orac. S. Francisci*.

IN INIQUITATE, — propter iniquitatem.

SANGUINEM, — id est mortem, metonymice, q.

II *Esdr.* VII, 61, recte observant Hebræi. Atque moris esse Aramæis, ad locorum nomina propria תל *tel collis*, adhibere, intelligitur ex Indice geographico, qui exstat in Assemani *Biblioth. Orient.* tom. III, part. II, ubi ad *Tela*, quod nomen est urbis in regione Margæ, in provincia Assyriaca, hæc notat : « Plures *Telæ* occurrunt in Assyria, Mesopotamia et Syria, ut Tela ad Sarsaram fluvium, Telæ-Birthæ in ditione Margensi, Tel-Bacer, Tel-Aphar, Tel-Eda, etc. Id enim Syris est Tela, ac Latinis *mons* et *collis*, unde locis plurimis nomen impositum. » Nostrum Tel-Abib J. D. Michaelis in notis ad hunc locum, conjicit eumdem locum esse, qui in Euphratis et Tygridis delineatione d'Anvilliana (repetita ad *Syllog. itinerar. orient.*, quam H. E. G. Paulus instituit) nomine Thallaba apparet, 36 inter et 37 grad. latitud., ac 53 inter et 54 grad. longitud. geographicæ, Resein inter et Obeidia.

(Rosenmuller.)

Ejus necem in tuo capite ulciscar. « Si prælatus de morte corporis quandoque morituri tam graviter reus tenetur, quo reatu de morte animæ subjecti constringitur, quæ potuisset semper vivere, si verba correctionis audisset? » ait S. Gregorius. Vide sequentia. Hæc Ezechielis, imo Dei, sententia acer fuit stimulus S. Augustino, ut sciens se a Deo constitutum speculatorem, id est Episcopum, instanter populo prædicaret, eique peccata et pericula libere denuntiaret. Audi eum, lib. III *De Verbis Domini*, serm. 12: « Domine, scis quia dixi, scis quia non tacui, scis quo animo dixi, scis quia animo flevi, cum dicerem, et non audirer. Ipsa puto quod ratio nostra integra est. Quia, cum vidi gladium venientem, velut speculator, ut Dominus admonet per Ezechielem, annuntiavi impio impietatem suam, id est correxi, non fugi; et ideo animam meam liberavi; » et *hom.* 28, inter 50: « In magno, ait, sum periculo et exsilio constitutus, si tacuero; sed, cum ego dixero et implevero officium meum, vos jam attendite periculum vestrum. Quid vero volo, quid desidero, quid cupio, quare hic loquor, quare hic sedeo, quare vivo, nisi hac intentione cum Christo simul vivamus? Cupiditas mea ista est, possessio mea ista est, gaudium meum hoc est. Sed si me non audieritis, et tamen ego non tacuero, liberabo animam meam, sed nolo salvus esse sine vobis; » et *homil.* 24, inter 50 : « Die, inquit, isto solemni episcopatus mei, prius paucis verbis alloquar debitores meos, qui mihi nescientes apud Deum suffragantur, dum faciunt debita quæ dimittam, ut et mea mihi dimitti promerear. Vobis itaque dico, quibus inimicus efficior verum prædicans, quorum requirens utilitatem, cogor offendere voluntatem : nolite esse sicut equus et mulus non habentes intellectum. Nam et hæc jumenta eos calce morsuque appetunt, a quibus curantur, et ut curentur eorum vulnera contrectantur. Non parcis, non parco; adversaris, adversor; resistis, resisto. Lucta nos comparat, sed causa separat. Tu inimicus es medico, ego morbo, tu diligentiæ meæ, ego pestilentiæ tuæ. »

S. Augustinus sp culator solicitus.

20. PONAM OFFENDICULUM CORAM EO, — ut incedat et impingat in pericula mortis, et moriatur. Unde Septuaginta vertunt : *Ponam tormentum*; Theodotion, *infirmitatem*. *Secundo*, S. Gregorius : « Hoc Domini ponere, inquit, est nequaquam ad peccandum premere, sed nolle a peccato liberare. » « Ponam » ergo, id est poni permittam coram eo offendiculum, eumque deseram, itaque ille gravius impinget et corruet. « Peccatum quippe, ait S. Gregorius, quod per pœnitentiam citius non deletur, aut peccatum est, aut causa peccati, simul et pœna peccati. *Tertio*, Theodoretus, *q. d.* In mentem revocabo illi exitium et barathrum quod manet peccatores. *Quarto*, Vatablus et R. David : « Ponam offendiculum; » id est faciam ut omnia habeat prospera, calamitatibus eum a peccato non revocabo. *Quinto*, Chaldæus : Eos, qui justi videri volunt, permittam in publicum peccatum labi, ut agnoscantur iniqui. Primus sensus maxime est genuinus.

« Offendiculum » ergo hic, non occasionem ruinæ, id est culpæ, sed pœnæ significat, scilicet aliquid quod offendit, lædit et pungit, quo puniatur peccator, et punctus resipiscat. Ita passim Interpretes et Scholastici, ac nominatim Franciscus Suarez in opusculo *De Concursu Dei*, lib. II, cap. VIII.

JUSTITIÆ, — opera justa.

VIVENS VIVET, — omnino vivet securus a morte.

21. TU ANIMAM TUAM LIBERASTI, *q. d.* ait Theodoretus : Duplicem lucratus es vitam, tuam et illius. Unde S. Gregorius, *homil.* 11 : « Vobis et nobis parcitis, inquit, si a pravo opere cessatis. Vobis et nobis parcimus, quando hoc quod displicet non tacemus. »

22. IN CAMPUM, — ubi quies, solitudo, silentium; ideoque mens aptior contemplationi et visioni.

23. GLORIA DOMINI, — quam vidi cap. I in curru Cherubim. Unde Apollinaris : « Paratum, ait, vidi judicem. »

CECIDI IN FACIEM — tremebundus et adorabundus.

24. ET INGRESSUS EST IN ME SPIRITUS, — animalis virtus, quæ in me defecerat, ad me rediit; aut potius spiritus Dei.

STATUIT ME SUPER PEDES, — id est labantes pedes firmavit. Vide dicta cap. II, 3.

INCLUDERE IN MEDIO DOMUS TUÆ, — ut ipso opere vicinam urbis obsidionem prophetes (1). Ita S. Hieronymus. Sicut enim tu domo, ita Judæi urbe sua concludentur. *Secundo*, R. Salomon, *q. d.* Contine te domi, quia nihil proficies increpando eos. *Tertio*, Maldonatus, *q. d.* Abde te domi, ut prius audias ex Deo omnia, quæ dicturus es, quam incipias ea annuntiare. Itaque, inquit ipse, usque ad cap. XI, 24 et 25, nihil annuntiat; sed tantum audit et videt, quæ illi Deus aut dicit aut ostendit. Ita et Vatablus. Omnes hæ causæ et expositiones veræ sunt; Deus enim voluit Ezechielem hic apud rebelles et contumaces Judæos fieri portentum, uti ait cap. XII, vers. 6 et 11. Quare jussit eum se includere domi suæ, ibique silere, nec verbis, sed silentio, et miris quibusdam actibus vaticinari et portendere clades urbi impendentes. Unde, cap. IV, jussus est silens describere in latere obsidionem urbis, et fimum boum comedere, cubare in latere uno 390 diebus, ita ut affines ejus, videntes eum mutum tam portentosa agere, putarint eum esse emotæ mentis, eumque quasi

(1) Qui vatum Hebræorum mos, futuras res actione et opere adumbrandi, quomodo sit protectus a priscorum hominum necessitate, linguæ verborum inopis defectum gestibus ac signis suppleudi, ostendit Guil. Warburton in opere quo divinam Mosis legationem demonstravit, lib. IV, sect. IV, vol. III. His quæ de prophetarum gestis ac visis symbolicis docte et subtiliter disseruit, jungenda est C. F. Stæudlinii de eadem re Commentatio in *Symbolis novis ad Prophetarum interpretationem*, a se germanice editis, pag. 125 et seqq. (Rosenmuller.)

insanum ligarint, uti mox prædicit ei Deus, qui nihilominus jubet eum pergere in silentio, et audire Dei oracula; ut quasi attonitus attonitos quoque reddat spectantes eum Judæos, donec jubeat eum post longum silentium proloqui, et erumpere in minas, lamenta et suspiria, quæ in longo hoc suo silentio animo concepit et parturivit. Jubet ergo eum silere, et se audire, usque ad finem cap. XI. Nam ibi vers. 15, fari et loqui incipit.

Tropologice S. Gregorius, *hom.* 12 : « Propheta, inquit, post campum in domo includi præcipitur, ut prædicator post gratiam doctrinæ, quam proximis ministrat, ad conscientiam redeat, seque ipsum subtili examinatione discutiat : ne de his quæ foris prædicat, aliquid ipse apud se intrinsecus transitoriæ laudis quærat : quia quanto plus se in cogitatione discusserit, tanto amplius agnoscit justi anima, quantis mortalitatis suæ infirmitatibus sit ligata. »

Vers. 25. 25. TU, FILI HOMINIS, — audi scilicet.

DATA SUNT (dabuntur, injicientur) SUPER TE VINCULA, ET LIGABUNT TE IN EIS, — id est eis, scilicet vicini et familiares Ezechielis, videntes ejus quasi attoniti et rapti gestus, eum æstimantes amentem vinculis colligarunt : quæ tamen vincula significarunt obsidionem et captivitatem Judæorum. Ita S. Hieronymus. Unde Syrus vertit : *Injectæ sunt super te catenæ;* Arabicus : *Injicio super te catenas;* at Chaldæus vertit : *Verbum meum super te sicut vinculum,* quasi non revera sit ligatus, sed in visione tantum vinculis mandati divini. Unde Maldonatus censet una cum his verbis injecta fuisse Prophetæ per visionem vincula, quæ eum domi suæ colligarent et includerent.

Vers. 26. 26. LINGUAM TUAM ADHÆRERE FACIAM PALATO TUO, — adimam tibi linguæ usum, ne cum iis qui ad te domum venerint, loqui possis, aut eos objurgare; ut hoc silentio tuum timorem et Judæorum pervicaciam castigem. Ita S. Hieronymus, Polychronius, Theodoretus. Unde S. Gregorius, hom. 17 *in Evang.*, sic explicat, *q. d.* « Idcirco tibi prædicationis sermo tollitur; quia dum me in suis actibus plebs exasperat, non est digna cui exhortatio veritatis fiat. » Et S. Hieronymus : « Ex quo, ait, perspicuum est, ubi multitudo fuerit peccatorum, indignos esse peccantes, qui a Domino corrigantur. » Potior tamen causa fuit ea quam paulo ante dedi; videlicet, ut suo silentio commoveret duros Judæos, quos voce non poterat; ut scilicet Judæi, videntes eum elinguem et cogitabundum, secum reputarent : Quid contigit Ezechieli? Quid incedit attonitus? Quid animo parturit? Atque causam ab eo perquirentes, audirent ab eo Dei minas et oracula, quæ prius audire noluerant.

NEC QUASI VIR OBJURGANS, — ut non sis vir qui eos objurges, quia me exasperant, *q. d.* Deus Judæis : Non vultis audire, non audietis igitur; ideoque Ezechielem prophetam vestrum, mutum et elinguem faciam. « Prophetarum ergo silentium, signum est iræ divinæ, » uti docet S. Chrysostomus in *Isaiæ* VI, hom. 4.

27. CUM AUTEM LOCUTUS FUERO, — cum ego tibi indicavero tempus esse loquendi, cumque os jam a me clausum tibi aperuero, tunc loqui incipies, dicesque ea quæ vidisti et audisti.

QUI AUDIT, AUDIAT : ET QUI QUIESCIT, QUIESCAT. — Non sunt hæc verba quæ Ezechiel dicturus est populo, sed verba Dei ad Ezechielem, *q. d.* Dices illis quæ audisti et vidisti; et qui voluerit ea audire, audiat; qui non voluerit audire, non audiat. Scio enim plerosque non audituros, quia domus exasperans, pervicax et rebellis est. Vide dicta cap. II, vers. 5. Unde Septuaginta vertunt : *Qui audit, audiat; qui incredulus est, incredulus sit.* Aquila vero : *Qui audit, audietur; et qui relinquit, relinquetur.*

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Repræsentat ad vivum instantem obsidionem, famem et pressuram Jerusalem, quæ postea anno sexto contigit, puta anno 11 Sedeciæ. Quocirca primo, jubetur describere in latere urbem, et circa eam aggeres et castra Chaldæorum eam obsidentium, ac sartaginem ferream, quasi murum, ponere inter se et civitatem. Secundo, vers. 4, jubetur cubare super latus sinistrum 390 diebus pro totidem annis iniquitatis Israel, et 40 diebus super latus dextrum, pro totidem annis iniquitatis Juda. Cibus vero et potus quotidianus ei præscribitur, scilicet panis ponderans viginti stateres, et aquæ sexta pars hin. Tertio, vers. 12, jubetur panem suum coquere stercore hominum : sed obsecrans impetrat, ut pro stercore hominum substituat stercus boum. Hisce autem omnibus, portendit famem, sordes et angustias, quas passuri erant Judæi obsessi a Chaldæis in Jerusalem.

Moraliter disce hic, quam viles et exiles sint urbes, quæ mundanis magnificæ videntur, utpote quæ in vili et parvo latere describantur. Vere Seneca dixit, Punctum, et adhuc puncto minus est id, quod colimus. *Nam, ut ait Boetius lib. II De Consol.,* tota terra non est nisi punctum puncti. *Quocirca Socrates Alcibiadem, superbientem opibus prædiisque in quemdam locum duxit, in quo suspensa erat cosmographica tabula, terræ circuitum complexa; jussitque Alcibiadem, Atticam in ea inquirere : quam ut invenit, sua etiam prædia inspicere præcepit. Quæ cum Alcibiades nusquam esse picta diceret :* Cur igitur, *ait Socrates,* ob illa superbis, quæ circa nullam terræ partem existunt? *Ita Ælianus lib.* III (1).

1. Et tu, fili hominis, sume tibi laterem, et pones eum coram te : et describes in eo civitatem Jerusalem. 2. Et ordinabis adversus eam obsidionem, et ædificabis munitiones, et comportabis aggerem, et dabis contra eam castra, et pones arietes in gyro. 3. Et tu sume tibi sartaginem ferream, et pones eam in murum ferreum inter te, et inter civitatem : et obfirmabis faciem tuam ad eam, et erit in obsidionem, et circumdabis eam : signum est domui Israel. 4. Et tu dormies super latus tuum sinistrum, et pones iniquitates domus Israel super eo, numero dierum quibus dormies super illud, et assumes iniquitatem eorum. 5. Ego autem dedi tibi annos iniquitatis eorum, numero dierum trecentos et nonaginta dies : et portabis iniquitatem domus Israel. 6. Et cum compleveris hæc, dormies super latus tuum dexterum secundo : et assumes iniquitatem domus Juda quadraginta diebus, diem pro anno, diem, inquam, pro anno dedi tibi. 7. Et ad obsidionem Jerusalem convertes faciem tuam, et brachium tuum erit extentum : et prophetabis adversus eam. 8. Ecce circumdedi te vinculis : et non te convertes a latere tuo in latus aliud, donec compleas dies obsidionis tuæ. 9. Et tu sume tibi frumentum, et hordeum, et fabam, et lentem, et milium, et viciam : et mittes ea in vas unum, et facies tibi panes numero dierum quibus dormies super latus tuum : trecentis et nonaginta diebus comedes illud. 10. Cibus autem tuus quo vesceris, erit in pondere viginti stateres in die : a tempore usque ad tempus comedes illud. 11. Et aquam in mensura bibes, sextam partem hin : a tempore usque ad tempus bibes illud. 12. Et quasi subcinericium hordeaceum comedes illud : et stercore, quod egreditur de homine, operies illud in oculis eo-

(1) Præmonstrata in tribus prioribus capitibus institutione Ezechielis in Prophetam, jam ipse ministerium adimplere incipit, et in tribus subsequentibus capitibus, Hierosolymæ obsidionem, famem et excidium tum propositis symbolis, cap. IV, V, tum appositis sermonibus, cap. VI prænuntiat.

Hierosolymæ obsidionem, ut recte notat et ipse Rosenmuller, vates præsignificare jubetur quadriennis ante, id vero est, tali tempore, quo mortalium nemo, nisi qui divino instinctu inflatuque incitatus esset, præsagire illam certo potuit. Nam quæ septem prioribus hujus libri capitibus vati nostro obtigisse leguntur, ea omnia anno quinto exsilii Joachini accidisse censenda sunt, qui ipse annus et quintus erat Sedeciæ ad imperium evecti. Is autem cum regni sui anno quarto se denuo Nabuchodonosori obstrinxisset; quis illum anno septimo datam fidem fracturum et contra imperatorem Chaldæorum rebellaturum prævidere poterat?

rum. 13. Et dixit Dominus : Sic comedent filii Israel panem suum pollutum inter gentes, ad quas ejiciam eos. 14. Et dixi : A a a, Domine Deus, ecce anima mea non est polluta; et morticinum, et laceratum a bestiis non comedi ab infantia mea usque nunc, et non est ingressa in os meum omnis caro immunda. 15. Et dixit ad me : Ecce dedi tibi fimum boum pro stercoribus humanis : et facies panem tuum in eo. 16. Et dixit ad me : Fili hominis : Ecce ego conteram baculum panis in Jerusalem, et comedent panem in pondere, et in sollicitudine : et aquam in mensura, et in angustia bibent : 17. ut deficientibus pane et aqua, corruat unusquisque ad fratrem suum, et contabescant in iniquitatibus suis.

1. LATEREM. — In quo stylo ferreo delinees urbem Jerusalem, et circa eam obsidionem, id est castra et machinas Chaldæorum obsidentium. Ex lateribus enim fiunt domus et urbes. Rursum, later magis aptus erat ad picturam, quam lapis. Ita R. David et Maldonatus.

Symbolice Theodoretus : Later, ait, significat incolarum debilitatem, qui non ædificarunt domum suam supra petram, sed super arenam; et Origenes : Later, ait, sunt ineruditæ animæ.

Moraliter, de oppugnatione vitiorum et resistentia virtutum.

Notant Lyranus et alii laterem accipi hic crudum, nondum igne decoctum et duratum; alias enim non potuisset Propheta in illo civitatem, ejusdemque obsidionem describere. Igitur Jerusalem obsessa, est anima posita in peccato, contra quam omnes justitiæ divinæ munitiones diriguntur. Verum hæc omnia in latere non decocto, sed crudo, qui facile aqua dissolvitur, describuntur (1); ut intelligamus omnes divinæ iræ munitiones adversus peccatores dispositas, pœnitentiæ lacrymis posse dissolvi, atque adeo totam dæmonis accusationem aboleri. Rursum S. Gregorius, lib. XXVI *Moral.* cap. v : « Sancti, inquit, prædicatores obsidionem circa laterem in quo Jerusalem civitas descripta est, ordinant; quando terrenæ menti, sed jam supernam patriam requirenti, quanta eam in hujus vitæ tempore vitiorum impugnet adversitas, demonstrant. » Idem S. Gregorius fusius hic *homil.* 12 : « Sume, inquit, tibi laterem, videlicet proximi cor terrenum. Pones eum coram te, scilicet ut vitam atque intellectum illius intenta mente custodias. Et describes in eo civitatem Jerusalem, ut ei, quæ sint superna gaudia de visione pacis, innotescas, etc. Et ordinabis adversus eam obsidionem. Nam, ut valeat anima ad illa pacis gaudia æterna pertingere, hanc hic procul dubio oportet tribulationum et tentationum certamina multa sustinere : unde prædicatores contra erudiendam animam obsidionem ordinant, cum præmonendo indicant quibus se modis vitia virtutibus opponant; quomodo luxuria castitatem feriat; qualiter ira tranquillitatem animi perturbet; quantum inepta lætitia vigorem mentis resolvat; qualiter multiloquium munitionem cordis destruat; quomodo invidia charitatem interficiat; quemadmodum superbia arcem humilitatis effodiat, etc. Et dabis contra eam castra, ut ostendas quomodo maligni spiritus animam, non ex uno, sed ex conjunctis vitiis simul tentent. » Huc pertinet illud S. Hieronymi *ad Heliod.* : « Erras, frater, erras, si putas unquam christianum persecutionem non pati. Tunc maxime oppugnaris, si te oppugnari nescis. Tranquillitas ista, tempestas est. Nam militia est vita hominis super terram, » ut ait S. Job, cap. VII. Animet nos sententia S. Cypriani : « Semel, ait, vincit qui statim patitur. At qui manens semper in pœnis congreditur cum dolore, nec vincitur, quotidie coronatur. » Quotidie enim lentum et longum obit martyrium. Ita ipse lib. II, *epist.* 4.

Denique H. Pintus : Moraliter, inquit, in mente nobis describere et pingere debemus Jerusalem; id est imaginem urbis et regni cœlestis; simul et obsidionem, id est hostes qui nos obsident, et ab ea impediunt; quibus opponenda est sartago ferrea, id est fortis charitas, et invicta constantia. Hoc accommodatitium est.

2. MUNITIONES. — Hebraice דיק *dic*, id est turrim ligneam, in cujus summo scilicet, statuebantur balistæ, scorpiones, arietes et aliæ machinæ ad muros quatiendos. Unde Hebræi *dic* a דק *dac*, id est comminuere, deducunt. Ita R. David. De his turribus agit Vitruvius, lib. X, cap. I. Dicebantur ambulatoriæ hæ turres, quia dissolutæ ab exercitu circumferri poterant. Septuaginta vertunt, προμαχῶνας, id est *propugnacula*. Propheta hic

(1) Quod lateri obsidendæ Hierosolymæ picturam insculpit, in eo istius temporis ac regionis morem sequitur. « Epigenes apud Babylonios DCCXX annorum observationes siderum coctilibus laterculis inscriptas docet, Plinio referente, *Hist. natur.*, lib. VII, sect. LVII. Et in eo ipso tractu, quo olim Babylonicam urbem sitam esse credibile est, nostra ætate ingens laterum copia e terra est effossa, quibus scriptura, cuneatis figuris constans, est insculpta; de quibus vide Frid. Munter, *Versuch uber die Keilformigen Inschriften zu Persepolis*, pag. 130 et seqq. Neque Hieronymi temporibus mos iste prorsus videtur obsolevisse, cum ipse dicat : « Pro *latere* qui græce dicitur genere feminino ἡ πλίνθος, Symmachus manifestius interpretatus est πλίνθιον, quem nos *laterculum* et *abacum* appellare possumus. In cujus pulvere solent geometræ γραμμάς, id est *lineas, radiosque* describere. » Ex cujus verbis colligere licet, non fuisse necesse, ut Propheta latere usus sit, ut quidam volunt, crudo, nondum igne cocto et durato.

Et dabis, id est *effinges, ordinabis contra illam obsidionem*, id est figuram obsidionis contra urbem. Apposite Stæudlin observat, simili modo quæ in scuto Achillis (*Iliad.* XVIII, 491 et seqq.) efficta erant, ita describi, quasi revera gesta essent. (Rosenmuller)

tum Dei, tum Chaldæorum urbem obsidentium personam gerit.

ET COMPORTABIS AGGEREM, — aggestæ terræ cumulum, item lapidum, cespitum, lignorum congestionem, ut excites propugnaculum, ex quo quasi e monte displodantur balistæ in mœnia et cives : aut potius, « aggerem, » quo scilicet se Chaldæi a telis Judæorum tueantur. Solent enim hostes urbem obsessuri aggeres ante se agere atque promovere, ut illæsi ad muros accedant. Ita Maldonatus.

DABIS, — depinges. Omnia enim hæc, non realiter fecit, sed in latere pinxit Ezechiel.

ARIETES. — Ita dicta trabs, quæ pendens ex funibus, et retrorsum ab obsidentibus repulsa, ferro in fronte instar cornu prominente, quasi aries mœnia et portas magno impetu percutiebat et dejiciebat. Plinius, lib. VII, cap. LVI, auctorem hujus machinæ facit Epeum, qui equum Trojanum (hunc enim ait fuisse arietem) fabricavit, quo capta est Troja. Vide Josephum, lib. III *Belli*, cap. IX. Chaldæus pro *arietes* vertit, *duces*. Sicut enim arietes ducunt gregem, ita duces exercitum.

Aries bellicus qualis?

3. SUME TIBI SARTAGINEM. — Hinc videtur Ezechiel realem sartaginem sumpsisse, non autem eam pinxisse in latere.

SARTAGINEM, — in qua friguntur carnes, pisces, ova, et si magna sit, homines; uti in ea Machabæos frixit Antiochus, II *Machab.* VII, 5. Unde et Syrus vertit, *sartaginem ferri*, ex ferro; Arabicus Antiochenus, *patellam ferream*.

Quæres, cujus rei hæc sartago sit symbolum? Respondet Maldonatus eam significare urbem Jerusalem, quia sartago ferro quasi circumdatur : ferrum autem significare urbis munitionem, quod inexpugnabilis esse videretur, ac si ferreos muros habuisset; fore tamen ut ab ira Dei, quæ fortior est ferro, expugnetur. Verum obstat, quod Propheta jubetur hanc sartaginem ponere inter se et urbem : ergo non fuit urbs ipsa, sed medium quid inter urbem et Prophetam. Nota ergo : *Primo*, Propheta gerens personam Dei, inter se et laterem in quo Jerusalem delinearat, posuit sartaginem ferream, ut significaret quasi ferreum murum interjectum esse inter se et cives, id est Deum Deique decretum et sententiam contra eos latam, esse inexorabilem, nec Deum civium preces et querimonias auditurum, aut misericordia flectendum. Ita Theodoretus, Polychronius, S. Hieronymus, Vatablus et alii. Sartago ergo sunt atrocia crimina, quæ iter ad Dei misericordiam impediunt quasi rupes, *Isaiæ* LIX, 2, aut quasi nubes, *Thren.* III, 44, scilicet corda Judæorum, ait R. David, ferro duriora, et fuligine turpiora, quæ Deum natura sua mollem, misericordem et melleum, durum et ferreum efficiunt, atque ferreum decretum duræ punitionis et vindictæ ab eo extorquent.

Sartago primo, est ferrea Dei sententia in ferreos Judæos.

Secundo, hæc sartago significat igne comburendam urbem, civesque gravissime cruciandos et quasi frigendos. Idem significat olla accensa Jeremiæ cap. I.

Igne frigendos esse Judæos significat.

Tropologice S. Gregorius, *homil.* 12 : « Sartago, ait, ferrea est spiritalis zeli frixura, in qua amore virtutum contra vitia populi concionator ardet. » Talis fuit Paulus, dicens : « Quis scandalizatur, et ego non uror? Nullum Deo tale est sacrificium, quale est zelus animarum, » ait S. Gregorius ibid. Melius S. Ambrosius in *Psalm.* XXXVIII, ad istum versum : *Tabescere fecisti sicut araneam animam ejus* : « Mittuntur, ait, in sartaginem animæ peccatorum, ut defluat quædam peccati caro, quæ obduxerat animæ ac mentis vigorem, et velut jure quodam, ita quibusdam infuderat animam illecebris cupiditatum. Exspectant igitur nos quædam sartagines; ideo hic conteramus cor nostrum, ut subtile fiat, et deponat omnem duritiem, et pinguedinem carnalis arvinæ. »

OBFIRMABIS FACIEM, — tum contra sartaginem, tum contra urbem, *q. d.* Severo et implacabili vultu, quasi inexorabilis, urbem et sartaginem aspicies; quasi judex, qui, cum a sententia lata immobilis est, eam ac reum obfirmatis oculis intuetur. Aliter Polychronius et Kimchi, *q. d.* Avertes ab urbe faciem indignabundam et minacem lævorsum.

SIGNUM EST DOMUI ISRAEL, — id est, hæc figura et delineatio Jerusalem obsessæ, significat vere Jerusalem ita brevi obsidendam. Judæos vocat Israelitas, quia decem tribubus jam abductis in Assyriam, tota Israelis, id est Jacobi, progenies, in solo patrio consistebat in Juda et Judæis, de quo mox plura.

4. DORMIES. — Hebraice שכב *scekab*, jace, decumbe. Non ergo dormivit Propheta 390 dies; sed vigil decubuit, quasi obsidens, aut potius spectans obsidionem urbis. Sic vulgo dicimur tota nocte dormire, id est decumbere in lecto, etiamsi multi multas horas proprie non dormiant, sed vigilent, vel morbi, vel curarum, vel orationis causa.

SUPER LATUS TUUM SINISTRUM. — Apposite Israel ponit ad sinistrum, quia vere Samaria, id est decem tribus, ad sinistrum habitabant respectu Juda, ait Polychronius et R. Salomon. *Secundo*, Maldonatus : Juda, ait, ponitur ad dextrum, quia dignior erat, habebatque sacerdotium et regnum : Israel vero ad sinistrum, quia vilior, et quia primitus suberat Judæ.

PONES INIQUITATES. — Ut sic jacendo per 390 dies, feras, vel potius ferendo repræsentes pœnam iniquitatibus Israelitarum debitam. *Iniquitas* enim ponitur metonymice pro pœna iniquitatis (1).

(1) Hæc H. Bodinus, *Les Livres prophétiques*, etc., *Ezéchiel*, cap. IV : Cum Propheta super latus sinistrum decumbere jubetur, impossibile videtur super illud latus iniquitates Israel imponere. Nonne supponere possumus loco עליו, *alaiv*, *super illud*, legendum esse עליך, *aleicha*, *super te*. Quæ conjectura eo verisimilior videtur

ET ASSUMES, — sustinebis, feres pœnas peccatis eorum debitas, simulque pro venia eis impetranda Deo supplicabis.

5. ANNOS INIQUITATIS EORUM, NUMERO DIERUM, — *q. d.* Pro annis 390 iniquitatis Israelitarum, do tibi pœnam decubitus per 390 dies. Pro annis vero 40 peccatorum Juda, cubabis in latere dextro totidem dies 40.

Notat Origenes aliquos in versione Septuaginta legere dies 150, alios 190, alios 350. Sed vera lectio est 390. Ita Hebræa, Aquila, Symmachus, Theodotion, S. Hieronymus et alii. Ubi nota Dei clementiam, quæ pro anno peccatorum dat diem pœnæ. Punit ergo longe citra condignum. Punitio enim Dei, ad culpam eam proportionem habet, quam unus dies ad dies 365; tot enim habet annus (1).

Vers. 7. 7. AD OBSIDIONEM JERUSALEM CONVERTES FACIEM, — *q. d.* In hoc tuo decubitu, laterem, in quo delineasti obsidionem Jerusalem, fixe intueberis (ita Hebræus), ut significes hæc omnia mira quæ facis, portentum esse obsidionis arctissimæ Jerusalem, qua capietur et exscindetur.

BRACHIUM TUUM ERIT EXTENTUM. — Ita Romana; id est, ut Hebræa, *nudatum, exertum;* extendi enim brachium, est nudari. Tunicæ enim viriles veterum, in caput injectæ, et cingulo præcinctæ, vix summa tegebant brachia. Quocirca P. Africanus P. Sulpitio Gallo probro dedit, quod tunicis uteretur manicatis, uti feminæ, ait Gellius, lib. VII, cap. XVII. Præsertim vero milites olim solebant nudatis brachiis pugnare, quod etiamnum Africani et Indi faciunt. Sensus est, *q. d.* Brachium exertum ostendes, ac si velles acriter dimicare, urbemque invadere.

PROPHETABIS, — non verbis; erat enim mutus, ut patet cap. III, 26, sed hisce factis; teipso scilicet tuoque gestu, referes Deum per Chaldæos oppugnantem Jerusalem. Ita Prado.

8. ECCE CIRCUMDEDI TE VINCULIS, — feci, ut cognati et amici te quasi insanum vincirent; sed sustine patienter, tum eorum vincula, tum mea jussa, ut te non convertas in latus aliud, sed impleas dies obsidionis tuæ, scilicet 390 et alios 40, quibus repræsentes obsidionem Jerusalem. Ita Vatablus, Prado et alii, et colligitur ex cap. III, 25. Aliter Maldonatus. Putat enim ipse Ezechielem a Deo ligatum, ne se posset ex uno latere in aliud convertere, quæ expositio est probabilis. Porro hic Propheta gerit personam civitatis, et civium mox obsidendorum et vinciendorum.

9. ET TU SUME TIBI, etc., VICIAM. — *Vicia* cibus est equorum et pecorum. S. Hieronymus in *Comment.* vertit, *avenam;* Symmachus et Aquila, ζέας, id est *speltam.* Jubetur hic Propheta frumentum, hordeum, milium, fabam, viciam, etc., miscere, ut inde viles et necessarios vitæ faciat panes 390, quos singulos per totidem dies comedat, ut significet tantam fore famem urbis obsessæ, ut cives non delicias quærant, sed panem, etiam ex lente et vicia confectum. Sub 390 intellige a pari et 40 alios, pro diebus 40 quibus cubare debebat in latere dextro; nec enim tunc jejunare poterat per totidem dies.

10. IN PONDERE. — Id est non quantum voles et appetes, sed certo pondere, ut in magna fame urbis obsessæ fieri solet. Porro pondus illi præscribit « viginti stateres; » hebraice, *viginti siclos.* Siclus, testibus S. Hieronymo et Josepho, 4 drachmas ponderabat: drachmæ 8 unam faciunt unciam. Viginti stateres ergo sunt 10 unciæ, quæ necdum libram (libra enim continet uncias 12) panis efficiunt, quibus proinde per diem trahitur magis anima quam sustentatur. Mirum ergo est, Polychronium et Theodoretum 20 stateres æquare tribus unciis. Alii 20 stateres æquant 5 unciis; putant enim staterem hic non integrum, sed dimidiatum accipi, qui erat quarta pars unciæ. Et hoc forte voluerunt Theodoretus et Polychronius, ut per cyphram scripserint 5, id est quinque, quod descriptores depravarint, scribendo 3, id est tria; facilis enim ex 5 in 3 est lapsus. Nimis enim parum datur 20 stateribus, cum eis tantum dantur tres unciæ; plusculum, cum quinque, hæ enim continent drachmas quadraginta.

A TEMPORE USQUE AD TEMPUS COMEDES ILLUD, — scilicet a vespera usque ad vesperam, inquit S. Hieronymus; vel, ut Vatablus, a meridie in meridiem. Aliter Apollinaris, scilicet : *ab anno in annum, q. d.* Toto anno quotidie comedes panem decem unciarum (2).

quod in vers. seq. exhibetur Propheta ut iniquitates populi sui portans.

(1) Vers. 6 : « Et cum compleveris, » etc. Alii vertunt, *et absolves illos, et decumbes,* id est, ita absolves hos dies, ut per quadraginta dies decumbas in latus dexterum. In universum decubitui vatis assignandos putant 390 dies, in quibus quadraginta sint proprii tribus Judæ, id quod inde colligunt, quod infra vers. 9, Propheta parato pro obsidionis tempore cibo, 390 dies duntaxat. Vesci jubetur, nulla addita quadraginta dierum mentione. Verum absolutis 390 diebus per alios quadraginta dies vati decumbendum fuisse, manifeste indicat additum hoc loco שנית *schenit, iterum,* secunda vice. (Rosenmuller.)

Cæterum haud admittendam censemus opinionem Stæudlinii, juxta quam numerus quadragenarius in universum indeterminatum temporis spatium indicaret, quod quidem sæpe alias in veteri Testamento fit, ut pluribus ostendit; nam cum numerus superior 390 pro definito sit habendus, idem ut de hoc quadragenario statuamus, poscit analogia.

(2) De Voltaire in sua Scriptura tandem explicata, hoc factum ut alia, inquit Janssens *Herm. Sacra*, et in sua *Philosophia historiæ* ait, Deum Ezechieli præcepisse, ut panem stercore humano coopertum comederet, eique duntaxat permisisse ut panem suum stercore boum cooperiret, postquam panem stercore humano illinitum manducasset. At irreligiosum istum auctorem lectoribus mendacia obtrudere, sacramque Scripturam calumniari, patet ex ipso Ezechielis textu (ex Commentario Cornelii a Lapide) et ex infra dicendis.

Et revera in Oriente pauperes incolæ desertorum panes

11. ET AQUAM IN MENSURA. — Id est non quantum voles, sed sextam tantum partem *hin*, puta duos sextarios Italicos. Exiguus ergo hic Prophetæ potus datur, qui tantum mortem prohibeat, ut significet sitim futuram obsessæ urbis. Vide ea quæ de mensuris dixi in fine Pentateuchi.

12. QUASI SUBCINERICIUM HORDEACEUM COMEDES ILLUD, — *q. d.* Panes quos jussi te edere, non coques clibano, uti honestiores coquunt ; sed sub cinere, quasi rusticos et hordeaceos, ut significes tantam fore famem, ut homines non exspectent panes coqui clibano, sed sub cinere torreant, ut statim eos vorent. Addit Apollinaris significari inopiam lignorum, ut clibanum iis accendere non possint, sed prunis et cinere uti cogantur ad panes coquendos.

STERCORE, QUOD EGREDITUR DE HOMINE, OPERIES ILLUD, — scilicet, dum illum coques, ut habent Hebræa, sub cinere stercoris humani. Significat lignorum inopiam, adeoque pro stercore sicco boum (quo rustici ignem faciunt, dum lignis carent) deficiente, opus fore ignem facere stercore humano siccato, ad coquendos panes, uti rustici utuntur cespite. Non ergo vult illini stercus pani, ut cum eo comedatur, uti vulgus autumat; sed tantum eo coqui. Hoc enim est Hebræum עוג *ug;* unde עוגות *uggot* vocantur panes cocti sub prunis et cinere. Hinc et vers. 15, dicitur : « Facies (id est coques) panem tuum in eo, » fimo boum; hebraice, *super eum;* sicuti liba coquuntur super prunas. Ita R. David, Marinus, Mercerus, Forsterus, Pagninus in *Lexicis*, Pintus, Lyranus, Vatablus, Maldonatus, Prado et alii hic. Unde Arabicus Antiochenus vertit : *Inassabis eam stercore hominis;* Arabicus Alexandrinus : *Comedes placentam pistam super stercus hominum;* Syrus : *Comedes assatum super stercus hominis.* Hac re significat Judæos, tum in urbe obsessa, tum in Babylone, horridum immundumque panem comesturos : hoc enim portendit coctura hac panum tam insolita et abominabili Propheta (1).

IN OCULIS EORUM, — ut scilicet videntes, rogent causam tam miræ rei, et discant famem et cladem urbi sibique imminentem. Hinc patet non esse hæc facta per visionem imaginariam, uti volunt Vatablus et aliqui alii, sed reipsa. De quo mox plura.

13. PANEM SUUM POLLUTUM. — Quia panis, ex vario semine factus, videtur lege veteri fuisse immundus, uti de agro expresse habetur *Levit.* XIX, 19. Verum, nil ibi statuitur de pane; alioqui legem hanc obtendisset Deo, excusans se ab hoc cibo Ezechiel. Panis ergo pollutus dicitur, ob fœditatem et fetorem stercoris humani; unde et ipsum lege erat abominabile, *Deuter.* XXIII, 12. Significat ergo, quod præ fame in obsidione debebunt comedere similes panes sordidos, quos homo alias abominatur.

Nota : Quia Judæi coluerunt idola, quæ in Scriptura vocantur stercora et sordes, ex contemptu et vilitate; hinc apte puniuntur, ut sordes suas vorent. Ita et tropologice crapulam sordesque suas, multo tempore decoquere coguntur gulosi, ebriosi et libidinosi.

EJICIAM. — Hebraice *impellam*, scilicet, quasi gregem cogam, in media Jerusalem immolandum a gentibus Chaldæis. Non ergo loquitur de abductione in Babylonem, ut aliqui volunt; sed de obsidione et captivitate Jerusalem, ut patet ex antecedentibus et sequentibus. Ita Prado.

14. A A A. — Hebraice אהה *aha*, si cuilibet consonanti substituas vocalem, erit *a, ha, ha*, quasi triplex detestatio cibi polluti, et lege vetiti. Est interjectio dolentis, aversantis et deprecantis. Unde Symmachus et Septuaginta vertunt, *nequaquam;* Theodotion, *o Domine Deus!* Ad hæc Dei jussa percellitur Ezechiel; quia homo nitoris et honestatis amans naturaliter horret sordes et stercora.

Quocirca monstrum naturæ, et portentum sordium fuit Constantinus Imperator Iconoclasta, qui hisce sordibus earumque odore delectabatur, indeque *Copronymus*, id est stercorarius, est cognominatus; eo quod dum baptizaretur stercora emiserit, eisque baptisterium polluerit, in signum quod Ecclesiam sua hæresi, et purissimam Virginem Deiparam suis blasphemiis polluere conaturus esset. Inde et *Caballinus* est cognominatus, quod caballorum stercore et lotio recrearetur. Ita ex Theophane Baronius, tom. IX, anno Christi 775. Audi Theosterictum in *Niceta* : « Tantopere, ait, sordium, et impurissimæ cujusque rei odore malo delectabatur, ut animalium brutorum stercoribus se illineret, et eos qui cum illo erant, id facere juberet; quos amabat, ob idque benigne accipiebat, quod rebus male olentibus semper delectaretur. » Hisce spurcis parentibus glorientur nostri Iconoclastæ et Hagiomachi.

MORTICINUM. — Id est : « Quod absque effusione sanguinis amittit vitam et in quo moritur anima, » ait S. Hieronymus, ut quod sponte moritur, vel aquis suffocatur, aut strangulatur.

suos frequenter siccatis stercoribus boum, imo et hominum, defectu ligni coquunt (vide Cornelium Le Bruyn, *Voyage au Levant*, tom. I, pag. 230; Tournefort, tom. III, pag. 107, 122, 123, 186; Pietro della Valle, part. I, lettr. 11; Gemelli Carreri, *Voyage autour du monde*, tom. II, pag. 57. Stercus bubulum hodieque in Frisia ad ligni materiam siccari, testatur Erasmus in Proverbio *Boliti pœnam*, inquit Bochartus, *Bolìti*, id est bubuli stercoris, quod Græce βόλιτον dicitur.

Aliqui interpretes, ut omnem difficultatem expediant, asserunt hæc duntaxat in visione contigisse, quod admitti nequit, propter rationem allatam infra ad *quæritur secundo*.

(1) « Notandum quoque, ait S. Hieronymus, quod juxta numerum dierum sinistri lateris, trecenti nonaginta subcinericii panes jubeantur fieri, et per singulos dies comedi, et de 40 dierum dextri lateris panibus omnino taceatur, ut occulte S. Scriptura insinuet, non eamdem pœnam populi esse peccatoris, si tamen notitiam habeat Dei (id est regni Judæ), et ejus qui a religione veri Dei omnino discesserit (Israelitici regni). »

ET LACERATUM A BESTIIS. — Utrumque quasi immundum vetatur lege *Levit.* XI, 11 et 24, etc., argumentatur a majore ad minus, *q. d.* Si carnem immundam nunquam comedi, quomodo comedam panem stercore humano coctum?

Nota : Exaudit eum Deus, quia non patitur misericors Pater, suos in oratione diutius affligi, vel se pœnitentiis affligere, quin eos exaudiat. Sic fecit afflicto Mosi, Eliæ, Elisæo et aliis. Pro stercore ergo humano, concedit ei stercus boum, quod minus est abominabile. Ita vidi in Belgio viros expertos, qui fimo equino, ægroto in cibum aut potum porrecto, certo eum curarent.

16. BACULUM PANIS. — Hebraice מטה *matte*, id est *substantiam, sustentationem panis;* Aquila, Symmachus et Septuaginta, *firmamentum panis;* Chaldæus, *sustentaculum panis*. Non est sensus, *q. d.* Tollam a pane vim nutriendi et sustentandi, ut volunt aliqui; sed, *q. d.* Tollam ipsum panem nutrientem, tollam fruges et frumenta, inducam sterilitatem, et annonæ inopiam. Per hebraismum enim, sustentatio panis, vocatur panis sustentans.

Sic allegorice, ob hæresim aufert Deus panem Eucharistiæ, qui animam sustentat.

Vers. 17. 17. AD FRATREM, — apud fratrem, cum ad eum ibit ut petat et mendicet panem, fame corruet.

CONTABESCANT, — fame macrescant, indeque orta lue et peste putrescant, et in tabem ac pestifera ulcera liquescant, defluant et tabescant.

IN INIQUITATIBUS, — propter iniquitates.

Quinam 390 anni iniquitatis Israel?

QUÆRITUR PRIMO, — qui sint hi anni 390 iniquitatis Israel, et 40 Juda, de quibus vers. 5 et 6? Aliqui iniquitatem proprie pro culpa, puta idololatria; alii metonymice pro pœna accipiunt, ut anni iniquitatis sint anni captivitatis.

Prima sententia.

Primo, ergo Polychronius pro 390 legit 150, eosque numerat ab anno 6 Ezechiæ, quo Osee ultimus rex Israel captus, ductus est in Assyriam, usque ad ultimum Sedeciæ, quo ipse rex Juda captus est. Sed hic non nisi 133 anni interfluxerunt. Theodoretus numerat etiam 150 ab anno quinto transmigrationis Joachin, quo prophetare cœpit Ezechiel, usque ad annum 20 Artaxerxis Longimani, quo templum absolutum est, urbsque Jerusalem muris cincta fuit; 40 vero annos Judæ numerat ab eodem anno 5 Joachin, usque ad annum 2 Cyri, qui Judæorum captivitatem Babylonicam solvit. Verum nihil hæc faciunt ad Israel, id est ad decem tribus; sed tantum ad Juda. Adde, falso eum legere 150 pro 390, ut alia plura taceam.

Secundo, Judæi, teste S. Hieronymo, jungunt 40 cum 390, ut fiant 430, quos numerant a 2 anno Vespasiani, qui Jerusalem evertit, quam post 430 annos sibi et Judæis restituendam et reædificandam asserunt. Sicut post 430 annos Ægyptia servitute liberati sunt, *Exodi* XII, 40. Verum jam patet plus mille quingentis annis Judæos e Jerusalem exsulare, et per gentes dispersos ubique misere servire.

Tertio, S. Hieronymus et ex eo Maldonatus numerant iniquitatis, id est captivitatis, Israel 390 annos, a prima captivitate decem tribuum, quando Teglatphalassar, sub Phacee rege Israel, transtulit Israelitas in Assyriam, vel potius, quando Phul Assyrius, IV *Reg.* XV, 19, venit in terram Israel, cui Manahem rex Israel dabat tributum mille talentorum argenti; eosque finiri anno 28 Artaxerxis Mnemonis, id est Memoris (fuit enim ipse excellentis memoriæ), qui successit Dario Notho, fuitque maritus Esther, qui ad preces Esther omnes Judæos morte liberavit. Annos autem 40 numerant ab 1 anno Jechoniæ, qui se dedidit Nabuchodonosori, usque ad annum 1 Cyri. Sed horum utrumque magis ad Judæos in Babylone et Perside captivos, eosque non a captivitate, sed a morte liberandos, quam ad Israel, sive decem tribus pertinet. Captivitas enim Juda in Babylone laxata est a Cyro annis 128 ante Artaxerxem Mnemonem. Rursum in Mnemone non est finita captivitas decem tribuum, sed adhuc perdurat: imo Mnemon nullam captivitatem solvit, sed tantum Judæos morti ab Aman destinatos liberavit. Denique computus annorum non adæquat annos 390. Nam a Phul usque ad annum 28 Mnemonis, tantum fluxerunt anni 383, ut summum. Adde, longe verius est annos hos non esse captivitatis, sed iniquitatis proprie dictæ : hanc enim portat et luit Propheta.

Quarto, R. Salomon et Kimchi annos 390 numerant ab initio idololatriæ regni Jeroboam, qui peccare fecit Israel, usque ad annum 9 Osee, quo eversum est regnum Israel, qui sunt anni 241. His addunt annos 149, quos mutuant a tempore Judicum, id est a 1 anno Abimelech usque ad ultimum Heli. Annos vero 40 Juda numerant etiam intercalando, scilicet 16 Manassis, quibus peccavit; 2 Amon, et 22 Joakim et Sedeciæ. Sed gratis, et præter ordinem chronologiæ, ac morem Scripturæ hos annos Israel et Juda intercalant. Nam ante Abimelech quoque coluerunt Baalim tam Judæi, quam Israelitæ, atque ante Manassem, Achaz quoque et Salomon coluerunt idola.

Quinto, alii a 25 anno Heli, ad ultimum Osee numerant annos 390. Sed et hi errant in computu. Atque ut demus eos non errare, quid hoc ad rhombum? Nam post Heli David, Josaphat, Ezechias et Josias non coluerunt idola, nec peccarunt; quomodo ergo hi anni sunt iniquitatis Israel?

Sexto, alii per Israel intelligunt duas tribus et urbes Juda, in quibus permixti erant Judæi et Israelitæ, maxime post fugam et captivitatem decem tribuum, in quibus viguit idololatria ab anno 4 Roboami usque ad ultimum Sedeciæ, per annos 390; per Juda intelligunt urbem Jerusalem, in qua cædes Christi et Christianorum viguit per annos fere 40, scilicet ab anno 18 Tiberii usque ad 2 Vespasiani, qui eam evertit. Hoc utrumque verum est, sed posterius est allegoricum; nam ad litte-

ram loquitur Ezechiel de peccatis suo tempore commissis, et de obsidione præsenti facta per Nabuchodonosorem, non per Vespasianum.

Septima genuina. Pro responsione : Dico *primo*, hæc omnia significare obsidionem Jerusalem, in qua respublica Judæorum, id est tam Israel, sive decem tribuum, quam Juda, plene eversa et vastata est. Id ita esse patet *primo*, quia Ezechiel et Jeremias solis Judæis prophetant, prædicuntque iis Judææ et Hierosolymæ excidium. *Secundo*, quia decem tribus jam pridem, anno Ezechiæ 6, excisæ et abductæ erant in Assyriam, indeque nunquam redierunt; ergo per Israel non hæ decem, sed duæ tribus, puta Juda et Benjamin, et quicumque ex decem tribubus cum Juda erant commixti, intelligendi sunt. *Tertio*, id patet ex initio capitis, quod est quasi titulus totius prophetiæ, quæ hoc cap. et sequent. enarratur. Illud enim sic habet : « Et tu, fili hominis, sume tibi laterem, et pones eum coram te, et describes in eo civitatem Jerusalem, et ordinabis adversus eam obsidionem, » etc. Omnia ergo hæc referuntur ad Jerusalem ejusque obsidionem et excidium. Unde mox subdit, vers. 3 : « Signum est domui Israel, » *q. d.* Hæc descriptio obsidionis Jerusalem in latere, signum est, et portendit brevi reipsa futuram hanc obsidionem Israelitarum, hoc est Judæorum; signum enim quod Prophetis datur, est rei futuræ, non præteritæ. *Quarto*, quia regnum Israel, id est decem tribuum, non stetit annis 390, sed tantum 256; tot enim fluxerunt ab 1 anno Roboam et Jeroboam, qui fuit primus rex decem tribuum, usque ad annum 6 Ezechiæ, quo hoc regnum ab Assyriis eversum est, ut patet IV *Reg.* XVIII, 10 Ergo hi anni 390 iniquitatis Israel complectuntur quoque iniquitates regni Juda.

Dico *secundo*, Prophetam hic sustinere tum personam gentis obsessæ, ut cum 390 dies catenatus decumbit, comedens panem subcinericium, quo significat cives urbe constringendos, et fame cruciandos; tum gentis obsidentis, ut cum brachium contra urbem exerit, et sartaginem ei opponit quasi scutum.

Dico *tertio* : Diebus 390 portendit urbis obsidionem, diebus vero 40 excidium urbis (unde ultimis 40 non exprimitur, ut paret sibi panem, quia capta urbe, non fuit tanta fames); nam per 390 dies fuisse urbem obsessam patet numeranti dies a principio obsidionis ad finem. Nam, ut patet IV *Reg.* XXV; Nabuchodonosor cœpit obsidere urbem anno 9 Sedeciæ, 10 die decimi mensis, et cepit eam anno 11, quarti mensis die 9. Jam 390 dies faciunt menses duodecim, dies 25, quibus arcte fuit obsessa Jerusalem. Omittit ergo Ezechiel aliquot menses respirationis Jerusalem, quia scilicet pœnitentibus Judæis, et servos juxta legem liberos dimittentibus, Chaldæi, omissa Jerusalem, Ægyptiis ad opem Judæorum adventantibus iverunt obviam : postea ad scelera redeuntibus Judæis ac servos suos revocantibus, redierunt ad obsidionem Jerusalem, donec eam caperent, ut patet *Jerem.* cap. XXXIV. Ita Theodoretus, Vatablus et alii ibidem. Porro excisam et vastatam esse Jerusalem per 40 dies, patet : quia, ut dicitur IV *Reg.* cap. XXV, 8, et *Jerem.* cap. LII, 6, die nona mensis quarti, capta est civitas; die vero septima mensis quinti incensum est templum; intermedii ergo fuerunt dies 30, quibus adde dies 10, quos facile victor Chaldæus insumpsit in tot domorum et murorum eversione, habebis quadraginta, quos quærimus.

Denique 390 dies decubitus Ezechielis in latere sinistro, portendere totidem dies obsidionis Jerusalem, patet ex vers. 8, ubi dicitur : « Non te convertes a latere tuo (sinistro, in quo prius jussi te decumbere per 390 dies vers. 4) in latus aliud (dextrum, in quo posterius jussi te decumbere per 40 dies vers. 6), donec compleas dies obsidionis tuæ (tot enim jussus est decumbere in latere hoc sinistro. Unde et de eodem, assignans illi cibum, subdit) : Et tu sume tibi frumentum, et hordeum, etc., et facies tibi panes numero dierum quibus dormies super latus tuum : trecentis et nonaginta diebus comedes illud. » Ex quo clarum est 390 diebus, quibus Ezechiel decubuit in latere sinistro, eum portendisse et repræsentasse 390 dies obsidionis Jerusalem.

Dico *quarto* : Cubare in latus sinistrum est molestum et anxium, quia tunc cor, quod in sinistrum latus propendet, a superimposito hepate æstuat, et suffocatur. Unde hæc cubatio symbolum est animi solliciti, et sæpe evigilantis ob periculum imminens : is habitus fuit Chaldæorum, urbem Jerusalem sollicite obsidentium. In dextrum vero latus cubare, somnum facit suavem et jucundum, qualis est ejus qui cura solutus est. Hæc ergo cubatio signum est victoriæ, qua scilicet Chaldæi, capta urbe, præ gaudio, et Judæi, rebus desperatis, præ mœrore profunde dormierunt.

Dico *quinto* : *Iniquitas* hic significat iniquitatis pœnam, qui addit : « Portabis iniquitatem domus Israel, » *q. d.* Tot diebus catenis gravatus sustinebis molestiam debitam iniquitatibus Israel, atque de tolerantia repræsentabis molestiam, quam ipsi laturi sunt totidem obsidionis diebus.

Dico *sexto* : Cum ait « diem, » intellige pœnæ, « pro anno » culpæ præteritæ « dedi tibi. » Sunt ergo hi anni iniquitatum præteritarum Israel, non autem supplicii eis inferendi; nam sic dicere debuisset : *Annum pro die dedi tibi*, qui populi personam sustines; jam autem e contrario dicit : « Diem pro anno dedi tibi, » *q. d.* Tot tibi dedi dies famis et afflictionis, quot annis impune peccarunt Israelitæ.

Dico *septimo* : Per Israel accipit tam Judæos quam Israelitas, hoc est, tam duas quam decem tribus, quia utrique commixti fuerunt in Judæa, maxime postquam decem tribus majori ex parte abductæ fuerunt in Assyriam. Utrique ergo vo-

cantur hic Israel potius quam Juda, quia in Israele cœpit, viguit et perduravit iniquitas, quæ hic punitur, puta idololatria, atque ex Israele manavit ad Judam. Per domum vero Juda, accipit regiam domum, familiam et regnum, quod erat in stirpe Davidis et Juda, atque per eam notat Manassem, cujus iniquitas et idololatria per 40 annos fuit tanta, ut repleverit, ait Scriptura, IV *Reg.* XXI, 16, Jerusalem sanguine Prophetarum usque ad os, utque Deus propter eam ejus stirpem et urbem certo destinarit excidio, atque irremissibiliter et inexorabiliter eam exciderit, IV *Reg.* XXIII, 26.

40 annis durarunt scelera Manassis.

Porro Manassis scelera durasse per 40 (non autem 22, ut volunt Hebræi in *Seder-Olam*) annos colligitur ex eo quod, teste Polychronio, Septuaginta, IV *Reg.* XXI, 18, juxta aliquos codices, dicunt Amon filium Manassis regnasse 12 annis; quia scilicet post patrem solus 2 annis regnavit, ut habent Hebræa et Latina, IV *Reg.* XXI, 18; patre vero captivo in Babylone, regnavit 10 annis; pater vero e captivitate rediens, non diu superstes fuit, sed 5 fere annis vixisse et regnasse videtur. Jam tolle hos 5 ultimos regni annos, et 10 captivitatis ejus ab annis 55 quibus universim dicitur regnasse Manasses, habebis annos 40 peccatorum et regni scelerati ejusdem. Unde Vatablus : « Quadraginta, ait, annis peccavit gravissime Israel tempore Manassis, qui quindecim tantum annis mansit in officio, et quadraginta peccavit. »

Anni hi 390 incipiunt a primo anno Roboam et Jeroboam, ac finiuntur anno ultimo Sedeciæ.

Anni ergo 390 iniquitatis Israel incipiunt ab 1 anno Roboam regis Juda, et Jeroboam regis Israel, qui mox ut creatus est rex, fecit idola, scilicet vitulos aureos, quos eodem anno coluerunt Israelitæ, atque ad quos et ad Baalim post tres annos defluxerunt etiam Judæi sub Roboam. Finiuntur vero hi 390 anni, ultimo anno Sedeciæ, quo urbs eversa est. Tot enim, scilicet 390 annos inter annum 1 Jeroboam, et ultimum Sedeciæ interfluxisse consentiunt passim chronologi. His ergo 390 annis iniquitatis, in pœnam successerunt 390 dies obsidionis urbis, quos Propheta repræsentat suo decubitu in latus sinistrum per 390 dies. Annis autem 40 peccatorum domus Juda, id est Manassis, succedunt 40 dies excidii et vastationis urbis : quos Propheta repræsentat decumbendo in latus dextrum per 50 dies. Nec mirum, annos 40 Manassis in annis 390 includi, et consequenter bis numerari; quia hi anni 40 insigniores fuerunt malitia, ideoque quasi duplices. Hi enim fuerunt unica causa irrevocabilis sententiæ Dei de exscindenda Jerusalem. Sensus ergo est, *q. d.* Prioribus peccatis per 390 annos a Judæis commissis, debetur obsidio Jerusalem; posterioribus vero peccatis Manassis, per 40 annos patratis, decretum est certum urbis excidium et plena vastatio. Ita Hieronymus Prado, et Vatablus. Aliqui non improbabiliter hos 40 annos scelerum domus Juda, numerant ab anno 13 Josiæ, usque ad 11 et ultimum Sedeciæ : hi enim proprie fuerunt Juda; nam Israel, id est decem tribus jam erant abductæ. Tunc enim Judæi fuere solito sceleratiores; adeo ut Jeremiam aliosque præcones Dei iram denuntiantes riderent et torquerent. Ad hanc sententiam accedit noster Pineda, qui lib VII *De Rebus Salom.* cap. IX, censet hos 390 annos inchoari ab anno 27 Salomonis, quo ipse lapsus est in idololatriam; inde enim usque ad ultimum annum Joakim (quo censet hosce annos finiri) numerat annos 390. Licet enim post Joakim regnarit Sedecias, sub quo eversa est Jerusalem; tamen hujus eversionis et excidii initium fuit illa prior captivitas sub Joakim et Joachin. Atque hac de causa Scriptura narrans excidium Jerusalem, facit mentionem Salomonis, quia ipse fuit origo peccati, puta idololatriæ, ac consequenter excidii. Mentio hæc fit IV *Reg.* XXIV, ubi post cladem Joakim et captivitatem ejus filii Joachin, subdit Scriptura vers. 13, de Nabuchodonosore : « Concidit universa vasa aurea, quæ fecerat Salomon rex Israel in templo Domini juxta verbum Domini. » Hæc sententia conjecturam affert accommodam et plausibilem, præsertim quia Salomon fuit primus auctor idololatriæ Israelis, quæ deinceps continuata fuit per 390 annos, usque ad ejus excidium. Verum, quia Salomon coluit quidem idola, sed publico edicto eorum cultum non sanxit, multo minus Dei veri cultum in Israele abolevit; et quia incertum est, quo præcise anno Salomon apostatarit et coluerit idola, hinc melius et certius hos annos inchoabimus a schismate, quod tam a Juda quam a Deo fecit Jeroboam, qui primus idololatriæ vexillum sustulit, constituens vitulos aureos in Dan et Bethel, ac vetans ne quis templum Hierosolymitanum ad Deum colendum adiret. Unde hoc schisma in Scriptura est celeberrimum, et contra illud, puta contra vitulos aureos, passim detonant Prophetæ.

QUÆRITUR SECUNDO, — an revera, an vero per visionem tantum decubuerit, id est visus sit sibi decumbere Ezechiel per 390 dies?

Ezechiel non per visionem, sed reipsa decubuit per 390 dies.

Respondent S. Hieronymus, Vatablus et alii, fuisse tantum imaginariam visionem, quia natura non patitur ut tot dies homo in uno latere dormiat, ita ut nunquam se in aliud latus convertat. Sed respondeo revera eum decubuisse in sinistro latere per dies 390 et in dextro per dies 40. Patet, quia revera hoc jubet Deus hic : hoc enim simpliciter significant verba præcepti hujus. Ergo Propheta, utpote Deo per omnia obediens, idipsum opere præstitit et adimplevit.

Secundo, quia vers. 12 dicitur de facto ita eum decubuisse « in oculis eorum. » Ergo non fuit id factum per visionem : hanc enim solus vidisset Ezechiel, non oculi aliorum. Ita Chrysostomus, lib. III *De Dei providentia,* post medium; Basilius, in *Isaiæ* cap. VIII; Theodoretus, in *Osee* cap. I;

Ribera, in *Osee* cap. I, num. 47, Prado et alii (1).

Ad argumentum respondeo Prophetam non dormisse semper, sed jacuisse hoc situ, nunc vigilem, nunc dormientem. Id enim significat Hebræum שכב *scacab*. Porro id fieri posse, si non per naturam, certe per specialem Dei opem, nemo dubitat. Vidi ego Lovanii virum nobilem paralyticum, qui jam decimum sextum annum continuo supinus mira patientia jacebat. Noster Prado testatur se vidisse amentem, qui quindecim totos annos in uno latere decubuit. Sic Simeon Stylita octoginta annos continuos eod m pede stetit, naturam adjuvante Dei gratia. Quin et Epimenides, quem S. Paulus *Tit.* I, Cretensium proprium vocat prophetam, a Laertio, lib. I, in ejus Vita et aliis, ipsos 57 annos in specu dormisse traditur. Quod si hoc Plinio, lib. VII, cap. LII, merito fabulosum videtur, certe fabulosum non est, quod de septem sanctis fratribus, qui Ephesi dormierunt annos pene ducentos, cumque cessante persecutione evigilarent, putabant se tantum unam noctem dormisse, narrant Gregorius Turonensis, Nicephorus et alii, et ex iis Baronius in *Martyrol.* 27 julii, quos ut videret Theodosius Imperator, Ephesum venit. Simile de septem dormientibus in Germania refert Paulus Diaconus, lib. I *De Gestis Longobard.* cap. III. Recte enim Aristoteles, lib. IV *Physic.* text. XCVII, docet eos qui dormiunt, non percipere tempus in quo dormiunt, sed nunc temporis in quo incipiunt dormire, copulare cum eo in quo expergiscuntur; quia tempus medium non sentiunt, eo quod nullam percipiant mutationem : « Sicut neque il, inquit, qui in Sardis fabulose dicuntur dormire apud heroas cum fuerint experrecti, » in quem locum Simplicius, *Comment.* 104, scribit, cum Sardi capti essent a Græcis, in antro inventos esse novem heroas, Herculis filios, mortuos, ita tamen bene aromatibus conditos, ut viderentur dormire. Dicit autem Philoponus, et ex eo Toletus, in locum Aristotelis jam citatum, quod qui male habebant ferebantur ad hos, qui statim magno somno corripiebantur, ita ut evigilantes non perciperent tempus longum sui somni.

Sic ergo hic Propheta, ut Judæos, qui verbis non movebantur aut minis, admirandis et miserandis moveret factis, catenatus uno latere dies 390 decubuit gravissimo sane dolore : ut gravissimas obsidionis angustias et dolores repræsentaret. Ita Theodoretus.

Dices : Hæc visio contigit anni quinti Sedeciæ mense 4, die 13, ut colligitur ex cap. I, 1 et 2, et ex cap. III, 15; atqui anni 6 mense 6, die trinta, ut habetur cap. VIII, sedit (non cubavit, ut hic dicitur) Ezechiel domi cum senibus Juda : jam a die 13 mensis 4 anni 5, ad diem 5 mensis 6 anni 6, sunt 406 (sunt enim hi menses Hebræorum lunares, ex quibus duodecim fit annus lunaris, qui anno solari minor est undecim diebus); dies autem 390, juncti cum aliis 40, faciunt dies 430; desunt ergo hic 24 dies. Subtrahe enim 406 a 430, remanent 24.

Respondet Prado illum annum fuisse intercalarem, habuisseque 13 menses, id est 30 dies ampliu. aliis. *Tertio* enim quoque anno Hebræi intercalabant mensem, ut suos annos lunares æquarent solaribus. Itaque supplendos hic esse dies 24, qui desiderantur, ex diebus 30 mensis 13.

Moraliter, disce hic quam Deus suos illustres amicos et prophetas exerceat, quam dura eis imperet, quam eos mortificet, ut sint in exemplum et portentum toti orbi. Huic simile finxerunt Gentiles, scilicet Endymionem puerum formosum a luna adamatum, perpetuo dormire, eo quod luna id a Jove petiisset et impetrasset. Unde Proverbium : « Endymionis somnum dormis, » quo usus est Aristoteles, lib. X *Moralium*, colligens, neque otium convenire diis, neque rursus aliam ullam actionem illis dignam videri præter contemplationem. « Porro cum constet, ait, deos vivere, consentaneum est eosdem et agere quippiam. Neque enim oportet eos Endymionis, ut aiunt, dormire somnum. » Hinc et Cicero, lib. I *De Finibus*, docet molestissimum esse sapienti et cuivis homini otium, quia maxime nobis insitum est a natura, ut agamus quippiam. « Itaque, inquit, ne, si jucundissimis quidem nos insomniis usuros putemus, Endymionis somnum nobis velimus dari, idque si accidat, mortis instar putemus. » Idem, *Tuscul.* I : Quanquam, ait, « qui leviorem faciunt, somni simillimam volunt esse. Quasi vero quisquam ita nonaginta annos velit vivere, ut, cum sexaginta confecerit, reliquos dormiat : ne sues quidem id velint, non modo ipse. Endymion vero, si fabulas audire volumus, nescio quando in Latmo obdormivit, qui est mons Cariæ, nondum opinor, experrectus. » Si longus somnus est instar mortis, adeoque vivi hominis sepultura; quid erit longa vigilia? quid perpetua cubatio in uno eodemque latere, quæ præter fatigationem, latus debile tota mole corporis onerat et opprimit, ut sæpe pellem et carnes atterat et defricet, solaque homini ossa relinquat?

Rursus disce hic quam Deus doceat, jubeatque suos stultescere mundo, ut sapiant Deo : ut Dei electos a cultu mundi, ad cultum Dei abducant et pertrahant. Hac enim de causa imperavit eis paradoxa, et a communi vitæ usu abhorrentia, ut eos aliosque doceret tum simplicem obedientiam, tum perfectum sui mundique contemptum.

(1) Et revera, si hoc nonnisi in visione prophetica contigisset, Judæi in Babylonia captivi per hanc visionis narrationem parum commoti fuissent, et vix intellexissent quid Ezechiel sibi vellet. Quando Ezechiel simplices visiones refert, eas satis indicat, ut cap. I, 3; cap. VIII, vers. 1, etc.; cap. XXXVII, 1, etc.; cap. XL, 1, etc.; loco autem supra citato omnia historice narrat. Cæterum ratio hujus extraordinarii jussi divini videtur fuisse isthæc: quia actiones extrordinariæ multo magis quam verba hominem moveant, ut recte notat Janssens.

Ita enim Ezechiel hic cap. IV, jussus est vesci pane in stercore cocto, et cap. V, jussu Dei, ritu furentis, rasam barbam capillosque gladio concidit, in aerem sparsit, et flamma combussit. Nimirum, qui paret Deo, tum demum sapit, cum illius jussu desipit. Ita Isaias, cap. XX, vir tantus, et regia stirpe oriundus, in regia urbe palam nudus incessit. Ita Jeremias, cap. XXVII, velut servus fugitivus et furcifer vinculis onustus vias urbis obambulavit. Ita Osee castissimus, jubente Deo, meretricem duxit uxorem. Ita Propheta ait socio, III *Reg.* cap. XX, 35 : « Percute me, » quod cum ille nollet, audit : « Percutiet te leo; » et mox a leone interemptus est, læsus deinde ab alio, Achabo regi occurrit, eumque arguit, quod Benadad captum non occidisset.

Ita veteres ascetæ et monachi suos exercebant, paradoxa quædam, et in speciem stulta eis præcipiendo. Ita S. Antonius Paulum Simplicem mire jejuniis et laboribus exercuit. Ita Joannes Abbas jussit discipulo per triennium quotidie irrigare lignum aridum, quod proinde tandem per miraculum virescere cœpit. Ita S. Alexander mirus sui contemptor ex philosopho fecit se carbonarium, ut celaret suam pulchritudinem; ex carbonario factus est Episcopus, ex Episcopo martyr. Testis est Nyssenus in *Vita S. Gregorii Thaumaturgi*. Ita S. Amma apud Palladium in *Lausiaca*, cap. XLII, stultam se in monasterio simulans, et ut stulta ab omnibus irrisa et divexata, tandem a S. Pitirione Dei judicio declarata est omnium sanctissima et sapientissima. Ita Simeon Salus, id est fatuus, mire celebratur ab Evagrio et Leontio in ejus Vita. Hanc sanctam fatuitatem passim docuit verbo et exemplo S. Franciscus, B. Juniperus, B. Jacoponus, et similes alii. Quin et Apostoli, ac S. Paulus, dum passim prædicat crucem Christi : « Judæis scandalum, gentibus stultitiam. » Audi eum, I *Cor.* IV, 9 : « Puto quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit, tanquam morti destinatos : quia spectaculum facti sumus mundo, et angelis, et hominibus. Nos stulti propter Christum, etc., maledicimur, et benedicimus; persecutionem patimur, et sustinemus; blasphemamur, et obsecramus : tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc. » Plura vide apud nostrum Raderum, lib. *De Simplici obedientia et contemptu sui*.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jubet Deus Ezechieli ut radat caput et barbam, atque unam tertiam partem pilorum comburat igni, alteram concidat gladio, tertiam dispergat in ventum; ut per hoc portendat, tertiam partem civium Hierosolymæ consumendam peste et fame, tertiam gladio, et tertiam dispergendam per orbem.

1. Et tu fili hominis sume tibi gladium acutum, radentem pilos : et assumes eum, et duces per caput tuum, et per barbam tuam : et assumes tibi stateram ponderis, et divides eos. 2. Tertiam partem igni combures in medio civitatis, juxta completionem dierum obsidionis : et assumes tertiam partem, et concides gladio in circuitu ejus : tertiam vero aliam disperges in ventum, et gladium nudabo post eos. 3. Et sumes inde parvum numerum : et ligabis eos in summitate pallii tui. 4. Et ex eis rursum tolles, et projicies eos in medio ignis, et combures eos igni : et ex eo egredietur ignis in omnem domum Israel. 5. Hæc dicit Dominus Deus : Ista est Jerusalem, in medio gentium posui eam, et in circuitu ejus terras. 6. Et contempsit judicia mea, ut plus esset impia quam gentes : et præcepta mea ultra quam terræ, quæ in circuitu ejus sunt; judicia enim mea projecerunt, et in præceptis meis non ambulaverunt. 7. Idcirco hæc dicit Dominus Deus : Quia superastis gentes, quæ in circuitu vestro sunt, et in præceptis meis non ambulastis, et judicia mea non fecistis, et juxta judicia gentium, quæ in circuitu vestro sunt, non estis operati; 8. ideo hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego ad te, et ipse ego faciam in medio tui judicia in oculis gentium : 9. et faciam in te quod non feci, et quibus similia ultra non faciam, propter omnes abominationes tuas. 10. Ideo patres comedent filios in medio tui, et filii comedent patres suos, et faciam in te judicia, et ventilabo universas reliquias tuas in omnem ventum. 11. Idcirco vivo ego, dicit Dominus Deus : Nisi pro eo quod sanctum meum violasti in omnibus offensionibus tuis, et in cunctis abominationibus tuis : ego quoque confringam, et non parcet oculus meus, et non miserebor. 12. Tertia pars

tui peste morietur, et fame consumetur in medio tui : et tertia pars tui in gladio cadet in circuitu tuo : tertiam vero partem tuam in omnem ventum dispergam, et gladium evaginabo post eos. 13. Et complebo furorem meum, et requiescere faciam indignationem meam in eis, et consolabor : et scient quia ego Dominus locutus sum in zelo meo, cum implevero indignationem meam in eis. 14. Et dabo te in desertum et in opprobrium gentibus, quæ in circuitu tuo sunt, in conspectu omnis prætereuntis. 15. Et eris opprobrium, et blasphemia, exemplum, et stupor in gentibus quæ in circuitu tuo sunt, cum fecero in te judicia in furore, et in indignatione, et in increpationibus iræ. 16. Ego Dominus locutus sum : Quando misero sagittas famis pessimas in eos : quæ erunt mortiferæ, et quas mittam ut disperdam vos : et famem congregabo super vos, et conteram in vobis baculum panis. 17. Et immittam in vos famem, et bestias pessimas usque ad internecionem : et pestilentia, et sanguis transibunt per te, et gladium inducam super te, ego Dominus locutus sum.

1. GLADIUM ACUTUM, RADENTEM PILOS. — Id est gladiolum, vel cultrum acutum, sicut novaculam tonsorum, ut habent Hebræus, Septuaginta, Vatablus et alii. Hic *gladius*, et, ut Septuaginta, *rhomphæa*, significat tum Dei iram, ut exponit Maldonatus; tum Dei voluntatem, puniendi et exscindendi Judæos, ut Vatablus; tum Dei vindicem potestatem, ut Polychronius; tum, ut aptissime S. Hieronymus, Nabuchodonosorem carnificem Judæorum, qui instar gladii et novaculæ, Hierosolymæ capillos, id est decorem et pulchritudinem; ac barbam, id est virilitatem, scilicet robur omne, puta juvenes speciosos, ac viros robustos ex Judæa resecuit. Barba enim symbolum est virilitatis, coma libertatis et nobilitatis. Unde Absalom nutriebat cæsariem, et Nazaræi Deo consecrati, quasi filii Altissimi, comam fovebant, *Numer.* VI. Vide dicta *Levit.* cap. XIX, 27. Quocirca apud priscos ingens erat probrum barbam alicui præscindere aut vellere, quasi hoc ipso virilitatem et virile decus ipsi abstulissent. Hinc Horatius, *Serm.* lib. I :

Barbam tibi vellunt
Lascivi pueri.

Et Persius :

Si Cynico barbam petulans Nonaria vellit.

Hinc proverbium : « Barbam vellit mortuo leoni, » qui ferox et contumeliosus est in prostratum. Mirantur gentiles Dionysium Siculum, quia ausus est Æsculapio barbam auream detrahere. Sic Hanon illusit legatos Davidis, radens dimidiam partem barbæ eorum, II *Reg.* X, 4, quam injuriam bello et gentis excidio ultus est David. Hac ergo barbæ rasura, Propheta adumbrat Judæorum, non tantum excidium, sed et summam ignominiam et opprobrium.

Moraliter homo est pilus coram Deo.

Moraliter, disce hic hominem coram Deo esse quasi unum pilum. Quod ergo nobis caput est capillis densum, hoc Deo est orbis refertus hominibus. Ne cæsaries luxuriet, tondetur : et ne hominum progenies nimis excrescat, demetitur a Deo. Quæ enim regio omnes caperet, quæ tellus aleret? Etenim « dii nos quasi pilas, » imo quasi pilos, « habent, » ait Plautus. Defluit pilus e capite, quis curat? Perit homo, quid Deo decedit? Et tamen (quæ Dei est dignatio) pilos hosce suos tuetur Deus. Nam « capillus de capite vestro non peribit, » ait Apostolis suis Christus : quia « etiam capillus unus suam habet umbram, » uti dixit Mimus Publianus.

Rursum, Deus abradit eos qui sunt pilo tenus viri, et barba tenus sapientes, id est qui extrinsecus præ se ferunt habitum viri cordati et sapientis, cum intrinsecus nil habeant viri, nil cordis et sapientiæ, quales erant hi Judæi. Sic Lucianus ridet Philosophorum profundam barbam, in eunucho Bagoas, dicens : « Si philosophum oporteat ex barba metiri, hircos primam laudem ablaturos. » Hoc competiit Juliano Apostatæ, qui philosophum se ex barba prolixa ostentabat. Recte Plutarchus in *Symposiacis* : « Neque, inquit, barbam alere, aut gestare vile pallium philosophum facit; neque lineis vestiri, Isiacos, » hoc est Isidis sacerdotes. Quocirca apud priscos Romanos, barbati, proverbiali joco vocabantur homines priscis ac simplicibus moribus rusticanæque veritatis; unde Juvenalis :

Facile est barbato imponere regi.

Romani enim sero cœperunt barbam radere, et tondere. Tonsores enim primi, ut scribit Plinius, lib. VII, cap. LVII, « in Italiam ex Sicilia venere, post Romam conditam anno CCCC. LIV, adducente P. Licinio Mena, ut auctor est Varro : ante intonsi fuere. »

DUCES, — duci facies per tonsorem : nec enim commode ipse caput suum tondere poterat.

Tropologice, pili sunt curiositates, superfluæ cogitationes, appetitiones, illecebræ et vanitates mundi : has Ezechiel, id est vir fidelis, resecet oportet, easque gladio et igne, id est mortificatione et puro Dei amore, consumat, ideoque superflua in pauperes per eleemosynam effundat. Dum enim hoc igne amoris Dei et proximi consumuntur, vertuntur in holocaustum Deo gratissimum.

STATERAM PONDERIS, — qua scilicet res ponderari solent, aut quæ justa sit, et probati ponderis. Hæc *statera*, sive libra, significat æquitatem divinæ justitiæ et vindictæ, quam temperat et moderatur clementia, ne modum, non justitiæ (hoc enim fieri nequit), sed humanitatis et benignitatis excedat.

2. TERTIAM PARTEM IGNI COMBURES. — Ignis significat pestem et famem, quæ tertiam partem pilorum, id est civium Hierosolymitanorum quasi ignis denigravit, adussit, voravit, patet vers. 12. Pestis enim physice est quasi ignis comburens, et inflammans corpora.

IN MEDIO CIVITATIS, — in qua versaris, juxta Chobar in Chaldæa; aut potius in medio Jerusalem, quam in latere descripsisti. Ita Vatablus, Maldonatus et R. David.

JUXTA COMPLETIONEM. — Id est, ut Vatablus vertit : *Postquam impleti fuerint dies obsidionis*, scilicet 390, quibus volui te decumbere ante laterem, in quo obsidionem urbis delineasti, ut hac ratione repræsentares dies arctissimæ obsidionis Jerusalem, *q. d.* Post dies 390, et alios 40 tui decubitus, facies de pilis tuis ea quæ hic præscribo. Aliter alii, *q. d.* Combure ex pilis aliquos quotidie, donec dies obsidionis 390 compleantur.

ET ASSUMES TERTIAM PARTEM (pilorum tuorum), ET CONCIDES GLADIO IN CIRCUITU EJUS, — urbis scilicet. *Gladius* hic repræsentat gladium Chaldæorum. Nam Judæi, qui cum Sedecia, aut ante, ex urbe fugere subdole conabantur, hi omnes a Chaldæis cæsi sunt circum et juxta urbem. Rursum, dum urbem caperent Chaldæi, obvios quosque in ea trucidarunt.

TERTIAM VERO ALIAM DISPERGES IN VENTUM. — Hi fuerunt, qui cum Johanan filio Caree fugerunt in Ægyptum, *Jerem.* XLIII. Item omnes qui in Babylonem abducti, vel fuga vage huc illucque dilapsi et dispersi sunt.

ET GLADIUM NUDABO (ita Romana, Hebræa, Chaldæus, Septuaginta. Perperam ergo aliqui codices legunt, *nudabis*) POST EOS. — Nam Chaldæi Judæos in Ægyptum fugientes persecuti, ibi eos cum Ægyptiis trucidarunt, uti minatus eis erat Jeremias, cap. XLII, 16.

3. INDE (ex tertia et ultima parte) SUMES (paucos capillos), ET LIGABIS EOS IN SUMMITATE (id est extremitate vel ora) PALLII TUI. — Significat, Dei providentia et clementia, aliquot Judæos a vastatione Chaldaica servatos; ita Apollinaris : scilicet eos, qui cum Jeremia, eo suadente, se dediderunt Nabuchodonosori cum Joachin : hinc melius accipias reliquias profugorum Judæorum, Dei providentia servatas in seminarium et propaginem gentis suæ : hi enim, quasi angulo pallii Domini colligati, protecti sunt Dei prædestinatione et protectione.

EX EIS RURSUM TOLLES, ET PROJICIES EOS IN MEDIO IGNIS, — quem scilicet in medio lateris, in quo obsidionem descripserat, accenderat, ex quibus subito flamma sublata universam urbem descriptam lambere cœpit, et delere. Hi sunt, ait Apollinaris, qui post reversionem ex Babylonia, ob nova peccata a Macedonibus, præsertim Antiocho Epiphane grassante instar ignis, interempti sunt. Item, et magis, qui a Tito et Romanis cæsi et capti sunt : tunc enim tota domus Israel eversa est, de quo plura vers. 9. Denique Galatinus, lib. IV *De Arcanis fidei*, cap. XXI, ex priscis Rabbinis hæc refert ad stragem Judæorum, quam post Titum fecit Adrianus Imperator in Judæa, præsertim in urbe Bitter, ubi et eorum ducem occidit qui se vocabat *Barchochebas*, id est filium stellæ (dicebat enim se divinitus missum, esseque stellam de qua prædixit Balaam, *Num.* XXIV : « Orietur stella ex Jacob, » quasi ipse, excusso Romanorum jugo, lucem et libertatem Judæis esset allaturus), cum revera esset *Barchosba*, id est filius mendacii, puta impostor; fingebat enim se esse Messiam. Quocirca Adrianus cecidit ad quinquaginta Judæorum millia, totamque gentem protrivit. Vide Eusebium, lib. IV *Histor.* cap. VI.

4. ET EX EO, — scilicet populo, ita S. Hieronymus; vel « ex eo, » scilicet parvo numero, vers. 3. (Septuaginta vertunt, *ex ea*, scilicet urbe), *q. d.* Ex eo, scilicet populo reduce, ignis scelerum egressus est, quæ fuit causa ultimi excidii. Nam primum ob scelera traditi sunt Antiocho : deinde ob necem Christi, eorum filii cum urbe et templo, Romanorum gladio, fame, peste, incendio perierunt. *Secundo* et melius, « ex eo, » scilicet reliquo populi conjecti in ignem, id est, ignitam Antiochi persecutionem, egredietur ignis, id est incendium tum ambitionis et discordiæ inter principes sacerdotum, indeque omne genus flagitiorum; tum consequentis calamitatis, crudelitatis omnis et vastitatis. Ita Apollinaris. Nam Menelaus, Jason, Alcimus, et alii proditores judæi, ambientes pontificatum et dignitates, cum eas legitime obtinere non possent apud suos, profugerunt ad Antiochum, eumque incitarunt in perniciem suæ gentis, cladesque illas, quæ narrantur in libris Machabæorum. Vide I *Machab.* cap. VII, vers. 5, et lib. II, cap. III, vers. 4, et Josephum, lib. XII *Antiquit.* cap. VII (1).

Rursum, inter ipsos Machabæos ortum de regno litigium, ipsos et gentem perdidit. Nam Hyrcanus et Aristobulus, de regno inter se concertantes, fuerunt causa cur Pompeius et Romani Judæam sibi subjugarint : quod gentilium jugum non ferentes Judæi, cum illud excutere vellent, tandem plene a Tito et Vespasiano excisi sunt. Quocirca allego-

(1) Quod ex paucis illis pilis, quos in summitate pallii sui colligarat, aliquot comburit, eo etiam bellum civile inter Godoliam et Israelem, quod fusius describitur, *Jerem.* XL et seqq., significari aliqui volunt; qui motus civiles Chaldæis occasionem præbuere auferendi e Judæa etiam minimum quemque, nec quemquam relinquendi, ut vel ulla essent rerum novarum semina; vide *Jerem.* LII, 30.

rice, ignis hic significat Judæorum in Christum et christianos furorem, qui causa fuit cur Judæa et Jerusalem gladio et igni Romanorum tradita sit, Judæique reliqui in omnes terras dispersi. Ita Apollinaris et S. Hieronymus.

Aliter R. David, R. Salomon, et ex iis Lyranus hæc interpretantur, scilicet de Achab et Sedecia, quos rex Babylonis igne frixit, qui toti Israeli facti sunt in proverbium, ut cum cui maledicere volunt, dicant: « Ponat te Dominus sicut Sedeciam, et sicut Achab, » *Jerem.* XXIX, 22. Sed hoc frigidum est et distortum. Quocirca Maldonatus de iisdem accipit, sed hoc sensu, quasi dicat: Hi pseudoprophetæ, scilicet Achab et Sedecias, qui persuadebant populo, fore ut nunquam Jerusalem caperetur, causa fuerunt cur rebellaverint Chaldæis Judæi, urbsque capta et incensa fuerit. Verum, jam ante hoc excidium repræsentavit Propheta in resectione capillorum, eorumque divisione in tres partes; non ergo de illo, sed de alio, quod posterius consecutum est, hic agit.

5. ISTA EST JERUSALEM, IN MEDIO GENTIUM, — *q. d.* Hoc schemate, scilicet tui capitis et capillorum, repræsentatur Jerusalem; Jerusalem, inquam, quam ego Deus olim posui quasi mundi caput, et quasi reginam in medio Gentium, ut ei ipsæ, quasi ancillæ, custodes essent et stipatores. Ita Polychronius et Scholiastes. Quocirca

Jerusalem erat cor, caput et centrum terræ, cur?

POSUI EAM, ET IN CIRCUITU EJUS TERRAS — gentium; scilicet, Jerusalem a septentrione habet Scythiam, Armeniam, Pontum; ab oriente, Asiam; ab occidente, Europam; ab austro, Libyam, ait Apollinaris. Unde *Ezech.* XXXVIII, 12, vocatur umbilicus terræ, et *Psalm.* LXXIII, 12, medium terræ; quia Jerusalem est in quarto climate ex septem, in quæ dividitur terra habitabilis. Idque feci hoc fine, ut omnes gentes in vita spirituali, puta in religione rebusque divinis, ait Theodoretus, a Jerusalem omnem sensum et notitiam, puta pietatem, fidem et legem, quæ dirigit gressus hominum ad salutem, acciperent. Verum hoc ipsa adeo non præstitit, ut potius ab eis impietatem didicerit, atque ipsa olim magistra veritatis, et exemplar pietatis, facta sit discipula erroris et impietatis, atque in ea mox magistros suos, scilicet alias gentes, superarit; juste ergo excidio a me destinatur, ita S. Hieronymus et Chaldæus; Jerusalem ergo et templum erant quasi centrum terræ, imo quasi ejus caput, fundamentum, fons et cor; utpote ex qua tanquam ex centro, lucis splendor in omnem terram, tanquam ex corde spiritus vitalis; tanquam ex capite aliarum provinciarum et gentium, sensus, motio et concitatio ad ambulandum in via Domini; denique tanquam ex centro, linearum deductio, omnis boni et precum ac votorum perfectio exspectanda erat; ac tanquam ex fonte, rivulorum derivatio in alias regiones; et tanquam ex fundamento stabilitas aliarum provinciarum. Ut non immerito dictum fuerit *Psalm.* XLVII, 2: «Fundatur (stabilitur velut fundamentum, cui innitatur reliquum orbis; Chaldæus vertit, *pulcher ut sponsus*) exsultatione universæ terræ mons Sion, latera aquilonis, civitas regis magni. Deus in domibus ejus cognoscetur. » Ita Pineda, lib. V *De Rebus Salom.* cap. V, num. 31. Talis est Roma christianis.

Symbolice, nota hic: Sicut homo est parvus mundus, sic mundus est magnus homo, cujus membra sunt provinciæ et gentes, caput est Jerusalem, tum quia in altissimo monte Sion erat sita, *Isaiæ* II, 2, 3; tum quia ex ea, quasi capite, in totum corpus universi, derivabatur sensus, id est Dei cognitio, et motus, id est vitæ et actionum institutio. Sed quia illo suæ dignitatis oblita, legem meam, ait Deus, quæ illam mundi caput fecerat, abjecit; hinc abradam ejus comam et barbam, id est omnes nobiles et robustos ejus auferam, eamque toti orbi ostentui exponam, et hostibus derelinquam.

Dices: Si Jerusalem est caput, quomodo est in medio gentium? Respondeo: Sicut caput est inter duos humeros, quasi in medio duorum laterum hominis: sic Jerusalem, quasi domina, sita erat in medio gentium. Ita et Prado. Adde simile non per omnia esse simile.

6. JUDICIA MEA, — legem meam, secundum quam judicare debet judex. Vers. 6.

7. SUPERASTIS GENTES, — scilicet peccatis, et impietate vestra, ejusque facti estis quasi antesignani, uti solent facere apostatæ. *Secundo,* Hebræum הֲמוֹן *hamon,* verti potest cum Vatablo et S. David, *copia vestra,* id est pompa, fastus, luxus, opes, ferocia vestra major fuit quam gentium, *q. d.* Copiam rerum vobis dedi; vos reddidistis mihi copiam ingratitudinis et scelerum. « Incrassatus est enim dilectus, et recalcitravit. » *Tertio,* Septuaginta vertunt: *Forma vestra,* exemplar vel character, *ex gentibus,* id est, ut Theodoretus, induistis formam, religionem, mores et impietatem gentium. Vers. 7.

8. JUXTA JUDICIA GENTIUM. — *Judicium* hic est consuetudo, institutum; sequenti vero versu significat castigationem, *q. d.* Mores bonos quos habent gentes, non estis secuti. Vel potius, *q. d.* Gentes deos suos, quantumvis viles et mutos, non mutant, nec relinquunt: vos autem me Deum vivum relinquitis, ut muta idola adoretis; ergo nequiores et stolidiores estis gentibus. Ita Apollinaris et Scholiastes. Vers. 8.

JUDICIA. — Id est supplicia, quasi justus ultor, inferam tibi.

9. FACIAM IN TE QUOD NON FECI, — etiam in diluvio, etiam Sodomis, etiam Pharaoni, etiam Chananæis, *Thren.* IV, 6, *q. d.* Quia, o Jerusalem! fecisti scelera, quæ gentes non fecerunt; ego quoque plagas acres tibi infligam, quas gentibus non inflixi. Vers. 9.

ET QUIBUS SIMILIA ULTRA NON FACIAM. — S. Hieronymus et noster Prado referunt hoc ad vastationem Jerusalem per Titum: nam illa fuit major

quam Chaldæorum, *Matth.* XXIV, 21; sicut cædes Christi major fuit sceleribus Judæorum veterum: unde ob eam Judæi dispersi suntad omnes ventos, quod hic ait Propheta. Potest tamen referri quoque ad excidium Chaldæorum, si τὸ *ultra* accipias strictim, scilicet, *q. d.* Hac generatione, hoc sæculo, hac temporum memoria: sic enim τὸ *ultra*, sæpe alibi capitur. Nam Prophetæ suis Judæis minantur primo excidium Chaldæorum, et deinde Romanorum.

10. PATRES COMEDENT FILIOS, etc., ET FILII COMEDENT PATRES. — Utrumque accidit in excidio tam Chaldæorum quam Romanorum. Ita Theodoretus. Vide dicta *Thren.* cap. II, 20, et cap. IV, 10.

Nota: Quod matres filios comederint, alibi legimus; quod vero filii comederint patres suos, nusquam legimus: ex hoc tamen loco certum est, id in obsidione Jerusalem contigisse.

Aliter Vatablus, *q. d.* Ideo tanta erit fames ut filii parentibus, et parentes filiis cibos præripiant. Sed hoc frigidum est et alienum; aliud est enim comedere cibum patrum, aliud comedere patres. Ita Honorio Imperatore tanta Romæ fuit annona, rerumque omnium caritas, ut homines hominibus jam imminerent, adeoque palam audita sit vox in circo: « Pone pretium humanæ carni, » uti refert Procopius, lib. II *De Bello Gothico*. Audi lamentabilem vocem matris occidentis et comedentis filium præ fame, in obsidione Jerusalem per Titum, apud Josephum, lib. VII *Belli*, cap. VIII: « Miserum te, ait, infans, in bello, et fame, et seditione, cui te servavero? Apud Romanos etiamsi vixeris, serviturus es: fames autem prævenit servitutem; his vero seditiosi sæviores sunt. Esto igitur mihi cibus, et seditiosis furia, et humanæ vitæ fabula, quæ sola deest calamitatibus Judæorum. Et hoc simul dicens occidit filium, coctumque medium comedit. »

11. IDCIRCO (ob peccata tua) VIVO EGO (id est juro per vitam meam), NISI, etc., CONFRINGAM. — Supple, habear mendax, aut peream: τὸ enim אם לא *im lo*, id est *si non, nisi*, est Hebræis formula juramenti exsecratorii, quo se quasi devovent: unde malum, cui se devovent, subticent horroris et boni ominis causa, ut alibi dixi.

SANCTUM MEUM. — Hebraice מקדשי *micdasci*, id est sanctuarium meum, sive templum: radix Hebræa קדש *cadas*, *primo*, significat sanctificare; *secundo*, firmare, stabilire; *tertio*, purificare. Sic domus Dei dicitur *sancta*, id est Deo consecrata, quasi stabilis in perpetuum, quæ proinde merito debet esse mundissima. Ad tertium hoc, puta ad munditiem, hic respicit Deus, *q. d.* Domum meam, quæ debebat esse mundissima, idolorum, quæ in templum intulisti, IV. *Reg.* XXI. et XXIII, sordibus violasti et polluisti.

IN OMNIBUS OFFENSIONIBUS TUIS. — Hebr. בשקוציך *siocutsim*, id est exsecrationibus, id est idolis, quæ quasi res exsecrabiles, Dei et piorum visum offendunt. Simile est IV *Reg.* XXIII, 13. Unde mox idola vocat *abominationes*; ut et Daniel cap. IX, 27: « Erit in templo abominatio desolationis, » id est idolum Antiochi.

CONFRINGAM. — Alludit ad secundam significationem *micdasci*, id est sanctuarii, *q. d.* Stabilem statueram mihi domum in templo; sed quia eam polluistis, hinc ego eam ut temporaneam confringam. Unde Chaldæus vertit: *Ego quoque brachium tuum conteram*; Hebraice est אגרע *egra*, quod *secundo*, potest verti, *abradam*, ut alludat ad nazaræos et leprosos, qui ab immunditia et lepra purgabantur radendo pilos corporis, *Numer.* cap. VI, 9; *Levit.* XIV, 8, *q. d.* Sicut illi radendo pilos expiantur: sic ego servans hanc eamdem legem meam, sanctuarium meum, quod polluistis, illud radendo et delendo, purificabo et sanctificabo. Simile est IV *Reg.* XXI, 13. *Tertio*, *egra* verti potest, *minuam*. Unde R. David sic explicat, *q. d.* Sicut tu gloriam meam in templo meo minuisti: sic et ego vicissim minuam gloriam tuam. Unde Septuaginta vertunt: *Ego etiam abjiciam te.*

NON PARCET OCULUS. — Parcere est animi, tribuitur vero oculis quasi judicibus: hi enim sunt in amore duces, æque ac in misericordia; ex qua homo claudit oculos, connivet, eos avertit, dum non potest videre reorum tantam miseriam et supplicium: sed dolet, abstinet ab eo, et parcit.

Non parcit, ait S. Hieronymus, Deus ex misericordia: « Sicut enim clementissimus medicus cupiens putidas carnes et cariosa vulnera adurere cauterio, non parcit, ut parcat; non miseretur, ut magis misereatur, » scilicet vivæ carni, ne a vicina putida corrumpatur. Sic facit Deus, dum suos castigat, ut vitia eorum pœnasque futuras resecet; aut certe curat ne in alios proserpant.

13. REQUIESCERE FACIAM (exsaturabo animum meum eorum pœna, deflagrabitque ira mea), ET CONSOLABOR. — Solet enim vindicta esse levamen acceptæ injuriæ aut contumeliæ. Unde Poeta:

Est vindicta bonum vita jucundius ipsa.

LOCUTUS SUM IN ZELO, — sententiam decrevi irrevocabilem, truculentam, sanguinariam. Zelus, ait Prado, est indignatio ex amore profecta, qua pater charis filiis succenset, vel sponsus sponsæ, ob acceptam adulterii injuriam. Unde crescit tantum quantum amor crescit, estque fortis et violenta, ut memoranda adeat facinora. Sic Deus adulterium idololatriæ punit, complendo indignationem, id est effundendo omnes iras suas et vindictas.

15. BLASPHEMIA, — ut omnes te videntes blas- Vers. 1
phement, id est tibi maledicant, tibi convicientur. Sic enim vulgus *blasphemiam* vocat quamvis maledicentiam; cum proprie blasphemia sit contumelia, quæ Deo vel Sanctis irrogatur. Unde hebraice est גדופה *gedupha*, quod quodvis convicium et probrum significat. Unde Septuaginta vertunt, στενακτὴ, id est *eris gemibilis*, id est gemens, et digna gemitu, super cujus plaga viden-

tes omnes gemant. Theodotion vertit, δειλαίστην vel δειλαίαν, quod alii, infelicem et miseram; alii, perspicuam et expositam ad miserias interpretantur, ait S. Hieronymus.

EXEMPLUM, — scilicet infelicitatis, æque ac improbitatis, ut cæteri tuo malo discant Deum non irritare. Unde hebraice est מוסר *musar*, id est disciplina, castigatio.

STUPOR. — Ut cæteri, videntes tuas calamitates, stupeant, quasi attoniti. Unde aliqui vertunt, *terror*. Similes minæ sunt *Jerem.* XIX, 8, et XXV, 9, et alibi.

JUDICIA, — extrema supplicia. Est metonymia: ponitur enim *judicium* pro pœna in judicio decreta.

IN INCREPATIONIBUS IRÆ. — Id est, ut Septuaginta, castigatione et ultione, quæ fit ab irato Deo.

16. SAGITTAS FAMIS. — Sic vocat, tum fulmina, ventos, procellas, quibus quasi sagittis Deus sternit segetes, famemque inducit; tum locustas, erucas, bruchos, æruginem, et alias frugum pestes, quibus quasi sagittis famem immittit et jaculatur in homines. Unde subdit: « Et famem congregabo super vos. » « Famem, » id est erucas, bruchos, etc., quæ famem solent afferre. Ita R. David, Vatablus, Maldonatus et alii (1).

BACULUM PANIS. — Chaldæus, *sustentaculum*; Septuaginta, *firmamentum panis*.

17. BESTIAS. — id est Chaldæos, ait Theodoretus, qui quasi ferino rictu, et unguibus sanguinariis, vos quasi oves decerpent. *Secundo*, proprie leones et alias bestias immittam in eos qui fugerint Chaldæos: nam faciam ut in montibus et sylvis latitantes, devorentur a feris. Has bestias Judæis peccantibus minatus est Moses, *Deuter.* XXXII, 24; rursum *Ezech.* cap. XXXIV, 28; item Chananæis, *Exodi* XXIII, 28. Sic Deus in Cuthæos translatos ab Assyriis in Samariam immisit leones, eo quod non timerent Dominum, IV *Reg.* XVII, 25. Sic posterioribus sæculis et hoc, subinde lupos, ursos aliasque feras immittit nonnullis provinciis, ad punienda incolarum scelera.

Tropologice, bestiis tradimur cum vitiis.

Tropologice S. Hieronymus: « Sed in nostram, ait, Jerusalem (puta in Ecclesiam et in animam) mittuntur bestiæ pessimæ, quando tradimur in passiones ignominiæ, et in reprobum sensum, et conscientiam peccatorum, quæ excruciant atque dilacerant animum nostrum. Dissensiones, hæreses, schismata, æmulationes, invidiæ, tristitiæ, detractiones, desideria mala, avaritia, quæ est radix omnium malorum, bestiæ pessimæ sunt. Quæ cum fuerint in nobis, meremur audire: Corripiet te prævaricatio tua. Precamurque et dicimus: Ne tradas bestiis animam confitentem tibi. »

SANGUIS (id est cædes et strages belli) TRANSIBUNT, — grassabuntur. Sic enim dicitur *Psalm.* XLI, 8: « Fluctus tui super me transierunt. » Et *Psalm.* LXXXVII, 17: « In me transierunt iræ tuæ, » id est grassatæ sunt in me.

EGO DOMINUS LOCUTUS SUM, — sic statuo, sic subscribo more regum huic prophetiæ, quasi diplomati meo.

Deus præmonet de instanti clade, cur?

Moraliter, ex tot signis et portentis, quibus Deus per Ezechielem præmonuit Judæos de futura vindicta, nota: Solet Deus signis præviis futuras reipublicæ et Ecclesiæ calamitates præmonstrare, ut peccatores moneat, et incitet ad pœnitentiam, qua eas evadant; justos vero præmuniat ad eas fortiter tolerandas.

Ita diluvium mundo inducere noluit, nisi prius de eo futuro per Noe homines admoneret, *Gen.* VI.

Ita cladem Hierosolymæ, Moabitarum, Ammonitarum, Ægyptiorum, Babyloniorum, etc., per Isaiam, Jeremiam et Ezechielem prædixit: Babylonis vero excidium Balsasari in pariete præscripsit: *mane, tekel, phares*, Daniel. cap. V. Judææ cladem per Antiochum portenderunt acies in cœlo visæ concurrere, II *Machab.* V, 2.

Ita Judæis cladem Judææ per Titum imminentem præsignificavit. Nam supra Jerusalem stetit per annum cometes similis gladio. Rursum, visi sunt in cœlo currus, et acies præliantium. Audita est in templo vox angelorum: « Migremus hinc. » Jesus quidam Anani filius per septennium assidue clamavit: « Væ Hierosolymis, » nec flagris compesci ab hac voce poterat, donec in muro clamans: « Væ Hierosolymis, et mihi, » telo hostili ictus interiit. Ita Josephus, lib. VII *Belli*, cap. XII.

Ita Hunerici, regis Wandalorum, persecutio præsignificata fuit: nam *quidam* vidit ecclesiam S. Fausti, insolito ornatu, cereis, velis, lampadibus rutilantem: mox vidit succedere Æthiopes, omnemque hunc ornatum dispellere. *Alius* vidit eamdem ecclesiam turbis hominum refertam, mox porcis et capris repleri. *Tertius* vidit quemdam grana a paleis eventilantem. *Quartus* vidit quemdam clamantem: « Migrate, migrate. » *Quintus* vidit nubes, rugiente cœlo, ingentes jaculari lapides, qui in terra incensi omnes comburebant. *Sexto*, Paulus Episcopus vidit arborem usque ad cœlos ramis florentibus expansam, quæ totam Africam opacabat, et ecce venit asinus violentus (Hunericus), qui cervicem ad radicem defricans, eam ad terram elisit. *Septimo*, Quintilianus Episcopus vidit se super montem stare, e quo conspiciebat gregem innumerabilem ovium suarum, et in medio gregis duæ erant ollæ nimium bullientes (hæ portendebant Hunericum, et Cyrolam Episcopum ejus). Aderant autem ovium occisores, quarum carnes ollis bullientibus demergebant. Ita Victor Uticensis, lib. II *Wandal.*

Circa annum Domini 1017, uti ex Annalibus

(1) In primo hujus versus dimidiatu, inquit Bodin, vocem hebræam רעב vertimus gallice *faim*, et in secundo, *famine*; nam, ut nobis videtur, in priori versus parte Propheta famem veluti personam producit, ut mos est Hebræis vatibus cum de peste, bello, pace, etc., agunt: vide *Psalm.* LXXXV, 11 et 13, et *Isaiæ* cap. IX, 5; in secunda vero, de ipsa famis calamitate loquitur.....

Francorum refert Baronius, in regione Aquitaniæ, temporibus Benedicti VIII, secus maritima, tale prodigium accidit ante solemnitatem S. Joannis Baptistæ : tribus diebus de cœlo pluit sanguis, qui cadens super carnem hominis, aut super lapidem, non poterat lavari; si vero super lignum caderet, lavabatur. Perterrefecit universas Gallias ejusmodi prodigium, adeo ut Robertus, rex Francorum, scriptis consuleret Fulbertum Episcopum Carnotensem, inter Gallicanos Episcopos doctrina facile principem, cujus de his ad eumdem regem tunc respondentis data exstat epistola, in qua, quid ista portenderent, in fine ita philosophatur : « Quod autem nuper hujusmodi cruorem in quadam parte regni vestri pluisse audistis; et quod ille cruor ubi supra petram, vel supra carnem hominis ceciderat, ablui non poterat; ubi autem supra lignum ceciderat, facile abluebatur : per hæc, tria genera hominum significata esse videntur; per lapidem, impii; per carnem, fornicarii; per lignum vero, quod neque durum est ut lapis, neque molle ut caro, illi qui neque impii sunt, neque fornicarii; cum ergo venerit super illam gentem cui protenditur gladius sive pestilentia designata per sanguinem, si antea duri et molles non fuerint mutati in melius, morientur perpetualiter in sanguine suo; medii vero, per angustiam mortis, vel aliter, poterunt liberari, pro arbitrio secretissimi atque præstantissimi judicis. » Hæc ad Robertum regem Fulbertus. Porro consecuta esse bella gravissima in ea provincia, inter Guilielmum Aquitaniæ Ducem, et Gaufredum Comitem Andegavensem, quibus seipsos mutuo adversis armis confecerunt, affirmat idem auctor. Ecce triplex portentum, simile triplici portento capillorum Ezechielis hic.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Montibus, aris, excelsis, idolis et idololatris, ac toti terræ Israel, id est, Judæis, minatur vastitatem et stragem. Secundo, vers. 8, *promittit se reliquias populi servaturum, quæ videntes tantam stragem, ad cor et ad Deum redibunt. Tertio, vers.* 11, *jubet Deus prophetæ, manu percutere femur, et pede plodere, terramque pulsare, ut ira sua ostendat iram et vindictam Dei.* Quia, *ait vers.* 12, qui longe est, peste morietur : qui autem prope, gladio corruet : et qui relictus fuerit et obsessus, fame morietur.

1. Et factus est sermo Domini ad me, dicens : 2. Fili hominis, pone faciem tuam ad montes Israel, et prophetabis ad eos, 3. et dices : Montes Israel, audite verbum Domini Dei : Hæc dicit Dominus Deus montibus, et collibus, rupibus, et vallibus : Ecce ego inducam super vos gladium, et disperdam excelsa vestra, 4. et demoliar aras vestras, et confringentur simulacra vestra : et dejiciam interfectos vestros ante idola vestra. 5. Et dabo cadavera filiorum Israel ante faciem simulacrorum vestrorum : et dispergam ossa vestra circum aras vestras, 6. in omnibus habitationibus vestris. Urbes desertæ erunt, et excelsa demolientur, et dissipabuntur : et interibunt aræ vestræ, et confringentur : et cessabunt idola vestra, et conterentur delubra vestra, et delebuntur opera vestra. 7. Et cadet interfectus in medio vestri : et scietis quia ego sum Dominus. 8. Et relinquam in vobis eos, qui fugerint gladium in gentibus, cum dispersero vos in terris. 9. Et recordabuntur mei liberati vestri in gentibus, ad quas captivi ducti sunt : quia contrivi cor eorum fornicans, et recedens a me; et oculos eorum fornicantes post idola sua : et displicebunt sibimet super malis quæ fecerunt in universis abominationibus suis. 10. Et scient, quia ego Dominus non frustra locutus sum, ut facerem eis malum hoc. 11. Hæc dicit Dominus Deus : Percute manum tuam, et allide pedem tuum, et dic : Heu, ad omnes abominationes malorum domus Israel : quia gladio, fame, et peste ruituri sunt. 12. Qui longe est, peste morietur : qui autem prope, gladio corruet : et qui relictus fuerit, et obsessus, fame morietur : et complebo indignationem meam in eis. 13. Et scietis quia ego Dominus, cum fuerint interfecti vestri in medio idolorum vestrorum, in circuitu ararum vestrarum, in omni colle excelso, et in cunctis summitatibus montium, et subtus omne lignum nemorosum, et subtus universam quercum frondosam, locum ubi accenderunt thura redolentia universis idolis suis. 14. Et extendam manum meam super eos : et fa-

ciam terram desolatam, et destitutam a deserto Deblatha, in omnibus habitationibus eorum : et scient quia ego Dominus.

2. PONE FACIEM TUAM, — interrita fronte, libere et audacter loquere et vaticinare Judæis hasce suas clades.

AD MONTES ISRAEL, — ad Sion, Moria, montem olivarum, montem offensionis, in quibus Judæi collocarunt et coluerunt idola. *Israel* enim non vocat decem tribus : illæ enim jam abductæ erant; sed Judæos, ut dixi cap. IV, vers. 3. Montes ergo Juda puniendos et desolandos prædicit, quia peccato idololatriæ fœdati sunt. Peccatum enim non tantum hominem, sed et elementa, et creaturas omnes maculat; imo solvit harmoniam universi. Nam mundi *primo* die creata est lux : hanc fugat peccatum, *Jerem.* cap. IV, 23 : « Aspexi cœlos, et non erat lux in eis. » *Secundo* die creatum est firmamentum : jam ob peccata « complicabuntur sicut liber cœli, » ait Isaias cap. XXXIV, 4, ne scilicet homines operiant. *Tertio* die, productæ sunt plantæ : has destruit peccatum; nam, ut ait Jeremias, IV, 23 : « Aspexi terram, et ecce vacua erat, et nihili. » *Quarto* die, factus est sol : hunc peccatum eclipsat et obscurat, *Isaiæ* XIII, 10. Die *quinto*, formati sunt pisces et aves : jam ob peccatum « omne volatile cœli recessit, » ait Jeremias, IV, 25. Die *sexto*, condita sunt quadrupedia et homo : illa peccatum aufert ex montibus et sylvis, ut patet hic, et *Osee* IV, 3. Omnia ergo creata puniuntur, quia homini ad peccatum serviunt. Unde Vatablus, vers. 6, vertit : « Ita ut aræ vestræ vastentur, et culpam luant. » Vel potius, homo in omnibus punitur, dum omnibus quibus abusus est privatur.

Peccatum turbat totum universum.

Nota prosopopœiam : Res inanimas, scilicet montes, alloquitur, quasi dedignatus homines tam impios alloqui, ut sic eos provocet ad verbum Dei audiendum, quod inanima audiunt auditu, id est instinctu, naturæ, eique obediunt. Ita Prado.

Mystice, montes sunt magnates et valde sapientes; colles sunt inferiores; rupes sunt fortes et zelosi; valles sunt plebeii, qui omnes verbum Dei jubeptur audire, ut quisque pro suo modulo intelligat, quid Dominus præcipiat, ait S. Hieronymus.

3. RUPIBUS. — Hebræum אפקים *aphikim*, quod S. Hieronymus vertit, *torrentes;* Septuaginta, φαραγξ, id est loca nemorosa inter montes sita : hæc enim amœna sunt et fertilia, ob radiorum solis ad montium radices reflexionem. Unde Napeæ, herbarum et florum deæ et nymphæ, de quibus Virgilius, IV *Georg.*:

Faciles venerare Napeas.

Hebræa vox *aphikim* proprie videtur significare alveum torrentium, vel rivorum; inde ripas, et rupes, et nemora vicina significat, sub quorum umbra erigebant Judæi idolis altaria.

ET VALLIBUS. — Sic in Gehennom, id est in valle Hennom, filios immolabant idolo Moloch. Frequentius tamen Judæi idola erigebant et colebant in collibus et montibus : indeque vocantur *Excelsa*, de quibus sequitur : ac nomen Excelsi generale fuit, et translatum ad omnia altaria et templa idolorum, ut, etiamsi essent in vallibus, communi tamen nomine vocarentur Excelsa, uti hic ea vocat Ezechiel. Sic altare dictum est quasi alta ara, ait Festus.

EXCELSA VESTRA, — scilicet loca, montes puta et colles, in quibus more gentium deos gentium colitis. Vide III *Reg.* XIV, 23.

Mystice, excelsa animi sunt fastus, arrogantia, dignitatum ambitio; hæc demolitur Deus. Vere Poeta :

Summa petit livor, perflant altissima venti :
Summa petunt dextra fulmina missa Jovis.

4. DEJICIAM INTERFECTOS (vel *cruentatos*, aut *vulneratos*, ut vertit Vatablus : omnia enim hæc significat hebræum חלליכם *challechem*, cives) VESTROS ANTE IDOLA VESTRA, — sicque illa, et aras eorum, cadaverum vestrorum contactu polluam et contaminabo. Ex lege enim tactus cadaveris faciebat tangentem immundum. Ita Theodoretus. Cujus rei causa erat *primo*, quod cruor, vel cadaver, vel ossa sint signa mortis, quæ filia peccati est. *Secundo*, quia mors horrenda, fœda, turpis, invisa, et exosa merito judicatur. Nota : Ubi peccarunt, ibi puniuntur et occiduntur Judæi. Ita S. Hieronymus.

IDOLA. — Hebraice גלוליכם *gillulim*, id est sordes, stercora, volutabra, *q. d.* In idolis vos volutatis quasi sues et upupæ in stercoribus. Causa est, *primo*, quia idola sunt res fœdissimæ; *secundo*, quia, sicut veram fidem sequitur vitæ honestas et puritas; ita malam fidem, puta idololatriam et hæresim, sequitur luxus, spurcitia et omnes sordes. Jure erge idola et hæreses vocantur stercora.

6. INTERIBUNT. — Hebraice יאשמו *iescemu*, id est desolabuntur.

DELUBRA. — Hebraice חמנים *chammanim*, id est solaria, scilicet delubra, vel simulacra dicata soli, qui hebraice dicitur חמה *chamma* ab ardore, a radice חמם *chamam*, id est incaluit. *Secundo* et planius, idola vocantur Hammonim a celebri idolo Jovis Hammonii, cui in Africa templum fuit solis simulacro nobile, teste Macrobio, lib. I *Saturn.* XXI. Quia ergo celebre fuit in Ægypto idolum solis, et Jovis Hammonii, hinc quævis idola vocantur *chammanim*, id est solaria : Ægyptiis enim vicini erant Judæi. Sed unde Jupiter vocatus est Hammon? Respondeo *primo* : Sextus Pompeius lib. VIII, Plinius lib. XII, et passim Lexica Latina Hammon deducunt a Græco ἄμμος, id est arena, ut Jupiter dicatur Hammonius, id est are-

Idola vocantur Hammonim a Jove Hammonio. Unde is Hammon?

narius, eo quod in ea repertus sit. Verum Hammon non Græcorum, sed Ægyptiorum fuit numen et nomen : unde et ab Hebræis, ut patet ex Ezechiele hoc loco, eorum idola, eorum nomine vocantur Hammonim. *Secundo*, « voce *Ammon*, Manethos Sebennita putat significari occultatum, et occultationem : Hecatæus autem Abderita hoc verbo invicem uti Ægyptios ait, cum alter alterum vocat. Esse enim vocem invocativam, et cum principem Deum eumdem cum universo putent, utpote obscurum et absconditum, vocari ab iis et orari Ammon, dicentibus ut prodat se, et conspiciendum præbeat, ait Plutarchus lib. *De Iside et Osiride*, sub initium. *Tertio*, Hebræi censent idola dici חמונים *hammonim*, id est solaria, ab hebræo חמה *chamma*, id est sol; indeque vocatum esse Jovem Hammonium. Unde et multi Gentilium, teste Giraldo in *Hammone*, censent in Hammone cultum et adoratum fuisse solem. Hinc et Hammon fertur habuisse formam arietis, tum quia cornua ejus repræsentant radios solis (unde hebraice radii vocantur cornua; sic Moses dicitur habuisse cornua, id est radios lucis), tum quia in vere, puta sole existente in ariete, creatus est mundus : inde ergo incipiebat olim initium anni, et cursus solaris, ut patet *Exodi* XII, 2. *Quarto*, verius alii censent, Hammon non Hebræam, sed Ægyptiam esse vocem et significare caprum : capri enim specie colebatur Jupiter Hammonius : fuit enim ipse a pastoribus, caprarum custodibus, relatus inter deos, ut iis esset Jupiter caprarius, et caprarum pastorumque deus tutelaris, de quo plura *Daniel.* VIII, 5. Qua de causa capræ vel hirci specie, coluerunt Gentiles suos Faunos et Satyros. Hinc et Jovem capræ lacte nutritum tradiderunt Poetæ. Causam dat Plinius lib. XXVIII, cap. IX : « Maxime, inquit, alit quodcumque humanum (lac), mox caprinum : unde fortassis fabulæ Jovem ita nutritum dixere. Dulcissimum ab hominibus camelinum, efficacissimum ex asinis, stomacho accommodatissimum caprinum, quoniam fronde magis quam herba vescuntur : » qua de causa a medicis in phthisin propensis præscribitur. Denique, nonnulli Hammon putant esse Cham (sive Ham : litteram enim *chet* alii pronuntiant ut *ch.*, alii ut *h*) filium Noe impium : sicut Apollo Dodonæus dictus videtur a Dodanim nepote Noe, *Genes.* X, 4. Cham enim primus Ægyptum incoluit, ejusque fuit rex; unde Saturnus Ægyptius est appellatus, uti docent Berosus lib. IV et V, et Diodorus lib. I. Hac de causa Ægyptus vocatur terra Cham, *Psalm.* CV, 23, et alibi. Cham successit filius *Mesraim*, a quo Ægyptus hebraice dicta est *Misraim*, et etiamnum a Turcis et Arabibus vocatur *Mesra*. Vide dicta *Gen.* X, 6.

OPERA VESTRA, — idola scilicet et delubra, id est dii, quos vestris manibus vobis facitis. Est sarcasmus, sive irrisio hostilis.

7. ET SCIETIS, QUIA EGO SUM DOMINUS, — scietis, quod ego solus Deus sum, omnium Dominus; idola autem deos esse vanissimos. *Secundo*, scietis me esse *Jehova* (sic enim habent Hebræa), id est *eum, qui sum* constantissimus in dictis et factis, ut minas vobis intentatas opere compleam. *Tertio*, scietis me esse Deum sanctum et justum, qui odio habeam peccata, cum eorum supplicium senseritis.

9. LIBERATI VESTRI, — qui necem evaserint. Nota hic signum pœnitentiæ esse, sua idola, et irritamenta et occasiones peccatorum funditus delere aut ablegare. Qui enim serio pœniteat, qui illicem peccati, v. g. concubinam, secum detinet? Idolum nostrum est ambitio, libido, opes, deliciæ, et quidquid, relicto Deo, colimus, quæque ut summum bonum nostrum diligimus, et in mente fingimus ac depingimus. Recte S. Chrysostomus : « Contemne, ait, divitias, et eris dives; contemne gloriam, et eris gloriosus. »

Ubi nota : Sicut voluntatis complacentia requiritur et sufficit ad peccatum, sic voluntatis displicentia, si sit seria, et ex amore placendi Deo super omnia dimanet, requiritur et sufficit ad contritionem. Hæc enim secum affert efficax propositum novæ vitæ. Per quas enim causas aliquid producitur, per easdem et dissolvitur. Ita S. Chrysostomus.

CONTRIVI COR EORUM FORNICANS. — « Contrivi, » id est conteram, *q. d.* Faciam ut eos peccati pœniteat, affligens eos longa captivitate. Nota : Afflictio et dolor vehemens est quasi pondus grave, cor premens et angens, ac quasi malleus, conterens et molliens cor lapideum, ut quasi cera verbum Dei suscipiat; « et oculos, » ut ex cordis contritione solvantur in lacrymas.

Vere S. Augustinus : « Oratio, ait, Deum lenit, sed lacryma cogit : illa ungit, hæc pungit. » Fletus est lavacrum scelerum, et refectio animarum. Tota aqua maris non exstinguit unam prunam purgatorii; et lacrymæ, omnes ejus flammas exstinguunt. R. David passive vertit, *contritus sum*; et Pagninus, *contrivi me*; et Vatablus, *fractus fui*, id est mœrore affectus, *ob meretricium eorum cor, et oculos*, id est, quia sua fornicatione me contristaverunt. Fornicationem de more vocat idololatriam : hæc est mystica et spiritalis animæ cum idolis fornicatio. Passive vertunt, quia hebræum נשברתי *nisbarti*, est passivum *niphal*. Verum sæpe *niphal* capitur pro activo *cal.* *Tertio*, alii *nisbarti* vertunt *emi*. Sic enim capitur *Genes.* XLI, 57, *q. d.* Eorum cor, quod se dæmonibus tradiderat, eorumque oculos, qui vanitatibus serviebant, ego emi; eorum animos et oculos meos feci, cum antea essent mundi, carnis et dæmonis. Peccatores enim nec cor, nec oculos, nec pedes, nec quid aliud proprium habent, quia hæc omnia voluptati et dæmoni manciparunt. Deus ergo ea sibi emit et redimit. « Omnia vestra sunt, vos autem Christi, » ait Paulus, I *Cor.* III, 22 et 23.

ET DISPLICEBUNT SIBIMET. — Hebraice נקטו *nakottu*, quod Vatablus vertit, *pudore et mœstitia*

afficientur; Septuaginta, *cædent faciem suam*, vel *plorabunt ante faciem suam*. Ad verbum vertas, *tædio erunt sibi*, sibique offensi, tædebit (et ita vertit Noster *Job* cap. X, vers. 1 : « Tædet animam meam vitæ meæ ») eos peccatorum, offendentur sibi, dissecabuntur corde, id est mala quæ fecerunt, quasi carnifices eorum corda discerpent.

Hinc patet contra Lutherum, pœnitentiam non esse nudam resipiscentiam, sed detestationem et dolorem præteritorum, displicentiam sui, odium præteritæ lascivæ vitæ, etc.

10. NON FRUSTRA. — Id est non incassum, sed ut eos castigando corrigerem, et ad pœnitentiam adducerem.

11. PERCUTE MANU TUA (ita Hebræus, Chaldæus, Septuaginta qui vertunt : *Plaude manu, et strepe pede*, ac Latini correcti; non *manum tuam*, ut legunt alii. *Percute* ergo *manu tua;* supple, alteram manum, vel femur tuum, uti facis cap. XXI, vers. 12), ALLIDE PEDEM TUUM (scilicet ad terram. Sunt hæc signa stupentis, dolentis et indignantis ad tanta mala Judæis impendentia, aiunt S. Hieronymus et Polychronius, scilicet) AD (id est propter) ABOMINATIONES MALORUM (id est peccatorum) DOMUS ISRAEL.

HEU. — Ita vertendum hebræum אח *ach*, ut sit dolentis. Sed Septuaginta et Theodotion *ach* accipiunt pro הא *heach;* unde vertunt, *euge, q. d.* ait Theodoretus. Tu, o Ezechiel! pede plaude, aut potius plode, ac admirare sententiæ justitiam : et, ut Scholiastes : Gaude de idolorum eversione, eisque insulta, dicens : *Euge;* ut τὸ *plaude* non sit dolentis, sed lætantis, et instigantis ad sæviendum. Sic enim Romani plausu indicabant favorem, approbationem, gratulationem in comœdiis, ut patet ex Plauto.

Mystice S. Hieronymus : « Percutimus, ait, manu, quando a malis nos operibus separamus. Allidimus pedem, quando non gradimur itinere peccatorum. Plangimus et ploramus, quando nobis displicent quæ geruntur (1). »

14. A DESERTO DEBLATHA, — supple, *usque ad Jerusalem, q. d.* Tota Judæa per Chaldæos vastabitur, a Deblatha usque ad Jerusalem; « ut omnibus pateat, nihil esse inter solitudinem et mare magnum, quod non hostilis mucro consumpserit, » ait S. Hieronymus. Porro *Deblatha* videtur esse eadem, quæ *Reblata* vocatur a Jeremia, et lib. IV *Reg.* cap. XXV, vers. 6. Litteræ enim ד *daleth* et ר *res*, charactere sibi simillimæ sunt, ut facilis ex una in aliam sit lapsus. Hinc pro *Benadad* Septuaginta vertunt, *Benadar*, *Amos* I, 4. Sic *Sophon.* III, 9, pro *tunc reddam populis labium* ברורה *berura*, id est *electam;* Septuaginta legunt בדורה *bedora*, id est *in generatione sua.* Sic pro *Gersam*, *Num.* III, 17, 22, et alibi, legunt *Gedsam.* Sic pro *Asdod*, legitur *Asdor;* pro *Dodanim*, *Rodanim;* atque Judæi pro *Duma* legunt *Roma*, sed perfide. Porro *Reblata*, est Epiphania Syriæ, ubi, teste Jeremia cap. XXXIX, vers. 5, resedit Nabuchodonosor, belli Judaici finem exspectans; unde ad eum ibi ductus est Sedecias, et excæcatus : atque hac de causa nominat hic *Deblatha* præ aliis locis : ita S. Hieronymus, Vatablus et Hebræi. Adrichomius tamen *Deblatha* a *Reblata* distinguit, ac *Deblatha* ponit terminum tribus Ruben. Ita ipse in *Descript. Terræ sanctæ.* Vers. 14. ד in ר sæpe commutatum.

Tropologice S. Hieronymus : « Deblatha, ait, παλάθην, hoc est massam ficorum sonat, ut, postquam in simulata dulcedine, quæ non erat terræ cultæ, sed solitudinis, amaritudinem repererint, tunc cognoscant, quia ipse sit Dominus. Mel enim distillat de labiis meretricis, quæ ad tempus impinguat vescentium fauces, sed postea amarius felle reperitur. Hoc significant et duo calathi ficorum, *Jerem.* cap. XXIV.

(1) Vers. 13. « In cunctis summitatibus montium. » Communis pluribus antiquitatis populis ritus, « Deos cœlestes » in montibus colendi, religione insita, eos maxime locos propinquare cœlo, precesque mortalium nunquam propius audiri, ut ait Tacitus, *Annal.*, lib. XIII, cap. LVII. Exemplum antiquissimi temporis habemus in historia Balaki, Balaam ex unius montis cacumine in aliud circumducentis, *Num.* XXII, 41; XVIII, 14, 28, et recentioris in Juliano, Jovi sacra faciente « in monte Casio, nemoroso, et tenui ambitu in sublime porrecto, » Ammiano Marcellino referente, lib. XXII, cap. XIV. Judæos falsorum Deorum cultui deditos in montibus et collibus statas habuisse aras, liquet ex historia Jorami, II *Chronic.* XXI, 11. « Et subter omne lignum nemorosum, » lucos idolorum cultui sacratos significari, recte observat Hieronymus. Tales luci potissimum dicati erant cultui Astartes, seu Veneris. Vide Seldenum, *De Diis Syris*, synt. 2, cap. II; Spencerum, *De Leg. Hebr. ritual.* lib. II, cap. XVI. Hinc sæpius in veteri Testamento, idolorum aras et lucos aut arbores conjuncta reperimus : vid. *Deut.* XII, 2 (qui locus nostri præ cæteris similis), II *Reg.* XVI, 4; XXI, 3; *Isai.* XVII, 8; XXVIII, 9; infra XX, 8.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Audit a Deo de Judæa : Finis venit, venit finis : prope est dies occisionis : floruit virga, germinavit superbia. *Secundo, Judæorum infirmitatem, pavorem et trepidationem describit vers.* 16. *Tertio, vers.* 19, *ait opes eorum, et aurum avare collectum, item templum, polluenda, futuraque prædæ impuris Chaldæis. Denique, vers.* 23, *audit* : Fac conclusionem, *qua omnium stragem una sententia concludas* (1).

1. Et factus est sermo Domini ad me, dicens : 2. Et tu, fili hominis, hæc dicit Dominus Deus terræ Israel : Finis venit, venit finis super quatuor plagas terræ. 3. Nunc finis super te, et immittam furorem meum in te : et judicabo te juxta vias tuas : et ponam contra te omnes abominationes tuas. 4. Et non parcet oculus meus super te, et non miserebor : sed vias tuas ponam super te, et abominationes tuæ in medio tui erunt : et scietis quia ego Dominus. 5. Hæc dicit Dominus Deus : Afflictio una, afflictio ecce venit. 6. Finis venit, venit finis, evigilavit adversum te : ecce venit. 7. Venit contritio super te, qui habitas in terra : venit tempus, prope est dies occisionis, et non gloriæ montium. 8. Nunc de propinquo effundam iram meam super te, et complebo furorem meum in te : et judicabo te juxta vias tuas, et imponam tibi omnia scelera tua. 9. Et non parcet oculus meus, nec miserebor; sed vias tuas imponam tibi, et abominationes tuæ in medio tui erunt : et scietis quia ego sum Dominus percutiens. 10. Ecce dies, ecce venit : egressa est contritio, floruit virga, germinavit superbia : 11. iniquitas surrexit in virga impietatis; non ex eis, et non ex populo, neque ex sonitu eorum : et non erit requies in eis. 12. Venit tempus, appropinquavit dies : qui emit, non lætetur; et qui vendit, non lugeat : quia ira super omnem populum ejus. 13. Quia qui vendit, ad id quod vendidit, non revertetur, et adhuc in viventibus vita eorum; visio enim ad omnem multitudinem ejus non regredietur : et vir in iniquitate vitæ suæ non confortabitur. 14. Canite tuba, præparentur omnes, et non est qui vadat ad prælium : ira enim mea super universum populum ejus. 15. Gladius foris; et pestis et fames intrinsecus : qui in agro est, gladio morietur : et qui in civitate, pestilentia et fame devorabuntur. 16. Et salvabuntur qui fugerint ex eis : et erunt in montibus quasi columbæ convallium omnes trepidi, unusquisque in iniquitate sua. 17. Omnes manus dissolventur, et omnia genua fluent aquis. 18. Et accingent se ciliciis, et operiet eos formido, et in omni facie confusio, et in universis capitibus eorum calvitium. 19. Argentum eorum foras projicietur, et aurum eorum in sterquilinium erit. Argentum eorum, et aurum eorum non valebit liberare eos in die furoris Domini. Animam suam non saturabunt, et ventres eorum non implebuntur : quia scandalum iniquitatis eorum factum est. 20. Et ornamentum monilium suorum in superbiam posuerunt, et imagines abominationum suarum et simulacrorum fecerunt ex eo : propter hoc dedi eis illud in immunditiam : 21. et dabo illud in manus alienorum ad diripiendum, et impiis terræ in prædam, et contaminabunt illud. 22. Et avertam faciem meam ab eis, et violabunt arcanum meum : et introibunt in illud emissarii, et contaminabunt illud. 23. Fac conclusionem : quoniam terra plena est judicio sanguinum, et civitas plena iniquitate. 24. Et adducam pessimos de gentibus, et possidebunt domos eorum : et quiescere faciam superbiam potentium, et possidebunt sanctuaria eorum.

(1) Prosequitur Ezechiel in hoc capite triste cap. præced. vaticinium, et *primo*, præmittit universim instantis exitii decretum, 1-4.

Secundo, repetit indicationem et temporis jam præsentis, et pœnæ impendentis, et justitiæ non parcentis, 5-11.

Tertio, præcidit spem omnem, sive in mercibus, sive in armis, sive in fuga aut viribus, sive in facultatibus posita, 12-19.

Quarto, addit nec auxilium sperandum a templo, utpote polluto et direptioni destinato, 20-22.

Quinto, concludit, ob communem iniquitatem, cala-

25. Angustia superveniente, requirent pacem, et non erit. 26. Conturbatio super conturbationem veniet, et auditus super auditum : et quærent visionem de propheta, et lex peribit a sacerdote, et consilium a senioribus. 27. Rex lugebit, et princeps induetur mœrore, et manus populi terræ conturbabuntur. Secundum viam eorum faciam eis, et secundum judicia eorum judicabo eos : et scient quia ego Dominus.

2. ET TU, FILI HOMINIS, — supple, audi et vaticinare id quod sequitur :

FINIS VENIT, VENIT FINIS SUPER QUATUOR PLAGAS TERRÆ, — scilicet Israel, ut præcessit, *q. d.* Finis et excidium venit totius Judææ, imo jam imminet. Unde ter repetit : « Finis venit, » *q. d.* Post tres annos veniet : nam hæc dixit anno quinto Sedeciæ, sive transmigrationis Joachim, ut patet cap. I, 2. Anno autem 9 eorumdem obsessa est Jerusalem, et post duos annos capta et eversa. Similis vox et visio portendit invasionem Longobardorum; nam, ut ait S. Gregorius homil. 1 *in Evang.* et lib. III *Dialog.* XXXVIII : « Priusquam Italia gentili gladio ferienda traderetur, igneas in cœlo acies vidimus, ipsumque qui postea humani generis fusus est sanguinem, coruscantes. » Deinde addit Redemptum Episcopum Ferentinatem vidisse nocte S. Eutychium martyrem, dicentem : « Redempte, vigilas? » Quo respondente : « Vigilo, » subjunxit : « Finis venit universæ carnis; » et tertio idem repetiit. Mox a Longobardis depopulatæ sunt urbes, concrematæ ecclesiæ, destructa monasteria, prædia vastata et desolata. Unde concludit : « In hac terra (Italia) in qua nos vivimus, finem suum mundus jam non nuntiat, sed ostendit. Tanto ergo nos necesse est instantius æterna quærere, quanto a nobis cognoscimus velociter temporalia fugisse. Mundus enim, qui tot nobis quotidie dolores ingeminat, quid nobis aliud, quam ne diligatur clamat? »

Præsagia cladis Longobardorum.

3. SUPER TE, — o terra Israel.

JUDICABO TE JUXTA VIAS TUAS, — judicans puniam te pro factis et meritis tuis. Est metonymia. Origenes legit : *Vindicabo te;* quia peccator, ait, peccando, est agens et patiens, id est injuriam facit, sed sibi ipsi : est ergo tam injurians quam injuriam patiens. Deus suo judicio et supplicio tollit injuriantem, id est vitium et malitiam peccatoris, et sic relinquit patientem eumdem, sine injuria et injuriante; sicque eum vindicat, quia tollit ab eo injuriam tam passivam quam activam : facit enim ut nec faciat, nec patiatur injuriam, id est peccatum. Hoc subtilius est quam germanius.

Peccator sibi facit injuriam per peccatum.

ET PONAM CONTRA TE, — ut sint quasi tui accusatores coram me : tu enim es rea, peccata te accusant, ego sum iudex et vindex. Itaque est hysterologia Hebræis usitata. Prius enim dicere debuisset : « Ponam contra te abominationes tuas; » deinde, « judicabo, » id est vindicabo et puniam « te » juxta eas. *Secundo,* « contra, » id est coram « te, » *q. d.* Tuas abominationes oculis tuis obvertam, ut earum deformem speciem, et conscientiam iis turpissime fœdatam, cogaris intueri, quæ soles manticam scelerum a tergo portare et oblivisci. Grave supplicium sibi est, se intuens fœda conscientia, et magis si se intueri semper cogatur, ut a fœditate sua nequeat oculos avertere. *Tertio,* Septuaginta et Chaldæus vertunt : *Dabo super te, q. d.* Percutiam te ob tuas abominationes.

VIAS TUAS, — pœnam viarum, id est vitæ tuæ actæ, et peccatorum.

ABOMINATIONES (pœna abominationum) IN MEDIO TUI — erit, tibi quasi gladius dissecabit cor, et viscera acerbissimo dolore discruciabit. *Secundo,* « in medio tui » erit, id est omnibus erit manifesta et conspicua, ait Maldonatus.

5. AFFLICTIO UNA (scilicet perfecta, singularis, extrema et funestissima) VENIT, — quæ quasi fulmen totam Jerusalem aduret, ut opus non sit altera. Hoc est quod dixit cap. V, 9 : « Et faciam in te quod non feci. » Sic *semel* capitur pro *perfecte,* I *Reg.* XXVI, 8 : « Perfodiam eum (Saulem) lancea semel, et secundo opus non erit. » *Secundo,* « afflictio una, » et « afflictio, » supple, altera, « ecce venit, » id est una calamitas alteram excipit, non licet respirare. Sic *Psalm.* XLI, 8 dicitur : « Abyssus abyssum invocat, » id est fluctus fluctum excipit. Unde Chaldæus vertit : *Malum super malum venit.* Sed videtur Chaldæus pro אחד *achad,* id est *una,* legisse אחר *achar,* id est *post, q. d. Malum post malum venit,* malum malo succedit. Ausonius in *Epigram.* eleganter dixit, « catenatos labores et dolores, » cum labor labori, dolor dolori succedit. Homerus, *Iliad.* x pulchre ventis tales traditos asserit :

> Tradebat Notus hunc Boreæ quandoque vehendum,
> Hunc rursum Zephyro jactandum tradidit Eurus.

6. FINIS VENIT, VENIT FINIS, — scilicet excidium et exitium adest. Repetitio hæc significat *primo,* certitudinem et confirmationem; *secundo,* magnitudinem; *tertio,* celeritatem futuri excidii, *q. d.* Brevi erit finis et exterminium regni nostri.

EVIGILAVIT, — scilicet maturo tempore. Sicut fructus æstivi in æstate, maturi sunt et colliguntur : ita matura est malitia tua, ut colligatur, sitque ei finis. Hoc enim est Hebræum הקיץ *hekits.* Alludit ad id quod subdit : « Venit contractio. » Et vers. 10 : « Floruit virga. » *Secundo,* Maldonatus, « evigilavit, » id est cito veniet, quasi summo mane

mitates omnibus gravissimas esse inferendas, quarum calamitatum denuntiationem eo terminat, ut superstites signo confectæ a se, divino jussu, catenæ, vinciendos et captivos abducendos significet, 23-27.

evigilaverit ut veniret. Septuaginta vertunt, *surrexit*. Alludit, et confirmat oraculum *Jerem.* I, 11 : « Virgam vigilantem ego video. Et dixit Dominus ad me : Bene vidisti, quia vigilabo ego super verbo meo ut faciam illud. » Simili phrasi ait idem, *Thren.* I, vers. 14 : « Vigilavit jugum iniquitatum mearum. » In Hebræo est pulchra paronomasia, inter הקיץ *hackets*, id est *finis*, et הקיץ *hekits*, id est *evigilavit*.

7. VENIT CONTRITIO. — Sic legunt Romana, non *contractio*, uti legunt S. Hieronymus et Maldonatus; nec *confractio*, ut legunt alii. Hebraice est צפירה *tsephira*, id est *maturatio, frondatio*, sive primum germen, quod mane, id est statim, protruditur; צפר *tsaphar* enim significat *mane surgere;* inde *tsephira* vocatur primum germen et gemma arboris, sive folliculus complicatus et primo erumpens frondium vel florum, antequam expendant se, et in lucem prodeant. Chaldæus *coronam* vertit; quia ex his gemmis pulchræ fiunt coronæ. Unde Vatablus : *Venit corona*, inquit, id est regnum Nabuchodonosoris, *super te;* Arabicus Alexandrinus vertit : *Et veniet ad te tartareus habitator terræ, et præsens est tempus, et appropinquat dies mali;* Syrus : *Et venit matutinus habitator super* (contra) *te, venit tempus, et appropinquavit dies perturbationis.* Pro *matutinus* ex Syro verti posset, *hircus*, quasi צפיר *tsephir* ponatur pro צעיר *tseir*, id est pilosus, hircus, satyrus. Noster vertit, «contritio,» quia hæc gemma, sive calyx et folliculus significat contritionem, de quo vers. 10. Verum videtur legendum *contractio*, ut habent manuscripta et S. Hieronymus; unde et Septuaginta et Theodotion vertunt, πλοκή, id est *complexio*, complicatio, id est folliculus contractus et complicatus; hoc enim est *tsephira*, *q. d.* Sicut in vere mane, id est statim, primum germen et folliculus erumpit : ita statim erumpet et tuum flagellum tuaque virga, quæ te castigabit. Aquila, inquit S. Hieronymus, *tsephira* vertit, προσκόπησιν, id est *contemplationem*, et prospectionem, quasi dicat : Venit excidium quod metuebas, quod tibi eventurum prospiciebas, vel tu, vel Prophetæ tui.

Gloria vel echo, montium quæ?

NON GLORIÆ MONTIUM. — Hebraice : *Instat dies tumultus, non celeusmatis vindemiatorum in montibus. Gloria* ergo hic est lætus clamor, gloriatio, laudatio, ovatio colligentium uvas in montibus : vel, ut Vatablus, est *echo*, id est vox lætitiæ, quam referunt et reverberant montes vitiferi clamantibus vindemiatoribus, *Jerem.* XLVIII, 33; vel etiam idololatris, circa idolum in montibus saltantibus et cantantibus. Unde *secundo*, Vatablus et R. David sic vertunt : *Prope est dies tumultus, non echo montium, q. d.* Instat verus ab hoste clamor et tumultus, non autem fictus, qualis est quem edit echo resonans ex repercussu loci concavi. Nam, ut ait Plinius, lib. II, cap. XLIV : « Montium flexus, crebrique vertices, et conflexa cubito, aut confracta in humeros juga, concavi vallium sinus, scindunt inæqualiter inde resultantem aera : quæ causa etiam voces multis in locis reciprocas facit. » Eleganter vero Ovidius lib. III *Metamorph.* :

> Aspicit hunc trepidos agitantem in retia cervos
> Vocalis Nymphe, quæ nec reticere loquenti,
> Nec prior ipsa loqui didicit, resonabilis Echo

Sic et R. Jona et Pagninus hebraice הד *hed* vertunt, *echo*. Verum, quia הד per crasin idem est quod הידד *hedad*, id est emissio vocis libera et læta, ovatio, carmen vindemiæ, celeusma; hac de causa melius priore modo et sensu vertas : « Prope est dies clamoris et tumultus, non celeusmatis, » quasi dicat : Non audietur in montibus celeusma vindemiantium, sed clamor hominum qui occidentur; aut hostium irruentium, et sese invicem ad cædem cohortantium. Instat ergo tibi, o Jerusalem! dies occisionis, non gloriæ et jubilationis, quo in montibus, in quibus vel vindemiando, vel idola colendo gloriari et jubilare solebas : jam non exsultes et jubiles; sed a Chaldæis macteris et occidaris, ideoque plores et ejules, uti dixit cap. VI, 13. Simile est *Jerem.* XXV, 30, et cap. LI, 14. Chaldæus vertit : *Nec licebit in montium vertices evadere.*

8. NUNC DE PROPINQUO (brevi, vel prope est, ut) EFFUNDAM IRAM.

10. EGRESSA EST CONTRITIO, etc. — Legendum videtur, ut dixi vers. 7, *contractio*, id est prodiit folliculus contractus, explicatur jam germen, protruditur frondatio, *q. d.* Superbia et impietas Judæorum, *primo*, quasi gemma egressa est, mox floruit, germinavit, et crevit in virgam vel baculum, qua Deus vos flagellabit, *q. d.* Ita crevit impietas vestra, ut sustineri non possit : sed ipsa flagellum det in manum Dei, quo jamjam vos feriet. Hoc flagellum, seu virga vigilans, *Jerem.* I, est Nabuchodonosor, jam paratus ad vastandam Jerusalem. Dicitur autem hæc virga floruisse, id est parata esse, citoque ventura : quia postquam arbor floret, statim fructum profert; fructus autem et effectus virgæ, est flagellatio. Unde virga hæc, quam Ezechiel florentem, Jeremias vigilantem vocat. Simili modo de Sennacherib dixit Isaias, cap. X, 3 : « Væ, Assur, virga furoris mei! baculus ipse est in manu mea, » etc. Quocirca Syrus vertit : *Egressus est hircus* (Nabuchodonosor), *et fronduit virga, et germinavit opprobrium;* Arabicus Antiochenus : *Et jam egressi sunt hostes, et admirantur, et viderunt, iniquus permanet supra virgam iniquitatis;* Arabicus Alexandrinus : *Jam advenit interitus tuus, jam concussa es, et jam præsens factus est tartareus, et vicit virga, et germinavit contemptus.*

Nota : Virga hæc impietatis significat scelera, præsertim superbiam, violentiam et injustitiam, qua judices et potentes apud Judæos, pauperes opprimebant, eorum jus et judicium inflectebant, et ad divites torquebant. Hinc consequenter virga hæc significat flagellum, quo Deus hos violentos castigarit. Unde vers. 11, Hebræa habent : *Surrexit*

iniquitas in virgam impietatis. Quocirca *secundo*, notat hinc S. Hieronymus Dei justitiam et vindictam, peccatis quasi irrigari, ut floreat in virgas, et fructus plagarum ac verberum producat. *Tertio*, significatur hic ipsammet superbiam Judæorum germinasse virgas, quibus ipsimet a Deo verberarentur. Sciat ergo peccator, sciat superbus, sciat rapax, sciat gulosus, sciat luxuriosus, se peccando, superbiendo, rapiendo, gulæ indulgendo, luxuriando, non aliud facere quam parare sibi virgas, quibus paulo post, et in hac vita et in futura flagelletur. Annon superbus Aman paravit sibi virgas, imo crucem, quando eamdem erexit Mardochæo et Judæis? Annon Adam et Eva, superbiendo, et comedendo pomum vetitum, sibi et posteris omnibus virgas pararunt, quibus usque hodie misere flagellamur omnes? Hoc aliis proverbiis et metaphoris, sæpe alibi inculcat Scriptura. *Primo*, funium, *Prov.* v, 22. Impius « funibus peccatorum suorum constringitur. » II *Reg.* xxii, 6 : « Funes inferni circumdederunt me. » *Secundo*, vinculorum. *Prov.* vii, 22 : « Ignorans quod ad vincula stultus trahatur. » *Isaiæ* xxv, 7 : « Præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati. » *Eccle.* vii, 27 : « Vincula sunt manus illius. » *Sap.* xvii, 17 : « Una catena tenebrarum omnes (Ægyptii) erant colligati. » *Tertio*, oneris. *Galat.* vi, 5 : « Unusquisque onus suum portabit. » *Quarto*, laqueorum mortis. II *Reg.* xxii, 6 : « Prævenerunt me laquei mortis. » *Prov.* xxi, 6 : « Impingetur ad laqueos mortis. » I *Cor.* xv, 56 : « Stimulus mortis peccatum est. » *Rom.* v, 12 : « Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors. » *Quinto*, lapidis. *Eccli.* xxvii, 28 : « Qui in altum mittit lapidem, super caput ejus cadet. » *Sexto*, spinæ. *Hebr.* vi, 8 : « Terra proferens spinas ac tribulos, reproba est, et maledicto proxima. » *Nahum* i, 10 : « Sicut spinæ se invicem complectuntur, sic convivium eorum pariter potantium; consumentur quasi stipula ariditate plena. » *Psal.* lvii, 10 : « Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum. » *Septimo*, vermis. I *Mach.* ii, 62 : « Gloria ejus (impii), stercus et vermis est. » *Octavo* et sæpe, seminis et messis. *Osee* viii, 7 : « Ventum seminabunt, et turbinem metent. » *Osee* x, 13 : « Arastis impietatem, iniquitatem messuistis, comedistis frugem mendacii. » *Prov.* xxii, 8 : « Qui seminat iniquitatem, metet mala. » E contrario justis dicitur, *Osee* x, 12 : « Seminate vobis in justitia, et metite in ore misericordiæ. » Et *Galat.* cap. vi, 8 : « Qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem : qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. » *Nono*, pulcherrime et efficacissime ignis, quem impios sibi succendere ait Isaias, cap. l, vers. ult. « Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri et in flammis, quas succendistis. » Peccata ergo nostra ligna sunt, quibus pyra Chaldæorum, Turcarum, hæreticorum, hostium, et dæmonum contra nos fovetur, et in dies inflammatur. Ergo « subtrahe ligna foco, si vis exstinguere flammam. » Cessent scelera, et bella ac plagæ cessabunt.

Moraliter, peccator peccando sibi plectit virgas, catenas et laqueos.

FLORUIT VIRGA, — *q. d.* Agite jam Floralia, mox acturi Virgalia; agite jam Saturnalia, mox acturi Funeralia. Ita Romanis Floralia erant festa et ludi annui in honorem Floræ, quæ cum magnas ex arte meretricia comparasset opes, moriens populum Romanum scripsit hæredem. Pari modo qui ventri et veneri licenter serviunt, dicunt, *Sap.* ii, 7 : « Vino pretioso et unguentis nos impleamus; et non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis, antequam marcescant : nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. » Sed mox cap. v, 2, de iisdem dicitur : « Videntes turbabuntur timore horribili, etc., dicentes intra se, pœnitentiam agentes, et præ angustia spiritus gementes, etc. Lassati sumus in via iniquitatis, etc. Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra. » Et vers. 22 : « Ibunt (in impios emissæ a Deo vindice) directe emissiones fulgurum, et tanquam a bene curvato arcu nubium exterminabuntur : excandescet in illos aqua maris, » etc. Hæc est virga quam flos concupiscentiæ germinat et producit ipsimet peccatori. Nimirum hi sunt, ut vulgo dicitur, « Samiorum flores. » Hoc enim nomine vocabatur locus in Samo insula, ubi viri cum feminis convivia agitabant et voluptuabantur : quibus deliciis effeminati Samii, a Persis subacti sunt, et in servitutem redacti.

GERMINAVIT SUPERBIA, — superbia vestra excrevit in virgam et flagellum, ut jam dixi. Aliter R. David, Maldonatus et Vatablus : putant enim hic esse repetitionem; quam enim prius vocavit virgam, nunc, aiunt, vocat superbiam, quia rex Babylonis superbus erat. Unde Vatablus pro *superbia* vertit, *vir superbiæ*; scilicet Nabuchodonosor, qui se parat, ut te, o Jerusalem, oppugnet. De quo ait Jeremias l, 31 : « Ecce ego ad te, superbe, dicit Dominus. » Quocirca quod ante dixit, « floruit, » nunc dicit, « germinavit. » Unde Chaldæus vertit : *Germinavit dominator, apparuit impius.* Sic et Græci accipiunt hæc de Nabuchodonosore, *q. d.* « Floruit virga, » id est sceptrum, vel regnum Babyloniæ, « germinavit superbia, » id est Nabuchodonosor superbus auctus est regnis et opibus.

11. INIQUITAS SURREXIT IN VIRGA IMPIETATIS (id est cum sceptro impii crevit injustitia. Hæc autem incrementa) NON EX EIS (Chaldæis proveniunt, neque ex multitudine populorum, neque ex strepitu et tumultu exercituum; sed ex Deo, qui illum et illos fecit flagellum vestrum. Et ideo) NON ERIT REQUIES IN EIS. — Id est, non quiescent Chaldæi, donec urbem capiant et vastent. Sic et Delrio, *Adagio* 714, qui et in voce *floruit*, id est crevit viribus et gloria, putat alludi ad virgam Aaron, ut indicet Nabuchodonosorem a Deo electum ut puniat et affligat, quos Deus volet. Sed melius de Vers. 11.

Judæis hæc accipias, ut dixi, et magis patebit ex sequentibus. Adde, longe elegantior et profundior est sensus prior; explicat enim pulchre, quomodo superbia et iniquitas Judæorum sibi flagellum fecerit, non Deus.

INIQUITAS SURREXIT IN VIRGA. — Hebraice למתה *lematte*, id est *in virgam*, *q. d.* Iniquitas eorum excrevit in virgam, qua flagelletur ipsorum impietas. Iniquitas ergo est radix gemmans in surculos scelerum, qui tandem crassescunt in virgas, quibus ipsamet castigetur. Vide dicta vers. 10. Ita Hebræi, Vatablus, Maldonatus et alii. Pro *in virga impietatis*, verti potest, *in virgam malam*, id est acriter cædentem, acri dolore afficientem.

NON EX EIS (scilicet erit quisquam judicum et principum, qui virgam, id est flagellum Dei, evadat, nec etiam) EX POPULO.

NEQUE EX SONITU. — Id est nec e lætitia, tripudiis, cantu, ac pompa tubarum et musicorum, scilicet quidquam erit superstes, aut remanebit. *Secundo*, Septuaginta vertunt, *non cum perturbatione, neque cum festinatione*, supple, capiet te Nabuchodonosor, sed quiete et facile. *Tertio*, R. David putat Hebræum מהמהם *mehemehem*, conflatum esse ex המ *hem* geminato, unde vertit, *non ex illis illis*, *q. d.* Nemo ex illis et illorum stirpe remanebit. Ita et Chaldæus.

ET NON ERIT REQUIES IN EIS. — Triplex est hic lectio et versio. Noster legit נח *noach*, id est *requies*, *q. d.* Non dabo eis requiem, semper eos affligam. *Secundo*, Hebræa jam habent נה *noah*, id est *lamentatio*. Unde Vatablus et R. David vertunt, *non erit luctus* vel *lamentatio*, *q. d.* Tanta erit morientium multitudo, et tanta superstitum calamitas, ut vivi mortuos non lugeant, utque mortui carcant decenti sepultura, id est exequiis, et funebri planctus pompa, uti eis minatus est Jeremias, cap. XVI, 4, et cap. XXV, 33. *Tertio*, Septuaginta aliis punctis legunt נוה *nave*, id est *species, decor*. Unde vertunt : οὐδὲ ὡραϊσμὸς ἐν αὐτοῖς, id est *neque erit pulchritudo in eis*. Prima lectio. planior, et contextui accommodatior est.

12. QUI EMIT, NON LÆTETUR (quia rem emptam prædabuntur Chaldæi); ET QUI VENDIT, NON LUGEAT, — id est non doleat, quia etiamsi non vendidisset, perditurus erat rem venditam, rapiente victore et prædatore Chaldæo.

QUIA IRA DEI SUPER OMNEM POPULUM EJUS, — scilicet regionis, puta Judææ; hebraice enim est pronomen femininum. Vatablus vertit : *Quia ira super omnem opulentiam* vel *super omnes ejus*, *q. d.* Deus iratus eorum opes tradet hosti; unde non gaudeant eas possidentes, nec doleant eas transferentes, vel amittentes. Hoc scribit Propheta Judæis in Judæa secure degentibus, hostemque non timentibus. Sicut vice versa Jeremias Judæis qui in Babylone erant captivi, scribit cap. XXIX, 5 : « Ædificate domos, plantate hortos, accipite uxores, » quasi diu in captivitate mansuri.

13. QUI VENDIT, AD ID QUOD VENDIDIT, NON REVERTETUR, — uti in jubilæo res vendita ad venditorem redibat, juxta legem *Levit.* XXV, 10.

ET ADHUC IN VIVENTIBUS VITA EORUM, — *q. d.* Permanebunt in vita, et tamen ad bona sua vendita nunquam redibunt, nequidem in jubilæo, ut vita eorum sit pauper et misera, et potius longa mors quam vita.

VISIO ENIM (prophetia hæc comminatoria) NON REGREDIETUR — vacua et irrita, sed perficietur. Non erunt duntaxat verba et minæ; sed res ipsa, et verbera sequentur. Est metaphora a sagitta, quæ cum non perforat scopum, resilit inani ictu : vel a legato, milite aut satellite, qui re infecta, ad dominum remittitur. Rursum regredi, est ad os loquentis verbum revocari; quod vulgo dicimus : Verba sua comedere, id est retractare, *q. d.* Deus verba sua non revocabit, suas minas et decreta non retractabit (1).

Secundo, Chaldæus et Hebræi vertunt : *Visio ad omnem multitudinem, et tamen non revertetur*, id est possessio bonorum suorum, *ad multitudinem non redebit*. Hebræum enim חזה *chasa*, et apprehendere et videre significat. Unde חזון *chason*, et apprehensionem et visionem denotat.

VIR IN INIQUITATE VITÆ SUÆ NON CONFORTABITUR, — ut resistat Chaldæis, opesque suas ab iis tueatur et retineat, *q. d.* Iniquitas non addet impio fortitudinem, vel potius, *in*, id est propter iniquitatem suam non confortabitur, nec prosperabitur vir; sed cadet, hostibusque succumbet, et iis erit prædæ.

14. CANITE. — Est sarcasmus, *q. d.* Clangite, o Judæi, convocate milites, arripite hastas et clypeos : en hostes adsunt, en irruit Nabuchodonosor, quid cunctamini? Respondet : Nullus est, qui vadat ad prælium, omnes despondent animum; quia Deus ob scelera eis metum et pavorem injicit, ut eis minatus est Moses, *Deuter.* XXXII, 30. Hunc esse sensum patet ex vers. 16 et 17. Vers. 14

IRA ENIM MEA SUPER UNIVERSUM POPULUM EJUS. — Hoc cap. Deus identidem vers. 8, 12 et 14, suam iram ingeminat. Quæritur ergo an in Deo vere et proprie sit ira? Lactantius, lib. *De Ira*, cap. IV, refert epicureos, et cap. V, stoicos, negantes in Deo esse iram; ipse vero docet iram proprie esse in Deo : « Quia ira, inquit, est motus animi ad coercenda peccata insurgentis. » Sed in Deo est talis motus : ergo in Deo proprie est ira, non tamen furor, qui perturbationem et præcipitantiam sonat. Idem docet Petrus Gregorius in *Syntaxi* An in Deo proprie sit ira?

(1) Sic comparationem instituit S. Hieronymus inter priorem partem hujus versus, et alteram : « Quomodo possessio non revertetur ad priorem dominum, eversione urbis instante; sic visio et comminatio prophetalis, quæ ad omnem multitudinem urbis dirigitur, nequaquam regredietur et irrita fiet, sed rebus explebitur, viventibus adhuc his, ad quos prophetalis sermo dirigitur. Hoc autem ait, ut ostendat imminentem captivitatem, ne secundum consuetudinem dicerent : Visio hæc in longas dies erit, et post tempore multo complebitur. »

artis mirabilis, lib. XI, cap. XXI, ex eo quod Scriptura passim Deo tribuat iram.

Respondeo negative. Verum communis Patrum et Scholasticorum sententia est, in Deo non esse iram proprie, sed metaphorice; quia scilicet objurgat, et punit, occiditque reos, ac si eis irasceretur. Nam « ira, » ait Aristoteles, lib. I *De Anima*, cap. I, text. 16 in corpore « est sanguinis effervescentia circa cor; » in anima vero est « appetitio doloris vicissim adversario inferendi. » Cicero, teste Lactantio : « Ira, inquit, est libido ulciscendi. » Damascenus, lib. II *De Fide*, XVI : « Ira est appetitus recruciationis et ultionis ex accepta injuria; » Horatius : « Ira furor brevis est. » Ira ergo supponit dolorem irati; Deus autem est doloris incapax : ergo et iræ. Rursum, ita versat et versatur circa vindictam arduam et difficilem : in Deo autem, uti nulla est cupido vel libido vindictæ, ita nec ulla vindicta ardua et difficilis. Definitio ergo iræ, quam dat Lactantius, diminuta est et insufficiens. Ira enim passionem sonat effervescentem concitatam et turbidam, qualis nulla est in Deo, cujus mens est, etiam dum impios hostes suos punit, serenissima et pacatissima. Ita docent Origenes in *Roman.* I, S. Chrysostomus, serm. *De pœnitentia*, Basilius in *Psalm.* XXXVII, Damascenus lib. I *Fid.* XIV, Cyprianus *ad Demetrianum*, Ambrosius in *Psalm.* XXXVII, Hieronymus in *Psalm.* XXIX, Augustinus, lib. XIII *De Trinit.* cap. XVI, et alii quos sequitur D. Thomas, I part. *Quæst.* XX, art. 1, ad 2, et Gabriel Vasquez, I part. disp. LXXXIV, cap. IV.

Vers. 16. 16. ET ERUNT IN MONTIBUS QUASI COLUMBÆ, — profugi Judæorum erunt quasi columbæ trepidæ, quæ ex vallibus ubi degunt, metu aucupum ad montes convolant. Alii erunt ut columbæ volitantes in montibus, quæ tempestate imminente ad valles se demittunt, quasi in locum apricum. Nota : Pro *columbæ convallium*, Theodotion vertit, *columbæ meditantes et mussitantes*, id est, ut Theodoretus, suspirantes, gementes.

Vers. 17. 17. OMNES MANUS DISSOLVENTUR, — Hebraice *flaccescent*, id est erunt debiles et imbelles, pugnare non poterunt Judæi, nec consistere præ metu. Metus enim spiritus animales ad cor pavidum et afflictum solandum et sustentandum revocat, quo fit ut manus, et pedes, aliæque partes externæ fiant debiles et flaccidæ.

OMNIA GENUA FLUENT AQUIS, — puta, *sudore*, ex gravi angustia; vel potius *urina*, ex pavore. Ita S. Hieronymus et Græci. Unde Septuaginta vertunt : *Omnia femora polluentur humore*. Causam cur in metu solvatur vesica, dat Aristoteles in *Problem.*

18. OPERIET (undique vallabit) EOS (et obruet, et quasi vestis operiet eos totos) FORMIDO.

IN OMNI FACIE CONFUSIO, — pudor et rubor : « Conscientia peccatoris lucet in facie, » ait S. Hieronymus.

ET IN UNIVERSIS CAPITIBUS EORUM CALVITIUM. — Calvitium capitis, ait S. Hieronymus, luctus est signum, quando decorem perdit cæsaries. Hebræi enim, tam viri quam feminæ (apud Græcos solæ feminæ, ait Plutarchus, *problem.* XIII), comam nutriebant. Unde signum adversitatis erat detonsio, vel calvitium. Vide *Deuteron.* XIV, 1, *Isaiæ* XV, 2, *Jerem.* XLVII, 5, et XLVIII, 37. Contra Romani in prosperis barbam et capillum tondebant, in luctu vero demittebant.

19. ARGENTUM EORUM FORAS PROJICIETUR, — ut sint expeditiores ad fugam : « Ne sit ponderi, quod prius fuit luxuriæ, » ait S. Hieronymus. Vers. 19.

Secundo, Theodotion et Polychronius exponunt, *q. d.* Præ fame et desperatione extrema, abjicient aurum et argentum; perituris enim non magis proderit quam sterquilinium. Hæc expositio melior est, sequitur enim : « Argentum eorum, et aurum eorum non valebit liberare eos, etc. et ventres eorum non implebuntur. » Cui adde :

Tertio : « Argentum eorum foras projicietur » a Chaldæis rapientibus, illudque projicientibus in suos equos et currus.

ET AURUM EORUM IN STERQUILINIUM ERIT. — Hebraice לנדה *lenidda*, id est in elongationem, in separationem; et, ut R. David, in commotionem et transmigrationem, *q. d.* Transferetur in Babylonem. Hinc *secundo*, לנדה *lenidda* idem est quod in immunditiam; unde Noster vertit hic « sterquilinium. » Per immunditiam vero, intelligit profanationem et pollutionem, qua aurum et argentum Judæorum, id est populi Dei, diripiebatur a Chaldæis incircumcisis et infidelibus, ideoque sordidis et immundis. Hoc enim ipso, aurum prius quasi sanctum videbatur profanari, pollui, sordidari et projici quasi in sterquilinium, ex opinione et æstimatione Judæorum, ac legis veteris, *q. d.* Judæi laborant auri sacra fame, et propter aurum violant leges meas, ut illud per fas et nefas congregent; quare ego aurum illud profanabo, tradamque illud impuris et immundis Chaldæis, ut Judæis suum aurum antea ita amabile, fiat exsecrabile. Hunc esse sensum patet ex vers. 20, ubi pariter de ornamento monilium ait : « Propter hoc dedi eis illud in immunditiam (hebraice לנדות *lenidda*) : et dabo illud in manus alienorum (Chaldæorum) ad diripiendum, et impiis terræ in prædam, et contaminabunt illud. » Hinc Chaldæus et Septuaginta vertunt : *Dabo illud eis in contemptum*; res enim immundas et profanatas a gentibus contemnebant et abominabantur Judæi. Aliter Maldonatus : *In contemptum*, inquit, quia aurum contemnetur a Chaldæis, ita ut nolint illud accipere in lytrum, et propter illud parcere vitæ Judæorum, juxta illud *Isaiæ* XIII, 12 : « Pretiosior erit vir auro, et homo mundo obrizo, » *q. d.* Pluris facient Chaldæi vitam hostibus Judæis adimere, quam ab eis accipere aurum, præsertim quia iis occisis, simul potientur eorum auro.

ARGENTUM EORUM, ET AURUM EORUM NON VALEBIT LIBERARE EOS IN DIE FURORIS DOMINI, — quando Dominus quasi furibundus obsidebit eos per Chal-

dæos, ac fame; peste, gladio et igne conficiet et interimet. Idem eis intentavit et prædixit Sophonias, cap. I, 18 : « Argentum eorum, inquit, et aurum eorum non poterit liberare eos in die iræ Domini. » Tanta enim erit Dei peccatis indignantis ira, ut subdat : « In igne zeli ejus devorabitur omnis terra, quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus terram. » Notent hoc avari, notent scelerati; a Dei ira, a morte, a gehenna nec opes, nec nepotes, nec filii, nec uxores, nec cognati, quos inique ditare voluerunt cum animæ suæ perditione, eos liberare volent, aut valebunt. Sapienter ergo *Eccli.* cap. v, 10 : « Noli, ait, anxius esse in divitiis injustis, » ut eas tibi tuisque per fas et nefas coacerves : « non enim proderunt tibi in die obductionis et vindictæ. » Et *Prov.* XI, 4 : « Non proderunt divitiæ in die ultionis : justitia autem liberabit a morte. » Quanta ergo vanitas, quanta stoliditas, inique congregare ea quæ congreganti exitium et gehennam creent, nec ab ea valeant liberare! Clamat Christus : « Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? » Clamat Psaltes : « Frater (filius, nepos, uxor) non redimit, redimet homo? non dabit Deo placationem pro anima sua. » Epulonem inferno liberare pater Abraham nec voluit, nec valuit : multo minus Lazarus; multo minus divitiæ et deliciæ. Hic est vermis conscientiæ qui damnatos usque ad ossa rodit, et in æternum rodet : Cur, stolide, animam tuam pretiosissimam, æternam, et unicam tam vili pretio, puta terra alba et rubra (non enim aliud est argentum, aurum, divitiæ et deliciæ) dæmoni et inferno vendidisti? cur pro brevi et spurca voluptate æternos et ineluctabiles ignes tibi accersivisti? Poteras iis rite ad Dei nutum et obsequium uti, iisque promereri æternam gloriam, ut inter Angelos et Beatos collocareris : tu iis, stulte, abuti maluisti, ideoque cum dæmonibus et damnatis erit æterna tua sors, ubi « vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur. » Heu! insensate, cur in te adeo fuisti improvidus et crudelis? cur beatitudinem tuam tam vili esca prodegisti? cur æternitatem miserrimam momentanea jucunditate commutasti, tibique comparasti? Quid tibi jam prodest superbia? quid divitiarum jactantia? quid nepotum et familiæ splendor? Transierunt ista velut fumus, velut somnium, velut avis prætervolans, *Sapient.* v, 8.

Vere S. Augustinus : « Avarus, inquit, antequam pecuniam lucretur, seipsum perdit : priusquam aliquid capiat, capitur. » Et H. Pintus hic : Fluvii, inquit, quamvis dulcissimi, cum tandem mare ingrediuntur, fiunt amarissimi. Sic mundi opes et prosperitates, in vitæ cursu, qui instar fluvii præterlabitur, possessores suos oblectant quasi in transcursu; sed in fine dum mare mortis attingunt, quo omnia flumina voluptatum et bonorum hujus vitæ tandem ingrediuntur, tristes amaræ et intolerabiles evadunt. Rursum S. Augustinus in *Psalm.* XXX : Vide, inquit, « ne dum colligis (opes) colligaris : ne forte cum vis esse prædo minoris, sis præda majoris. » Idem alibi : « Avarus utitur Deo, fruitur nummo, » quia Deo servit propter nummum. Et : « Avarus plenam habet arcam, sed inanem conscientiam. » Poetæ avaritiam pinxerunt per Tantalum, quem aiunt damnatum apud inferos, ut in Eridano inferorum stans, nec undis præsentibus, nec vicinis ejus pomariis perfruatur, sed perpetua siti crucietur. Unde Horatius, *satyr.* I : « Quid rides? » o avare, « mutato nomine de te fabula narratur. » Quia enim avari hic jugiter sitiunt opes, hinc in gehenna siti extrema torquentur. Quocirca Plato in *Cratylo* scribit Tantalum dictum esse quasi Ταλάντατον, hoc est *infelicissimum*.

ANIMAM, — appetitum animæ, id est famem suam.

QUIA SCANDALUM INIQUITATIS EORUM FACTUM EST. — Hoc est aurum et opes fuerunt eis occasio avaritiæ, injustitiæ, luxus, ac præsertim idolorum, quæ ex auro conflarunt, *q. d.* Quia aurum rapuerunt, hinc aurum eorum diripietur; quia auro peccarunt, hinc auro punientur, eoque spoliabuntur. Vere dixit Chilo apud Plutarchum in *Apophthegm.* : « Uti aurum probatur lapide, ita homo auro. Sicut enim lydius lapis affrictu prodit quale sit aurum : ita aurum suo attactu probat qualis sit homo, hominisque cupiditas aut continentia, vitium aut virtus. »

20. ORNAMENTUM MONILIUM (monilia, quæ eis dedi in ornamentum, ipsi converterunt in superbiam et fastum, id est in superbum ornatum, tum suum, tum idolorum suorum. Septuaginta vertunt, *electa mundi* (scilicet muliebris : græce enim est κοσμὸς, id est *ornatus*, mundus muliebris. Non ergo mundi, id est orbis, ut intellexit S. Hieronymus) IN SUPERBIAM POSUERUNT, ET IMAGINES (aliqui legunt, *et imaginationes*, id est imagines quas imaginabantur et confingebant) ABOMINATIONUM SUARUM ET SIMULACRORUM (et significat *id est, q. d. Abominationum*, id est *simulacrorum abominandorum*) FECERUNT EX EO. — Sicut enim in Sina vitulum aureum conflarunt ex monilibus suis, *Exodi* XXXII, 2; ita et fecerunt tempore Prophetarum. *Tertio*, pro *ornamentum* hebraice est צבי *tsebi*, id est gloria, decor, ornamentum. Jam, quia gloria Judæorum erat templum; hinc subinde capitur pro templo, imo pro Jerusalem, uti ostendam *Daniel.* VIII, 9. Unde Hebræus et Vatablus vertunt : *Et gloriam ornamenti posuerat* (Deus) *eis in superbiam*, id est dederat eis Deus templum gloriosum et superbum, *sed ipsi fecerunt abominationes suas in eo* : quia idola posuerunt et coluerunt in templo, uti objicit eis Jeremias cap. XXXII, 24. Vers. 20.

ABOMINATIONUM, — idolorum. Ita Theodoretus et Apollinaris.

ILLUD (illa scilicet simulacra ex auro facta dedi eis; vel planius : « illud, » scilicet, « ornamentum monilium » ex quo conflarunt idola : sed eodem redit sensus. Hæc ergo dedi eis, scilicet Judæis) IMMUNDITIAM. — Symmachus, *in nauseam;* Chaldæus, *in contemptum*, ut scilicet *ornamentum monilium*, puta idola ex eo facta, quasi stercora abominentur, cum viderint se propter ea, et cum eis capi. Vide dicta vers. 19.

Vers. 21. 21. IMPIIS. — Septuaginta, *pestilentiis*, id est Babyloniis pestilentissimis, et instar pestis grassantibus. « Quod scimus et a Babyloniis, et a rege Antiocho Cneoque Pompeio, et ad extremum factum esse sub Vespasiano et Tito, quando templum captum atque subversum est, et omnia perpetrata, quæ sequens Prophetæ sermo complectitur, » ait S. Hieronymus.

CONTAMINABUNT, — profanabunt, et quasi profanum rapient quod vos sancte colebatis.

Tropologice, dum peccator opibus, aliisque Dei donis ad superbiam aliaque peccata abutitur, dantur nostræ divitiæ in manus dæmonum, ut eis utantur ad libitum; ac impiis terræ, id est vitiis et peccatis, quæ illa contaminant; ut qui locus debuit esse sanctitatis, fiat locus immunditiæ, juxta illud Evangelii : « Domus Patris mei domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum. »

Vers. 22. 22. AVERTAM FACIEM MEAM AB EIS, — a Judæis.

VIOLABUNT (id est profanabunt) ARCANUM MEUM. — Septuaginta, *visitationem meam*, id est templum, in quo ego populum visito, et ab eo visitor. Chaldæi enim armati et sanguinolenti intrabunt Sancta sanctorum, quæ arcana sunt et abscondita, ibique obvios jugulabunt. Ita Theodoretus.

EMISSARII, — emissi milites. Hebræum פריצים *paritsim*, id est irruptores, grassatores, prædones; Symmachus et Theodotion, *irrumpentes et pestilentes*.

Vers. 23. 23. FAC CONCLUSIONEM, — id est minas omnes et pœnas Jerusalem brevi sermone, qui proxime sequitur vers. 24 et seq., conclude. Chaldæus et recentiores vertunt, *fac catenam;* ut eam scilicet ostendas Judæis, in signum, quod capientur et ligabuntur, uti catenas jussu Dei fecit et gestavit Jeremias, cap. XXVIII, 13. Symmachus et Theodotion vertunt, *fac confixionem;* Septuaginta, φυρμὸν, quod S. Hieronymus vertit, *perturbationem;* Theodoretus, *inquinationem;* apte, ut scilicet terra tot inquinata sanguinibus perturbetur, et inquinetur civium cædibus.

QUONIAM TERRA PLENA EST JUDICIO (id est damnatione) SANGUINUM, — vel sanguinibus judicio injusto ab iis damnatis et effusis, hoc est terra repleta est homicidiis. Ita Hebræi et Chaldæus, ut *judicium* capiatur active. Potest *secundo* capi passive : « judicio sanguinum, » id est sanguinibus et cædibus, ob quas judicandi et damnandi sunt. *Tertio* et optime capias. tam active quam passive; sed ita ut judicium sive damnatio referatur ad ipsos sanguines, hoc est scelera, *q. d.* Sanguines, id est scelera enormia Judææ et Judæorum per se damnata sunt : hinc ipsa, ut testes contra se clamant, ipsa sui judices contra se ferunt sententiam damnationis, dicuntque : Perdamur nos, perdantur nostri auctores, perdatur terra quæ tam impios homines, tamque impia eorum facinora sustinuit. Scelera dant sententiam contra se et sui auctores.

Nota : Quia homicidium enorme est scelus, hinc sanguis, vel effusio sanguinis, significat quævis enormia scelera, uti dixi *Isaiæ* I, 15.

24. SUPERBIAM, — templum magnificum et superbum, quo quasi inexpugnabiles superbiunt et gloriantur, dicentes : « Templum Domini, templum Domini. » Ita Scholiastes. Unde sequitur : « Possidebunt Chaldæi sanctuaria eorum. » *Secundo*, proprie et simpliciter, « superbiam » eorum contundam et dejiciam. Vers. 24.

SANCTUARIA. — Id est sanctuarium, quod tres habebat partes, et quasi tria sanctuaria, scilicet atrium, Sanctum, et Sanctum sanctorum. Alii « sanctuaria, » quæ scilicet suis idolis fabricarunt.

25. ANGUSTIA SUPERVENIENTE. — Chaldæus vertit : *Præcisio venit.* Sic enim Hebræum קפד *kaphad*, vertit Noster, *Isaiæ* XXXVIII, 12. Septuaginta contrarie vertunt : *Misericordia veniet.* Vers. 25.

REQUIRENT PACEM, — et prece et pretio a Babyloniis, sed non erit qui concedat. Hoc est quod ait Jeremias, cap. XIV, 19 : « Exspectavimus pacem, et non est bonum; et tempus curationis, et ecce turbatio. » Vide ut Ezechiel confirmet oracula Jeremiæ, adeo ut iidem cum eo verbis et sententiis utatur, idque crebro.

26. CONTURBATIO SUPER CONTURBATIONEM, — id est, ut Chaldæus : *Contritio super contritionem;* Septuaginta : *Væ super væ;* R. Salomon : *Casus super casum;* Vatablus : *Calamitas una super aliam veniet.* Vers. 26.

ET AUDITUS. — Id est rumor et nuntius malus de adventu et crudelitate hostium, unus super alium adveniet. Idem prædixit Jeremias cap. L, 46.

QUÆRENT VISIONEM, — prophetiam, quomodo possint cladem evadere, et non invenient. Idem prædixit Isaias cap. III, 1 et 2, et factum impletumque narrat Daniel, cap. III, 38.

LEX, — interpretatio legis : Chaldæus, *doctrina*, *q. d.* Non erunt docti sacerdotes et senes, qui possint sua sapientia cladem avertere, vel dare consilium evadendi.

27. REX LUGEBIT. — Hebraice יתאבל *iitabbal*, id est luctu se conficiet. Vers. 27.

INDUETUR MOERORE, — pallio mœroris; hebraice est שממרה *scemama*, id est stupore, *q. d.* Opplebitur tristitia ad stuporem, ut præ vehementia doloris, videatur esse stupidus, attonitus, et emotæ mentis.

MANUS POPULI TERRÆ CONTURBABUNTUR. — Septuaginta, *dissolventur*, non habebunt vires, nec animum pugnandi pro patria, rebus desperatis, *q. d.* Omnes Judæi, tam nobiles quam plebeii, lugebunt, omnes obstupescent, omnes exanimabuntur præ metu et pavore.

SECUNDUM VIAM, — secundum actiones et scelera eorum.

SECUNDUM JUDICIA. — Secundum merita, secundum quæ judicatur et fertur sententia. Unde Vatablus exponit, *q. d. Pro ratione delictorum, quibus morte digni sunt;* vel potius : *Secundum judicia,* etc., *q. d.* Eo modo quo judicarunt alios, et ego judicabo ipsos : eo modo quo judicantes fecerunt aliis, et ego faciam eis. Oppresserunt pauperes, opprimentur et ipsi; non audierunt, non audientur ipsi; repulerunt legem, et repellentur; occiderunt, occidentur. Ita Prado. Hæc enim est justa talionis lex, uti ostendi *Exodi*, cap. XXI, 23 : « Animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, » etc. Item illa *Genes.* IX, lata a Deo mox a diluvio : « Quicumque effuderit humanum sanguinem, effundetur sanguis illius. » Ita fratres, qui Joseph vinculis et captivitati tradiderant, ab eodem juste pari carceri mancipati sunt, *Genes.* cap. XLII, 16 et 17. Simile, sed illustrius fuit exemplum S. Ephrem, quod ibidem recensui. Ita Judæi, qui Christum, quasi agnum paschalem in Paschate occiderunt, pariter a Tito in Paschate capta Jerusalem, quasi paschales victimæ divinæ justitiæ mactati et occisi sunt; imo justa Dei vindicta factum est ut, sicuti ipsi Christum corona spinea coronatum, chlamyde purpurea indutum, et arundine quasi sceptro insignitum salutantes : « Ave, rex Judæorum, » illuserant : ita et paulo post eorum rex Agrippa, Alexandriæ licet absens, per comœdum, qui ejus personam sustinebat, publice in theatro per ludibrium, eodem prorsus modo quo Christus coronaretur et illuderetur, uti narrat Philo in *Flaccum*.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ezechiel in Babylone existens, videt Deum specie illa viri, qua viderat eumdem cap. I, *vers.* 27, *ab eoque ejusque manu, in spiritu rapitur in Jerusalem, ibique videt idololatriam, et abominationes quadruplices, quæ fiebant in templo : scilicet vers.* 5, *videt idolum zeli, id est Baal; vers.* 10, *videt depicta idola in exedris, ac sacerdotes eis thurificantes; vers.* 14, *videt mulieres plangentes Adonidem; vers.* 16, *videt sacerdotes obvertentes terga Sancto sanctorum, adorare solem orientem. Quocirca vers.* 18, *minatur Deus eis suum furorem et vindictam. Hinc patet Judæos, instante excidio, adhuc idola coluisse, idque in templo ipso Dei* (1).

1. Et factum est in anno sexto, in sexto mense, in quinta mensis : ego sedebam in domo mea, et senes Juda sedebant coram me, et cecidit ibi super me manus Domini Dei. 2. Et vidi, et ecce similitudo quasi aspectus ignis : ab aspectu lumborum ejus, et deorsum, ignis; et a lumbis ejus, et sursum, quasi aspectus splendoris, ut visio electri. 3. Et emissa similitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei : et elevavit me spiritus inter terram et cœlum : et adduxit me in Jerusalem in visione Dei, juxta ostium interius, quod respiciebat ad aquilonem, ubi erat statutum idolum zeli ad provocandam æmulationem. 4. Et ecce ibi gloria Dei Israel, secundum visionem quam videram in campo. 5. Et dixit ad me : Fili hominis, leva oculos tuos ad viam aquilonis. Et levavi oculos meos ad viam aquilonis; et ecce ab aquilone portæ altaris, idolum zeli in ipso introitu. 6. Et dixit ad me : Fili hominis, putasne, vides tu quid isti faciunt, abominationes magnas, quas domus Israel facit hic, ut procul recedam a sanctuario meo? et adhuc conversus videbis abominationes majores. 7. Et introduxit me ad ostium atrii; et vidi, et ecce foramen unum in pariete. 8. Et dixit ad me : Fili hominis, fode parietem. Et cum fodissem parietem, apparuit ostium unum. 9. Et dixit ad me : Ingredere, et vide abominationes pessimas, quas isti faciunt hic. 10. Et ingressus vidi, et ecce omnis similitudo reptilium et animalium, abominatio, et universa idola domus Israel depicta erant

(1) A cap. VIII ad cap. XX, narrantur visiones et prophetiæ objectæ, vel divinitus inspiratæ anno post institutionem propheticam. Et PRIMO quidem, a cap. VIII ad XI visiones pertinentes ad templum et urbem; SECUNDO, a cap. XII ad XV, prophetiæ pertinentes ad inhabitantes Hierosolymam; TERTIO, a cap. XVI ad XIX, prophetiæ pertinentes ad regnum universum.

In capite VIII, describitur prima visio Ezechieli divi-

in pariete in circuitu per totum. 11. Et septuaginta viri de senioribus domus Israel, et Jezonias filius Saphan stabat in medio eorum, stantium ante picturas : et unusquisque habebat thuribulum in manu sua : et vapor nebulæ de thure consurgebat. 12. Et dixit ad me : Certe vides, fili hominis, quæ seniores domus Israel faciunt in tenebris, unusquisque in abscondito cubiculi sui; dicunt enim : Non videt Dominus nos, dereliquit Dominus terram. 13. Et dixit ad me : Adhuc conversus videbis abominationes majores, quas isti faciunt. 14. Et introduxit me per ostium portæ domus Domini, quod respiciebat ad aquilonem : et ecce ibi mulieres sedebant plangentes Adonidem. 15. Et dixit ad me : Certe vidisti, fili hominis : adhuc conversus videbis abominationes majores his. 16. Et introduxit me in atrium domus Domini interius : et ecce in ostio templi Domini inter vestibulum et altare, quasi viginti quinque viri, dorsa habentes contra templum Domini, et facies ad Orientem : et adorabant ad ortum solis. 17. Et dixit ad me : Certe vidisti, fili hominis : numquid leve est hoc domui Juda, ut facerent abominationes istas, quas fecerunt hic : quia replentes terram iniquitate conversi sunt ad irritandum me? et ecce applicant ramum ad nares suas. 18. Ergo et ego faciam in furore : non parcet oculus meus, nec miserebor : et cum clamaverint ad aures meas voce magna, non exaudiam eos.

1. ANNO SEXTO (a transmigratione Joachin, ut patet ex cap. I, vers. 2), SEXTO MENSE,— Elul, qui respondet nostro augusto. Nota : Hanc visionem habuit Ezechiel post 430 dies decubitus atque jejunii, ut dixi cap. IV, sub finem : hisce enim diebus, puta per annum integrum et duos menses, scilicet a 13 die mensis 4 anni 5, usque ad quintam diem mensis 6, anni 6, Propheta siluit, et silens edoctus fuit a Deo. Nunc igitur e schola quasi Dei educitur, ut, quæ a Deo didicit, alios doceat; prius tamen in spiritu, ait S. Hieronymus, Hierosolymam rapitur, ut videat abominationes quæ in templo fiebant, quæque fuerunt causa excidii Judæorum (1).

CECIDIT (quasi fulgur efficax et penetrans) SUPER ME MANUS DOMINI,— id est virtus, operatio, illuminatio Domini, id est, ut Chaldæus, spiritus prophetiæ, ac præsertim visio gloriæ Domini in curru Cherubim.

2. SIMILITUDO. — Septuaginta, *similitudo viri*. Vidit ergo hic Propheta, ut et cap. I, vers. 27, virum a lumbis deorsum ignitum et flammantem, quasi in camino ignis; a lumbis vero sursum splendentem quasi aurum, scilicet quasi electrum, id est aurichalcum. Color hic aureus significat amorem ingentem Dei : caminus ignis zelum et indignationem ejusdem, quod sponsa, id est plebs Israel, sibi præferat Baal. Unde hoc ejus idolum vocatur «zeli,» quia Deum ad æmulationem provocabat. Pulchras hic antitheses dilectionis et æmulationis habet noster Prado, quem vide, si lubet.

QUASI ASPECTUS SPLENDORIS. — Theodotion Hebræum זֹהַר *zohar*, id est *splendor*, vertit, *auram*; «ut in supernis Dei refrigeria demonstret. Sic III *Reg.* XIX : Elias adventum Domini non in tempestate contemplatur et turbine, non in ignis ardoribus, sed in aspectu auræ tenuis atque levissimæ, ut Dei omnipotentis mansuetudinem comprobaret,» ait S. Hieronymus.

3. ET EMISSA SIMILITUDO MANUS. — Hebraice, *et emisit* vel *extendit*, scilicet species illa hominis, puta homo electrinus mihi in spiritu apparens, *similitudinem manus*, quæ me per crines apprehenderet et transferret in Jerusalem. Ita Septuaginta, Vatablus et alii.

CINCINNO. — Septuaginta transtulerunt. κράσπεδον, «i. e. quorum alterum *fimbriam*, in capillis, alterum in vestibus accipi solet,» ait S. Hieronymus.

ET ELEVAVIT ME SPIRITUS INTER TERRAM ET COELUM, — videbar mihi quasi avis aerem secare, et per eum vehi a spiritu manus et hominis mihi apparentis.

Moraliter, talis est Sanctus, præsertim Religiosus et contemplativus. Nam, ut ait S. Gregorius, lib. XXXI *Moral.* cap. VII : «Quilibet sanctus in carne mortali positus, inter cœlum et terram est constitutus; quia plene quidem adhuc ad superna non pervenit, sed jam tamen ima dereliquit.» Nam, ut ait Apostolus, *Philip.* III : «Nostra conversatio in cœlis est,» *q. d.* Vitam quidem in terris agimus per carnem, sed per desiderium et affectum in cœlo conversamur. Porro ad hoc rapitur cincinno. «Quid est, ait S. Gregorius ibidem, cincinnus capitis, nisi collectæ cogitationes mentis, ut non sparsæ diffluant, sed per disciplinam districtæ subsistant? Manus ergo desuper mittitur, et Propheta per cincinnum capitis elevatur; quia, cum nostra mens sese per custodiam colli-

nitus objecta, ut videre est in synopsi supra posita, et in cap. IX eidem denuntiatur actio judicialis præsidis divini ad iram concitati.

(1) «Et sedes Juda sedebant coram me.» Sedebat Prophéta in domo sua fugiens frequentiam multitudinis, et senes Juda sedebant coram eo, vel Prophetæ verba audire cupientes, vel insidiantes sermonibus ejus, significanterque dicuntur senes *Juda*, ut nihil ad Israel, hoc est ad decem tribus, quæ prius captæ fuerant, sed ad eos qui de tribu Juda cum Jechonia ducti erant in captivitatem, dici intelligamus.» (S. Hieronymus.)

git, vis superna seorsum nos ab infimis trahit. »

IN VISIONE. — Hinc et vers. 1, patet Ezechielem non corpore, sed spiritu vidisse, cum domi sederet inter senes Juda vers. 1.

JUXTA OSTIUM INTERIUS. — Hebraice, *ad ostium portæ interioris*, supple, atrii templi; atrium enim vocabatur interius, non porta, III *Reg.* VI, 36. Porro atrium interius erat atrium sacerdotum, in quo erat altare holocaustorum. Dicitur « interius, » respectu exterioris, quod erat quasi templum laicorum. « Quod, » scilicet ostium, non atrium, « respiciebat ad aquilonem. » Nam in atrio, ad quatuor mundi plagas erant ostia (1).

Idolum zeli, quod?

IDOLUM ZELI AD PROVOCANDAM ÆMULATIONEM. — Syrus, *statua zeli* (æmulationis, indignationis); Arabicus Antiochenus, *statua indignans* (furens) *zelo indignans*, in significatione *hiphil*, i. e. indignari faciens, ad indignationem provocans Deum, angelos et homines. Potest ex Hebræo verti : *Idolum zeli possidentis*, vel possessoris. Ita Septuaginta;

Baal, id est dominus.

hoc est Baal. Baal enim hebraice significat possidentem, herum, dominum : inde idolum vocabant Baal, quasi deum omnium dominum et possessorem (2). Noster pro *possidentis* vertit, *provocuntis* (sic Chaldæus et Vatablus) vel *ad provocandam æmulationem* (quia Hebræum קנא *kana* per *aleph* significat æmulari; per *he* קנה possidere : licet ergo hic sit per *he*, tamen Noster *he* pro *aleph* accepit, quia Hebræi sæpe commutant *aleph* et *he*), *q. d. Idolum zeli zelare me faciens.* Alii vertunt, *idolum accensionis*, vel *irritationis*. Hinc Deus dicitur zelotes : quia non patitur alienos deos a se amari, coli, adorari : sicut uxor marito movet zelotypiam, si ipsa alium amet. Hinc proverbium : « Qui non zelat, non amat; » quod citat S. Augustinus, lib. *Contra Adimantum*, cap. XIII. Ita Polychronius, S. Hieronymus et Theodoretus. Unde Isaias, cap. XXVIII, vers. 20, ait : « Coangustatum est stratum, ita ut alter decidat, et pallium breve utrumque operire non potest; » et Apostolus, II *Cor.* VI, 16 : « Quæ conventio Christi ad Belial? »

Nota Manassen in templo posuisse idolum Baal : hoc abstulit Josias, II *Paral.* XXXIV, 4, sed repositum esse sub Joakim et Sedecia, patet IV *Reg.* XXIII, 37, II *Paral.* XXXVI, 14. Porro hoc idolum positum fuit in aquilonari parte templi, *primo*, quia ea parte acclivi, facilius adibatur templum; *secundo*, quia in ea regione offerebantur victimæ et holocausta. Ita Prado.

Moraliter, idolum zeli, id est honor, avari nummus, gulosi venter.

Moraliter, « idolum zeli » est in cupido pecunia et avaritia, quæ est idolorum servitus, ut ait Apostolus : in ambitioso, honor et celsitudo; in ebrioso, vinum; in obsceno, amasia; in hæretico, proprium judicium et hæresis, ait S. Hieronymus. Hæc enim sunt εἴδωλα, id est res vanæ et umbraticæ, quas quisque sibi pro summo bono, ac consequenter pro Deo format, et in mente fingit, quibus Deum ad zelum et iram provocat, ejusque indignationem, et pœnas tum præsentes, tum æternas, sibi accersit. Ita hoc ipso anno 1618, videmus Bohemos, dum ab una unius Dei et Ecclesiæ fide, et consequenter ab uno suo principe et rege abeunt, eique rebellant, ut sua Wiclephi et Hus idola tueantur, suam famam, opes et vitam prædæ exposuisse, et difficultatibus inextricabilibus sese implicuisse. Similiter Calvinistas in Hollandia, dum ab unitate fidei suique principis discedunt, hoc eodem anno cernimus in sectas et schismata implacabilia devolvi, quæ nisi alterutrius partis internecione nunquam sopientur : nimirum reipsa monet eos Deus, ut ad unitatem pristinam, ad Deum, inquam, et Ecclesiam redeant, si pacem, si salutem præsentem et æternam consequi velint. Eleganter Poeta :

Lurconi venter deus est, ac nummus avaro,
Et cui sunt Veneris gaudia prima, Venus.
Huic honor, et vero deus est pro Numine fama,
Quem famæ exstimulat non satianda fames.
Cui nimio Christus studii vilescit amore,
An non is studium Numinis instar habet?

Ita Alexandro Magno idolum fuit gloria : huic ipse servivit, hujus se fecit mancipium. Cui proinde jure Brachmanes philosophica libertate scripserunt : « Tu hostes exteriores exspolias, ut interiores nutrias : tu homines tuæ servituti subjicis, et intus tuis appetitibus servis. » Ita Curtius et Plutarchus in *Alexandro*.

Porro, zelatur Deus pro sua deitate, nec patitur rivalem; quia, si plures essent dii, divinitas,

(1) Prophèta non delatus est intra atrium ad hanc portam, inquit Lightfoot, *Descript. Templi*, in *Opp.* tom. I, pag. 620, sed positus est extra, atque ibi jussus est septentrionem versus respicere. Hæc porta erat *inferior septentrionalis*, dicta etiam (vers. 5) *porta altaris*, quod e regione ejus sita esset; superior vero porta septentrionalis, cap. IX, 2, infra vers. 14, *porta ædis Domini* dicitur, quod ipsi ædificio templi opposita esset.

(2) Eo nomine, inquit idem Lightfoot, primum fuisse omnium rerum creatorem designatum merito sentias; cum et aliis vocibus ejusdem fere significationis, et ab Hebræis, Arabibus et Græcis id quod proprium Dei Optimi Maximi nomen habetur antiquitus data opera explicatum sæpissime legamus. Tetragrammatum enim nomen יהוה redditur a Septuaginta Ἀδωναὶ aut Κύριος, hoc est *Dominus;* et quam convenire potuerit τοῦ Baal nomen Deo vero, satis monstrat, *Osee*, II, 18 : *Tunc me vocabis* אישי *ischi, maritus meus, nec amplius me vocabis* בעלי *baali, dominus meus.* Populus Dei *Baalem suum* pie satis eum vocabant, priusquam ob vocem illam ad profana numina frequenter nimis traductam, id ipsum ipse Deus vetaret, Seldenus. *De Diis Syris*, synt. II, cap. I, pag. 195 et seq.; cf. Ursini *Analecta*, vol. II, lib. II, cap. XIII, pag. 61 et seq.; Dei veri effigiem aliquam significari, J. D. Michaelis in notis translationi teutonicæ subjectis, inde colligit, quod ea quæ postea commemorantur, superstitiosi cultus genera, hoc primo pejora dicuntur. Sed, ut recte advertit Rosenmuller, veri Dei simulacrum aliquod nusquam in veteri Testamento commemoratum legimus. Quemadmodum autem cæteri, qui hoc capite recensentur, ritus superstitiosi e populorum barbarorum religionibus sunt petiti, ita et eam, quæ hic innuitur, statuam, falsi alicujus dei a populo aliquo vicino culti effigiem fuisse credibile est.

tatis est, ut sit una cur?

quæ est una et indivisibilis, in plures esset dividenda, atque ita divinitas mutilaretur, ac consequenter e mundo tolleretur. Docte Prudentius lib. II *Contra Symmachum* :

> Tu, me præterito, meditaris Numina mille,
> Ut me per partes minuas, cui nulla recidi
> Pars aut forma potest, quia sum substantia simplex.

Hinc Pythagoras principiorum monada censuit esse Deum, qui bonum quoque, quæ est unius natura, sit, mensque ipsa. Socrates et Plato, unum unigenitum suapte ipsum sponte natum, singulare, verum germanumque bonum, puta Deum, esse arbitrati sunt.

Lactantius, lib. I, cap. XXX : « Deus, ait, quia perfectus est, non potest esse nisi unus, ut in eo sint omnia. Quidquid enim capit divisionem, et interitum capiat necesse est. » Aristoteles, lib. VIII *Physicorum*, docet omnem motum ad aliquod primum movens esse referendum, ne sit progressus in infinitum : hoc ergo primum esse et unum, puta Deum. Vide dicta *Deuter.* VI, 4.

Quocirca merito queritur Deus, *Deuter.* XXXII, 21 : « Ipsi me provocaverunt ad zelum in eo qui non erat Deus ; et ego provocabo eos ad zelum in gente quæ non est, » uti legit S. Hieronymus. Atque hac de causa flagrans amore, æque ac cognitione Dei, Deique zelum hunc induens S. Augustinus dicebat : « Domine, valde exsultat anima mea, dum cogitat quod tu sis Deus. Verum, si per impossibile fieri posset, ut Augustinus esset Deus, et tu esses Augustinus; omnino vellem esse Augustinus, ut tu esses Deus. » Hæc sententia a nostro P. Ribadeneira in *Vita S. Augustini*, P. Rossignolio, lib. V *De Perfect. Christ.* cap. XX, et ab aliis pluribus, quos citat et laudat R. P. Cornelius Lancillotus S. Theologiæ Doctor, et Ordinis Eremitarum S. Augustini per Belgium Provincialis in *Vita S. Augustini*, lib. III, cap. XLII, tribuitur S. Augustino, licet eam hactenus in libris S. Augustini non invenerim. Quæ ut sana sit, sane debet intelligi, non de mutatione personæ in personam, aut substantiæ in substantiam : si enim sic accipiantur, absurde sonare videntur. Si enim Deus mutaretur in substantiam Augustini, prorsus desineret esse Deus, et inciperet esse alia persona et substantia, scilicet Augustini. Vicissim, si Augustinus mutaretur in substantiam Dei, desineret esse Augustinus, et inciperet esse Deus; ac consequenter ipse a seipso, et a quovis alio super omnia amandus esset, illiusque Esse et conservatio cuivis alterius rei Esse, utpote creato et finito, præponendum esset. Intelligi ergo hæc sententia debet de mutatione status in statum, sive de mutatione conditionum, dotum et qualitatum, salva utriusque natura et persona, *q. d.* Si per impossibile fieri posset, ut Augustinus manens in substantia et persona Augustinus, dotes tamen et excellentias Dei consequi posset, v. g. sapientiam, potentiam, gloriam et honorem Dei, ita ut ab omnibus haberetur Deus : vicissim, si vice versa per impossibile fieri posset, ut Deus manens in sua natura, descenderet ad statum, abjectionem et infirmitates Augustini, si indueret formam et speciem Augustini, ut ab omnibus haberetur Augustinus; ego dicerem : Domine, esto tu Deus sicut hactenus fuisti, omnipotens, omniscius, gloriosus : ego vero sim Augustinus, miser, abjectus, inglorius, ignorans, infirmus, qui ante fui. Tuæ enim naturæ, id est divinitati, debentur istæ dotes et excellentiæ; meæ vero naturæ debetur ista subjectio, infirmitas et miseriæ. Tibi ergo quasi Deo meo, opto et transcribo omne bonum tuum, nec mihi illud cupio, sed tibi : tu enim es Deus meus, amor meus, bonum meum orbisque universi, et omnia.

Si Deus esset Augustinus, dicerem : *Esto tu Deus, ego sim Augustinus*, quo sensu?

4. IN CAMPO, — *q. d.* Visio mihi ostensa, similis fuit illi quam vidi, cum Dominus e Chobar me educeret in campum, cap. III, 22. Vidit hic Propheta gloriam Dei in templo, quasi abiturientem, et transmigrare parantem, utpote polluto ob tot idola et scelera in eo admissa, ut patebit cap. X et XI.

5. PORTÆ ALTARIS. — Sic dicta ab altari idoli, vel potius, quia IV *Reg.* XVI, 14, Achaz transtulit altare Salomonis a medio atrii ad portam aquilonarem, quæ inde dicta est porta altaris. Ita Prado.

6. PUTASNE, VIDES TU QUID ISTI FACIUNT? — Hebraice, *an vides*, *q. d.* Putasne te videre omnes abominationes Israel? Si id putas, falleris. Nam plures majoresque mox tibi ostendam.

UT (*ita ut* : significat enim non causam, sed consequentiam) PROCUL RECEDAM (hebraice, *ad recedendum* : quod Septuaginta referunt ad populum; vertunt enim, *ut recedant ipsi*, scilicet Judæi) A SANCTUARIO MEO, — scilicet sacrificiis et cultu, ad cultum suorum idolorum. Melius S. Hieronymus refert ad Deum, *q. d.* Ipsi me suis sceleribus templo abigunt, et cogunt recedere, introducto Baal. Ita et Chaldæus et Hebræi.

7. OSTIUM, — non templi, sed gazophylacii, sive cubiculi sacerdotum, patet vers. 12. Talia enim cubicula plura erant in atrio sacerdotum prope Sanctum, sive templum, in quibus manebant sacerdotes : quæ nunc vocantur exedræ, nunc gazophylacia, nunc pastophoria. Unde patet scelus hoc idololatriæ fuisse sacerdotum, qui populum Dei legem et cultum docere debebant, nunc autem ipsimet pro Deo colebant idola. Grave ergo fuit hoc eorum peccatum, quod Dei zelum et indignationem concitavit ad totius gentis excidium. Grave, inquam, *primo*, quia erat contra religionem, et directe contra Deum, petebatque quasi jugulum Dei. *Secundo*, quia erat profanatio loci sanctissimi, puta domus Dei. Erat ergo crimen læsæ majestatis divinæ. Quocirca Isaias, cap. XXVI, 10 : « In terra, ait, sanctorum iniqua gessit; et, » id est idcirco, « non videbit glo- Vers. 7.

riam Domini. » *Tertio*, quia peccata sacerdotum inficiunt totum populum : sicut si cor aut cerebrum veneno aut peste corripiatur, mox ab iis lues per totum corpus diffunditur. Quocirca S. Chrysostomus, homil. 28 *in Matth.*, quærens causam, cur Christus ingressus Jerusalem, primo templum adierit, hanc dat : Sicut medicus, inquit, invisens ægrum, primo quærit de stomacho, eumque mox componere satagit : quia, eo sanato, sanabitur totum corpus : ita si sacerdotium integrum fuerit, tota Ecclesia floret ; si autem corruptum, fides omnium languescit et marcescit. Additque : Agricola cernens arborem pallentibus foliis, mox cognoscit in radicibus hærere læsuram : sic tu si videris populum indisciplinatum, sine dubio cognosces sacerdotium ejus non esse sanum. Quis enim non putet sibi licitum, imo bonum et religiosum, quod sacerdotibus licere et libere videt? Ita sub Jove adultero adulteria libertatem sunt nacta, ait Nazianzenus orat. 1 *Contra Julianum*, et, ut ait S. Cyprianus *epist.* 32 : « Deos suos imitantur : denique fiunt miseris et religiosa delicta. »

Vers. 8. 8. FODE PARIETEM. — Hinc liquet ostium hoc fuisse cubiculi, non atrii. Mystice, pulchre hinc docet S. Gregorius, II part. *Pastor.* cap. x, quomodo prælati debeant scrutari conscientias subditorum, eorumque peccata, etiam secreta, solerter indagare, castigare et emendare.

Vers. 10. 10. IDOLA DOMUS ISRAEL DEPICTA. — Censet Maldonatus non vere fuisse depicta idola, sed quasi depicta objici phantasiæ Ezechielis, ut per hoc significetur symbolice, Judæos extrinsecus Deum colere ; in cubiculo vero, id est intrinsecus et in occulto ; idola. Verum ad litteram repræsentari hic Prophetæ idola, quæ realiter in templo depicta erant, verius est ; et liquet ex dictis cap. v, 11, et *Jerem.* cap. VII, 30, et cap. XXXII, 34 (1).

Vers. 11. 11. ET SEPTUAGINTA VIRI DE SENIORIBUS. — Videntur hi 70 fuisse senatores concilii Sanedrim : hoc enim erat 70 virorum, eratque summus hic Judæorum senatus, qui Christum ad mortem damnavit, uti docui *Num.* XI, 16.

JEZONIAS FILIUS SAPHAN. — Polychronius putat esse Sophoniam sacerdotem, qui datus fuit quasi judex *Jeremiæ* cap. XXIX, 25.

(1) Hoc versu et duobus qui proxime sequuntur, Ægyptiacum animalium cultum describi, ostendit Warburton in opere quo *divinam Mosis legationem demonstravit*, vol. IV, pag. 18 ; cf. P. E. Jablonskii, *Pantheon Ægyptiorum*, vol. III, *Prolegomen.* pag. 84 et seq. Quod vates noster superstitiosi hujus cultus ritus a proceribus Israelitarum in conclavibus abstrusis, in quorum parietibus animalium imagines essent depictæ, et quidem in tenebris, locis quasi subterraneis peractos memorat, plane convenit cum his quæ Ammianus Marcellinus, lib. XXIII, cap. *De Ægyptiorum sacris*, narrat : « Sunt et syringes subterranei quidam et flexuosi secessus, quos, ut fertur, periti rituum vetustorum penitus operosis digestos fodinis per loca diversa struxerunt, et excisis parietibus, volucrum ferarumque genera multa sculpserunt, quas hieroglyphicas litteras appellarunt. »

STANTIUM ANTE PICTURAS. — Stantes ergo orabant Judæi, ut et Pharisæus « stans hæc apud se orabat, » *Luc.* XVIII, 11.

12. IN ABSCONDITO CUBICULI SUI. — Hebraice, *in penetralibus picturæ suæ*, id est in cubiculis suis egregie pictis, et plenis idolorum picturis. Sic tropologice peccator in mente depingit imaginem scorti, Bacchi, etc., Sanctus vero Dei, angelorum et virtutum. Vide S. Gregorium II part. *Pastor.* cap. x. Hæc Ezechiel suis sui ævi, nos cum S. Cypriano, lib. II, *epist.* 2, eadem et plura ac graviora nostris nostri ævi dicere possumus : « Paulisper, inquit Cyprianus, te crede subduci in montis ardui verticem celsiorem, speculare inde rerum infra te jacentium facies, et oculis in diversa porrectis, ipse a terrenis contactibus liber fluctuantis mundi turbines intuere. Jam sæculi et ipse misereberis, tuique admonitus et plus in Deum gratus, majore lætitia, quod evaseris, gratulaberis. Cerne tu itinera latronibus clausa, maria obsessa prædonibus, cruento horrore castrorum bella ubique divisa ; madet orbis mutuo sanguine. » Et inferius : « O si et possis in illa sublimi specula constitutus oculos tuos inserere secretis, recludere cubiculorum obductas fores, et ad conscientiam luminum penetralia occulta reserare : aspicias ab impudicis geri, quod nec aspicere possit frons pudica : videas, quod crimen sit et videre : videas quod vitiorum furore dementes gessisse se negant, et gerere festinant : libidinibus insanis in viros viri proruunt. Fiunt quæ nec ipsis, nec illis possunt placere, qui faciunt. Idem in publico accusatores, in occulto rei, in semetipsos censores pariter et nocentes. Damnant foris quod intus operantur : quorum quo secretior culpa, major audacia est, » etc.

NON VIDET DOMINUS. — Putant impii et athei, Deum in tenebris, et locis abditis, multo magis in corde et anima, non videre sua scelera, quia putant se a Deo non inspici, ait Theodoretus. Hinc ruunt in scelerum abyssum.

13. CONVERSUS VIDEBIS, — iterum videbis. Verbum hebræum שוב *scab*, id est reverti, converti, si alteri verbo jungatur, significat *rursus, iterum.* Simile est vers. 15, 17, et alibi.

14. INTRODUXIT ME PER OSTIUM PORTÆ (*q. d.* Duxit me ad portam atrii exterioris : ibi enim erant mulieres et laici, non in interiori atrio), QUOD RESPICIEBAT AD AQUILONEM.

PLANGENTES ADONIDEM. — Syrus, *plangentes Tomuzo* ; Arabicus Alexandrinus, *plangentes Tamuza* ; retinent Hebræi vocem *Tammuz*, id est Adonis, de quo mox. Perperam Arabicus Antiochenus vertit : *Plangentes Judam.* Vetus fabula est Ægypti, de qua Macrobius lib. I *Saturn.* cap. XXVI, Theocritus in *Idyllio* XXIII, Ovidius X *Metamorph.*, Fulgentius III *Mythol.*, Adonidem filium Cinaræ Cypriorum regis, Veneris amasium, cum juvenis esset pulcher, dente apri occisum, quem Venus planxit quasi mortuum, mox reviviscentem cum

gaudio recepit. « Pingitur Adonis, ait Macrobius, capite obnupto, specie tristi, faciem manu læva intra amictum sustinens, lacrymæ visione conspicientium manare creduntur. » Feminæ ergo, et viri libidinosi, hoc planctu Venerem colebant, eamque sibi reddebant propitiam. Ita S. Hieronymus. Porro Venus Adonim inter lactucæ folia sepelivit, de quo exstat viri docti epigramma apud Giraldum, *syntag.* 13 :

Inguina dente fero suffossum Cypris Adonim
Lactucæ foliis condidit exanimem.
Hinc genitali arvo tantum lactuca resistit,
Quantum eruca salax vix stimulare potest.

Lactuca enim libidinem sua frigiditate enervat. Quocirca Hercules, teste Hesychio, cum primum Adonim vidisset, dixit οὐδὲν ἱερὸν, *nihil sacrum.* Hujus fabulæ veritatem sic explicant Macrobius et alii. Adonis est sol, aiunt Ægyptii, aper lutulentus et cœnosus est hiems, Venus est pulchritudo terræ in vere, quæ deplorat solis absentiam per hiemem : nam cum sol excipitur a nubibus, quasi confici videtur ab apro pulcher Adonis : hinc gaudet, cum in vere redit sol. Unde Adonis dictus est ἀπὸ τοῦ ᾄδειν τοῖς ἀνθρώποις, id est *ab eo quod hominibus canat*, ait Phornutus apud Giraldum, syntagmat. 13 *De Diis Gentium.*

Quod symbolice et tropologice explicans S. Hieronymus : « Nos quoque, ait, eos qui ad sæculi mala vel bona contristantur vel exsultant, mulieres appellemus, molli et effeminato animo, dicamusque eos plangere Tammus, ea videlicet quæ in rebus mundi putantur esse pulcherrima. » Unde et « Adonidis horti » proverbialiter significant res ad modicum florentes et oblectantes, sed mox pereuntes et evanescentes. Ex adverso alii nonnulli sat congrue hæc mystice adaptant Christo morienti et resurgenti ; Christus enim est noster Adonis, noster sol, nostrum gaudium, noster amor. Unde ejus mortem mire luxerunt B. Virgo, Maria Magdalene, Salome, aliæque piæ mulieres, eamque quotannis luget tota Ecclesia in Parasceve; imo quotidie in Missa, et in meridie pulsu lugubri campanarum. Et quælibet anima pia et sancta per omnem vitam assidue hunc suum Adonidem, quasi sponsum, in cruce contemplatur, luget et admiratur : ac resurgentem nova exsultatione et jubilo complectitur.

Hebraice, chaldaice et syre dicitur *Tammus*, id est *Junius*, quia in junio dicitur occisus Adonis. Hinc eodem mense, anniversariam ei celebrabant solemnitatem, in qua quasi mortuus plangebatur, et mox quasi reviviscens canebatur et laudabatur. Ita S. Hieronymus. Addunt R. Salomon et R. David *Tammus* fuisse idolum concavum, cujus oculos plumbo implebant, quod accenso intus igne, liquefiebat, et imago videbatur flere. Verum non imago, sed colentes eam flebant et plangebant, ut hic dicitur. Noster Prado putat Adonidem esse Osirim regem et deum Ægypti. Sic et Stephanus, lib. *De Urbibus*. Adduntque : Adonis idem est quod εἰδὸς ὀδύνης, id est *forma doloris*, luctus et planctus, quo nomine Syrophanes apud Fulgentium, lib. I *Mythologiæ*, vocavit idolum filii sui mortui, cujus mortem deplorabat; quod idolum Prado censet fuisse omnium primum in mundo, esseque illud idem, quod Sapiens describit cap. XIV, 12, quod ibidem examinandum erit. Verum potius ab Hebræo Adonai, nomen Adonis Ægyptios, uti et alia, accepisse crediderim, quam a Græcis, cum hi ab Ægyptiis suam sapientiam et sacra hauserint. Hebraice enim אדני אוני *Adonai oni* idem est quod Dominus vel Deus doloris, qualis erat Adonis. Sic Benjamin dictus est *Ben oni*, id est filius doloris.

Denique R. Moses, filius Maimon, in lib. *More*, refert historiam de pseudopropheta idololatra, cui nomen *Tammus*, qui cum regi cuidam persuasisset ut faceret septem stellas, et duodecim signa, ab eo interfectus est. Ob cujus mortem omnia mundi idola congregata sunt in templum Babel, ad auream solis imaginem, quæ inter cœlum et terram suspensa erat : ea deinde in medio templi corruit. Omnia ergo idola stantia in circuitu fleverunt tota nocte, et proxima luce avolarunt inde in sua templa. Inde mos natus est, ut anniversario mortis ejus die, mulieres eum deflerent. Verum hæc est fabula a Rabbino quopiam de more conficta.

16. IN ATRIUM DOMUS DOMINI INTERIUS, — in atrium sacerdotum,

ET ALTARE — holocaustorum, quod erat ante templum seu Sanctum, sub dio in atrio sacerdotum.

DORSA HABENTES CONTRA TEMPLUM DOMINI, — id est aversi terga dabant arcæ Domini, et ipsi Domino, atque ad Orientem conversi solem adorabant more Gentilium. Gentiles enim adorabant solem orientem, teste Trismegisto in fine Asclepii, et S. Jobo cap. XXXI, 26, dicens : « Si vidi (ut adorarem more aliorum gentilium) solem cum fulgeret, et lunam incedentem clare, et osculatus sum manum meam ore meo. » Hoc enim osculum erat ritus salutandi et adorandi, uti ex S. Hieronymo, Plinio, Apuleio et aliis docet Lipsius, lib. II *Electorum*, cap. VI. Quin et Virgilius, XII *Æneid.*, docet veteres orienti soli sacrificasse; ait enim :

Illi ad surgentem conversi lumina solem,
Dant fruges manibus salsas, et tempora ferro
Summa notant pecudum, paterisque altaria libant.

Sol enim a priscis dictus est mundi oculus. Taceo somnium Xenophanis, qui putavit eum in occasu perire, sed ex ortu novum fieri solem. Hinc manarunt matutinæ illæ deorum salutationes, quibus dicebantur primam diei horam diis suis nuntiare, quasi dormientes deos prima luce excitarent, uti docet Arnobius, lib. VII *Contra Gentes*, et Seneca, *epist.* 96. Sic Socratem salutare solitum

solem orientem tradit Plato. Ita Q. Catulus :

Constiteram solem exorientem forte salutans,
Cum subito a læva Roscius exoritur.
Pace mihi liceat, cœlestes, dicere vestra,
Mortalis visus pulchrior esse Deo.

Hunc morem adorandi solem ut deum, videntur Hebræi accepisse a vicinis Ægyptiis, inter quos sub tempora Mosis diu commorati, eorum religionem et mores imbiberunt. Ægyptii enim coluerunt solem, adeo ut urbem ejus cultui dicarint, et ex ejus nomine nuncuparint Heliopolim, id est solis urbem. Quin et Osirim ipsorum numen præcipuum non aliud fuisse quam solem, docet Macrobius, lib. I *Saturn.* cap. XXI, cum ait : « Osirim Ægyptii ut solem esse asserant, quoties hieroglyphicis litteris suis exprimere volunt, insculpunt sceptrum, in eoque speciem oculi exprimunt, et hoc signo Osirim monstrant, quia solem, Jovis oculum, appellavit antiquitas. » Idem ibidem cap. XVII, docet omnes deos ad solem referri. Sic solem nomine Mithræ coluerunt Persæ, Græci nomine Apollinis. Hinc proverbium apud Athenæum, lib. III : « Jupiter qui juvenis est, regnat; » et : « Plures adorant solem orientem quam occidentem, » quod Pompeius juvenis efflorescens dixit Cinnæ seni; et postea Cæsar idipsum fuit Pompeio.

Hujus idololatriæ declinandæ causa, jusserat Deus Sanctum sanctorum erigi ad Occidentem. Quocirca Judæi conversi ad Sanctum sanctorum, orabant conversi ad Occidentem. Quo tropologice significabatur, ait Theodoretus, eos qui se dedicare volunt Deo, debere vertere terga Orienti, id est pompis et speciebus mundanis in hoc mundo exorientibus, quomodo ambitiosi dicuntur adorare solem orientem, cum novis principibus aut prælatis adulantur. Has enim spes calcare debet servus Dei, ideoque Orienti dorsum obvertere, faciem vero Occidenti, utpote cui occidat hic mundus cum omni sua spe et vanitate. Insuper templum, teste Josepho, lib. VIII *Antiq.*, habebat ostium versus Orientem, ita ut sol inde exoriens, subito per templi et oraculi ostia radios dirigens, arcam et propitiatorium collustraret, ac velut primus adoraret Deum in eo supra Cherubim residentem; ut Judæi a sole discerent Deum in templo adorare, non solem. Porro cum idololatria hæc evanuit, christiani adorarunt et adorant Deum conversi ad Orientem, tum quia in Oriente erat paradisus; quam causam assignant S. Chrysostomus, Theodoretus et Damascenus, uti dixi *Genes.* II, 8; tum quia cum sole oriente, prima beneficia Dei, simul quasi nobis orientis illo die excipimus; tum quia Christus, facie a Jerusalem et templo aversa, ac conversa in Occidentem, puta ad gentes, crucifixus est. Ergo conversi ad Orientem, respicimus et adoramus faciem Christi crucifixi. Ita Damascenus, lib. IV *De Fide*, cap. XIII, et alii. Tum denique quia Christus ascendit super cœlos cœlorum ad Orientem, et quasi nos adhuc teneant ascendentis desideria, illuc intendimus, ubi cœlum surgit, ait S. Augustinus, tom. IV, lib. II *De serm. Domini in monte*, cap. IX.

Christiani orant versi ad Orientem, cur?

Duas alias causas addit S. Thomas, II II, *Quæst.* LXXXIV, art. 2, ad 3, scilicet, *primo*, « propter divinæ majestatis indicium, quod nobis manifestatur in motu cœli, qui est ab Oriente; » *secundo*, « propter Christum qui est lux mundi, et Oriens nominatur, *Zachar.* VI. Et ascendit super cœlum cœli ad Orientem : et ab Oriente etiam exspectatur venturus, secundum illud *Matth.* XXIV : Sicut fulgur exit ab Oriente, et paret usque ad Occidentem, ita erit et adventus Filii hominis. » Hucusque S. Thomas. Sicut enim Christus ascendit ad cœlum in monte Oliveti, qui est ad orientem Hierosolymæ : ita ibidem descendet ut judicium peragat in valle Josaphat, quæ monti Oliveti adjacet.

Nota : Propheta quatuor idololatriæ genera hic numerat. *Primum*, Baal in introitu primi atrii; *secundum*, picturarum in atrio; *tertium*, Adonidis; *quartum*, solis juxta altare, quod averso vultu a Dei altari adorabant.

Tropologice, *prima* idololatria et abominatio, est cogitatio sceleris; *secunda*, perpetratio; *tertia*, consuetudo; *quarta*, defensio cum Dei contemptu et obstinatione. Hæc est impœnitentia irremissibilis; reliquæ tres pœnitenti remitti possunt.

17. INIQUITATE. — Hebraice חמס *chamas*, id est violentia, injuria, oppressione pauperum et proximorum, *q. d.* Hoc scelus eis non sufficit; sed insuper in me violenti sunt, et irritant sua idololatria. Vers. 17

APPLICANT RAMUM AD NARES SUAS. — Hebraice זמורה *zemora*, quod aliqui Hebræi, ut R. Salomon et R. David vertunt, *fœtorem*, *q. d.* Mittunt fœtorem (id est crepitum ventris) in faciem meam. Unde Septuaginta vertunt : *Et ecce ipsi subsannantes*, *q. d.* Adorant idola, irridentes me. Syrus vertit : *Et ipsi vim inferunt in* (cum) *naribus suis*, id est, ut Scholiastes, infremunt, et per nares indignationis ostentandæ causa, veluti cum strepitu quodam flatum emittunt. Arabicus Alexandrinus : *Et cum illis mentio de me fit, extollunt nares suas, et subsannant, et abhorrent mentionem mei.* Hebræum enim *zemora* et ramum, et subinde sonitum cantumque significat; unde מזמור *mizmor*, id est psalmus. Hinc et Symmachus vertit : *Quasi emittentes sonitum in similitudinem cantici per nares suas*, scilicet fœdum et raucum in contemptum Dei. Chaldæus vertit : *Adducunt confusionem ad faciem suam*, id est faciunt ea, unde quandoque pudefient et confundentur. Verum Judæos hoc fecisse non derisionis causa, sed adorationis, patet ex circumstantiis. Rursum *zemora*, proprie significat *ramum*, scilicet lauri, qui soli sacer erat, ait Giraldus, *syntagm.* 16, et Plinius, lib. XII, cap. I. Sicut enim Gentiles Jovi sacrificabant coronati æsculo, Minervæ olea, Veneri myrto, Herculi populo, Baccho hedera, II *Machab.* VI, 7, vel pampinis, Pani pino, Sylvano et Diti cupresso, Isidi

abrotono : sic Apollini, id est soli, sacrificabant redimiti tempora lauro. Athenis festus erat dies ramorum, quo in honorem Bacchi præferebantur ὄσχοι, quasi μόσχοι, hoc est *tenues rami*, præsertim vitis, quasi vituli et victimæ. Ex quo ὀσχοφόροι, id est *ramiferi*, appellati, et festum ὀσχοφορία. Quin et Josephus, lib. III, cap. x, docet Judæos solitos pro gratiarum actione sacrificare manibus gestantes ramos myrti et palmæ, ex quibus mala Persica dependebant, ut significarent cor et linguam Deo esse dicanda. Persicum enim frondes habet in linguæ speciem acuminatas, fructus vero in cordis effigiem conformatos. Hinc et Hebræi Christum quasi Messiam regem inducentes Hierosolymam in die Palmarum, ramos palmæ et olivæ ei prætulerunt. Causam dat Porphyrius, et ex eo Nicolaus Causinus, *Elect. Symbol.* pag. 212 : « Antiqui, inquit, neque thus, neque aliam victimam offerebant, sed folia, velut primam pubescentis naturæ lanuginem manibus decerptam diis adurebant : quo signo Deum creatorem testabantur, a quo herbæ et fruges, atque omnia a terra orta producerentur et adolescerent. » Insuper coronabant non tantum se, sed et victimas et aras, quin et astantes. Sol enim est rex astrorum, sicut laurus arborum; hinc laurus priscis symbolum et omen fuit regni. Ita Suetonius in *Galba* narrat, quod Liviæ statim post Augusti nuptias Veientanum suum revisenti, prætervolans aquila gallinam albam, ramum lauri rostro tenentem, demiserit in gremium. Cumque nutriri alitem, et plantari ramum placuisset, tanta pullorum soboles provenit, ut hodie quoque ea villa Adgallinas vocetur; tale vero lauretum, ut triumphaturi Cæsares inde laureas decerperent. Fuitque mos triumphantibus, alias confestim eodem loco plantare. Et observatum est sub cujusque obitum, arborem ab ipso institutam elanguisse. Itaque ultimo Neronis anno, et sylva omnis exaruit radicitus, et quidquid ibi gallinarum erat, interiit. Rursum credita est laurus, æque ac sol, venena dispellere. Hinc Plinius, lib. XV, cap. xxx, docet laurum lustrationibus adhiberi solitam. Insuper unica arborum laurus non icitur fulmine. Quocirca Tiberius, teste Suetonio, jugiter in capite gestabat coronam lauream, tonante cœlo. Denique Romani reges laurum, quasi proprium donum, Apollini Delphico mittebant, teste Plinio loco jam citato.

Videntur ergo Judæi conversi ad solem orientem, eumque adorantes, ramos, non palmarum, ut S. Hieronymus, sed lauri gestasse manibus, atque eos quia odoratos admovisse naribus, quasi gratias agentes Apollini conditori lauri et auctori suavis ejus odoris, eosque osculando adorasse Apollinem; sicut osculo manuum adorabant solem, *Job* XXXI, 26 (1). Cum enim eum osculari et contingere non possent, ejus loco manum et ramum osculabantur, sicque eum adorabant et venerabantur. Hinc Virgilius, *ecloga* 7 :

(Gratissima) laurea Phœbo.

Et Horatius, lib. IV *Carm.* ode 2 : « Apollinari laurea donandus. » Atque ab Ovidio : « Laurus Apollinea, et Phœbea, » ac vicissim « Phœbus, » id est sol, « laurifer » vocatur. Perperam ergo Hebræi apud Galatinum, lib. I, cap. VIII, hic corrigunt et legunt : *Applicant ramum ad nasum meum*, cum legendum sit, *suum*, non *meum*. Ita enim legunt Hebræus, Chaldæus, Noster et Interpretes passim.

18. FACIAM — illis quod merentur.

(1) E Persarum, solem, sive ejus symbolum, ignem adorantium cæremoniis sacris, nostri loci explicationem petendam esse, post Waltherum in *Progr.* de Schechina Persarum, existimat J. D. Michaelis in nota ad vers. teuton. hoc loco, et in *Supplem. ad Lexic.* pag. 633; cui et Dathius adstipulatur. Magi ignicolæ inter precandum virgarum fasciculum manibus tenere solent, quibus vim contra dæmones tribuunt. *Barsom* vocantur lingua Persica, suntque longitudine unius spithamæ, tenues et enodes, ab arboribus Gez aut Hom, vel earum defectu, a malogranato resectæ. Vide Hydii *Histor. Relig. veter. Pers.* lib. I, cap. XXXVII, pag. 350, 351, et *Zendavesta* a Kleukero germanice reddita, vol. III, pag. 204.

(Rosenmuller.)

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jubet Deus Angelo, ut Hierosolymæ signet pios lugentes peccata populi signo thau : deinde jubet sex aliis angelis, ut signatis parcant, reliquos omnes non signatos per Chaldæos occidant.

1. Et clamavit in auribus meis voce magna, dicens : Appropinquaverunt visitationes urbis, et unusquisque vas interfectionis habet in manu sua. 2. Et ecce sex viri veniebant de via portæ superioris, quæ respicit ad aquilonem; et uniuscujusque vas interitus in manu ejus : vir quoque unus in medio eorum vestitus erat lineis, et atramentarium scriptoris ad renes ejus : et ingressi sunt, et steterunt juxta altare æreum : 3. Et gloria Domini Israel assumpta

est de cherub, quæ erat super eum ad limen domus : et vocavit virum, qui indutus erat lineis, et atramentarium scriptoris habebat in lumbis suis. 4. Et dixit Dominus ad eum : Transi per mediam civitatem in medio Jerusalem · et signa thau super frontes virorum gementium, et dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio ejus. 5. Et illis dixit, audiente me : Transite per civitatem sequentes eum, et percutite : non parcat oculus vester, neque misereamini. 6. Senem, adolescentulum, et virginem, parvulum, et mulieres interficite usque ad internecionem : omnem autem, super quem videritis thau, ne occidatis, et a sanctuario meo incipite. Cœperunt ergo a viris senioribus, qui erant ante faciem domus. 7. Et dixit ad eos : Contaminate domum, et implete atria interfectis : egredimini. Et egressi sunt, et percutiebant eos, qui erant in civitate. 8. Et cæde completa, remansi ego : ruique super faciem meam, et clamans aio : Heu, heu, heu, Domine Deus : ergone disperdes omnes reliquias Israel, effundens furorem tuum super Jerusalem? 9. Et dixit ad me : Iniquitas domus Israel et Juda, magna est nimis valde, et repleta est terra sanguinibus, et civitas repleta est aversione : dixerunt enim : Dereliquit Dominus terram, et Dominus non videt. 10. Igitur et meus non parcet oculus, neque miserebor : viam eorum super caput eorum reddam. 11. Et ecce vir, qui erat indutus lineis, qui habebat atramentarium in dorso suo, respondit verbum, dicens : Feci sicut præcepisti mihi.

1. Et clamavit, — idem Dominus auriga currus Cherubim, de quo cap. VIII, 5.

Visitationes. — Id est visitatores, id est ultores et vindices. Sic enim visitator, visitans provinciam, reos punit. Septuaginta vertunt : *Appropinquavit vindicta urbis.*

Vas interfectionis. — Id est instrumentum ad interficiendum, scilicet gladium aut securim, uti vers. 2 vertunt Septuaginta.

2. Sex viri. — Id est sex dæmones, ait S. Hieronymus. Sex angeli, ait Theodoretus : « Nam unus, inquit, angelus centum octoginta quinque millia Assyriorum occidit, et primogenita Ægyptiorum. Sed hic ob impietatis Judæorum exuberantiam, sex angeli vindices mittuntur.

Tertio, noster Prado et Maldonatus censent esse sex archiduces Nabuchodonosoris, qui in porta Jerusalem sedentes et urbem obsidentes, primi eam ceperunt, scilicet Neregel, Sereser, Semegarnabu, Sarsachim, Rapsares, Rebmag, de quibus Jeremias cap. XXXIX, 3, et Josephus, X *Antiq.* X. Sed quia vers. 6, hi sex viri jubentur discernere signatos a non signatis, eisque parcere, melius cum Theodoreto dicemus fuisse sex angelos : nec enim Chaldæi viderunt aut respexerunt quinam signati essent signo *thau,* qui non, ut illis parcerent, hos occiderent. Ponuntur autem sex angeli, juxta numerum sex ducum Chaldæorum jam dictorum, quia hi angeli eos duces direxerunt, ut signatis parcerent, non signatos occiderent.

Veniebant de via, — id est per viam, quæ ducit ad portam superiorem, id est interiorem, ad quam quia gradibus ascendebatur, hinc dicitur *superior,* qua scilicet intrabatur ad atrium sacerdotum.

Ad aquilonem, — scilicet ubi peccarant idololatria, cap. VIII, 5. Nota : Eadem porta, qua Deum eliminamus, intrant ejus lictores : manet enim post ostium peccatum, quod venienti hosti et morti pandit fores. Nam « per peccatum mors intravit in mundum, » *Rom.* V, 12. Et Dominus ad Cain, *Genes.* IV, 7 : « Si male, ait, feceris, in foribus peccatum cubat, » ut habent Hebræa, ut scilicet valvas hosti aperiat. Ita hic, per eamdem portam intrarunt Chaldæi in urbem, per quam intraverat idololatria. Hinc Clemens Alexandrinus, lib. V *Strom.*, ait angelos subinde igneos effici, ut impios puniant, juxta illud *Psalm.* CIII, 4 : « Qui facis angelos tuos spiritus, et ministros tuos ignem urentem. »

Vas interitus. — Hebræus, *instrumenta bellica;* Septuaginta, *securis.*

Vir quoque unus in medio eorum vestitus erat lineis. — Septuaginta, *podere,* id est, ut cap. X, vers. 2 vertunt, *stola sancta,* non ad genua, instar sagi militaris, ut vult Scholiastes, sed ad pedes et talos demissa : inde enim dicitur *poderis.* Hic ergo septimus non habuit vestem militarem et arma, uti priores sex, ad puniendum et occidendum; sed sacerdotalem, utpote qui supplicaret pro redimendis a strage Chaldæorum et salute dignis, eosque quasi notarius atramento littera *thau* signaret. Unde fuit typus Christi, qui mediator fuit inter Dei justitiam et homines salvandos. Ita S. Hieronymus et Theodoretus. Fuit autem ad litteram vir hic, angelus tutelaris piorum Judæorum. De podere ejusque symbolis vide ea quæ dixi *Exodi* cap. XXVIII, 4.

Allegoria. Quocirca allegorice S. Gregorius, XXII *Moral.* XII : « Vir, ait, vestitus lineis est Redemptor noster, qui etiam de tribu sacerdotali parentes aliquos habuit. » Linea « enim erat vestis sacerdotum, significans puritatem conscientiæ, qua pollere debet sacerdos. Vel certe, inquit, quia linum de terra,

non autem sicut lana, de corruptibili carne nascitur : ipse autem indumentum sui corporis ex matre virgine, non autem ex corruptione commixtionis sumpsit; profecto ad nos vestitus lineis venit. Et atramentarium scriptoris ad renes ejus. In renibus posterior pars corporis est. Et quia ipse Dominus postquam pro nobis mortuus est, et resurrexit, et ascendit in cœlum, tunc testamentum novum per Apostolos scripsit, atramentarium ad renes habuit. Qui enim scripturam Testamenti novi post quam decessit condidit, atramentarium quasi a tergo portavit. » Sic et Rupertus, Pintus, et Fernandius, *visione* XV, qui per virum hunc ad litteram intelligunt Christum, pro qua sententia citat Fernandius S. Irenæum, lib. IV, ubi ait : Verbum ante incarnationem suas salutes præstruebat, præludens videlicet, et quodammodo exercens simulacra salutis in veteri Testamento, præstando illam multis non in vero, sed in simulato corpore, ut quasi addiscerent per experientiam quomodo eam in vero corpore esset præstiturus. Sed verius est ad litteram virum hunc fuisse angelum, qui allegorice repræsentaret Christum : angeli enim sunt administratorii spiritus, qui a Deo mittuntur quaquaversum. Unde vir hic dicit Deo vers. ult.: « Feci sicut præcepisti mihi, » quod Angelo competit, non Verbo : hoc enim cum sit æquale Patri, præceptum nullum ab eo accipit.

Moraliter, in die Cinerum sacerdos vestitus lineis, atramento, id est atris cineribus, signat inscribitque frontibus fidelium signum *thau*, id est crucis, dicens : « Memento, homo, quia pulvis es, et in pulverem reverteris, » ut per mortis memoriam incitet eos ad pœnitentiam et gemitum, quo irato Deo reconciliati, ejus vindictam evadant.

ATRAMENTARIUM. — Ita Hebræa, Aquila in secunda editione, aiunt S. Hieronymus, Origenes et Vatablus, sed Symmachus *tabellam* (in qua scilicet scripta sint peccata Jerusalem, ejusque pœna et excidium, ac sancti a peccatorum numero segregati, et seorsim scripti sunt, ait S. Hieronymus) vertit; Septuaginta, *zonam sapphiri* (pro סַפִּר *sopher*, legerunt סַפִּיר *sapphir*). Aquilæ prima editio et Theodotion retinent vocem hebræam, vertuntque κάσυ *librarii*. hebraice enim est קֶסֶת *keset*; κάσυ ergo et *keset*, idem est *quod* καλαμάριον, *ab eo quod calami in illo recondantur; nos atramentarium, ex eo quod atramentum habeat, dicimus*, ait S. Hieronymus. Gestat hic Angelus atramentarium, ut quasi notarius atramento litteram *thau* lugentium frontibus inscribat, uti jam dixi.

INGRESSI SUNT — in atrium interius.

ALTARE ÆREUM — holocaustorum : nam aliud altare thymiamatis erat aureum.

3. ET GLORIA DOMINI. — Hebraice est *Elohim*, quod significat Deum qua judicem et vindicem : ipse enim hic vindictam in Judæos per sex angelos exercet. Jam « gloria Domini, » id est solium Domini gloriosum factum ex aliis Cherubim, elevatum supra propitiatorium arcæ fœderis, *Exodi* XXV, 22. Vel potius, solium sapphirinum imminens currui Cherubim, quem vidit in Chobar, ut ait cap. VIII, vers. 4; semper enim persistit in visione currus cap. primi, *q. d.* Hoc solium, et consequenter ipse Deus solio suo insidens, qui ob idololatrarum scelera cap. VIII, vers. 3, 4, 6, et cap. III, vers. 12 admissa, ex templo migrarat in atrium Gentium, jam assumptus est de Cherub : non quasi Cherubinos reliquerit, ut volunt aliqui; sed quod de loco Cherub, seu in quo constiterat ipse Deus super Cherub (super quem solet esse et equitare), id est de atrio gentium, revolarit vectus suis Cherubim ad limen domus, id est templi, scilicet in atrium interius sacerdotum; ut ibi quasi pro tribunali sedens, lictores vocet, mandetque ut urbem gladio et igne vastent, uti dicitur vers. sequenti. Alii *gloriam Domini* interpretantur imaginem Dei electrinam, quam Ezechiel vidit in curru Cherubim, cap. I, vers. 27; quasi illa a suis Cherubim discesserit, et prosilierit quasi e suo curru; ut significaretur Deum a veteri templo et propitiatorio discessurum subito, quasi moræ impatientem ex ira et indignatione vehementi. Hæc sententia est probabilis, illique favet vers. 18, cap. X : « Et egressa est gloria Domini a limine templi, et stetit super Cherubim. » Inde enim videtur colligi quod ante jam Cherubinos deseruerat.

Moraliter, Deus recedit a Cherubim et propitiatorio, id est loco placationis, cum vult punire impios Judæos : quia ejus proprium est, misereri; alienum et peregrinum, punire, ut ait Isaias cap. XXVIII, vers. 21. Miserendi enim causam sumit ex se, puniendi aliunde, scilicet a peccatis hominum; unde tunc videtur quasi a se suaque natura recedere, et peregre proficisci. Ita Theodoretus et Fernandius, *visione* XV, sect. II.

4. SIGNA THAU. — Ita vertunt Theodotion, Chaldæus, Vatablus et alii passim : sed Septuaginta et Symmachus vertunt, *signa*, vel *pone signum*, vel *notam*; Syrus et Arabicus, *signa signaculum inter oculos*, vel *super frontes virorum qui gemunt*. Prior versio melior et verior est : nam quoties Deus in re simili signum aliquod dedit, certum dedit; quod non solum eam liberationem quæ tunc fiebat, sed ejus quoque antitypam, scilicet eam quæ multo post per Christum futura erat, significaret : qualis fuit sanguis agni paschalis (qui proinde in formam crucis distentus assabatur, ait S. Justinus *Contra Tryphon.*), *Exodi* XII, 7. Serpens erectus in deserto, *Numer.* XXI, 9. Ita Maldonatus.

Quæres, cur jubet eos signari *thau?* Respondent aliqui *thau* significare תְּחִיָּה *tichie*, id est vives. Alii, significare תָּם *tam*, id est simplex, innocens et perfectus est, ac proinde dignus qui in vita servetur. Rursum Hebræi, ait Origenes, tradunt *thau*, quia ultima est litterarum Hebraicarum, et quia תּוֹרָה *thora*, id est lex, incipit a littera *thau*, significare eos, qui perfectam practicamque habent scientiam divinæ legis, et ex hac

scientia habent sensum ac dolorem prævaricationum. Unde et S. Hieronymus : « Hebræi, inquit, autumant, quia lex apud eos appellatur Thora, quæ hac in principio nominis sui littera scribitur, id est thau, quod illi hoc accepere signaculum, qui legis præcepta compleverant. » Verum melius idem S. Hieronymus, Origenes, Tertullianus, *Contra Judæos;* Ambrosius, lib. *De Abraham;* S. Augustinus, in *Dialogo altercat. Ecclesiæ et Synagogæ;* Clemens lib. VI *Strom.*, et alii passim, respondent litteram *thau* ante Esdram, apud Hebræos priscos habuisse figuram crucis, fuisseque similem litteræ *thau* Græcorum et Latinorum. Quocirca Syri codices hic pro *signa thau* legunt, *signa crucem*, uti refert ex Caninio Joannes Grial in Notis ad S. Isidorum, lib. I *Etymol.* III. Crux ergo signum hic datur liberandorum a nece, æque ac salutis per Christi crucem consequendæ. Unde et Ægyptii Serapidis pectori *thau* inscribebant, quasi signum futuræ vitæ. De qua re vide nostrum Jacobum Gretserum, lib. I *De Cruce*, cap. LI, ubi ex Rufino, Socrate, Sozomeno, multis idipsum confirmat, contra nonnullos qui id in dubium revocant. Addit S. Hieronymus, aves in surrectum se attollentes, crucis exprimere figuram; quod etiam adorans homo, et natans facit. Sed et navis antenna, cruci assimilata, sufflatur. Quin ipsa, inquit, crucis figura quid est, nisi quadrati mundi forma? Et S. Bernardus, serm. 4 *in Vigilia Nativ.*: « Fortasse, inquit, crux ipsa nos sumus, cui Christus memoratur infixus. Homo enim formam crucis habet : quam, si manus extenderit, exprimet manifestius. » Corpus enim, brachiis expansis, habet figuram crucis. In eo ergo anima est quasi in cruce crucifixa; ac consequenter ipse Christus, qui est vita et anima animæ christianæ, in eo quasi infixus est et crucifixus. Sic et Græcis et Latinis, *thau* erat symbolum vitæ, *theta* mortis. Imo judices, teste Asconio Pediano, damnatos notabant littera *theta*, liberandos *thau*. Scilicet hoc et multa alia Romani a Græcis, hi ab Ægyptiis, hi ab Hebræis acceperunt. Porro *theta* apud judices fuisse notam θανάτου, id est *mortis*, constat : unde Ausonius *in Eunum* epigr. CXX :

Crux symbolum vitæ et salutis.

> Miselle doctor, θ tibi sit obscœno,
> Tuumque nomen theta sectilis signet.

Ubi Scaliger : « θ, inquit, erat signum suspendii, refert enim laqueum collo involutum; θ littera condemnatoria : quin et castris militem ex cohorte morte dispunctum, hæc nota significabat. » Verum pie et eleganter noster Martialis Christianus, lib. III :

> Infelix multis theta est, mihi litera felix :
> Si θανάτον scribit, scribit et illa θεόν.

Nota : Salvandi quasi pauci signantur. Erant enim in Jerusalem aliquot justi, ait Polychronius, ut Jeremias, filii Rechab, Urias et pauci alii. Potissima ergo causa, cur liberandi a cæde Chaldæorum in excidio Jerusalem, signentur hic signo *thau* potius quam alio, fuit : quod hi liberandi et signati reipsa portabant crucem in corde et corpore, dolendo, gemendo et affligendo se ob peccata populi. Rursum, quod littera *thau* formam et speciem haberet crucis, essetque symbolum redemptionis et vitæ : « Quoniam eo signo vita hominum præstruebatur, » ait Tertullianus lib. *Contra Judæos*, ut significaretur nos per crucem Christi a morte, a gehenna ac dæmonum tyrannide liberandos; præsertim eos, qui crucem Christi fronti et animo imprimunt, id est, ut ait Isidorus lib. *Allegor.* cap. XXV, ut crucem Christi post eum tollant, acrius se edomant, et erga proximos suos charitatis compassione cruciantur. Unde et in fine mundi, crux signum erit servorum Christi, oppositum signo bestiæ, id est Antichristi, *Apocal.* XIII, 16. Quocirca et Apostolus ait, *Ephes.* IV, 30 : « Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis. »

Nota : Hæc omnia vidit Ezechiel, non revera fieri, sed in visione, ut patet ex simili cap. præced. vers. 3. In visione ergo ei signari videbantur ab Angelo gementes, ac signati servari, non signati occidi, ut significaretur gementes pios quasi ab Angelo signatos et protectos, a cæde Chaldæorum fore immunes; alios vero omnes, utpote impios, ab eis occidendos. Ita enim Angelus Chaldæos direxit, ut a se signati eorum manus evaderent, non signati ab eis trucidarentur.

Symbolice, *primo*, *thau* est ultima littera Hebræorum : significat ergo Christum, qui pro nobis factus est novissimus virorum in cruce, ut ait Isaias cap. LIII, 3, quem proinde repræsentavit sol descendens in horologio Achaz, ad decem lineas, ut sanitatem redderet Ezechiæ, uti dixi *Isaiæ* XXXVIII, 8. Rursum, *thau* significat Christum, qui est α et ω, principium et finis legis. Unde multi psalmi inscribuntur לַמְנַצֵּחַ *lamnatseach;* id est *vincenti*, quod Septuaginta vertunt εἰς τέλος, *in finem;* quia Christum, ut finem spectavit tam David quam Moses et Prophetæ, illique suos psalmos dedicavit et inscripsit. Christus enim sua humilitate et passione evasit victor peccati, gehennæ et diaboli : descendit enim infra omnes, ideoque meruit ascendere super omnes et omnia. Christi ergo fidem, spem, amorem et crucem non tantum in frontibus, sed et in cordibus signatam habent sancti et electi. *Secundo*, *thau* hebraice significat, *primo*, signum et crucem; *secundo*, limitem, terminum, consummationem. Significat ergo gementes et dolentes ob peccata populi esse perfectos in charitate, et consummatos in virtute; atque crucem et tribulationem unicum esse sanctitatis et perfectionis instrumentum.

Moraliter, hic disce crucem esse signaculum et

tesseram amicorum et electorum Dei, ideoque eam non fugiendam, sed ambiendam esse.

Idipsum docet, *primo*, Christus, *Matth.* XVI, 24 : « Si quis, inquit, vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam : qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. »

Secundo, S. Paulus et Barnabas confirmabant animos discipulorum, dicentes : « Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei, » *Actor.* XIV, 22. Idem, *Rom.* cap. III, 3 : « Gloriamur, inquit, in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, » etc. Et II *Cor.* IV, 10 : « Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris. »

Tertio, S. Jacobus, cap. I, 12 : « Beatus, inquit, vir qui suffert tentationem : quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. »

Quarto, S. Petrus, *epist.* I, cap. II, 21 : « In hoc vocati estis : quia et Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus, » etc.

Quinto, S. Ignatius *ad Roman.* : « Utinam, inquit, fruar bestiis, quæ ad me dilaniandum præparatæ sunt, etc. Jam incipio discipulus esse Christi. Frumentum Dei sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar. Ignis, crux, bestiæ, ossium confractiones, concisiones membrorum, omnia tormenta diaboli in me veniant, tantum ut Christo fruar. »

Sexto, apud S. Cyprianum, lib. V, *epist.* 12, Moyses et alii Confessores : « Quid, inquiunt, gloriosius, quidve felicius ulli hominum poterit ex divina dignatione contingere, quam inter ipsos carnifices interritum confiteri Dominum ? quam collegam passionis cum Christo in Christi nomine factum fuisse? quam ipsam quæ ab omnibus metuitur, mortem moriendo subegisse? quam per ipsam mortem immortalitatem consecutum fuisse ? quam omnibus sævitiæ tormentis excarnificatum, ipsis tormentis tormenta superasse? quam omnibus dilaniati corporis doloribus robore animi reluctatum fuisse ? quam sanguinem suum profluentem non horruisse ? »

Septimo, S. Basilius se miserum et calamitosum dicere solebat, quod Martyrum pro fidei veritate certamina imitari non posset, ait Nyssenus in ejus Vita.

Octavo, Nazianzenus, orat. 43 *in Pascha* : « Omnibus, inquit, diebus, et omnibus motibus nos Deo sacrificemus; omnia pro verbo suscipiamus; per passiones passionem imitemur; per sanguinem sanguinem (Christi) honoremus; crucem alacres conscendamus. Dulces sunt clavi, tametsi valde acerbi. Præstat cum Christo et pro Christo pati, quam cum aliis in deliciis versari. Si Simon Cyrenæus es, crucem tolle ac sequere. »

Nono, S. Ambrosius quantopere crucem desiderarit, patet ex ejus *epist.* 32 et 33, ubi inter cætera ait : « Scitis quod soleam suppliciis me libenter offerre, nec cedere. Non metuit arma, non barbaros, qui mortem non timet, qui nulla carnis voluptate retinetur. Petrus Roma noctu egressus, videns sibi in porta Christum occurrere, ait: Domine, quo vadis ? Respondit Christus : Venio Romam iterum crucifigi. Intellexit Petrus ad suam crucem divinum pertinere responsum. Itaque sponte remeavit, et interrogantibus christianis responsum reddidit, statimque correptus per crucem suam honorificavit Dominum Jesum. Athleta Christi non delicias, sed passiones suas exigit. Respondi ego quod sacerdotis est ; quod Imperatoris est, faciat Imperator. Prius est ut animam mihi quam fidem auferat. Incendia aliqui, gladium, deportationem minantur. Didicimus Christi servuli non timere. Non timentibus nunquam gravis est terror. Si patrimonium petitur, invadite : si corpus, occurram : vultis in vincula rapere ? vultis in mortem ? voluptati est mihi, libens immolabor. » Vide Gretserum toto lib. IV *De Cruce*.

SUPER FRONTES. — Alludit hic Ezechiel ad servos, qui domini sui nomen aut stigma inustum in corpore, ac præsertim in fronte, gestabant, teste Rhodigino lib. V, cap. XXXI; indeque inscripti, vel litterati servi dicti sunt. Idem fiebat facinorosis. Unde Seneca, lib. IV *De Beneficiis*, CXXXVII et CXXXVIII, tradit scelerato cuidam supplicii causa inustam fuisse frontem. Sic, *Machab.* lib. III, cap. II, ab Ægypti rege Judæorum corporibus inustum fuit folium hederaceum, in honorem Bacchi, ut hoc signo quasi legitimo Bacchi titulo ejus cultores consignarentur. Sic Paulus, *Galat.* VI, 17, ait se stigmata Christi in corpore suo portare.

Ita nuper anno Domini 1614, in Japone, christianos martyres signo crucis in fronte a tyranno candenti ferro inustos legimus, et in imaginibus hic Romæ excusis expressos vidimus et videmus, quasi servos crucis et Christi crucifixi. Quod supplicii genus Seneca, lib. III *De Ira*, cap. III, vocat « inscriptionem frontis : » de quo et Athenæus lib. VI ex *Diphilo* : « Inustam, inquit, punctis frontem capillo obvelat. » Sustulit in reis hanc vultus inustionem Constantinus Magnus scribens ad Eumelium, leg. 2 *De pœn. Cod. Theodos.* : « Si quis, inquit, fuerit pro criminum qualitate damnatus, minime in ejus facie scribatur, dum et in manibus, et in suris possit pœna damnationis una scriptione comprehendi, quo facies, quæ ad pulchritudinis cœlestis similitudinem est figurata, minime maculetur. » Sed hanc legem infregit Theophilus Imperator Iconoclasta, qui vultus sanctorum martyrum Theophanis et Theodori stigmate inussit, teste Cedreno. Infringet et Antichristus : nam, *Apoc.* cap. XIII, 16, qui bestiæ se subjecerunt, habent ejus characterem in dextra

manu sua, aut in frontibus suis. Sic milites auctorati olim compungebantur in cute. Audi Vegetium lib. II, cap. v : « Victuris in cute punctis milites scripti, et matriculis inserti jurare solebant. » Et Aetium apud Lipsium, lib. I *De Militia Romana*, dialog. IX : « Stigmata, ait, vocant, quæ in facie, aut alia parte corporis inscribuntur, qualia sunt militum in manibus. » Vide et S. Gregorium, lib. I *De Regist.* epist. 100 *ad Mauritium*, et epist. 103 *ad Theodoretum*, ubi edicti Imperatoris meminit, quo sanciebat, ne quis manu signatus, ante expletam militiam in monasterium reciperetur : cui edicto se opponit Gregorius.

Denique de Jacobitis tradit Joachimus Abbas in Appendice nationum christianarum, quod candenti ferro impressum frontibus signum crucis circumferant. Sic etiamnum in Africa, qui a priscis christianis descendunt, et a Mauris separati in montibus habitant, crucem brachio impressam, quasi signum christianismi gerunt ; cætera rudes : illudque Lusitanis ostentant, cum Arzilam, Azamorem, aliasque eorum in Africa urbes accedunt, ut ab eis in christianismo erudiantur. Lusitani eos vocant *Alarves*, quasi Aphros genuinos : cæteros enim vocant *Moros*, sive Mauros.

Ad hunc Ezechielis locum alludit Angelus *Apoc.* cap. VII, 3, dicens : « Nolite nocere terræ, etc., quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum, » eodem utique signo *thau*, id est crucis. Signabunt ergo angeli tempore Antichristi fideles constantes et electos signo crucis, *primo*, per sacerdotes in Baptismo et Confirmatione, visibiliter cruce eos consignando ; *secundo*, spiritaliter inducendo et exhortando eos, per se et per præcones Evangelii, ad liberam, publicam et constantem fidei et crucis Christi professionem (cujus symbolum est frons) usque ad mortem. Addit Andreas Cæsariensis, quod tempore Antichristi signo crucis fideles ab infidelibus se secernent : « Tunc enim, inquit, fideles intrepide citraque ruborem signaculum crucis Christi in conspectu impiorum deferent. » Græcum enim σφραγὶς sigillum visibile et expressum significat. Signantur ergo hic tum in frontibus suis, tum in mente angelica, illi, qui pro cruce Christi in persecutione Antichristi dirissima patientur, ideoque eligentur ad vitam æternam. Signantur, inquam, speciali Dei providentia et gratia ad hoc, ne cum impiis et reprobis paria mala, et clades divinas, quam sub finem mundi angeli orbi inferent, patiantur. Unde ad hanc sigillationem sponsam sponsus invitat, dicens, *Cant.* VIII : « Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.» Quod S. Ambrosius, lib. *De Isaac*, cap. VIII, sic explicat : « Signaculum, ait, Christus in fronte est, signaculum in corde, signaculum in brachio : in fronte, ut semper confiteamur ; in corde, ut semper diligamus ; in brachio, ut semper operemur.» Quapropter Origenes, homil. 8 *in diversos* : « Gaudentes, ait, hoc signum levemus in frontes, quod dæmones, cum viderint, contremiscunt ; nam qui aurea capitolia non timent, crucem timent. » Quocirca apud Æthiopes christianos, puta Abyssinos, mos est ut populus cruces e collo pendulas gestet ; monachi hoc amplius, etiam manu. Auctor est Damianus Goes in *Æthiop.*

Imo S. Ephrem crucem gestabat in fronte, uti docet ejus imago ad vivum expressa ex prisca quæ exstat Constantinopoli, quam ejus operibus præfixit Gerardus Vossius. Hinc S. Ephrem, serm. *De Panoplia*, sive armatura spiritali, et serm. *De S. Cruce*, tomo III, crucem vocat scutum et panopliam christianorum contra omnes hostium insultus, ac pulchra et magnifica cruci dat elogia et encomia. Audi pauca e multis, serm. *De S. Cruce* : « Crux, spes christianorum. Crux, resurrectio mortuorum. Crux, claudorum baculus. Crux, pauperum consolatio. Crux, frenum divitum. Crux, superborum eversio. Crux, triumphus adversus dæmones. Crux, juvenum pædagogus. Crux, inopum abundantia, desperatorum spes, navigantium gubernatio. Crux, fluctuantium portus, oppugnatorum murus. Crux, orphanorum ac pupillorum pater, justorum consiliarius. Crux, afflictorum consolatio ac sublevamen. Crux, infantium custos, vivorum caput, senum corona. Crux, lumen eorum qui in tenebris sedent ; et regum magnificentia. Crux, servorum libertas, imperitorum sapientia, barbarorum philosophia. Crux, Prophetarum prædicatio, Apostolorum comes, Martyrum gloriatio. Crux, virginum pudicitia, sacerdotum gaudium. Crux Ecclesiarum firmamentum, ac orbis terrarum securitas. Crux, imbecillorum fortitudo, ægrotorum medicina. Crux, leprosorum purgatio, paralyticorum erectio. Crux, cibus esurientium, et fons sitientium. Crux, monachorum fiducia, nudorum tegumentum. Hæc in medio terræ plantata, sapientissime fines mundi complexa est. In hac exaltatus Christus Deus noster, vicissim captivam duxit captivitatem, voracissimum inferni disrupit ventrem, nimisque patulum diaboli os obstruxit. Hac crucis armatura muniti sancti Apostoli, omnem inimici potestatem conculcarunt, cunctasque gentes suis sagenis ad hujus adorationem attraxerunt et congregarunt. Hac thoracis loco amicti milites Christi, sancti Martyres quascumque artes et adinventiones, audaciamque tyrannorum superarunt. Hanc sancti bajulantes monachi, abdicato sæculo, ingenti cum gaudio et alacritate, in solitudinibus et montibus, speluncis et terræ cavernis sibi mansiones delegerunt. O ineffabilem atque immensam benignissimi Dei bonitatem, qui tot et tanta bona per crucem generi humano donavit! Gloria ipsius benignitati, et adoratio atque imperium in sempiterna sæcula. Amen. »

DOLENTIUM. — Hebraice *clamantium*, scilicet præ dolore et zelo violatæ legis, id est qui non solum

malis non consenserunt operibus, sed et aliena planxere peccata, inquit S. Hieronymus. Qualis fuit David, dicens : « Tabescere me fecit zelus meus : quia obliti sunt verba tua inimici mei, » *Psalm.* CXVIII, 139; et S. Paulus : « Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror? » II *Corinth.* XI, 29.

Moraliter, de crucis confessione et professione.

Moraliter, hoc signum *thau* in fronte gesserunt Confessores et Martyres, libere et publice Christi fidem et pietatem profitentes. Audi illustres Christi milites hunc Christi characterem ostentantes. Hunericus rex arianus, instinctu Cyrillæ Episcopi, jussit Catholicos omnes rebaptizari ab arianis, itaque Arianismum profiteri. Rebaptizatis curabat dari chirographum, quo significabatur eos paruisse regi, scilicet esse rebaptizatos, et arianos. Hoc chirographum erat character bestiæ, scilicet Antichristi : sine hoc enim nemo quid emere aut vendere, imo de loco uno in alium transire poterat. Steterunt tunc orthodoxi, præsertim clerici, fortes in fide. Inter alios illustres fuerunt sex monachi, cum Liberato abbate suo : qui protracti Carthaginem, cum præses eis offerret amplos honores, opes, voluptates et regis amicitiam, si ejus jussui parerent; ipsi, quasi generosi milites Dei, omnia hæc veluti contagia respuentes, uno ore clamarunt : « Unus Dominus, una fides, unum baptisma : nec poterit in nobis, adjuvante Deo, iterari, quod in sancto Evangelio semel præceptum est dari. Facite quod vultis, inferte pœnas corporibus nostris. Melius est ad modicum temporalia sufferre supplicia, quam æterna pendere et subire tormenta. Habete, quæ promittitis, cum ipsis divitiis post paululum perituri. Nobis vero nullus de postibus frontium valebit evellere, quod in uno baptismate artifex Trinitatis dignatus est titulare. » Quocirca in tetrum conjecti sunt carcerem : deinde jussit eos Hunericus imponi navi aridis lignis plena; ut in medio mari iis succensis cremarentur. Incedebant ad supplicium quasi ad epulas, una voce per ambitus platearum Domino decantantes : « Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Votiva nobis hæc dies est, et omni festivitate festivior. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, quando pro fide Domini Dei nostri perferimus præparatum supplicium, ne amittamus acquisitæ fidei indumentum. » Quin et populum publica voce clamando, ita ad constantiam in fide excitabant : « Ne timeatis, o populi Dei! ne formidetis minas et terrores præsentium tribulationum, sed potius moriamur pro Christo, quoniam ipse mortuus est pro nobis. » Erat inter eos puer, nomine Maximus; hunc a morte liberare cupiebant ariani, dicentes : « Infantule, quid festinas ad mortem? Dimitte eos, insaniunt; et audi consilium nostrum, ut possis invenire vitæ remedium, et tanti regis adire palatium. » Quibus auditis, puer inclamavit : « Nemo me separat a sancto Patre meo Liberato abbate, et fratribus meis, qui me in monasterio nutrierunt. Cum ipsis sum in timore Dei conversatus, cum ipsis desidero passionem suscipere, cum quibus credo me et futuram gloriam invenire. Nolite putare, quia potestis seducere pueritiam meam. Simul nos septem voluit Dominus congregare, simul dignabitur omnes uno martyrio coronare, uti fecit septem Machabæis. Nam si negavero eum, ipse negabit me, uti ipse prædixit. » Ducti ergo sunt in altum mare, ubi ignis accensus est, sed mox nutu Dei exstinctus : idque secundo et tertio contigit. Quare tyrannus pudore et ira fremens, jussit eis vectibus remorum cerebrum comminui, itaque enecari. Tali ergo genere mortis felicem animam Deo exhalarunt, quorum corpora mare præter naturam, eadem hora illæsa in terram exposuit, ad quod tyrannus expavit : clerus ea honorifice sepelivit. Ita Victor Uticensis, lib. III *Persec. Wandal.* in fine.

Simili modo crucem in fronte ostentabat, de eaque gloriabatur S. Augustinus; ita enim scribit in *Psalm.* CXLI : « Usque adeo de cruce non erubesco, ut non in occulto loco habeam crucem Christi, sed in fronte portem. » Et serm. 2 *in Parasceve* : « Crucem illam, in qua ille crucifixus est in corpore, nos gestamus in fronte. » Et in *Psalm.* XXXVI : « A locis suppliciorum fecit crux transitum ad frontem Imperatorum. » Quocirca Tertullianus, lib. V *Contra Marcionem,* crucis signum appellat « signaculum frontium. » Unde patet Christianorum olim communem morem fuisse, formare signum crucis in fronte. Cujus moris causam dat S. Augustinus in *Psalm.* XXX : « Non sine causa, inquit, signum suum in fronte nobis figi voluit, tanquam in sede pudoris, ne Christi opprobrio christianus erubescat. » *Aliam* dat serm. 20 *De diversis,* recens editis Lovanii : « Si portas, inquit, in fronte signum humilitatis Christi, porta in corde imitationem humilitatis Christi. » *Tertiam* dat tractat. 36 *in Joannem* : « Ipsam, inquit, crucem de diabolo superato tanquam trophæum in frontibus fidelium positurus erat. » Et S. Cyprianus, lib. II *Testim.* XVII : « Hic, ait, est lapis, quo David frontem Goliæ percussit et occidit. » *Quartam* dat S. Cyrillus, *cateches.* 14 : « Non pudeat, ait, nos crucis Christi. Quod si aliquis id occultet, tu manifeste te signa cruce in fronte, ut dæmones signum regis videntes, trementes procul fugiant. » Idem ait S. Chrysostomus hom. 55 *in Matth. Quintam* dat S. Agnes apud S. Ambrosium, *serm.* 90 : « Posuit, ait, signum in faciem meam, ut nullum præter eum amatorem admittam, » *q. d.* Gero signum crucis in fronte, ut omnibus ostendam me esse servam, sponsam et ancillam Christi. *Sextam* dat Cæsarius Arelatensis, hom. 5 *De Paschate,* ut signo crucis quasi titulo consecremur in domum et templum Dei : « Hodie, inquit, agnus ille offertur, quando postes domorum sanguine illius jubentur inscribi, id est titulo crucis frons nostra depingi. » Denique in fronte nostra celebratur et glorificatur crux, quæ in Calvariæ monte fuit irrisa et infa-

mata. Ita Gretserus, tom. I *De Cruce*, lib. IV, cap. XXXI. Qui et cap. XXXII ostendit, hac de causa ethnicos et hæreticos frontes martyrum exquisitis pœnis excruciasse, quod ipsi se ibidem signarent cruce, quam ipsi extreme oderant.

Ita factum est S. Glyceriæ martyri sub Antonino Pio, ut patet ex ejus Vita 10 maii ; et S. Armogasti martyri, cujus frontem cruce signatam ita arcte nervis constrinxerunt ariani, ut resonare et mugire viderentur : sed virtute crucis, « ut fila aranearum, Sancto cœlum respiciente, crepabant, » inquit Victor Uticensis, lib. I *Persec. Wandalic.*

S. Theophanes et Theodorus a Theophilo Imperatore, crucis et imaginum hoste, in fronte notis compuncti sunt, quas recenset Zonaras tom. V in *Theophilo.*

Refert Gregorius Turonensis, libro III *Miracul. S. Martini*, cap. XXIII, S. Martinum apparuisse cuidam muto et surdo, eumque sanasse pingendo in fronte ejus signum crucis, ac dicendo : « Dominus te sanum fecit, surge et propera ad ecclesiam, et age gratias Deo tuo. »

Constantini per crucem victoria.

Eusebius in *Vita Constantini*, lib. III, cap. II, refert Constantinum solitum signare frontem cruce, « quasi trophæo victorioso. » Nam ipse contra Maxentium ancipiti prælio dimicaturus vidit signum crucis in cœlo, illique adscriptum : ἐν τούτῳ νικᾶ, id est, *in hoc vince*. Dubitanti quid hoc sibi vellet, nocte sequenti apparuit Christus cum crucis signo in cœlo monstrato, ac præcepit ut ejus ad instar vexillum sive labarum efformaret, quo in prælio contra hostes uteretur : fecit, et Maxentium vicit. Ita Eusebius, lib. IX *Hist.* et in *Vita Constantini*, lib. I, cap. XX et XXII. Quocirca idem Constantinus contra Byzantinos dimicans, ac semel et iterum ab iis cæsus, tandem oculos in cœlum sustollens, Deumque invocans, vidit iterum crucem stellis sicut antea effigiatam, eique subscriptum : « In hoc ipso signo omnes hostes vinces. » Postridie ergo signum crucis in acie præferri curans, fortiter illos vicit, et urbem ipsam cepit, quam Imperii arcem ac caput constituit, et ex suo nomine Constantinopolim nominavit. Ita Nicephorus, lib. VII *Hist.* cap. XLVII.

Hac de causa Sanctos omnes tantopere crucem honorasse, adamasse, sitiisse legimus. Inter quos eminens fuit S. Andreas, cujus crucifigendi ad crucem affectuosa salutatio, fidelium omnium animos ad crucis amorem accendit. Similis fuit ardor S. Petri et S. Philippi euntium ad crucem. In *Vita S. Calliopii*, 7 aprilis, narratur quod, cum ipse pro fide Christi crucifigeretur, vox audita sit de cœlo : « Veni, civis Christi et cohæres sanctorum angelorum. » S. Julia ancilla ob fidem christianam crucifixa constanter in cruce efflavit spiritum : de cujus ore sancto columba exivit, et cœlum petiit, uti refert Ado 22 maii, et ex eo Baronius, tom. VI, anno Christi 440. Vere S. Leo, serm. 9 *De Quadragesima* : « Certa, inquit, atque secura est exspectatio promissæ beatitudinis, ubi est participatio Dominicæ passionis. »

Denique putant nonnulli, teste Salmerone in cap. XXIV *Matth.* 30, cruce quasi tessera et trophæo, in frontibus insigniendos omnes Beatos in cœlo, ut significetur eos merito crucis tam Christi, quam suæ cœlum possidere : idque allegorice, vel potius anagogice hic significari, cum dicitur : « Signa thau super frontes virorum gementium ; » litteraliter vero idipsum dicere S. Joannem, *Apocal.* cap. VII, vers. 3, dum ait : « Signemus servos Dei nostri in frontibus eorum. »

6. PARVULUM. — Id est parvulos, quos parentes a puero sua impietate imbuebant ; hos enim cum parentibus occiderunt Chaldæi. Vel ergo erant doli et peccati capaces et noxii, et consequenter rei mortis ; vel, si infantes erant, ideoque innoxii, parentes eorum cæde puniebantur. Infantes vero felices erant, quorum malam educationem, et animæ interitum Deus morte præcidebat. Ita Scholiastes. Vere Plutarchus : « Sicut, ait, ischiacis medici pollicem adurunt, et cum alibi doleant, alibi admovent remedium : ita Deus nonnunquam, ut patres sanet, sævit in filios. » Vers. 6.

NE OCCIDATIS. — Hebræus et Septuaginta, *ne appropinquetis.*

A SANCTUARIO. — Septuaginta, *a sanctis*, id est, ut Theodoretus, primo sacerdotes mihi consecratos occidite ; ut qui gradu et scelere excellit, etiam reliquos supplicio præcedat ; ut quibus occasio fuit ruinæ, exemplum sit necis.

COEPERUNT ERGO A VIRIS SENIORIBUS, — scilicet a 25 sacerdotibus, qui adorabant solem orientem, cap. præced., vers. 16, qui erant ante faciem domus, id est templi, scilicet inter vestibulum et altare. Simili modo ait S. Petrus *epist.* I, IV, 17 : « Tempus est ut incipiat judicium a domo Dei. » Passim hic seniorum scelera insectatur Propheta, quia hi junioribus erant causa peccati ruinæque, et quia erant obstinati, et incorrigibiles. Ambrosius Leonis, cap. CCLXXXV *Problem.*, hoc problema proponit : « Cur senes non corriguntur, ut juvenes ? » ac respondet : « An quia senes duri sunt ob dessiccatum corpus, spiritum et animam ? Durum autem manens, est et immutabile. An quia juvenibus vel una vel altera ætas superest ? hac enim omnia fere mutari consuetum est. Senes vero a nulla ætate altera mutari queunt : sunt enim in extrema. Eam ob rem quæ semel obduxere, ea retinere ac servare solent. »

7. CONTAMINATE DOMUM, — id est templum, id est atrium sacerdotum, ut in loco sancto quo peccarunt, occidantur, *q. d.* Implete atrium cadaveribus impiorum sacerdotum. Subaudi : *Et fecerunt ita.* Unde eo peracto, dicit illis : « Egredimini. » Ipsa concisa narratio significat rem subito, et quasi in momento peractam. Ita Maldonatus. Vers. 7.

8. REMANSI EGO — solus superstes, subaudi, cum signatis : vel, solus in templo inter sacerdotes : nam hi omnes videntur cæsi. Unde Angelus jus-

sus fuit signare aliquos in civitate, sed neminem in templo.

EFFUNDENS. — Id est nihil retinens de furore, sed totum eum effundens, ut totum Judæorum populum deleas.

9. DOMUS ISRAEL. — Ita vocat eos, qui ex decem tribubus remanserant in Juda.

SANGUINIBUS. — Chaldæus *homicidiis*; Septuaginta, *injustitiam, et immunditiam*. *Sanguines* enim vel effusio sanguinis, per catachresin significat quævis enormia scelera, uti jam sæpius dixi.

AVERSIONE. — Hebraice מרטא *mutte*, id est declinatione, defectione, scilicet a Deo ad idola. Per *aversionem* ergo significat violationem primæ tabulæ Decalogi, uti per *sanguines* secundæ.

DIXERUNT ENIM : DERELIQUIT DOMINUS TERRAM, ET DOMINUS NON VIDET, — *q. d.* Hic est fons omnium scelerum, quod impii negent Dei providentiam videre, curare, punire, præmiare facta hominum.

10. VIAM, — actiones. Vers. 10.

11. FECI SICUT PRÆCEPISTI MIHI. — Signavi *thau* gementes, innoxios et pios, uti præcepisti vers. 4. Vers. 11.

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iterum describit Propheta Dei currum Cherubim a se visum in templo, quem vidit et descripsit cap. 1. *Ad hæc, vers.* 6, *jubet Deus viro lineis induto accipere prunas e medio currus sui, easque spargere per Jerusalem, ut hoc signo portendat urbis incendium per Chaldæos.*

1. Et vidi, et ecce in firmamento, quod erat super caput cherubim, quasi lapis sapphirus, quasi species similitudinis solii, apparuit super ea. 2. Et dixit ad virum, qui indutus erat lineis, et ait : Ingredere in medio rotarum, quæ sunt subtus cherubim, et imple manum tuam prunis ignis, quæ sunt inter cherubim, et effunde super civitatem. Ingressusque est in conspectu meo : 3. cherubim autem stabant a dextris domus cum ingrederetur vir, et nubes implevit atrium interius. 4. Et elevata est gloria Domini desuper cherub ad limen domus : et repleta est domus nube, et atrium repletum est splendore gloriæ Domini. 5. Et sonitus alarum cherubim audiebatur usque ad atrium exterius, quasi vox Dei omnipotentis loquentis. 6. Cumque præcepisset viro, qui indutus erat lineis, dicens : Sume ignem de medio rotarum, quæ sunt inter cherubim : ingressus ille stetit juxta rotam. 7. Et extendit cherub manum de medio cherubim, ad ignem, qui erat inter cherubim : et sumpsit, et dedit in manus ejus, qui indutus erat lineis : qui accipiens egressus est. 8. Et apparuit in cherubim similitudo manus hominis subtus pennas eorum. 9. Et vidi, et ecce quatuor rotæ juxta cherubim : rota una juxta cherub unum, et rota alia juxta cherub unum : species autem rotarum erat quasi visio lapidis chrysolithi. 10. Et aspectus earum similitudo una quatuor : quasi sit rota in medio rotæ. 11. Cumque ambularent, in quatuor partes gradiebantur : et non revertebantur ambulantes, sed ad locum ad quem ire declinabat quæ prima erat, sequebantur et cæteræ, nec convertebantur. 12. Et omne corpus earum, et colla, et manus, et pennæ, et circuli, plena erant oculis, in circuitu quatuor rotarum. 13. Et rotas istas vocavit volubiles, audiente me. 14. Quatuor autem facies habebat unum : facies una, facies cherub : et facies secunda, facies hominis : et in tertio facies leonis : et in quarto facies aquilæ. 15. Et elevata sunt cherubim : ipsum est animal, quod videram juxta fluvium Chobar. 16. Cumque ambularent cherubim, ibant pariter et rotæ juxta ea : et cum elevarent cherubim alas suas ut exaltarentur de terra, non residebant rotæ, sed et ipsæ juxta erant. 17. Stantibus illis, stabant : et cum elevatis elevabantur; spiritus enim vitæ erat in eis. 18. Et egressa est gloria Domini a limine templi : et stetit super cherubim. 19. Et elevantia cherubim alas suas, exaltata sunt a terra coram me : et illis egredientibus, rotæ quoque subsecutæ sunt : et stetit in introitu portæ domus Domini orientalis : et gloria Dei Israel erat super ea. 20. Ipsum est animal, quod vidi subter Deum Israel juxta fluvium Chobar : et intellexi quia cherubim essent. 21. Qua-

tuor vultus uni, et quatuor alæ uni : et similitudo manus hominis sub alis eorum. 22. Et similitudo vultuum eorum, ipsi vultus quos videram juxta fluvium Chobar, et intuitus eorum, et impetus singulorum ante faciem suam ingredi.

1. QUASI SPECIES SIMILITUDINIS SOLII, — supple, et Deus specie humana insidebat solio, ut dixit, cap. I, 26. Ita Polychronius, et patet vers. 2.

2. ET DIXIT, — scilicet sedens in solio. Aliqui putant Ezechielem hic, et cap. VIII et IX, tantum vidisse in solio splendorem; sed cap. I, vidisse virum sedentem in solio. Verum hic eum quoque vidisse virum patet, quia vidit cap. VIII, 2, æque ac cap. I, 27, lumbos sedentis, qui sane sunt viri. Et quorsum solium? utique non ut splendor in eo sedeat, sed ut homo. Reliqua explicui cap. I.

INGREDERE IN MEDIO ROTARUM. — Nota : In curru hoc Dei, videtur de more fuisse arca fœderis; ante arcam vero, inter duas rotas erat prunarium significans altare thymiamatis, ac consequenter hoc prunarium erat inter duos Cherubim, quia quæque rota suum habebat Cherub, ut dixi cap. I. Jubet ergo hic Deus, ex suo curru ignem, quo comburenda est urbs, accipi; ut significet urbis incendium, non casu, non hominum consilio, sed Dei providentia et decreto futurum esse (1).

EFFUNDE SUPER CIVITATEM. — Septuaginta, *disperge*, dissemina, ut post cædem civium, de qua cap. præced. civitas tota comburatur. Nam mox, ut ait Polychronius : « Quoquoversum ut sors tulerat, dispergit ignem, simul cunctos calamitate comprehendens. » Alcazar in *Apocal.* VIII, 4, notat. 6, contrarium censet (et innuit S. Hieronymus hic, licet ipse in priore expositione combustionis postea persistat), videlicet post peractam punitionem, et cæsos omnes non signatos, mitti ignem, non ad exurendam, sed ad purgandam et sanctificandam Jerusalem, sicut Isaias, cap. VI, calculo ignito purgatus et sanctificatus fuit; esse ergo hunc ignem charitatis et zeli, quem Christus venit mittere in terram, et voluit accendi. Rursum, ignem hunc prunarum ex altari, symbolum esse religionis, quæ post cæsos non signatos, postque reditum e Babylone in Hierosolyma refloruit, duce et pontifice Esdra; qui proinde videtur esse hic vir lineis indutus, prunas hasce in Jerusalem effundens. Nam pœnitentia ac religio civitatis illius, præcipuus fuit fructus, quem ex ipsius supplicio cepit Deus. Verum ex capitibus seq. æque ac præcedentibus liquet omnia hæc spectare ad clades et incendium Hierosolymæ. Prior ergo expositio verior est.

INGRESSUSQUE EST, — scilicet vir ille linteatus, ut acciperet ignem ex prunario : idem, scilicet Angelus, qui pios signavit et liberavit, cap. præced., vers. 4; hic impios jubetur plectere, impiam eorum urbem comburendo. Angelorum enim munus est Dei jussa exsequi, tam in puniendo malos, quam in præmiando bonos; nec per hoc inquinatur angelorum pietas et sanctitas. Unde Angelus hic, æque ut ante vestitur lineis et mundis vestibus, quia, ut ait S. Bernardus in *Psal.* XC, serm. 8 : « Non inquinabit in sanguine (peccatorum) manus, sed lavabit : ut unde ille cruentus magis, inde iste nitidior videatur. » Et S. Gregorius, XVIII *Moral.* XIII : « In peccatorum, ait, morientium sanguine justi lavant manus : quia dum eorum pœna conspicitur, conspicientis vita mundatur. » Discunt enim homines cavere peccata, quæ a Deo et angelis vident tam graviter puniri.

Hinc allegorice, Angelus hic significat Christum, qui suos hic signat *thau*; in die vero judicii, in reprobos immittet ignem gehennæ. Esse ergo hic elegans symbolum duplicis adventus Christi, si illum altera manu *thau*, sive crucem, altera ignem præferentem quis depingat : *primi* enim adventus symbolum est crux, *secundi* ignis. *Thau* notat primum Christi adventum, ignis secundum.

3. A DEXTRIS (2). — Quia Deum et angelos, inquit S. Hieronymus, dexter locus decet; dæmones sinister : et quia in dextro templi latere erat candelabrum septem lucernis accensis, quæ significant veritatem veramque fidem, et Dei religionem ad omnes gentes a Judæis migraturam, omnesque illuminaturam (3). Vers. 3.

(1) Hujus visionis σχῆμα concipiendum est tale : apparet currus quatuor rotis constructus, quarum binas anteriores præcedebant Cherubi duo, posteriores vero totidem; super plaustrum solium Dei, ante quod in eodem plaustro visebatur prunarium, inter quatuor rotas, sed eis eminentius; unde conveniens erat, ut prunas capturus vir intraret ad locum intermedium rotarum, id est, accederet ad latus plaustri inter binas rotas, manumque elevaret ad prunarium, quod erat inter Cherubos. (Rosenmuller.)

(2) Versus 3, 4, 5, in parenthesi legendos esse recte Grotius monet.

(3) « Quoniam fieri non poterat, inquit Polychronius, ut quamdiu Deus intus aut esset, aut esse videretur, quidquam asperius circa templum contingeret, describit per visionem Deum velut excedentem domo. Illa igitur verba, *stabant a dextris domus*, significant veluti quemdam iratum et imperantem cædem. »

Dextra parte intelligenda est plaga meridionalis (ut Chaldæus, qui vertit, *ab austro domus*), quod a sinistris, id est parte aquilonari, ritus isti superstitiosi peragebantur, de quibus VIII, 5 seqq. et 14. *Dextrum* enim templi latus illud dici, quod ad *meridiem*, uti *sinistrum* quod ad *aquilonem* spectabat, multis ostendit C. B. Michaelis in *Dissert. de locor. differentia ratione anticæ, posticæ*, etc., § XXIX, XXX (in *Sylloge Comment. Theol.* a D. J. Pott edita, vol. V, pag. 134 et seqq.). Eorum sententiæ qui *dextro latere* hoc loco partem domus aquilonarem intelligunt, qua Babylon erat, ut significetur Chaldæos eam devastaturos, Michaelis loco citato recte opponit : « Certe gloria Dei hic non ut ad irrogandum supplicium veniens, sed ut relicto templo suo discessura (describitur), idque ex adyto templi ad limen ejus (IX, 3), hinc vero conscenso curru Cherubinico (X, 18) ad portam

DOMUS — scilicet Dei, hoc est templi. Per domum ergo hic, et in sequentibus intellige templum.

Cur Deus soleat apparere in nube? Respondeo primo.

NUBES. — Quæres, cur Deus passim apparuerit in nube? Respondeo, quia nubes est maximum divinæ providentiæ, gubernationis, et punitionis, æque ac præmiationis instrumentum. Nam *primo*, e nubibus emittit Deus rorem, pluviam, nivem, grandinem, lapides, tonitrua et fulmina. In nubibus etiam apparet iris pulcherrima. Nubes ergo aliquando terrorem, aliquando hilaritatem afferunt.

Secundo, nubibus Deus cœlos obducit, ac solem tegit, ejusque ardorem temperat; iisdem hiemis et glaciei rigorem resolvit ac mitigat. Rursum terram omniaque germina irrigat et fecundat, et totum orbem alit et pascit.

Tertio, Deus nubibus indidit miram velocitatem, ut statim ex una regione in aliam transvolent.

Quarto, Deus nubes ab ima humo educit, et ad summum quasi aeris attollit, quo nulla vis humana pertingere potest, quæ eas impediat.

Quinto.

Quinto, Deus nubes agit ad omnes mundi plagas; nunc ad Orientem, nunc ad Occidentem, nunc ad Meridiem, nunc ad Septentrionem : easque facit modo imbriferas et fecundas, modo siccas et steriles. Merito ergo dixit Moses, *Deuter.* XXXIII, 26 : « Magnificentia ejus discurrunt nubes. » Hinc et nubes in Scriptura dicuntur esse currus quasi regalis Dei. *Psalm.* CIII, 3 : « Ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum. »

Nubes sunt currus regalis Dei.

Deus in nube se ostendit primo, in castris.

Quocirca in Synagoga et Ecclesia *primo*, in columna nubis præcessit Deus castra Hebræorum, eaque deduxit salva in Chanaan.

Secundo. Tertio.

Secundo, cum legem dedit in Sina, nube totum montis cacumen involvit, *Exod.* XIX, 16.

Tertio, Mosis tabernaculum eo die quo absolutum est, æque ac Salomonis templum in die dedicationis, nube implevit.

Quarto.

Quarto, in nube Deus pro populo suo contra Pharaonem pugnavit, interficiens se per nubem inter Hebræos et Ægyptios, *Exod.* XIV, 20.

Quinto.

Quinto, in nube suam præsentiam Deus Hebræis ostendebat, in eaque loquebatur cum Mose, ut ex ea populus Mosen quasi cœlestem legislatorem agnosceret et revereretur, *Deuter.* IV, 11.

Sexto, in Christi transfiguratione : « Nubes lucida obumbravit eos, » ait Matthæus cap. XVII, 5.

Septimo.

Denique, cum Christus ascenderet in cœlum : « Nubes suscepit eum ab oculis eorum, » *Actor.* I, 9; atque veniens ad judicium : Veniet « in nubibus cœli, » *Matth.* XXIV, 30.

Ubi adverte : Nube Deus suam præsentiam solet exhibere, et simul eadem se occultare et tegere, ut indicet suam providentiam præsentissimam esse, pariter et occultissimam. Ita Maternus Firmicus ad Mavortium Lollianum : « Celari, ait, et abscondi plurimis tegumentis natura divinitatis ab initio voluit, ne omnibus facilis esset accessu, neve cunctis patefacta majestatis suæ origine panderetur. » Propria ergo nubium significatio, est divinitatis et providentiæ quasi per velum ostensio. Hinc Christus in transfiguratione et ascensione nube tectus fuit, et tegetur in judicio; ut significetur eum esse supremum mundi dominum, moderatorem et judicem, quod deteget, et toti mundo ostendet in die judicii. Hinc dies nubis vocatur dies vindictæ, qualis erat hæc Ezechielis, et qualis erit in die judicii, ut patet *Joel.* II, 2. Vide dicta cap. I, 4.

Allegorice nubes, deitatis est humanitas Christi.

Allegorice, nubes symbolum est humanitatis Christi : hæc enim celat et velat ejus deitatem. Nubes ergo significat Christi providentiam supernaturalem, arcanam et divinam, qua regit Ecclesiam, illique præfulget quasi columna nubis et ignis, illuminans simul, et protegens eam, ducensque rectis semitis in cœlum. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Isychius, Augustinus, Gregorius, Rupertus, quos citat et sequitur Alcazar, *Apocal.* cap. I, 7, notat. 7.

Symbolice nubes sunt angeli. Tropologice, nubes sunt prædicatores, cur? Prima analogia.

Symbolice, nubes sunt angeli. Hi enim sunt instrumenta et exsecutores divinæ providentiæ. Ita S. Dionysius, cap. XV *Cœlest. Hierarch.*

Tropologice, nubes sunt Apostoli, et prædicatores Evangelii ob novem analogias.

Prima est, sicut nubes e terra et mari in altum sublatæ, a ventis impelluntur : ita et Apostoli ex terrenæ humilitatis humo, et hujus sæculi mari Dei gratia attolluntur, et spiritu Dei aguntur et impelluntur. Ita S. Hieronymus, Augustinus et Gregorius.

Secunda.

Secunda, sicut columna nubis et ignis Hebræis præluxit, et duxit in Chanaan : ita prædicatores in caligine hujus sæculi mundo prælucent, homines que ducunt in cœlum.

Tertia.

Tertia, hæ nubes in populum emittunt doctrinæ cœlestis rorem ac pluviam, qua eum impinguant et fecundant. Ita S. Dionysius, cap. XV *Cœlest. Hierarch.*

Quarta.

Quarta, harum nubium gloria est iris cœlestis, id est Christi passio, I *Corinth.* II, 2.

Quinta.

Quinta, hæ nubes sunt gloriosus Dei currus, qui Christi nomen quovis gentium vehit et portat.

Sexta.

Sexta, harum nubium vox est tonitru, id est Evangelicæ prædicationis efficacia, quo improbos percellunt, et fulgore lucis cœlestis quasi fulmine perstringunt; ita ut intimos mentis et cordis recessus penetrent et afflent.

Septima.

Septima, quia Evangelii mysteria, scilicet, Incarnationis, Trinitatis, redemptionis hominum, Eucharistiæ, etc., ita aperiunt, ut tamen simul quasi nubes eadem tegant, et humanæ rationi impenetrabilia esse ostendant; ut omnes agnoscant verum esse illud Salomonis : « Dominus dixit ut habitaret in nebula; » illudque *Psalm.* XVII, 12 :

atrii orientalem (vers. 9), et hinc porro ad montem (Oliveti), qui ad Orientem orbis (XI, 23), ut vel hinc appareat, dextrum sinistrumque heic capi debere ex respectu ad Orientem. »

« Posuit (Dei majestas) tenebras latibulum suum. »

Octava. *Octava*, nubes in se solis claritatem accipiunt, et desuper valde illustrantur, sed eam refrangunt, et temperatam ac nostro visui accommodatam ad nos transmittunt : ita faciunt et Apostoli, ac doctores et angeli, ait S. Dionysius, cap. XV *Cœlest. Hierarch.*

Denique, harum nubium comitatu septus Christus ad extremum judicium veniet « in sanctis millibus suis, » *Deuter.* XXXII, 2. Ita Alcazar loco paulo ante citato.

4. ET ELEVATA EST GLORIA DOMINI. — Id est solium Dei gloriosum, quod erat super Cherubim, ipsis volantibus translatum est a dextero angulo vestibuli sanctuarii, ubi sententiam cædis et incendii in urbem pronuntiaverat, ad limen orientale domus, id est atrii interioris sacerdotum, quod inde repletum est nube : atrium vero exterius repletum est splendore gloriæ Domini, qui a nube splendida et gloriosa manabat.

Nota : « Gloria Domini, » sive Deus gloriosus, in Scripturis tripliciter nuncupatur, et tribus rebus assimilatur. *Primo*, vocatur lux, ut I *Timoth.* cap. VI, 16 : « Lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum videre potest. » Et *Psalm.* CIII, 2 : « Amictus lumine sicut vestimento. » Est enim Deus in se, suaque natura lux et claritas increata et immensa.

Secundo, nuncupatur caligo, nubes, nebula, tenebræ. Aliqui putant ipsam lucem Dei inaccessam, ipsumque jubar divinitatis vocari caliginem et nubem, eo quod nimia hac luce siderentur mortalium oculi, nec aliam Mosi et Hebræis apparuisse nubem vel tenebras, nisi ingentem lucem quæ intuentium oculos feriret et perstringeret. Ita censet noster Prado hic. Favet Cajetanus, qui illud *Actor.* I, 9 : « Nubes suscepit eum ab oculis eorum, » exponit de luce nimia, quæ a corpore Christi glorioso dimanabat. Unde et aliqui dicunt illam veluti nubem in longum ductam, quæ lacteam in cœlo viam efficit, nihil esse aliud quam plurium stellarum ibi congregatarum fulgorem. Verum contrarium longe verius est, scilicet proprie dictam fuisse nubem et caliginem, qua se Mosi et Hebræis exhibuit Deus. Esto enim ipse in se totus sit lux, tamen quia oculi hominum hanc lucem non ferunt, nec capiunt; hinc eam tegit et vestit nube (unde *Psalm.* XCVI, 2, et alibi dicitur : « Nubes et caligo in circuitu ejus »); ita tamen, ut aliqui lucis ejus radii per nubem diffundantur, et transpareant, quia per hos Deus aliquid suæ claritatis ostendit; aliquid et longe amplius nube velat et abscondit. Porro in lege veteri fere ostendit se Judæis per nubem obscuriorem : quia illa lex, æque ac Dei cognitio erat Judæis obscura; et quia lex illa erat umbrosa, ac terrore rudes Judæos cogens ad legis divinæ observantiam. In nova vero lege ostendit se per nubem lucidiorem : est enim nunc clarior Dei cognitio quam olim; estque lex Christi amoris, non timoris. Hinc in transfiguratione Christi, « nubes lucida obumbravit eos, » Apostolos scilicet, tres Christi comites, *Matth.* XVII, 5. Nubes enim lucida significat Dei familiaritatem et favorem erga Christianos, indeque Christianorum prosperitatem et felicitatem : nubes vero obscura et tenebricosa significat Dei terrores et minas erga Judæos, indeque eorum plagas et adversitates. Hinc

Tertio, Deus apparuit in fumo, ut cum dedit legem in Sina, totus mons ardere et fumare videbatur, *Exod.* XIX, 18. Fumus hic minax erat incendii, simul et excæcationis Judæorum, si, uti fecerunt, legem Dei violarent : qua de causa urbs et templum tum a Chaldæis, tum postea a Romanis et Tito incensa, et in fumum cineresque redacta sunt. Quare non recte aliqui, ut Forerius in *Isaiæ* IV, 5, fumum cum nube confundunt, putantque fumum eumdem fuisse cum nube. Porro fumum fuisse symbolum excæcationis Judæorum, et præsertim sacerdotum, docent S. Hieronymus, Cyrillus et Græci in illud *Isaiæ* VI, 4 : « Et domus repleta est fumo. » Nam paulo post vers. 10, sequitur : « Excæca cor populi hujus. »

5. VOX DEI OMNIPOTENTIS, — id est ut Symmachus et Theodotion, *quasi tonitrui Dei*. Significat hæc alarum vox migrationem Dei et angelorum ex templo. Unde sub Tito, ait Josephus, audita est vox e templo : *Migremus hinc.* Pro *omnipotentis* hebraice est שַׁדַּי *saddai*, quod Deum, et qua beneficum potentemque, et qua vastatorem (qualis hic erat) significat, uti dixi *Genes.* XVII, 1.

7. EXTENDIT CHERUB MANUM (scilicet unus) DE MEDIO CHERUBIM, — id est unus e quatuor Cherubinis. Nam *in medio esse* Hebræis idem est quod esse ex illis, vel esse inter illos.

DEDIT, — scilicet ignem, qui præcessit, ad Jerusalem inflammandam.

8. MANUS HOMINIS, — et consequenter brachii : erant enim Cherubim quasi homines, specie et forma humana. Porro manus hæc non erat exerta, sed sub pennis, quasi gladius intra vaginam, ut significetur hæc esse comminatio, sed quæ habeat alas ad celerem et efficacem exsecutionem. Ita Fernandius, *visione* XVI, sect. I, qui et aliam dat causam : Manus, inquit, erat sub alis quasi sub penicillo, quo clades urbis depingebatur Prophetæ, ut innueret incendium hoc esse pictum, sed tale, quale hic pictum erat, realiter Hierosolymæ obventurum.

9. CHRYSOLITHI. — Hebraice *tharsis*, id est marini coloris, ut dixi cap. I, 16; Symmachus vertit, *hyacinthi*; Septuaginta, *carbunculi*, ut scilicet ignem, et incendium Hierosolymæ significent, ait S. Hieronymus. Idem significat chrysolithus, qui aureis et igneis lineis punctisque inspergitur et variegatur, teste Plinio.

10. ASPECTUS (id est forma et species, erat) SIMILITUDO (id est similis et) UNA (omnibus) QUATUOR (rotis) : QUASI SIT ROTA IN MEDIO ROTÆ, — *q. d.* Erant hæ rotæ non curules, sed quasi coluri. Vide Vers. 10

dicta cap. I, 16. Unde recte Alcazar in *Apocalyps.* pag. 362, sic explicat : Rota una in aliam inserta erat in angulos rectos instar coluri. Erant ergo in rotis singulis quatuor conjuncturæ, sive semicirculi : in quibus singulis singuli erant aspectus, id est quatuor facies animalium. Ergo facies primæ conjuncturæ, sive primi semicirculi rotarum omnium, vitulinæ erant omnes; secundæ humanæ, tertiæ leoninæ, quartæ aquilinæ. Aliter Prado : vult enim rotas has curules fuisse, non coluros; unde quamlibet duplicem habuisse faciem, non quadruplicem, uti habent communes carrucæ.

11. IN QUATUOR PARTES, — id est latera vel angulos currus, ut jam in dextrum, jam in sinistrum, jam retrorsum, jam antrorsum moverentur, ut dixi cap. I, 17. Aliter Prado : In quatuor, inquit, partibus, id est angulis, currus rotæ circumvolvebantur, hoc est omnes rotæ, totusque currus circumvolvebatur, et pergebat eo, quo pergebant Cherubini. Verum hoc frigidum est. Quis enim nescit moto curru omnes rotas, partes et angulos currus moveri?

NON CONVERTEBANTUR — alio, sed motum primæ rotæ uniformiter et constanter sequebantur cæteræ.

Vers. 12. 12. CORPUS, — Hebraice *caro*, id est corpus, *q. d.* Totum corpus rotarum, id est ipsæ rotæ totæ.

COLLA. — Hebraice *terga*, id est modioli rotarum.

ET MANUS, — id est radii, quibus canthi modiolo jungebantur.

ET PENNÆ (id est circuli, sive canthi lignei, qui rotæ sunt quod pennæ avi); ET CIRCULI, — id est canthi ferrei, quibus lignei firmantur. Tribuit enim rotis figuram volucris, ut ingentem earum velocitatem indicet. Hæc omnia plena erant oculis, id est stellis cælatis, quia repræsentabant cœlum stellis collucens. Unde et cap. I, 18, non Cherubinis,

Oculi in rotis ad litteram? sed rotis oculi tribuuntur. Ita S. Hieronymus, Vatablus, Maldonatus et alii.

Secundo, Theodoretus et Lyranus hæc omnia de ipsis Cherubinis accipiunt, et probabiliter. Hi ergo pleni erant oculis. Significant enim Ecclesiæ prælatos et doctores, qui quasi stellæ fulgebunt in perpetuas æternitates. Sic et rotarum quadriga plena ocellis, significat Dei providentiam oculatissimam : et mystice justos, qui fulgent ut splendor firmamenti.

Tertio, alii, quibus favet Maldonatus rotis tribuunt corpus et circulos; Cherubinis vero colla, manus et pennas, ut hic exprimat quod cap. I subticuit, scilicet hæc omnia plena fuisse oculis.

Hæc sententia valde probabilis et congrua videtur. *Primo*, quia colla, manus et pennæ proprie sunt Cherubinorum, non rotarum : atque de Cherubinis et rotis mixtim et confuse loquitur Propheta; quia erant quasi unum quid, sicut auriga et currus sunt quasi unum quid in aurigando : rotæ enim quoquoversum sequebantur Cherubinos quasi suos duces, ac si iis fuissent alligatæ. *Secundo*, quia Cherubini S. Joannis, *Apocal.* IV, 8, pleni erant oculis : illi autem iidem sunt cum hisce Ezechielis. *Tertio*, quia tam, vel magis decebat Cherubinos, utpote duces, circumquaque esse oculatos, quam rotas : hi enim oculi significant angelos, et præsertim Cherubinos, esse perspicacissimos, sapientissimos et providentissimos. Recte Andreas Cæsariensis, *Apoc.* IV : « Multitudine, ait, oculorum significatur mirifica vis, qua pollent cœlestes beatique spiritus, ad hauriendos divinitatis radios. » *Quarto*, quia Hebræa ad verbum habent : *Et omnis caro eorum, et dorsum eorum, et manus eorum, et alæ eorum, atque rotæ plenæ erant oculis circumquaque ipsis quatuor rotis ipsorum*, scilicet Cherubinorum, ut vertunt Vatablus, Septuaginta et alii. Quæ verba plane significant et Cherubinos, et rotas, plenos fuisse oculis; Cherubinis enim proprie competit caro, id est corpus; dorsum, manus et alæ; quæ metaphorice tantum conveniunt rotis, juxta sensum primo datum : quia scilicet spiritus vitæ erat in rotis, ac consequenter rotæ videbantur habere carnem, id est corpus et membra, quæ hoc spiritu quasi vegetarentur. Utrumque ergo verum est, et utrumque significat hic Scriptura unum de Cherubinis proprie, alterum de rotis metaphorice. Atque hac de causa noster Interpres pro *rota* vertit, *circuli* : quia hebræum אופנים *ophannim* proprie **rotas**, et consequenter circulos (qui sunt quasi rotæ extimæ, sive canthi) significat : rursum pro *eorum* vertit, *earum*, quia de rotis agebatur : et quia Hebræum *ophannim*, id est rotæ, tam est masculinum, quam est *Cherubim* : הם *hem* ergo, id est *eorum*, tam ad *ophannim*, id est rotas, quam ad *Cherubim* referri potest : de utrisque enim egit in præcedentibus, scilicet prius de *Cherubim*, deinde de *ophannim*, id est de rotis : ac proinde de utrisque hic asserit, quod pleni fuerint oculis. Dum ergo Noster vertit : « Omne corpus earum, et colla, et manus, et pennæ, et circuli plena erant oculis, » videtur primum et ultimum, id est corpus et circulos, ad rotas, tria vero media, scilicet colla, manus et alas, ad Cherubinos referre. Pronomen enim *earum*, cum ait « corpus earum, » rotas notat, non Cherubinos, ut patet : licet ex Hebræo, ut dixi, corpus quoque, vel, ut hebraice est, caro, proprie ad Cherubinos, metaphorice ad rotas referatur, æque ac colla, manus et alæ. Circuli vero non nisi ad rotas pertinent, qui Hebræum *ophannim* non nisi rotas aut circulos rotarum significat.

Symbolice : « Rotæ, ait S. Hieronymus, habent colla, manus, et pennas, ut efficientias rerum in singulis, non membrorum imagines sentiamus. » Significant ergo hæc, obsequia a rotis, et a creaturis insensibilibus Deo debita. Nam collum jugo, manus operi, pennæ volatui serviunt, quæ sunt propriissima ad perfecte obediendum instrumenta. Unde rotas, quas primo vocavit אופנים *ophannim*, hic vocat גלגל *galgal*, id est volubiles. Datur ergo hic schema perfectæ obedientiæ, quod ita

depingit S. Bernardus, tract. *De Præcep. et dispensat.* « Verus obediens mandatum non procrastinat, sed statim parat aures auditui, linguam voci, pedes itineri, et se totum intus colligit, ut mandatum peragat imperantis. »

13. ET ROTAS ISTAS VOCAVIT VOLUBILES. — Deus currus auriga, vel aliquis Cherubinorum inclamavit : *O galgal!* id est, o rotæ! scilicet volvimini, vel agite hoc vel illud. Subticet enim formam dati præcepti. Ita Vatablus. *Secundo* et simplicius, *q. d.* Rotas has, quæ proprie hebraice vocantur אופנים *ophannim*, Deus propter velocitatem vocavit גלגל *galgal*, id est volubiles. Unde Septuaginta retinent hebræam vocem, vertuntque : *Vocavit Deus Gelgel.* Ita S. Hieronymus, Chaldæus et alii.

Rursum, τὸ *volubiles* significat rotas fuisse ingentes : ingens enim erat currus, utpote Dei. Nam rotæ magnæ magis volubiles sunt quam parvæ. Hinc Romæ in parvis curribus utuntur rotis ingentibus : experiuntur enim equos in iis trahendis minus laborare, et per eas onera et pondera longe majora attrahere, quam per parvas. Eas adinvenit magnus ille basilicæ S. Petri (quæ vere orbis est miraculum) architectus Michael, qui inde *Bonarota* est cognominatus. Ejusque ratio est clara. Majores enim rotæ magis aptæ et accommodæ sunt ad rotationem, ideoque magis capaces ad vim et impulsum attrahentis recipiendum, quam sint minores : sicut pila, vel globus magis accommodus est ad motum et rotationem, magisque capax vis impressæ quam sit folium, vel papyrus : unde fit ut eadem vi longius quis projiciat pilam vel globum, quam folium vel papyrum. Sicut ergo eadem qualitas (v. g. calor) recepta in subjecto capaciori, v. g. densiori, puta in ferro, efficacius et validius agit, quam recepta in subjecto minus capaci, v. g. minus denso, puta in aere vel aqua : ita et hic eadem vis, idemque impulsus magis movet rotatque rotas majores quam minores, quia illæ his sunt magis accommodæ ad rotationem, magisque capaces impulsus et motus, ideoque volubiliores. Ad hæc, quo magis linea, sive peripheria distat a centro, eo celerius (quia majorem describit circulum, ideoque plus spatii conficit) a vi trahente vel impellente movetur, atque ob id facilius. In centro enim consistit, hæretque pondus et gravitas rotæ, axis et currus : quod proinde a vi trahente per se et directe attrahitur; sed per rotas majores (utpote volubiliores et celeriores) facilius, per minores difficilius. Rursum majores rotæ, quia volubiliores, facilius rotant axem sive modiolum, et per axem currum, ejusque onera. Pondus enim, axis et currus, quod in parvis rotis quasi contrahitur, et circa axem hæret, æque ac rotæ, in magnis rotis, et in magna canthorum peripheria, per eam quasi dispergitur, ideoque minuitur, et quasi evanescit. Quocirca pondus centri, sive axis, minus gravitat in rotis majoribus, quam in minoribus. Adde majores habere plures partes impellentes, quam habeant minores. Habent enim plures majoresque canthos in peripheria, qui per impulsum a vi trahente sibi impressum, simul omnes valide impellunt rotantque axem; ideoque facilius eumdem versant et volvunt, quam minores. Ita vidi Coloniæ ad Rhenum ingentes rotas, in quibus unus homo incedens, easque incessu suo versans, per funes cum rota circumactos, ingentia vini plaustra e navibus attollebat et educebat. Simile est in vecte, qui si longus sit majus pondus attollit, quam si brevis. Rursum, si duo in vecte ferant pondus, ille cui pondus est vicinius, magis sentit onus, quia breviori vectis parte illud sustinet, etc. Pulchre hæc ad oculum demonstrat Alexander Picolominius in *Quæst. Mechanicis.*

Vectis longus majus pondus attollit, quam brevis. cur?

Nota : Rotæ hebraice dicuntur *ophannim*, quod Hebræi volunt esse angelorum certorum nomen, sicut Seraphim et Cherubim : unde pleni sunt oculis; et spiritus vitæ erat in eis. Erant ergo intellectuales substantiæ Deo propinquæ, uti et Cherubim. Non sunt autem Throni (quia hi sunt thronus Dei : *ophannim* autem vehunt thronum Dei), sed Principatus, ait Prado. Verum hoc symbolicum est, non litterale. Ad litteram enim *ophannim* significat rotas; easque veras et proprias hic intelligi patet, tum ex eo quod erant rotæ quadrigæ Dei, tum ex eo quod vocentur volubiles.

Ophannim, id est rotas, esse angelos censet Prado.

14. QUATUOR FACIES HABEBAT UNUM, — scilicet animal, id est quisque Cherubim. Ita Septuaginta ex Hebræo quoque vertas : *Quatuor facies habebat una*, scilicet rota quælibet. De rotis enim præcessit : et rotas, æque ac Cherubim habuisse quatuor facies dixi v. 10. Atque hæc est causa, cur prima facies vocetur Cherub, id est bovis. Hæc enim est prima in rotis, uti jam dicam.

Vers. 14.

FACIES UNA, FACIES CHERUB, — id est *bovis*, ut vertit Arabicus Antiochenus. Ita et S. Hieronymus, Vatablus, Maldonatus, Prado et alii. Nota *Cherub* per metathesin idem esse quod *rocheb*, id est equitans, vel agens currum. Quatuor ergo angeli dicuntur Cherubim, quia agebant et præcedebant Dei currum. Hic tamen appropriatur facies, id est forma Cherub, formæ bovis, quia boum proprie est agere currum. Cherubim ergo humana erant forma; sed habebant faciem quadruplicem, scilicet bovis, qui hic vocatur Cherub : hominis, leonis et aquilæ. Humana erat primaria, quoad personam; sed bovina erat primaria, quoad currum : boum enim est, non hominum, trahere currum. Primariam personam exposuit cap. I. Hic ergo exponit primariam speciem currus Cherubici, ideoque vocat eam Cherub, quia eum vidit hic moveri et agitari, quem cap. I quietum et consistentem viderat : in motu enim et tractu currus primas tenet bos. Dat enim causam cur rotas vocavit volubiles, quia scilicet agebantur a Cherub habente speciem bovis.

Bos vocatur Cherub quasi rocheb, id est, trahens currum.

Aliter alii : « Pro facie vituli ponitur facies Cherub, » ait Antonius Fernandius, *De Vision. veteris Testam.* vision. XVI, sect. II, « quia Cherub ad arcam erat specie, non vituli, sed pueri elegantis;

ut significetur per faciem vituli, id est per labores angelorum quos circa nos impendunt, ut ad pœnitentiam convertant, nos interventu pœnitentiæ, in Cherubinos quosdam converti : quoniam resipiscendo ad veram sapientiam perducimur, qua fimus cautiores in posterum. » Censet ergo ipse, Cherub hic mutasse faciem vitulinam, quam habuerat cap. I in humanam pueri : et sic R. David, et Pagninus in *Lexico*, *Cherub* interpretantur *puer*, quod fuerit specie et facie pueri. Sed obstat quod sequitur : « Et facies secunda, facies hominis. » Ergo prima non erat hominis, sed bovis. Fuerunt enim hic eædem facies, uti et iidem Cherubim idemque currus, qui fuerunt cap. I. Proinde minus probabiliter Emmanuel Sa e contrario censet, Cherubim faciem primariam humanam, quam habebant cap. I, mutasse hic in faciem bovinam. Nam secunda facies dicitur hic fuisse hominis, non prima. Denique eosdem fuisse hic Cherubim, et easdem facies, quæ fuerunt cap. I, patet ex vers. 20 : « Ipsum, inquit, est animal quod vidi, etc. Et intellexi quia Cherubim essent. Quatuor vultus uni, etc. Ipsi vultus quos videram juxta fluvium Chobar. »

Allegorice, prima facies Christi et dignitas est, quod quasi bos, victima fuerit immolatus pro hominibus, et per hanc factus est Cherub, id est gloriosum nomen, æque ac corpus accepit, ut esset mundi redemptor.

S. Thomas Aquinas, cum a condiscipulis ob modestiam et juge silentium rideretur, bosque mutus nuncuparetur, ab Alberto Magno præceptore suo defensus, audiit : « Bos hic mutus brevi edet vocem, quam totus exaudiet orbis. » Ita factum est, cum scilicet bos hic laborando, docendo, scribendo versus in gloriosum Cherub, angelici Doctoris nomen accepit. Hunc sequere, o christiane, o Religiose, o doctor, o prædicator! et angelus, imo Cherub et Seraph, efficieris. Labor ergo boves facit angelos et cherubinos. Unde :

Tropologice, bos symbolum est laboris. Hinc bovem, bovisque symbolum ita pingit Ovidius, XV *Metamorph.* :

> Quid meruere boves, animal sine fraude doloque,
> Innocuum, simplex, natum tolerare labores?

Unde Ægyptii, teste Pierio in *Hieroglyphicis*, volentes laborem pingere, pingebant caput bovis; et Romani illud corollis, corymbis et sertis redimire solebant (qualis corona sive fascia molem operosam Adriani hic Romæ, quæ nunc castellum S. Angeli dicitur, ambiebat, cujus frusta adhuc cernuntur), ut significarent fructus et glorias ex labore manantes; scilicet quod labores faciant Cherubos, id est angelos nobilissimos et gloriosissimos. Id in primis præstant labores virorum Apostolicorum, qui Evangelii et Ecclesiæ Christi currum per totum orbem circumagunt. Ita Claudianus in *Nuptiis Honorii* :

> Herculem, *ait*, duri celebrant labores :
> Ille Centauros domuit superbos;
> Abstulit sævo spolium leoni;
> Cerberum traxit triplici catena;
> Ultimus cœlum labor in reflexo
> Sustulit collo, pretiumque rursus
> Ultimi cœlum meruit laboris.
> Ite nunc, fortes, ubi celsa magni
> Ducit exempli via.

Sallustius in *Jugurtha* : « Audivi, ait, sæpe a sanctis viris, munditiam mulieribus, laborem viris convenire; hominibus bonis oportere plus gloriæ quam divitiarum esse. »

Alexander Magnus videns suos post tot prælia remissiores factos, et luxui indulgere, eos modeste reprehendit, dicens : « Nihil magis servile est, quam luxuria; nihil magis regium quam laborare. » Ita Plutarchus in *Alexandro*.

Arianus, lib. III *Histor.* : « Ego, ait, nullum generoso viro laborum finem statuo, quam labores ipsos, qui ad gloriam et decus ducunt. »

Democritus dicebat omnes labores otio jucundiores esse, quando illa consequuntur homines, quorum gratia laborant, aut consecuturos se sciunt. Ita Stobæus, *serm.* 29.

Idem rogatus quomodo laboriosi differrent a desidiosis : Quo, inquit, pii ab impiis : spe nimirum bona. Sperant enim qui corpus laboribus exercent pinguia laborum præmia; desides autem semper præsentem intuentur paupertatem. Ita Maximus, *serm.* 32.

Diogenes, teste Laertio, lib VI, cuidam monenti, ut jam senex, quiesceret a laboribus : « Quid, inquit, si in stadio currerem, utrum oporteat jam metæ vicinum cursum remittere, an magis intendere? »

Ptolemæus, initio Almagesti : « Quanto, inquit, magis fini appropinquas, tanto magis bonum cum augmento operare. »

Severus Imperator, teste Spartiano, symbolum tribuno dari jussit : « Laboremus; » Pertinax vero : « Militemus. »

Alfonsus rex Aragoniæ seni cuidam ebrietatem suam excusanti, quod vinum esset lac senum, respondit : « Sed regum cibus est honos, quem dii non otio aut luxu, sed improbis laboribus hominibus vendunt. » Ita Panormitanus in *Gestis ejus*.

Florus hos versus scripserat in Cæsarem Adrianum :

> Ego nolo Cæsar esse,
> Ambulare per Britannos,
> Scythicas pati pruinas.

Cui Cæsar respondit :

> Ego nolo Florus esse,
> Ambulare per tabernas,
> Latitare per popinas
> Culices pati rotundos.

Ita Suetonius.

Præclare Philo, lib. *De Sacrific. Abelis* : « Sicut, ait, a cibo pendet tota vita cum suis actionibus; ita a labore pendet quidquid in rebus bonum est. Sicut enim cibus se habet ad vitam, sic labor ad honestatem. »

Ita Vespasianus, Masinissa rex Numidarum, Carolus Magnus, et Maximilianus I imperator, laboribus assiduis, et valetudinem tuiti sunt, et imperium propagarunt.

Laertius scribit Cleanthem philosophum vocatum fuisse alterum Herculem, quod esset omnium laborum patientissimus, adeo ut noctu hauriret aquam e puteo, ut sibi victum pararet, unde et φρεάντλης vocatus est.

Brachmanes philosophi pueros impransos extrudebant foras, si quando nihil operæ vel parentibus, vel suis rebus necessariis dedissent.

Parthi, teste Dionysio, lib. *De Situ orbis*, cavebant ne quis, exorto die, ante liberis victum præberet, quam cursus, jaculandique certamine suscepto, sudore circumquaque diffuso fessi permaduissent. Idem etiamnum observant nonnulli Indorum reguli, ideoque vegeti perdurant ad longam ultimamque senectam, ut e litteris nostrorum Patrum, qui in Indiis versantur, intellexi.

Narratur de rustico morituro, qui vocatis filiis : « Vobis, ait, parce vivendo, quidquid potui in vita mea recondidi, idque totum in vinea nostra quærere poteritis. » Mortuo patre, filii putantes eum in vinea thesaurum abscondisse, ligonibus totum vineæ solum perfodiunt, ac thesaurum quidem invenere nullum; terra tamen fodiendo perculta, vites uberrimum fructum tulere.

Hæc Gentiles. Quid hic dicant, quid faciant Christiani? quibus pro modico labore æterna quies et beatitudo promittitur, quibus assidua tuba Apostolica insonat : « Momentaneum et leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis : » qui ducis sui Christi Domini continuos labores et fatigationes, amore sui susceptos intuentur, audiuntque eum inclamantem : « Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea : » laborem labori, amorem amori repende : qui Anachoretarum duras exercitationes, Apostolorum itinera et pericula, Virginum certamina, Episcoporum vigilias, Martyrum agones quotidie legunt, audiunt, celebrant : qui Laurentios, Stephanos, Vincentios, Hilariones, Antonios, Agnetes, Cæcilias; qui Petros, Paulos, Thomas, Andreas in hac arena luctantes, præsultantes, vincentes et triumphantes aspiciunt : qui Deum agonothetem, in hoc brevi stadio fortiter laborantes et intuentem, eisque bravia immensa adornantem et ostentantem contemplantur. Quid non vincat Dei, quid non Christi amor? Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames, etc.? Quis non esuriat labores? Quis non sitiat cruces Christi amore, qui scit quis quantusque sit Deus, cui vitam et omnia nostra debemus; qui scit quantus Christi in nos sit amor, qui eum ad nostram carnem, crucem et mortem atrocissimam adegit et impulit? Præclare S. Hieronymus, *ad Eustochium, De Custod. virgin.*: « Hæc, ait, est sola digna retributio, cum sanguis sanguine (sudor sudore, labor labore) compensatur; et redempti cruore Christi, pro redemptore libenter occumbimus. Quis Sanctorum sine certamine coronatus est? » Et : « Amemus Christum, ejusque semper quæramus amplexus, et facile videbitur omne difficile, brevia putabimus universa quæ longa sunt : et jaculo illius vulnerati, per singula momenta dicemus : Heu me, quia peregrinatio mea prolongata est! » Et S. Bernardus *ad Cleric.* cap. XXX : « Non sunt, ait, condignæ passiones » et labores « hujus temporis ad præteritam culpam, quæ remittitur : non ad præsentem consolationis gratiam, quæ immittitur : non ad futuram gloriam, quæ promittitur. » Idem alibi dat stimulum, simul et dulciarium laboris : « Ubi amor, inquit, ibi non est labor, sed sapor : » qui ergo laborem sentit, deficit in amore. Ut ergo laborem non sentias, ama. Amanti enim nil difficile, sed currit, volat, superat omnia ardua.

ET IN TERTIO, — non animali, sed aspectu, *q. d.* Tertia facies erat leonis.

ET IN QUARTO, — id est quarta erat aquilæ. Quodque enim animal in aspectu ad quatuor latera, quatuor hasce habebat facies.

15. ELEVATA SUNT CHERUBIM — alis, quasi volando in altum.

IPSUM EST ANIMAL. — Est enallage numeri singularis pro plurali, *q. d.* Ipsa sunt quatuor animalia, quæ videram juxta fluvium Chobar, cap. I, 13.

16. CUMQUE AMBULARENT CHERUBIM, IBANT PARITER ET ROTÆ. — Significat, *primo*, nec in regnis, nec in Ecclesia, quæ est currus Dei, fieri motus, tumultus, vicissitudines, mutationes, sine Dei et angelorum providentia. Ita Scholiastes. « Nihil, ait S. Augustinus, lib. III *Trinit.* IV, fit visibiliter et sensibiliter, quod non de interiore, invisibili atque intelligibili aula summi Imperatoris aut jubeatur, aut permittatur, secundum ineffabilem justitiam præmiorum atque pœnarum, gratiarum et retributionum, in ista totius creaturæ amplissima quadam immensaque republica. »

Secundo, significat quod si Cherubim, id est Prælati, exemplo præeant currum, id est fideles, eos mox secuturos : quia spiritus vitæ, qui agitat supra terram Cherubim ad volandum, excitat rotas ad sequendum pernicissime in terra; sed ita, ut vix in puncto terram tangant. Qui et si plane in altum elevarentur Cherubim, elevabantur pariter et rotæ, eos sequentes, uti sequitur. Hoc est quod iis præscribit S. Petrus *epistola* I, cap. V, 2 : « Pascite qui in vobis est gregem Dei, etc. Neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. »

18. EGRESSA EST GLORIA DOMINI A LIMINE TEMPLI, — id est a limine portæ atrii interioris sacerdotum.

ET STETIT. — Est hebraismus, id est stans super Cherubim. Nunquam enim ab eis, et suo solio recessit. Deseruit ergo Deus templum, et Judæos tempore Ezechielis ad tempus; ac plane et in perpetuum tempore Christi, quia vera Dei religio et fides migravit ad gentes.

ELEVANTIA. — Cherubim est masculinum; sed Septuaginta et Græci faciunt neutrum. Hos sequitur S. Hieronymus vertens, *elevantia*, et S. Paulus *Hebr.* IX, 5; intelliguntur enim animalia. Ait enim de iis : « Ipsum est animal. »

STETIT IN INTROITU PORTÆ. — « Portæ, » scilicet atrii populi.

ET GLORIA DEI (id est thronus gloriosus Dei) ERAT SUPER EA. — En quam ægre suam domum deserit Deus ! quot stationes facit !

20. IPSUM EST ANIMAL, QUOD VIDI SUBTER DEUM ISRAEL, — puta sub imagine electrina, quæ Deum referebat, insidebatque solio, quod erat supra firmamentum, et capitibus Cherubim imminebat, cap. I, 26.

QUIA CHERUBIM ESSENT, — id est, quia similes essent Cherubinis templi nostri, quos omnes Hebræi, maxime sacerdotes, qualis sum ego Ezechiel, novimus.

21. ET SIMILITUDO MANUS HOMINIS SUB ALIS EORUM. — *Manus* significant exsecutionem, *alæ* celeritatem. Manus ergo hic necdum exerta, sed adhuc sub pennis quasi latens, est quasi gladius intra vaginam; ut tacita quidem sit interminatio, sed quæ habeat alas, ad celerem et certam exsecutionem vindictæ, excidii et incendii Hierosolymæ.

22. INTUITUS EORUM, — *q. d.* Ipso intuitu et oculis indicabant singuli se ad anteriora properare.

ET IMPETUS. — Hebraice est אותם *otam*; Septuaginta, *ipsamet*, vertunt enim : *Et ipsamet* (animalia) *secundum faciem suam ambulabant.* Alii apud Vatablum vertunt, *essentia eorum*; S. Hieronymus, *signum eorum.* אות *ot* enim hebraice significat signum, *q. d.* Impetus eorum, puta Cherubinorum, erat signum eos coram facie ad anteriora ferri, ac procedere; non vero regredi. Hoc toties repetitum significat allegorice Dei aurigæ constans decretum deserendi Synagogam, ac sensim migrandi ad Ecclesiam gentium.

Vita Sanctorum est progredi non regredi.

Tropologice, significat vitam Sanctorum esse progredi, non regredi. Quid enim ipsa est aliud, quam iter proficiscentium? quam navigantium? quam peregrinantium? quam currentium in stadio? ut ait Apostolus I *Corinth.* IX, 64; *Hebr.* XI, 13; *Philip.* III, 12. Qua in re præcedit nos dux noster Christus Dominus : qui, ut ait Psaltes *Psalm.* XVIII, 6 : «Exsultavit ut gigas ad currendam viam; » cujus proinde nomen est : « Accelera spolia detrahere, festina prædari, » *Isaiæ* VIII, 3. Ita Prado. Unde et S. Hieronymus : « Intuitus, inquit, Cherubim, et appetitus eorum est oblivisci præteritorum et in futura se extendere. » Denique Christus, *Matth.* XI, 12: «Regnum, ait, cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. » Sine vi ergo continua cœlum non conscendes; arduos, laboriosos, imo violentos duntaxat cœlum recipit; est enim domus fortium, est domus philoponi. Labor ergo est Cherub, qui Eliam curru igneo eo vexit, nosque pariter vehet. Quocirca Abbas Athanasius apud Sophronium in *Prato spirital.* cap. CXXX, audiens choros laudantium Deum, volensque ad eos ingredi, audivit a Cherubo, ab angelo, inquam: «Nemo negligens huc ingreditur; abite, certate, contemnite vanitates sæculi. »

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Judæis, qui contra Dei jussum remanserant in Jerusalem, prædicit excidium : iis vero, qui Deo et Jeremiæ obedientes tradiderant se Chaldæis, ductique erant in Babylonem, promittit vers. 6, reditum in Jerusalem; atque ab his avolans ad Christianos, promittit eis cor carneum, et spiritum novum (1).

1. Et elevavit me spiritus, et introduxit me ad portam domus Domini orientalem, quæ respicit ad solis ortum : et ecce in introitu portæ viginti quinque viri, et vidi in medio eorum Jezoniam filium Azur, et Pheltiam filium Banaiæ, principes populi. 2. Dixitque ad me : Fili hominis, hi sunt viri, qui cogitant iniquitatem, et tractant consilium pessimum in urbe ista, 3. dicentes : Nonne dudum ædificatæ sunt domus? hæc est lebes, nos autem carnes. 4. Idcirco vaticinare de eis, vaticinare, fili hominis. 5. Et irruit in me spiritus Domini, et dixit ad me : Loquere : Hæc dicit Dominus : Sic locuti estis, domus Israel, et cogitationes cordis vestri ego novi. 6. Plurimos occidistis in urbe hac, et implestis vias ejus interfectis. 7. Propterea hæc dicit Dominus Deus : Interfecti vestri, quos posuistis in medio ejus, hi sunt carnes, et hæc est lebes : et educam vos de medio ejus. 8. Gladium metuistis, et gladium inducam super vos, ait Dominus Deus. 9. Et ejiciam vos de medio ejus, daboque vos in manu hostium, et faciam in vobis judicia. 10. Gladio cadetis : in finibus Israel judicabo vos; et scietis quia ego Dominus. 11. Hæc non erit vobis in lebetem, et vos non eritis in medio ejus in carnes : in finibus Israel judicabo vos. 12. Et scietis quia ego Dominus : quia in præceptis meis non ambulastis, et judicia mea non fecistis, sed juxta judicia gentium, quæ in circuitu vestro sunt, estis operati. 13. Et factum est, cum prophetarem, Pheltias filius Banaiæ mortuus est : et cecidi in faciem meam clamans voce magna, et dixi : Heu, heu, heu Domine Deus : consummationem tu facis reliquiarum Israel? 14. Et factum est verbum Domini ad me, dicens : 15. Fili hominis, fratres tui, fratres tui, viri propinqui tui, et omnis domus Israel universi, quibus dixerunt habitatores Jerusalem : Longe recedite a Domino, nobis data est terra in possessionem. 16. Propterea hæc dicit Dominus Deus, quia longe feci eos in gentibus, et quia dispersi eos in terris : ero eis in sanctificationem modicam in terris, ad quas venerunt. 17. Propterea loquere : Hæc dicit Dominus Deus : Congregabo vos de populis, et adunabo de terris, in quibus dispersi estis, daboque vobis humum Israel. 18. Et ingredientur illuc, et auferent omnes offensiones, cunctasque abominationes ejus de illa. 19. Et dabo eis cor unum, et spiritum novum tribuam in visceribus eorum : et auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneum : 20. ut in præceptis meis ambulent, et judicia mea custodiant, faciantque ea : et sint mihi in populum, et ego sim eis in Deum. 21. Quorum cor post offendicula et abominationes suas ambulat, horum viam in capite suo ponam, dicit Dominus Deus. 22. Et elevaverunt cherubim alas suas, et rotæ cum eis : et gloria Dei Israel erat super ea. 23. Et ascendit gloria Domini de medio civitatis, stetitque super montem, qui

(1) Hæc est visio tertia (vide primam cap. VIII et IX, et secundam X), concernens tum residuos improbos, tum respiciens exsules probos.

PRIMO, procerum Hierosolymitanorum *primo*, prava consilia, et ludibria famam Prophetæ lædentia, detegit Propheta, 1-3; *secundo*, ad eos cum exprobratorio mandato mittitur, 4-6; *tertio*, iisdem pœnam, in blasphemias illorum retortam denuntiat, 7-12; *quarto*, ex his Pheltias repentina statim morte tollitur cum stupore Prophetæ, 13.

SECUNDO, vertit se ad exsules probos, et *primo*, horum famam ab Hierosolymitanis violatam, vindicat, 14, 15; *secundo*, illis præsens solatium, futurum in patriam reditum, et successurum olim Evangelii beneficium promittit, 16-20; *tertio*, eosdem, ne ad idololatriam deflectant, comminatione absterret, 21.

TERTIO, refert finem visionibus impositum, *primo*, sublatis cherubinis et rotis, 22; *secundo*, digressa ad Olivarum montem gloria Dei, 23; *tertio*, translato rursus in Babyloniam Propheta, 24, 25.

est ad Orientem urbis. 24. Et spiritus levavit me, adduxitque in Chaldæam ad transmigrationem, in visione, in spiritu Dei : et sublata est a me visio, quam videram. 25. Et locutus sum ad transmigrationem omnia verba Domini, quæ ostenderat mihi.

1. INTRODUXIT ME, — scilicet ab atrio sacerdotum (ubi cap. IX, 6 vidi eorum cædem; et cap. X, 4 et 6 ibidem, audivi sententiam a Deo ferri de Jerusalem incendenda) ad portam Orientalem atrii laicorum, ubi scilicet constiterat Dei gloria.

QUÆ RESPICIT AD SOLIS ORTUM. — Est pleonasmus; idem enim est quod Orientalis, uti præcessit. Hæc porta erat celeberrima, quia inde cernebatur augustissima templi facies, ad Orientem conversa (1).

VIGINTI QUINQUE VIRI. — Non sacerdotes, uti illi neci a Deo destinati, cap. VIII, 16, sed, ut sequitur, principes populi. Tradunt enim Hebræi Jerusalem in 24 vicos fuisse distributam, et quisque vicus suum habebat ducem, vel principem (uti etiamnum fit Romæ) ; erant ergo 24. Porro vigesimus quintus videtur esse præses omnium, et gubernator urbis. His respondent 24 seniores Ecclesiæ, *Apoc.* IV, 4. Hi ergo 24 principes hic conveniunt ad portam templi, ut de republica consultent (2).

JEZONIAM FILIUM AZUR. — Alius ergo fuit hic a Jezonia, cap. VIII, 11. Ille enim fuit filius Saphan.

3. NONNE DUDUM ÆDIFICATÆ SUNT DOMUS? HÆC EST LEBES, NOS AUTEM CARNES. — Vatablus vertit : *Non in propinquo est contritio, ædificemus domos.* Sic et Pagninus et alii. Septuaginta cum Nostro legunt per interrogationem, *non,* id est nonne, noviter *ædificatæ sunt domus?* Sunt verba principum aliquorum, *q. d.* Domus et muri Jerusalem instar lebetis, sunt ferrei et fortissimi : quis ergo timeat Chaldæos? Esto viderit Jeremias cap. I, lebetem, id est ollam succensam, et nos quasi carnes ea coqui; tamen non extrahemur olla, id est Jerusalem, nisi decocti, id est in extrema senecta. Ita Theodoretus. Carnes enim olla eximi non solent, nisi percoctæ sint, inquit Maldonatus.

Secundo, aliter S. Hieronymus et Origenes, quasi sint verba aliorum principum contrariæ sententiæ, *q. d.* Esto Jerusalem sit muris ferreis cincta, nos tamen in lebete, a Chaldæis succendemur et coquemur; fugiamus ergo in Ægyptum.

Tertio et plene : Suadebat Jeremias Judæis, dicens : Dedite vos Chaldæis, et vivetis; sin eis repugnetis, urbs succendetur, vosque peribitis. Judæi contra : Non est quod timeamus Chaldæos in urbe tam munita. Contra Jeremias : Vidi, ait, Jerusalem quasi ollam succensam. Videris, inquiunt Judæi, attamen post hoc jam diu vidimus, et, ut Septuaginta, noviter videmus ædificari domos : non ergo verum est Jeremiæ vaticinium; nec vulgo illud timent. Et esto Jerusalem sit olla vel lebes, nos simus in ea carnes, malumus tamen coqui et cremari in ea, quam gladio jugulari, si nos Chaldæis dedamus. Est ironia, *q. d.* Non ignem timemus in urbe, sed gladium foris. Patet vers. 8. Urbs enim quasi lebes munitissima nos, quasi carnes, servabit et tutabitur.

Symbolice, nota hic impios et carnales, animos suos ad ollas deprimere, illas amare, in illis habitare; ut dicant suo sensu illud *Psalm.* LIX, 10 : « Moab olla spei meæ. » Ita Hebræi Ægypto egressi mox murmurare cœperunt : « Utinam, inquiunt, mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium! » illis toto corpore, mente, affectu et gula incubantes, *Exodi* XVI, 3. Hoc facit in eis perpetua gulæ aviditas et consuetudo. Non enim aliud faciunt, quam illam irritare assidue vorando et potando. Ea est vis consuetudinis et exercitationis. Id pulchro duorum caniculorum exemplo, Spartanis ostendit ad oculum Lycurgus. Nam geminos catulos ejusdem matris, haud similibus educavit moribus : alterum enim, domi alendo, helluonem; alterum, foris exercendo, sagacem et venatorem reddidit. Postea, cum Lacedæmonii convenissent in unum locum : « Ad parandam, ait, virtutem ingens est momentum doctrina et consuetudo : quod vobis illico osten-

Carnales in ollis habitant.

(1) Tametsi ternæ portæ, inquit Pradus, ad totidem cœli regiones spectantes in domo Domini essent celebres, ob popularium undequaque in templum subeuntium frequentiam; *Orientalis* tamen porta omnium erat celeberrima, et ad eam confluebat tam indigenarum quam hospitum numerosior conventus, quod vel ex Jeremia colligere licet, in quo (VII, 2) legimus : *Sta in porta domus*, haud dubio orientali, quæ antonomastice id nomen sortita est (quod ipsum et monent ad eum locum Kimchi et Abarbenel). Qua de causa cum infimatibus magnates etiam concurrebant ad portam Orientalem, non solum ut ex ea in templum subirent, sed potissimum, quoniam in ea, qui magistratus erant graviores, quandoque causas tractabant, ut patet apud Jeremiam (XXVI, 10).

(2) Pradus, ex quo Cornelius noster hanc explanationem accepit, eam se hausisse asserit ex Hebræorum scriptis. Porro quænam sint illa Hebræorum scripta, inquit Rosenmuller, e quibus sumpserit Pradus, quæ de viginti quatuor ducibus, totidem vicis Hierosolymitanæ urbis præpositis dicit, ego quidem dicere non habeo; sed undecumque illa hauserit, certe commentum est, quod forsan originem debet illis, quæ Talmudici tradunt de synedriis minoribus, qualia in omnibus locis, quæ plures quam 120 incolas habebant, instituta erant, quorum quodque viris 23, constabat. Istiusmodi synedria duo erant Hierosolymis, alterum ad ostium atrii, alterum ad portam montis templi. Vide Lightfooti *Descrip. Templi*, tom. I opp. pag. 604. Sed ea synedria, si unquam exstiterint, demum post urbis excidium, loco Synedrii magni instituta esse, e silentio Josephi de illis colligit Jahn, *Bibl. Archæolog.* part. II, vol. II, § 187. Cætera vero quæ observat Pradus, nostra facere non dubitamus.

dam. » Mox duos catulos adducens, cum ollam in medio, leporemque coram eis posuisset, alter quidem in leporem, alter in ollam magno erupit impetu. Tum ille : « Hi ambo iisdem orti parentibus, cæterum diversam vitæ consuetudinem assecuti, alter gulosus, alter venator evasit. » Ita Plutarchus in *Lycurgo*.

7. INTERFECTI VESTRI, SUNT CARNES, — *q. d.* Non vos estis carnes in Jerusalem quasi olla coquendæ et sepeliendæ, uti vultis vos, o Judæi; sed carnes sunt Prophetæ, quos quasi victimas Dei mactatis : vos vero ex Jerusalem abducemini, indigni qui in ea sepeliamini, occidendi in Reblatha, vers. 10. Ita Origenes et Polychronius.

8. GLADIUM METUISTIS. — Id est noluistis vos tradere Babyloniis, uti jussit Jeremias, metuentes ab eis occidi : hinc gladius eorum vorabit vos. Porro hæc affirmatio tacitam continet negationem, *q. d.* Non timuistis captivitatem, sed gladium, id est bellum a Chaldæis, ideoque contra vos opem petistis ab Ægyptiis, *Jerem.* II, 18; quocirca utrumque vobis immittam, scilicet gladium, quem timebatis; et captivitatem, quam non timebatis. Ita Maldonatus.

Vers. 9. 9. JUDICIA, — justam ultionem.

Vers. 10. 10. IN FINIBUS ISRAEL, — in Reblatha, quæ est in finibus Israel.

JUDICABO (Chaldæus, *ulciscar*), vos; (quia ibi Nabuchodonosor principes occidit, et Sedeciam excæcavit, *Jerem.* XXXIX, 6, *q. d.* Non in olla, id est in Jerusalem, uti vos jactatis; sed in finibus Israel moriemini, imo occidemini. Quocirca)

Vers. 11. 11. HÆC (Jerusalem) NON ERIT VOBIS IN LEBETEM, ET NON VOS ERITIS IN MEDIO EJUS IN CARNES (*q. d.* Jerusalem, quasi lebes, vos quasi carnes tueri non poterit; quia) IN FINIBUS ISRAEL (in Reblatha) JUDICABO, — id est puniam et occidam vos.

Vers. 13. 13. CUM PROPHETAREM, PHELTIAS FILIUS BANAIÆ MORTUUS EST. — Cum in Babylone existens, spiritu raptus in Jerusalem viderem et audirem Deum, ejusque verba viderer mihi proponere principibus Juda; ecce in spiritu vidi unum ex eis mori, scilicet Pheltiam : ut sicut sacerdotes cap. IX, 6, ita hic principes per sex viros, de quibus cap. IX, 2, cædere Deus incipiat.

ET DIXI : HEU, HEU! — Licet enim Pheltias esset impius, deque ejus nece gaudendum esset, tamen ingemuit Propheta : quia cæso Pheltia duce populi, timebat ne pariter totus ejus populus cæderetur.

15. FRATRES TUI (id est propinqui, scilicet Judæi tecum abducti in Babylonem, et tradentes se Chaldæis, ridentur ab Hierosolymitanis, id est a Judæis, qui se dedere noluerunt Chaldæis. Hi enim eis subsannando dicunt) : RECEDITE A DOMINO, — id est ab urbe, et templo, ac hæreditate Domini, abdicate vos jure Israelis. Vos Dominus a se procul esse voluit, nobis autem promissionis terram distribuit. Idcirco, ait Propheta, imo per eum Deus : E contrario omnia fient. Nam vos neci tradam, illos vero reducam, ut sint seminarium posteritatis, et hæredes Jerusalem. Ita Theodoretus et S. Hieronymus. Est aposiopesis Hebraica. « Fratres tui, » subaudi, « irridentur et subsannantur. » Sensus ergo est, *q. d.* Judæi, qui contra Dei jussum Hierosolymæ manent, nolentes se dedere Chaldæo, quique gloriantur suo templo, quod illud retineant et incolant : hi, inquam, vere non habent templum, quia solos templi parietes retinent, sine Deo. Nam ego Deus, omnisque mea gloria jam a templo et Judæis recessit, uti dixi cap. præced. vers. 4 et 18. Rursum hi ab illis ipsis templi et urbis parietibus, quos retinent, paulo post ignominiose a Chaldæis ejicientur : Judæi vero, qui, me jubente, se dedidere Chaldæo, et transmigrarunt in Babylonem, quosque alii manentes in Judæa putant esse sine templo, et sine Deo, hi in Babylone templum habent; quia me habent, qui ero illis in templum invisibile ad modicum tempus, donec paulo post eos in patriam, ad templum visibile reducam. Ita Maldonatus.

16. ERO EIS IN SANCTIFICATIONEM MODICAM, — Hebraice למקדש *lemicdas*, id est in sanctuarium vel templum modicum; Vatablus, *paucorum*, *q. d.* Licet, me jubente, templum Judææ deserant, dabo tamen eis in Babylone aliud templum, quod ipsi adeo desiderant, puta, dabo eis locum et oratorium, in quo ipsi pauci me colant, et ex quo, quasi e templo, ego illos exaudiam, consoler, tuear, prospiciam. Id ita factum esse colligimus ex *Psalm.* CXXXVI, 1. Vocat « modicam, » quia in exsilio non habebant templum, sed oratorium. Rursum « modicam, » id est modico tempore duraturum. Allegorice, hoc verius factum est, cum Deus per Christum novam Ecclesiam paucorum ædificavit in Sion. Eo enim assurgit Propheta.

Aliter S. Hieronymus, *q. d.* In Babylone sanctificabo eos, id est ab idololatria avertam, ut me sancte colant. Mutabo cor eorum pravum, dabo eis cor pium rectum, mundum et sanctum. Rursum Scholiastes, *q. d.* Modicos, id est paucos, sanctos eis dabo, scilicet Danielem, tres pueros, Zachariam prophetam, etc. Denique Theodoretus, *q. d.* Sanctificationem, id est consolationem, modicam eis afferam, nimirum promittendo eis, quod brevi captivitate liberabuntur. Unde alii vertunt : *Et ero eis in sanctificationem ad modicum tempus.*

17. LOQUERE, — scilicet Judæis in Babylone captivis, ut eos consoleris. Hucusque enim Propheta locutus est Judæis in Jerusalem manentibus, iisque tristia prædixit : jam vero captivis læta, lætamque liberationem promittit, idque hoc fine, ut Judæi obedientes, et in Babylone captivi sibi gratulentur : inobedientes vero, et in Judæa remanentes compungantur et pœniteant.

CONGREGABO VOS, — sub Zorobabel, Esdra, Nehemia reducam vos e Babylone in terram Israel. Ita S. Hieronymus.

Vers. 18. 18. AUFERENT OMNES OFFENSIONES, CUNCTASQUE ABOMINATIONES. — Id est idola, quibus Deum offendebant, ideoque ad omnes clades pariter offendebant et impingebant. A reditu enim e captivitate nunquam Judæi publice coluerunt idola, sed Deum verum. Ita Theodoretus et Prado : Israelitæ, inquit, quasi igne captivitatis excocti in Babylone, rubiginem idololatriæ deposuerunt.

Vers. 19. 19. ET DABO EIS COR UNUM, — id est unanime, amicum et consentiens, ut scilicet unanimi consensu Deum patrum suorum colant : quos veteres vocarunt *unicordes*, pro quibus orat Christus : « Ut omnes unum sint, » *Joan.* XVII, 21. De his dicitur *Actor.* IV, 32 : « Multitudinis autem credentium erat cor unum, et anima una. » Vel « unum, » id est totum et integrum, non divisum, non duplex; ut scilicet, uno corde Deum, altero idola colant. Ita Chaldæus, R. David, et Maldonatus. Sic *Eccli.* II, 14, dicitur : « Væ duplici corde ! » Et *Psalm.* XI, vers. 3 : In corde et corde locuti sunt. » Hypocritæ enim et fraudulenti videntur habere duo corda, unum intra pectus, alterum in labris; similes perdicibus Paphlagoniæ, quæ bicordes sunt, ideoque fraudulentæ et perniciosæ, testibus Plinio, lib. XI, cap. XXXVII ; Æliano, lib. X *De Anim.* cap. XXXV; Gellio, lib. XVI, cap. XV. Unde et S. Ambrosius, lib. VI *Hexam.* cap. III, perdicem dictam vult a *perdendo*. Septuaginta vertunt : *Dabo eis cor alterum*, id est aliam voluntatem. Videntur ipsi pro אחד *echad*, id est *unum*, legisse, אחר *acher*, id est *alterum*.

Dolosi sunt bicordes, ut perdices.

ET SPIRITUM NOVUM, — novam mentem, voluntatem, impetum ad Dei jussa et obsequium, etiam per ardua virtutis opera peragendum; eumque eis inditum vi gratiæ Spiritus Sancti aspirantis, et impellentis animum ad hæc heroica facinora.

Nota hæc inchoate impleta esse in Judæis Babylone redeuntibus ad novum Dei unius cultum, et ad novam vitam, novosque mores : sed plene hæc facta sunt in christianis e captivitate peccati redeuntibus, quos Judæi hi repræsentabant.

AUFERAM (Septuaginta, *extraham*) COR LAPIDEUM (durum et intractabile); ET DABO EIS COR CARNEUM, — id est molle, facile, obediens, flexibile. Quocirca, S. Augustinus XVIII, *Contra Faust.* IV : Cor, ait, lapideum est voluntas sine sensu; cor carneum est voluntas cum sensu, scilicet, et gustu rerum divinarum. « Auferam, inquit Augustinus, eis cor lapideum, et dabo eis cor carneum, id est non cor sine sensu, sed cor cum sensu : unde traxit Apostolus, cum ait, II *Cor.* III, 3 : Non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Quid enim aliud dixit, quam cor carneum? » Idem, lib. *De Gratia et lib. arbit.* cap. XIV : « Quia, ait, lapis sine sensu est, cui comparatum est cor durum, cui nisi carni sentienti cor intelligens debuit comparari? » Et infra : « Cor lapideum non significat nisi durissimam voluntatem, et adversus Deum omnino inflexibile est. » Mox, cap. XV, objicit S. Augustinus ex mente Pelagii : Si Deus aufert cor lapideum, quomodo ergo Judæis, ait Ezechiel cap. XVIII, vers. 31 : « Facite vobis cor novum, et spiritum novum? » ac respondet : « Meminerimus ipsum dicere : Facite vobis cor novum, et spiritum novum, qui dicit : Dabo vobis cor novum, et spiritum novum dabo vobis. Quomodo ergo quod dicit : Facite vobis; hoc dicit : Dabo vobis? quare jubet si ipse daturus est? Quare dat si homo facturus est, nisi quia dat quod jubet, et adjuvat ut faciat cui jubet? » Deus dat cor novum et spiritum novum, aspirando homini gratiam prævenientem, cooperantem, qua excitatus homo, eique libere cooperans, faciat sibi cor novum et spiritum novum. Cor ergo novum et est Dei præmoventis, et hominis Deo cooperantis. Sic etiam explicant S. Hieronymus, Theodoretus et passim Interpretes, et doctores orthodoxi. Simili schemate dixit Ovidius :

> Natus es in scopulis, nutritus lacte ferino;
> Et dicam silices pectus habere tuum.

Plura de corde carneo et lapideo dicam cap. XXXVI, vers. 26.

Nota : Deus aufert cor durum et obstinatum in peccatis, et dat cor carneum, molle et obediens sibi. *Primo*, quia aufert duritiem, quæ est qualitas naturalis : corporea, in corpore, v. g. lapide ; spiritalis, puta obfirmatio et pertinacia, in anima. Potest autem eam auferre negando tantum concursum, qui ad ejus sustentationem et conservationem est necessarius. Rursum duritiem aufert auferendo difficultates, quæ, quasi lapis, voluntatem gravant, deprimunt et obdurant : v. g. apprehendit luxuriosus impossibile esse sibi abstinere a fornicatione, quia consuetudinem, quæ est quasi altera natura, sibi induxit. Acedus apprehendit suam pusillanimitatem et infirmitatem, ob quam putat sibi esse impossibile arduam virtutis viam capessere. Deus has aufert, ostendendo rationi per gratiam suam viresque divinas possibile, imo facile esse hæc omnia vincere, et multos Sanctos ea vicisse.

Secundo, quia mollitiem indit animæ; *primo*, ostendendo rationi planum esse virtutis iter, et quidquid in ea est arduum, fortiter facileque superari, tum per opem Dei, tum considerando et comparando illud cum immensitate et æternitate tam præmiorum cœlestium, quam pœnarum infernalium; tum alia similia motiva rationi proponendo ita vivaciter, ut ipsa illa penitus apprehendat, æstimet et ponderet pro rerum gravitate et dignitate. Deus enim non tantum proponit objectum, sed simul aperit intellectum, ut illud bene penetret et ponderet. Ita *Actor.* XVI, 14, Deus aperuit cor Lydiæ, ut intenderet iis quæ dicebantur a Paulo. Rursum voluntati indit pias affectiones, impulsus, corroborationes, consolationes, etc., quibus anima excitatur et aspirat ad virtutem quantumvis arduam, sensimque superat omnes obices et propensiones contrarias. Qua de re exem-

plum de seipso illustre refert S. Augustinus, lib. VIII *Confess.* cap. XI, et lib. IX, cap. I, ubi inter cætera ait : « Quam subito factum est mihi suave carere suavitatibus nugarum! ejiciebas enim eas tu, et intrabas pro eis, mea vera et summa suavitas : atque ita quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat. »

Denique Deus solus omnipotentia et omnipotente sua voluntate comprehendit et continet voluntates singulas, tam hominum, quam angelorum, illisque solus illabi potest, easque suaviter allicere et flectere, ut ipsæ libere consentiant, seque flectant ad omnem Dei nutum, uti docent S. Augustinus, lib. *De Corrept. et grat.* cap. XIII, et S. Thomas, Quæst. VI *De verit.* art. 3, ubi ait Deum, quando vult aliquem convertere, dare ea quæ aptissima sunt ad movendam voluntatem, tollendo impedimenta passionum et tentationum, ac faciendo ut nulla ratio boni appareat in opposito, nulla difficultas in eo quod est eligendum. Rursum S. Augustinus, lib. *De Spiritu et litter.* cap. XXXVIII, in hoc ponit efficaciam gratiæ, quod illa faciat ut nihil nos lateat eorum quæ pertinent ad justitiam, et ea sic animum delectet, ut quidquid aliud voluptas vel dolor invehit, delectatio illa superet. Ita flexit Deus cor Pauli persecutoris, ut tactus a Deo mutaret prorsus propositum et mentem, factusque Paulus ac discipulus, diceret : « Domine, quid me vis facere? » *Actor.* IX.

Vers. 20. 20. JUDICIA, — mandata justa.

FACIANT, — perficiant. Hoc enim Hebræis est *facere*, scilicet perficere, exacte facere, absolvere; significatur enim actus completus, non inchoatus.

ET SINT MIHI IN POPULUM, ET EGO SIM EIS IN DEUM. — *Primo*, active, ut scilicet, ipse quasi meus populus, me suum regem et Deum adoret et colat; ego vicissim eum, quasi populum meum tuear, alam, regam. *Secundo*, passive : ipsi erunt populus a me custoditus, alitus, gubernatus; ego vicissim ero eorum Deus ab eis cultus, amatus, invocatus.

Vers. 21. 21. VIAM (id est facta et merita) IN CAPITE SUO PONAM, — id est in capite eorum ulciscar, *q. d.* Puniam eos pro meritis. Respicit Judæos Hierosolymæ, Deo invito, remanentes.

Vers. 22. 23. ET ASCENDIT GLORIA DOMINI, — *q. d.* Imago illa electrina, de qua cap. I, Deum repræsentans, discessit a Jerusalem et a templo.

STETITQUE SUPER MONTEM, QUI EST AD ORIENTEM URBIS. — Id est, ut Chaldæus, Theodoretus, Polychronius, S. Hieronymus stetit supra montem Oliveti, ut inde incendium et vastationem Hierosolymæ spectet, utque inde, peracto suo opere, remigret in cœlum. Allegorice, ut significet Christum ex eodem monte in cœlum conscensurum. Denique, ut ex hoc monte exspectet et spectet novam Jerusalem, quasi phœnicem ex veteris cineribus resurgentem in Sion, puta, Ecclesiam Christi, quæ recte *primo*, oliva et olivetum dicitur, quia oleum et misericordiam a Deo consecuta, et plantis semper virentibus, scilicet sanctis animabus, consita est.

Secundo, dicitur esse ad Orientem, quia orientis solis, id est gratiæ Dei, radios excipit. Hanc novi justitiæ solis felicitatem, posterioribus sæculis in Jerusalem restaurata et renovata orituram, prospectans Baruch, cap. IV, vers. 36, exsultans clamat : « Circumspice, Jerusalem, ad Orientem, et vide jucunditatem a Deo tibi venientem, » et cap. V, vers. 5 : « Exsurge, Jerusalem, et vide collectos filios tuos ab oriente sole. » Vide Eusebium, lib. VI *Demonstr.* I, et dicta *Jerem.* XI, 16.

24. ADDUXITQUE (reduxit me spiritus ex Jerusalem) IN CHALDÆAM. — Ezechiel corpore et reipsa erat in Chaldæa : sed quia spiritu raptus et ductus fuerat in Jerusalem, hinc eodem nunc, visione peracta, reducitur, non corpore, sed mente et spiritu. Hæc enim omnia per visionem in mente et spiritu facta sunt, ut ait hic Propheta.

25. AD TRANSMIGRATIONEM. — Id est ad captivos qui migrarant in Babylonem, cum quibus corpore degebam. Nam cap. VIII, vers. 1, ait : « Ego sedebam in domo mea, et senes Juda sedebant mecum. »

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ezechiel convasando sua, et transmigrando vespere velatis oculis, portendit fugam Sedeciæ et principum ex urbe capta, ejusque comprehensionem et excæcationem a Chaldæis insequentibus. Secundo, vers. 17, *jubetur comedere et bibere in conturbatione et mœrore, ut repræsentet idem facturos cives, obsessa Jerusalem. Tertio, vers.* 21, *docet non differenda hæc diu, sed brevi reipsa esse complenda* (1).

1. Et factus est sermo Domini ad me, dicens : 2. Fili hominis in medio domus exasperantis tu habitas : qui oculos habent ad videndum, et non vident : et aures ad audiendum, et

(1) Visionibus in cap. præced. relatis succedunt prophetiæ pertinentes ad inhabitantes Hierosolymam, scilicet ad regem Sedeciam (XII), ad pseudoprophetas (XIII), ad seniores populi (XIV), ad cives et plebem (XV). Factæ sunt sexto anno captivitatis Jechoniæ, quinto anno ante urbis excidium.

non audiunt : quia domus exasperans est. 3. Tu ergo, fili hominis, fac tibi vasa transmigrationis, et transmigrabis per diem coram eis : transmigrabis autem de loco tuo ad locum alterum, in conspectu eorum, si forte aspiciant : quia domus exasperans est. 4. Et efferes foras vasa tua quasi vasa transmigrantis per diem in conspectu eorum : tu autem egredieris vespere coram eis, sicut egreditur migrans. 5. Ante oculos eorum perfode tibi parietem : et egredieris per eum. 6. In conspectu eorum in humeris portaberis, in caligine effereris : faciem tuam velabis, et non videbis terram : quia portentum dedi te domui Israel. 7. Feci ergo sicut præceperat mihi Dominus : vasa mea protuli quasi vasa transmigrantis per diem : et vespere perfodi mihi parietem manu : et in caligine egressus sum, in humeris portatus in conspectu eorum. 8. Et factus est sermo Domini mane ad me, dicens : 9. Fili hominis, numquid non dixerunt ad te domus Israel, domus exasperans : Quid tu facis? 10. Dic ad eos : Hæc dicit Dominus Deus : Super ducem onus istud, qui est in Jerusalem, et super omnem domum Israel, quæ est in medio eorum. 11. Dic : Ego portentum vestrum : quomodo feci, sic fiet illis : in transmigrationem, et in captivitatem ibunt. 12. Et dux, qui est in medio eorum, in humeris portabitur, in caligine egredietur : parietem perfodient ut educant eum : facies ejus operietur ut non videat oculo terram. 13. Et extendam rete meum super eum, et capietur in sagena mea : et adducam eum in Babylonem in terram Chaldæorum : et ipsam non videbit, ibique morietur. 14. Et omnes, qui circa eum sunt, præsidium ejus, et agmina ejus, dispergam in omnem ventum : et gladium evaginabo post eos. 15. Et scient quia ego Dominus, quando dispersero illos in gentibus, et disseminavero eos in terris. 16. Et relinquam ex eis viros paucos a gladio, et fame, et pestilentia : ut enarrent omnia scelera eorum in gentibus, ad quas ingredientur : et scient quia ego Dominus. 17. Et factus est sermo Domini ad me, dicens : 18. Fili hominis, panem tuum in conturbatione comede : sed et aquam tuam in festinatione et mœrore bibe. 19. Et dices ad populum terræ : Hæc dicit Dominus Deus ad eos qui habitant in Jerusalem in terra Israel : Panem suum in sollicitudine comedent, et aquam suam in desolatione bibent, ut desoletur terra a multitudine sua, propter iniquitatem omnium qui habitant in ea. 20. Et civitates, quæ nunc habitantur, desolatæ erunt, terraque deserta : et scietis quia ego Dominus. 21. Et factus est sermo Domini ad me, dicens : 22. Fili hominis, quod est proverbium istud vobis in terra Israel, dicentium : In longum differentur dies, et peribit omnis visio? 23. Ideo dic ad eos : Hæc dicit Dominus Deus : Quiescere faciam proverbium istud, neque vulgo dicetur ultra in Israel : et loquere ad eos quod appropinquaverint dies, et sermo omnis visionis. 24. Non enim erit ultra omnis visio cassa, neque divinatio ambigua in medio filiorum Israel. 25. Quia ego Dominus loquar : et quodcumque locutus fuero verbum, fiet, et non prolongabitur amplius : sed in diebus vestris domus exasperans loquar verbum, et faciam illud, dicit Dominus Deus. 26. Et factus est sermo Domini ad me, dicens : 27. Fili hominis, ecce domus Israel dicentium : Visio, quam hic videt, in dies multos : et in tempora longa iste prophetat. 28. Propterea dic ad eos : Hæc dicit Dominus Deus : Non prolongabitur ultra omnis sermo meus : verbum, quod locutus fuero, complebitur, dicit Dominus Deus.

2. DOMUS EXASPERANTIS. — Chaldæus : *Populi contumacis, et me irritantis, q. d.* Tu habitas inter Judæos in Babylone, qui cum videant Jerusalem superstitem, dolent quod ex consilio Jeremiæ dederint se Chaldæis, vellentque reverti contra meum oraculum et jussum ; itaque prædic cito eos visuros excidium Jerusalem.

QUI OCULOS HABENT AD VIDENDUM. — Id est, habent intellectum quo clare intelligere possint, sed nolunt videre, id est intelligere præcepta mea ; et habent aures, ut possint audire ea et obedire, sed nolunt.

Notat Prado visum pro intellectu, auditum pro voluntate sumi. Rationem addit : quia hi sensus sunt ministri intellectus et voluntatis, heris suis per omnia similes (nam visus et intellectus claritate delectantur et operantur ; auris et voluntas suavitate et bonitate capiuntur). Inde est, ut pro intellectu non excæcato usurpetur oculus videns, et auris audiens pro voluntate non obdurata af-

fectu aliquo immoderato apud Matthæum XIII, 9, et *Apocal.* XIII, 9 : « Qui habet aures audiendi, audiat, » id est voluntatem morigeram et obedientem. Inde et illud *Psalm.* XVII, 45 : « Auditu auris obedivit mihi. » Et *Proverb.* XX, 12 : « Oculum videntem, et aurem audientem Dominus fecit utrumque, » id est doctorem eruditum, et auditorem verbi docilem esse, opus est Dei ex æquo magnum et mirabile.

3. FAC TIBI VASA (id est instrumenta) TRANSMIGRATIONIS, — id est transmigrantis, scilicet baculum, calceos, peram, penulam. Hæc enim sibi facere aut comparare solent peregrinaturi. Rursum « vasa, » id est instrumenta, « transmigrationis » vocat saccos, currus, vasa, vectes, quibus suas sarcinas imponere, et de loco uno in alium transferre solent homines, *q. d.* Convasa res tuas, collige sarcinas. Unde sequitur :

ET TRANSMIGRABIS. — Id est, instrumentis jam dictis transferes supellectilem tuam interdiu, ut non verbis, sed facto et reipsa repræsentes instantem captivitatem. « Transmigrabis » ergo, non est idem quod migrabis ; sed idem quod transferes sarcinas.

4. ET EFFERES FORAS VASA TUA. — Tum jam dicta vers. 3, tum « vasa, » id est supellectilem tuam, sarcinas tuas. Hæ enim efferri solent, non fieri, uti dixit vers. 3. Quare aliter hic, aliter ibi capitur vox *vasa*. Ita Vatablus et Maldonatus.

TU AUTEM EGREDIERIS VESPERE (ut hoc ipso portendas. Sedeciam vespere, imo noctu, capta urbe, fugam initurum, ut patet *Jerem.* XXXIX, 4), SICUT EGREDITUR MIGRANS, — fugiens scilicet, anxius et pavidus, aut, ut Maldonatus, *sicut egreditur migrans*, id est vespere. Solent enim, qui ex una domo in aliam migrant, per diem supellectilem transferre, ipsi vero omnibus translatis, vespere vel noctu migrare.

5. PERFODE TIBI PARIETEM, — ut indirecte per hoc portendas et repræsentes quod Chaldæi perfodient et rumpent muros Jerusalem, itaque eam capient, uti eos fecisse liquet IV *Reg.* XXV, 4; directe vero, ut tu per eum exeas ; unde ait : « Egredieris per eum ; » ut per hoc portendas Sedeciam, non per portam urbis, sed per ostium horti regii, quasi per angustum muri foramen instar muris fugiturum, ut eum fecisse patet *Jerem.* XXXIX, 4. Hoc est quod ait vers. 11 : « Ego portentum vestrum : quomodo feci, sic fiet illis. » Ita S. Hieronymus.

6. IN HUMERIS PORTABERIS. — Hebræi, Chaldæus et Hieronymus in *Comment.* legunt, *portabis*, scilicet sarcinulas tuas ; Septuaginta et Noster legunt, *portaberis*, et melius ; nam idipsum explicans et applicans regi, vers. 12, ait : « Et dux qui est in medio eorum, in humeris portabitur. » Sequitur : « In caligine effereris, » hebraice תוֹצִיא *totsi*, id est *efferes*. Sed activum *hiphil* sæpe capitur pro *kal*, vel *niphal* passivo ; *totsi* ergo, id est *efferes*, hic idem est quod *effereris*, aut certe pro *totsi* aliis punctis passive legendum in *hophal* תּוּצָא *tutsa*, id est *effereris* : sic enim vertunt Septuaginta, Noster et alii. Idque exigit contextus ; nam Deus jubet hic Prophetæ, ut per diem res suas transferat, ipse vero vespere migret. Jubetur ergo Propheta sarcinulas suas per diem transferre, noctu parietem perfodere, et per eum ante lucem se demittere, quasi clam fugiens ; sed foris a familiaribus a se ad hoc constitutis excipitur, humerisque bajulatur, oculis velatis, ne viam qua portatur aspiciat, ut populus hæc admirans roget quid ea significent : cui ipse respondeat, simili modo, capta urbe, Sedeciam clam fugiturum, et humeris suorum exportandum, sed capiendum a Chaldæis, et excæcandum, sicque deportandum in Chaldæam, ut patebit vers. 12. Rursum, hac Prophetæ exportatione repræsentatur, fore ut cives e Jerusalem non sponte, sed vi exportati migrent in Chaldæam.

Allegorice S. Hieronymus : « Ezechiel, ait, hic est typus Christi, qui nostra in se peccata suscepit. Vasa captivitatis est corpus humanum : perfodit parietem, id est infernum, et resurgens a solis credentibus visus est. Portatur in humeris, quia, cum angelicis potestatibus ad cœlum victor ascendit, velat faciem, ne in carne mortali videatur divina Majestas ; et non videt terram, ne oculis illius illustretur, quæ ejus non meretur aspectum ; sic est portentum, ut dura ad se Judæorum corda converteret. » Sed hæc allegoria, utpote læta et felix, non satis respondet miseriæ et excæcationi Sedeciæ quam hic ad litteram repræsentat Ezechiel. Allegoricè, de Christo.

FACIEM TUAM VELABIS — sicut homo, qui pudore affectus non vult videri, neque cognosci ; ut repræsentes confusionem et excæcationem Sedeciæ, cum ipse ducetur in Babylonem. Ita S. Hieronymus.

9. NUMQUID NON DIXERUNT. — Id est, numquid non dicent? *q. d.* Utique dicent.

10. SUPER DUCEM ONUS. — Hebraice est paronomasia, אֶל נָאשִׂי מַשָּׂא *al nasi massa*, *q. d.* Super principem, qui, quasi bajulus, onera reipublicæ ferre debet, quique ex tyrannide gravia onera et vectigalia ei imposuit, hanc impone onerosam sententiam quam meruit onerando injuste rempublicam, *q. d.* Sedeciæ canitur hæc cantilena. Justum enim est ut principes grave onus quod subditis imposuerunt, ipsi vicissim experiantur et subeant. Si hæc principi minatur Deus, quid faciet præsulibus, quorum proprium est esse pastores non dominos, patres non reges, currus potius quam aurigas, imo bajulos, nutrices, matres, si dominentur in cleris, et virga ferrea populos comminuant, et quasi plaustrum onustum stridentes obviantibus clament : Incurvare, ut transeamus? ait Prado.

SUPER OMNEM DOMUM ISRAEL. — *Israel* vocat Judæos quoslibet, non autem eos solos qui erant ex Samaria, sive ex decem tribubus.

Vers. 11. 11. EGO PORTENTUM VESTRUM, — *q. d.* Mea transmigratio vobis insolens et portentosa videtur, et revera portendit miserabilem captivitatem vestram, scilicet spoliationem urbis, migrationem civium, excæcationem et opprobrium regis vestri. Hebræum מפת *mophet* a radice יפה *iapha*, id est pulcher fuit, speciosus, elegans, significat signum pulchrum, elegans, speciosum. Rursum, alludit ad פנה *pana*, id est aspexit, respexit: hinc significat signum visibile de re futura, vel bona vel mala, admonens, secundum quam vel jucundum est aspectu, vel triste et horrendum, quod Latini prodigium vel portentum vocant. Sic hæc transmigratio Ezechielis erat res exterius aspectu jucunda, mira, nova, mimica et ludicra; sed significatio erat tristis et horrida; significabat enim similem Judæorum transmigrationem et captivitatem. Unde subdit: «Quomodo feci, sic fiet illis,» id est vobis. Est enallage personæ Hebræis frequens.

Vers. 12. 12. DUX (Sedecias) QUI EST IN MEDIO EORUM (qui inter suos securus agit, nihil timens), IN HUMERIS PORTABITUR. — Sedecias enim, capta Jerusalem, rupto muro horti regis, fugit per desertum, non pedes, sed portatus in sella humeris bajulorum, vel ob ejus pavorem et consternati debilitatem; vel ob mollitiem et effeminationem, *Isaiæ* cap. III, 4. Alii vertunt, *in humeris portabit*, scilicet gemmas et res pretiosiores.

FACIES EJUS OPERIETUR — a se suisque, ne scilicet ab obviis agnoscatur; et ex pudore et dolore, ne urbem captam videat et magis doleat. Sed hoc portendebat eum, quasi reum mortis velandum, et excæcandum a Nabuchodonosore. De hoc velamine, uti et portatione in humeris, nihil narrat Scriptura in fine lib. IV *Regum;* ex hoc tamen loco ea contigisse constat.

Vers. 13. 13. RETE MEUM, — quasi dicat: Chaldæorum persequentium arte, velocitate et industria capietur: Chaldæi vocantur hic, aut piscatores, quia ad Euphratem fluvium habitabant: apud flumina enim habitare solent piscatores; aut certe venatores, quia in deserto fugientem Sedeciam quasi feram reti ceperunt.

IPSAM NON VIDEBIT, — quia antequam eo duceretur exoculatus est in Reblatha, IV *Reg.* XXV. Hæc verba cum non intelligeret Sedecias, putaretque esse contraria verbis Jeremiæ, neutrius oraculis credidit, teste Josepho X *Antiq.* cap. X.

Symbolice, Sedecias est schema peccatoris, qui a Nabuchodonosore, id est a dæmone, oculis, id est consideratione et intelligentia, privatur, Babylonemque ducitur, id est in tartarum. Sicut ergo auceps accipitris oculos obtegit, ut in manu ejus consistat: ita diabolus peccatoris oculos velat, ne videat vanitatem suarum voluptatum et æternitatem pœnarum, quæ ipsum manet, ut in ejus manu et potestate conquiescat.

Secundo, sicut Sedecias Babylonem ductus est, eam tamen non vidit: sic hæretici et peccatores, nec suam cæcitatem, nec suum statum vident. Nonne hæretici suam Babylonem, id est confusionem doctrinæ, non vident, qui eam Jerusalem Dei appellant, qui conciliabula dæmonis Ecclesiam Christi nuncupant? Scribit Seneca, *epist.* 50, de Harpaste cæca, quod cæcitatem suam ignoraret: « Harpaste, inquit, nescit se esse cæcam; subinde pædagogum suum rogat ut migret: ait domum tenebrosam esse. Hoc quod in illa videmus, omnibus nobis accidere liqueat tibi. Nemo se avarum esse intelligit, nemo cupidum. » Apud Aristophanem in *Pluto* stomachatur merito servus in herum, quod ipse videns, Plutum oculis captum sequeretur, causamque dat:

> Nam qui videmus ducimus cæcos: at hic
> Sequitur, simulque cogit eadem facere me.

Quot hodie sunt videntes, qui Plutum cæcum cæce sequuntur! Plutarchus in *Vita Lycurgi*, eum laudat, quod suis legibus effecerit, ut Plutus apud Spartanos esset ἄσυλος, id est *tutus a furibus*, et quasi in asylo positus; ἄζηλος, id est *neglectus*, quem nemo zelaret; atque ἄπλουτος, id est *pauper*. Docuerat enim Spartanos per frugalitatem contemnere divitias, opesque parvipendere quasi imbecilles et inopes: ideoque, ait Plutarchus, Plutus ex omnibus civitatibus quæ sub sole sunt, in una Sparta servabatur τυφλὸς, id est *cæcus* ac repositus, non aliter quam tabula anima carens, aut vile metallum. At nunc Plutus est cæcus, quia divites opes suas recondunt, ut nunquam videant lucem: et quia oculos mentemque hominum excæcat, ut per fas et nefas, per mille labores et pericula insano studio eum consectentur: est enim non ἄζηλος, sed ζηλωτὸς, id est *optabilis* cunctis, in zelo et votis omnium, ideoque non est ἄσυλος, sed carens asylo, ubique σύλῃ, id est *prædæ* et rapinæ, obnoxius. Nullus enim locus est tam sacer, quem non violet auri sacra fames. Utinam his nostris cæcis daretur novus Elisæus, qui Syris militibus cæcitate percussis, et Samariam ingressis, ait: « Domine, aperi oculos istorum ut videant. Aperuitque Dominus oculos eorum, et viderunt se esse in medio Samariæ. » Utinam, inquam, aliquis esset Propheta, qui a Deo hisce cæcis lumen impetraret, ut viderent quod videre nolunt, se esse in medio Samariæ, id est in medio crudelissimorum hostium, quorum fames non nisi eorum æternis tormentis exsaturari potest!

Symbolice, Sedecias est peccator cæcus.

16. UT ENARRENT OMNIA SCELERA EORUM (*q. d.* Ut narrent gentibus me non ob infirmitatem, vel crudelitatem, sed ob scelera eos tradidisse Chaldæis; sicque gentes) SCIENT QUIA EGO DOMINUS, — scilicet, sum justus judex et malorum ultor.

18. PANEM TUUM IN CONTURBATIONE COMEDE. — Chaldæus, *in tremore;* Septuaginta, *in dolore;* S. Hieronymus, *in angustia*. Ut portendas hoc facto,

quod Judæi in obsidione panem comedent cum anxietate et pavore hostium imminentium. Hactenus egit de futura regis urbisque captivitate : nunc redit ad ejus obsidionem, in eaque famem et trepidationem.

AQUAM TUAM IN FESTINATIONE ET MOERORE BIBE. — Septuaginta, *in tormento et anxietate*; Chaldæus, *in desolatione et stupore*; Hebræus, *in concussione*, id est in tremore et anxietate aquam bibe.

19. IN SOLLICITUDINE. — Chaldæus, *in tremore*; Septuaginta, *in indigentia*.

IN DESOLATIONE. — Chaldæus, *in stupore*; Septuaginta, *in interitu*, id est in desperatione.

UT DESOLETUR (quia desolabitur, id est evacuabitur) TERRA (et destituetur) MULTITUDINE SUA — tum civium, tum frugum et opum.

22. IN LONGUM DIFFERENTUR DIES, — scilicet calamitatis et vastitatis prædictæ a Prophetis. Est miosis : « in longum, » id est in sempiternum. Volunt enim dicere prophetiam excidii fore irritam et nunquam eventuram, semperque staturam Hierosolymam, et se in ea. Vers. 22.

24. NEQUE DIVINATIO AMBIGUA. — Septuaginta, *ad gratiam*, id est adulatoria, mendax; hebraice חלק *chalac*, id est *lubrica*, uti est assentatorum; vel potius *lubrica*, id est ambigua, lubrici sensus, ut in hanc et illam partem torqueri possit, *q. d.* Ego non ambigue, sed rebus et virgis, puta gladiis et plagis manifestis, aperte et distincte castigando Judæos loquar meas in eos iras et minas, quas Prophetæ eis intentant, et ipsi irrident. Vers. 24.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Minatur falsis prophetis, qui pacem et prospera populo pollicebantur, quod instar parietis luto absque paleis illiti imbre et grandine divinæ vindictæ prosternentur. Secundo, vers. 17, idem intentat mulieribus, puta pseudoprophetissis, quæ consuebant pulvillos sub omni cubito, et faciebant cervicalia sub omni capite : hæc enim cum ipsis sutricibus se dirupturum minatur. Hæc a pari facile est adaptare concionatoribus et doctoribus, qui falsa docent, et peccatoribus adulantur.

1. Et factus est sermo Domini ad me, dicens : 2. Fili hominis, vaticinare ad prophetas Israel, qui prophetant : et dices prophetantibus de corde suo : Audite verbum Domini : 3. Hæc dicit Dominus Deus : Væ prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, et nihil vident. 4. Quasi vulpes in desertis, prophetæ tui Israel erant. 5. Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini. 6. Vident vana, et divinant mendacium, dicentes : Ait Dominus : cum Dominus non miserit eos : et perseveraverunt confirmare sermonem. 7. Numquid non visionem cassam vidistis, et divinationem mendacem locuti estis? et dicitis : Ait Dominus; cum ego non sim locutus. 8. Propterea hæc dicit Dominus Deus : Quia locuti estis vana, et vidistis mendacium : ideo ecce ego ad vos, dicit Dominus Deus : 9. Et erit manus mea super prophetas, qui vident vana, et divinant mendacium : in concilio populi mei non erunt, et in scriptura domus Israel non scribentur, nec in terram Israel ingredientur : et scietis quia ego Dominus Deus. 10. Eo quod deceperint populum meum, dicentes : Pax, et non est pax : et ipse ædificabat parietem, illi autem liniebant eum luto absque paleis. 11. Dic ad eos, qui liniunt absque temperatura, quod casurus sit : erit enim imber inundans, et dabo lapides prægrandes desuper irruentes, et ventum procellæ dissipantem. 12. Siquidem ecce cecidit paries : numquid non dicetur vobis : Ubi est litura, quam linistis? 13. Propterea hæc dicit Dominus Deus : Et erumpere faciam spiritum tempestatum in indignatione mea, et imber inundans in furore meo erit : et lapides grandes in ira in consumptionem. 14. Et destruam parietem, quem linistis absque temperamento : et adæquabo eum terræ, et revelabitur fundamentum ejus; et cadet, et consumetur in medio ejus : et scietis quia ego sum Dominus. 15. Et complebo indignationem meam in pariete, et in his qui liniunt eum absque temperamento, dicamque vobis : Non est paries, et non sunt qui liniunt eum. 16. Prophetæ Israel, qui prophetant ad Jerusalem, et vident ei visionem pacis;

et non est pax, ait Dominus Deus. 17. Et tu, fili hominis, pone faciem tuam contra filias populi tui, quæ prophetant de corde suo : et vaticinare super eas, 18. et dic : Hæc dicit Dominus Deus : Væ quæ consuunt pulvillos sub omni cubito manus : et faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas : et cum caperent animas populi mei, vivificabant animas eorum. 19. Et violabant me ad populum meum, propter pugillum hordei, et fragmen panis, ut interficerent animas quæ non moriuntur, et vivificarent animas quæ non vivunt, mentientes populo meo credenti mendaciis. 20. Propter hoc hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego ad pulvillos vestros, quibus vos capitis animas volantes : et dirumpam eos de brachiis vestris : et dimittam animas, quas vos capitis, animas ad volandum. 21. Et dirumpam cervicalia vestra, et liberabo populum meum de manu vestra, neque erunt ultra in manibus vestris ad prædandum : et scietis quia ego Dominus. 22. Pro eo quod mœrere fecistis cor justi mendaciter, quem ego non contristavi : et confortastis manus impii, ut non reverteretur a via sua mala, et viveret : 23. propterea vana non videbitis, et divinationes non divinabitis amplius, et eruam populum meum de manu vestra : et scietis quia ego Dominus.

Vers. 3. 3. VÆ PROPHETIS INSIPIENTIBUS, QUI SEQUUNTUR SPIRITUM SUUM (id est sequuntur id quod suggerit et inspirat, non Deus, sed phantasia, humana cogitatio, appetitus et concupiscentia; idque venditant pro Dei oraculis), ET NIHIL VIDENT, — *et*, id est *cum*, *q. d.* Cum nihil a Deo audiant, prophetant quidquid illis in buccam venit.

Nota : Eos vocat insipientes, cum posset vocare falsarios, quia erant sacerdotes, quorum honori consulit; dicens, quod ex ignorantia et insipientia, non ex malitia falsa prædicant.

Verum, quia vers. 6 et seq. mendacii eos arguit, melius dicas, vocari *insipientes*, id est stolidos et stultos, quia suis mendaciis sibi, æque ac populo perniciem creabant.

Vers. 4. 4. QUASI VULPES IN DESERTIS, — id est, *in maceriis vineæ ruptis* (ut ex Hebræo vertit Vatablus), et sepe disrupta, per quam vulpes vineam intrant, quasi sepe sua desertam : hæc enim et ab hominibus transeuntibus, et a feris carpitur, vastatur, fitque quasi desertum. Unde Symmachus et Theodotion vertunt, *in parietinis*, *q. d.* Sacerdotes hi non sunt pastores et custodes populi, sed lupi et vulpes. *Primo*, quia occulte et dolose populum vastant, quasi ex insidiis, simulantes se populo commoda loqui, ut ab eo sua lucra aucupentur. *Secundo*, quia timidi, periculo ingruente, hosti se non opponunt, sed quasi vulpes in suis cavernis delitescunt. Ita Maldonatus. Unde sequitur : « Non ascendistis ex adverso, » etc. Ideoque eis eveniet illud *Psalm.* LXII, 11 : « Tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt, » ut scilicet a vulpibus terrenis eorum cadavera, ab infernalibus animæ vorentur.

Moralitas vulpes sunt hæretici et hypocritæ. Moraliter, nota hic vulpes esse hypocritas et adulatores, præsertim pseudoprophetas et hæreticos, ait S. Hieronymus, de quibus *Cant.* II, 15 : « Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas. » Uti sola pellis vulpis in pretio est, caro autem edulis non est : sic species externa hypocritæ bella est, sed interiora plena sunt dolo et veneno. Carbo vir prudens apud Plutarchum volens Syllam crudelem vocare et fallacem, dixit eum esse leonem et vulpem. Et Lysander dicebat « addendam esse vulpinam pellem, si leonina non sufficeret, » hoc est, utendum esse calliditate et fraude, cum vires deessent, aut non sufficerent. Et Plato, lib. II *De Republ.* : « Sibi quisque, inquit, ceu vestibulum virtutis umbram circumponere debet, sed ita ut sapientissimi Archilochi vulpem a tergo trahat. » Versutia enim vulpes superat cætera animalia. Qua de re exstat apologus apud Plutarchum in *Moral.* : Cum aliquando, inquit, pardus præ se vulpem despiceret, quod ipse haberet pellem omnigenis colorum maculis variegatam, respondit vulpes, sibi id decoris in animo esse, quod illi erat in cute : præstare autem animo esse versicolore et versipelle, quam corpore. Idipsum indicat vulgare proverbium : « Vulpes non corrumpitur muneribus. » Aves enim et feræ capiuntur esca, vulpes non item. Et *alterum* : « Vulpi esurienti somnus obrepit. » Dum enim famet vulpes, dat se somno, tum quia physice somnus famem et sitim sopit et exstinguit; tum quia vulpes, urgente fame, somnum simulat, ut allectas gallinas capiat et devoret. Et *tertium* : « Vulpinari cum vulpe. » Et *quartum* : « Vulpes multa, echinus unum novit, » scilicet exerere spinas quasi aculeos, quibus se instar globi involvit, dum canes eum persequuntur.

Hanc autem egregie callent hæretici, præsertim Calvinistæ, qui latent, et furtim in urbes et provincias irrepunt ut vulpes, sed cum fiunt rerum domini, grassantur ut leones. Docuit hoc eos Calvinus, qui per Lutherum subdole specioso titulo, quasi reformator religionis tam Lutheranæ, quam Orthodoxæ : « Ingressus est ut vulpes ; » mox Lutherum supplantans : « Regnavit ut leo ; » ac tandem ringens et blasphemans : « Mortuus est ut canis, » uti in ejus Vita Bolsecus et alii referunt. Pythagoras non aliam ob causam alebat, gustanda non esse ea quæ nigram haberent caudam,

nisi ut nos doceret hypocritarum insidias esse declinandas. Etsi enim candorem et amicitiam præ se ferant, cauda tamen tetra est, finis nequam, et propositum perversum. Poetæ cum narrant Actæonem a canibus suis, quos alebat, fuisse devoratum, nihil aliud significare voluerunt, ait Phavorinus, quam eum, qui suos laudatores et adulatores alit et fovet, ab illis ipsis, quos educavit, non raro devorari et consumi. Canis enim, capite et cauda hero suo blandiens, symbolum est hypocritæ et adulatoris.

5. NON ASCENDISTIS EX ADVERSO, — *hostium*, vel potius, ut sequitur, *Domini Dei*, qui hostes Chaldæos immittit in murum vineæ, id est urbis Jerusalem, disruptum. Unde Hebraice est : *Non ascendistis in fracturas*, vel *interruptiones*. Ita Pagninus. Septuaginta vertunt : *Non steterunt in firmamento.*

NEQUE OPPOSUISTIS MURUM (Hebraice ut et Vatablus vertit, *neque sepivistis sepem*) PRO DOMO ISRAEL, UT STARETIS IN PRÆLIO IN DIE DOMINI, — cum scilicet Dominus, quasi dux hostium urbem invasit, ut scilicet iræ et vindictæ Dei per preces et sanctimoniam resisteretis, et de ejus clementia reportaretis victoriam. Comparat populum urbi, leges et sanctitatem muris, peccata muri ruptu-ris. Reprehendit ergo falsos prophetas, quod vitia populi non emendaverint, quodque pro eo intercedendo, Dei iram ab eo non averterint.

Prælatus se quasi murum Deo irascenti opponat.

Disce hic quanti zeli, orationis et sanctitatis debeant esse prælatus et prædicator, nimirum ut se Deo irascenti quasi murum opponant. Ita se ei opposuit Moses, dicens *Exodi* XXXII, 32 : « Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo, quem scripsisti. » Et S. Paulus, *Rom.* IX, 3 : « Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis. » Ita sæviente Dei incendio in murmuratores, Aaron obtulit thymiama, stansque inter mortuos et vivos, stitit iram et plagam Dei, *Num.* XVI, 48. Ita Jeremiæ ait Deus cap. VII, 16 : « Ne obsistas mihi. » Audi rursum S. Gregorium, II part. *Pastor.* cap. IV : « Ex adverso ascendere, est pro defensione gregis voce libera hujus mundi potestatibus contraire. Et in die Domini in prælio stare, est pravis decertantibus ex amore justitiæ resistere. Pastori enim recta timuisse dicere, quid aliud est quam tacendo terga præbuisse? qui nimirum si pro grege se objicit, murum pro domo Israel hostibus opponit. »

6. ET PERSEVERAVERUNT. — Chaldæus : *Impudenter asseverarunt ad confirmandum sermonem suum.*

Vers. 8. 8. ECCE EGO AD VOS. — Chaldæus : *Mittam iram meam in vos.* Est aposiopesis.

Vers. 9. 9. ET ERIT MANUS MEA (id est ultio, et, ut Chaldæus, *plaga potentiæ meæ*) SUPER (falsos) PROPHETAS. — Ita et Elias 400 prophetas Baal occidit, III *Reg.* XVIII. Ita subito et misere omnes pene hæresiarchæ perierunt. Arius crepuit medius, ut Judas : Julianus Apostata e cœlo hasta confossus est; Joannes Hus combustus; Mahomet apoplexia peremptus; Lutherus dormiens cum sua pellice nocte est suffocatus; Manichæus a rege Persarum vivus excoriatus; Calvinus a vermibus corrosus est. Hoc est quod ait Isaias, cap. XLV, 16 : « Abierunt in confusionem fabricatores errorum. » Sic e cœlo ferietur Antichristus cum suis copiis, *Apocal.* XX : « Ignis descendit a Deo de cœlo, et devoravit eos. »

[Hæresiarchæ subito et misere pereunt.

IN CONCILIO POPULI MEI NON ERUNT, — *q. d.* Non vocabuntur ad concilium seniorum in Jerusalem post reditum e Babylone, I *Esdræ*, cap. X. Unde Chaldæus vertit : *Non erunt in secreto*; Vatablus, *in arcano. Secundo*, « in concilio, » id est in cœtu populi redeuntis e captivitate non erunt. Septuaginta vertunt : *Non erunt in doctrina*, vel *institutione populi*, id est amplius non docebunt populum, docendi munere privabo eos.

ET IN SCRIPTURA DOMUS ISRAEL NON SCRIBENTUR. — Id est in catalogo Israelitarum viventium, et redeuntium e captivitate non scribentur, quia morientur. Talis enim catalogus Hebræorum exeuntium Ægypto texitur, *Num.* II, et redeuntium e Babylone, I *Esdræ* VIII. Hic catalogus dicitur liber vitæ et viventium : inde translatus est ad viventes et Beatos in cœlo.

10. DICENTES : PAX. — « Pax, » id est prosperitas, *q. d.* Ego minor bellum populo, ut resipiscat : illi promittunt pacem, et sic fovent populum in suis peccatis. Vers. 10.

IPSE ÆDIFICABAT PARIETEM. — Id est primus pseudopropheta statuebat parietem, id est falsam prædictionem; hanc alii assentando oblinebant, et approbabant. Ita Vatablus. *Secundo*, S. Hieronymus : « Deus, ait, per legem et minas Prophetarum ædificabat parietem populi; sed falsi prophetæ oblinunt suis mendaciis. » *Tertio*, Scholiastes : « Paries, ait, est doctrina falsorum prophetarum, quam oblinunt orationis elegantia. » *Quarto*, optime Prado et Maldonatus. Ipse, scilicet populus, parietem, id est sepem et murum suæ vineæ, id est urbis et regni, ruentem et ruptum, puta Dei protectionem, quæ Judææ erat instar muri, ab ea se subducentem, conatus est restaurare auxilio humano, maxime Ægyptiorum, sed vano. Hunc lactabant falsi prophetæ, liniendo male compactum parietem luto absque paleis, id est vanam fiduciam in Ægyptiis confirmando mendacibus promissis : cum potius hunc murum evertere debuissent, et alium ex spe in Deum, exque Dei ope et clementia a fundamentis construere, inquit Theodoretus.

Nota : Fabri solent parieti, ad eum firmandum, crustam inducere, sed ex calce et luto non friabili et soluto, ut hi faciebant; sed paleis et stramine mixtis colligato et constricto. Sicut ergo lutum sine paleis, superveniente pluvia, labefit et decidit : sic omnes pseudoprophetarum rationes, quibus pacem et securitatem populo promittebant et confirmabant, bello ingruente, labefactæ

sunt. Dicendo vero linituram non duraturam, satis innuit firmum non fore murum. Eam enim non tantum ornatui, sed et firmitati muri subservire, patet ex *Amos* VII, 7, ubi cum Dominus trullam deponit, et murum linire desinit, casura populi fortitudo præmonstratur. Ita Ribera, et ex eo Delrio, *adag.* 907.

Pulchre S. Gregorius, et habetur XLVI dist. cap.: *Sunt nonnulli* : « Parietis, inquit, nomine peccati duritia designatur. Ædificare ergo contra se parietem, est contra se quempiam obstacula peccati construere. Sed parietem liniunt, qui peccata perpetrantibus adulantur; ut quæ illi perverse agentes ædificant, illi adulantes quasi nitidum reddant.

Vers. 11. 11. ABSQUE TEMPERATURA, — absque paleis, quibus temperatur et miscetur argilla, sive cæmentum. Hebraice enim est eadem vox, quam paulo ante Interpres vertit, *absque paleis,* scilicet תפל *taphel*, quæ proprie significat *insulsum.* Unde Aquila vertit, ἀνάλῳ, id est *sine sale*: quia, ut caro sine sale, sive insulsa, non est solida et firma, sic nec lutum sine paleis. Aut potius Aquila hæc accepit non de luto, vel arenato, sed de albario ex calce, quod non est idoneum ad liniendum, nisi calx pura sali, et coriorum præsegminibus misceatur, et recte maceretur tempereturque, teste Vitruvio, lib. VII, cap. II et III. Noster Interpres, Chaldæus, Symmachus, Vatablus et alii de arenato acceperunt; Septuaginta et Theodotion vertunt, *stultitiam* : quia insulsa cogitatio, et oratio sive sermo, carens sale discretionis et sapientiæ, est stulta. Vertunt ergo : *Et ipsi liniunt cum stultitia.*

DABO LAPIDES PRÆGRANDES. — Sic et Septuaginta πετροβόλους, id est *catapultas*, quæ lapides magnos ejaculantur: Hebraice אלגביש *elgabis,* id est grandis *grandinis.* Ita S. Hieronymus, Pagninus, Forsterus, Marinus et passim Hebræi, etsi hæc vox alibi non reperiatur. Per imbrem, lapides, ventum, procellam sive tempestatem, intelligit impetum Chaldæorum, qui quasi procella Judæam obruit et evertit. Ita et Chaldæus.

Vers. 14. 14. REVELABITUR FUNDAMENTUM, — id est evertetur usque ad fundamentum, ut illud reveletur et appareat.

ET CADET (paries) ET CONSUMETUR, — scilicet is qui parietem linit. Corrigendum videtur cum S. Hieronymo, *consumentur*, scilicet linitores, falsi prophetæ. Unde Hebræus, Chaldæus et Septuaginta habent, *consumemini*, scilicet, o vos linitores!

Vers. 15. 15. NON EST, — id est corruit murus cum ædificantibus et linientibus.

Vers. 16. 16. PROPHETÆ ISRAEL. — Tolle punctum ante « prophetæ, » et lege : « Qui liniunt eum prophetæ Israel. » Licet Romani codices habeant punctum : quod videtur esse mendum præli.

Vers. 17. 17. PONE FACIEM TUAM, — id est vultu obfirmato et minaci loquere non ad viros, uti hactenus : sed ad mulieres pseudoprophetides. Licet Scholiastes viros putet hic vocari feminas, ob affectionem muliebrem, qua molles pulvillos omni cubito consuebant. Sic de Jove ait Poeta :

Constitit, et Libyæ defixit lumina regnis.

Transit hic a viris ad feminas prophetidas (licet aliqui per feminas accipiant viros effeminatos, et effeminantes alios), quarum par erat falsitas, major impostura ob blandiloquentiam. Tales Montano hæresiarchæ fuerunt « Prisca et Maximilla, quæ vaticinatione mendacii fidem subverterunt veritatis, » ait S. Hieronymus. Hinc proverbium: « Mulierum exitia. » Mulieres enim omnium fere calamitatum auctores viris fuere. Testis est Pandora Hesiodi, testis Helena Trojana, testis Dejanira quæ Herculem interemit, testis Danaidum fabula, testis Lemniarum mulierum historia, testis Cleopatra, testis Dalila, testes amasiæ Salomonis, testis Eva. Quanquam major est culpa viri, qui sapientior ab imbecilla et insipiente muliere se regi et decipi patitur. Quod enim animus est corpori, id virum oportet esse mulieri. Vetus est sapientis dictum : « Ne fidem habeas nec emorienti feminæ. »

Vers. 18. 18. VÆ QUÆ (ita legendum cum Hebræo, Septuaginta et Romanis, non *qui*) CONSUUNT PULVILLOS SUB OMNI CUBITO MANUS : ET FACIUNT CERVICALIA SUB CAPITE UNIVERSÆ ÆTATIS, — id est, væ falsis prophetissis, quæ Judæis in suis vitiis et rebellione adulantur, illosque fovent, ut in eis secure et molliter quiescant, promittentes pacem, id est securitatem et prosperitatem, quasi Chaldæi Jerusalem non sint expugnaturi. Apposite viris tribuit ædificare parietem et incrustare, mulieribus vero pulvillos et cervicalia suere. Hoc enim est feminarum, illud virorum. Pulvillus ergo est delicata et voluptuaria vita : hanc consuunt qui dicunt : « Ede, bibe, lude; post mortem nulla voluptas. » Ita Origenes, S. Hieronymus et alii passim. Hinc

Pulvilli peccatorum. Primo.

Secundo, Polychronius et Theodoretus : « Pulvillus, inquiunt, et cervical sunt molles et blandiores sermones ad lucrum compositi, qui ad tempus titillant auditum, sed animas evertunt. » Sic et Gregorius, XVIII *Moral.* IV : « Quisquis, ait, male agentibus adulatur, pulvillum sub capite vel cubito jacentis ponit; ut qui corripi ex culpa debuerat, in eo fultus laudibus molliter quiescat. »

Secunda.

Tertio, Lyranus, Vatablus et Isidorus Clarius putant mulieres has vere pulvillos et cervicalia consuisse, ac per ea prophetasse, vel alios prophetare docuisse. Audi Clarium : Mulierculæ magica instructæ arte consuebant pulvillos, et sciscitantium virorum axillis inducebant; et pepla, hoc est tenuissimos lineos pannos, imponebant capitibus eorum, quasi per hæc indumenta apti fierent ad suscipiendum oraculum sacrum. Quin et ipsæ interim ea quæ commentæ erant, insipientium ingerebant auribus, quod scilicet hæc

Tertio.

vel illa eis eventura essent. Verum hæc commenta nova videntur et frivola, ac a communi interpretum sententia dissona. Censent enim interpretes passim, pulvillos hic et cervicalia proverbialiter sumi, non proprie, esseque adagia.

Huc *quarto*, accedunt Græcus Scholiastes, Polychronius et noster Prado, qui Hebræum כסתות *kesatot*, quod Noster vertit, *pulvillos*, vertunt *phylacteria*; et Hebræum מספחות *mispachot*, quod Noster vertit, *cervicalia*, vertunt περιάμματα, id est *amuleta magica*, scilicet chartas, bullas, catenas reticulatas, quæ collo vel brachio appendebantur, quasi iis tuti futuri essent homines contra hostes, gladios et omnes incursus; quibus hæ veneficæ lucrum captabant, et simul venabantur quasi hoc reti suo animas dæmoni; et hæc amuleta a Nostro vocari *pulvillos* et *cervicalia*, quod in iis, quasi molli pulvino securi conquiescerent, putat Prado.

Sed verius videtur, tam Græcas quam Hebræas voces jam dictas, proprie significare reticulatum operculum, et velamen (unde Septuaginta vertunt, προσκεφάλαια καὶ ἐπιβόλαια, id est *cervicalia et velamina*, vel additamenta; et Symmachus vertit, ὑπαγκώνια καὶ ὑπαυχένια, id est *pulvillos sub cubitis et cervicalia*) quod alicui rei circumligatur, vel apponitur, ac prætenditur ad eam tegendam et fovendam, uti sunt pulvilli et cervicalia. Ita enim vertunt Chaldæus, Septuaginta, S. Hieronymus, Theodoretus, Vatablus, Lyranus, Pagninus, Clarius aliique insignes Hebræi, qui censent מספחות *mispachot* poni pro מטפחות *mitpachot* (commutatione litteræ ס in vicinam ט); *mitpachot* autem significare linteamina, a radice תפח *tapach*, id est explanavit, explicavit, distendit, uti fit in linteaminibus et velis. Sic כסתות *kesatot* significare pulvillos clarum est: radix enim כסה *kasa* significat tegere, operire. Unde כסה *kisse* significat sedem, solium, quod pulvillo tegitur et operitur. Favent linguæ vulgares huic voci affines: sic enim Itali dicunt *cussinetto*, Hispani *coxin*, Galli *coussinet*, Flandri et Germani *cussen*. Consuere ergo pulvillos et cervicalia est adagium significans palpare, adulari (1). Nam, ut Plutarchus, lib. *De Discrimine adulatoris et amici*, adulationes similes sunt pulvillis et cervicalibus, quæ cum videantur incumbentium capitibus resistere et reniti, cedunt magis et obsecundant. Sic enim et adulator assumit fucatam dicendi libertatem, et subinde quædam carpit et reprehendit, videturque attolli et tumere, ut subsidens et contrahens sese capiat, et pariter abripiat in ipsam se conjicientem. Et hoc est quod subdit Propheta: « Ad capiendas animas. » Simili phrasi Plautus et alii dicunt: « Consuere dolos, fraudes, mendacia. » Ita Origenes, Theodoretus, S. Hieronymus, S. Gregorius, XVIII *Moral.* IV, Delrio *adag.* 908, et alii passim. Vere S. Hieronymus *ad Eustochium*, epist. 19 : « Quoniam, inquit, mel in Dei sacrificiis non offertur, nimia dulcedo arte mutata est, et quadam, ut ita dicam, piperis austeritate condita. Apud Deum enim nihil voluptuosum, nihil tantum suave placet, nisi quod in se habet mordacis aliquid veritatis. » Deo ergo placet non adulatio blanda et fallax, sed veritas severa et mordax. Porro Syrus vertit: *Cervicalia et operimenta;* Arabicus Antiochenus: *Pulvillos pro cubitis manuum, et operimentum omni capiti;* Arabicus Alexandrinus: *Væ illis quæ consuunt pulvillos, ut incumbant cubiti manuum, et texunt et faciunt sudaria* (velamina) *omni capiti.* Primus ergo sensus, uti communis, ita verior videtur, eique secundus connexus est et subservit.

Moraliter nota: *Pulvillus*, id est voluptas, est rete quo diabolus capit animas. Hæc ergo ingens Ecclesiarum et Rerumpublicarum est calamitas et certa ruina, cum pastores vitia populi non insectantur, sed iis se conformant, iisque adulantur. Deplorat hoc S. Hieronymus de sua patria Stridone, epist. 43 *ad Chromatium*: « In mea, ait, patria rusticitatis vernacula Deus venter est, et in diem vivitur: et sanctior est ille, qui ditior est. Accessit huic patellæ dignum operculum, Lupicinus sacerdos, secundum illud, de quo semel in vita Crassum risisse ait Lucilius: Similem habent labra lactucam, asino carduos comedente, videlicet, ut perforatam navem debilis gubernator regat, et cæcus cæcos ducat in foveam, talisque sit rector, quales illi qui reguntur. » Rursum disce hic vitia subditorum tales pulvillos, id est pastores, quærere et mereri: culpa ergo auditorum est, quod Prophetæ, id est præcones, sint blandi, fallaces et mendaces. Dicunt enim « videntibus: Nolite videre: loquimini nobis placentia; videte nobis errores, cesset a facie nostra Sanctus Israel, » *Isaiæ* XXX, 10; et S. Paulus, II *Timoth.* IV, 3 : « Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus. » Pruritus ergo discipulorum provocat frictionem et titillationem magistrorum, quæ de more in dolorem et cruciatum desinit. Ita, ut vere ait Cicero, orat. *pro Cælio*: « Amores et deliciæ mature et celeriter deflorescunt, et in omnibus rebus voluptatibus maximis fastidium finitimum est, » et Boëtius, lib. III, metr. 7 :

Habet omnis hoc voluptas,
Stimulis agit frementes,
Apiumque par volantum

Voluptas Prælatorum est rete diaboli.

(1) Ducta est similitudo a pulvillis, quos veteres non, uti nos, sedentium lumbis supponebant, sed pro ritu discumbentium, quo tunc utebantur, cervicibus vel humeris recumbentium solebant substernere. Hinc Martialis, *Epigramm.* lib. III, 81 :

Jacet occupato Galbanus in lecto,
Cubitis trudit hinc et inde convivas
Effultus ostro, sericisque plumis.

Plura vide in Dongtæi *Analectis S. Script.* pag. 280. Apposite viris tribuit ædificare parietem, mulieribus pulvillos applicare. (Rosenmuller.)

Ubi grata mella fudit,
Fugit, et nimis tenaci
Ferit icta corda morsu.

Hujus rei appositum symbolum est Hypanis fons, qui, teste Herodoto, lib. IV, quinque dierum via dulces, sed exiles fundit aquas : deinde post aliorum quatuor dierum iter, dat amarissimas. Item pardalis, quæ suavi odore dorcades et capras ad se allicit, mox arripit et laniat. Ita Plutarchus lib. *Contra voluptatem.*

VIVIFICABANT ANIMAS, — promittebant animabus, id est hominibus, vitam et salutem; sed falso.

19. VIOLABANT ME AD POPULUM, — dicentes se agi et prophetare ex spiritu meo, cum suo agerentur. Æque enim injurium est Deo, si prophetias Dei dicas esse humanas, ac si humanas dicas esse divinas; utrobique enim Deus miscetur et æquiparatur homini, ac consequenter utrobique fit mendax. Nam omnis homo est mendax.

PROPTER PUGILLUM HORDEI, — *q. d.* Suæ prophetiæ mercedem vilem exigunt et referunt, scilicet frustum panis et pugillum hordei. Vide quam vili pretio peccator animam suam immortalem et divinam vendat peccato et dæmoni.

UT INTERFICERENT (ut prædicerent interitum Prophetis veris, qui) NON MORIUNTUR. — Hebraice, *qui non morientur*, id est mori non debent, mortem non sunt meriti.

ET VIVIFICARENT (id est vitam promitterent falsis prophetis et Judæis, qui) NON VIVUNT. — Hebraice, *qui non vivent*, id est vivere non debent, sed occidendi sunt. Nimirum, ut prædicerent fore, ut ii qui cum Jechonia se dederent Chaldæis morerentur, qui tamen salvi futuri erant : atque ex adverso salvos fore eos, qui Hierosolymæ manentes Chaldæis resisterent, qui tamen occidendi erant. Ita Maldonatus. Loquitur de vita et morte, primo corporis et præsenti, deinde animæ et æterna. Aliter Prado, *q. d.* Quia suis veneficiis occidebant sanctos, et vitam servabant impiis utentibus eorum amuletis.

Moraliter S. Gregorius, hom. 27 *in Evang.* : «Non morientem vivificat, inquit, qui justum damnat; et non victurum vivificare nititur, qui reum a supplicio absolvere conatur. »

20. ECCE EGO AD PULVILLOS (scilicet propheto et prædico eis exitium, quia sunt quasi rete, quo) CAPITIS (hebraice *venamini*, quasi aucupes) ANIMAS VOLANTES, — id est animas quasi aves volucres. Est aposiopesis. Minus recte Clarius vertit : *Ut sint advolantes et venientes ad eos*, *q. d.* Alliciunt animas mendaciis suis ut eas perdant. Minus etiam apte Pagninus et Vatablus vertunt, *ut volent*, id est evolent e corpore.

Nota : « Animas » vocat « volantes, » id est animas quæ sunt quasi volucres, sicut adulatores erant quasi aucupes. Persistit enim in metaphora aucupii et venationis. Intelligenda est ergo nota comparationis « quasi volantes, » id est quasi volantes sive volucres, id est quasi aves. Verum, quia noster Interpres vertit non, *volucres* potentialiter, sed, « volantes » actu; hinc plus significatur, scilicet hosce aucupes animas capere dum volant, quando plane securæ videntur, nec ullos laqueos cogitant aut metuunt; uti videmus fieri in retibus ex alto, puta ex arbore, vel inter arbores suspensis. Sic tropologice dæmon per se, et per suos hosce aucupes, similesque, maxime insidiatur et tendit laqueos animabus, dum ex peccato vel mundo, ad statum gratiæ vel perfectionis in altum evolare cogitant, uti experimur omnes. Quocirca Psaltes *Psalm.* LIV, 7 : « Quis, inquit, dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo (ut evolem ex hisce laqueis), et requiescam? » Ita S. Antonius vidit totum aerem et mundum plenum laqueis, quibus capiebantur animæ in altum evolantes; cumque ingemisceret, diceretque : « Domine, quis evadet hosce laqueos? » audivit : « Humilitas, » hæc enim sub laqueis dimittendo se elabitur. Sic « mulieri, » i. e. Ecclesiæ, cui insidiatur Antichristus, « datæ sunt alæ, ut volaret in desertum, » *Apoc.* XII, 14. Sic Osee cap. IX, 11, ait : « Ephraim quasi avis avolavit. » Et *Prov.* VI, 5 : « Eruere quasi damula de manu, et quasi avis de manu aucupis. » Jeremias quoque luget, *Thren.* III, 52, dicens : « Venatione ceperunt me quasi avem inimici mei gratis. »

Nota *secundo* : « Pulvillos » hosce comparat retibus, tum quia delicatiores mollitiei et elegantiæ causa, forinsecus solent esse acu picti, vel texti opere reticulato, puta ocellati instar retis, tum quia illis quasi retibus capiebant animas, *q. d.* Sicut auceps reti capit aves, sic vos pulvillis vestris reticulatis capitis animas. Aliter Delrio, *adag.* 904, ubi censet in pulvillis alludi ad areolas, quas aucupes avibus concinnant. Sed areolæ non sunt pulvilli; nec pulvilli, sed retia et escæ avibus capiendis concinnari solent. Vere S. Augustinus in *Sententiis*, sentent. 137 : « Adulantium, ait, linguæ alligant animas in peccatis. Delectat enim ea facere, in quibus non solum non metuitur reprehensor, sed etiam laudator auditur. »

DIRUMPAM EOS, — ostendendo falsitatem vestrarum promissionum de pace, ut non molliter, sed dure ab hoste tractemini : deliciæ enim, relaxatio, dissolutio et voluptas, quæ sunt pulvilli et cervicalia peccatorum, non sinunt eos agnoscere Deum, nisi discindantur, ait Scholiastes. Sicque « animas, » quas vos capitis quasi aucupes, « dimittam ad volandum, » id est in libertatem educam more avis e laqueo ereptæ. Aliter Prado, *q. d.* Dirumpam amuleta et præstigias vestras quibus, quasi reti, animas incantatis et capitis.

Nota : In Hebræo est eadem vox לפורחות *leporechot*, quam hoc versu Interpres vertit, *ad volandum*, versu vero præcedens vertit, *volantes*. Itaque *ad volandum*, subaudi, natas et paratas; quod idem est cum *volantes*, id est volaturientes. Aut potius ל in *leporechot*, potest accipi ut articulus, et tum significat *volantes*; potest et accipi ut præ-

positio, et tum significat *ad volandum*. Sagax ergo Interpres priori loco vertit, *volantes*, quia ibi agebatur de aucupio, quo animæ quasi aves volantes capiuntur : hic vero vertit, *ad volandum*, quia agitur de earum liberatione, qua Deus laqueos disrumpens, animas hasce expedit ut volent quo cupiunt. Ita S. Hieronymus. « Deus, inquit, disrumpit pulvillos earum, qui instar retium volantes animas capiunt, ut, postquam rupti fuerint, liberam habeant volandi potestatem. » Ita et Clarius, et Delrio *adag.* 909.

21. NEQUE ERUNT ULTRA IN MANIBUS VESTRIS (in potestate vestra) AD PRÆDANDUM, — ut eas deprædemini, *q. d.* Non patebunt amplius prædæ manuum vestrarum.

22. MOERERE FECISTIS COR JUSTI (prophetando ei tristia, et mortem : atque ex adverso) CONFORTASTIS MANUS IMPII, — prophetando ei læta et vitam, eo quod daret vobis munera.

23. VANA NON VIDEBITIS. — Chaldæus : *Falsa non prophetabitis*, quia occidam vos, vel peste, vel gladio Chaldæorum.

Moraliter, disce hoc capite quantum malum sit adulatio. Hac deceptus fuit Justinianus, alias sagax Imperator. Huic enim Tribonianus jurisconsultus, prave illi adulans, ingessit, teste Suida in voce *Tribonianus* (ex quo idipsum narrat *Theatrum vitæ humanæ*, vol. XIII, lib. II, pag. 2852) : «Non moriturum ipsum, sed una cum corpore in cœlum migraturum. » Quis non rideat principis adulatorem hunc foventis et exaltantis stoliditatem? qui adulatori minus certe credidisset, si Agapeti Pontificis moniti meminisset, sic ad eum scribentis : « Amplectere eos, o Imperator, qui bonorum te consiliorum admonitum volunt, non eos qui adulari sæpe student. Illi enim quod expedit revera, perspiciunt; hi vero ad ea quæ placent potentibus, respiciunt, corporumque umbras imitantes, singulis eorum dictis applaudunt. »

C. Caligula, teste Dione lib. LIX, cum pro deo haberi vellet, atque adeo videri rem cum luna habere, quæsivit a Vitellio, vidissetne se cum dea congredi? Hic Vitellius, quasi perculsus, oculis in terram demissis : « Solis, inquit, domine, vobis diis licet invicem videre. » Ita adulator, et quidem senator. Sincerior fuit sutor ille Gallus, a quo cum idem Caligula pro tribunali sub specie Jovis sedens quæreret, « Quidnam ipsi videretur esse? » respondit : « Magnum deliramentum. »

Parisiis ostenditur os cloacæ in foro frumentario, in qua sepeliri se jussit quidam, quem sero pœnituit noxiæ adulationis. Regi enim tristi ob angustias rei nummariæ suasit, ut ex minimis etiam rebus quas rustici deferunt in urbem, unum aut alterum nummulum exigeret, idque ad biennium tantum : atque ex eo, cum viderent consiliarii in urbe, ob populi frequentiam, ingentem vim pecuniæ colligi, plures similes exactiones plebem gravantes excogitatæ sunt. Qui igitur dederat consilium, cum videret se non idem auctoritatis habere in dissuadendo, quod habuerat in suadendo, in magnos animi angores incidit, neque de salute desperavit. Atque ut pœnitentiam hanc suam testaretur, eaque alios moneret cavere adulationem, testamento cavit ut in ea cloaca, in quam totius illius fori sordes confluunt, sepeliretur; in quo manet etiamnum in hunc usque diem exactionis ab eo suasæ et persuasæ executio.

Vere dicunt Græci : *Satius est incidere εἰς κόρακας ἢ κόλακας*, id est *in corvos quam in adulatores*. Nam *primo*, illi mortuos, hi vivos devorant, aiebat Demosthenes; *secundo*, illi cadaveribus, hi menti oculos eruunt, dicebat Epictetus.

Aristonymus, teste Stobæo *serm.* 12, aiebat : «Ligna dum augent ignem, consumi ab ipso; opes dum alunt adulatores, ab eis ipsis perire. »

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hypocritis, qui ficte verbum Dei a Propheta requirebant, minatur tum realem, per plagas et verba; tum fictam et fallacem, per pseudoprophetas responsionem. Secundo, vers. 14, *edicit, quod, etiamsi Noe, Job et Daniel orarent pro Judæis, non eos exaudiret : reliquias tamen ex eis servandas, vers.* 22, *promittit* (1).

1. Et venerunt ad me viri seniorum Israel, et sederunt coram me. 2. Et factus est sermo Domini ad me, dicens : 3. Fili hominis, viri isti posuerunt immunditias suas in cordibus suis,

(1) PRIMO, proponitur casus seniorum qui accedunt ut consulant Prophetam, 1, et *primo*, Propheta instruitur de illorum consultatione minus sincera, 2, 3; *secundo* Deus hujusmodi consultantibus secus quam vellent, responsurum, sed dicit, 4, 5.

SECUNDO, datur oraculum, *primo*, revocans omnes Israelitas ad pœnitentiam, 6; *secundo*, interminans exitium tum popularibus petentibus, 7, 8; tum pseudoprophetis dantibus responsum, 9, 10; *tertio*, asserens comminationes habere pro fine emendationem populi et agnitionem Dei, 11.

TERTIO, communicatur Prophetæ peremptoria et im-

et scandalum iniquitatis suæ statuerunt contra faciem suam : numquid interrogatus respondebo eis? 4. Propter hoc loquere eis, et dices ad eos : Hæc dicit Dominus Deus : Homo, homo de domo Israel, qui posuerit immunditias suas in corde suo, et scandalum iniquitatis suæ statuerit contra faciem suam, et venerit ad prophetam interrogans per eum me : ego Dominus respondebo ei in multitudine immunditiarum suarum : 5. ut capiatur domus Israel in corde suo, quo recesserunt a me in cunctis idolis suis 6. Propterea dic ad domum Israel : Hæc dicit Dominus Deus : Convertimini, et recedite ab idolis vestris, et ab universis contaminationibus vestris avertite facies vestras. 7. Quia homo, homo de domo Israel, et de proselytis quicumque advena fuerit in Israel, si alienatus fuerit a me, et posuerit idola sua in corde suo, et scandalum iniquitatis suæ statuerit contra faciem suam, et venerit ad prophetam ut interroget per eum me : ego Dominus respondebo ei per me. 8. Et ponam faciem meam super hominem illum, et faciam eum in exemplum, et in proverbium, et disperdam eum de medio populi mei : et scietis quia ego Dominus. 9. Et propheta cum erraverit, et locutus fuerit verbum : ego Dominus decepi prophetam illum : et extendam manum meam super illum, et delebo eum de medio populi mei Israel. 10. Et portabunt iniquitatem suam : juxta iniquitatem interrogantis, sic iniquitas prophetæ erit : 11. ut non erret ultra domus Israel a me, neque polluatur in universis prævaricationibus suis; sed sint mihi in populum, et ego sim eis in Deum, ait Dominus exercituum. 12. Et factus est sermo Domini ad me, dicens : 13. Fili hominis, terra cum peccaverit mihi, ut prævaricetur prævaricans, extendam manum meam super eam, et conteram virgam panis ejus : et immittam in eam famem, et interficiam de ea hominem et jumentum. 14. Et si fuerint tres viri isti in medio ejus, Noe, Daniel et Job : ipsi justitia sua liberabunt animas suas, ait Dominus exercituum. 15. Quod si et bestias pessimas induxero super terram ut vastem eam; et fuerit invia, eo quod non sit pertransiens propter bestias : 16. Tres viri isti si fuerint in ea, vivo ego, dicit Dominus Deus, quia nec filios, nec filias liberabunt : sed ipsi soli liberabuntur, terra autem desolabitur. 17. Vel si gladium induxero super terram illam, et dixero gladio : Transi per terram : et interfecero de ea hominem et jumentum : 18. et tres viri isti fuerint in medio ejus : vivo ego, dicit Dominus Deus, non liberabunt filios, neque filias : sed ipsi soli liberabuntur. 19. Si autem et pestilentiam immisero super terram illam, et effudero indignationem meam super eam in sanguine, ut auferam ex ea hominem et jumentum : 20. et Noe, et Daniel, et Job fuerint in medio ejus : vivo ego, dicit Dominus Deus, quia filium et filiam non liberabunt : sed ipsi justitia sua liberabunt animas suas. 21. Quoniam hæc dicit Dominus Deus : Quod et si quatuor judicia mea pessima, gladium, et famem, ac bestias malas, et pestilentiam, immisero in Jerusalem, ut interficiam de ea hominem et pecus : 22. tamen relinquetur in ea salvatio educentium filios et filias : ecce ipsi ingredientur ad vos, et videbitis viam eorum et adinventiones eorum, et consolabimini super malo quod induxi in Jerusalem, in omnibus quæ importavi super eam. 23. Et consolabuntur vos, cum videritis viam eorum et adinventiones eorum : et cognoscetis quod non frustra fecerim omnia quæ feci in ea, ait Dominus Deus.

1. VIRI SENIORUM. — Id est ex senioribus Israel, puta primores et magistratus : hi enim fere creabantur ex senibus. Unde et senatus a senio nomen accepit, ait Cicero *De Senectute*. Venerant isti ad Ezechielem, ut eum consulerent, sed ficte : propterea sederunt cum eo : quapropter revelat Deus Prophetæ quales sint, nimirum hypocritæ, ne miretur si pro ipsorum meritis dure respondeat, aut omnino non respondeat. Hoc est quod ait : « Numquid interrogatus respondebo eis? »

3. POSUERUNT IMMUNDITIAS SUAS IN CORDIBUS SUIS. — Id est, ut Aquila : *Dedicarunt idola in corde suo*, scilicet quasi in altari, id est ea cordi intime impresserunt, cum exterius præ se ferant Dei veri

mutabilis sententia Dei, Judæos refractarios castigaturi, 12; *primo*, per famem, 13, 14; per feras bestias, 15, 16; per gladios hostium, 17, 18; per pestem omnia vastantem, 19, 20.

QUARTO, adjungitur, quatuor his plagis quantumvis eventuris, 21 : *primo*, exceptio pro captivis in Babylonem ducendis, 22; *secundo*, solatium pro iisdem, postea de gratia Dei et salute sua edocendis, 22, 23.

cultum, ac verbi Dei et prophetiæ cupiditatem.

ET SCANDALUM INIQUITATIS. — Id est idola quæ eis sunt scandalum, et occasio omnis iniquitatis, id est culpæ et pœnæ ac ruinæ, ut impingant et corruant in omnia mala omnesque plagas.

STATUERUNT CONTRA FACIEM SUAM, — ut iis fixe oculos et animum pascant et oblectent, *q. d.* Animum plene defixerunt in idolis, illorum cultum sibi pro fine, summoque bono constituerunt. Aliter Septuaginta : *Tormentum*, vel pœnam *iniquitatis suæ statuerunt contra faciem suam*, id est, ut Theodoretus, sciunt pœnas idololatris a me decretas, et non curant, sed pergunt in idololatria; atque, ut Scholiastes, impudenter peccant, neglecta mea supplicii comminatione.

NUNQUID INTERROGATUS RESPONDEBO EIS? — Hebraice : *Numquid interrogatus interrogabor*, vel requisitus requirar ? id est, licet roger ab eis, verene rogatus, et ad respondendum obligatus censeor? *q. d.* Non : ficte enim me rogant ii qui in corde gerunt et rogant idola. Ita Origenes et Vatablus ac S. Hieronymus, dicens : « Qui cum pristinis vitiis ad Prophetam venerit sciscitandum, ego respondebo juxta cor et immunditias suas, ut juxta quod vult et credit, ita et audiat. Non enim meretur correctionem, qui non discendi sed tentandi animo interrogat : nec meretur audire veritatem, qui fraudulenter interrogat, sed suo corde capiendus est. Sic Christus dixit scribis : Quid me tentatis, hypocritæ? Et rursum : Nec ego dicam in qua virtute hæc facio. » His enim quadrat illud Epicharmi : « Quid cæco cum speculo? »

Præclare Ptolemæus, initio *Almagesti* : « Non disseras, inquit, nisi cum eo qui veritatem concedit; nec respondeas nisi a te quærenti consilium, et cupide recipienti. »

4. HOMO, HOMO. — Hebraice, *vir, vir*, hoc est quilibet vir, quicumque.

Tropologice S. Hieronymus : « Duplex, ait, est homo, exterior in ore, et interior in corde. » Vide eum.

EGO DOMINUS RESPONDEBO EI IN MULTITUDINE IMMUNDITIARUM SUARUM. — S. Hieronymus in *Comment.* : *Respondebo ei juxta cor et immunditias suas ;* Septuaginta : *Respondebo ei in iis, in quibus tenetur* (id est delectatur) *mens ejus, q. d.* Responsum attemperabo, vel per falsos prophetas attemperari permittam interrogantis affectui et desiderio; uti fecit Michæas Achab regi, III *Reg.* XXII (1). Mentiuntur enim se quærere Dei oraculum, cum potius id ratum fieri cupiant, quod jam in animo suo statuerunt, quodque omnino desiderant. In his verum est illud S. Augustini : « Deus spargit pœnales cæcitates (et deceptiones) super illicitas cupiditates, ut pœna sibi sit omnis inordinatus animus. » Hebræa interserunt בוא *ba*, quod R. David et alii dicunt scribi בה *ba* per ה, sed legi בא *ba* per א, id est, ut Chaldæus, *venienti, q. d.* Respondebo venienti, licet veniat plenus cultu idolorum. Ita Vatablus. Vel potius, venienti ad me, pro merito sordium et idolorum ejus respondebo. Verum lectio et sensus Interpretis nostri longe est verior et melior, ut τὸ *ba* vel deleatur, vel per pleonasmum redundet.

5. UT CAPIATUR DOMUS ISRAEL IN CORDE SUO. — Id est, ut Israel suo affectui et desiderio obsequens, eo quasi laqueo capiatur, *q. d.* Ipsi sibi laqueos in corde tetenderunt, quibus illaqueabuntur. Nota appetitus et concupiscentias esse retia et laqueos desideranti, quibus ipse capitur; et sæpe strangulatur. Sic et falsi prophetæ, concionatores, confessarii, qui concupiscentias suorum fovent, laquei sunt animarum. Vere dixit Sapiens, *Proverb.* V, 22 : « Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur; » et Isaias, cap. V, 18 : « Væ, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, et quasi vinculum plaustri peccatum. » Vide ibi dicta, uti et *Rom.* I, 24 : « Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum. »

7. DE PROSELYTIS. — *Proselyti*, id est advenæ, vocantur gentiles aliunde advenientes, ut inserantur religioni Judæorum et populo Dei. Hi vocantur timentes Deum, *Actor.* XIII, 16. Nota hic, nolle Deum ut Judæi permittant peregrinos apud se colere idola; multo ergo minus christiani debent hæreticos pati suam apud se hæresin exercere, ait Maldonatus.

PER ME, — non per Prophetæ verbum, sed per me, et mea flagella, quæ ei immittam; aut, *q. d.* Ego ipse pronuntiabo sententiam meam contra eum. Unde sequitur :

8. FACIAM EUM IN EXEMPLUM, — divinæ ultionis, quod proferent, cum eam alicui proponere vel imprecari volent.

IN PROVERBIUM, — in fabulam, ut in ore sit omnium; ut, cum grandem vindictam significare volent, pœnam illius appellent, sicut Tantali et Tityi pœnas dicimus.

9. PROPHETA, — id est pseudopropheta; nam verus errare nequit.

EGO DOMINUS DECEPI, — id est decipi permisi, non redargui cum possem, toleravi ejus mendaces prophetias et promissiones, ut per eum puniam interrogantes, non me, sed idola et eorum prophetas. Par enim est ut fraudulento consultori, mendacem deum et prophetam consulenti, ab eodem fraudulentum, captiosum et mendax responsum, sive oraculum detur. Agit enim de idololatris et pseudoprophetis, ut patet vers. 7, et ex eo quod subdit : « Delebo eum de medio populi. » Nam quomodo Deus decipiat prophetas, ipse de-

(1) Theodoretus intelligit *pseudovates* quos consulant idolorum cultores. Sed de iis versu demum 9 loquitur. Hoc loco *veros prophetas* intelligendos esse, quos consultum veniant falsorum deorum cultui dediti homines, vers. 1 et 3 arguunt, ubi seniores populi idololatræ, sed veræ religionis simulatores, ad nostrum Prophetam venisse dicuntur, quos manifeste respiciunt vers. 4-8 dicta. (Rosenmuller.)

clarat, III *Reg.* XX, 21, ubi decepit prophetas Achab, non aliter quam permittendo ut spiritus mendacii, puta diabolus, eos deciperet. Et ratio ipsa et pietas docent Deum non posse esse auctorem mendacii, uti blasphemat Calvinus. Alii exponunt « decepi, » id est declaravi esse deceptum; alii, « decepi, » id est affeci eum pudore et pœna quam non exspectabat.

Cur Dei permissio vocatur actio et deceptio?

Quæres, cur permissio deceptionis in Deo vocatur actio, puta deceptio? Cur ait « decepi, » non, permisi decipi?

Respondeo primo.

Respondeo *primo*, quia permissio in Deo est actio, puta positivum decretum permittendi hanc vel illam deceptionem, hoc vel illud peccatum. Sine hoc enim decreto prævio, nullus dæmon, vel homo impius alium decipere, peccare, aut agere quidquam posset, præsertim quia Deus ad deceptionem, uti et ad quemlibet actum peccati, generali suo concursu physice concurrere et cooperari debet; sine hoc enim Dei concursu nil effici, nil produci potest.

Secundo.

Secundo, quia hæc permissio in Deo est certa et efficax, certoque ponit effectum. Præscit enim Deus ex eo quod penetrat, et funditus pervidet tum infirmitatem et propensionem humanæ, tum astutiam, vim et nequitiam diabolicæ voluntatis, quod talis homo hic et nunc positis talibus circumstantiis, certo et infallibiliter decipietur a dæmone, si ipsi dæmoni id permiserit, et laxaverit habenas ad eum tentandum et decipiendum; posita hac præscientia, dicit et decernit Deus : Permitto dæmoni ut talem tentet et decipiat; unde certo sequitur talem tentari et decipi. Sicut ergo qui canem venaticum coram lepore solvit et manu mittit, dicitur canem in leporem immittere, quia canis naturaliter et certo invadet leporem, si solvatur : ita et Deus dæmoni permittens certam deceptionem, quam sine Dei permissu facere non poterat, censetur per eum decipere. Quod enim quis per alium facit, hoc per se facere videtur. Aliter ergo permittit mala Deus, aliter homo : homo negative, Deus positive.

Tertio, quia id facit Deus in pœnam præcedentis peccati, v. g. hypocrisis et fraudis. Est ergo hæc deceptio punitio Dei, et pœna a Deo irrogata fraudulento. Quidni ergo Deo, quasi judici et vindici justo, ascribatur? Deus enim ex pleno et summo dominio quod obtinet in omnes creaturas et voluntates, eas vel active in bonum, vel permissive in malum dirigit, prout ejus providentiæ vel misericorditer, vel juste placuerit et libuerit; tamque certo permissio ejus effectum suum sortitur, quam actio, uti dixi. Cum ergo ex hac Dei permissione et punitione certo decipitur homo, a Deo decipi dicitur. Sic Deus « deludet illusores, » *Proverb.* III, 34.

Moraliter, disce hic Deum talem se ostendere hominibus, talemque se erga eos exhibere quales ipsi sunt. Humilibus se exhibet mitem et humilem, sinceris sincerum, fidelibus fidelem, amantibus amicum, liberalibus liberalem, etc., superbis se præbet excelsum, subdolis subdolum, duris durum, avaris avarum, etc. Hoc est quod canit Psaltes, *Psalm.* XVII, 26 : « Cum sancto sanctus eris (o Domine! sanctum, id est pium te erga eum gerendo, benignum te illi exhibendo), et cum viro innocente innocens eris : et cum electo electus eris, et cum perverso perverteris, » *q. d.* Bono, probato et electo, bonum, probatum et electum te exhibebis : « Cum perverso perverteris, » id est non candide, non benigne; sed (ut ita dicam), prave, maligne et perverse, id est vafre, severe et hostiliter ages; ac morem tibi proprium, qui est misereri et benefacere, invertes; quia ipse ab eo qui esse deberet, inversus et perversus est. Ita S. Hieronymus et Jansenius ibidem. Et *Levit.* XXVI, 27 : « Sin autem nec per hæc audieritis me, sed ambulaveritis contra me : et ego incedam adversus vos in furore contrario, et corripiam vos septem (id est multis) plagis propter peccata vestra. » Sic incessit contra contumacem Pharaonem, alliciendo et mergendo eum dolose in mari Rubro; et contra superbum Nabuchodonosorem, convertendo eum in bestiam, *Daniel.* IV. Sic sæpe hypocritis et impiis populis dat hypocritas et impios reges et magistratus, discipulis indoctis indociles magistros, morosis uxoribus morosos maritos, parentibus perversis perversos filios, etc.

Similia proverbia sunt : « Fallacia alia aliam trudit : Est pylus ante pylum : Lis litem serit, fraus fraudem : Pro cæco exoculatus est : Malum malo medica : Morbum morbo adure : Lutum luto purga : Cretiza cum Cretensi. »

Vers. 10. 10. PORTABUNT INIQUITATEM SUAM, — tam falsus propheta, quam qui eum consulit. *Iniquitatem* vocat vindictam et pœnam iniquitatis. Est metonymia; ponitur enim causa pro suo effectu, culpa pro pœna.

JUXTA INIQUITATEM. — Id est ficte et mendaciter me roganti, ficte et mendaciter respondebo per pseudoprophetam. *Secundo*, pari pœna et interitu, uterque pro pari simulatione punietur, scilicet et consulens, et consultus pseudopropheta.

Vers. 11. 11. UT NON ERRET ULTRA DOMUS ISRAEL A ME, — videns scilicet alios, qui a me recesserunt, errasse, et esse punitos, *q. d.* Ut sic hac pœna Israelem a falsorum vatum sequela liberem. Ita Polychronius.

13. TERRA (habitatores terræ), UT PRÆVARICETUR PRÆVARICANS, — id est, ut valde prævaricetur. Origenes hic, *homil.* 4, videtur terram ipsam accipere, quasi ea sit animata et ratione pollens, sicuti Plato censuit spiritum Dei esse animam mundi : sed loquitur metonymice; alibi enim contrarium diserte docet.

CONTERAM VIRGAM PANIS. — Hebraice *baculum* vel *sustentaculum panis*, id est panem, qui vitam sustentat, *q. d.* Immittam famem in eam. Vide de hac phrasi ea quæ dixi *Isaiæ* III, 1.

14. ANIMAS SUAS, — id est seipsos, suam vitam et salutem.

17. Si dixero,— id est, si jussero, si ordinavero ut gladius hostilis puniat terram peccantem.

19. In sanguine, — corrumpendo aere pestifero sanguinem, qui corruptus cætera hominis membra inficit. Ita Vatablus. *Secundo*, melius Prado et Maldonatus, *in sanguine*, inquiunt, id est ad cædem et carnificinam, ut sanguis, id est vita, effundatur.

Vers. 20. Cur hic Noe, Daniel, et Job præ aliis sanctis nominantur? Respondeo primo.

20. Et Noe, et Daniel, et Job. — Quæres, cur hi tres nominantur præ Abraham, Jacob, Mose? *Primo*, Origenes apud S. Hieronymum, respondet, quia hi tres *primo*, prospera; *secundo*, adversa; *tertio*, rursum prospera conspexerunt. Scilicet, Noe vidit mundum integrum, mox diluvio deletum, et paulo post renovatum. Daniel vidit Judæos florentes, captos et reduces. Job vidit suam felicitatem, plagam et restitutionem, *q. d.* Sic et populus Israel, si pœniteat, ad patriam et primam felicitatem redibit. Verum hoc non est ad propositum hujus capitis.

Secundo. *Secundo*, S. Hieronymus ait hos tres esse quasi tria exempla divinæ severitatis. Nec enim Noe vir perfectus potuit iram et diluvium Dei avertere nisi a filiis, qui justi erant, et servabantur in seminarium hominum; nec Daniel potuit a populo avertere captivitatem Babylonicam, nec Job a filiis et filiabus mortem. Sed tantum Noe ipse cum suis justis a diluvio; Job a pestifera morte; Daniel a leonibus, ob suam justitiam a Deo fuerunt liberati. Ita et Maldonatus. Idque satis apposite dicitur, quasi argumentetur ab exemplo. Sicut nec Noe orbem, nec Job filios, nec Daniel populum suum liberarunt, ita nunc non poterunt populum meum liberare.

Tertio, e contrario S. Chrysostomus, hom. 47 *in Genes.*, respondet: Quia, inquit, Noe filios et filias; sic Daniel et Job multos alios servarunt, tum familiares, tum populares, tum subditos suos.

Quarto et plene. *Quarto*, plenissime Prado respondet, quia hi tres suo sæculo, quasi soles justitiæ illustres orbi præfulserunt, et fuerunt salutis aliorum amantissimi; ideoque Deo charissimi, et in oratione fuerunt efficacissimi. Unde de Noe dicitur *Eccli.* xliv, 17, quod « factus est mundi reconciliatio,» ut scilicet eum restauraret. Job etiam fuit integerrimus, cap. i, vers. 1, uti et Daniel, qui a Deo vocatur « vir desideriorum. »

Nota: Tum vivebat Daniel, cum hoc elogium de eo dedit hic Ezechiel, eumque Noe et Jobo comparavit, et tantum erat 34 annorum; nam 20 annorum erat, cum translatus est in Babylonem anno 3 Joakim, qui postea adhuc 8 annis regnavit, cui successit filius Joachin, qui tertio mense translatus est in Babylonem. Hæc autem prophetat Ezechiel anno 6 a translatione Joachin, ut patet ex cap. viii, 1 et 20. Hic ergo annus 6 Joachin fuit annus 14 a translatione Danielis. Adde 14 ad 20, habebis 34 annos vitæ Danielis, dum hæc de eo dixit Ezechiel. Fuit ergo hic Daniel typus Christi, cujus ultima et perfectissima ætas fuit 34 ejus anno. Daniel ergo adhuc vivens hic a Deo celebratur, et quasi canonizatur. Sic Nicolaus V Pontifex dixit de S. Antonino: « Tam recte canonizari potest S. Antoninus vivens, quam S. Bernardus defunctus. » Sic S. Agatha quasi canonizavit S. Luciam viventem: dum enim S. Lucia eam invocaret, peteretque ut matrem Eutychiam sanaret, audivit ab ea: « Quid a me petis, soror Lucia, quod ipsa poteris continuo præstare matri tuæ? » Sic et S. Paulus quasi canonizatus est a Deo dicente: « Vas electionis est mihi iste, » *Actor.* ix, 15; et Joannes Baptista, *Lucæ* i, 15; et Jeremias, cap. i, 5. Imperite ergo hæretici hoc loco abutuntur, ut ex eo probent Sanctos in cœlis non esse invocandos. Nam *primo*, Noe et Job, hoc tempore Ezechielis non erant in cœlo, sed in limbo, id est in statu non beatitudinis et visionis, sed pœnitentiæ et caliginis: Daniel vero in terris vivebat. Ex quo juxta argumentationem hæreticorum, a pari inferendum esset, non esse poscendas preces justorum adhuc viventium, quas tamen sæpe exposcit S. Paulus, postulans ut fideles orent pro se, et pro gentium conversione, ac Evangelii propagatione. *Secundo*, non vetat hic Deus ne Sancti invocentur, sed asserit se eos non exauditurum, non quod eos non amet, vel alias non exaudiat: sed quod jam tanta sint Judææ scelera et obstinatio, ut eam prorsus per Chaldæos vastare decreverit, nec ullius precibus flecti se sinet, ut illi parcat. Alias enim constat Danielem, cap. ix, 13, Judæis pœnitentibus libertatem e captivitate Babylonica; Job, cap. xlii, 8, veniam amicis suis; Noe, ne amplius homines perirent diluvio, *Genes.* viii, 21, suis precibus et sacrificiis impetrasse. Potius ergo hinc contrarium inferendum esset, scilicet invocandos esse Sanctos. Hoc enim mandavit Deus amicis Job, cap. xlii, 8, dicens: « Ite ad servum meum Job: Job servus meus orabit pro vobis. » Sic dicit rex principi quem amat: Noli orare pro isto perduelli, quia te non exaudiam, *q. d.* Alias te exaudiam, sed hac vice non, quia scelus est enorme.

Hinc probatur invocatio Sanctorum.

Tropologice S. Hieronymus: « Si Noe, ait, Job et Daniel congregati, eos qui in terra peccatrice habitant, non possunt iræ Dei subtrahere; quid dicendum est de his qui putant merito parentum posse filios peccatores de gehennæ ignibus liberari? unde nec peccatorem filium justus pater poterit liberare, nec sanctæ conversationis mater impudicæ filiæ dabit præmia pudicitiæ. E contrario parentum vitia filiis non nocebunt, sed anima quæ peccaverit ipsa morietur. Lot in Sodomis habitans, sed et spiritu et carne peregrinus, uxorem, quia post tergum respexerat, non liberavit; sed tantum filias, quæ forsitan non peccaverant. »

Tropologice, pater filium non liberabit ex inferno.

Denique symbolice, Abbas Pastor in *Vitis Patrum* dicebat: « Paupertas, tribulatio et discretio

sunt operationes solitariæ et perfectæ vitæ. Scriptum est enim : Quia si fuerint hi tres viri Noe, Job et Daniel, Noe personam habet nihil possidentium; Job autem, personam tribulatorum; Daniel vero, discernentium. Si ergo sunt hæ tres actiones in homine, Deus habitat in eo. »

Et S. Gregorius, hom. 16 *in Ezech.*: « In Noe, ait, Daniel et Job, prædicatores, continentes et conjugati signati sunt. Nam Noe arcam in undis rexit, et ideo figuram rectorum tenuit. Daniel in aula regis abstinentiæ deditus fuit, et ideo vitam continentium signavit. Job in conjugio positus, et curam propriæ domus exercens placuit, per quem digne bonorum conjugatorum ordo signatur. »

Et S. Bernardus, serm. in illud *Psalm.* LXXXIV : *Audiam quid loquatur in me Dominus* : « Noe, ait, Daniel et Job tres ordines exprimunt : continentium, prælatorum et conjugatorum; si tamen continentes a carnalibus desideriis ad ea quæ cordis sunt, id est ad spiritualia desideria, convertantur. Unde et Daniel vir desideriorum ab Angelo nuncupatur. Et prælati prodesse magis studeant, quam præesse : quoniam ipsos maxime decet sanctitudo. Unde et in psalmo sancti specialiter appellantur. Et conjugati mandata non transgrediantur, ut merito plebs Domini, et oves pascuæ ejus debeant nominari. » Idem S. Bernardus, serm. *De tribus ordin. Ecclesiæ ad Patres in Capitulo* : « Tres, inquit, sunt, Noe, Daniel et Job : quorum primus navi, secundus ponte, tertius vado transit. Porro tres homines, tres ordines Ecclesiæ signant. Noe quidem arcam rexit ne periret diluvio, ubi protinus rectorum Ecclesiæ formam agnosco. Daniel vir desideriorum abstinentiæ et castimoniæ deditus, ipse est soli Deo vacans continentium et pœnitentium ordo. Job quoque substantiam hujus mundi bene dispensans in conjugio, fidelem designat populum terrena licite possidentem, » etc.

21. JUDICIA MEA PESSIMA.— Septuaginta, *ultiones*, id est flagella acerbissima : vel « judicia, » id est judices, ultores, aut potius lictores, qui vindictam exigunt de sceleratis.

22. TAMEN RELINQUETUR IN EA SALVATIO.— Hebraice, *evasio*, id est, aliqui ex clade evadentes et superstites, qui etiam educent ex hac clade filios et filias, ut in eis servetur et propagetur stirps Abrahæ.

ECCE IPSI INGREDIENTUR AD VOS.— Id est, ecce ipsi abducentur captivi in Babylonem, in qua vos estis, *q. d.* Ipsi sequentur vos, non vos ipsos.

23. CUM VIDERITIS VIAM EORUM (scilicet mores eorum improbos, ob quos alios punivi, sed eos ex misericordia servavi : sicque) CONSOLABIMINI,— videntes merito ob tanta scelera me urbem et templum Hierosolymæ evertisse, et tamen clementer servasse aliquos, eorumque filios improbos (in Babylonem licet abductos) in seminarium stirpis Abrahæ, cum alias gentes funditus everterim. Sic enim respondet senibus, mirantibus minas Jeremiæ et Ezechielis, quomodo Deus gentem suam et urbem perderet, æque ut alias gentes? Respondet enim mitius Deum agere cum Judæis, quos non plane disperdit, uti perdidit alias gentes.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit Deus improbos et incorrigibiles mores Judæorum præ aliis gentibus ostendere per lignum vitis præcisum, quod præ aliis lignis ad nihil, nisi ut comburatur, aptum est. Quocirca se Jerusalem igne crematurum prædicit.

1. Et factus est sermo Domini ad me, dicens : 2. Fili hominis, quid fiet de ligno vitis ex omnibus lignis nemorum, quæ sunt inter ligna silvarum? 3. Numquid tolletur de ea lignum, ut fiat opus, aut fabricabitur de ea paxillus, ut dependeat in eo quodcumque vas? 4. Ecce igni datum est in escam : utramque partem ejus consumpsit ignis, et medietas ejus redacta est in favillam : numquid utile erit ad opus? 5. Etiam cum esset integrum, non erat aptum ad opus : quanto magis cum illud ignis devoraverit, et combusserit, nihil ex eo fiet operis? 6. Propterea hæc dicit Dominus Deus : Quomodo lignum vitis inter ligna silvarum, quod dedi igni ad devorandum, sic tradam habitatores Jerusalem. 7. Et ponam faciem meam in eos : de igne egredientur, et ignis consumet eos : et scietis quia ego Dominus, cum posuero faciem meam in eos, 8. et dedero terram inviam et desolatam : eo quod prævaricatores exstiterint, dicit Dominus Deus.

2. EX OMNIBUS LIGNIS NEMORUM, — id est præ omnibus arboribus sylvestribus et infructiferis. *Ex* sumitur pro *præ*, uti et *Psalm.* CXXXVIII, 6. Hoc enim est Hebraice מִן *min*, *q. d.* Qua re præstat lignum vitis alii arbori, si fructum non fert? scilicet, adeo non præstat, ut sit omnium abjectissimum, et ad aliud non valeat, quam ut comburatur. Ita Vatablus et Maldonatus.

Nota : Deus voluit Ecclesiam et animas sanctas, non esse viridarium, nec nemus, sed vineam; ut non flores, non frondes, non ramos, sed fructum ferant. *Secundo*, ait noster Prado, Ecclesia non pomus, non ficus, sed vitis est, ob amœnitatem et fructus præstantiam. Vinum enim pro ligno vitæ hominibus datum est, ut cor exhilaret, spiritus reficiat, mentem excitet, vitam foveat. Et sicut in vite, id est ligno vili et despecto, intus est succus efficacissimus et optimus : ita in Ecclesia est gratia Christi, quæ per viles et pauperes apostolos, totum mundum inebriavit sua efficacia. Ad hæc, hoc vinum germinat virgines, scilicet purissimas et immortales : virgo enim semper virens symbolum est immortalitatis. Hinc vitis est quasi virgo; unde hoc ejus est enigma :

Nolo thoro jungi, quamvis placet esse maritam.
Nolo virum thalamo, per me mea nata propago est.
Nolo sepulcra pati, scio me submergere terræ.

Tertio, nulla arbor vite est feracior pro sui tenuitate, ait Plinius lib. XIV, cap. IV. Rursum : « Invenimus vitem et malum Punicam stirpe fructum tulisse, non palmite, aut ramis, » ait Plinius lib. XVII, cap. XXV. Hoc viri boni et humiles faciunt, qui fructus, hoc est opera justitiæ, occultant, quo fit ut tutior sit virtus, et minus insidiis dæmonum obnoxia, qui ad explicatas merces uno agmine prosiliunt :

Vive tibi, et longe nomina magna fuge.
Vive tibi, quantumque potes prælustria vita :
Sævum prælustri fulmen ab arce venit,

ait Ovidius, III *Trist.* eleg. 4.

Quarto, vitis frigore emoritur, ait Plinius lib. XVII, cap. XXIV; item nitro, alumine, marina aqua calida, et fabarum putaminibus : læditur raphano, lauro, caulibus et corylo. « Lædit, inquit Plinius, odore, aut succi mixtura raphanus et laurus vitem. Olfactrix enim intelligitur, et tangi odore mirum in modum : ideoque cum juxta sit averti, et recedere, saporemque inimicum fugere. Hinc sumpsit Androcides medicinam contra ebrietates, raphanum mandi præcipiens. Odit et caulem et olus omne; odit et corylum : ni procul absint, tristis atque ægra. Nitrum quidem et alumen, marina aqua calida, et fabæ putamina vel erui, ultima venena sunt. » Pari modo Ecclesia et anima sancta quasi emoritur frigore acediæ, nitro et alumine iræ, marina aqua amaritudinis : læditur raphano acoris, lauro ostentationis, oleribus vanitatis, corylo æmulationis. Fugit ergo hos succos et mores inimicos.

Quinto, hæc vinea Judaica a Deo et Prophetis culta fuit, sed fructum non tulit. Unde excisa et præcisa, vel eradicata ad nil valet, nisi ut comburatur, cum alia ligna præcisa valeant ad hastas, ostia, tabulas, naves et domos fabricandas. Sic ergo Judæa incorrigibilis igni tradetur, aliæ gentes per Christum et Apostolos dolabuntur, ut fiant vasa ex eis in honorem. Ita S. Hieronymus et Polychronius. Huc allusit Christus, *Joan.* XV, 5, dicens : « Ego sum vitis, vos palmites : qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum : quia sine me nihil potestis facere. » Quod explicans S. Augustinus, tract. 81 *in Joan.* : « Ligna, ait, vitis tanto contemptibiliora sunt si in vite non manserint, quanto gloriosiora si manserint. » Idque probans ex hoc Ezechielis loco, subdit : « Unum de duobus palmiti congruit, aut vitis, aut ignis. Si in vite non est, in igne erit : ut ergo in igne non sit, in vite sit. Ita Romæ vitium sarmenta continuo in hieme comburimus, nec sæpe alterius ligni fasces habemus. Idem S. Augustinus in *Sent.* sent. CCCLXIV : « Ita, ait, sunt palmites in vite, ut viti nihil conferant, sed inde accipiant ut vivant. Sic quippe est vitis in palmitibus, ut vitale alimentum subministret eis, non sumat ab eis : ac per hoc et manentem in se habere Christum, et manere in Christo, discipulis utrumque prodest, non Christo. Nam, præciso palmite, potest de viva radice alius pullulare : qui autem præcisus est, sine radice vivere non potest. »

4. UTRAMQUE PARTEM EJUS CONSUMPSIT IGNIS. — Hebraice, *utramque extremitatem*. Ex sarmentis enim vitis nihil in igne remanet : quia cum facillime ardeant, mox tota ignis depascitur. At ex aliis lignis igni injectis remanent titiones, ex quibus paxillus, aut quid aliud fieri potest. Ita S. Hieronymus et Chaldæus, *q. d.* Medietas hujus vitis redacta est in favillam, id est medietas populi Judaici consumpta est a Nabuchodonosore sub Joakim et Joachin, altera pars brevi consumetur sub Sedecia. Vers. 4.

Nota : Ignem vocat, extremam et acerrimam perniciem, quæ infertur vel gladio, vel fame, vel igne. Vide *Can.* XXVI. Septuaginta pro שְׁנֵי *scene*, id est *utramque*, legunt aliis punctis שְׁנָה *scane*, id est *annuam*. Unde vertunt : *Annuam purgationem ejus consumpsit ignis*, id est sarmenta quæ quotannis putantur a vite, missa sunt in ignem. Sic uno anno purgavit et putavit Judæam Deus per Pharaonem, alio anno per Nabuchodonosorem sub Joakim, alio sub Joachin, etc.

5. CUM ILLUD IGNIS DEVORAVERIT, — scilicet cum media ex parte, ut præcessit, est combustum lignum vitis, quid fiet de reliqua parte ustulata?

6. DEDI (id est dare soleo) IGNI.

7. DE IGNE EGREDIENTUR, ET IGNIS CONSUMET EOS. — Id est, si ex igne egressi fuerint, rursum in

ignem conjiciam eos, ut omnino comburantur: uti in vitium sarmentis, ea quæ remanent, rursum in ignem conjicimus, *q. d.* Hi Judæi ex una calamitate transibunt ad aliam, ex fame ad obsidionem, ex obsidione ad necem vel captivitatem. Ita Theodoretus. Aliter Origenes, *q. d.* Judæi a Nabuchodonosoris clade ad Vespasiani cladem transibunt.

POSUERO FACIEM MEAM IN EOS, — obfirmavero vultum minacem ad eos puniendum.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sub specie adulteræ describitur Hierosolymæ, id est Synagogæ, ortus, educatio, adulterium, id est idololatria; sorores, scilicet Sodoma et Samaria; repudium, et rursum reconciliatio cum Deo marito, per Dei vocationem et gratiam, et Synagogæ pœnitentiam. Primo ergo, describit Propheta Dei in Synagogam beneficia, quod nimirum in Ægypto eam afflictam, nudam et miseram collegerit, honestarit, uxorem duxerit, omnibusque ornamentis dotarit. Secundo, vers. 15, describit ejus adulteria, quod scilicet omnibus his Dei ornamentis abusa sit ad cultum idolorum, quodque lupanaria, id est aras et idola, passim ad omne caput viæ erexerit, ibique deos Ægyptiorum, Chaldæorum aliarumque gentium coluerit. Tertio, vers. 35, intentat et pœnas, tum lapidationis, quasi adulteræ; tum gladii, quasi homicidæ; tum ignis, quasi incendiariæ, eo quod filios suos concremarit idolo Moloch. Quarto, vers. 46, docet quod impietate vicerit sorores suas, scilicet, Sodomam et Samariam. Denique, vers. 53, promittit se eam cum sororibus e captivitate tum Babylonica, tum potius diabolica per Christum reducturum. Datur ergo hoc cap. vivus typus et schema animæ peccatricis et pœnitentis.

Tropologice ergo, mutato tantum nomine, totum hoc caput congrue adaptabis animæ tum fideli, cum a fide in hæresin, aut infidelitatem; tum peccatrici, cum a statu gratiæ in statum peccati; tum religiosæ, cum a vita religiosa ad sæcularem, relicto Deo sponso suo, redit et prolabitur. Simili schemate sponsæ adulterantis idololatriam et peccata Hierosolymæ depingit Jeremias, cap. II (1).

1. Et factus est sermo Domini ad me, dicens: 2. Fili hominis, notas fac Jerusalem abominationes suas: 3. et dices: Hæc dicit Dominus Deus Jerusalem: Radix tua, et generatio tua de terra Chanaan: pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa. 4. Et quando nata es, in die ortus tui, non est præcisus umbilicus tuus, et aqua non es lota in salutem, nec sale salita, nec involuta pannis. 5. Non pepercit super te oculus, ut faceret tibi unum de his, misertus tui: sed projecta es super faciem terræ in abjectione animæ tuæ, in die qua nata es. 6. Transiens autem per te, vidi te conculcari in sanguine tuo, et dixi tibi cum esses in sanguine tuo: Vive, dixi, inquam, tibi: In sanguine tuo vive. 7. Multiplicatam quasi germen agri dedi te: et multiplicata es, et grandis effecta, et ingressa es, et pervenisti ad mundum muliebrem: ubera tua intumuerunt, et pilus tuus germinavit: et eras nuda, et confusione plena. 8. Et transivi per te, et vidi te: et ecce tempus tuum, tempus amantium: et expandi amictum meum super te, et operui ignominiam tuam. Et juravi tibi, et ingressus sum pactum tecum (ait Dominus Deus), et facta es mihi. 9. Et lavi te aqua, et emundavi sanguinem tuum ex te: et unxi te oleo. 10. Et vestivi te discoloribus, et calceavi te ianthino: et cinxi te bysso, et indui te subtilibus. 11. Et ornavi te ornamento, et dedi armillas in manibus tuis, et torquem circa collum tuum. 12. Et dedi inaurem super os tuum, et circulos auribus tuis, et coronam decoris in capite tuo. 13. Et ornata es auro, et argento, et vestita es bysso, et polymito, et multicoloribus: similam, et mel, et oleum comedisti, et decora facta es vehementer nimis: et profecisti in regnum. 14. Et egressum est nomen tuum in gentes propter speciem tuam: quia perfecta eras in decore meo, quem posueram super te, dicit Dominus Deus. 15. Et ha-

(1) Sequuntur usque ad cap. XIX prophetiæ pertinentes ad regnum universum. Hæ prophetiæ, ut præcedentes a cap. XII, sexto captivitatis anno videntur editæ.

bens fiduciam in pulchritudine tua, fornicata es in nomine tuo; et exposuisti fornicationem tuam omni transeunti, ut ejus fieres. 16. Et sumens de vestimentis tuis, fecisti tibi excelsa hinc inde consuta : et fornicata es super eis, sicut non est factum, neque futurum est. 17. Et tulisti vasa decoris tui de auro meo, atque argento meo, quæ dedi tibi ; et fecisti tibi imagines masculinas, et fornicata es in eis. 18. Et sumpsisti vestimenta tua multicoloria, et operuisti illas : et oleum meum, et thymiama meum posuisti coram eis. 19. Et panem meum, quem dedi tibi, similam, et oleum, et mel, quibus enutrivi te, posuisti in conspectu eorum in odorem suavitatis, et factum est, ait Dominus Deus. 20. Et tulisti filios tuos et filias tuas, quas generasti mihi : et immolasti eis ad devorandum. Numquid parva est fornicatio tua? 21. Immolasti filios meos, et dedisti, illos consecrans eis. 22. Et post omnes abominationes tuas et fornicationes, non es recordata dierum adolescentiæ tuæ, quando eras nuda, et confusione plena, conculcata in sanguine tuo. 23. Et accidit post omnem malitiam tuam (væ, væ tibi, ait Dominus Deus) 24. et ædificasti tibi lupanar, et fecisti tibi prostibulum in cunctis plateis. 25. Ad omne caput viæ ædificasti signum prostitutionis tuæ : et abominabilem fecisti decorem tuum : et divisisti pedes tuos omni transeunti, et multiplicasti fornicationes tuas. 26. Et fornicata es cum filiis Ægypti vicinis tuis magnarum carnium : et multiplicasti fornicationem tuam ad irritandum me. 27. Ecce ego extendam manum meam super te, et auferam justificationem tuam : et dabo te in animas odientium te filiarum Palæstinarum, quæ erubescunt in via tua scelerata. 28. Et fornicata es in filiis Assyriorum, eo quod necdum fueris expleta : et postquam fornicata es, nec sic es satiata. 29. Et multiplicasti fornicationem tuam in terra Chanaan cum Chaldæis : et nec sic satiata es. 30. In quo mundabo cor tuum, ait Dominus Deus; cum facias omnia hæc opera mulieris meretricis, et procacis? 31. Quia fabricasti lupanar tuum in capite omnis viæ, et excelsum tuum fecisti in omni platea : nec facta es quasi meretrix fastidio augens pretium, 32. sed quasi mulier adultera, quæ super virum suum inducit alienos. 33. Omnibus meretricibus dantur mercedes : tu autem dedisti mercedes cunctis amatoribus tuis, et dona donabas eis, ut intrarent ad te undique ad fornicandum tecum. 34. Factumque est in te contra consuetudinem mulierum in fornicationibus tuis, et post te non erit fornicatio : in eo enim quod dedisti mercedes, et mercedes non accepisti, factum est in te contrarium. 35. Propterea meretrix audi verbum Domini. 36. Hæc dicit Dominus Deus : Quia effusum est æs tuum, et revelata est ignominia tua in fornicationibus tuis super amatores tuos, et super idola abominationum tuarum in sanguine filiorum tuorum, quos dedisti eis : 37. Ecce ego congregabo omnes amatores tuos, quibus commixta es, et omnes quos dilexisti, cum universis quos oderas : et congregabo eos super te undique, et nudabo ignominiam tuam coram eis, et videbunt omnem turpitudinem tuam. 38. Et judicabo te judiciis adulterarum, et effundentium sanguinem : et dabo te in sanguinem furoris et zeli. 39. Et dabo te in manus eorum, et destruent lupanar tuum : et demolientur prostibulum tuum : et denudabunt te vestimentis tuis, et auferent vasa decoris tui : et derelinquent te nudam plenamque ignominia : 40. et adducent super te multitudinem, et lapidabunt te lapidibus, et trucidabunt te gladiis suis. 41. Et comburent domos tuas igni, et facient in te judicia in oculis mulierum plurimarum : et desines fornicari, et mercedes ultra non dabis. 42. Et requiescet indignatio mea in te : et auferetur zelus meus a te, et quiescam nec irascar amplius. 43. Eo quod non fueris recordata dierum adolescentiæ tuæ, et provocasti me in omnibus his : quapropter et ego vias tuas in capite tuo dedi, ait Dominus Deus, et non feci juxta scelera tua in omnibus abominationibus tuis. 44. Ecce omnis, qui dicit vulgo proverbium, in te assumet illud, dicens : Sicut mater, ita et filia ejus. 45. Filia matris tuæ es tu, quæ projecit virum suum, et filios suos : et soror sororum tuarum es tu, quæ projecerunt viros suos, et filios suos : mater vestra Cethæa, et pater vester Amorrhæus. 46. Et soror tua

major, Samaria, ipsa et filiæ ejus, quæ habitant ad sinistram tuam : soror autem tua minor te, quæ habitat a dextris tuis, Sodoma, et filiæ ejus. 47. Sed nec in viis earum ambulasti, neque secundum scelera earum fecisti pauxillum minus : pene sceleratiora fecisti illis in omnibus viis tuis. 48. Vivo ego, dicit Dominus Deus, quia non fecit Sodoma soror tua ipsa, et filiæ ejus, sicut fecisti tu, et filiæ tuæ. 49. Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis et abundantia, et otium ipsius et filiarum ejus : et manum egeno et pauperi non porrigebant. 50. Et elevatæ sunt, et fecerunt abominationes coram me : et abstuli eas sicut vidisti. 51. Et Samaria dimidium peccatorum tuorum non peccavit : sed vicisti eas sceleribus tuis, et justificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis, quas operata es. 52. Ergo et tu porta confusionem tuam, quæ vicisti sorores tuas peccatis tuis, sceleratius agens ab eis : justificatæ sunt enim a te : ergo et tu confundere, et porta ignominiam tuam, quæ justificasti sorores tuas. 53. Et convertam restituens eas conversione Sodomorum cum filiabus suis, et conversione Samariæ, et filiarum ejus : et convertam reversionem tuam in medio earum, 54. ut portes ignominiam tuam, et confundaris in omnibus, quæ fecisti consolans eas. 55. Et soror tua Sodoma, et filiæ ejus revertentur ad antiquitatem suam : et Samaria, et filiæ ejus revertentur ad antiquitatem suam : et tu, et filiæ tuæ, revertemini ad antiquitatem vestram. 56. Non fuit autem Sodoma soror tua audita in aure tuo, in die superbiæ tuæ, 57. antequam revelaretur malitia tua : sicut hoc tempore in opprobrium filiarum Syriæ, et cunctarum in circuitu tuo filiarum Palæstinarum, quæ ambiunt te per gyrum. 58. Scelus tuum, et ignominiam tuam tu portasti, ait Dominus Deus. 59. Quia hæc dicit Dominus Deus : Et faciam tibi, sicut despexisti juramentum, ut irritum faceres pactum : 60. et recordabor ego pacti mei tecum in diebus adolescentiæ tuæ : et suscitabo tibi pactum sempiternum. 61. Et recordaberis viarum tuarum, et confunderis : cum receperis sorores tuas te majores cum minoribus tuis : et dabo eas tibi in filias, sed non ex pacto tuo. 62. Et suscitabo ego pactum meum tecum : et scies quia ego Dominus, 63. ut recorderis, et confundaris, et non sit tibi ultra aperire os præ confusione tua, cum placatus tibi fuero in omnibus quæ fecisti, ait Dominus Deus.

Vers. 2. 2. NOTAS FAC JERUSALEM — per epistolas. Nam Ezechiel erat in Babylone.

Vers. 3. 3. RADIX TUA. — Chaldæus et Rabbini vertunt, *habitationes tuæ*, quasi מכרתיך *mecorotaiich* positum sit pro מגרתיך *megurotaiich*, per commutationem litteræ *caph* in *ghimel* : sensumque dant, *q. d.* Ita vivis, ac si semper inter Chananæos habitasses. Verum melius Septuaginta et Noster vertunt, *radix tua*; ac Leo Hebræus, *venæ tuæ* : מכרה *mecora* enim significat excisionem. Jam excisionem Hebræi vocant generationem et originem, ex qua Judæi excisi, id est progeniti sunt. Unde explicans subdit : « Et generatio tua. » Alludit ad *Isaiæ* LI : « Attendite ad petram (id est Abraham, ut sequitur), unde excisi estis (1). »

GENERATIO TUA (genus tuum, origo tua est) DE TERRA CHANAAN, — id est ex Ægypto, ait S. Hieronymus, cujus conditor fuit Mesraim, frater Chanaan, filius Cham. *Secundo* et melius : « Generatio tua de terra Chanaan, » esse videtur, non ob generis, sed ob morum similitudinem. Unde explicans subdit :

PATER TUUS AMORRHÆUS, ET MATER TUA CETHÆA, — *q. d.* Licet filia naturalis sis, o Jerusalem, Abrahæ et Saræ : tamen per imitationem et conversationem, videris filia Amorrhæorum et Hethæorum, quia eorum mores æmularis. Ita S. Augustinus, tract. 42 *in Joan.* tom. IX, explicans illud : *Vos ex patre diabolo estis* : « Quia, ait, erant impii Amorrhæi et Cethæi (vel Hethæi : littera enim *chet* Hebraice nunc per *h*, nunc per *ch*, effertur) : Judæi autem imitati sunt impietates illorum : invenerunt sibi parentes, non de quibus nascerentur, sed quorum mores sectantes, pariter damnarentur. Unde et illius pater, ait S. Hieronymus, appellatur Amorrhæus, qui hebraice interpretatur λαλούμενος, id est multo sermone celebratus (אמר *amar* enim significat loqui), et mater tua Cethæa, id est ἐξιστῶσα, quæ vel ipsa insanit, vel alios mittit in amentiam. Omnis enim qui facit peccatum, de diabolo natus est. Unde et in toto orbe hujus antiqui patris famosum vocabulum est, et multos vertens in amentiam. Præcipiturque Jerusalem ut relinquat antiquum patrem, et dicitur

(1) Veriori forsan sensu, vox מגרתיך *mecorotaik*, ad כרה *cara, effodit*, referretur, ut proprie sint *effossiones tuæ*, id est origines, metaphora desumpta a metallis qui e fodinis suis effodiuntur; ita qui nascitur e populo aliquo, e terra illius populi, quasi e fodina, effossus cogitatur.

ad eam : Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui, et concupiscet rex decorem tuum. »

Sic Dido furens abeunti Æneæ insultat, *Æneid.* lib. IV :

> Nec te diva parens, generis nec Dardanus auctor,
> Perfide, sed duris genuit te cautibus horrens
> Caucasus, Hyrcanæque admorunt ubera tigres.

Loquitur Propheta de statu populi tum præsentis, tum præteriti, cum primum electus et erectus fuit a Deo in Synagogam, *q. d.* Non tantum nunc, sed et olim antequam ego vos, o Judæi, mihi in populum, Ecclesiam et sponsam eligerem, et quasi in uxorem ducerem, puta cum viveretis in Ægypto; eratis adeo barbari, maleque morati, ut inter Amorrhæos et Cethæos nati et educati videremini. Hunc esse sensum patet ex eo quod subdit : « In die ortus tui non est præcisus umbilicus tuus, et aqua non es lota. » Hoc est enim barbararum gentium. Ita Maldonatus.

Inter septem Chananææ gentes nominat Amorrhæos, quia hi proceritate et viribus eminebant : atque Cethæos, vel Hethæos, quia horum feminæ impudentia et impudicitia erant infames, ut patet vers. 45, et *Genes.* XXVII, 46.

QUANDO NATA ES. — Chrysostomus, hom. 33 *in Matth. in Opere imperf.* : « Ortus Israelis, ait, est vocatio Abrahæ; juventus, dum Jacob cum suis descendit in Ægyptum; virilis ætas, tempore regum; senectus, a captivitate Babylonica ad Christum. »

Secundo, S. Hieronymus et Polychronius : Ortus, inquiunt, Israelis fuit exitus de Ægypto; tunc enim quasi orta est Ecclesia vetus sive Synagoga, cum data est ei lex in Sina.

Tertio, optime Prado, ortus fuit Israel post mortem Joseph. Tunc enim in Ægypto Israel multiplicatus est, ut inciperet esse non familia Israelis, sed populus : esset tamen quasi puer projectus et expositus tyrannidi Pharaonis; quasi puer, inquam, neglectus, cui nec umbilicus præscinditur, quique nec lavatur, nec salitur, nec involvitur, ut sequitur. Ita Chaldæus.

NON EST PRÆCISUS UMBILICUS TUUS. — Septuaginta, *non ligasti;* vel, ut S. Hieronymus, *non ligarunt mamillas tuas.* Solent enim puellis infantulis mamillæ ligari, ne incipiant intumescere, ut pulchritudinem custodiant virginalem. Verum Hebræa ad verbum vertit Noster : « Non est præcisus umbilicus tuus. » Solet enim recens natis fistula pellicea instar farciminis ab umbilico pendens præcidi, per quam aiunt medici embryonem in utero matri cohærere, ab eaque alimenta trahere, nutriri et augeri; scilicet per eam sugere sanguinem (non ad stomachum, quia jam a matre concoctus est sanguis), sed ad hepar, indeque eum per totum corpus embryonis distribui, illudque eo ali. Audi Plutarchum, lib. V *De Placit.* cap. XVI : « Non, » inquit, ut putaverunt Democritus et Epicurus, « fœtus in utero per os alitur; ut propterea statim atque natus est, ore ad mammam feratur : nam et in utero esse ubera quædam, et oscilla quibus alatur. Non, » ut censuit Alcmæo, « alitur per totum corpus, quod spongiæ in morem recipiat, quæ alendo sunt idonea : sed, » ut vere senserunt Stoici, « per umbilicum. Itaque hunc statim a partu ab obstetricibus ligari, et os infanti aperiri, ut de alio cogitet alimento. » Umbilicus ergo in utero est quasi os fœtus quo sugit per venas alimentum ex materno sanguine : sed cum natus est fœtus, præscinditur umbilicus, quia ejus jam nullus est usus, cum infans ore uti et sugere debeat.

Symbolice, umbilici præcisio notat humanæ vitæ, quasi navigationis et navis, præcisa anchora, jactationes et discrimina. Homo enim, et humana vita, est quasi navis, *Sapient.* V, 10; *Proverb.* XXX, 19, qua ab utero matris egressi et solventes e statione tendimus ad portum mortis et immortalitatis. Umbilicus est quasi anchora, qua fœtus in utero matris, quasi in terra, firmat se et sustentat : eo præciso, solus puer omnibus hujus vitæ fluctibus exponitur, agitatur et jactatur. Ita Democritus, et ex eo Plutarchus lib. *De Amore prolis.*

Videtur ergo dicere Propheta : Ex materna alvo, id est ex Egypto, trahebas adhuc impietatis alimentum, aiunt Theodoretus et Polychronius, ac sordes idololatriæ et gentilismi, ac præsertim libidinem. Unde addunt nonnulli, dicuntque : Sicut in viris seminis origo est in lumbis, ita in feminis est in umbilico. Ita S. Hieronymus hic, et Origenes *hom.* 6, et S. Gregorius in *Job* cap. XL, 11. Verum licet hoc in bestiis, uti elephante, locum habere nonnullis videatur (dico videatur : nam idipsum recte negat Pineda, et passim alii) Job loco citato, non tamen in hominibus. Nam ut docent physici et medici, umbilicus nullum habet usum, nisi ad fœtum in utero a matre fovendum et alendum, nulloque modo generationis est instrumentum in femina potius quam in viro : sed tam in femina quam in viro origo seminis est in lumbis (ibi enim sunt vasa seminalia, in quibus semen formatur ex spirituoso sanguine, quem ipsa hauriunt a vena cava, quæ ex hepate derivatur ad lumbos et renes) qui utero conjuncti sunt : unde et « morbi uterales cum lumborum distensione » conjuncti sunt, ait Galenus lib. II *De Semine*, cap. I.

Umbilici usus quis?

Simplicissime ergo exponas, *q. d.* Cum primum nata es in Ægypto, legem et directorem non habens, in sordibus Ægypti pudendis vitam vixisti; inculta et informis, æque ac sordida fuisti; egisti vitam et mores Ægyptiorum, atque, ut ait Theodoretus, « quasi ex terra nativitatis nondum præciso umbilico, adhuc ex utero materno impietatis Ægyptiacæ alimenta cepisti. » Nam infans per umbilicum nutritur et augetur. Unde symbolice S. Gregorius, XXXII *Moral.* XI : « In die, ait, ortus umbilicum præcidere, est conversionis tem-

pore carnis luxuriam resecare; sed Judæa impræcisum præputium retinuit, quia fluxa luxuriæ non abscidit. » Umbilicus enim non in se, sed quia ventri et genitalibus vicinus, est symbolum libidinis. Ita Pineda in *Job.* cap. XL, 11.

ET AQUA NON ES LOTA IN SALUTEM. — Recte; nam Hebræum משעי *misci* significat salutem, a radice ישע *iasca*, id est salvavit. Solent recens natorum corpora lavari, *primo*, ut sordes uteri abluantur; unde Prado censet « salutem » hic et alibi significare munditiam; et R. Manahen vertit : *Non es lota ad munditiam*, additque Hebræum משעי *misci* arabice significare munditiam. « Cruenta, inquit S. Hieronymus, infantium corpora, statim ut emittuntur ex utero, lavari solent; » additque huc allusisse Christum, cum instituens baptismum dixit : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto. » Audi Plutarchum, lib. *De Amore prolis* : « Nihil, ait, est ita imperfectum, inops, nudum, informe, spurcum, ut homo a partu, etc., sanguine inquinatus, taboque oppletus, et occiso magis quam nato similis, a nemine tangi, tolli, suaviari, ac amplexu foveri potest, nisi natura insitum gerente amorem. » *Secundo*, ut membra quæ in utero contracta fuerunt, calida aqua extendantur et conformentur. *Tertio*, ut caro reddatur lenis et mollis, inquiunt Rabbini. Unde R. David vertit : *Non es lota ad lenitatem*; R. Manahen : *Non es lota ad delicias.* Verum caro infantis mollissima, potius eget soliditate, quam majori mollitie. *Quarto*, « in salutem, » ut sequitur, id est ad sanitatem et incolumitatem, ne videlicet ex sordibus uteri putredinem, fœtorem et morbum contrahant. Adde, quod Ægyptii et Mexicani recens natos in frigidam immergunt, sicque proles fiunt robustiores, et ad hoc medici nonnulli suadent, ut infantes abluantur vino. *Quinto*, aliqui Hebraice periti apte vertunt, *ad aspectum;* hinc enim significat Hebræum משעי *misci*, a radice שעה *scaa*, id est aspexit, intuitus est cum voluptate, *q. d.* Non es lota, ut a deformitate tua exuereris, fieresque pulchra et aspectabilis, cui proinde mater et nutrices abblandiri solent, eumque amplecti et osculari. Unde aliqui vertunt : *Non es lota ad amplexum, ad blanda oscula.*

Recens nati abluuntur, cur?

Symbolice, significat Judæos lacrymis non abluisse peccata præteritæ vitæ.

Allegorice, Theodoretus exponit, *q. d.* « Non es lota,» scilicet in baptismo, « in salutem, » id est ad vitam immortalem. « Multa enim, ait S. Hieronymus, sunt lavacra, quæ Ethnici in mysteriis suis, et hæretici pollicentur, qui omnes lavant, sed non lavant in salutem. »

NEC SALE SALITA. — Saliuntur corpora recens natorum, ut solidiora fiant et constringantur, ait S. Hieronymus, ac siccentur ab omni immunditia uteri, et ut vulnus umbilici præcisi sale stringatur, claudatur et sanetur. Audi et Galenum, lib. I *De Sanit. tuenda*, cap. VII : Sanitati conducit, « ut primum sale modico insperso cutis ejus (infantis) densior solidiorque iis quæ intus sunt partibus, reddatur. In utero enim æque cum reliquis mollis erat, cum nec durius ullum externum corpus inibi contigerit, nec aer illi usquam frigidus inciderit. » Ita veteres : at jam molles obstetrices sale utpote mordaci, abstinent.

Et saliuntur, cur?

Symbolice, significat Hebræos sale sapientiæ fuisse destitutos, qui timore pœnarum carnis concupiscentias stringit, et a peccati corruptione præservat : « Sal enim est quasi naturæ balsamum, » ut recte ait Anselmus Boetius medicus Rodulphi II Imperatoris, lib. II *De Lapidibus*, cap. CCCII; salem enim pene omnibus mixtis natura immiscuit, ut ea condiat, stringat, et a corruptione præservet. Sic ad litteram saliebant infantes ne cito ingenito sibi mortis et corruptionis semine putrescerent. Quocirca Homerus salem divinum appellat, et Plato asseruit salem rebus divinis amicissimum familiarissimumque : cujus dicti causam indagans Plutarchus in *Sympos.* decade 5, docet salem hoc in se divinum habere, quod a corporibus vita destitutis putrefactionem et labem arcet, neque sinit prorsus interire, diu morti velut resistens, animæque quoad licet, vice fungens. Atqui nihil est anima divinius. Hujus est officium, animantia tueri continereque, neque sinere compaginem dilabi : itidem sal animæ exemplo cohibet harmoniam corporum ad tabem tendentium, et membrorum inter se amicitiam conservat. Rursum, sal est necessarium ciborum condimentum. Quamobrem Plinius, lib. XXXI, cap. VII : « Ergo hercle, inquit, vita humana sine sale nequit degere; adeo necessarium elementum est, ut transierit intellectus ad voluptates animi quoque. Nam ita sales appellantur, omnisque vitæ lepos et summa hilaritas. » Atque hinc insulsa oratio, quæ nihil habeat leporis; et insulsus, homo moribus inelegantibus. Et cap. IX : « Corporibus nihil esse utilius sale et sole dicunt. » Hinc et illud Catulli :

Non est in tanto corpore mica salis.

Hinc recens baptizatis datur sal, quasi symbolum sapientiæ christianæ, quæ consistit in mortificatione vitiorum : sic enim sal mortificat carnes vivas, exsugendo ex eis et consumendo sanguinem omnemque humorem superfluum. Inde Burgundi cognomen, ut vocetur *Borgoignon salé* id est Burgundio salitus. Cujus origo est, quod Burgundi primi e Gallis baptismum fidemque Christi susceperint, in eoque de more sale aspersi sint : quocirca tunc per jocum a vicinis adhuc gentilibus *saliti*, vel sale conditi, sunt appellati, quod cognomen deinceps eis adhæsit.

NEC INVOLUTA PANNIS, — fasciis, quæ corpus stringunt, conformant, rectificant : « Unde et corpora Barbarorum Romanis corporibus rectiora sunt; usque ad secundum enim et tertium annum semper pannis involvuntur, » ait S. Hieronymus.

Sal baptismi, quid?

Significant hæ fasciæ virtutum et charitatis vestes, quibus carebant plerique Judæi; vel legis doctrinam, quæ rectum faciebat Israelem. Ita Theodoretus.

5. NON PEPERCIT SUPER TE OCULUS, — id est, ut ex Hebræo vertit Vatablus : *Non est misertus tui oculus hominis*, ut te oculis compassionis aspiceret, ac aliquod officium pietatis recens natæ, ita sordidæ, abjectæ et derelictæ necessarium præstaret.

SED PROJECTA ES SUPER FACIEM TERRÆ, — sicut infantes expositi projici solent. *Secundo* et proprie, sicut infantes nascendo effunduntur et abjiciuntur in terram. Unde Romani finxerunt deam Levanam, quasi quæ pueros jam natos levaret e terra. Verum hoc est officium « omnium nutricis gratiæ Dei : » ipse igitur « levet de terra, et vocetur Levana, » ait S. Augustinus, lib. IV *De Civit.* cap. XI. Sensus est, *q. d.* Cum abjecta jaceres, nuda et derelicta, ego quasi Levana te sustuli, lavi, curavi, educavi, adoptavi, etc.

IN ABJECTIONE ANIMÆ TUÆ, — id est vitæ tuæ, *q. d.* Projecta es ut morereris. Ita Maldonatus. Rursum « animæ tuæ, » id est personæ tuæ, vel corporis tui, quòd est receptaculum animæ, ut sit metonymia. Sic sæpe in *Levit.* : « Immundus super anima, » vocatur immundus ex contactu cadaveris, *q. d.* Uti ex utero matris effusa, eras secundinis et sordibus cooperta, et abominabilis, illota, insulsa, nuda : sic jacebas in medio agro, cœli injuriis et bestiis exposita, et ab hominibus abjecta. Ita Prado. Nimirum id factum est, ut aiunt Scholiastes et Chaldæus, cum Pharao jussit mares Hebræorum mergi et occidi. Tunc enim abjiciebant eos matres in agrum, aut in carectum, uti Mosi contigit. Rursum, cum Pharao relegavit, et quasi projecit eos ad lateres formandos ex luto et paleis Ægypti, *Exodi* I.

6. TRANSIENS, — quasi rex, qui it venatum, et in agro incidit in puellam expositam. Alludit ad Mosen, qui infans expositus in carecto, a transeunte filia Pharaonis liberatus et educatus est. Simili enim modo Deus cæteros Hebræorum infantes morte, æque ac parentes servitute liberavit.

VIDI TE CONCULCARI IN SANGUINE TUO, — scilicet, qui ex alvo cum fœtu et secundinis egreditur; id est, vidi te totam sordidam, barbaram, incultam, miserabilem; fidei, legis gratiæ, salutis omniumque Dei donorum expertem; ac mystice sordidatam sanguine, id est peccato originali, quod quasi sanguinem ex utero matris traxeras. Ita Maldonatus. Quocirca R. David, « in sanguine, » ait, id est in luto immersam, ex quo cogebaris facere lateres; lutum enim rufum est, et sanguinei coloris.

ET DIXI, etc. : IN SANGUINE TUO VIVE. — Id est volui, decrevi efficaciter, id est jussi et feci (Dei enim dicere est efficax, idemque quod facere) ut, cum fere animam ageres, viveres, essesque vitalis et valens; imo in sanguine, id est in luto et lateribus afflictus, magis cresceres, quasi germen adolescens, et multiplicareris *ad decem millia*, ut habent Hebræa, id est in immensum. Sicque ego fui tibi tuisque infantibus quasi obstetrix, eisque obstetrices beneficas contra Pharaonis imperium effeci. En amorem Dei obstetricantis infantulos Hebræorum : quis ergo quantusque amor ejus, cum ipse pro parvulis factus est parvulus, et sordes infantiæ nostræ suscepit? Aliter Chaldæus : *In sanguine*, ait, *circumcisionis miserebor vestri, et in sanguine phase redimam vos.*

7. INGRESSA ES (progressa es, adolevisti ad tempus pubertatis, ut esses nubilis, quæ ætas postulat) MUNDUM MULIEBREM, — ut paret se et ornet sponso suo. Hebraice est : *Ingressa es, et pervenisti ad ornamentum ornamentorum*; ita Theodotion : hoc est, ad omnimodum ornamentum, quale habere solet virgo nobilis cum jam est nubilis, scilicet armillas, torques, inaures, monilia, etc. Talis erat Israel, cum servitute Ægypti egressus per Mosen, per columnam, per legem, per tabernaculum, perque alia miracula et dona Dei parabatur, ut Deo desponderetur in Sina. Septuaginta pro ד legentes ר scilicet pro עדי עדיים *adi adaiim*, legentes צרי ערים *are arim*, vertunt : *Ingressa es in civitates civitatum*, id est in plurimas et maximas civitates Chanaan quas dedi tibi, duce Josue. Vers. 7.

UBERA TUA INTUMUERUNT. — Id est, pervenisti ad annos pubertatis, factaque es nubilis; tunc enim ubera crescunt.

ET ERAS (cum esses ea ætate, quæ maxime ornari solet) NUDA ET CONFUSIONE PLENA. — *Primo*, quasi serva et captiva vix viles habebas vestes quibus nuditatem et pudorem tuum tegeres. Ita R. David. *Secundo*, ut Theodoretus, non acceperas legis tegumentum. *Tertio*, non protegebaris Dei auxilio. Ita S. Hieronymus. *Quarto*, in Ægypto colebas Ægyptiorum idola; inquit Scholiastes.

8. ET ECCE TEMPUS TUUM, TEMPUS AMANTIUM. — Hebraice דדים *dodim*, id est, ut Theodotion, μαστῶν, *uberum*, scilicet intumescentium; Symmachus, ἀγάπης, id est *dilectionis* ; Aquila, *tempus* συναλλαγῆς, id est *conciliationis;* puta *sponsalium et nuptiarum* ; Pagninus, *tempus amorum*; Septuaginta, *tempus divertentium*, hoc est, ut Scholiastes ex Theodoreto, *tempus ut ex virginibus excedas*, et in ordinem conjugatarum transeas. Hoc est, eras ea ætate ut viro esses copulanda; et nemo te, quia nuda eras, sordida et misera, ducere volebat : ego autem vestivi te, atque uxorem duxi; cum per Mosen te vocavi, adamavi, fœdere copulavi, deduxi et protexi.

EXPANDI AMICTUM MEUM SUPER TE. — Hebraice כנפי *kenaphi*, id est *meam alam*, id est, oram mei vestimenti expandi super te, hoc est, desponsavi te mihi in uxorem. Maritus enim expandens oram vestimenti in feminam apud Hebræos, hoc signo et ritu accipiebat eam in conjugem, ut patet *Ruth* cap. III, 9. Ita S. Hieronymus (1).

(1) Vestimentis olim pro stragulis usi sunt, unde Gre-

OPERUI IGNOMINIAM TUAM, — id est nuditatem, de qua vers. 7, texi vestibus et spoliis Ægyptiorum. Item dando legem, auxilium et protectionem meam divinam.

ET JURAVI TIBI, ET INGRESSUS SUM PACTUM TECUM. — Fœdus hoc nuptiale iniit Deus cum Israele ita paupere et misero, *Exod.* XXIV; illudque confirmavit ibidem juramento, quasi exsecratorio, non verbis, sed factis. Divisio enim victimarum, quibus fœdus sanciebatur, idipsum significabat; tantumdem enim erat ac si diceret : Sic Deus dividat alterutrum, qui fœdus violaverit. Vide ibi dicta.

FACTA ES MIHI, — scilicet sponsa et uxor, aiunt S. Hieronymus et Theodoretus, ac quasi possessio, ut mea sis et dicaris, et a me nomen accipias, vocerisque Synagoga Dei, sponsa Dei, populus Dei, Israel Dei.

Tropologice, anima fidelis est sponsa Dei, de qua ait Apostolus : « Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo, » II *Cor.* XI, 2. Vide ibi dicta.

9. LAVI TE AQUA. — *Primo*, *q. d.* Abstersi sordes paupertatis et nativitatis tuæ, teque honestam, divitem et formosam effeci. Ita Maldonatus. *Secundo*, « lavi te, » id est in mari Rubro quasi lavacro baptizavi te, dum te per illud traduxi, et in eodem Ægyptios mersi, I *Cor.* X, 1. *Tertio*, ut Origenes, Theodoretus, Apollinarius, aqua doctrinæ, et, ut Vatablus, gratiæ meæ, lavi tuos sanguines, id est scelera. *Quarto*, Prado, *q. d.* Baptismatibus et lustrationibus lege præscriptis sustuli immunditias tuas legales, et, ut Theodoretus, per circumcisionem emundavi sanguinem, id est peccata tua. Alludit ad *Exod.* XIX, 10, ubi ante fœdus cum Deo ineundum, populus jussus est lavare vestes, ut ita se mundaret et pararet ad legem et pactum cum Deo. Hic sensus maxime videtur genuinus.

UNXI TE. — Nota : Novæ nuptæ, uti et convivæ, solebant lavari, deinde ungi, ac denique pretiosis vestibus indui, ut patet *Esther* II, 12; *Ruth* III, 3; *Judith* X, 3 : « Unxi ergo te, » id est recreavi te ex laboribus, aiunt Polychronius et Prado. *Secundo* et melius : « Unxi te, » id est Aaronem et posteros ejus (atque in iis totum populum) per unctionem mihi sacerdotes creavi et consecravi. Hæc enim magna erat dignitas populi, quod nimirum esset gens sancta, et regnum sacerdotale, *Exodi* XIX, 6.

Mystice Origenes : « Unctio, ait, est inhabitatio Spiritus Sancti in gratia et cognitione veritatis. »

Allegorice, est unctio chrismatis, qua confirmamur in sacramento Confirmationis.

10. VESTIVI TE DISCOLORIBUS, — id est acu pictis et variegatis opere phrygionico. Hoc enim significat Hebræum רקמה *ricma* vel *recama* : unde Italicum *ricamo*, *ricamare* et *ricamato*. Nimirum, talis erat vestis variegata sacerdotum, in qua, ait Sapiens cap. XVIII, 24, descriptus erat universus orbis, qui erat quasi dos uxoris. Omnia enim illi tradidit Deus in obsequium, juxta illud *Psalm.* VIII, 8 : « Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves, et boves universas, insuper et pecora campi. » Ita Chaldæus. Per vestes ergo has, æque ac per unctionem, significatur sacerdotium et pontificatus collatus a Deo Synagogæ.

Tropologice, vestis *discolor* est variegatura virtutum omnium. Hac enim quasi veste undique cingimur, ornamur et munimur : præsertim vero vestis exterior est modestia, gravitas, comitas, omnisque externa verborum, morum et gestuum ad decorem et pietatem compositio. Vestis interior est justitia, quæ est complexio virtutum omnium, mentem rite secundum Deum Deique legem componens et conformans.

Vestis exterior est modestia, interior justitia.

Nota : Hebræum *ricma*, quod hic Interpres vertit, *discolor*, alibi vertit, *polymita* ; alibi, *scutulata*; alibi, *variegata;* alibi, *plumaria;* alibi et proprie, *phrygionica*, seu acu picta; quia ex una specie variegatarum vestium aliæ intelliguntur, scilicet, Attalica, Babylonica, Alexandrina, scutulata, de quibus Plinius lib. VIII, XLVIII : « Trabeis, ait, usos accipio reges : pictas vestes jam apud Homerum fuisse, unde triumphales natæ. Acu facere Phryges invenerunt, ideoque phrygiones appellati sunt. Aurum intexere in eadem Asia invenit Attalus rex; unde nomen Attalicis. Colores diversos picturæ intexere Babylon maxime celebravit, et nomen imposuit. Plurimis liciis texere, quæ polymita appellatur, Alexandria instituit : scutulis dividere Gallia. » Hucusque Plinius. Ita imagines hominum, arborum, bestiarum rerumque omnium intexere tapetibus, per diversicoloria fila artificiose admodum Aldenardenses in Belgio conspexi : qua in re non tantum Belgis, sed et aliis pene omnibus nationibus antecellunt. Rursum, acu pictum duas habet species : una est operis plumarii, quo lineæ telæ variæ picturæ, sericis filis versicoloribus inducuntur, ut in cervicalibus elegantioribus videmus. Altera operis Phrygii, cum aureæ telæ vel sericæ acu innectuntur segmenta auri. Vide dicta *Exodi*, cap. XXVI, 1, et Prado, qui de his fuse hic agit.

Variegatæ vestis species, et inventores.

CALCEAVI TE IANTHINO, — scilicet calceo ianthini, sive hyacinthini, ut vertunt Septuaginta, id est violacei (ἰὰ enim Græcis est viola) et cœlestis coloris. Hebræum enim תחש *tachas*, id est taxus, est animal simile vulpi, violacei coloris, de quo *Exodi* XXIII, 5. Ex hujus ergo corio fecit Deus Synagogæ sponsæ suæ calceos. Alludit ad pelles ianthinas, quibus tectum fuit tabernaculum, id est Sanctum et Sanctum sanctorum, *Exod.* XXVI, 14 (hæ enim hebraice vocantur *tachas*), quod quia quadratum, vel potius quadrangulum, formam habebat calcei, et, ut calcei, ex pellibus erat con-

cis sub pallio sive læna alicujus dormivisse dicuntur, qui cum illo dormiverunt, inquit Rosenmuller, ita ut sit sensus : Te mihi tori sociam junxi.

fectum, sive obtectum. Significatur ergo hic, quod Deus Synagogæ dederit tabernaculum sive templum ex cocco, purpura, bysso et hyacintho pulchre variegatum, omnemque ejus ornatum, vasa et supellectilem, puta altare tam thymiamatis quam holocaustorum, labrum vel mare æneum, mensam panum propositionis, candelabrum, propitiatorium, arcam, Cherubim, etc.

Calceus primo, signum est libertatis.

Symbolice, calceus signum est, *primo*, libertatis et dominii : servi enim, uti et captivi, incedebant nudis pedibus, *Exodi* cap. XII, 11. Unde dicit David Idumæam subjugaturus, *Psalm.* LIX, 10 : « In Idumæam extendam calceamentum meum. » Hinc

Secundo, possessionis.

Secundo, calceus signum est usucapionis et possessionis; discalceatio ex adverso, cessionis juris sibi debiti, *Deuter.* XXV, 7; *Ruth* IV, 7.

Tertio, lætitiæ.

Tertio, signum est lætitiæ : sicut e contrario discalceare se, ac coronam ponere, et comam radere signa erant luctus. Huc spectat Alciati emblema, quo docet ianthinum colorem esse symbolum ejus qui sorte sua contentus est. Ait enim :

Quisque sorte sua contentus, ianthina gestet.

Quarto, constantiæ.

Quarto, in militia calceus signum est constantiæ, confidentiæ, et animi intrepidi : qui enim nudipes est, timide incedit, ne offendat pedem. Sic sponsa Israel hactenus discalceata, quasi captiva, jam libera facta calceatur, idque calceo hyacinthino, ut significet *primo*, cœlestem ejus esse conversationem, et spem : « Hyacinthus enim aerii et κυανέου coloris est, ut rapiatur in occursum Domini, et ad cœlestia festinet, » aiunt S. Hieronymus et S. Gregorius, lib. XXX *Moral.* cap. X. Item, eam a Deo in cœlis protegi, ut perfectius ambulet et prædicet, ait S. Hieronymus. *Tertio*, hyacinthus vestis est regum, *Eccli.* XL, 4. Significat ergo animum regium et excelsum, qui in cœlis fixus hæc omnia terrena pessumdat et proterit : unde luna est sub pedibus Ecclesiæ et Sanctorum, *Apoc.* XII, 1. Hisce de causis olim baptizatis in baptismo dabatur, uti vestis candida; ita et calcei candidi, quos calceabant et gerebant per septem dies, quo alludit Paulus *Ephes.* VI, 15, dicens : « Calceati pedes in præparatione Evangelii pacis. » Ita Rupertus, lib. VII, cap. I. Vide Josephum Vicecomitem, *De Ritibus Baptismi*, lib. V, cap. XVIII. Huc facit ænigma vetus, quod Virgilius *ecloga.* 3, ita proponit :

Dic quibus in terris inscripti nomina regum
Nascantur flores.

Hoc est, dic ubi nascantur hyacinthi. Flos enim hyacinthi, teste Plinio, lib. XXI, cap. XI, Pausania, lib. I, et aliis passim, natura sua habet duas hasce litteras, A, I, sibi inscriptas, venis quibusdam, ait Plinius, vel maculosis notis, uti eas vocat Dalecampius, ita discurrentibus, ut hasce litteras in flore efforment. Hæ autem litteræ A, I, initiales sunt nominis *Ajax*, qui celebris fuit ille rex Græcorum, Trojæ eversor, de quo Homerus tota *Iliade*. Unde Poetæ finxerunt Ajacem mortuum in florem hyacinthi fuisse conversum, uti describit Ovidius, *Metamorph.* XIII. Hyacinthus ergo regum gestat nomen et insigne; hinc et regum vestis fuit, æque ac coccus vel purpura. Quocirca illa æque ac hyacinthina utuntur Cardinales; hi enim sunt regnum sacerdotale et sacerdotium regale Christi, ut, sicut ipse in passione et cruce purpuram induit, sanguineque suo purpuravit, tam seipsum quam Ecclesiam, ita et ipsi pro Christo et Ecclesia, proque ejus fide et gloria, stent quasi columnæ usque ad mortem, atque pro ea, si res poscat, sanguinem fundant, et martyrium subeant. Sic fecerunt primi, non nomine (nomen enim Cardinalium cœpit primariis urbis Romæ parochis, puta presbyteris et diaconis, tribui sub tempora Sylvestri, sub quo pax Ecclesiæ cœpit. Unde in Concilio Romano sub Sylvestro, cap. VII, nominati reperiuntur Diaconi Cardinales : quorum et meminit S. Gregorius lib. V, epist. 11 *ad Fortunatum*, et lib. XI, epist. 34 *ad Joannem*. Deinde anno Domini 769, in Concilio Romano sub Stephano IV Pontifice statutum est, ut nemo crearetur Pontifex, nisi qui prius fuisset Cardinalis : et sic Eugenium II ex Cardinali S. Sabinæ creatum esse Pontificem, anno Domini 824, tradit Anastasius Bibliothecarius) sic inquam, fecerunt primi, non nomine, sed reipsa Cardinales, cruore suo russati, S. Laurentius, S. Cyriacus, S. Largus, S. Smaragdus et alii plurimi, imo pene omnes primis trecentis post Christum annis; quibus Pontifices omnes cum suis Cardinalibus, id est primariis presbyteris et diaconis, martyrio purpurati sunt. De quibus proinde merito canit Ecclesia :

Rubri nam fluido sanguine, laureis
Ditantur bene fulgidis.

Purpura quando, et cur data Cardinalibus?

Hosce ergo sibi imitandos proponant Cardinales. Quod ut faciant, utque hujus constantiæ, charitatis et martyrii, perpetuo habitum suum intuentes admoneantur; primus Paulus II, qui Pontifex creatus est anno Domini 1464, cui Platina a secretis fuit, eis vestem rubeam sive purpuream attribuit : atque ante eum Innocentius IV, anno Domini 1245, creatis duodecim Cardinalibus, primus eisdem galerum purpureum assignavit, ut illi usque ad sanguinem et mortem Frederico Imperatori hosti Ecclesiæ sese una secum objicerent, eique caput suum quasi murum opponerent. Ita Martinus Polonus, Platina, Onuphrius et alii in horum Pontificum Vita.

Cardinalis Poli longum martyrium.

Hoc calceo hyacinthino, æque ac pileo, ac veste coccinea, egregie inter alios decoratus fuit Reginaldus Polus Cardinalis, qui mente in cœlo Deoque defixus, non tantum opes et honores omnes, sed et terricula, tristiaque omnia et mortem ipsam parvipendit et contempsit, adeoque martyrium longum, et quasi perpetuum generose

sustinuit. Cum enim Henricus VIII, rex Angliæ, facto schismate, male sibi conscius metueret Poncem, et Polum, utpote Cardinalem, et e sanguine regio Anglorum oriundum, ei in Angliam, uti ipse metuebat, quandoque perrecturo continuas ubique tetendit insidias. Quocirca Polus missus a Paulo III legatus ad Franciscum Galliæ regem, cum rex eum moneret, ut, si salvus esse vellet, statim abiret, in eo tanto periculo, cum omnes viæ armatis militibus et grassatoribus, et Anglis ipsis refertissimæ essent, nihil unquam de sua remisit constantia et gravitate; imo vero comitibus ejus omnibus adeo exterritis, ut nemo esset qui crucem, ut mos est Pontificiis legatis, præferre auderet, ipsemet crucem sumpsit in manus, erectamque gestavit, donec famuli pudore impulsi eam repeterent. Deinde cum in Belgium evasisset, nec tamen cessaret impius rex ab insidiis, ejusque caput quinquaginta aureorum millibus proscripsisset, nec majus posset esse vitæ periculum, semper tamen sui similis, eademque vultus ac mentis serenitate perstitit uno Deo nixus. Qui sane ei non defuit : Leodium enim eum invitavit Episcopus et Cardinalis Groisbeeck, a quo humanissime exceptus, cum audiret ingentia et vix credibilia promissa, quæ Anglus Belgis offerebat, si sibi Polum traderent; miratus hominis amentiam, dixit : « Se quidem jam pridem vitæ hujus tædio affectum, mortem et transitum ad meliorem vitam optare; ac proinde cum Henricus tanta sua impensa et cura hoc ipsius desiderium adjuvare conaretur, nihil aliud facere, quam si quis dormitum ire cupienti vestes ipsas exuere velit. » O vocem Cardinale dignam, vocem, inquam, non hominis, sed angeli! quam uti ore edidit, ita reipsa præstitit : neque enim ante ex Belgio, ubi a vicinis Anglis mille petebatur insidiis, discessit, quam a Pontifice revocaretur; cum ita diceret esse se in Pontificis potestate, et ad ejus nutum omnia facturum. Ita Sanderus et alii in *Hist. Anglic.*

Cingulum byssi, ad quid?

CINXI TE BYSSO, — fascia ex lino mollissimo et candidissimo quasi cingulo te cinxi. Cingulum hoc significat castitatem, fidem, amorem conjugalem, et purum cor, ut sponsa Synagoga nonnisi Deum sponsum amet. Alludit tum ad cortinas et vela e bysso ambientia tabernaculum, tum ad cingulum ex bysso quo tunicam cingebant sacerdotes, *Exod.* XXVIII, 39. Hoc enim significabat sacerdotem, et per eum totum populum, Deo astringi, ut patet *Jerem.* XIII, 11, quanquam non est necesse hæc omnia sigillatim accommodare. Omnis enim hic ornatus tantum significat in genere, Israelem a Deo omnibus donis et gratiis ornatum fuisse. Putat Prado בוץ *buts*, id est byssum veterum, fuisse gossypium, quod est candidissimum et mollissimum. Plinius tamen videtur distinguere byssum a gossypio, lib. XIX, cap. I. Unde noster Delrio, *Genes.* XLI, 42 : « Byssus, ait, non vermiculi partus est, sed terræ seu plantæ, » quale illud Bengalense, cujus meminit Hugo Lindescotus in sua navigatione, quæ videtur byssus Plinii, et Q. Curtii carbasus Indica. Nobis in Europa nihil bysso similius quam lina Cameracensia. Ut ut est, sat constat apud omnes byssum fuisse non sericum, sed linum candidissimum, subtilissimum atque præstantissimum. Ita ex Julio Polluce, Plinio et Pausania docet Ulysses Aldrovandus, lib. I *De Insectis, sive exsanguibus*, cap. LXXVII. Vide dicta *Exod.* XXV, 4.

ET INDUI TE SUBTILIBUS. — Septuaginta, τριχάπτῳ, id est *veste tantæ subtilitatis*, quæque tam tenuc habet stamen et subtegmen, ait S. Hieronymus, ut pilorum et capillorum tenuitatem habere videatur : τρίχας enim Græci vocant capillos. Ita S. Hieronymus et Origenes. Hebraice est משי *mesi*, id est attractum, sive bombycinum filum, quod a bombycibus quasi ex visceribus extrahitur, ab iisque conglomeratum aqua ferventi immergitur, solvitur, et attrectando in fila distrahitur : radix enim משך *masa* significat trahere. Unde Moses, quia aquis extractus, hebraice vocatur *Mose*. Idem a colore hebraice שרק *serec* dicitur, id est flavi coloris; unde equi rufi, varii, *Zachar.* I, 8, hebraice שרוקים *serukim*, id est flavi, vocantur. Et *Isaiæ* cap. V, vers. 1, vocatur vinea *sorec*, id est flava; quale est vinum Creticum, vulgo Malvasia. Sic enim et byssus, uti a bombycibus netur, flava est. Ab Hebræo *serec* deductum est Latinum *sericum*; non autem quod apud *Seras* (licet id velint recentiores), populos Scytharum vel Indorum, inventum sit. Idem ergo est sericum quod bombycinum : et seres idem sunt quod bombyces, ait Isidorus, lib. XIX *Originum*. Quare quod Procopius, lib. I *Belli Persici*, et Zonaras referunt, semen bombycum sericum facientium, a monachis quibusdam ex India Constantinopolim delatum tempore Justiniani Imperatoris non negat, quin prius in Asiam et Europam tela serica apportata fuerit, ut patet hic, et ex Aristotele, lib. I *De Natura animal.* Unde Delrio, *Genes.* XLI, 42, notat proprie distinguenda esse hæc tria, byssus, sericum, bombycinum. Byssus est ea, quam dixi. Sericum ex foliis palmæ minoris conficiebatur. Veteres depexione lanuginis confici censuerunt; sed recentiores refellunt, et dicunt folia decerpi, expurgari, et in fila tenuissima deduci, uti describit Eduardus Lopesius in descriptione Africæ. Bombycina sunt, quæ nos (uti et veteres multi, sicut jam dixi ex Isidoro) serica vocamus; ex bombyce vermiculo, a quo fila ista nentur. Propheta ergo significat per subtilia, et per *serec*, extimum peplum sericum et subtile, a capite ad talos fere demissum, quo se totas operiebant virgines, et meretrices quæ se virgines mentiebantur : conjugatæ vero eo omnia velabant præter faciem. Tale peplum gestabant Hebrææ, uti jam Italicæ mulieres. Hoc est theristrum, quod assumpsit Thamar *Gen.* XXXVIII, 14, et Rebeccæ pallium, *Genes.* XXIV, 65. Peplum hoc, sive velamen in capite, signum est

Serec hebraice, est flavum : inde sericum.

Differunt byssus, sericum, bombycinum, qua ratione?

Velum signum subjectionis et protectionis.

subjectionis sponsæ, quod scilicet viro sit subdita, I *Cor.* XI, 7, et cum faciem velat, signum est casti pudoris et verecundiæ. Significat ergo submissionem Synagogæ sub Deo, quæ illi non tam oneri erat quam honori et ornamento; quod scilicet per eam Deum haberet dominum et protectorem, quasi velamen suum.

11. ORNAVI TE ORNAMENTO, — armillis, torque, inauribus, ut sequitur. Significat victorias, trophæa et spolia, quæ Israel, Deo duce, retulit ex hostibus, inquit Apollinaris. Verum per hæc quævis ornamenta accipias. Tantum enim significat Synagogam quasi sponsam, a Deo omnimode comptam et ornatam fuisse : maxime autem ex agresti et inculta, factam esse civilem, politam, illustrem per legem, quam a Deo in Sina accepit. Ita Maldonatus. Chaldæus tamen, et Græci Patres singula verba singulis Dei beneficiis accommodant.

DEDI ARMILLAS. — Armillæ in manibus, aut potius juxta manus in brachiis (per manus enim et brachia accipit) significant mutuam stipulationem, contractum et fidem; in cujus signum datæ sunt Rebeccæ, *Genes.* XXIV, 22. Diffundebantur ad posteros gestamina hæc, quo juniores ad imitandas majorum suorum virtutes invitarentur. Hinc apud Suetonium in *Caligula*, cap. XV, legas Caligulam vetera familiarum insignia nobilissimo cuique ademisse, Torquato torquem, Cincinnato crinem, Pompeio Magni cognomen. Porro armillæ erant ornamenta brachiorum et manuum tam virorum, quam feminarum. Audi Festum : « Armillas ex auro, quas viri militares ab Imperatoribus donati gerunt, dictas esse existimant, quod antiqui humeros cum brachiis armos vocabant; unde arma (et armillæ) ab his dependentia sunt vocata. »

Armillæ tropologice quid?

Tropologice, armillæ significant nil indecorum esse agendum; sed manus, id est opera debere esse decora. Ita Origenes.

Secundo, significant virtutem Spiritus Sancti, qui ad agendum nos excitat, et manum operi admovet. Ita Theodoretus et Origenes dicens : « Cum mihi Deus dederit occasionem bonorum operum, armillas circumdat manibus meis. »

TORQUEM. — Septuaginta, κάθεμα, id est *monile* ex variis gemmis, a collo in pectus mulierum descendens. Torques, ait Origenes, significat in honestate libertatem, et intellectum veritatis : Theodoretus vero et Chaldæus per torquem accipiunt jugum legis, juxta illud *Prov.* I, 8 : « Audi, fili mi, disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ, ut addatur gratia capiti tuo, et torques collo tuo. »

Vers. 12. Inauris quid?

12. INAUREM SUPER OS. — Hebræus, *super nares tuas*. Unde Vatablus vertit : *Circulum in naribus tuis*, quales gestant Indi. Erat ergo hoc monile in naribus, aut potius, ut ait S. Hieronymus, ex fronte in nasum dependens, quod Isaias cap. III, vers. 21, vocat « gemmas ex fronte pendentes; » unde et Symmachus hic ἐπιῤῥίνιον vertit. Hinc liquet feminas Judaicas hoc monile in fronte supra nares gestasse. Dicitur inauris, quia similis erat illi, quæ pendebat ex aure, ait S. Hieronymus. Chaldæus, per inaurem hanc accipit arcam fœderis, quæ in fronte castra Hebræorum præibat in deserto.

Tropologice, inauris super os est silentium et oratio. Inauris circa nasum, ait Origenes, est fragrantissima mysteriorum cognitio; vel, ut Theodoretus, lex frenans vitia : sic enim tauri circulo in naribus frenantur et circumaguntur. Aliter Maldonatus : putat enim inaurem super os esse idem, quod circulum in auribus; puta inaurem proprie dictam, ut aures vocentur os, quia sunt supra os. Itaque hic idem aliis verbis repeti.

CIRCULOS AURIBUS. — Hi *circuli* sunt inaures, per quas Origenes accipit regis obedientiam, Theodoretus doctrinam, et auditionem verbi Dei, quæ aures quasi subula vulnerat et perforat, quia carni est contraria.

ET CORONAM DECORIS IN CAPITE TUO, — id est coronam quæ sponsæ solebat dari; sed quasi reginæ, regalem, *q. d.* Dedi tibi regnum, et reges. Sic Ecclesia est regnum Christi, vel potius regina Christi regis. Chaldæus vertit : *Et nubes gloriæ meæ obumbrabat vos, et Angelus missus a facie mea ducebat in capite vestro.* Hæc enim nubes, obumbrans castra Hebræorum in deserto, erat quasi corona regni cœlestis et divini. Hinc olim christianorum capiti in baptismo imponebatur corona, ut significaretur eos per Christum fieri mysticos reges et sacerdotes, juxta illud I *Petri* II, 9 : « Vos autem genus electum, regale sacerdotium, » etc., de quo ibidem plura. Corona.

Porro non tantum reges et reginas, sed et sponsos et sponsas solere coronari, patet *Cant.* IV, 8 : « Veni de Libano, sponsa mea, etc., veni, coronaberis; » et cap. III, vers. 11 : « Videte, filiæ Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius. » *Isaiæ* LXI, 10 : « Quasi sponsum decoratum corona. » Ita etiamnum sponsas sertis, vel gemmeis, vel rosaceis, si plebeiæ sint, coronari videmus.

Tropologice, corona est victoria vitiorum, et præmium gloriæ cœlestis. Vide dicta *Isaiæ* XI, 3, et cap. LXII, vers. 3.

13. ET ORNATA ES AURO ET ARGENTO (*q. d.* Ornata es, inquam, aureis monilibus et argenteis jam recensitis); ET VESTITA ES BYSSO, ET POLYMITO, ET MULTICOLORIBUS — jam dictis, *q. d.* Dedi tibi aurum et opum abundantiam. Chaldæus : *Dedi tabernaculum meum in medio vestri ornatum auro, argento, cortinis byssinis*, etc. Vers. 13.

Tropologice, ornata est anima auro, id est charitate et argento, id est sapientia et eloquentia, de quo *Apoc.* III, 18 : « Suadeo tibi emere aurum ignitum. »

SIMILAM, ET MEL, ET OLEUM COMEDISTI. — Id est dedi tibi non glandes, non cepas, quas antea cum

rusticana esses comedisti in Ægypto; sed delicias, puta abundantiam frugum optimarum in Chanaan, atque in deserto manna, quod erat quasi simila mellita et oleata, ut sit hendyadis; « similam et mel, » id est similam melleam, puta manna. Ita Chaldæus.

Allegorice, significatur hic corpus Christi in Eucharistia, pascens ut simila, delectans ut mel, vegetos et robustos faciens quasi athletas ad pugnam ut oleum. Quocirca hoc eodem, quo hic Ezechiel, ornamentorum schemate ornatum spiritalem animæ suæ ita describit S. Agnes apud S. Ambrosium, *serm.* 99 : Cum, inquit, præfecti urbis Romæ filius, quasi amasius, ei adolescentulæ pretiosissima ingereret ornamenta, illa generose respondit : « Discede a me, fomes peccati, nutrimentum facinoris, pabulum mortis : discede a me, quia jam ab alio amatore præventa sum, qui mihi satis meliora te obtulit ornamenta, et annulo fidei suæ subarrhavit me, longe te nobilior et genere et dignitate. Ornavit me inæstimabili dextrocherio. Dexteram meam; et collum meum cinxit lapidibus pretiosis. Tradidit auribus meis inæstimabiles margaritas, et circumdedit me vernantibus atque coruscantibus gemmis. Posuit signum in facie mea, et nullum præter ipsum amatorem admittam. Induit me cyclade auro texta, et immensis monilibus ornavit me. Ostendit mihi thesauros incomparabiles, quos mihi se daturum, si ei perseveravero, repromisit. » Et inferius : « Jam mel, et lac (in baptismo) ex ore ejus suscepi, jam amplexibus ejus castis astricta sum, jam corpus ejus corpori meo sociatum est (in Eucharistia), et sanguis ejus ornavit genas meas : cujus mater virgo est, cujus pater feminam nescit : cui angeli serviunt : cujus pulchritudinem sol et luna mirantur : cujus odore reviviscunt mortui, etc. Ipsi soli servo fidem, ipsi me tota devotione committo. Quem cum amavero, casta sum; cum tetigero, munda sum; cum accepero, virgo sum. »

ET PROFECISTI IN REGNUM, — evecta es, o Jerusalem, in regni sedem et caput. Ita Chaldæus. Radix Hebræa צלח *tsalach* significat prosperari, feliciter crescere, proficere.

Moraliter, hic discant ii qui ex humili et abjecta sorte in altum conscendunt, meminisse prioris sortis, ut non insolescant, sed in modestia se contineant, Deoque sint grati. Alias enim, ut ait Poeta:

Asperius nihil est humili, cum surgit in altum.

Quocirca Agathocles, ex figulo factus Siciliæ rex, cœnabat semper in vasis figulinis, ut figulum se fuisse meminisset. Pie vero Placilla uxor Theodosii, qui ex milite creatus erat Imperator, ei crebro occinebat : « Semper te, mi vir, cogitare oportet quis olim fueris, et quis jam sis. Ita assidue animo complectens, non te ingratum ostendes erga patronum; sed imperium quod suscepisti, juste et legitime gubernabis; atque eo rite administrando, eum qui ipsum donavit, auguste sancteque coles. » Ita Theodoretus, lib. V *Histor.* cap. XVIII.

14. PROPTER SPECIEM.—Septuaginta, *propter pulchritudinem*, scilicet omnem jam dictam. « Speciem » vocat politiam, et rectam ordinatamque reipublicæ administrationem, quæ excivit reginam Saba, ut veniret ad Salomonem, III *Reg.* cap. X, 1.

15. HABENS FIDUCIAM IN PULCHRITUDINE TUA, — et ex fiducia securitatem et audaciam, *q. d.* Ex pulchritudine, opibus et felicitate quam tibi dedi, facta es secura et audax. Ita S. Hieronymus. Vel potius, ut Apollinaris : « Habens fiduciam, » id est superbiam, *q. d.* Superbiens in tua pulchritudine me contempsisti, fornicata es cum idolis gentium « in nomine tuo, » propter famam tuam, qua omnes gentes te celebrabant quasi felicem et opulentam, ac pulchram; vel « in nomine tuo, » id est, quasi libera esses, et tui juris, non mihi desponsata, sic palam et cum omnibus fornicata es, non adulterata. Nam adulteræ cum paucis clam et timide adulterantur. Ita Prado : Vers. 15.

Fastus inest pulchris, sequiturque superbia formam,

ait Ovidius, I *Fastor.* :

Sapiens vero, *Proverb.* XXXI, depingens mulierem fortem et illustrem, cum vers. 25 dixisset : « Fortitudo et decor indumentum ejus; » mox vers. 30, in quo hæc sita sint, nimirum in timore Dei, ita declarat, dicens : « Fallax gratia, et vana est pulchritudo : mulier timens Dominum ipsa laudabitur. » Disce hic quam periculosa sit corporis pulchritudo, qua multi et multæ efferuntur, omnisque pariter mundi pompa et gloria. « Fallax gratia, et vana est pulchritudo, » ait Sapiens. « Pulchritudo, ait S. Augustinus, donum Dei est, sed nostro abusu fit mala. » Quin et Socratès : « Pulchritudo, ait, est modici temporis tyrannis, » et, ut Theophrastus ait, « est tacita deceptio. » Euripides in *Helena* : « Pulchritudo, inquit, est res infelix. » Proclus Platonicus, lib. *De Anima* : « Animæ, ait, quæ ob perversam educationem a superno munere decidunt, in simulacra pulchra incidentes, propter veræ pulchritudinis ignorantiam, corporeas formas admirantur et depereunt. » Et Poeta : Pulchritudo est viscus oculis. Gnomæ.

Lis est cum forma magna pudicitiæ.

Egregie vero Petrarcha, lib. I *De Remediis utriusque fortunæ* : « Pulchritudinem vocat velum oculis, laqueum pedibus, viscus animæ, ut non facile vera discernat, nec virtutem perspiciat, nec in altum possit mente evolare. » Et paulo post ait eam esse « hostem domesticum, raptorem quietis, materiem laboris, fomentum libidinis. » Quare merito S. Hieronymus : « Amorem corporeæ pulchritudinis, ait esse oblivionem rationis. »

Hinc moraliter S. Hieronymus : « Grande, ait, discrimen non in Deo, sed in suo decore con-

fidere, quantoque quis sublimior fuerit, debet timere ne corruat, et fornicetur in nomine suo. Adversariæ siquidem potestates solitos contemnunt cibos, et peregrina alimenta desiderant. Unde de diabolo dicitur : Escæ ejus electæ, non vult quemlibet decipere. Saul regem, qui electus a Domino est, et Judam apostolum supplantare festinat. Non ergo confidamus in propria pulchritudine, nec Domini liberalitatem nostram putemus esse virtutem. »

EXPOSUISTI FORNICATIONEM TUAM OMNI TRANSEUNTI, — quasi meretrix, quæ se omni transeunti prostituit (1). Sic enim Ammonitis, Idumæis et aliis gentibus per te transeuntibus te prostituisti, colens deos eorum : vel « exposuisti, » et, ut Hebræus, *effudisti*, id est, docuisti tuam idololatriam omnes gentes.

UT EJUS FIERES, — scilicet concubina, hebraice, *cui erat*, scilicet desiderium tuum, quem desiderabas : vel *cui erat*, scilicet tui desiderium, qui te desiderabat, *q. d.* Capta es amore omnium idolorum quæ desiderabas, et a quibus vicissim, quorumque cultoribus desiderabaris ut hoc faceres. Ita Vatablus, R. David et alii. Aliter Chaldæus. Nam לוֹ pro *lo* per *vau*, legens לֹא *lo* per *aleph*, vertit, *quod non fiet*, id est, *quod fieri non oportuit*.

Vers. 16. 16. FECISTI (id est ornasti, ut explicatur vers. 18 : nec enim excelsa fiebant proprie ex veste) TIBI EXCELSA (scilicet, ut Septuaginta, *idola;* vel potius fana et altaria idolorum), HINC INDE CONSUTA, — quia scilicet ea tuis vestibus versicoloribus, quasi peristromatis varie consutis instravisti, et ornasti quasi lupanaria vel lectulos, in quibus cum amasiis tuis, scilicet idolis, fornicareris. Ita Scholiastes. Hoc enim est quod subdit : « Et fornicata es super eis. »

SICUT NON EST FACTUM, — *q. d.* Nunquam visum est ut meretrices cultum suum offerrent in ornamentum lupanarium : tu ergo quæ id fecisti, omnibus meretricibus es improbior et impudentior.

Vers. 17. 17. VASA DECORIS TUI. — Id est instrumenta pulchritudinis tuæ. Sic vocat inaures, torques, armillas, et cætera mulierum ornamenta, ex quibus idola fabricarunt, aut ornarunt. Rursum vasa hæc possunt accipi non propria, sed templi, quæ diripuit Achaz, ex iisque fecit idola et excelsa, ut patet II *Paral.* XXVIII, 24. Ita S. Hieronymus.

FORNICATA ES IN EIS, — cum eis, ea colendo.

Vers. 18. 18. OLEUM MEUM, — quod tibi dedi, vel quod præscripsi ut lucernis meis infunderes; vel « oleum, » id est unguentum, quo jussi vestes et vasa sacra inungi, *Exod.* XXX, 23, dedisti idolis.

Vers. 19 19. POSUISTI IN CONSPECTU EORUM IN ODOREM SUAVITATIS, — adolendo scilicet et concremando oleum, mel, similam, quasi oblationem idolo gratissimam et suavissimi odoris. Mel enim Gentiles sacrificasse, ideoque Judæis id in sacrificiis vetuisse Deum, docui *Levit.* II, 11. Alludit ad veterum morem nuptialem. In nuptiis enim et nuptiali epulo sponsæ et convivis solebat dari simila, sive placenta mellita, ut suaves blandasque fore nuptias significarent. Hanc placentam nuptialem vocabant sesamon, quia fiebat ex sesamo (id est frumento Indico), melle et oleo. Sic sponsus invitans sponsam : « Comedi, inquit, favum meum cum melle meo : bibi vinum meum cum lacte meo : comedite, amici, et bibite. » Ubi Septuaginta vertunt : *Manducavi panem meum cum melle meo.* Ita Pineda, lib. V *De Rebus Salom.* cap. IV.

Vers. 19 et 20. 19 et 20. ET FACTUM EST, AIT DOMINUS DEUS. ET TULISTI. — Est hebraismus, *q. d.* Et insuper « tulisti filios, » ut cremares eos idolis, quod longe horribilius est. *Secundo* et planius, R. David et Maldonatus, *q. d.* Ita revera factum est, ita se res habet, ut dixi. Unde Chaldæus vertit : *Nonne facta sunt omnia hæc?* scilicet circa proles tuas, *quas generasti mihi* quasi marito tuo. Ego enim ex te eas procreavi, ego illas tibi dedi, ut me colerent.

Vers. 21. 21. AD DEVORANDUM, — ut ignis devoraret corpora puerorum tuorum, in gratiam et cultum idolorum. Ita Vatablus.

Vers. 22. 22. ET POST OMNES ABOMINATIONES TUAS ET FORNICATIONES, NON ES RECORDATA DIERUM ADOLESCENTIÆ TUÆ, — ac consequenter nec tuæ pristinæ miseriæ, nec meæ erga te clementiæ, qua te vilem in sponsam assumpsi.

Moraliter, quantum malum sit oblivio Dei, et sui. Moraliter nota : Inter omnia mala et vulnera quæ in Adamo peccante accepimus, ex eoque cum peccato originali trahimus, unum vel maximum est oblivio tum Dei, tum sui. Est hæc ingens hominis miseria, omnisque mali causa : a qua homo hebraice dictus est אֱנוֹשׁ *enos*, id est obliviosus; de quo Psaltes, *Psalm.* VIII, 5 : « Quid est homo (hebraice *enos*) quod memor es ejus, » *q. d.* Quis est ille hebes et obliviscens, ut ejus, o Domine, digneris esse memor? vel quis est ille miser, desperatus, damnatus ad mortem, oblivioni tradendus, memoria indignus ut ejus recorderis? Et *Psalm.* XLIX, 22 : « Intelligite hæc qui obliviscimini Deum. » Hæc enim oblivio tollit memoriam præteritæ miseriæ et peccatorum : inde præsentibus Dei donis, quasi suis, superbit et insolescit homo; ideoque a Deo abjicitur, sinitque ruere in omnia scelera. Hoc est quod ait S. Petrus, *epist.* II, cap. I, vers. 9 : « Cui enim non præsto sunt hæc (fides, scientia, abstinentia, patientia, pietas, amor fraternitatis, de quibus egit vers. 5), cæcus est, et manu tentans, oblivionem accipiens (obliviscens) purgationis veterum suorum delictorum. » Hinc de senibus Susannæ pu-

(1) Hæc metaphora frequenter in Scriptura pro idolorum cultu significando usurpata, inde est orta, quod Deus amorem suum erga populum Israeliticum comparat cum amore, quo maritus in conjugem a se amatam fertur. Quemadmodum igitur adulterium seu scortatio summum crimen est, quo fides illa conjugalis violatur, ita populus Israeliticus idololatria sua turpissima fidem Deo datam fefellisse dicitur.

dicitiam tentantibus dicitur, *Daniel.* XIII, 9 : « Everterunt sensum suum, et declinaverunt oculos suos, ut non viderent cœlum (Deum cœli præsidem), neque recordarentur judiciorum justorum. » Si enim cogitassent Deum fore sui sceleris vindicem, si prævidissent Dei judicia per Danielem mox in se exercenda, frenassent utique eorum metu suam intemperantiam. Hac de causa tam serio, et tam frequenter Moses jam moriturus Hebræis inculcat : « Observa, et cave nequando obliviscaris Domini Dei tui : ne, postquam comederis et satiatus fueris, etc.; elevetur cor tuum, et non reminiscaris Domini Dei tui, qui eduxit te de terra Ægypti, de domo servitutis : et ductor tuus fuit in solitudine, etc., et cibavit te manna, etc. Sed recorderis Domini Dei tui, quod ipse tibi vires præbuerit. Sin autem oblitus Domini Dei tui, secutus fueris deos alienos, etc., ecce nunc prædico tibi quod omnino dispereas,» *Deut.* cap. VIII, 11, 12, 14, 16, 18, 19; et VI, 12; et IV, 9, 23, 31 ; et IX, 7. Atque verus fuit vates : nam, *Deut.* XXXII, 18, eis improperat : « Deum, qui te genuit, dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui. » Unde Dei pœnas et diras omnes eis intentat vers. 22 : « Ignis, ait, succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima. Congregabo super eos mala, et sagittas meas complebo in eis. » Sic, *Judic.* III, 7, causa cur Hebræi traditi sint Philistinis et Chananæis, assignatur hæc : « Feceruntque malum in conspectu Domini, et obliti sunt Dei sui. « Sic I *Reg.* XII, de iisdem ait Samuel : « Obliti sunt Domini Dei sui, et tradidit eos in manu Sisaræ. » Sic dicitur *Job* VIII, 13 : « Viæ omnium qui obliviscuntur Deum, et spes hypocritæ peribit. » Ita Psaltes, *Psalm.* IX, vers. 18 : « Convertantur, ait, peccatores in infernum, omnes gentes quæ obliviscuntur Deum. » Et *Psalm.* LXXVII, 11 : « Obliti sunt benefactorum ejus, et mirabilium ejus quæ ostendit eis, » Hebræis per Mosen, Josue, David, etc. Quocirca, *Ps.* CII, 2 : « Benedic, ait, anima mea, Domino : et noli oblivisci omnes retributiones ejus. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis : qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam : qui coronat te in misericordia et miserationibus. » Et *Psalm.* CIII, CIV, CV et CVI, jugiter canit : « Benedic, anima mea, Domino. Confitemini Domino quoniam bonus : quoniam in sæculum misericordia, » etc. Denique omnes Prophetæ non aliud improperant peccatoribus, quam oblivionem Dei.

24. LUPANAR, — excelsa et templa idolorum ædificasti in angulis et viis omnium platearum Jerusalem, ut patet IV *Reg.* XVI, 21. Ita Polychronius. Ob hæc excandescens et implacabilis paulo ante intonuit : « Væ, væ tibi. » *Væ* enim geminatum significat animum sponsi plane offensum, et parantem sponsæ, puta Hierosolymæ, duplex excidium, scilicet præsens per Chaldæos et æternum in gehenna per dæmones.

25. SIGNUM PROSTITUTIONIS, — id est prostibulum, lupanar, puta excelsum jam dictum. Vers. 25

Moraliter : « Lupanar sibi ædificat, qui tota frontis libertate delinquit, juxta id quod scriptum est : Peccator, cum venerit in profundum iniquitatis, contemnit, » ait S. Hieronymus.

ABOMINABILEM FECISTI DECOREM TUUM.— Sicut meretrices, quæ ex nimio longoque usu libidinis fiunt fœdissimæ, ait Maldonatus.

26. MAGNARUM CARNIUM, — pinguium corporum plenorum succi, et consequenter libidinosorum. Tales, ait Origenes, sunt dæmones, qui gaudent libidine et peccatis carnalibus. Proprie *magnas carnes* vocat magna membra, quæ significant libidinosum, de quibus ait cap. XXIII, 20 : « Quorum carnes sunt ut carnes asinorum. » Vide *Canon.* LV. Non quod Ægyptii hæc membra majora habuerint, quam alii homines; sed quod magis idololatriæ (hæc enim a Prophetis vocatur scortatio) dediti fuerint quam aliæ gentes. Est metaphora (1). Vers. 26.

« Unde symbolice sanctus, ait S. Hieronymus » carnium dicitur parvularum, quæ in eo decrescunt quotidie, et per virtutes attenuantur, ita ut nequaquam caro appelletur, sed spiritus, et loquatur in psalmo? Sitivit anima mea ad te, Deus, quam multipliciter tibi caro mea! sive (ut quædam habent exemplaria) quomodo consumpta est caro mea? De hac carne scriptum est : Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos fœni. Aruit fœnum, et flos ejus decidit; verbum autem Domini manet in æternum. Et Apostolus : Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt. Et in Genesi loquitur Deus : Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt. Et ad credentes dicitur : Qui in carne sunt, Deo placere non possunt : vos autem non estis in carne, sed in Spiritu. » Symbolice.

27. AUFERAM JUSTIFICATIONEM TUAM, — id est legis cæremonias, cultum templi et sacrorum; quia ea profanasti, uti dixi vers. 17 et seq. Ita S. Hieronymus. *Secundo,* noster Prado : « Auferam justificationem tuam, » id est, ut aliqui legunt, *jus tuum,* id est libertatem et regimen, quo tuis jus dicis, tibi adimam, faciamque ut Philistæis subjiciare, et ab eis jura petas, quæ Dei jus violasti. Unde Septuaginta vertunt : *Auferam legitima tua.* Hinc et sequitur : « Et dabo te in animas odientium te. » Verum justificatio nusquam significat libertatem aut potestatem regendi. *Tertio,* R. David et Vatablus vertunt : *Auferam a te dimensum tuum,* id est annonam tuam, qua te quotidie alebam, puta similam, mel et oleum, quæ tibi dedi, ut dixi vers. 9. Unde et Chaldæus vertit : *Auferam bonum tuum. Quarto,* alii vertunt: *Auferam a te decretum,* vel *statutum tuum,* quo Vers. 27. Justificatio sextuplex.

(1) Recte Theodoretus : « Per translationem magnos carne eos qui supra modum idolorum cultui addicti erant, nominavit, qui hircos, et boves, et oves, canesque et simias, et crocodilos, et ibes, et accipitres adorabant. »

scilicet statueram et promiseram, quod nunquam te desererem. *Quinto*, Maldonatus: *Auferam*, inquit, *a te justificationem tuam*, id est favorem meum, quo, dum te prosequor, videris esse justa; et puniam te, ut appareat te injustam esse. Hic sensus satis appositus est. *Sexto* et optime, *justificationem*, id est sanctificationem, *tuam*, id est sancta tua. Hoc enim est hebraice חקך *chuckech*, *q. d.* Ego te, quasi sanctam meam sponsam, ornavi auro, argento, bysso et omnibus bonis, iisque te quasi sanctificavi, dotavi et mihi astrinxi, vers. 10 et seq.; tu vero eadem sanctificasti et consecrasti idolis tuis; itaque non tam sanctificasti quam profanasti et polluisti ea, vers. 17 et seq. Quocirca ego hæc ipsa bona sancta auferam, imo quasi mea repetam a te, daboque ea hostibus tuis, ut ipsi omne tuum aurum, omnes fruges et opes diripiant; quia ipsi te sunt sanctiores et meliores. Hunc sensum poscunt præcedentia et sequentia. Hanc enim pœnam idololatriæ eorum clare intentat vers. 39, dicens: « Denudabunt te vestimentis tuis, et auferent vasa decoris tui: et derelinquent te nudam plenamque ignominia. » Hoc enim maxime timent impii: nec enim curant Dei favorem, ritus et cæremonias sibi auferri, cum ea jam ipsimet sibi sponte abstulerint, imo a se expulerint et idola sua transtulerint.

Moraliter: Nota Deum opes, bonaque quæ nobis largitur, vocare sancta; quia ea dat ut iis sanctificemur, sancteque Deum colamus, expendendo ea pie in usus templi, Religiosorum, pauperum, filiorum educandorum in timore Dei, etc.

DABO TE IN ANIMAS ODIENTIUM TE FILIARUM PALÆSTINARUM. — « In animas, » id est in desideria, ut te pro voto abutantur filiæ Palæstinæ, id est oppida, vel potius cives Palæstinæ: vocat filias potius quam filios, ad decorum: populum enim Jerusalem hactenus quasi puellam Deo desponsam induxit, *q. d.* Tradam te voluntati atque libidini Palæstinorum, ut te spolient, capiant, occidant. Vetus enim et perenne fuit odium inter Philistinos sive Palæstinos, et Judæos.

ERUBESCUNT. — Septuaginta: *Declinant de via tua*. Non audent te tanquam infame scortum comitari per vias, pudet illas tui, licet sint illæ impudentes; quia justiores sunt te, uti ait vers. 52.

28. IN FILIIS (id est cum filiis) ASSYRIORUM (1).

29. IN TERRA CHANAAN, — in quam te ex Ægypto transtuli et in qua habitas. Aliter Prado: « In terra Chanaan, » inquit, id est mercatorum, qui mercimonia exercent cum Chaldæis. Sic *Prov.* XXXI, 24, dicitur: « Cingulum tradidit Chananæo, » id est mercatori. Aliter rursus Maldonatus, *q. d.* Usque in terram Chanaan, scilicet imitando etiam ejus idololatriam.

CUM CHALDÆIS. — Hebraice כשדימה *Casdima*, id est usque in Chaldæam, scilicet mittendo eo nuntios, qui referrent quo cultu colendi essent eorum dii. Ita Vatablus et Maldonatus.

30. IN QUO (qua re, quo lixivio) MUNDABO (et, ut Hebræus, *circumcidam* (legendum enim est אמלה *amola*, id est circumcidam, a radice מול *mol*, id est *circumcidit*) COR TUUM. — Septuaginta: *Quid faciam cordi tuo?* juxta illud *Osee* VI, 4: « Quid faciam tibi, Ephraim? quid faciam tibi, Juda? » Et *Isai.* V, 4: « Quid est quod ultra debui facere vineæ meæ, et non feci? » Chaldæus: *Quam fortis malitia cordis tui!* Vatablus: *O impotens cor tuum!* Prado: *Quam depravatum, infirmum et corruptum est cor tuum!* Ipsi enim pro *amola* legunt אמלה *amula*, a radice אמל *amal*, id est infirmus fuit. Unde אמלל *amlal* vocatur infirmus, corruptus, putridus.

31. LUPANAR. — Hebraice גב *gab*, id est excelsum, scilicet templum et idolum. Vide vers. 24 et 25.

NEC FACTA ES QUASI MERETRIX FASTIDIO AUGENS PRETIUM, — *q. d.* Meretrix quæ scit se ob pulchritudinem quæri, fastidit amasios et parva lucra, ut majora offerantur; tu vero tuam pulchritudinem vilissimo pretio vendidisti, imo gratis obtulisti cuivis, in grande mei et tui vilipendium; uti facit adultera quæ non mercedis, sed libidinis insatiabilis causa, præter maritum aliis se prostituit: quinimo mercede provocasti amasios tuos, ut fecit Achaz mittens regi Assyriorum multa auri talenta, cum ejus idola in templum induxit, IV *Reg.* XVI.

Tropologice anima, dum peccat, quasi meretrix voluptatibus se prostituit, atque omnes suos spiritus, potentias ac vires, quas a Deo habet, exhaurit et offert dæmoni. Ita Origenes. Vide historiam filii prodigi, *Luc.* XV.

34. POST TE NON ERIT FORNICATIO (2), — scilicet similis, ut nimirum meretrix pretio conducat amasios, sicuti tu facis. Ita Chaldæus.

36. EFFUSUM EST ÆS TUUM, — id est pecuniam tuam prodige effudisti in amatores tuos, puta in deos tuos et idola tua. Ita S. Hieronymus. Sic Romanis, teste Festo, « ære dirutus miles » dicebatur, cui stipendium ignominiæ causa non esset datum, quique illud prodegisset: eo quod æs diruebatur in fiscum, non in militis sacculum. Sic Verrem *act.* 7 facete mordet Cicero: « Aleatoris, inquit, Placentini castra commemorabuntur: in quibus, cum frequens fuisset, tamen ære

(1) Assyriorum deos Grotius ab Israelitis tum cultos conjicit, cum Achaz Teglatphalasarem regem Assyriæ in auxilium vocaret, IV *Reg.* XVI, 7; II *Paralip.* XXVIII, 16; « Nam, inquit, plerumque quorum amicitiam ambiebant, eorum cultus imitabantur. » Verum, ut bene notat Rosenmuller, et earum gentium, quibuscum nullo fœderis vinculo conjuncti essent, superstitiones Israelitas imitatos fuisse, credibile est; exempla vidimus apud Nostrum, supra VIII, 7-12.

(2) « Tu autem dedisti mercedes cunctis amatoribus tuis, » etc. Nam neque ab Ægyptiis, neque ab Assyriis, vel Chaldæis quidquam boni acceperant Israelitæ, sed contra magnis mercedibus eorum gratiam redimere coacti sunt. (Coccerus.) Vide IV *Reg.* XVI, 8; *Isai.* VII, 20; XXX, 5, 6.

dirutus est, » *q. d.* Licet Verres non esset emansor, sed frequens in castris aleatoriis, tamen ære dirutus est, id est stipendia perdidit et prodegit, alea scilicet omnia absumente. Sic in castris Veneris et dæmonis ære diruitur Jerusalem, et quivis peccator. Aliter Chaldæus, R. David, Vatablus et Maldonatus. Vertunt enim : *Effusum est imum tuum*, id est ima pars ventris, scilicet, pudenda tua manifestata sunt publice. Hebræum enim נחשתך *nechustesch* vertunt *subæratum*, id est fundum ; fundus enim vasorum solet esse æratus, ut diutius durent. Aliter quoque vertit et explicat Prado : Argentum, ait, signum est puritatis, æs sordium, quia contrahit facile rubiginem, *q. d.* Sordes tuæ effusæ sunt, id est, ut sequitur, fornicationes tuæ effusæ sunt. Unde et Pagninus vertit : *Effusa est turpitudo tua* ; Brixianus : *Effusa est immunditas tua.*

Denique apposite per æs durum et forte, accipi potest robur et fortitudo, *q. d.* Fornicando assidue, cum semine profudisti omne tuum robur et fortitudinem. Docent enim medici et ipsa experientia, immodico veneris usu vires exhauriri hominemque debilitari et emori. Cujus rei varias dant causas : *prima* est, quod semen spiritu plenum sit, præsertim vitali, uti docet Hippocrates lib. *De Natura fœtus*, cap. III ; unde sequitur veneri indulgentes non esse multum vitales : seminis enim emissione, pariter spiritus vitalis emittitur et dissipatur, ut ait Galenus, lib. I *De Semine*, cap. XVI. Porro Galenus, lib. I *De Natura facult.* cap. V et VI, docet in semine triplicem esse spiritum : est, inquit, in eo « spiritus vitalis ad generationem cordis, spiritus naturalis ad generationem hepatis, et animalis ad generationem cerebri. » Modum subjicit : « Subintrante ergo in profundum spermatis ventositate, actione trium spirituum in medio nascitur vesicula quædam ; superius autem prope alia vesicula, a latere juxta inferiorem alia : ex prima vesicula formatur ipsum cor ; ex secunda superius posita cerebrum ; ex tertia hepar. » Cum ergo triplex hic spiritus in veneris usu emittatur, necesse est vires et vitam atteri. *Secunda* est, quia in venere optimum et fortissimum excernitur. Audi Hippocratem, lib. I *De Genit.* : « Genitura viri provenit ab omni humido quod in corpore existit, ut quod robustissimum est secernatur. Argumentum autem ejus, quod robustissimum secernitur, hoc est, quod a veneris usu, paucula adeo re emissa, imbecilles reddimur. » Et Galenus, lib. I *De Semine*, cap. XVI : « Quare non mirum est immoderato coitu utentes imbecilliores reddi, a toto corpore utroque (humore scilicet et spiritu) sincerissimo ablato. » *Tertiam* attexit ibidem Galenus dicens : « Accedente insuper voluptate, quæ ipsa per se sufficiens est vitalem firmitatem dissolvere, adeo ut jam quosdam ex nimia voluptate ac jucunditate mortuos esse constet. » Hinc venere utentes quasi extra se rapiuntur et obstupescunt : unde Diogenes coitum vocabat brevem epilepsiam ; et Alexander Magnus aiebat, hac sola ex re agnoscere sese esse hominem, suamque infirmitatem. *Quarta* est, quia in nimia copula, effuso omni semine, effunditur tandem et sanguis. Id deducitur ex Galeno loco citato, cap. XII, ubi arterias et venas semen ex sanguine operari, diserte affirmat. Idem docet Avicenna lib. III, fen. XX, tract. I, cap. I : Semen, inquit, « est sanguis magis digestus et magis subtilis. » Idem docent alii medici et physici, uti Aristoteles, lib. *De Longit. et brevitate vitæ*, ubi idipsum confirmat exemplis. Nam mulus, ait, diutius vivit quam equus et asinus ex quibus genitus est, quia vix generat (unde idem Aristoteles, lib. VI *Histor. animal.* cap. XXIV, ait Athenis fuisse mulum octoginta annorum), et feminæ diutius vivunt maribus, si hi libidinosi sint (nam alias mas diutius vivit, quia calidior), uti hac de causa passeres mares brevius vivunt quam feminæ. Nam, ut idem docet lib. IX *Histor. animal.* cap. VII, passeres mares, quia salacissimi sunt, annuam vitam complere non existimantur, feminas autem diutius vivere certum est.

Libido minuit vires et vitam, cur ?

ET SUPER IDOLA, — id est, ut Vatablus, duobus modis revelata est ignominia et turpitudo tua, sive deprehensa es meretrix : *primo*, ex eo quod colebas idola abominanda ; *secundo*, quod cum idolis immolasti sanguinem filiorum tuorum.

37. CONGREGABO OMNES AMATORES, — *q. d.* Per ipsos amatores tuos ulciscar te, scilicet faciam ut Chaldæi, quorum amicitiam, indeque idola coluisti, gentes vicinas tibi amicas, æque ac inimicas sibi aggregent et te obsideant. Ita Theodoretus. Vers. 37.

NUDABO IGNOMINIAM TUAM. — Hebraice *nuditatem*, id est pudenda tua, ut quibus peccasti, iis puniaris et infameris. Intelligit destitutionem opis et auxilii, ait Vatablus, vel potius publicam infamiam, qua ob scelera Jerusalem quasi meretrix, violanda et vastanda erat, ideoque a gentibus hostilibus subsannanda et irridenda, uti ridetur meretrix infamis, dum publice in cippo probro exponitur.

38. JUDICABO TE JUDICIIS ADULTERARUM, ET EFFUNDENTIUM SANGUINEM, — id est vindicabo te pœna tum lapidationis, quasi adulteram ; tum gladii, quasi homicidam, vers. 40. Occidisti enim infantes tuos cremando et immolando eos Moloch. Vers. 38.

DABO TE IN SANGUINEM (id est in cædem) FURORIS ET ZELI, — id est truculentam, qualem exercent furiosi et zelotypi mariti, dum solent jugulare uxores in adulterio deprehensas. Hebraice : *Ponam te in sanguinem*, id est totam sanguinolentam, vulneribus confossam et undique cruentam, ut videaris tota esse sanguis.

39. DESTRUENT LUPANAR TUUM, — *q. d.* Chaldæi destruent excelsa et fana tua. Vide vers. 24. Vers. 39.

AUFERENT VASA DECORIS TUI, — puta vasa aurea et argentea, omnesque opes et thesauros tuos, quibus nunc pulchra esse videris.

40. ADDUCENT SUPER TE MULTITUDINEM, — te quasi Vers. 40.

adulteram tradent, juxta legem, multitudini lapidandam.

ET LAPIDABUNT (Chaldæi) TE — projicientes lapides per catapultas in muros tuos, ut eos verberent et dejiciant : item in urbem tuam, ut domos confringant et homines in plateis occidant.

41. ET COMBURENT DOMOS. — Hæc altera erat adulterarum pœna, aiunt Hebræi, scilicet ignis, quo eas comburebant; licet ejus vix exstet exemplum, nisi in Thamar *Genes.* cap. XXXVIII, 24. Vide ibi dicta.

FACIENT IN TE JUDICIA, — justam ultionem. Vocat *judicia* in plurali, quia multas plagas significat.

IN OCULIS MULIERUM PLURIMORUM. — Mulieres intelligit nationes et gentes; quia et ipsa Jerusalem inducitur hic quasi mulier meretrix, *q. d.* Pœnam tuam videbunt aliæ mulieres, id est gentes, ut caveant ne sint adulteræ, id est idololatræ. Ita Vatablus.

Vers. 42. 42. AUFERETUR ZELUS MEUS. — Cum videro te jugulatam et flammis datam, cessabit indignatio mea, et zelotypia, quæ cor meum rodebat, tum, quia non amplius mihi præpones amasios tuos, ait Theodoretus; tum quia indignationem meam puniendo te exsaturabo.

Moraliter Deum non punire peccatores, est grande malum. NEC IRASCAR AMPLIUS, — huic scilicet generationi et sæculo, quia illam disperdam. Sequenti tamen generationi, quasi alteri, et novo sæculo miserebor, et si peccet irascar. « Ex hoc perspicimus, ait S. Hieronymus, grandem offensam esse nequaquam curæ haberi a Deo, sed permitti hominem sceleribus suis atque peccatis. » Eumdemque locum expendens Origenes hom. 8 *super Exodum* : « Vide, inquit, misericordiam, pietatem et patientiam boni Dei, quando vult misereri, indignari se dicit et irasci, sicut per Jeremiam cap. VI, ait : Dolore et flagello castigaberis, Jerusalem, uti ne abscedat anima mea abs te. Hæc si intelligis, miserantis Dei vox est : ubi irascitur, et zelatur, ubi adhibet dolores et verbera : flagellat enim omnem filium quem recipit, *Hebr.* XII. Vis audire indignantis Dei terribilem vocem? Audi quod dicit per Oseam cap. IV : Cum enumerasset multa nefanda quæ Jerusalem commiserat, addit : Non visitabo super filias vestras cum fornicantur, neque super nurus vestras cum mœchantur. » Hæc Origenes. In hanc eamdem sententiam interpretatur D. Augustinus illud *Psal.* XCVIII : « Domine Deus noster, tu exaudiebas eos; Deus tu propitius fuisti eis, et ulciscens in omnes adinventiones, » seu, ut alii legunt, « affectiones eorum. » « Etiam, inquit Augustinus, vindicans propitius fuisti. » Sed multo elegantius, serm. 37 *De verbis Domini* : « Magnæ, inquit, misericordiæ est, nequitiæ impunitatem non relinquere; et ne cogatur in extremo gehennæ damnare, modo flagello dignatur castigare. Vis nosse nulla pœna quanta sit pœna ! Davidem interroga, qui ait *Psalm.* IX : Irritavit Dominum peccator. Quare? Quid vidisti? Vidi peccatorem impune luxuriantem; et exclamavi : Irritavit Dominum peccator. Quare hoc dixisti? Vide quid sequitur. Secundum magnitudinem iræ suæ non quæret. Ideo nempe non exquirit, quia multum irascitur, parcendo cædit, sed juste cædit. » Unde apud Isaiam, cap. XXVI; magni supplicii loco dicitur : « Misereamur impio, et non discet justitiam. » Hoc est quod *Psalm.* LXXX, 12, dicitur : « Non audivit populus meus vocem meam, Israel non intendit mihi. Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis. » Et *Rom.* cap. I : « Tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt. »

Punire peccata a Deo signum est amoris et curæ Dei. E contrario puniri hic a Deo, singulare quoddam divinæ clementiæ beneficium existimandum est. Hac enim ratione Dominus Jerusalem consolatur, *Isaiæ* XL : « Consolamini, consolamini, populo meus, dicit Deus vester. Loquimini ad cor Jerusalem, et advocate eam, quoniam completa est malitia ejus, dimissa est iniquitas illius : suscepit de manu Domini duplicia pro peccatis suis. » Quo loco recipere duplicia pro peccatis, seu, ut habent Septuaginta : *Recipere duplicia peccata sua*, est propter peccata multis pœnis affici, ut multi volunt. Idcirco regius vates postulat : « Proba me, Domine, et tenta me, » *Psalm.* XV; et alio loco : « Ego in flagella paratus sum, » *Psalm.* XXXVII. Audi S. Gregorium, lib. VII *Moral.* cap. VII : « Quia sancti viri corruptionis suæ vulnus sine putredine non esse considerant, libenter se sub manu medici ad sectiones parant, ut aperto vulnere virus peccati exeat. Id quod idem Job luculentius significavit, subjungens : Et hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore non parcat. Electi quippe cum perpetrasse se illicita noverunt, et tamen perscrutantes inveniunt, quod nulla pro illis adversa perpessi sunt, in immensæ formidinis terrore tabescunt, ne in æternum se gratia deseruerit, quos in præsenti vita mali sui retributio nulla castigat; et propterea feriri paterna correptione desiderant, et dolorem vulneris medicamen salutis putant. Recte igitur ait Job : Hæc mihi consolatio sit; ut affligens me dolore non parcat; ac si apertius diceret : Qui ideo hic quibusdam parcit, ut eos in perpetuum feriat, ideo me hic feriat, ut non parcendo in perpetuum parcat. » Hactenus Gregorius.

43. VIAS TUAS (id est scelera tua) IN CAPITE TUO DEDI, — ut in caput tuum redundent et capite luas scelus.

ET NON FECI JUXTA SCELERA TUA, — *q. d.* Parum te pro impietate punivi, plus merebaris. Ita Septuaginta et S. Hieronymus. Verum Chaldæus et Hebræi, pro עשית *asiti*, id est *feci*, legentes עשית *asita*, id est *fecisti*, vertunt : *Non fecisti cogitationem* (id est mentis reflexionem, ut videres tuam turpitudinem statumque periculosum) *super omnibus abominationibus tuis*, id est non cogitasti a tuis idolis recedere, non cogitasti mutare men-

tem, redire ad frugem. Unde sequitur : « Sicut mater, ita et filia ejus, » *q. d.* Quales fuerunt parentes Judæorum, tales sunt et filii : perdurant enim in pristina patrum impietate et idololatria.

Vers. 44. 44. ECCE OMNIS, QUI DICIT VULGO PROVERBIUM, IN TE ASSUMET ILLUD (Hebraice, *Omnis paræmiator paræmiabit*, id est hoc scomma de te dicet quasi proverbium) : SICUT MATER, ITA ET FILIA EJUS, — id est sicut mater tua Cethæa, vers. 45, et Chananæa ob scelera vastata est : ita et tu filia ejus vastata es. Ita Vatablus, Theodoretus, Polychronius. Itaque se explicat Propheta, vers. sequenti. Aliter Chaldæus et Hebræi, uti jam dixi.

Vers. 45. 45. FILIA MATRIS TUÆ ES TU, QUÆ PROJECIT VIRUM SUUM ET FILIOS SUOS, — *q. d.* Æmulatrix es matris tuæ, id est terræ Chananææ, quæ suis sceleribus ex Chanaan per Josue et Hebræos expulit virum, id est reges suos et filios, id est incolas. Ita Polychronius.

Secundo et melius, *q. d.* Sicut Chananæi et Cethæi virum suum, id est Deum, projecerunt adorantes idola, et filios consecrarunt idolis ; ita et tu quasi filia, id est imitatrix, eorum fecisti. Ita Theodoretus.

Tertio, alii, *q. d.* Cethæa mater tua, impudens meretrix, solebat virum et proles abjicere et cum aliis libidinari : ita tu, o Jerusalem ! me abjecisti, et cum idolis libidinaris.

Tropologice, Judæi et quivis impii abjecerunt Prophetas, qui erant patres eorum spirituales : et viros justos, qui erant eorum filii.

ET SOROR SORORUM TUARUM, — *q. d.* Similis es sororibus tuis, ne hilo es illis melior aut purior. Sorores Jerusalem vocat vicinas urbes, scilicet Samariam et Sodomam.

Vers. 46. 46. SOROR TUA MAJOR, SAMARIA, — quia sicut Jerusalem erat metropolis regni Juda : ita Samaria erat regni Israel, sive decem tribuum. Unde eam vocat *majorem*, quia in Juda tantum erant duæ tribus.

IPSA ET FILIÆ EJUS, — « filiæ, » id est oppida Samariæ subjecta. Metropoles enim Hebræis et Græcis vocantur *matres* ; et vice versa aliæ urbes et vici eis subjecti, vocantur *filiæ*.

SOROR AUTEM TUA MINOR TE, etc., SODOMA. — Id est Galgala trans Jordanem, ubi habitabant duæ tribus cum dimidia. Hæ enim recte dicuntur sorores Judæorum, id est fratres et cognati. Ita Scholiastes et Polychronius. Verum melius proprie accipias Sodomam. Hæc enim vocatur *soror* Jerusalem, non cognatione, sed impietate ; *minor* vero, non ætate, sed civitatum et civium numero : hæc habitat, non quasi superstes sit, sed jacet et manet in lacu, ubi ostendit priscæ gloriæ ruinas, imo gehennæ speculum Judæis et peccatoribus ostentat.

47. NEQUE SECUNDUM SCELERA EARUM FECISTI PAUXILLUM MINUS. — Ita Romana distinguunt, *q. d.* Scelus tuum non fuit paulo minus scelere Sodomæ et Samariæ, imo in omnibus pene majus, ut sequitur. Paulo aliter ex Hebræo vertit Pagninus : *Neque secundum scelera earum fecisti, ac si hoc paululum pauxillumque foret, quinimo sceleratiora fecisti illis.*

Vers. 48. 48. VIVO EGO, — testor, et juro per vitam meam.

Vers. 49. Quinque peccata Sodomæ. 49. ECCE HÆC FUIT INIQUITAS SODOMÆ, — scilicet prima et origo cæterarum, puta libidinum portentosarum : nimirum fuit in Sodoma.

Primo, SUPERBIA ;

Secundo, SATURITAS PANIS, — id est ciborum et deliciarum, hoc est comessatio et compotatio ;

Tertio, ABUNDANTIA rerum omnium, luxus et deliciæ ;

Quarto, OTIUM.

> Quæritur, Ægysthus quare sit factus adulter ?
> In promptu causa est, desidiosus erat.

Vere Ennius in *Iphigenia* :

> Otio qui nescit uti, plus negotii habet
> Quam cum est negotium in negotio.

Præclare S. Justinus *Contra Tryphon.* : « Jesus, ait, Josephi fabri filius, solebat dum inter homines degeret, aratra fabricare jugaque, ut per has figuras justitiam doceret, et reipsa fugam otii. » Fuit commune Patrum dogma : « Diabolus semper te occupatum inveniat, » ut patet ex *Vitis Patrum*.

Quinto, immisericordia, quod scilicet MANUM EGENO ET PAUPERI NON PORRIGEBANT.

Aliter vertit Syrus referens hæc ad præcedentia, nimirum sic : *Hæc est iniquitas Sodomæ sororis tuæ superbæ, gloriosæ, quæ saturabatur pane, et sedebat* (habitabat) *in quiete* (securitate, otio, quieta, secura, otiosa) ; et Arabicus Antiochenus : *Vivo ego, dicit Dominus, quod neque Sodoma, neque filiæ ejus fecerunt, ut quod fecisti tu, et filiæ tuæ ; atque etiam soror tua formosa, quæ satiabatur pane, et sedebat ipsa et filiæ ejus in quiete.*

Nota : idem hic dicitur cum eo quod ait S. Joannes *epist.* I, cap. II, 16 : « Omne quod est in mundo, est concupiscentia carnis, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ, » scilicet, superbia, deliciæ, divitiæ origo sunt malorum omnium in mundo, faciuntque ut mundus sit filius et hæres Sodomæ. Ita S. Hieronymus. Ita Pythagoras, teste Laertio, dixit in urbes ingredi, *primo* delicias ; *secundo*, saturitatem ; *tertio*, violentiam ; *quarto*, exitium.

Tradit Lævinus Lemnius, aliique medici, quod, sicut sanitatem tam corporis, quam animi causant et conservant hæc tria, scilicet exercitium, sobrietas et castitas : ita ægritudinem tam corporis, quam animi pariant hæc tria, scilicet desidia, saturitas, sive repletio et libido. Unde ipsi

hæc tria sanitatis dant præcepta : « Corpus laboribus exerce : vescere citra saturitatem, ne te in venerem effundas. » Aureum est dogma Hippocratis, VI *Epid.* Sanitatem hæc duo tuentur : « Cibis non satiari, et impigrum esse ad labores. » Rursum, nulla re magis curari flatus, cruditates, pituitam, etc., quæ plurimorum morborum sunt causa et fons, quam inedia, utpote quæ hæc omnia digerat et consumat, consentiunt medici.

Audi S. Hieronymum : «Superbia, inquit, saturitas panis, rerum omnium abundantia, otium et deliciæ peccatum Sodomiticum est, et propter hoc sequitur Dei oblivio, quæ præsentia bona putat esse perpetua, et nunquam sibi necessariis indigendum. Quapropter et lege, *Deut.* VIII, præcipitur : Attende ne comedens et bibens, et saturatus, ædificatis domibus optimis, habensque oves et boves, argentum et aurum, obliviscaris Domini Dei tui. Et in alio loco, *Deut.* XXXII, de Israel scriptum est : Manducavit et bibit, et saturatus est, et impinguatus, et calcitravit dilectus. Quod sciens et sapientissimus omnium Salomon in *Proverbiis*, cap. XXX, deprecatur : Tribue mihi necessaria, et quæ sufficiant, ne saturatus mendax fiam et dicam : Quis me videbit? aut pauper effectus, furer et pejerem nomen Dei mei. »

Porro *prima* hic est superbia, quia hæc est centrum, a quo exeunt lineæ ad circumferentiam omnis iniquitatis. Unde S. Ambrosius : « Superbia, ait, ex angelis dæmones effecit. » Et Isidorus : « Superbia est origo omnium criminum, et ruina cunctarum virtutum ; » ideoque ruina salutis. Nam, ut ait S. Augustinus : «Excelsa est patria, sed humilis est via. » Superbia ergo hic ponitur peccatum Sodomiticum, idque primum : Deus enim superbos deprimit, permittendo eos labi in portentosas et probrosas libidines, ut ostendi *Rom.* cap. I, 27.

Secunda est saturitas. Venter enim satur, meroque æstuans, despumat in infandas libidines. Recte Seneca, *epist.* 61 : « Ventri, ait, obedientes brutorum animalium loco numeremus, non hominum. » Ut hanc everteret Plato scripsit ad Dionis propinquos : « Nullo modo debere quemvis in die saturum fieri. » Gula ergo Sodomam fecit et perdidit : gula enim est strues lignorum quibus accenditur libido : « Non Ætnæ ignes, » ita S. Hieronymus *ad Furiam*, « non Vulcania tellus, non Vesuvius et Olympus tantis æstuant ardoribus, ut juveniles medullæ vino plenæ et dapibus inflammatæ. » Et Euripides : « Saturo Venus adest. » Et Athenæus, lib. X *ex Aristophane*, « vinum » vocat « lac Cypriæ deæ, » id est Veneris, quod alat libidinem. Denique, « sine Cerere et Baccho friget Venus. »

Tertia est abundantia rerum, indeque luxus. De qua dixit Apostolus, I *Timoth.* VI : « Radix omnium malorum est cupiditas, » græce φιλαργυρία. Vetus est proverbium apud Stobæum : « Satietas ferociam parit, tollit animos opulentia. » Et Homerus : « Fastum copia gignit, » indeque libidines.

Quarta est otium, de quo *Proverb.* I : « Prosperitas impiorum perdet eos. » Pro quo alii vertunt : *Pax*, sive *quies insanorum evertet eos.* Et Poeta :

> Otia si tollas, periere Cupidinis arcus,
> Contemptæque jacent, et sine luce faces.

« Otio, inquit S. Augustinus, perit Roma, deleta Carthagine. » Recte Sapiens, et ex eo Chrysostomus : « Omnem malitiam docuit otiositas. » Cum rogaretur Cleomenes, ut est apud Plutarchum, cur Lacedæmonii, cum Argivos sæpe vincerent, eos non delerent? « Nolumus, inquit, ut habeamus qui juvenes nostros exerceant. Sunt enim ipsi eorum cos, qui ipsorum virtutem acuant, ne otio enerventur, et in vitia ac mollitiem diffluant. » Vide quæ de otio dixi II *Thessal.* III, 10.

Quinta est immisericordia : hæc quoque fuit causa libidinis Sodomiticæ. Qui enim crudeles sunt in proximum, crudeles quoque sunt in naturam, violando ejus generationem : quique crudeles sunt in alimoniam et vitam proximi, crudeles itidem sunt in ejus corpus, ut eo per pudendas libidines probrose abutantur. Sic Sodomitæ, quia erant crudeles in hospites et peregrinos, idcirco angelos corpore indutos et quasi peregrinos divertentes in Sodomam ad Lot, appetierunt ad nefarium concubitum, *Genes.* XIX, 5. Immisericordia enim et crudelitas faciunt, ut qui ea laborat, non respiciat pudicitiam, nec famam, nec corpus nec vitam proximi, præsertim exteri aut peregrini ; sed iis omnibus, quasi mancipiis, crudeliter ad suam libidinem abutatur, eaque, quasi res viles et nullius pretii, prodigat et profundat. Ita crudelis Amnon nihili fecit pudicitiam, nec famam sororis suæ Thamar, sed ea, quasi vili scorto, abusus est, II *Reg.* XIII, 13 et seq. Ita hodie sævitia et barbaries Turcarum facit, ut pueros et mancipia Christianorum ad hoc nefas impune et impudenter cogant, quin et vim inferant. Videant nunc christiani, qui eleemosynis et donis procurant, et quasi emunt usum corporum fidelium et pauperum ad suam obscœnitatem, quam in eos barbari et crudeles sint instar Turcarum : dant enim cibum corpori, ut ejus decus, famam et pudicitiam absorbeant : nutriunt carnem, ut animam occidant. Itane vili esca, vili nummo appenditis, emitis, perditis thesauros incomparabiles, puta christianum corpus, conscientiam, castitatem, animam ad Dei imaginem creatam, et Christi sanguine redemptam? Itane obolo destruitis ejus gloriam et felicitatem, eique emitis et accersitis ignes sempiternos? o crudelem eleemosynam, o immisericordem misericordiam, o pretium iniquum et satanicum!

Vers. 50. 50. ET ELEVATÆ SUNT — in fastum et arrogantiam. FECERUNT ABOMINATIONES CORAM ME, — publice in oculis solis ejus Deum contemnentes.

SICUT VIDISTI. — Ita Romana, id est sicut audisti et vides in effectu, scilicet in lacu Asphaltite sulphureo, quanta fuerit iniquitas Sodomæ, utpote, quæ ob scelera in lacum tam tetrum est versa. Vide dicta *Genes.* XIX, 25. Jam Hebræa habent : *Sicut vidi*, id est cum, vel postquam vidi, *eas abstuli*.

Vers. 51. 51. JUSTIFICASTI, — ostendisti Sodomam et Samariam te esse justiores, id est minus impias, ita ut tecum comparatæ justæ videantur. Sicut enim lux solis obscurat lucem stellarum, ita sanctitas magna minorem, et iniquitas insignis minorem, ita ut esse non videatur. Vide Origenem. Notat Theodoretus, Jerusalem magis peccasse Sodoma, non peccati substantia, sed qualitate. Habebat enim legem, sacerdotes, Prophetas, Dei cognitionem, cultum et templum, quæ omnia profanavit idolis et peccatis; unde gravius peccavit. Hoc est quod Christus, *Matth.* XI, 23 et 24, ait : « Et tu, Capharnaum, numquid usque in cœlum exaltaberis? usque in infernum descendes; quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in te, forte mansissent usque in hanc diem. Verumtamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die judicii, quam tibi. » Et Jeremias, *Thren.* IV, 6 : « Et major effecta est iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum. » Vide ibi dicta.

Vers. 52. 52. PORTA CONFUSIONEM. — Septuaginta : *Sustine tormentum*.

QUÆ VICISTI SORORES TUAS. — Hebraice, *quæ judicasti*, id est condemnasti, *sorores tuas*, *q. d.* Cum peccando certares tu cum sororibus tuis, tu eas condemnasti, id est superasti et vicisti : ita ut, si diabolus, vel quis impius in judicio præses sedisset, judicaturus utra vestrum impietate vinceret, et impudentia esset insignior ac nobilior; tuque coram eo cum sororibus tuis in hac causa litigasses; ille causam tibi adjudicasset, et sororibus abjudicasset, easque condemnasset. Hæc enim ejus fuisset sententia : Jerusalem peccando superavit sorores suas; itaque in hoc certamine primum ei debetur peccati et impietatis præmium.

SCELERATIUS AGENS AB EIS, — præ eis. Hoc enim significat hebræum מִן *min* comparativum.

Vers. 53. 53. ET CONVERTAM RESTITUENS EAS CONVERSIONE SODOMORUM, etc., ET CONVERSIONE SAMARIÆ, etc. — Id est reducam te, o Jerusalem, e captivitate, ut cum Sodoma et Samaria revertaris in patriam. Nota *primo* : Conversio, reversio, captivitas, idem significant, scilicet captivos revertentes. *Secundo*, licet Romana legant *conversione*, tamen clarius Septuaginta vertunt, *conversionem*; et Aquila ac Symmachus, *captivitatem*. « Convertam » ergo « conversionem, » idem est quod reducam captivitatem, id est captivos, « restituens eas, » scilicet sorores tuas, puta Sodomam et Samariam, hoc est captivos e Sodomis, et e Samaria sibi et patriæ restituam.

Quæres, quando et quomodo reducet Deus Sodomitas, cum omnes cœlesti igne consumpti sint? Quomodo Sodomitas reduxit Deus?

Primo, pro *convertam* Theodoretus legit, *avertam*, id est aversata est me Sodoma, et ego vicissim aversatus sum eam, ac punivi excidio. Verum, quia Latina passim legunt *convertam*; hinc Emmanuel Sa et aliqui alii accipiunt hæc ironice, aut legunt per interrogationem. Verum hoc quoque repugnat sequentibus. Respondeo primo.

Secundo, Judæi, ait S. Hieronymus, inter cæteras fabulas fingunt, in adventu sui Christi, id est Antichristi, et in mille annis regni ejus, Sodomam esse restituendam in pristinum statum, ut sit quasi paradisus Dei; ac tum pariter Samariam pristinam recepturam felicitatem.

Tertio, S. Hieronymus ex Origene : Sodoma, ait, sunt gentes; Samaria, hæretici; Jerusalem, peccatores fideles, qui omnes in primo Christi adventu, ut vult Origenes, vel, ut S. Hieronymus, non ex sua, sed ex aliorum sententia, in secundo ad magnam gratiam et gloriam evehentur. Verum hoc mysticum est, et sapit errorem Origenis, qui ex Platone censuit, post certum annorum curriculum, fore rerum omnium revolutionem et restitutionem : ita scilicet, ut etiam damnati sibi restituantur et salventur. Tertio.

Quarto, Lyranus et Vatablus : Sodomitæ, aiunt, sunt Ammonitæ et Moabitæ, quia orti ex Lot, qui habitavit in Sodomis. Hi cum Samaritis et Judæis ad Christum convertentur.

Quinto, Polychronius, Scholiastes et Prado per Sodomam accipiunt duas tribus, Ruben et Gad, cum dimidia tribu Manasse, trans Jordanem in Galaad (non in Galgala, ut habet Scholiastes) et Basan habitantes. Hæc enim regio fertilissima quasi Sodoma, in luxum, otium et vitia soluta, prima ante alias septem tribus ducta est in Assyriam captiva a Teglatphalassar. Verum has tribus complectitur Samaria, non Sodoma : Samaria enim apud Prophetas significat regnum Israel, puta, non septem, sed decem tribus. Rursum sicut Samaria et Jerusalem proprie hic capiuntur, ita et Sodoma, ut patet ex eo quod dixit vers. 49 : « Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ. » Quinto.

Dico ergo per Sodomam hic accipi totam Pentapolim, ex Pentapoli autem incendium Sodomæ evasit urbs Segor, cum suis villis et pagis ob preces Loth. Rursum, sub Sodoma intelliguntur vicini Moabitæ et Ammonitæ. Hi enim orti sunt ex incestu Sodomitico filiarum Loth cum patre in Sodomis, puta in Segor, uti notavit Lyranus et Vatablus. Hi ergo origine et nativitate fuerunt Sodomitæ. Hosce omnes in captivitatem Babylonicam abduxit Nabuchodonosor. Hic ergo Propheta, de more, tristibus læta subjungens, prædicit eorum liberationem et reditum. Idem de iis prædixit Jeremias, cap. XLVIII, 47, et cap. XLIX, 6. Ad

litteram enim loquitur Propheta de reductione, tum harum gentium, tum Judæorum e Babylone. Nam multi ex Samaria, id est ex decem tribubus, mixti Judæis, id est duabus tribubus, inde sub Cyro redierunt. Sed sub hac reductione verius et potius intendit significare reditum Judæorum et gentium e servitute peccati et dæmonis ad libertatem gratiæ Christi, et Ecclesiæ ac regni cœlorum. Hæc est enim patria nostra felicior et feracior, quam Jerusalem, Sodoma et Samaria : et sic redimus ad « antiquitatem » nostram, ut ait hic Propheta, id est ad pristinum statum justitiæ et felicitatis.

Ubi nota : Per Jerusalem Propheta intelligit Judæos; per Samariam Samaritanos, qui medii erant inter Judæos et Gentiles; per Sodomam Gentiles qui impie vivebant, ut Sodomitæ. Ponit enim unam Gentilium civitatem impiissimam pro omnibus : sicut Christus, *Matth.* XI, 21, 22 et 23, pro iisdem posuit Sodomam, Tyrum et Sidonem : et Isaias pro iisdem posuit Bosra et Edom., cap. XXXIV, 6; item Ægyptum; cap. XIX, 21. Significta ergo Propheta fore, ut prius Sodoma, id est Gentiles; et Samaria, id est Samaritani, a peccati captivitate liberentur, et ad Ecclesiam veniant quam Jerusalem, id est Judæi : hosce enim post illos venturos. Ita Maldonatus.

ET CONVERTAM REVERSIONEM (id est captivitatem, uti jam dixi) TUAM IN MEDIO EARUM, — id est una cum illis : quasi non illas propter te, sed te propter illas liberare videar. Ita Maldonatus.

54. UT PORTES IGNOMINIAM TUAM, etc., CONSOLANS EAS. — « Ignominiam, » qua scilicet in captivitate misera fuisti, ex qua jam redis, sicque consolaris Samariam et Sodomam in sua ignominia; quia consolatio est reorum, habere socium vel majorem in pœna. Ita Vatablus.

Secundo et potius, in conversione ad Christum Judæi venerunt in medio gentium, id est inter gentes pari jure, imo inferiori et subordinato. Quia enim Christus missus fuit in salutem omnium gentium, totiusque mundi; hinc et consequenter missus fuit in salutem Judæorum. Hoc inviderunt gentibus Judæi, ideoque a Christo sunt aversi et rejecti, pauci vero conversi. Hæc fuit confusio Judæorum, et consolatio gentium ac salus. Hoc est quod ait Christus, *Matth.* VIII, 11 : « Dico autem vobis, quod multi ab Oriente et Occidente venient et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cœlorum : filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores. » Ita Prado et Maldonatus.

55. ET SOROR TUA SODOMA. — Significat gentes prius convertendas ad Christum, postea, in fine mundi Judæos, cum plenitudo gentium intraverit, *Roman.* XI, 26. Dices : Christus, *Matth.* cap. XV, 24, ait ad Chananæam : « Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel. » Respondeo. Sensus est, *q. d.* Sum missus ut solis Judæis, utpote quibus promissus est Messias, corporalem præsentiam, ac per consequens Evangelii mei et miraculorum meorum gratiam, quam hic panem voco, exhibeam; unde et a S. Paulo, *Rom.* XV, 8, Christus vocatur minister circumcisionis, id est circumcisorum, hoc est doctor et prædicator Judæorum. Ita S. Hilarius in locum Matthæi citatum, et S. Augustinus tract. 31 *in Joan.* Christus ergo personaliter missus est ad Judæos, ut per eos, puta per Apostolos, converteret cæteras gentes totumque orbem. Ergo omnium gentium conversio fuit universalis, primus et adæquatus finis missionis Christi, inter quas continentur Judæi, ac deinde quælibet particulares gentes.

AD ANTIQUITATEM SUAM, — ad pristinam libertatem, et possessionem tum terrenam, tum potius spiritalem, puta Ecclesiæ, in qua ab olim in Adamo et Noe, omnes conscripti fuimus cives, imo hæredes et filii.

56 et 57. NON FUIT AUTEM SODOMA SOROR TUA AUDITA IN ORE TUO, IN DIE SUPERBIÆ TUÆ, ANTEQUAM REVELARETUR MALITIA TUA; SICUT HOC TEMPORE IN OPPROBRIUM FILIARUM SYRIÆ, etc., PALÆSTINARUM, etc., — *q. d.* Cum, o superba Jerusalem, peccares contra me, non es recordata, nec ullam fecisti mentionem peccatorum et pœnarum Sodomæ, ut te metu similis supplicii a similibus sceleribus revocares. Ita S. Hieronymus et Maldonatus.

Secundo et nervosius, *q. d.* « In die superbiæ, » id est felicitatis et opulentiæ tuæ tempore, cum domis meis superbires, non dignabaris vel nominare peccatricem Sodomam, quasi tu justa esses et felix meo templo : sed nunc vides illam præ te justificari, cum revelatur tua malitia hoc tempore, ut sis in opprobrium et contemptum Syrorum et Philistinorum, qui sunt vicini tui. Ita Prado.

Simili parabola Pharisæi despicientis publicanum, Christus proponit contemptum Judæorum contemnentium gentes, *Luc.* XVIII, 10 et sequent.

57. QUÆ AMBIUNT TE PER GYRUM. — Ex Hebræo veritas cum Vatablo : *Quæ te contemnebant,* vel *diripiebant circumquaque.* Vers. 57.

58. SCELUS TUUM ET IGNOMINIAM TUAM TU PORTASTI. — Septuaginta : *Tu portasti pœnam tuæ arrogantiæ et impietatum,* ut quæ fastidiebas vel nominare Sodomam et gentes, jam eis postponaris in gratia et regno Christi. Vers. 58.

59. ET FACIAM TIBI, — puniam te per Chaldæos; sicut despexisti juramentum, id est exsecrationem, quam legis transgressoribus intentavi, *Deut.* cap. XXVII. Itaque irritasti pactum mecum initum, *q. d.* Pœnarum metu non es aversa a legis violatione, jam ergo eas sustine. Vers. 59.

60. ET RECORDABOR EGO PACTI MEI TECUM IN DIEBUS ADOLESCENTIÆ TUÆ; ET SUSCITABO TIBI PACTUM SEMPITERNUM, — *q. d.* Ego tamen, o Synagoga, licet a te despectus, te non deseram; sed recordabor pacti mei cum Abrahamo initi, quod scilicet ex ejus semine esset nasciturus Christus, salvator tuus et gentium, initi, inquam, cum adhuc

esses adolescentula, imo in lumbis Abrahæ; vel potius pacti, scilicet cum Mose in Sina initi (tunc enim eras quasi adolescentula, ut dixit vers. 4); « recordabor, » ut te recipiam, ineamque tecum aliud pactum novum, tum per Zorobabel, tum potius per Christum, illudque sempiternum, *Jerem.* cap. XXXI, 31. Nam pactum sub Zorobabel non fuit sempiternum, nisi hyperbolice, id est diuturnum.

Aliter Maldonatus, *q. d.* « Recordabor pacti mei, » id est puniam te secundum pactum meum. Nam in fœdere non solum promissa erant præmiorum, sed et pœnarum contra transgressores comminationes, *Levit.* cap. XXVI, *q. d.* Quia tu non es recordata pacti mei, ego ejus recordabor. Servabo enim illud in sumendo de te pœnas, eo comminatas : cum autem punivero te, auferam pactum illud, et dabo tibi pactum aliud sempiternum, quod est Evangelium.

61. ET RECORDABERIS VIARUM TUARUM, ET CONFUNDERIS : CUM RECEPERIS SORORES TUAS TE MAJORES CUM MINORIBUS TUIS, — *q. d.* Cum te ad gratiam et regnum Christi eveham, erubesces vitam et peccata præterita, *Actor.* II, 17, miraberis meam bonitatem, qua sororem tuam majorem Samariam, et minorem Sodomam, id est gentes omnes vicinas, ad te deducam, ut eas in Ecclesiam et regnum tuum recipias, quasi filias. Hierosolymæ enim cœpit Ecclesia Christi; unde Hierosolymitana Ecclesia mater est fidelium omnium. Hinc Isaias, cap. LX, 4, sub nomine Jerusalem alloquens Ecclesiam : « Filii, ait, tui de longe venient, » *q. d.* Tunc non amplius superbe arrogabis tibi justitiam, nec sorores tuas, id est alias gentes, contemnes; sed summa reverentia veneraberis mea judicia, et summa gratitudine mihi devincta, gentes omnes ut sorores complecteris, et ut filias amabis.

NON EX PACTO TUO, — cum Mose et tecum inito in Sina (quod servos faciebat et regebat metu mortis), quod violasti; sed ex pacto meo, quod olim Abrahæ promisi, et nunc per Christum præstabo, quod est pactum faciens et adoptans te in filium, ac regens te spiritu charitatis et timoris filialis, puta pactum et Testamentum novum, quod est lex gratiæ, imo gratia Christi.

63. ET NON SIT TIBI ULTRA APERIRE OS, — *q. d.* Non audebis ultra conqueri, imo nec hiscere, aut mutire, cum videbis tuam indignitatem, meamque erga te clementiam et beneficentiam, qua quasi certabo cum tua impietate, eamque vincam et obruam. Mittam enim tibi tuisque Christum unigenitum meum, qui ibit quasi lux ad cæcos, vita ad mortuos, via ad errantes, veritas ad falsos et fallaces, salus ad ægros, fortitudo ad fragiles, redemptio ad captivos, justitia ad injustos, fons aquæ vivæ ad aridos, princeps pacis ad discordes, panis vitæ ad laborantes fame, Deus ad peccatores, eosque faciet sanctos, saturos, concordes, justos, liberos, sanos, fortes, veraces, vivaces, vegetos et lucidos. Tractat hoc argumentum Apostolus epist. *ad Roman.* præsertim cap. III, ubi docet, nec Judæos, nec gentes debere gloriari de sua justitia, sed confundi ob sua peccata; ac laudare et gratias agere Deo, qui gratis indignis contulit gratiam, justitiam et salutem per Christum.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sub typo duarum aquilarum pugnantium, quarum major minorem debellat, describit Nabuchodonosorem et Pharaonem inter se pugnantes, ex quibus ille hunc debellavit. Quocirca prædicit, quod Pharaoni innixus Sedecias et Judæa (quam vineæ comparat), ac contra Dei voluntatem rebellans Nabuchodonosori, ab eo regno, oculis et patria privabitur : Joachin vero ex Dei voluntate, eidem se tradens, exaltabitur. Primo, proponit ipsam parabolam : deinde, vers. 11, eam applicat et explicat eo modo quo dixi.

1. Et factum est verbum Domini ad me, dicens : 2. Fili hominis, propone ænigma, et narra parabolam ad domum Israel, 3. et dices : Hæc dicit Dominus Deus : Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis et varietate, venit ad Libanum, et tulit medullam cedri. 4. Summitatem frondium ejus avulsit : et transportavit eam in terram Chanaan, in urbe negotiatorum posuit illam. 5. Et tulit de semine terræ, et posuit illud in terra pro semine, ut firmaret radicem super aquas multas : in superficie posuit illud. 6. Cumque germinasset, crevit in vineam latiorem humili statura, respicientibus ramis ejus ad eam : et radices ejus sub illa erant; facta est ergo vinea, et fructificavit in palmites, et emisit propagines. 7. Et facta est aquila altera grandis magnis alis, multisque plumis : et ecce vinea ista quasi mittens radices suas ad eam, palmites suos extendit ad illam, ut irrigaret eam de areo-

lis germinis sui. 8. In terra bona super aquas multas plantata est: ut faciat frondes, et portet fructum, ut sit in vineam grandem. 9. Dic: Hæc dicit Dominus Deus: Ergone prosperabitur? nonne radices ejus evellet, et fructus ejus distringet, et siccabit omnes palmites germinis ejus, et arescet: et non in brachio grandi, neque in populo multo, ut evelleret eam radicitus? 10. Ecce plantata est: ergone prosperabitur? nonne cum tetigerit eam ventus urens, siccabitur, et in areis germinis sui arescet? 11. Et factum est verbum Domini ad me, dicens: 12. Dic ad domum exasperantem: Nescitis quid ista significent? Dic: Ecce venit rex Babylonis in Jerusalem: et assumet regem, et principes ejus, et adducet eos ad semetipsum in Babylonem. 13. Et tollet de semine regni, ferietque cum eo fœdus: et ab eo accipiet jusjurandum, sed et fortes terræ tollet, 14. ut sit regnum humile, et non elevetur, sed custodiat pactum ejus, et servet illud. 15. Qui recedens ab eo misit nuntios ad Ægyptum, ut daret sibi equos, et populum multum. Numquid prosperabitur, vel consequetur salutem qui fecit hæc? et qui dissolvit pactum, numquid effugiet? 16. Vivo ego, dicit Dominus Deus: quoniam in loco regis, qui constituit eum regem, cujus fecit irritum juramentum, et solvit pactum, quod habebat cum eo, in medio Babylonis morietur. 17. Et non in exercitu grandi, neque in populo multo faciet contra eum Pharao prælium: in jactu aggeris, et in exstructione vallorum, ut interficiat animas multas. 18. Spreverat enim juramentum ut solveret fœdus, et ecce dedit manum suam: et cum omnia hæc fecerit, non effugiet. 19. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Vivo ego, quoniam juramentum, quod sprevit, et fœdus, quod prævaricatus est, ponam in caput ejus. 20. Et expandam super eum rete meum, et comprehendetur in sagena mea: et adducam eum in Babylonem, et judicabo eum ibi in prævaricatione qua despexit me. 21. Et omnes profugi ejus cum universo agmine suo, gladio cadent: residui autem in omnem ventum dispergentur: et scietis quia ego Dominus locutus sum. 22. Hæc dicit Dominus Deus: Et sumam ego de medulla cedri sublimis, et ponam: de vertice ramorum ejus tenerum distringam, et plantabo super montem excelsum et eminentem. 23. In monte sublimi Israel plantabo illud, et erumpet in germen, et faciet fructum, et erit in cedrum magnam: et habitabunt sub ea omnes volucres, et universum volatile sub umbra frondium ejus nidificabit. 24. Et scient omnia ligna regionis, quia ego Dominus humiliavi lignum sublime, et exaltavi lignum humile: et siccavi lignum viride, et frondere feci lignum aridum. Ego Dominus locutus sum, et feci.

2. PROPONE ÆNIGMA, — id est obscuram similitudinem, sive, ut sequitur, parabolam. In Scriptura enim sæpe hæc tria, parabola, ænigma, proverbium confunduntur et pro eodem sumuntur, uti notat Jansenius initio proverbiorum. Scilicet significant illustrem quamlibet sententiam, præsertim acutam, parabolicam, moralem. Hebræum enim משל *mascal* significat sententiam eminentem et prædominantem, uti est proverbium, axioma, gnome, quales sunt in Proverbiis Salomonis. Parabola, græce παραβολή, proprie est comparatio et similitudo. Ænigma est sententia obscura et subtilis; radix enim αἰνίττομαι significat obscure loqui. Unde hebraice vocatur חידה *chida*, id est acuta propositio, a radice חוד *chod*, vel חדד *chadad*, id est acuminare, acuere, acute loqui.

3. AQUILA GRANDIS, — id est Nabuchodonosor rex. Aquila enim avium princeps, et viribus, et pernicitate, et altitudine volatus, et audacia, et acuitate rostri regiam præ se fert majestatem. Unde Cyrus et Artaxerxes Persæ, ac postea Romani aquilam habuerunt pro insigni, sicut Chaldæi columbam, *Jerem.* L, 16. Sic de eodem rege ait Jeremias cap. XLIX, 22: « Ecce quasi aquila ascendet, et avolabit, et expandet alas suas super Bosram. »

Aquila symbolum est regis et regni.

Nota: Aquila symbolum est regni et imperii; est enim ipsa avium regina. Unde Pyrrhus rex aquila dici voluit. Nam, ut ait Plutarchus in ejus Vita: « Dum a pugna magna cum gloria ac lætitia in Epirum reversus, a suis ἀετὸς id est *aquila*, salutaretur: Per vos, inquit, ἀετὸς sum, qui me vestris armis, tanquam alis in altum extulistis. Unde semper ei aquilæ cognomen summe placuit, eoque usus est. »

Filius Caroli Magni dictus est Arnulphus, quod germanice sonat *Arent hulp*, id est *aquilæ auxilium;* vel quod illud aliquando ab ilia acceperit; vel potius, ut nomine suo moneretur se suis natis, amicis ac subditis aquilina fortitudine, seu instar aquilæ, auxilium præbere debere. Hoc enim est munus principis.

Ajax cognomen habuit aquila : causam dat Pindarus *Isthm.* ode 6, cum ait : « Hæc illi locuto misit Deus ducem, avium magnam aquilam, et dulce ei intus titillavit gaudium, et dixit, locutus ut vir vates : Erit tibi filius, quem petis Telamon, et eum aquilæ, quæ apparuerit, cognomento appellabis Ajacem late potentem, stupendum in laboribus turmarum Martiarum. » Cum enim Hercules in Telamonis gratiam sacrificaret, ut ei filius nasceretur, prætervolabat aquila : itaque propter aquilæ prætervolantis auspicium, filius Ajax Telamoni natus, ἀετὸς dictus est. Hinc tradunt Gentiles, imo et Catholici, aquilam multis portendisse imperium. Quin et Gentiles omen et augurium ex aquila capiebant usque ad superstitionem. Ita, inquiunt, « in die natali Alexandri Magni, aquilæ duæ præpetes supra culmen domus insederunt; omen duplicis imperii, Europæ Asiæque præ se ferentes. »

Aquila portendit imperium Alexandro Magno.

Maximo.

« Nato Maximo (qui turbulentissimis reipublicæ temporibus Imperator electus est a senatu, ut Maximini obviam iret crudelitati) quamvis ex humili et obscuro genere, patre scilicet arte ferrario, aut, ut alii dicunt, carpentario, auspicium dedit aquila, cum carnem bubulam, et quidem multam, in patris cellam angusto impluvio projecisset; eam denique, cum jaceret, et nemo attingere auderet, religionis metu, iterum sustulit, et in proximum sacellum Jovis Præstitis detulit. »

Aureliano.

« Simili ostento aquila infantem adhuc Aurelianum, vinctum fascia, sine ulla noxa de cunis sustulit, et in aram, quæ intra sacellum forte sine ignibus erat, deposuit, » ut auctor est Sabellicus, et ante eum Flavianus Vopiscus, ex Callicrate Tyrio in *Aureliano*.

Albino.

« Albino etiam septima hora, postquam natus est, in convivio, quod natalitiis suis deputabatur, dum sibi inderetur nomen, septem aquilæ parvulæ allatæ sunt, et quasi ad cunas pueri constitutæ. Omen pater ejus proclivius admisit, eo quod id rarissimum esset in illis regionibus, ubi Hadrumetum est. »

Augusto.

« Octavio Augusto, cum puer adhuc ruri, quarto ab urbe lapide via Campana educaretur, in nemore prandenti ex improviso aquila de manibus panem rapuit, moxque altissime evolavit : quæ paulo post leniter delapsa, ex improviso eumdem ei reddidit, » Xiphilino, Suetonio et Dione testibus.

Mario.

« C. Marius cum nidum aquilæ cum septem pullis puer adhuc in agro reperisset, eumque gremio susceptum ad patrem detulisset; is admiratione motus, consultis auspicibus, septies penes filium rei summam futuram accepit. Id in tot quot gessit consulatibus apparuit, quos eo numero primus omnium assecutus est. » Hoc tamen Plutarchus Romanæ censor historiæ, fabulosum existimat, quod aquilam dicant non ultra duos pullos parere, scilicet naturaliter et ordinarie.

Romulo.

Regni auspicium Romulo allatum ab aquilis ex Ennio docet Cicero, lib. I *De Divinat.* : « Dum enim fratres de imperio certarent, ac uter eorum mœnia conditurus esset, contenderent, se auspicio staturos, pactum inierunt; itaque aquilæ binæ præpetes Romulo primas detulerunt. »

Tarquinio.

« Aquilam Tarquinio Prisco regnum portendisse vulgatissimum est : quippe quæ pileum sedenti abstulit, mox remisit : futurum inde Tanaquil ejus uxore, Etruscorum disciplina instructa, interpretante, ut principatum caperet. » Rem gestam narrat Dionysius Halicarnassæus, lib. III *Antiq. Rom.*

Agoni.

Plutarchus de Agone scribit : « Apud Argivos aliquando defecit Heraclidarum genus, e quo regem eos deligere patria consuetudo jubebat. Quærentibus et sciscitantibus, oraculum datum est, regem ab aquila demonstratum iri : ac post paucos dies aquila in domum Agonis devolare conspecta fuit, itaque Agon rex designatus est. »

Marciano.

« Marcianus Imperator egregia præditus indole, cum miles esset, forte ad expeditionem se conferebat. In itinere cum dormiret aliquando, ii qui cum eo cubabant, citius experrecti, aquilam homini expansis alis umbram præbere vident. Itidem in expeditione adversus Geiserichum Libyæ principem accidit, ut Marcianus inter alios in hostium potestatem veniret. Itaque Geiserichus, captivos inspicere volens, ex sublimi quodam loco eos intuebatur. Hic Marciano consopito cernens umbram fieri ab aquila expansis alis, rem pro miraculo habuit, et virum divinum, et imperio Romano dignum censuit. »

Basilio.

« Idem accidit Basilio Macedoni imperatori, qui annis viginti regnum obtinuit. Is cum adhuc infans admodum esset, » uti Zonaras commemorat, « forte soli expositus in æstu jacebat, messe occupatis parentibus, egenis admodum. Tum vero aquila de sublimi advolans, expansis alis umbram ei præbebat. Cum autem aliquoties mater eam abigere conata, nihil efficeret, tandem hanc rem boni augurii loco duxit. »

Lecho et Polonis.

Lechus, primus Polonorum dux, nidum aquilarum invenit, ibique ducatus et gentis suæ præsidium, ac quasi arcem construxit, vocavitque Gnesnam, a nido, quem Bohemi *Gnisdo* vocant. Inde insigne boni auspicii et stemma successoribus ejus mansit, ut usque in hunc diem regis et regni Poloniæ stemma sit alba aquila coronata, erecta, expansis alis, hiante rostro, merito Turcis formidabilis, minansque exitium. Ita Martinus Cromerus, lib. II *De Rebus Polonicis*, et lib. XVI.

Suetonius quoque inter alia prodigia quæ Galbæ Imperatori regnum portendebant, de aquila ita scribit : « Galbæ Imperatoris avus dum sacra perageret, fulgur procurans, cum aquila ex ejus manibus exta rapuisset, sublimiusque elata in frugiferam extulisset quercum, augurque summum, sed serum imperium portendi dixisset : Sane, inquit ille irridens, cum pariet mula. Quo prodigio imprimis Galba confirmatus dicitur. Nam cum in Hispania res novas moliri est adortus, in ea terra mula enixa est. »

Claudio. Felix insuper illud fuit, quod idem Suetonius recenset de Claudio, « qui cum diu inter ludibria aulæ fuisset, sub Caio demum fratris filio consulatum adeptus est; quamprimum autem, inquit auctor, cum fascibus ingressus est forum, prætervolans aquila dexteriore consedit humero, indicio futuri apud eum imperii manifesto. »

Et rursus de Vitellio copias suas dividente, quas adversus Othonem præmitteret, quasque ipse perduceret, faustum hoc narrat augurium : « Siquidem a parte dextra repente aquila advolavit : lustratisque signis ingressos viam sensim antecessit. »

Hieroni. « Hieronem quoque Siculum admodum adolescentem, privatæ fortunæ hominem aquila, quæ primo bello, quod iniit, in ejus clypeo resedit, regem aliquando futurum indicavit. » Ita Aldrovandus, *Ornithol.* cap. I *in aquila.*

Porro pii principis et Imperatoris emblema est aquila ita depicta, ut pedibus terram tangat, capitibusque (est enim nostris Imperatoribus biceps) ad cœlum elatis, et alis expansis, cum fulmine a sinistra, et lauri ramo a dextra, habeat hoc lemma : ἐν καίρῳ ἑκάτερον, id est, *in opportunitate utrumque.* Hic enim est typus Imperatoris, demonstrantis se in terris quidem imperare, sed tamen mentis intentione ad cœlum aspirare, summoque studio, cum contemplationi, tum administrationi imperii (ut illud domi militiæque bene gerat) intentum esse, ut ad Deum, cui omnia refert accepta, perveniat : aquila enim, imperii; fulgur, belli et pœnarum; laurus, pacis et præmii signum est.

MAGNARUM ALARUM, — multos habens sub se populos, et numerosos exercitus, quos ille secum traxerat. Hi enim sunt alæ militares.

LONGO MEMBRORUM DUCTU. — Chaldæus, *longa membra;* Septuaginta, *extensa.* Per hoc significatur robur et potentia Chaldæorum, quasi longe se extendens, et late imperans. Membrorum enim exporrecta longitudo apposite significat regni ejus amplitudinem et diuturnitatem : regnavit enim ipse 45 annis. Ex Hebræo verti potest cum Vatablo et Maldonato, *longis pennis,* ac per pennas accipi possunt per metaphoram hastæ, aut equi velocissimi, quibus volare videbantur Chaldæi. De quibus Jeremias, cap. IV, 13 : « Velociores aquilis equi illius. »

PLENA PLUMIS, ET VARIETATE, — id est plena plumis versicoloribus, instar pavonis, ait R. David. Hæ plumæ significant exercitum Nabuchodonosoris ex variis gentibus conflatum. Septuaginta vertunt : *Plena unguium,* id est militum rapacium. Rursum plumæ hæ significant opes et gloriam (1).

Audi S. Gregorium, XXXI *Moral.* XIX : « Aquila, ait, est Nabuchodonosor : pro immensitate exercitus, dicitur magnarum alarum; pro diuturnitate temporum, longo membrorum ductu; pro multis divitiis, plenus plumis; pro innumera terrenæ gloriæ compositione, plenus varietate describitur. » Et Aldrovandum, *Ornithol.* cap. I : « Plumæ, ait, significant opes quibus affluebat; varietas plumarum, gloriam rerum ab eo gestarum; ungues, armorum horrorem : Libanus, Judææ claritatem, atque celsitudinem longa annorum serie conspicuam. Unde ille medullam cedri avulsit, quippe nobilitatem exstirpavit; et summas quasque frondes decerpsit, id est ne tenerrimæ quidem regum proli, id est ætati infimæ, pepercit. Nam plumæ regum sunt opes. Sicut enim aquila sine plumis volare nequit : ita et principum dignitas omnis, nisi pecunia (quæ belli nervus est) fulta, enervis, et robore carens facile corruit, ut dixit Carolus IV Imperator ad principes Germaniæ apud Dubravium, lib. XXII. »

aquila aptata Chal.

VENIT AD LIBANUM, — id est ad templum, ait S. Hieronymus, vel ad domum regiam, a Salomone ex cedris Libani constructam : vel potius ad ipsam Judæam et urbem Jerusalem, uti explicatur vers. 12. Libanus enim terminus est Judææ, cujus caput est Jerusalem, quæ altitudine et candore murorum, ac densitate palatiorum ex cedris Libani constructorum, similis erat monti Libano. Ita Origenes, Apollinaris, Theodoretus. Jerusalem ergo vocat Libanum, quia persistit in metaphora aquilæ, quæ in montibus, non in urbibus versari solet. Septuaginta vertunt : *Qui habet ductum intrandi in Libanum,* quasi Nabuchodonosor non sua sponte, sed Dei impulsu et ductu venerit in Jerusalem. Ita Theodoretus.

Vers 4. 4. TULIT MEDULLAM CEDRI (2). — Hebræi vertunt : *Tulit cacumen cedri,* id est regiam stirpem cum suis principibus duxit in Babylonem.

SUMMITATEM FRONDIUM (id est proceriores stolones, ita Chaldæus : alludit enim ad stolones, qui ex arbore avelluntur, ut in aliam inserantur et transplantentur) EJUS AVULSIT, — id est regem Joachin tenerum (3), octodecim scilicet annorum, ac proceres abduxit. Ita Theodoretus et Apollinaris, et patet vers. 12. Unde S. Gregorius, XXXI *Moral.* XIX : « Nabuchodonosor, ait, quasi aquila Judææ celsitudinem petens, nobilitatem regni ejus, quasi medullam cedri abstulit, et duni tenerrimam regum prolem a regni sui culmine captivando sustulit, quasi summitatem frondium ejus avulsit. »

ET TRANSPORTAVIT EAM IN TERRAM CHANAAN, — id est in Chaldæam, quæ Chanaan dicitur, quia mer-

(1) Plena plumis ad defensionem ab injuriis supervenientibus, ut *glabræ, Mich.* I, 16, opponatur. In ingressu veris enim aves rapaces plumarum defluvio obnoxiæ sunt, vide Bochartum, *Hieroz.* tom. II, pag. 750. Aquila autem plena plumis vegetior est et robustior quam defluvium orum passa. (Rosenmuller.)

(2) Nomen צמרת *tsameret,* apud Nostrum tantummodo, et quidem quater, præter hunc locum (infra vers. 22, et cap. XXXI, 3, 10, 14) obvium, Jarchi idem notare ait, quod italicum et gallicum *cima, cime,* id est vertex arboris, qui turio Columellæ, lib. XX, cap. XLIX. Turiones autem vocantur teneritates summitatum arborum.

(3) Qui idem ac Jechonias.

caturæ erat dedita, ideoque potentissima, frequentissima, opulentissima : Chananæi enim mercaturæ erant addicti. Hinc Chananæus hebraice significat mercatorem, ut patet *Prov.* XXXI, 24 et alibi. Pari modo emporium mercium omnium, et urbs negotiatorum erat Babylon, ut patet *Apoc.* XVIII, 10. Unde « Chanaan » explicans, subdit : « In urbe negotiatorum posuit illam. » Ita S. Hieronymus, Prado, Maldonatus et alii. Aliter Apollinaris et Theodoretus ; censent enim Chaldæos vocari Chananæos, quod eorum mores et vitia imbibissent. Aliter quoque vertit Chaldæus, nimirum : abduxit ad terram liberam a servitute, quæ scilicet nulli erat subjecta et vectigalis, qualis erat terra Chanaan ante ingressum Josue et Hebræorum in eam.

5. ET TULIT DE SEMINE TERRÆ, — id est postquam stolones transplantavit, id est Joachin et principes Babylonem transtulit, accepit ex semine cedrorum terræ Juda, id est accepit Sedeciam, qui erat de semine regio Judæorum, scilicet patruus Joachin, eumque « posuit in terra, » id est in Judæa regem constituit, « pro semine, » ut scilicet in eo maneret semen stirpis regiæ ; utque ipse stirpis regiæ « firmaret radicem super aquas » (1), id est populos multos, *Apocal.* XVII, 2. Septuaginta, Chaldæus et Hebræi vertunt, *in terra seminis*, id est fertili et sativa, quæ semen facile excipit et copiose refundit. Ita vocatur Judæa, quia fecunda.

IN SUPERFICIE POSUIT ILLUD. — Non profunde plantavit, sed in superficie jecit hoc semen (hoc enim est Hebræum צפצף *tsaphtsaph*), sicut vites inseruntur in fossa, non profunda, sed exstante ac pene æquante superficiem terræ. Sensus est, *q. d.* Nabuchodonosor non firmavit Sedeciam alta regni radice, sed vires ejus fregit Nabuchodonosor, ut sibi maneret supplex et penderet a se, utpote quem tam facile poterat evellere, quam eum severat regemque creaverat. Chaldæus vertit : *Vitem posuit illud*, quia sequitur : « Crevit in vineam, » quasi Propheta mutet metaphoram : nam Joachin comparavit cedro, hic vero Sedeciam comparat viti ob causam quam mox dicam.

Vers. 6. 6. CREVIT IN VINEAM LATIOREM (luxuriantem) HUMILI STATURA, — id est Sedecias quasi vitis, opibus, gloria ac imperio crevit, verum non ut cedrus procera, sed quasi vitis humilis. Semper enim Babylonius eum sibi subjectum tenuit, *q. d.* Cedrus versa est in vitem, quia regnum Judæorum quod in Joachin et aliis fuit excelsum ut cedrus, in Sedecia fuit humile ut vitis.

RESPICIENTIBUS RAMIS EJUS AD EAM, — scilicet aquilam, id est, ut S. Hieronymus, voluit Nabuchodonosor Sedeciam præesse populis Judæorum : sed ita, ut ipse et populi respicerent ad Nabuchodonosoris domini sui imperium et jussum.

Secundo, vicinius et melius : « ad eam, » scilicet vitem, *q. d.* Rami hujus vitis non in altum surgebant, sed repressi incurvabantur, et respiciebant ipsam vitem vitisque radicem. Ita enim refracta et repressa fuit potentia Sedeciæ per Chaldæos, ut ramos, id est principes, haberet, non potentes ut Salomon ; sed accisos, depressos, tenues et imbecilles. Est metaphora a vite vel arbore, cujus rami ab alia altiore, vel a tecto aut muro reflectuntur ne in altum surgant, ita ut curventur, et arborem ipsam respiciant. Ita Maldonatus.

ET RADICES EJUS SUB ILLA ERANT, — *q. d.* Aliquas, licet non altas, agebat illa vinea, id est regnum Sedeciæ, radices, ita ut in latum propagaretur. Alii, « sub illa, » scilicet aquila, puta sub Nabuchodonosore, firma radice stabat regnum Judæorum.

FRUCTIFICAVIT IN PALMITES, — *q. d.* Filios et magnates protulit.

ET EMISIT PROPAGINES, — id est teneriores ramos, scilicet civium, et populi longe lateque sese propagantes.

7. ET FACTA EST AQUILA ALTERA GRANDIS, — scili- Vers. 7.
cet Pharao, qui dictus est Vaphres, vel Apries, vel Ephree, rex Ægypti, qui magnus quidem erat, sed minor Nabuchodonosore, cum quo Sedecias rebellans Nabuchodonosori, fœdus iniit. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, S. Chrysostomus, hom. 9 *ad Populum*, tom. V, et alii passim. Hæc ergo aquila priori opposita et ab ea subjugata significat Pharaonem Nabuchodonosori oppositum, et ab eo subactum. Sic duæ aquilæ inter se pugnantes, cum altera vinceretur, portenderunt exitium Bruto cum Antonio et Augusto decertaturo, si credimus romanis historicis. Cum enim starent ambæ acies in procinctu signum exspectantes, duæ aquilæ magno alarum clangore ex adverso conflixerunt, rostris sese mutuo, ac infesto volatu incessentes. Suspendit id ostentum utrumque agmen, in præsentis pugnæ eventum. Postremo, quæ ex Antonii plaga stetit, valide adversam avem fugavit. Quo omine Antoniani in spem certam victoriæ erecti, sublato clamore, in hostem decurrunt. Nec adversa parte minus ferociter confligitur : fit primo congressu cruentum prælium, complexi se invicem milites, consertisque manibus non minore odio quam vi utrique dimicant, circumsonare gemitus et suspiria cadentium, et jam plurimus erat cruor fusus terra illa et cruenta cæde, cum primo

Aquilæ pugnantes symbolum victoriæ Antonio.

(1) Mirum videri possit, inquit Hillerus, vitem dici plantatam ad aquas, si quis reputet Italiam, calidissimam regionem, vinetorum in Massico, agri Falerni monte, consitorum ubertatem, aquarum rivis haud debere, et Wirtembergiam, Neccarici vini fecundissimam matrem, vinum in aridis montibus, et anno etiam sitiente, gignere nobilissimum : nisi vinum Cæcubum, cui ante Neronis tempora generositas erat celeberrima, natum constaret ad palustria sinus Amyclani populeta (vide Plinii *Hist. nat.* lib. XIV, cap. VIII) ; et Cornelius Celsus, rerum naturæ peritissimus, existimaret voto vineis eligendum esse solum, quod e fontibus in vicinum radicibus humorem subministret. Hinc colligere est, vites si odorem aquæ senserint, id est, si modice a fontium aut rivorum vicinia radices irrigentur, celerius atque felicius provenire.

acies Bruti loco submota est, ordinibusque vi solutis, ad secundum tertiumque ordinem penetravit metus. Tum res ad fugam inclinavit : qua animadversa Octavii milites hostilium castrorum portas multa vi occupant, ne cedentibus a tergo pateret effugium. Tum vero exclusorum cædes fit, et a fronte Brutiani pressi fœda colluctatione, cæcoque occursu in se ruentes cæduntur. Meminit ejusdem augurii Appianus, lib. IV *De Bellis civil.* : « Jamque dies, inquit, dum se parant, ad nonam horam processerat, cum aquilæ duæ pugnare cœperunt inter utramque aciem, intentam summo silentio; cumque fugata esset quæ a Bruto steterat, conclamarunt hostes et signa collata sunt, fuitque congressus superbus et immitis. »

Ejusmodi duarum aquilarum pugnantium auspicium Vespasiano contigit, narrante his verbis Suetonio : « Ac non multo post comitia secundi consulatus, ineunte Galba, statua divi Julii ad Orientem sponte versa est : acieque Bebriacensi prius quam committeretur, duæ aquilæ in conspectu omnium conflixerunt, victaque altera, subvenit tertia a solis ortu, ac victricem abegit. » Per duas autem aquilas primas, intelligitur Vitellius et Otho; tertia vero veniens ab ortu solis significabat Vespasianum, qui, cum ex Judæa veniret, abegit victricem illam aquilam, hoc est Vitellium Othonis victorem.

Augusto, De Octavio Augusto contra Antonium et Lepidum pugnaturo, Suetonius in hæc verba scribit : « Confractis ad Bononiam triumvirorum copiis, aquila tentorio ejus supersedens, duos corvos hinc inde infestantes afflixit, et ad terram dedit, notante omni exercitu, futuram quandoque inter collegas discordiam talem, qualis secuta est, ac exitium præsagiente. » Nam aquila significabatur Augustus, qui collegas Antonium et Lepidum infestos ita afflictaret vexaretque, quemadmodum aquila duos corvos afflixit.

Triste item minimeque faustum fuit, quod Lacopeno imperatori, et Simeoni Bulgarorum principi accidisse scribitur. Quo enim tempore hi congressi inter se colloquebantur, aquilæ duæ supra ipsos volasse traduntur, cumque non sine clangore, et alarum insigni strepitu, sese mutuo infesto rostro unguibusque aggressæ confixissent, mox alteram ab altera discessisse, cum una se in urbem conferret, altera Thraciam versus volaret. Hoc prodigium augures minime lætum esse judicabant; nam significari futurum, ut hæc inter eos pax rescinderetur.

MULTISQUE PLUMIS, — id est multis militibus; item opibus et pompa; Septuaginta, *multorum unguium*, id est rapax et vastator gentium multarum. Ita S. Hieronymus.

ET ECCE VINEA ISTA QUASI MITTENS RADICES SUAS AD EAM, — *q. d.* Sedecias, et Judaica gens vires suas conjunxit cum copiis Ægypti contra Nabuchodonosorem. Alludit ad arbores, quæ in eam partem radices mittunt, ubi aquam esse sentiunt. Sic enim Sedecias legatos misit in Ægyptum, opis petendæ causa, quæ tota Nili aquis irrigatur. Ita Maldonatus qui per *radices* intelligit legatos.

PALMITES SUOS (id est nuntios, ait S. Hieronymus, et duces cum donis) EXTENDIT AD ILLAM (1).

UT IRRIGARET EAM DE AREOLIS GERMINIS SUI, — id est, ut contra æstum, id est iram Nabuchodonosoris eam arefacientem, rigaret de germine, id est robore et copia militum suæ areæ, id est Ægypti. Aquæ enim sunt milites, quia sicut aquæ per areolas in hortos vel agros vicinos derivantur : ita et milites ex Ægypto transmittebantur in Judæam. Alii, ut Vatablus, *ut irrigaret eam per fossas suas germinantes*, id est per fossas sui Nili abundantes, id est per fruges et opes Ægypti. Alludit enim ad Nilum qui irrigat et fecundat Ægyptum immissus in agros per fossas, quæ ex eo in agros ducuntur. Septuaginta, *ut irrigaret eam cum gleba plantationis suæ*, id est, ut juvaret Judæam cum populo, in quo plantatus est Sedecias rex quasi vitis primaria. Regem enim comparat viti, populum glebæ.

8. IN TERRA BONA, — *q. d.* Non defecit Sedecias ad Pharaonem ex inopia, vel regni oppressione, quia benigne habebatur a Nabuchodonosore, eratque terra Judææ fertilis et dives; sed ex ambitione nolens subdi Nabuchodonosori. Vers. 8.

9. NONNE RADICES EJUS EVELLET? (*q. d.* Aquila illa prior, id est Nabuchodonosor, radicem, id est regni Judæorum robur, evellet, et Sedeciam regno eradicabit) ET FRUCTUS (id est filios) EJUS (quasi olivæ baccas teneras) DISTRINGET (id est occidet) ET SICCABIT OMNES PALMITES, — id est principes morti dabit, ut sint quasi sicci palmites. Vers. 9.

NON IN BRACHIO GRANDI, NEQUE IN POPULO MULTO, — *q. d.* Non opus erit magna virtute aut milite ad superandum Judæos et Ægyptios : nam, primo conflictu, id faciet Nabuchodonosor. Ita factum est; unde adepta hac victoria Nabuchodonosor, quasi securus et quietus, resedit in Reblatha cum copiis, et partem earum misit contra Jerusalem, quam, duce Nabuzardan, cepit et succendit, IV *Reg.* cap. ult. Aliter Maldonatus, *q. d.* Non poterit rex Ægypti, quamvis cum magnis copiis veniat, Judæos et Sedeciam a Chaldæis liberare.

UT EVELLERET EAM RADICITUS. — Pendet hæc interrogatio ab initio versus : « Nonne radices ejus evellet, » etc., *q. d.* Nonne fecit id quod paulo ante dixi, scilicet, nonne egit et peregit « ut evelleret eam radicitus? » idque non magnis copiis.

10. CUM TETIGERIT EAM VENTUS URENS. — Hebraice est קדים *kadim*, id est orientalis, qui siccus est et urens, *q. d.* Cum Chaldæus, qui est ad Orientem Judææ, eam quasi vitem, copiis licet Ægypti irrigatam, tetigerit, et quasi ventus urens afflarit, Vers. 10.

(1) « Et emisit propagines. » Hebraice פארת *firot*. A פאר *pheer*, sic rami arborum sunt dicti a coronæ similitudine, sicut et nostris hortulanis vertices arborum et sylvarum cultoribus nova ramorum propago *corona* dicitur.

desiccabit et desolabit eam in sua area, scilicet in ipsa Judæa, fecunda et germinante. Nam Sedecias et ejus principes in campis Jerichuntinis capti sunt, reliqui in urbe ipsa jam expugnata, IV *Reg.* XXV. Nota : Chaldæa est terræ Israel ad orientem septentrionalem ; unde nunc orientalis, nunc aquilonaris vocatur. Vide dicta *Jeremiæ* I, 14.

12. ASSUMET, etc., ADDUCET, — id est assumpsit, adduxit. Hæc enim Propheta dixit anno sexto post abductum regem Jechoniam in Babylonem. Unde in Hebræo est ו *vau* conversivum, quod vertit futurum in præteritum. Hic incipit ænigma aquilarum, cedri et vitis explicare eo modo, quo jam explicui.

Vers. 13. 13. ET TOLLET DE SEMINE REGNI, — tollet Sedeciam, eumque pro nepote Joachin, regem constituet.

FERIETQUE CUM EO FOEDUS, — ut regnet, sed sibi sit vectigalis, quod licet in libris Regum non narretur, ex hoc tamen loco factum esse liquet.

SED ET FORTES TERRÆ TOLLET, — principes multos tollet, vel sublatos apud se retinebit, tum in obsides, tum ut regni vires debilitet. Sic enim sustulit Joachin cum filiis aliisque primoribus.

Vers. 17. 17. ET NON IN EXERCITU GRANDI, NEQUE IN POPULO MULTO (non Pharaonis, sed Chaldæorum, *q. d.* Non erit magnus exercitus Chaldæorum et Nabuchodonosoris, contra quem pugnabit Pharao, et tamen vincetur. « Neque » : hoc enim per hebraismum repetendum) IN JACTU AGGERIS, ET IN EXSTRUCTIONE VALLORUM — faciet Pharao prælium, ut interficiat multos Chaldæorum ; sed primo congressu fugiet cedetque tota Syria. Ita Polychronius et Græci, et patet ex vers. 9 ; illum enim hic applicat et explicat. Alii affirmative hoc accipiunt, idque dupliciter : *primo*, de Pharaone, *q. d.* Chaldæorum vim non impediet Pharaonis parvus exercitus, quantumvis jaciat aggeres et vallos exstruat. Favet Josephus X *Antiq.* XX. *Secundo*, de Nabuchodonosore. Unde Vatablus vertit : *Neque Pharao cum magnis istis copiis et ingenti multitudine quidquam efficiet, dum exstruitur agger, et munitio ad exscindendum animas multas*, id est, ut Maldonatus, cum jecerit Nabuchodonosor aggerem, nihil poterit Pharao Sedeciam adjuvare : qui sensus planus est, et congrue cum præcedentibus et sequentibus cohæret.

18. SPREVERAT ENIM (Sedecias) JURAMENTUM — fidelitatis præstitum Nabuchodonosori.

ET ECCE DEDIT MANUM, — id est, et tamen fœdus cum Nabuchodonosore, data dextera, inierat, *q. d.* Violavit fœdus, data manu, initum. Ita Vatablus. *Secundo* et aptius, *q. d.* Cum sprevisset et violasset Sedecias fœdus initum cum Chaldæis, dedit manum, fœdusque aliud iniit cum Pharaone. Ita Chaldæus et Maldonatus. Vide hic quam velit Deus servari fidem etiam hosti, eique infideli, quamque perfidiam ulciscatur. Vide dicta *Jerem.* XXXIX, in fine.

Vers. 19. 19. JURAMENTUM. — Hebræus et Septuaginta : *Juramentum meum et fœdus meum*, non quod cum Deo, sed quod nomine Dei interposito initum esset hoc fœdus.

PONAM IN CAPUT EJUS, — ulciscar in ejus capite.

Vers. 20. 20. EXPANDAM, etc., RETE MEUM, — puta Chaldæorum copias. De quibus cap. XII, vers. 13.

IN PRÆVARICATIONE (Hebraice, *propter prævaricationem*) QUA DESPEXIT ME — violando juramentum et fœdus per nomen Dei factum et initum.

Vers. 22. 22. SUMAM EGO DE MEDULLA CEDRI (de familia regia), DE VERTICE (id est de Joachin, sive Jechonia rege, ramum) TENERUM (id est Zorobabel nepotem : Joachin enim genuit Salathiel, hic genuit Zorobabel) DISTRINGAM. — Septuaginta, *auferam*, cæteris scilicet foliis et ramis, id est regibus et principibus, sublatis, unum hunc tollam et extollam (hoc enim est distringere), ut *plantem eum in monte excelso*, id est in Jerusalem. Cedrus ergo est familia regia Davidis, vertex ramorum est Joachin rex, surculus tener et lacteus est Zorobabel nepos Joachin, mons excelsus est Jerusalem. Propheta hic de more tristibus læta, minis promissa et consolationes subjungit.

Nota : Perstringit obiter Zorobabel, sed sub eo magis intendit significare Christum, qui natus ex Zorobabel, vel, ut Theodoretus, ex medulla cedri, id est ex Davide, qui fuit vir secundum cor Dei, et quasi medulla cedrorum, id est sanctorum in Israel, regnum Ecclesiæ suæ instituit Hierosolymis. Ita Theodoretus. Nec enim Zorobabel rex fuit, nec sub ejus umbra omnes volucres requieverunt, nisi hyperbolice. Unde paraphrasis Chaldæa, et ex ea R. Salomon sic vertunt : *Accipiam ego regem Messiam, et plantabo illum super montem excelsum* (1).

Opponit se hic Deus Nabuchodonosori, *q. d.* Ille regem ex semine regio constituet Sedeciam, sed modico tempore regnabit. Perfidus enim erit,

(1) Ramo tenero quem de cedri excelsæ cacumine, id est de regia domo Davidica (cf. vers. 3, 4,) desumptum, Deus sit plantaturus in monte excelso, Kimchi et post eum Grotius, innui volunt Zorobabelem, Jechoniæ regis abnepotem (I *Paralip.* III, 18, 19), sub cujus auspiciis exsules in patriam redierunt. Ei tamen, inquit et ipse Rosenmuller, minime competunt magna et augusta, quæ de illo e semine regio oriundo hic prædicantur. Magnum illum regem (משיח, Χριστὸν, *unctum*, κατ' ἐξοχὴν dictum), de quo prophetæ omnes denuntiarunt, fore aliquando, ut ex genere David natus, regnum æternum et gloriosissimum constitueret, ac gentes universas ad cultum Dei congregaret, et hoc loco describi, agnoverunt ex Judæis ipsis antiquissimi et doctissimi. Chaldæum certe, etsi in sua hujus loci interpretatione nomen *Messiæ* non diserte exprimeret, tamen de nemine alio cogitasse, satis arguit explicatio hemistichii posterioris vers. 23 : *Et innitentur super eum omnes justi, et omnes mansueti in umbra regni ejus habitabunt.* Quæ sententia eadem imagine infra XI, 6 ; *Dan.* IV, 9, exprimitur. Hoc sane minime quadrat in Zorobabelem, qui neque rex magnus fuit, neque, si esset, tantus esse potuit, ut omnes gentes ad se colligeret, cum ne Israelitas quidem omnes collegerit.

ideoque a Chaldæo excæcabitur, et regno privabitur. At Deus ex eodem Davidis semine constituet, uti promisit, regem Christum, ut regnet super Sion montem sanctum ejus, puta in domo Jacobi in æternum : regni enim ejus non erit finis.

ET PLANTABO (tenerum hunc cedri ramum et verticem, id est Christum) SUPER MONTEM EXCELSUM ET EMINENTEM, — puta in Sion, id est Ecclesia. Septuaginta vertunt : *Suspendam illum in monte sublimi Israel*, id est, ut Theodoretus : *Crucifigam Christum in monte Calvariæ*, ut postea proferat fructum et germen christianorum immortale in toto mundo. Quod nota contra Judæos qui negant Christi crucem et mortem; quia putant Messiam venturum cum pompa et fastu, quasi novum Salomonem. Porro apte vertunt Septuaginta. Nam pro ואתלול *vetalul*, id est *et suspensum in alto*, hoc est *eminentem*, ut vertit Noster; ipsi legerunt אתלול *etlol*, id est *suspendam*. Proprie enim dicitur quid, vel quis in monte suspensus; non autem ipse mons suspensus. Adde sola unius puncti mutatione, legi posse ואתלול *vetalol*, id est *et suspendere*, hoc est *et suspendam*. Sæpe enim Hebræi infinitivum pro futuro usurpant, præsertim quando alia futura præcedunt, aut sequuntur, uti hic fit. Est enim Christus cedrus, quæ nunquam putrescit; unde et qua homo peccare non potuit. Rursum suos, sibique fideles facit immortales. *Tertio*, Prado : Cedrus, ait, sublimis est Deus, qui solus habet immortalitatem. Cor cedri et medulla est Unigenitus, qui est in sinu Patris, quem plantavit in monte excelso, id est in utero Virginis virtutibus excelsæ, quasi in paradiso, ut ibi natus homo fructum daret pulcherrimum et præstantissimum. De cedro plura dicam cap. XXXI, 3 et sequentibus.

23. FACIET FRUCTUM, — faciet homines fideles, sanctos et beatos.

ERIT IN CEDRUM MAGNAM (id est, fiet magnus rex et Dominus : cedrus enim inter arbores primatum et quasi regnum tenet, non Zorobabel, ut patet, sed Christus; ita ut) SUB UMBRA FRONDIUM EJUS (id est potestate et protectione) OMNES VOLUCRES (id est justi, ait Chaldæus, qui cœlestia cogitant et e terra ad cœlum evolant) HABITENT. — Simile est *Daniel.* IV, 17, de quo ibidem plura.

Cedri descriptio.

Nota *primo* : Cedrus arbor est perpetuo virens, junipero non absimilis, radicibus raris, per summa terræ dispersis, folio duro, acuto mucrone capillato et spinoso; ligno contorto, nodoso; medulla rubente, odorata; baccis myrti flavis, odoratis et esculentis; novo fructu per autumnum cum anniculo pendente. Laudatissima in Creta nascitur, item in Libano et Africa. Cedro æterna materies, cariem non sentiens. Unde *digna cedro* dicuntur, qui merentur immortalitatem, ut consecrentur æternitati.

Tres dotes cedri et Christi.

Nota *secundo* : Cedrus tres regni Christi dotes denotat. Nam, *primo*, cedrus est arbor maxime procera. In Cypro enim nascitur 130 pedes habens in longitudine; crassitudine autem ad quinum hominum complexum; hinc sublimitatem regni Christi significat. *Secundo*, odore fragrat; hinc celebritatem Christi et Ecclesiæ adumbrat. *Tertio*, incorruptibilis est; hinc notat ejus æternitatem.

Narrat Plinius lib. XIII, cap. XIII, Numæ libros, cum essent chartacei et terræ infossi, quia succo cedri erant illiti, durasse ad annos 535. Porro succus hic vim habet diversam : nam viva corpora corrumpit, mortua servat incorrupta : unde a nonnullis cedrus vocata est νεκροῦ ζωή, id est *mortui*, puta cadaveris, *vita*.

Vers. 24.

24. ET SCIENT OMNIA LIGNA REGIONIS, — id est omnes homines, omnes gentes quæ ex variis regionibus crediderint huic cedro, id est Christo, præsertim feræ et barbaræ : hæ enim sunt ligna, id est arbores agri, ut habent Hebræa; cum Judæi, utpote domestici Dei, sint ejus quasi arbores hortenses.

HUMILIAVI LIGNUM SUBLIME, ET SICCAVI LIGNUM VIRIDE, — id est, dejiciam regnum Sedeciæ, qui videtur jam florere et superbire; et exaltabo lignum humile et aridum, id est regnum Jechoniæ, qui jam in Babylone captus videtur aruisse, nec habere spem prolis regnaturæ. Nam Evilmerodach Joachin exaltavit in solium regni, IV *Reg.* XXV, 7; et nepos ejus Zorobabel dux fuit populi redeuntis e captivitate, et ex eo ortus est Christus, totius terræ Dominus. Christo enim proprie hæc competunt, Zorobabeli hyperbolice tantum. Hoc est quod ait Isaias, cap. XI, 1 : « Egredietur virga de radice Jesse (quæ jam exaruisse videtur), et flos de radice ejus ascendet. »

Humilitas ascendit ad Deum.

Moraliter S. Bernardus : « Humilitas, ait, est receptaculum gratiæ; » scilicet est vas in quo Deus sua dona recondit. Unde S. Chrysostomus : « Humilitas, ait, est sacrificium maximum, et sublimioris philosophiæ mater. » Et S. Gregorius : « Humiles, dum se dejiciunt, ad Dei similitudinem ascendunt. » Superbi contra, dum ascendunt, diabolum imitantur, qui angelus existens ascendere voluit in montem Dei, sed repulsus descendit diabolus.

ET FECI, — et faciam certissime.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet filios non puniri pro delictis parentum, sed pro meritis cuique vel vitam reddi, vel necem. Primo ergo docet se sublaturum vulgare hoc Judæorum proverbium : Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupescunt; *ac pro eo contrarium sancit, vers.* 20, *dicens :* Anima quæ peccaverit, ipsa morietur. Justitia justi super eum erit, et impietas impii erit super eum. *Deinde, vers.* 21, *edicit :* Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum ejus non recordabor. *Et vicissim :* Si averterit se justus a justitia sua, omnes justitiæ ejus non recordabuntur. *Denique, vers.* 30, *invitat peccatores ad pœnitentiam, dicens :* Facite vobis cor novum, et spiritum novum : et quare moriemini domus Israel? quia nolo mortem morientis (1).

1. Et factus est sermo Domini ad me, dicens : 2. Quid est quod inter vos parabolam vertitis in proverbium istud in terra Israel, dicentes : Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupescunt? 3. Vivo ego, dicit Dominus Deus, si erit ultra vobis parabola hæc in proverbium in Israel. 4. Ecce omnes animæ, meæ sunt : ut anima patris, ita et anima filii mea est : anima, quæ peccaverit, ipsa morietur. 5. Et vir si fuerit justus, et fecerit judicium et justitiam, 6. in montibus non comederit, et oculos suos non levaverit ad idola domus Israel : et uxorem proximi sui non violaverit, et ad mulierem menstruatam non accesserit : 7. Et hominem non contristaverit : pignus debitori reddiderit, per vim nihil rapuerit : panem suum esurienti dederit, et nudum operuerit vestimento : 8. ad usuram non commodaverit, et amplius non acceperit : ab iniquitate averterit manum suam, et judicium verum fecerit inter virum et virum : 9. in præceptis meis ambulaverit, et judicia mea custodierit ut faciat veritatem : hic justus est, vita vivet, ait Dominus Deus. 10. Quod si genuerit filium latronem effundentem sanguinem, et fecerit unum de istis : 11. et hæc quidem omnia non facientem, sed in montibus comedentem, et uxorem proximi sui polluentem : 12. egenum et pauperem contristantem, rapientem rapinas, pignus non reddentem, et ad idola levantem oculos suos, abominationem facientem : 13. ad usuram dantem, et amplius accipientem : numquid vivet? non vivet; cum universa hæc detestanda fecerit, morte morietur, sanguis ejus in ipso erit. 14. Quod si genuerit filium, qui videns omnia peccata patris sui quæ fecit, timuerit, et non fecerit simile eis : 15. super montes non comederit, et oculos suos non levaverit ad idola domus Israel, et uxorem proximi sui non violaverit : 16. et virum non contristaverit, pignus non retinuerit, et rapinam non rapuerit, panem suum esurienti dederit, et nudum operuerit vestimento : 17. a pauperis injuria averterit manum suam, usuram et superabundantiam non acceperit, judicia mea fecerit, in præceptis meis ambulaverit : hic non morietur in iniquitate patris sui, sed vita vivet. 18. Pater ejus quia calumniatus est, et vim fecit fratri, et malum operatus est in medio populi sui, ecce mortuus est in iniquitate sua. 19. Et dicitis : Quare non portavit filius iniquitatem patris? Videlicet, quia filius judicium et justitiam operatus est, omnia præcepta mea custodivit, et fecit illa, vivet vita. 20. Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur : filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem

(1) Ad populum, de malis quasi non commeritis querulum respondet Propheta :

Primo, proverbium querelarum proponendo, 1-3.

Secundo, rationem judicandi Deo usitatam exponendo, scilicet, *primo,* attentam ad cujuslibet meritum, 4; *secundo,* benevolam justo et innocenti, 5-9; *tertio,* severam contra impium, quantumvis filium patris probi, 10-13; *quarto,* propitiam in filium probum patris licet impii, 14-17; *quinto,* attemperatam personalibus sive patris sive filii meritis, 18-20.

Tertio, æquitatem hujus judicii ostendendo, 25-29; *primo,* ex promissa peccatoribus pœnitentiam agentibus indulgentia, 21, 23, 27, 28; *secundo,* ex intentata justis justitiam abjicientibus vindicta, 24, 26.

Quarto, adhortando ad pœnitentiam, et declarando propensionem divinam ad dandam veniam, 30-32.

filii : justitia justi super eum erit, et impietas impii erit super eum. 21. Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, et custodierit omnia præcepta mea, et fecerit judicium et justitiam : vita vivet, et non morietur. 22. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor : in justitia sua, quam operatus est, vivet. 23. Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, et non ut convertatur a viis suis, et vivat? 24. Si autem averterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes, quas operari solet impius, numquid vivet? omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur : in prævaricatione, qua prævaricatus est, et in peccato suo, quod peccavit, in ipsis morietur. 25. Et dixistis : Non est æqua via Domini. Audite ergo domus Israel : Numquid via mea non est æqua, et non magis viæ vestræ pravæ sunt? 26. Cum enim averterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem, morietur in eis ; in injustitia, quam operatus est, morietur. 27. Et cum averterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, et fecerit judicium et justitiam ; ipse animam suam vivificabit. 28. Considerans enim, et evertens se ab omnibus iniquitatibus suis, quas operatus est, vita vivet, et non morietur. 29. Et dicunt filii Israel : Non est æqua via Domini. Numquid viæ meæ non sunt æquæ, domus Israel, et non magis viæ vestræ pravæ? 30. Idcirco unumquemque juxta vias suas judicabo domus Israel, ait Dominus Deus. Convertimini, et agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris : et non erit vobis in ruinam iniquitas. 31. Projicite a vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, et facite vobis cor novum, et spiritum novum : et quare moriemini domus Israel? 32. Quia nolo mortem morientis : dicit Dominus Deus, revertimini, et vivite.

Vers. 2. 2. QUID EST QUOD INTER VOS PARABOLAM VERTITIS IN PROVERBIUM (hebraice, *Cur parabolizatis parabolam istam?* id est, cur crebro utimini hac parabola, seu proverbio?) PATRES COMEDERUNT UVAM ACERBAM, ET DENTES FILIORUM OBSTUPESCUNT. — Syrus : *Patres comederunt uvam acrem, et dentes filiorum obstupescunt,* vel congelantur, id est, ut Chaldæus : *Patres peccaverunt, et filii vapulant.* Occasio proverbii fuit, quod Prophetæ passim edicerent Jerusalem evertendam ob peccata Manassis ; sicut Israel eversus fuit ob peccata Jeroboam. Hi enim inventores, et quasi fundatores fuerunt idololatriæ Judæorum. Ita Theodoretus.

Hinc patet Prophetam hic et toto capite loqui de peccatis actualibus, non de originali. In hoc enim verum est dicere : « Pater noster Adam comedit pomum acerbum, et dentes omnium filiorum obstupescunt, » et, ut ait S. Bernardus, tract. *De Gradibus humilitatis* : « Ideo nascimur morituri, quia prius morimur nascituri, » et, ut ait S. Augustinus : « Prius damnati quam nati ; quia Deus ex suo summi dominii (quod in suas creaturas habet) jure, voluntatem omnium posterorum posuit in voluntate Adæ, ut quod ille faceret bene vel male, hoc posteri censerentur facere. Voluntas ergo Adæ fuit voluntas omnium posterorum ; idque fecit Deus, ut Adam esset typus, imo antitypus Christi, cujus voluntatem, satisfactionem et merita voluit esse nostram voluntatem, satisfactionem et merita. Christus enim « factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio, » ait Apostolus I *Cor.* I, 30, qui et causam subdit : « Ut qui gloriatur, in Domino glorietur. » Unde pie S. Bernardus, serm. *De Passione* : « Electe, ait, puer Dei mei, quid tanta amaritudine, quid tanta confusione dignum commiseras? prorsus nihil. Ego, ego homo perditus totius perditionis tuæ causa exstiti. Ego, Domine, uvam acerbam comedi, et dentes tui obstupuerunt. » Porro qua sapientia, æquitate, potentia et bonitate id fecerit Deus, in hac vita perspicere et penetrare nequimus, sed fide credimus. Quocirca est hoc unum e quatuor summis et difficillimis fidei nostræ mysteriis, quæ humanum captum superant. *Primum* enim est mysterium SS. Trinitatis ; *secundum,* Incarnationis Verbi ; *tertium,* Eucharistiæ ; *quartum,* peccati originalis.

Nota « obstupescunt : » nam qui uvas immaturas comedunt, ipsimet odontalgiam, id est dentium dolorem, patiuntur : qui vero comedentibus astant et in eos intuentur, eorum dentes obstupescunt, inquit Aristoteles, *Problem.* sect. VII, *Quæst.* V. Ita et hic queruntur filii, ex parentum gula et culpa suos dentes obstupescere. Sic ait Poeta : « Delicta parentum immeritus, Romane, lues. » Simile est adagium Eubuli : « Si quid cocus deliquerit, vapulat tibicen. » Et illa : « Canis peccatum sus dependit : Faber cadit cum fullonem feris : Hic peccat, ille plectitur : Quidquid delirant reges, plectuntur Achivi. »

Moraliter S. Gregorius, lib. XI *Moral.* cap. XV : « Quid, ait, uva acerba, nisi peccatum est? uva quippe acerba, est fructus ante tempus. Quisquis

enim præsentis vitæ delectationibus satiari desiderat, quasi fructus ante tempus comedere festinat. Qui igitur uvam acerbam comedit, dentes ejus obstupescunt : quia qui præsentis mundi delectatione pascitur, interni ejus sensus ligantur, ut jam spiritalia mandere, id est intelligere, nequeant : quia unde in exterioribus delectati sunt, inde in intimis obstupescunt. »

3. VIVO EGO, DICIT DOMINUS DEUS, SI ERIT ULTRA VOBIS PARABOLA HÆC IN PROVERBIUM. — Vatablus : *Non erit ultra qui utatur* משל *parabola, q. d.* Juro per vitam meam, quod efficiam ut ulterius non utamini ista parabola : quia scilicet reipsa contrarium ostendam. Aliter Prado : censet enim hæc verba non esse asseverantis, sed comminantis, *q. d.* Juro per vitam, quod, si ulterius utamini hoc proverbio, ego severe vos puniam. Hoc enim intelligitur in isto *si* exsecratorio, quod tamen boni ominis et euphemismi causa subticent Hebræi. Hic sensus planus est, sed prior planior.

4. OMNES ANIMÆ MEÆ SUNT, — ratione creationis et infusionis earumdem, ait Vatablus, *q. d.* Omnes animæ a me creatæ et corpori infusæ sunt ; ergo ob peccata patris, non peribit morte æterna filius. *Secundo*, et melius, omnes animæ, id est omnes homines mei sunt, *q. d.* Ne quis putet me grassari in filios, quod parentes punire non possim, uti subinde homines debiles et infirmi faciunt; ecce edico, quod omnes sciunt : « Omnes animæ meæ sunt, » *q. d.* Ego omnium hominum, tam parentum quam filiorum, tam majorum quam minorum æque sum creator, Dominus et judex : ego in omnes vitæ et necis habeo imperium : ego sum qui, quos lubet, mortifico et vivifico : ac proinde æquam pro meritis (sum enim æquissimus juxta ac potentissimus) cuique dabo sententiam et sortem temporalis vitæ, vel mortis. Ita Polychronius. De temporali enim ad litteram loqui hic Prophetam patet ex sequenti : « Anima, » id est homo, « quæ peccaverit, ipsa morietur. » Respondet enim Judæis, qui falso querebantur se plecti, et morte aliisque cladibus puniri ob peccata, non sua, sed parentum. Licet inde argumento ducto a minori ad majus, id verius sit in pœna æterna.

5. FECERIT JUDICIUM. — Judex facit judicium, cum damnat reos; justitiam, cum innocentes absolvit et vindicat. Privatus quisque facit judicium, si nulli faciat malum; justitiam, si benefaciat, et bona opera accumulet. Ita hic capitur : privato enim cuilibet hæc dicuntur. Ita Prado.

Notat S. Hieronymus hic texi catalogum, et quasi gradus septemdecim virtutum : « *Prima*, inquit, est, fecisse judicium; *secunda*, judicio copulasse justitiam; *tertia*, non comedisse in montibus; *quarta*, oculos non levasse ad idola; *quinta*, uxorem proximi non violasse; *sexta*, menstruatæ uxoris vitasse complexus; *septima* hominem non contristasse; *octava*, pignus debitori reddidisse; *nona*, per vim nihil rapuisse; *decima*, panem suum esurienti dedisse; *undecima*, nudum operuisse vestimento; *duodecima*, ad usuram pecuniam non dedisse; *decima tertia*, nihil ex his quæ dederis, amplius accepisse; *decima quarta*, ab iniquitate avertisse manum suam; *decima quinta*, judicium verum fecisse inter virum et virum; *decima sexta*, in præceptis Domini ambulasse; *decima septima*, judicia et justificationes illius custodisse. »

6. IN MONTIBUS. — Id est, in excelsis idolorum non comederit idolothyta. Solebant enim idolis immolantes ex victimis a se immolatis comedere, ut essent participes sacrificii. Eratque comestio hæc consummatio idololatriæ. Ita S. Hieronymus. Vers. 6.

OCULOS SUOS NON LEVAVERIT. — Id est non adoraverit, non obsecraverit. Hinc enim est gestus orantium, ut oculos ad Deum attollant, *Psalm.* CXXII, 2 : « Oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. »

IDOLA. — Hebraice גלולים *gillulim*, id est *volutationes*, id est stercora convoluta. Ita vocantur idola, ob turpitudinem. Septuaginta vertunt, *cogitationes*, id est dii ab eis excogitati. Hæ enim sunt mentis eorum volutationes : assidue enim deos suos mente revolvunt, novosque ritus et modos eos placandi excogitant.

AD MULIEREM MENSTRUATAM NON ACCESSERIT. — Quia, ut S. Hieronymus, ex hoc congressu subinde nascuntur leprosi et vitiosi, et, ut Xistus Pythagoricus dixit : « Adulter est, uxoris amator ardentior. » Talis autem est, qui ea tempore indebito utitur. Vide dicta *Levit.* XX, 18.

7. HOMINEM NON CONTRISTAVERIT, — non læserit ; Septuaginta, *non oppresserit*. Vers. 7.

PIGNUS DEBITORI REDDIDERIT, — scilicet, qui pauper sit. Huic enim ex charitate pignus reddi jubet lex, *Exod.* XXII, 26. Est ergo iniquitas, uti summo jure, dum per hoc charitas violatur; unde de tali ait Deus : « Si clamaverit ad me (pauper a quo pignus repetis), exaudiam eum, » teque rigidum exactorem puniam : « Quia misericors sum, » *Exod.* XXII, 26.

PANEM SUUM ESURIENTI DEDERIT. — Nota : Hic Propheta commendat duo misericordiæ opera, quæ mire et peccatori et justo gratiam Dei conciliant. *Primum* est pascere esurientem. Huic impense se addixerunt fideles olim et Sancti. Moraliter, de eleemosyna et pastu pauperum.

« S. Exuperius, inquit S. Hieronymus, epist. *ad Rusticum monachum*, Tolosæ Episcopus, viduæ Sareptensis imitator, esuriens pascit alios, et ore pallente jejuniis, fame torquetur aliena, omnemque substantiam Christi visceribus erogavit. Nihil illo ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro. »

S. Dominicus, adhuc juvenis, in communi fame Hispaniæ distraxit libros et omnes res suas, pretiumque in pauperes expendit.

Idem in fame Burgundiæ fecit Ecdicius senator, qui ad quatuor millia pauperum assidue aluit. Unde vox ad eum de cœlo lapsa est : « Ecdici,

quia fecisti rem hanc, tibi et semini tuo panis non deerit in sempiternum; eo quod obedieris verbis meis, et famem meam refectione pauperum satiaveris. » Ita Gregorius Turonensis, lib. II *Hist. Franc.* cap. XXIV.

S. Judocus, Britonum regis filius, panem unicum quem habebat ad victum quotidianum, distribuit pauperibus, dicens : « Deus nobis providebit. » Et ecce per fenestram visæ et inventæ sunt in alveo fluminis quatuor naviculæ victualibus onustæ, de quibus, quis eas adduxerit, vel quo, jam victualibus exoneratas reduxerit, nescitur usque hodie, ait Florentius Abbas in ejus Vita.

Leo I Imperator, cum adhuc privatus viveret, in itinere cæco cuidam sitienti dux viæ fuit, et potum quæsivit; cumque diu quærens non inveniret, B. Maria Virgo voce cœlitus delapsa aquam ei in luco demonstravit, promisitque quod luto oculis cæci illito eum illuminaret, ac tandem imperium ei promisit. Omnia hæc reipsa ei evenerunt. Ita historia Ecclesiastica; et ex ea Baronius, anno Christi 457.

Cum S. Heimerammus Episcopus Ratisponensis in tormentis gravissimis esset, carnifices videntes eum ita cruciari, nec tamen a laudibus cessare, invidentes linguam ei præciderunt, itaque corporis trunco relicto abierunt. Venerunt ad eum Clerici et Vitalis presbyter, vir pius, a quo poposcit aquam; qui respondit : « Quid vis refocillari, cum sis membris corporis destitutus? Mors tibi potius optanda est quam vita. » Cui Episcopus, sine lingua loquens, hanc pœnam inflixit, dicens : « Quoties potum ori tuo applicueris, mentis inops fias; nec tamen cuiquam noceas, sed inobedientiæ exemplum de te præbeas. » Dixit hoc vir sanctus, et ut dixit ita factum est. Ita Cyrinus Episcopus in ejus Vita.

S. Willebrordo poscente pabulum et potum a divite, cum ille renuens abiret, ardenti siti percussus est, quam exstinguere toto anno non potuit, donec post annum redeunte S. Willebrordo, veniam ab eo petens impetravit. Nam Sanctus dedit illi cum benedictione de calice suo bibere, itaque absolutus et sanatus est. Ita Albinus Flaccus in ejus Vita.

Illustrius est exemplum puellæ Alexandrinæ gentilis, quod refert Sophronius in *Prato spirit.* cap. CCVII. Hæc quemdam ob debita parantem sibi laqueum, et debito et morte liberavit, omnes suas opes ei elargiens. Unde cœpit ipsa egere, ita ut ad victum comparandum corpus prostitueret. Incidit in morbum, quo in se reversa, facti pœnitens petiit baptismum. Repulit eam sacerdos, nisi sponsorem, quod deinceps caste viveret, adduceret. Cum neminem reperiret, qui spondere vellet, obtulerunt se angeli specie aulicorum quorumdam, dicentes se spondere pro illa, itaque baptizata est; postea rogati de ea aulici illi, negarunt se eam nosse, aut vidisse. Unde cognitum est fuisse angelos. Illa rogata ab Episcopo, vitam suam et eleemosynam narravit, moxque obdormivit in Domino, dicente Episcopo . « Justus es, Domine, et rectum judicium tuum. »

Anno Domini 1123, asperrima fuit hiems, unde secuta est ingens fames, in qua Caroli comitis Flandriæ mira fuit liberalitas. Nam quotidie omni panem petenti integrum dari præcepit; ita ut semel apud Ipras, una hora octingenti pauperes totidem panes acciperent. Præterea consuetudo illi fuit, omnibus feriis sextis tredecim pauperibus tredecim tunicas, totidem paria calceorum, totidem subuculas lineas elargiri. Ipse vero iisdem feriis (nisi præcipuum festum incidisset) in pane et aqua jejunabat. Indutus cilicio, nudis pedibus, tunica talari, ne facile pedum nuditas videretur, ad ecclesiam mane properabat : illic ad meridiem usque devotioni deditus permanebat. Interim ex principibus ejus duo, præpositus S. Donatiani, et præpositus aulæ emerunt maximam frumenti copiam, ut venderent ad libitum suum : sed Carolus fecit illis reddi pecuniam; frumentum vero distribuit indigentibus aliis gratis, aliis competenti pretio. Quod dicti mercatores ægre tulerunt, et ex illa die in mortem domini conspiraverunt. Itaque die secunda martii, feria sexta, in templo S. Donatiani, post altare legentem psalmum *Miserere*, necaverunt ipsum, fisso capite, et amputato brachio dextro. Cujus pretiosa mors illico miraculis declarata est. Ita Christianus Maffæus, lib. XVIII *Chronicorum*, et Jacobus Meyerus, lib. IX *Annal. Flandric.* anno Domini 1116.

Eximium est quod scribit Martinus Cromerus, lib. II *De Rebus Polonorum*, Popielo principi Polonorum, ob crudelitatem et stragem suorum, a muribus e cadaveribus enatorum occiso, successisse Piastum hominem simplicem, qui agello modico colendo et mellificio vitam sustentabat, eo quod in egenos beneficus esset et in peregrino hospitalis. Cum enim duos habitu peregrino (angeli fuisse putantur, vel SS. Joannes et Paulus martyres, quos Julianus Apostata ob opes in pauperes expensas et ob Christi fidem necavit) regia exclusos, hilariter domum receptos, laute pro modulo suo tractasset, accrevit ei porcina, redundavit ex vase mulsa, adeo ut principem cum toto comitatu penuria laborantem, rerum copia refecerit. Quo miraculo vulgato, una voce omnes Piastum divino indicio principem sibi dari conclamarunt, invitumque rusticano centone vestitum in regiam protractum, principatui inaugurarunt.

ET NUDUM OPERUIT VESTIMENTO. — Alterum hoc est misericordiæ opus Dei gratiam concilians, ideoque a priscis frequentatum, uti a Tobia, cap. I, vers. 20, et a S. Job, cap. XXXI, 19 et 20. Ita S. Martinus Ambiani pauperi, cum nihil aliud haberet, dimidiam chlamydem suam dedit. Nocte sequente vidit Christum chlamydis suæ, qua

Moraliter, de vestiendis nudis.

pauperem texerat, parte vestitum, qui ad angelorum multitudinem dicebat : « Martinus adhuc catechumenus hac me veste contexit. » Testis est Sulpitius in ejus Vita.

Ita S. Marcianus unica veste interiore, qua erat indutus, vestivit pauperem, uti refert ex ejus Vita Baronius anno Christi 459.

Ita S. Martyrius pallio suo involvens leprosum et asportans, admirabili miraculo deprehendit se Christum texisse et portasse. Christus enim, in cœlum ascendens, dixit : « Martyri, tu non erubuisti me super terram, ego te non erubescam super cœlos. » Ita refert S. Gregorius, hom. 39 *in Evang.*

S. Franciscus adhuc sæcularis, vestiens militem pauperem, vidit nocte sequente palatium speciosum et augustum, cumque rogaret cujus essent illa omnia, audivit: « Tua erunt, tuorumque militum. » Ita S. Bonaventura in ejus Vita.

S. Elisabetha, Hungariæ regis filia, pauperi donans suum pallium, cum maritus illud ab ea requireret, ipsa illud ipsum ei in pertica miraculose restitutum ostendit, uti refert Jacobus Spirensis in ejus Vita.

Audi miram S. Catharinæ Senensis liberalitatem pariter et remunerationem, quam refert Raymundus in ejus Vita. Illi enim ex templo domum redire volenti, Christus occurrit in forma juvenis ac peregrini, triginta plus minus annorum, petivitque ab ea vestem. Illa rediens ad sacellum, unde descenderat, tunicam non manicatam, quam sub extima veste propter frigus habebat, sibi caute detraxit pauperique tribuit, nesciens esse Christum. Et ille etiam lineum vestimentum petiit. Tum illa jubet illum se sequi ad ædes suas : ubi ei subuculam et subligaculum dedit. Verum non destitit ille plura mendicare, ut probaret ejus animum. « Quid, inquit, faciam hac tunica, quæ manicis caret? Quæso etiam mihi manicas largiaris. » Illa perlustrat domum, et ecce vidit a pertica suspensam novam ancillæ tunicam : ab eaque manicas auferens dat pauperi. Rursus ille etiam socium in domo hospitali se habere dicit, valde indigentem vestibus. Tum vero S. virgo nihil prorsus sibi superesse videns, quod daret præter tunicam, qua erat induta, quam non sinebat virgineus pudor et honestas ut sibi detraheret, ne nuda cogeretur cum multorum offendiculo incedere, dixit pauperi : « Revera, charissime, si possem ullo pacto, libenter aliquid præstarem socio tuo. » Ille vero subridens : « Video, inquit, promptum animum tuum ; sed jam bene vale. » Etsi autem S. virgo, illo recedente, ex quibusdam signis conjecit Dominum Jesum esse : tamen, quia tanta gratia se indignissimam putabat, ad consueta se recepit exercitia sua. Sed nocte sequenti Dominus ei oranti manifeste se visendum præbuit, in illius pauperis effigie, in manu tenens tunicam, quam ipsi virgo dederat, margaritis jam et coruscantibus gemmis conspicuam, aitque se illi daturum vestem invisibilem, quæ ab ea arceret omne noxium utriusque hominis frigus. Quod certe etiam reipsa præstitit, adeo ut ex eo tempore, iisdem hieme, quibus æstate contenta fuerit vestibus : imo nec hiemis intemperiem unquam senserit. Simul autem etiam Dominus, cum hanc tunicam illi ostenderet, talia promissa ei fecit, unde certo illi constare posset, ipsam in cœlis excellenti gloria sine fine perfruituram.

Audiant divites, audiant principes auream Agapeti Pontificis sanctimonia clari sententiam in epist. parænet. *ad Justinianum Imp.*: « Vestimentum non veterascens est beneficentiæ amictus, et incorrupta stola est misericordia erga pauperes. Eum igitur oportet qui pie regnare vult, talium indumentorum pulchritudine animam exornare. Amoris enim in egenos qui indutus est purpuram, cœlestis quoque regni compos efficitur. »

8. AMPLIUS (hebraice *superabundanter*, id est aliquid supra sortem, vel capitale) NON ACCEPERIT.— Nota : Deus, inter alia crimina, etiam usuræ et usurariis mortem intentat, idque juste. Nam, ut ait S. Ambrosius lib. *De Tobia*, cap. X : « Nihil interest inter funus et fœnus, nihil inter mortem distat et sortem. » Et Cato rogatus: « Quid esset fœnerari? Est, inquit, hominem occidere. » Quocirca S. Ambrosius libro citato, cap. XII, usuram comparat echidnæ, sive viperæ : « Echidna, ait, quædam est fœneratoris pecunia, quæ tanta mala parturit. Echidna tamen fecunda pœnis viscera trahens, partu suo rumpitur, et morte materna docet sobolem non esse degenerem in matrem. Illam morsibus suis scindit. Illic ubi nascitur venenum, primum probatur. Pecunia autem fœneratoris omnia mala sua concipit, parit, nutrit, atque ipsa magis in sobole sua crescit, tristi prole numerosior. » Et inferius: « Ibi ergo dolores, ut parturientis. Unde etiam τόκους Græci appellaverunt usuras, eo quod dolores partus animæ debitoris excitare videantur. » Plura de usura dixi *Deuter.* XXIII, 9. Vers. 8. Fœnus est funus, et sors mors.

9. IN PRÆCEPTIS MEIS AMBULAVERIT, ET JUDICIA MEA CUSTODIERIT. — Idem per epexegesin aliis verbis inculcat. Idem enim in re sunt judicia et præcepta; sed connotato distincta, ut patet etyma intuenti. Alii per *præcepta* accipiunt affirmativa, per *judicia* negativa ; intellige gravia et obligantia sub peccato mortali. Nam ut sapienter ait S. Augustinus in *Sententiis* : « Sicut non impediunt ab æterna vita justum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur : sic ad salutem æternam nihil prosunt aliqua bona opera impio, sine quibus difficillime vita cujuslibet pessimi hominis invenitur. » Vers. 9.

UT FACIAT VERITATEM, — id est officium, vel debitum virtutis. Sicut enim veritas in dictis, est adæquatio dicti ad id, quod est in mente ; sic veritas in factis, est adæquatio operis ad id, quod dictat lex, ratio aut fides agendum esse.

VITA VIVET, — vitam vivet felicem, scilicet temporalem; et *secundo*, vitam gratiæ et gloriæ in cœlo vivet justus et beatus. Nam vita vivere, Hebræis est jucunde, feliciter, ad voluntatem et voluptatem vivere.

Vers. 13. 13. MORTE MORIETUR, — infelici morte rapietur, non ei scelerato proderit patria virtus. Ita Prado.

SANGUIS EJUS IN IPSO ERIT, — luet sanguine, id est morte quam sibi conflavit; ipse sibi causa erit mortis. Sic cap. XXXIII, 4, dicitur: «Sanguis ipsius super caput ejus erit.» Aliter Chaldæus, *q. d.* Reus erit mortis. Aliter quoque Maldonatus, *q. d.* Pœnas persolvet sanguinum, id est homicidiorum quæ perpetravit: sicut aliorum sanguinem fudit, ita sanguis ejus fundetur.

Vers. 14 et 17. 14 et 17. SI GENUERIT (latro jam dictus vers. 10 et sequentibus) FILIUM, QUI VIDENS OMNIA PECCATA PATRIS SUI QUÆ FECIT, TIMUERIT, ET NON FECERIT SIMILE EIS, etc., HIC NON MORIETUR IN INIQUITATE PATRIS SUI, SED VITA VIVET. — Sic Achaz, Manasses, Amon, reges impii, male perierunt: horum vero pii filii, scilicet Ezechias et Josias, vixerunt felices et gloriosi. Ita Theodoretus.

Dices: *Exod.* XX, 5, dicitur: «Ego Deus zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam et quartam generationem.» Rursum II *Reg.* XXIV, ob peccatum David cæsa sunt 70 millia populi. Ob peccata Dathan, Abiron et Sodomitarum tota familia et gens cum parvulis innocentibus est deleta. Sic in Madian Deus omnes etiam parvulos occidi jussit, *Num.* XXXI, 17. Sic in Jericho jussit Josue omnes etiam infantes occidi, *Josue* VI, 17 et 21. Ergo Deus peccata parentum punit in filiis.

An, et quando Deus puniat peccata patrum in filiis? Respondeo primo. Respondet S. Augustinus, *epist.* 75, filios ob peccata parentum puniri pœna corporis, quod a parente acceperunt, non pœnis animæ, id est spiritalibus. Verum Ezechiel, æque ac Moses, loquitur proprie de pœnis corporis, ut dixi.

Secundo. *Secundo*, S. Augustinus, *Enchiridii* XLVI; S. Leo, *epist.* 84, et S. Gregorius, XV, *Moral.* XXII, hæc explicant de peccato actuali, quod opponitur originali: Peccatum, inquiunt, originale trahimus a parentibus, quia unum cum illis sumus: sed ab eo liberati per baptismum, jam non parentum culpas, sed quas ipsi committimus, habemus. Verum Ezechiel, uti et Moses, loquitur de pœna, non culpa; pœna, inquam, temporali non peccati originalis, sed actualium, quæ Judæi post circumcisionem, et deletum per eam peccatum originale, commiserant.

Tertio, S. Augustinus, lib. VI *Quæst. veter. Testam.* cap. VIII, et S. Thomas, I II, *Quæst.* LXXXVII, art. 8, respondent Deum flagellare filios, etiam bonos, malorum parentum, ut hæc flagella sint pœna parentum et medicina præservativa filiorum. Idem docet Plutarchus lib. *De Sera numinis vindicta.* Hoc refellit Prado: quia hæc filiorum medicina est, non pœna.

Quarto, Maldonatus respondet hanc generalem Prophetæ sententiam intelligendam esse, non generaliter de omnibus personis et de omni tempore: sed accommodate ad id, de quo agitur. Agitur autem hic de pœnis, quas Judæi ob peccata Manassis se luere querebantur: quibus respondet Deus fore, ut non amplius ob peccata Manassis puniantur, sive quia ob ea jam sat pœnarum dederant; sive quia ipsi satis peccatorum habebant, ut merito de illis gravissimas pœnas Deus sumeret. Verum verba Prophetæ generalia generalem esse sententiam evincunt, esto occasio ejus fuerit particulare scelus Manassis.

Quinto, et verius. Respondeo ergo Prophetam loqui de adultis filiis piis, qui impiorum parentum peccata detestantur; Mosen vero loqui de impiorum patrum impiis filiis, qui peccata parentum imitantur: in his enim peccata parentum punit Deus. Tunc enim parens et in se punitur, et in filio: ac filius punitur ob peccatum patris, non quatenus est peccatum patris, sed quatenus illud imitatus est et sibi proprium effecit. Verum tamen est, quod non puniretur ita cito et graviter filius, nisi peccata patris præcessissent; quia gravius peccat, eo quod majorum scelera imitans, ea approbet et complacendo participet, ideoque impudentior sit et pervicacior, dum iisdem sua addit et adjicit ut faciat cumulum. Ita S. Hieronymus. Vide dicta *Exod.* cap. XX, 5. Dico, de adultis, quia parvulos pœna mortis temporalis subinde punit Deus, et communi parentum cladi involvit, ut patet in Sodomis, in Jericho, in Chanaan, in Madianitis, in Davide. Ratio est, quia parvuli sunt quasi unum adhuc cum parente, ejusque quasi pars et possessio. Unde parvuli insontis morte gravius cruciatur parens, sceleris sui conscius. Ipsis autem parvulis hac morte bene fit; quia si peccato originali expiati sunt, salvantur, et periculis damnationis eripiuntur. Sin in eo sunt, uti fuerunt Sodomitarum parvuli, præstat cum eo solo mori, quam cum multis et infandis actualibus, in quæ incidissent certo, si vixissent. In adultis ergo filiis impiis impiorum parentum, verum est illud Exodi dictum: adulti enim filii a parentibus discunt et imbibunt mores sceleratos, ob quos tam ipsi, quam parentes in ipsis puniuntur. Simile est proverbium: «Mali corvi malum ovum.» Cujus origo hæc a nonnullis refertur: Corax quidam primus Syracusis, post mortem Hieronis, instituit artem rhetoricen mercede profiteri. Cum hoc adolescens quidam Tisias hac lege pactus est, ut tum demum mercedem persolveret, ubi artem perdidicisset. Dein ubi jam arte cognita, præmium reddere cunctaretur, Corax in jus discipulum vocat. Ibi juvenis hujusmodi dilemma proponit: Percunctanti quis esset rhetorices finis, ubi Corax respondisset, persuadere dicendo: «Age, inquit, si persuadeo judicibus me nihil debere, non reddam, quia vici causam; sin minus persuadeo, non reddam, quia non perdidici artem.» At Corax dilemma quasi ἀντιστρέφων in discipulum retorsit: «Imo, inquit, si

persuades, dabis, quia tenes artem, et debes ex pacto : sin minus, dabis, quia sententiis judicum damnatus. » Quod commentum tam vafrum adolescentis audientes judices succlamarunt : Κακοῦ κόρακος κακὸν ὠὸν, *Mali corvi malum ovum.* Corax enim græce corvum significat! Ita legitur in Prolegomenis in Hermogenis rhetoricam. Simile prorsus de Protagora Sophista, et ejus discipulo Evathlo, narrat Gellius lib. V, cap. X.

17. IN INIQUITATE (id est propter iniquitatem) PATRIS SUI.

18. ECCE MORTUUS EST (ecce morietur) IN INIQUITATE SUA, — propter iniquitatem suam.

20. ANIMA QUÆ PECCAVERIT, IPSA MORIETUR (1). — Hinc infert S. Augustinus, tract. III *in Apoc.* tom. IX : « Multi, ait, in corporibus vivis animas mortuas portare noscuntur. » Sicut enim anima est vita corporis : ita animæ vita est Deus et Dei gratia : hanc ergo per peccatum amittens anima, recte mori dicitur. *Secundo* et simplicius, « anima, » id est homo, qui peccaverit, ipse morietur, morte tum temporali (quam maxime timebant Judæi), tum spiritali et æterna. Quid est ergo peccatum ? Est mors animæ immortalis : est ergo mors viva, mors æterna, quia est mors animæ semper viventis et æternæ. Ejus ergo mors immortalis est peccatum.

JUSTITIA JUSTI SUPER EUM ERIT, — *q. d.* Justus referet mercedem justitiæ suæ, scilicet vitam; et impius impietatis suæ pœnas, scilicet mortem. Hinc liquet nos formaliter esse justos per justitiam, non Christi nobis imputatam, ut volunt hæretici, sed per propriam et inhærentem, quam Deus ob Christi merita animæ infundit. Rursum; nos tam vere et proprie cum gratia Dei bene operando præmia mereri, quam sine illa male operando pœnas et mortem meremur. De utroque enim eodem modo loquitur hic Propheta.

Moraliter, hinc disce illud S. Clementis lib. II *Const. Apost.* cap. XIV : « Non esse vitandam communitatem sermonis cum delinquentibus, sed actionis; » hæc enim contaminat, non illa.

Vers. 21. 21. SI AUTEM IMPIUS EGERIT POENITENTIAM, — si corde conteratur, si serio doleat et pœniteat, mutetque vitam. Unde hebraice est : *Cum discesserit ab omnibus peccatis suis, et custodierit omnia præcepta,* id est proposuerit custodire omnia, esto necdum actu custodiat; neque enim uno die aut hora servari possunt omnia mandata; neque tamen exspectanda est remissio peccatorum ad longum tempus, cum Ezechiel cap. XXXIII, 12, asserat peccatorem quacumque die conversus fuerit, indulgentiam habiturum. Hæc ergo ad votum et propositum custodiendi mandata, quod includit pœnitentis contritio, referenda videntur. Hebræorum enim verba sæpe actum non perfectum, sed inchoatum, puta propositum, destinationem, conatum significant. Sic Paulus ait : « Gratiam, quæ data est (id est dari decreta sive prædestinata) nobis ante tempora sæcularia, » II *Timoth.* I, 9. Hic ergo pœnitens « in justitia sua, quam operatus est, » id est quam operari cœpit, et deinceps se operaturum firmiter proposuit, « vivit. » Ita D. Bellarminus, lib. II *De Pœnit.* cap. VI, qui hinc probat requiri ordinarie formale propositum emendationis ad veram contritionem : nec sufficere virtuale. E contrario Andreas Vega, lib. XIII *in Trident.* cap. XXI, dicens sufficere virtuale, sic explicat, *q. d.* Post justificationem per pœnitentiam adeptam, in ea permanendum est, per custodiam omnium præceptorum deinceps. Verum, quia Propheta hoc requirit quasi conditionem et dispositionem ante remissionem peccatorum, ut Deus eorum non recordetur, utque peccator vita vivat : hinc prior expositio verior est, quam sequuntur Cajetanus, Soto, Navarrus, Gerson, Ruardus et alii, quos citat et sequitur Franciscus Suarez tractat. *De Pœnit.*, Quæst. LXXXV, art. 1, disp. IV, sect. III.

VITA VIVET, — certo vivet tum vita temporali, tum spiritali et æterna. Vide dicta vers. 4.

22. OMNIUM INIQUITATUM EJUS, etc. NON RECORDABOR. — « Adeo, ait S. Hieronymus, peccata patrum in filios non redundant, ut si ipse idem impius pœniteat, Deus dicat : Non recordabor peccatorum ejus. » Nota vim pœnitentiæ, quæ peccatum non tantum ex conscientia, sed et e Dei memoria delet, Dei, inquam, qui læsus est. Nam alias de hominibus vulgo dicitur : Vers. 22. Pœnitentia delet peccatum e memoria Dei.

Pulvere qui lædit scribit, sed marmore læsus.

Hebraice est, *non recordabuntur illi,* id est non imputabuntur ei ad culpam et pœnam, id est condonabuntur et abolebuntur, ut amplius non sint.

Hinc ergo patet contritionem perfectam, quæ absolute omnia peccata admissa, quasi summa mala, detestatur ex amore Dei super omnia, cum serio et absoluto proposito ea omniaque alia deinceps cavendi, abolere peccata omnia, et adducere gratiam justificantem. Est enim ipsa ad eam ultima dispositio : quocirca hæc contritio vocatur, et reipsa est « charitate formata. » Porro sicut hoc in veteri Testamento (ubi Sacramenta ex opere operato justificantia, aliaque justitiæ remedia non habebant) verum fuit : ita est et in novo. Est enim Contritio justificat, quasi ultima dispositio ad justitiam.

(1) Vers. 19. « Et dicitis : Quare non portavit filius iniquitatem patris? » oppositum potius objecerant; quare filiorum dentes obstupuerunt ob parentum intemperantiam? Verum non repetuntur nunc Judæorum verba querula, inquit Rosenmuller, sed per prolepsin solvitur quæstio, ut recte notavit Hieronymus, quam poterat auditor opponere, ac si dicat : Quod si rogetis, cur non sustinet hic filius pœnam delictorum patris grassatoris? Videlicet quoniam non eamdem viam, quam pater insectatus est, sed mea præcepta patris institutis anteposuit. Justumque est, ut quomodo peccator in suo scelere moritur, sic justus suis vivat virtutibus. Vix autem dubium, quin vates respiciat effatum illud Jovanum, *Exod.* XX, 5 (repetitum ibid. XXXIV, 6; et *Jerem.* XXXII, 18), de pœnis a filiis sumendis, quorum patres peccarunt, quod cum adversari videri possit divinæ justitiæ, Noster verum illius sensum explicat.

hoc quasi connaturale veræ contritioni : Deus autem naturam et ordinem rerum non mutat, sed perficit. Ita docent Patres et Scholastici omnes III part. in materia *De pœnitent.*, imo Concilium Tridentinum, *sess.* XIV, cap. IV.

Objicitur hic everti Purgatorium. Respondeo.

Ex hoc loco purgatorium impugnat Petrus Martyr : Si Deus, inquit, post pœnitentiam et contritionem non recordatur peccatorum : ergo ea non punit pœna temporali in hac vita, aut futura. Respondeo negando consequentiam. Nam sensus hujus loci est : « Iniquitatum non recordabor, » supple, quasi manens infensus, et hostis, qui recordatur injuriæ ab hoste acceptæ, ut eam vindicet ; sic enim Deus ante pœnitentiam recordabatur peccati : post eam vero jam reconciliatus, non recordatur, *q. d.* Ego jam depono injuriæ memoriam ac inimicitiam, quam hactenus cum eo qui peccavit, in mente gessi et servavi : jam eam in gratiam et amicitiam recipio et restituo, ac proinde vita vivet, et non morietur, *q. d.* Non puniam eum morte, uti ante decreveram, sed vita tum præsenti (Judæos qui hanc maxime spectabant et optabant), tum æterna vere pœnitentes, mihi reconciliatos donabo, in eaque conservabo ; ita tamen, ut pœna aliqua temporali, vel hic, vel in purgatorio luant et expient, non quasi hostes, sed quasi amici et filii, qui nuper me offenderunt, ob delectationem, quam in peccato et mei offensa hauserunt. Alioquin enim constat Deum speculative recordari peccatorum, uti et rerum cæterarum omnium, quæ præteritæ sunt ; ergo hæc sententia non omnino absolute, sed determinate ad præsentem materiam accipienda et limitanda est. Nam ex adverso de justo dicitur, quod si peccet, « Omnes justitiæ non recordabuntur, » scilicet ita, ut propter eas maneat justus et amicus, vitaque donetur præsenti et æterna. Constat enim, quod Deus eorum, imo illorum qui semper fuerunt impii, bona opera subinde mercede aliqua temporali remuneretur : idque diserte docent S. Chrysostomus, homil. 67 *ad Popul.*, Hieronymus in cap. XXXIX *Ezechiel.*, Augustinus, lib. V *De Civit. Dei*, cap. XV.

23. NUMQUID VOLUNTATIS MEÆ EST MORS IMPII? — numquid antecedenter, et ex meipso volo, ac delector morte impii? Absit hoc a divina bonitate et clementia. Apage ergo, Calvine, qui blasphemas, Deum damnandos creasse ad suam damnationem et mortem æternam : fatum hoc non christianum, non stoicum, sed tyrannicum, sed diabolicum est.

24. OMNES JUSTITIÆ EJUS QUAS FECERAT, NON RECORDABUNTUR, — ut eum coram Deo faciant justum, gratum, vitaque dignum, non morte. Vide dicta vers. 22.

25. ET DIXISTIS : NON EST ÆQUA VIA DOMINI. — Vere S. Augustinus in *Sent.* tom. III, sent. 177 : « Sicut, ait, palato non sano pœna est cibus, qui sano suavis est ; et oculis ægris odiosa lux, qua incolumis gaudet obtutus : illa displicet iniquis justitia Dei, cui si subjicerentur, non conturbarentur. »

NUMQUID VIA MEA NON EST ÆQUA? etc. CUM ENIM AVERTERIT SE JUSTUS. — Nota : Deus calumnianti bus suam justitiam respondet illud idem quod calumniabantur, quasi hoc argumento eos convincens ; quia videlicet prima principia causam et demonstrationem non habent, sed seipsis nituntur et intelliguntur cognitione et inculcatione terminorum. Sic divina veritas sibi nititur, et divina æquitas justitiæ suæ nullam præter seipsam rationem habet : sed res ipsa clamat eam esse justissimam. Ita Polychronius, Theodoretus, Prado et alii. Sic Cicero crimen parricidæ exaggerans ait : « Matrem tuam occidisti. Quid dicam amplius? matrem tuam occidisti. » Quia gravius non habebat, quod adderet.

26. MORIETUR IN EIS, — pro eis, propter eas, scilicet iniquitates. Aliter Theodoretus et Polychronius, *q. d.* Qui obduratus est in peccatis et impœnitens, morietur in eis, ac consequenter ibit ad mortem æternam. Vers. 26.

27. VIVIFICABIT. — Septuaginta, *Custodiet et servabit in vita.* Vers. 27.

30. NON ERIT IN VOBIS IN RUINAM INIQUITAS, — peccatum non erit vobis causa ruinæ et mortis. Vers. 30.

31. COR NOVUM, — novam voluntatem, spiritum novum, novum affectum, ardorem, ut ab idolis ad me, a vitiis ad virtutes transeatis. Notat libertatem arbitrii, qua cum gratia Dei possumus nobis facere cor novum. Vers. 31.

QUARE MORIEMINI? — id est, ut Vatablus, cur negligentia vestra et impœnitentia committeretis ut moreremini? Atque ut Maldonatus : Si hoc feceritis, nihil causæ erit cur moriamini. Non enim voluntatis meæ est mors vestra, ut dixi vers. 23. Peccatum solum vobis est causa mortis, quare moriemini? cur sponte vestra mori vultis? cur non arripitis salutem quam vobis offero?

Pia Dei invitatio ad pœnitentiam.

Præclare et efficaciter noster Prado verba Prophetæ urget et exhaurit. Si ego, inquit, qui supremus judex sum, in vestram partem inclino, et sententiam damnationis ferre omnibus modis recuso ; si ego ipse, qui actor sum, vel a vobis lacessitus, vindictam non expeto, sed sponte noxam condono, si sani estis, neque vitam propriam despicitis : « Et quare moriemini, domus Israel? » cum pro actore habeatis advocatum, et pro judice patronum? Moriemur, quia lex ministra mortis transgressores damnat. Sed ego pœnitentes absolvo : « Quare igitur moriemini? » Quia patres nostri peccaverunt, nos morimur. At vivo ego, quia filii non portabunt iniquitatem patrum. « Et quare moriemini, domus Israel? » Quia fecimus pactum cum morte, et fœdus cum inferno. Sed in vestra potestate est, dissolvere fœdus percussum : revertimini, et vivite. « Quare moriemini, domus Israel? » Quia lege membrorum gravati in mortis barathrum dejicimur. Sed fas est, si lubet, facere vobis cor novum. « Et quare moriemini? »

Quia arduum est ad vitam conari per legis custodiam. Atque facile est vobis comparare spiritum et animum novum, quo ad cœlestem vitam rapiamini. « Quare moriemini, filii Israel? » Quia jam neci traditi sumus a divina justitia. At ego, qui nolo mortem morientis, ab ipsis faucibus mortis etiam devoratos eripiam. « Quare igitur moriemini? » Quia Dominus oblitus est nostri ob peccata regum nostrorum, Achaz et Manassis, ideo morimur. Sed oblivisci non possum Abraham, Isaac, Israel et Davidis obsequia : eorum memor, vobis, o domus Israel! misericordiam exhibebo et clementiam. « Et quare moriemini? » Quia divinæ potentiæ obsistere non valemus, quæ nos Babyloniis venumdedit. At licet vobis, si ad misericordiam confugiatis, contra Deum fortes esse, quod olim Israelem patrem vestrum fecisse non ignoratis. « Quare ergo moriemini? » Illud unum est, quod vos accusat, quod deprimit, quod damnat, et morti adjudicat, nimirum quod resipiscere non vultis, quia quid sit vivere necdum nostis. Sed ego vel phrenesi tam periculosa laborantes non desinam admonere et ad saniora consilia cohortari : « Quare moriemini, domus Israel? quia nolo mortem morientis, etc., revertimini, et vivite. »

Milesiarum virginum, et peccatorum furor.

Narrat Plutarchus olim Milesias virgines furore actas, solitas sibi mortem consciscere, cum nihil haberent causæ, nisi : « Volo mori. » Dumque nec minis, nec promissis ab hac re averti possent, sapientem quemdam hoc consilium dedisse, ut, quotquot se enecassent, publice nudæ suspenderentur. Infamia hæc virgines a sui cæde compescuit. Ita facit peccator; nam quasi furens in suam necem ruit, sibi ipsi mortem consciscit, eamque æternam. An non hæc amentia? annon furor? damnati jam suum furorem, suum errorem vident et dolent. « Sed sero sapiunt Phryges. » Juste ergo hic vermis conscientiæ jugiter rodit eos : Cur, stolidissime viventium, hanc tibi miseriam æternam sponte ascivisti? cur te in æternitatem incendiorum ultro conjecisti? Nemo te compulit : diabolus non coegit, sed invitavit. Tu tibi imputa tuam sortem; tu libere elegisti mortem præ vita, dæmones præ angelis, infernum præ cœlo. Dum tempus habemus, hæc cogitemus et sapiamus.

CAPUT DECIMUM NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Luget cladem Hierosolymæ ac filiorum Josiæ, scilicet Joachaz, Joakim, Joachin et Sedeciæ regum Juda, eamque sub duabus metaphoris describit. Prima est catulorum leonum; secunda vineæ, vers. 10.

1. Et tu assume planctum super principes Israel, 2. et dices : Quare mater tua leæna inter leones cubavit, in medio leunculorum enutrivit catulos suos? 3. Et eduxit unum de leunculis suis, et leo factus est : et didicit capere prædam, hominemque comedere. 4. Et audierunt de eo gentes, et non absque vulneribus suis ceperunt eum : et adduxerunt eum in catenis in terram Ægypti. 5. Quæ cum vidisset quoniam infirmata est, et periit exspectatio ejus : tulit unum de leunculis suis, leonem constituit eum. 6. Qui incedebat inter leones, et factus est leo : et didicit prædam capere, et homines devorare : 7. didicit viduas facere, et civitates eorum in desertum adducere ; et desolata est terra, et plenitudo ejus, a voce rugitus illius. 8. Et convenerunt adversus eum gentes undique de provinciis, et expanderunt super eum rete suum : in vulneribus earum captus est. 9. Et miserunt eum in caveam, in catenis adduxerunt eum ad regem Babylonis : miseruntque eum in carcerem, ne audiretur vox ejus ultra super montes Israel. 10. Mater tua quasi vinea in sanguine tuo super aquam plantata est : fructus ejus, et frondes ejus creverunt ex aquis multis. 11. Et factæ sunt ei virgæ solidæ in sceptra dominantium, et exaltata est statura ejus inter frondes : et vidit altitudinem suam in multitudine palmitum suorum. 12. Et evulsa est in ira, in terramque projecta, et ventus urens siccavit fructum ejus : marcuerunt, et arefactæ sunt virgæ roboris ejus : ignis comedit eam. 13. Et nunc transplantata est in desertum, in terra invia et sitienti. 14. Et egressus est ignis de virga ramorum ejus, qui fructum ejus comedit : et non fuit in ea virga fortis, sceptrum dominantium. Planctus est, et erit in planctum.

1. PRINCIPES ISRAEL, — reges jam in synopsi ominatos (1).

2. QUARE MATER TUA LEÆNA INTER LEONES CUBAVIT? — Matrem vocat familiam regiam Davidis, vel potius Synagogam, ut Vatablus; vel, ut optime Prado et Maldonatus, Hierosolymam. Addit « tua, » id est vestra, quia tam singulos, quam omnes reges jam dictos alloquitur. Porro Jerusalem vocatur *leœna*, ob nobilitatem, audaciam et sævitiam incolarum : leones sunt vicini reges gentium, *q. d.* Olim Jerusalem citra ullum metum versabatur inter reges gentium, perinde atque leœna intrepida inter leones. Ita Origenes, S. Hieronymus et Theodoretus.

Rursum leœna notat Jerosolymæ impudicitiam : leœna enim symbolum est meretricis, quæ in amasios rapacitatem et imperium exercet. Nam ut ait Poeta :

Par est leœnæ et feminæ crudelitas.

Unde meretrices vocantur Megaricæ sphinges; sphinges enim capite erant humano, sed corpore leonino. Sed et ante urbem Corinthum Veneris erat templum, juxtaque Laidis tumulus, cui leœnæ imago apposita videbatur, ariete inter priores pedes apprehenso : quod nimirum ejus petulantiam indicabat, qua præcipue lasciviunt arietes. Idem ex Aristophane confirmat Pierius, lib. I *Hierogl.* cap. XXI.

ENUTRIVIT (Hebraice רבתה *ribbeta*, id est multiplicavit) CATULOS SUOS, — scilicet leunculos, *q. d.* Jerusalem principes suos filios regum enutrivit inter leunculos, id est inter alios principes filios regum et principum. Leunculos vocat Joachaz, Joakim, Joachin et Sedeciam, tum quia juvenes erant; tum quia respectu Davidis, Salomonis, Josiæ aliorumque priorum regum exigui fuerunt, atque sub iis regnum collabi cœpit. Ita Maldonatus.

Leœnam semel tantum parere censet Epiphanius, sed falso.

Tradit Epiphanius, *hæresi* LXXVIII, quæ est Antidicomarianitarum, physicos (puta Herodotum, lib. III *Histor.*, qui fabulosus est, cujus verba recitat Gellius, lib. XIII, VII), docere quod leœna tota vita unum tantum pariat catulum, ut per illam repræsentetur B. Virgo, quæ unum tantum peperit filium, scilicet Christum. « Aiunt, inquit, leœnam non parere præterquam semel et unum. » Causam subdit, quod ipsa per 26 menses fœtum utero gestet; itaque fœtum suis saltitationibus, motibus et unguibus « divellere et incidere matricem, » ac proinde « una cum partu etiam uterum ac matricem excerni. » Leo ergo est Christus, leœna Virgo mater. « Leœnæ autem non contingit secundus partus. Ergo non amplius partum novit Maria, non amplius conjunctionem corporum sancta Virgo. » Hausit hoc S. Epiphanius ab Ægyptiis, ex quibus Horus Apollo, lib. II *Hierogl.* cap. LXXVIII, semel, inquit, enixam mulierem significantes leœnam pingunt; hæc enim bis uterum non fert. Commentum Ægyptiorum hoc censet Aristoteles, et Plinius, lib. VIII, cap. XVI. Quare S. Epiphanius, hic non suam sed aliorum refert sententiam, eamque apposite adaptat B. Virgini. Nam illam falsam esse patet ex hoc loco, ubi leœna dicitur habere plures catulos et leunculos. Idem rationes evincunt. Si enim leœna unum tantum pareret catulum, species leonina multiplicari non posset, sed in uno semper unius catuli capite consisteret, cum tamen sciamus certo toto orbe plures esse leones. *Secundo*, si catulus sit mas, aut si occidatur antequam generet, species leonina interiret, cum mater ejus leœna amplius generare nequeat. Constat autem Samsonem, *Judic.* XIV, 5, Davidem et alios plures cepisse et occidisse catulos leonum, etiam tenerrimos, antequam generare possent. Ergo jampridem interire debuisset species leonum. Scimus consequens esse falsum, ergo et antecedens. *Tertio*, catulus leonis semper deberet esse femina, ut per eam propagari posset species : atque hæc a parente suo leone imprægnari deberet, itidem ejus proles, et rursum prolis proles, idque consequenter per omnia sæcula; utpote cum non sit alius leo, qui id facere possit, posito quod unus sit tantum leœnæ per omnem vitam catulus, unaque unius generatio. Hæc et plura absurda evincunt sententiam hanc esse falsam. Constat enim ex *Genes.* VII, 2, unum tantum par leonum, scilicet unum marem et unam feminam, servatum esse in arca Noe, ad speciei propagationem; ex quo tantum leonum numerum toto orbe jam propagatum cernimus. Denique Aristoteles, et ex eo Plinius, lib. VIII, cap. XVI, tradunt : « Leœnam primo fœtu parere quinque catulos, ac per annos singulos uno minus, ab uno sterilescere. » Idem scribunt Homerus (quem citat Gellius, lib. XIII, cap. IX); Solinus, Oppianus, Philostratus, Ælianus, lib. X; Rhodiginus, lib. XXIX, cap. IX, et alii, quos citat Gesnerus in *Leone*, pag. 650.

Tyranni vocantur leones, cur?

Nota : Tyranni insignes in Scriptura comparantur leoni, ut Pharao, *Ezech.* XXXII, 2, Nabuchodonosor, *Jerem.* IV, 7; quia leo magnanimus est, pervigil et sævus, adeoque omnia animalia subjugat et prædatur. Ita Lucullus consul Romanus cum Mithridate Ponti rege bellum gerens, cum ad Troadem appulisset, et juxta ædem Veneris castra haberet, visus est deam sibi noctu hæc dicentem audire : « Quid dormis, generose leo? en hinnuli

(1) Regnum Juda, quod everso decem tribuum regno solum supererat, appellat antiquo nomine, atque ante tempora Roboami communi universis tribubus, videlicet Israelis. Cf. supra XVII, 2. Hieronymus, postquam monuisset se plures hujus loci explanationes legisse, sed tantis obscuritatibus impeditas, ut non tam aperuerint, quam involverint lectionem, atque ex illis unam alteramve commemorasset, « nos autem, » pergit, « istiusmodi explanationes lectoris arbitrio relinquentes, dicemus, captivitate vicina Prophetam non tam futura vaticinari, quam narrare præterita. Post sextum enim Sedeciæ annum (siquidem statim in consequentibus, cap. XX, 1, legimus : *Et factum est in anno septimo, in quinto mense*, etc.), assumitur planctus super principes, omnes videlicet, qui de Josiæ stirpe generati sunt. »

tibi præsto. » Experrectus, cum audisset classem hostilem in propinquo stationem habere, eam invasit, et prælio victos omnes cum Isidoro duce occidit. Mox Tigranem regem Armeniæ aggressus est. Tigranes, militum ejus paucitatem contemplans, dixit : « Si quidem legati adsint, esse multos; sin milites, paucos. » Verum Lucullus in eos irruit; et trucidavit ut leo, adeo ut Livius prælium illud admirans dicat nunquam Romanos dimicavisse numero hostium tanto inferiores; victores enim vigesimam eorum fuisse partem, qui victi fuerant. Unde et Antiochus philosophus scribit solem nullam aliam talem pugnam vidisse.

Secunda, leo est solitarius, quia nulli se comparari patitur.

Iursum leones, ait S. Basilius, homil. 9 *Hexam.*, incedunt solitarii : causamque addit, ne videlicet pares honores congressionesque cum cæteris acceptent. Idem faciunt reges : ut enim excellentiam suam ostendant soli degunt, caventque ne cum aliis regibus concurrant. Ad hæc, sicut aquila inter aves; Leviathan, id est balæna, inter pisces : sic leo rex est inter bestias.

Hac de re insignis exstat apologus in mythis Æsopi : Leo, inquit, asinus et vulpes societatem inierant, ut quod venando cepissent, id inter se dividerent. Ergo cum venatu prædam essent nacti, mox jubet leo ut asinus eam dividat. Ille, ut erat stolidus, in tres æquas portiones partitus est. Hac partitione indignatus leo, quod cæteris æquaretur, asinum adortus discerpsit : inde jussit vulpi quæ supererat sola, ut prædam dividat. Vulpes ergo asini clade cautior totam fere prædam leoni attribuit, sibi vix portiunculam servans. Leo, probata distributione, rogat quisnam illam dividendi artem docuisset? cui vulpes : Calamitas, inquit, asini. Hoc apologo docemur cavendam esse plebeiis societatem cum principibus aut præpotentibus. Hæc enim est societas leonina, in qua leo cæteros vi fraudans, omnia pene sibi adscribit. Ita in *Pandectis,* ex Ulpiano narrat Aristo, Cassium jurisconsultum respondisse, societatem talem coire non posse, ut alter lucrum tantum, alter damnum sentiret, et hanc societatem esse leoninam.

Tertia.

Tertio, leones soli ex feris clementia utuntur in supplices et prostratis parcunt, teste Plinio, lib. VIII, cap. XVI. Idem faciunt reges, quorum hoc est axioma :

Parcere subjectis, et debellare superbos.

Quarta.

Quarto, leones, ait Plinius, timent rotarum orbes circumactos, et currus inanes, ac cristas cantusque gallinaceorum; sed maxime ignes : ita tyranni umbras timent, res nihili suspectas habent, et quemvis populi concursum ac globum, hostilem putant.

Quinta.

Quinto, leones, æque ac tyranni, a teneris natura sua feruntur ad prædam. Idem faciunt et lynces, quorum tota memoria et anima est in fame et præda. Audi S. Hieronymum *ad Chrysogonum,* epist. 44 : « Quod natura, ait, lynces insitum habent, ne post tergum respicientes meminerint priorum, et mens perdat, quod oculi videre desierint : ita nostræ es necessitudinis oblitus. » Et mox docet lynces in capreas et cervos incautos, dum frondes arborum captant, insilire, « Currentemque, ait, frustra prædam, dum hostem suum secum vehit, rabido desuper ore dilaniant, et tandiu meminere prædandi, quandiu venter vacuus siccum fame guttur exasperat : ubi vero sanguine pasta feritas viscera distenta compleverit, cum saturitate succedit oblivio, tandiu nescitura quid capiat, donec memoriam revocaverit esuries : tu ergo, ait, o Chrysogone, necdum satiatus nobis, cur finem jungis exordio? » etc. Tyranni ergo sævitia superant leones et lynces; nam horum prædandi cupido et gula cum fame saturatur : tyrannorum vero avaritia et ambitio insatiabilis est, nec nisi morte et strage, non tam aliorum, quam propria finitur et desinit.

Lynces respiciendo, et comendo perdunt memoriam.

3. ET EDUXIT UNUM DE LEUNCULIS SUIS.: LEO FACTUS EST.— Intelligit Joachaz, qui et Sellum dictus est, quartum Josiæ filium quem, Josia mortuo, populus « eduxit, » Hebr. *extulit in altum,* i. e. sibi regem constituit, forte quia ipse fratribus erat animosior, bellicosior, crudelior. Chaldæus clare vertit : *Evexit unum de filiis suis, rex fuit.* Per catulos enim filios regum, per leonem regem intelligit : simulque indicat Joachaz, mox ut rex factus est, cœpisse rugire et sævire quasi leonem. Unde sequitur : « Didicit prædam capere, » etc. Hinc Proverbium : « Leonis catulum ne alas, » cujus auctor est Æschylus apud Aristophanem in *Ranis,* quo monemur non esse fovendam potentiam quæ rempublicam possit opprimere : quod si forte quis talis exstiterit, et jam prævaleat, non esse e republica dimicare cum illo; quem nequeas nisi magno reipublicæ malo superare. Tyrannus enim non est recipiendus : quod si receptus est, ferendus est. Vers. 3.

HOMINEMQUE COMEDERE. — Chaldæus, *occidere,* scilicet innocentes, uti fecerat Manasses ejus abavus, illorumque bona prædari.

4. AUDIERUNT DE EO (de ejus ferocia studioque bellandi) GENTES, — scilicet Ægyptii. Alludit ad morem gentium; cum enim audiunt leonem, ursum, similemve feram in locis agrisve suis versari et grassari, ex condicto omnes conveniunt ut eam capiant. Vers. 4.

ET NON ABSQUE VULNERIBUS SUIS CEPERUNT EUM. — Significat, quod tacet liber Regum, Joachaz quasi juvenem bellicosum, prælio cruento contra Ægyptios decertasse, et in eo vulnerantem et vulneratum captum esse. Hebraice, *captus est in fovea eorum,* scilicet Ægyptiorum stratagemate : sicut leo capitur in fovea, vel spelæo suo; aut potius in fovea, quam juxta spelæum, aut locum, in quo versari solet leo, facere solent venatores, eamque ramis aut germine tegere, ut nesciens leo in eo cadat ibique capiatur. Noster vertit, *in vulneribus,* quia hebræum שחת *sachat* significat et foveam, et interitum vel corruptionem, *q. d.* Multorum strage et cæde captus est. Hoc est quod di-

citur, IV *Reg.* XXIII, 33 : « Vinxitque eum (Joachaz) Pharao Nechao in Rebla. »

5. QUÆ (scilicet leæna, id est Jerusalem) CUM VIDISSET QUONIAM INFIRMATA EST, — id est orbata filio suo et rege Joachaz. Sic, I *Reg.* II, 5, dicit Anna de Phenenna : « Quæ multos habebat filios, infirmata est, » id est iis orbata; robur enim et decus matris consistit in filiis. Rursum : « Cum vidisset quod periit exspectatio; » Septuaginta, *substantia,* id est subsistentia, puta fortitudo, *ejus,* quam scilicet de regno Joachaz ferocis conceperat.

TULIT UNUM, — id est alterum, scilicet Joachin filium Joakim, aiunt S. Hieronymus et Theodoretus, vel potius ipsum Joakim patrem Joachini; hic enim proxime successit Joachaz, II *Paral.* XXXVI, 5, et per 11 annos regnavit, cum Joachin tantum per tres menses regnarit (1). Joakim ergo a Pharaone, cum consensu populi creatus rex, quasi leo incedebat inter leones; quia cum Pharaone, Nabuchodonosore et aliis vicinis regibus fœdus iniit, ac inter tyrannos quasi tyrannus incessit.

Moraliter nota : Parentes nimis amantes filios, eisque indulgentes, eos perdunt, itaque hæreditatem aliis, nec raro inimicis relinquunt. Id teste Horo Apollo lib. II *Hierogl.* LXII, Ægyptii indicabant pingendo simium, retroque parvum alterum. Is enim cum geminos pariat, ex his supra modum alterum diligit, alterum odit. Quem autem diligit, ante se assidue gestans suffocat : at quem odit, retro habet, et deinceps educat. Ita mater hæc nimis amans filios suos, eos perdidit, suumque et eorum regnum reliquit Chaldæis hostibus.

7. DIDICIT VIDUAS FACERE, — occisis earum maritis, et bonis fisco addictis. Hebraice est, *cognovit viduas ejus,* vel *suas,* quod Vatablus exponit, *q. d.* Libidinem exercuit cum viduis, quarum maritos occiderat. Verum hoc facere non solet leo. Noster ergo optime hebraismum expressit. Est enim aposiopesis : *scivit,* vel *didicit viduas ejus,* supple, *facere.* Chaldæus pro ל *lamed* legens ר *resch,* scilicet pro אלמנותיו *almenotaf,* id est *viduas,* legens ארמנותיו *armenotaf,* id est *palatia ejus,* vertit : *Arces et palatia eorum cognovit,* id est sibi vindicavit, ascripsit, pro suis habuit, agnovit ut propria.

ET CIVITATES EORUM, — hominum, quos occiderat. Est enallage numeri; transit enim a singulari ad pluralem. Populus enim collective est singularis, distributive pluralis.

DESOLATA EST TERRA, ET PLENITUDO EJUS. — Id est incolæ, qui terram implent, civitates suas deseruerunt et fugerunt ob sævitiam Joakim; sicut fugiunt animalia, audito rugitu leonis.

8. ET CONVENERUNT ADVERSUS EUM GENTES, — *q. d.* Babylonii suis copiis, quasi reti, ceperunt Joakim et abduxerunt eum in Babylonem.

IN VULNERIBUS EARUM (tam activis quam passivis, id est vulnerans, et vulneratus, ut dixi vers. 4) CAPTUS EST. — Hanc leonum stragem et parabolam apposite Cardinalis Baronius adaptat Leonum Imperatorum stirpi, quæ ob iconoclasmum, et ob rapinas necesque Religiosis illatas, a Deo excisa est, nimirum impegit fortis in fortem, leo in leonem, rex in Deum, et ab eo contritus est. Primus ergo Imperator iconoclasta fuit Leo Isaurus, qui post multas orthodoxorum, sanctas imagines venerantium, rapinas, exsilia et cædes, Numinis vindictam publicam sensit. Nam, irato Numine, totus contremuit Oriens, civitates complures solo æquatæ fuere, et quæ erant in urbe statuæ Imperatorum, collapsæ et contritæ sunt, quasi ipsæ stare non possent, ubi sacræ imagines essent ab ipso impio Leone prostratæ, qui nec ipse quidem amplius potuit esse superstes, nam paucos post menses a terræ motu ex hac vita sublatus est, anno Domini 741.

Successit Leoni filius Constantinus Copronymus, qui imperium iniit hæresin spargendo fraudulenter quasi vulpes, regnavit ut leo, mortuus est ut canis. Primo enim occulte; mox, imperio confirmato, publice grassatus est in sanctas imagines, templa, monachos, ipsamque B. Virginem, quam Deiparam non esse contendebat, sed ab ea plaga in cruribus percussus, quæ græce ἄνθραξ dicitur; indeque febrem validissimam contrahens, miserabiliter mortuus est, clamans et dicens : « Vivens adhuc igni inexstinguibili sum traditus, » anno Domini 775.

Copronymo successit filius Leo Junior, mali corvi malum ovum, et ex leone leunculus sæviens in sanctas imagines, earumque cultores; cumque insaniret circa lapides pretiosos, nimis adamavit coronam magnæ ecclesiæ, et accipiens gestavit eam. Mox prodierunt carbunculi in capite ejus, et captus valida febre, mortuus est anno regni quinto, Christi 780. Amans ergo carbunculos, ex sacrilegio carbunculos pariter passus est, et his coronatus, morte est punitus.

Leoni marito successit Irene uxor pia, cum Constantino filio decenni, quæ εἰρήνην, id est *pacem,* reipublicæ et Ecclesiæ attulit, ac statim ecclesiæ reddidit suum stemma, coronam scilicet a marito sublatam, pulcherrime fabrefactam, et gemmis pretiosis exornatam. Quocirca sub ea quidam, in Thraciæ muris fodiens, invenit arcam lapideam, et in ea virum jacentem, cui inscriptum erat : « Christus ex Virgine Maria nascetur. Credo in eum. Sub Constantino et Irene Imperatoribus, o sol! iterum me videbis. » Increbuit sermo, vatis alicujus ante Christum fuisse sepulcrum,

(1) Potius hic agitur de Joachino vel Jechonia, ut bene notant Rosenmuller, Calmetus et d'Allioli post S. Hieronymum et Theodoretum; is enim a matre seu populo, inconsulto Babylonio : at ille (Joakim) non a matre, sed ab Ægyptio (IV *Reg.* XXIII, 34) rex constitutus est. Intercedit regnum Joakimi. Id videtur comprehendi eo colo quo dicitur « quod periit exspectatio ejus. » Adde quod illa quæ de illo rege dicuntur vers. 6, 7, non nisi Joachino sive Jechoniæ aptari possunt.

ejusdemque fuisse hoc oraculum a Deo revelatum. Ita Theophanes, et Baronius in eorum gestis et annis.

9. MISERUNTQUE EUM IN CARCEREM, NE AUDIRETUR VOX EJUS ULTRA. — « Eum, » scilicet Joakim patrem; sub eo quoque intelligit Joachin filium (de quo hæc intelligunt S. Hieronymus et Theodoretus); Joakim enim primo rebellans Chaldæis, ab eis captus est, mox spondens se fore eis subditum, remissus est in regnum, rursumque rebellans, non captus, sed occisus est. Joachin vero captus, imo sponte se dedens Chaldæis, ab eis ductus est in Babylonem, ibique tota vita captivus permansit. Hinc Propheta omittit hic Joachin, quia eum sub patre Joakim complectitur. Sedeciam vero præterit, quia is adhuc hoc tempore regnabat.

Moraliter, vide hic quam brevis sit tyrannis, quamque celer et funestus tyrannorum exitus. En quatuor hi leunculi Joachaz, Joakim, Joachin et Sedecias, omnes simul vix 22 annis regnarunt. Vere Seneca, lib. I *De Clementia* : « Reges, ait, consenescunt : liberisque ac nepotibus tradunt regna, tyrannorum exsecrabilis ac brevis potestas est. » Thales, teste Laertio in ejus Vita rogatus : « Quid difficile vidisset? Tyrannum, inquit, senem. » Et Juvenalis, *satyr.* 1 :

> Ad generum Cereris sine cæde et sanguine pauci
> Descendunt reges, et sicca morte tyranni.

Et Curtius, lib. IV : « Nulla quæsita scelere potentia diuturna est. » Et Sallustius *ad Cæsarem* : « Equidem ego cuncta imperia crudelia, magis acerba quam diuturna arbitror; neque quemquam a multis metuendum esse, quin ad eum ex multis formido recidat. Eam vitam bellum æternum et anceps gerere; quoniam neque adversus, neque a tergo, neque a lateribus tutus sis, semper in metu aut periculo agites. » Et Seneca Tragœdus : « Necesse est multos timeat, quem multi timent. » Et Cicero, lib. II *De Officiis* : « Nulla vis imperii tanta est, quæ, premente metu, possit esse diuturna. Multorum odiis nullæ opes possunt obsistere. Quem metuunt, oderunt; quem quisque odit, periisse expetit. Malus est custos diuturnitatis metus, contraque fidelis est ad perpetuitatem benevolentia. » Idem, *Philip.* I et II, docet hanc tyrannorum esse vocem, sed insipientem : « Oderint, dum metuant. Nam timor non diuturni magister est officii. Millies perire est melius, quam in sua civitate sine armorum præsidio non posse vivere. Præsidium charitate et benevolentia civium septum oportet esse, non armis. » Denique Ælianus, lib. VI, cap. XIII : « Pulcherrime, ait, a diis immortalibus comparatum est, ut nullam tyrannidem usque ad tertiam generationem propagent, sed aut confestim tyrannos tanquam proceras piceas perdant et exstirpent, aut liberos eorum viribus denudent ac spolient. Memorantur apud Græcos intra hominum memoriam, hæ solum tyrannides usque ad nepotes permansisse, Gelonis in Sicilia, Leucaniorum in Bosphoro, et Cypsellidarum Corinthi. »

Omnis principatus brevis.

Porro id non tantum in tyrannis, sed et in legitimis regibus et principibus locum habet. Nam, ut ait *Eccli.* cap. X, 11 : « Omnis potentatus brevis vita. » Et alius : « Mundi gloria et prosperitas non est diuturnior, nec constantior, quam sit serenitas hiemis, tranquillitas navis, stabilitas lunæ. » Vis exempla? audi S. Hieronymum in *Epitaphio Nepotiani*, pag. 15 : « Constantius, arianæ fautor hæreseos, dum contra inimicum paratur, et concitus fertur ad pugnam, in Mopsi viculo moriens, magno dolore hosti reliquit imperium. Julianus proditor animæ suæ, et christiani jugulator exercitus, Christum sensit in Media, quem primum in Gallia denegarat; dumque Romanos propagare vult fines, perdidit propagatos. Jovianus, gustatis tantum imperialibus bonis, fœtore prunarum suffocatus interiit; ostendens omnibus, quid sit humana potentia. Valentinianus, vastato genitali solo, et inultam patriam derelinquens, vomitu sanguinis exstinctus est. Hujus germanus Valens, Gothico bello victus in Thracia, eumdem locum et mortis habuit, et sepulcri. Gratianus ab exercitu suo proditus, et ab obviis urbibus non receptus, ludibrio hosti fuit; cruentatæque manus vestigia parietes tui, Lugdune, testantur. Adolescens Valentinianus, et pene puer, post fugam, post exsilia, post recuperatum multo sanguine imperium, haud procul ab urbe fraternæ mortis conscia necatus est, et cadaver exanime suspendio infamatum. Quid loquar de Procopio, Maximo, Eugenio, qui utique dum rerum potirentur, terrori gentibus erant? Omnes capti steterunt ante ora victorum, et, quod potentissimis quondam miserrimum est, prius ignominia servitutis, quam hostili mucrone confossi sunt. Ad privatas veniam dignitates, nec de his loquar, qui biennium excedunt; atque ut cæteros prætermittam, sufficit nobis trium nuper consularium diversos exitus scribere. Abundantius egens Pithyunte exsulat. Ruffini caput pilo Constantinopoli gestatum est, et abscissa manus dextera, ad dedecus insatiabilis avaritiæ, ostiatim stipem mendicavit. Timasius, præcipitatus repente de altissimo dignitatis gradu, evasisse se putat, quod Assæ vivit inglorius. »

Ut alios sæculares taceam, idipsum clarissimum est in Pontificibus, quorum multi tres tantum annos, alii unum, alii paucos menses, alii paucos dies in Pontificatu sederunt. Vidimus uno eodemque anno 1590, successive illi præsidere tres Pontifices, Sixtum V, Urbanum VII, Gregorium XIV, et mox anno 1591, Innocentium IX, et post triginta dies Clementem VIII. Quin, et quod mirum videtur, ex omnibus Pontificibus, qui hucusque per annos 1618 Ecclesiam rexerunt, nemo exstitit, qui ad 25 annum Pontificatus perveniret. Accesserunt sat prope S. Leo I, qui 21 annis; S. Sylvester, qui totidem; et omnium proxime Adria-

nus I, qui anno Domini 772, creatus Pontifex, sedit ipsos annos 24, exceptis 43 diebus; sedit enim integros annos 23, menses decem, et dies 16; mortuusque est anno Domini 795, aiunt Baronius et alii. Ergo nec ipse, nec quis alius præcise attigit 25. Quocirca Pontifici dum inauguratur, acclamatur : « Beatissime Pater, annos Petri non videbis. » Id enim ita fore, experientia continua tot centenorum annorum satis præsagit, imo evincit, divina providentia arcane ita disponente, sive ob honorem S. Petri, qui primus Pontificatum Romæ constituit, seditque annos 25, ut ipse sicut dignitate et meritis, ita et annis reliquos omnes sequaces et posteros suos superet; sive, ut Pontifices in tanto fastigio et culmine dignitatis constitutos, humilitatis et modestiæ admoneat, doceatque illud parvipendere, et cœlestes æternosque honores ambire; sive, ut hic eis stimulus sit ad acre et continuum heroicorum operum et virtutum studium, dum cogitant brevem sibi fore Pontificatum, æque ac vitam, ideoque assidue sibi dicant : Quod facere destinas, fac cito; brevis enim erit tibi hæc potestas, brevis facultas magnorum facinorum; paucos ergo annos magnis virtutibus imple, paucis annis tot tantaque facito, quæ nomen tuum, et in terra et in cœlis illustrent, ac æternitati transcribant; imitare Linos, Cletos, Clementes, Gregorios, Leones, qui consummati in brevi impleverunt tempora multa. Proposuit olim Alexander II Pontifex hanc quæstionem B. Petro Damiano, cur Pontifices tam paucis annis viverent, et nemo ad annos S. Petri pertingeret, cum nonnulli florente fuerint ætate ac validi? Respondit Petrus Damianus lib. I, *epist.* 17, hoc judicii cœlestis ordinem disposuisse, ut humano generi metum mortis incuteret, et quam despicienda sit temporalis vitæ gloria, in ipso gloriæ principatu, ac veluti solo deliquium patiente evidenter ostenderet; præsertim cum unus omni mundo præsideat Papa, reges sint simul plures, nec sic soleant Pontifices violenta morte occumbere, uti reges. Addit noster Lorinus in II *epist. Petri,* cap. I, 14, id fieri, ut minus appetant homines Papatus culmen, quod fere certi sunt non diu duraturum.

10. MATER TUA (id est vestra, o reges Juda! Vide dicta vers. 2) QUASI VINEA IN SANGUINE TUO SUPER AQUAM PLANTATA EST. — Jerusalem, et prosapiam regiam paulo ante Propheta comparavit mulieri et leænæ; nunc eam viti generosæ confert : sanguis enim regius purpuratorum similis est liquori uvæ rubeo et purpureo, a quo vitis purpurea vocatur ab Ovidio VIII *Metamorph.* Hæc vitis quasi plantata ad aquas excrevit suis ramis et pampinis, puta suis familiis, civibus, potentia, divitiis et gloria : quia erat stirps Davidis a Deo electi, cui Deus promiserat thronum et domum stabilem, *Psalm.* LXXXVIII, 5. Aliter Maldonatus : « in sanguine tuo, » i. e. inquit, in flore tuo, ut flos propter ruborem vocetur sanguis. Unde Septuaginta vertunt, ὡς ἄνθος ῥοᾶς, id est *sicut flos malogranati.* Verum verius videtur Septuaginta pro בדמך Malogranatum symbolum urbis et reipublicæ, cur? *bedammecha*, id est *in sanguine tuo*, legisse aliis litteris Hebraicis vicinis כרמון *kerimon*, id est, *ut malogranatum mater tua est*, scilicet frondes et multum fructum producens, atque, ut Eucherius, sicut in malogranato, uno exterius cortice, multa interius grana uniuntur : sic plurimos cives et urbes, unitas regni et regis continet. *Secundo,* sicut grana illa suis loculis sunt ordinata et folliculis discreta : ita quoque cives suis familiis et collegiis. Hinc veteres Junoni, quasi præsidi regnorum malum Punicum dedicarunt, et in manu posuerunt. Et sacerdos Hebræorum in veste habebat mala Punica permixta tintinnabulis, quæ significant unitatem Ecclesiæ ex multis gentibus in eumdem sonum, id est, in eamdem legem et religionem, convenientium, ait Eucherius, et S. Gregorius in *Cant.* IV. Vel significant earumdem varietatem et consonantiam virtutum, de qua dicitur *Actor.* IV : « Multitudinis credentium erat cor unum, et anima una. » Ita S. Hieronymus, et ex eo Prado.

11. FACTÆ SUNT EI VIRGÆ SOLIDÆ IN SCEPTRA DOMINANTIUM, — id est, unus hic vitis palmes, quasi una virga fortissima excrevit in virgas multas, quæ essent sceptra dominantium, ut scilicet reges ex ea fierent. Olim enim patriarchæ et principes, quasi pastores cum virga sequebantur et regebant suum agmen : hinc jam pro virgis reges sceptra gestant, *q. d.* Jerusalem multos et fortes protulit reges, gestantes sceptra. Virga enim insigne est regni et regis. Ita Chaldæus (1).

EXALTATA EST STATURA EJUS INTER FRONDES, — *q. d.* Jerusalem in tot tantosque cives et principes excrescens, cum eis et inter eos alta et gloriosa apparuit.

ET VIDIT, — id est, videndo sibi placuit, et superbivit. Legit Interpres active ויאר *vaiar*, jam passive legunt וירא *vaiera*, id est, *et visa est.*

12. EVULSA EST IN IRA, — scilicet, vinea Jerusalem in ira Dei excisa, et quasi vitis eradicata est sub Sedecia.

VENTUS URENS (id est hostium Chaldæorum impetus) SICCAVIT FRUCTUM EJUS (id est, filios et opes Jerusalem exhausit) : AREFACTÆ SUNT VIRGÆ ROBORIS EJUS, — id est regnum et potentia ejus exaruit; aut, ut Maldonatus, « virgæ roboris, » i. e. validæ, « et solidæ in sceptra dominantium, » ut dixit vers. præced., id est filii Sedeciæ, qui in regnum patris successuri erant, sceptraque recturi, vel capti, vel occisi sunt, IV *Reg.* XXV, 7 : « Ignis, » i. e. vindicta Dei, et plaga, ac proprie

(1) Hæc metaphora consimilis est huic *Iliadis* loco (A, vers. 234), ubi Achilles sic de sceptro suo loquitur :

Ναὶ μὰ τόδε σκῆπτρον, τὸ μὲν οὔ ποτε φύλλα καὶ ὄζους,
Φύσει, ἐπειδὴ πρῶτα τομὴν ἐν ὄρεσσι λέλοιπεν.

Næ per hoc sceptrum, quod quidem nunquam folia et ramos proqucet, postquam semel truncum in montibus reliquit.

ignis et incendium Chaldæorum, « comedit eam. » Aliter Vatablus : Vitis, ait, est Sedecias, fructus filii ejus, ignis afflictio. Unde hebraice est, *comedit eum*, scilicet Sedeciam, quia in carcere, sine successore regni mortuus est.

13. NUNC TRANSPLANTATA EST IN DESERTUM, IN TERRA INVIA ET SITIENTI, — id est in Babylonem translati sunt cives Hierosolymæ, ubi, quasi in deserto arido, omnium sunt indigi. Ita S. Hieronymus. Vel, ut idem addit : ipsa Judæa vastata, quasi mutata est in desertum, incolis cæsis aut captis, et urbibus eversis. Unde sequitur:

14. ET EGRESSUS EST IGNIS DE VIRGA RAMORUM EJUS, QUI FRUCTUM EJUS COMEDIT, — *q. d.* Ismael de semine regio, invidens Godoliæ, quem Nabuchodonosor præfecerat Judææ, principatum, eum cum plurimis ei adhærentibus occidit, et hoc est quod subdit: « Devoravit fructum ejus. » Unde reliqui Judæi, iram Chaldæorum veriti, fugerunt cum Johanan in Ægyptum. Ita S. Hieronymus et Theodoretus. Nota: Prophetice hæc præterita significant futura. « Evulsa est, transplantata est; » id est evelletur, transplantabitur; « egressa est, » id est egredietur. Hæc enim dixit Propheta anno 6 Sedeciæ, ut patet cap. VIII, 1, cum adhuc staret Jerusalem. Aliter Chaldæus, *q. d.* « Ignis, » id est pœna, quæ Jerusalem absumpsit, « ex ea, » id est ex principum et civium ejus impietate, processit. Aliter quoque R. David, quasi dicat: Egressus est Sedecias ex semine Hierosolymæ regio, qui, quasi ignis, omnes ejus opes perdidit, quia ipse causa fuit excidii. Unde sequitur : « Non fuit superstes in ea virga fortis, sceptrum dominantium, » *q. d.* Non reliquit hæredem, qui in sceptrum et regnum succederet.

PLANCTUS EST, — id est nunc planctus fit pro Joakim et civium captivitate; sed major erit planctus in urbis et regni excidio.

Secundo, Maldonatus et Vatablus ex Chaldæo et Hebræis exponunt, *q. d.* Hic planctus, quem initio exposui, est lamentabilis prophetia; sed major erit ipse eventus; nam cum hæc, quæ hic plangendo prædico, reipsa evenient, maximus erit omnium planctus et comploratio.

Tertio, Septuaginta vertunt : *In parabolam lamentationum est, et erit in planctum, q. d.* Cum maximam calamitatem deprecabuntur posteri, utentur hoc quasi exemplo et proverbio : Ne mihi contingat quod Hierosolymæ. Ita Theodoretus.

Quarto, simpliciter sic accipias, *q. d.* Jerusalem plangitur et plangetur, *q. d.* Hic Hierosolymæ planctus diu durabit, eritque jugis et continuus.

CAPUT VIGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Deus, per Ezechielem consultus a senioribus Judæorum de eventu belli Judaici, negat se responsurum, sed exprobrat illis propria et patrum peccata, asseritque se, iis relictis, pie colendum a veris Israelitis. Quocira primo, exaggerat beneficia a se in eos collata, tum in Ægypto, vers. 4, tum in deserto, vers. 13, tum in Chanaan, vers. 27. Ostendit enim se, omnibus hisce locis, beneficiis certasse cum ipsorum impietate et ingratitudine. Unde secundo, vers. 30, graves eis pœnas comminatur, ac dicentibus : Erimus sicut gentes, *volentibusque Dei jugum et flagellum excutere, respondet* : Vivo ego quoniam in furore effuso regnabo super vos. *Tertio, vers. 39, prædicit se impiis et idololatris, Judæis relictis, facturum ut a piis Israelitis colatur in Sion, tum eo redeuntibus ex Babylone sub Esdra; tum potius in Sion nova, id est Ecclesia erigenda per Christum. Denique, vers. 45, nova parabola ignis et flammæ Judæis excidium intentat.*

1. Et factum est in anno septimo, in quinto, in decima mensis : venerunt viri de senioribus Israel ut interrogarent Dominum, et sederunt coram me. 2. Et factus est sermo Domini ad me, dicens : 3. Fili hominis loquere senioribus Israel, et dices ad eos : Hæc dicit Dominus Deus : Numquid ad interrogandum me vos venistis? vivo ego quia non respondebo vobis, ait Dominus Deus. 4. Si judicas eos, si judicas, fili hominis, abominationes patrum eorum ostende eis. 5. Et dices ad eos : Hæc dicit Dominus Deus : In die qua elegi Israel, et levavi manum meam pro stirpe domus Jacob, et apparui eis in terra Ægypti, et levavi manum meam pro eis, dicens : Ego Dominus Deus vester : 6. In die illa levavi manum meam pro eis, ut educerem eos de terra Ægypti, in terram, quam provideram eis, fluentem lacte et melle, quæ est egregia inter omnes terras. 7. Et dixi ad eos : Unusquisque offensiones oculorum suorum abjiciat, et in idolis Ægypti nolite pollui : ego Dominus Deus vester. 8. Et

irritaverunt me, nolueruntque me audire : unusquisque abominationes oculorum suorum non projecit, nec idola Ægypti reliquerunt : et dixi ut effunderem indignationem meam super eos, et implerem iram meam in eis, in medio terræ Ægypti. 9. Et feci propter nomen meum, ut non violaretur coram gentibus, in quarum medio erant, et inter quas apparui eis ut educerem eos de terra Ægypti. 10. Ejeci ergo eos de terra Ægypti, et eduxi eos in desertum. 11. Et dedi eis præcepta mea, et judicia mea ostendi eis, quæ faciens homo vivet in eis. 12. Insuper et sabbata mea dedi eis, ut essent signum inter me et eos : et scirent quia ego Dominus sanctificans eos. 13. Et irritaverunt me domus Israel in deserto, in præceptis meis non ambulaverunt, et judicia mea projecerunt, quæ faciens homo vivet in eis : et sabbata mea violaverunt vehementer : dixi ergo ut effunderem furorem meum super eos in deserto, et consumerem eos. 14. Et feci propter nomen meum, ne violaretur coram gentibus, de quibus ejeci eos in conspectu earum. 15. Ego igitur levavi manum meam super eos in deserto, ne inducerem eos in terram, quam dedi eis, fluentem lacte et melle, præcipuam terrarum omnium : 16. Quia judicia mea projecerunt, et in præceptis meis non ambulaverunt, et sabbata mea violaverunt : post idola enim cor eorum gradiebatur. 17. Et pepercit oculus meus super eos ut non interficerem eos : nec consumpsi eos in deserto. 18. Dixi autem ad filios eorum in solitudine : In præceptis patrum vestrorum nolite incedere, nec judicia eorum custodiatis, nec in idolis eorum polluamini. 19. Ego Dominus Deus vester : in præceptis meis ambulate, judicia mea custodite, et facite ea : 20. et sabbata mea sanctificate, ut sint signum inter me et vos, et sciatis quia ego sum Dominus Deus vester. 21. Et exacerbaverunt me filii, in præceptis meis non ambulaverunt, et judicia mea non custodierunt ut facerent ea : quæ cum fecerit homo, vivet in eis : et sabbata mea violaverunt : et comminatus sum ut effunderem furorem meum super eos, et implerem iram meam in eis in deserto. 22. Averti autem manum meam, et feci propter nomen meum, ut non violaretur coram gentibus, de quibus ejeci eos in oculis earum. 23. Iterum levavi manum meam in eos in solitudine, ut dispergerem illos in nationes, et ventilarem in terras : 24. eo quod judicia mea non fecissent, et præcepta mea reprobassent, et sabbata mea violassent, et post idola patrum suorum fuissent oculi eorum. 25. Ergo et ego dedi eis præcepta non bona, et judicia in quibus non vivent. 26. Et pollui eos in muneribus suis, cum offerrent omne quod aperit vulvam, propter delicta sua : et scient quia ego Dominus. 27. Quamobrem loquere ad domum Israel, fili hominis : et dices ad eos : Hæc dicit Dominus Deus : Adhuc et in hoc blasphemaverunt me patres vestri, cum sprevissent me contemnentes : 28. et induxissem eos in terram, super quam levavi manum meam ut darem eis : viderunt omnem collem excelsum, et omne lignum nemorosum, et immolaverunt ibi victimas suas : et dederunt ibi irritationem oblationis suæ, et posuerunt ibi odorem suavitatis suæ, et libaverunt libationes suas. 29. Et dixi ad eos : Quid est excelsum, ad quod vos ingredimini? et vocatum est nomen ejus Excelsum usque ad hanc diem. 30. Propterea dic ad domum Israel : Hæc dicit Dominus Deus : Certe in via patrum vestrorum vos polluimini, et post offendicula eorum vos fornicamini : 31. et in oblatione donorum vestrorum, cum traducitis filios vestros per ignem, vos polluimini in omnibus idolis vestris usque hodie : et ego respondebo vobis, domus Israel? Vivo ego, dicit Dominus Deus, quia non respondebo vobis. 32. Neque cogitatio mentis vestræ fiet, dicentium : Erimus sicut gentes, et sicut cognationes terræ, ut colamus ligna et lapides. 33. Vivo ego, dicit Dominus Deus, quoniam in manu forti, et in brachio extento, et in furore effuso regnabo super vos. 34. Et educam vos de populis : et congregabo vos de terris, in quibus dispersi estis, in manu valida, et in brachio extento, et in furore effuso regnabo super vos. 35. Et adducam vos in desertum populorum, et judicabor vobiscum ibi facie ad faciem. 36. Sicut judicio contendi adversum patres vestros in deserto terræ Ægypti, sic judicabo vos,

dicit Dominus Deus. 37. Et subjiciam vos sceptro meo, et inducam vos in vinculis fœderis. 38. Et eligam de vobis transgressores, et impios, et de terra incolatus eorum educam eos, et in terram Israel non ingredientur : et scietis quia ego Dominus. 39. Et vos, domus Israel, hæc dicit Dominus Deus : Singuli post idola vestra ambulate, et servite eis. Quod si et in hoc non audieritis me, et nomen meum sanctum polluetis ultra in muneribus vestris, et in idolis vestris : 40. in monte sancto meo, in monte excelso Israel, ait Dominus Deus, ibi serviet mihi omnis domus Israel; omnes, inquam, in terra, in qua placebunt mihi, et ibi quæram primitias vestras, et initium decimarum vestrarum in omnibus sanctificationibus vestris. 41. In odorem suavitatis suscipiam vos, cum eduxero vos de populis, et congregavero vos de terris, in quas dispersi estis, et sanctificabor in vobis in oculis nationum. 42. Et scietis quia ego Dominus, cum induxero vos ad terram Israel, in terram, pro qua levavi manum meam, ut darem eam patribus vestris. 43. Et recordabimini ibi viarum vestrarum, et omnium scelerum vestrorum, quibus polluti estis in eis : et displicebitis vobis in conspectu vestro in omnibus malitiis vestris, quas fecistis. 44. Et scietis quia ego Dominus, cum benefecero vobis propter nomen meum, et non secundum vias vestras malas, neque secundum scelera vestra pessima domus Israel, ait Dominus Deus. 45. Et factus est sermo Domini ad me, dicens : 46. Fili hominis, pone faciem tuam contra viam Austri, et stilla ad Africum, et propheta ad saltum agri meridiani. 47. Et dices saltui meridiano : Audi verbum Domini : Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego succendam in te ignem, et comburam in te omne lignum viride, et omne lignum aridum : non extinguetur flamma succensionis : et comburetur in ea omnis facies ab austro usque ad aquilonem. 48. Et videbit universa caro, quia ego Dominus succendi eam, nec extinguetur. 49. Et dixi : A a a, Domine Deus : ipsi dicunt de me : Numquid non per parabolas loquitur iste?

1. ET FACTUM EST IN ANNO SEPTIMO, — scilicet transmigrationis Joachin, et regni Sedeciæ, puta post 11 menses, et quinque dies a visione præcedenti. Ita S. Hieronymus. Idque colligitur ex cap. VIII, 1. Inde enim pendent omnia quæ sequent. cap. narrantur hucusque, ubi novus annus consignatur.

IN QUINTO, — supple, mense, puta in julio. Hic enim quintus est a martio, qui primus Hebræorum est mensis, *Exod.* XII, 2.

VENERUNT VIRI, etc., UT INTERROGARENT DOMINUM, — per me prophetam : « interrogarent, » inquam, de exitu et successu belli, quod Nabuchodonosor jam parabat contra Sedeciam, eo quod fœdus rupisset. Ita Scholiastes.

Vers. 3. 3. NON RESPONDEBO, — quia ex curiositate mera rogatis, contrarium facturi, nisi respondeam id quod vos desideratis. Ita Theodoretus et Apollinaris.

Vers. 4. 4. SI JUDICAS EOS, FILI HOMINIS. — Legendum est per interrogationem. Hebraice enim est התשפוט *hotispot, anne judicabis eos?* quod, *primo*, explicari potest, *q. d.* Defendesne eos, eorumne causam in judicio meo ages? Hebræum enim שפט *scaphat*, significat actiones quæ fiunt in judicio, tam judicis quam actoris et advocati. Ita Theodoretus ex Septuaginta. Nam ἐκδικεῖς hic non *ulciscteris*, ut vertit Latinus Theodoreti interpres, sed *defendis* vertendum esse, patet ex ipso Theodoreto. Ita Prado. *Secundo*, alii explicant, *q. d.* Ne judices, id est condemnes, eos, sed potius ostende illis scelera patrum, ut compungantur et resipiscant. *Tertio* et optime, *nonne judicabis*, id est argues, et arguendo damnabis impietatem eorum? Ita Maldonatus. Unde et Chaldæus vertit : *Si increpas eos more judicis, et condemnas?* Simile est cap. XXII, 2.

ABOMINATIONES PATRUM OSTENDE EIS, — ut quorum imitantur vitia, eorum supplicia pertimescant : « Quia hæreditario malo longissimum funem trahunt peccatorum, » ait S. Hieronymus.

5. APPARUI EIS IN TERRA ÆGYPTI. — Est hic climax, sive gradatio. *Primo* enim hic Hebræis improperat idololatriam, et peccata perpetrata in Ægypto. *Deinde*, vers. 13, majora perpetrata in deserto. *Tertio*, vers. 27, maxima perpetrata in terra promissa.

6. LEVAVI MANUM. — Nota : *Levare manum* aliquando significat jurare elata manu in cœlum, quasi Deum vocando in testem, *Genes.* XIV, 22. Unde Chaldæus vertit hic, *juravi*. Sic et Vatablus et Maldonatus. *Secundo*, Septuaginta vertunt : *Cognitus sum semini Jacob;* quasi manu detegens et ostendens eis faciem meam. *Tertio* et optime : « Levavi manum meam, » id est ostendi potentiam, opem et auxilium meum Mosi et Hebræis, manu mea percutiendo Pharaonem et Ægyptios, ac ab eorum tyrannide potenter liberando et educendo Hebræos.

FLUENTEM LACTE ET MELLE. — Hoc est fertilissi-

mam. Est hyperbole, de qua dixi *Exod.* III, 8, et *Numer.* XIII, 28.

QUÆ EST EGREGIA. — Hebraice צבי *tsebi*; id est præstantia, exsultatio, superbia, *q. d.* Terra Israel est excellentia et superbia, æque ac pulchritudo et deliciæ regionum. Vatablus : *Est desiderabilis et amabilis ut caprea,* quæ hebraice *tsebi* dicitur; Septuaginta : *Est favus supra omnem terram,* id est dulcior et fertilior omni terra; Aquila *tsebi* vertit, *firmamentum;* Theodotion, *fortitudinem;* Symmachus, στάσιν, id est *statum,* puta statum *religionem,* quia in ea erat templum et cultus Dei. Quid proprie sit *tsebi* dicam *Daniel.* cap. VIII, 9. Commemorat pristina sua in eos beneficia, ut eos ingratitudinis coarguat.

Vers. 7. 7. OFFENSIONES. — Symmachus, *nauseas*; Aquila, *abscissiones*; Hebræus צקוצי עיניו *tsiccutse enaf*, id est *abominationes oculorum,* hoc est idola abominanda, tetra et horrida, quæ aspicientibus nauseam movent et aversionem, ut ea a se abscindi et amoveri velint.

IDOLIS. — Hebraice גלולים *gillulim,* id est sordes, stercora, id est idola sordidissima, et quasi stercorea.

Vers. 8. 8. ET DIXI, — apud me in mente mea, *q. d.* Cogitabam de Judæis tam impiis perdendis in Ægypto.

Vers. 9. 9. ET FECI (non quod cogitabam, sed) UT EDUCEREM EOS DE TERRA ÆGYPTI (uti sequitur), UT NON VIOLARETUR, — id est blasphemaretur et infamaretur, nomen meum coram gentibus, quasi non potuissem, aut noluissem populum me colentem liberare et salvare, uti promiseram.

Vers. 11. 11. ET DEDI EIS PRÆCEPTA MEA, ET JUDICIA MEA, etc. — Idem sunt hæc duo, ait Theodoretus. Sed Polychronius, *præcepta,* ait, sunt decalogus, reliqua mandata sunt *judicia.* Rursum Scholiastes, *præcepta*, ait, sunt quæ præmium spectant, *judicia,* quæ Dei cultum.

QUÆ FACIENS HOMO, VIVET IN EIS, — *q. d.* Qui facit ea quæ lege mea præcepta sunt, propter ea non punietur morte, quam lex transgressoribus minatur, sed vivet in terra vitam longam, lætam et beatam. Patet *Deuter.* XXX, 19. Aliter Theodoretus : *Vivet,* ait, *vita gratiæ;* et Chaldæus : *Vivet vita æterna,* scilicet si in fide et gratia Dei ea impleat. Vide dicta *Levit.* XVIII, 5, et *Rom.* X, 5.

Vers. 12. 12. INSUPER ET SABBATA MEA DEDI EIS. — Aliqui censent dici hic « sabbata » in plurali, ut significet triplex sabbatum. Scilicet *primum* dierum, quod proprie dicebatur sabbatum; *secundum* mensium; *tertium* annorum. Sabbatum mensium erat mensis septimus, qui magna sui parte erat festus. Sabbatum annorum, erat annus septimus, et annus quinquagesimus jubilæi. Nam sabbata hæc omnia dedit Deus Judæis in signum salutis et quietis dandæ per Christum.

Secundo et melius, *q. d.* « Sabbata mea, » id est meas ferias, et consequenter meas delicias, et meam felicitatem, quæ in meipsius contemplatione consistit, dedi et communicavi eis, ut in iis, quasi sabbatis, et festis sacris a laboribus et curis sæculi vacantes, divina opera, judicia, consilia meditarentur; quæ ego ipse die septimo considerabam, inspiciebam, laudabam, et in quorum perfectione conquiescebam : ut hac consideratione et meditatione ad mei amorem, laudem et imitationem accenderentur et sanctificarentur. Hujus enim rei sabbata erant signa, et stimuli.

15. EGO IGITUR LEVAVI MANUM MEAM. — Id est ego igitur juravi, juxta illud *Psalm.* XCIV, vers. 11 : « Quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam. » Aliter ergo hæc phrasis capitur hic, quam vers. 6. Vers. 15.

16. POST IDOLA ENIM COR (id est mens et affectus) EORUM GRADIEBATUR, — *q. d.* Toto studio et affectu ferebantur ad idola colenda. Vers. 16.

23. ITERUM LEVAVI MANUM, *q. d.* Iterum juravi, et jurando comminatus sum. Sæpius enim murmurante populo in deserto, sæpe quoque Deus voluit eum delere, sed a Mose precante cohibitus est. Vers. 23.

25. ERGO ET EGO DEDI EIS PRÆCEPTA NON BONA, — id est non perfecta, uti dedi in Evangelio, ait S. Ambrosius lib. III, epist. *ad Clementianum*, et Cyrillus, lib. VII *Contra Julianum.* Sic et Gregorius, XXVIII *Moral.* cap. XVII, in alia editione IX : « Mala enim, ait, quasi mala esse desinunt comparatione pejorum; et bona, quasi bona non sunt comparatione meliorum. Nam sicut pejus delinquenti Judææ de Sodoma atque Gomorrha dicitur : Justificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis, quas operata es : ita melioribus novi Testamenti præceptis subsequentibus, præcepta bona quæ rudibus data sunt, non bona esse memorantur. » Rursum S. Clemens, lib. VI *Constitut. Apostol.* cap. XXI : « Illis, inquit, qui noluerunt videre, neque audire, non quia privati essent facultate partium animi; sed quia nimia erat eorum perversitas ac malitia, illis, inquam, dedi præcepta non bona, et justificationes, in quibus non vivent in ipsis : non bona dico, illorum scilicet proposito (ferrum enim ad urendum, et scalpellum ac medicamenta inimica sunt non valentibus); non sunt autem servata propter eorum contemptum obediendi : ex quo fit, ut non servata mortem eis afferant. » Vers. 25.

Secundo, Theodoretus, Apollinaris et Justinus, *Contra Tryphon.* : « Dedi eis præcepta, » scilicet cæremonialia, « non bona, » id est inutilia, inquiunt, quia sacrificiorum leges non sponte institui, quasi victimis carnium delectarer; sed ob pronitatem populi in idololatriam, ut illum ab ea averterem.

Tertio, « non bona, » id est non jucunda, suavia, facilia; sed gravia et difficilia.

Quarto et melius, « dedi, » id est permisi eis dari, « præcepta » Gentilium et idololatrarum de ritu colendi idola, *q. d.* Permisi eos sequi suos

affectus, quibus ferebantur in idola; permisi eos sequi suas pravas cupiditates, ut eos punirem. Ita Chaldæus, S. Hieronymus et Maldonatus.

Quinto et optime, τὸ *ergo* significat pœnam consequentem et inflictam propter culpam præviam, *q. d.* Quia Judæi suavem meam legem rejecerunt, hinc permisi eos subdi hostibus et tyrannis, qui præcepta tyrannica et intoleranda eis darent, sub quibus vix traherent animam, vix viverent. Hoc est enim quod subdit : « In quibus non vivent, » id est in quibus morientur. Est liptote. Opponit hoc suis præceptis, de quibus dixit vers. 11 : « Quæ faciens homo vivet in eis, » *q. d.* In meis præceptis vivere noluerunt, morientur ergo, et occidentur in alienis et tyrannicis. Ita Hebræi et ex iis Prado. Nota miosin, « non bona, » id est mala, imo pessima, molestissima et difficillima. Bona enim vocantur ea quæ suavia sunt et jucunda, ut *Psalm.* CXXXII, 1 : « Ecce quam bonum, et quam jucundum habitare fratres in unum! » Ex adverso *Matth.* VI, dicitur : « Sufficit diei malitia, » id est molestia et afflictio, « sua. »

Porro hostes hi et tyranni non fuerunt reges et principes Edom, Ammon, vel aliarum gentium (nullis enim harum servierunt, aut subjecti fuerunt Judæi in deserto, de quo hic agitur, ut patet vers. 13 et 23), sed earum dii, aut potius dæmones, quos colentes Hebræi in deserto, eorum duris et mortiferis ritibus et legibus se subjecerunt. Notat maxime leges et præcepta colendi Moloch per mactationem filiorum et filiarum. Hæc enim « præcepta non bona, » sed pessima, et maxime malefica ac lethifera fuerunt; « in quibus non vivent, » quia per ea eorum stirps et posteritas occidebatur, eorumque nomen et familia succidebatur et interibat. Hinc Arabicus Antiochenus vertit : *Neque eis dedi præcepta non polluta.* Unde et sequitur :

26. POLLUI EOS IN MUNERIBUS SUIS (id est quia mea sabbata, ritus, victimas optimas, sanctissimas, facillimas et jucundissimas rejecerunt, permisi eos pollui in muneribus, id est oblationibus suis, ut offerant) OMNE QUOD APERIT VULVAM, — id est suos primogenitos, propter delicta sua expianda, in sacrificium Saturni et Moloch. Hunc esse sensum patet ex vers. 31. In maxima enim clade pueros quasi gratissimam victimam diis, ut eos propitiarent, immolabant, ut Agamemnon Iphigeniam, rex Moab suum primogenitum, 1 *Reg.* III, vers. ult. Porro Judæos in deserto (de quo hic agitur) non tantum vitulum aureum, sed et Saturnum, Moloch aliosque deos coluisse patet *Actor.* cap. VII, 43. Vide quæ de Moloch rituque eum colendi dixi *Levit.* XVIII, 21. Significat ergo hic Deus, se in pœnam prioris idololatriæ aliorumque scelerum permisisse Judæos labi in tam fœda, infamia et sacrilega sacrificia, imo parricidia, ut scilicet filios proprios mactarent et immolarent Moloch. Idem facit etiamnum sagis et magis, qui a Deo desciscentes ad dæmonem, eum adorare, eique infantes immolare coguntur, ab eoque verberantur et tractantur quasi mancipia. Similiter philosophos Deum agnoscentes, sed non colentes, permisit labi in infames et portentosas, tum libidines, tum religiones et sectas, *Rom.* I, 21 et seq.

IN MUNERIBUS. — Septuaginta, ἐν δόγμασιν, id est *in dogmatibus;* sed corrigendum, ἐν δόμασιν, id est *in donariis.* Theodoretus tamen ex Aquila habet, *in dogmatibus,* quibus scilicet docebant hæc munera Deo suo danda.

PROPTER DELICTA SUA, — expianda : vel potius, ut Maldonatus, *q. d.* Ut ipsi suis manibus concremantes suos filios, sua delicta punirent, et sibi ipsis, puta suis filiis et hæredibus essent carnifices. Unde Septuaginta vertunt : *Ut delerem eos,* puta stirpem eorum.

28. DEDERUNT IBI IRRITATIONEM OBLATIONIS SUÆ, — id est oblationem suam irritantem Deum : quia scilicet offerebatur idolis in injuriam et contemptum Dei. Est hic tertius gradus, sive apex gradationis, de qua dixi vers. 8. Hic enim exprobrat Judæis summa peccata, commissa in Chanaan, post tot tantaque Dei beneficia ibidem accepta. Vers. 28.

29. QUID EST EXCELSUM? (scilicet altare idolorum, *q. d.* Quæ religio? quæ utilitas est in excelso, ad quod ingredimini crebro?) ET VOCATUM EST (id est, ita ut usque nunc vocetur a Gentilibus et idololatris a sublimitate) EXCELSUM, — quasi locus nobilissimus et famosissimus. Ita Theodoretus, Apollinaris et alii, *q. d.* Aram meam in Levitico vocavi altare : vos vestram vocatis *excelsum,* quod nomen, uti et res, puta idololatria, quæ ibidem peragitur, inventum est, non meum, sed dæmonis et idololatrarum. Nomen ergo Excelsi vos moneat et doceat, quod non mei, sed dæmonis et idolorum sitis servi et cultores. Ita Maldonatus. Vers. 29.

30. Vos POLLUIMINI, — non qui me hic rogatis captivi in Babylone, sed fratres vestri, qui sunt Hierosolymis, pro quibus jamjam vastandis rogatis et consulitis Deum. Ita Apollinaris, Theodoretus et alii (1). Vers. 30.

32. NEQUE COGITATIO MENTIS VESTRÆ FIET, DICENTIUM : ERIMUS SICUT GENTES. — Non ut colamus (hoc enim jam facimus), sed ut impune colamus idola. Videbant enim gentes idola colentes a Deo non puniri, videbantque eos prosperari, et pace gaudere, bonisque affluere, hocque idolis earum adscribebant : se vero a Deo suo negligi, imo affligi et puniri; unde et dicunt : Deum nostrum

(1) Cum hactenus de patribus jussisset Prophetam dicere, jubet nunc eum sese convertere ad *seniores*, qui eum consultum venerant (vers. 1), imo ad domum Israel et eorum impudentiam accusare הבדרך אבותיכם *abederec aboteikem : num in via patrum vestrorum* (coll. vers. 4, 18, 27)? Interrogatio affirmat, cum indignatione et detestatione ut *Isai.* LVIII, 5, *q. d.* Num et vos eo perversitatis processistis, ut peccatis majorum vestrorum indignissimis modis vos pollueritis, pollutique ita audeatis ad Prophetam meum accedere, me per illum interrogaturi? (Rosenmuller.) Quod iisdem fere terminis explicat S. Hieronymus.

nobis non beneficum, sed maleficum relinquamus, ut ejus legibus tot tamque difficilibus soluti, licenter pro libito vivamus ac cum gentibus colamus idola, quæ suis opes omniaque bona largiuntur. Hisce Deus apte respondet et intentat, dicens : « In manu forti, et in brachio extento, et in furore effuso regnabo super vos, » *q. d.* Non excutietis jugum meum, quin in virga ferrea vos regam et mactem.

34. EDUCAM VOS DE POPULIS. — Ammon, Moab, Tyriis, Ægyptiis, inter quos fugientes Chaldæos dispersi estis, *q. d.* Retraham vos ex fuga, et tradam Chaldæis, sicque in furore regnabo super vos. Ita Scholiastes.

Aliter S. Hieronymus, *q. d.* Educam vos e captivitate Babylonica, et furore effuso non in vos, sed in Chaldæos, ab eis eripiam vos, ut super vos regnem (1).

35. ET ADDUCAM VOS IN DESERTUM POPULORUM, — id est in gentes a Deo desertas, ait Theodoretus. Verum « desertum populorum » non significat desertum inter populos, sed a populo, puta desertum in quo non est populus. Sic ad *Rom.* I, 4, dicitur : « Ex resurrectione mortuorum, » id est ex resurrectione a mortuis, *q. d.* Sicut olim patres vestros ex Ægypto redemptos, in desertum Arabiæ induxi, id est libertate donavi, et sui juris rempublicam feci : sic vos post justam punitionem ex Babylone, eductos libertate donabo, et in desertum, quod est inter Judæam et Chaldæam, et inde in patriam reducam, tum per Cyrum, tum maxime per ejus antitypum Christum Dominum. Nota : Desertum signum est libertatis ; uti urbs et arx, subjectionis et servitutis. Ita Prado, Maldonatus et alii. Ita S. Hieronymus *ad Rusticum* : « Mihi, ait, oppidum carcer ; solitudo est paradisus. »

ET JUDICABOR VOBISCUM IBI FACIE AD FACIEM. — « Judicabor, » id est puniam, ait Theodoretus. Melius S. Hieronymus, « judicabor, » id est judicio contendam vobiscum, « facie ad faciem, » id est non ex auctoritate, sed coram, quasi par cum pari ex æquitate causæ, *q. d.* Sicut olim in Arabia patribus vestris contra me murmurantibus, palam tot beneficiis et signis ostendi illos esse fœdifragos, me vero in promissis esse fidelem : ita, cum vos Babylone eduxero, reipsa palam ostendam justitiam meam, ut videatis vos ob peccata juste a me fuisse captivitate damnatos, et nunc misericorditer a me ex ea eductos. Aliter Maldonatus, « facie ad faciem, » id est, inquit, solus cum solis, sine arbitris, ne gentes videant pœnas quas de vobis sumpturus sum, et lætentur.

Nota hanc prophetiam non exhauriri in solutione captivitatis Babylonicæ per Cyrum ; sed in solutione captivitatis Satanæ et peccati per Christum, cujus illa fuit typus. Ubi adverte : Redemptio Christi duplici nomine significatur, scilicet strage, et salute ; ultione, et redemptione ; indignatione, et pace ; sanguine, et incolumitate. Hinc ab Isaia, cap. LIX, 17, et cap. LXI, 63, et alibi, inducitur Christus quasi dux cataphractus, qui furore divino in hostes irruat, proterat, trucidet ; scilicet proterit impios, ut faciat pios : iidem ergo sunt trucidati et redempti ; hostes, et amici ; sed secundum affectus et mores mutatos, alii et dissimiles : cujus rei typus fuit Cyrus. Sicut enim Cyrus in Babylone Chaldæos occidit, Judæos salvavit : ita Christus in eodem homine peccatum et peccatorem occidit, virtutem et virtuosum suscitat et vivificat, dum Petrum v. g. ebriosum, incestum, impium occidit, et pro eo suscitat Petrum sobrium, castum, pium, etc. Cyrus enim Christi typum gerit ; Chaldæi, peccati et peccatoris ; Judæi, virtutis, fidelium et justorum. Vide *Can.* XLVI. Ita, ait S. Augustinus, homil. 9 *in epist.* I *S. Joannis* : « O si occidas eos (impios) de gladio bis acuto, et non sint hostes ejus (verbi Dei) : sic enim amo eos occidi sibi, ut vivant tibi. » Ita et Prado. Sic quod ait hic : « In manu forti et furore, » subaudi, contra vitia, « regnabo super vos, » quasi homines jam dæmone et vitiis exutos et liberatos, atque in novam vitam resuscitatos, Deoque et cœlo viventes : « et judicabor ibi facie ad faciem, » quia, cum Christus nostram culpam suscipiens, publice coram Pilato judicatus et damnatus est, et pro culpa nostra satisfecit, nos cum illo judicato et damnato, publice, adversario dæmone vidente, et nil, quod exigeret a nobis, habente, redempti, absoluti et liberati sumus : sicut palam, media luce, non noctu, intrepide egressi sunt Hebræi, liberati, et redempti ex Ægypto, *Exod.* XIV, 8. Hoc est ergo judicium Christi, et nostrum, quo

Redemptio Christi fuit strages peccati, et vita virtutis in eodem homine.

(1) His quæ sequuntur, supplicium gravissimum denuntiari fere omnes existimant, quasi, cum ad vicinos populos Israelitarum multi a Chaldæis confugissent, ut Jeremiæ liber narrat, minetur nihil eis profuturam fugam, sed nihilominus vel tanto præsidio munitos in Babyloniam ductum iri. Sic Grotius : « Educam vos longe ab illis quibus nunc permixti vivitis, et quorum exempla imitamini, a Phœnicibus, Ammonitis, Moabitis, quorum fines attingitis. » S. Hieronymus autem his verbis divinam potius clementiam quam iram declarari existimat, neque Israelitarum fugam ad vicinos populos, sed potius exsilium Babylonicum enuntiari. Sed ex his verbis quæ hoc loco ponuntur, « in manu forti, et in brachio extento, et in furore effuso, » verius concluditur loco beneficii Deum supplicia comminari, licet duæ primæ locutiones potestatem potius quam severitatem significare soleant. Item ex iis quæ sequuntur, maxime ex vers. 37, 38, liquet Deum dispersos inter varias gentes Israelitas eo consilio congregaturum, ut bonos a malis segreget, quod vers. seq. declarat : Quemadmodum, inquit Deus, olim majores vestros ex Ægypto eductos, priusquam in terram promissam introducerem, in deserto Arabiæ detinui, quo impii et rebelles adversum me perirent ; sic vos, postquam in Babylone et inter plures gentes dispersi debitas delictorum pœnas solveritis, priusquam in patrium solum et in novam rempublicam remigrare faciam, severo judicio instituto, pios ab impiis segregabo. « Desertum populorum, » quod opponitur « deserto Ægypti » (vers. 36), vastas illas solitudines videtur appellare, quæ Babylonia Judæam proficiscentibus sunt peragrandæ.

nos per Christum absoluti; dæmon vero condemnatus, suaque potestate in homines exutus est, de quo ait Christus : « Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. » Et rursum : « Ille (Paracletus) arguet mundum de peccato, de justitia, et de judicio, etc. De judicio, quia princeps hujus mundi jam judicatus est, » *Joan.* XVI, 11.

37. ET SUBJICIAM VOS SCEPTRO MEO. — Hebraice : *Transire vos faciam sub virga*, scilicet, quasi pastor numerans sigillatim pecora, et cujusque curam gerens. Hinc, Christo nascente, descriptus est universus orbis, ut Christus eos scriberet in libro vitæ æternæ, uti ait S. Gregorius, homil. 8 *in Evangelia.*

ET INDUCAM VOS IN VINCULIS FOEDERIS, — id est, ut Hebræus, *in vinculum fœderis, q. d.* Novum fœdus et pactum vobiscum inibo, eoque vos mihi devinciam tum per Esdram, tum potius per Christum.

38. ET ELIGAM DE VOBIS TRANSGRESSORES. — Sicut olim rebelles Judæos, quos eduxi de Ægypto, in deserto occidi, ut in terram Chanaan promissam non introirent : sic non tam sub Esdra, utpote sub quo omnes non tam educti, quam reducti sunt in Jerusalem; sed sub Christo Judæos incredulos de sua terra per Titum in totum orbem expellam et dispergam, ut nunquam ad eam regrediantur.

39. POST IDOLA VESTRA AMBULATE; — et nolite mihi et meo templo offerre munera, quia indigni estis meo imperio, et nomen sanctum meum polluitis, dum me cum Baal comparatis et colitis, ac mihi offerre simulatis quæ idolis offertis, et qui idolorum cultores estis, meos vos esse dicitis, aut certe me simul cum idolis conferre et colere vultis. Ita Aquila, Chaldæus, Septuaginta et Hebræi. Unde et Symmachus vertit : *Ite et servite idolis, si quidem non auditis me.*

40. IN MONTE SANCTO MEO, etc., IBI SERVIET MIHI OMNIS DOMUS ISRAEL, — *q. d.* Ne putetis me vestro cultu indigere, habeo alios, scilicet, qui redibunt Babylone in Jerusalem, qui mihi ibi servient. *Secundo* et melius, habeo Israelitas spiritales, scilicet Christianos, qui in monte, id est Ecclesia, quæ incipiet in monte Sion, mihi servient. Simile est *Malach.* I, 10 et 11. Ita Maldonatus, Prado et alii.

IN TERRA, — sancta scilicet, aut promissa, id est Ecclesia, quam vetus terra sancta præsignabat.

IN QUA PLACEBUNT MIHI. — Hebræa : *Ibi occurram eis*, scilicet, quasi in amplexum sponsæ.

INITIUM. — Septuaginta, *primitias decimarum;* Hebraice משאותיכם *massotechem*, id est onerum vestrorum, et debiti vestri, sive illud ex decimis, sive ex censu, quo quisque tenebatur Deo dare semisiclum ex lege *Exod.* XXX, 12; sive ex voto, aut aliunde sit debitum.

IN OMNIBUS SANCTIFICATIONIBUS VESTRIS. — Id est, in omnibus festis, quæ mihi sanctificabitis : vel potius, in omnibus sanctis vestris sacrificiis, decimis, oblationibus eritis mihi grati, quasi thymiama fragrantissimum, et suavissimi odoris : hunc enim vocat *odorem suavitatis*, hebraice *quietis*, de qua phrasi disserui *Gen.* VIII, 21. Sic Apostolus ait : « Ut fiat oblatio gentium accepta et sanctificata in Spiritu Sancto, » *Rom.* XV, 16.

41. SANCTIFICABOR. — Id est sancte colar, vel laudabor et glorificabor a gentibus quasi sanctus, potens, beneficus, fidelis dux Israelis, in vobis scilicet liberandis, sicut olim ex Ægypto, ita nunc e Babylone, et maxime e servitute diaboli extollendis et sanctificandis. Vel, « in vobis » passive, id est in vestra sanctitate, pietate, religione, « sanctificabor. »

43. ET DISPLICEBITIS VOBIS. — Septuaginta : *Et percutietis facies vestras*, scilicet, quasi in vos indignantes, quod tam beneficum Deum offenderitis; Symmachus : *Et parvuli vobis videbimini*, id est vos dejicietis et humiliabitis. Prima enim Christi et Apostolorum vox fuit : « Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum, » *Matth.* cap. III, 2.

Nota hæc omnia de reditu e Babylone per Esdram; sed melius de redemptione hominum per Christum accipi : huic enim plene conveniunt, licet priorem perstringant. Vide *Canon.* V.

46. PONE. — Hæc pertinent ad materiam cap. sequentis. Unde S. Hieronymus et aliqui alii hinc ordiuntur cap. XXI, quia ejusdem est argumenti. Nota : « Pone faciem tuam, » id est obfirmata facie, libere et intrepide vaticinare. Vide cap. IV, 3. Vers. 46.

CONTRA VIAM AUSTRI, ET STILLA AD AFRICUM, ET PROPHETA AD SALTUM AGRI MERIDIANI, — id est contra Jerusalem, ut patet cap. seq., 2. Erat enim Ezechiel in Babylone : Jerusalem autem partim australis, partim occidentalis est respectu Babylonis, hoc est proprie respicit Africum. Unde humum Israel vocat saltum agri meridiani, eo quod sit montosa et nemorosa, ac meridionalis Babyloni. Ita Polychronius. Licet Theodoretus per *saltum* hunc Jerusalem accipiat, quæ, inquit, dicitur saltus ob sterilitatem fructuum, duritiam, mentis confusionem, et quia ferorum hominum erat receptaculum. Eadem phrasi utitur Isaias cap. IX, 18, et Jeremias, cap. XXI, 14.

STILLA. — Id est, ut Chaldæus, *vaticinare.* Nam sermo similis est pluviæ, utpote qui ex ore dicentium in aures audientium, suaviter quasi stilla illabitur. Vide et aliam causam, quam dedi *Canon.* XLVIII.

47. COMBURAM IN TE OMNE LIGNUM VIRIDE, ET OMNE LIGNUM ARIDUM, — id est omne omnino lignum, nullo excepto. Omne enim lignum vel viride est, vel siccum. Persistit in metaphora saltus : hic enim lignis abundat, simulque innuit futurum urbis incendium. Sensus est, *q. d.* Omnes principes, et subjectos; senes, et juvenes; divites, et pauperes, igni, id est vastationi Chaldæorum, tradam. Vers. 47.

Secundo, melius S. Hieronymus : « Lignum, ait, viride vocat justos, aridum vero peccatores, » quasi dicat : Interficiam in te omnes, sanctos æque ac peccatores. Sanctos, ut ipsi captivitatis mala effugiant morientes : peccatores, ut supplicis tradantur æternis. Sic enim cap. sequent. vers. 3, explicans parabolam, ait : « Occidam in te justum et impium. » Huc alludit Christus, *Luc.* XXIII, 31 : « Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? »

FLAMMA SUCCENSIONIS. — Id est, flamma succensa non exstinguetur ut prius, sed totam gentem et urbem comburam et evertam. Hebraice est, *flamma flammæ*, id est flamma continua et maxima, ut una continuo alteri succedat. Per flammam intelligit gladium, ut patet cap. sequenti, 3, et quodlibet supplicium, ut dixi *Can.* XXVI.

COMBURETUR IN EA OMNIS FACIES AB AUSTRO USQUE AD AQUILONEM. — Vatablus et H. David vertunt : *Ignescent facies eorum, q. d.* Præ rubore et ignominia videbuntur ignescere et comburi omnes facies captivorum, tota via euntium, scilicet a Jerusalem in Babylonem.

Secundo, « omnis facies, » id est quidquid pulchrum et spectabile est tota Judæa, tam ad austrum quam ad aquilonem vergente, comburetur a Chaldæis. Ita Prado.

Tertio, Maldonatus, quasi dicat : Omnes facies hominum adeo erunt fame et metu extenuatæ et pallidæ, ut combustæ esse videantur, uti ait Isaias cap. XIII, 8.

49. PER PARABOLAS LOQUITUR ISTE? — id est ita obscure ut non intelligatur : vel, *q. d.* Ipsi dicunt meum sermonem non esse prophetiam, sed parabolicum, ad ostentationem ingenii compositum. Ita Theodoretus. Unde mox cap. sequent. apertius eadem proloqui jubet illi Dominus. Aliter Maldonatus, *q. d.* Ipsi dicunt me delirare, ideoque parabolica, quæ nec intelligantur, nec inter se cohæreant, loqui

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Explicat parabolam flammæ grassantis in sylvam, quam proposuit in fine capitis præced. dicens : Gladius triplicatus exacutus est, et limatus contra Jerusalem : vade quocumque faciei tuæ est appetitus. *Secundo, vers.* 19, *prædicit quod Nabuchodonosor in bivio sagittas commiscens, ex iis capiet omen an Jerusalem, an Ammonitas invadere debeat; omen vero casurum contra Jerusalem, itaque contra eam perrecturum regem : quocirca in eam exclamat, dicens :* Iniquitatem, Iniquitatem, Iniquitatem ponam eam. *Denique, vers.* 28, *eamdem vastitatem Ammonitis, ac vers.* 30. *Chaldæis per Cyrum et Persas intentat* (1).

1. Et factus est sermo Domini ad me, dicens : 2. Fili hominis, pone faciem tuam ad Jerusalem, et stilla ad sanctuaria, et propheta contra humum Israel : 3. et dices terræ Israel : Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego ad te, et ejiciam gladium meum de vagina sua, et occidam in te justum et impium. 4. Pro eo autem quod occidi in te justum et impium, idcirco egredietur gladius meus de vagina sua ad omnem carnem ab austro usque ad aquilonem : 5. Ut sciat omnis caro quia ego Dominus eduxi gladium meum de vagina sua irrevocabilem. 6. Et tu, fili hominis, ingemisce in contritione lumborum, et in amaritudinibus ingemisce coram eis. 7. Cumque dixerint ad te : Quare tu gemis? dices : Pro auditu : quia venit, et tabescet

(1) Absoluta oratione quæ ad captivos in Babylonia pertinebat, cap. XX, 1-44, Prophetæ Domini nomine loquentis sermo dirigitur ad residuos in Judæa incolas.

Post prolusionem allegoricam, exhibentem, *primo*, Judæam sub imagine sylvæ, cap. XX, 45, 46; *secundo*, bellum imminens sub typo incendii omnia late devastantis, 47, 48; *tertio*, ipsum Prophetam de fato gementem, et velut delirum, fide apud auditores carentem, 49; sequitur enarratio prophetica in qua

PRIMO, præmittitur Dei mandatum ad Prophetam, *primo*, de sermone faciendo, cap. XXI, 1, 2; *secundo*, de clade Judæorum irrevocabili prædicenda, 3-5, *tertio*, de gemitibus, et horum interpretatione addendis, 6, 7.

SECUNDO, exponitur futurum fatum; per iterata Dei præcepta, *primo*, ad denuntiandam gladii immittendi vim acutissimam, 8-11; *secundo*, ad edendum doloris signum de strage multiplicata hinc eventura, 12-17; *tertio*, ad declarandam, sub hærentis ad bivium, ac demum per alteram viam irruentis symbolo, Nabuchodonosoris expeditionem contra Judæos, omissis interea Ammonitis, 18-23; *quarto*, ad ostendendam vindictæ sceleribus Judæorum correspondentis æquitatem, 24; *quinto*, ad prædicendum Sedeciæ supplicium, et regiæ dignitatis decrementum, usque ad Christi adventum, 25-27; *sexto*, ad subnectendum vaticinium de plaga Ammonitas Judæorum irrisores et idolorum cultores etiam oppressura, 28, 29, et de judicio quoque horribili in Nabuchodonosorem et in Chaldæos exsequendo, 30, 32.

omne cor, et dissolventur universæ manus, et infirmabitur omnis spiritus, et per cuncta genua fluent aquæ : ecce venit, et fiet, ait Dominus Deus. 8. Et factus est sermo Domini ad me, dicens : 9. Fili hominis, propheta, et dices : Hæc dicit Dominus Deus : Loquere : Gladius, gladius exacutus est, et limatus. 10. Ut cædat victimas, exacutus est : ut splendeat, limatus est : qui moves sceptrum filii mei, succidisti omne lignum. 11. Et dedi eum ad levigandum, ut teneatur manu : iste exacutus est gladius, et iste limatus est, ut sit in manu interficientis. 12. Clama, et ulula, fili hominis, quia hic factus est in populo meo, hic in cunctis ducibus Israel qui fugerant : gladio traditi sunt cum populo meo, idcirco plaude super femur, 13. quia probatus est : et hoc, cum sceptrum subverterit, et non erit, dicit Dominus Deus. 14. Tu ergo, fili hominis, propheta, et percute manu ad manum, et duplicetur gladius, ac triplicetur gladius interfectorum : hic est gladius occisionis magnæ, qui obstupescere eos facit, 15. et corde tabescere, et multiplicat ruinas. In omnibus portis eorum dedi conturbationem gladii acuti, et limati ad fulgendum, amicti ad cædem. 16. Exacuere, vade ad dexteram, sive ad sinistram, quocumque faciei tuæ est appetitus. 17. Quin et ego plaudam manu ad manum, et implebo indignationem meam, ego Dominus locutus sum. 18. Et factus est sermo Domini ad me, dicens : 19. Et tu, fili hominis, pone tibi duas vias, ut veniat gladius regis Babylonis : de terra una egredientur ambæ : et manu capiet conjecturam, in capite viæ civitatis conjiciet. 20. Viam pones ut veniat gladius ad Rabbath filiorum Ammon, et ad Judam in Jerusalem munitissimam. 21. Stetit enim rex Babylonis in bivio, in capite duarum viarum, divinationem quærens, commiscens sagittas : interrogavit idola, exta consuluit. 22. Ad dexteram ejus facta est divinatio super Jerusalem, ut ponat arietes, ut aperiat os in cæde, ut elevet vocem in ululatu, ut ponat arietes contra portas, ut comportet aggerem, ut ædificet munitiones. 23. Eritque quasi consulens frustra oraculum in oculis eorum, et sabbatorum otium imitans : ipse autem recordabitur iniquitatis ad capiendum. 24. Idcirco hæc dicit Dominus Deus : Pro eo quod recordati estis iniquitatis vestræ, et revelastis prævaricationes vestras, et apparuerunt peccata vestra in omnibus cogitationibus vestris : pro eo, inquam, quod recordati estis, manu capiemini. 25. Tu autem, profane, impie dux Israel, cujus venit dies in tempore iniquitatis præfinita : 26. Hæc dicit Dominus Deus : Aufer cidarim, tolle coronam : nonne hæc est, quæ humilem sublevavit, et sublimem humiliavit? 27. Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem ponam eam : et hoc non factum est donec veniret cujus est judicium, et tradam ei. 28. Et tu, fili hominis, propheta, et dic : Hæc dicit Dominus Deus ad filios Ammon, et ad opprobrium eorum, et dices : Mucro, mucro, evagina te ad occidendum, lima te ut interficias et fulgeas, 29. cum tibi viderentur vana, et divinarentur mendacia : ut dareris super colla vulneratorum impiorum, quorum venit dies in tempore iniquitatis præfinita. 30. Revertere ad vaginam tuam in loco in quo creatus es, in terra nativitatis tuæ judicabo te, 31. et effundam super te indignationem meam : in igne furoris mei sufflabo in te, daboque te in manus hominum insipientium, et fabricantium interitum. 32. Igni eris cibus, sanguis tuus erit in medio terræ, oblivioni traderis : quia ego Dominus locutus sum.

2. STILLA AD SANCTUARIA. — Vaticinare contra Sanctum et Sanctum sanctorum, quæ sunt quasi duo sanctuaria, id est sancta templa. Item contra atrium, et porticus, quod est locus et templum populi, in quo prædicarunt Christus et Apostoli. Hic clare explicat parabolam præcedentem, quam proposuit in fine cap. præced. Ita S. Hieronymus.

Vers. 3. 3. ECCE EGO AD TE, — scilicet converto faciem, et mitto furorem meum. Ita Chaldæus. Est aposiopesis, significans Deum omnino indignabundum.

EJICIAM (educam, distringam) GLADIUM MEUM DE VAGINA SUA. — *Vagina*, ait Theodoretus, est Dei longanimitas, *gladius* est Dei vindicta et supplicium, quod exercuit per Chaldæos. *Secundo* et verius, gladius est Nabuchodonosor, uti explicatur vers. 19 et 30. Vagina est patria ejus, puta Babylon, ut patet vers. 30, *q. d.* Nabuchodonosorem

et Chaldæos educam de Chaldæa contra te, o Jerusalem! Ita Maldonatus. Quod ergo parabolice cap. XX, 47, vocavit *ignem*, hic proprie vocat *gladium*.

OCCIDAM IN TE JUSTUM, ET IMPIUM. — Dices qua justitia occidit Deus justum? Septuaginta, ut hoc evadant, vertunt: *Delebo ex te injustum et iniquum;* Chaldæus: *Migrare ex te faciam justos tuos, ut perdam peccatores tuos.* Verum Hebræa habent, ut vertit Noster: « Occidam » ergo « in te justum, » scilicet, qui se putat justum, cum vere sit injustus et reus. Est catachresis. Adde, Deus communi clade et excidio (quale erat Hierosolymæ) involvi permittit sontes et insontes, non autem id facit in clade particulari, uti dixit cap. XVIII, 4. Et sic hæc duo loca inter se concilia.

4. PRO EO AUTEM (*q. d.* Si meam gentem, Judæos scilicet, ita punio, quanto magis puniam alienas, quæ lætatæ sunt de excidio Judæorum, illudque adjuverunt, *Zachar.* I, 14, puta Ammon, Moab aliasque gentes quæ habitant) AB AUSTRO USQUE AD AQUILONEM? — id est ab Jerusalem usque ad Chaldæam. Verum, quia de solis Judæis hic agit, de Ammon vero aget vers. 28 et 30; hinc melius exponas, *q. d.* « Ego occidi, » id est occidere decrevi, « justum et impium; » idcirco de facto et reipsa « egredietur gladius meus de vagina sua ad omnem carnem ab austro usque ad aquilonem, » ut scilicet grassetur per totam Judæam, ut trucidet omnes Judæos habitantes a Dan usque ad Bersabee. Dan enim erat terminus Judææ aquilonaris; Bersabee, australis. Respondent hæc parabolæ cap. præced., vers. 47.

5. IRREVOCABILEM, — quem nemo revocare et impedire poterit, scilicet, donec fecerit voluntatem meam, et compleverit justam vindictam.

6. INGEMISCE IN (id est præ) CONTRITIONE LUMBORUM. — Id est geme uti solent ii quibus contriti sunt lumbi, quales sunt parturientes; aut, *q. d.* Geme vehementer, ita ut ob suspiria et gemitus lumbi tibi conteri et rumpi videantur. Ita S. Hieronymus et Maldonatus.

IN AMARITUDINIBUS, — scilicet animæ, id est amare; Septuaginta, *in doloribus*. Nota hoc præceptum fuisse efficax. Unde Ezechiel correptus fuit acri lumborum dolore, ex eoque gemitus profundos dedit. En quam dura subeunt Prophetæ, ut populum flectant, nimirum: « Si vis me flere, flendum est tibi prius. »

7. PRO AUDITU (id est propter auditum, id est rem auditam): QUIA VENIT, — quasi dicat: Ingemisce, quia res audita, scilicet clades, quam audivi a Deo, jam adest, et venit in Judæos, eorumque capiti imminet et impendet. Septuaginta vertunt, *pro nuntio*; Vatablus, *propter rumorem*, scilicet adventantis hostis.

TABESCET (id est pavore deficiet, et quasi liquescet) OMNE COR; INFIRMABITUR (Chaldæus, *obscurabitur*; Septuaginta, *examinabitur*) OMNIS SPIRITUS, — id est anima, et animæ vis et vigor. Deseret animus corpora, vis animum, ait Prado.

FLUENT AQUÆ, — id est sudor aqueus, vel potius, ut S. Hieronymus, urina. « Naturale est enim, inquit, ut timore cogente vesica laxetur, et adversus hominis voluntatem humor defluat.» Vide *Canon.* LV. Est hic hypotyposis, sive viva descriptio ingentis timoris et pavoris.

9. GLADIUS, GLADIUS (geminatio hæc significat terribilem et duplicem, id est multiplicem, Judæis instare gladium, hoc est multam et magnam cito fore eorum stragem) EXACUTUS EST, ET LIMATUS, — id est politus. Est periphrasis instantis et acris prælii: in eo enim solent milites gladios acuere et polire.

Mystice, gladius iræ Dei vindex et exsecutor est diabolus, inquit S. Hieronymus. Sic contra Ammon clamat, vers. 28: « Mucro, mucro, evagina te ad occidendum: lima te ut interficias, et fulgeas. » Idem contra Palæstinos vociferatur Jeremias, cap. XLVII, 6: « O mucro Domini! usquequo non quiesces? Ingredere in vaginam tuam, refrigerare, et sile. Quomodo quiescet, cum Dominus præceperit ei adversus Ascalonem, etc., ibique condixerit illi? » Sic alibi sæpe Jeremias Ezechieli quasi chorus choro succinit et concinit, ut quod in Babylone vaticinabatur Ezechiel, hoc Hierosolymis iisdem sæpe verbis, quasi ἀντιφώνως et ἀντιστρόφως resonaret et responderet Jeremias. Similem gladium sæpe Deus gentibus ob peccata ostendit et intentavit. Sic per cometem habentem formam gladii, per annum integrum Hierosolymæ incubantem, eidem intentavit excidium per Titum, teste Josepho, lib. VI *Belli*, cap. XII.

Sic anno Christi 337, quo mortuus est Constantinus Magnus, ante mortem ejus cometem inusitatæ magnitudinis diu refulsisse, prænuntium mortis ejus, et cladium quas sub Constantino ejus filio Ecclesiæ intulerunt ariani, testis est Eutropius lib. X.

Sic anno Christi 444, qui fuit Leonis I Pontificis 5, Theodosii Junioris imperatoris 37, cometes majori anni parte ardere visus, minitans et portendens Hunnorum irruptiones in Romanum imperium, quas hoc anno facere cœperunt in Illyricum, ait Marcellinus in *Chronico*.

Sic anno Christi 632, qui fuit Heraclii Imperatoris 23, cometes in meridie gladii forma apparuit, minitans Christianis, præsertim Palæstinis, ob eorum peccata, irruptiones Saracenorum, puta Eububezer successoris Mahometis, quæ eodem anno contigere. Ita Theophanes et ex eo Baronius.

Sic anno Christi 679, cometes per tres menses apparuit, intentans gravem famem et pestem, quæ post tres annos secuta est, præsertim in Anglia, uti refert Beda, lib. IV *Hist.* cap. XIII.

Sic anno Christi 837, Ludovicus Imperator, filius Caroli Magni, Aquisgrani videns cometem, qui post 25 dies tandem in capite tauri sub au-

rigæ pedes, igneum globum, jubarumque prolixitatem deposuit, sensit sibi mortem, regnoque mutationem portendi. Cumque mathematici eum ab hoc sensu diverterent, citantes illud *Jerem.* cap. x : « A signis cœli nolite metuere, quæ timent gentes : » ille solita usus magnanimitate et prudentia : Non alium, inquit, timere debemus præter illum, qui nostri et hujus sideris creator est. Sed ejus clementiam non satis laudare et imitari possumus, qui nostram inertiam, cum simus peccatores et impœnitentes, talibus indiciis dignatur admonere. Quia ergo et me et omnes communiter hoc ostentum tangit; omnes pro posse et sapere ad meliora festinemus, ne forte misericordiam illo prorogante, et nostra impœnitudine impediente, nos illa inveniamur indigni. Quocirca ipse eleemosynas largissimas erogavit, Missarumque solemnia per quoscumque potuit, celebrari fecit, non tantum sibi metuens, quantum Ecclesiæ sibi creditæ prospiciens : ac mox Carolum filium regem coronans ad mortem se comparavit, quæ contigit anno Domini 840. Ita refert auctor Vitæ ejus et oculatus horum testis.

Sic anno Christi 729, apparuerunt cometæ duo circa solem, multum intuentibus terrorem incutientes. Unus quippe solem præcedebat orientem, alter vespere sequebatur solem occidentem, quasi Orienti simul et Occidenti diræ cladis præsagi. Portabant autem faciem ignis contra aquilonem, quasi ad accendendum acclivem. Quo tempore gravissima Saracenorum lues Gallias misera cæde vastavit, inquit Beda lib. V *Hist.* cap. XXIV. Fuerunt ergo hæ quasi duæ linguæ igneæ, quæ strages in miseros christianos, in sacra templa direptiones, incendia et sacrilegia, in sacerdotes cædes, in sacratas Deo virgines stupra, etc., prænuntiaverunt, inquit Baronius.

Sic anno Christi 1110, cometes apparens portendit bellum acre et vincula dura, quæ Romanæ Ecclesiæ intulit Henricus IV Imperator, eodem anno in Italiam adveniens. Ita Petrus Diaconus, *Chron. Cassin.* lib. IV, cap. XXXVII.

10. UT CÆDAT VICTIMAS; — quia Deus cæde impiorum honoratur et placatur quasi victimis, *Josue* VII, 25; *Isaiæ* XXXIV, 6. Rursum, vox *victimas* significat ingentem fore cladem, ut scilicet homines more pecudum mactentur. Unde Hebraice est, *ad mactandum mactationem*, vel, *ad victimandum victimas*. Hæc enim ejusdem vocis geminatio magnam auxesin continet. Similis phrasis est *Jerem.* XLVI, 10.

UT SPLENDEAT, — id est splendore suo percellat Judæos.

QUI MOVES SCEPTRUM FILII MEI, SUCCIDISTI OMNE LIGNUM, — *q. d.* O gladie Chaldæorum, « qui » suo loco « moves, » id est destruis, virgam et « sceptrum, » id est regnum, « filii mei, » scilicet Israelis, « succidisti, » id est succides etiam facilius, « omne lignum, » id est omne alium populum et gentem. Unde Septuaginta vertunt : *Interfice, contemne, repelle omne lignum.* Jam Hebræa habent, ut vertunt Vatablus et alii : *Quomodo gaudebimus* (scilicet de gladio isto) *qui perdit et abjicit tribum filii mei, et omnem arborem? q. d.* Nequaquam hic gaudendum est, quasi gladius hic stringendus sit in hostes, cum magis in tribum filii mei, scilicet in Judam sæviturus sit, quam in reliquas gentes. Verum nostra lectio est verior et congruentior. Videtur Interpres noster pro אֹו נשׂיש *o nasis*, id est *quomodo gaudebimus*, legisse מנשׂי *mansi*, id est *auferens, movens* : in utraque enim voce litteræ hebrææ sibi similes sunt et vicinæ. Ita Maldonatus, Prado et alii. Denique Chaldæus vertit : *Ut occidat occisionem evaginatus est, ut faciat ultionem exactus est : pro eo quod lætatæ sunt tribus Juda et Benjamin ob tribus Israel, quando migraverunt, quia servierant idolis, et conversæ sunt ipsæ ut errarent post simulacra lignea.*

11. DEDI EUM AD LEVIGANDUM, — *q. d.* Exacui et polivi hunc gladium, scilicet vires et arma Chaldæorum, ut melius scindat, penetret, occidat, dum tenetur manu, scilicet hostium Chaldæorum. Ita Vatablus. Vel, ut Prado, *ut teneatur manu*, scilicet Dei, qui ducem agit in exercitu Babyloniorum. Vers. 11.

12. HIC FACTUS EST IN POPULO MEO (« hic factus est, » ut exeratur : vel potius « hic factus est, » id est fiet et exeretur in populum meum, et in cunctos duces) QUI FUGERANT, — id est qui fugient, puta in Sedeciam ejusque principes, qui fugientes a Chaldæis capientur et occidentur, *Jerem.* LII, 10. Alii explicant de Johanan aliisque ducibus, qui post cædem Godoliæ fugerunt in Ægyptum. Hi enim ibi a Chaldæis cæsi sunt, *Jerem.* XLIII. Vers. 12.

PLAUDE SUPER FEMUR, — more scilicet stupentium, et valde dolentium percute femur. Simile est *Jerem.* XXXI, 19 (1).

13. QUIA PROBATUS EST, — scilicet gladius esse probus, politus et aptus ut scindat et occidat; Septuaginta, *quia justificatus est*, id est judicatus aptus muneri suo; Aquila, *quia investigavit*, id est etiamsi quis abdiderit se, hunc tamen inveniet hic Dei gladius. Est enim instar Dei centoculus, ut Argus (2). Vers. 13.

(1) Quemadmodum apud Homerum, *Iliad.* XII, vers. 162. Asius..... ὤμοξέν τε καὶ ὃ πεπλήγετο μηρώ : *tum vero ingemuitque et sua percussit femora.* Quod etiam dicitur de Marte, *Iliad.* XV, 113; de Patroclo, 397, ac de Ulysse, *Odyss.* XIII, 398. Sic apud Plutarchum, in *Vita Fabii*, Fabius cum videret suos obseptos fugere, *percusso femore, ingens edidit suspirium.*

(2) Schnurrerus recte observat, inquit Rosenmuller בחן *bochan* esse verbum passivum (Pyhal), neutraliter positum, et vertendum, *probatio facta est*, ut *Isaiæ* XXII, 1; שׁדד *schedad, vastatum est*, seu facta est vastatio, *Jerem.* XVIII, 12; נואשׁ *noasch, desperatum est.* Reliqua verba sic vertit : *Quid enim, si vel sceptrum haud sperneret gladius?* id est, egregium vero gladium, si sceptro, facili opera diffindendo, parens se haud præberet..... Nos quidem, ait Rosenmuller, Schnurrero adstipulamur in eo quod בחן *bochan*, neutraliter dictum censet, cæterum vero et hunc locum, ut supra vers. 16, ad mentem Chal-

ET HOC CUM SCEPTRUM SUBVERTERIT (id est regnum Juda), ET NON ERIT, — id est, ita, ut non sit, *q. d.* Gladius hic se probavit, cum sceptrum Juda tam validum succidit, quod aptus sit ad succidendas alias gentes. Septuaginta : *Et quid, si etiam tribus Juda repellatur?* R. David et Hebræi aliter vertunt, nimirum : *Et quid, si etiam sceptrum reprobaverit?* id est prætermiserit, non occiderit, sed illi pepercerit; « non erit, » scilicet probatus, hoc est frustra politus acutusque fuerit. Verum reprobare non est parcere.

14. PERCUTE MANU AD MANUM, — præ admiratione, stupore et dolore complode manus semel, secundo et tertio, quia secundo et tertio veniet gladius Chaldæorum ad interficiendum Judæos; scilicet, *primo*, sub Joakim; *secundo*, sub Joachin; *tertio*, sub Sedecia. Ita S. Hieronymus. Hic ergo gladius triplicatus « est occisionis magnæ, » præsertim sub Sedecia capta Jerusalem, futuræ. Hebræi vertunt, *interfecti magni*, id est interfectorum magnorum, qui scilicet multos magnates occidet.

QUI OBSTUPESCERE EOS FACIT. — Hebræa : *Qui penetrat eos*, ut, sanguine effuso, fiant rigidi et stupidi. Nam Hebræum חדר *chader* significat penetrale, *q. d.* Esto fugiatis in Ægyptum, aut in sylvas et speluncas, gladius hic vos persequetur, etiam usque ad intima penetralia. Unde Vatablus vertit : *Gladius qui versabitur in cubiculis*, ut scilicet occidat cives in iis latitantes. Alii vertunt : *Gladius qui hactenus delituit*. Verum S. Hieronymus, Septuaginta et Chaldæus vertentes : *Qui obstupescere*, aut *contremiscere faciet eos*, pro חדר *chader*, per metathesin legerunt חרד *charad*, id est tremere, percelli, obstupescere.

15. ET CORDE TABESCERE, — *q. d.* Faciet hic gladius, ut cor dissolvatur et quasi liquefiat.

MULTIPLICAT RUINAS, — id est cadavera, quæ in terram corruent, et in quæ transeuntes impingant. Unde hebraice est משכלימם *michscelim*, id est offendicula. Simile est illud *Psalm.* CIX, 6 : « Judicabit in nationibus, implebit ruinas, » id est cadavera multiplicabit, multos occidendo.

IN OMNIBUS PORTIS DEDI CONTURBATIONEM, — id est multi in portis fugæ occasionem quærent, sed incident in hostes, qui eos percellent et occident. Ita Scholiastes.

LIMATI AD FULGENDUM. — Septuaginta : *Sicut fulgur pertransi.* Sic enim legunt Complutenses et Theodoretus, licet Romana legant : *Benefactus est ad fulgorem;* Hebræum enim ברק *barac* et fulgur et fulgorem significat. Sic dicuntur duo fulmina belli Scipiadæ. Sic Apelles pinxit Alexandrum quasi fulmen, subito pervadens et perstringens orbem, sed cito disparens. Sic hoc epitaphium datum est Ludovico Imperatori filio Caroli Magni, qui mortuus est anno Christi 840, uti refert auctor Vitæ ejus :

> Imperii fulmen, Francorum nobile culmen,
> Excitus a sæculo conditur hoc tumulo.

GLADII AMICTI AD CÆDEM. — « Amicti, » id est obvoluti, palliati, *q. d.* Sicut carnifex gladio præcisurus rei caput, gladium limat et acuit, et limatum ne maculetur involvit et tegit, non vagina, sed, ut eum ad manum habeat et, reo inscio, subito caput amputet, sub pallio aut veste : ita gladius hic Dei amictus est, id est pallio tectus, quasi paratus ad subitam cædem. Hinc Prado : « Amicti, » ait, id est ex amictu, sub quo latebat, repente exempti ad cædem. Idem aliter quoque vertit Hebræum מעטה *meutta*, scilicet *involantis* ad cædem, instar rapacis avis, quæ prædam, expansis alis, operiendo opprimit. Aliter Maldonatus : « Amicti, » ait, id est qui balteo accinctus est militi; involutus est enim et amictus corrigiis gladius, cum eo miles accingitur. Aliter et Vatablus, *gladii involuti*, id est, ait, inserti suo capulo aut manubrio, ut manu ferientis teneri possit.

16. EXACUERE (o gladie), VADE AD DEXTERAM, SIVE AD SINISTRAM, QUOCUMQUE FACIEI TUÆ (id est aciei tuæ), EST APPETITUS, — id est impetus : hoc est, in quamcumque partem voles, id est volet Chaldæus, qui te manu vibrat, grassare, *q. d.* Libere qua volet, quaquaversum grassabitur occidendo Chaldæus. Hebraice est : *Uni te, o gladie! dextra te, pone te, sinistra te, quocumque facies tua parata est*, id est pone faciem tuam ad dexteram, aut ad sinistram, id est ito quocumque voles, et obvios quosque ad quamcumque partem trucida. Noster Interpres pro *uni te*, vertit *exacuere*, quia Hebræum אחד *achad*, id est univit, affine est voce et significato verbo חדד *chadad*, id est acuit; quia, dum ferrum, v. g. gladius coti allisus unitur, tunc acuitur; eoque magis acuitur, quo magis ejus acies unitur, stringitur et quasi in punctum per cotis allisionem redigitur. *Achad* ergo ponitur pro *chadad*; et *chadad* ab *achad* suam conjugationem *hitpael* mutuatur.

17. PLAUDAM MANU AD MANUM, — non ex dolore, Vers. 17.
quo doleo vicem populi indurati, ut volunt Va-

dæi interpretis ita explicandum arbitramur : *Nam probatio est facta*, plus semel tentavi, num a prophetis admoniti ad meliorem frugem sint redituri, sed non resipuerunt. *Quid* igitur fiet? Sane (ita אם *im*, sæpe capiendum, ut *Proverb.* III, 34; XXIII, 18; *Isai.* XXIX, 16; *Psalm.* LXIII, 7), hæc etiam tribus tam fastidiosa *non* amplius *permanebit*, sed easdem quas reliquæ tribus pœnas subibit, in terras exteras captiva deportabitur. Quæ supra מאסת כל עין *moeset col ets*, eadem hic simpliciter *moeset*, *spernens*, fastidiosa vocatur, quod cæteras tribus jamjam deportatas tanquam jure meritoque deportatas aspernabatur, atque de earum calamitate lætabatur, ut Chaldæus supra ad vers. 16 addidit. Qui ad *moeset* subaudiunt e vers. 16 עין *ets*, sensu *castigationis*, nostrum locum sic capiunt : *Quia probatio* hæc est, id est, probandi causa strictus hic gladius, num emendentur Israelitæ. *Quid vero* fiet, si etiam *tribus*, scilicet *filii mei* (vers. 16), id est Juda, ut cæteræ tribus, *aversetur omne lignum*, castigationis? *Non erit*, non permanebit ultra, sed exscindetur.

tablus et R. David; sed præ exsultatione et insultatione, ac indignatione, quam complebo in hostes meos. Unde S. Hieronymus : « Dominus, ait, exsultat quasi hortator gladii sævientis; » et Chaldæus vertit : *Adducam ultionem super ultionem.* Sensus est, *q. d.* Tu, o Jerusalem! plaudes manibus, iisdem plaudam et ego, sed tu præ dolore, ego præ gaudio, insultans tibi quasi hosti meo. Sic plaudere est gestientis et insultantis, *Psalm.* XLVI, 1; *Thren.* II, 15; IV *Reg.* XI, 12, et alibi.

Vers. 19. 19. PONE TIBI DUAS VIAS (1), — describe tibi viam unam e Chaldæa in duas partes, sive semitas, divisam, quarum una ducat in Jerusalem, altera in Rabbath, id est Philadelphiam, ut repræsentes tibi et populo deliberationem et viam Nabuchodonosoris : scilicet, quod ipse cum veniet, « in capite viæ, » id est in bivio, ubi duæ viæ ad duas civitates ducentes coeunt, tunc manu capiet conjecturam, utram viam ingredi, et utram urbem aggredi debeat, ac divinatione facta, viam inibit versus Jerusalem. Hæc omnia in charta, vel latere, vel assere depingere, et reipsa populo repræsentare jubetur hic Propheta, scilicet narrationem sequentem de omine, quod cepit Nabuchodonosor, dum dubitaret an Judæos, an Ammonitas invadere deberet. Sic iussus est, cap. IV, obsidionem urbis in latere depingere.

UT VENIAT GLADIUS, — id est quibus (scilicet viis, ut præcessit) venire potest exercitus Chaldæorum.

CONJICIET, — conjecturam capiet ex sortitione et omine, quod subdit :

Vers. 20. 20. VIAM PONES, — id est alteram viam describes, qua exercitus Chaldæorum ad Rabbath metropolim Ammon venire possit; alteram qua ad Jerusalem.

Vers. 21. 21. STETIT, — id est stabit Nabuchodonosor captans omen.

Omen Nabuchodonosor per sagittas, quale? COMMISCENS SAGITTAS, — ut scilicet uni sagittæ inscribens nomen Rabbath, alteri nomen Jerusalem, deinde commiscens eas in pharetra, et clausis oculis unam educens, sorte disceret eo sibi esse eundum, cujus nomen illa continebat; Deo autem volente Jerusalem per eum punire, et manum ejus dirigente, eduxit illam cui inscriptum erat Jerusalem; contra eam ergo perrexit. Ita S. Hieronymus (2).

Potest ex Hebræo verti, *jaciens sagittas,* ut scilicet mixtim recta in altum librans duas vel tres sagittas, videret an in dextrum versus Jerusalem, an in sinistrum versus Rabbath caderent, et eo quo caderent, pergeret. Ita Chaldæus et Polychronius; et hoc videtur aptius ad capiendum omen viæ : ac Hebræum קלקל *kilkal* significat leves vel veloces fecit sagittas, scilicet eas jaciendo in altum. Unde Syrus vertit, *immisit sagittam;* Arabicus uterque, *injecit sagittam.*

Tertio, Vatablus vertit, *polivit sagittas,* id est ferrum sagittarum, ut splenderet, in eoque splendore cernerent divinatores qua eundum esset, uti iidem aspicere solent in ungue pollicis manus splendente, ex eoque divinare. Ita et R. David et R. Salomon. Volunt ergo hic significari genus divinationis catoptromanticum, quo augures in splendenti cuspide, velut in crystallo vel ungue, futura inspiciebant. Sed cum hoc sit recentiorum commentum, præstat S. Hieronymi et Septuaginta versionem et explicationem sequi. Ita Delrio, lib. IV *Disquis. magic.* cap. II, *Quæst.* VII, sect. III.

Septuaginta vertunt : *Ut faciat ebullire virgam.* Græci hanc vocant βελομαντείαν vel ῥαβδομαντείαν, id est *divinationem per sagittas,* aut per virgas. Hanc superstitionem Chaldæorum imitati sunt Hebræi, ut docent S. Hieronymus, Cyrillus et Theophylactus, in illud *Osee* IV : « Populus meus in ligno suo interrogavit, et baculus ejus annuntiavit ei, » scilicet futura. Porro fuisse apud priscos varias divinandi rationes per virgas aut baculos in sublime jactos, docet Cœlius Rhodiginus lib. VII *Antiq. lect.* cap. XXIX. Porro rex hic omen captat sagittis, non libris, vel alia re, tum quia oraculum quærebat de bello, in quo de more pugnatur ab erat sagittis; tum quia oraculum hoc poscebat e cœlo a diis, ad quos jaciebat sagittam in altum. Ita *Abaris sagitta* symbolice est mens contemplans, et evolans ad Deum et divina, ait B. Gregorius Nazianzenus, et ex eo Nicolaus Causinus, lib. XII *Parallel. Histor.* cap. XLIX. Narrant enim, vel potius fabulantur Abarim Scytham sagittam tanta vi jecisse, ut a Græcia usque ad Scythas transvolarit, quod B. Gregorius Nazianzenus explicat, affertque quasi typum mentis,

(1) Vers. 18. « Et factus est sermo Domini ad me dicens, » quod sic cum præced. connectit S. Hieronymus: Cum, inquit, dixisset mihi sermo divinus : « Propheta, fili hominis, et loquere ad gladium, et sic : Gladius, gladius » et cætera quæ prophetia gladii continentur (vers. 14 et seq.); secundo, factus est ad me sermo Domini dicens : Vis, fili hominis, scire quis iste sit gladius et apertius personam discere gladii sævientis? Ausculta quæ dico : Pone duas vias, etc.

(2) Eum ritum, cujus et in Corano, III, 39, et V, 4, mentio fit (vide C. B. Michaelis, *Dissert. de Ritualibus SS. ex Alcorano illustratis,* § 16, in *Sylloge Commentatt. Theolog.* vol. II, pag. 113), pluribus descripsit ex Arabum monumentis Ed. Pocockius in *Specimen Hist. Arab.,* p. 329 et seq. Cum esset alicui vel suscipiendum iter, vel ducenda uxor, vel aliud magni momenti negotium peragendum, sagittas, quas tres in vasculo inclusas habebant, solebant consulere. Earum *primæ* inscriptum erat : *Jussit me Dominus meus; secundæ, prohibuit me Dominus meus; tertia* erat nulla nota insignis. Harum unam manu extrahenti, si occurreret illa quæ juberet, alacri animo, tanquam monente Deo, pergere, sin illa quæ vetaret, desistere, quod si ἀγράμματος illa, reponere, donec prodiret, quæ vel jussu præiret, vel interdicto occurreret; vide d'Herbelot, *Biblioth. Orient.* sub nomine *Aidad,* et pro aliis consultationibus divinandi causa factis, Thevenot, *Voyage du Levant,* cap. XXVI.

quæ contemplationis alis subnixa, ad cœlum fertur celeritate ingenti : et ut Abaridis sagitta patriam, sic illa Beatorum domicilium appetit.

Sortes et omina veterum. Juliani Apostatæ, Nota : Fuerunt apud veteres, Gentiles maxime, valde usitatæ hæ sortes, et hæc omina. Julianus Imperator (uti scribit Ammianus Marcellinus, lib. XXXII), Babylonio equo cadente, et ex lapsu cum ornamentis ruente ad terram, inde conjectavit Babyloniam suæ ditioni subjectum iri.

Cæsaris, Cæsar, exscensione facta in littus Africanum, forte impedito pede pronus lapsus est in arenam. Hunc casum, ut infaustum aliqui exceperunt : ipse autem ut animum suis ex eventu tristibus adderet, utraque manu constringens arenam, alta voce clamavit : « Teneo te, Africa. » Ita Dio lib. XLII.

Guilielmi Normanni. Simile imperii omen accepit Guilielmus Normannus Angliam invadens. Confestim enim ut e navi egressus est, parum lapsus fixit alte pedem in arena. Quo viso, miles lætitia exsultans et alacer ait : « Jam, dux, firmo pede Angliam tenes.» Testis est Polydorus, lib. VIII *Hist. Anglic.*

Cæsar cum somniasset se nocte fœde cum matre copulatum, hoc ejus potentiam et imperium in rempublicam prænuntiare affirmarunt augures. Unde patet ipsos hæc ostenta ad gratiam, hominumque arbitrium, non ex firma aliqua ratione interpretari solitos.

S. Gregorii. Verius et divinius Dei instinctu omen accepit de conversione Angliæ S. Gregorius, uti habet Joannes Diaconus, lib. I ejus Vitæ, cap. XXI, XXIII et XXIV. Cum enim Romæ venales in foro videret pueros candidos et venustos, sed paganos, paganorum filios ingemiscens, rogavit quo nomine vocarentur. « Mercator respondit : Angli vocantur. At ille : Bene, inquit, Angli quasi angeli, quia angelicos habent vultus, et tales angelorum in cœlis decet esse concives. Iterum ergo interrogat, quod nomen haberet ipsa provincia ? Mercator respondit : Provinciales illi Deiri vocantur. Et Gregorius : Bene, inquit, Deiri ; quia de ira sunt eruendi, et ad Christi gratiam convocandi. Rex, ait, illius provinciæ quomodo nuncupatur ? Mercator respondit : Aelle vocatur. Et Gregorius, alludens ad nomen, dixit : Bene, quia rex dicitur Aelle : Alleluia enim in laude Creatoris in partibus illis oportet decantari. » Quocirca, ipse in Angliam a Benedicto Pontifice mitti petiit et impetravit. Et ecce aliud ejus omen : cum enim in Angliam pergeret, in loco quopiam quiescens, et lectitans, « superveniens locusta coegit eum paululum a legendo quiescere, et ex consideratione nominis docuit eum in eodem loco restare debere. Tunc fertur dixisse : Locusta, inquit, dici potest quasi loco stat. » Mox supervenientes legati a Pontifice, eum redire compulerunt. Populus enim Romanus id a Pontifice petierat, imo extorserat, dicendo ei : « Petrum offendisti, Romam destruxisti, quia Gregorium dimisisti. » Nimirum Deus eum non Angliæ, sed totius Ecclesiæ doctorem et rectorem destinabat. Quocirca ipse paulo post creatus est Pontifex, ac mox S. Augustinum cum sociis in Angliam destinavit, qui eam ad Christi fidem converterunt.

Ita S. Eustratius, nobilis in Armenia sub Diocletiano martyr, cujus reliquias Romæ in Collegio Germanico veneratus sum, martyrii avidus, sed sævitiam præsidis pertimescens, hoc Dei instinctu martyrii omen captavit. Jussit famulo ut zonam suam in altari deponeret, observaretque num presbyter Auxentius vir sanctus, ad orandum ingrediens, illam de altari tolleret, an non. Si tolleret, non dubitabat felicem fore successum martyrii : sin minus, debere se latere, nec ingerere se martyrio. Contigit ergo Auxentium tollere zonam, quod intelligens Eustratius lætus exsiliit, martyrumque in carcere vinctorum precibus se commendans, Lysiæ præfecto se stitit, et mira libertate se christianum professus, gloriosum martyrii agonem fortiter obiit. Ita habet ejus Vita 13 decembris.

INTERROGAVIT IDOLA, EXTA CONSULUIT.—Triplicem ergo rex divinationem captavit : *primo*, ex sorte et omine sagittarum, de quo jam dixi ; *secundo*, petendo oraculum a Bel, Nebo aliisque suis idolis ; *tertio*, consulendo exta. Exta proprie vocantur cor et pulmo, ab *exstando;* quia in parte superiore locantur : item, splen, hepar, ventriculus, quia supra inferiora intestina locantur. Exta dicuntur, ait Festus, quod ea diis prosecentur, quæ maxime exstant eminentque. Per hæc divinabant Gentiles, considerando victimæ cor, hepar, stomachum, etc., eorumque situm et seriem : unde tales divinationes appellarunt extispicia, ab extis inspiciendis : ac divinator vocabatur Extispex. Ita Cicero, lib. II *De Divinat.*

22. AD DEXTERAM EJUS FACTA EST DIVINATIO. — Per sortes sagittarum jam dictas, forte etiam per responsa idolorum et aruspicum intellexit ineundam sibi esse viam versus Jerusalem. Eo enim ire verebatur Nabuchodonosor, ait S. Hieronymus, memor ibi ab Angelo cæsa esse Assyriorum 185 millia una nocte, et sciens urbem esse munitissimam. Vers. 22.

UT PONAT ARIETES, — bellica scilicet instrumenta, quibus quatiat portas et muros Hierosolymæ.

UT APERIAT OS IN CÆDE, — ut in cædem suos milites ore adhortetur et accendat.

IN ULULATU, — Septuaginta, *in clangore tubæ.*

23. ERITQUE QUASI CONSULENS FRUSTRA ORACULUM IN OCULIS EORUM, — *q. d.* Judæis videbitur frustra ex sua divinatione Nabuchodonosor venire contra Jerusalem. Putant enim ipsi eam esse inexpugnabilem; sed ignorant non idola, sed Deum sortes ita moderatum, ut rex Jerusalem sibi expugnandam deligeret, ac proinde illum Dei nutu et ope eam certo expugnaturum.

ET SABBATORUM OTIUM IMITANS,—id est, ut S. Hieronymus, videbitur Judæis Nabuchodonosor quasi sabbatorum otium tenere, ludere videlicet, et ni-

hil operis perpetrare omni suo apparatu bellico. Septuaginta Hebræa ad verbum vertunt, ἑβδομάζων τὰς ἑβδομάδας αὐτοῖς, id est *videbitur eis hebdomadas hebdomadatim computare.* Aliter Vatablus et Kimchi vertunt, *jurantes juramenta illis, q. d.* Non credent Judæi venturos Chaldæos, quia cum eis fœdus juramento sanxerunt. Aliter et R. Salomon et Chaldæus vertunt, *septies septem*, id est 49 vicibus, *sortem misit Chaldæus, et toties exivit contra Jerusalem;* Hebræum enim שבע *sceba, primo*, significat septem; *secundo*, septimum diem, puta sabbatum; *tertio*, septimanam; *quarto*, juramentum. Veteres enim jurabant per septenarium, uti ostendi *Gen.* XXI, 28. Hinc rursum alii vertunt: *Juramenta juramentorum ipsis*, id est quia ipsi, scilicet Judæi, fidunt pactis et juramentis, quibus promisit Deus se urbem et templum tutaturum, hinc securi degunt, putantes urbem, utpote Dei præsidio tutam, esse inexpugnabilem. Unde apte sequitur :

IPSE AUTEM (scilicet Nabuchodonosor) RECORDABITUR INIQUITATIS — Judæorum, et maxime perfidiæ et perjurii Sedeciæ, contra fidem Chaldæis datam rebellantis, *q. d.* Mox ut sors cecidit contra Jerusalem, exclamavit Nabuchodonosor: Justum hoc est Dei judicium, et punietur perfidus Sedecias.

24. PRO EO QUOD RECORDATI ESTIS, — commemorastis, propalastis, jactastis vestras iniquitates (ita ut et hostes eas audiant et exsecrentur), justum est ut eis vos tradam.

Publicas clades tantum ob publica peccata immittit Deus.

Nota publicas clades non immitti nisi ob publica peccata, maxime cum ea impii prædicant et jactant : tunc enim clamant in cœlum, indeque vindictam provocant.

MANU (scilicet Chaldæorum) CAPIEMINI. — Ita Chaldæus.

25. TU AUTEM PROFANE, — Hebræus חלל *chalal*, id est pollute; Chaldæus, *qui es reus mortis;* Vatablus, *ad occisionem damnate.* Loquitur Sedeciæ fœdifrago.

CUJUS VENIT DIES (scilicet ultionis) IN TEMPORE INIQUITATIS, — eo tempore, quo tu inique juramentum violasti, « præfinita » a Deo. Posset verti, *in tempore iniquitatis præfinitæ*, id est consummatæ, quo scilicet consummata impietate tua maxima, illius et regni tibi instant finis et consummatio. Unde alii vertunt, et explicant, *in tempore iniquitatis finis*, id est in tempore quo iniquitas tua per excidium finienda erit : aut, in tempore quo iniquitas tua tibi finem regni afferet. Ita R. David.

26. AUFER CIDARIM, TOLLE CORONAM, — id est, ut Theodoretus et Chaldæus, tolle Saraiam pontificem, eumque pontificali cidari et sacerdotio spolia : tolle et coronam regiam ex capite Sedeciæ. Sed quia uni tantum loquitur, scilicet duci, id est regi, melius sic accipias, ut idem sit cidaris et corona, scilicet fascia alba, qua caput circumligabant. Hæc enim olim regibus erat corona (et inde dicitur diadema a διαδεῖν, id est a *circumligando*) sicut in veteribus numismatibus Imperatores sculpuntur fascia caput redimiti, et coronati. Et hoc significat Hebræum מצנפת *mitsnephet* : צנף *tsanaph* enim est involvere. Sic Plutarchus, in *Lucullo*, narrat uxorem Mithridatis diademate suo collo circumdato, se suspendisse. Et Justinus, lib. XV, Alexandrum suo diademate Lysimacho vulnus alligasse, quod omen fuit eum futurum regem. Et Dion, in *Pompeii Vita*, refert Tigranem candidam fasciam ante Pompeii pedes abjecisse, quasi insigne regium et regnum ipsi subjiceret. Ita Maldonatus et Prado, qui et addit : Vel certe cidarim vocat pileum, coronam vero fasciam jam dictam pileo circumductam.

Diadema olim quale, et unde dictum?

NONNE HÆC EST, QUÆ HUMILEM SUBLEVAVIT? — Hæc corona regalis humilem Joachin sublevavit ad thronum regium. Evilmerodach enim, videns Joachin humilem, regium ei habitum et coronam restituit : vel potius, *q. d.* Hæc corona Sedeciam, cum humilis esset, in regnum et gloriam evexit : jam eumdem ob superbiam dejiciet et humiliabit. Corona enim hæc amat et sequitur humiles, odit vero et fugit superbos. Honor enim et celsitudo sequuntur fugientes, fugiunt sequentes et ambientes. Ita Chilon, vel, ut alii volunt, Æsopus, rogatus quid Jupiter faceret, respondit : « Excelsa deprimit, depressa exaltat. » Aliter S. Hieronymus : Hæc, ait, est cidaris et corona, quæ nihil fecit juste : nam « humilem, » id est eum qui humiliari debebat (puta Sedeciam) « sublevavit, » et « sublimem, » id est eum qui sublimari debebat, v. g. Joachin « humiliavit. » Aliter et Hector Pintus, *q. d.* Hæc est potestas regia Sedeciæ, quæ justitiam pervertit, scilicet humiles et viles, quos debebat abjicere, extollendo : et sublimes ac egregios, quos extollere debebat, humiliando. Hinc propone ei iniquitatem triplicem : *primam*, quam fecit contra me; *secundam*, quam fecit contra populum; *tertiam*, quam fecit contra Nabuchodonosorem, dum fœdus cum illo initum violavit.

27. INIQUITATEM, INIQUITATEM, INIQUITATEM PONAM EAM. — Hebraice עוה *affa*, id est *perversitatem, curvitatem, obliquitatem ponam eam*, scilicet coronam regiam Sedeciæ et Judææ, *q. d.* Efficiam ut Sedeciæ cidaris vel tiara, quæ prius recta erat more regum, incurvetur, idque sensim et tertio, scilicet *primo*, a Nabuchodonosore; *secundo*, ab Antiocho et Græcis; *tertio* et plene, a Tito et Romanis. Simplicius, æque ac planius posset *iniquitas* tam proprie pro culpa, quam figurate accipi pro pœna iniquitatis, *q. d.* Proponam, et omnibus ostendam ejus iniquitates multiplices, hoc ipso, quo eam per Chaldæos puniam, deprimam, et ad terram incurvabo. Per trinam enim iniquitatem, significat omnem : item magnam et multiplicem. Ternarius enim symbolum est multitudinis et universitatis. Tria enim sunt omnia, scilicet, prima, ait Aristoteles; nec enim de uno, nec de duobus, sed de tribus primo dicitur, quod sint omnes, Vers. 27

vel omnia. Huic expositioni favet Syrus, dum vertit: *Atque etiam hanc in iniquitatem et fraudem* (oppressionem) *faciam eam*; et Arabicus Antiochenus: *Et hanc etiam iniquitas, et ignorantia fecit eam*; et Arabicus Alexandrinus: *Et hunc facite illum in iniquitatem et fallaciam.*

ET HOC NON FACTUM EST (*q. d.* Hoc non fiet, scilicet non omnino curvabitur et dejicietur corona regni Judaici) DONEC VENIRET (id est veniat) CUJUS EST JUDICIUM, — id est jus ad regnum hoc. Is est non Nabuchodonosor, ut volunt Lyranus et Pintus; non Zorobabel, ut Polychronius, sed Christus cui Pater omne judicium dedit, *Joan.* v, 22 (1). Quia qui post Sedeciam Judæorum fuerunt reges ex Machabæis, uti Alexander, Aristobulus et Hyrcanus, non tam jure hæreditario, quam vi regnum adepti sunt, ait S. Hieronymus. Hinc alii vertunt: *Curvam, curvam ponam illam*, scilicet coronam Judææ, id est faciam ut nullius capiti quadret, *donec veniat* Christus, *cui debetur*, et cui reposita est (2).

28. AD FILIOS AMMON. — Hic Propheta a Judæis transit ad Ammonitas, eisque simile excidium intentat; eo quod Judæos cognatos et vicinos suos, cum a Chaldæis vastarentur, irriserint, et eorum possessiones invaserint, *Jerem.* XLIX, 1.

AD OPPROBRIUM EORUM, — quo Ammonitæ exprobrabant Judæis, et Deo eorum quasi imbelli, quod Nabuchodonosor, vers. 21, ad eos deflexisset, quasi Ammonitas invadere non ausus. Idem prædicit Sophonias, cap. II, 8.

MUCRO, MUCRO, EVAGINA TE AD OCCIDENDUM, LIMA TE. — Corrige cum Hebræis, Græcis, Romanis, *evaginate, limate*, in vocativo, *q. d.* O mucro Chaldæorum! tu jam evaginatus es, et limatus, ut post Jerusalem sævias in Ammonitas. Hebraice est, *o gladie, o gladie aperte!* id est qui jam apertus, evaginatus et districtus es, ut fulgeas et occidas Ammonitas.

LIMA TE UT INTERFICIAS, ET FULGEAS. — Leo Hebræus vertit: *Politus ut consumas, et in hoc splendes*; Vatablus: *Politus est ut sustineat, et propter fulgorem*; hoc est, inquit: *Politus est ut sufficiat multis interficiendis, et ut terreat suo fulgore* (quasi fulgure: Hebræum enim ברק *barac*, tam fulgur quam fulgorem significat) *perdendos*; Septuaginta: *Evaginatus ad consumptionem, surge ut fulgeas*; alii, *tersus ad capiendum*, ut scilicet capias et contineas multorum cædes et strages. Ita Pineda ex Complutensibus, lib. V *De Rebus Salom.* cap. v. Hæc omnia eodem recidunt. Hebræum enim החכיל *hachil* descendit a radice כול *col*, quæ significat posse, sufficere, sustinere, consummare, omnia complecti. Nomen enim *col* idem est quod *omnis*. Significat ergo universalem omnium cædem et interfectionem. Porro Syrus vertit: *Mucro, mucro, qui paratus* (aptatus) *es ad occisionem, et exacutus es, et fulgens*; Arabicus Antiochenus: *Et dic, gladius, gladius extractus, paratus est ad occisionem*; Arabicus Alexandrinus: *O gladie parate ad occisionem, qui limatus es, qui refulges, dominare super visiones eorum vanas et falsas.*

29. CUM TIBI VIDERENTUR VANA, ET DIVINARENTUR MENDACIA, — *q. d.* Hic mucro tibi paratur, o Ammon, cum tui pseudoprophetæ mendaciter tibi promittunt immunitatem ab eo, et securitatem: sicut ante contra Judæos paratus et limatus est, cum ipsi falsis prophetis confisi, non credebant eum contra se venturum. Nota: Hæc verba quasi per parenthesin interseruntur. Unde sequitur: Vers. 29.

UT DARERIS (scilicet, o mucro!) SUPER COLLA VULNERATORUM IMPIORUM, — scilicet Ammonitarum, æque ac ante super colla Judæorum datus fuisti.

IN TEMPORE INIQUITATIS. — Vide dicta vers. 25.

30. REVERTERE AD VAGINAM TUAM (scilicet, o Chaldæe, qui es mucro vindex Domini! peracta vindicta, redi in Chaldæam: ibi) JUDICABO TE. — Id est puniam tuam tyrannidem et alia scelera, uti per te alias gentes punivi. Babylonem enim Cyrus evertit. Ita S. Hieronymus et Theodoretus. Transit enim hic Propheta ab Ammon ad Chaldæos, quibus simile per Cyrum excidium comminatur. Vers. 30.

31. IN IGNE FURORIS MEI SUFFLABO IN TE. — O mucro! in fornace quasi ignita, et sufflando accensa igni te tradam, ut consumaris. Ita S. Hieronymus. Unde aliqui vertunt: *Ignem furoris mei sufflabo in te*, id est furorem meum, quasi sufflando, magis et magis accendam in te. Vers. 31.

(1) Schnurrerus sensum arbitratur hunc esse, nunquam id antea factum est, donec adesset, cujus esset illud perficere, me jus atque potestatem illi largiente, id est, hæc dignitas regia non fuit usque adeo imminuta, donec venit is, cui competebat justo Dei decreto, judicium exercere in Israelitas, et eos affligere, id est, donec venit Nabuchodonosor. Ista tamen sententia, inquit et ipse Rosenmuller, vi verborum compulsus, nescio quid jejuni et languidi habet. Quod ipsum valet de Chaldæi interpretatione, nec non de Grotii sententia, *venturo illo, ad quem jure pertineat, et cui tradenda sit tiara*, Zorobabelem intelligendum esse. Verum quemadmodum locis aliis compluribus et vatum reliquorum, et nostri vatis (supra XVII, 22, 23), comminationi destruendi regni Judaici subjungitur spes felicioris ævi, quo illud splendore longe majore sit restaurandum, rege aliquo potentissimo, sapientissimo, justissimo; ita et hoc loco dubitari vix potest hoc vatem innuere, abolendum quidem esse regnum Judaicum, nec tamen perpetuo, sed dum veniat ille, cui Deus summam potestatem sit concessurus, quo *Messiam* esse intelligendum, et ex ipsis hebraicis saniores agnoscunt interpretes ad hunc locum, ut Abarbanel et Abendana. משפט, *mischefat*, jus, judicium, hoc loco, summam indicat omnia gubernandi et in omnia judicium justum exercendi potestatem. Similiter de Messia, *Isaiæ* XVI, 5; et *Jerem.* XXIII, 5.

(2) Juxta Calmetum sensus Hebraici textus hic esset: Hæc corona quam rectam gestabas more Imperatorum et regum, incurvam portabis ut alii principes. Vide Plutarch. in *Themistocl.*, Xenophon, lib. VIII *Cyrop.*, et lib. II Anabas, et alios plures apud Brisson. de regno Persarum lib. I, pag. 38 et seq. Hesychius: Τιάρα, ἡ λεγομένη κυρβασία; ταύτῃ δὲ οἱ Περσῶν βασιλεῖς μόνοι ἐχρῶντο ὀρθῇ; οἱ δὲ στρατηγοὶ ὑποκεκλιμένῃ.

DABOQUE TE IN MANUS HOMINUM (hostium) INSIPIENTIUM. — Potest Hebræum בערים *baarim* verti cum Septuaginta et Vatablo *barbarorum*, qui nullam personæ, ætatis, aut sexus rationem habeant; vel, ut Prado, *ardentium*, scilicet, qui quasi in igne furoris sui fabricant tibi interitum, ut sequitur. Significat impetum et furorem Persarum contra Babylonios. Ita Polychronius. Rursum, eos bellis assuetos, mactandi et jugulandi peritos, ac in cædibus perpetrandis versatos et exercitatos esse.

Vers. 32. 32. IGNI ERIS CIBUS, — igne combureris.

SANGUIS TUUS ERIT IN MEDIO TERRÆ, — sanguis tuus absorbebitur et absumetur a terra, ut nemo ulciscatur cædem tuam. Hoc enim significare hanc phrasin, patet *Job* XVI, 18, ubi dicitur : « Terra, ne operias sanguinem meum, » *q. d.* Fac ne moriar inultus. Cum enim sanguis videtur, reducit in memoriam cædem patratam, et requirit vindictam. *Secundo* et melius, *q. d.* Non in latebris, et operte, sed aperte et publice occideris. *Tertio*, et optime, *q. d.* Nullus amicorum colliget sanguinem tuum et cadaver, ut sepeliat, sed in sanguine tuo computresces. Unde sequitur : « Oblivioni traderis, » id est carebis sepulcro : hoc enim mortui memoriam servat. Ita Prado, *q. d.* Nulla erit amplius tui memoria. Clades hæc nomen tuum famam cum vita exstinguet, et æterno silentio sepeliet.

Moraliter, nota hic quam graviter puniantur tyranni, iique qui eis cooperantur, novasque artes et modos alios opprimendi, torquendi et perimendi adinveniunt; etiamsi Deus iis subinde utatur, ut alios castiget. Illustre est exemplum Perilli, Atheniensis fabri, qui, ut Phalaridi crudeli tyranno complaceret, taurum illi æneum donavit, in quo inclusi homines igne supposito cruciarentur, et mugirent ut boves, itaque tyranni aures oblectarent. Nam jussu Phalaridis ipse faber, primus in taurum quem fabrefecerat, inclusus, artis suæ experimentum ei dedit. De quo Ovidius : Tormentorum inventores iisdem pereunt. Exemplum Phalaridis.

Et Phalaris tauro violenti membra Perilli
Torruit! infelix imbuit auctor opus.

Tale fuit et Thrasii apud Busirim, quod Ovidius in Ibin ita describit : Et Busiridis.

Dicitur Ægyptus caruisse juvantibus arva
Imbribus, atque annos sicca fuisse novem :
Cum Thrasius Busirin adit, monstratque piari
Hospitis effuso sanguine posse Jovem.
Illi Busiris : Fies Jovis hostia primus,
Inquit, et Ægypto tu dabis hospes aquam.
Justus uterque (*Busiris et Phalaris*) fuit; neque enim
lex justior ulla est,
Quam necis auctores arte perire sua.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Enumerat crimina Jerusalem, scilicet impietatem, incestum, adulteria, cædes, usuras, etc. Quocirca, vers. 17, *docet Judæos per hæc quasi versos esse in scoriam, ideoque igne esse conflandos et expurgandos. Tertio, vers.* 25, *docet horum omnium causam exstitisse principes, qui quasi lupi; et prophetas falsos, qui quasi leones prædæ inhiantes, omne jus et fas violarunt.*

1. Et factum est verbum Domini ad me, dicens : 2. Et tu, fili hominis, nonne judicas, nonne judicas civitatem sanguinum? 3. et ostendes ei omnes abominationes suas, et dices : Hæc dicit Dominus Deus : Civitas effundens sanguinem in medio sui, ut veniat tempus ejus : et quæ fecit idola contra semetipsam, ut pollueretur. 4. In sanguine tuo, qui a te effusus est, deliquisti : et in idolis tuis, quæ fecisti, polluta es : et appropinquare fecisti dies tuos, et adduxisti tempus annorum tuorum : propterea dedi te opprobrium gentibus, et irrisionem universis terris. 5. Quæ juxta sunt, et quæ procul a te, triumphabunt de te : sordida, nobilis, grandis interitu. 6. Ecce principes Israel singuli in brachio suo fuerunt in te ad effundendum sanguinem. 7. Patrem, et matrem contumeliis affecerunt in te, advenam calumniati sunt in medio tui, pupillum et viduam contristaverunt apud te. 8. Sanctuaria mea sprevisti, et sabbata mea polluisti. 9. Viri detractores fuerunt in te ad effundendum sanguinem, et super montes comederunt in te, scelus operati sunt in medio tui. 10. Verecundiora patris discooperuerunt in te, immunditiam menstruatæ humiliaverunt in te : 11. Et unusquisque in uxorem proximi sui operatus est abominationem, et socer nurum suam polluit nefarie, frater sororem suam filiam patris sui oppressit in te. 12. Munera acceperunt apud te ad effundendum

sanguinem : usuram et superabundantiam accepisti, et avare proximos tuos calumniabaris : meique oblita es, ait Dominus Deus. 13. Ecce complosi manus meas super avaritiam tuam, quam fecisti : et super sanguinem, qui effusus est in medio tui. 14. Numquid sustinebit cor tuum, aut prævalebunt manus tuæ, in diebus quos ego faciam tibi? Ego Dominus locutus sum, et faciam. 15. Et dispergam te in nationes, et ventilabo te in terras, et deficere faciam immunditiam tuam a te. 16. Et possidebo te in conspectu gentium : et scies quia ego Dominus. 17. Et factum est verbum Domini ad me, dicens : 18. Fili hominis, versa est mihi domus Israel in scoriam : omnes isti æs, et stannum, et ferrum, et plumbum in medio fornacis : scoria argenti facti sunt. 19. Propterea hæc dicit Dominus Deus : Eo quod versi estis omnes in scoriam, propterea ecce ego congregabo vos in medio Jerusalem, 20. congregatione argenti, et æris, et stanni, et ferri, et plumbi in medio fornacis : ut succendam in ea ignem ad conflandum, sic congregabo in furore meo, et in ira mea, et requiescam : et conflabo vos. 21. Et congregabo vos, et succendam vos in igne furoris mei, et conflabimini in medio ejus. 22. Ut conflatur argentum in medio fornacis, sic eritis in medio ejus : et scietis quia ego Dominus, cum effuderim indignationem meam super vos. 23. Et factum est verbum Domini ad me, dicens : 24. Fili hominis, dic ei : Tu es terra immunda, et non compluta in die furoris. 25. Conjuratio prophetarum in medio ejus, sicut leo rugiens, rapiensque prædam, animas devoraverunt, opes et pretium acceperunt, viduas ejus multiplicaverunt in medio illius. 26. Sacerdotes ejus contempserunt legem meam, et polluerunt sanctuaria mea : inter sanctum et profanum non habuerunt distantiam : et inter pollutum et mundum non intellexerunt : et a sabbatis meis averterunt oculos suos, et coinquinabar in medio eorum. 27. Principes ejus in medio illius, quasi lupi rapientes prædam ad effundendum sanguinem, et ad perdendas animas, et avare ad sectanda lucra. 28. Prophetæ autem ejus liniebant eos absque temperamento, videntes vana, et divinantes eis mendacium, dicentes : Hæc dicit Dominus Deus, cum Dominus non sit locutus. 29. Populi terræ calumniabantur calumniam, et rapiebant violenter : egenum et pauperem affligebant, et advenam opprimebant calumnia absque judicio. 30. Et quæsivi de eis virum, qui interponeret sepem, et staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam : et non inveni. 31. Et effudi super eos indignationem meam, in igne iræ meæ consumpsi eos : viam eorum in caput eorum reddidi, ait Dominus Deus.

2. NONNE JUDICAS (nonne arguis, increpas; *judicare* enim significat quemvis actum judicis, *q. d.* Quid cessas arguere et increpare) CIVITATEM SANGUINUM? — Id est Jerusalem, quæ tot innocentium sanguinem fudit. Nota synecdochen. Per effusionem sanguinis enim significat omnem injuriam proximo illatam contra secundam tabulam Decalogi; sicut per idololatriam significat omnia peccata contra primam tabulam, id est contra Deum, commissa.

3. CIVITAS (est ista) EFFUNDENS SANGUINEM IN MEDIO SUI (publice et impune), UT VENIAT TEMPUS — punitionis et supplicii ejus. Patet ex vers. sequent.

CONTRA SEMETIPSAM, — in suam perniciem.

4. APPROPINQUARE FECISTI DIES TUOS. — Chaldæus, *dies interitus tui*, *q. d.* Multiplicando scelera fecisti, ut citius punirem te quam decreveram, uti significavi vers. præced. Nota : Peccator suo peccato accelerat sibi tempus mortis et vindictæ, atque arctat et contrahit tempora divinæ longanimitatis.

5. TRIUMPHABUNT DE TE. — Hebraice יתקלסו *iitcallesu*, id est irridebunt te, insultabunt tibi dicendo : « O sordida, nobilis, » id est, o insigniter impudens, nobilis et famosa meretrix! Hebraice enim est, *sordida nomine* vel *fama*. Vel *secundo*, ut sit antithesis, *q. d.* Quæ prius eras nobilis stemmate, opibus, potentia, jam facta es vilis et sordida meretrix. Hinc eris et « grandis interitu, ut quanto sublimior eras, tanto fortius, et majori fragore ruas, » ait S. Hieronymus, et quæ fuisti nobilis adulteriis, fias nobilis tam insigni clade et interitu. Aut, « grandis interitu, » vel, ut alii vertunt, *multæ contritionis*, id est quæ variis cladibus, puta fame, gladio, peste, contereris et interibis. Ita R. David.

6. SINGULI IN BRACHIO SUO. — Chaldæus : *Singuli in fortitudine sua;* Vatablus : *Quisque principum pro virili sua contendit plebeios opprimere, et* Vers. 6.

innocentes occidere; Septuaginta : *Quisque ad cognatos suos consociati sunt in te ad effundendum sanguinem, q. d.* Quisque pro viribus conatus est in te cædes patrare.

Vers. 9. Detractor et susurro est latro.

9. VIRI DETRACTORES. — Symmachus et Theodotion, *viri dolosi;* Septuaginta, *viri latrones.* Ubi nota detractorem et susurronem (hic enim hebraice vocatur רכיל *rachil*) esse latronem; quia famam diripit et rixas ac odia concitat, ex quibus non raro sequuntur homicidia. Aliter Maldonatus: *Viri,* ait, *fraudis* sive doli, sunt falsi testes, qui pecunia corrupti contra innocentes falsa dicunt testimonia, quibus eorum sanguis effunditur.

SUPER MONTES (scilicet sacrificarunt idolis in excelsis, et id Clothyta) COMEDERUNT.

Vers. 10.

10. VERECUNDIORA PATRIS DISCOOPERUERUNT IN TE. — Id est rem habuerunt cum uxore patris, id est cum noverca : itemque cum menstruata. Hoc enim est : « Immunditiam menstruatæ humiliaverunt in te, » scilicet congrediendo cum ea, quæ immunditia menstrui laborat, quod sordidum est et proli noxium, ideoque lege vetitum, *Levit.* cap. XVIII, vers. 19.

Vers. 12.

12. MUNERA ACCEPERUNT, — muneribus corrupti judices innocentes morte condemnarunt.

SUPERABUNDANTIAM (excessum, id est plusquam sortem, plusquam capitale, puta usuram, ut præcessit) ACCEPISTI.

AVARE, — causa avaritiæ, scilicet ad eos expilandum calumniata es proximos tuos. Septuaginta : *Consummasti consummationem malitiæ tuæ in oppressione,* id est omnia scelera explesti causa avaritiæ, ut alios opprimeres. Quid enim mali non concipit auri sacra fames? Vatablus : *Ditasti socios tuos,* scilicet Ægyptios et Assyrios, *per calumniam,* id est pecunia et opibus per calumniam et oppressionem extortis, ut illi tibi auxiliarentur, in quibus fidebas, non in me, ut sequitur.

MEIQUE OBLITA ES. — Hic est fons omnium scelerum; quia, ut ait S. Hieronymus : « Sicut Dei memoria excludit cuncta flagitia : ita Dei oblivio convehit omnium vitiorum catervam. »

13. ECCE COMPLOSI MANUS (more irati, indignantis et vindictam indicentis) SUPER AVARITIAM TUAM, QUAM FECISTI. — Notant R. David et Hebræi hic 24 numerari scelera, sed uni avaritiæ quasi cæterorum fonti tribui excidium urbis. Sic Lycurgus Spartam staturam per contemptum opum, perituram per avaritiam prædixit, verusque fuit vates, Plutarcho teste in ejus Vita.

Morale, avaritia est ruina reipublicæ et Ecclesiæ.

Moraliter, ex hoc loco disce quam turpis, Deoque exosa sit avaritia. Audi B. Petrum Damianum sparsim *epist.* 2, lib. II ad S. R. E. Episcopos Cardinales, qua eos hortatur ut ex curia Romana, totaque Ecclesia exstirpent avaritiæ vitium, utpote omnium Ecclesiæ malorum causam et fontem : « Nulla sane, inquit, putredo vulneris in Dei naribus intolerabilius fœtet, quam stercus avaritiæ. Et cupidus quisque dum sordentis pecuniæ quæstus accumulat, vertens exedram in latrinam, quasi molem stercoris coacervat. Hinc est, quod per Ezechielem dicitur : Argentum eorum foras projicietur, et aurum eorum in sterquilinium erit : argentum eorum et aurum non valebit liberare eos in die furoris Domini. Et alibi (*Habacuc* II) scriptum est : Væ ei, qui multiplicat non sua usquequo, et aggravat contra se densum lutum! Et Isaias cap. V : Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis! Et *Eccli.* cap. X : Avaro nihil est scelestius. Unde et Apostolus dicit *Coloss.* III : Avaritia, quæ est idolorum servitus. Et I *Timoth.* VI : Nihil intulimus in hunc mundum : haud dubium quia nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus. Radix enim omnium malorum est cupiditas. » Deinde invehitur in Prælatos, qui accipiunt munera : iisque utuntur ad luxum, aitque : « Cui non dissimilis et illa creditur esse dementia, dum lectulus tam operosis decussatur impendiis, ut ornamentum sacrosancti cujuslibet, vel etiam ipsius Apostolici præcellat altaris. Et quam videtur absurdum, ut stratus ille diligentius excolatur, ubi corruptibilis caro soporis quiete resolvitur, quam ara crucis, in qua videlicet hostia Dominici corporis immolatur! Hoc ergo modo cum sobrietas soleat commendare Pontifices, effusis nunc opibus facti sunt helluones. Vulpes foveas habent, Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet. Ecce non reclinatur in vulpeculis Christus : dormit sub vulpinis pellibus christianus. Pontifices lignei auratis usi sunt baculis; dum sacerdotii meritum non nitor efficiat vestium, sed spiritalium norma virtutum; et non micantia margarita, vel gemmæ, sed mores aurei deceant sacerdotem. Cor sacerdotis Dei templum Christi debet esse sacrarium; non certe spelunca latronum, vel sordentis pecuniæ receptaculum. Hoc enim unaquæque mens in divino deputatur examine, quod versat per concupiscentiam in cogitatione. Hæc enim idola domus Israel depicta in pariete, quæ vidit Ezechiel, cap. VIII : Sic humana mens dum terrena meditatur, terra conspicitur; dum cœlestia, cœlum, Deique templum. Sæcularis pompæ facessat ambitio. In manus pauperum nostra pecunia transeat. Nostræ divitiæ sint lucra animarum, et talenta virtutum. »

14. NUMQUID SUSTINEBIT COR TUUM, — *q. d.* Misella, superbula, erisne ferendo mala futura? An manus tuæ poterunt avertere tonitrua et fulmina afflictionum et pœnarum, quæ ego in te manu mea potenter torquebo? manus enim, virium; dies, adversitatis et afflictionis est symbolum.

15 et 16. DEFICERE FACIAM IMMUNDITIAM TUAM (nam in captivitate afflicta detestaberis tua peccata et idola, quæ afflictionis tuæ sunt causa : ac tunc rursum) POSSIDEBO TE, — et quasi hæreditatem meam et peculium ad me revocabo, atque e captivitate reducam : tuncque « sanctificabor in te, » ut vertit Chaldæus : alii, ut Aquila et Theodotion, vertunt, *contaminabo te,* id est ostendam

meis plagis te impiam esse et contaminatam. Alii vertunt, *vulnerabo te*. Hebræum enim נחלתי *nachalti*, si a נחל *nachal*, deducas, significat possidebo : sin a חול *chol*, vel חלל *chalal*, significat vulnerabo, vel polluam et contaminabo, aut per antiphrasim, sanctificabo.

18. VERSA EST MIHI DOMUS ISRAEL IN SCORIAM. — Israel prius erat quasi argentum, quia sanguine nobilis, moribus candidus, religione splendidus, opum et potentiæ fama celebris : nunc versus est in scoriam, quia omnia hæc obscuravit sua idololatria et sceleribus; et gloriam ac opes perdidit, per arma hostium et captivitatem.

OMNES ISTI ÆS, ET STANNUM, ET FERRUM, ET PLUMBUM IN MEDIO FORNACIS : SCORIA ARGENTI FACTI SUNT, — *q. d.* Judæi prius erant puri et pretiosi quasi argentum, sed illud adulterarunt et miscuerunt, imo mutarunt in vile « stannum; » hi sunt, ait Scholiastes, qui simulant pietatem : et in « ferrum; » hi sunt potentes et tyranni : et in « plumbum; » hi sunt avaritia graves : et in « æs; » hi sunt impudentes in malitia et obstinati. Et sic omnes corrupti sunt, et quasi versi in scoriam argenti : quare ego ut argentarius conjiciam eos in fornacem tribulationis et vastationis, ut purgentur.

Moraliter, de iis qui tribulatione fiunt pejores.

Audi et S. Gregorium, III part. *Pastor.* cap. XIV : « Purgare, ait, eos per ignem tribulationis volui, et argentum illos vel aurum fieri quæsivi; sed in fornace mihi in æs, stannum, et ferrum, et plumbum versi sunt. Æs quippe dum percutitur, amplius metallis cæteris sonitum reddit. Qui igitur positus in percussione erumpit ad sonitum murmurationis, in æs versus est in medio fornacis. Stannum vero cum ex arte componitur, argenti speciem mentitur. Qui vero simulationis vitio non caret in tribulatione, stannum factus est in fornace. Ferro autem utitur, qui vitæ proximi insidiatur : ferrum itaque in fornace est, qui nocendi malitiam non amittit in tribulatione. Plumbum quoque cæteris metallis gravius est. In fornace ergo plumbum invenitur, qui sic peccati sui pondere premitur, ut etiam in tribulatione positus a terrenis desideriis non levetur. Hinc rursum scriptum est *Ezech.* IV : Multo labore sudatum est, et non exivit de ea nimia rubigo ejus, neque per ignem. » Vide dicta *Jerem.* VI, 28.

19 et 20. CONGREGABO VOS IN MEDIO JERUSALEM, CONGREGATIONE ARGENTI ET ÆRIS, etc. — Id est, ut Theodoretus, quia vos scelerum colluvionem admisistis, et facti estis quasi argentum adulterinum, fornacem vobis constituam ipsam Jerusalem : et carbonum instar hostes injiciam; meamque vim et iracundiam, quasi follem adhibebo, ut igne tribulationis, scilicet peste, fame, gladio vos conflem; ut illos, qui insanabili morbo, id est peccato, laborant, quasi alienam materiam consumam et conficiam : eos vero, qui purgationem admiserint expiem, depurem, et quasi quoddam purgatum argentum reddam. Hoc est, quod subdit:

20. ET REQUIESCAM, ET CONFLABO VOS. — Pro *requiescam* hebraice est הנחתי *hinnachti*, id est requiescere faciam, id est dimittam vos in fornace, id est in gladio, fame et peste, ut iis vel purgemini, vel consumamini, uti jam dixi. *Hinnachti* enim proprie significat, relinquam, dimittam. Radix enim ינח *ianach* significat rem suo loco relinquere, sinere et dimittere. Sin alio puncto legas הנחתי *henachti*, significat quiescere faciam, a radice נוח *noach*, id est quievit. Unde et Noe vocatus est, quod orbi quietem attulerit, uti dixi *Gen.* cap. V, vers. 25. Aliter Maldonatus : « Requiescam, » inquit, id est desinam vos punire, cum plane conflavero et expiavero vos. Sed sic dicendum fuisset : *Et conflabo vos, et requiescam;* jam autem dicit : *Et requiescam, et conflabo vos.*

24. DIC EI, — dic urbi Jerusalem, vel ipsi Judææ. Respicit ad id quod dixit vers. 19 : « Congregabo vos in medio Jerusalem. »

NON COMPLUTA IN DIE FURORIS, — *q. d.* Deus iratus ob tua scelera negavit, et deinceps negabit tibi, quasi terræ immundæ, ingratæ et indignæ, stato tempore pluviam, ut fias terra arida, infrugifera, veprium et bestiarum ferax, uti comminatus est *Deuter.* XI, 16; *Isaiæ* V, 6; *Jerem.* cap. III, vers. 3.

Nota : Deus ob peccata uni urbi pluviam subtrahit, quam vicinis largitur, ut patet *Amos* IV, 7.

Potest *secundo* sic accipi, *q. d.* « In die, » id est ad diem furoris servata es, quia brevi comburenda : uti solent terræ senticosæ comburi, ut sentium cinere terra quasi impinguata, gramina saltem producat.

Rursum recte ex Septuaginta, Theodoretus, *q. d.* O terra immunda, non compluta, non irrigata, id est quæ pluviam, hoc est doctrinam sanctorum Prophetarum, quasi saxum repellis! hac de causa Deus, uti negat tibi pluviam naturalem, ita negabit et spiritalem, puta sanctas inspirationes, et sanctos concionatores ac Prophetas tibi subtrahet et auferet.

25. CONJURATIO PROPHETARUM, — *q. d.* Conjurant et conspirant pseudoprophetæ contra me, Jeremiam, aliosque veros Prophetas, et cum nos cladem et excidium minitemur, illi prospera omnia spondent; itaque tacite populum in nostri odium et cædem incitant. Unde sequitur :

ANIMAS DEVORAVERUNT (id est vitam ademerunt, tum veris Prophetis, qui cladem urbi intentant : ad horum enim cædem plebem, prospera promittendo, impellunt; tum quia alios homicidas dantes eis munera, tuentur ut cædes perpetrent, itaque) VIDUAS (multiplicant : sicque) OPES, ET PRETIUM (falsæ suæ prophetiæ) ACCEPERUNT. — Et in hoc conjurant simul. Perperam aliqui pro *opes* legunt *opus*, id est mercedem sui operis.

26. INTER POLLUTUM ET MUNDUM NON INTELLEXERUNT. — Septuaginta, *non distinxerunt;* Vatablus, *non indicaverunt* plebi quid immundum, quid mundum, v. g. in victimis, contactu cadaveris,

lepræ, menstrui et aliis, quæ lex quasi immunda prohibet.

A SABBATIS (*q. d.* Videntes a populo sabbatum violari, non eum corripuerunt, sed averterunt oculos suos, et conniventes dissimularunt; sicque) COINQUINABAR, — id est profane tractabar ab eis.

27. PRINCIPES EJUS IN MEDIO ILLIUS, QUASI LUPI RAPIENTES PRÆDAM AD EFFUNDENDUM SANGUINEM. — Sicut enim lupi rapiunt prædam, ut occidant, et occisam devorent : ita principes Judæorum plebeios per calumniam, vel falsos testes, aut per vim opprimebant et occidebant, ut in eorum bona invaderent. Per principes, sæculares intelligit : S. Hieronymus tamen recte hæc quoque accommodat Ecclesiasticis : hi enim, ait, fundunt sanguinem non corporum, sed animarum. Unde sequitur : « Ad perdendas animas, et avare sectanda lucra : Nequaquam illo contenti, ait S. Hieronymus, ut qui serviunt altari vivant de altari, sed postquam ad ministerium Dei accesserint, Crœsi divitias congregant. » Audiant isti S. Bernardum, *epist.* 2 : « Conceditur, ait, ut, si bene deservis, de altario vivas, non autem ut de altario luxurieris, ut de altario superbias, ut inde compares tibi frena aurea, sellas depictas, calcaria deargentata, etc. Denique quidquid præter necessarium victum, simplicemque vestitum de altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est. » Quis tam sancti Doctoris verbis non credat? Vide eumdem, *epist.* 33, ubi ait hanc persecutionum omnium Ecclesiæ esse maximam : « Ministri, inquit, Christi sunt, et serviunt Antichristo. Honorati incedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt. Inde splendidæ mensæ, » etc. Quocirca Concilium Carthaginense, et citatur dist. XLI, cap. penult., ita de Episcopis decernit : « Episcopus vilem supellectilem, et mensam et victum pauperem habeat, et dignitatis suæ auctoritatem fide, et vitæ meritis quærat. » Hoc reipsa per omnia præstitit S. Augustinus Hipponensis Episcopus, teste Possidonio in ejus Vita. Idem pene ad verbum sancit Concilium Tridentinum, *sess.* XXV, cap. IV *De reformat.*, additque ut in tota Episcopi domo nihil appareat, quod a sancto hoc instituto sit alienum, quodque non simplicitatem, zelum Dei, et contemptum vanitatum præ se ferat. Subdit deinde hæc quoque ad Cardinales S. R. E. pertinere. Qua in re illustre hoc sæculo Episcopis et Cardinalibus omnibus exemplum dedit S. Carolus Borromæus, qui omnem supellectilem alicujus pretii, conopæa, aulæa, aliaque ejus generis a se removit, ac sub habitu Cardinalitio veste ex simplici tela, et panno utebatur, quin et cubicularis ejus amictus erat ex panno cineritio, rudi et crasso, quam ipsam vestem totis 14 annis, nunquam mutavit. Vere dixit S. Augustinus in *Psal.* LXXVI : « Omnis philosophiæ magistra nobis est inopia. » Et S. Chrysostomus : « Paupertas est manuductrix in viam, quæ ducit ad cœlum. » Quin et Plutarchus : « Contemptus, ait, divitiarum est instrumentum philosophiæ. » Et Bias : « Quis dives? qui nihil cupit. Quis pauper? avarus. » Et Seneca : « Brevissima ad divitias per contemptum divitiarum via est. » Et Crates opes suas in mare dejiciens : « Abite, ait, malæ cupiditates, ego vos mergam, ne mergar a vobis. » Denique S. Gregorius : « Ille, inquit, pauper est, qui eget eo quod non habet. Nam et qui non habens habere non appetit, dives est. Paupertas enim in inopia mentis est, non in quantitate possessionis. Nam cui cum paupertate bene convenit, non est pauper. »

Moraliter, de avaritia clericorum.

28. PROPHETÆ AUTEM EJUS LINIEBANT EOS ABSQUE TEMPERAMENTO, — id est adulabantur principibus, eosque animabant in sua tyrannide, promittentes eis securitatem, et omnia bona; sed falso, et mala fide, ac deceptorie : invenient enim se ab eis deceptos, cum Dei minas reipsa incurrent, et sentient : perinde ac ille, qui incrustat parietem luto, nec temperat lutum palèis ut sibi cohæreat, decipit herum domus; nam lutum friabile non hærebit, sed defluet. Vide dicta cap. XIII, vers. 10. Hujus linitionis et adulationis causa erat, quod alimoniam, oblationes aut dignitates a populo aut principibus exspectarent, ut dixit vers. 12, 25 et 27. Hoc est quod dixit Isaias cap. V, vers. 23 : « Væ qui justificatis impium pro muneribus! » Et ex adverso, cap. XXXIII, vers. 15 : « Qui, inquit, ambulat in justitiis, etc., et excutit manus suas ab omni munere, iste in excelsis habitabit, » etc. Vers. 28.

Libertas confessario principis necessaria.

Refert ex nonnullis Hispaniæ historicis Ferdinandus Castiglius in *Histor. S. Dominici*, lib. II, cap. XVII, pag. 1, olim in regno Aragoniæ moris fuisse, ut rex non eligeret sibi confessarium, sed is in comitiis regni a Statibus eligeretur, regique daretur. Cui rex non poterat bene facere, vel male, ad hoc, ne vel spes vel timor retardaret confessarium ab officio suo, quin libere, cum ea, qua par est, sinceritate et rectitudine regem moneret, et cum opus esset argueret. Quod enim os sustineat allatrare pascentem se, aut a quo mitram exspectat? Sane si hoc fieret, aut in usum revocaretur, quam securitati conscientiæ regum principumque consuleretur, et querelis multis populi satisfieret.

Quocirca idem refert ibidem, B. Raimundum, qui secundus fuit a S. Dominico Ordinis Prædicatorum Generalis Magister, ita datum fuisse confessarium Jacobo regi Aragoniæ, qui eum libere ob concubinatum arguit et corripuit : cumque rex meliora semper sponderet, sed non præstaret, Raimundus ab eo missionem petiit. Negavit ille, omnibusque nautis sub pœna capitis prohibuit, ne quis Raimundum alio transveheret. Verum Raimundus, oratione sua implorans Dei opem, accessit ad mare, in eoque cappam suam, facto signo crucis, extendit, in quam quasi in navem inscendit, utens scapulari pro velo, et baculo pro gubernaculo, itaque secundo vento celerrime navigavit, adeo ut sex horarum spatio in

conspectum Barcinonis venerit. Exscendens in terram collegit cappam, eamque adeo siccam advertit, ac si mare non attigisset. Tota Barcinon fama hujus miraculi excita, ad virum sanctum accurrit. Quin et rex ipse cum tota aula, Sanctum, cum discederet, cappæ innavigantem stupens et attonitus conspexit. Hoc speculum sibi proponant confessarii principum.

Similis fuit libertas S. Francisci de Paula, fundatoris Ordinis Minimorum. Hic enim vocatus a Ludovico XI Franciæ rege in Galliam, noluit venire : sed Sixtus IV Pontifex ad instantiam regis, jussit eum regem adire. Itaque cum rex ægrotus ab eo posceret sanitatem sibi a Deo impetrari, ipse, oratione facta, dixit, id non placere Deo; quocirca hortatus est regem, ut se conformans voluntati divinæ, componeret se ad morbi a Deo immissi tolerantiam, indeque ad justum et modestum regimen sui regni, sibi a Deo commissi, atque ad mortem brevi obventuram, et ad tribunal ac judicium Christi, ad quod brevi vocandus esset, ut rationem et vitæ et regni sui Deo exactam redderet. Hæc libertas eum regi venerabilem et amabilem effecit, ut etiamsi rex voto suo non potiretur, tamen eum ut virum cordatum et sanctum coleret, eique plura monasteria in Francia ædificaret. Ita habet ejus Vita.

29. RAPIEBANT VIOLENTER. — Hebræa, *rapiebant rapinam*, id est rapinis addicti erant. Vers. 29.

ABSQUE JUDICIO, — id est absque justitia, injuste, contra jus et fas.

30. QUÆSIVI DE IIS VIRUM, QUI INTERPONERET SEPEM, — id est orationem, et, ut Chaldæus, opera bona, ad me placandum ne populum disperderem. Nota : Ait « de iis, » scilicet quos reprehendit. Alioqui enim Jeremias, Baruch et alii viri sancti se sepem pro populo interponebant, et propter eos dilata et mitigata fuit Judæorum clades. Vers. 30

ET STARET OPPOSITUS. — Hebræa : *Staret in ruptura.* Est metaphora a militibus strenuis, qui, facta muri ruptura, hosti per eam irrumpenti sese opponunt. Vide ibi dicta cap. XIII, 5.

31. EFFUDI, — effundam. Sic et alia præterita hic significant futura. Est enim continua hæc prophetia de futuro, non historia de præterito. Vers. 31.

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sub parabola duarum meretricum, scilicet Oollæ et Oolibæ, describit fornicationem, id est idololatriam, tam decem quam duarum tribuum, scilicet, tam Samariæ quam Jerusalem; imo asserit Jerusalem in scelere superasse Samariam. Quocirca, vers. 22, *ei, æque ac Samariæ pœnam adulterarum et homicidarum, puta lapidationem, incendium, gladium et excidium intentat* (1).

1. Et factus est sermo Domini ad me, dicens : 2. Fili hominis, duæ mulieres filiæ matris unius fuerunt, 3. et fornicatæ sunt in Ægypto, in adolescentia sua fornicatæ sunt : ibi subacta sunt ubera earum, et fractæ sunt mammæ pubertatis earum. 4. Nomina autem earum, Oolla major, et Ooliba soror ejus minor : et habui eas, et pepererunt filios et filias. Porro earum nomina, Samaria Oolla, et Jerusalem Ooliba. 5. Fornicata est igitur super me Oolla, et insanivit in amatores suos, in Assyrios propinquantes, 6. vestitos hyacintho, principes et magistratus, juvenes cupidinis, universos equites, ascensores equorum. 7. Et dedit fornicationes suas super eos electos, filios Assyriorum universos : et in omnibus in quos insanivit, in immunditiis eorum polluta est. 8. Insuper et fornicationes suas, quas habuerat in Ægypto, non reliquit : nam et illi dormierunt cum ea in adolescentia ejus, et illi confregerunt ubera pubertatis ejus, et effuderunt fornicationem suam super eam. 9. Propterea tradidi eam in manus amatorum suorum, in manus filiorum Assur, super quorum insanivit libidine. 10. Ipsi discooperuerunt ignominiam ejus, filios et filias ejus tulerunt, et ipsam occiderunt gladio :

(1) Non mirum videri debet in prophetiis Ezechielis, et speciatim in hoc capite occurrere similitudines et allegorias a rebus minus decentibus petitas; nam, ut recte observavit Janssens, istæ similitudines, allegoriæ, etc., a moribus Occidentalium alienæ, aptissimæ erant ad superbos, pervicaces, prævaricatoresque Judæos confundendos. In calidis Orientis regionibus alia est decoris ratio, quam in frigidis Occidentis plagis. In Oriente, ubi sexus femineus ab altero sexu separatim habitat, homines sat libere de hujusmodi rebus loquuntur, quin aliquis inde offendatur.

Cæterum posterioribus sæculis Hebræi lectionem prophetiarum Ezechielis nonnisi 30 ætatis annum adeptis permiserunt. Juniores et carnis molestiis subjecti, a lectione prophetiarum Ezechielis abstineant.

et factæ sunt famosæ mulieres, et judicia perpetraverunt in ea. 11. Quod cum vidisset soror ejus Ooliba, plusquam illa insanivit libidine : et fornicationem suam super fornicationem sororis suæ 12. ad filios Assyriorum præbuit impudenter, ducibus et magistratibus ad se venientibus, indutis veste varia, equitibus qui vectabantur equis, et adolescentibus forma cunctis egregia. 13. Et vidi quod polluta esset via una ambarum. 14. Et auxit fornicationes suas : cumque vidisset viros depictos in pariete, imagines Chaldæorum expressas coloribus, 15. et accinctos balteis renes, et tiaras tinctas in capitibus eorum, formam ducum omnium, similitudinem filiorum Babylonis terræque Chaldæorum, in qua orti sunt, 16. insanivit super eos concupiscentia oculorum suorum, et misit nuntios ad eos in Chaldæam. 17. Cumque venissent ad eam filii Babylonis ad cubile mammarum, polluerunt eam stupris suis, et polluta est ab eis, et saturata est anima ejus ab illis. 18. Denudavit quoque fornicationes suas, et discooperuit ignominiam suam : et recessit anima mea ab ea, sicut recesserat anima mea a sorore ejus. 19. Multiplicavit enim fornicationes suas, recordans dies adolescentiæ suæ, quibus fornicata est in terra Ægypti. 20. Et insanivit libidine super concubitum eorum, quorum carnes sunt ut carnes asinorum : et sicut fluxus equorum, fluxus eorum. 21. Et visitasti scelus adolescentiæ tuæ, quando subacta sunt in Ægypto ubera tua, et confractæ sunt mammæ pubertatis tuæ. 22. Propterea, Ooliba, hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego suscitabo omnes amatores tuos contra te, de quibus satiata est anima tua : et congregabo eos adversum te in circuitu; 23. Filios Babylonis, et universos Chaldæos, nobiles, tyrannosque et principes, omnes filios Assyriorum, juvenes forma egregia, duces et magistratus universos, principes principum, et nominatos ascensores equorum : 24. et venient super te instructi curru et rota, multitudo populorum : lorica, et clypeo, et galea armabuntur contra te undique : et dabo coram eis judicium, et judicabunt te judiciis suis. 25. Et ponam zelum meum in te, quem exercent tecum in furore : nasum tuum, et aures tuas præcident : et quæ remanserint, gladio concident : ipsi filios tuos et filias tuas capient : et novissimum tuum devorabitur igni. 26. Et denudabunt te vestimentis tuis, et tollent vasa gloriæ tuæ. 27. Et requiescere faciam scelus tuum de te, et fornicationem tuam de terra Ægypti : nec levabis oculos tuos ad eos, et Ægypti non recordaberis amplius. 28. Quia hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego tradam te in manus eorum, quos odisti; in manus, de quibus satiata est anima tua. 29. Et agent tecum in odio, et tollent omnes labores tuos, et dimittent te nudam, et ignominia plenam, et revelabitur ignominia fornicationum tuarum, scelus tuum, et fornicationes tuæ. 30. Fecerunt hæc tibi, quia fornicata es post gentes, inter quas polluta es in idolis earum. 31. In via sororis tuæ ambulasti, et dabo calicem ejus in manu tua. 32. Hæc dicit Dominus Deus : Calicem sororis tuæ bibes profundum, et latum : eris in derisum, et in subsannationem, quæ est capacissima. 33. Ebrietate, et dolore repleberis : calice mœroris et tristitiæ, calice sororis tuæ Samariæ. 34. Et bibes illum, et epotabis usque ad fæces, et fragmenta ejus devorabis, et ubera tua lacerabis : quia ego locutus sum, ait Dominus Deus. 35. Propterea hæc dicit Dominus Deus : Quia oblita es mei, et projecisti me post corpus tuum, tu quoque porta scelus tuum, et fornicationes tuas. 36. Et ait Dominus ad me, dicens : Fili hominis, numquid judicas Oollam et Oolibam, et annuntias eis scelera earum? 37. Quia adulteratæ sunt, et sanguis in manibus earum, et cum idolis suis fornicatæ sunt : insuper et filios suos, quos genuerunt mihi, obtulerunt eis ad devorandum. 38. Sed et hoc fecerunt mihi : Polluerunt sanctuarium meum in die illa, et sabbata mea profanaverunt. 39. Cumque immolarent filios suos idolis suis, et ingrederentur sanctuarium meum in die illa ut polluerent illud : etiam hæc fecerunt in medio domus meæ. 40. Miserunt ad viros venientes de longe, ad quos nuntium miserant : itaque ecce venerunt : quibus te lavisti, et circumlinisti stibio oculos tuos, et ornata es mundo muliebri. 41. Sedisti in lecto pulcherrimo, et mensa ornata est ante te : thy-

miama meum, et unguentum meum posuisti super eam. 42. Et vox multitudinis exsultantis erat in ea : et in viris, qui de multitudine hominum adducebantur, et veniebant de deserto, posuerunt armillas in manibus eorum, et coronas speciosas in capitibus eorum. 43. Et dixi ei, quæ attrita est in adulteriis : Nunc fornicabitur in fornicatione sua etiam hæc. 44. Et ingressi sunt ad eam quasi ad mulierem meretricem : sic ingrediebantur ad Oollam et Oolibam, mulieres nefarias. 45. Viri ergo justi sunt : hi judicabunt eas judicio adulterarum, et judicio effundentium sanguinem : quia adulteræ sunt, et sanguis in manibus earum. 46. Hæc enim dicit Dominus Deus : Adduc ad eas multitudinem, et trade eas in tumultum, et in rapinam : 47. Et lapidentur lapidibus populorum, et confodiantur gladiis eorum : filios et filias earum interficient, et domos earum igne succendent. 48. Et auferam scelus de terra, et discent omnes mulieres ne faciant secundum scelus earum. 49. Et dabunt scelus vestrum super vos, et peccata idolorum vestrorum portabitis : et scietis quia ego Dominus Deus.

2. DUÆ MULIERES, — duæ gentes, duæ respublicæ, scilicet Juda et Israel, hoc est, duæ et decem tribus.

FILIÆ MATRIS UNIUS, — scilicet Synagogæ, vel Saræ; « filiæ, » inquam, naturales : metaphorice vero fuerunt filiæ gentilitatis Ægyptiacæ, a qua, ut sequitur, quasi a matre didicerunt idololatriam. Sic dixit cap. XVI, 3 : « Mater tua Cethæa. » Simili ænigmate et schemate Theodectes in fabula Œdipi, teste Hermippo, descripsit diem et noctem : « Duæ, inquit, sunt sorores, quarum una parit alteram, et ipsa quæ genita est parentem interimit. » Nam dies parit noctem, et nox diem : atque dies noctem præviam, et nox diem præviam interimit.

Nota : Impudentiam et malitiam Israelitarum et Judæorum describit per hasce duas mulieres : quia « ignis, mare, mulier, tria sunt mala maxima, » ut habet vetus proverbium. Euripides vero apud Planudem in *Vita Æsopi*, inter omnia mala principatum tribuit mulieri, præsertim meretrici. Sic enim canit :

> Furore multo sævit iratum mare,
> Pronique fluvii, et ignis acris impetus,
> Inopia acerba, acerba alia quam plurima :
> Sed nil ita acerbum et noxium, ut mulier mala.

Huc pertinet illud Plauti *Trucul.* :

> Meretricem ego item esse reor
> Mare ut est, quod des devorat : nunquam abundat.

ET FORNICATÆ SUNT — mystice, id est idola coluerunt.

3. IBI SUBACTA SUNT UBERA. — Nota : Ubera erecta et solida signa sunt virginitatis; laxa, corruptionis, tum enim concidunt, *q. d.* Perdidit Israel in Ægypto virginitatem, id est primigenium veri Dei cultum, in adolescentia, id est sub Mose; unde laxus defluxit in varios errores, quos, quasi lac, aliis propinavit : uti meretrix uberibus suis lactat filium. Ita Theodoretus.

Vers. 4. 4. OOLLA MAJOR, ET OOLIBA. — Scholiastes et Polychronius volunt vere fuisse has meretrices in Ægypto. Melius S. Hieronymus et alii censent esse parabolam, et ficta nomina ad mysterium; sunt enim hæc nomina Hebræa, non Ægyptia.

OOLLA. — Hebraice אהלה *ohola* significat tabernaculum ejus, scilicet Samariæ; est in Dan et Bethel, continens vitulos aureos. Hæc est soror major; quia numerosior, continens nimirum decem tribus, cum alia tantum contineret duas.

OOLIBA. — Hebraice אהליבה *oholiba* significat tabernaculum meum in ea : Deus enim suum templum habebat in Jerusalem. Per Samariam decem tribus, per Jerusalem duas intelligit : quia Samaria decem tribuum, Jerusalem duarum erat caput et metropolis.

Allegorice : Oolla est synagoga hæreticorum, quæ suæ hæresis idolum fingit et colit : Ooliba est Ecclesia orthodoxorum : hæc enim est tabernaculum Dei; sed si alicubi, ut in Græcia, ad schisma et hæresin deflectat, gravius peccat, graviusque punitur quam Oolla. Tropologice, Oolla est infidelis, Ooliba fidelis. Rursum Oolla est laicus, Ooliba est clericus et Religiosus. Hic si a Deo per impietatem desciscat, gravius peccat, graviusque plectetur quam laicus.

HABUI EAS — quasi uxores, cum sub Josue, Davide, et aliis piis principibus, mihi quasi Deo, Domino et marito suo servirent.

5. FORNICATA EST IGITUR SUPER ME, — contra me; Chaldæus, *a cultu meo*; Septuaginta, *a me*, *q. d.* Oolla, id est Samaria, nuptiis meis adulteria et adulteros, puta idola, superinduxit. R. David vertit, *sub me*, id est sub velo et tegumento matrimonii mecum iniri, sicut solent adulteræ adulteria sua matrimonii velo tegere, prolesque ex adulterio susceptas marito tribuere. Sic Jeroboam sua idola, id est duos vitulos aureos, Dei vel nomine decoravit, ac ut tales populo colendos proposuit, dicens : « Ecce dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti, » III *Reg.* XII, 28.

IN ASSYRIOS PROPINQUANTES, — id est venientes ad se, ut vertit, Noster vers. 12, sibique confœderatos. Ita Maldonatus. Alii, ut Vatablus et R. Salomon, *q. d.* Quos diligebat ut propinquos, scilicet ingenio et moribus vicinos et similes, licet loco essent dissiti.

Vers. 7. (1) 7. ET DEDIT FORNICATIONES SUPER EOS. — Id est ad eos, uti explicat vers. 12, hoc est eis, *q. d.* Se eis prostituit, cum eis fornicata est, qui erant « juvenes cupidinis, » id est formosi, amabiles, illecebrosi, *q. d.* Eorum forma, opibus, vestitu illecta, eorum deos, id est idola, coluit, cum eisque fornicata est. Agit enim de cultu idolorum.

ET IN OMNIBUS, — id est in omnium amasiorum immunditiis polluta est. Est hebraismus : redundat enim τὸ *eorum*, et τὸ *omnibus* resolvendum est per *omnium*.

Vers. 8. 8. INSUPER ET FORNICATIONES QUAS HABUERAT IN ÆGYPTO NON DERELIQUIT, — *q. d.* Samaria cum idolis Assyriorum retinuit et idola ac superstitiones Ægyptiorum, quibus imbuta fuerat ab infantia sua. Hi enim devirginaverunt eam, dum primi docuerunt eam idola colere.

EFFUDERUNT, — id est tradiderunt ei, eamque imbuerunt omni sua fornicatione, id est superstitione et idololatria. Vox *effuderunt* significat fornicationis, id est idololatriæ, abundantiam, ait S. Hieronymus; Ægyptus enim varias superstitiones et deorum portenta excogitavit : quocirca a Juvenali, *satyr.* XV, merito *demens* vocatur :

> Quis nescit Volusi Bithynice, qualia demens
> Ægyptus portenta colat? crocodilon adorat
> Pars hæc : illa pavet saturam serpentibus ibim, etc.

Vers. 10. 10. IPSI (Assyrii) DISCOOPERUERUNT IGNOMINIAM EJUS. — Chaldæus, *nuditatem*, scilicet pudenda. Ceperunt enim Samariam, spoliarunt, ignominiose tractarunt, itaque denudarunt ejus fornicationes, id est idololatriam, ob quam tam dire tractabatur a Deo, qui justo judicio eam punivit et vastavit per eos, quos impie adamaverat, IV *Reg.* cap. XVII, 6. Assyrii enim cum Samaria fecerunt perinde ac adulter qui adulteræ libidine satiatus, eam spoliat, nudamque abigit. Ita

Dæmon tractat peccatores, ut adulter adulteram. Tropologice facit et dæmon, mundus ac caro cum peccatoribus. Unde S. Hieronymus : « Quidquid, ait, de Jerusalem τροπικῶς dicitur, et ad animam referri potest, quæ virtutibus Dei juncta complexui, postea adulteravit in vitia, et recessit ab eo, et patefactis universis sceleribus ejus, denudata est, atque turpata, et ostensa omnibus. »

IPSAM (Samariam) OCCIDERUNT, — id est vastarunt, incenderunt exciderunt.

ET FACTÆ SUNT FAMOSÆ MULIERES (Samaria scilicet cum sorore sua Juda, aut potius cum filiabus suis, uti præcessit; nam de Juda agit in sequentibus, *q. d.* Samaria cum suis filiis et filiabus facta est celebris, uti flagitiis, ita et suppliciis. Nam) JUDICIA (id est, ut Septuaginta, *ultiones*) PERPETRAVERUNT (hostes) IN EA, — scilicet Samaria. Ita S. Hieronymus, *q. d.* Samaria ita vastata est toti orbi in exemplum, ut omnes caveant a fornicatione, id est idololatria.

11. FORNICATIONEM SUAM (scilicet augens) SUPER FORNICATIONEM SORORIS SUÆ, — scilicet Samariæ, quasi dicat : Jerusalem magis insanivit in idola, quam Samaria, et cujus exemplo melior fieri debuerat, facta est deterior.

Vers. 12. 12. AD FILIOS ASSYRIORUM PRÆBUIT, — scilicet se ad fornicandum, id est fornicationem suam, ut præcessit.

Vers. 14. Minii vetus usus in picturа deorum, cur? 14. EXPRESSAS COLORIBUS. — Hebraice, *depictas minio*. Trojanis enim temporibus, ait Plinius lib. XXXIII, cap. VII, minium erat in honore et usu : nam eo tingi solebant proceres, et deorum simulacra; quia aurum non tantum lucere, sed et ardere videtur, dum minio, quasi prunis accensis permixtum est : et minium maxime refert sanguinem, ac cum cerussa mixtum ad vivum refert roseum colorem carnis humanæ.

15. FORMAM DUCUM OMNIUM. — Vidit viros depictos accinctos balteis (eo enim per appositionem refert τὸ *formam*) eorumque tiaras instar ducum, aut, ut Hebraice *triariorum*, easque tinctas. Nam soli reges gerebant candidas, ut dixi cap. XXI, 26. Describit habitum Chaldæorum, in pariete ita ad vivum depictorum, ut non picti, sed in terra Babylonis orti et nati viderentur. Hoc est enim quod subdit :

SIMILITUDINEM FILIORUM BABYLONIS, TERRÆQUE CHALDÆORUM, IN QUA ORTI SUNT. — Est appositio, *q. d.* ait Prado : Hæ deorum tiaræ in pariete depictæ similes erant iis, quas more patriæ gerere solebant juvenes nobiles Babylonis, et aliarum urbium Chaldææ, in quibus nati erant, scilicet ipsi juvenes, vel etiam ipsi viri depicti, id est dii Chaldæorum, qui non aliunde asciti, sed in Chaldæa sunt orti, ibique primo eis decreta est divinitas et sacrificia.

Secundo, planius et congruentius, non ad deos, sed ad Chaldæos hæc referas, *q. d.* Hi juvenes in pariete Judæorum depicti, similes erant nobilibus filiis Babylonis in terra nativitatis suæ, ut habent Hebræa, id est ita erant ornati, sicut vestiuntur et ornantur nobiles in Chaldæa. Videntur ergo hi juvenes non dii fuisse, sed nobiles Chaldæi egregia forma et habitu Babylonico insignes, ex quo Judæi ad ipsos eorumque deos adamandos fuerunt illecti(2).

(1) Vers. 6 : « Insanivit in amatores suos..... vestitos hyacintho, » etc. Sicut feminæ incendi solent luxu vestium, honorum nominibus, juvenili ætate, corpore vegeto, sic Israelitas pellexerat Assyriorum potentia.

(2) Vers. 16. « Et misit nuntios ad eos in Chanaan. » In historia nulla explicata mentio fit de ista legatione ad Chaldæos ad fœdus sanciendum, nisi cum Calmeto dicas hic significari legationem quam Achaz rex Juda ad Teglatphalasar misit, auxilium ab eo petens contra reges Israel et Syriæ. Juxta d'Allioli forsan hic innuitur tempus Josiæ regis Ægypti ad Euphratem contra Chaldæos dimicaturi transitum prohibentis eique bellum indicentis, ex quibus satis evidenter concluditur tunc temporis Judæos cum Chaldæis fuisse sociatos (vide IV *Reg.* cap. XXIII, vers. 29; II *Paralip.* cap. XXXV, vers. 20 et sequent.)

17. AD CUBILE MAMMARUM. — Hebraica vox דודים *dodim* et mammas et amores significat : mammæ enim sunt symbola amoris. Significat ergo cubile amatorium, ait Vatablus. Ita vocat ipsam Jerusalem, aut potius ejus fana et delubra, in quæ suas pollutiones, id est deorum suorum sacra, invexerunt Chaldæi, ait Polychronius.

Notant physici et medici, ut Hippocrates, lib. V *Aphorism.* et Galenus in ejus *Comment.* mammas respondere utero, ac proinde in illis voluptatis esse sedem : venas enim et arterias ab utero in mammas protendi : ideoque pro qualitate fœtus mammas aut intumescere, aut languere et dejici : tempore conceptionis venas iterum oppleri et turgere. « Communes, » ait Galenus in VI Hippocrat. *De Morbis vulgaribus*, Comment. V, « sunt uberibus et utero venæ, et ubi ad alterutram partium sanguis defertur, altera siccescit. »

Hinc in Scriptura mammæ et ubera sunt symbolum amoris et libidinis. Uti hic et vers. 3 : « In adolescentia sua fornicatæ sunt, ibi subacta sunt ubera earum, et fractæ mammæ pubertatis earum. » *Prov.* V, 19 : « Ubera ejus inebrient te; » et cap. VII, 18 : « Inebriemur uberibus. » Quocirca, *Osee* cap. II, 2, significat adulterium versari in lascivia, et molliter culta facie, atque in uberibus : « Auferat, inquit, fornicationes suas a facie sua, et adulteria sua de medio uberum suorum. » Hinc Juvenalis, *satyra* VI, portentosam Messalinæ libidinem notavit ex nudatis papillis. Quare ubera in Scriptura significant amores et voluptates, *Isai.* LXVI, 11 : « Ut sugatis, et repleamini ab ubere consolationis ejus; » et vers. 12 : « Ad ubera portabimini, et super genua blandientur vobis. » *Ezech.* XVI, 8 : « Tempus tuum, tempus amantium; » Hebraice, *tempus tuum, tempus uberum.* Denique sponsus habet mammas et ubera, id est amores, *Cantic.* cap. I, vers. 2, et cap. VII, vers. 12. Nam et Galenus in fine lib. *De Usu partium*, docet in hominibus recte a natura mammas pectori additas, cum in aliis animalibus ad extrema ventris demissæ sint; quod in homine sit illarum cum corde specialis consensio : cor autem amoris et ferventioris sanguinis sedes est. Ita Pineda in *Job* XL, 11.

Tropologice S. Hieronymus : « Annon, ait, mittimus nuntios ad Chaldæos, qui interpretantur quasi dæmones, quando pandimus eis, et præbemus frangenda ubera in pectore, ubi mentis hospitium est, per voluptates, ab una ad aliam more scortatorum transeundo? »

ET SATURATA EST ANIMA EJUS. — « Voluptas enim non est perpetua, sed cito satiat, » ait S. Hieronymus. Hebr. *et discessit anima ejus ab illis.* Ita Septuaginta, *q. d.* Usque ad nauseam et fastidium satiata est earum libidine, unde nauseans discessit ab eis, imo ejecit illas, uti Amnon, peracto stupro, abjecit Thamar. Aliter R. David, *q. d. Discessit ab eis*, id est rupit amicitias et fœdus, quod cum illis pepigerat, *et insanivit libidine super concubitum eorum*; Hebraice, *super pellices eorum* (1), *q. d.* Inter omnes Chaldæorum pellices Judæa fuit salacissima in idololatria, quia præ omnibus gentibus, quæ quasi pellices Chaldæis fuerunt subjectæ, vel addictæ, ipsa Chaldæorum idola coluit.

(2) 20. QUORUM CARNES SUNT UT CARNES ASINORUM, — id est quorum membra sunt grandia, quasi membra asinorum. Significat salaces et libidinosos. Asini enim inter omnes bestias maxima habent genitalia. Unde et Commodus Imperator a membri magnitudine dictus est ὄνος, id est *asinus*. Ita S. Hieronymus.

Moraliter S. Bernardus, lib. *De Natura et dignitate divini amoris*, cap. II : « Quorum, ait, spiritus, ut spiritus bestiarum, » vel pecorum; horum « carnes, ut carnes asinorum. »

ET FLUXUS (scilicet seminis) EORUM, — quasi fluxus et inundatio seminis equorum, ait Vatablus. Equus enim impotenter in venerem ruit. Hinc Ægyptii, libidinosum significantes, depingebant equum, talesque vocabant ἱππεβίους et ἱπποπόρνους. Ita Pierius *Hierogl.* IV. Metaphorice per membra et instrumenta libidinis, significat profusam Chaldæorum idololatriam et superstitionem, quam effuse sectati sunt Judæi. Simul obiter quasi ad litteram perstringit libidinem Chaldæorum : idololatriam enim et hæresin sequitur vitæ corruptio, lascivia et libido, ait Polychronius; hujus enim symbolum sunt membra asini. Hinc luxuriosi post mortem sæpe apparuerunt in carne et forma asinina. Ita B. Petrus Damianus Episcopus, et Cardinalis Ostiensis, epist. *ad fratres Eremi* et ex eo Baronius, anno Christi 1054, narrat de Benedicto IX sui temporis Pontifice, primum Papa, deinde Antipapa damnato : « Vaclus quidam, inquit, dum iter ageret, accidit ut juxta molendinum equo insidens pertransiret : et ecce repente monstrum immane conspexit. Quo viso, subito eum terror invasit, et stupefactus intremuit. Videbatur autem monstrum illud in aures aselli caudamque desinere, cætera ursus erat. Cumque viator, ad hoc portentum territus, obrigesceret, fugamque præcipitem formidolosus iniret; informe prodigium humanæ vocis verba formavit. Noli, inquit, o vir, expavescere, hominem me olim fuisse, sicut et ipse nunc es, procul dubio crede; sed quia bestialiter vixi, post finem vitæ, bestiæ præferre speciem merui. Porro cum ille perquireret quis fuisset : Ego, ait, solo nomine Benedictus fui, qui nuper Apostolicæ sedis apicem indignus obtinui. Inquisitus autem quidnam retributionis haberet : Nunc, inquit, usque ad diem

Luxuriosi post mortem apparent quasi asini.

(1) Illorum (scilicet Assyriorum concubitu sanata ad Ægyptios iterum se vertit, vers. 19). Jarchi atque Kimchi hoc eo referunt, quod Joakim et Sedecias in regem Babylonium rebellarunt, IV *Reg.* XXIV, 1; VII, 20.

(2) Vers. 19 : « Multiplicavit enim fornicationes..... quibus fornicata est in terra Ægypti. » In ultimis regni Judaici annis, Judæi, ut ex historia constat, amicitiam Ægyptiorum ambierunt et eorum deos ut antiquitus, adoraverunt.

judicii, per dumosa atque squallentia, perque sulphurea loca, et fœtorem exhalantia, atque incendiis conflagrata rapior et pertrahor. Post extremum vero judicium, corpus meum simul et animam irremediabilis cruciatus, et gehennalis barathri irrevocabilis olla deglutiet, ita ut nulla mihi recuperationis spes in posterum restet. Post hæc vero et hujusmodi verba disparuit. » Quærit deinde Damianus cur miser hic in asini et ursi specie apparuerit, ac respondet : « Quia miserabilis ille ab ipso Pontificatus primordio, usque ad finem vitæ in luxuriæ cœno conversatus est, non incongrue visus est, et ab auribus incipere, et in caudam asini desinere. Asinus quippe luxuriosum est animal, sicut Propheta ait : Et carnes asini carnes eorum. Quod autem per cætera membra ursi tenebat speciem, vitam in omnibus docetur duxisse carnalem. Ursa enim cum parit, non catulum, sed frustum carnis effundit, quod lingendo et lambendo componit. » Similes apparitiones hoc ævo factas commemorare possem, nisi familiarum insignium honori parcerem.

21. VISITASTI (repetiisti veterem in Ægypto idololatriam, ita Chaldæus. Vel « visitasti, » id est visitari fecisti, et Deo in memoriam revocasti : nimirum fecisti ut Deus visitaret et puniret) SCELUS ADOLESCENTIÆ TUÆ.

22. AMATORES, DE QUIBUS SATIATA EST ANIMA TUA. — Hebræus, *a quibus discessit anima tua, q. d.* Sicut meretrix, amasio satiata, alium quærit : ita tu satiata Chaldæis, ab eis ad Ægyptios fugis : unde Chaldæi non ferentes hunc sui contemptum, uti Deus tulit, Jerusalem armis invadent.

23. PRINCIPES PRINCIPUM. — Septuaginta, *tristatas.* « Pro quibus Latina simplicitas, ait S. Hieronymus, ternos statores transtulit. Tristatæ autem nomen est apud Græcos secundi gradus post regiam dignitatem, de quibus scriptum est, I *Paral.* XI : Verumtamen ad tres primos non pervenerat : qui principes equitum peditumque erant, et tributorum, quos nunc magistratus utriusque militiæ, et præfectos annonarii tituli nominamus. » Hucusque S. Hieronymus. Chaldæus Hebræa nomina putans esse propria gentium, vertit : *Suscitabo contra te Pecódaitas, Saoitas, Coaitas.*

NOMINATOS ASCENSORES EQUORUM, — equites præstantes et celebres.

24. INSTRUCTI CURRU ET ROTA, — id est curribus et rotis.

ET DABO CORAM EIS JUDICIUM. — Scholiastes, *per hos te judicabo* : permittam illis causæ tuæ cognitionem, sententiam et ultionem, ut pro arbitratu suo te tractent et puniant. Nam *dare coram aliquo*, Hebræis est ponere quid in alterius potestate, judicio et arbitrio, ut *Deut.* XXX, 15 : « Proposui in conspectu tuo vitam, et bonum, et e contrario mortem, et malum. »

JUDICABUNT TE JUDICIIS SUIS. — Chaldæus, *legibus suis, q. d.* Pro arbitratu et odio suo in te crudelissime te punient et conterent ; cum alias ego Deus, licet irritatus et zelotypus, castigem tantum, non conteram.

25. ET PONAM ZELUM MEUM IN TE (*zelum* vocat zelotypam vindictam, sive punitionem ex zelotypia manantem), QUEM EXERCENT (id est exercebunt et peragent, ut habent Hebræa et Septuaginta, Chaldæi) TECUM IN FURORE — non tam meo quam suo. Unde hebraice ad verbum est : *Et facient tecum in furore*, id est furent et sævient in te, uti sæviunt milites furore incensi in cives, dum vi expugnant civitatem. Hinc Maldonatus juxta Hebræa, per *zelum* accipit Chaldæos ministros iræ Dei, sicut Assur vocatur virga furoris Dei, *Isaiæ*, cap. X, 5.

NASUM TUUM, ET AURES TUAS PRÆCIDENT, — quia Chaldæi Judæos alios occiderunt, alios ad ignominiam naso et auribus truncarunt. Alludit ad pœnam adulterarum, quas Ægyptii naso truncabant, uti docet Rhodiginus, lib. XXI, cap. XLV. Vel *secundo, q. d.* Reddent te turpissimam, uti est mulier præciso naso et auribus. *Tertio*, multi per nasum accipiunt regem et regnum, qui in populo quasi nasus in facie, eminet : per aures, Pontificem, per quem quasi aures populus Dei vocem audiebat, quæ omnia Judæis abstulit et præcidit Deus. Ita Hebræi, Chaldæus, Maldonatus et Prado. Quin et S. Hieronymus per nasum regem, per aures judices accipit. Hic sensus appositus est, sed symbolicus.

Hæc Ezechielis oracula apposite B. Petrus Damianus adaptat Joanni Episcopo Placentino, Antipapæ, qui ejecto Gregorio, Othonis Imperatoris consanguineo, Romanæ Ecclesiæ cathedram, ut fur atque tyrannus obtinuit : « Sed paulo post resipiscente Quiritum populo, et exardescente, irruentes in eum manus injiciunt, oculos eruunt, aures naresque præcidunt. Expertus est itaque, quod et tunc sibi, et nunc tibi per Ezechielem cap. XXIII, Dominus comminatur, dicens : Venient super te instructi currus, et tota populorum multitudo, lorica, et clypeo et gladio armabuntur contra te, etc. Nasum tuum, et aures tuas præcident. Postquam Romani, ita ut dictum est, rependissent Pontifici : mox ante retro conversum, in asello gloriosum equitem posuerunt, tenentemque sui vectoris in manibus caudam, per publicam totius urbis viam, hæc, ut caneret, impulerunt : Tale supplicium patiatur, qui Romanum Papam de sede sua pellere nititur. » Ita ipse ad Cadiloum Antipapam, lib. I, *epist.* 21.

NOVISSIMUM TUUM (id est urbis reliquiæ, puta templum, palatia, et domus, incolis vel occisis, vel abductis vacuata) DEVORABITUR IGNI (1).

(1) Vers. 26 : « Et denudabunt te vestimentis tuis, » etc. *Vestibus* et *ornamentis*, quibus Oholibam privandam dicit, sacerdotium intelligendum esse, cum iis quæ in templo essent, ad divinum cultum pertinentia monent

27. REQUIESCERE FACIAM SCELUS, — *q. d.* Tunc pudebit te idololatriæ, tunc ab ea quiesces et cessabis, utpote cujus ignominia eo tempore revelabitur in tam ignominiosa tui punitione et eversione; ut sit hypallage : « Requiescere faciam scelus tuum, » id est quiescere faciam te a tuo scelere (1).

Secundo, simplicius Maldonatus ait esse hebraismum, *q. d.* Tollam, auferam a te scelus tuum, excoquam te suppliciis, ut nihil veteris sceleris in te remaneat.

NEC LEVABIS OCULOS TUOS AD EOS, — scilicet deos Ægypti; hi enim intelliguntur in fornicatione Ægypti, quæ præcessit, *q. d.* Eos non invocabis, in eis non confides. Levare enim oculos symbolum est spei et invocationis.

ET ÆGYPTI (id est fornicationis, puta idololatriæ Ægypti) NON RECORDABERIS.

28. TRADAM TE IN MANUS EORUM QUOS ODISTI, — scilicet in manus Chaldæorum, quorum libidine, id est idololatria, satiata est anima, id est appetitus tuus (2).

Vers. 30. 30. FECERUNT (id est facient) HÆC TIBI.

Vers. 31. 31. IN VIA SORORIS (*q. d.* Imitata es mores sororis tuæ Oollæ, id est idololatriam Samariæ) : ET (id est idcirco) DABO CALICEM EJUS IN MANU TUA, — id est iisdem pœnis te afficiam. Nota : Calicem vocat mensuram supplicii a Deo decretam (3). Hæc dicitur calix, ait Prado, alludendo ad calicem vini, qui morte damnatis, ut fortius eam ferrent, præbibebatur. Hinc calix significat pœnam mortis, vel necis decretum et destinationem : aut potius, ut idem censet, alluditur ad compotores, qui certant in calicibus exhauriendis. Nos enim Deo quasi propinamus calicem voluptatum : ille vicissim nobis calicem vindictæ ad fundum, æque ut priorem voluptatum, exhauriendum. Verum hæc arctiora sunt : primum quod dixi, generale videtur, et aptissimum. Alluditur enim ad præfectum convivii, qui symposiarcha vel modimperator dicebatur : hic enim singulis convivis suum calicem vini dabat et temperabat pro cujusque ætate, appetitu et gustu : sic Deus pro cujusque meritis calicem, id est sortem, pœnarum vel præmiorum temperat et distribuit. Vide *Psalm.* XV, 5, et cap. LXXIV, 9. Unde sequitur : « Ebrietate et dolore repleberis. »

Calix est mensura pœnæ a Deo sonti commen-

32. CALICEM SORORIS TUÆ BIBES (idem cum Samaria supplicium feres) PROFUNDUM (pœnarum magnitudine) ET LATUM, — amplo tempore captivitatis 70 annorum.

QUÆ EST (ita Romana legunt, non *es*) CAPACISSIMA, — id est maxima, scilicet subsannatio. Verum ex Hebræo plane vertas, *qui*, scilicet calix, *est capacissimus*. Hebræum ergo genus retinet Interpres. Calix enim Hebræis est feminini generis : *quæ* ergo, id est *qui*, scilicet calix, multus est ad capiendum, vel complectendum. Aliter Maldonatus. Legit enim, *quæ es capacissima*, *q. d.* O Jerusalem, quæ nunc amplissima es, et frequentissime habitaris, eris in sibilum et stuporem propter solitudinem, ad quam redigent te hostes.

Vers. 33. 33. CALICE, etc., TRISTITIÆ. — Septuaginta, *perditionis*, vel *deletionis*, quo omnino es perdenda et delenda; hebraice est, *calice solitudinis et vastationis*.

Vers. 34. 34. EPOTABIS USQUE AD FÆCES, — *q. d.* Totum calicem pœnarum hauries, extrema mala patieris.

ET FRAGMENTA EJUS DEVORABIS. — Est auxesis. Fragmenta enim devorari nequeunt. Sensus ergo est, *q. d.* Exhausto calice fractoque, etiam guttulas, quæ in fragmentis manserint, lambere cogeris, hoc est calicem ebibere cogeris usque ad ultimam ejus guttulam. Quamquam et proprie capi potest. Sunt enim aliqui potores tam intemperantes et vecordes, ut post vinum, vitra fracta hauriant et glutiant etiam cum vitæ periculo, quales vidi in aquis Spadanis, frustra ab iis remedium mortis quærentes, suamque vecordiam sero damnantes. Unde sequitur : « Ubera tua, » præ dolore, « lacerabis. »

Vers. 35. 35. PROJECISTI ME POST CORPUS TUUM, — retrorsum post tergum, *q. d.* Mei oblita es, me sprevisti, atque idola et voluptates mihi anteposuisti. Ita Theodoretus.

36. FILI HOMINIS, NUMQUID JUDICAS? — nonne æquum est, o Ezechiel! ut judices, id est arguas has meretrices? Deus jam populo, jam Prophetæ loquitur, *q. d.* Quid hæres, quid cessas, o Pro-

Jarchi et Kimchi. Eamdem explicationem a magistro suo Hebræo haud dubie acceptam tradit Hieronymus : *Et denudabunt*, inquit, te vestimentis tuis, quibus te ornaveram, *et vasis gloriæ tuæ*, quæ tibi ad cæremonias templi aurea argenteaque concesseram.

(1) « Hæc autem omnia faciam, inquit S. Hieronymus, ut perdita pulchritudine, et vultu venefico deturpato, quiescat aliquando scelus tuum, et fornicatio, quam didicisti et exercuisti in Ægypto, ut postquam nasum auresque perdideris, nequaquam audeas oculos tuos levare ad Chaldæos, et amatoribus pristinis ostendere fœditatem tuam, nec recorderis amplius Ægyptiorum libidinis, quorum magnitudine carnium delectabaris. »

(2) « Prodest, inquit idem S. Hieronymus, Jerusalem inimicitias habere contra Assyrios atque Chaldæos, et nequaquam Ægypti recordari, sed tradi eis in manus ad puniendum, qui illam oderant : quibus ante non traditur, nisi satiata fuerit de eis anima ejus, ut postquam pœnituerit veterum peccatorum, tunc purgetur suppliciis, et perdat omnes labores (id est, omnes opes suo labore partas), quos arte meretricia conquisivit, videatque nuditatem suam et ignominiam; et sciat, quod hæc universa non ei Dominus fecerit, sed fornicationes suæ quibus fornicata est per gentes, quas supra enumeravit, ut earum coleret simulacra. »

(3) Sicut quædam dantur cathartica, pergit idem S. Hieronymus, ut noxius humor, qui inest corporibus egeratur, sic et Dominus dat calicem tormentorum meracissimum, ut quidquid fellis amaritudinisque est, auferat a peccatoribus, et pristinæ eos restituat sanitati. Multa exempla sunt in Scripturis quod calix sæpe accipitur pro pœnis atque suppliciis (*Psalm.* LXXV, 9; *Isaiæ* LI, 17; *Jerem.* XXV, 15.

pheta! quin judicas et condemnas hasce adulteras? Vide dicta cap. XXII, 2 (1).

37. SANGUIS IN MANIBUS EARUM, — suas manus macularunt, cruentas adhuc habent manus ex sanguine Prophetarum, aliorumque innocentum quos occiderunt. Aliter Prado : Sanguinem, ait, gestare manibus, est de homicidio perpetrato gloriari, et sanguinem effusum quasi ostentare.

CUM IDOLIS SUIS, — Septuaginta, *cum cogitationibus*, id est, ut Cyrillus, cum idolis quæ excogitarunt, quæ animo et mente volvunt et concupiscunt.

QUOS GENUERUNT MIHI (*q. d.* Filios quos mihi quasi marito gignere debuerant, genuerunt, et) OBTULERUNT (idolis) AD DEVORANDUM, — id est, ut in eorum honorem igne cremarentur et devorarentur.

Vers. 38. 38. POLLUERUNT SANCTUARIUM MEUM, — tum aliis peccatis, tum in templo ponendo Baal et idola, uti dixit cap. VIII, 10.

SABBATA MEA PROFANAVERUNT, — quia non mea sabbata et festa, sed Baal observarunt.

Vers. 39. 39. IN DIE ILLA, — *q. d.* Eadem die qua filios cremaverunt idolo Moloch, ausi sunt ingredi templum meum, illudque polluere, ac me irritare. Ita Chaldæus.

ETIAM HÆC FECERUNT IN MEDIO DOMUS MEÆ, — *q. d.* Etiam in templo meo idolis immolarunt, ut patet *Jerem.* VII, 30, et supra cap. VIII, 10.

Vers. 40. 40. MISERUNT (nuntios) AD VIROS VENIENTES DE LONGE (ad Chaldæos) : ITAQUE ECCE VENERUNT, — scilicet Chaldæi amasii tui olim, quibus ut placeres, te lavisti, linisti stibio, ornasti (2). Ornabant enim se ituri ad festa idolorum, perinde ac meretrices se ornant ituræ ad amasios. Ita Theodoretus. Rursum significat Chaldæos, æque ac Ægyptios, cum in Judæam venirent, magna pompa et magnificentia a Judæis exceptos fuisse, ac Judæos eis ostendisse suos thesauros et opes, uti fecit Ezechias, *Isaiæ* XXXVIII, 2. Hi, inquam, venerunt, jam non amasii, sed jurati hostes tui, et furentes ac ruentes in tuam necem.

ers. 41. 41. SEDISTI IN LECTO, — quasi femina. Feminæ enim, viris ad mensam discumbentibus, id est cubantibus, cœnitabant sedentes, eo quod in femina turpis esset accubitus. Ita Valerius Maximus lib. II. cap. I. Alludit ad meretrices se stibio ornantes, et cum amasiis convivantes : Jerusalem enim idololatrantem toto hoc cap. comparat meretrici fornicanti. Notat insuper morem mulierum, quæ se mire ornare et fucare solent, ut sedentes videantur esse reginæ, imo deæ. Causas cur præ viris idipsum faciant, indagat Ambrosius Leonis philosophus, *problem.* 199, ac respondet duas esse. Prior, quod salaces sint, virosque in sui amorem pellicere cupiant. Posterior, quod natura sint informes et turpes, eo quod natura in eis defecit; hinc idipsum ornamentis et fucis instaurare conantur. Informes eas esse probat : « Quia, inquit, sunt mares imperfecti, et frigidæ temperaturæ. Hinc cum amota fuerint omnia ornamenta, nigricare cernuntur, et pallescere, et squalere : unde contemptui et odio habentur. Signum est, quod multi mares uxores suas contemnant, quia sæpe eas inornatas vident, ac ad meretriculas deflectant, quæ non nisi ornatæ se exponunt. »

MENSA, — scilicet sacra, id est altare diis tuis ornasti, cap. XLI, 22.

THYMIAMA MEUM (quod mihi adolere debueras) POSUISTI SUPER EAM, — scilicet mensam, id est super altare idolorum, *q. d.* Thymiama meum idolis dedisti et incendisti.

42. ET VOX MULTITUDINIS EXSULTANTIS (hymnos et laudes deorum suorum canentis) ERAT IN EA, — juxta eam, circa eam, puta circa mensam, id est altare idolorum : aut potius, « in ea, » scilicet Ooliba, id est in Jerusalem, erat vox turbæ exsultantis, uti mœchi solent convenire ad meretrices in lupanari, ibique exsultare et canere carmina amatoria.

ET IN VIRIS, — mœchis, qui ad eam conveniebant; supple, audiebatur vox exsultantis : aut potius : « Posuerunt armillas in manibus eorum (3), ut sequitur.

ET VENIEBANT DE DESERTO. — Legit Interpres שבאים *scebaim* per *schin*, vel per *sche* relativum שבאים *schebaim*, id est qui veniebant : aut, ut Maldonatus, legit per duplex *beth* סב באים *sab baim*, id est qui circum circa, id est undique veniebant. Jam Hebræa habent סבאים *Sebaim* per *sin*, id est Sabæi, scilicet Arabes et Æthiopes Abyssini. Septuaginta legerunt וסבאים *sabeim*,

(1) Consequens erat, ut qui Samariæ et Jerusalem adulteria separatim descripserat, pariter earum supplicia nuntiaret, inquit S. Hieronymus.

(2) Promiscue in singulari et plurali loquitur. Mox enim, vers. 42, suffixis pluralibus utitur, et vers. 43, iterum singularem usurpat; versu autem 44, utriusque nomen exprimitur. Non igitur hic versus ad solam Oholibam referendus, uti Hieronymo visum..... Cæterum hunc morem tingendi oculos etiamnum illis in terris vigere, norunt omnes qui vel unum alterumve Itinerarium legerunt. (Rosenmuller.)

(3) Ambiguum est, verbum ויתנו *ouaitenou, posuerunt*, sitne referendum ad viros istos a deserto accersitos, ut hos dicat sororibus armillas coronasque dedisse; an vero ad ipsas sorores, Oholam et Oholibam pertineat, inquit Capellus. Prior sensus ut prodeat, post *ouaitenou* est להם *lahem*, subaudiendum. Ac ne obstare illi putes, quod armillæ sint ornatus mulieribus proprius, moris fuisse antiquis memineris et feminis et viris armillas in brachiis gerere ornatus gratia. Sic II *Reg.* I, 10, narratur militem Madianitam armillam e brachio Saulis et coronam de capite ablatam obtulisse Davidi; *Num.* XXXI, 50, promiscue viris et feminis tribuuntur armillæ. Unde Livius, lib. X, cap. XLIV, Papirium, victis, Samnitibus, « equites omnes, ob insignem multis locis operam, corniculis armillisque argenteis donasse » refert. Et Valerius Maximus, lib. II, cap. III et VIII, de aureis et argenteis armillis loquitur, quibus donati sunt equites quidam strenui.

id est ebrii : sed eodem omnia redeunt, *q. d.* Ooliba, id est Jerusalem, excepit Sabæos, secundum nomen suum vinosos, et ebrietati addictos, qui de deserto Arabiæ veniebant Hierosolymam, *q. d.* Non tantum speciosos et nobiles Assyrios, sed et vilia mancipia, fæcem mundi, deformes Æthiopes, et latrones Sabæos adamavit hæc meretrix : imo eos suis armillis et coronis ornavit, amore ardens et insana. Ita S. Hieronymus et Latini omnes, ac Septuaginta et Chaldæus, qui legunt, *in manibus* eorum, licet in Hebræo sit, *in manibus earum*, quasi amasii meretricibus dederint armillas; non meretrices amasiis. Forte corruptus est textus Hebræus, aut certe hic, uti et alibi הֵן *hen*, id est *earum*, capitur pro הֵם *hem*, id est *eorum*. Notat miram libidinem Hierosolymitarum. Sed sub hac proprie intelligit idololatriam, cujus causa, comes et effectus est libido et lascivia. Ita Theodoretus. Consequenter amasii sunt idola, quæ Ooliba, id est Jerusalem, ornavit suis armillis et coronis.

Victimas et dona olim coronabant.

CORONAS. — Olim, ait Athenæus lib. XXV, sacrificantes, id quod diis offerebant, coronabant. Hinc Plautus in *Amphitr.* :

Serta, unguenta, coronas ferre Veneri et Cupidini.

Idem in *Aulul. prolog.* :

Has coronas floreas ut imponantur in foco nostro Lări.

Idem in *Pseudol.* :

Illam esse domum Jovis,
Augurium menti querna corona dabat.

Et Ovidius, lib. III *Tristium*, eleg. 1 :

Fumida cingatur florentibus ara coronis.

Cur?

Causam dat Aristoteles libro *Sympos.*, nimirum ut significarent nil diis mutilum, sed integra et perfecta esse offerenda. Corona ergo est perfectionis et plenitudinis symbolum. Hinc, ait Aristoteles apud Rhodiginum lib. XXVII, cap. XXVI, in conviviis accumbebant coronati, quasi augurantes fertilitatem annonæ, et rerum abundantiam. Sed prima hujus coronationis origo et causa fuit quod, cum multum biberent, ne capite dolerent, illud vinciebant fascia lanea vel linea. Hæc enim prima fuit corona, teste Festo. Deinde ad delicias addita sunt serta ex frondibus et floribus, vel calidis, quæ molliter meatus aperiunt, ut vinum perspiret; id facit corona ex nardo : vel frigidis, ut astringant et reprimant vim vini; id facit corona ex violis, rosis et ex hedera. Liber sive Bacchus, ait Plutarchus III *Sympos.* 1, hedera bacchantes coronavit, ut minus a vino læderentur, hedera frigore suo ebrietatem restinguente. Has coronas vel imponebant capiti, vel fronti et temporibus circumdabant, vel e collo suspendebant. Ita Stuckius in *Convival.*

43. ET DIXI EI, QUÆ ATTRITA EST, — id est assueta; Chaldæus, *inveterata in adulteriis*, *q. d.* Itane vetula hæc nondum satiata est sordibus meretriciis? Adhuc ad eas insane ruit? Adhuc fornicatur et perfornicatur, ut sit quasi meretrix publica, provocans Chaldæos, et omnes gentes ad suos dæmones et idola colenda? Aliter Chaldæus, *q. d. Et dixit de cœtu Israel, cujus populus inveteratus est in peccatis; nunc dimittet idola sua, et convertetur ad cultum meum; et non est conversus.*

(1). 45. VIRI ERGO JUSTI SUNT — Babylonii justam de Jerusalem (æque ac fecerunt Assyrii de Oolla, id est de Samaria) deposcent ultionem. Licet enim ipsi in se æque impii, et idololatræ sint ac injusti; erunt tamen lictores justæ sententiæ Dei et justæ punitionis Judæorum. Impios enim per impios, idololatras per idololatras puniri decet, et vero juste punire solet Deus.

JUDICIO ADULTERARUM ET EFFUNDENTIUM SANGUINEM, — id est eo supplicio, quo plecti solent adulteræ et homicidæ (utrumque enim est Jerusalem), scilicet ut lapidentur et concrementur, uti dixit cap. XVI, 38 et sequentibus.

46. ADDUC (id est prædic adducendam fore : vide *Canon.* XXIX) AD EAS MULTITUDINEM (Chaldæus, *exercitum*, scilicet Chaldæorum); ET TRADE EAS IN TUMULTUM. — Chaldæus, *in interitum;* Hebræus, *in commotionem*, id est in trepidationem, fugam, dispersionem : juxta minas Mosis, *Deut.* XXVIII, 25. et *Jerem.* XXXIV, 17. Vers. 46.

47. LAPIDENTUR, — quasi adulteræ. Significat balistas, quibus lapides in Jerusalem jaculati sunt Chaldæi : vel metaphorice significat excidium urbis, quo civitas quasi lapidibus fuit obruta. Vers. 47.

48. DISCENT OMNES MULIERES, — omnes civitates et provinciæ. ers. 48

49. ET DABUNT SCELUS VESTRUM (id est sceleris vestri, puta cultus idolorum, pœnam) SUPER VOS, — *q. d.* Pro meritis scelerum punient vos. Vers. 49.

(1) Vers. 44 : « Et ingressi sunt ad eam quasi ad mulierem meretricem. » Quod sic explicat S. Hieronymus. Sic attrivistis frontem, ut nequaquam secreto polluamini, vel mariti, vel hominum vitetis aspectum, sed instar meretricum publice prostituamini, qui ingressi sunt ad vos quasi ad meretrices, certatim vos polluere cupientes.

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sub parabola ollæ carnium igne excoctæ, percoctæ et liquefactæ, significat carnes, id est cives Hierosolymæ obsessæ a Chaldæis consumendos; ollam vero, id est ipsam Jerusalem, destruendam et comburendam. Secundo, vers. 15, *moritur uxor Ezechielis, ipsique jubet Deus, ut eam non plangat, ut portendat excidium urbis, in quo quasi in communi omnium clade et comploratione nemo fratrem, patrem aut uxorem sit planc turus. Hinc tertio, vers.* 24, *statuit Ezechielem Judæis in portentum* (1).

1. Et factum est verbum Domini ad me, in anno nono, in mense decimo, decima die mensis dicens : 2. Fili hominis, scribe tibi nomen diei hujus, in qua confirmatus est rex Babylonis adversum Jerusalem hodie. 3. Et dices per proverbium ad domum irritatricem parabolam, et loqueris ad eos : Hæc dicit Dominus Deus : pone ollam : pone, inquam, et mitte in eam aquam. 4. Congere frusta ejus in eam, omnem partem bonam, femur et armum, electa et ossibus plena. 5. Pinguissimum pecus assume, compone quoque strues ossium sub ea : efferbuit coctio ejus, et discocta sunt ossa illius in medio ejus. 6. Propterea hæc dicit Dominus Deus : Væ civitati sanguinum, ollæ, cujus rubigo in ea est, et rubigo ejus non exivit de ea : per partes et per partes suas ejice eam, non cecidit super eam sors. 7. Sanguis enim ejus in medio ejus est, super limpidissimam petram effudit illum : non effudit illum super terram ut possit operiri pulvere. 8. Ut superinducerem indignationem meam, et vindicta ulciscerer : dedi sanguinem ejus super petram limpidissimam ne operiretur. 9. Propterea hæc dicit Dominus Deus : Væ civitati sanguinum, cujus ego grandem faciam pyram. 10. Congere ossa, quæ igne succendam : consumentur carnes, et coquetur universa compositio, et ossa tabescent. 11. Pone quoque eam super prunas vacuam, ut incalescat, et liquefiat æs ejus : et confletur in medio ejus inquinamentum ejus, et consumatur rubigo ejus : 12. multo labore sudatum est, et non exivit de ea nimia rubigo ejus, neque per ignem. 13. Immunditia tua exsecrabilis : quia mundare te volui, et non es mundata a sordibus tuis : sed nec mundaberis prius, donec quiescere faciam indignationem meam in te. 14. Ego Dominus locutus sum : Veniet, et faciam : non transeam, nec parcam, nec placabor : juxta vias tuas, et juxta adinventiones tuas judicabo te, dicit Dominus. 15. Et factum est verbum Domini ad me, dicens : 16. Fili hominis, ecce ego tollo a te desiderabile oculorum tuorum in plaga : et non planges, neque plorabis, neque fluent lacrymæ tuæ. 17. Ingemisce tacens, mortuorum luctum non facies : corona tua circumligata sit tibi, et calceamenta tua erunt in pedibus tuis, nec amictu ora velabis, nec cibos lugentium comedes. 18. Locutus sum ergo ad populum mane, et mortua est uxor mea vespere : feciqué mane sicut præceperat mihi. 19. Et dixit ad me populus : Quare non indicas nobis quid ista significent, quæ tu facis? 20. Et dixi ad eos : Sermo Domini factus est ad me, dicens : 21. Loquere domui Israel : Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego polluam sanctuarium meum, superbiam imperii vestri, et desiderabile oculorum vestrorum, et

(1) Notandum, inquit S. Hieronymus, quomodo a principio prophetiæ usque ad præsentem diem, quando obsideri cœpit Jerusalem, per ordinem captivitas veniat. Primum gladius provocatur (XXI, 8 et seqq.), deinde duæ viæ ponuntur, Ammon et Jerusalem, quarum ad dextram partem sors cadit Nabuchodonosor (ibid. 23 et seqq.); conflatur argentum in civitate æs, stagnum, plumbum et ferrum, terra quoque non compluitur, sed sentibus occupatur (XXII. 18 seqq.); postea sub nomine duarum sororum Oollæ et Oolibæ Samariæ et Jerusalem peccata narrantur, quomodo illa sit capta, et ista capienda (XXIII). Ad extremum, nono anno, decimo mense, decima die mensis, in captivitate posito Ezechiel et his, qui cum eo erant, et tradiderant se cum rege Jechonia, ostenditur, qua die urbs cœperit obsideri, et similitudo lebetis ponitur; ut quomodo carnes et ossa congesta in lebetem, incendio concremantur, sic cuncta civitas cum suis interitura sit civibus, et nullus remaneat eorum, qui obsessi sunt, quin fame, gladio, pestilentia consumantur, et pars reliqua captiva ducatur in Babylonem

super quo pavet anima vestra, filii vestri et filiæ vestræ, quas reliquistis, gladio cadent. 22. Et facietis sicut feci : Ora amictu non velabitis, et cibos lugentium non comedetis. 23. Cŏronas habebitis in capitibus vestris, et calceamenta in pedibus : non plangetis neque lebitis, sed tabescetis in iniquitatibus vestris, et unusquisque gemet ad fratrem suum. 24. Eritque Ezechiel vobis in portentum : juxta omnia quæ fecit, facietis cum venerit istud : et scietis quia ego Dominus Deus. 25. Et tu, fili hominis, ecce in die qua tollam ab eis fortitudinem eorum, et gaudium dignitatis, et desiderium oculorum eorum, super quo requiescunt animæ eorum, filios et filias eorum : 26. In die illa cum venerit fugiens ad te, ut annuntiet tibi : 27. In die, inquam, illa aperietur os tuum cum eo qui fugit : et loqueris, et non silebis ultra : erisque eis in portentum, et scietis quia ego Dominus.

Vers. 1. 1. IN ANNO NONO, — scilicet a captivitate Joachin. Ita omnes Hebræi, puta anno 9 regni Sedeciæ. Nota : Eodem die, quo Nabuchodonosor cœpit obsidere Jerusalem, scilicet anno 9, die 10 decimi mensis, ut patet IV *Reg.* XXV, 1, eodem, inquam, die hic Ezechieli in Babylone existenti idem revelatur. Unde jubet notari diem, ut postea, cum Judæi in Babylone, Hierosolymis per suorum litteras ita factum intellexerint, sciant Ezechielem esse verum Prophetam : et hæc non casu, sed Dei providentia fieri contra Jerusalem. Ita S. Hieronymus. Hoc est quod subdit :

Vers. 2. 2. SCRIBE TIBI NOMEN DIEI HUJUS, — *q. d.* Nota et consigna hunc diem in Babylone, quia hoc ipso die Nabuchodonosor in Syria incipit obsidere Jerusalem. Hebraice est : *Signa tibi nomen diei, et os*, id est substantiam, *diei hujus, q. d.* Hanc diem, ipsissimam hanc diem consigna, nimirum scribe et annota : *Decima die mensis decimi, anni noni transmigrationis Jerusalem, facta est hæc ad me prophetia de obsidione et excidio Jerusalem, in qua confirmatus est.* Vatablus, *corroboravit se*, id est sua castra posuit et munivit, *rex Babylonis adversus Jerusalem.*

Vers. 3. 3. AD DOMUM IRRITATRICEM, — ad gentem et urbem Jerusalem, mihi rebellem, meque exasperantem, uti Noster vertit cap. II, 3, et cap. III, 5.

PONE OLLAM. — Revera ergo obediens Deo Propheta, posuit carnes in olla ad ignem, ut non tantum verbis, sed et factis prophetaret. Olla est Jerusalem : aquæ infusio est obsidio longa (nam longiore tempore aqua ab igne evaporatur, ut olla remaneat vacua, uti huic contigisse patet vers. 11), et ejus calamitates; pecus pinguissimum sunt incolæ ditiores, lauti et lascivi; carnes sunt cives; caput rex; cor Pontifex; viscera sacerdotes; armi magnates; femora milites; crura fabri et plebs; ossa sunt potentiores, vel ipsi magistratus; ignis est oppugnatio inducens pestem et famem; frusta carnium ex olla extracta, et projecta in omnem ventum, sunt cives profugi, vel captivitate dispersi; rubigo est obstinatio Judæorum. Ita S. Hieronymus, Vatablus, Prado, Maldonatus et alii. Rursum, olla hæc rubigine plena significat Jerusalem cædibus et sceleribus repletam, non posse nisi igne purgari : ac proinde eam, et in ea cives a Chaldæis concremandos, uti vers. 6 et 10 explicatur. Hæc ergo est parabola ollæ, quam proposuit quoque cap. XI, 3. Ita Lacænæ mulieres ollas in regum suorum justis pulsitabant per urbem discurrentes, ut ita civitatem orbam rege, animo carere significarent, sicut ollæ illæ inanes erant. Ita Pierius, *hierogl.* LVI.

Olla est Jerusalem, carnescives, coci Chaldæi.

Insuper, Eucherius in *Spirital. form.* cap. VIII : Olla, ait, cum sit condimentorum quæ ad humanum victum pertinent, receptaculum, in sacris Litteris pro sobole, vel progenie solet accipi : nam, sicut ex olla desumitur quod ad victum facit; sic de humano vasculo genitura depromitur, quæ in multas hominum ætates propagatur. Ideo *Psalm.* LIX dicitur : « Moab olla spei meæ, » id est Ruth Moabitis est progenies mea quam spe concepi : nam illa pariet Christum. Ita ipse et Pierius, *hierogl.* LVI, licet alius sit litteralis ejus loci sensus.

Olla significat carnalem vitam.

Symbolice, olla sceleris, ac tetræ et carnalis vitæ est symbolum. Unde proverbium : « Ipsa olera olla legit, » quod in eos dicitur, qui ita sceleribus assueverunt, ut ad ea nati videantur, utque non possint non peccare. Ita Catullus in Cæsarem :

> Hoc est quod dicunt : Ipsa olera olla legit.

Rursum, hi ollis incubant, ollas lingunt et liguriunt, ollas ostentant, his ollaris est Deus, mens tota in olla.

Quocirca hisce recte detur epitaphium illud coci :

> Antoni, tibi pro tumulo sint arma, culina,
> Olla, lebes, ligulæ, trulla, patella, veru.
> Ungere non opus est unctum, neque adurere corpus,
> Cum satis ad Manes unctus et ustus eas.

Allegorice, olla hæc ad vivum repræsentat tartarum, et ollam Vulcaniam inferni. Est enim tartarus olla rubiginosa, carnibus, id est carnalibus hominibus plena, perpetuis flammis imposita, de qua recte dicitur : « Væ civitati sanguinum, cujus ego grandem faciam pyram! »

Vers. 4. 4. OMNEM PARTEM BONAM. — Significat optimum quemque militem, æque ac civem in urbe consumendum.

ELECTA, ET OSSIBUS PLENA, — *q. d.* Optima quæque membra, quæ ossibus, quasi fulcris plena esse solent. Septuaginta vertunt : *Crus et armum carne ab ossibus separata.* Sed hæc versio non satis consonat Hebræo.

5. COMPONE QUOQUE OSSIUM STRUES SUB EA. — Septuaginta : *Succende ossa sub eis.* Ossa ergo hic sunt vice lignorum, et cum lignis ardent, coquuntque carnes. Significant hæc, cædem innocentum esse causam obsidionis, et eorum ossa eos persequi, ac vicissim quasi sub olla succendere eorum ossa, posita in olla. Ita Vatablus, R. David et alii. Sic enim se explicat vers. 10 : « Congere ossa (sub olla) quæ igne succendam : consumentur carnes, et ossa (quæ in olla cum carnibus sunt) tabescent, » id est solventur et quasi liquescent, ubi distinguit inter ossa quæ foris sub olla sunt, et ossa quæ intus in olla sunt : illa enim succendit ut hæc tabescant. Hinc etiam explicans parabolam vers. 6 ait : « Væ civitati sanguinum, » etc.

Aliter Prado, « sub ea, » id est intra ollam, ima sub carnibus ossa pone. Estque hoc probabile : nam ossa vix ardent, etiam cum lignis. Significat autem principes primo loco, quasi in fundo ollæ sint, obsidionis et excidii ignem sensuros. Ita Maldonatus et R. Salomon.

EFFERBUIT COCTIO EJUS, — *q. d.* Pressuræ obsidionis ita invaluerunt, ut discocta, id est percocta sint etiam ossa, licet durissima et coctioni inepta, hoc est fortissimi et potentissimi Judæorum fame, gladio, peste consumpti sint, aut dispersi. « Efferbuit, » id est jamjam effervescet. Unde hebraice est : *Bullire fac bullitiones ejus.*

6. VÆ CIVITATI SANGUINUM! — væ Jerusalem cædibus, etiam innocentum, ac sceleribus oppletæ, et infami! Vide cap. XXII, 2. Hic parabolam explicat Propheta.

RUBIGO, — adustio, puta sordes carnium adustæ, quæ ollæ adhærescunt, non spuma, ut volunt Vatablus et R. David, qui vertunt et explicant, *q. d.* Hæc olla bullivit diu, sed non est despumata, id est a sceleribus repurgata. Verum spuma ab igne, aqua ebulliente, statim dispellitur et evomitur : atque Hebræum חלאתה *chelata* significat rubiginem, non spumam, ut patet vers. 11. Rubigo est impietas et obstinatio (1). Huc alludere Apostolum *Hebr.* XIII, 11, cum ait : « Deponentes omne pondus, et circumstans nos peccatum, » censent ibidem Œcumenius et Vatablus; pro *circumstans* enim ipsi vertunt, *tenaciter adhærescens* : quasi Apostolus nos et corpora nostra comparet ollæ; peccatum vero et concupiscentiam adustioni, sive sordibus carnium adustarum, quæ ita defricari nequeunt, quin reliquiæ remaneant et ollæ adhæreant. Rubigo enim in metallis situ, in ollis adustione contrahitur, arida et rubra, ollas et metalla paulatim absumens, dicta a colore : nam veteres robum, rubrum vocitabant.

PER PARTES, ET PER PARTES SUAS EJICE EAM : NON CECIDIT SUPER EAM SORS. — Vatablus, *frustillatim*, sive *per frusta evacua ollam*, *q. d.* Singula frusta exime, et projice, ut significes cadavera civium non omnia simul, et eodem tempore, sed successive, et sigillatim (ita ut nullus superstes remaneat) unum post aliud projicienda *sine sorte*, id est sine delectu. Rursum, *sine sorte*, id est non sortito occidentur, uti aliquando fieri solet, ut decimus vel centesimus, in quem cadit sors, plectatur; uti in Thebæis martyribus factum legimus, sed ad unum omnes paulatim sine discrimine, fame, gladio, peste consumentur vel capientur. Ita Apollinaris, S. Hieronymus, Maldonatus et alii.

7. SANGUIS ENIM EJUS, — scilicet Prophetarum, innocentum parvulorum a Manasse et aliis effusus, implevit Jerusalem quasi ollam ad os, lib. IV *Reg.* XII, 16. Hinc ex lege et pœna talionis, ipsi pariter intra mœnia, in urbe quasi in olla conclusi, obsidione Babylonica lixabuntur, ardebunt, contabescent. Vers. 7.

Allegorice, ob sanguinem Christi effusum, Jerusalem quasi olla conclusa et succensa est a Tito.

Anagogice, olla est orbis rotundus, qui in fine mundi conflagrabit, ut omnes ejus sordes et scelera, in eo commissa, comburantur et expientur. Ita S. Hieronymus. Anagogice, olla ardens erit orbis in fine mundi.

Tropologice, olla semper bulliens, et ardens, est mala conscientia, quæ semper æstuat, tum malis desideriis, tum doloribus et angoribus. Nam ut ait S. Hieronymus : « Quot sunt vitia, tot sunt animi tormenta. » Et S. Ambrosius : « Impius ipse sibi pœna est, justus gloria. » Et S. Bernardus : « Nil est in hac vita laboriosius, quam desideriis terrenis æstuare; et nihil quietius, quam sæculi hujus nihil appetere. » Tropologice, est mala conscientia.

IN MEDIO EJUS EST, — *q. d.* Sanguis, id est cædes et scelus ejus in propatulo publice omnibus expositum et manifestum est. Vide cap. XXII, 3 et 13; unde sequitur :

SUPER LIMPIDISSIMAM PETRAM EFFUDIT ILLUM. — Vatablus, *in eminente petra*, scilicet colles erant in valle Ennom, et alibi, iique petrosi, ubi innocentes mactabant. Melius Noster vertit, « limpidissimam. » Non enim significatur locus eminens, sed saxeus, et tersus, ac sine pulvere, ubi scilicet pulvis non posset sanguinem imbibere et tegere. Unde explicans subdit :

NON EFFUDIT ILLUM SUPER TERRAM, UT POSSIT OPE-

(1) De nominis חלאתה *chelata*, apud nostrum tantummodo, et quidem hoc solo capite, obvii, cæterisque dialectis ignoti, significatione, non dubitaturos fuisse interpretes, si rei metallicæ peritum interrogassent, observat Michaelis in *Supplem.* pag. 746. « Ille enim, inquit ex filo orationis, eos docuisset, quam ex Vulgata lexico suo intulit Reuchlinus, *rubiginis*, notionem, a LXX, primo proditam (ἰὸς) unice verum esse : hæc enim ita depelli solet, ut cuprum candefactum aqua mergatur, quod ubi factum, squamarum instar a cupro decidit (squamas cupri has squamas vocant); solo si igne utaris, candefaciasque cuprum, non squamæ quidem formam accipit, sed tamen deteri potest.

RIRI PULVERE, — *q. d.* Jerusalem non abscondit suas cædes, sanguinem et cadavera, sed aperte et publice eas fecit, et exposuit. Sic Christus in Golgotha rupe ab eadem occisus est. Ita S. Hieronymus et Theodoretus. Qui et addit : Sanguis, inquit, non in terra effusus, et ab ea absorptus, sed super glabrum lapidem injectus est, qui continenter servatur ut eos accuset, qui illum effundere ausi sunt. Sic Abimelech occidit 70 fratres super lapidem unum, *Judic.* IX, 5; quia volebat sanguinis remanere vestigia et memoriam. Ita parricida ex parricidio gloriam et nomen captabat, sicut Erostratus incendit templum Dianæ, ut hoc facto ex sacrilegio nomen suum celebraret et æternaret.

Mystice S. Gregorius, lib. XV *Moral.* cap. XIX : « Sanguis, ait, super limpidissimam petram effunditur, quando malitia cruentæ mentis in afflictione justæ animæ grassatur. »

8. UT SUPERINDUCEREM INDIGNATIONEM MEAM. — Vox *ut* non finem, sed consecutionem significat, *q. d.* Inde factum et consecutum est, ut indignationem meam ei superinducerem. Unde hebraice est : *Ut accendere faceret iram meam.* Quocirca :

DEDI (id est dabo) SANGUINEM EJUS SUPER PETRAM LIMPIDISSIMAM, — *q. d.* Ego etiam vicissim aperte et publice eam puniam; sicut publice peccavit, ita publice a me plectetur. Aliter Maldonatus, *q. d.* « Ut superinducerem, » id est, idcirco permisi ut sanguis quem illa effudit, non in terram, sed in petram caderet, ut eum videns, contra illam indignationem meam et ultionem sumerem : « Dedi » ergo « sanguinem ejus, » quem illa effudit, « super petram limpidissimam, » id est, permisi ut non super terram caderet, sed super petram, ne pulvere operiretur.

Vers. 9. 9. CUJUS EGO GRANDEM FACIAM PYRAM. — Hebraice, *Etiam magnum faciam rogum*, *q. d.* Jerusalem multum sanguinis fudit : ita et ego magnum supplicium et incendium illi immittam.

Vers. 10. 10. CONGERE OSSA. — Hebræus et Chaldæus, *Multiplica ligna*, *succende ignem*, ut grandem facias pyram. Noster melius pro עֲצִים *etsim*, id est ligna, legit עַצְמִים *atsamim*, id est ossa. Explicat enim parabolam ollæ et ossium, de quibus vers. 5.

ET COQUETUR UNIVERSA COMPOSITIO, — scilicet commixtio carnium in olla. Unde Septuaginta vertunt, *minuetur jusculum*, sive ipsum jus carnium; Vatablus, *condiam condimentum*, *q. d.* Uti caro conditur aromatibus, ut fiat sapidior : ita Jerusalem condiam ærumnis, ut Dei justitia, æque ac hostes ex eis delectationem capiant, quasi ex cibo bene condito. Ita R. David. Rursum Maldonatus et alii vertunt : *Coquam decoctionem pigmentorum*, id est excoquam illos, sicut pharmacopolæ sua pharmaca et pigmenta coquere solent, donec scilicet omnia consumantur, et tertium quiddam fiat.

OSSA (in olla, id est principes in Jerusalem) TABESCENT, — id est calore et æstu afflictionis; puta fame, peste et gladio consumentur; Chaldæus vertit : *Fortes ejus insanient.*

11. PONE QUOQUE EAM SUPER PRUNAS VACUAM, UT INCALESCAT, ET LIQUEFIAT ÆS EJUS, — *q. d.* Carne exempta et consumpta, ipsum æs ollæ igne liquescet, et olla cum sua rubigine absumetur, id est civibus cæsis, ipsa urbs Jerusalem incendio consumetur.

Symbolice hæc adaptat Romæ a Longobardis vastatæ S. Gregorius, hom. 18 *in Ezech.* sub finem : « Ossa, ait, sunt magistratus et potentes; caro est populus. Quia enim senatus, ait, deest, populus interiit; et tamen in paucis qui sunt, dolores et gemitus quotidie multiplicantur, jam vacua ardet Roma. Jam enim et ipsa olla consumitur, in qua prius carnes et ossa consumebantur, quia postquam defecerunt homines, etiam parietes cadunt. »

12. NON EXIVIT RUBIGO EJUS, NEQUE PER IGNEM, — malitia Judæorum igne non est abrasa. Hoc est quod ait Jeremias cap. VI, 29 : « Defecit sufflatorium, in igne consumptum est plumbum, frustra conflavit conflator; malitiæ enim eorum non sunt consumptæ. » Vers. 12.

Allegorice S. Hieronymus, *q. d.* Malitia Jerusalem non est purgata per Christum, qui in ea fatigatus est, æstuavit, sanguinemque sudavit, vel potius per Titum eam vastantem et incendentem.

13. DONEC QUIESCERE FACIAM INDIGNATIONEM MEAM IN TE, — *q. d.* Donec furorem in te effundam, te occidam et vastem; itaque cesset indignatio mea. Vers. 13.

Secundo, et melius, *q. d.* Donec exhausero et exsatiavero omnem iram meam, donec omnia tela vindictæ meæ in te effudero; ut illa, simulque ira mea in te quiescant et sepeliantur. Vide dicta cap. XVI, 42.

14. VENIET, — jam adest ultio et dies ultionis decreta. Unde Hebræa habent בָּאָה *baa*, id est venit. Quare minus recte Maldonatus legit, *veni*, *q. d.* Adesdum, et perficiam in te quæ locutus sum. Vers. 14.

NON TRANSEAM, — non prætermittam quod minatus sum. R. David, *non retrocedam*, id est non discedam a sententia mea; Septuaginta, *non differam.*

16. TOLLO A TE DESIDERABILE. — Hic est secunda pars capitis, qua ab obsidione transit ad eversionem urbis, eamque adumbrat per aliam parabolam, scilicet per mortem uxoris : « Tollo » ergo « a te desiderabile, » id est uxorem tuam gratiosam et amabilem, quia enim qui amat rem, sæpe in eam oculos conjicit; hinc desiderium oculorum significat rem charam, scilicet : « Ubi oculus, ibi amor; ubi manus, ibi dolor. » Vers. 16. Secunda pars cap. qua mors Ezechielis uxoris adumbrat excidium urbis.

IN PLAGA. — Id est, ut Hebræus, *violenta morte*, scilicet, subito morbo, vel casu potius et vi illata; significat enim Jerusalem, vi allata a Chaldæis subito evertendam. Improvisa enim mors et excidium magis affligit et percellit, tela enim prævisa minus feriunt.

ET NON PLANGES, — ne plangas, ne plores. Hæc

enim futura significant Dei præceptum; quare per imperativum exponenda sunt.

17. INGEMISCE TACENS,— secreto geme, ut gementem te nemo audiat. Aliter Chaldæus et Hebræi vertunt, scilicet : *A gemitu tace, q. d.* Ne quidem gemere tibi permitto. Sed melius Noster et Septuaginta vertunt; nam vers. 23, explicans parabolam ait : » Unusquisque gemet ad fratrem suum, » id est silens lugebit.

CORONA TUA CIRCUMLIGATA SIT TIBI. — « Corona, » id est fascia qua sacerdotes pileum quasi coronant, et capiti aptant; vel certe coronam vocat ipsum pileum rotundum, qui instar coronæ caput coronat et circumdat, quales erant mitræ et tiaræ sacerdotum, ac nunc sunt turbanti Turcarum : hæ enim hebraice vocantur פְּאֵר *peer*, id est decor et gloria capitis; ac habebant lemniscos aut vittas quasdam, quibus capiti alligabantur. Erat enim Ezechiel sacerdos, ideoque mitra quasi corona vestiebatur. Aut denique coronam vocat capillorum, puta cæsariem in rotundum vel attonsam vel potius colligatam : ita Septuaginta; vertunt enim : *Erant crines tui colligati super te,* uti legunt S. Hieronymus et Theodoretus. Verum editio Romana Septuaginta legit contrarie : *Non erunt crines tui colligati super te.* Sensus est, *q. d.* Noli lugere, nec more lugentium comam, pileum aut fasciam eum coronantem deponere, et calceos exuere, ut nudo capite et pedibus incedas; nec os velabis, aut veste teges, uti pullati faciunt. Ita S. Hieronymus.

Ita Græci olim et Romani in funere deponebant coronas. Audi S. Hieronymum ad Heliodorum in *Epitaph. Nepotiani* : « Proponunt, ait, innumerabiles viros, et maxime Periclem, et Xenophontem Socraticum; quorum alter, amissis duobus filiis, coronatus in concione disseruit, » ut ostenderet se non dolere, nec lugere. « Alter, cum sacrificans filium in bello audisset occisum, deposuisse coronam dicitur : et eamdem capiti reposuisse, postquam fortiter in acie dimicantem reperit concidisse. » Sed de his mox plenius et plura.

Nota hic ritum lugendi defunctos, usitatum apud Judæos. *Primo,* deponebant coronas, vestesque solitas, ac lugubres induebant. Sic Gentiles insignia magistratus in luctu ponebant, uti narrat Tacitus lib. III *in Funere Germanici.* Idem etiamnum faciunt Sinæ, qui moriente aliquo suorum, ita lugent, ut magistratu se ad aliquot annos plane abdicent, domique in silentio vitam agant. Annulos eos mutasse liquet ex Suetonio, qui, Augusto mortuo, quosdam censuisse tradit : « Exequiarum die ponendos annulos aureos, ferreosque sumendos. » Livius, lib. XXXIV : « Quid aliud, inquit, in luctu quam purpuram atque aurum deponunt? » Ovidius, lib. VIII *Metamorph.,* de Althæa, cum conspicaretur fratres exstinctos :

> Quæ plangore dato mœstis clamoribus urbem
> Implet, et auratis mutavit vestibus atras.

Huc pertinet epigramma C. Cilnii Mæcenatis in Horatium, quod est apud Isidorum libro XIX, cap. XXXII :

> Lugens te, mea vita, nec smaragdos,
> Beryllos neque, Flacce, nec nitentes
> Semper candidas quæro margaritas :
> Nec quos Thynica lima perpolivit
> Anellos, nec Jaspios lapillos,

Quin et apud Romanos in publico principum luctu erat justitium : consules sedebant vulgari sede in curia, eis fasces præferebantur inversi, læta omnia vitabant, abstinebant a publico. Audi Tacitum, lib. III *in Funere Germanici* : « Hos vulgi sermones audita mors adeo incendit, ut ante edictum magistratuum sumpto justitio desererentur fora, clauderentur domus, passim silentia et gemitus. » Pedo Albinovanus in elegia *de morte Drusi* :

> Jura silent, mutæque jacent sine vindice leges,
> Aspicitur toto purpura nulla foro.

Secundo, Judæi in luctu calceos ponebant, incedebantque nudipedes : unde Ezechieli jubet hic Deus, ut calceatus incedat, ne mortem uxoris excalceatus lugeat.

Tertio, velabant os, quasi vocem et respirationem sibi interciperent in luctu ejus qui utrumque in morte amiserat. Sic apud Romanos, si mortuus liberos reliquisset superstites, ex iis filii quidem velatis, filiæ vero apertis capitibus in funus prodibant, uti docet Plutarchus in *Problem. Rom.* probl. 14. Quin et comam resecabant, eamque ponebant super mortui pectus. Ita factum in funere Virginiæ, filiæ Virginii, tradit Dionysius Halicarnassæus, lib. XI. Et Ovidius ait lib. III *Metamorph.,* de sororibus Narcissi :

> Planxere sorores
> Naiades, et sectos fratri imposuere capillos.

Quarto, abstinebant conviviis. Paulus, lib. II *Sentent.* cap. XXI : « Qui luget, ait, debet abstinere a conviviis. » Cicero *ad Attic.* lib. XII, *in obitu Tulliæ* : « Cum, ait, mihi carendum sit convivio, malo id lege videri facere, quam dolore. » Imo et foco abstinebant. Juvenalis, *Satyr.* 3 :

> Tunc gemimus casus urbis, tunc odimus ignem.

Ubi vetus Interpres : « Nec focum, inquit, in nostra domo fieri patimur, quod et lugentes observare volent. »

NEC CIBOS LUGENTIUM, — *q. d.* Ex epulo funebri, sive ex exequiis non comedes. His omnibus significat in morte et occasu Jerusalem vicinos non facturos luctum, sed gavisuros; et Jerusalem nullum habituram qui sibi condoleat, seque consoletur : imo tantam fore cladem et omnium communem dolorem, ut nemo alterius etiam amici et fratris dolore et morte tangatur. Ita Theodoretus. Simile est *Jerem.* XVI, 5. Vide ibi dicta.

Vers. 18. 18. ET MORTUA EST UXOR MEA, — uti Deus prædixerat vers. 16.

FECIQUE MANE SICUT PRÆCEPERAT MIHI, — id est caput coronavi, pedes calceavi, nullumque luctus signum dedi.

Moraliter, de moderanda tristitia in cladibus publicis et privatis.

Moraliter, disce hic viros sapientes et divinos, quales erant Prophetæ, non debere nimis lugere et plangere clades, tum privatas, tum publicas, et quasvis ærumnas hujus vitæ; sed potius in iis se resignare et conformare divinæ voluntati illas immittenti, aut permittenti: præsertim, quia mens sapientis in cœlo et Deo defixa, omnia sublunaria, sive bona, sive mala, parva et exilia æstimat, uti revera sunt, respectu cœlestium et inferorum. Adde: Scit sapiens mortalia omnia morte damnata esse: scit, post peccatum genus humanum hisce ærumnis addictum: scit, ab omni ævo tales fuisse regnorum eversiones, clades et strages. Itaque nihil hic videt novum quod miretur et doleat; præsertim cum dolor hic et tristitia, nec sibi, nec aliis utilis (nec enim per eam clades inferendas impedire, aut illatas revocare et integrare potest), sed potius damnosa et noxia sit, ipsamque calamitatem augeat et duplicet, *Eccli.* XXX, 24: « Tristitiam longe repelle a te; multos enim occidit tristitia, et non est utilitas in illa. » Cassianus, lib. IX *De Instit. renunt.* cap. XII, ait: « Omnis tristitia, præter illam, quæ vel pro salutari pœnitentia, vel pro studio perfectionis, vel pro desiderio suscipitur futurorum, quasi tristitia sæculi, et quæ mortem inferat, æqualiter repellenda est, ac sicut fornicationis spiritus, vel philargyriæ, de nostris cordibus penitus extrudenda. » Seneca quidquid dolorem pascit, id mimum putat, id est rem risu dignam. Idem, *epist.* 77: « Præcogitati, ait, mali mollis ictus venit; ideo sapiens assuescit futuris malis, et quæ alii diu patiendo, levia facit diu cogitando. » Servius Sulpicius consolans Ciceronem de obitu Tulliæ filiæ: « Nullus, ait, est dolor, quem non longinquitas temporis minuat atque molliat. » Et Sophocles: « Tempus, ait, est facilis deus, » qui omnia lenit et mollit, atque molestiis medetur omnibus. Hoc præcipit mediando sapiens. Anaxagoras, audita filii nece apud Trojam: « Sciebam, ait, me mortalem genuisse. Sciebam me eum in mortiferum bellum, non in epulas mittere. » Nimirum, inquit Cicero, lib. III *Tuscul.*: « Hæc est præstans et divina sapientia, perceptas penitus et pertractatas humanas res habere; nihil admirari cum acciderit; nihil antequam evenerit, non evenire posse arbitrari. » Seneca, *epist.* 86: « Demetrius noster, ait, vitam securam, et sine ullis fortunæ incursionibus mare mortuum vocat. Nihil habere ad quod exciteris, cujus denuntiatione et incursu firmitatem animi tui tentes; sed in otio inconcusso jacere, non est tranquillitas, sed malitia. Atticus iste Stoicus dicere solebat: Malo me fortuna in castris suis, quam in deliciis habeat. Torqueor, sed fortiter, bene est. » Et lib. *De Provident.*, ante medium: « Nihil, ait, mihi videtur infelicius eo, cui nihil unquam evenit adversi; non licet enim illi se experiri. Male de illo dii judicarunt; indignus est visus a quo vinceretur aliquando fortuna, quæ ignavissimum quemque refugit. » Et inferius: « Miserum te judico, quod non fuisti miser, transiisti sine adversario vitam. » Cicero, III *Tuscul.*: « Mortalis nemo est quem non attingat dolor morbusque; multi sunt humandi liberi, rursus creandi; mors est finis omnium. Reddenda est terra terræ, tum vita omnibus metenda ut fruges. Sic jubet necessitas ferendæ conditionis humanæ, quasi cum Deo pugnare prohibeat. » Euripides in fine *Phœnissarum*: « Quid, ait, ista lamentor, et frustra deploro? Mortali ferendum est, quidquid immittit Deus. »

Gnomæ.

Hermes Episcopus et martyr, discipulus S. Pauli, in libro qui inscribitur *Pastor*, qui citatur et probatur a Dorotheo, Damaso et aliis Patribus, visione quinta, mandato decimo, narrat sibi apparuisse angelum in figura pastoris, et inter alia ei dixisse: « Tristitia omnium spirituum nequissimus est, et pessimus servis Dei, et omnium spiritus exterminat, ac contribulat Spiritum Sanctum; atque oratio tristis hominis non habet virtutem, ut ascendat ad altare Dei: sicut enim vinum mixtum aceto, eamdem suavitatem non habet; sic et tristitia Spiritui Sancto mixta, eamdem orationem mundam non habet. »

Denique Psaltes, *Psalm.* LXXVI, 3: « Renuit, ait, consolari anima mea; memor fui Dei, et delectatus sum. » Unde Nemesius, lib. *De Natura hominis*, cap. XIX: « Qui, inquit, in hisce (tristibus) se contemplationi rerum totum tradiderit, nihil omnino commovebitur, cum se ab his rebus quæ in hominum vita geruntur, semoverit, et cum Deo conjunxerit, juxta illud *Psalm.* XXXVI, 4: « Delectare in Domino. » Et Cassianus, lib. IX *De Instit. renunt.* cap. XIII: « Hanc, ait, perniciosissimam passionem tristitiæ sic expellere poterimus, si mentem nostram futura spe, et contemplatione promissæ beatitudinis erigamus. »

Exempla gentilium, Antiochi.

Vis exempla constantiæ in publica clade, eaque gentilium? Antiochus a L. Scipione ultra Taurum montem imperii finibus summotus, cum Asiam provinciam vicinasque ei gentes amisisset, gratias se agere populo Romano dixit, quod nimis magna procuratione liberatus, modicis regni terminis uteretur.

Solonis.

Prudenter Solon, neminem, dum adhuc viveret, beatum dici debere arbitrabatur, quod ad ultimum usque fati diem ancipiti fortunæ subjecti essemus. Felicitatis igitur humanæ appellationem mors consummat. Idem cum ex amicis quemdam graviter mœrentem videret, in arcem perduxit, hortatusque est ut per omnes subjectorum ædificiorum partes oculos circumferret. Quod ut factum animadvertit: « Cogita nunc tecum, inquit, quod multi luctus sub his tectis, et olim fuerint, hodieque versentur, insequentibusque sæculis sint futuri; ac mitte mortalium incommoda tan-

quam propria deflere. » Qua consolatione demonstravit urbes esse humanarum cladium consepta miseranda. Idem aiebat : « Si in unum locum cuncti mala sua contulissent, futurum ut propria deportare domum, quam ex omni miseriarum acervo portionem suam ferre mallent. » Quo colligebat non oportere nos quæ fortuito patimur, præcipuæ et intolerabilis amaritudinis judicare. Ita Valerius Maximus, lib. VII, cap. II.

Fidelium. Ezechiæ. Verum illustriores constantioresque habemus fideles. Ezechias rex audiens ab Isaia suos thesauros et posteros tradendos esse in manus Chaldæorum : « Bonus, ait, est sermo Domini, quem locutus est; sit tantum pax et veritas in diebus meis. »

Irenes. Irene a Nicephoro servo suo imperio dejecta : « Ego, ait, Deo acceptum refero, quod me orphanam et indignam ad Imperii clavum collocavit; quod vero me jam dejici permittit, meis peccatis ascribo. In cunctis autem bonis, ac malis omnibus sit nomen Domini benedictum. » Ita Paulus Diaconus, lib. XXIII *Rerum Roman.*

Pii II. Pius II Pontifex audiens suum in Picenis exercitum ab hoste deletum, nihil motus : « Nostrum, ait, erit jam vincere, qui victi sumus. Fortuna belli nobiscum est; nam eos, quos primum fovet, postea destituit. »

Ferdinandi. Ferdinandus Aragoniæ et Neapolis rex, regno a Gallis exutus, et accepta interim nova clade, ad Semeneriam, eosdem prope ac si vicisset, spiritus gessit : querebatur tantum se sua opinione deceptum, ac nihil de fortuna dubitare, quæ jam pluribus ostentis maturum in regnum patriamque reditum omnino despondisset.

Henrici VI. Henricus VI, Angliæ rex, ab Eduardo æmulo suo regno privatus, et in vincula conjectus, occiso insuper filio, gratias egit Deo, quod hoc sibi in vita Purgatorium dedisset, quo peccata expiaret. Testis est Polydorus, lib. XXIV.

Exempla Gentilium qui suorum mortem fortiter tulerunt. Vis exempla privata, et propria huic loco, eorum scilicet qui uxorum, filiorum, et suorum obitum æquo et forti animo tulerunt? Audi profana. L. Æmilius duos habebat filios, quorum alter triumphum patris funere suo quartum ante diem præcessit; alter in triumphali curru conspectus, post tertium diem exspiravit; quem casum Æmilius eo robore animi sustinuit, ut ad populum de rebus a se gestis verba faciens, dixerit : « Cum in maximo proventu felicitatis vestræ, Quirites, timerem ne quid mali fortuna moliretur, deos precatus sum, ut, si adversi quid populo Romano immineret, totum in domum meam converteret. Quapropter bene habet se res; annuendo enim votis meis id egerunt, ut vos potius meum casum doleatis, quam ego vestrum ingemiscerem. » Ita Valerius Maximus, lib. V, cap. X.

Lacæna cum filium, quem unice amabat, in prælio interfectum audisset, dixit : « Idcirco eum genueram, ut esset qui pro patria non dubitaret mortem oppetere. » Testis est Plutarchus in *Apophthegm.* Disce ergo ita liberos procreandos, ut memineris his a natura, et accipiendi spiritus, et reddendi, eodem momento temporis legem dici.

Atheniensis quidam Elpinicen filiam exanimem indecore lugebat, prostratus humi, et vociferans : « Quas inferias tibi faciam, filia? Quid tecum sepeliam? » Superveniens Sextus Philosophus : « Maximum, ait, munus dederis filiæ, si moderate lugeas. » Ita Philostratus in *Sophist.*

Amasis ad quemdam filio privatum dixit : « Si non tristatus es cum nondum filius esset, ne nunc quidem dolore debes, cum non amplius est. »

Quirinus sophista amicis eum de morte filii consolantibus : « Quando, inquit, potius apparebo vir quam nunc? » Sentiens dolorem quidem esse acerbum, sed hoc fortitudinis laudem fore splendidiorem. Ita Philostratus.

Herodem sophistam immodice lugentem Pollucis obitum præmaturum, cum vellet illi currus et equos velut ascensuro jungere, atque etiam cœnam apparare, adiit Demonax : « En tibi, ait, a Polluce litteras. » Exhilarato Herodi, et quid vellet sciscitanti : « Incusat te, inquit, quod cuncteris ad ipsum venire. » Significans Pollucem ad ipsum non rediturum, sed recte parari currum, si vellet sequi defunctum.

Horatius Pulvillus, cum in Capitolio Jovi optimo maximo ædem pontifex dedicaret, interque nuncupationem solemnium verborum postem tenens, mortuum esse filium suum audisset; neque manum a poste removit, ne tanti templi dedicationem interrumperet, neque vultum a publica religione ad privatum dolorem reflexit; ne patris magis, quam pontificis partes egisse videretur.

Q. Martius rex superioris Catonis in consulatu collega, filium summæ pietatis, magnæ spei, et quæ non parva calamitatis accessio fuit, unicum amisit. Cumque se obitu ejus subrutum et eversum videret, ita dolorem altitudine consilii coercuit, ut a rogo juvenis protinus curiam peteret, senatumque quem eo die lege haberi oportebat, evocaret.

Princeps Atheniensium Pericles, intra quatriduum duobus mirificis adolescentibus filiis spoliatus, his ipsis diebus et vultu pristinum habitum retinente, et oratione nulla ex parte infractiore concionatus est. Ille vero caput quoque solito more coronatum gerere sustinuit : ut nihil ex veteri ritu propter domesticum vulnus detraheret. Non sine causa igitur tanti roboris animus, ad Olympii Jovis cognomen conscendit.

Xenophon, quod ad Socraticam disciplinam attinet, proximus a Platone felicis ac beatæ facundiæ gradus, cum solemne sacrificium perageret, e duobus filiis majorem natu nomine Gryllum, apud Mantineam in prælio cecidisse cognovit : nec ideo institutum deorum cultum omittendum putavit; sed tantummodo coronam deponere contentus fuit, quam ipsam, percunctatus quomodo occidisset, ut audivit fortissime pugnantem

interiisse, capiti reposuit : numina, quibus sacrificabat, testatus, majorem se ex virtute filii voluptatem, quam ex morte amaritudinem sentire. Hæc Valerius Maximus, lib. V, cap. x. Audi S. Hieronymum *ad Heliodorum*, dum eum consolatur in morte Nepotiani nepotis : « Quid memorem, inquit, Romanos duces, quorum virtutibus, quasi quibusdam stellis, Latinæ micant historiæ? Pulvillus Capitolium dedicans, mortuum, ut nuntiabatur, subito filium se jussit absente sepeliri. L. Paulus septem diebus inter duorum exsequias filiorum triumphans urbem ingressus est. Prætermitto Maximos, Catones, Gallos, Pisones, Brutos, Scævolas, Metellos, Scauros, Marios, Crassos, Marcellos, atque Aufidios, quorum non minor in luctu, quam in bellis, virtus fuit; et quorum orbitates in *Consolationis* libro Tullius explicavit; ne videar potius aliena, quam nostra quæsisse. Quanquam et hæc in suggillationem nostri breviter dictæ sint; si non præstet fides, quod exhibuit infidelitas. »

Denique luctus, ac ejulatus et fletus funebris legibus duodecim tabularum Romanis vetitus erat.

Verum hæc exilia sunt, si cum fidelium moderatione, robore et æquanimitate conferantur.

Fidelium exempla et gnomæ.

S. Job, et bonis et prolibus omnibus eodem tempore privatus, non ingemuit, non Deum, non homines incusavit : sed Deo se resignans, eum benedixit : « Dominus, ait, dedit, Dominus abstulit; sit nomen Domini benedictum. »

Huic virtute suppar, sexu licet inferior et infirmior, fuit S. Paula Romana, ait S. Hieronymus in ejus Epitaphio, cum ei dispendia rei familiaris, et totius patrimonii eversio nuntiaretur : « Quid, ait, prodest homini si universum mundum lucretur? » Et : « Nudus exivi de utero matris meæ, nudus et redibo. Sicut Domino placuit, ita factum est. »

S. Bernardus noluit plangi S. Malachiam mortuum in Claravalle; sic enim scribit in ejus Vita : « Et revera quid rationis habet immoderatius plangere Malachiam, quasi non sit pretiosa mors ejus, quasi non sit magis somnus quam mors, quasi non sit mortis portus, et porta vitæ? Malachias amicus noster dormit, et ego lugeam? Luctus iste usu se, non ratione tuetur. Si Dominus dedit dilecto suo somnum, et talem somnum in quo hæreditas Domini, filii merces, fructus ventris, quid horum videtur fletum indicere? Ergone fleam illum qui fletum evasit? Ille tripudiat, ille triumphat, ille introductus est in gaudium Domini sui, et ego eum plangam? Cupio mihi hæc, non illi invideo. »

Æque generosæ, imo generosiores fuerunt martyrum matres. Mater septem Machabæorum, II *Machab.* VII, S. Symphorosa et S. Felicitas, æque septem filiorum matres et heroinæ : quæ in filiorum morte pro Deo obita exsultarunt, eosque ad mortem capessendam, et vultu, et verbis, et exemplis incitarunt.

Talis fuit et S. Sophia mater trium filiolarum, Fidei, Spei et Charitatis, quæ illas adhuc impuberes ad martyrium efformavit, et accendit : vere tripliciter et quadrupliciter martyr. Vide harum martyria in *Vitis Sanctorum*, 1 augusti. Vide et S. Gregorium Nyssenum oratione cui titulus est : *Non esse dolendum de obitu eorum qui in fide dormierunt.*

21. ECCE EGO POLLUAM (profanabo per Chaldæos templum, quod est) SUPERBIA (id est gloria, celsitudo et magnificentia : sic enim superbas urbes et ædes vocamus gloriosas, splendidas et inclytas) IMPERII VESTRI (Chaldæus et Septuaginta, *fortitudinis vestræ*, id est de quo quasi invicto superbitis, quodque est) DESIDERABILE OCULORUM VESTRORUM (id est oculis vestris maxime amabile, cujus scilicet aspectu maxime delectamini) : ET SUPER QUO PAVET ANIMA VESTRA, — id est, timet ne depereat, vastetur, incendatur. Hebræus, *indulgentiam animæ vestræ*, id est rem quam ita amatis, ut parentes indulgentes amant suos filios. Explicat parabolam. Nam per uxorem Ezechielis significavit templum, quod Judæis erat in summis deliciis. Posset *secundo* τὸ *desiderabile, et super quo pavet anima vestra*, referri ad uxores, vel potius ad filios, quos tenerrime diligebant, occisos, ut quasi explicans subdat : « Et filii vestri, et filiæ, quas reliquistis, gladio cadent. » Unde Septuaginta vertunt, *quibus parcunt animæ vestræ.* Vers. 21.

QUAS RELIQUISTIS, — in Jerusalem. Loquebatur enim Judæis Babylone degentibus.

22. ET FACIETIS SICUT FECI, *q. d.* Sicut mihi non licuit uxorem mortuam plangere : ita nec vobis licebit Jerusalem et amicos plangere, nec luctus signa dare, quæ sequuntur, et de quibus dixi vers. 17; quia Chaldæi, tum illi, quibuscum in Babylone quasi captivi et subditi versamini, tum illi, qui Jerusalem expugnabunt, violantes uxores vestras, et parvulos allidentes ad petras, non sinent vos illacrymari, aut gemere. Unde in secreto maxime quisque gemet in corde, ut ad fratrem suum; scilicet tacitus apud se, et alius alium aspiciens. Aliter Maldonatus : Non poteritis, ait, more vestro mortem filiorum et fratrum plangere; quia in captivitate versamini, ubi commode ritus vestros servare non potestis, ac ne plangere quidem commode. Vers. 22.

23. CORONAS HABEBITIS. — *Coronas* vocat pileos rotundos, quales gestant Turcæ; aut cæsariem in rotundum ad modum coronæ attonsam; aut fascias abyssinas, quibus caput vel pileum, in modum coronæ nobiliores circumdabant. Vers. 23.

24. ERITQUE EZECHIEL VOBIS IN PORTENTUM. — Chaldæus, *in signum*, scilicet futurorum. Loquitur ex Dei persona, ut efficacius persuadeat. Vers. 24.

25. TOLLAM AB EIS FORTITUDINEM EORUM. — Describit templum, *primo*, quod munitissimum esset et situ, et Dei protectione, lib. III *Regum*, VIII; *secundo*, quod sua pulchritudine et ornatu omnes recrearet, et gaudio afficeret; *tertio*, quod sua di... Vers. 25.

nitate et majestate divinæ præsentiæ omnibus gentibus esset venerabile. Itaque templum Judæis asylum erat in bello, gaudium domi, foris gloria : uti jam est templum nostrum, et Eucharistia, quæ est quasi templum Dei scilicet Verbum corporatum, panis speciebus obtectum, ait Prado.

Nota ergo hic sex epitheta illustria templi a Judæis usurpata, et Christianis imitanda. Nam *primo*, vocant illud « suam fortitudinem, » quasi confitentes omne suum robur in templo, Deique cultu consistere; *secundo*, vocant illud « superbiam, » et « gloriam suam, » *tertio*, « gaudium dignitatis suæ, » hebraice, *gloriæ suæ*, id est, in quo maxime gaudent et gloriantur; *quarto*, « desiderium suum; » *quinto*, « super quo » confidunt, et « requiescunt; » *sexto*, « super quo pavet anima » eorum, sicut pavebat anima Heli super arca fœderis : unde audiens eam captam, perculsus ex turbatione et terrore retrorsum corruit. Et vero fideli pavendum est, cum templa et sacra evertuntur : tunc enim certum imminet reipublicæ excidium, uti vidimus in iconoclasmo Belgii.

SUPER QUO REQUIESCUNT ANIMÆ EORUM. — Hebraice, *elevationem animæ suæ*, id est ad quam levant animam suam, id est in quo sperant et confidunt. Alii vertunt, *onus animæ suæ*, id est sollicitudinem suam, de quo, scilicet, ne profanetur, maxime solliciti sunt. Sicut enim onus corpus, ita sollicitudo animam gravat et deprimit.

26. IN DIE ILLA CUM VENERIT, — scilicet nuntius e Jerusalem, qui ex ejus clade evadet, nuntians illam esse vastatam, quod factum est post tres annos, ut patet cap. XXXIII, 22; tunc loqueris hæc a te esse prædicta, et jam impleta; et non silebis, nec timide et trepide per parabolas et ænigmata loqueris, uti antea fecisti, eo quod Judæi non crederent tibi; sed libere, aperte et audacter argues eorum peccata, ut agnoscant ea, et propter ea se juste esse vastatos. Dices enim : Ecce videtis excidium urbis jam ita accidisse uti prædixeram : at noluistis tunc mihi credere; nunc ergo et deinceps mihi credite, ac corrigite scelera, quæ toties castigavi, et ob quæ excidium hoc vobis obventurum prædixi.

27. ERISQUE EIS IN PORTENTUM, — agnoscent te fuisse et esse portentum, ac futura portendere, eruditi jam experientia et malo suo.

CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hactenus Propheta vaticinatus est Judæis, nunc transit ad alias gentes, eisque simile vaticinatur excidium. Idque facit ab hoc capite fere usque ad caput XL. *Hoc ergo cap., minatur vastitatem hostibus Judæorum, puta Ammonitis, vers.* 3; *Moabitis, vers.* 8; *Idumæis, vers.* 12; *Philistæis, vers.* 14, *eo quod de Jerusalem vastatione exsultaverint, eique insultaverint, vel odio gentis, vel Dei, quasi Deus Hebræorum se, suos et templum defendere non potuisset, quodque Chaldæos in expugnatione Jerusalem adjuverint* (1).

1. Et factus est sermo Domini ad me, dicens : 2. Fili hominis, pone faciem tuam contra filios Ammon, et prophetabis de eis. 3. Et dices filiis Ammon : Audite verbum Domini Dei : Hæc dicit Dominus Deus : Pro eo quod dixisti : Euge, euge super sanctuarium meum, quia pollutum est, et super terram Israel, quoniam desolata est; et super domum Juda, quoniam ducti sunt in captivitatem : 4. Idcirco ego tradam te filiis Orientalibus in hœreditatem, et collocabunt caulas suas in te, et ponent in te tentoria sua : ipsi comedent fruges tuas : et ipsi bibent lac tuum. 5. Daboque Rabbath in habitaculum camelorum, et filios Ammon in cubile pecorum : et scietis quia ego Dominus. 6. Quia hæc dicit Dominus Deus : Pro eo quod plausisti manu, et percussisti pede, et gavisa es ex toto affectu super terram Israel : 7. Idcirco ecce ego extendam manum meam super te, et tradam te in direptionem gentium, et interficiam te de populis, et perdam de terris, et conteram : et scies quia ego Dominus. 8. Hæc dicit Dominus Deus : Pro eo quod dixerunt Moab et Seir : Ecce sicut omnes gentes, domus Juda : 9. idcirco ecce ego aperiam humerum Moab de civitatibus, de civitatibus, inquam, ejus, et

(1) Post vaticinia contra populum Judaicum ex quibus prima pars Ezechielis prophetiarum constat, sequitur secunda pars complectens a cap. XXV ad cap. XXXII oracula adversus gentes, *primo*, contra gentes cognatas, scilicet Ammonitas et Moabitas, qui ab oriente Judæis vicini essent, et Idumæos ad austrum conterminos, cap. XXV, Moabitas et Idumæos; *secundo*, contra gentes alienigenas, Philistæos et Tyrios ad occidentem Judææ finitimos, XXV, 15-17; XXVI, XXVII; denique adversus Ægyptios, XXIX, XXXII.

de finibus ejus inclytas terræ Bethiesimoth, et Beelmeon, et Cariathaim, 10. filiis Orientis cum filiis Ammon, et dabo eam in hæreditatem : ut non sit ultra memoria filiorum Ammon in gentibus. 11. Et in Moab faciam judicia : et scient quia ego Dominus. 12. Hæc dicit Dominus Deus : Pro eo quod fecit Idumæa ultionem ut se vindicaret de filiis Juda, peccavitque delinquens, et vindictam expetivit de eis ; 13. idcirco hæc dicit Dominus Deus : Extendam manum meam super Idumæam, et auferam de ea hominem, et jumentum, et faciam eam desertam ab austro : et qui sunt in Dedan, gladio cadent. 14. Et dabo ultionem meam super Idumæam per manum populi mei Israel : et facient in Edom juxta iram meam, et furorem meum : et scient vindictam meam, dicit Dominus Deus. 15. Hæc dicit Dominus Deus : Pro eo quod fecerunt Palæstini vindictam, et ulti se sunt toto animo, interficientes, et implentes inimicitias veteres : 16. propterea hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego extendam manum meam super Palæstinos, et interficiam interfectores, et perdam reliquias maritimæ regionis : 17. faciamque in eis ultiones magnas arguens in furore : et scient quia ego Dominus, cum dedero vindictam meam super eos.

2. PONE FACIEM. — Septuaginta : *Obfirma faciem*, id est firmo, torvo ac minaci vultu intuere Ammonitas. Hoc est, converte faciem tuam versus Ammonitidem, ut libere et interrite eis mala obventura prædicas. Simile fuit cap. VI, 2, et cap. XIII, vers. 17 (1).

3. AUDITE VERBUM DOMINI. — Dixit hoc audientibus non Ammonitis, sed Judæis, qui Ammonitis idipsum referre poterant, idque ut consoletur Judæos, ex hoc quod Deus eorum injurias sit ulturus.

DIXISTI : EUGE, EUGE, — id est, ut Septuaginta, gavisi estis in eversione templi. Simile est *Psalm.* XXXIV, 21.

4. TRADAM TE FILIIS ORIENTALIBUS, — hoc est Medis et Persis, aiunt R. David et Vatablus. *Secundo*, Arabibus, aiunt Theodoretus et Maldonatus; Arabes enim sunt vicini et orientales Ammonitis, erantque pastores et camelarii. Unde eis apte convenit, quod sequitur : « Collocabunt caulas in te, ipsi bibent lac tuum, eris in habitaculum camelorum, et in cubile pecorum. » *Tertio*, et optime, « Orientalibus, » id est Chaldæis, aiunt S. Hieronymus et Hebræi. Non enim Arabes, nec Medos, aut Persas, sed Chaldæos Ammonitidem vastasse legimus. Nam Nabuchodonosor, ut audivimus cap. XXI, 21, stans in bivio jecit sortem, an contra Jerusalem pergere deberet; cumque sors cecidisset contra Jerusalem, eo perrexit, eamque vastavit : ac post ejus vastationem anno quinto vastavit Ammonitas, uti docet Josephus lib. X *Antiquit.* cap. XI. Quocirca idem excidium Ammonitis prædixit Jeremias, cap. XLIX.

Possunt tamen per *Orientales* accipi quoque Arabes, sive quod illi Chaldæos juverint in expugnatione Ammonitarum; sive quod, Ammonitis occisis, vel abductis, illi regionem eorum compascuam invaserint et occuparint, ibique sua pecora paverint. Arabes enim, prognati ex filiis Abrahæ, quos genuit ex Cethura, in Scriptura vocantur « filii orientis, » ut dixi *Genes.* XXV, 6.

COLLOCABUNT IN TE CAULAS SUAS, — id est evertent te et vastabunt, ac comburent tuas urbes et arces, ut in iis, quasi in agro aperto et germinante, sua tentoria et caulas ovium figere possint. Metaphorice enim Chaldæos vocat pastores. Sicut enim pastor regit oves, easque ducit, tractat et mactat prout vult : ita et Chaldæi Ammonitas. Aliter Theodoretus et Maldonatus, *q. d.* Tradam vos Ismaelitis, quibus moris est in tentoriis degere.

7. INTERFICIAM TE DE POPULIS, — id est, exscindam te ne sis in numero populorum, ne inter populos nomineris et numereris.

ET PERDAM DE TERRIS, — ut non sis amplius in terra.

8. SEIR, — id est Idumæa. Esau enim dictus est Seir, quia pilosus : inde regio, quam incoluit, vocata est ab eo Seir, æque ac Edom vel Idumæa.

ECCE SICUT OMNES GENTES, — *q. d.* Nec Deum, nec quid aliud egregium præ aliis gentibus habent Judæi, sed similiter ac aliæ obnoxii calamitatibus, et Chaldæis subjecti sunt.

9. APERIAM HUMERUM MOAB (2). — Chaldæus : *Con-*

(1) Ammonitæ, Lothi posteri (*Genes.* XIX, 38), Israelitarum ab omni ævo infensissimi hostes, *Psal.* LXXXIII, 8, 9, cf. I *Reg.* XI, 1 et seqq.; quamvis ab illis nihil quidquam læsi fuerant, vide *Deut.* II, 9, templi ac reipublicæ tam Israeliticæ, quam Judaicæ excidium improbo gaudio et probris sunt prosecuti, unde a pluribus prophetis supplicia divinitus eis infligenda denuntiantur. Vaticinia parallela vide supra XXI, 33 et seqq.; *Jerem.* XLIX, 1 et seqq.; *Amos* I, 13; *Sophon.* II, 8, 9, 10.

(2) Moabitæ itidem ut Ammonitæ a Lotho oriundi, hisque ad Austrum contermini, mari Mortuo ab oriente jam, *Num.* XXI, 29, ad idolorum cultum defecisse deprehenduntur. Infensi Israelitarum hostes fuerunt, *Num.* XXII, 2; XXV, 1 et seqq.; *Psal.* LXXXIII, 7; eosque per octodecim annos subjugarunt, *Jud.* III, 12, 14 et seqq. Sed a Saule feliciter oppugnati, I *Reg.* XIV, 47, a Davide autem superati, II *Reg.* VIII, 1, 3; Salomoni, I *Reg.* V, 1, et regibus Israelis tributarii facti, donec sub Achabo, aut filio ejus Joramo, deficerent, IV *Reg.* I, 1; III, 5;

teram fortitudinem Moab. Viri enim fortitudinem suam habent in humeris et brachiis. *Secundo,* Vatablus, humerum sive latus aperire, ait, est aditum facere ad firmissima et munitissima loca, ut hostibus pateant. Habent enim arces, urbes munitæ, et propugnacula speciem humerorum. Hæc ergo vocat *humeros de civitatibus,* id est civitatum Moab.

DE FINIBUS EJUS, — de civitatibus limitaneis quæ in finibus ejus sunt. Illæ enim, quasi antemurale regionis, solent esse munitissimæ, quales in Moab erant Bethiesimoth, et Beelmeon, et Cariathaim; unde eas vocat *inclytas terræ.*

10. FILIIS ORIENTIS, — id est Chaldæis. Refer ad « aperiam humerum Moab, » *q. d.* Arces et oppida Moab aperiam et pandam Chaldæis.

CUM FILIIS AMMON (*q. d.* Sicut Chaldæis aperiam humerum Moab : sic et aperiam eisdem humerum filiorum Ammon), ET DABO EAM (scilicet Ammon, id est Ammonitidem; aut potius Moab, id est Moabitidem; ita S. Hieronymus) IN HÆREDITATEM (Chaldæis), UT NON SIT ULTRA MEMORIA FILIORUM AMMON IN GENTIBUS, — *q. d.* Ut quomodo filiorum Ammon non erit memoria in gentibus : sic et « in Moab » ultiones « faciam, » et « judicia, » ut sequitur. Ita S. Hieronymus, licet Biblia Romana, hæc aliter distinguant, ponunt enim punctum ante « et in Moab faciam judicia, » ibique inchoant vers. 11. Quocirca juxta hanc distinctionem melius id quod præcessit : « Dabo eam in hæreditatem, » accipias de Ammonitide. Loquitur mixtim de Ammon et Moab; unde mox ad Moab redit, quia hæ gentes vicinæ et commixtæ erant, æque ac cognatæ. Ammon enim frater fuit Moab, ex patre Lot, quando cum eo incestum commiserunt filiæ. Septuaginta vertunt, *contra filios Ammon.* Unde Vatablus clare vertit : *Filios Orientis accersam contra Ammonitas, et tradam ipsam Ammonitis in possessionem, ne memoria Ammon sit in gentibus.*

Vers. 12. 12. PRO EO QUOD FECIT IDUMÆA ULTIONEM, — *q. d.* Quia Idumæi Chaldæis se conjunxerunt in expugnatione Jerusalem, ut patet *Abdiæ* cap. I. 14; et quia, occisis vel abductis Judæis, Idumæi Judæam occuparunt, ut ait Jeremias cap. XLIX, 2. Idcirco, « extendam manum meam super eam, » percutiam eam et plagis afficiam.

Vers. 13. 13. ET FACIAM EAM DESERTAM AB AUSTRO. — Hebraice מתימן *mitteman,* id est a Theman, quæ fuit urbs primaria Idumææ; ita dicta, a Theman filio Eliphaz, filii Esau, *Genes.* XXXVI, 15. Sed quia *Theman* urbs australis erat Idumææ, ac *Theman* hebraice significat *Austrum;* hinc recte Noster vertit *ab austro.* Idem ergo est a *Theman,* ut habent Hebræa et Septuaginta, quod *ab austro.* Significat Propheta totam Idumæam ab austro ad aquilonem (hujus enim limes videtur fuisse Dedan) a Chaldæis fore vastandam. Ita Maldonatus, et innuit S. Hieronymus.

14. DABO ULTIONEM SUPER IDUMÆAM PER MANUM POPULI MEI, — id est occasione, vel causa injuriæ populi mei, id est populo meo ab Idumæis illatæ. Ita Prado. *Secundo,* simplicius dicemus, quod Judæi ultionem sumpserint de Idumæis tempore Machabæorum, vel alias. Hoc enim plane hæc verba sonant, licet rei gestæ historia, ait Vatablus, in Scriptura scripta non exstet; uti nec plura alia a Prophetis dicta. Vide dicta *Jerem.* XLIX, 2. Vers. 14

SCIENT (id est experientur) VINDICTAM.

15. PRO EO QUOD FECERUNT PALÆSTINI. — Ab Idumæis transit ad Palæstinos, sive Philistinos, veteres Judæorum hostes (1). Vers. 15.

16. INTERFICIAM INTERFECTORES. — Ita vertunt et Aquila, et Symmachus, et Theodotion. *Interfectores* vocat Palæstinos, qui Judæos interficere solebant. Unde Chaldæus vertit : *Interficiam eos, qui morte digni sunt;* hebraice est, *interficiam Ceretim,* qui, ut et Peleti et Gethæi, videntur fuisse populi ex urbibus, vel locis Palæstinorum, dictis Geth, Pelet, Ceret, I *Reg.* XXX, 14, qui, quod essent bellicosissimi et fidelissimi, jamque, ut videtur, conversi ad Judaismum, factique proselyti, asciti sunt a Davide ad custodiam sui corporis, II *Reg.* XV, 18, uti jam ab exteris principibus asciscuntur Helvetii. Ita Hebræi, licet Ribera in *Sophon.* II, num. 11, censeat Ceretim non esse nomen proprium gentis, sed commune omnium Palæstinorum. Hos enim dici Ceretim, id est excisores; quia erant bellicosi et feri. Quæ sententia non est improbabilis. Sane hic, et alibi per Ceretim intelliguntur omnes Philistini, per synecdochen, qua ex parte totum intelligimus. Septuaginta, *Ceretim* vertunt *Cretenses.* Cretenses ergo hi sunt Cereti Palæstinæ incolæ jam dicti, qui coloniam duxerunt in Cretam insulam, indeque dicti sunt Cretenses, et regio eorum Creta. Unde et in Creta portus erat dictus Phœnix *Actor.* XVII, 12, a Phœnicibus, qui suos hos colonos, vel vicinos Ceretæos eo comitati sunt. Ita Prado. Non est ergo Vers. 16. Cretensium origo.

ex quo Israelitis graves fuerunt, II *Reg.* XIII, 20. Vastandos ac minuendos esse ab Assyriis sub Salmanasare aut Sennacheribo minatur Isaias, XV, 1 et seqq.; XVI, 14, cf. *Amos* II, 1 et seqq.; frangendos autem magis post Hierosolymorum excidium a Nabuchodonosore et Babyloniis, quos in oppugnandis Judæis adjuverant, II *Reg.* XXIV, 2, prænuntiat Jeremias, XXVII, 3; XLVIII, 1 et seqq.; et Noster hoc loco, qui Moabitis jungit Idumæos, propter peccatorum communicationem, disjungit judicia in utrosque exercenda quæ Moabitis denuntiat, vers. 9, 10, 11; Idumæis, vers. 12, 13, 14.

(1) Philistæi longe olim e Caphtoræorum et Casluchæorum regionibus in Palæstinam immigraverant (unde et appellati, nam פלש *phalasch,* Æthiopice est *migrare*) tractumque Chananææ maritimum australem a se occupatum inhabitabant, vid. *Gen.* cap. X, 14; *Deut.* II, 23; *Jerem.* XLVII, 4; *Amos* IX, 7. Inter eos Judæosque ab antiquissimis inde temporibus odium fuerat acerrimum, quod causam præbuit bellis inter eos longo temporis tractu gestis, vario eventu et successu, vide *Jud.* X, 7; XIII, 1; I *Reg.* XIV, 52; II *Reg.* VIII, 1; I *Paralip.* XVIII, 1; I *Reg.* IV, 21; II *Paralip.* XVII, 11; XXI, 16; XXVII, 6, 7; XXXVIII, 18; IV *Reg.* XVIII, 8.

quod quis cum S. Hieronymo miretur, cur Septuaginta hic verterint *Cretenses*; per eos enim intelligunt non Cretenses insulanos, sed Ceretim Palæstinos. Ceretim enim idem est quod Cretes et Cretenses. Porro Judæos et Palæstinos permultos in Cretam insulam transmigrasse, patet tum ex aliis, tum ex eo quod Josephus nobilis Judæus ex Creta uxorem acceperit. Sic enim scribit in fine Vitæ suæ : « Post eam duxi aliam mulierem Cretensem, Judæam genere, parentibus natam domi nobilissimis, et moribus inter cæteras eximiis. » Et Strabo, lib. X, Curetum sive Cretensium transmigrationem in alias terras, æque ac fortitudinem bellicam celebrat. An vero Cretenses insulani orti sint ex hisce Ceretæis Palæstinæ, an ex adverso hi ab illis (1), dissentiunt interpretes. Prius asserit Prado, posterius Scholiastes et Theodoretus, ex eo quod hic subditur : « Perdam reliquias maritimæ regionis; » in eo tamen conveniunt passim, quod hi Ceretim, sive Cretes fuerit gens particularis, quæ vel totam Palæstinam, vel partem ejus aliquam maritimam incoluerit. Ita censent Vatablus, I *Reg.* cap. x, Abulensis ibidem, *Quæst.* X, R. David, Mercerus et alii in *Lexic.*, ac Prado hic, et Pineda, lib. II *De Rebus Salom.* cap. IV. Quare non videtur verum quod aliqui, ut Avenarius in *Lexico*, censent Cerethi esse Cretam sive Curetam insulam, ita dictam ab Hebræo כרת *carat*, id est exscindere, occidere, eo quod Cretenses insulani essent bellicosissimi milites : indeque derivatum esse verbum Græcum κρατέω, et Latinum *certo*, quasi *Cretes* idem sint quod *certatores*, et κρατοῦντες, id est *potentes*, vincentes, dominantes. Certum est enim hic agi de Cretensibus incolis, non insulæ Cretæ, sed Palæstinæ. Sic et David, I *Reg.* cap. XXX, 14, ait se irruisse « ad meridiem Cerethi, » sive Cretæ, non insulæ (hæc enim ab eo toto mari erat semota), sed Palæstinæ : hæc enim erat vicina tribui Judæ, et Siceleg, in qua degebat David, profugus a Saule.

PERDAM RELIQUIAS MARITIMÆ REGIONIS. — Id est perdam Philistinos. Hi enim erant accolæ maris Mediterranei.

Tropologice, S. Hieronymus per Ammon accipit hæreticos, per Moab philosophos superbos, de quibus dicitur : « Perdam sapientiam sapientum, et intelligentiam intelligentium reprobabo. » Per Idumæam terrenam eos, qui relicto spiritu carnem sequuntur. Hos Deus subjiciet Judæ, id est rationi et spiritui : « Ut illi, inquit, conjuncta caro esse desistat, et Idumæa transeat in Judæam. Philistiim interpretantur cadentes poculo, qui et ipsi de aureo Babylonis calice inebriati sunt, et sæviunt, et toto animo Israeli insultant, ideoque a populo Dei divisi sunt. » Per hos ergo Turcæ et pagani accipi possunt, quos Deus tandem disperdet.

Moraliter, disce hoc capite, quam Deo displiceant immisericordia et invidia, quamque simili clade et calamitate puniat eos, qui aliorum calamitati non condolent, sed insultant. Ideo enim Ezechiel, Jeremias et Isaias, Moab, Ammon, Philistinis, Tyriis aliisque gentibus excidium intentant, quod in Judæorum clade et excidio non doluerint, sed exsultarint. Annibal et cœlitum et hominum odium sibi conscivit, dum inspecta humani sanguinis plena fossa, dixit : « Pulchrum hoc esse spectaculum. » Moraliter, de immisericordia et invidia.

Et Vitellius Cæsar, dum ob cadaveris fœtorem via declinantibus cæteris, ipse recta per acervum mortuorum profectus, dixit : « Optime olere hostem, et præsertim civem. » Ita Suetonius in *Vitellio*.

Magis vero Wenceslaus Imperator Bohemiæ rex, qui ita ferus fuit, ut assiduum penes se haberet carnificem, quem compatrem appellabat, quia filium ejus de sacro fonte levarat; et tam familiariter eo utebatur, ut aliquoties uno eodemque equo secum vehi illum passus fuerit, ait Dubravius, lib. XXIII. Quocirca merito a regni baronibus captus, et ab electoribus Imperio deturbatus est anno Domini 1400. Ita Æmilius, lib. X.

Ex adverso æque Deo et hominibus placet hostibus victis et afflictis compati, ac misereri. Illustres hac in re fuerunt Romani. Senatus enim Romanus Syphacem quondam opulentissimum Numidiæ regem, captivum in custodia Tibure mortuum publico funere censuit efferendum, ut vitæ dono honorem sepulturæ adjiceret. Consimili clementia in Perse usus est. Nam cum Albæ, in quam custodiæ causa relegatus erat, decessisset, quæstorem misit, qui eum publico funere efferret, ne reliquias regias jacere inhonoratas pateretur. Hostibus hæc, et miseris, et fato functis officia regibus erogata. Atque ut ab universis Patribus C. ad singulos veniam, L. Cornelius consul primo Punico bello, cum Olbiam oppidum cepisset, pro quo fortissime pugnans Hanno dux Carthaginensium occiderat, corpus ejus e tabernaculo suo amplo funere extulit : nec dubitavit hostis exsequias ipse celebrare; eam demum victoriam, et apud deos, et apud homines minimum invidiæ habituram credens, quæ plurimum humanitatis habuisset. Commiseratio Romanorum in hostes victos. L. Cornelii.

Age M. Marcelli clementia, quam clarum, quamque memorabile exemplum haberi debet! Qui M. Marcelli.

(1) Nomen inde sortitos esse, quod ortu Cretenses fuerint, Lackmacher *Observatt. philolog.* part. II, Observat. II, § 5 et seq., argumentis haud improbabilibus evincere studuit, inter quæ illud minime est contemnendum, quod apud Stephanum Byzantinum (voce Gaza) luculenta exstat traditio, Cretenses, rege Minoe, expeditionem suscepisse istas in oras, et Gazam occupasse, quam Minoa appellaverint, unde apud illos templum reperiri Jovis Cretæi, *Marna* ab eis appellati. Cf. Vitringa, *Comment. ad Isai.* XIV, 28. Exigui est momenti quod sententiæ illi de ortu των כרתים, a Calmeto quoque docte defensæ (in *Dissert. de ortu Philistæorum eorumque diis*, Commentario in priorem Samuelis librum præmissa, opposuit J. D. Michaelis in *Spicileg. Geogr. hebr. ext.* part. I, pag. 281).

captis a se Syracusis, in arce earum constitit, ut urbis modo opulentissimæ, tunc afflictæ fortunam ex alto cerneret. Cæterum casum ejus lugubrem intuens, fletum cohibere non potuit. Quem si quis ignarus vir aspexisset, alterius victoriam esse credidisset. Itaque, Syracusana civitas, in maxima clade tua aliquid admixtum gratulationis habuisti : quia si tibi incolumi stare fas non erat, leviter sub tam mansueto victore cecidisti.

Pompeii. Pompeius regem Armeniæ Tigranem, qui et per se magna cum populo Romano bella gesserat, et infestissimum urbi nostræ Mithridatem Ponto pulsum viribus suis protexerat, in conspectu suo jacere supplicem diutius passus non est, sed benignis verbis recreatum, diadema, quod abjecerat, capiti reponere jussit, certisque rebus imperatis, in pristinum fortunæ habitum restituit; æque pulchrum esse judicans et vincere reges et facere.

Cæsaris. Catonis quoque morte Cæsar audita, et se invidere illius gloriæ, et illum suæ invidisse dixit: patrimoniumque ejus liberis ipsius incolume servavit.

M. Antonii. Marci autem Antonii animus talis humanitatis intellectu non caruit. M. enim Bruti corpus liberto suo sepeliendum tradidit, quoque honoratius crematur, injici ei suum paludamentum jussit, jacentem non hostem, sed civem, deposito existimans odio. Cumque interceptum a liberto paludamentum comperisset, ira percitus, protinus in eum animadvertit, hac ante præfatione usus : « Quid? tu ignorasti cujus tibi viri sepulturam commiserim? »

Annibalis. Annibal Æmilii Pauli apud Cannas trucidati quæsitum corpus, quantum in ipso fuit, intumulatum jacere passus non est. Idem Tiberium Gracchum Lucanorum circumventum insidiis, cum summo honore sepulturæ mandavit, et ossa ejus in patriam portanda militibus Romanis tradidit. Idem M. Marcellum in agro Brutio, dum conatus Pœnorum cupidius quam consideratius speculatur, interemptum legitimo jure extulit; Punico quoque sagulo, et corona donatum laurea rogo imposuit. Ita Valerius Maximus, lib. V, cap. I.

Agesilat. Agesilaus, audita suorum Spartanorum contra vicinos Corinthios victoria, sed utrinque cruenta, ingemuit : « Quot, inquit, perierunt Græciæ cives, qui barbarorum, ac præsertim Persarum, vires et incursus retundere potuissent! » Ita Plutarchus ni *Agesilao*.

Q. Fabii. Q. Fabius Maximus, qui cunctando Annibalem fregit, a clementia dictus est Ovicula, teste Plinio lib. *De Viris illustribus*.

CAPUT VIGESIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hoc capite, et duobus sequentibus transit Propheta ad Tyrum, eique idem, quod aliis gentibus minatur, excidium, eo quod invidens et æmula gloriæ Hierosolymæ, in ejus clade exultarit. Quocirca graphice Tyri clades describit. Inde, vers. 15, *asserit, quod insulæ, et principes, ac naves stupebunt in Tyri eversione. Idem Tyro comminatur Isaias, cap.* XXIII (*vide ibi dicta*); *Jeremias, cap.* XLVII, 3; *Amos, cap.* I, 9 (1).

1. Et factum est in undecimo anno, prima mensis, factus est sermo Domini ad me, dicens: 2. Fili hominis, pro eo quod dixit Tyrus de Jerusalem : Euge, confractæ sunt portæ populorum, conversa est ad me : implebor, deserta est. 3. Propterea hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego super te, Tyre, et ascendere faciam ad te gentes multas, sicut ascendit mare fluctuans. 4. Et dissipabunt muros Tyri, et destruent turres ejus : et radam pulverem ejus de ea, et dabo eam in limpidissimam petram. 5. Siccatio sagenarum erit in medio maris, quia ego locutus sum, ait Dominus Deus : et erit in direptionem gentibus. 6. Filiæ quoque ejus, quæ sunt in agro, gladio interficientur : et scient quia ego Dominus. 7. Quia hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego adducam ad Tyrum Nabuchodonosor regem Babylonis ab aquilone, regem regum, cum equis, et curribus, et equitibus, et cœtu, populoque magno. 8. Filias tuas, quæ sunt in agro, gladio interficiet : et circumdabit te munitionibus, et comportabit aggerem in

(1) In primo adversus Tyrios oraculo anno institutionis Ezechielis sexto dato, 1; Propheta, *primo*, perstringit Tyri gaudium de Hierosolymæ excidio et speratum hinc suæ amplitudinis incrementum, 2; *secundo*, summatim complectitur obsidionem, expugnationem et direptionem hujus urbis, 3-6; *tertio*, singillatim exponit apparatum et expeditionem contra eamdem a Nabuchodonosore susceptam, 7, 9; vim, devastationem et excidium cum civium luctu illatum urbi, 10, 14; terrorem hinc et stuporem in vicinas insulas et maritima emporia dispersum, 15-18; *quarto*, demum adjicit decretum de solitudine diu duratura, 19-21.

gyro : et elevabit contra te clypeum. 9. Et vineas, et arietes temperabit in muros tuos, et turres tuas destruet in armatura sua. 10. Inundatione equorum ejus operiet te pulvis eorum : a sonitu equitum, et rotarum, et curruum, movebuntur muri tui, cum ingressus fuerit portas tuas quasi per introitum urbis dissipatæ. 11. Ungulis equorum suorum conculcabit omnes plateas tuas : populum tuum gladio cædet, et statuæ tuæ nobiles in terram corruent. 12. Vastabunt opes tuas, diripient negotiationes tuas : et destruent muros tuos, et domos tuas præclaras subvertent : et lapides tuos, et ligna tua, et pulverem tuum in medio aquarum ponent. 13. Et quiescere faciam multitudinem canticorum tuorum, et sonitus citharārum tuarum non audietur amplius. 14. Et dabo te in limpidissimam petram, siccatio sagenarum eris, nec ædificaberis ultra : quia ego locutus sum, ait Dominus Deus. 15. Hæc dicit Dominus Deus Tyro : Numquid non a sonitu ruinæ tuæ, et gemitu interfectorum tuorum cum occisi fuerint, in medio tui commovebuntur insulæ? 16. Et descendent de sedibus suis omnes principes maris : et auferent exuvias suas, et vestimenta sua varia abjicient, et induentur stupore : in terra sedebunt, et attoniti super repentino casu tuo admirabuntur. 17. Et assumentes super te lamentum, dicent tibi : Quomodo peristi, quæ habitas in mari, urbs inclyta, quæ fuisti fortis in mari cum habitatoribus tuis, quos formidabant universi? 18. Nunc stupebunt naves in die pavoris tui : et turbabuntur insulæ in mari, eo quod nullus egrediatur ex te. 19. Quia hæc dicit Dominus Deus : Cum dedero te urbem desolatam sicut civitates, quæ non habitantur : et adduxero super te abyssum, et operuerint te aquæ multæ : 20. et detraxero te cum his, qui descendunt in lacum ad populum sempiternum, et collocavero te in terra novissima sicut solitudines veteres, cum his qui deducuntur in lacum, ut non habiteris : porro cum dedero gloriam in terra viventium, 21. in nihilum redigam te, et non eris, et requisita non invenieris ultra in sempiternum, dicit Dominus Deus.

Vers. 1. 1. UNDECIMO ANNO — a captivitate Joachin, qui fuit quoque annus 11 regni Sedeciæ, quo anno a Chaldæis expugnata et eversa est Jerusalem, qui rursus fuit annus 18 Nabuchodonosoris. Ergo illo anno necdum erat obsessa Tyrus. Nam, vers. 3, ait : « Ascendere faciam ad te gentes multas ; » et vers. 7 : « Adducam ad Tyrum Nabuchodonosor. » Falluntur ergo, qui eam obsessam volunt anno 7 Nabuchodonosoris. Idem patebit cap. XXIX, vers. 17 (1).

PRIMA DIE MENSIS, — scilicet quinti, quando Tyrus jam accipere intra 20 dies potuerat nuntium, de Jerusalem expugnata 9 die mensis quarti præcedentis, ut habetur IV *Reg.* XXV, 1. Ex circumstantiis ergo temporis recte conjicit R. David, Prado et alii, quintum mensem hic notari. Itaque Tyrus, gaudens de excidio Jerusalem, dixit (2) :

Vers. 2. 2. CONFRACTÆ SUNT PORTÆ POPULORUM, — id est confractæ sunt portæ Jerusalem, ad quam omni ex parte gentes conveniunt quasi ad mercaturæ,

(1) Ex ordine temporis, ut bene notat Rosenmuller, post vaticinia anno nono exsilii sui a Propheta prmulgata (cap. XXIV et seqq.), nunc sequi debebat prophetia contra Ægyptum, anno decimo pronuntiata, infra XXIX, 1. Sed quoniam Tyrus prius fuit destruenda, et illius destructæ merces Ægyptus futura erat Nabuchodonosori, XXIX, 18, 19, comminatio Tyri delendæ, licet serius pronuntiata, ante comminationem de Ægypto vastanda ponitur. Vid. Lightfooti *Chronolog. vet. Test.* in ejus *Opp.* vol. I, pag. 125.

(2) Tres Tyros distinguunt geographi, Palætyrum, Tyrum insulam, et Tyrum annexam continenti ; Palætyrus, quæ et Tyrus vetus Latinis dicitur, triginta stadia aberat a Tyro insula, austrum versus, teste Strabone *Geograph.* lib XVI. Quæ de Tyro per Nabuchodonosorem vastanda ab Ezechiele prænuntiantur, sola de *Palætyro* intelligenda esse, post Marshamum in *Can. Chronol.* ad sec. XVIII ; et Perizonium, *Origg. Babylon.* part. II, pag. 76, pluribus demonstrare studuit Vitringa in *Notitia Tyri* præmissa, *Comment. ad Isai.* XXIII, vol. I. Sunt sane in nostro vaticinio quædam, quæ magis conveniunt urbi in continente quam in mari sitæ ; veluti quod infra vers. 10, 11, Nabuchodonosor cum equis, curribus, equitibus urbem intraturus describitur ; porro quod idem ille adversus eam aggerem congesturus dicitur, vers. 8, nec non quod ei *suburbia* tribuuntur, XXVII, 28. Contra solam in Tyrum insularem cadit, quod infra vers. 5, urbs destructa comparatur loco siccandis retibus destinato in *medio mari ;* tum quod XXVII, 4, 25, 26, diserte in corde maris בלב ימים *beleb iamim* sita dicitur. Etsi enim satis notum est, לב et תוך non præcise *medium* rei alicujus notare ; illud tamen negari vix poterit, indicari ista loquendi formula, rem, de qua sermo est, cingi undique illa re, in cujus corde est. Porro infra vers. 6, *filiæ Tyri* quæ sunt in *agro,* id est oppida a metropoli pendentia, quæ erant in *continente,* opponuntur Tyro in mari exstructæ. Præterea Tyrum insularem jam olim, diu ante Nabuchodonosoris tempora, exstitisse, patet ex eo quod Josephus narrat, *Antiq.* lib. IX, cap. XIV, tempore Salmanasaris Sidonem Acoem, et Palætyrum defecisse a Tyriis ad Assyrios ; unde liquet, Tyrum aliquam a Palætyro distinctam jam tum fuisse, et Assyrium, graviter offensum, quod Tyrii se ei non submitterent, mox reversum in Phœnicem, illos ad obsequium coacturum sexaginta navibus aggressum esse, sed irrito conatu. Cf. Relandi

et religionis celeberrimum emporium. Hinc eam per portas denotat. Unde Vatablus et Maldonatus vertunt et explicant, *q. d.* Confracta est urbs portarum, vel urbs, quæ erat portæ populorum. Urbem enim vocat portas, eo quod undique portas haberet, per quas circumquaque populi omnes ad eam confluebant. Aliter quoque Maldonatus, *q. d. Urbs portarum*, id est urbs ex qua omnes populi portam aliquam suam denominant. Solent enim minores urbes ex majoribus portas, quibus ad eas itur, appellare, ut in multis Galliæ urbibus aliqua porta Parisiensis vocatur.

CONVERSA EST (scilicet illa populi frequentia et negotiatio, a Jerusalem) AD ME — Tyrum.

IMPLEBOR — opibus et mercibus, quia vastata est Jerusalem, *q. d.* Ejus evacuatio erit mea impletio; ejus vastitas erit mea celebritas; ejus ignominia erit mea gloria.

Mundus unum spoliat ut alium ditet.

Moraliter, intuere hic mundi inopiam, conditionem et praxim : non ornat hos, quin spoliet illos : si quem opibus cumulat, alium premit egestate : non potest impleri hic, quin evacuetur ille; atque ita facit, ut unus alteri invideat, ejusque bonis inhiet. Ut sol dum unum hemisphærium sua luce illustrat, alteri tenebras offundit; atque uti in haustro dum una situla attollitur, altera deprimitur : ita in mundo nemo attolli potest et inclarescere, nisi alii deprimantur et obfuscentur, ait H. Pintus. E contrario Deus dives est in omnes. Unde de justo, qui in Deo habitans ditatur, ait Psaltes *Psalm.* CXI : « Gloria et divitiæ in domo ejus : et justitia ejus manet in sæculum sæculi. » Et *Psalm.* XXXVI : « Spera in Domino, et fac bonitatem : et inhabita terram, et pasceris in divitiis ejus. »

Vers. 3. 3. SUPER TE. — Vatablus, *contra te*, supple, veniam, vel virgam meam et gladium vibrabo.

MARE FLUCTUANS.— Significat Chaldæorum multitudinem, tumultum, fragorem, per fluctus Tyro, mari adjacenti, notissimos. Copias ergo Chaldæorum vocat fluctus, quia erant maximæ, plurimæ et sævissimæ. Sic et Jeremias, cap. XLVI, 9, copias Ægypti, et cap. LI, 42, copias Cyri vocat fluctus.

Vers. 4. 4. ET RADAM PULVEREM EJUS DE EA. — Est hyperbole, *q. d.* Tyrum evertam, et eradam usque ad fundamenta, faciam ut ne pulvis quidem in ea remaneat. Erat enim Tyrus exstructa in rupe, in medio mari. Incolæ vero terram ad fabricandum, et hortos construendos eo comportaverant, quam Deus dicit evertendam, imo radendam, ut rupes nuda relinquatur, qualis erat antequam urbs construeretur. Unde sequitur : « Dabo eam in limpidissimam petram, » hoc est, faciam ut in Tyro sola relinquatur limpidissima; Septuaginta, *nitidissima*, rupes, in qua constructa est (unde hebraice Tyrus dicitur צור *tsor*, id est *petra*) sitque tanta Tyri solitudo, ut in ea piscatores sagenas suas madefactas extendant et exsiccent. Ita Theodoretus. Hoc est, quod subdit : « Siccatio sagenarum erit, » Tyrus. Nulla ergo urbs, nullus mercator, nullus princeps glorietur suo robore, suis opibus, suis civibus, suis clientelis; licet enim iis abundet quasi Tyrus, et quasi mare aquis, tamen si Deum offendat, facile ab eo omnibus spoliabitur, et in siccam limpidamque petram redigetur.

6. FILIÆ QUOQUE EJUS. — Hoc est Sidon, et aliæ urbes et vici Tyro quasi metropoli subjecti. Hæ enim ab Hebræis vocantur filiæ, sicut ipsa metropolis vocatur mater.

7. REGEM REGUM. — Ita vocat Nabuchodonosorem, qui multos reges habebat subjectos. Unde Megasthenes apud Josephum, X *Antiq.* XIII, contendit Nabuchodonosorem fortitudine et rerum gestarum magnitudine superasse Herculem. De quo plura *Daniel.* II, 37. Alii per *regem regum* intelligunt Alexandrum Magnum, qui post Nabuchodonosorem, anno 243, Tyrum expugnavit. Quem Paulus Orosius vocat magnum miseriarum gurgitem, et totius Orientis atrocissimum turbinem. Nota : Putant multi Tyrum a Nabuchodonosore esse expugnatam paulo post Jerusalem, scilicet anno 23 Nabuchodonosoris, cum ipse Tyrum obsedisset tres annos cum dimidio, teste Philostrato apud Josephum. Unde *Isaiæ* XXIII, 17, dicitur post 70 annos Tyrus reædificanda, scilicet cum Jerusalem, a Cyro : sed falluntur; nam 13 annis fuit obsessa Tyrus, et capta anno 35 Nabuchodonosoris, uti ostendam cap. XXIX, 17.

Alexander turbo orbis, et miseriarum gurges.

8. ELEVABIT CONTRA TE CLYPEUM, — ut eo contra tua tela se protegat, cum te invadet; vel, *q. d.* Sublatis consertisque clypeis milites contra te testudinem de more facient, per quam in muros tuos inscendant urbem invasuri. Testudo enim erat continuata clypeorum series a militibus subjectis curvata in formam animalis quod testudo vocatur. Unde Livius : « Ipse scalas ferri ad muros ab omni parte muri jussit, ac testudine ad portas successit; » « testudine, » id est continuata clypeorum crate super capita. Idem, lib. IV *De Bello Maced.*: « Sublatis deinde supra capita scutis, continuatisque ita inter se, ut non modo ad cæcos ictus, sed ne ad inserendum quidem ex propinquo telum, loci quidquam esset, testudine facta subibant. »

9. VINEAS. — Erant quasi magni corbes ex vimine (hinc vocantur vineæ, quasi vimineæ) quibus obsidentes se tegebant, et ex iis tuti penetrabant ad murorum fundamenta subruenda. Ita Vegetius, lib. IV, cap. XV. Aliter Vatablus vertit, sci-

Palæst. pag. 1051 et seqq., qui inter alia plura apposite observat, veteres, Tyri antiquitatem celebrantes, nunquam adnotare, se de Palætyro loqui, sed de clara illa ac insulari Tyro. Quæ cum ita sint, nos quidem Ezechielis vaticinium non dubitamus Tyrum illam insularem, jam ab antiquissimis inde temporibus cultam et celebrem, potissimum spectare, ita tamen ut et Palætyrum, tanquam partem illius simul respiciat, sicuti et Plinius ambitum Tyri inclusa Palætyro describit. Et ipsum illud tempus obsidionis videtur indicare de Tyro insula agi. Palætyrum non credo ei tantum negotii potuisse facessere. (Rosenmuller.)

licet, *tormentum feriendi*. Hebræum enim מחח *macha* significat delere, evertere. Hinc מחי *mechi* significat tormentum evertens muros.

ET ARIETES. — Aries priscis bombardas et tormenta ænea non habentibus, erat trabs armata ferro instar arietis, quæ impulsu multorum militum mœnia percutiebat, nec ulla turris tam valida erat, aut murus, qui licet primos arietis ictus sustinuisset, assiduos vinceret, ait Josephus, III *Belli*, IX. Vide arietis formam apud Lipsium, lib. *De Militia Rom.* Septuaginta vertunt, λόγχας, id est *lanceas;* R. Salomon balistas, quæ lapides in muros ejaculantur.

Vers. 10. 10. INUNDATIONE EQUORUM, — id est, ut Septuaginta, *multitudine equorum operiet te pulvis eorum, q. d.* Tam multi equites Chaldæi te invadent, tantumque pulveris ungulis suis excitabunt, ut tota pulvere tegi et obnubilari videaris. Sic ait Isaias, cap. XC, vers. 6 : « Inundatio camelorum operiet te. »

A SONITU (præ sonitu) EQUITUM. — Vix credat, nisi expertus, quantus sit fragor et terror equitum, urbe vi capta discurrentium, tum ut forum, plateas, vicos locaque omnia refugii occupent; tum ut milites et incolas ne fuga evadant, comprehendant; tum ut resistere volentes percellant. Vidi ego, et audivi hæc in Belgio Trajecti ad Mosam degens, cum ea urbs ab Hispanis vi caperetur. Sane videbar mihi videre et audire fragorem et terrorem, qui erit in ultimo mundi die.

Vers. 11. 11. STATUÆ TUÆ NOBILES (id est trophæa tua, vel imagines clarorum virorum) IN TERRAM CORRUENT. — Ita Vatablus. Hæ enim hebraice vocantur מצבות *mattsebot*, id est statuæ. Tales sunt columnæ, pyramides et arcus triumphales, quales hic Romæ videmus : nimirum columna Trajani 120 pedum altitudinis, et tanta crassitie, ut interius per cochleam ab imo in summum ascendatur, in qua victoriæ omnes Trajani exsculptæ sunt. Item columna Antonini, pyramides Ægyptiæ ante templum S. Petri, ante basilicam Lateranensem, et ante ecclesiam S. Mariæ Majorem. Item arcus Titi et Vespasiani de devicta Judæa, arcus Septimi Severi, ad radices Capitolii; arcus Constantini de devicto Maxentio (1).

Aliter Prado : per *mattsebot* enim accipit idola quæ Tyrii tam anxie custodiebant, ne hostili carmine avocati eorum dii, aut indignati discederent, ut vinculis ea annecterent. Erant hæc simulacra Herculis et Apollinis, teste Curtio, lib. IV *De Vita Alexandri*, et Plutarcho, *problem.* 61. Septuaginta vertunt, *substantiam fortitudinis tuæ;* et R. David, *turres fortitudinis tuæ.*

13. ET QUIESCERE FACIAM MULTITUDINEM CANTICORUM TUORUM, — quibus tu, o Tyre mercatrix, quasi meretrix, mercatores ad te pellicis. Vide dicta *Isaiæ* XXIII, 15 et 16.

14. NEC ÆDIFICABERIS ULTRA. — Dices : *Isaiæ* XXIII, 17, dicitur Tyrus instauranda post 70 annos. Respondet S. Hieronymus, instauratam fuisse Tyrum in urbem, sed non in regnum; nam Tyrus deinceps subfuit Chaldæis, Græcis, Romanis; *secundo*, respondet Scholiastes, cives Tyri omnes pene fuisse deletos, ac proinde postea aliam fuisse quasi Tyrum, quæ ab alia hominum natione, aliis legibus et moribus, imo, ut aliqui volunt, alio loco instaurata sit; *tertio* et plane, Hebræum עוד *od*, id est *amplius*, significat tempus jubilæi, id est sæculum 50 annorum (ut patet *Exodi* XXI, 6) intra quod Tyrus non est ædificata, sed post annos 70. Ita Theodoretus. Vide dicta *Isaiæ* XXIII, 15 (2).

15. A SONITU RUINÆ. — Est hyperbole, *q. d.* Sicut, turre ruente, omnia vicina commoventur ita, Tyro ruente, vicinæ insulæ, id est insulani, ad famam et nuntium vastationis Tyri commoti sunt, id est commovebuntur pavore et admiratione. Vers. 15.

16. DESCENDENT DE SEDIBUS SUIS, — ut sedeant in terra more lugentium. Vers. 16.

PRINCIPES MARIS, — id est vicinarum insularum, quæ in mari sunt æque ac Tyrus.

EXUVIAS SUAS. — Hebraice מעיליהם *meilehem*, id est, pallia sua; Septuaginta, *coronas et diademata sua.*

ATTONITI SUPER REPENTINO CASU TUO. — Repentini enim et improvisi casus acerbiores sunt. Hinc Adrianus Imperator annulum gestabat, quem aiebat fuisse Drusi Germanici, cui insculptum erat : « Illis gravis est fortuna, quibus est repentina. » Et Seneca : « Gravius, ait, nocet quodcumque inexpertum accidit : melius est præcavere quam cavere. » Hoc est quod ait S. Augustinus lib. *De Singular. Clericor.* : « Ubicumque fuerit providentia, frustrantur universa contraria : ubi autem providentia negligitur, omnia contraria dominantur. » Si ergo sapis, utere consilio, quod est oculus futurorum, eoque futura dispice et prospice. Repentini casus acerbi.

17. ET ASSUMENTES SUPER TE LAMENTUM. — Simile lamentum Babyloni excisæ inducit Isaias cap. XIV, 10. Vers. 17.

(1) Vox hebræa *mattsebot*, potest etiam verti *columnas*. Nam Herodotis testimonio, lib. II, cap. XLIV, in templo Tyriano duæ erant columnæ una ex auro, altera ex smaragdis conflata, quas quidem columnas Tyrii ut tutamen suæ urbis forsan habebant.

(2) Cæterum cum Ezechiele, Tyro desolationem minanti, inquit Rosenmuller, pugnare videtur Isaias, qui XXIII, 17, Tyrum per septuaginta tantummodo annos oblivioni tradendam, iisque absolutis ad quæstum suum redituram esse dicit. Et vere Tyrum tam a Nabuchodonosore, quam ab Alexandro Magno destructam iterum renatam esse constat. Neque vero noster locus, pergit idem auctor, Nabuchodonosorem ait fore eum qui Tyrum ita sit vastaturus, ut non amplius sit habitanda, sed hoc dicit Deus, fore aliquando tempus, quo urbs desolata prorsus jaceret. Morem hunc esse prophetarum, ut in vaticiniis suis ad propinquum simul et remotum tempus respiciant, adeoque prophetias, ad sæcula longe remota spectantes, aliis quæ tempora proxima tangunt, immisceri, jam observatum a pluribus.

Tropologice, hoc lamentum animæ excelsæ, quæ in peccatum mortale prolabitur, recte adaptat S. Hieronymus.

18. IN DIE PAVORIS TUI. — Septuaginta, *in die ruinæ tuæ.*

19. ABYSSUM. — Chaldæus, exercitum immensum, ut operiant te aquæ multæ, id est multi hostes et populi, ac consequenter multæ ærumnæ, gravesque et profundæ clades. Sic ait Psaltes *Psalm.* XLI, 8 : « Abyssus abyssum invocat, in voce cataractarum tuarum, » id est una afflictio alteram secum trahit, dum tu, Domine, cataractas tuas aperis, et pluis in nos calamitates.

20. QUI DESCENDUNT IN LACUM, — id est in foveam et sepulcrum.

AD POPULUM SEMPITERNUM. — Hebraice, *ad populum sæculi*, id est ad populum jam olim a multis sæculis mortuum, qui dormit somnum sempiternum, ut ait Jeremias cap. LI, 57, quos proinde vocat «mortuos sempiternos,» *Thren.* III, 6; *secundo, q. d.* Cum descendentibus in lacum, id est in infernum, ad æternum ignem destinatis constituam te, in sempiternum arsuram. Ita S. Hieronymus et R. Salomon.

IN TERRA NOVISSIMA. — Hebraice תחתיות *tachtiot*, id est inferiori, scilicet in sepulcro et inferno (1).

SICUT SOLITUDINES VETERES, — id est similem ruinis urbium antiquis, quarum vix ullum cernitur vestigium. Ita Maldonatus.

CUM DEDERO GLORIAM IN TERRA VIVENTIUM, — cum restituero felicitatem et gloriam pristinam Hierosolymæ, ex quo omnes meam potentiam glorificabunt. Unde Chaldæus vertit : *Gaudium in terra Israel dabo.*

Jerusalem vocatur terra viventium tres ob causas.

Vocatur Jerusalem terra viventium, *primo*, quod in ea coleretur Deus verus et vivus, qui sui cultores sibi similes facit viventes, uti idola mortua faciunt stupidos.

Secundo, quia in Jerusalem sepulti erant fideles et justi, post modicum tempus resurrecturi in vitam æternam, *Isaiæ* XXVI, 20; *Apoc.* VI, 9.

Tertio, q. d. Tu, Tyre, insultasti Hierosolymæ, quod jam esset terra mortis et mortuorum : ecce faciam ut tu descendas in lacum, et sis terra mortuorum : Jerusalem vero sit terra viventium, cum reflorescet hominum viventium numero et gloria. Ita R. David, Maldonatus, Prado et alii. Alii explicant, *q. d. Cum dedero gloriam in terra viventium*, id est, cum in tui punitione et excidio gloriam meæ vindictæ et potentiæ ubique terrarum ostendero. Hic commentarium suum cum vita finiit noster Prado, transiitque ad terram viventium.

(1) Hoc loco cum Tyrus quasi in orcum, sedem mortuorum demittenda dicatur, vi oppositionis *terra viventium*, sensu strictiori de *terra Judaica* est capiendum, ejus malis Tyrus lætabatur, quamque ut mortuam descriptam habebat. (Rosenmuller.)

21. IN NIHILUM REDIGAM TE, — «te,» id est tuam gloriam, imperium, opes, delicias, palatia, merces, etc., ut amplius non sint, nec in sua forma et essentia existant, et quoad eam quasi annihilentur. Nam quoad materiam primam, certum est eam non annihilari. Res ergo dicuntur annihilari, cum earum species, forma et decor perit, ita ut quasi ad materiam primam et ad rude chaos, ex quo prodierunt, redigantur. Unde explicans subdit : « Et non eris, et requisita non invenieris ultra in sempiternum. » Hic finis Tyri inclytæ. Hic finis regum, regnorum, opum, honorum et pomparum mundi. Sic *Apocal.* cap. XVII, 11, de regno Antichristi et mundi, dicitur : « Bestia quæ erat, et non est; » de Deo vero ejusque regno dicitur *Apocal.* I, 4 : « Qui est, qui erat, et qui venturus est. » Et *Daniel.* VII, 27 : « Cujus regnum, regnum sempiternum est, et omnes reges servient ei et obedient. » Hoc est ergo elogium, hoc nomen regis et cujusvis hominis defuncti : « Fuit, et non est. » Dei vero et Beatorum : « Fuit, est, et erit in perpetuum. » Sic transit gloria mundi : sic durat gloria cœli. Vers. 21.

Exstat epitaphium cujusdam regis Franciæ acutum et patheticum hac de re, quod citat Delrio *adag.* 8, estque tale :

Risi, ploro. Fui, non sum. Studui, requiesco.
Lusi, non ludo. Cecini, nunc mutio. Pavi
Corpus, alo vermes. Vigilavi, dormio. Dixi,
Salve, dico Vale. Rapui, rapior. Superavi,
Vincor. Certavi, pace utor. Jure ego vixi,
Jure igitur morior : non obsto, obstare nequirem.
Terra fui quondam, rursum sum terra. Nihil sum.
Terra caduca vale, vermes salvete, recumbo.

Hoc erit et epitaphium cujusque nostrum. Quam sapiens qui caduca, et mox casura spernit, ac æterna jugiter mansura ambit! Audi epitaphium Romæ captæ, et vastatæ a Genserico rege Gothorum, sub Honorio Imperatore, anno Domini 410; quod inaudiens et ingemiscens S. Hieronymus in Bethlehem, ita orditur Proœmium lib. III *Comment. in Ezechielem* : «Nihil longum est quod finem habet, et omnis retro temporum series transacta non prodest, nisi forte bonorum operum sibi viaticum præparaverit, quæ semper ad futura, imo ad æterna respiciunt, et nullis terminis coarctantur. Vera sententia : omnia orta occidunt, et aucta senescunt. Et alibi : Nihil est enim opere et manu factum, quod non conficiat et consumat vetustas. Quis crederet, ut totius orbis exstructa victoriis Roma corrueret, ut ipsa suis populis, et mater fieret, et sepulcrum? ut tota Orientis, Ægypti, Africæ littora, olim dominatricis urbis servorum et ancillarum numero complerentur? ut quotidie sancta Bethlehem, nobiles quondam utriusque sexus atque omnibus divitiis affluentes susciperet mendicantes? Quibus quoniam opem ferre non possumus, condolemus, et lacrymas lacrymis jungimus : occupatique sancti operis sarcina, dum sine gemitu confluentes videre non pati-

mur, explanationes in Ezechielem, et pene omne studium omisimus; Scripturarumque cupimus verba in opera vertere; et non dicere sancta, sed facere.»

CAPUT VIGESIMUM SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Tyri naves, opes, merces, superbiam, ideoque excidium quasi naufragium describit; ut quo major ejus fuit gloria, eo major ejusdem ruina appareat. Primo ergo ejus merces, et gentes Tyrum ad mercatum venientes recenset. Deinde, vers. 26, *omnium horum ruinam et rapinam prænuntiat, ideoque Tyrum fore materiam lamenti gentibus omnibus asseverat* (1).

1. Et factum est verbum Domini ad me, dicens: 2. Tu ergo, fili hominis, assume super Tyrum lamentum: 3. Et dices Tyro, quæ habitat in introitu maris, negotiationi populorum ad insulas multas: Hæc dicit Dominus Deus: O Tyre, tu dixisti: Perfecti decoris ego sum, 4. et in corde maris sita. Finitimi tui, qui te ædificaverunt, impleverunt decorem tuum: 5. abietibus de Sanir exstruxerunt te cum omnibus tabulatis maris: cedrum de Libano tulerunt ut facerent tibi malum. 6. Quercus de Basan dolaverunt in remos tuos: et transtra tua fecerunt tibi ex ebore Indico, et prætoriola de insulis Italiæ. 7. Byssus varia de Ægypto texta est tibi in velum ut poneretur in malo: hyacinthus et purpura de insulis Elisa facta sunt operimentum tuum. 8. Habitatores Sidonis et Aradii fuerunt remiges tui: sapientes tui, Tyre, facti sunt gubernatores tui. 9. Senes Giblii, et prudentes ejus, habuerunt nautas ad ministerium variæ supellectilis tuæ: omnes naves maris, et nautæ earum, fuerunt in populo negotiationis tuæ. 10. Persæ, et Lydii, et Libyes erant in exercitu tuo viri bellatores tui: clypeum et galeam suspenderunt in te pro ornatu tuo. 11. Filii Aradii cum exercitu tuo erant super muros tuos in circuitu: sed et Pygmæi, qui erant in turribus tuis, pharetras suas suspenderunt in muris tuis per gyrum: ipsi compleverunt pulchritudinem tuam. 12. Carthaginenses negotiatores tui, a multitudine cunctarum divitiarum, argento, ferro, stanno, plumboque repleverunt nundinas tuas. 13. Græcia, Thubal, et Mosoch, ipsi institores tui: mancipia, et vasa ærea advexerunt populo tuo. 14. De domo Thogorma, equos, et equites, et mulos adduxerunt ad forum tuum. 15. Filii Dedan negotiatores tui: insulæ multæ negotiatio manus tuæ: dentes eburneos, et ebeninos commutaverunt in pretio tuo. 16. Syrus negotiator tuus propter multitudinem operum tuorum, gemmam, et purpuram, et scutulata, et byssum, et sericum, et chodchod proposuerunt in mercatu tuo. 17. Juda et terra Israel ipsi institores tui in frumento primo, balsamum, et mel, et oleum, et resinam proposuerunt in nundinis tuis. 18. Damascenus negotiator tuus in multitudine operum tuorum, in multitudine diversarum opum, in vino pingui, in lanis coloris optimi. 19. Dan, et Græcia, et Mosel in nundinis tuis proposuerunt ferrum fabrefactum: stacte et calamus in negotiatione tua. 20. Dedan institores tui in tapetibus ad sedendum. 21. Arabia, et universi principes Cedar, ipsi negotiatores manus tuæ: cum agnis, et arietibus, et hædis venerunt ad te negotiatores

(1) In isto secundo adversus Tyrum oraculo, Propheta, PRIMO, graphice exponit jactantiam Tyriorum sibi complacentium, *primo*, de pulchritudine aspectu urbis, 1-4; *secundo*, de navium soliditate et ornatu, 5-7; *tertio*, de servitiis populorum, ejus commercio et tuitioni impensis, 8-11; *quarto*, de negotiatione omnigena et lucrosissima, cum omnibus nationibus habita, 12-25.

SECUNDO, describit tristem fortunæ conversionem, *primo*, per naufragia classium et urbis, 26, 27; *secundo*, per dejectorum navarchorum et remigum ploratus et lamenta, 28-31; *tertio*, per carmen quasi funebre de urbis ruina ac interitu, 32-36.

Pauca ad explanationem textus in assignandis veris populorum et urbium nominibus et locis, annotabimus. Qui plura desideraverit, perlegere poterit D. Calmeti *Commentaria*, Rosenmuller *Scholia*, J. D. Michaelis *Supplem.* et opus G. Guil. Meyer theologi Altorfini in *Bibliotheca Theologica Gottingensi*, a C. F. Stœudlin edita, vol. IV, pag. 19 et seqq., pag. 296 et seqq., et pag. 572 et seqq.

tui. 22. Venditores Saba, et Reema, ipsi negotiatores tui : cum universis primis aromatibus, et lapide pretioso, et auro, quod proposuerunt in mercatu tuo. 23. Haran, et Chene, et Eden, negotiatores tui : Saba, Assur, et Chelmad, venditores tui; 24. ipsi negotiatores tui multifariam involucris hyacinthi, et polymitorum, gazarumque pretiosarum, quæ obvolutæ et astrictæ erant funibus : cedros quoque habebant in negotiationibus tuis. 25. Naves maris, principes tui in negotiatione tua : et repleta es, et glorificata nimis in corde maris. 26. In aquis multis adduxerunt te remiges tui : ventus Auster contrivit te in corde maris. 27. Divitiæ tuæ, et thesauri tui, et multiplex instrumentum tuum, nautæ tui et gubernatores tui, qui tenebant supellectilem tuam, et populo tuo præerant : viri quoque bellatores tui, qui erant in te cum universa multitudine tua, quæ est in medio tui : cadent in corde maris in die ruinæ tuæ. 28. A sonitu clamoris gubernatorum tuorum conturbabuntur classes : 29. Et descendent de navibus suis omnes qui tenebant remum : nautæ et universi gubernatores maris in terra stabunt : 30. et ejulabunt super te voce magna, et clamabunt amare : et superjacient pulverem capitibus suis, et cinere conspergentur. 31. Et radent super te calvitium, et accingentur ciliciis : et plorabunt te in amaritudine animæ ploratu amarissimo. 32. Et assument super te carmen lugubre, et plangent te : Quæ est ut Tyrus, quæ obmutuit in medio maris? 33. Quæ in exitu negotiationum tuarum de mari implesti populos multos : in multitudine divitiarum tuarum, et populorum tuorum ditasti reges terræ. 34. Nunc contrita es a mari, in profundis aquarum opes tuæ, et omnis multitudo tua, quæ erat in medio tui, ceciderunt. 35. Universi habitatores insularum obstupuerunt super te : et reges earum omnes tempestate perculsi mutaverunt vultus. 36. Negotiatores populorum sibilaverunt super te : ad nihilum deducta es, et non eris usque in perpetuum.

Vers. 2. 2. ASSUME LAMENTUM. — Hebraice נשׂא *sa*, id est assume, eleva, attolle voces lamentabiles, ex affectu commiserationis erga tantam cladem Tyri.

Vers. 3. 3. QUÆ HABITAT IN INTROITU MARIS. — Hebraice : *Quæ habitat juxta ostia*, id est portus maris. Erat enim insula multorum portuum, inquit Vatablus.

NEGOTIATIONI. — Tyrus, ait S. Hieronymus, dicitur hic *negotiatio*, id est celeberrimum emporium negotiationis, « populorum ad insulas multas, » cujus negotiatores scilicet erant potentes et opulenti et principes. *Secundo*, Maldonatus et Vatablus, « negotiationi, » aiunt, id est negotiatrici, quæ cum insulis et populis remotissimis negotiatur.

Primum Tyri peccatum, superbia.

PERFECTI DECORIS EGO SUM. — *Primum* crimen Tyri, ait S. Hieronymus, est superbia, quod suam pulchritudinem non Dei putet esse, sed suæ industriæ et virtutis. *Secundo*, quod perfectam sibi arroget pulchritudinem, *q. d.* Sum urbium pulcherrima, sum ocellus orbis, ita sum pulchra, ut nihil mihi addi possit, quod solius est Dei, ait Dionysius, cap. IV *De Divin. Nom.*

Vers. 4. 4. ET IN CORDE MARIS SITA, — in medio mari, *q. d.* Dixisti superbe, o Tyre : Ego sum munitissima æque ac speciosissima domina ac regina maris, circumquaque mari cæruleo circumdata, et quasi coronata, *Isaiæ* XXIII, 8. Erat enim Tyrus rotunda forma super rupem durissimam (unde et hebraice צור *tsor*, Chaldaice תור *tor*, latine *Tyrus* dicitur, *q. d.* Rupes, vel saxum) undique quasi insula mari cincta, quatuor stadiis, id est 500 passibus, id est medio milliari distans a terra. Sed Nabuchodonosor, et post Alexander, terra, lignis, lapidibus mare una ex parte implevit, ut Tyrus pedibus adiri et expugnari posset, sicque ex insula fecit peninsulam. Ita S. Hieronymus, Plinius lib. V, cap. XIX, et Curtius, lib. IV. Vide quæ de Tyri opibus et gloria dixi *Isaiæ* XXIII, initio capitis.

Mystice, Tyrus sunt angustiæ (has enim significat Hebræum צור *tsor*, id est Tyrus) istius mundi, qui in maligno est positus, et variis perturbationibus, quasi fluctibus coarctatur atque percutitur, ait S. Hieronymus. Quæ ergo de Tyro hic dicuntur ad litteram, mystice mundo adapta.

FINITIMI TUI, QUI TE ÆDIFICAVERUNT, IMPLEVERUNT DECOREM TUUM. — Vatablus, *absolverunt pulchritudinem tuam*, id est omnibus ornamentis te exornarunt, quidquid in orbe pulchrum erat in te contulerunt. Certum est, ait ex Beroso Adrichomius in *Descriptione Terræ Sanctæ, in Tyro*, Tyrum dictam et conditam paulo post diluvium a Tyras, qui septimus fuit filiorum Japhet : postea a Sidoniis fuit aucta, teste Justino, lib. XVIII. Unde S. Hieronymus vocat Tyrum coloniam Sidoniorum. Pro *finitimi tui* hebraice est גבליך *gebulaich*, id est *termini tui*, id est habitantes in terminis tuis, hoc est accolæ finitimi tui : puta Sidonii, Giblii, etc. Verum Vatablus proprie τὸ *termini* ca-

pit, jungitque præcedentibus, ac vertit : *In medio mari sunt termini tui.* Sic vertunt et Septuaginta in editione Complutensi. Verum S. Hieronymus asserit Septuaginta vertisse : *Beelim filii tui circumdederunt tibi decorem tuum,* additque eos corrupte legisse *Beelim* pro *gebulaich;* et בניך *banaich,* id est filii tui, pro בוניך *bonaich,* id est ædificatores tui. Noster tamen Vilalpando, prosequens hoc cap. et sequenti Commentarium P. Prado, contendit studio id ab eis factum esse, suggerente Spiritu Sancto, ut significarent quod Tyrus non Deo, sed Baalim acceptum tulerit suum decorem; vel potius, quod filii, id est cives Tyri, eam exornarint superbis templis, ædificatis Baal et Astarthæ. Unde Septuaginta in editione Romana Caraffæ ita habent : *Tu dixisti : Ego circumdedi mihi decorem meum in corde maris, ipsi Beelim* (vel *Baalim*) *filii tui circumdederunt tibi decorem.* Baal erat Saturnus, cui pueros ingenuos immolabant, ait Q. Curtius lib. IV, *q. d.* Hic ornatus tuus, o Tyre, non ornatus, sed potius infamis est turpitudo, et sacrilegum infanticidium, imo parricidium.

5. ARIETIBUS DE SANIR. — Loquitur tropice, ait S. Hieronymus, de Tyro maritima quasi de navi (Tyri enim gloria erat in navibus), malo, velis, remis omnique re instructissima, ut significet urbis opes, quæ austro, id est Nabuchodonosoris furore, illisa, naufragium fecit. Porro Sanir, vel Sarion est mons Hermon, qui Sanir dicitur, id est nivosus, ait Chaldæus, quia nivibus semper riget, ideoque dicitur Chermon, sive Hermon, id est perditus, excisus, sterilis, ait Masius; vel, ut Vilalpando, quia valle a Libano dividitur, et quasi succiditur.

Sanir et Hermon unde dicti?

Nota : Per has abietes significat potentes, magnates et gubernatores urbis.

CUM OMNIBUS TABULATIS MARIS. — Navis enim duo tabulata, id est duos tabularum ordines, habet, *q. d.* Omnes navium, id est domorum tuarum tabulæ, erant abiegnæ. Hinc hebraice est לחתים *luchotaim,* quod est duale, *q. d.* Duæ tabulæ, puta duo tabularum ordines : Noster per diastolen legit לחת ים *luchot iam,* id est tabulas vel tabulata maris (1).

MALUM. — Aliqui intelligunt templum Jovis Olympii, et alia in Tyro ædificata.

6. TRANSTRA — dicuntur quasi transversim strata : sunt tigna, quæ in navi vel domo transversim posita, latera connectunt et stringunt. Septuaginta vertunt, ἱερά, id est *templa* : quia, ut Sextus Pompeius, templum est tignum transversum in quo sedent remiges. Transtra ergo, ait Cæsar, sunt remigum sedilia; hæc lignea, superbe ebore in laminas secto et cælato operuerunt et exornarunt Tyrii. Aliqui, ait Theodoretus, vertunt, *cornu tuum,* id est robur, et vires tuæ, scilicet, idola tua et religio : quæ est robur reipublicæ; indeque forte Septuaginta vertunt, *templa,* scilicet idolorum.

EX EBORE INDICO. — Nam, ut Virgilius :

> India mittit ebur, molles sua thura Sabæi;
> At Chalybes duri ferrum, virosaque Pontus
> Castorea.

ET PRÆTORIOLA. — Prætorium, Suetonio in *Caligula,* est magnificum conclave, vel domus suburbana. Significat ergo hic magnifica palatia, cœnacula, conclavia, suburbana æque ac urbana Tyrios ædificasse lignis pretiosis advectis ex Italia. Unde Septuaginta et Aquila vertunt, *domos nemorosas.* Prætorium enim proprie vocabatur magnifica et ampla domus in agro et ruri exstructa, in quæ ædificia, pecunias ingentes effundebant. Audi Suetonium in *Caligula,* cap. XXXVII : « In exstructionibus prætoriorum atque villarum, omni posthabita ratione, nihil tam efficere concupiscebat, quam quod effici posse negaretur. » Idem in *Augusto,* cap. LXXII : « Ampla et operosa prætoria gravabatur, » hoc est, iniquo animo ferebat Augustus villas quasdam elegantius et sumptuosius exstructas. Palladius, lib. I : « Ipsius etiam prætorii situs sit loco aliquatenus erectiore et sicciore quam cætera, propter injuriam fundamentorum, et ut læto fruatur aspectu. » Quia enim prætores, utpote exercitus duces, sæpe degebant in agris, ibique splendidas ædificabant ædes; hinc quævis aliorum fabricæ similes a pari vocatæ sunt prætoria; et si minores essent, prætoriola. Hinc Ezechiel prætoriola hæc, id est conclavia splendida, ponit in navi : navi enim comparat Tyrum, utpote maritimam : ejus ergo palatia, et augustas fabricas vocat prætoriola.

ITALIÆ. — Hebraice est *Cetim,* quod non tantum Cyprum, sed et Italiam significat, uti ostendi *Num.* XXIV, 24. Chaldæus vertit, *de insulis Apuliæ,* id est ex Cypro, Creta, Sicilia, aliisque Apuliæ et Italiæ vicinis.

7. BYSSUS VARIA DE ÆGYPTO TEXTA EST TIBI IN VELUM. — Significat tapetes et alia similia Tyrum ex Ægypto afferri solita, ait Theodoretus. *Secundo,* Vilalpando : Navis, ait, est tyrannis; malus est rex; funes sunt principes et duces, qui regem sustinent; velum sunt instructæ acies. Sed nota non esse necesse singula applicare. Tantum enim per pretiosam hanc omnem navis supellectilem, significat pretiosas urbis fabricas, domos, arces, templa, mœnia, omnemque urbis supellectilem, opes et merces : cumque tantus esset Tyri luxus, facile fieri potuit, ut revera in navibus vela ex bysso, transtra ex ebore fierent.

Mystice S. Hieronymus : Per byssum significatur terra, quia ex terra oritur; per hyacinthum aer; per purpuram mare, ex quo conficitur; ad-

(1) Alii intelligunt duas navis extremitates, puppim et proram. Ita Dathius, qui *aplustria* vertit, id est ornamenta illa quæ solent esse in prora et puppi navis.

dito coccino bis tincto, quod ignem suo rubore repræsentat, quibus pontificis vestimenta texuntur. Hæc ergo quatuor significant « quatuor elementa. terram, aerem, aquam et ignem, ex quibus constant omnia, quæ sibi assumit Tyrus, ut Dei creatoris non utatur cum gratia, sed dicat : Perfecti decoris ego sum ; vel, Decorem mihi ipsa circumdedi. »

HYACINTHUS, — id est lana et pannus hyacinthini, id est violacei coloris, de quo dixi *Exodi* cap. XXV, 3.

DE INSULIS ELISA, — id est Græciæ, ait Theodoretus, maxime iis quæ sunt in mari Ionio, ait S. Hieronymus. Elisa enim fuit filius Javan, a quo culta et nuncupata est Græcia : hæc enim hebraice vocatur *Javan*. Imo ab Elisa, aliqui Æoles dictos putant. Chaldæus Elisa vertit, *insulas Italiæ ;* alii, *fortunatas insulas,* quæ Elysiæ dicuntur ob amœnitatem et ubertatem, maxime arborum et pomorum aureorum, quæ ibi sæpius in anno matuescunt. Licet enim Tyrus in se abundaret purpura (eaque esset optima et nominatissima, unde vocatur Tyria, et Sarranum ostrum), tamen illa aliunde quoque eo advehebatur, quasi ad commune emporium, ut inde in omnes regiones distraheretur. Vilalpando per insulas Elisa accipit urbes et insulas Hispaniæ juxta Gades, et Xerizium : ibi enim ab Homero primitus positos fuisse Campos Elysios, ob loci amœnitatem et fertilitatem. Unde ibi est Lethæus fluvius, vulgo *Guadalete*, quem ad Elysios campos constituunt Virgilius, VI *Æneid.*, et Strabo lib. I. Ita et Pineda lib. IV *De Rebus Salom.* cap. XIV. Quin et Joannes Annius in *Berosi*, lib. V *in nono rege Assyr.*, inde Bætin et Bæticam Hispaniæ dictam censet. « Bætus, inquit, ab Aramæis interpretatur locus vitæ felicis. Est enim Bætica Hispanis deliciarum hortus, et ab Homero Campus Elysius usque in angustias Oceani Gadium, dictus. A Bæto ergo, id est vitæ meæ felici duce, Bætica, quasi Beatica, Hispania, et Bætis fluvius in Oceanum fluens, dictus est. » Ita ipse, sed incertæ et suspectæ fidei.

OPERIMENTUM TUUM, — quo operiebas et ornabas tum te, id est tuos cives iis vestiens ; tum tuas domos, aulas et cubicula insternens byssinis et purpureis aulæis, sedibus, pulvillis, etc.

8. ARADII, — incolæ insulæ Arados juxta Tyrum, quam condidit Aradius, nonus filius Chanaan, *Genes.* X, 18. Septuaginta vertunt : *Principes tui Sidonii* (qui scilicet olim tibi imperabant, nunc) *cum Aradiis sunt remiges tui.*

Mystice, Aradii hebraice significant deponentes, Sidonii venatores, de quibus dicitur *Psalm.* CXXIII : « Anima nostra erepta est de laqueo venantium ; » hebraice *Sidonim*, id est Sidoniorum. « Hi, ergo, sunt qui venantur animas incautas in sublimi positas, ut ad terrena deducant, et efficiantur remiges, ut ducant eas ad naufragia, » ait S. Hieronymus.

9. SENES GIBLII, — Gobel, vel Gebal (*Psal.* LXXXII, 8 : « Gebal, et Ammon, et Amalec, cum habitantibus Tyrum ») est Giblus, vel Biblus urbs Phœniciæ, unde incolæ dicti sunt Giblii, vel Biblii, aut Gebalii. Septuaginta vertunt, πρεσβύτεροι βιβλίων ; quod ambigue vertit eorum Interpres, *senes Bibliorum ;* et male Scholiastes, *senes in libris.* Biblii enim non sunt Biblia, nec libri ; sed gens jam dicta, quæ nobiles habebat fabros lignarios : unde Giblii præciderunt ligna Salomoni in fabrica templi, III *Regum*, V, 18. Hebraice est : *Senes Gebal, et sapientes ejus instauraverunt in te rimas tuas,* ne scilicet navis tua aquam admitteret ; navis, inquam, tum proprie dicta, quia abundas navibus in mari ; tum metaphorice, scilicet urbs, et respublica tua. Unde Septuaginta vertunt : *Senes Biblii, et sapientes eorum qui erant in te, confortabant consilium tuum.* Nimirum boni consiliarii suo consilio rempublicam quasi navem, ab omnibus procellis tutam in omni periculo et calamitate, ne rimas agat, conservant.

OMNES NAVES MARIS, ET NAUTÆ EARUM FUERUNT IN POPULO NEGOTIATIONIS TUÆ. — Ex Hebræo clare sic vertas : *Omnes naves maris, et remiges earum fuerunt in te, ad negotiandum negotiationem tuam,* vel ad distrahendum merces tuas ; Septuaginta : *Facti sunt tibi in Occidentem Occidentis.* Hebræum enim ערב *arab* significat spondere, contrahere, negotiari, et generaliter commisceri : hinc significat etiam vesperam, sive Occidentem, quando miscentur lux et tenebræ. S. Hieronymus et Theodoretus sic explicant : Mercatores ad te venerunt ex omnibus, etiam remotissimis regionibus occidentalibus, puta ex Hispania, inquit Pineda lib. IV *De Rebus Salom.* cap. V. Tartessus enim urbs Hispaniæ ad Gades, fuit colonia Tyriorum ; unde cum iis magna habebat commercia. Sic Canticum canticorum vocatur canticum maximum, pulcherrimum. Chaldæus vertit : *Omnes descendentes in mare, et nautæ eorum fuerunt remiges in te, q. d.* Tanta erat magnificentia et gloria tua, o Tyre, ut remiges tibi ascisceres eos, qui aliarum gentium fuerant nautæ, hoc est naucleri et gubernatores navium.

Tropologice Vilalpando : Mercator, ait, avarus vespera dicitur, vel Occidens ; *primo,* quia fraude et mendacio merces suas vendit, vel emit ; *secundo,* quia quasi lupus vespertinus pauperum bonis inhiat ; *tertio,* ob cæcitatem mentis, quam affert lucri cupiditas ; *quarto,* quia hæc lucri aviditas cum suis asseclis ducit eum ad tenebras æternas inferni. Ita S. Hieronymus.

10. PERSÆ ET LYDII, — *q. d.* Omnes populi serviebant tibi : viles quidem in rebus fabrilibus, ut Giblii, Aradii, Sidonii ; fortes vero et militares in bello, ut Persæ, Lydii et Afri : qui tempore belli tibi erant præsidio ; tempore vero pacis, suspensis galeis et clypeis, ornamento, ait Maldonatus. Vers. 10.

11. SED ET PYGMÆI. — Plinius, lib. VII, cap. II, scribit Pygmæos esse populos in extrema India Vers. 11. An Pyg-

salubri cœlo, et semper vernante, qui ternos dodrantes, sive spithamas non excedunt. Idem cum Aristotele, lib. VIII *Histor. animal.* XII, asserit eos pugnare cum gruibus. Unde et Ovidius lib. VI *Fastor.*

Nec quæ pygmæo sanguine gaudet avis,

id est grus. Fuse vero, *satyra* 3, Juvenalis de iis canit :

Ad subitas Thracum volucres, nubemque sonoram
Pygmæus parvis currit bellator in armis.
Mox impar hosti, raptusque per aera curvis
Unguibus a sæva fertur grue, etc. Ridet
Nemo, ubi tota cohors pede non est altior uno.

Quocirca Pygmæos hosce quasi monstruosos homines, admittit S. Augustinus, lib. XVI, cap. VIII. Addunt alii generare eos anno ætatis quinto, mori octavo. Verum hæc fabulosa esse probatur, *primo*, quia primus Pygmæorum auctor est Homerus poeta fabulosus, *Iliade* γ; ex eo enim sua habent Aristoteles, Plinius, Augustinus et alii. Unde Eustathius in Homerum scribens, ait eum per gruum comparationem Trojanorum tumultum amplificare : Pygmæos autem, tanquam jucundam fabulæ partem, more suo inducere. Item ex eo, et ex Suida docet Aldrovandus, lib. XX, cap. V.

Secundo. *Secundo*, quia hi auctores inter se dissentiunt de loco. Scholiastes enim Homeri ponit eos in media Ægypto : Plinius jam in Asia, jam in India, jam in Æthiopia. Aristoteles, Ammianus, Philostratus in terræ cavernis, quasi formicas.

Tertio. *Tertio*, quia illa ὀρνιθομαχία, scilicet pugna cum gruibus, uti et generatio, et alia his similia, fabulosa videntur. Tale est et istud Menalcæ apud Athenæum, lib. IX, cap. XIII, perdicibus pugnam esse cum Pygmæis, cum ex adverso Basilius scribat Pygmæos perdicibus inequitare, atque ita adversus grues in bellum exire. Quidni? tempore Theodosii Imperatoris ait Nicephorus lib. XII, cap. XXXVII, visus est homo perdicis magnitudine, utique Pygmæus.

Ita fabula fabulam, mendacium mendacium, uti fraga fragum, serit, sed et pariter interimit : fabulones enim et mendaces sibi statim contradicunt. Nanos pusillæ staturæ in aulis principum videmus, et tales crebro in Tartaria nasci narrant nostri Lusitani : sed hi monstra sunt, nec progeniem aut propaginem habent, ut gentem efficiant. Unde Martialis, lib. XIV, pumilionem ita pingit :

Si solum spectes hominis caput, Hectora credas :
Si stantem videas, Astyanacta putes.

Certe in tam parva ætate et statura non posse servari et propagari speciem humanam, docet Cardanus lib. VIII *De Varietate rerum*, cap. XL, ubi hanc Pygmæorum fabulam vult esse ortam a quodam simiarum genere : et Paulus Jovius, lib. *De Moscovitica legatione*, docet Pygmæos ultra Japonem esse, et magis ad simias, quam ad homines accedere. Et Albertus Magnus, lib. I *De Animal.* cap. III, omnem illis rationem adimit. Denique Gellius, lib. IX, cap. IV, Pygmæos inter fabulas et res incredulas reponit.

Quarto, quænam, quæso, hæc laus esset Tyri, quod homunculos Pygmæos haberet propugnatores? Respondet Lyranus eos positos fuisse non ad tutelam, sed ad irrisionem hostium : sicut Jebusæi in Sion posuerunt cæcos et claudos, quasi ipsi Sion validissimam per se contra Davidem defenderent, II *Reg.* V, 6. Sed quid opus Pygmæos ad hoc tam longe accersere? Poterant ad hoc ponere infantes, et μορμολυκεῖα, id est *larvas*, v. g. homines stramineos, quibus fugantur aves ne triticum carpant. Et quomodo de iis diceret Ezechiel : « Ipsi compleverunt pulchritudinem tuam? »

Quinto, Hispani et Lusitani, qui Indias omnes explorarunt, nullos viderunt Pygmæos. Rursum, ex omnibus geographis, qui curiose et studiose totum orbem lustrarunt, nemo est qui scribat vel asserat se Pygmæos hos vidisse; ergo nulli sunt. Non enim sunt tam parvi, ut sint invisibiles. Quinto.

Dices : Olaus Magnus, lib. II *De Gentibus Septentrion.* cap. XI, dicit etiamnum in septentrione exstare Pygmæos. Respondeo : Tantum dicit se a viris gravibus audisse, quod incolæ Gruntlandiæ pugnent cum gruibus, uti Pygmæos facere asserit Plinius. Itaque non diserte asserit incolas illos esse Pygmæos : nam etiam incolæ Germaniæ pugnant cum gruibus, dum eas sagittis, bombardis, hastis conficiunt, capiunt et occidunt, qui tamen non sunt Pygmæi. Adde : Olaus non dicit se id vidisse, sed audisse. Denique auctor hic plura habet fabulosa et incredibilia, uti dum tradit veros esse gryphes, qui anterius sint aquilæ, posterius leones, qui aurum effodiant, ex eoque nidos construant : unde ad aurum hoc diripiendum, contra eos in aciem prodire aliquot hominum millia. Quæ omnia falsa et fabulosa esse demonstravi *Levit.* XI, 13. Sane ex septentrione ob frigus, viros vastos et proceros, et gigantes potius quam pygmæos prodire videmus.

Dices *secundo* : In historia S. Macarii Romani in *Vitis Patr.* dicitur quod S. Macarius, pergens ad paradisum, invenerit gentem, quæ in altitudine habebat unum duntaxat cubitum, eamque vocat *Pichiti*, et *Pygmæos*. Respondeo illam historiam Baronio aliisque eruditis de falsitate esse suspectam. Nam in eadem narratur, quod S. Macarius proxime accesserit ad paradisum terrestrem, qui situs est, inquit, « ubi cœlum terræ jungitur : » et ante eum excubare Cherubim, « qui a pedibus usque ad umbilicum habet similitudinem hominis, pectus sicut leonis, manum sicut crystallum, » etc., quæ fabulas redolent. Adde, pro *Pichiti*, manuscriptus codex legit *Pytici*; unde Pytheci, unde cercophetici (uti annotavit P. Herbertus), quæ est species simiarum. Simiæ ergo fuerunt, non homines.

Sexto, quia hebraice est גמדים *gammadim*, quod Chaldæus vertit, *Cappadoces*; Septuaginta, *custodes*: Theodotion retinet Hebræum, *gammadim*; Noster, Aquila, Vatablus, Pagninus, Hugo et Lyranus vertunt, *Pygmæos*. Syrus et Arabicus uterque nullam hic Pygmæorum mentionem faciunt. Pygmæus ergo idem est quod πηχυαῖος, id est *cubitalis*. Ita Hesychius, Favorinus, Henricus, Stephanus, et alii in *Lexicis*. Porro dicuntur *cubitales*, non quod unum tantum cubitum essent alti, ut volunt auctores jam citati : non etiam, ut Forsterus, quod præ turrium, in quibus erant, altitudine, hominibus infra stantibus videntur esse unius cubiti, quanti vulgo putantur esse Pygmæi; sed quod quinos vel senos haberent cubitos staturæ, essentque maximi quasi gigantes : ita ut non pede, sicut passim alii viri, sed cubito mensurarentur. Sic hebraice אנשי המדה *anse hammidda*, id est viri mensuræ, I *Paral.* XX, 6, et alibi, vocantur non qui parvam, sed qui magnam habent staturam. Hinc S. Hieronymus hujus versionis auctor : « Pygmæi, ait, dicuntur ἀπὸ τῆς πυγμῆς, id est a lucta et certamine, » ut idem sit Pygmæus quod πυκτὴς, ἀπὸ τοῦ πυκτεύειν, id est pugil, a pugnando et luctando, *q. d.* Propheta : Pygmæi, id est pugiles bellicosissimi erant in Tyri præsidio. Talis Pygmæus, id est cubitalis, erat ille, de quo scribit Plinius, lib. VII, cap. XVI : « Invenimus in monumentis Salaminæ, Euthymenis filium in tria cubita triennio adolevisse. » Talis quoque *gammad*, id est cubitalis, fuit Og rex Basan, de quo dicitur *Deut.* III, 11 : « Monstratur lectus ejus ferreus, novem cubitos habens longitudinis, et quatuor latitudinis, ad mensuram cubiti virilis. » Talis fuit et « Goliath, » qui fuit « altitudinis sex cubitorum, et palmi, » I *Reg.* VII, 4. Gigantes enim, quia vasto corpore, validi erant et bellicosi, *Genes.* VI, 4. Hinc aliqui censent Hebræum *Gammadim* esse nomen proprium certæ gentis, quæ tunc erat illustris et bellicosa. Unde Marinus in *Lexico* vertit, *Gammadenses* : junguntur enim Persis, Lydis, Aradiis aliisque gentibus. Verum hanc gentem, et hocce ejus nomen nusquam reperire potui. Reperi apud Melam et Plinium, Gamphasantes Æthiopiæ populos : sed hi a *Gammadim*, uti nomine, ita et proprietate longe abeunt : fuerunt enim imbelles. Audi Plinium, lib. V, cap. VIII : « Gamphasantes nudi præliorumque expertes, nulli externo congregantur. » *Secundo* et germanius, *Gammadim* videntur dicti a radice *gomed*, id est cubito, quasi *Cubitantes*, id est luctantes (et πυγμὴ Polluci mensura est continens spatium quod est a cubito usque ad digitos clausos, quod alias πῆχυς dicitur), quia videntur fuisse bellatores validi, totique luctis et pugnis dediti. Sicut enim arietes pugnant cornibus, ideoque dicuntur cornutare, et vocantur cornutantes : sic *Gammadim* vocantur quasi cubitantes, id est cubitis, et cubitorum impulsione ac protrusione decertantes. Summa enim vis hominis est in cubitis, perinde ac jumentorum in cornibus. Tales cubitantes erant olim pugiles qui vocabantur Pancratiastæ, qui toto corpore, sed maxime cubitis certabant, sicut Acrochiristæ vocabantur, qui summis manibus et digitis duellabant; Pugiles vero, qui pugnis dimicabant. Non quod hi de turribus Tyri pugnarent solis cubitis : sed *Gammadim*, id est cubitantes, vocantur validi et pugnaces luctatores, robusti bellatores, in luctis armisque exerciti, per catachresin : sicut pugiles vocantur non tantum qui pugnis, sed qui gladiis, hastis, telis decertant. Pancratium, inquit Budæus (græce παγκράτιον, id est *omnia potens*), ludi et luctæ genus, ita dictum ex eo, quod advocatis omnibus corporis viribus, omniumque nervorum contentione transigitur. Calcibus enim etiam, et cubitis, non modo pugnis, pancratiastæ utebantur, omnique impetendi prehendendique modo. Unde Propertius, lib. III, *eleg.* XIV :

Et patitur duro vulnera pancratio.

Nam lucta pugilum et palæstritarum inde orta est, quod, ut Donatus ait, veteres ante usum ferri et armorum, cubitis, pugnis, calcibus, morsibus, corporumque luctatione certabant. Unde Lucretius, lib. V :

Arma antiqua manus, ungues dentesque fuerunt.

Idem annotavit Carolus Paschalius, lib. VI *De Coronis*, cap. XXIV. Ergo *Gammadim* hebraice idem sunt, quod græce Anconitæ et Pancratiastæ, latine *Cubitantes* : cubiti enim angulati, acuti, reflexi et duri, in homine sunt id quod cornua in ariete. Unde illud Homeri *Odyss.* γ : « Cubito innixus cubabo : » ex quo Ancus Martius quartus Romanorum rex nomen accepit, ait Servius. Ancus enim, græce ἀγκὼν, significat cubitum : unde *Ancus* latine « vocatur qui aduncum habet brachium, ut exporrigi non possit, » ait Festus, ab *ancone*, id est cubito incurvo; et ancilia dictæ sunt peltæ et scuta reflexa ad ἀγκῶνα, id est *cubitum*, ad quem circumaguntur. Cubitantes ergo dicuntur, quia ad cubitum ancilibus induti et tecti. Hinc rursum Homero *Iliade* ϛ ἀγκυλότοξοι vocantur sagittarii, qui arcu, instar cubiti, incurvo et inflexo utuntur : et ἀγκυλισταὶ, jaculatores qui jaculo adunco utuntur, quod ἀγκύλη dicitur, quia simile cubito reflexo; ἀγκύλη enim vocatur incurvatio cubiti. Insuper ancones in parietibus et in promontoriis dicuntur anguli, qui utrumque latus continent et tutantur. Unde Plinius de Ancona urbe Italiæ, ejus etymon ex situ assignans lib. III, cap. XIII : « In ipso, inquit, flectentis se oræ cubito sita. » Ancon enim græce est cubitus. Sicut igitur Ancona dicitur, quod in angulo inflexo quasi cubiti sita, totam illam Italiæ regionem tutetur; et sicut ancones tutantur parietes, et utramque maris oram : ita hi *Gammadim* validi bellatores, quasi ancones tutabantur Tyrum. Itaque vocantur *Gammadim*, id

Pygmæus idem quod cubitalis, id est procerus, quasi gigas.

est cubitantes, hoc est cubitis validi et pollentes (sub cubitis accipe vicinos armos et lacertos) atque scutati, et ancilibus ad cubitum armati; vel sagittarii arcu recurvo et adunco instar cubiti, tela jaculantes. Denique quasi ancones, fortissimi defensores et propugnatores Tyri : nam eos fuisse jaculatores patet ex eo quod sequitur : « Pharetras suas suspenderunt in muris tuis, » *q. d.* Sunt *Gammadim*, id est ad cubitum levi pelta armati et tecti, simulque arcus cubito tendentes. Nam jaciebant sagittas cubito flexuque tum brachii, tum arcus sui, iisque illæsi ipsi vulnerabant et lædebant hostes. Inde Symmachus vertit, *Medos*. Medi enim olim insignes fuerunt sagittarii. Unde Horatius, lib. II *Carm.* ode XVI : « Decori, ait; pharetra Medi. » Hinc ait Ezechiel : « Ipsi compleverunt pulchritudinem tuam. » Rursum Medi habitu et pugna fuerunt terribiles, et, ut Horatius ait lib. I *Carm.* ode XXIX, « horribiles. » Audi Herodotum lib. VI : « Athenienses, inquit, primi omnium Græcorum cursu in hostem usi sunt, primi sustinuerunt cernere Medica veste indutos, cum antehac vel audire nomen Medorum Græcis terror fuisset. » Videntur ergo hi Gammadim, id est cubitantes, fuisse certum genus hominum pugnax, totumque pugnis bellisque addictum, quales apud Romanos olim erant gladiatores, apud Davidem Cerethi et Pelethi; et nunc apud Polonos sunt Cozaki, apud Hungaros Haydones, apud Turcas Janizari. Id ita esse liquet ex S. Hieronymo, qui cum sit auctor nostræ versionis, et *Gammadim*, secutus Aquilam, verterit *Pygmæos*, diserte eos sic explicat in *Comment.* : « Pygmæi, inquit, id est bellatores, et ad bella promptissimi, ἀπὸ τῆς πυγμῆς, quæ græco sermone in certamen vertitur. » Quid clarius?

Denique *Gammadim* alludit ad radicem עמד *amad*, id est stetit, perstitit, constitit : affines enim sunt litteræ *ain* et *gimel*. Unde Syri, et etiamnum hebraizantes, pro *ain* dicunt *gain* : quin et Septuaginta, S. Hieronymus aliique veteres idipsum subinde fecerunt, cum pro עמורה *amora* transtulerunt *Gomorrha;* pro עמר *omor*, *gomor*. Sic *Gammadim* dicitur quasi עמדים *ammadim*, id est milites statarii, quales olim apud Romanos erant triarii, nunc sunt Helvetii. Hi enim maxime valent in bello defensivo : fortiter enim et constanter in statione sua consistunt, sinuntque se potius conscindi, quam ab ea discedant, et principem suum urbemve hosti dedant : unde solent collocari in præsidiis urbium. Hinc Septuaginta verterunt, *custodes tui*, *q. d.* Habuisti, o Tyre, in tui tutelam quidquid humanitus optari potest : habuisti enim mare pro fossa, rupem pro vallo, turres pro propugnaculis, *Gammadim* pro præsidiariis; sed nihil horum te contra Chaldæos, vel potius contra Deum Chaldæos immittentem tutari poterit. Habeas gigantes, qui cubitis constringentes hostes, eos collidant, uti leo stringens feram suis brachiis, eam collidit et occidit quasi pulicem; habeas Helvetios, habeas Cozakos, habeas Janizaros cubitis peltatos et pharetratos : omnes hosce exsufflabit Deus quasi muscas, ut ex te discant mortales, sua præsidia non in militibus, non in muris, non in tormentis, sed in uno Deo collocare, eumque peccatis suis iratum sibi per pœnitentiam reconciliare studeant : quod si fecerint, nec *Gammadim*, nec Helvetiis indigebunt, sed Deus eos contra omnes hostes, contra omnes milites pugnacissimos, contra omnes dæmones defendet et propugnabit, juxta illud *Proverb.* XVIII, 10 : « Turris fortissima nomen Domini; ad ipsum currit justus, et exaltabitur. »

12. CARTHAGINENSES. — Hebræum *Tharsis* significat mare, uti vertit hic Chaldæus, et omnes insulanos, vel transmarinos, quales maxime erant Carthaginenses, qui classibus suis omnia maria replebant, præsertim Tyrum. Carthago enim filia et colonia fuit Tyri. Apte ergo per Tharsis hic intelligitur Carthago. Vide dicta *Isaiæ* II, 16. Fuit hæc urbs æmula et terror Romani imperii, ait Cicero *pro Murena*. De ea sic canit Virgilius, I *Æneid.* : Vers. 12.

> Urbs antiqua fuit, Tyrii tenuere coloni,
> Carthago, Italiam contra, Tiberinaque longe
> Ostia, dives opum, studiisque asperrima belli.

Et Solinus, cap. XXX : « Urbem istam, inquit, ut Cato in senatoria oratione autumat, cum rex Hiarbas rerum in Libya potiretur, Elissa mulier exstruxit, domo Phœnix, et Karthadam dixit, quod Phœnicum ore exprimit civitatem novam. » *Kartha* enim idem est quod civitas, *hada* nova : pro quo Hebræi (quibus affinis est tam Phœnicum, quam ab iis prognata Punica lingua, teste S. Augustino,) dicunt *Kiriat chadas* vel *hadas*. Porro ex Karthada facta est Karthago, mutando *d* in *g* et *a* in *o*. Hinc a Stephano, lib. *De Urbibus*, vocatur καινὴ πόλις, id est *nova urbs;* et Virgilius, I *Æneid.*, idem ei dat epithetum, dum ait :

> Cernes
> Mœnia, surgentemque novæ Carthaginis arcem.

Græcis vocatur καρχηδὼν quasi καρθαχηδὼν. Figmentum ergo est Karthaginem dici a *Kartha*, id est taurinum tergus. Sic Hispani novam urbem quam condiderunt in India occidentali, vocarunt Carthaginem. Simili modo Dido Carthaginis conditrix, « vero nomine, ait Servius, Elissa ante dicta est : sed post interitum, a Phœnis Dido appellata fuit, id est virago, Punica lingua, sive dilecta; » et forte etiam ante interitum a דוד *dod*, id est dilectus : unde *David*, et illud *Psalm.* LXVII : « Rex virtutum dilecti, dilecti, » inquit P. Serarius in *Josue* II, Quæst. XXV, apud quem vide plura de nominibus hebræo-punicis (1).

(1) Juxta Rosenmuller, post Bochartum, *Geograph. sacr.* lib. III, cap. VII, et J. D. Michaelis *Spicileg.* part. I, pag. 82 et seqq., argumentis ita validis demonstravit G. G. Bredow in dissertatione peculiari super *Ophir* et

13. GRÆCIA. — Hebr. יון *javan*, idem est mutatis punctis, quod *Ionia*, id est Græcia, dicta *Javan*, a *Javan* quarto filio Japhet. Javan, ait S. Hieronymus, significat, *est, et non est*, quales tropologice sunt fallaces hæreses. Ad litteram Vilalpando: *Javan*, inquit, id est *est, et non est*, sunt Græci mercatores, qui jam sunt in hoc portu, jam non sunt, sed alio discedunt. Addit Alcazar, *Apocal.* cap. XVII, 7, pag. 812, in fine, hoc nomine notari Græcorum omnium inconstantiam, non ingeniorum modo, sed et fastus ac potentiæ.

THUBAL, — id est Iberi, puta Hispani. Ita S. Hieronymus. Vide dicta *Genes.* X, 2.

MOSOCH, — id est Cappadoces, quorum metropolis, quæ postea ab Augusto Cæsare Cæsarea appellata est, usque nunc lingua ipsorum *Macaza* dicitur; ita dicta a Mosoch, sexto filio Japhet, ait Josephus, I *Antiq.* VI.

ADVEXERUNT POPULO TUO. — Hebræa addunt בנפש *benephes*, id est *in animabus hominum*, hoc est cum periculo animarum, id est vitarum hominum. Hæc enim pericula subeunt mercatores (1).

14. DE DOMO (id est de natione et gente) THOGORMA, — id est Phrygiæ, qui equitatu valent, adeoque bigas primum junxit Phrygum natio, ait Plinius, lib. VII, cap. XVI. Ita Theodoretus et Josephus, I *Antiq.* VI. Thogorma enim fuit filius Gomer, *Genes.* X, 3, ex quo Tigranæi, qui a Græcis Phryges dicuntur, appellati creduntur, et hebraico verbo corrupto Turcæ, ait Maldonatus. Unde nonnulli hic Turcas accipiunt. Alii Germanos esse credunt. Unde Chaldæus vertit, *ex provincia Germaniæ*, quasi per aphæresin primæ syllabæ *Tho*, Thogorma idem sit quod Germania.

EQUOS ET EQUITES. — *Equites* vocat tum milites, tum aurigas, et qui currus et equos regunt, quales erant Phryges, qui quasi servi et mancipia, magis aurigationi quam militiæ serviebant, et ad hoc in foro Tyri vendebantur. Ita Maldonatus. *Secundo*, Vatablus per *equites* accipit agitandorum equorum magistros, qui nobiles juvenes docent modum equitandi, quos Galli vocant *les piqueurs* : hi prostabant in foro Tyri, ut artis equestris avidis suam artem et operam locarent et venderent; uti in foro Romano prostat turba colonorum et rusticorum. *Tertio*, et melius, Marinus in *Lexico*, et Pineda, lib. V *De Rebus Salom.* IX : « Equos, ait, equites et mulos. » Hebr. *susim*, *pharasim et peradim*, quæ profecto sunt tria equorum genera, quæ Tyri vendi solebant. *Primo*, *susim* significat equos communes et curules; *secundo*, *pharasim* significat equos militares, acres et bellicosos; *tertio*, *peradim*, quod Noster vertit « mulos, » est equi genus proprium Syriæ, aptum ad bellum et velox ad cursum, de quo Aristoteles lib. VI *Hist. anim.* cap. XXIV et XXXVI. Unde eo vehebantur reges et principes; uti Absalon ejusque fratres, II *Reg.* XIII, 29, et XVIII, 9. Hinc vocatur equus, quia generat : vocatur et mulus ab Aristotele, hebraice *pered*, id est separatus; quia separatum et peculiare est equorum genus, et quia mulo facie est simile, ut ait Aristoteles. Muli ergo hi Syriæ nostris sunt dissimiles, partimque equis, partim mulis nostris similes.

Porro equitem subinde poni pro equo ipso docent Latini, idque facit Virgilius, III *Georg.* :

> Impositi dorso, atque equitem (id est equum) docuere sub armis
> Insultare solo, et gressus glomerare superbos.

Sic Salomoni dicuntur fuisse « mille quadringenti currus, et duodecim millia equitum, » id est equorum militarium, qui hebraice *pharasim* vocantur, II *Paralip.* I, 14. *Pharasim* ergo nunc equum militarem, nunc equitem significat, qui פרש *paras*, id est calcaribus pungit et stimulat equum ad cursum.

15. FILII DEDAN. — Septuaginta, *filii Rhodiorum*. Ita et Polychronius, Theodoretus et Græci. Non quasi Septuaginta decepti sint similitudine litterarum Hebræarum *resch* et *daleth*, ut vult S. Hieronymus, sed quod a quarto filio Javan, Dedan dicto, dicta sit Dedan, quæ postea, corrupta voce, dicta est Redan, quam Græci suo idiomati aptantes, *Rhodon*, quasi rosæ hæc insula similitudinem habeat, vocaverunt. Maldonatus vult

Tarsis, Tarsis esse Hispaniam Bæticam, ut mirandum sit A. Th. Hartmannum in opere cæterum erudito contendere, nomine *Tarsis* designari ab Hebræis Ciliciam a metropoli ejus *Tarsus*, ortu Pauli nobili, nuncupatam, quæ et Vilalpandi in *Comment.* ad hunc locum est sententia. Nam Ciliciam unquam Tarsum appellatam fuisse, nullo plane veterum testimonio constat; a Phœnicibus autem illi regioni ab urbe Tarsus nomen inditum fuisse, ne verisimile quidem est, cum Tarsus neque portum habuerit, neque ad mare sita fuerit. Neque argenti venis illa regio ita fuit nobilitata, ut tanquam propria hujus metalli patria nominari Tarsus a Jeremia, X, 9; aut argentum in mercibus ejus numerari a Nostro potuisset. Contra nihil eorum quæ ex *Tarsis* Tyrum advecta hoc loco memorantur, in Hispania desideres, cui regioni et reliqua conveniunt, quæ in veteri Testamento passim de Tarsis prædicantur. Metallis a nostro vate, hoc loco enumeratis Hispaniam abundasse veteres uno ore testantur : « Metallis plumbi, ferri, æris, argenti, auri, tota ferme Hispania scatet, » ait Plinius, *Hist. nat.* lib. III, § 4.

(1) Mancipia ex Javan, id est Græcia et Ionica, in toto Oriente maximo in pretio fuisse, docet Bochartus, loco citato cap. III, pag. 175. « Et vasa ærea » hoc maxime teneri velim, neglectum ab interpretibus, inquit J. D. Michaelis, non de ære, sed de *vasis æneis*, id est de opere et artificio, non de materia Ezechielem loqui. Quas inter res in historia commerciorum multum interest; sæpe enim accidit, ut æris dives regio artifices non habeat, sed rude exportet; alia, metallo carens, manus habeat et ingenia rudique exterorum metallo formam et decus, et usum accommodat. Ex loco ergo Ezechielis verisimile, Græciam, quæ paulo post æris fabricandi solertia, ut statuarum pulchritudine omnes terrarum gentes superavit, jam ante Nabuchodonosorem ejusdem artificii rudimenta superasse, non in statuis quidem, sed in vasis et supellectile domestica, ut ære pulchre fabricata ab hac potissimum gente, Moschisque et Tibarenis Tyrii peterent.

Dedan urbem esse Idumææ, de qua *Jerem.* XXV, 23. Verum hæc Dedan alia est ab illa; nam hæc ponitur inter insulas; illa vero fuit in continenti, puta in Idumæa (1).

INSULÆ MULTÆ, NEGOTIATIO MANUS TUÆ, — id est tecum negotiationem exercuerunt. Ita Septuaginta.

EBENINOS, — factos ex ebeno, quod genus est ligni pretiosi; unde ex eo nunc fiunt rosaria pretiosa. Sola « India nigrum fert ebenum, » ait Virgilius II *Georg.* Sub India, ait Servius, et Æthiopiam, et vicinam Ægyptum Virgilius accepit. Ebenum est nigrum, solidum, pulchrum, nitore ac pondere lapidem referens: unde in aquis immersum mergitur, uriturque odore jucundo. Creditur esse tenuis substantiæ et abstergentis virtutis, ideoque oculorum caliginem discutere. Hinc priscis ebenum ita in pretio fuit, ut Neroni Imperatori ebenus quasi res rara allata sit. Herodotus scribit Æthiopes cum auro et ebore, centenas quoque phalangas ex ebeno, tertio quoque anno pensitasse. Ita ut in tributorum auctoritate tertia res fuerit ebenus, ait Plinius lib. XII, cap. IV. Chaldæus vertit, *pavones*.

COMMUTAVERUNT IN PRETIO TUO. — « In, » id est pro pretio tuo.

16. SYRUS. — Hebraice *Aram*. Aram fuit filius Sem, nepos Noe, a quo culta et dicta est Armenia. Nisi malis dictam Aram ab altitudine: רם *ram* enim significat altum, excelsum. Ita S. Hieronymus; Armenia enim est omnium terrarum altissima. Argumento est, quod in ea primum resederit arca, finiente diluvio, *Genes.* VIII, 4. Olim *Aram* vocabatur omnis Syria eique vicinæ regiones. Sic *Aram Dammesec* est Syria Damasci, id est Cœlesyria, quæ est inter Libanum et Antilibanum. *Aram naharaim* est Mesopotamia, quæ est inter duos fluvios, Tigrim et Euphraten. Septuaginta vertunt, *homo*, forte pro *Aram* legentes *Adam*, ut vult S. Hieronymus, vel, ut Vilalpando, quia Aramæi, teste S. Hieronymo, mercaturæ addictissimi, Adamæi, id est terreni, et terræ lucra quærentes, nuncupantur.

OPERUM TUORUM, — puta mercium: vel, ut Septuaginta, *mercatus tui;* Chaldæus, *divitiarum tuarum, q. d.* Ut emerent res, quæ in te miro artificio fiebant, præsertim purpuram, omne genus mercium ad te convehebant.

GEMMAM. — Ita Romana: ergo Theodoretus et Maldonatus male legunt *guttam*, id est balsamum, vel guttam myrrhæ, id est stacten, ut habent Septuaginta; quanquam Maldonatus ex R. David guttam interpretetur genus lapidis pretiosi et nigri, quem S. Hieronymus alibi *carbunculum* vertit.

ET SCUTULATA, — id est vestes squamatas, et quasi scutis distinctas, puta Phrygias varie acu pictas: hoc enim significat רקמה *ricma*.

CHODCHOD, — id est onyx, ait Theodoretus. S. Hieronymus, *Isaiæ* LIV, 12, *jaspidem* vertit; Chaldæus, *gemmas*. Hebræi quasvis pretiosas merces hoc nomine intelligunt. Polychronius, alabandenum, id est carbunculum, sive rubinum, de quo Plinius lib. XXXVII, VII. Sic et Vilalpando et Vatablus.

17. IN FRUMENTO, — id est frumenta proposuerunt in nundinis tuis. Hebraice enim ב *bet* ponitur pro את *et*, præsertim in verbis contactus (2). Vers. 17.

PRIMO, — id est optimo, præcipuo.

Assignat hic Ezechiel opes variarum gentium. Simili modo signanter Sidonius Apollinaris, *Panegyrico ad Majorianum Augustinum*, quid quæque gentes et regiones proferant, ita describit:

Fert Indus ebur, Chaldæus amomum,
Assyrius gemmas, Ser vellera, thura Sabæus,
Athis mel, Phœnix palmas, Lacedæmon olivam,
Argos equos, Epirus equas, pecuaria Gallus,
Arma Chalybs, frumenta Libys, Campanus Iacchum,
Aurum Lydus, Arabs guttam, Panchaia myrrham,
Pontus Castorea, blattam Tyrus, æra Corinthus,
Sardinia argentum, naves Hispania defert.

Sic et Pindarus in *Pythiis*, Lacedæmoni canes; Syriæ capras, Argis arma, Thebis currus, Siciliæ vehicula assignat. Et Virgilius, II *Georg.*:

Sola India nigrum
Fert ebenum: solis est thurea virga Sabæis,
Quid nemora Æthiopum molli canentia lana,
Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres?
Media fert tristes succos, tardumque saporem
Felicis mali.

Et mox Italiam omnibus præferens, ejus opes et proventus ita enarrat:

Sed gravidæ fruges, et Bacchi Massicus humor
Implevere: tenent oleæque, armentaque læta.
Hinc bellator equus campo sese arduus infert.
Hic ver assiduum, atque alienis mensibus æstas,
Bis gravidæ pecudes, bis pomis utilis arbos.
Hæc eadem argenti rivos, ærisque metalla,
Ostendit venis, atque auro plurima fluxit.
Hæc genus acre virum, Marsos, pubemque Sabellam
Extulit: hæc Decios, Marios, magnosque Camillos,
Scipiadas duros bello, et te maxime Cæsar.
Salve magna parens frugum Saturnia tellus,
Magna virum.

18. IN MULTITUDINE OPERUM TUORUM, — quia scilicet opera, v. g. vestes Tyrias, sive purpureas, quæ Vers. 18.

(1) Quæ hic memoratur *Dedan*, non est eadem cujus mentio facta supra cap. XXV, 13, infra vers. 20; *Jerem.* XXV, 23; XLIX, 8, urbs Idumææ mediterranea, cujus incolæ דדנים *didanim*, *Isai.* XXI, 13, et conditor *Dedan*, Abraham nepos, *Genes.* XXV, 3; sed intelligenda est alia *Dedan*, quam condidit *Dedan*, Regmæ filius, *Genes.* X, 7, quæ hodie *Daden* ad sinum Persicum, unde in Indiam commoda fuit navigatio; Indicæ enim sunt merces, quas Noster statim memorat, a Dedanitis Tyrum advectæ. (Rosenmuller.)

(2) Tyrum annonam petiisse maxime ex Judæa, patet quoque ex I *Reg.* V, 9, 11, et *Actor.* XII, 20. Nam etsi Phœnicia et ipsa tritici ferax fuit, Tyriæ civitatis territorium tamen angustius fuit, quam ut incolarum multitudini proventus ille sufficeret.

faciebas, o Tyre, vendebas Damascenis. Ita Polychronius et Theodoretus.

IN VINO PINGUI. — Aquila et Theodotion retinent vocem hebræam, vertuntque, *in vino de Chelbon*, quod Scholiastes censet esse urbem Malabam : unde videtur dicta Malvasia (vinum delicatissimum), sed Damascena, non Cretica : nam agitur hic de opibus Damasci Tyrum delatis.

COLORIS OPTIMI. — Hebraice צחר *tsachar*, id est nitidi, splendidi.

19. DAN, — urbs in finibus Israel, I *Reg.* III, 20, quæ postea Paneas, et in gratiam Tiberii Cæsaris dicta est Cæsarea Philippi, a Philippo Tetrarcha, fratre Herodis.

MOSEL. — Loci nomen : ubi is sit necdum inveni, et nemo explicat. Vatablus accipit Mosel ut appellativum, et vertit, *Græcus vagabundus*, id est huc illucque currens mercatus causa.

STACTE. — Myrrha stillatitia (στάζειν enim est stillare), quæ est purissima et optima. Hinc vocatur lacryma myrrhæ, uti lacryma vini præstantissima est et delicatissima.

CALAMUS, — non est cinnamomum, sed aliud aroma odoratum, de quo Plinius lib. XII, XXII.

20. IN TAPETIBUS AD SEDENDUM, — quibus utebantur tum in cubiculis iis vestitis domi manentes, tum curru iis instrato vecti. Chaldæus vertit, *vestibus pretiosis ad equitatum*. Scilicet hæc stragula pretiosa erant, quibus currus et equos tegebant et ornabant. Septuaginta vertunt, *jumentis electis ad currus*.

Vers. 21. 21. CEDAR, — Arabiæ regio, dicta a Cedar filio Ismaelis, ait S. Hieronymus.

NEGOTIATORES MANUS TUÆ, — id est manu data stipulantes tecum : vel potius, *q. d.* Ad manum tibi erant, id est vicini, et propinqui afferentes hædos et agnos ad tuas nundinas : aut, ut Maldonatus, qui pro te negotiabantur, quasi pro manibus et ministris tibi essent, uti vers. 15, dixit : « Insulæ multæ negotiatio manus tuæ. »

Vers. 22. 22. NEGOTIATORES TUI CUM UNIVERSIS PRIMIS AROMATIBUS. — Aromata vocantur non solum odores, sed et fructus odorati et medicati, sive omnes merces aromaticæ, ut cariophyllum, piper, cinnamomum, nux myristica, galbanum, stacte, thus, aloe, muscum, sandalum, mastix, ambra, balsamum, zinziber, cassia, etc., quæ olim ex Arabia et India Tyrum et Alexandriam, nunc Olysipponem devehuntur.

SABA. — Unde Arabes Sabæi.

REEMA, — urbs est Arabiæ Felicis.

23. HARAN, — id est Carrhæ Parthorum, ubi Crassus est cæsus.

CHENE, — Theodoretus vult esse Chalne, vel Chalanne, ubi turris Babel ædificata est, ut decurtate et corrupte dicatur *Chene* pro *Chalanne*; aut certe Babel vocata est hebraice *Chene*, id est cognominata, celebris : Septuaginta vertunt, *terram Chanaan*.

EDEN, — regio Syriæ amœnissima juxta Damascum, ut colligitur *Amos* I, 5, ex Hebræo, ubi Adamum formatum, et paradisum fuisse multi putant.

CHELMAD. — Chaldæus, *Media*.

24. MULTIFARIAM. — Hebraice במכללים *bemichlulim*, id est in universitate, vel omnimoda varietate mercium, v. g. pannorum, quos involvebant pretiosis « involucris » ex hyacintho, et funiculis ex serico astringebant : tantus erat Tyri luxus, tantæ opes. Ita S. Hieronymus et Theodoretus. Vers. 24.

25. NAVES MARIS, PRINCIPES TUI IN NEGOTIATIONE TUA. — Hebraice *naves tuæ sunt* שרות *sarot*, id est præcipuæ, scilicet eminent inter omnes omnium gentium naves. Hinc Plinius, lib. V, cap. XIII, Phœnices, quorum caput erat Tyrus, laudat, quasi inventores artis, *primo*, nauticæ; *secundo*, bellicæ; *tertio*, siderum; *quarto*, litterarum. Vers. 25.

Noster vertit, « tui, » *q. d.* Principes tui sunt quasi naves, quia sua industria omnes merces et opes in urbem convehunt, id est convehi curant, *q. d.* Principes tui negotiantur navibus maris, iisque se ditant : vel, ut alii, *q. d.* Naves, quæ in mari pro te negotiantur, principes tui sunt, id est principum tuorum : hoc est negotiatores et nautæ tui non sunt pauperes aut plebeii, sed principes. Vel, ut Vilalpandus : *Principes tui sunt quasi naves*, quia sicut navis fert merces, quæ navi nihil conferunt, imo sæpe obsunt, et eam mergunt : sic principum divitiæ, honos, et reipublicæ administratio ipsis gravi ponderi, et sæpe exitio est, non levamini aut consolationi, *Eccle.* V, 12. *Quinto* et simplicissime, ac aptissime ad Hebræum, *q. d.* Naves tuæ sunt principes tui, id est principem primumque locum tenent in tua negotiatione, ut videantur esse principes tuæ mercaturæ.

GLORIFICATA ES, — potest ex Hebræo verti, *aggravata es*, scilicet quasi navis tuis mercibus et opibus, quibus gloriaris : unde iis demersa et oppressa naufragium fecisti, ut sequitur.

26. IN AQUIS MULTIS ADDUXERUNT TE REMIGES TUI, — *q. d.* Sicut triremis valde onerata, si in altum mare ducatur a remigibus, periculo exponitur ne vento, et fluctibus, et suo onere mergatur : ita tui, o Tyre, gubernatores volentes te in altitudinem gloriæ et opum evehere, exposuerunt te periculo excidii.

Secundo, in aquas multas, scilicet calamitatum, vel populorum, et militum Nabuchodonosoris gubernatores te induxerunt; dum eos divitiarum suarum et rerum copia allexerunt ad tui obsidionem et expugnationem.

VENTUS AUSTER CONTRIVIT TE, — id est conteret te, quasi arborem in medio mari super rupem plantatam; in hanc enim sævit, imo furit auster. Hic est Nabuchodonosor, quem recte comparat austro, quia ipse ab expugnatione Jerusalem, quæ sita erat ad austrum, Tyrum venit. *Secundo*, auster procellosissimus apte procellas, tempestates et naufragia Tyri significat. Unde austrum ab hauriendis aquis dictum volunt. Ita Polychronius,

Theodoretus et S. Hieronymus, qui ait : « Omnes divitiæ Tyri, flante austro, dispereunt. »

Vers. 27. 27. INSTRUMENTUM TUUM, — omnes sarcinæ tuæ, omnes capsæ mercibus plenæ, omnis supellex, ait Maldonatus. Vatablus vertit, *omnis negotiatio tua*, id est omnes merces et opes tuæ, quas negotiando acquisivisti.

Vers. 28. 28. A SONITU CLAMORIS GUBERNATORUM TUORUM CONTURBABUNTUR CLASSES, — *q. d.* Uti, navi in naufragio pereunte, clamant nautæ et gubernatores, ita ut conturbentur aliæ naves et classes, idem sibi naufragium pertimescentes : ita ad tuam, o Tyre, cladem, et in clade ejulatum et clamorem, turbatæ sunt aliæ urbes et regna.

Secundo, proprie, *q. d.* Aliæ naves et classes, quæ ad te merces advehebant, videntes te everti, conturbabuntur et descendent e navibus suis ad terram, ut sequitur.

Mystice S. Hieronymus : « Quidam, ait, ridicule gubernatores Episcopos hæreticorum, consiliarios presbyteros, proretas archidiaconos, remiges atque nautas diaconos interpretantur; rectores vero ad cunctum populum referunt : quod si addidissent nauclerum diabolum, implessent tragœdiam. Qui omnes ejulabunt pariter, postquam senserint naufragium navis suæ, et in terra steterint, omnemque decorem falsi nominis scientiæ amiserint, et pro gaudio atque lætitia, in cordis amaritudine pœnitentiam mœrore signaverint. »

Vers. 31. 31. RADENT, — radendo caput facient calvitium.

Vers. 32. 32. QUÆ EST UT TYRUS? — Hoc est carmen lugubre; lugentes enim dicent : « Quæ est ut Tyrus? » *q. d.* Quæ urbs fuit olim tam gloriosa, et nunc est tam miserabilis, ac Tyrus?

QUÆ OBMUTUIT, — quæ perdidit et vocem et vitam, quæ occisa est, id est excisa est, et periit, ut vix sit ejus vestigium aut memoria. Mortui enim vocantur silentes apud Hebræos et Latinos. Hinc hebraice דומה *duma*, id est silentium, vocatur infernus. Sic et Ovidius, V *Fastor.* :

Mox etiam lemures animas dixere silentum.

Hinc obmutescere et silere, idem est quod mori.

Vers. 33. 33. QUÆ IN EXITU NEGOTIATIONUM TUARUM, — quæ in exportatione mercium per mare populos implebas. Ita Maldonatus.

Vers. 34. 34. NUNC CONTRITA ES A MARI, — *q. d.* In mari videbaris tibi esse firmissima, sed Chaldæi in mare tuos cives et opes conjecerunt. Unde subdit : « In profundis aquarum opes tuæ. »

Vers. 35. 35. ET REGES EARUM OMNES TEMPESTATE PERCULSI MUTAVERUNT VULTUS. — *Tempestatem* vocat cladem Tyri, utpote in mari sitæ, cujus fama vicinos reges quasi tempestas perculit et exterruit : tempestas enim cladem navibus et insulis adducit. Hebraice est : *Reges earum horrore horruerunt, et vultu turbati sunt*, ita Vatablus; Septuaginta : *Reges earum stupore stupescent, et flebit facies eorum.* Verum horror et stupor potest accipi horrenda et stupenda tempestas, ut vertit noster Interpres.

Vers. 36. 36. SIBILAVERUNT, — vel quasi stupentes, vel potius quasi irridentes : sicut qui hominem videt in lutum cadere, primo miseretur, deinde irridet. Similia sunt *Jerem.* cap. XIX, 8, et XLIX, 17.

AD NIHILUM DEDUCTA ES. — Vatablus vertit : *Terror facta es*, id est facta es speculum et exemplum iræ Dei, quo omnes gentes terreantur et percellantur.

NON ERIS USQUE IN PERPETUUM, — id est in longum tempus, scilicet ad 70 annos, ut dicitur *Isaiæ* XXIII, 15; vel, *q. d.* Nunquam ad pristinam gloriam et opes redibis. Vere S. Augustinus, in *Sententiis*, sent. 96 : « Malorum, ait, impietatem perire necesse est, aut proprio judicio, aut sententia Dei. Nulla enim iniquitas permanet, cui finem aut correctio, aut damnatio facit. »

Nota : Hoc capite rempublicam comparat navi, gubernatores nauclero, opes mercibus : idque apposite ad regnum et rempublicam Tyri, quæ in mari sita, navibus, naucleris et mercibus abundabat : Tyrus ergo in mari eminebat quasi navis. Ita symbolice urbs quælibet potens speciem habet navis : utraque enim suis muris et vallis cingitur : utraque suas habet domos, cellas, tabulata, turres, speculas : utraque suos cives, milites, gubernatores, temones et gubernacula. Hinc Juvenalis : Respondeo ea quasi navis, nauclerus est gubernator.

Aut de temone Britanno
Decidet Arviragus;

significans Domitianum Britannia potiturum, expulso Arvirago, insulæ domino. Porro Suetonius in *Nerone*, cap. XLVI, narrat eum paucis diebus ante mortem vidisse per quietem sibi navim regenti extortum gubernaculum, trahique se ab Octavia in arctissimas tenebras : quod aruspices respondere, portendere eum administratione imperii dejiciendum, et miserrime moriturum. Insuper in Tyriorum nummo veteri exstat navis cusa, nimirum ea de causa, quod Tyrii jactent se primæ navigationis esse auctores. Ita Pierius, *hierogl.* XLV, cap. X. In Jani nummis priscis visitur navis cum rectore hac inscriptione, ROMA. Janus enim (quem multi putant fuisse Noe) navi appulit in Italiam. Unde Ovidius, I *Fastor.* :

At bona posteritas puppim signavit in ære,
Hospitis adventum testificata Dei.

Porro in Evangeliis Ecclesia per navim significatur, præsertim quia e navi Petri Christus concionatus est, docuitque turbas. Hinc Pontifex Romanus in annulo gerit navim cum piscatore Petro. Hic enim regit navim Christi, puta Ecclesiam : de qua proinde dicitur :

Fluctuat, at nunquam mergitur illa ratis.

Meminerint ergo principes et magistratus se esse naucleros reipublicæ, ac rempublicam regere debere ea sollicitudine, vigilantia et industria, qua nauclerus regit navim. Sint ergo Argonautæ.

CAPUT VIGESIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Arguit arrogantiam regis Tyri, quod hominem se esse oblitus, Deus esse voluerit : inde, vers. 12, assumit super eum lamentum : Tu signaculum similitudinis, *etc.*, in deliciis paradisi Dei fuisti. Tu cherub extentus, *etc.*, in medio lapidum ignitorum ambulasti, et peccasti, et ejeci te de monte Dei. *Secundo, vers. 21, Sidoni idem excidium intentat. Denique, vers. 25, ex adverso Israeli reditum e captivitate, et felicitatem promittit* (1).

1. Et factus est sermo Domini ad me, dicens : 2. Fili hominis, dic principi Tyri : Hæc dicit Dominus Deus : Eo quod elevatum est cor tuum, et dixisti : Deus ego sum, et in cathedra Dei sedi in corde maris : cum sis homo, et non Deus, et dedisti cor tuum quasi cor Dei. 3. Ecce sapientior es tu Daniele : omne secretum non est absconditum a te. 4. In sapientia et prudentia tua fecisti tibi fortitudinem : et acquisisti aurum et argentum in thesauris tuis. 5. In multitudine sapientiæ tuæ, et in negotiatione tua multiplicasti tibi fortitudinem, et elevatum est cor tuum in robore tuo. 6. Propterea hæc dicit Dominus Deus : Eo quod elevatum est cor tuum quasi cor Dei : 7. idcirco ecce ego adducam super te alienos robustissimos gentium : et nudabunt gladios suos super pulchritudinem sapientiæ tuæ, et polluent decorem tuum. 8. Interficient, et detrahent te : et morieris in interitu occisorum in corde maris. 9. Numquid dicens loqueris : Deus ego sum, coram interficientibus te : cum sis homo, et non Deus, in manu occidentium te. 10. Morte incircumcisorum morieris in manu alienorum : quia ego locutus sum, ait Dominus Deus. 11. Et factus est sermo Domini ad me, dicens : Fili hominis, leva planctum super regem Tyri : 12. et dices ei : Hæc dicit Dominus Deus : Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, et perfectus decore, 13. in deliciis paradisi Dei fuisti : omnis lapis pretiosus operimentum tuum : sardius, topazius, et jaspis, chrysolithus, et onyx, et beryllus, sapphirus, et carbunculus, et smaragdus : aurum opus decoris tui : et foramina tua in die, qua conditus es, præparata sunt. 14. Tu cherub extentus, et protegens, et posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti. 15. Perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te. 16. In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate, et peccasti : et ejeci te de monte Dei, et perdidi te, o cherub protegens, de medio lapidum ignitorum. 17. Et elevatum est cor tuum in decore tuo : perdidisti sapientiam tuam in decore tuo, in terram projeci te : ante faciem regum dedi te ut cernerent te. 18. In multitudine iniquitatum tuarum, et iniquitate negotiationis tuæ polluisti sanctificationem tuam : producam ergo ignem de medio tui, qui comedat te, et dabo te in cinerem super terram in conspectu omnium videntium te. 19. Omnes qui viderint te in gentibus, obstupescent super te : nihili factus es, et non eris in perpetuum. 20. Et factus est sermo Domini ad me, dicens : 21. Fili hominis, pone faciem tuam contra Sidonem : et prophetabis de ea, 22. et dices : Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego ad te Sidon, et glorificabor

(1) Præcedenti capite contra Tyrum civitatem egit, nunc in tertio hoc oraculo seorsum contra Tyri regem vaticinium convertit. Porro in PRIMA hujus vaticinii parte, *Primo*, hujus principis superbiam sese immodice efferentis exagitat, 1-5; *secundo*, pœnam hanc superbiam, incursu hostium et illato excidio castigaturam indicit, 6-8; *tertio*, irridet fastum, et iteratam mortis denuntiationem vaticinatur, 9, 10.

In SECUNDA parte, *primo*, recenset modo amplificativo beneficia illustria et singularia, regi Tyriorum a Deo præstita, 12-15; *secundo*, exhibet tum scelera commissa, tum pœnas respondentes, 16, 17; *tertio*, addit extremam cladem et stupendum ab omnibus interitum, 18-19.

In TERTIA parte, adversus Sidonios, *primo*, injungitur Prophetæ legatio, 20-21; *secundo*, committitur vaticinium de excisione eorumdem per pestem et gladium secutura, ad manifestandam Dei sanctitatem, et tollendum populi Dei scandalum, 22-24; *tertio*, exponitur divinum consilium de restituendo in patriam Israele, ad inimicorum confusionem, 25, 26.

in medio tui : et scient quia ego Dominus, cum fecero in ea judicia, et sanctificatus fuero in ea. 23. Et immittam ei pestilentiam, et sanguinem in plateis ejus : et corruent interfecti in medio ejus gladio per circuitum : et scient quia ego Dominus. 24. Et non erit ultra domui Israel offendiculum amaritudinis, et spina dolorem inferens undique per circuitum eorum, qui adversantur eis : et scient quia ego Dominus Deus. 25. Hæc dicit Dominus Deus : Quando congregavero domum Israel de populis, in quibus dispersi sunt, sanctificabor in eis coram gentibus : et habitabunt in terra sua, quam dedi servo meo Jacob. 26. Et habitabunt in ea securi : et ædificabunt domos, et plantabunt vineas, et habitabunt confidenter, cum fecero judicia in omnibus qui adversantur eis per circuitum : et scient quia ego Dominus Deus eorum.

2. DIC PRINCIPI TYRI, — id est diabolo, aiunt S. Hieronymus, epist. 146 *ad Damasum*; S. Augustinus, lib. XI *De Civit.* XV; Origenes, Isidorus, *De Summo bono*, cap. XII, et Beda, lib. *Quæst.* Quæst. IX *De Angelis*; Ambrosius, lib. *De Paradis.* cap. II; Tertullianus, lib. II *Contra Marcion.* cap. X.

Secundo, Polychronius principem hunc vult esse ipsum regem Tyri, qui superbivit maxime hoc nomine, quod a Nabuchodonosore superari non potuisset, qui hoc anno undecimo et ultimo Sedeciæ, qui fuit Nabuchodonosoris, ait, 22, statuam constituit, ut in ea ab omnibus adoraretur. Sed errat in chronologia. Hic enim fuit annus 18, non 22 Nabuchodonosoris : anno etiam 18, evertit regem et regnum Judææ. Statua etiam a rege erecta est alio anno, uti ostendam *Daniel.* III, 1.

Tertio, Apollinaris, et ex eo Theodoretus censent hic quædam de diabolo, quædam de rege Tyri dici, quædam de utroque. Verum dico proprie Prophetam loqui de rege Tyri, ut patet ex ejus verbis : sed ita, ut sub typo diaboli, quem imitatus est rex, regis superbiam et ruinam describat. Sic Isaias cap. XIV, sub typo Luciferi Balsasaris superbiam et lapsum similem describit. Ubi nota, utrobique quædam dici, quæ proprie et grammatice competunt diabolo, sed hyperbolice, vel metaphorice explicari debent de rege Babylonis vel Tyri, ut quod ait Isaias : « Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer? » Et quod ait hic Ezechiel : « Dixisti : Deus ego sum, et in cathedra Dei sedi. » Quæ verba, ait S. Hieronymus, proprie sunt insanientium dæmonum, sed hyperbolice regis Tyri, qui ita intumuit felicitate sua, et regni potentia, ut præsentia bona putans esse perpetua, hominem se esse nescierit, et æternum sibi imperium vindicarit. Vide *Canon.* V.

PRINCIPI. — Hebraice est נגיד *nagid*, quod deducitur a נגד *neged*, id est coram, scilicet populo; quia rex est quasi speculum coram populo, quem scilicet populus in omnibus actionibus aspicit et sequitur. Sic Tyri regis superbiam populus secutus est. Hinc regis peccatum præ aliis exaggerat Propheta.

EO QUOD ELEVATUM EST COR TUUM. — Hæc verba pendent et explentur vers. 7 : « Idcirco ecce ego adducam super te alienos. »

DIXISTI : DEUS EGO SUM. — Hebraice אל אני *el ani*, ego sum potens ille, scilicet omnipotens, qui omnia possum. Sic Julius Cæsar passus est sibi aras templaque dicari, teste Suetonio. Alexander voluit haberi et coli quasi Jovis Ammonii filius. Sic Nabuchodonosor, *Daniel.* III, 1, et alter, *Judith* cap. III, 13. Item Caius Caligula, Domitianus, Heliogabalus voluerunt coli ut dii. Hæc recte adaptat Donato, auctori Donatistarum hæreticorum, Optatus Milevitanus, lib. III. Fuit enim Donatus princeps, id est Episcopus, Tyri, id est Carthaginis, quæ Tyriorum est colonia. Ad quem Deus ait : « Dixisti : Ego sum Deus. Extulit enim cor suum, ut nullum hominem sibi comparandum arbitraretur. Deinde cum Episcopi Deo debeant famulari, tantum sibi de Episcopis exigit, ut eum non minori metu omnes venerentur, quam Deum. Et cum per solum Deum soleant homines jurare, passus est homines per se jurare, tanquam per Deum. Deinde cum ante ipsius superbiam, omnes qui in Christo crediderant, Christiani vocarentur, ausus est populum cum Deo dividere, ut qui illum secuti sunt, non Christiani vocarentur, sed Donatistæ : unde ipsius ad singulos aliunde venientes, hæc sunt verba : Quid apud vos agitur de parte mea? Erat etiam in corde maris, id est in amore sæculi. Visus est sibi sapientior Daniele in repudiandis muneribus, dum accipere noluit (instar Danielis) quod ab Imperatore christiano (Constante) missum esse videbatur. Unde constat Donatum omnium malarum fontem fuisse causarum. » Hucusque Optatus. Pari modo hæc Luthero, Calvino, Zuinglio, et similibus adaptes.

IN CATHEDRA DEI SEDI (id est sedeo) IN CORDE MARIS, — *q. d.* In hoc excelso throno eminentis rupis, quæ mari undique cincta omnem habet pulchritudinem, munitionem, opes, merces et gloriam; sedeo quasi Deus, tam fortis et securus, ut neminem timeam : ago deum quemdam in mari : sedeo in Tyro excelsa et inaccessa, quasi Deus in cœlo, quem nemo potest attingere, aut lacessere. Quod Deo cœlum, hoc mihi est mare : tam enim ego tutus et munitus sum hac insula cincta mari, quam Deus muris cœlestibus.

CUM SIS HOMO, — *q. d.* Oblitus tuæ originis, miseriæ et conditionis humanæ, ac mortalis, deum

te esse jactas. Hunc Tyri regem Tobaal nominatum, et tredecim annis obsessum fuisse à Nabuchodonosore, tradit ex Beroso Josephus, lib. I *Contra Apion.*, sub finem.

DEDISTI COR TUUM QUASI COR DEI, — gessisti animos Dei : tam elato fuisti animo et spiritu, quasi Deus tibi esse videreris. Nota, « cor, » sive mens, significat consilium, sapientiam, prudentiam cum animi magnitudine conjunctam, quæ neque deprimitur adversis, nec prosperis extollitur. Patet ex sequenti. Unde de eo dicitur : « Mens sua cuique Deus; » et: « Mens cœli terræque regina, » quod celebrat Socrates apud Platonem in *Philebo* : et Pythagoras « mente deos adiit, » ait Ovidius XV *Metamorph.*, propter ejus sapientiam et virtutem. Hæ virtutes sunt regiæ, ac regi necessariæ, ut recte regat rempublicam ut patet in Salomone, III *Reg.* IV, 20, quibus excellit Deus rex regum, et principum princeps, utpote earum origo et finis. Hanc Dei excellentiam sibi arrogat hic rex Tyri, quasi hasce dotes ex se habeat, non a Deo, atque in iis omnes omnino viventes, et homines, et genios, et deos excellat. Vere S. Gregorius, XVII *Moral.* VI : « Humilis, ait, ignorantia magis Deo placet quam elata scientia. »

3. ECCE. — Est ironia. Unde Septuaginta vertunt: *Numquid tu sapientior es Daniele?* premit fastum regis Tyri, *q. d.* Tu tibi arrogas sapientiam Dei, cum Daniel, licet captivus et Hebræus, ex Hebræis, quos tu despicis, te longe sit sapientior, eumque ut sapientissimum colant Nabuchodonosor, ejusque satrapæ omnes, ait Theodoretus et Scholiastes. Imo omnis illa ætas Danielem, quasi omnes mortales sapientia præcellentem, et quasi nulli conferendum in ore ac oculis habebat, adeo ut nec Tyri rex se ei conferre auderet, præsertim in somniis explicandis, et futuris prædicendis (1).

Aliter Vilalpandus, *q. d.* Cum tu habeas cor Dei, quis dubitet te sapientiorem esse Daniele? Ille enim suam sapientiam non sibi, sed Dei adscribit cap. II, 28; tu eam nec homini, nec Deo, sed tibi adscribis. Ille a Nabuchodonosore volente adorari noluit; tu vis adorari etiam a nolentibus, *q. d.* Atque hoc est absurdum; omnes enim Danielem, ut mortalium sapientissimum venerantur. Vide ergo, et agnosce tuam stoliditatem et arrogantiam.

Nota : Hæc prophetavit Ezechiel anno 11 Sedeciæ, ut patet cap. XXVI, vers. 1, cum Daniel esset 38 annorum, ut colligitur ex dictis cap. XIV, vers. 14. Vide ergo quam juvenis fuerit Daniel, cum sapientia, virtute et fama toto orbe fuit celeberrimus. Ea ergo ætate tantæ sapientiæ et famæ erat Daniel, ut sapientissimi reges et principes averent audire, « alter Daniel : » uti de eximio oratore dicimus : Est alter Cicero; de raro philosopho : Est alter Aristoteles; de medico : Est alter Galenus; de theologo : Est alter Augustinus. Ita Petro Abailardo, magni ingenii et scientiæ viro (qui errores suos corrigens, monasticenque amplexus Cluniaci sancto fine quievit anno Christi 1140). Galli hos titulos in epitaphio dederunt :

Gallorum Socrates, Plato maximus Hesperiarum,
Noster Aristoteles; Logicis quicumque fuerunt
Aut par, aut melior.

Ita Colonienses Alberto Magno præceptori S. Thomæ, apud prædicatores hoc epitaphium prisci styli et carminis posuerunt :

Phœnix doctorum, paris expers philosophorum,
Princeps doctorum, vas fundens dogma sacrorum,
Major Platone, vix inferior Salomone.

Quin et Sidonius Apollinaris Claudiano presbytero, fratri S. Mamerci Episcopi Viennensis, hoc epitaphium scripsit anno Christi 490 :

Germani decus et dolor Mamerci,
Mirantum unica gemma Episcoporum,
Triplex bibliotheca quo magistro
Romana, Attica, Christiana fulsit.
Orator, dialecticus, poeta,
Tractor, geometra, musicusque,
Doctus solvere vincla quæstionum,
Psalmorum hic modulator et phonascus, etc.

4. FECISTI TIBI FORTITUDINEM, — fecisti tibi muni- Vers. 4.
tiones, et stabilimentum regni tum opulenti, tum optimis et perpetuo duraturis legibus instructi. Unde Chaldæus vertit : *Fecisti tibi opes, substantiam, copias et exercitus.* Hæc enim omnia significat Hebræum חיל *chel.* Omnia hæc non in se, et in rei veritate, sed ex opinione ipsius regis intelligenda sunt. Rex enim putabat et jactabat se hisce omnibus abundare.

5. IN ROBORE. — R. David, *in exercitu*; alii, *in* Vers. 5.
opibus. Hæc enim duo robur regni faciunt. Hebraice rursum est חיל *chel.*

7. ROBUSTISSIMOS. — Septuaginta, *pestilentes,* qui Vers. 7.
te uti aerem pestis et corpora, inficient et occident, nullo ætatis, generis aut sexus discrimine.

PULCHRITUDINEM SAPIENTIÆ TUÆ, — id est pulcherrimum tuum regnum, et urbis gloriam. Vel potius, quidquid est pulchrum in te, in urbe et regno tuo, quod omne tuæ tribuis sapientiæ, id omne Chaldæi suis gladiis fœdabunt sanguine tuo.

POLLUENT, — perdent, vastabunt.

8. INTERFICIENT. — Hebraice : *In fossam dejicient* Vers. 8.
te, hoc est, in abyssum tui maris demergent te.

ET MORIERIS IN INTERITU OCCISORUM IN CORDE MARIS. — Id est morieris et sepelieris in mari, uti accidit illis qui moriuntur in mari; nimirum, ut in mari, in quo gloriatus es, quasi in loco inexpugnabili, et mercibus advectis opulentissimo, in eodem undis mergaris, et fias piscium esca, ipsique tuum sint sepulcrum.

9. NUMQUID DICENS LOQUERIS. — Est sarcasmus, Vers. 9
q. d. O Tyri rex! jactare soles te esse Deum : idne

(1) Forsan verior est hæc explicatio : Ecce sapientior es tu Daniele, ex tua scilicet opinione.

jactabis cum hostes te invadent, ut eis nomen Dei prætendas, eosque nomine Dei quasi obstupefacias? Minime. Imo ipsi te occidendo, ostendent te hominem esse, non Deum. Ita Theodoretus.

Vers. 10. 10. MORTE INCIRCUMCISORUM, — quam scilicet tibi inferent incircumcisi, id est gentiles impii, barbari, crudeles Chaldæi. Unde sequitur, «in manu alienorum.» Hæc enim mors apud Judæos erat probrosa. Unde Saul a Philistæis vallatus, ne ab iis interficeretur, jussit armigero ut se occideret, I *Reg.* XXXI, 4. Ita Maldonatus.

Secundo, «morte incircumcisorum;» id est qualem merentur incircumcisi, id est infideles et impii, morieris. Hi enim plerumque infelicem et miserabilem habent vitæ finem. Ita Chaldæus et R. David.

Tertio, Vilalpando explicat, *q. d.* Cum ultio, quam in alios exercebas, in te exercebitur, tunc apparebis præputiatus in vindicta, id est in ea superabundans fuisse, et omnino excedens terminos tibi a Dei justitia et misericordia præscriptos. Judices enim et principes ita reos punire debent, ut nil propriæ indignationis admisceant: sed potius cum Christo, *Luc.* XIX, 41; imo et cum Tito, qui in justo Hierosolymæ excidio illacrymarunt, fleant et condoleant. Tibi vero morienti non condolebunt, sed insultabunt Chaldæi; quia tu pariter alios morte afficiens, eis non condoluisti, sed insultasti. Sicut ergo tu tuam vindictam in alios non circumcidisti, sed libere grassari permisisti: sic et Chaldæi suam in te vindictam non circumcident, sed libere grassari permittent.

IN MANU ALIENORUM, — ut scias me non tantum Judæorum esse Deum, sed et Chaldæorum, quibus quasi ministris te puniam. Ita Polychronius.

Vers. 11. 11. LEVA PLANCTUM, — plange magna voce carmen lugubre. Hoc enim est קינה *kina*, de quo vers. 19.

Vers. 12. 12. TU SIGNACULUM, — scilicet perfecte expressum. Signaculum enim est sigilli signaculum, quale est quod epistolis sigillo imprimitur et exprimitur, dum illæ clauduntur, et signaculo obsignantur, ne quis eas aperire et legere possit. Posset *secundo*, «signaculum» accipi pro ipso sigillo: hoc enim significat Hebræum חותם *chotam*, *q. d.* Tu eris sigillum perfecte incisum, planeque referens et exprimens tuum, tum exemplar, tum opificem et sculptorem. Vatablus ex Hebræo vertit: *Tu sigillans dispositionem* sive *figuram ædificii*, hoc est, tu undequaque eras perfectus et absolutus. Qui enim sigillat aliquid, ei extremam manum imponit, opusque complet et absolvit. Hebræum enim *chotam* significat sigillum, vel signaculum; sed alio puncto חותם *chotem*, (uti jam punctant et legunt Hebræi) significat signantem et sigillantem. Pari modo vertit Syrus: *Tu signaculum es similitudinis rei, plenum sapientia, et corona gloriæ;* et Arabicus Antiochenus: *Et tu signaculum in similitudine rei plenæ sapientia, et corona gloriæ;* et Arabicus Alexandrinus: *Tu autem es velut signaculum plenum sapientia* (1).

Signaculum similitudinis, quod?

SIMILITUDINIS. — Id est simillimum, et aptissime repræsentans exemplar seu sigillum ipsum quod annulo incisum est, *q. d.* Omnium rerum formam, pulchritudinem et dispositionem tu exples, velut signata et expressa Dei, et consequenter rerum omnium similitudo, sive velut earum omnium sigillum expressum. Unde Septuaginta explicando addunt: *Tu corona pulchritudinis, q. d.* O rex Tyri! olim cum versareris cum Davide, Salomone aliisque piis Judææ regibus, et sanctis Dei amicis, eras quasi signaculum, vel imago expressa Dei in sapientia, pulchritudine, gloria, opibus, sicuti fuerunt David et Salomon. Ita Scholiastes. *Secundo*, sicut signaculum obsignat et confirmat litteras regis, et opus artificis (tunc enim perfectum est opus, cum artifex ei suum sigillum apponit): sic tu omnium Dei operum, quasi complementum ultimum et perfectissimum fuisti. Unde Maldonatus: «Tu signaculum similitudinis,» id est, inquit, tu perfectio imaginis. Solent enim imagines, uti et alia opera, cum perfectæ sunt, obsignari, *q. d.* Si quis felicissimi et perfectissimi principis imaginem depingere voluisset, eam ex te sumere, teque depingere debuisset. Tu enim eras exemplar mirabilis cujusdam perfectionis, in quod omnes, quasi in perfectissimum virtutum speculum, intueri possent et deberent. Deus enim te insignivit sua similitudine, et quasi sigillo appenso et impresso testatus est, et quasi gloriatus, te esse suum opus illustre, scilicet magnificum, perfectum, primum et præcipuum; in quo præ cæteris ejus sapientia, bonitas, potentia et gloria expressa relucebat et resplendebat, quasi imago in speculo. Unde Vatablus vertit: *Tu es omnibus numeris absolutum exemplar;* alii vertunt: *Tu signans numerum*, vel *sigillans summam*, id est, tu omnibus numeris eras absolutus, aut certe tibi esse videbaris. Hebræum enim תכנית *tachnit*, multa significat: *primo*, summam et numerum, ita Pagninus; *secundo*, dispositionem, figuram, adaptationem, ita Marinus; *tertio*, dimensum, mensuratum, elaboratum secundum omnes ejus dimensiones, *q. d.* Tu eras velut sigillum dimensum, seu mensuratum, et quaquaversum penitus elaboratum, suæque ideæ plane commensum et adæqua-

(1) *Sigillum* vel *signaculum* hoc loco *passive* sumendum est, inquit Rosenmuller, pro imagine, quam sigillum exprimit e cera, quæ sigillo quam simillima est. Ut igitur sigillum in cera relinquit sui ipsius imaginem, sic rex Tyri Deum in se expressam sui similitudinem reliquisse sibi persuaserat. Potest tamen et *active* sumi pro sigillo, quod formam exprimit talem, qualem ipse incisam habet ab artifice, quæ quia plures informat, ea perfectissima sit necesse est. Ut igitur imago eo magis absoluta, quo propius ad prototypi exemplaris perfectionem aspirat; ita rex Tyri *signaculum similitudinis*, vel sigillum exemplaris dici potuit, quia ad illum, tanquam ad exemplar perfectionis adduci poterat, et expendi id quod in eo genere perfectum videri voluit.

tum. Ita Forsterus. Radix enim תכן *tachan* significat appendere, ponderare, ordinare, aptare, certo dimetiri, commensurare. Hinc *quarto, tachnit* significat similitudinem (quanquam Pagninus putet tunc legendum esse per ב תבנית *tabnit*), ut vertunt Septuaginta et Noster. Sed eodem redeunt omnes hæ versiones : significant enim hoc sigillum ita fuisse perfectum, ut suo exemplari plane esset adaptatum, commensum et simile.

Nota : *Primo*, Origenes, lib. I *Periarchon*, et S. Gregorius, lib. XXXII *Moral.* cap. XVIII, et Tertullianus, lib. II *Contra Marcion.* cap. X, et alii nonnulli, censent hæc omnia non homini, v. g. principi Tyri, sed soli diabolo, id est Lucifero, competere. Hic enim fuit omnium angelorum sapientissimus et eminentissimus. Hic in paradiso Dei natus est. Hic fuit Cherub extentus, etc. Verum S. Ambrosius, lib. I *De Paradiso*, cap. II, S. Hieronymus, Theodoretus et alii ad litteram hæc explicant de rege Tyri : figurate, sive parabolice de diabolo. Et S. Augustinus, lib. XI *De Genesi ad litteram*, cap. XXV, ex professo probat, hæc non posse de diabolo intelligi. Unde contendit, ex hoc loco non posse convinci angelos fuisse creatos in gratia : convinci dico, scilicet directe et demonstrative : indirecte enim et probabiliter satis idipsum ex hoc loco deduci et probari potest. Ad litteram ergo loquitur Propheta de rege Tyri, sed sub typo et parabola, uti dixi vers. 2, *q. d.* Sicut diabolus creatus fuit pulcherrimus angelus, ut esset signata similitudo, id est perfecta imago Dei, sed ex hac dignitate per superbiam decidit, et corruit : ita omnino et tibi contigit, o Tyri rex! Simili modo *ad Hebræos*, I, 3, Filius Dei dicitur « splendor et figura substantiæ Patris,» uti ibi dixi. Alludit ergo Propheta ad creationem angeli, æque ac primi hominis in paradiso (unde utrique hæc omnia recte adaptes); sed directe et proprie ad litteram loquitur soli regi Tyri. Hic ergo rex vocatur signaculum et imago, non diaboli, ut vult quidam doctus interpres, sed Dei, ut patet ex seq., *q. d.* Videbaris, o rex Tyri! esse viva Dei in terra imago, esseque Deus quidam terrestris.

Nota : *Secundo*, Tertullianus, lib. II *Contra Marcion.* X, legit : *Tu resignaculum similitudinis;* quia videlicet diabolus cor suum a Deo suo, ipsius sigillo obsignatum avertens, fraudulenter sibi per appetitionem propriæ excellentiæ resignavit : « Tu, inquit, es resignaculum similitudinis, qui scilicet integritatem imaginis et similitudinis resignaveris. » Meminit hujus lectionis S. Hieronymus in Ezechielem, sed eam non probat : « In Latinis, ait, codicibus pro signaculo resignaculum legitur : dum κακόζηλος, id est *malus imitator*, verbum e verbo exprimens ἀποσφράγισμα, quod habent Septuaginta, resignaculum vertit. Unde quidam sic intelligunt, quod signaculum Dei, et figuram, quæ velut in cera mollissima expressa sit, rex Tyri resignaverit atque perdiderit, ut pro signaculo fieret resignaculum. » Verum Hebræum חותם *chotam* signaculum significat, non resignaculum.

Parabolice Rupertus, lib. I *De Victoria verbi Dei*, cap. VIII : Diabolus, inquit, fuit signaculum similitudinis SS. Trinitatis quoad tria, scilicet magnitudinem, scientiam et pulchritudinem : « Cujus enim similitudinis, nisi sanctæ et adorandæ Trinitatis signaculum, secundum hæc tria fuit? sancta quippe Trinitas ipsa est magnitudo, sapientia et pulchritudo. Magnitudo namque Filii et Spiritus Sancti, Pater est. Sapientia Patris et Spiritus Sancti, Filius est. Pulchritudo Patris et Filii, Spiritus Sanctus est : quia de magnitudine, sapientia et pulchritudine participavit (diabolus, puta Lucifer) plus cæteris. At ille vecors, cum in tanto honore esset, non intellexit, et hæc omnia vertit in materiam superbiendi. Non suffecit ei tanta largitas Creatoris, nisi idem diceretur vel existimaretur de ipso, quod de Deo. Negavit quippe Deum esse creatorem suum, et dixit se esse Deum. » Hucusque Rupertus. Simili modo dixit Trismegistus in *Pimandro*, cap. XI : « Imago Dei est ævum, ævi mundus, mundi sol, solis autem homo, » et magis angelus, præsertim Lucifer. Nam, ut idem ait in *Asclepio*, cap. XI : « Cum Deo constitit æternitas, mundum intra se habens, Deique imago; hinc consequenter mundus (præsertim angelus, et homo) effectus est æternitatis imitator. »

13. IN DELICIIS PARADISI DEI FUISTI, — eras in Tyro felix quasi in paradiso Dei, id est eximia, amœnissima, deliciarumque plenissima. Ex Hebræo verti potest : *Eras in horto Eden*, id est eras quasi in paradiso terrestri, in quo conditus est Adam. Eædem enim sunt voces Hebrææ hic, quæ *Genesis* II, 8. Unde Arabicus Antiochenus vertit : *In Eden paradisi Dei eras*. Hujus enim paradisi opulentia et deliciæ in proverbium abiit, uti dicatur de quovis loco ditissimo et deliciosissimo, uti erat Tyrus. Sic Græcis erant *Alcinoi horti, Thessalica tempe, Midæ rosetum, Elysii Campi*, quos a paradiso terrestri mutuatum esse Homerum censent viri docti. In paradiso enim non tantum florum et fructuum, sed et auri ac gemmarum, quæ hic regi Tyri tribuuntur, felix erat proventus. Audi de eo Tertullianum, lib. *De Judicio Domini* : Vers. 13.

> Flores in pratis fragrant, et purpura campis.

Et mox :

> Gemma coloratis fulget speciosa lapillis;
> Inde nitet prasinus; illinc carbunculus ardet;
> Herbosaque viret prægrandi luce smaragdus.

Deinde de aromatibus subdit :

> Hic et odoriferis nascuntur cinnama virgis,
> Et spisso lætum folio confragrat amomum.

Ac de metallis :

> Hic jacet ignitum radiantis luminis aurum,
> Vernantesque gravant uberrima germina ramos.

Tandem de copia mellis et lactis hyperbolice ita concludit :

Mella viridanti confragrant pinguia canna,
Lac etiam plenis manat potabile rivis.

Secundo, Theodoretus : « Eras in paradiso Dei, » id est, ait, in Jerusalem quasi familiaris et fœderatus illi. Jerusalem enim dicitur paradisus Dei, quia habebat legem, prophetias, pontifices, etc., salutem et vitam subministrantes.

Parabolice, dæmon fuit in paradiso, id est in cœlo empyreo; ibi enim creatus est. Ita S. Hieronymus.

OMNIS LAPIS PRETIOSUS OPERIMENTUM TUUM. — Chaldæus : *Omnes lapides pretiosi ordinati erant in vestimento tuo*. Notat S. Hieronymus, eosdem esse hic lapides, qui erant in Rationali pontificis, *Exodi* XXVIII, 17 (vide quæ de iis ibi dixi), et in fundamentis cœlestis Jerusalem, *Apoc.* XXI, 18; sed ibi esse duodecim, hic tantum novem, quasi regi Tyri hic vitio vertatur, quod sacras has gemmas profanarit, et iis se ac diadema suum vestiens, divinos honores affectarit. Verum potius hæc ad laudem et gloriam regis Tyri spectant, ut patet. Laudatur ergo hic ab opibus et pulchritudine, quod auro et gemmis vestitus, totus coruscaret, ut gemmeus esse videretur (1).

Symbolice, per hasce gemmas intelliguntur spirituales gratiæ et ornamenta angelorum ante lapsum.

S. Gregorius, lib. XXXII *Moral.* XVIII, per novem hosce lapides accipit novem choros angelorum, quibus quasi asseclis et castris suis vestitus et amictus fuit dux omnium Lucifer : atque perfectiones horum omnium, utpote superior ipse, in se continebat.

AURUM OPUS DECORIS TUI, — id est auro artificiose et operose elaborato te condecorasti; Septuaginta : *Auro replesti thesauros tuos*; Hebræus *tympana tua*, ut ex luxu tympana et alia instrumenta musica rex fecerit ex auro.

FORAMINA TUA. — Scilicet auri, quibus gemmæ erant inclusæ : vel *foramina* vocat ipsas gemmas micantes, ob fulgorem ocellis vel foraminibus similes. R. David vertit, *fistulas tuas*. Possunt etiam accipi omnia instrumenta musica, quæ foraminibus constant (2).

Mystice S. Gregorius, lib. XXXII *Moral.* XVIII : « Foramina auri, ait, sunt capacitas charitatis. » Diabolus enim ipse « capax charitatis est conditus, » intelligе perfectæ et constantis. Nam alioqui non tantum capax, sed et præditus charitate creatus est Lucifer. Omnes enim angeli, etiam qui ceciderunt, creati sunt in gratia. Id velle S. Gregorium patet ex sequenti : « Si enim, ait, charitatis auro penetrabilem sese præbuisset, sanctis angelis sociatus, in ornamento regio lapis fixus maneret. Habuit ergo lapis iste foramina, sed per superbiæ vitium charitatis auro non repleta. »

IN DIE QUA CONDITUS ES, — *q. d.* A die nativitatis tuæ creatus es rex, pretiosis fulgens gemmis, quasi deum quemdam agens in terris, cujus potestatem exerces. Potest verti, *in die qua recreatus*, vel *impinguatus es*, id est copia rerum omnium affluere cœpisti. Hebræum enim ברא *bara* et creare et recreare significat : inde ברי *bari* vocatur recreatus, nitens, pinguis. Aliter Chaldæus explicat, *q. d.* Adeo superbia intumuisti, ut oblitus conditionis tuæ, non consideraveris te esse hominem, tibique eo die quo natus es, quasi homini foramina oris et narium ad spirandum data esse. Rursum Hebræi, æque ac Chaldæus, hæc referentes ad sequentia, explicant, *q. d.* Opus tympanorum tuorum et fistularum tuarum in te, in die quo creatus es, parata fuerunt, id est concrepantibus tympanis, fistulis aliisque instrumentis musicis natus es. Ita R. David.

14. TU CHERUB. — Nota : « Cherub » dicitur rex Tyri, *primo*, ob multitudinem sapientiæ quam vel habebat, vel sibi arrogabat. « Cherub » enim idem est quod כרב *kerab*, id est sicut rabbi, sicut sapiens et doctor : inde enim octavus ordo angelorum dictus est Cherubim, et eo hic alluditur. Rex enim, prælatus et princeps debet esse Cherub, id est pollere et præcellere sapientia : de quo multa dixi *Exod.* XXV, 18. Vers. Rex Tyri vocatur Cherub. Primo.

Secundo, alluditur ad Cherubim templi, ut pa- Secundo.

(1) Hoc observandum est, inquit S. Hieronymus, non *omni lapide pretioso* regem Tyri fuisse circumdatum, sive opertum, sed omnem lapidem, quem habuit princeps Tyri, fuisse pretiosum.

(2) A descriptione regii splendoris in vestibus vasisque gemmis et auro distinctis conspicui, ad organa musica Prophetam delabi, mihi vix persuadeo, inquit Rosenmuller. נקבים (*naqabim*) autem tibiarum sive fistularum nomen fuisse, mera est Rabbinorum conjectura, quæ neque cognatorum dialecticorum, neque veterum interpretum consensu confirmari potest. Tympana et tibiæ in veteri Testamento alias תף וחליל (*tof ouechalil*) appellantur, vide I *Reg.* X, 5; *Isai.* V, 12. Quæ cum ita sint, equidem, quemadmodum Latini suum tympanum ad res alias ob qualemcumque similitudinem transferunt, veluti ad tabulam januæ ornatioris mediam inter scapos et impages conclusam (apud Vitruvium, IV, 6), vel ad quoddam vasorum genus (vide Plinii *Hist. natur.* lib. XXXIII, XI, § 52); ita et nostro תף (*tof*) opus quoddam artificiosum tympano quodammodo simile indicari existimo, quale vero, hodie vix certo aliquis definiat. Et Hieronymus tympanum vocari ait, in quo infixi sunt lapides. *Naqabim* forsan sunt cavitates, quibus gemmæ supra memoratæ continentur, quales sunt quæ in annulis dicuntur *palæ*. Eæ autem cavitates jam *tempore ortus sui*, regi Tyrio paratæ dicuntur, ut significetur, ipsi ab ortu suo destinata fuisse tot illa ornamenta. Hunc, inquit, splendorem proprium tibi et naturalem esse putabas, quia his ab initio quasi cavitatibus ac sinubus perforatus es, quibus lapides illi pretiosi suo tempore illigari possent et includi. Non indigna quæ commemoretur Grotii est sententia, *tympana* hoc loco vocari *margaritas* quibus *una tantum est facies, et ab ea rotunditas, inversis planitiis*, teste Plinio, lib. IX, XXXV; *foramina* autem, sive *forata* esse margaritarum lineas, quæ tamen interpretatio a longe petita D. Calmeto videtur.

tet ex sequenti, *q. d.* Tu, o rex, qui alis potentiæ et ditionis tuæ extensis, et in sublime elatis elevatisque, plurimos populos subditos protegis, sicut Cherubim protegunt arcam et propitiatorium. Ita S. Hieronymus. Hinc R. David explicat, *q. d.* « Tu Cherub,» id est rex maximæ dignitatis : Hebræum enim רב *rab* significat magnum, opibus, viribus, scientia aliisque dotibus pollentem et potentem, uti est rex. Erat enim Tyrus in mari quasi ales, quæ binis alis suæ potentiæ et imperii mare et terram, ac præsertim Jerusalem et Judæam, in qua erant templum, arca et propitiatorium, obumbrabat et protegebat. Rursum, sicut arca tegebatur duobus Cherubinis, utrinque collocatis : ita ex parte Occidentis Tyrus et mare templo, Hierosolymæ et Judææ erat quasi Cherub, id est murus et antemurale; ex parte vero Orientis idem illi præstabat Jericho, Jordanis et lacus Asphaltites. Insuper, sicut Cherub flammeo gladio custodit paradisum terrestrem, *Genes.* III, 24; ita tu quasi alter Cherub custodis tuo gladio terram sanctam, quæ est quasi paradisus Dei. Unde de eo dixit vers. 13 : « In deliciis paradisi Dei fuisti. » Et hoc versu : « In medio, ait, lapidum ignitorum ambulasti (1). »

Tertio, per metathesin « Cherub » dicitur quasi רכב *rocheb*, id est equitans, id est princeps, moderator, gubernator : hi enim olim equis vehebantur; et sicut eques equum habenis, sic ipsi populum legibus gubernabant. Rursum, « Cherub » dicitur a רכב *recheb*, id est currus. Princeps enim est quasi currus reipublicæ, qui ejus onera portat. Sic Elias dicitur « currus Israel, et auriga ejus, » IV *Reg.* II, 12; et Christus dicitur portare omnia verbo virtutis suæ, *Hebr.* I, 3.

Parabolice, Lucifer appellatur Cherub, id est plenus scientia; quia in scientia aliisque donis naturalibus, æque ac in gratia, alios angelos præcelluit. Ita Molina, I part. *Quæst.* LXIII, art. 7.

Ubi nota : Ezechiel comparat regem Tyri, ejusque antitypum diabolum Cherubo, non Seraphino; quia versabatur inter Cherubim, ut patet cap. I, cap. X, cap. XIII, 3, et alibi. Ex adverso Isaias, cap. XIV, 12, regem Babylonis ejusque antitypum diabolum comparat Seraphino, puta principi angelorum omnium, qui est Lucifer : quia Isaias versabatur inter Seraphim, ut patet *Isaiæ* VI. Rursum, Lucifer, licet fuerit ex Seraphim, recte tamen vocatur Cherub : quia Lucifer dicitur a luce, uti Cherub a scientia, quæ est lux animæ. Verum quia hæc lux in eo fuit ignita, id est Seraphica, hinc ad Seraphim alludens, dicit de eo, et de ea Ezechiel : « In medio lapidum ignitorum ambulasti. »

EXTENTUS. — Hebræum ממשח *mimsach*; Septuaginta, κεχριμένος, id est *unctus*, scilicet ad regnum, ut habet Chaldæus, vel clarus, lucidus, illustris. Hi enim sunt olei et unctionis effectus. Unde Forsterus *mimsach* vertit, unctus, expictus, pigmentatus, coloratus, clarus, illustris; Vatablus vertit, *inunctus*. Sic et R. David, Pagninus, Mercerus, Marinus et alii. Noster Interpres forte pro ממשח *mimsach* legit ממשרח *mimsa*, id est extractus, extensus, expansus, a radice משרח *masa*, id est traxit, extraxit, extendit. Hoc enim proprie competit Cherubim, qui, extentis alis, tegebant propitiatorium. Unde sequitur, « et protegens. » Sensus est is quem paulo ante dedi. Syrus vertit : *Et fuisti cum Cherub mensurato* (vel uncto) *et adumbrato;* Arabicus Antiochenus : *Et eras cum Cherub mensurato et adumbrato;* Arabicus Alexandrinus : *Et eras cum Cherub mensurato* (vel uncto) *qui respicit in umbra* (qui præstans est in umbra). Eadem vox tam Syra quam Arabica, significat metiri et ungere.

Symbolice, hæc aptius conveniunt dæmoni, ejusque asseclis, qui ante lapsum fuerunt Cherubim, id est pleni scientia, præsertim hi, qui ex octavo ordine Cherubinorum fuerunt. Hi a die, et instanti creationis suæ fuerunt uncti oleo gratiæ. Unctio ergo hæc fuit sanctificatio, aiunt Theodoretus et S. Hieronymus. Hi etiam alis suæ potentiæ et sapientiæ quasi extentis tegebant inferiores angelos, homines cæterasque res creatas.

POSUI TE IN MONTE SANCTO DEI. — Perperam Chaldæus vertit : *Tu montem sanctum Dei sprevisti, et in populum sanctum dominari cogitasti.* Melius Maldonatus hæc exponit de Hiram rege Tyri, qui Salomoni ligna ad fabricam templi submisit, III *Reg.* V, 9; ideoque dicitur « in monte sancto Dei » positus fuisse, quod templi ædificationem juverit. Sic et Hebræi, qui putant hæc omnia ad Hiram dici : eum enim vixisse mille annis, scilicet a sæculo Salomonis usque ad tempora Danielis. Quam fabulam ridet hic S. Hieronymus. Verum nota : Tyrus in monte sita erat intra terminos Terræ Sanctæ, videlicet in tribu Aser, licet eam obtinere non potuerint Judæi. Hinc Sancta dicitur; sicut tota Chananæa populo sancto Judæorum destinata, dicitur Terra Sancta, etiam, cum a pessimis Chananæis incoleretur, *Sap.* XII, 3; *Deuter.* XXXII, 8 et 9. Arguitur hic rex Tyri, quod in Terra Sancta non sancte, sed impie vivat.

Quocirca S. Augustinus, lib. XI *De Genes. ad litteram*, cap. XXV, tom. III, hæc ad litteram ampliando accipit de impiis, qui a gratia Dei in statum peccati delapsi sunt, « factique corpus diaboli. Hi enim, ait, creati sunt Cherub, id est cum sede Dei, quæ interpretatur multiplicata scientia, et posui te in monte sancto meo, id est in Eccle-

(1) In quo regis illius præter ornatum splendentem et pulchrum (erant enim illi Cherubi aurei, *Exod.* XXV, 18), observantia quædam et nonnulla religionis species proponitur. Quemadmodum enim Cherubi ab hominum oculis remoti erant, utpote in sacratiori oraculi secessu cum arca sacra collocati, quo non nisi sacerdoti summo, idque semel quotannis, patebat accessus; ita reges superbi, qualis rex Tyri describitur, non facile se videndos offerunt, neque alii audent eorum oculos subire, quia in regiis penetralibus sese tanquam aliquid divinum continent. (Rosenmuller.)

sia. Fuisti in medio lapidum flammeorum, id est Sanctorum spiritu ferventium, lapidum vivorum : ambulasti sine vitio in diebus tuis, ex quo die creatus es tu, donec inventa sunt delicta tua in te. »

Tropologice Theodoretus : « Mons, ait, sanctus est cognitionis Dei celsitudo. » Aliter R. David et R. Salomon, *q. d.* Dedi tibi occasionem merendi, scilicet dando tibi facultatem mittendi ligna et artifices Salomonis ad fabricam templi.

Symbolice S. Hieronymus, mons sanctus est cœlum, et, ut Scholiastes, celsissimus angelicus status, ex quo Cherubim quasi hastati diabolum ejecerunt, qui scientiam depravaverat, et ob superbiam suam stationem et locum tenere nesciverat.

IN MEDIO LAPIDUM IGNITORUM, — id est micantium et fulgurantium instar ignis, v. g. carbunculorum, *q. d.* Ita gemmis abundabas, ut patet versu 13, ita iis coopertus eras, ut inter carbunculos videreris ambulare. Addit R. David regem Tyri iis noctu usum ad lumen loco candelarum. Sed hoc frivolum est et impossibile.

Secundo et sublimius, alludit ad duodecim lapides pretiosos qui erant in Rationali pontificis, quibus inscripta erant nomina duodecim filiorum Jacob, et tribuum Israel : qui inde recte vocantur lapides igniti, maxime quia per lapidum horum tempore belli, ut ait Josephus, splendorem extraordinarium, significabat Deus suum erga duodecim tribus favorem et protectionem, *q. d.* Habitasti inter Judæos quasi lapides ignitos; et tamen frigidus mansisti, ac vitali gratiæ et fidei calore destitutus. Unde R. Jonathan explicat, *q. d.* *Inter populum sanctum vixisti.* Polychronius per lapides ignitos accipit tabulas lapideas decalogi, cum igne in Sina datas et promulgatas.

Hisce tropis graphice depingit decorem et gloriam regis Tyri. Simili tropo orator rosæ decorem descripsit, dicens : « Rosa inter flores est pyropus, hortorum purpura, odorum sapphirus, aprilis oculus, veris phœnix, naturæ pompa. » Simili schemate Vindocinensis Tobiæ suo hoc epitaphium posuit :

Nobilibus trabeatus avis, decus orbis, honesti
Forma, sacerdotum gemma, lucerna gregis.

S. Hieronymi elogia, Simili schemate S. Hieronymus a S. Laurentio Justiniano, serm. *de S. Hieronymo,* vocatur « pater communis omnium, lux mundi, prædicator regni, mediator Dei et hominum, speculum sanctitatis, exemplar virtutis, defensor Ecclesiæ, protector fidelium, martyr, esto sine effuso sanguine, Domini. » Et ab aliis : « Jaspis fidei, smaragdus spei, carbunculus charitatis, adamas constantiæ. » Et S. Augustinus a S. Paulino et aliis vocatur « sol terræ, puteus sapientiæ, magister Theologiæ, flos ingeniorum, ornamentum scholarum, templum religionis, columna Ecclesiæ, scutum fidei, exemplum prælatorum, lux prædicatorum, doctor Doctorum, homo Theodidactos, eruditorum sanctissimus, et sanctorum eruditissimus. » Et S. Chrysostomus, homil. *De SS. Petro et Paulo,* eos vocat « lucem mundi, potentiores regibus, fortiores militibus, copiosiores divitibus, sapientiores philosophis, eloquentiores oratoribus, nihil habentes, et omnia possidentes, exemplar martyrum, coronam virginum, regulam conjugatorum, formam monachorum, ornamentum regum, frenum barbarorum, malleum hæreticorum. » Et Eusebius Emissenus, serm. *De iisdem,* eos vocat « duos fontes exorientes e throno Dei, duos cœlestes medicos, duas sagittas acutas emissas a pharetra Dei, duas tubas mundi, duas lampades orbis. » Et S. Gaudentius, serm. 3 *De iisdem,* dicit eos esse « fundatores Ecclesiæ, magistros innocentiæ, auctores omnis sanctitatis et veritatis. » Et S. Leo eosdem vocat « duos oculos corporis mystici Christi. » et SS. Petri et Pauli.

Symbolice, dæmon inter novem lapides nominatos, 13, id est inter novem ordines angelorum, et inter Seraphim ignitos, ait R. Jona, illis similis habitavit; nunc vero in inferni ignibus habitat. Ita S. Hieronymus et S. Gregorius, XXXII *Moral.* XVIII, juxta aliam editionem XXV, circa finem : « Diabolus, ait, in medio lapidum ignitorum ambulavit; quia inter angelorum corda charitatis igne succensa, clarus gloria conditionis exstitit. Quid namque boni non habuit, qui signaculum similitudinis Dei fuit? » Lucifer enim inter lapides ignitos fuit lapis igneus, inter Seraphim Seraph, imo dux et princeps Seraphim.

AMBULASTI. — Hebraice התהלכת *hithallacthi*, in *hitpael* reciproca conjugatione, significat compositum ad ostentationem et superbiam incessum, uti pavones in medio ocellorum erectæ suæ caudæ, extento collo se circumagunt, *q. d.* Superbe incessisti ut pavo, ostentans tuas opes et gloriam.

15. PERFECTUS IN VIIS TUIS. — Est hyperbole, *q. d.* Ab infantia didicisti bene et perfecte vivere, agere, et regere populum. Polychronius exponit, *q. d.* Experientia didicisti mea jura. Vers. 15.

Symbolice, hæc aptius conveniunt dæmoni. Unde ex hoc loco S. Augustinus, Gregorius et Theologi docent angelum a Deo creatum in gratia perfectum, sed sua voluntate libere peccasse, et factum esse dæmonem. Unde sequitur :

PERFECTUS IN VIIS TUIS A DIE CONDITIONIS TUÆ. — Hæc verba parabolice indicant non unam, sed plures operationes bonas et meritorias angelos in statu viæ exercuisse, ait Ludovicus Molina, I part. *Quæstion.* LXIII, art. 6. Idem significat vox *ambulasti.* Ambulare enim plusquam unum instans, et plusquam unum gressum operationis innuit. Ad litteram *viæ* significant opera, actiones et eventus regis Tyri, *q. d.* Potens eras et felix, faciebas quidquid volebas, quocumque te vertebas, quidquid agebas, quidquid moliebaris, omnia tibi feliciter ex voto succedebant. Sed hæc felicitas te superbum, indeque infelicem effecit.

16. IN MULTITUDINE NEGOTIATIONIS TUÆ, — *q. d.* Mercatura tua et opes fuerunt tibi causa et occa-

sio avaritiæ, injustitiæ, fraudum, superbiæ, gulæ, luxuriæ, et omnium peccatorum. Ita Polychronius.

Parabolice S. Hieronymus et Theodoretus, *q. d.* Dæmon non contentus sua scientia et potestate sibi data, sed majorum cupiditate incensus calcitravit contra Creatorem.

Notat R. David fraudes et peccata mercatorum Tyriorum regi imputari; quia ea non impedivit cum potuit et debuit. Simile est *Num.* XXV, 1 et sequent.

ET PECCASTI, — Hebræum חטאת *chata*, et Græcum ἁμαρτάνω, significat aberrare a spe, et scopo, et fine proposito, *q. d.* Cum tu in summa felicitate, gloria, divitiis, pulchritudine, sapientia versareris, superbe majora, scilicet divinitatem, affectasti et exspectasti : sed toto cœlo aberrasti, contraria fini media elegisti : hinc et contrarium omnino finem prætento consequeris, ait Vilalpando, ut nimirum non in summum ascendas, sed in imum descendas; ut non Cherub, sed חוטא *chote*, id est ignorans, et errans; non felix, sed infelix evadas.

Aliter Scholiastes, *q. d.* « Peccasti, » ita ut te non pœniteret, scilicet per impœnitentiam : hinc punieris.

Aliter et Polychronius, « peccasti, » id est punitus es, et gradu ac loco dejectus.

Moraliter, disce hic veram viam ad celsitudinem et gloriam esse sui demissionem et humilitatem. Hanc scivit et inivit humilis æque ac sapiens S. Franciscus. Narrat S. Bonaventura in Vita ejus, cap. VI, quod quidam religiosus magnæ virtutis in exstasi viderit inter multas in cœlo sedes unam præ cæteris digniorem, gemmis ornatam, et omni gloria refulgentem, audieritque vocem : « Sedes ista unius de ruentibus fuit, et nunc humili servatur Francisco. » Qui ut visionis veritatem exploraret, rogavit S. Franciscum, quid de seipso sentiret? Cui Franciscus : « Videor mihi maximus peccatorum. » Replicat alter, eum hoc non posse sana conscientia dicere, nec sentire. Respondit Franciscus : « Si quantumcumque sceleratum hominem tanta fuisset Christus misericordia prosecutus, arbitror sane quod multo quam ego gratior ei esset. » Confirmatus fuit religiosus ex tam admirabilis humilitatis auditu, de veritate visionis ostensæ, sciens ex Evangelio, quod ad excellentiam gloriæ vere humilis exaltetur.

17. PERDIDISTI (Hebraice *corrupisti*) SAPIENTIAM TUAM IN DECORE TUO. — Septuaginta, *cum decore tuo*. « Dum plus vis esse, ait S. Hieronymus, quam conditus es, et magis sapere, quam a Deo acceperas, etiam id perdidisti quod habebas, et pro pulchritudine atque doctrina, deformitas te atque stultitia possederunt. » Polychronius apte per decorem regni gloriam accipit, *q. d.* Dum ex splendore regiæ tuæ dignitatis et gloriæ te superbe extulisti, perdidisti veram sapientiam, quæ in vera sui cognitione, demissione et modestia sita est.

Potest, *secundo*, verti : *Corrupisti sapientiam propter decorem tuum*, dum scilicet nimis decori studes et inhias. Id mulieres sæpe faciunt, ait Tertullianus, lib. *De Cultu feminarum*. Dum enim se nimis ornant, corrumpunt nativum suum decorem, et sapientiam, quæ in gravitate et modestia vestitus consistit.

Moraliter S. Bernardus, serm. 74 *in Cant.* : « Perdidisti in decore tuo sapientiam. Nolo, ait, decorem, qui mihi sapientiam tollat. Quæris, quis ille tam noxius decor tuus? Planius audi, privatus, proprius. Non culpamus donum, sed usum. Et ni fallor, unus angeli animæque decor ipsa (sapientia) est. Quid enim vel hæc, vel ille, absque sapientia, nisi rudis deformisque miseria est? sed perdidit eam, cum fecit suam, ut non sit aliud in decore suo, quam in sua sapientia perdidisse sapientiam. Proprietas in causa est. Quod sibi sapiens fuit, quod non dedit gloriam Deo, quod non retulit gratiam pro gratia, istud est, cur eam perdidit, imo istud est, quod eam perdidit. Etenim sic habere, perdere est. »

IN TERRAM PROJECI TE, — id est regno te dejeci, ait S. Hieronymus, et, ut Polychronius, excellentia te privavi : qui enim aliis prælatus superbit, a dignitate cadens, nulla alia re subditis antecellit, nisi infamiæ nota, ait Vilalpando.

Symbolice, dæmon e cœlo in aërem hunc, terram et infernum cecidit, ait Apollinaris. Hoc est quod ait Christus, *Luc.* X : « Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem. » Simili modo Adam ob superbiam e paradiso ejectus est, *Genes.* cap. III, ait S. Hieronymus.

18. POLLUISTI SANCTIFICATIONEM TUAM, — id est pristinam sanctitatem et religionem : vel potius, montem sanctum Dei, in quo tanquam Cherub esse videbaris. Hebraice enim est מקדש *micdas*, id est sanctuarium, *q. d.* Tua superbia et peccatis polluisti urbem tuam, regiam et palatium tuum, quod erat in monte et terra sancta, quodque quasi quid sanctum, et hostibus intemeratum, a gentibus omnibus celebrabatur et colebatur : hinc ego eadem nunc quasi profana hostium incursibus objiciam, faciamque ut ab eis fœdentur et evertantur. Ita Maldonatus, Vilalpando et alii. Addit, vel potius fingit R. David, palatium regis Tyri fuisse fabricatum in modum et formam sanctuarii, id est templi.

PRODUCAM ERGO IGNEM DE MEDIO TUI, — scilicet, o Tyre, qui te cum rege comburat, *q. d.* Faciam ut ex peccatis tuis pœna nascatur, qua consumaris, sicut domus igne in ea exorto consumi et conflagrare solet.

Sic tropologice, mercaturæ, avaritiæ et superbiæ collisione accenditur ignis discordiæ, principem cum republica devorans. Sic dæmon, sic peccator peccatis suis sibi ignem struit et præsentem et æternum, *Isai.* L, 11. Alii exponunt, *q. d.* Faciam ut ex tuis incolis aliqui ad Chaldæos profugiant, eisque te prodant.

ET DABO TE IN CINEREM SUPER TERRAM IN CONSPECTU OMNIUM, — ut hic cinis sit monumentum incendii Tyri, in æternum mansurum, in aliorum exemplum.

Symbolice Theodoretus : « Homo, ait, in sua terra lapsus factus est pulvis; et diabolus, qui orbi imperabat, a Christo eversus, quasi cinis ab hominibus conculcatur. »

Vers. 19. 19. NIHILI FACTUS ES, — qui volueras esse deus, o rex, et o dæmon, nihili factus es, abjectissimus, vilissimus, et in perpetuum non restitueris pristinæ dignitati. Hebraice est, *terror eris*, id est terrori eris omnibus sæculis, omnes posteri tuo exemplo deterrebuntur a peccatis, et offensa Dei, quia peribis plane, *et in sæculum non eris*. Alii hæc non de rege, sed de ipsa Tyro accipiunt, quæ est restituta post 70 annos; et tunc *perpetuum*, sive sæculum significat 50 annos jubilæi.

Moraliter, Tyrus, et rex Tyri est typus peccatorum, maxime superborum et apostatarum, qui a clero, vel ab Ordine, vel etiam a S. Ecclesia ad hæreticos, aliosve transfugiunt : ejusque abjectio et incendium repræsentat ignes gehennæ. Sic feriunt summos fulmina montes. Quare ? « Quia, ait Augustinus, voluerunt ascendere in montem, in quem ascendit angelus, et descendit diabolus; » montem, inquam, celsitudinis, æqualitatis Dei, superbiæ et fastus. Hæc ergo omnia quæ dicuntur regi Tyri, recte accommodes dicasque Judæ proditori, Origeni, Tertulliano, Luthero, Calvino horumque similibus.

21. PONE FACIEM. — Hæc phrasis significat libertatem, et immobilem animi constantiam in prædicatoribus requisitam, ait Scholiastes. *Secundo*, ut Vilalpando, significat quam eisdem sit pronuntiationi invigilandum, ut curent actione, v. g. hic torvo vultu exprimere, quod verbis significant. Sensus est, *q. d.* Converte vultum et sermonem tuum ad Sidonem, eique libere et severe prædic exitium, quod, sicut Tyro loco et moribus est vicina, ita et pœna et mortibus futura sit similis.

SIDONEM. — Sidon condita est a Sidone, filio Chanaan, filii Cham, filii Noe, ait Josephus, lib. I *Antiq.* VI. Licet Justinus, lib. XVIII, Sidonem dictam velit a multitudine piscium : Phœnices enim pisces vocant Sidon, ab Hebræo צוד *tsud*, id est venari : unde צדה *tseda* significat venationem tam avium quam piscium (1).

(1) Quando impleta fuerint quæ vates hoc loco minatur certe demonstrari non potest : « Perierunt, inquit Grotius, nobis historiæ, ex quibus hæc possemus interpretari. Sed credibile est Sidonios, unde orta est Tyrus, Tyriis auxilium præbuisse, et postea Chaldæis dedisse pœnas. Nam domum veterem Sidoniorum regum ad plebeiam sortem depressam jam olim fuisse, discimus ex scriptoribus rerum Alexandri. Redacti ergo et hi, non minus quam Tyrii sub potestate Chaldæorum primum, deinde Persarum. » Alii Sidonis subversionem per Artaxerxem Ochum, Persarum regem, factam, quam pluribus Diodorus Siculus, *Biblioth.* XVI, XL, describit, a Nostro innui existimant.

22. ECCE EGO AD TE, — supple, veniam, ut puniam, ait S. Hieronymus. Est aposiopesis irati. Vers. 22.

GLORIFICABOR IN MEDIO TUI, — in tui justa punitione et vindicta ostendam meam justitiam et gloriam.

CUM, etc., SANCTIFICATUS FUERO (cum Sidonem puniens, ostendam me esse justum, et sanctum impiorum vindicem, ut omnes glorificent et laudent me, meamque sanctam justitiam et vindictam in impios Sidonios. Hinc) 23. IMMITTAM EI PESTILENTIAM ET SANGUINEM, — cædem, effusionem sanguinis. Vers. 23

24. ET NON ERIT ULTRA DOMUI ISRAEL OFFENDICULUM AMARITUDINIS, — id est scandalum amaricans, vel amaritudinem et afflictionem inducens. R. David vertit, *spina pungens*. Sidonii enim et vicinæ gentes suo exemplo, familiaritate, suasionibus, Judæos ad sua scelera, maxime idololatriam pertrahebant. Unde Deus eos illis ipsis tradebat vexandos et puniendos : qui non moderate, nec ut Dei justitiæ, sed ut suo odio et indignationi satisfacerent, gravissime Judæos afflixerunt, sicque fuerunt eis quasi spina pungens, *Josue* XXIII, 12, et adversarii, ut hic dicitur, *q. d.* Ego Deus ita Judæos et populum meum amo, ut propter eos, Sidonios et alios circumquaque eis vicinos evertam; ne eos deinceps habeant Judæi exemplar impietatis, pariter et hostes crebro se invadentes et excruciantes. Ita Theodoretus. Vers. 24.

25. SANCTIFICABOR IN EIS, — ut omnes celebrent sanctam meam justitiam, æque ac misericordiam et fidelitatem, ac curam in populum meum, cum viderint me eum longa captivitate ob peccata punivisse : punitum vero et correctum in pristinum statum, libertatem et patriam restituisse per Cyrum; ac mystice per Christum eumdem e captivitate peccati et diaboli in pristinam libertatem, et gratiam Dei revocasse : tunc enim omnino securi habitabunt in Ecclesia, pacem internam conscientiæ habentes cum Deo.

Notat Theodoretus : Aliter Deus punit amicos, aliter inimicos; aliter electos, aliter reprobos : hos ut perdat, illos ut corripiat et emendet. Sic Judæos hic emendavit, Sidonios perdidit. Denique vide ut rex Tyri ceciderit, vide ut inclyti cadant. Problema hac de re egregium proponit Ambrosius Leonis, insignis philosophus, in *Problem.* cap. CCLXXXIII : « Cur, inquit, quamplurimi eorum, qui heroes appellati sunt, atque viri illustres, in maximas ærumnas inciderunt, ut ait Isocrates, veluti Hercules, Achilles, Ajax, Hector, Themistocles, Romulus, Camillus, Marcellus, Scipio uterque, Annibal, C. Cæsar, Cicero, Demosthenes, Plato, Socrates, Aristoteles, Euripides, Empedocles, Plinius, atque innumeri alii? » Et respondet *primo* : « An hoc ipsum verum non est? videtur tamen esse. Namque hominum vita omnis variis calamitatum modis afflictata est, adeo ut nemo sit, qui non gravitate malorum affectus pressusque sit. Quamobrem sicut plurimi obscurorum hominum calamitatibus afficiuntur : ita

etiam illustrium magna pars, si non omnes, ærumnis attingitur. Verumtamen excellentia personæ, qua unusquisque heroum ante omnium oculos positus est, facit ærumnas ferentis illustriores. » *Secundo* : « An etiam verum hoc est, acciditque ob summi boni arduam ac difficilem conditionem, quam natura et fortuna tolerare vix queunt? Quamobrem qui, natura duce, præstitit ingenio et corpore, huic fortuna sæpe nequivit aspirare; sicut sæpe qui fortuna excelluit, is ingenio hebeti, languidoque corpore jacuit. » Ita enim Deus naturam instituit, ut bona malis, ac consequenter magna mala magnis bonis in hac vita permixta sint, ut ad beatam vitam aspiremus. Omitto invidiam, quæ sæpe magnos viros premit : quodque viri magni magnis periculis sæpe se exponunt, in quibus pereunt. Denique moralis causa, quam hic Propheta assignat, est superbia; magni enim magnos gerunt spiritus, quos premit Deus optimus maximus.

CAPUT VIGESIMUM NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Vaticinatur, Ægyptum, quæ Judæis Deo et Nabuchodonosori rebellandi fuit instigatrix et opitulatrix, Nabuchodonosori a Deo tradendam, pro mercede, qua in Tyro expugnanda et punienda pro Deo laboravit Nabuchodonosor. Ægypti ergo excidium per Chaldæos prædicit, idemque prosequitur per tria sequentia capita, scilicet cap. XXX, XXXI *et* XXXII. *Porro duas de hoc Ægypti excidio hoc cap. recenset visiones : unam, quam habuit anno decimo Sedeciæ, vers. 1 et sequent.; alteram, quam habuit post 17 annos, vers. 17* (1).

1. In anno decimo, decimo mense, undecima die mensis, factum est verbum Domini ad me, dicens : 2. Fili hominis, pone faciem tuam contra Pharaonem regem Ægypti, et prophetabis de eo, et de Ægypto universa : 3. Loquere, et dices : Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego ad te Pharao rex Ægypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, et dicis : Meus est fluvius, et ego feci memetipsum. 4. Et ponam frenum in maxillis tuis : et agglutinabo pisces fluminum tuorum squamis tuis : et extraham te de medio fluminum tuorum, et universi pisces tui squamis tuis adhærebunt. 5. Et projiciam te in desertum, et omnes pisces fluminis tui : super faciem terræ cades, non colligeris, neque congregaberis : bestiis terræ, et volatilibus cœli, dedi te ad devorandum : 6. Et scient omnes habitatores Ægypti, quia ego Dominus : pro eo quod fuisti baculus arundineus domui Israel. 7. Quando apprehenderunt te manu, et confractus es, et lacerasti omnem humerum eorum : et innitentibus eis super te, comminutus es, et dissolvisti omnes renes eorum. 8. Propterea hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego adducam super te gladium : et interficiam de te hominem, et jumentum. 9. Et erit terra Ægypti in desertum, et in solitudinem : et scient quia ego Dominus : pro eo quod dixeris : Fluvius meus est, et ego feci eum. 10. Idcirco ecce ego ad te, et ad flumina tua : dabo-

(1) Vaticinia Ezechielis contra Ægyptum quatuor capita sequentia complectuntur, a XXIX ad XXXII. Quæ quidem vaticinia non sunt collocata juxta ordinem chronologicum. Porro huic quæstioni cur in hoc eodem loco primum factus sit sermo Domini ad Pharaonem *anno decimo*, et postea *vicesimo septimo*, et deinceps *anno undecimo?* cum utique juxta ordinem primo *decimus*, secundo *undecimus*, tertio *vicesimus septimus* annus singulis prophetiis debuerint prænotari, respondet S. Hieronymus : « O profundum divitiarum sapientiæ Dei, quam inscrutabilia judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! » (*Rom.* XI, 33). Et in alio loco (*Eccli.* I, 4.) : « Abyssum et sapientiam quis investigabit? » Possumus autem hoc dicere, quod et in prophetis nequaquam historiæ ordo servetur, duntaxat non in omnibus, sed in quibusdam locis; neque enim narrant præterita, sed futura prænuntiant, prout voluntas Spiritus Sancti fuerit. Addere juvat cum Rosenmuller in collocandis hic contra Ægyptum vaticiniis, hunc servatum esse ordinem, ut ea vaticinia quæ devastandi atque evertendi regni Ægyptiaci *causas* exponunt, præmittantur cæteris, in quibus Ægypti *strages* pluribus describitur. Causa vero, cur Deus Ægyptum evertere decreverat, traditur triplex : *primo*, quod regis Ægyptii fastus erat deprimendus (vers. 2-5); *secundo*, quod Ægyptii vanis auxilii promissionibus Judæos in falsam spem, adeo ipsis perniciosam adduxerunt (vers. 6-16); *tertio*, denique, quod Nabuchodonosoris operam, quam in Tyri oppugnatione longam assumpsit spoliis Ægyptus compensare voluit. Cæterum, recte observat Lightfoot in *Chron. Temp. et ord. text. vest. Test.*, hoc contra Ægyptum vaticinium prolatum esse tempore maxime opportuno, utpote quando fastus illius ad summum pervenerat, et Hierosolyma in ea posuerit fiduciam. Nunc enim prodierat cum omnibus viribus suis, ut Hierosolymam obsidione liberaret, ipsaque Hierosolyma tota spe in illam recumbebat, ideoque ipso hoc tempore destructionem Ægypto denuntiat, spei vero in illa frustrationem Judæis.

que terram Ægypti in solitudines, gladio dissipatam, a turre Syenes, usque ad terminos Æthiopiæ. 11. Non pertransibit eam pes hominis, neque pes jumenti gradietur in ea : et non habitabitur quadraginta annis. 12. Daboque terram Ægypti desertam in medio terrarum desertarum, et civitates ejus in medio urbium subversarum, et erunt desolatæ quadraginta annis : et disperdam Ægyptios in nationes, et ventilabo eos in terras. 13. Quia hæc dicit Dominus Deus : Post finem quadraginta annorum congregabo Ægyptum de populis, in quibus dispersi fuerant. 14. Et reducam captivitatem Ægypti, et collocabo eos in terra Phathures, in terra nativitatis suæ : et erunt ibi in regnum humile : 15. inter cætera regna erit humillima, et non elevabitur ultra super nationes, et imminuam eos ne imperent gentibus. 16. Neque erunt ultra domui Israel in confidentia, docentes iniquitatem, ut fugiant, et sequantur eos : et scient quia ego Dominus Deus. 17. Et factum est in vigesimo et septimo anno, in primo, in una mensis : factum est verbum Domini ad me, dicens : 18. Fili hominis, Nabuchodonosor rex Babylonis servire fecit exercitum suum servitute magna adversus Tyrum : omne caput decalvatum, et omnis humerus depilatus est : et merces non est reddita ei, neque exercitui ejus de Tyro, pro servitute qua servivit mihi adversus eam. 19. Propterea hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego dabo Nabuchodonosor regem Babylonis in terra Ægypti : et accipiet multitudinem ejus, et deprædabitur manubias ejus, et diripiet spolia ejus : et erit merces exercitui illius, 20. et operi, quo servivit adversus eam : dedi ei terram Ægypti, pro eo quod laboraverit mihi, ait Dominus Deus. 21. In die illo pullulabit cornu domui Israel, et tibi dabo apertum os in medio eorum : et scient quia ego Dominus.

Vers. 1. 1. In anno decimo — captivitatis Joachin, qui pariter fuit annus 10 Sedeciæ. Nota : Præcedentes prophetiæ contra Tyrum factæ sunt posterius, scilicet anno 11 Sedeciæ, ut patet cap. xxvi, 1 ; præponuntur hic tamen, quia Tyri vastatio, quam minatur Propheta, prius contigit, quam Ægypti. Nam Chaldæis ob eversam Tyrum, Ægyptus data fuit in prædam, ut dicitur vers. 18 et 19. Duas alias causas affert Maldonatus. Prior est, quod Tyrus vicinior sit Hierosolymæ, quam Ægyptus; itaque maluit Propheta locorum quam temporum ordinem servare. Posterior, quod Ezechiel alteram prophetiam contra Ægyptum et Pharaonem post illam de Tyro, nimirum anno 27 captivitatis Joachin acceperit, ut constat vers. 17, et voluerit utramque conjungere.

Apposite Tyro conjungitur Ægyptus, ejusque vastatio, quia hæc illi in moribus et vitiis erat similis. Unde hebraice utraque nomen habet affine, et quasi idem, ab eadem radice צור *tsur*, id est arctavit, angustiavit. Inde enim dicitur Tor et Tyrus, inde et dicitur מצרים *mitsraim*, id est Ægyptus. Mitsraim ergo idem est quod ἐκθλίβουσα, id est *coangustans et tribulans eos qui sibi subditi sunt*, ait S. Hieronymus.

Decimo mense — Adar, qui respondet februario : Judæi enim annum inchoabant a Paschate et mense Paschali, puta a Nisan, id est martio, ex decreto Dei, *Exod.* cap. xii, 1. Verum corrige hic, ac lege, « duodecimo mense, » id est in decembri. Ita Hebræa, Septuaginta, Romana.

Undecima die. — Hebræa habent, *duodecima die.*

Vers. 3. 3. Ecce ego ad te, — scilicet veniam et mittam furorem ac vindictam meam. Ita Chaldæus.

Pharao. — Pharao non proprium, sed commune regum Ægypti erat nomen. Pharao enim ægyptie regem significat, uti ex Eusebio et Josepho docui *Exodi* i, 10; idque asserit hic S. Hieronymus, qui et exempla addit : « Sic, inquit, apud Romanos, Cæsares et Augusti reges eorum appellantur a primo Caio Cæsare, et secundo adoptivo ejus Octaviano, qui postea Augustus est nominatus; et apud Syros, Antiochi; apud Persas, Arsacidæ; apud Philistiim, Abimelech; et post Alexandrum in Ægypto Ptolemæi usque ad Cleopatram; qua victa apud Actium, Ægyptus Romana est facta provincia. » Symbolice Pharao, si Hebræum etymon spectes, « interpretatur διασκεδάστης, interfector videlicet et lacerator, et gladio cuncta concidens et dividens. » Talis est diabolus, qui est rex Ægypti, id est mundi, qui tribulat eos qui sibi subditi sunt, eosque a Deo et cœlo separat ac dividit, mittitque in gehennam et mortem æternam. Ita S. Hieronymus.

Draco magne. — Nota : Pharaonem vocat draconem, scilicet marinum, id est cetum, sive balænam; vel potius fluviatilem, puta crocodilum, qui est in fluviis Ægypti, id est in Nilo qui in septem rivos, et quasi flumina sectus, septem ostiis mare Mediterraneum ingreditur. Ægyptus enim, Nilo exundante, tota pene quasi mari oppletur, ut ejus limo quasi stercoretur et fecundetur. Hinc apta metaphora regem Ægypti, quasi in Nilo regnantem, vocat cetum vel crocodilum. Unde ait : « Qui cubas in medio fluminum tuorum, » scilicet rivorum Nili; Syrus, *qui cubas inter flumina;* Arabicus, *qui cubas in ventre* (in medio) *fluminum.* Idem facit Psaltes *Psalm.* lxxiii, 14 : *Tu confregisti capita*

Pharao vocatur draco, id est crocodilus, cur?

draconis, id est Pharaonis. Pharaones enim et Ægypti superbiebant Nilo, quasi nec cœlo, nec Jove indigerent; sed Nilus eis tantam fertilitatem afferret, ut Ægyptus vocaretur horreum orbis. Audi Lucanum :

> Terra suis contenta bonis, non indiga mercis,
> Aut Jovis : in solo tanta est fiducia Nilo.

Inde est ut nemo aratorum in Ægypto cœlum suspiciat, ait Seneca; et Claudianus, *epigram.* 6 :

> Ægyptus sine nube ferax, imbresque serenos
> Sola tenet, secura poli, non indiga venti,
> Gaudet aquis quas ipsa vehit, Niloque redundat.

Rursum Nilus recedens majorem partem terræ Ægypto adjecit et aggessit, ut docet Plinius lib. II, cap. LXXXV : « Idem amnis unus omnium nullas exspirat auras, » ait idem lib. V, cap. IX. Insuper Nilus in septem rivos se findens, totidem quasi insulas facit et fecundat, totidemque ostiis in mare influit. Hinc teste eodem, tempore Romanorum ita superbiebant Ægyptii, ut dicerent in suis manibus esse vel abundantiam, vel famem victoris populi Romani. Ex copia ortus est luxus, fastus et nequitia. Unde Plinius in *Panegyrico Trajani* :

> Nequitias tellus scit dare nulla magis.

Ægyptios inter malos medium tenere locum, docet vetus verbum : « Lydi mali, secundi Ægyptii, tertii Cares, » inquit Eustathius ad Dionysium.

Comparat ergo Pharaonem crocodilo, *primo*, quia, sicut crocodilus piscibus in Nilo, ita Pharao Ægyptiis in Ægypto dominabatur. *Secundo*, quia sævus erat et rapax ut crocodilus, de quo Plinius lib. VIII, cap. XXV : Crocodilum, ait, « habet Nilus, quadrupes malum et terra pariter ac flumine infestum. Unum hoc animal terrestre linguæ usu caret. Unum superiore mobili maxilla imprimit morsum, alias terribile, pectinatim stipante se dentium serie. Parit ova quanta anseres; eaque extra eum locum semper incubat, prædivinatione quadam, ad quem summo auctu eo anno egressurus est Nilus. » *Tertio*, « nec aliud animal ex minori origine in majorem crescit magnitudinem; magnitudine excedit plerumque duodeviginti cubita. » Ita Pharao e parvo crevit adeo, ut aspiraret ad monarchiam orbis. *Quarto*, « unguibus hic armatus est, contra omnes ictus cute invicta. Dies in terra agit, noctes in aqua, teporis utrumque ratione. » Ita Pharao et terræ et aquis dominabatur, iisque ita cingebatur, ut videretur invictus, imo inaccessus. *Quinto*, subdit Plinius crocodilum tres habere hostes, *primo*, ichneumonem; *secundo*, delphinum; *tertio*, Tentyritas. Crocodilum, inquit, « saturum cibo piscium, et semper esculento ore in littore somno datum, parva avis, quæ trochilos ibi vocatur, rex avium in Italia, invitat ad hiandum pabuli sui gratia, os primum ejus adsultim repurgans, mox dentes, et intus fauces quoque ad hanc scabendi dulcedinem quam maxime hiantes; in qua voluptate somno pressum conspicatus ichneumon, per easdem fauces ut telum aliquod immissus, erodit alvum. Verum in crocodilo major erat pestis, quam ut uno esset ejus hoste natura contenta. Itaque et delphini immeantes Nilo, quorum dorso tanquam ad hunc usum cultellata inest pinna, abigentes eos præda, ac velut in suo tantum amne regnantes, alioquin impares viribus ipsi, astu interimunt. In ventre mollis est tenuisque cutis crocodilo; ideo se ut territi immergunt delphini, subeuntesque alvum illa secant spina. Quin et gens hominum est huic belluæ adversa in ipso Nilo Tentyritæ, ab insula in qua habitat appellata. Flumini innatant, dorsoque equitantium modo impositi, hiantibus resupino capite ad morsum, addita in os clava, dextera ac læva tenentes extrema ejus utrinque, ut frenis in terram agunt captivos. » Ita Pharao tres habuit hostes, Æthiopes, Syros, Chaldæos. Hæc symbolice facile est adaptare diabolo, qui insuper celer est ut crocodilus, quem ut fugiant canes, ex Nilo non stando, sed currendo, aquam lambunt, dum sitiunt. Denique crocodilus dicitur, eo quod crocum, ejusque odorem fugiat.

EGO FECI MEMETIPSUM, — scilicet regem. Unde Chaldæus vertit : *Meum est regnum, et ego subjugavi illud, q. d.* Qui superbis sicut rex Tyri, quasi a Deo non acceperis regnum; sed tuæ prudentiæ et fortitudini illud arrogas, quasi deus quidam. *Secundo*, Septuaginta vertunt : *Ego feci ea*, scilicet flumina; et Vatablus : *Ego feci mihi*, scilicet Nilum, et Nili rivos et aggeres, ut totam Ægyptum partim sepiant et muniant, partim irrigent et fecundent. Sic enim gloriatur vers. 9, *q. d.* Regnum Ægypti tam potens, tam fertile per aquæ ductus ego feci. Et sic hæc versio et explicatio consentit cum priore. Porro hic superbus Ægypti rex fuit Pharao cognomento Ephree, vel Apries, de quo scribit Herodotus lib. II : « Sibi, ait, persuasit, quod nullus hominum vel deorum sibi regnum adimere posset, quod ita stabilivisset. » Vide dicta *Jeremiæ* XLIV, 30.

Ita Niobe Thebarum regina, septem filiorum et totidem filiarum mater, jactabat se invictam et felicissimam, ideoque Latona in eam exardescens, movit Apollinem, ut septem ejus filios totidem jaculis configeret. Audi Ovidium, VI *Metamorphos.* :

> Felicissima matrum
> Dicta foret Niobe, si non sibi visa fuisset.

Dicebat enim :

> Sum felix, quis enim neget hoc? felixque manebo.
> Hoc quoque quis dubitet? tutam me copia fecit.
> Major sum quam cui possit fortuna nocere.

Imo vero, « inopem te copia fecit, » felicitas infelicem, superbia abjectam.

Ita Capaneus apud Statium, *Theb.* II, superbe ait :

> Virtus mihi numen, et ensis
> Quem teneo.

Idem, lib. X :

Ades, o mihi dextera tantum!
Tu præsès bellis, et inevitabile numen,
Te voco, te solam superum contemptor adoro.

Et Mezentius, *Æneid.* X :

Dextra mihi Deus, et telum quod missile libro.

Et Flaminius consul apud Silium, V *Punic.* :

Divus sat magnus in hostem,
Auspicium Latio, quod in armis dextera præstat.

Et Alcmena apud Senecam in *Hercule Œtæo*, filium pro Jove sibi fuisse asserit :

Quidquid negaret Juppiter, daret Hercules.

Et Cæneus, a quo proverbium, *Cænei hasta*, eo quod et ipse eam pro deo haberet, et alios cogeret adorare. Sed horum omnium impia ora Deus contudit. Nam Capaneum Jupiter fulmine sideravit, Mezentium Æneas trucidavit, Flaminius eo prælio a Pœnis est occisus, Hercules ab uxore ignara, Nessi fraude, interemptus occubuit, Cæneus a Centauris truncis arborum oppressus interiit. Ita et Pharao hic a Deo, per Chaldæos regno et vita mulctatus est.

4. PONAM FRENUM IN MAXILLIS TUIS, — ut quasi equum effrenem te freno, id est calamitate, domem, et in gyrum rationis, ac meæ voluntatis agam et inflectam.

Secundo, ex Hebræo Chaldæus et Vatablus vertunt : *Ponam hamum in ore tuo*, ut te capiam, ut quasi cetum, aut potius crocodilum, ex aquis, puta ex Ægypto regno tuo, te extraham et gravissime affligam. Hamum autem vocat Chaldæos, per quos Ægyptus capta et vastata est (1).

ET AGGLUTINABO PISCES FLUMINUM TUORUM SQUAMIS TUIS, — ut scilicet, subditi tibi Ægyptii, tam principes quam cives et plebeii, tibi jungantur in clade et captivitate, quam inferent tibi Chaldæi. Alludit ad pisces gregales, qui suum regem habent, eumque sequuntur, et cum eo capiuntur, uti sunt haleces (2).

Symbolice nota : Mundus est mare, homines quasi pisces, piscatores sunt Christus et diabolus: Christus hamo piscatur, quia paucos; diabolus, quia multos, reti, cujus ingressus amplissimus est, sed exitus angustus et difficilis, instar nassæ. Unus homo hic alium, quasi piscis piscem devorat : esca diaboli est voluptas (hæc enim est esca malorum, ait Plato), potentia, opes, deliciæ : Christi esca aspera est, mortificatio, humilitas, abstinentia, patientia. Sic S. Bernardus : « Monasteria, ait, sunt vivaria, in quæ conjicit Christus pisces, quos traxit ex mari mundi; » ut ibi eos in sanctitate et quiete custodiat, ac gratia sua nutriat, ac provehat ad gloriam. Piscator dum magnum piscem inescavit, non statim violenter eum attrahit, ne ille mole sua setam abrumpat, vel elabatur et diffugiat; sed lactat eum, sinitque setam eum sequi, donec ille unco plane se induat, ut evadere non possit : ita facit et dæmon. Item potiori jure faciat concionator, et quicumque animas piscari et lucrari Deo satagit.

5. PROJICIAM TE IN DESERTUM, — *q. d.* Sicut pisces capti projiciuntur in terram, ibique moriuntur (piscium enim elementum, et locus naturalis est aqua, extra quam vivere nequeunt) : sic te in terram prosternam et collidam, ut moriaris. Forte etiam prælium in deserto commisit Pharao cum Chaldæis, ubi occubuit : aut certe, ut Maldonatus, in aridam terram Babylonis ductus est Pharao; ibique mortuus, insepultus projectus fuit bestiis et avibus devorandus. Vatablus vertit : *Deseram te in deserto.*

(1) Nomen חחים *chachim*, quod supra cap. XIX, 4, significatione *uncini* per nares transfixi aderat, hoc loco pro *hamo* est capiendum, ut *Job* XL, 26. Crocodilus jam Herodoti tempore (lib. II, cap. LXXX), capi ingenti hamo ferreo solebat, cui caro suilla esca imposita, ut hanc devorans et hamum deglutiat bestia, quæ tum ex aqua extrahitur. Eodem modo crocodilorum capturam describit Mailler, *Description de l'Egypte*, tom. II, pag. 127, ed. 1740 : « On en prend quelquefois avec des hameçons, en leur mettant pour appât un quartier de cochon ou de lard dont ils sont fort friands. »

(2) Qui hoc oraculum ad Pharaonem Apriem, seu Hoprem referunt, hoc versu cladem, quam ille a Cyrenæis in desertis Libycis accepit, spectari putant : quam sententiam ex Herodoto, lib. IV, cap. CLIX, et Diodoro Siculo, lib. I, cap. LXVIII, elucidare conantur. Atque isto versu 4, hoc innui volunt, regem in toto regno suo exercitum conscripturum et contra hostes educturum, sed infelici eventu. Huic sententiæ nos, inquit Rosenmuller, et sane quidem nostro sensu, minime adstipulari possumus. Nam ad cladem Ægypto a Chaldæis inferendam, omnia hæc oracula quatuor capitibus inde a cap. XXIX usque ad XXXII comprehensa, pertinere non solum patet inde, quod infra vers. 18, Deus Nabuchodonosoris operam, quam in Tyri oppugnatione longam assumpsit, Ægyptiis spoliis compensandam promittit; verum et ex iis quæ cap. XXX, 10, 25; XXXII, 11, leguntur. Et in eo vaticinio, quod duobus tantum mensibus serius nostro editum est (XXX, 20-26), diserte per *regem Babylonium* Ægyptus vastanda, et incolæ per omnes gentes dispergendi dicuntur. Stragem autem, Ægyptiis in desertis Libycis a Cyrenæis illatam, causam fuisse tantæ vastitatis, quantam toti Ægypto inde a vers. 10, vates minatur, ne verisimile quidem est, nec veteris alicujus scriptoris testimonio demonstrari poterit. Neque Apriei conveniunt, quæ versu proximo regi Ægyptio denuntiantur, fore, ut in deserto interfectus ibi insepultus jaceat. Nam Apries in Ægyptum reversus et carceri inclusus ac tandem strangulatus est. Quare istius sententiæ defensores eo confugiunt, ut illam comminationem vel synecdochice de Apriei exercitu capiendam, vel ad ejus successorem et æmulum, Amasin, qui sepultura caruit (Herodot. III, XVI), extendendam esse dicunt. Verum ne synecdochice intelligantur, quæ Propheta vers. 5, regi Ægyptio minatur, vetant verba : « Et projiciam te in desertum, et omnes pisces fluminis tui, super faciem terræ cades, » et quæ sequuntur. Si quis vero, quæ vates diserte uni eidemque regi minatur, divellere, atque duobus diversis viris accommodare velit, nonne is planissima contorquere ac pervertere dicendus erit?

NON COLLIGERIS — insepultus jacebis, erisque præda ferarum.

6. PRO EO QUOD FUISTI BACULUS ARUNDINEUS DOMUI ISRAEL, — quia Israelitas concitasti, ut rebellarent Chaldæis, fisi tua ope et viribus, fuisti eis « baculus, » id est sustentaculum in promissione, sed in solutione « arundineus, » id est infirmus, vacuus, inanis et fallax, quia promissis non stetisti; imo causa fuisti cur Judæi a Chaldæis, utpote tuis æmulis gravius sint afflicti, ut patet *Isaiæ* XXXVI, 6. Apposite Ægyptios comparat arundini, tum quia Ægyptus in longum excurrit secus Nilum, estque instar longæ arundinis; tum quia Ægyptus arundinibus tam papyriferis quam aliis abundat, uti docet Plinius lib. XIII, cap. XI; tum quia arundo omnis non solum plotia, quæ debilior, sed etiam characia, quæ solidior, cassa, inanis, fragilis et infirma est. Ita Delrio, *adag.* 215.

Sic omnis mundi spes et promissa sunt baculus arundineus, *Jerem.* XVII, 5 et seq. Vide ibi dicta: « Causa ergo iræ Domini contra Ægyptum illa est, quod populum Dei suo deceperit auxilio, ne speraret in eum, itaque Deum ad iracundiam provocarit, » ait S. Hieronymus.

7. APPREHENDERUNT (scilicet Judæi) TE (quasi baculum) MANU, — ut se et suum regnum sustentarent.

CONFRACTUS ES, — cæsus a Chaldæis, aut eorum vires metuens rediisti in Ægyptum, *Jerem.* cap. XXXVII, 7.

ET LACERASTI OMNEM HUMERUM EORUM, — id est fregisti omnes Judæorum vires, *q. d.* In causa fuisti, ut altera pars Judæorum, quæ, Jechonia in Babylonem ducto, in Jerusalem remanserat, quasi alterum eorum brachium, a manu usque ad humerum, id est a minimo usque ad maximum, puta usque ad regem Sedeciam, vel occideretur, vel in captivitatem abduceretur. Ita Maldonatus.

ET DISSOLVISTI RENES EORUM. — « Renes, » id est vires. Qui enim renibus dolent, non possunt sine baculo stare, et, baculo eliso, concidunt: ita Judæi, subducentibus se Ægyptiis, conciderunt. Videntes enim Judæi Ægyptios, in quibus confidebant, cæsos a Chaldæis, animos et vires amiserunt. Pro *dissolvisti* Hebræus et Chaldæus habent העמדת *haamadta*, id est, *stare facies eos super lumbos suos*, ut sibi solis nixi, ultra tibi (utpote a te decepti) non nitantur. Sed noster Interpres pro עמד *amad*, id est stetit, legit per metathesin מעך *maad*, id est dissolvit, mutavit, ruinam minatus est. Imo R. David putat hic *amad* pro *maad*, per litterarum transpositionem positum esse.

9. EGO FECI EUM, — scilicet Nilum, ut esset tutor et fecundator Ægypti; quia eum per fossas in omnes Ægypti regiones derivavi, ut dixi vers. 3. Similiter, sed modestius, Vespasianus, cum recens auctus imperio lustraret Ægyptum, fertur Ægyptiis pro concione dixisse: « Haurite a me tanquam a Nilo. » Ita refert Philostratus, lib. V *De Vita Apollonii*, cap. X. Nilus enim, in agros exundans, significat reges debere se in publicam utilitatem effundere. Talis fuit Manuel Comnenus, nimirum « mare magnificentiæ, abyssus misericordiæ, morum suavitate congressuque facilis, sed regia virtute inimitabilis, » ait Nicetas in ejus Vita.

10. A TURRE SYENES, — id est a principio usque ad finem. Syene enim initium erat Ægypti inter mare Rubrum et Nilum, ait Solinus cap. XLV; Æthiopia vero erat terminus Ægypti versus Occasum. Vers. 10.

12. IN MEDIO TERRARUM, — id est similem aliis terris desertis faciam Ægyptum. Idem hebraismus est vers. 7, et *Lucæ* XXII, 27: « Ego, ait Christus, in medio vestrum sum, » id est similis vobis, « sicut qui ministrat. » Nam qui in media aliorum turba est, illis similis est, ait Maldonatus.

ERUNT DESOLATÆ (Hebraice *Erunt ipsa desolatio*) QUADRAGINTA ANNIS. — De his annis, quando scilicet, quomodo, et a quo restituta sit Ægyptus, nec in Scriptura, nec in Josepho, nec in aliis historicis quidquam legimus. Verisimile est Cyrum, cum expugnavit Babylonem anno 1 monarchiæ suæ, solvisse captivitatem tam Ægyptiorum quam Judæorum. Nam, paulo post, filius Cyri Cambyses Ægyptum jam tum rursum potentem et florentem invasit et subjugavit, uti S. Hieronymus, Justinus et alii passim tradunt. Confirmatur: nam Ægyptus expugnata fuit a Nabuchodonosore anno regni ejus 35, uti ostendam vers. 17. Numera ab hoc anno 35 annos 43, præcise pervenies ad annum primum Cyri, quo ipse e Babylone Judæos, Ægyptios, aliasque gentes ibi captivas liberavit. Porro dicit Ezechiel fuisse 40 annos, cum præcise fuerint 43, quia solent scriptores minutias numerorum præterire, et solidos integrosque numeros consignare.

14. REDUCAM CAPTIVITATEM, — id est captivos Ægypti (1). Vers. 14.

15. ET NON ELEVABITUR (Ægyptus) ULTRA SUPER NATIONES. — « Ultra, » scilicet per longum et immemoriale tempus. Nam, post ducentos annos, rediit Ægyptus ad pristinam potentiam et gloriam sub Ptolemæis, qui cum Antiochis regibus Asiæ de imperio concertarunt. Vers. 15.

16. NEQUE ERUNT ULTRA DOMUI ISRAEL IN CONFIDENTIA, — *q. d.* Frangam vires Ægyptiorum, qui Judæos docent idololatriam, aliasque iniquitates, ut Israelitæ in eis amplius non confidant, nec ad eos confugiant. Vers. 16.

17. ET FACTUM EST IN VIGESIMO ET SEPTIMO ANNO, — non a Tyri eversione, ut vult H. Pintus, sed a transmigratione Joachin, seu ab initio regni Se- Vers. 17.

(1) « Et collocabo eos in terra Phathures.» Bochartus, *Geogr. sacr.*, part. I, lib. IV, cap. XXVII, ex situ locorum, qui cum Phathures seu Pathros conjunguntur, acute collegit, eo nomine designari *Thebaidem*, vel *Ægyptum superiorem*, quæ hic pro tota Ægypto sumitur.

deciæ; a transmigratione enim Joachin hactenus annos suos consignavit Ezechiel. Ubi nota Nabuchodonosorem cœpisse regnare anno 3 Joakim: inde post 8 annos occidit Joakim, et paulo post Joachin filium ejus in Babylonem abduxit. Hæc est transmigratio Joachin, a qua annos suos numerat Ezechiel. Annus ergo hic 27 transmigrationis Joachin est 35 regni Nabuchodonosoris, quo paulo post hanc prophetiam expugnavit Ægyptum. Nam anno regni sui 18, expugnavit Jerusalem: inde, teste Josepho, 5 anno invasit Ammon, Moab, et 13 annis obsedit et expugnavit Tyrum; mox, scilicet anno 35 regni, invasit Ægyptum, qua subacta, factus est monarcha: ac post biennium suæ monarchiæ, vidit idem Nabuchodonosor somnium de arbore succidenda, quæ significabat ipsum regno suo ejiciendum et relegandum ad bestias: inde 12 mense regno reipsa ejectus est: deinde septem annos cum bestiis quasi fera vixit. Menti postea et regno redditus, paulo post mortuus est, scilicet anno regni sui 45, qui fuit monarchiæ ejus, seu ab Ægypto subacta annus decimus. De quo plura *Daniel.* IV.

Chronologia expugnationis Ægypti, Tyri, Ammon, etc.

Dico ergo Nabuchodonosorem sub annum regni non 20, nec 25, uti volunt aliqui ex Josepho, sed 35, expugnasse Tyrum, et paulo post Ægyptum. Id ita esse probatur *primo,* quia hic annus 35 Nabuchodonosoris est 27 transmigrationis Joachin, quo vastandam Ægyptum a Chaldæis prædicit hic Ezechiel; ergo tunc necdum vastata erat, sed paulo post vastanda. Paulo ante Ægyptum excisam esse Tyrum, patet ex hoc eodem loco. Nam Deus hic eodem anno jam dicto, promittit Chaldæis ob labores, quos recenter impenderant in expugnatione Tyri, vice mercedis spolia Ægypti: ergo mox illa eis contulit: Deus enim promissa sua statim explere solet. Nam ulterius non posse differri expugnationem Ægypti, patet ex eo quod post, scilicet post biennium, Nabuchodonosor ob monarchiam superbiens, ejectus sit ad bestias per septem annos, ac restitutus, mortuus est anno regni sui 45. Jam ab his annis 45, deme annos 7 ejectionis, et biennium ante eam, pervenies ad annum 35 jam dictum. *Secundo,* si 20, aut 25 anno Nabuchodonosoris capta fuisset Tyrus, deberet obsidio ejus inchoata esse anno ejusdem 7, aut 12, ac proinde fuisset ipsa ante obsidionem et expugnationem Jerusalem, quæ facta est anno ejusdem 18. Hoc autem falsum esse patet tum ex Josepho, tum ex Ezechiele, cap. XXVI, vers. 2 et 7, ubi minatur Tyro adventum et obsidionem Chaldæorum, eo quod ipsa exsultarit in excidio Jerusalem: ergo hoc excidium Jerusalem præcessit obsidionem Tyri. Quare anno 18 Nabuchodonosoris necdum obsessa erat Tyrus; cumque Nabuchodonosor post Jerusalem expugnarit Ammon, Moab aliasque vicinas gentes per 5 annos; videtur sub annum 6, qui erat regni ejus 35, inchoasse obsidionem Tyri, ac post 13 annos eam expugnasse anno regni 35, atque hoc est quod ait Josephus, lib. I *Contra Apionem,* ex Beroso, scilicet Nabuchodonosorem Tyrum, ejusque regem Thobalum cœpisse obsidere anno regni sui 7 (inchoante), scilicet computando annos regni ejus ab expugnata Jerusalem. Nam ante eam non potuisse illum obsidere Tyrum, liquet ex dictis: et consentiunt fere omnes eum anno regni sui 7, proprie sumpto, non obsedisse Tyrum. Hinc sequitur 70 annos, quibus desolatam fore Tyrum prædicit Isaias, cap. XXIII, vers. 15, non esse 70 annos captivitatis Babylonicæ, ut aliqui autumant. Hi enim inchoantur anno 11 Joakim, qui fuit annus 1 transmigrationis Joachin, et 8 regni Nabuchodonosoris; atque finiuntur anno 1 monarchiæ Cyri: eo enim Cyrus Judæos Babylone liberavit. Anni vero 70 desolationis Tyri incipiunt anno 27 transmigrationis Joachin, qui fuit annus regni Nabuchodonosoris 35, unde consequens est eos finiri 27 annis post primum annum monarchiæ Cyri. Id ita esse liquet rursum ex eo, quod paulo ante vers. 12, dixerit Ezechiel de Ægypti captivitate et vastitate (quæ, uti jam ostendi, cœpit paulo post captivitatem Tyri, ac soluta est a Cyro anno 1, quo ipse solvit captivitatem Judæorum), eam duraturam non 70, sed 40 tantum annis. Ergo a vastatione Tyri usque ad Cyrum non sunt 70, sed 40, aut precise 43 anni, uti jam ostendi, ac proinde 70 anni desolationis Tyri finiuntur 27 annis post Cyrum.

Nabuchodonosor anno regni non 25, sed 35 expugnavit Ægyptum. Probatur primo.

Nota rursum non servari hic ordinem temporis in prophetia: nam cap. seq. vers. 20, et cap. XXXI, vers. 1, affert prophetias habitas anno 11, a captivitate Joachin, cum hæc habita sit anno 27. Videntur ergo hæ prophetiæ sparsæ fuisse per schedas, atque ex iis collectæ ordine subinde non servato, ut dixi initio Jeremiæ et *Canon.* L. Hæc ergo est altera prophetia contra Ægyptum, quam Ezechiel 17 annis post primam accepit, aiunt S. Hieronymus et Maldonatus. Aliter respondet Scaliger, scilicet hunc annum 27 esse jubilæi; ab uno enim jubilæo usque ad alium computabant annos 50. Sed cum Ezechiel semper utatur eadem æra, scilicet numerando annos a transmigratione Joachin, quorsum hic solum aliam jubilæi poneret?

IN PRIMO (mense), IN UNA MENSIS, — id est prima die mensis. Sic «una sabbati,» vocatur prima dies septimanæ, *Luc.* XXIV, 1.

18. OMNE CAPUT DECALVATUM, ET OMNIS HUMERUS DEPILATUS,—scilicet ex gestatione galearum et onerum continua per tredecim annos obsidionis Tyri, caput Chaldæorum militum erat decalvatum, et humeri eorum depilati et attriti ex gestatione saxorum, lignorum ac terræ, ad implendum maris alveum, ut eo impleto et siccato, Tyrum in mari sitam sicco pede aggredi et oppugnare possent.

ET MERCES NON EST REDDITA EI, — quia Tyrii prævidentes excidium, furtim impositas navigiis suas res et merces evexerant; et civitas usque adeo deleta est, ut ex antiquo splendore et frequentia

nihil fuerit reliquum præter limpidissimam petram. Unde S. Hieronymus in *Ezech.* XXIII, ait Tyrios cum viderent nullam salutis sibi superesse viam, conscensis navibus, abiisse Carthaginem, et ad alias insulas Ionii atque Ægei pelagi, idque se in antiquis historiis Assyriorum legisse.

Quomodo Ægyptus data est in mercedem Chaldæis pro expugnata Tyro?

QUA SERVIVIT MIHI. — Hinc videtur Dei instinctu, vel Jeremiæ et Prophetarum monitu, Nabuchodonosorem Tyrum invasisse bello justo. Unde Deus pro hoc obsequio moraliter bono, infideli alias et impio Nabuchodonosori dat mercedem non ex condigno, sed ex congruo, scilicet spolia Ægypti. Ita Hector Pintus et Emmanuel Sa. Notent milites, qui regi fideliter in bello justo serviunt, se Deo servire, etiamsi id expresse non cogitent; Deus enim omnis justitiæ est præses. Unde S. Hieronymus ex hoc loco colligit Deum etiam infidelium bona opera remunerare. Verum verius videtur, quod Nabuchodonosor inscius materialiter tantum serviverit Dei providentiæ, et justæ vindictæ in vastanda Tyro : formaliter vero, et ex intentione obsecutus sit suæ superbiæ et ambitioni regnandi. Dicitur ergo merces ei data a Deo, non proprie, sed materialiter, id est voluit Deus et statuit, ut ipse, quia voluntatem suam in Tyro punienda compleverat, ornaretur et honoraretur regno Ægypti. Vide *Can.* XXXV et XXXVI. Voluit Deus hic ostendere quam sancta, ipsique chara sit scelerum et sceleratorum vindicta; utpote qui eam licet materialem tantum, in Chaldæis tam ampla mercede, scilicet spoliis Ægypti, et monarchia sit remuneratus. Chaldæi enim materialiter tantum impleverant vindictam et voluntatem Dei, quia scilicet materialiter fecerunt volitum Dei, sive id quod volebat et optabat Deus, nimirum ut Tyrus puniretur et vastaretur; cum formaliter non intenderent Dei, sed suam implere voluntatem dominandi. Sicut ergo improprium fuit hoc eorum meritum, et impropria adimpletio voluntatis divinæ : ita et impropria fuit eorumdem merces : proprie enim fuit donum Dei, non merces. Simili phrasi Chaldæos ad excidium Moab hortatur Deus, dicens *Jerem.* XLVIII, 10 : « Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter; » *opus Domini* vocat vindictam et excidium Moab. Unde explicans subdit : « Maledictus qui prohibet gladium suum a sanguine, » ne occidat Moabitas. Vide ibi dicta.

Perperam ergo aliqui apud S. Hieronymum hæc referunt ad Cambysem, Cyri filium, « qui Ægyptum usque ad Æthiopiam vastavit, ita ut Apim interficeret, et omnia eorum simulacra deleret. Quam ob causam putant eum versum in amentiam ex casu equi, et proprio pugione confossum, uti narrat Herodotus, » inquit S. Hieronymus. Expresse enim non de Cambyse, sed Nabuchodonosore, ait Propheta, quod Deus pro labore obsidionis Tyri, dabit ei in mercedem Ægyptum.

19. ACCIPIET MULTITUDINEM EJUS, — populum in servitutem rediget.

20. OPERI. — Septuaginta, *ministerio.*

21. IN DIE ILLO, — id est vastata Ægypto, faciam, ut *cornu,* id est regnum Israelis, reflorescat; scilicet anno decimo a vastata Ægypto Evilmerodach, filius Nabuchodonosoris, solium regis Joachin præ aliis regibus erexit, IV *Reg.* cap. ult., ac paulo post Cyrus Judæos patriæ restituit. Cornu enim symbolum est roboris, gloriæ, potentiæ et regni.

TIBI DABO OS APERTUM, — id est libertatem loquendi. Cum enim viderint omnia quæ prædixeras accidisse, credent tibi, poterisque aperte et libere, non per parabolas, uti hactenus fecisti, illis loqui. Hoc enim promisit ei Deus, cap. XXIV, vers. 27. Huc alludit Apostolus, *Ephes.* VI, 19, ubi jubet pro se orari : « Ut detur, inquit, mihi sermo in apertione oris cum fiducia, notum facere mysterium Evangelii. »

Allegorice, expugnata Ægypto, id est eversa mundi idololatria, pullulabit fortitudo credentium, et Christi regnum fide, spe, charitate, miraculis et virtutibus florebit, atque tunc apertum erit os Christi et Apostolorum evangelizantium : vel, *q. d.* Tunc aperta erit, et omnibus manifesta hæc de Christo prophetia mea, ut sciant eam completam in ipso. Unde S. Hieronymus : « Dei, ait, misericordia est, ut mundi hujus pereat abundantia, et Ægypti fluenta siccentur, imo terra eorum sit in solitudines, et sententia Domini dissipetur a turre Syenes (quæ interpretatur gyrus, ut nihil in se recti habeat), usque ad terram Æthiopum, qui humiles appellantur; ut videlicet omnis superbia, quæ se contra Dei scientiam erexerat, destruatur et humilietur in salutem suam, habitetque in terra Phathures, quæ interpretatur panis conculcatus, ut nequaquam ultra eleventur in superbiam, sed sint in regnum humile, scientes in quem peccaverint. »

CAPUT TRIGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit vaticinari cladem Ægypti et Æthiopiæ illi vicinæ. Videtur hæc prophetia priori sui parte, scilicet ad vers. 20, *pertinere ad caput præcedens, ac proinde edita fuisse anno* 27 *captivitatis, ut patet cap. præced. vers.* 17. *Nam hic, vers.* 20, *aliam contra Ægyptum consignat prophetiam; quam a Deo accepit anterius, scilicet anno undecimo captivitatis : sed utraque ejusdem est argumenti, et una alteram confirmat. Idem Ægypti excidium, ejusque clades prædixit Isaias, cap.* XIX, XXX *et* XXXI *ac Jeremias, cap.* XXIV, XLIII, XLIV *et* XLVI. *Itaque ibi dicta non repetam, ideoque ero hic brevis* (1).

1. Et factum est verbum Domini ad me, dicens : 2. Fili hominis, propheta, et dic : Hæc dicit Dominus Deus : Ululate, væ, væ diei : 3. quia juxta est dies, et appropinquat dies Domini ; dies nubis, tempus gentium erit. 4. Et veniet gladius in Ægyptum : et erit pavor in Æthiopia, cum ceciderint vulnerati in Ægypto, et ablata fuerit multitudo illius, et destructa fundamenta ejus. 5. Æthiopia, et Libya, et Lydi, et omne reliquum vulgus, et Chub, et filii terræ fœderis, cum eis gladio cadent. 6. Hæc dicit Dominus Deus : Et corruent fulcientes Ægyptum, et destruetur superbia imperii ejus : a turre Syenes gladio cadent in ea, ait Dominus Deus exercituum; 7. et dissipabuntur in medio terrarum desolatarum, et urbes ejus in medio civitatum desertarum erunt. 8. Et scient quia ego Dominus : cum dedero ignem in Ægypto, et attriti fuerint omnes auxiliatores ejus. 9. In die illa egredientur nuntii a facie mea in trieribus, ad conterendam Æthiopiæ confidentiam; et erit pavor in eis in die Ægypti, quia absque dubio veniet. 10. Hæc dicit Dominus Deus : Cessare faciam multitudinem Ægypti in manu Nabuchodonosor regis Babylonis. 11. Ipse et populus ejus cum eo, fortissimi gentium, adducentur ad disperdendam terram : et evaginabunt gladios suos super Ægyptum : et implebunt terram interfectis. 12. Et faciam alveos fluminum aridos, et tradam terram in manus pessimorum : et dissipabo terram, et plenitudinem ejus manu alienorum, ego Dominus locutus sum. 13. Hæc dicit Dominus Deus : et disperdam simulacra, et cessare faciam idola de Memphis : et dux de terra Ægypti non erit amplius : et dabo terrorem in terra Ægypti. 14. Et disperdam terram Phatures, et dabo ignem in Taphnis, et faciam judicia in Alexandria. 15. Et effundam indignationem meam super Pelusium robur Ægypti, et interficiam multitudinem Alexandriæ, 16. et dabo ignem in Ægypto : quasi parturiens dolebit Pelusium, et Alexandria erit dissipata, et in Memphis angustiæ quotidianæ. 17. Juvenes Heliopoleos et Bubasti gladio cadent, et ipsæ captivæ ducentur. 18. Et in Taphnis nigrescet dies, cum contrivero ibi sceptra Ægypti, et defecerit in ea superbia potentiæ ejus : ipsam nubes operiet, filiæ autem ejus in captivitatem ducentur. 19. Et judicia faciam in Ægypto : et scient quia ego Dominus. 20. Et factum est in undecimo anno, in primo mense, in septima mensis, factum est verbum Domini ad me, dicens : 21. Fili hominis, brachium Pharaonis regis Ægypti confregi : et ecce non est obvolutum ut restitueretur ei sanitas, ut ligaretur pannis, et fasciaretur linteolis, ut, recepto robore, posset tenere gladium. 22. Propterea hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego ad Pharaonem regem Ægypti, et comminuam brachium ejus forte, sed confractum : et dejiciam gladium de manu ejus : 23. et dispergam Ægyptum in gentibus, et ventilabo eos in terris. 24. Et confortabo brachia regis Babylonis, daboque gladium meum in manu ejus : et confringam brachia Pharaonis, et gemet gemitibus interfecti coram facie

(1) Quod inde a primo versu usque ad vers. 19 decurrit vaticinium, sunt qui jungendum existimant illi, quod priore parte cap. superioris (vers. 1-16) continetur. Ita S. Hieronymus. Nil tamen est, inquit Rosenmuller, quod primam hujus cap. partem (vers. 19) ab eo vaticinio, quod vers. 17 cap. sup. inchoatur, divellere nos jubeat.

CADENT. — Heliopolis urbs est Ægypti, quæ a Græcis, teste Diodoro Siculo, vocatur Thebe. Hujus cives, teste Herodoto, lib. II, apud Ægyptios omnium sapientissimi habebantur. Latine civitas Solis dicitur, quod in ea esset simulacrum et templum Solis. Tradunt veteres phœnicem avem degere Heliopoli : quia videlicet Heliopolitani solem pingebant, quasi avem orientem et occidentem. Nec enim phœnix avis est, aut fuit in orbe, uti ostendi *Gen.* VII, 2. « Bubasti, » vel potius « Pubasti, » hebraice פִּי בֶסֶת *pi beset*, urbs est prope Pelusium, ad ostium orientale Nili. Ptolemæo vocatur Heroum civitas : ab ea circumjacens regio et adjacens fluvius Bubastus vocatur. Erat in ea celebre Dianæ templum : unde ab Ovidio sancta vocatur ; sic enim ille canit, *Metamorph.* IX :

Phœnix est sol, non avis.

Cum qua latrator Anubis,
Sanctaque Bubastis, variisque coloribus Apis.

Mystice S. Hieronymus : « Phathures, ait, interpretatur panis conculcatio ; Taphnis, sive Tanis, mandatum humile ; Diospolis, quæ hebraice est *No*, requies ; Sain, tentatio. Quibus nominibus diversa hæreticorum, et omnium mendaciorum conciliabula demonstrantur, qui conculcant panem Ecclesiasticum atque contemnunt ; et sequuntur mandatum humile, et ad cœlestia non perducens ; et deliciis vacant, et sunt in requie (qualem in Evangelio legimus divitem purpuratum) et tentationibus inserviunt. Hæc omnia Dominus disperdet atque succendet, æque ac juvenes Heliopoleos, hebraice אָוֶן *On*, quod interpretatur dolor ; et Bubasti, id est oris experimentum. Omnes isti qui dolorem ferre non poterant, sed delicias Diospolis sectabantur, et confidebant sibi in volubilitate sermonum, et adversus cætera dogmata disputantes, habentes experimenta victoriæ, gladio sermonis Dei concident. » Hæc S. Hieronymus prolixe, cujus verba in pauca contraxi.

ET IPSÆ (scilicet mulieres juvenum Heliopoleos, et Bubasti) CAPTIVÆ DUCENTUR. — Ita Septuaginta. Sic enim in simili clade Taphnis dicitur et explicatur vers. sequent.

18. NIGRESCET DIES, — *q. d.* Tantus erit luctus et mœror, ut Ægyptiis dies nigrescere et noctescere videatur, ac nube operiri. Hæc est dies nubis, de qua vers. 3.

20. ET FACTUM EST IN UNDECIMO ANNO — transmigrationis Joachin, ut patet cap. præced. vers. 17, qui fuit ultimus annus Sedeciæ, quo regnum Judaicum et urbs Hierosolyma a Chaldæis eversa sunt.

21. BRACHIUM (Chaldæus, *fortitudinem*) PHARAONIS CONFREGI, — id est confringam, ita ut nulla arte vel ope in integrum et pristinum statum restitui possit. *Secundo* et magis proprie, jam confregi Pharaonem Nechao præliantem in Charcamis contra Chaldæos, anno quarto Joakim regis Juda, *q. d.* Rex Ægypti Chaldæis resistere non poterit ; quia ex superiori prælio jam dicto fractum habet brachium, id est vires ita contusas, ut gladium tenere non possit. Nec enim hæc contusio curari hucusque potuit ; quia vires suas et regiones, præsertim Syriæ, illo prælio amissas recuperare non potuit. Ita H. Pintus, Maldonatus et Hebræi. Quare brachium ejus ita fractum et contusum, facile paulo post omnino confringam et comminuam. Unde sequitur :

22. ECCE EGO AD PHARAONEM, — scilicet veniam, ut eum disperdam.

ET COMMINUAM BRACHIUM EJUS FORTE, SED CONFRACTUM. — Hebraice, *et forte et confractum ;* ita Septuaginta, *q. d.* Ægypti rex olim duo habebat brachia, id est regna, scilicet Ægypti et Syriæ : alterum, scilicet Syriæ, jam confractum est, eique ademptum ; restat alterum, scilicet Ægypti, quod adhuc tenet, sed illud pariter conteram, ita ut utroque brachio et manu mutilus, imbellis sit, nec gladium hac illave manu ad Chaldæis resistendum tenere possit. Ita Hebræi.

24. ET CONFORTABO, — robur, animos, opes et copias dabo Chaldæo.

ET GEMENT, etc., INTERFECTI. — Hebraice חֲלָלִים *chalalim*, id est vulnerati, saucii lethaliter : τὸ ergo *interfecti* significat hic actionem, aut potius passionem inchoatam, non completam : nec enim complete interfecti, id est mortui, gemere possunt. Sic sæpe alibi Noster Hebræum *chalalim* vertit, *interfecti*. Significat enim eos, qui vulnerati sunt, indeque moriuntur.

CORAM FACIE EJUS, — scilicet tum Pharaonis, tum regis Babylonis.

25. CUM DEDERO GLADIUM MEUM. — Vocat Deus Chaldæorum gladios, suos ; quia iis, quasi suis instrumentis et lictoribus, utebatur ad puniendum gentes : sicut enim prætor dat gladium carnifici, ut reo caput amputet : ita Deus vires dedit Chaldæis aliisque tyrannis, ut gentes peccatrices plecterent. Vide *Canon.* XXXV et XXXVI.

CAPUT TRIGESIMUM PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sub parabola cedri, Assyrii, id est Ægyptii, regis gloriam, superbiam, ac, vers. 10, *casum et cladem describit.*

1. Et factum est in anno undecimo, tertio mense, una mensis, factum est verbum Domini ad me, dicens : 2. Fili hominis, dic Pharaoni regi Ægypti, et populo ejus : Cui similis factus es in magnitudine tua? 3. Ecce Assur quasi cedrus in Libano, pulcher ramis, et frondibus nemorosus, excelsusque altitudine, et inter condensas frondes elevatum est cacumen ejus. 4. Aquæ nutrierunt illum, abyssus exaltavit illum : flumina ejus manabant in circuitu radicum ejus, et rivos suos emisit ad universa ligna regionis. 5. Propterea elevata est altitudo ejus super omnia ligna regionis : et multiplicata sunt arbusta ejus, et elevati sunt rami ejus præ aquis multis. 6. Cumque extendisset umbram suam, in ramis ejus fecerunt nidos omnia volatilia cœli, et sub frondibus ejus genuerunt omnes bestiæ saltuum, et sub umbraculo illius habitabat cœtus gentium plurimarum. 7. Eratque pulcherrimus in magnitudine sua, et in dilatatione arbustorum suorum : erat enim radix illius juxta aquas multas. 8. Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei, abietes non adæquaverunt summitatem ejus, et platani non fuerunt æquæ frondibus illius : omne lignum paradisi Dei non est assimilatum illi, et pulchritudini ejus. 9. Quoniam speciosum feci eum, et multis condensisque frondibus : et æmulata sunt eum omnia ligna voluptatis, quæ erant in paradiso Dei. 10. Propterea hæc dicit Dominus Deus : Pro eo quod sublimatus est in altitudine, et dedit summitatem suam virentem atque condensam, et elevatum est cor ejus in altitudine sua : 11. Tradidi eum in manu fortissimi gentium, faciens faciet ei : juxta impietatem ejus ejeci eum. 12. Et succident eum alieni, et crudelissimi nationum, et projicient eum super montes, et in cunctis convallibus corruent rami ejus, et confringentur arbusta ejus in universis rupibus terræ : et recedent de umbraculo ejus omnes populi terræ, et relinquent eum. 13. In ruina ejus habitaverunt omnia volatilia cœli, et in ramis ejus fuerunt universæ bestiæ regionis. 14. Quam ob rem non elevabuntur in altitudine sua omnia ligna aquarum, nec ponent sublimitatem suam inter nemorosa atque frondosa; nec stabunt in sublimitate sua omnia quæ irrigantur aquis : quia omnes traditi sunt in mortem ad terram ultimam, in medio filiorum hominum, ad eos qui descendunt in lacum. 15. Hæc dicit Dominus Deus : In die quando descendit ad inferos, induxi luctum, operui eum abysso : et prohibui flumina ejus, et coercui aquas multas : contristatus est super eum Libanus, et omnia ligna agri concussa sunt. 16. A sonitu ruinæ ejus commovi gentes, cum deducerem eum ad infernum cum his qui descendebant in lacum : et consolata sunt in terra infima omnia ligna voluptatis egregia atque præclara in Libano, universa quæ irrigabantur aquis. 17. Nam et ipsi cum eo descendent in infernum ad interfectos gladio, et brachium uniuscujusque sedebit sub umbraculo ejus in medio nationum. 18. Cui assimilatus es, o inclyte atque sublimis inter ligna voluptatis? Ecce deductus es cum lignis voluptatis ad terram ultimam : in medio incircumcisorum dormies, cum eis qui interfecti sunt gladio : ipse est Pharao, et omnis multitudo ejus, dicit Dominus Deus.

1. IN ANNO UNDECIMO, — a capto et abducto Jechonia.

TERTIO MENSE. — Hanc ergo prophetiam duobus mensibus post eam quæ præcessit, accepit Ezechiel.

UNA (id est prima die) MENSIS.

2. CUI SIMILIS FACTUS ES? — tum reipsa, tum opinione tua, *q. d.* Cui te comparasti, o Pharao?

IN MAGNITUDINE TUA. — Chaldæus, *in fortitudine*; Septuaginta, *in celsitudine*.

3. ECCE ASSUR, — *q. d.* Ecce Sennacherib rex Assyriorum gloriosus fuit ut tu, o Pharao! attamen postea a filiis suis cæsus est: ita ergo et tu cæderis a Deo. Ita Maldonatus. Aut, ut S. Hieronymus, *q. d.* Non mirum si tu, o Pharao! a Chaldæis vincendus et vastandus sis, cum ab iisdem victi sint et subacti Assyrii, qui te erant potentiores. Sed verius est ipsum Pharaonem et Ægyptios vocari hic Assur, uti et *Isaiæ* LII, 4; idque quia Ægyptii ab Assyriis erant oriundi; vel potius, quia gloria, potentia et regno se jactabant pares regibus Assyriorum; et quia æque ac Assyrii a Chaldæis erant vastandi. Assur enim fuit exemplar tyrannorum, ideoque quosvis tyrannos significat, uti dixi *Isaiæ* VIII, 4. Porro per *Assur*, intelligi hic Pharaonem, patet ex eo, quia toto hoc cap. prophetans contra Pharaonem, continue agit de hoc Assur: ergo Assur est Pharao.

Assur vocatur Pharao, cur?

Secundo, postquam egit fuse de Assur, non explicat, nec comparat eum Pharaoni; ergo quæ de Assur dicit, ea de Pharaone intelligenda reliquit.

Tertio, quia Pharaonem non tam comparat Assyrio, quam cedro, uti patet in sequentibus. Unde concludens vers. 18: « Cui, ait, assimilatus es, o inclyte atque sublimis! inter ligna voluptatis? Ecce deductus es cum lignis voluptatis ad terram ultimam. » Pharaonem ergo vocat Assur et cedrum, eo schemate, quo cap. XXVIII, 14, regem Tyri vocavit Cherub; et Isaias, cap. XIV, 12, Balsasarem vocavit Luciferum. Quare hoc schema eodem modo explicandum est, quo ibidem explicui.

ECCE ASSUR QUASI CEDRUS IN LIBANO, — sicut cedrus alias Libani arbores altitudine superat: ita Assur, id est Pharao, gloria, divitiis, potentia omnia anteibat.

Pharao comparatur cedro, cur? Respondeo primo. Secundo.

Simili ratione Daniel, cap. IV, 7, Nabuchodonosorem comparat arbori præcelsæ et ingenti. Comparat ergo Pharaonem cedro, *primo*, ob amplitudinem ramorum, id est provinciarum; item ob animi altitudinem et fastum; ab ea enim cedrus a Poeta ardua vocatur. *Secundo*, quia cedrus est odorata. Unde Virgilius, III *Georg.*:

> Disce et odoratam stabulis accendere cedrum.

Et lib. VII *Æneid.*:

> Tectisque superbis
> Urit odoratam nocturna in lumina cedrum.

Hosce odores et honores ambiebat Pharao. *Tertio*, quia cedrus cariem non sentit: unde « cedro digna » dicuntur, quæ promerentur immortalitatem, et æternæ posteritati consecranda sunt. Hinc et cedri succo libros illinebant, ne tineas sentirent; hosce libros Plinius, lib. XIII, cap. XIII, vocat cedratos, qui et cap. V: « Materiæ, inquit, ipsi (cedro) æternitas. Itaque et simulacra deorum ex ea factitaverunt. Cedrinus est Romæ in delubro Apollo Sosianus, Seleucia advectus. » Et Virgilius VII *Æneid.*:

> Quin etiam veterum effigies ex ordine avorum
> Antiqua ex cedro.

Hanc æternitatem spectabat Pharao. *Quarto*, cedro in sacris utebantur. Nam, ut ait Plinius, lib. XIII, cap. I: « Iliacis temporibus nec thure supplicabatur; cedri tantum et citri in sacris fumo convolutum nidorem verius, quam odorem noverant. » Rursum, cedrus montes amat, ut idem ait lib. XVI, cap. XVIII. Adhæc, cedro folia non defluunt, ut idem ait ibidem cap. XXI, qui et cap. XXIV, asserit ea esse capillata. *Quinto*, cedrus picem fundit, ut idem ait lib. XIV, cap. XIX. Adhæc, « in Ægypto et Syria reges, inopia abietis, cedro ad classes feruntur usi, » ait idem lib. XVI, cap. XL. Cedro ergo abundabat Pharao, et cedrinis classibus gloriabatur. *Sexto*, cedrus fructum fert suavem, « novusque fructus in ea cum annotino pendet, » ait Plinius, lib. XVI, cap. XXVI. Ita Pharao fruges Ægypti toti orbi ostentabat. *Septimo*, pix cedri dolores dentium sedat. « Cedri scobe serpentes fugari certum est. Cedrides, id est fructus cedri, tussim sanant, urinam cient, alvum sistunt, » ait Plinius, lib. XXIV, cap. V. Ita Pharao jactabat se Judæorum infirmitatem et clades sanaturum. Quarto. Quinto. Sexto.

PULCHER RAMIS (id est filiis ornatus), ET FRONDIBUS, — id est magnatibus et principibus multis. Regem vocat cedrum, filios ramos, principes frondes, aut potius ramos vocat extensionem et amplitudinem imperii ejus, ejusque opes et potentiam; frondes vero, ejusdem gloriam et pompam. Unde sub ramis ejus, ait vers. 6, nidificasse omnes volucres cœli.

4. AQUÆ NUTRIERUNT ILLUM (id est illam, scilicet cedrum: sed dicit « illum, » quia intelligit Assyrium: et) ABYSSUS. — Per aquas, abyssum et flumina intelligit Nilum, qui in rivos et fossas deductus, omnes Ægypti agros irrigat et fecundat. Sed sub his symbolice intelligit copiam divitiarum et militum, quæ a rege ad vicinas arbores et ligna, id est non tantum ad homines Pharaoni subditos, etiam viles et plebeios; sed etiam ad Judæos aliasque gentes vicinas et amicas dimanabat.

5. SUPER OMNIA LIGNA REGIONIS, — *q. d.* Pharao factus est potentior aliis regibus.

MULTIPLICATA SUNT ARBUSTA (id est, ut Hebræus et Septuaginta, *rami*) EJUS, ET ELEVATI SUNT RAMI EJUS, — id est extensi sunt fines imperii ejus, et longe lateque propagati, hoc est, extensum et exaltatum est regnum ejus. Alii, *q. d.* Filii ejus et nepotes opibus et gloria multiplicati et exaltati sunt, idque « præ aquis, » id est propter aquas Nili, et opum ac militum copias jam dictas.

6. VOLATILIA (Nota: Per *volatilia* intelligit mag- Vers. 6.

nates; per *bestias saltus,* plebem et gentes maxime feras et barbaras, quas Pharao domuit et subjecit : unde hæ nidificabant, id est degebant) IN RAMIS EJUS, — id est sub ejus potestate et protectione. Simile est *Daniel.* cap. IV, 18.

Vers. 7. 7. ERATQUE PULCHERRIMUS, — id est pulcherrima cedrus; sed dicit masculine « pulcherrimus, » quia per cedrum hanc intelligit Assyrium, id est Pharaonem.

Vers. 8. 8. CEDRI NON FUERUNT ALTIORES ILLO IN PARADISO DEI. — Id est nullus rex potentia par fuit Assyrio, id est Pharaoni; nullus, inquam, rex, etiamsi videretur esse in paradiso Dei, id est in omnium deliciarum, voluptatum et opum affluentia.

ABIETES, etc., PLATANI, etc., OMNE LIGNUM. — Per hæc intelligit principes civites et potentes, quorum nullus Pharaoni par fuit in imperii magnitudine et gloria. Hi enim comparantur *primo,* platano, quia platanus late spargit ramos, indeque platanus dicitur, quasi πλάτυς, id est *lata* : hinc sub ea, utpote opaca et umbrifera, convivari solebant : unde ab Ovidio, X *Metamorph.,* platanus vocatur genialis. Et Virgilius, IV *Georg.* :

Jamque ministrantem platanum potantibus umbras.

Platanus ergo divites, splendidos et geniales repræsentat. *Secundo,* Plinius, lib. XII, cap. I : « Quis, ait, non jure miretur arborem umbræ gratia tantum ex alieno petitam orbe! Platanus hæc est, per mare Ionium in Diomedis insulam, ejusdem tumuli gratia primum invecta, inde in Siciliam transgressa, atque inter primas donata Italiæ. Dionysius prior Siciliæ tyrannus Rhegium in urbem transtulit eas, domus suæ miraculum. » Addit : « Tantumque postea honoris increvit, ut mero infuso enutriantur : compertum id maxime prodesse radicibus. » Quin et « gentes vectigal pro umbra (platani) pendunt. » Licinius consul epulatus est intra platanum cum octodecim convivis, « large ipsa toros præbente fronde, ab omni afflatu securus, optans imbrium per folia crepitus, lætior quam marmorum nitore, picturæ varietate, laquearium auro, cubans in eadem. » Sic et Caius princeps in Veliterno rure cum quindecim convivis in platano cœnavit, « quam cœnam appellavit ille nidum. Commendatio (platani) non alia major est, quam solem æstate arcere, hieme admittere. » Porro umbra platani jucunda est, quanquam crassa, ait idem lib. XVII, cap. XII. Idem, lib. XV, cap. VII, tradit ex platani baccis aqua et sale maceratis oleum fieri luminum causa. Idem, lib. XVI, cap. XLIV, ait : « Sunt auctores qui Delphicam platanum Agamemnonis manu satam » asserunt. Quin et stolidus Persarum rex Xerxes, in Lydia cum vidisset proceram platanum, diem solidum ad eamdem exegit, et castra tota circa eam posuit, quin et ramos ejus veneratus est, torques armillasque ex eis suspendens : denique curatorem ei reliquit quasi custodem et propugnatorem. Ita Ælianus, lib. II, cap. XIV. Themistocles comparabat se cum platanis, ad quas ingruente pluvia confugiunt, mox serenitate reddita, viatores vellicant et insectantur. Platanus est vir potens; tempestas, calamitas; serenitas, prosperitas; vellicatio platani, vexatio viri, de quo bene meriti sumus. Ita Causinus, lib. X *Parallel. Histor.* cap. LXII.

Rursum comparat Pharaonem abieti, quæ vulgo sapinus dicitur, cujus folia sunt instar pectinum, ait Plinius, et nunquam decidunt, estque arborum altissima, valide pondus sustinens, et antennis utilis. Rursum « firmissima ad tectum abies. Eadem valvarum repagulis, et ad quæcumque libeat intestina opera aptissima, sive Græco, sive Campano, sive Siculo fabricæ artis genere spectabilis, ramentorum crinibus pampinato semper orbe se volvens ad incitatos runcinarum raptus. Eadem et curribus, maxime sociabilis glutino, in tantum, ut findatur ante qua solida est. » Ita Plinius, lib. XVI, cap. XLII. Abies enim procera est, enodis, crispa, longa, amans alta; unde Virgilius, *ecloga* VII :

Populus in fluviis, abies in montibus altis.

Hinc in *Apologis* abieti proceram illam suam staturam et pulchritudinem intemperantius jactanti inculcat rubus :

Nunc læta quidem bona sola fateris
Et nostris frueris imperiosa malis :
Sed cum pulchra minax succidet membra securis,
Quam velles spinas tunc habuisse meas!

Ita Avianus, *fab.* XIX. Quocirca abies symbolum est ambitiosi et jactabundi, cujus fastus et pompa mox sternitur et evanescit. Ex abiete fiunt hastæ longæ, item naves; unde Claudianus :

Apta fretis abies, bellis accommoda cornus.

Hinc abietis epithetum est audax. Audi Statium, lib. VI *Thebaïdæ* :

Hinc audax abies, et odoro vulnere pinus.

Quid enim audacius navibus, quæ fiunt ex abiete? Quocirca Virgilius, II *Georg.*, ait :

Abies casus visura marinos.

Hasce ob causas principibus et urbibus magnificis in deliciis est abies. Ita juxta Norimbergam, densam ex abietibus sylvam, quæ per aliquot milliaria protenditur, cum voluptate spectavi.

Hasce ergo abietes, platanos, etc., ait non potuisse æquari cedro, id est Pharaoni, tum ob causas jam dictas; tum quia proprium cedro est, ut « clavum, » si quis ei infigatur, « non teneat, » ait Plinius, lib. XVI, cap. XL. Ita Pharao, septus Nilo, omnem hostium vim respuebat, omnium regum arma quasi securus eludebat et repellebat. Rursum Plinius, lib. XXIV, cap. V : « Cedrus, inquit, defuncta corpora incorrupta ævis servat, viventia corrumpit : mira differentia, cum vitam auferat spirantibus, defunctis pro vita sit : vestes

quoque corrumpit et animalia necat.» Ita Pharao principum erat pestis et internecio : mortuorum vero, id est sibi subactorum, erat vita et rerum copia. Adde, Ægyptios cadavera condire incorruptioni, uti caromomia testantur.

Symbolice et antitype perstringit hic decorem et gloriam Luciferi, qui fuit in paradiso, id est, cœlo cui nulli cedri, abietes et platani, id est nulli angeli in scientia et gratia, ac potentia, comparari potuerunt. Ita S. Gregorius, XXXII *Moral.* XVIII. Sic et Rupertus, lib. I *De Victoria verbi Dei*, cap. VIII, per cedros, abietes et platanos accipit reliquas angelorum dignitates, tanquam si in tribus illis cœlestium spirituum hierarchiis, nihil esset cum Luciferi sublimitate conferendum. Pari ratione adaptes hæc dotibus et gratiis Adami, quas habuit in statu innocentiæ et paradiso.

Vers. 9. 9. ÆMULATA SUNT EUM (inviderunt ei omnes reges et principes, qui) ERANT IN PARADISO DEI, — id est qui florebant divitiis et honoribus, omnique felicitate et gloria, ac si fuissent in paradiso. Est catachresis. Ita Vatablus.

Vers. 10. 10. ET DEDIT SUMMITATEM SUAM VIRENTEM ATQUE CONDENSAM, — id est, ut Vatablus vertit : *Posuit*, scilicet ex superbia, *fastigium suum inter condensa*, id est stipatus erat densa multitudine regum et nobilium.

Vers. 11. 11. TRADIDI (id est tradam) EUM IN MANU FORTISSIMI GENTIUM, — i. e. in manu Nabuchodonosoris.

FACIENS FACIET EI, — id est, quod libuerit faciet ei; erit enim in ejus manu et potestate.

Vers. 12. 12. SUCCIDENT EUM ALIENI, ET CRUDELISSIMI NATIONUM, — puta Chaldæi crudeles præ aliis gentibus : quocirca in Scriptura crudelitatis epitheto denotantur. Hæc et plura habet quoque Isaias, cap. XIX, 4. Vide ibi dicta.

RECEDENT DE UMBRACULO EJUS OMNES POPULI, — *q. d.* Populi Pharaoni antea subditi, vel confœderati, jam videntes eum cæsum, ab eo ejusque imperio se subducent.

13. IN RUINA EJUS (in trunco hujus cedri prostratæ) HABITAVERUNT (id est habitabunt) VOLATILIA (id est magnates et principes Pharaoni subditi aut confœderati), ET IN RAMIS EJUS BESTIÆ, — id est plebeii et populi eorumdem, *q. d.* Prius aves et bestiæ erant sub ramis ejus; postquam autem corruerit, sedebunt super eam, id est conculcabunt eam. Significat fore, ut gentes, quæ prius in Pharaonis tutela erant, eo a Chaldæis prostrato, contra eum convertantur eumque dispolient. Persistit semper in metaphora arboris cedri. Ita Maldonatus.

14. QUAM OB REM, — *q. d.* Hoc Pharaonis exemplo perculsi, sapient alii principes, ut non superbiant, ne pari modo a Deo dejiciantur.

OMNIA LIGNA AQUARUM, — quæ aquis abundant, hoc est omnes principes divitiis abundantes.

QUIA OMNES TRADITI SUNT IN MORTEM AD TERRAM ULTIMAM. — Hebraice *infimam*, id est ad sepulcrum et infernum relegati sunt. Unde explicans, addit :

IN MEDIO FILIORUM HOMINUM, — id est cum aliis, vel instar aliorum hominum communium, plebeiorum et ignobilium. Vide dicta cap. XXIX, 12. Hebræi enim *filios viri* vocant nobiles : *filios* vero *hominum* vocant plebeios et viles.

AD EOS QUI DESCENDUNT IN LACUM, — id est in infernum.

15. IN DIE QUANDO DESCENDIT (id est descendet) AD INFEROS, INDUXI (id est inducam) LUCTUM, — *q. d.* Ob cædem Pharaonis omnibus ejus amicis, et toti ejus regioni planctum inducam.

OPERUI EUM ABYSSO, — id est multitudine calamitatum, ipsaque abysso, id est inferno. Hebræi et Vatablus vertunt : *Operui super eum abyssum*, *q. d.* Abyssus illa aquarum, quæ vers. 4 cedrum, id est Pharaonem, exaltavit, mœsta fuit ejus casu, id est opes illæ destitutæ suo rege, videbuntur lugere, *q. d.* Mortuo rege, exhaurietur ejus ærarium, ita ut ipsum squalere et lugere videatur. Unde apte sequitur : « Prohibui flumina ejus. » Septuaginta vertunt : *Luxit eum abyssus*, id est multitudo gentium Pharaoni subditarum.

PROHIBUI FLUMINA EJUS, — de quibus vers. 4, ne scilicet hanc cedrum rigarent, *q. d.* Desiccavi eam, arefeci et privavi omnibus bonis.

CONTRISTATUS EST SUPER EUM LIBANUS. — Hebraice est אקדיר *acdir*, id est, *pulla et lugubri veste indui Libanum*. Per Libanum intelligit Judæam, Phœniciam et Syriam, vicinas Ægypto eique confœderatas regiones, *q. d.* Hæ regiones lugebunt Pharaonis et Ægypti cladem, et « omnia ligna agri, » id est omnes populi, audita hac strage, timore concutientur.

16. ET CONSOLATA SUNT IN TERRA INFIMA (id est in inferno consolationem acceperunt, id est accipient) OMNIA LIGNA, — id est nobiles et reges jam vita functi, qui in hac vita et mundo excellebant quasi cedri in Libano : quia videlicet gaudebunt se jam Pharaonem habere socium in clade et pœna.

17. NAM ET (Vatablus et Emmanuel Sa legunt, *sed et*) IPSI CUM EO DESCENDENT. — Aliqui legunt, *descenderunt*. Sic enim habent Hebræa. Utrumque est verum : tyranni enim præteriti descenderunt, futuri descendent in tartara.

ET BRACHIUM UNIUSCUJUSQUE SEDEBIT SUB UMBRACULO EJUS, — *q. d.* Sicut fessi sedent sub arbore umbrosa, ibique refocillantur innixi brachio, id est cubito : ita alii reges et principes in inferno, sub pœna Pharaonis quasi refocillabuntur, videntes se minus, illum gravius puniri. Aliter Vatablus et alii, *q. d.* Sed et ipsi descenderunt cum eo ad inferos, qui sub umbra brachii ejus sederunt in medio gentium, id est socii et adjutores Pharaonis, qui securi inter alias gentes habitabant, eo quod eis faveret et protegeret Pharao. Et sic nostrum Interpretem accipiunt aliqui, ut *sedebit*, sit idem quod *sedebat*.

18. CUI ASSIMILATUS ES? — *q. d.* Voluisti, o Pharao! assimilare te Assyrio et cedro : sed neutrius

gloriam assecutus es, et cum utroque ruente corruisti.

CUM LIGNIS VOLUPTATIS, — cum aliis regibus.

IN MEDIO INCIRCUMCISORUM (id est more infidelium; Chaldæus, *peccatorum*) DORMIES — in morte somnum æternum apud inferos.

IPSE EST PHARAO,— *q. d.* Hæc quæ hactenus dixi, de Pharaone et ejus populo intelligo. Vel, hic finis et tristis exitus erit Pharaonis, principum et omnis populi ejus. Sic Ecclesiastes, cap. XII, vers. 13, suam de vanitate rerum omnium, quæ in mundo sunt concionem concludit, dicens : « Hoc est enim omnis homo. » Sic et Virgilius, lib. II *Æneid.*, Trojæ casum concludit, dicens :

Hic finis Priami fatorum, hic exitus illum
Sorte tulit.

Vide hic rursum mundi inconstantiam. Audi Ovidium, lib. X *Metamorph.* :

Paulumque morati
Serius aut citius sedem properamus ad unam.
Tendimus huc omnes. Hæc est domus ultima, vosque,
(*o inferi*).
Humani generis longissima regna tenetis.

Idem, lib. XV *Metamorph.* :

Tempus edax rerum, tuque invidiosa vetustas
Omnia destruitis, vitiataque dentibus ævi,
Paulatim lenta consumitis omnia morte.

Idem, lib. III *Metamorph.* :

Este, precor, memores, qua sitis stirpe creati.

Et rursum lib. XV :

Nihil est toto quod perstet in orbe :
Cuncta fluunt.
Ipsa quoque assiduo labuntur tempora motu,
Non secus ac flumen : sed, ut unda impellitur unda,
Urgeturque eadem veniens, urgetque priorem :
Tempora sic fugiunt pariter, pariterque sequuntur,
Et nova sunt semper.

CAPUT TRIGESIMUM SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit in Pharaonis gloria et ruina ac clade prædicenda, eamque per lugubre carmen deplangit æque ac describit. Primo ergo tantam Ægyptiorum stragem fore asserit, ut omnes aves et feræ accurrant ad eos devorandum, utque sol, luna et stellæ obscurari videantur. Secundo, vers. 17, *instaurans planctum, et carmen lugubre, dicit eos descensuros in imum inferni, ubi sepulti sunt Assyrii, Persæ, Idumæi, aliique tyranni, quorum descensum et sepulturam fuse et pathetice describit.*

1. Et factum est, duodecimo anno, in mense duodecimo, in una mensis, factum est verbum Domini ad me, dicens : 2. Fili hominis, assume lamentum super Pharaonem regem Ægypti, et dices ad eum : Leoni gentium assimilatus es, et draconi qui est in mari : et ventilabas cornu in fluminibus tuis, et conturbabas aquas pedibus tuis, et conculcabas flumina earum. 3. Propterea hæc dicit Dominus Deus : Expandam super te rete meum in multitudine populorum multorum, et extraham te in sagena mea. 4. Et projiciam te in terram, super faciem agri abjiciam te : et habitare faciam super te omnia volatilia cœli, et saturabo de te bestias universæ terræ. 5. Et dabo carnes tuas super montes, et implebo colles tuos sanie tua. 6. Et irrigabo terram fœtore sanguinis tui super montes, et valles implebuntur ex te. 7. Et operiam, cum exstinctus fueris, cœlum, et nigrescere faciam stellas ejus : solem nube tegam, et luna non dabit lumen suum. 8. Omnia luminaria cœli mœrere faciam super te : et dabo tenebras super terram tuam, dicit Dominus Deus, cum ceciderint vulnerati tui in medio terræ, ait Dominus Deus. 9. Et irritabo cor populorum multorum, cum induxero contritionem tuam in gentibus super terras quas nescis. 10. Et stupescere faciam super te populos multos : et reges eorum horrore nimio formidabunt super te, cum volare cœperit gladius meus super facies eorum : et obstupescent repente singuli pro anima sua in die ruinæ tuæ. 11. Quia hæc dicit Dominus Deus : Gladius regis Babylonis veniet tibi, 12. in gladiis fortium dejiciam multitudinem tuam : inexpugnabiles omnes gentes hæ : et vastabunt superbiam Ægypti, et dissipabitur multitudo ejus. 13. Et perdam omnia jumenta ejus, quæ erant super aquas plurimas : et non

conturbabit eas pes hominis ultra, neque ungula jumentorum turbabit eas. 14. Tunc purissimas reddam aquas eorum, et flumina eorum quasi oleum adducam, ait Dominus Deus : 15. Cum dedero terram Ægypti, desolatam : deseretur autem terra a plenitudine sua, quando percussero omnes habitatores ejus : et scient quia ego Dominus. 16. Planctus est, et plangent eum : filiæ gentium plangent eum : super Ægyptum, et super multitudinem ejus plangent eum, ait Dominus Deus. 17. Et factum est in duodecimo anno, in quinta decima mensis, factum est verbum Domini ad me, dicens : 18. Fili hominis, cane lugubre super multitudinem Ægypti : et detrahe eam ipsam, et filias gentium robustarum, ad terram ultimam, cum his qui descendunt in lacum. 19. Quo pulchrior es? descende, et dormi cum incircumcisis. 20. In medio interfectorum gladio cadent : gladius datus est, attraxerunt eam, et omnes populos ejus. 21. Loquentur ei potentissimi robustorum de medio inferni, qui cum auxiliatoribus ejus descenderunt, et dormierunt incircumcisi, interfecti gladio. 22. Ibi Assur, et omnis multitudo ejus : in circuitu illius sepulcra ejus : omnes interfecti, et qui ceciderunt gladio. 23. Quorum data sunt sepulcra in novissimis laci : et facta est multitudo ejus per gyrum sepulcri ejus : universi interfecti, cadentesque gladio, qui dederant quondam formidinem in terra viventium. 24. Ibi Ælam, et omnis multitudo ejus per gyrum sepulcri sui; omnes hi interfecti, ruentesque gladio : qui descenderunt incircumcisi ad terram ultimam : qui posuerunt terrorem suum in terra viventium, et portaverunt ignominiam suam cum his qui descendunt in lacum. 25. In medio interfectorum posuerunt cubile ejus in universis populis ejus; in circuitu ejus sepulcrum illius : omnes hi incircumcisi, interfectique gladio; dederunt enim terrorem suum in terra viventium, et portaverunt ignominiam suam cum his qui descendunt in lacum : in medio interfectorum positi sunt. 26. Ibi Mosoch, et Thubal, et omnis multitudo ejus : in circuitu ejus sepulcra illius; omnes hi incircumcisi, interfectique et cadentes gladio : quia dederunt formidinem suam in terra viventium. 27. Et non dormient cum fortibus, cadentibusque et incircumcisis, qui descenderunt ad infernum cum armis suis, et posuerunt gladios suos sub capitibus suis, et fuerunt iniquitates eorum in ossibus eorum : quia terror fortium facti sunt in terra viventium. 28. Et tu ergo in medio incircumcisorum contereris, et dormies cum interfectis gladio. 29. Ibi Idumæa, et reges ejus, et omnes duces ejus, qui dati sunt cum exercitu suo cum interfectis gladio : et qui cum incircumcisis dormierunt, et cum his qui descendunt in lacum. 30. Ibi principes Aquilonis omnes, et universi venatores : qui deducti sunt cum interfectis, paventes, et in sua fortitudine confusi : qui dormierunt incircumcisi cum interfectis gladio, et portaverunt confusionem suam cum his qui descendunt in lacum. 31. Vidit eos Pharao, et consolatus est super universa multitudine sua, quæ interfecta est gladio; Pharao, et omnis exercitus ejus, ait Dominus Deus : 32. quia dedi terrorem meum in terra viventium, et dormivit in medio incircumcisorum cum interfectis gladio : Pharao, et omnis multitudo ejus, ait Dominus Deus.

1. ET FACTUM EST DUODECIMO ANNO, — a transmigratione Jechoniæ.

IN UNA (id est prima die) MENSIS.

2. ASSUME LAMENTUM, — id est carmen lugubre, quale assumpsisti super cladem regis Tyri, cap. XXVII, vers. 2, et Isaias super Balsasarem, cap. XIV, vers. 4. Fuit hic mos veterum tam fidelium, quam gentilium, ut lamento defunctis parentarent, et quasi justa persolverent : unde in eo solebant enarrare opes, virtutes et trophæa defuncti. Ita David, cæsis Saule et Jonatha, hoc carmine eos planxit, II *Reg.* I, 19 : « Inclyti, Israel, super montes tuos interfecti sunt; quomodo ceciderunt fortes? etc. Sagitta Jonathæ nunquam rediit retrorsum, et gladius Saul non est reversus inanis. Saul, et Jonathas amabiles, et decori in vita sua, in morte quoque non sunt divisi : aquilis velociores, leonibus fortiores. » Tale carmen sunt Threni Jeremiæ, quibus plangit ruinam Jerusalem. Tale etiam est *Jerem.* LI, 41, quo plangit occasum Babylonis : « Quomodo capta est Sesach, et comprehensa est inclyta universæ terræ? » etc. Ita Romani defunctos in forum efferebant, ibique publice pro rostris funebri oratione laudabant. Cujus laudationis origo tribuitur Valerio Poplicolæ, qui primus Brutum mortuum pro rostris lau-

Funebris orationis origo, et antiquitas.

davit, teste Plutarcho, et Dionysio Halicarnassæo, lib. V. Alii tamen anterius, ad tempora regum hunc ritum referunt. Acro vetus Horatii interpres in *Epod.* : « Varro, ait, pro rostris sepulcrum Rŏmuli dixit : ubi etiam in hujus rei memoriam, duos leones fuisse erectos constat; unde factum est, ut pro rostris mortui laudarentur. » Porro hæc elogia habebantur a proximis cognatis. Ita Fabium pro rostris filium laudasse, auctor est Plutarchus in ejus Vita; et de Tiberio ait Suetonius : « Novem annos natus defunctum patrem laudavit. » Audi et Appianum, lib. I : « Pro rostris in suggestu posito cadavere, funebrem orationem habuit vir ejus ætatis eloquentissimus, quod Faustus filius nondum esset maturus. »

LEONI GENTIUM, — *q. d.* O Pharao! eras inter gentes, quod leo inter bestias, eisque ut leo dominabaris, imo cum lubebat eas devorabas.

ET DRACONI, — ceto, sive balænæ. Unde Aquila vertit, *Leviathan*; unde sequitur : « Qui est in mari, » id est qui in mari dominatur, qui ingentes aquarum moles naribus exsufflat, et in altum jacit, totumque mare commovet : sic enim Pharao dominabatur in Ægypto, quæ septem rivis Nili, quasi maris brachiis circumdatur.

VENTILABAS CORNU. — Ita et Septuaginta vertunt, *q. d. Agitabas cornu*, id est potentiam et ferociam tuam in Ægypto. Legit Interpres ותגח *vattaggach*, a radice נגח *nagach*, id est cornutare, cornu petere. Sic enim bestiæ majores et fortiores suis cornibus ventilant, fugant et sternunt minores et infirmiores in terra, æque ac crocodili pisces et bestias cæteras in Nilo, ac balænæ in mari. Sic Homerus, *Iliade* β : Τρῶας κερᾴζε, *Trojanos cornu ventilavit*; hoc, uti et alia multa, ab Hebræis, sacrisque libris mutuatus. Jam legunt ותגח *vattagach*, id est, ut Vatablus, *eduxisti*, scilicet aquas per flumina tua, hoc est, deduxisti Nilum in multos rivulos, ut omnes campos irriget et fecundet. Alii, *saltasti*, lascivisti, *in fluminibus tuis*; alii, *proserpis, proripis te, protrudis* (uti pisces alii alios protrudunt) *in fluminibus tuis*. Hoc enim significat radix גוח *goach*.

ET CONTURBABAS AQUAS, — qui insanis bellis turbabas quasque gentes propinquas, et earum flumina, id est regiones conculcabas.

Secundo, per conturbationem aquarum intelligitur turbulenta subditos gubernandi ratio : Pharao enim impius, immanis, discordiæ amantissimus omnia turbabat et miscebat. Alludit ad Nilum, qui turbidis est aquis, et, cum exundat, omnem terram operit et confundit.

3. EXPANDAM SUPER TE RETE (te quasi feram, puta leonem, et quasi cetum (1) sagena capiam) IN MULTITUDINE POPULORUM. — Solent enim multi ad capturam leonis, æque ac ceti, convenire, *q. d.* Ego te, o Pharao! per Chaldæos regno tuo extraham, et in terram projiciam (cetus enim et pisces aqua extracti, in terra moriuntur), ut te, id est tuum regnum et opes, « volatilia, », id est principes Chaldæorum, « et bestiæ, » id est milites, prædentur, lanient, devorent.

Symbolice, per rete significatur Deum facillime sua providentia omnia capere et comprehendere. Hinc proverbium : « Retibus urbes capit, » quod ænigmatice in eos dicitur, quibus in peragendis rebus est fortuna secunda; tractum, ut scribitur, a Timotheo Atheniensi, cui a bona fortuna εὐτυχής cognomen inditum est, cuique noctu dæmonis umbra apparuisse dicitur, quæ ad captandas urbes rete ei dabat : atque ideo ipse dictus retibus urbes capere. Id scribit Ulpianus *in secunda Demosthenis Olynthiana*, et Aristophanis interpres. Hunc ipsum quoque Timotheum pingi solitum a pictoribus ea effigie, Suidas et Ulpianus aiunt, ut illi dormienti fortuna urbes, quas ille caperet, retibus inclusas afferret. Verum cum insolentia quadam elatus diceret, non fortunæ nutu, sed propria virtute tantas se res gerere, ad summam redactus est inopiam. Lege Plutarchum.

5. IMPLEBO COLLES SANIE TUA, — id est cadaveribus tui exercitus. Ita R. David. Pro *sanie* verti potest *altitudine tua*; id est alto cumulo cadaverum; Septuaginta, *sanguine tuo*. Pisces enim pro sanguine habent saniem. Vers. 5.

6. FŒTORE. — Hebraice צפה *tsapha* potest *primo*, deduci a צוף *tsuph*, quod significat natare, inundare, *q. d.* Ut Ægyptus aquis, sic nunc sanguine occisorum inundabit; ita ut hic sanguis montes excedat. *Secundo*, si a radice צפה *tsapha* deducas, significat speculari, *q. d.* Terram e qua specularis, id est tuos montes, sanguine tuo rigabo.

ET VALLES IMPLEBUNTUR EX TE, — ex sanguine tuo, id est tuorum militum, *q. d.* Natabunt valles et colles in cruore tuo. Est hyberbole. Vide *Canon.* XXXII.

7. OPERIAM, etc., CŒLUM, ET NIGRESCERE FACIAM STELLAS, — exstinguendo splendorem tuum, quo tu prius hæc omnia collustrare videbaris. Est hyperbole, et hypallage poetica. Nam acerbitatem doloris solet Scriptura exprimere per obscurationem solis, lunæ, stellarum; non quod vere hæc obscurata sint, sed quod tantus sit dolor, et mentis ac sensuum perturbatio in hominibus, ut eis sol et stellæ cadere, vel obscurari videantur. Simili schemate poetico dixit Poeta : Vers. 7.

Impiaque æternam timuerunt sæcula noctem.

Pari modo hæc omnia a Propheta hic poetice

(1) Metaphoram persequitur belluæ aquatilis, quo non aliter e suo domicilio extrahitur, nisi reti, aut sagena piscatorum solertia. Ne igitur magnus iste draco securum se ab hominum artificio putaret, quia in medio fluminum cubabat, quo non videbantur perventuræ piscatorum insidiæ, ait Deus, piscatorum illud munus sibi esse susceptum et habere ad eam curam paratum rete, ubi e gurgitis profunditate draconem extrahet in aridum littus ubi cum suo regno vitam etiam amittat. (Rosenmuller.)

dicuntur et exaggerantur. Est enim hoc Pharaonis lamentum, id est lugubre carmen, uti dixit vers. 2.

Allegorice, hæc vere et reipsa contingent in fine mundi, *Matth.* XXIV, 29.

Tropologice, sol, luna et stellæ Ecclesiæ obscurantur cum principes Ecclesiastici, vel sæculares a justitia et sanctitate deficiunt ad improbitatem.

9. ET IRRITABO (id est non tam ira, quam metu concitabo et percellam, ut patet ex sequentibus) COR POPULORUM MULTORUM, CUM INDUXERO CONTRITIONEM, — id est cum te, o Ægypte! captivam duxero ad gentes tibi ignotas : vel, cum fecero ut contritio et clades tua gentibus ignotis innotescat per fugam tuam, cum ad eas cives tui vastati confugient.

10. CUM VOLARE (id est stringi, et coruscare) COEPERIT GLADIUS MEUS SUPER FACIES EORUM, — id est cum ipsi viderint fulgenti et districto gladio te cædi, contremiscent, existimantes rem suam agi, « paries cum proximus ardet. »

PRO ANIMA SUA, — timentes animæ, id est vitæ suæ, ne eodem modo, quo tu, cædantur.

Vers. 13. 13. PERDAM OMNIA JUMENTA EJUS, QUÆ ERANT SUPER AQUAS PLURIMAS, — id est quæ pascebantur in pratis et agris, qui, aquis ex Nilo diductis, indeque germine abundant.

NON CONTURBABIT EAS PES HOMINIS. — Tanta erit Ægypti vastitas et solitudo, ut non sint homines, qui aquas pedibus suis conturbent, ut in aquatione fieri solet.

14. QUASI OLEUM, — id est quietas, indeque puras, claras et limpidas sicut oleum. Loquitur poetice, uti dixi vers. 7.

15. PLENITUDINE, — habitatoribus : hi enim implent terram, ejusque sunt quasi plenitudo.

16. PLANCTUS EST, — id est erit : vel potius ex Hebræo, *q. d.* Hic est planctus. Hebraice קִינָה *kina*, id est lamentum, et carmen lugubre, quo, ut supra dixi, plangent Ægyptum.

FILIÆ (id est nationes, vel urbes) GENTIUM. — Urbes enim ob pulchritudinem ab Hebræis vocantur filiæ; ut filia Sion, id est urbs speciosa Sion.

SUPER ÆGYPTUM, etc., PLANGENT EUM, — « eum » scilicet planctum. Sic dicimur flere fletum, ridere risum. Aliter Maldonatus : « Plangent eum, » id est « eam, » scilicet Ægyptum, ut sit enallage generis. Verum quia ait : « Plangent eum super Ægyptum, » hunc τὸ *eum*, necessario planctum refert, non Ægyptum.

17. ET FACTUM EST IN DUODECIMO ANNO (eodem anno) IN QUINTA DECIMA MENSIS — ejusdem, id est duodecimi, ut dixerat vers. 1. Hoc est quatuordecim diebus postquam ei dictum fuit : « Assume lamentum. » Ita Maldonatus.

18. DETRAHE (prædic detrahendam Ægyptum) ET FILIAS (id est urbes aliarum) GENTIUM (vicinarum) AD TERRAM ULTIMAM IN LACUM, — id est non in sepulcrum, ut vult Vatablus, sed in infernum.

19. QUO PULCHRIOR ES? — Ita Hebræa et Romana, *q. d.* Cui te, o Ægypte, præfers? quo altior, quo speciosior es? Ecce quo altior tibi videris, eo profundius rues; quo speciosior, eo in tetriorem laci locum cades : ob superbiam ergo tuam descende, et dormi in sepulcro, et in inferno cum incircumcisis, et, ut Chaldæus, peccatoribus. Hoc est quod ait Christus de Capharnaum, *Luc.* X, 15 : « Et tu, Capharnaum, usque ad cœlos exaltata es, usque ad infernum demergeris. » Septuaginta pro מִמִּי *mimmi*, id est *quo*, alio puncto legentes מִמֵּי *mimme*, id est *ex aquis*, vertunt, *ex aquarum pulchritudine*, id est ex Ægypto, quæ Nilo pulchra fit et fecunda, *descende*.

S. Gregorius, lib. XXIV *Moral.* cap. III, assertive hæc legens, non interrogative, sic moraliter explicat : « Extollenti se animæ dicitur : Quo pulchrior es descende, et dormi cum incircumcisis. Omnis enim qui infirmitatis suæ fœditatem considerare negligit, sed per elationis fastum virtutis suæ gloriam attendit, unde pulchrior est, inde descendit : quia extollendo se de suis meritis, inde in ima deterius corruit, unde gloriosum se esse judicavit. Qui descendens cum incircumcisis dormit : quia in æterna morte cum cæteris peccatoribus deficit. »

20. GLADIUS DATUS EST (Nabuchodonosori et Chaldæis, et) ATTRAXERUNT EAM, — scilicet Ægyptum, in os gladii, et in mortem. Pagninus vertit, *gladio data est*, scilicet Ægyptus.

21. LOQUENTUR EI, — quasi gratulandi causa; gaudebunt enim de ejus ad inferos descensu, uti dixit cap. præced. Verba quæ loquentur omittit, sed ea intellige ex *Isaiæ* XIV, 10, fore hæc aut his similia : « Et tu vulneratus es, o Pharao! sicut et nos; descendisti ad inferos, » etc.

22. IBI ASSUR, — rex Assyriorum, quem cecidit, et cui regnum ademit Nabuchodonosor, adjutus a Cyaxare et Medis.

23. QUORUM DATA (id est posita) SUNT SEPULCRA IN NOVISSIMIS LACI, — id est in imo inferni, *q. d.* Qui ex summo regni et tyrannidis culmine descendunt in imum gehennæ.

ET FACTA EST MULTITUDO EJUS; — *q. d.* Principes et milites Assur juxta regem suum sepulti sunt, cum in hac vita omnibus terrori essent. Vide hic quo evadat tyrannis, et tyranni. Hæc est enim justa et congrua merces, ut qui alios occidendo miserunt ad tartara, et ipsi occisi eodem mittantur. Τὸ enim *qui* significat *quia*, ut patet vers. 26. Nota : Impii in inferno dicuntur habere sua sepulcra, quia sunt in morte secunda. Sic Epulo, *Lucæ* cap. XVI, 22, dicitur sepultus in inferno.

Mystice S. Gregorius, lib. IX *Moral.* cap. XXXIX : Assur, ait, est superbus diabolus, qui multos ad culpam et pœnam secum pertrahit : « Quem videlicet, inquit, cum humana corda suscipiunt, ejus procul dubio sepulcra fiunt. Sed in circuitu illius sepulcra ejus sunt : quia in quorum se mentibus nunc per desideria sepelit, hos sibi postmodum per tormenta conjungit. Et quoniam

nunc in semetipsis reprobi malignos spiritus illicita perpetrando suscipiunt, tunc sepulcra cum mortuis (cum dæmonibus) ardebunt. »

IN TERRA VIVENTIUM, — inter viventes in hoc mundo. Terram enim viventium opponit inferno, qui est terra mortuorum. Alii, « viventium, » id est justorum et fidelium, scilicet Judæorum, quos afflixit.

24. IBI ÆLAM — Persæ. Vide dicta *Jerem.* XLIX, 34.

SEPULCRI SUI, — id est sepulcri ejus, scilicet Ælam.

PORTAVERUNT IGNOMINIAM SUAM, — *q. d.* Tyranni, qui hic aliis terrori erant, gladio tandem cæsi, ignominiose mortui sunt, atque asportaverunt secum in infernum opera sua mala, et ignominiæ plena, indeque ignominiam et pœnam perpetuam.

25. POSUERUNT (scilicet dæmones, qui tyrannos et impios ad inferos deducunt, imo pertrahunt) CUBILE EJUS (scilicet Ælam, id est regis Persarum, infernale inter populos, qui ei in hac vita paruerunt, et) IN CIRCUITU EJUS SEPULCRUM ILLIUS, — scilicet populi jam dicti. Nota enallagen numeri; jam enim populos vocat, jam populum. In Hebræo quoque est enallage generis. Jam enim de Ælam masculine loquitur, quasi de rege, jam feminine : intelligit enim ejus congregationem et multitudinem.

26. IBI MOSOCH, — id est Cappadoces.

ET THUBAL, — id est Hispani, vel Iberi. Ita Lyranus. Alii Italos accipiunt. Vide cap. XXVII, 13.

Nota : Horum populorum regem intelligit. Unde sequitur : « In circuitu ejus, » scilicet regis, vel principis, « sepulcra ejus, » scilicet multitudinis, vel populi collocata sunt.

QUIA DEDERUNT, — *q. d.* Quia alios gladio interemerunt, hinc et ipsi gladio interempti sunt. « Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt, » *Matth.* XXVI, 52.

27. ET NON DORMIENT, — non morientur morte naturali, uti heroes, qui victores gloriose mortui cum armis, gladiis et pompa sepeliuntur : sed bello vincentur, ibique victi turpiter et violente occidentur. Comparat ergo eos, non cum justis, sed cum infidelibus, qui licet incircumcisi, gloriose tamen occubuerunt, *q. d.* Illis ergo hi infeliciores erunt; illi enim gloriose, hi autem ignominiose quasi victi et occisi descenderunt ad inferos.

ET POSUERUNT (id est poni præceperunt, vel, ut ponerentur, meruerunt) GLADIOS SUB CAPITIBUS SUIS (1).

ET FUERUNT INIQUITATES EORUM IN OSSIBUS EORUM, — *q. d.* Ossa eorum projicientur insepulta ob iniquitates eorum, quibus ita imbuti sunt, ut illa adhuc videantur ossibus quasi inhærere. Aliter R. David, et ex eo Maldonatus, *q. d.* Qui gladio usque ad ossa confixi, iniquitatum suarum pœnas dederunt : de cætero vero honorifice et fortiter mortui sunt. Aut, ut alii, dederunt pœnas iniquitatum suarum, non ignominiose moriendo, sed in inferno intimis ossibus ardendo.

28. ET TU ERGO, — o Pharao! eris hisce tyrannis, et occisis æque in pœna, ac in culpa et tyrannide socius, cum eisque sepelieris in imo inferni.

29. IBI IDUMÆA, — in inferno erunt Idumæi, æque ac Assyrii, Ælamitæ, etc. Est repetitio poetica. Idem enim in singulis repetit et refricat more Hebræo, ad majus pathos.

30. IBI PRINCIPES AQUILONIS, — id est Babylonii, aliique Aquilonares tyranni, uti fuerunt Tyrii et Sidonii, etc.

ET UNIVERSI VENATORES, — id est tyranni, qui aliorum bona et corpora venantur, quorum pater fuit Nemrod, magnus venator coram Domino, *Gen.* X, 9. Chaldæus vertit, *Sidonii* : retinet enim verbum hebræum *Sidonim*, quasi proprium, quod Noster accepit ut appellativum : sic enim צִדֹנִים *sidonim* significat venatores.

31. VIDIT EOS PHARAO, ET CONSOLATUS EST, — cum videret se tot, tamque illustres asseclas et comites habere, quia per se levamen est pœnæ, in ea habere socium : esto aliunde ea crescat, dum ipsi invicem affligunt et maledicunt, uti faciunt damnati in inferno. Vers. 31.

32. QUIA DEDI TERROREM MEUM. — Ita Hebræa, Septuaginta et Romana, *q. d.* « Quia, » id est, equidem ego Deus, uti olim dedi per eos terrorem Judæis, et aliis viventibus, quos afflixerunt : ita jam illos puniendo, et deturbando ad tartara, ipsum omnesque tyrannos pariter terrebo. Alii legunt : *Quia dedit terrorem suum*, *q. d.* Sicut ille sua crudelitate terruit omnes : ita ego illum puniendo, terrebo omnes impios, statuamque illum quasi speculum terroris mei, quo omnes gentes percellantur. Eodem redit uterque sensus. Ita Virgilius, VI *Æneid.*, describit Æneam descendentem ad inferos, vidisse ibi Agamemnonem, Didonem, Titanes, Cyclopes, aliosque principes et tyrannos :

> Inter quas Phœnissa recens a vulnere Dido
> Errabat sylva in magna.

Et mox :

> Hic illi occurrit Tydeus, hic inclytus armis
> Parthenopæus, et Adrasti pallentis imago.
> At Danaum proceres, Agamemnoniæque phalanges,
> Ut videre virum, fulgentiaque arma per umbras,
> Ingenti trepidare metu. Pars vertere terga.
> Atque hic Priamidem laniatum corpore toto
> Deiphobum vidit.

Et inferius :

> Hic genus antiquum terræ, Titania pubes,
> Fulmine dejecti, fundo volvuntur in imo.

(1) Alludit Propheta ad usum fere universalem apud veteres, qui bellatores viros cum armis, et quibusque pretiosis sepelire solebant. « Moris enim fuerat, inquit Servius in *Æneid.*, X, ut cum his rebus homines sepelirentur, quas dilexerant vivi.

Vidi et crudeles dantem Salmonea pœnas,
Dum flammas Jovis et sonitus imitatur Olympi.
Demens! qui nimbos, et non imitabile fulmen
Ære et cornipedum pulsu simularat equorum.

Et rursum :

Saxum ingens volvunt alii, radiisque rotarum
Districti pendent : sedet, æternumque sedebit,
Infelix Theseus : Phlegyasque miserrimus omnes
Admonet, et magna testatur voce per umbras :
Discite justitiam moniti, et non temnere divos.

Sed audi certa et sacra. Ita Lazarus e sinu Abrahæ vidit divitem epulonem in gehenna cruciari, suamque et Abrahæ opem implorantem. Sed frustra; nam ab Abrahamo audiit : « Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala : nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris, » *Lucæ* XVI, 25. Ita Eremita sanctus vidit Theodoricum regem discinctum, discalceatum, vinctisque manibus inter Joannem Papam et Symmachum patricium (quos injuste occiderat) duci et projici in ollam Vulcaniam, uti refert S. Gregorius, lib. IV *Dialog.* cap. XXX. Qui et cap. XXXI narrat Reparatum vidisse rogum parari cuidam scelerato, cujus cacumen in cœlum a terra porrigi videbatur. Et cap. XXXVI narrat Petrum quemdam gehennæ supplicia vidisse, cumque in ea mergendus videretur, ab Angelo liberatum audivisse : « Regredere, et qualiter tibi posthac vivendum sit, cautissime attende. » Et cap. XXXVIII narrat Chrysaorium in morte vidisse teterrimos spiritus sibi imminere, ut ad inferni claustra eum raperent. Et cap. LIV narrat de tinctore quodam, qui sepultus in templo S. Laurentii, noctu e sepulcro clamavit : « Ardeo, ardeo, » cumque sepulcrum inspicerent, vestes ejus viderunt, at corpus non invenerunt.

Ita nuper consiliarius quidam Elisabethæ reginæ Angliæ, moriens vidit suam in gehenna sedem profundam, igneam, aliasque similes juxta eam suis collegis paratas, ut a viris omni fide dignis accepi. Hosce Deus mortalibus dedit tibicines, hosce siticines, qui jugiter mutis, sed igneis vocibus, peccatoribus inclament : Sapite, nostro damno sapite. Hodie mihi, cras tibi, o vanas opes, o mendaces honores! Ambitio, avaritia et crapula duxerunt nos, vosque pariter ducent ad tartara. Quis poterit habitare cum igne devorante, commorari cum ardoribus simpiternis?

CAPUT TRIGESIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet officium speculatorum, id est Prophetarum et prædicatorum, esse, prænonere populum de instante clade. Secundo, vers. 10, *invitat ad pœnitentiam, docens et promittens quod impius, si se convertat, vivet; justus, si a justitia deficiat, morietur; idque esse æquum et justum. Tertio, vers.* 21, *in Babylone existens edicit Jerusalem a Chaldæis jam esse captam et vastatam, quod postridie nuntius ex Judæa veniens, verum esse confirmat. Inde Judæis in Judæa reliquis superbientibus, quasi ipsi soli Judæam essent possessuri, cladem intentat. Denique, vers.* 30, *eis qui oracula Prophetæ, quasi carmen musicum audiebant et irridebant, stragem eis comminatam certo obventuram denuntiat* (1).

1. Et factum est verbum Domini ad me, dicens : 2. Fili hominis, loquere ad filios populi tui, et dices ad eos : Terra cum induxero super eam gladium, et tulerit populus terræ virum

(1) Hic incipit tertia pars prophetiarum Ezechielis, quæ PRIMO, ad Judæorum reductionem et Gentium vocationem, cap. XXXIII-XXXIX; SECUNDO, ad Ecclesiæ tum Judaicæ reparationem, tum Christianæ institutionem, cap. XL-XLVIII.

Duæ sunt in hoc capite XXXIII prophetiæ, duæ etiam utriusque partes. In priori quidem oraculo, vers. 1-20, PRIMO, postquam vates ab exteris gentibus revocatus esset ad Israelitas, *primo*, proponit sententiam de speculatore constituto qui, si de malo imminente monuerit, expers declaratur culpæ, et liber a clade oppressura monitor, nec tamen sibi caventes, 1-5; si officium hoc neglexerit, reus damnatur, 6; *secundo*, applicat idem judicium ad prophetam, munus suum facientem vel omittentem, 7-9; SECUNDO, ad Judæos se convertens, *primo*, reprehendit desperantium pusillanimitatem, 10; *secundo*, commendat Dei ad pœnitentiam vocantis clementiam, 11; *tertio*, decernit interitum innocentis quidem prius, sed posthac peccantis, 12, 13; *quarto*, promittit salutem peccatoris quidem prius, sed postea resipiscentis et in justitia constantis, 14-16; *quinto*, refellit obmurmurantes divinæ sententiæ iterato decretæ, 17-20.

In vaticinio altero, quod pridie quam veniret nuntius, qui de capta et vastata Hierosolymitana civitate exsules edocuit, spiritu divino tactus Propheta protulit, PRIMO, spem eripit repetendæ possessionis antiquæ impiis illis, cladi per Chaldæos Judææ illatæ superstitibus, qui in urbium ruinis, in saltibus et agris, et in saxorum latebris præsidium sibi aut domicilium locaverant, quibus edicit, nullum futurum esse locum a periculo vacuum, 24-29;

SECUNDO, ad commorantes jam in captivitate Babylonica se vertens, *primo*, detegit illorum hypocrisin illudentem prophetiis, 30-32; *secundo*, asserit certum horum vaticiniorum eventum, 33.

unum de novissimis suis, et constituerit eum super se speculatorem : 3. et ille viderit gladium venientem super terram, et cecinerit buccina, et annuntiaverit populo : 4. Audiens autem, quisquis ille est, sonitum buccinæ, et non se observaverit, veneritque gladius, et tulerit eum : sanguis ipsius super caput ejus erit. 5. Sonum buccinæ audivit, et non se observavit, sanguis ejus in ipso erit : si autem se custodierit, animam suam salvabit. 6. Quod si speculator viderit gladium venientem, et non insonuerit buccina, et populus se non custodierit, veneritque gladius, et tulerit de eis animam : ille quidem in iniquitate sua captus est, sanguinem autem ejus de manu speculatoris requiram. 7. Et tu, fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel : audiens ergo ex ore meo sermonem, annuntiabis eis ex me. 8. Si me dicente ad impium : Impie, morte morieris : non fueris locutus ut se custodiat impius a via sua : ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram. 9. Si autem annuntiante te ad impium ut a viis suis convertatur, non fuerit conversus a via sua : ipse in iniquitate sua morietur : porro tu animam tuam liberasti. 10. Tu ergo, fili hominis, dic ad domum Israel : Sic locuti estis, dicentes : Iniquitates nostræ et peccata nostra super nos sunt, et in ipsis nos tabescimus : quomodo ergo vivere poterimus? 11. Dic ad eos : Vivo ego, dicit Dominus Deus : nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat. Convertimini, convertimini a viis vestris pessimis : et quare moriemini, domus Israel? 12. Tu itaque, fili hominis, dic ad filios populi tui : Justitia justi non liberabit eum in quacumque die peccaverit : et impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua : et justus non poterit vivere in justitia sua, in quacumque die peccaverit. 13. Etiamsi dixero justo quod vita vivat, et confisus in justitia sua fecerit iniquitatem : omnes justitiæ ejus oblivioni tradentur, et in iniquitate sua, quam operatus est, in ipsa morietur. 14. Si autem dixero impio : Morte morieris : et egerit pœnitentiam a peccato suo, feceritque judicium et justitiam, 15. et pignus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit, in mandatis vitæ ambulaverit, nec fecerit quidquam injustum : vita vivet, et non morietur. 16. Omnia peccata ejus, quæ peccavit, non imputabuntur ei : judicium et justitiam fecit, vita vivet. 17. Et dixerunt filii populi tui : Non est æqui ponderis via Domini : et ipsorum via injusta est. 18. Cum enim recesserit justus a justitia sua, feceritque iniquitates, morietur in eis. 19. Et cum recesserit impius ab impietate sua, feceritque judicium et justitiam, vivet in eis. 20. Et dicitis : Non est recta via Domini. Unumquemque juxta vias suas judicabo de vobis, domus Israel. 21. Et factum est in duodecimo anno, in decimo mense, in quinta mensis transmigrationis nostræ, venit ad me qui fugerat de Jerusalem, dicens : Vastata est civitas. 22. Manus autem Domini facta fuerat ad me vespere, antequam veniret qui fugerat : aperuitque os meum donec veniret ad me mane, et aperto ore meo non silui amplius. 23. Et factum est verbum Domini ad me, dicens : 24. Fili hominis, qui habitant in ruinosis his super humum Israel, loquentes aiunt : Unus erat Abraham, et hæreditate possedit terram : nos autem multi sumus, nobis data est terra in possessionem. 25. Idcirco dices ad eos : Hæc dicit Dominus Deus : Qui in sanguine comeditis, et oculos vestros levatis ad immunditias vestras, et sanguinem funditis : numquid terram hæreditate possidebitis? 26. Stetistis in gladiis vestris, fecistis abominationes, et unusquisque uxorem proximi sui polluit : et terram hæreditate possidebitis? 27. Hæc dices ad eos : Sic dicit Dominus Deus : Vivo ego, quia qui in ruinosis habitant, gladio cadent : et qui in agro est, bestiis tradetur ad devorandum : qui autem in præsidiis et speluncis sunt, peste morientur. 28. Et dabo terram in solitudinem, et in desertum, et deficiet superba fortitudo ejus : et desolabuntur montes Israel, eo quod nullus sit qui per eos transeat. 29. Et scient quia ego Dominus, cum dedero terram eorum desolatam et desertam propter universas abominationes suas, quas operati sunt. 30. Et tu fili hominis : filii populi tui, qui loquuntur de te juxta muros, et in ostiis domorum, et dicunt unus ad alterum, vir ad proximum suum

loquentes : Venite, et audiamus quis sit sermo egrediens a Domino. 31. Et veniunt ad te quasi si ingrediatur populus, et sedent coram te populus meus : et audiunt sermones tuos, et non faciunt eos : quia in canticum oris sui vertunt illos, et avaritiam suam sequitur cor eorum. 32. Et es eis quasi carmen musicum, quod suavi dulcique sono canitur : et audiunt verba tua, et non faciunt ea. 33. Et cum venerit quod prædictum est (ecce enim venit), tunc scient quod prophetes fuerit inter eos.

Vers. 2. 2. AD FILIOS POPULI TUI, — ad Judæos populares tuos, *q. d.* Hactenus contra gentes jussi te vaticinari, nunc redi ad tuos, eisque quasi speculator scelera, ob eaque clades imminentes speculare, et annuntia.

TERRA. — Est hebraismus. Sensus est, *q. d.* Cum super terram gladium induxero. Hebræi enim ponunt antecedens cum relativo.

Vers. 3. 3. GLADIUM, — id est hostes. Nota metaphoram, vel allegoriam. Sensus enim est, *q. d.* Sicut tempore belli solet in urbe ex novissimis, id est infimis et plebeiis, constitui speculator, qui cives admoneat de hostium adventu; qui si idipsum non fecerit, illi mors et cædes civium imputabitur : sin ipse buccinando præmoneat, et aliquis ab hoste sibi non caveat, sanguis ejus super ipsum erit, id est ipse sibi est causa mortis, ipse suam mortem imputet sibi : ita speculator spiritualis, id est Propheta et prædicator (qualis ego sum, non ex plebeio et infimo, sed ex nobili, puta ex sacerdotali, genere a Deo electus et constitutus, ut libentius et attentius a vobis audiar), si minas Dei, ac pœnas præsentes et futuras peccatoribus non denuntiet, ipsi peccatorum mors imputabitur : sin denuntiet, et aliquis non caveat sibi, sua mors et perditio eidem imputabitur. Unde S. Clemens, lib. II *Constit. Apost.* cap. VI, docet Episcopum debere prædicare Evangelium. Hoc est enim tuba qua canit : « Gladius, inquit, judicium est, tuba vero sacrum Evangelium; speculator autem Episcopus, qui præest judicio et Ecclesiæ, quem oportet prædicando testari et affirmare de judicio. Si enim non denuntiatum et testatum populo erit, peccatum ignorantium ascribetur vobis. » Hinc moraliter S. Bernardus : « Sollicitudo, ait, officium Prælati est, non celsitudo. » Et Chrysostomus in epist. *ad Hebr.* : « Miror, ait, si quem ex his qui obtinent principatum, contigerit salvari in tanta eorum desidia, et in tot Dei adversus eos comminationibus. »

Prælati officium est sollicitudo, non celsitudo.

Præclare S. Gregorius, homil. 17 *in Evangel.* : « Vos estis sal terræ. Quasi ergo inter bruta animalia petra salis debet esse sacerdos in populis. Curare namque sacerdotem necesse est, quæ singulis dicat, unumquemque qualiter admoneat, ut quisquis sacerdoti jungitur, quasi ex salis tactu æternæ vitæ sapore condiatur. Sed tunc vere aliis recta prædicamus, si dicta rebus ostendimus, si nos ipsi divino amore compungimur, et humanæ vitæ, quæ sine culpa transiri nequaquam potest, quotidianis lacrymis maculas lavamus. Tunc autem de nobis vere compungimur, si studiose patrum præcedentium facta pensamus, ut ex conspecta illorum gloria, in nostris nobis oculis nostra vita sordescat. » Et inferius gemens queritur, seque cum cæteris accusans, ait : « Ad exteriora negotia delapsi sumus, et aliud ex honore suscipimus, aliud ex officio actionis exhibemus. Ministerium prædicationis relinquimus, et ad pœnam nostram, ut video, Episcopi vocamur, qui honoris nomen, non virtutis tenemus. Hi qui nobis commissi sunt quotidie per multas nequitias pereunt, et eos ad infernum tendere negligenter videmus. Sed quomodo nos vitam corrigere valemus alienam, qui negligimus nostram? Curis enim sæcularibus intenti, tanto insensibiliores intus efficimur, quanto ad ea quæ foris sunt studiosiores videmur. Unde bene S. Ecclesia de membris suis infirmantibus dicit : Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodivi. Vineæ quippe nostræ actiones sunt, quas usu quotidiani laboris excolimus. Nullum puto, fratres charissimi, ab aliis majus præjudicium, quam a sacerdotibus tolerat Deus, quando eos quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit; quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus, etc. Nulla animarum lucra quærimus, ad nostra quotidie studia vacamus, terrena concupiscimus, humanam gloriam intenta mente captamus. Locum sanctitatis accipimus, et terrenis actibus implicamur. Impletum est in nobis : Et erit sicut populus, sic sacerdos. Sacerdos enim non distat a populo, quando nullo merito vitæ suæ vulgi transcendit actionem. Imploremus Jeremiæ lacrymas, consideret mortem nostram, et deplorans dicat : Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum? » etc. Subdit deinde hac de causa Deo vindice a barbaris eversa esse templa et monasteria, depopulatas urbes, agros vastatos. Ac rursum exhortans, ait : « Pensemus ergo qui unquam per linguam nostram conversi, qui de perverso suo opere nostra increpatione correpti, pœnitentiam egerunt : quis luxuriam ex nostra eruditione deseruit, quis avaritiam, quis superbiam declinavit? Pensemus quod lucrum Deo fecimus, nos qui accepto talento, ab eo ad negotium missi sumus : etenim dicit : Negotiamini dum venio. Quale ei animarum lucrum de nostra negotiatione monstrabimus? Ponamus ante oculos nostros illum tantæ

districtionis diem, quo judex veniet, et rationem cum servis suis quibus talenta sua credidit ponet. Ecce in majestate terribili, inter Angelorum atque Archangelorum choros videbitur. Ibi Petrus cum Judæa conversa, quam post se traxit, apparebit. Ibi Paulus conversum, ut ita dixerim, mundum ducens. Ibi Andreas post se Achaiam, ibi Joannes Asiam, Thomas Indiam, in conspectu sui judicis conversam ducet. Ibi omnes Dominici gregis arietes cum animarum lucris apparebunt, qui sanctis suis prædicationibus Deo post se subditum gregem trahunt. Cum igitur tot pastores cum gregibus suis ante æterni Pastoris oculos venerint, nos miseri quid dicturi sumus, qui ad Dominum nostrum post negotium vacui redimus; qui pastorum nomen habuimus, et oves quas ex nutrimento nostro debemus ostendere, non habemus? Ingrediuntur electi, sacerdotum manibus expiati, cœlestem patriam : et sacerdotes ipsi per vitam improbam ad inferni supplicia festinant. Cui ergo rei, cui similes dixerim sacerdotes malos, nisi aquæ baptismatis, quæ peccata baptizatorum diluens illos ad regnum cœleste mittit, et ipsa postea in cloacas descendit? » Hæc et plura Gregorius lectu dignissima, et factu necessaria.

Vers. 5. 5. SANGUIS EJUS IN IPSO ERIT, — id est ipse causa erit suæ mortis, nec in alium eam poterit conferre (1).

Vers. 6. 6. ANIMAM (id est hominem. Est synecdoche, *q. d.* Si aliquem ex eis hostis occiderit), ILLE QUIDEM IN INIQUITATE (id est ob iniquitatem et scelera sua, punietur et morietur; quia Deus hostes non immittit nisi ob peccata populi; tamen) SANGUINEM EJUS DE MANU SPECULATORIS REQUIRAM, — id est puniam speculatorem ut homicidam; quia mortem alterius imminentem, quam prædicere, quemque præmonere debebat, prædicendo et præmonendo, quantum in se erat, non impedivit.

Vers. 7. 7. SPECULATOREM DEDI TE, — o Ezechiel! Accommodat thesin ad hypothesin, ut et Ezechiel Judæis prophetet, et Judæi eum audiant, eique credant. S. Clemens, lib. II *Constit. Apost.* cap. VI, ex doctrina S. Petri et Apostolorum ita sancit de Episcopo : « Vos Episcopos speculatores populi esse oportet, quod vos quoque speculatorem habeatis Christum. Et vos igitur estote boni speculatores populi Dei. Ait enim Dominus unicuique nostrum per Ezechielem : Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel, » etc.

Audi S. Prosperum, lib. I *De Vita contemplat.* cap. XX : « Speculatorem dedi te, hoc, inquit, est dicere, si ei peccata sua non annuntiaveris, si eum non argueris, ut ab impietate sua convertatur et vivat : et te, quia non increpasti; et ipsum, qui te tacente, peccavit, flammis perennibus perdam. Quis tam saxeus, tam ferreus erit, quem sententia ipsa non percellat? » Et S. Augustinus, *homil.* 7, inter 50 : « Si diligenter, ait, attenditis, omnes sacerdotes in grandi periculo esse cognoscetis. Ipsis enim contestatur Spiritus Sanctus dicens, *Isaiæ* LVIII : Clama, ne cesses. Et *Ezech.* XXXIII : Si non annuntiaveris iniquo iniquitatem suam, sanguinem ejus de manu tua requiram. Et Apostolus, *Hebr.* XIII : Ipsi pervigilant tanquam rationem reddituri pro animabus vestris. » Si quisque pro se vix poterit rationem reddere in die judicii, quid faciet pastor, a quo omnium subditorum animas requiret Deus?

Egregie quoque Origenes, homil. 7 *in Josue* : « Tu, inquit, qui Ecclesiæ præsides, corporis Christi es oculus : vide ergo ut omnia circumspicias, omnia circumlustres, etiam ventura prævideas. Pastor es, vides oviculas Domini ignaras periculi ferri ad præcipitia, et per prærupta pendere, nec occurris? non revocas? non saltem voce cohibes, et correptionis clamore deterres? sic memor es Dominici sacramenti, ut, cum ille derelictis nonaginta novem in cœlestibus, propter unam oviculam, quæ erraverat in terras descenderit, et inventam vectaverit humeris suis ad cœlum, nos in nullo prorsus in curandis oviculis magistri pastoris sequamur exemplum? »

Rursum S. Bernardus in *Sententiis* : « Pastorum est, inquit, vigilare super gregem propter tria necessaria : videlicet, ad disciplinam, ad custodiam, ad preces. Ad disciplinam, propter morum correctionem, ne grex commissus propria molestia deficiat. Ad custodiam, propter diabolicam suggestionem, ne hostili seducatur calliditate. Ad preces, propter tentationum instantiam, ne vincatur a pusillanimitate. In disciplina rigor est justitiæ, in custodia spiritus consilii, in prece affectus compassionis. »

Moraliter, quam libere Prælati arguere debeant peccantes.

Hinc *secundo*, disce hic quam Deus velit principes et prælatos sollicite monere et libere redarguere peccantes : ni enim id faciant, eis mortem intentat. Quocirca Nehemias, cap. V, audiens clamorem populi propter gravamina, quæ patiebatur a divitibus, increpavit optimates et magistratus. Idem fecit pro eo quod multi portando onera, diem sabbati profanabant.

Daniel discrete, sed libere arguit regem Balsasar exemplo patris sui. Rex eum patienter audivit : imo licet ei Daniel exitium intentaret, magnifice tamen eum honoravit, *Daniel.* V.

S. Joannes Baptista miro fervore corripuit pharisæos, dicens : « Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira? » *Matth.* cap. III.

S. Stephanus in concilio Judæos acriter reprehendit, dicens : « Dura cervice et incircumcisi corde et auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis : sicut patres vestri, ita et vos, » *Actor.* VII.

S. Paulus intuens Elymam magum, qui nite-

(1) Metaphora videtur a victimis expiatoriis desumpta, quarum capitibus sacrificantes imponebant manus, et eorum imputabant eis reatum, vide *Levit.* I, 4; XXIV, 14, et cf. *Matth.* XXVII, 25. Dabit debitas stupori suo atque inertiæ pœnas.

batur avertere Paulum proconsulem a fide, dixit illi : « O plene omni dolo, et omni fallacia, fili diaboli, et inimice omnis justitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas. »

S. Macedonius Anachoreta jussit judices Imperatoris ex equo descendere, ac renuntiare Imperatori : sciret se esse hominem, ac ejusdem naturæ cum aliis; quare non tam crudeliter curaret e medio tolli homines, qui sunt vivæ et spirantes Dei imagines, præsertim cum ipse Imperator tam ægre tulerit conjugis suæ imaginem æneam contumelia affici, ut propterea tot homines trucidare velit. Ita Theodoretus in ejus Vita, et Baronius, anno Christi 388.

Isaacius monachus Valentem Imperatorem proficiscentem ad bellum libere redarguit, eique interitum prædixit. Cumque Valens eum capi et custodiri juberet, donec a bello victor rediret, dixit Isaacius : « Eneca etiam, inquit, si mendacia deprehenderis verba mea. » Et vere : nam Valens a Gothis victus in casa ab eis combustus est : atque Isaacius absens in carcere suis nuntiavit diem et horam necis ejus; quin et nidore assarum carnium ejus repletus est. Ita Nicephorus, lib. XI, cap. L.

S. Amandus Episcopus, Romæ in ecclesia S. Petri pernoctans, vidit S. Petrum, qui ei jussit ut ad Dagobertum regem Francorum pergeret, eumque de suis peccatis corriperet, quod et fecit, ideoque regia extrusus est. Sed tandem resipiscenti Dagoberto Amandus gratus fuit. Ita habet ejus Vita.

Verum advertat Prælatus, et monitor, quod correctio non debeat esse nimis severa et ultrix; sed mansueta, et talis, ut ex charitate proficisci videatur; alioqui noxia est.

Correptio sit lenis, et ex charitate manans.

Nota est visio S. Carpi anno Domini 59, qui in somnis indignans in Gentiles, quod fidelem quemdam a fide averterant, optansque eos in tartara trudi, vidit Christum eis manum porrigentem, ac dicentem Carpo : « Percute adversum me : paratus enim sum iterum pro salvandis hominibus pati : tu autem inspice an tibi utile sit, hanc in gehenna mansionem præferre Dei et angelorum consortio. » Rem fuse narrat S. Dionysius, epist. *ad Demophilum*.

Cum Ameras Tharsi, dux Saracenorum, contra Romanos cum exercitu profectus esset, atque in Herculis vicum milites deprædatum misisset, quidam presbyter Themel nomine, sacrificium incruentum peragens, ut agnovit Saracenorum irruptionem, relicto sacrificandi munere, ita ut erat indutus, manibus gestans Ecclesiæ mysterium, sic eos qui invaserant propulsavit, et multos vulneravit; non paucos interfecit, reliquis in fugam versis. Cum vero Episcopus idcirco ei sacris interdiceret, interdicti relaxationem petiit : postquam non impetravit, ad Agarenos se contulit, et christianam fidem ejuravit, atque cum ipsis egressus non solum Cappadociam, et finitima loca vexavit, sed etiam usque ad Asiam, quæ minor dicitur, pervenit : et quanta detrimenta intulerit, nec scribere quidem nobis fas est, inquit Europa-lates, et ex eo Baronius, anno Christi 957. Quanto præstitisset Episcopum leniter cum eo egisse, ac petenti et pœnitenti interdictum relaxasse?

10. PECCATA NOSTRA SUPER NOS SUNT, — nos gravant, et ducunt ad mortem.

11. NOLO MORTEM IMPII. — « Nolo, » scilicet antecedenter, et quantum est ex parte mea : quia, ut sequitur, volo ut convertatur impius a via sua, et vivat; ideoque te, Ezechiel, aliosque Prophetas et prædicatores ad eos mitto, eisque sub pœna mortis præcipio, ut eos moneant, arguant, ac ad pœnitentiam invitent. Atque sicut exterius per prædicatores, ita et interius per sanctos gratiæ impulsus, perque terrores et consolationes, quas eis immitto, ad eamdem illos invito. Sine his enim frustranea et inanis foret omnis exterior prædicatio. Quod si tot modis a me excitati, ipsi aures obturent, et converti nolint : tunc ego consequenter volam et decernam eorum mortem, quasi justum eorum supplicium, quo cæteri terreantur. Non ergo per Deum, sed per peccatores stat, quod ipsi in peccatis maneant, pereant et damnentur. Hoc est quod ait Sapiens *Eccli.* XV, 11 : « Non dicas : Per Deum abest; quæ enim odit ne feceris. » Vide dicta cap. XVIII, vers. 23 (1).

12. IMPIETAS IMPII NON NOCEBIT EI, IN QUACUMQUE DIE CONVERSUS FUERIT AB IMPIETATE SUA. — Prudenter S. Augustinus, tract. 33 *in Joannem*, in fine tom. IX : « Homines, ait, periclitantur, et sperando, et desperando. Sperando, dum dicunt : Bonus est Deus, faciam quod mihi placet, quodlibet : desperando, » dum ob gravia peccata, quæ fecerunt, « dicunt : Jam damnandi sumus; quare non quod volumus facimus? Metuendum est ne te occidat spes, et, cum multum speras, de misericordia incidas in judicium. Metuendum est rursus ne te occidat desperatio, » etc. Hinc utri-

(1) Si negligenter legamus, inquit S. Hieronymus, videtur nobis eadem prophetia esse quæ supra, cap. XVIII, 23, in qua dicitur : « Numquid volens cupio mortem iniqui, dicit Dominus, nisi converti eum a via sua mala et vivere? » Et in fine ejusdem prophetiæ (vers. 32) : « Convertimini, » etc. Ibi enim ad eos sermo fit, qui volunt agere pœnitentiam, et justitia peccata delere, ut cum fiducia convertantur, et pleno animo agant pœnitentiam. Hic autem ad eos loquitur, qui magnitudine peccatorum, imo impietatum suarum desperant salutem, et dicunt : « Iniquitates nostræ et peccata nostra super nos sunt, et in ipsis tabescimus, quomodo ergo vivere poterimus? » Et est sensus : Cum semel nobis mors proposita sit, et vulneribus nostris nulla medicina possit restituere sanitatem, quid necesse est laborare et frustra consumi, et præsentem vitam non cum desperatione transigere, ut saltem hac fruamur, quia futuram perdidimus. Quibus respondet Deus (vers. 11) non velle se mortem impii, sed ut revertatur et vivat. Et apostrophen facit ad impios desperantes, « convertimini, » etc. Atque ut sciamus, qui sunt impii ad quos loquitur, sequens sermo demonstrat (vers. 11) : « quare moriemini, domus Israel.

que succurrere volens Dominus, « illis qui spe periclitantur dicit *Eccli.* v : Ne tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem : subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te. Illis qui desperatione periclitantur quid dicit? In quacumque die impius conversus fuerit, omnes iniquitates ejus obliviscar. Propter illos ergo, qui desperatione periclitantur, proposuit indulgentiæ portum : propter illos, qui spe periclitantur, et dilationibus illuduntur, fecit diem mortis incertum. Quando veniat ultimus dies, nescis. Ingratus es, si eum exspectas, quia hodiernum habes in quo corrigaris. »

Vers. 13. 13. ETIAM SI DIXERO JUSTO QUOD VITA VIVAT,—scilicet, si permanserit in justitia sua.

Vers. 14. 14. FECERIT JUDICIUM ET JUSTITIAM, — innocenter et juste vixerit.

Vers. 15. 15. MANDATIS VITÆ, — quæ ducunt ad vitam præsentem et æternam.

Vers. 17. 17. ET DIXERUNT, etc. NON EST ÆQUI PONDERIS,— id est æqua; Septuaginta, *recta*, id est non est æquo pondere rationis et justitiæ librata, *q. d.* Non æque, non recte nobiscum, puta cum piis et impiis, agit Deus. Vide dicta cap. XVIII, sub finem.

ET (id est cum) IPSORUM VIA INJUSTA — iniqua, prava et detorta sit.

Vers. 18. 18. IN EIS, — propter eas.

Vers. 21. 21. ET FACTUM EST IN DUODECIMO ANNO, etc., TRANSMIGRATIONIS NOSTRÆ. — Hinc patet Ezechielem annos suos consignare per æram transmigrationis Jechoniæ, uti sæpe superius dixi.

VENIT AD ME QUI FUGERAT, — expugnata jam urbe Jerusalem; uti prædixerat illi Deus, cap. XXIV, vers. 26. Expugnata enim fuit Jerusalem anno undecimo, mense quarto, die quinta, *Jerem.* cap. XXXIX, vers. 2; facile ergo spatio sesquianni potuit Ezechiel in Babylone accipere nuntium de ejus expugnatione : imo potius mirum est, quod non prius eum acceperit. Verum in tanta vastitate, et paucitate eorum qui cladem Hierosolymæ effugerant, atque in tanta locorum intercapedine, id mirandum non est, cum quisque de se et vita sollicitus, parum de clade hac in Babylone nuntianda cogitaret.

22. MANUS DOMINI (id est virtus, efficacia et operatio Domini afflaverat me pridie spiritu prophetico, ut libere prædicarem in Babylone excidium Jerusalem nuper factum, et non silerem quod postridie nuntius adveniens reipsa completum, et verum esse nuntiavit. Hoc enim est, quod ait) : APERUITQUE (Dominus) OS MEUM, — id est dedit mihi loquendi libertatem et audaciam.

24. IN RUINOSIS HIS, — in ruinis Jerusalem et Judææ a Chaldæis eversæ, *q. d.* Hi relicti a Chaldæis in Judæa cum dolere deberent, gaudent, quod pauci ipsi totam Judæam sint possessuri, dicuntque id non esse mirum, eo quod uni Abrahæ Deus illam promiserit : illi autem pro Abrahamo sint multi.

25. IN SANGUINE, — cum sanguine comeditis carnem. Sanguinis enim esus lege vetitus erat, *Levit.* XIX, 26. Alii exponunt, *q. d.* Qui inter comedendum de sanguine proximi fundendo cogitatis : aut, postquam sanguinem innocentem fudistis, cruentis adhuc manibus cibum securi sumitis, quasi nihil mali fecissetis. Ita Maldonatus.

OCULOS LEVATIS AD IMMUNDITIAS VESTRAS, — cum amore, reverentia, spe, veneratione, affectu, desiderio respicitis ad idola vestra. Levare ergo oculos ad idola, symbolum erat et signum adorationis eorum. Ita Chaldæus, Vatablus et alii. Vel proprie, *q. d.* Respicitis ad libidines et turpitudines vestras.

26. STETISTIS IN GLADIIS, — cum gladiis vestris, Vers. 26 quasi parati ex habitu et consuetudine occidere innocentes. Ita R. David. Vel, stetistis innixi gladiis vestris, quasi iis confisi, ac dicentes : « Manus nostra excelsa, et non Dominus fecit hæc omnia. » Unde Chaldæus vertit : *Stetistis in fortitudine vestra.*

27. QUI IN RUINOSIS (in ruinis Jerusalem) HABITANT. Vers. 27.

GLADIO CADENT. — Godolias enim cum suis occisus est ab Ismaele, et post eum alii multi a Chaldæis.

EO QUOD (ita ut) NULLUS SIT.

30. QUI LOQUUNTUR DE TE, — qui obloquuntur, et irrident te, uti otiosi et sanniones in foro facere solent.

31. QUASI SI INGREDIATUR POPULUS, — id est sicut solet populus ingredi, scilicet confertim, et multi simul. Ita Septuaginta.

IN CANTICUM, — id est rident, contemnunt, vertunt in jocum et canticum tuas minas et conciones.

32. ET ES EIS QUASI CARMEN MUSICUM, — *q. d.* Audiunt te voluptatis et recreationis ergo, non doctrinæ, ut vitam corrigant, quasi audirent te scite pulsantem instrumentum musicum, solo concentu delectati. Septuaginta, *et es eis quasi vox psalterii*; Chaldæus, *quasi canticum organorum*; Vatablus, *velut cantitum amorum*, vel *amatorium : canticum*, id est canens amatoria, *q. d.* Tu es illis ludibrio, rident te, quasi histrio eorum esses. Sic Quintilianus, lib. I, cap. X, ait : « Assignare carmen allectationi, et carmen componere ad lyram. » Hinc et proverbium : « Musice vivit, » id est otiose et voluptuarie vivit : sed horum musica fit « Bœotica cantilena, » id est in luctum et funebre carmen convertitur, dum extrema gaudii luctus occupat, et sanniones sentiunt iras Dei, quas ante riserant. Narrat Herodotus, lib. II, Cyrum, cum Ionas pacis conditiones quas prius repudiarant, ab eo reposcerent, dixisse eis apologum tibicinis, qui ad alliciendos pisces tibia cecinerat, sed cum nihil proficeret, sagenam misit in mare, multosque pertraxit : quos cum palpitantes intueretur : « Temperate, ait, jam a saltationibus, quia, me canente, noluistis saltare. » Ita Deus,

Judæis tibiam Ezechielis et Prophetarum respuentibus, hamum Chaldæorum immisit, quo capti et necati sunt. Hinc Themistocles in regendo duo adhibenda esse numina dicebat, πείθω καὶ βιὰν, ut qui illius suavitatem contempserint, hujus stimulos sentiant. Id declarat apologus (nostro huic antistrophus et dissimiliter similis) Phædri, lib. III, cap. LV, de cicada, quæ rogata a noctua ut taceret, nec somnum impediret, cum illa nollet, invitata a noctua ad Palladis nectar, ut sitim canendo contractam exstingueret, veniens ab ea occisa est. « Sic viva quod negarat, tribuit mortua. » Ita impii qui viventes noluerunt obsequi Deo et Prophetis, moriendo obsequuntur. Canunt illi suas cantilenas lascivi, silere nolunt, jubente Deo, qui proinde morte eos puniens silentium eis indicit.

Tales et hodie sunt multi, qui prurientes auribus conciones serias et efficaces fastidiunt, elegantes et curiosas sectantur; similes Atheniensibus tempore S. Pauli, qui ad nihil aliud vacabant, nisi ut aliquid novi dicerent, vel audirent, *Actor.* XVII. Verum Dei præco propterea animum non despondeat, nec a concione cesset, neque rursum modum concionis mutet, ut eorum auribus se accommodet easque scalpat; sed perstet in suo munere, gradu et spiritu, nec dubitet Deum copiosum ex hoc labore et ministerio fructum eliciturum. Et esto paucos converteret, tamen nec concio fructu, nec ipse mercede sua condigna frustrabitur. Unius enim animæ conversio et salus, condignum omnis laboris est pretium. Refert Cicero, lib. *De Claris Orat.*, Antimachum nobilem poetam, cum convocatis auditoribus, legeret eis suum carmen, eumque loquentem omnes præter unum Platonem reliquissent, dixisse : « Legam nihilominus, Plato enim unus mihi instar est omnium. »

CAPUT TRIGESIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pastores qui non gregem, sed seipsos pascunt, arguit, punit, officio privat. Inde, vers. 11, *se gregem suum visitaturum; ac vers.* 23, *se verum Pastorem missurum promittit, Christum scilicet, qui dissipatum gregem colligat, pascat, et salvet* (1).

1. Et factum est verbum Domini ad me, dicens : 2. Fili hominis, propheta de pastoribus Israel : propheta, et dices pastoribus : Hæc dicit Dominus Deus : Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos : nonne greges a pastoribus pascuntur? 3. Lac comedebatis, et lanis operiebamini, et quod crassum erat occidebatis : gregem autem meum non pascebatis. 4. Quod infirmum fuit non consolidastis, et quod ægrotum non sanastis, quod confractum est non alligastis, et quod abjectum est non reduxistis, et quod perierat non quæsistis : sed cum austeritate imperabatis eis, et cum potentia. 5. Et dispersæ sunt oves meæ, eo quod non esset pastor : et factæ sunt in devorationem omnium bestiarum agri, et dispersæ sunt. 6. Erraverunt greges mei in junctis montibus, et in universo colle excelso : et super omnem faciem terræ dispersi sunt greges mei, et non erat qui requireret, non erat, inquam, qui requireret. 7. Propterea, pastores, audite verbum Domini : 8. Vivo ego, dicit Dominus Deus ; quia pro eo quod facti sunt greges mei in rapinam, et oves meæ in devorationem omnium bestiarum agri, eo quod non esset pastor; neque enim quæsierunt pastores mei gregem meum, sed pascebant pastores semetipsos, et greges meos non pascebant. 9. Propterea, pastores, audite verbum Domini : 10. Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, et cessare faciam eos ut ultra non pascant gregem, nec pascant amplius pastores semetipsos : et liberabo gregem meum de ore eorum, et non erit ultra eis in escam. 11. Quia hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego ipse requiram oves meas, et visitabo eas. 12. Sicut visitat pastor

(1) Quæ jam sequuntur vaticinia usque ad cap. XL nullam habent temporis notam appositam. Cum vero illud quod inde a capite XL decurrit vaticinium, editum sit anno deportato Jechoniæ vigesimo quinto, iis vaticiniis, quæ hisce sex capitibus continentur, inter annum deportationis *duodecimum*, quo superius vaticinium (XXXIII, 21) editum legimus, et inter annum vigesimum quintum, quem adscriptum habet cap. XL, locum assignandum censet Lightfoot in *Chronol. vet. Test.* in ejus Oper. vol. I, pag. 130.

PRIMO igitur, exagitat hoc capite Propheta, et pungit illos qui, cum pastoris sibi nomen arrogent, nihil tamen

gregem suum, in die quando fuerit in medio ovium suarum dissipatarum : sic visitabo oves meas, et liberabo eas de omnibus locis, in quibus dispersæ fuerant in die nubis et caliginis. 13. Et educam eas de populis, et congregabo eas de terris, et inducam eas in terram suam : et pascam eas in montibus Israel, in rivis, et in cunctis sedibus terræ. 14. In pascuis uberrimis pascam eas, et in montibus excelsis Israel erunt pascua earum : ibi requiescent in herbis virentibus, et in pascuis pinguibus pascentur super montes Israel. 15. Ego pascam oves meas : et ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus. 16. Quod perierat requiram, et quod abjectum erat reducam, et quod confractum fuerat alligabo, et quod infirmum fuerat consolidabo, et quod pingue et forte custodiam : et pascam illas in judicio. 17. Vos autem greges mei, hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego judico inter pecus et pecus, arietum et hircorum. 18. Nonne satis vobis erat pascua bona depasci? insuper et reliquias pascuarum vestrarum conculcastis pedibus vestris : et cum purissimam aquam biberetis, reliquam pedibus vestris turbabatis. 19. Et oves meæ his, quæ conculcata pedibus vestris fuerant, pascebantur : et quæ pedes vestri turbaverant, hæc bibebant. 20. Propterea hæc dicit Dominus Deus ad vos : Ecce ego ipse judico inter pecus pingue et macilentum : 21. pro eo quod lateribus et humeris impingebatis, et cornibus vestris ventilabatis omnia infirma pecora, donec dispergerentur foras : 22. salvabo gregem meum, et non erit ultra in rapinam, et judicabo inter pecus et pecus. 23. Et suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David : ipse pascet eas, et ipse erit eis in pastorem. 24. Ego autem Dominus ero eis in Deum : et servus meus David princeps in medio eorum : ego Dominus locutus sum. 25. Et faciam cum eis pactum pacis, et cessare faciam bestias pessimas de terra : et qui habitant in deserto, securi dormient in saltibus. 26. Et ponam eos in circuitu collis mei, benedictionem : et deducam imbrem in tempore suo : pluviæ benedictionis erunt. 27. Et dabit lignum agri fructum suum, et terra dabit germen suum, et erunt in terra sua absque timore : et scient quia ego Dominus, cum contrivero catenas jugi eorum, et eruero eos de manu imperantium sibi. 28. Et non erunt ultra in rapinam in gentibus, neque bestiæ terræ devorabunt eos : sed habitabunt confidenter absque ullo terrore. 29. Et suscitabo eis germen nominatum : et non erunt ultra imminuti fame in terra, neque portabunt ultra opprobrium gentium. 30. Et scient quia ego Dominus Deus eorum cum eis, et ipsi populus meus domus Israel : ait Dominus Deus. 31. Vos autem greges mei, greges pascuæ meæ, homines estis : et ego Dominus Deus vester, dicit Dominus Deus.

Vers. 2. 2. Væ, — id est, æternum exitium eis intento : « Tot mortibus, ait S. Gregorius, Prælati digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt. »

Pastoribus, — tum laicis, uti sunt reges, principes, magistratus; tum sacris, uti in veteri Testamento erant pontifices, scribæ et sacerdotes : jam sunt episcopi et parochi (1).

Qui pascebant semetipsos — lacte et carnibus gregis mei, id est qui sua, non gregis, commoda et lucra quærebant; cum boni pastoris sit gregem sibi commissum, non seipsum, pascere. Unde explicans subdit :

aut faciunt, aut cogitant minus quam quod officium decet pastorale, *primo*, accusando neglectam ab iis subditorum curam, promotam autem propriorum commodorum curam, 1-4; *secundo*, exhibendo damnum hinc in rempublicam secutum, 5, 6; *tertio*, repræsentando hanc agendi rationem tanquam culpam, 7, 8; subjiciendo, in culpæ pœnam, exauctorationem et abolitionem horum magistratuum, 9, 10.

Secundo, promissionem Dei nomine facit, *primo*, de populo Israelis, visitando, colligendo, reducendo, 11-13; pascendo, custodiendo et reparando, discriminando, malos ac noxios a bonis et innocentibus separando, 17-22; *secundo*, de Christo, tanquam pastore ac duce populi mittendo, 23, 24; *tertio*, de privilegiis una concedendis, cujusmodi sunt pax et securitas, 25; ubertas, libertas et tranquillitas, 26-29; gloria Dei in æstimationem populi redundans, 30, 31.

(1) Ad quos vero pastores litteraliter pertineat hæc increpatio prophetica, sic explicat Abarbanel in libro qui inscribitur : *Præco salutis*. Memineram vates supra (XXIII, 21), duodecimo captivitatis Jechoniæ anno venisse ad se quemdam, qui evaserit Hierosolymis, nuntiumque attulisse, captam esse urbem et flammis consecratam. Unde vaticinium præsens contra peccatores Israelitas, qui causa devastationis Hierosolymorum fuere, uti et adversus reges Judæ, qui captivitatem Israelitarum suis sceleribus adduxere, pronuntiandum divinitus obtigit Nostro, quo mala illorum facta, una cum corrupti imperii forma describit, ob quam ab ipsis auferendum erat regnum.

Vers. 3. 3. LAC COMEDEBATIS, ET LANIS OPERIEBAMINI. — Per *lac* et *lanam* intelligit fruges et opes subditorum, quas exhauriebant falsi et ficti, imo picti pastores. Noster et Septuaginta legentes חָלָב *chalab*, vertunt *lac*; jam Hebræi aliis punctis legentes חֵלֶב *cheleb*, vertunt, *adipem*, sive *pinguedinem*, *q. d.* Pinguissima gregis vorabatis. Verum Noster melius legit *chalab*, id est *lac*: grex enim hæc tria præstare solet pastori, scilicet lac, lanam, carnes. Per lac apposite Maldonatus accipit stipendium pastorum; pastor enim suo jure lacte gregis vescitur, ut ait Apostolus I *Cor.* IX, 7 (1). Lana est quidquid præter sua salaria, spoliantes populum, accipiebant. Lana enim vel est ovium, vel heri et domini earum, non pastoris. Pastor ergo eam detondens, vel oves, vel herum re sua dispoliat. Carnes sunt hæreditates, quas per fraudes, iniqua judicia et homicidia captabant. Unde subdit: « Quod crassum erat occidebatis, » etc. Audi S. Augustinum, tract. *De Pastor.* tom. IX, cap. II et III: « Accipiant, ait, pastores sustentationem necessitatis a populo, mercedem dispensationis a Domino. Non enim est idoneus populus reddere mercedem illis, qui sibi in charitate Evangelii serviunt: non exspectent illi mercedem, nisi unde et isti salutem. Quid ergo isti increpantur, unde arguuntur? quia cum lac sumerent, et lanis se tegerent, oves negligebant. Qui præbet lac, victum præbet; qui præbet lanam, honorem præbet. Ista sunt duo quæ a populis quærunt, qui seipsos pascunt. »

QUOD CRASSUM ERAT OCCIDEBATIS, — divitibus mortem inferebatis, ut eorum divitias raperetis. Audiant has Prophetæ minas Ecclesiastici, pastores et prælati illi, qui ex beneficiorum proventibus lucris inhiantes, arcarum opes quærunt, non animarum; qui beneficia beneficiis, pensiones pensionibus accumulantes, quæstuarii potius sunt, quam beneficiarii. Nonne hi detondent oves, tonsasque et nudas aliis misellis pascendas relinquunt, qui Pastoratus, Canonicatus, Episcopatus resignant in alios, ac fructus pene omnes sibi reservant; ut, si aureos mille annue det beneficium, ipsi ducentos vel trecentos cum eo resignent, sed octingentos cæteros sibi prætextu pensionis reservent. Nonne hos directe jaculo suo ferit et configit hic Deus, dicens: « Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos: lac comedebatis, et lanis operiebamini, et quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis? » Nonne in hos detonat Jeremias, cap. VI, 13: « A minore usque ad majorem omnes avaritiæ student, et a Propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum? » Et Isaias, cap. LVI, 11: « Ipsi pastores ignorarunt intelligentiam, omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam. » Sanctio prisca Ecclesiæ est, « beneficium dari propter officium. » Quomodo ergo hi beneficii commoda et lucra captant, qui officium non præstant, sed illud in alium transferunt? Hæccine fuit mens fundatorum Ecclesiæ, alere homines in ea nihil agentes et otiosos? Nonne, si ad nos redirent, protestarentur (imo jam in cœlo, aut in Purgatorio degentes protestantur) sua legata et testamenta everti, se sua bona legasse Ecclesiæ ad alendos pastores et ministros, qui reipsa per se fideles Christi docerent, pascerent, regerent, non ut iis alii, qui nihil Ecclesiæ suæ conferunt, fruerentur et ditescerent? Nonne Dei hominumque fidem implorarent, ut hæc iis quibus ipsi ea legarunt, restituerentur? Ingens sane hæc est iniquitas, *primo*, in Deum et Christum: Christi enim patrimonium, Christi Ecclesiæ ministrantibus deputatum, ab iis avertitur, et in extraneos, non ministrantes, transfertur.

Secundo, in Ecclesiam quamque particularem, quæ hisce suis proventibus spoliatur; ac proinde doctos et insignes pastores et ministros nancisci nequit; sed pauperes, misellos, quin et ignorantes et inidoneos, qui quodvis stipendium acceptant, ut vivant. Quod si quando dignos nanciscatur, illi pro dignitate officium administrare, imo vivere nequeunt. Secundo.

Tertio, in populum et fideles, qui ab hisce misellis ita erudiri, corrigi, formari et dirigi in vita christiana nequeunt, uti a doctis et cordatis erudirentur et dirigerentur. Quare multorum salus periclitatur, imo de facto multi pereunt et damnantur ministrorum Ecclesiæ ignorantia, inexperientia, incuria; qui salvati fuissent, si ministros dignos, quales poscebant opes Ecclesiæ, nacti fuissent. An non hasce animas Christus in die judicii requiret ab hisce lucrionibus? Tertio.

Quarto, in ipsos fundatores, quorum ultima voluntas, ipsaque legata et donationes evertuntur, ut dixi. Ipsi enim rogati dicerent aliam prorsus fuisse suam mentem, nunquam se in hasce pensiones, imo lacerationes et distractiones suarum oblationum consensisse, nunquam consensuros. Quarto.

Quinto, in Canones omnes antiquos, qui hasce pensiones vetant, statuuntque ut non nisi justa et gravi de causa, præsertim bene de Ecclesia meritis et emeritis assignentur, idque, ut habet communis mos, ea proportione, ut tertiam fructuum beneficii partem non superent.

Sexto, in Ecclesiam universalem, cui ingens datur scandalum. Rident et subsannant hæretici, sicubi vident hasce avaritiæ in prælatis Ecclesiæ nundinationes. Gemunt fideles. Clerici imitantur, ut pastorum et prælatorum exempla sectentur, ac pensionibus similibus inhient.

Septimo, in Episcopos et Patres omnes priscos et sanctos, quorum sanctiones, vita et exempla violantur. Hæc lucra, has pensiones non sectatus

(1) Sed hi pastores modum non servabant, ut ait Virgilius, *Eclog.* III, 5, 6.

Hic alienus oves custos bis mulget in hora,
Et succus pecori, et lac subducitur agnis.

est, imo in nullo suorum admisit S. Augustinus, qui, teste Possidonio, in episcopatu non opes, sed animas quæsivit, ideoque opes suas in pauperes erogavit. Non S. Gregorius, cujus liberalitatem et eleemosynas deprædicat Ecclesia Romana. Non S. Ambrosius, non S. Chrysostomus, non Basilius, non Nazianzenus, non Athanasius.

Octavo. Patres in ea invehuntur, quasi in crimina, imo sacrilegia, eisque inhiantes sacrilegii accusant, tum quia patrimonium Christi diripiunt; tum quia indignos et inidoneos se faciunt suo gradu, dignitate et officio. Officium enim eorum est verbo et magis vita dicere : « Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei, » ille est « qui restituet hæreditatem meam mihi. » Clericus enim a κλῆρος, id est *sors*, dicitur; quod scilicet sortem non ambiat in terra, sed quod instar levitarum et sacerdotum veteris Testamenti, sors ejus sit Dominus, a quo hæreditatem exspectat in cœlo. Clericus ergo profitetur se non quærere opes in terra, sed in cœlo, se cor habere fixum in Deo. Jam si quis lucris terrenis studeat, contrarium profitetur : clamat enim reipsa cor suum non esse in æthere, sed in ære; sortem suam non esse Deum, sed mammonam. Rursum officium eorum est, prædicare regnum cœlorum, quod Christus et Apostoli prædicarunt, ut scilicet homines a carne et terra ad spiritum et cœlum avocent, ut a superbia, gula, avaritia homines ad humilitatem, temperantiam, opum contemptum traducant. Jam quomodo prædicabunt opes cœlestes, qui toti terrestribus inhiant? Quomodo oppugnabunt avaritiam, qui non nisi pensionibus accumulandis student? Quomodo æternitatem et bona æterna inculcabunt, qui non nisi temporalia et caduca sectantur? S. Hilarius, Can. IV *in Matth.*, explicans illud Christi : *Vos estis sal terræ*, ait, quod Apostoli, et eorum successores sint « rerum cœlestium prædicatores, et æternitatis velut satores, immortalitatem omnibus corporibus, quibus eorum sermo aspersus fuerit, conferentes. Merito igitur sal terræ sunt nuncupati, per doctrinæ virtutem saliendi modo æternitati corpora reservantes. » At quomodo « æternitatis erunt satores, » qui toti temporalium sunt messores? Quomodo erunt sal terræ, qui quasi sal infatuatum in terram et terrena conversi sunt? Qui, ut subdit S. Hilarius, « sensu accepti saporis amisso, vivificare corrupta non possunt, et projecti de Ecclesiæ promptuariis, cum iis quos salierint, pedibus incedentium proteruntur. »

Denique in hos graviter invehuntur S. Scriptura et Patres. Clamat Zacharias, cap. XI, 17 : « O pastor et idolum, derelinquens gregem! » *q. d.* Videris esse populi pastor, sed revera es idolum et larva pastoris : es fictus et pictus, non vivus et verus pastor, qui gregem deseris et te pascis. « Pascentes semetipsos » culpat S. Judas. Lex Apostoli est : « Qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt; et qui altari deserviunt, cum altari participant, » I *Cor.* IX, 13. Qui ergo sacrario et altari non deserviunt, ex eo non edant, ex eo non vivant; nec deservientes stipendiis sibi constitutis defraudent, eaque ad se transferant. Apostoli, quorum hi sunt posteri, fidenter dicunt Christo, *Matth.* XIX : « Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te. » Quomodo hi relinquunt non omnia, sed sua, qui inhiant alienis? *Actor.* III, 6. S. Petrus ait claudo petenti eleemosynam : « Argentum et aurum non est mihi; quod autem habeo, hoc tibi do. » Ac per hoc meritus est id quod ait S. Augustinus in *Psalm.* CIII, dicens : « Prorsus totum mundum dimisit Petrus, et totum mundum Petrus accepit : quasi nihil habentes, et omnia possidentes. » Quomodo hæc dicent S. Petri asseclæ et discipuli, qui immodice aurum auro, pensionem pensioni, beneficium beneficio, ac quasi terram terræ accumulant? Merito de his questus est S. Bonifacius Germaniæ apostolus, et in Frisia martyr anno Christi 755, atque ex eo Concilium Triburiense, cap. XVIII, et habetur *De consecr.* dist. I, cap. *Vasa quibus* : « Olim, inquit, sacerdotes aurei celebrabant in vasis ligneis, nunc sacerdotes lignei celebrant in vasis aureis. » Et S. Gregorius, hom. 17 *in Evang.* : « Pensate, ait, fratres, quantæ damnationis est, sine labore percipere mercedem laboris : quanti criminis peccatorum pretia accipere, et nihil contra peccatum prædicando dicere. » S. Hieronymus in illud *Ezech.* XXII : « Principes ejus in medio ejus, quasi lupi rapientes prædam, ad effundendum sanguinem, non corporum, ait, sed animarum; ut avare sectentur lucra, nequaquam illo contenti : qui serviunt altari, vivant de altari; sed postquam ad ministerium Dei accesserint, Crœsi divitias congregant. »

S. Bernardus, serm. 10 *in Cant.*, acriter in eos invehitur, qui cum sint de Crucifixi patrimonio, nimium incrassati, impinguati, dilatati, animarum salutem vel ruinam nihili æstimant : « Qui, inquit, Christi opprobria, sputa, flagella, clavos, lanceam, crucem et mortem, hæc omnia in fornace avaritiæ conflant, et profligant in acquisitionem turpis quæstus, et pretium universitatis suis marsupiis includere festinant. » Vide eumdem, *epist.* 2, ubi de his inter alia dicit : « Quidquid præter necessarium victum, ac simplicem vestitum de altari retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est. » S. Nazianzenus, *Apolog.* 1 : « Spiritualis omnis præfecturæ, ait, finis est, privata utilitate neglecta commodis aliorum inservire. »

Hoc, ut alios taceam, præstitit hoc sæculo S. D. N. Gregorius XIII, qui opes Ecclesiæ in Ecclesiæ utilitatem et salutem animarum erogavit : excitavit et dotavit Collegia ad viginti; tot millia pauperum intra urbem et extra aluit, ut Cardinalis Baronius, tom. II, anno Christi 172, narret ei erectam a Romanis statuam in Capitolio, cum hac inscriptione : « Sestertium octingenties, singulari beneficentia in egenos distributum, » id est vicies centena aureorum millia. Alexander V, qui ex ordine S. Francisci evectus est ad Pon-

tificatum, adeo liberalis et effusus in pauperes fuit, ut diceret « se divitem Episcopum fuisse, pauperem Cardinalem, mendicum Pontificem. » Vide S. Chrysostomum, homil. 38 *in S. Matth.*

Denique inter alia de pensionibus ita sancit Concilium Tridentinum, *sess.* XXIV, cap. XIII : « Omnes cathedrales Ecclesiæ, quarum redditus summam ducatorum mille ; et parochiales, quæ summam ducatorum centum non excedunt, nullis pensionibus, aut reservationibus fructuum graventur. » Hinc a pari vel simili collige cætera : et Concilium Lateranense sub Innocentio III, cap. XXXII, graviter sancit, ut quibuslibet Ecclesiæ deservientibus, etiam vicariis, congrua fructuum portio assignetur, ex qua honeste juxta statum vivere possint. O æterna veritas, vera sanctitas, sancta felicitas ! illumina tenebras nostras, aperi oculos mentis nostræ, ut nulla nos seducat, nulla inquinet, nulla condemnet philargyriæ vanitas. Eia aspiret dies et lux tua, ut inclinentur umbræ. Infunde cordi nostro justitiam, ut quæ Ecclesiæ sunt, Ecclesiæ; quæ Dei sunt, Deo reddamus. Infunde continentiam, ut modico (pro modica enim via hujus vitæ modico opus est viatico) victu et amictu contenti, sobrie, juste et pie vivamus in hoc sæculo, exspectantes beatam spem et adventum gloriæ magni Dei. Infunde religionem et pietatem, ut non Mammonæ iniquo, sed tibi Domino nostro serviamus in sanctitate et justitia omnibus diebus nostris. Infunde charitatem, ut animam magis diligamus quam arcam, ut pauperes et inopes magis amemus quam aurum et opes. Infunde sapientiam, ut veras divitias ambiamus et coacervemus, quæ nobiscum perennent in cœlis, non vanas et mox perituras in terris. Da nobis sic transire per bona temporalia, ut non amittamus æterna. Da ut domos, nomen et familiam construamus non apud homines brevi morituros, sed apud te et S. Angelos, beatos et gloriosos, quæ in omnia sæcula durent et æternent. Da ut simus sal terræ, et lux mundi : ut exemplo magis quam verbo omnes trahamus ad te, eosque doceamus reipsa contemnere terrena et amare cœlestia, ut in magno illo decretorio mundi die a te judice audire mereamur : Euge, serve bone, quia in pauca fuisti fidelis, super multa te constituam : intra in gaudium Domini tui. Amen.

4. QUOD INFIRMUM, — in Hebræo hæc omnia neutra sunt feminina, scilicet infirmas, ægrotas, confractas, abjectas, errantes non reduxistis : intelliguntur enim oves.

ABJECTUM, — hebraice נִדַּחַת *niddachat*, id est propulsum, vel dejectum, v. g. in fossam, vel in avia et devia : perditam et vagantem ovem intelligit. Unde Chaldæus et Septuaginta, *errans non reduxistis*. Vide hæc explicantem S. Gregorium, II part. *Pastor.* cap. VI, in fine, ubi sic ait : « Abjectum reducitur, cum quisque in culpa lapsus, ad statum justitiæ, ex pastoralis sollicitudinis vigore revocatur. Fracturam vero ligamen astringit; cum culpam disciplina deprimit, ne plaga usque ad interitum defluat, si hanc districtionis severitas non coarctat. Sed sæpe deterius frangitur, cum fractura incaute colligatur, ita ut gravius scissuram sentiat, si hanc immoderatius ligamenta constringant. Unde necesse est ut, cum peccati vulnus in subditis corrigendo restringitur, magna se sollicitudine etiam districtor ipse moderetur; quatenus sic jura disciplinæ contra delinquentes exerceat, ut pietatis viscera non amittat. Curandum quippe est ut rectorem subditis et matrem pietas, et patrem exhibeat disciplina : ne aut districtio rigida, aut pietas sit remissa. » Pulchre S. Clemens singula hæc explicans, lib. II *Const. Apost.* cap. XIX : « Episcopus, inquit, tanquam filios diligat laicos, fovens eos tanquam ova ad acquirendum pullos, aut tanquam pullos sinu eos complectens, ad acquirendum gallinas, etc. quod forte est custodiens, id est quod firmum est in tuto servans, populum pacifice pascens : quod vexatum est firmans, hoc est, eum qui tentatur et quatefit, admonitione firmum solidumque efficiens : quod ægrotum est curans, id est eum qui ex fide ægrotat ambigendo, huic curationem adhibens docendo : quod contritum est alligans, id est errantem, aut quassatum, aut peccatis confractum, ita ut in via claudicet, monitione hortatoria vincens, et ex delictis deonerans, et bona spe esse jubens : quod ejectum est converte, id est eum qui in peccatis fuit, et ut objurgaretur ex Ecclesia ejectus est, ne sinas foris permanere, recollige ut sic in ovile restituas, etc. ; neque sinas ut dicat desperanter : Impietates nostræ in nobis, et nos in ipsis liquescimus, et quomodo vivemus ? »

Illustre hac in re exemplum dedit S. Augustinus, verus Ecclesiæ Hipponensis pastor, ut patet ex ejus homiliis. Audi eum *hom.* 26 inter 50 : « Me inquit, putate matrem esse animarum vestrarum et ita vos velle componere (sicut mater filiam pro priis manibus componit et ornat), ut in vobis nec macula, nec ruga possit ante tribunal æterni judicis apparere. Animabus enim vestris non solum ornamenta, sed etiam medicamenta desiderans providere, studeo dissuta consuere, conscissa sarcire, vulnerata curare, abluere sordida, reparare perdita, et ea quæ sunt integra spiritualibus margaritis ornare. »

POTENTIA — sævitia, *q. d.* Tyrannice (1).

6. ERRAVERUNT GREGES MEI IN CUNCTIS MONTIBUS, — tum confugiendo ad idola in montibus; tum fugiendo sævitiam principum; tum quia desidia et malitia pastorum traditi sunt hostibus Chaldæis, a quibus partim abducti, partim dispersi sunt, fugientes et errantes per sylvas et montes.

10. ECCE EGO IPSE SUPER PASTORES (Chaldæus :

(1) Eadem fere verba adhibet quibus tyrannica Ægyptiorum dominatio describitur, *Exod.* I, 13, 14. Cæterum hic non nihil recedit a metaphora, dum a pastore sermonem ad tyrannum traducit, quod in longa præsertim allegoria, frequenter accidit.

Super gubernatores mittam furorem meum, vel *super pastores*, id est a pastoribus) REQUIRAM GREGEM MEUM (requiram, inquam) DE MANU EORUM, — *q. d.* Rationem exigam cur grex sit perditus et dispersus, ejusque necem et damna exigam a pastoribus.

UT ULTRA NON PASCANT. — Scilicet per Esdram, Nehemiam, etc., ac magis per Christum et per Apostolos, Deus veteres scribas et sacerdotes officio pascendi privavit.

NON ERIT ULTRA EIS IN ESCAM, — ut devorent gregem meum.

11. ECCE EGO, etc., VISITABO (hebraice בקרתים *beccartim*, id est *quæram*) EAS, — scilicet oves, nimirum Judæos in captivitate Babylonica vagantes et errantes quasi oves, per Zorobabel, Esdram, Nehemiam et alios in Judæam reducam, ut ibi eos pascant et regant juxta legem Mosis.

Allegorice, fideles, quasi oves meas, pascam per Christum. Ad Christum enim sensim assurgit Propheta. Unde vers. 23 de eo ad litteram loquitur.

Nota τὸ *visitabo*. Nam pastorem et herum monet Sapiens, *Prov.* XXVII, 23, dicens : « Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera. » Refert Aristoteles, lib. I *Œconom.*, Persam rogatum, quid maxime saginaret equum, respondisse : « Oculum domini. » Afrum vero rogatum, quodnam in agro esset stercus optimum, respondisse : « Domini vestigia, » id est in agro ambulatio et præsentia. Sic ad saginandas oves rationales, et fecundandum agrum Ecclesiæ, plurimum valent pastoris vestigia et oculus id est cognitio et præsentia. Id significat ipsum nomen pastoris et Episcopi. Pastor enim a *pascendo* dicitur; ἐπίσκοπος idem est quod *speculator*. « Episcopus, » inquit Chrysostomus, hom. I 10 *in ad Timoth.*, « ex eo dicitur, quod omnes inspiciat, cunctaque speculetur. » Talis Episcopus et speculator hoc sæculo fuit S. Carolus Borromæus, qui diligentissime omnes suas parœcias et populos, etiam per rupium et montium abdita, hieme et æstate obivit et visitavit, cum singulis agens, singulos docens, instruens et dirigens in viam salutis. Vere dixit vir sapiens : « Præsul, ut præsit et prosit suis, ab iis non absit. » Ita luna, licet minima pene sit stellarum, præ omnibus tamen in terrena hæc influit, eaque moderatur, quia vicina et citima est terræ.

Vers. 12. 12. IN DIE NUBIS ET CALIGINIS, — id est tempore calamitatis et captivitatis (1).

Vers. 13. 13. EDUCAM EAS DE POPULIS, — ex captivitate Babylonica; item ex Ammon, Idumæa, Ægypto, Persia, Media, quo fugientes dispersi sunt, reducam eos per Esdram ad loca herbida, amœna et fructifera Judææ; et multo magis nationes omnes ex gentibus et gentilismo, per Apostolos Christi adducam ad pascua Ecclesiæ.

16. QUOD CONFRACTUM FUERAT ALLIGABO. — Nota hic et vers. 26, omnia officia veri pastoris : *primum*, gregem pascere; *secundum*, facere eum accubare; *tertium*, infirmum consolidare; *quartum*, ægrotum sanare; *quintum*, confractum alligare; *sextum*, abjectum et errans reducere; *septimum* quod perierat quærere; *octavum*, leniter eis imperare; *nonum*, pascere gregem in judicio; *decimum*, pingue et forte custodire. Quæ omnia ad hoc unum principium rediguntur, nimirum : « Pastor primo pascat gregem, non seipsum. » Ita Adrianus Imperator, teste Spartiano, in concione sæpe dixit, « ita se rempublicam gesturum, ut sciret populi rem esse, non propriam. » Rex enim est pastor populorum, ait Homerus. Illos ergo, non se pascere debet (2). Vers. 16. Decem officia pastoris.

PASCAM ILLAS IN JUDICIO, — id est pascam eas maturo judicio, sapientia, discretione, sciens et dans cuique id, quod ei convenit. *Secundo*, « in judicio, » id est juste, dans cuique quod suum est, quodque ei jure debetur.

17. VOS AUTEM GREGES MEI. — Increpitis pastoribus, convertit se ad gregem, eumque increpat usque ad vers. 23; gregem, inquam, id est subditos, qui, cum laute vivant, alios opprimere et turbare nituntur. Dicit ergo se eos judicaturum, agnosque ad dextram, hircos ad sinistram collocaturum : uti Christus ex hoc loco se facturum promittit in extremo judicio, *Matth.* XXV, 33; unde explicans subdit :

EGO JUDICO INTER PECUS ET PECUS, ARIETUM ET HIRCORUM. — Judico inter bonos et malos, ut bonos præmiem, malos puniam. Per arietes intelligit bonos : per hircos, malos, qui petulci aquas pedibus conculcant, id est pacem perturbant. S. Gregorius tamen hæc quoque accipit de pastoribus qui bene prædicant; sed pede, id est actione, aquam turbant. Grex enim sequitur opera, non verba. Hoc est, inquit S. Clemens, lib. II *Constit. Apost.* cap. XIX : « Judicabo Episcopum cum Episcopo comparans; judicabo item laicum cum laico, et magistratum cum magistratu conferens. Sunt enim hi oves rationis participes, item arietes; ne laicus dicat : Ego ovis sum, et non pastor, et nullam mei rationem habui; pastor viderit, ipse solus pœnas pro me dabit. Ut enim ovis, cum non sequitur bonum pastorem, lupis exposita est; sic rursum, cum malum pastorem sequitur, certus est ovis interitus a malo pastore, qui eam devorabit. Quare fugiendi sunt pastores interfectores. »

18. NONNE. — Alloquitur, ut dixi, non pastores, sed hircos, id est subditos malos et inquietos. Vere S. Gregorius, XXV *Moral.* XIV : « Certum, ait,

(1) Per dies caliginosos seu nubibus obvolutos, maxime reformidat pastor belluarum ferocium incursiones.

Inde lupi ceu
Raptores atra in nebula quos improba ventris
Exegit rabies. (Virgilius *Æneid.* II.)

(2) « Quod pingue et forte custodiam. » Hebræus et Chaldæus, *disperdam*. Sed anteponenda est versio Vulgata. Loco אשמר *aschemar*, *custodiam*, quod legit Hieronymus, nunc fert Hebræus אשמיד *aschemid*, *disperdam*.

est, quod ita sibi invicem et rectorum merita connectantur et plebium, ut sæpe ex culpa pastorum deterior fiat vita plebium, et sæpe ex plebium merito mutetur vita pastorum. »

PURISSIMAM AQUAM. — Hebraice *profundam* : quæ enim profunda, etiam purissima est.

RELIQUAM PEDIBUS VESTRIS TURBABATIS. — Notat divites, qui splendide viventes, ea quæ supererant perdere malebant, aut canibus et bestiis suis dare, quam pauperibus elargiri. Unum ergo peccatum immisericordiæ loco cæterorum ponit. Idem facit Christus *Matth.* XXV, 42 : « Esurivi, ait, et non dedistis mihi manducare, » etc.

20. JUDICO INTER PECUS PINGUE ET MACILENTUM. — « Pingue pecus » sunt divites, qui pauperes opprimunt; « macilentum, » sunt pauperes oppressi. Ita Chaldæus. Aliter Maldonatus. « Pecus, ait, pingue » sunt benefici et eleemosynarii, quibus Christus dicit : « Esurivi, et dedistis mihi manducare. *Macilenti* sunt avari et inopes bonorum operum, quibus Christus dicit : « Esurivi, et non dedistis mihi manducare. »

21. LATERIBUS ET HUMERIS, — toto corpore et conatu. Est metaphora a bobus pinguibus et fortibus, qui imbecilles lateribus, humeris et cornibus a pascuis expellunt. Significat divites omnia rapuisse, nec quidquam pauperibus reliquum fecisse.

23. ET SUSCITABO SUPER EAS PASTOREM UNUM, QUI PASCAT EAS, SERVUM MEUM DAVID, — id est Christum, cujus pater et figura fuit David, bonus pastor et rex, I *Reg.* XVII, 34, uti et Moses, *Exod.* XXXII, 11, et Jacob, *Genes.* XXXI, 38.

Ita S. Ambrosius, lib. VII, *epist.* 47 : « David, ait, utique rex jam defunctus erat; et ideo verus David, verus humilis, verus mansuetus, verus manu fortis, Dei Filius hoc annuntiatur nomine. » Ita et S. Augustinus, lib. *De octo Dulcitii Quæstionibus*, Quæstione V. Quin et Hebræi, teste R. David, per pastorem hunc intelligunt Messiam. Unde eum vocat, « pastorem unum. » Hunc enim unum opponit multis pontificibus veteris Testamenti, qui multi pari jure sibi invicem succedebant; in Ecclesia vero unus est pastor et pontifex Christus, cui Pontifices Romani, non pari, sed vicario jure succedunt, uti docet Apostolus, *Hebr.* VII, 25. Vide ibi dicta. Sic Isaias, cap. XL, 11, de Christo ait : « Sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit, fetas ipse portabit. » Hinc Christus, *Joan.* X, 11 : « Ego, ait, sum pastor bonus, et cognosco oves meas, et cognoscunt me meæ. » Porro Christum vocari David non est novum. Sic enim vocatur apud *Osee* III, 5 : « Post hæc revertentur filii Israel, et quærent Dominum Deum suum, et David regem suum. » Et *Ezech.* XXXVII, 24 : « Servus meus David rex super eos, et pastor unus erit omnium eorum. » Et vers. 25 : « David servus meus princeps eorum in perpetuum. »

Nota : Christus dicitur servus Dei Patris, ratione humanitatis assumptæ. Vide Franciscum Suarez, III part. *Quæst.* XX, art. 2, disp. XLIV, sect. I. Denique Judæi moderni per David accipiunt Zorobabel, ducem Babylone redeuntium : sed licet ad eum alludat, et quasi obiter perstringat Propheta; tamen hæc tam augusta proprie soli Christo competunt.

25. FACIAM CUM EIS PACTUM PACIS. — Id fecit Christus, cum dixit *Joan.* XIV, 27 : « Pacem meam relinquo vobis; » cumque instituit novum Testamentum. Hoc enim totum est testamentum charitatis et pacis.

ET CESSARE FACIAM BESTIAS PESSIMAS, — id est vitia, et hominum malorum ac dæmonum potestatem, *q. d.* Auferam dæmoni potestatem, quam habuit in homines.

26. PONAM EOS IN CIRCUITU COLLIS (Chaldæus, *sanctuarii*, vel templi, id est Ecclesiæ) BENEDICTIONEM, — ut sint benedictio, id est benedicti, id est felices et fecundi. Faciam scilicet, ut omnia prospere, salutifere et feliciter eis succedant.

PLUVIÆ BENEDICTIONIS (id est pluviæ fertilitatis et fecunditatis, id est utiles, non nocivæ) ERUNT, — *q. d.* Dabo eis doctrinam Evangelicam, quæ quasi pluvia animos, quasi arbores vel agros et terram irrigabit, virtutum fructus producet et alet ad æternitatem.

27. CUM CONTRIVERO CATENAS JUGI EORUM, — quod scilicet dæmon et peccatum imposuit hominibus

ET ERUERO EOS DE MANU IMPERANTIUM SIBI, — de potestate diaboli, carnis, mundi, peccati. Hebræa, de manu Chaldæorum : atque eo alludit, ut dixi.

29. SUSCITABO EIS GERMEN NOMINATUM, — id est nobile; Septuaginta, *plantam pacis;* Chaldæus, *plantationem ut permaneant, q. d.* Suscitabo eis celebrem plantam, scilicet Christum et populum christianum; Hebræa, *plantam in nomem*, id est, quæ pariet eis nomen et famam. Christum intelligit, a cujus nomine appellandi erant Christiani, qui toto orbe, scilicet in cœlo et in terra, futuri erant celebres in omne ævum. Planta significat Deum factum hominem, ait Vatablus. Sic *Zachar.* III, 8, Christus vocatur « Oriens, » hebraice צמח *tsemach*, id est germen.

Nota : Germen hoc nominatum, quod ex imbre cœlesti et benedicto, uti præcessit, progerminat, est Christus; sed multipliciter. Christus est germen quadruplex.

Nam, *primo*, ipse, irrorante Spiritu Sancto ex Virgine, quasi germen purum conceptus et natus est; ut nos, quasi oves, seipso, quasi germine, pasceret. Hoc est quod canimus ex S. Ambrosio in Officio Ecclesiæ : Primo.

> Christusque nobis sit cibus,
> Potusque noster sit fides,
> Læti bibamus sobriam
> Ebrietatem spiritus.

Secundo, in Eucharistia Christus nobis oviculis non tantum est pastor, sed et germen, id est cibus. Unde de eo ait Zacharias, cap. IX, 17 : « Quid

enim bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines? »

Tertio, Christus sua doctrina et gratia, quasi imbre suscitat in mente, id est in intellectu et voluntate nostra, pia et sancta germina, puta sanctas inspirationes virtutum, ut iis pasti et roborati nullam in spiritu famem sentiamus : sed nutriamur, crescamus, et proficiamus in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.

Quarto, Christi germina sunt Apostoli, Martyres, Virgines, quorum exemplis, quasi germinibus nos pascit, ut easdem virtutes zeli, patientiæ, martyrii, virginitatis et castitatis imbibamus, hauriamus et induamus. Horum enim exempla nobis sunt germina, id est nutrimenta et incitamenta virtutum.

Ergo,

> Jesu pie, pastor bone, panis vere,
> Tu nos pasce, nos tuere,
> Tu nos bona fac videre
> In terra viventium.

NON ERUNT ULTRA IMMINUTI (id est consumpti) FAME IN TERRA, — *q. d.* In Ecclesia non deerit vera doctrina, quæ animam pascat, non erit fames verbi Dei, non minuetur propter hanc famem fidelium numerus, fame non morientur, uti ante Christum factum est.

GENTIUM, — a gentibus.

31. VOS AUTEM. — Est inversus ordo, sic in rectum invertendus : Vos, o homines! estis greges mei, et oves pascuæ meæ. Explicat superiorem allegoriam, *q. d.* Quæ dixi pecora, non bruta, sed homines sunt, et pastor vester ego sum Dominus Deus vester (1).

Moraliter, de pastorum munere et virtutibus. Primo, eas describit Christus.

Est hoc cap. locus moralis de pastorum Ecclesiæ munere, dignitate, virtutibus. De quibus audi, *primo*, Christum discipulos suos, futuros pastores formantem, *Matth.* v, 13 : « Vos, inquit, estis sal terræ. Quod si sal evanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus. Vos estis lux mundi, etc. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. »

Secundo, S. Paulus vivam veri pastoris effigiem in seipso depingit octo virtutibus, quasi coloribus, I *Thessal.* II, ut ibi dixi in synopsi capitis. Idem facit *Actor.* XX, 28, et I *Cor.* II, 3 et seq., et *epist.* II, cap. I, vers. 2 et seq., item cap. IV *ad Ephes.*, denique totis epistolis *ad Timoth.* et *ad Titum.*

Tertio, S. Petrus. *Tertio*, S. Petrus, *epist.* I, cap. V, vers. 2 : « Pascite, inquit, qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum : neque turpis lucri gratia, sed voluntarie : neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo; et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam. » Ex quibus verbis elicias hosce sex canones :

Sex canones pastoris.

I. Qui pastor es, gregem pascito spontanee.

II. Pastor gregem non suum, sed Dei esse cogitato.

III. Pastores non lucrum, sed animas quærunto.

IV. Pastores alienum gregem non invadunto, nec in suum dominantor : obsequentes tuentor; rebelles resecanto. Nam, ut ait Poeta :

> Cuncta prius tentanda, sed immedicabile vulnus
> Ense recidendum, ne pars sincera trahatur.

V. Pastores Ecclesiam verbo, et sanctæ vitæ exemplis gubernanto.

VI. Pastores ideam veri pastoris Christi, et coronam ab eo promissam jugiter sibi proponunto. Qui hæc non cogitant, nec curant, et tamen pastores esse, aliosque regere volunt, tam se quam suos agunt in ruinam et perniciem æternam. Repræsentarunt id gentiles historia, vel potius apologo Phaetontis, qui cum regendi avidus, supra vires posceret a Sole, patre suo, habenas et regimen currus solaris; respondit ei Sol pater : « Fili, pœnam pro munere poscis. » At cum filius urgere pergeret, tandem ei regimen currus sui cessit et concessit. Sed cum Phaeton eum regere nesciret et nequiret, eodem, utpote igneo, non tantum terram adussit, sed et ipse conflagravit, uti graphice describit Ovidius, lib. II *Metamorph.* Ita qui regere et dominari ambiunt, nec dotes viresque ad id necessarias habent, se suosque perdunt, et præcipitant in interitum. Hoc est quod Christus Jacobo et Joanni, primas in regno ejus ambientibus, respondit : « Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? » Nimirum honos est onus, et cathedra pascendi est calix patiendi.

Quarto, Nazianzenus, orat. 21 *in laudem S. Athanasii*, in eo illustrem pastoris imaginem exhibet : « Athanasius, inquit, *primo*, vita sublimis erat, verum animo humilis; *secundo*, ea virtute præditus, ut nemo ad eam aspirare posset; *tertio*, ea comitate, ut ad ejus congressus facilis omnibus esset aditus; *quarto*, mansuetus, et ab ira alienus;

(1) Quid sibi velint hæc verba dissentiunt. Communior sententia est, explicari his verbis allegoriam, et clarius exponi, quæ dicta prius fuerant obscurius. Ita Hieronymus, quasi dicat : In grege homines, in pastore me ipsum intelligo. Alii credunt *homines* dici, quia, ex quo Deum pastorem habebunt et magistrum, pecudes esse desinant, et humano potius modo, quam belluino vivent, simili sententia, *Psalm.* XXXII, 9. Juxta Rosenmuller, verba eo potius tendere videntur, quod cum plura pollicitus esset Deus, quæ non videbatur assequi posse infirmitas humana, ut, quod nihil timendum esset a feris, nihil ab hominum rapinis, et alia; jam Deus ostendat, non ab hominum industria ac robore illa exspectanda esse, sed a Deo. Quasi dicat : Neque illud vestra solertia ac viribus faciendum est; quid enim ab humana virtute, qualis est vestra, sperari possit eximium? Ego, Deus vester, pro vobis qui meus estis grex; ego ipse præstabo.

quinto, ad miserationem propensus; *sexto*, sermone jucundus, moribus jucundior; *septimo*, facie angelicus, animo magis angelicus; *octavo*, in increpando placidus, in erudiendo vim habens; sic utrumque temperans, ut increpatio paternam charitatem, et laudatio imperio gravitatem dignam obtineret; nec aut mollities dissoluta, aut severitas rigida et tetrica esset; quin potius illa facilitatis et benignitatis, hæc prudentiæ nomen haberet, utraque vero prudentiæ laudem consequeretur. Denique *nono*, ita se comparans, ut nec sermone, propter mores abunde ad instructionem sufficientes, magnopere opus haberet; nec rursum propter vim facultatemque dicendi, virga admodum egeret: sectione porro multo minus, ob virgam immoderate ferientem.

Quinto, Gregorius.

Quinto, S. Gregorius Pontifex scripsit librum *De Pastorali cura* in tres partes divisum, dignum qui a pastoribus Ecclesiæ sæpe legatur, in quo inter alia ait: « Ars artium est regimen animarum. Pastor ergo, *primo*, cogitatione sit mundus; *secundo*, operatione præcipuus; *tertio*, discretus in silentio; *quarto*, utilis in verbo; *quinto*, singulis compassione proximus; *sexto*, præ cunctis contemplatione suspensus; *septimo*, bene agentibus per humilitatem socius; *octavo*, contra delinquentium vitia per zelum justitiæ erectus; *nono*, internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, et externorum providentiam in internorum sollicitudine non relinquens; *decimo*, ne placere suo studio hominibus appetat; sed tamen ad quid placere debeat intendat: hypocritas prudenter dignoscat; *undecimo*, in eo sit discretio correctionis, dissimulationis, fervoris et mansuetudinis; *duodecimo*, præcipue sacræ legis meditationibus intentus esto; *decimo tertio*, in applicatione verbi Dei erga oves Dei sibi commissas, totus esto; *decimo quarto*, sciat aliter admonendos esse viros, aliter feminas; aliter juvenes, aliter senes; aliter divites, aliter pauperes; aliter lætos, aliter tristes; aliter subditos, aliter prælatos; aliter servos, aliter dominos; *decimo quinto*, graviora vitia præcipue persequatur; *decimo sexto*, infirmis mentibus abstrusa non proponat; *decimo septimo*, et maxime, non voce tantum, sed et opere gregem in fide, spe et charitate contineat. »

Sexto, Bernardus.

Sexto, S. Bernardus in *Vita S. Malachiæ*, eum ut verum exemplar pastorum proponit; ubi inter cætera de eo ait: « A die primo conversionis suæ usque ad extremum vitæ, *primo*, sine proprio vixit, etiam in Episcopatu, adeoque domum propriam non habuit; *secundo*, incessanter circumibat parœcias omnes, Evangelio serviens, et de Evangelio vivens; *tertio*, frequentius ipsum Evangelium sine sumptu ponens, de laboribus suis suorumque vivebat; *quarto*, si interdum quiescere oporteret, in sanctis hoc faciebat locis, illorum se conformans moribus et observantiis, communi contentus vita et mensa; *quinto*, cum exiret ad prædicandum, cum peditibus pedes et ipse ibat Episcopus et Legatus. » Deinde illum comparans cum pseudopastoribus et mercenariis sui et hujus sæculi: « Illi, inquit, *primo*, dominantur in clero: iste dum esset liber ex omnibus, omnium se servum fecit. *Secundo*, illi, aut non evangelizantes manducant, aut evangelizant ut manducent: Malachias imitans Paulum manducat, ut evangelizet. *Tertio*, illi fastum et quæstum æstimant pietatem: Malachias hæreditatem sibi vindicat opus et onus. *Quarto*, illi felices se credunt, si dilataverint terminos suos: Malachias in dilatanda charitate gloriatur. *Quinto*, illi congregant in horrea, et dolia replent, unde onerent mensas: Malachias colligit in deserta et solitudines, unde impleat cœlos. *Sexto*, illi cum accipiant decimas, primitias et oblationes, insuper et de Cæsaris beneficio telonia et tributa, et alios redditus infinitos, solliciti nihilominus sunt quid manducent et bibant: Malachias nihil horum habens, multos tamen locupletat de promptuario fidei. Illis nec cupiditatis, nec sollicitudinis est finis: Malachias, cupiens nihil, non novit tamen cogitare de crastino. *Septimo*, illi a pauperibus exigunt, quod dent divitibus: iste sollicitat divites pro pauperibus sustentandis. *Octavo*, illi marsupia vacuant subditorum: iste pro peccatis eorum altaria cumulat votis hostiisque pacificis. *Nono*, illi alta palatia erigunt, turres ac mœnia ad cœlos levant: Malachias non habet ubi caput reclinet, et interim opus facit Evangelistæ. *Decimo*, illi equos ascendunt cum turba hominum gratis manducantium panem, et non suum: Malachias septus sanctorum Fratrum collegio pedes circuit, portans panes angelorum, quibus satiet animas esurientes. *Undecimo*, illi plebes ne agnoscunt quidem: iste erudit. *Duodecimo*, illi potentes et tyrannos honorant: iste punit.»

Denique S. Bernardus in *Sententiis*: « Pastori, ait, tria sunt necessaria: bonitas, disciplina, scientia. Bonitas attrahit, disciplina corripit, scientia pascit. Bonitas amabilem, disciplina imitabilem, scientia docibilem reddit. » Idem, *epist.* 245: « Præsis, ait, ut prosis verbo, exemplo, oratione; sed magis oratione, non plausu, sed planctu. »

Sic et S. Jordanes, secundus Generalis Patrum Prædicatorum, rogatus quodnam esset suorum officium, respondit trinum esse, illudque a Psalte *Psalm.* CXVIII, tribus verbis recenseri, cum ait: « Bonitatem, et disciplinam, et scientiam doce me. » Ergo in pastore ante omnia requiritur vitæ probitas, qua suis exemplo virtutis præluceat. Est hoc S. Eucherii dogma et consilium in *epistola parænet.*: « Commendo, ait, animo tuo curam animæ tuæ. » Et S. Gregorius, lib. IV *epist.* 15: « Nomen nos pastoris, non ad quietem, sed ad laborem suscepisse, cognoscite. Exhibeamus ergo in opere, quod signamur in nomine. » Et Gregorius Nazianzenus, *orat.* 21, ineptissimos ad

Vitæ probitas maxime requiritur in pastore. Gnomæ.

regimen esse censet eos, « qui alios ante purgant, quam ipsi purgati fuerint. Duorum enim alterum peccant, vel, quia venia ipsi opus habent, ultra modum aliis ignoscentes, ut sic vitium non modo non reprimatur, sed etiam doceatur; vel, quia imperii acerbitate vitia sua obtegunt, ut non mores dignitati, sed dignitas moribus fidem astruat, ordine admodum præpostero. » Tertullianus, lib. *De Patient.*: « Dicta, ait, factis deficientibus, erubescunt.» S. Hieronymus, *epist.* 2 : « Non confundant opera tua sermonem tuum, ne, cum loqueris, tacitus quilibet respondeat : Cur ergo hæc quæ dicis, ipse non facis?» Et epist. *ad Princip.*: « Erubescit quamvis præclara doctrina, quam propria reprehendit conscientia. » Rursum S. Gregorius Nazianzenus *orat.* 33 : « Cur, inquit, manibus vinctis linguam armamus? Nec enim qui in sermone sapiens est, hic mihi sapiens est; sed is, qui pauca quidem de virtutibus verba jacit, cæterum per ea quæ agit, multa demonstrat : ac fidem et auctoritatem sermoni suo per vitam conciliat. Præstantior siquidem meo judicio est pulchritudo ea, quæ oculis cernitur, quam quæ sermone pingitur; et sapientia, quæ per opera demonstratur, quam quæ oratione nitet et splendescit. » Rursum S. Gregorius, lib. XXI *Moral.* cap. VIII, loquens de meretrice, quæ dormiens oppresserat filium, quem vigilans lactaverat, III *Reg.* III : « Magistri, ait, vigilantes quidem scientia, sed vita dormientes, auditores suos, quos per vigilias prædicationis nutriunt, dum quod dicunt facere negligunt, per somnum torporis occidunt, et negligendo opprimunt, quos alere verborum lacte videbantur. » S. Paulinus, epistol. *ad Jovium*, ei consulit : « Non tam lingua, ait, quam vita sis eruditus : non tam disseras magna, quam facias. » Licet enim subditis servandum sit illud Christi præceptum : « Omnia, quæ dixerint vobis, servate, et facite : » atque illud Eucherii documentum epistola parænetica jam citata : « Obsecro te, delictum alienum (etiamsi is superior sit) semper ut opprobrium respice, nunquam ut exemplum; » tamen infirmitas humana docet verissimum esse id, quod ait Abbas Chæremon apud Cassianum, *Collat.* XI, cap. IV : « Nunquam erit efficax instituentis auctoritas, nisi eam effectu operis sui cordi affixerit audientis. » Quocirca de S. Athanasio scribit Nazianzenus, *orat.* 21 : « Ita se comparans, ut nec sermone, propter mores ad institutionem abunde sufficientes, magnopere opus haberet. » Et de S. Basilio idem dicit *orat.* 20 : « Sermone ad animarum curationem haud multum indigens. » Cur? causam subdit : « Opere quam plurima perficiens. » Hinc « tonitruum ejus erat oratio, quia vita erat fulgur. »

CAPUT TRIGESIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prædicit excidium Idumæorum, eo quod Judæos semper divexarint, ac nominatim eo quod exultarint in Hierosolymæ excidio, ejusque cives a Chaldæis afflictos magis afflixerint, ac terram eorum invaserint. Idem est argumentum prophetiæ Abdiæ.

1. Et factus est sermo Domini ad me, dicens : 2. Fili hominis, pone faciem tuam adversum montem Seir, et prophetabis de eo, et dices illi : 3. Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego ad te mons Seir, et extendam manum meam super te, et dabo te desolatum atque desertum. 4. Urbes tuas demoliar, et tu desertus eris : et scies quia ego Dominus. 5. Eo quod fueris inimicus sempiternus, et concluseris filios Israel in manus gladii in tempore afflictionis eorum, in tempore iniquitatis extremæ. 6. Propterea vivo ego, dicit Dominus Deus : quoniam sanguini tradam te, et sanguis te persequetur : et cum sanguinem oderis, sanguis persequetur te. 7. Et dabo montem Seir desolatum atque desertum : et auferam de eo euntem, et redeuntem. 8. Et implebo montes ejus occisorum suorum : in collibus tuis, et in vallibus tuis atque in torrentibus interfecti gladio cadent. 9. In solitudines sempiternas tradam te, et civitates tuæ non habitabuntur : et scietis quia ego Dominus Deus. 10. Eo quod dixeris : Duæ gentes, et duæ terræ meæ erunt, et hæreditate possidebo eas : cum Dominus esset ibi. 11. Propterea vivo ego, dicit Dominus Deus, quia faciam juxta iram tuam, et secundum zelum tuum, quem fecisti odio habens eos : et notus efficiar per eos cum te judicavero. 12. Et scies quia ego Dominus audivi universa opprobria tua, quæ locutus es de montibus Israel, dicens : Deserti, nobis ad devorandum dati sunt. 13. Et insurrexistis super me ore vestro, et derogastis adversum

me verba vestra : ego audivi. 14. Hæc dicit Dominus Deus : Lætante universa terra, in solitudinem te redigam. 15. Sicuti gavisus es super hæreditatem domus Israel, eo quod fuerit dissipata, sic faciam tibi : dissipatus eris, mons Seir, et Idumæa omnis : et scient quia ego Dominus.

3. ECCE EGO AD TE (Chaldæus : *Ecce ego mitto furorem meum super te*), MONS SEIR, — id est Edom, vel Idumæa : Esau enim cultor Idumææ dictus est Edom, quia rufus; et Seir, quia pilosus, *Gen.* cap. XXXVI, 8 et 9.

5. EO QUOD, etc., CONCLUSERIS FILIOS ISRAEL. — Quia, ut ait Abdias vers. 14, Idumæi fugientes a Chaldæis ad se Judæos occidebant, alios etiam persequebantur et capiebant : imo cum Chaldæis obsederunt et expugnaverunt Jerusalem.

IN TEMPORE INIQUITATIS EXTREMÆ. — Hebræus : *In tempore quo finem habuit iniquitas.* Ita Vatablus et Pagninus, id est in tempore quo Deus finem dedit peccatis Judæorum, per eorum excidium : tunc enim Chaldæis se jungentes Idumæi Judæos afflixerunt et exciderunt. Alii, « iniquitatis, » id est punitionis, et calamitatis « extremæ. » Ita Maldonatus. Ut sit metonymia, qua iniquitas ponatur pro effectu et pœna iniquitatis. Hic sensus valde congruit Hebræo et præcedentibus.

Alii, « iniquitatis extremæ, » non Judæorum, sed Idumæorum. Summum enim eorum scelus fuit, cum Chaldæis se jungere, ut populum Dei everterent.

6. SANGUINI (id est cædi, vel cæsoribus et sanguinariis) TRADAM TE. — Hebræus ad verbum est, *sanguinem faciam te, q. d.* Ita vulnerabo et cruentabo te, ut videaris totus conversus esse in sanguinem, nec aliud esse quam sanguis.

ET CUM SANGUINEM (id est cædem et occisores) ODERIS, — illi tamen persequentur te. Aliter hunc versum vertit et explicat Vatablus, nimirum, *q. d.* Feceram te sanguinem, id est consanguineum Hebræorum, quos odisti, cum eos amare debuisses : efficiam ergo ut sanguis, id est ultio sanguinis, vel sanguinarii te persequantur. Ita enim justa Dei ultio homicidas persequitur, ac si sanguis occisorum, ipsique occisi, aut occisorum larvæ vel furiæ eos persequerentur. Unde sæpe videntur sibi eos videre, semperque eorum phantasiæ observantur : nec eos quiescere sinunt, quasi eos insectentur, et ad necem adigant. Cujus rei illustria exempla recensui *Genes.* IX, 5, et *Deut.* XXI, 4.

8. MONTES EJUS, — montes Seir, id est Idumææ, de qua nunc in singulari loquitur, nunc in plurali, intelligens ejus cives et incolas.

10. DUÆ GENTES, etc., MEÆ ERUNT (scilicet Israel et Juda, *q. d.* O Idumæa ! spe devoraveras totam Judæam et Samariam, dicebasque : Duæ hæ gentes, id est gentium regiones, scilicet Judæa et Israel sive Samaria, meæ sunt), CUM DOMINUS ESSET IBI, — id est ibi coleretur, essetque Judææ quasi præses, tutor et rex, *q. d.* Non es reveritus Dei præsentiam, et quasi, eo vidente et nolente, voluisti terram ejus occupare, et quasi Deum sua possessione depellere. Ita S. Hieronymus. Vide *Jerem.* XLIX, 1.

11. FACIAM JUXTA IRAM TUAM, — id est, prout meretur tua ira, et, ut Septuaginta, *inimicitia et zelus*, id est, ut Chaldæus, æmulatio contra fratres tuos Judæos, *q. d.* Irascar tibi, sicut tu iratus es populo meo : iratusque tractabo te, sicut tu eum iratus tractasti; et gloriam meam ostendam, illos liberando, te puniendo, ait Maldonatus.

JUDICAVERO, — puniero.

12. DESERTI (scilicet montes Judææ, a Judæis jam occisis, vel abductis), NOBIS AD DEVORANDUM DATI SUNT.

13. INSURREXISTIS SUPER ME, — contra me. Hebræus : *Magnificastis os vestrum super me*, id est superbe mihi insultastis. Sic dicitur *Psalm.* LXXII, vers. 8 : « Posuerunt in cœlum os suum; et lingua eorum transivit in terra, » *q. d.* Nulli hominum, vel cœlitum pepercerunt, sed in omnes fuerunt maledici, contra omnes acuerunt et exseruerunt linguam suam virulentam.

DEROGASTIS ADVERSUM ME VERBA VESTRA, — detraxistis mihi per verba vestra, quæ adversum me jactastis : iis enim meæ gloriæ derogastis. Simili phrasi dixit Seneca in *Præfat.* lib. I *Natur. Quæstion.* : « Derogare aliquid ex lege fatorum : » derogare, id est detrahere. Sic vulgo dicimus, « Derogare fidem, » vel, « gratiam alicui. » Et Tacitus, lib. I : « In commune, ait, nihil derogent. » Simili catachresi scripsit S. Polycarpus epist. *ad Philippens.* : « Si quis, inquit, deviaverit eloquia Domini ad propria desideria, et dixerit neque resurrectionem, neque judicium esse, hic primogenitus Satanæ est. » *Deviaverit*, id est detorserit, inflexerit, depravarit. Hebraice est העתרתם *hatartem*, id est efflagitastis, expostulastis, dura verba multiplicastis contra me, hoc est, superbe et impudenter multa aspera et contumeliosa jactastis contra me, atque gloriam meam. Septuaginta, *vociferati estis contra me.*

14. LÆTANTE UNIVERSA TERRA, — *q. d.* Sicut tu in vastatione Judææ lætatus es : ita faciam ut in tui vastatione aliæ gentes lætentur, gaudeant et exsultent. Æquum enim est, ut qua mensura mensus es aliis, eadem remetiatur tibi. Hoc excidium Idumææ factum est per Nabuchodonosor et Chaldæos, teste Josepho.

CAPUT TRIGESIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Promittit se Israel e Babylone reducturum et restauraturum; ac ejus antitypo per Christum a captivitate peccati et diaboli eum redempturum; atque daturum ei spiritum novum, et vitam novam, sanctam et divinam per baptismum. Ubi adverte: Propheta, more suo, res sui populi, scilicet captivitatem et liberationem pertractat: sed sub his potius spectat, aciemque mentis defigit in Christum quasi prophetiæ suæ scopum: unde clare et diserte ad eum assurgit, vers. 25. *Vide* Canon. IV et V (1).

1. Tu autem, fili hominis, propheta super montes Israel, et dices: Montes Israel, audite verbum Domini: 2. Hæc dicit Dominus Deus: Eo quod dixerit inimicus de vobis: Euge, altitudines sempiternæ in hæreditatem datæ sunt nobis: 3. propterea vaticinare, et dic: Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quod desolati estis, et conculcati per circuitum, et facti in hæreditatem reliquis gentibus, et ascendistis super labium linguæ, et opprobrium populi: 4. propterea, montes Israel, audite verbum Domini Dei: Hæc dicit Dominus Deus montibus, et collibus, torrentibus, vallibusque, et desertis, parietinis, et urbibus derelictis, quæ depopulatæ sunt, et subsannatæ a reliquis gentibus per circuitum. 5. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Quoniam in igne zeli mei locutus sum de reliquis gentibus, et de Idumæa universa, quæ dederunt terram meam sibi in hæreditatem cum gaudio, et toto corde, et ex animo: et ejecerunt eam ut vastarent: 6. idcirco vaticinare super humum Israel, et dices montibus et collibus, jugis et vallibus: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego in zelo meo, et in furore meo locutus sum, eo quod confusionem gentium sustinueritis. 7. Idcirco hæc dicit Dominus Deus: Ego levavi manum meam, ut gentes quæ in circuitu vestro sunt, ipsæ confusionem suam portent. 8. Vos autem, montes Israel, ramos vestros germinetis, et fructum vestrum afferatis populo meo Israel: prope enim est ut veniat: 9. Quia ecce ego ad vos, et convertar ad vos, et arabimini, et accipietis sementem. 10. Et multiplicabo in vobis homines, omnemque domum Israel: et habitabuntur civitates, et ruinosa instaurabuntur. 11. Et replebo vos hominibus et jumentis: et multiplicabuntur, et crescent: et habitare vos faciam sicut a principio, bonisque donabo majoribus, quam habuistis ab initio: et scietis quia ego Dominus. 12. Et adducam super vos homines, populum meum Israel, et hæreditate possidebunt te: et eris eis in hæreditatem, et non addes ultra ut absque eis sis. 13. Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quod dicunt de vobis: Devoratrix hominum es, et suffocans gentem tuam: 14. Propterea homines non comedes amplius, et gentem tuam non necabis ultra, ait Dominus Deus: 15. Nec auditam faciam in te amplius confusionem gentium, et opprobrium populorum nequaquam portabis, et gentem tuam non amittes amplius, ait Dominus Deus. 16. Et factum est verbum Domini ad me, dicens: 17. Fili hominis, domus Israel habitaverunt in humo sua, et polluerunt eam in viis suis, et in studiis suis; juxta immunditiam menstruatæ facta est via eorum coram me. 18. Et effudi indignationem meam super eos pro sanguine, quem fude-

(1) Prophetia in hoc capite et in seq. comprehensa ad gratiosam populi Dei restaurationem pertinet.

Primo, dato mandato divino ad Prophetam et alloquio ad Israelem, indicit Deus venturæ restaurationis causas desumptas, *primo*, partim ex insolenti hostium confidentia, 2; *secundo*, partim ex oppressione populi cum opprobrio conjuncta, 3, 4; *tertio*, ex zelo divino sumendæ vindictæ de oppressoribus Israelis, 5-7.

Secundo, promittit, *primo*, benedictionem terræ Israel rursus colendam, et urbibus ac civibus augendam, 8-12; *secundo*, securitatem ejusdem, in posterum immunis a vicinorum contumeliis et hostium violentiis, 13-15.

Tertio, ne vero populus, tot ornatus a Deo beneficiis suis sibi meritis tantam felicitatem adscriberet, aut existimaret immerito se tot a gentibus incommodis urgeri, *primo*, enumerat peccata, propter quæ variis vexetur infortuniis, scilicet scelera priora captivitate jam ac dispersione punita, 17, 19; et nova post dispersionem adhuc addita, 20, 21; *secundo*, dat rationem moventem ex Dei, non autem ex populi parte venientem, 22, 23, 32;

runt super terram, et in idolis suis polluerunt eam. 19. Et dispersi eos in gentes, et ventilati sunt in terras : juxta vias eorum, et adinventiones eorum judicavi eos. 20. Et ingressi sunt ad gentes, ad quas introierunt, et polluerunt nomen sanctum meum, cum diceretur de eis : Populus Domini iste est, et de terra ejus egressi sunt. 21. Et peperci nomini sancto meo, quod polluerat domus Israel in gentibus, ad quas ingressi sunt. 22. Idcirco dices domui Israel : Hæc dicit Dominus Deus : Non propter vos ego faciam, domus Israel, sed propter nomen sanctum meum, quod polluistis in gentibus, ad quas intrastis. 23. Et sanctificabo nomen meum magnum, quod pollutum est inter gentes, quod polluistis in medio earum : ut sciant gentes quia ego Dominus, ait Dominus exercituum, cum sanctificatus fuero in vobis coram eis. 24. Tollam quippe vos de gentibus, et congregabo vos de universis terris, et adducam vos in terram vestram. 25. Et effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, et ab universis idolis vestris mundabo vos. 26. Et dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri : et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum. 27. Et spiritum meum ponam in medio vestri : et faciam ut in præceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis et operemini. 28. Et habitabitis in terra quam dedi patribus vestris : et eritis mihi in populum, et ego ero vobis in Deum. 29. Et salvabo vos ex universis inquinamentis vestris : et vocabo frumentum, et multiplicabo illud, et non imponam vobis famem. 30. Et multiplicabo fructum ligni, et genimina agri, ut non portetis ultra opprobrium famis in gentibus. 31. Et recordabimini viarum vestrarum pessimarum, studiorumque non bonorum : et displicebunt vobis iniquitates vestræ, et scelera vestra. 32. Non propter vos ego faciam, ait Dominus Deus, notum sit vobis : confundimini, et erubescite super viis vestris, domus Israel. 33. Hæc dicit Dominus Deus : In die, qua mundavero vos ex omnibus iniquitatibus vestris, et inhabitari fecero urbes, et instauravero ruinosa, 34. et terra deserta fuerit exculta, quæ quondam erat desolata in oculis omnis viatoris, 35. dicent : Terra illa inculta, facta est ut hortus voluptatis : et civitates desertæ, et destitutæ atque suffossæ, munitæ sederunt. 36. Et scient gentes quæcumque derelictæ fuerint in circuitu vestro, quia ego Dominus ædificavi dissipata, plantavique inculta, ego Dominus locutus sim, et fecerim. 37. Hæc dicit Dominus Deus : Adhuc in hoc invenient me domus Israel, ut faciam eis : multiplicabo eos sicut gregem hominum, 38. ut gregem sanctum, ut gregem Jerusalem in solemnitatibus ejus : Sic erunt civitates desertæ, plenæ gregibus hominum : et scient quia ego Dominus.

1. PROPHETA SUPER MONTES (de montibus) ISRAEL, — id est de restauratione montium Judææ, ac consequenter totius Judææ, quæ magna ex parte montosa est. Est synecdoche.

MONTES ISRAEL. — Est prosopopœia. Montes enim quasi homines alloquitur : vel « montes, » id est incolæ montium, ut sit metonymia (1).

2. EO QUOD DIXERIT INIMICUS, — Idumæus, Ammonita, Moabita, ut dixit cap. XXV, vers. 3.

ALTITUDINES (id est montes Judææ) SEMPITERNÆ (hebraice *sæculi*, id est quæ ab initio sæculi et mundi fuerunt, et in sæculum, id est semper, durabunt : vel, quas semper fore nostras putamus) IN HÆREDITATEM DATÆ SUNT NOBIS, — *q. d.* Gloriantur Idumæi se Judæam a Chaldæis vastatam possidere et possessuros semper successione et jure quasi hæreditario. Sunt enim ipsi Judæorum af-

tertio, enumerat conferenda beneficia quæ sunt : *primo*, congregatio et reductio in patriam, 24 ; *secundo*, purificatio ab inquinamentis, per effusam aquam mundam, 25-29 ; *tertio*, innovationem cordis, sanctificationem spiritus, et restaurationem fœderis, 26-28 ; *quarto*, præservationem a fame et penuria ; *quinto*, recordationem et pœnitentiam de præteritis, 31.

QUARTO, hanc promissionem absolvit per relationem effectuum hanc conversionem sequentium, 33, 34 quales sunt : *primo*, admiratio gentium de mutatione tam splendida, 35 ; *secundo*, agnitio divinæ potentiæ et fidelitatis, 36 ; *tertio*, fiducia de precibus audiendis et electis multiplicandis, 37, 38.

(1) Montes Israel hic opponuntur montanis Seir, de quibus versu ultimo capitis præcedentis. Qui modus inchoandi capitis ostendit, inquit Rosenmuller, continenti vaticinio caput hoc esse cum præcedenti conjungendum. Et revera ita postulat rerum ipsarum consecutio. Nam cum prius invectus esset Deus in Idumæos, quod jam sibi persuasissent, prædicassentque Judæorum regionem in suam potestatem esse venturam (XXXV, 10), contrariaque omnia esset comminatus ; nunc alloquitur et consolatur montes Israeliticos, qui tunc abductis cultoribus erant deserti, et sylvarum in modum efferati.

fines et cognati : nam Esau parens Idumæorum fuit frater Jacob parentis Judæorum ; Ammon vero et Moab fuerunt filii Lot, nepotis Abrahæ, qui fuit avus Jacobi : ergo Judæis e Judæa abductis, putant se in Judæam, quasi hæreditatem suam debere succedere. Vide *Jerem.* XLIX, 1.

3. ET CONCULCATI PER CIRCUITUM. — Hebraice, *et absorbuerunt vos* vicinæ gentes.

ASCENDISTIS SUPER LABIUM LINGUÆ, — factis estis fabula populi, dicterium et opprobrium, juxta id quod minatus est vobis Jeremias, cap. XXIV, 9.

4. PARIETINIS, — muris et parietibus dirutis.

5. IN IGNE ZELI. — Chaldæus, *ultionis;* Septuaginta, *furoris, q. d.* In ardore iræ et indignationis minatus sum Idumæis excidium, quia ipsi in clade Judæorum exsultarunt, ac Judæam quasi suam invaserunt et occuparunt.

EJECERUNT EAM (id est habitatores ejus) UT VASTARENT, — id est diriperent eorum æque ac terræ spolia; Vatablus, *ut ejicerent eam in prædam.*

6. IN ZELO MEO, etc., LOCUTUS SUM (Chaldæus, *in indignatione*), EO QUOD CONFUSIONEM GENTIUM SUSTINUERITIS, — quia a gentibus probris et injuriis affecti estis, o Judæi, qui estis populus meus : hinc ego ad consolationem vestram ulciscar vos, et gentibus talionem reddam. Hinc præclare S. Augustinus in *Sententiis,* sent. 207 : « Melior, ait, est tristitia iniqua patientis, quam lætitia iniqua facientis. »

7. LEVAVI MANUM MEAM, — juravi quasi elata manu, *q. d.* Sancte juro quod faciam ut gentes vobis hostiles, etiam suam ferant ignominiam, et dent pœnas opprobrii quod intulerunt vobis, o Judæi!

8. PROPE ENIM EST UT VENIAT, — *q. d.* Tempus imminet ut redeat, scilicet e Babylone, populus Israel ad vos, o montes Judææ! incipite ergo frondescere, et fructus illis præparare. Hinc Chaldæus vertit : *Prope est ut veniat dies redemptionis.*

9. ECCE EGO AD VOS, — scilicet, o Judæi! veniam; et, ut Chaldæus, *apparebo,* non quasi ultor, sed quasi beneficus pater, ut omnia necessaria vobis suppeditem, uti explicat vers. 15 (1).

11. BONISQUE DONABO MAJORIBUS, — scilicet spiritalibus tempore Christi : Christus enim in Judæa vixit, docuit, miracula fecit. More enim suo Propheta assurgit et avolat ad Christum, uti dixi in synopsi capitis. Nam Judæi sub Davide, Salomone, Josue, etc., majora habuerunt bona temporalia, quam post reditum e Babylone habuerint. Ergo non illa, sed spiritalia Christi hic accipienda sunt.

12. ADDUCAM SUPER VOS HOMINES. — Septuaginta : *Generabo super vos homines pro populo meo Israel, q. d.* Ego, o Christiani, o Ecclesia mea! pro populo Israel olim fideli, generabo tibi apostolos, viros apostolicos, et fidelium ex omnibus gentibus immensum numerum.

NON ADDES ULTRA UT ABSQUE EIS SIS. — Loquitur non tam de terrena Judæa, nam illa postea vastata est omnino a Tito, quam spiritali, id est Ecclesia Christi, ut dixi : eo enim assurgit et rapitur more Prophetarum. Ecclesia enim in æternum durabit, et suos semper habebit cives.

13 et 14. DEVORATRIX (Est enallage generis et numeri : hactenus enim populo in plurali locutus est, nunc vero in singulari loquitur terræ, quasi mulieri infami, quæ accusatur, quod filios suos comedat, aut in lecto suffocet, *q. d.* Hactenus, o Judæa! perdidisti habitatores tuos peste, fame, dissidiis, bello : sed) NON COMEDES AMPLIUS, — id est ego efficiam ut hoc probrum tibi amplius non objiciatur; quia non patiar habitatores in te devorari, id est occidi. Vers. 13 et 14.

17 et 18. JUXTA IMMUNDITIAM MENSTRUATÆ FACTA EST VIA EORUM (*q. d.* Uti maritus uxorem in menstruis sordidam et fœtentem abominatur : ita ego abominatus sum Israelem propter ejus menstrua, id est sordes idololatriæ, homicidiorum, et aliorum scelerum, inquit Theodoretus, uti explicat vers. seq. ait enim) : PRO SANGUINE (id est propter sanguinem), ET IN IDOLIS. — Repete causalem *pro,* id est propter, quæ præcessit, *q. d.* Odivi eos propter sanguinem, quem effuderunt : et propter idola, puta, quia « in idolis suis polluerunt » terram. Cur scelera comparentur menstruis, dixi *Jerem.* II, 24. Vers. 17. et 18.

20. ET INGRESSI SUNT AD GENTES (gentium, ad quas ducti sunt, vitiis et idololatriæ adhæserunt, sicque polluerunt nomen Dei, id est ansam dederunt, cur gentes blasphemarent Deum Israelis, dicerentque) : POPULUS DOMINI ISTE EST, — *q. d.* Judæi sunt populus Domini, et tamen e Judæa expulsi, ac in Babyloniam abducti sunt : ergo Dominus vel negligit, et non curat eos; vel non potest eos conservare et protegere : frustra ergo colunt eum, et sperant in eo. Vers. 20.

21. ET PEPERCI NOMINI SANCTO MEO, — statui parcere nomini meo, id est facere ne illud amplius a gentibus rideatur : sed potius illud sanctificabo, id est sanctum et admirabile illud ostendam, non propter merita vestra, sed propter nomen meum. Vers. 21.

23. CUM SANCTIFICATUS FUERO IN VOBIS, — ostensa scilicet sancta mea justitia, per vestram punitionem et captivitatem : et jam misericordia, per vestri liberationem. Cum enim vos pœnitentes Deum invocaveritis, ac vitia et idola repudiaveritis; tunc Deus vos e captivitate liberabit, et intelligent gentes Dei potentiam, justitiam et misericordiam hæc omnia juste et concinne disposuisse et ordinasse. Vers. 23.

25. EFFUNDAM SUPER VOS AQUAM. — Judæi per aquam intelligunt temporalium bonorum abundantiam ac nominatim pluviam, quæ segetes ri- Vers. 24.

(1) Ex quo excisa erat Hierosolyma, et cives variis eventibus alio atque alio dilapsi, nullus montes feraci atque ubere solo felices vomer exercuit, neque sementem acceperunt ullam, quia sicut Deus in sceleratos cives, sic etiam in eorum agros sæviisse videri potuit, a quibus oculos averterat, quos ante ad civium agrorumque vota intentos habuerat, cf. *Deut.* XI, 12.

get et fecundet. Sed hæc non emundat peccata, ut sequitur, imo sæpe auget. Aqua ergo hæc est gratia, et bonorum spiritalium abundantia, quæ a Christo per Sacramenta dimanat : sed propriissime est aqua baptismi, peccata omnia emundans; de qua ait Apostolus *ad Ephes.* v, 26 : « Mundans eam (Ecclesiam) lavacro aquæ in verbo vitæ.» Ita Patres passim : quin et Chaldæus et R. David; licet baptismum non agnoscant, tamen censent hic agi de remissione peccatorum. Quocirca has omnes promissiones ad novum Testamentum pertinere docet S. Augustinus, lib. III *De Doctr. Christiana,* cap. XXXIV, et alii passim. Præclare S. Clemens, lib. VI *Constit. Apost.* cap. XXVI : « Omnis, inquit, secundum veritatem baptizatus, a spiritu quidem diabolico separatus est, intra Sanctum vero Spiritum consistit : et in eo quidem qui honestis actionibus studet, permanet Spiritus Sanctus, eumque implet sapientia et intellectu, neque malum spiritum sinit prope accedere, cujus incursus et aggressiones observat. »

Audi quid de efficacia baptismi, suaque per eum immutatione scribat S. Cyprianus, lib. II, epist. 2 *ad Donatum* : « Uti ego quam plurimis vitæ prioris erroribus implicatus tenebar, quibus exui me non posse crederem : sic vitiis obsecundans eram, et desperatione meliorum malis meis velut jam propriis ac vernaculis favebam. Sed postquam undæ genitalis auxilio superioris ævi labe detersa, in expiatum pectus ac purum desuper se lumen infudit, postquam cœlitus spiritu hausto, in novum me hominem nativitas secunda reparavit; mirum in modum protinus confirmare se dubia, patere clausa, lucere tenebrosa; facultatem dare, quod prius difficile videbatur; geri posse, quod impossibile putabatur ut esset; agnoscere terrenum fuisse, quod prius carnaliter natum deliciis obnoxium viveret; Dei esse cœpisse, quod jam Spiritus Sanctus animaret. » Deinde subdit : « Scis ipse profecto, et mecum pariter recognoscis quid detraxerit nobis, quidve contulerit mors ista criminum, vita virtutum. » Ubi nota : Baptismus est « mors criminum, » et « vita virtutum, » quod eleganter carmine expressit S. Paulinus, epist. 12 *ad Severum* :

Baptismus est mors criminum.

> Culpa perit, sed vita redit; vetus interit Adam,
> Et novus æternis nascitur imperiis.

Idipsum in sua conversione et baptismo expertum se esse fatetur S. Augustinus, lib. IX *Confess.* cap. XII et seq. Hanc baptismi vim etiamnum experiuntur Indi, etiam feri et barbari, qui per baptismum, et Christi gratiam eo acceptam, ita sæpe mutantur, idque subito, ut ex bestiis in homines transformari videantur, ipsique suam mutationem admirentur et stupeant. Ut alios taceam, nota est Japonum conversio, fides, sanctitas et martyria, quæ cum primis Ecclesiæ martyriis ac martyribus certant, si non superant.

26. AUFERAM COR LAPIDEUM, — id est durum et in vitiis obfirmatum, quod nullam piæ ac salubris doctrinæ impressionem admittit.

Nota hic novem dona ingentia, quæ Ecclesiæ, et cuique fideli ac justo per Christum promittit hic Deus, quæque Christi baptismus et gratia cuilibet sancto confert et inoperatur. *Primum* est : « Mundabimini ab omnibus iniquinamentis vestris; » *secundum* : « Dabo vobis cor novum; » *tertium* : « Auferam cor lapideum, et dabo vobis cor carneum; » *quartum* : « Spiritum meum ponam in medio vestri; » *quintum* : « Faciam ut in præceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis, et operemini, » ideoque abundetis bonis operibus, virtutibus et meritis gloriæ cœlestis; *sextum* : « Habitabitis in terra quam dedi patribus vestris, » *q. d.* In pace, gaudio et abundantia bonorum spiritalium habitabitis in Ecclesia, uti Patriarchæ in ea habitaverunt in Chanaan; *septimum* : « Eritis mihi in populum; » *octavum* : « Ego ero vobis in Deum, » *q. d.* Ero vester protector, provisor, nutritor, promotor, gubernator, ductor, justificator, glorificator et omne bonum. Hoc enim suis est Deus. Unde sequitur : « Vocabo frumentum, et multiplicabo illud. » Hoc est quod Deus Abrahæ, et in eo cuique sancto, qui spiritalis est Abrahæ filius, promisit *Genes.* XV, 1 : « Noli timere, ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis. » Et *Zachar.* II, 8 : « Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. » Et *Ps.* XC, 1 : « Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur. » Et *Psal.* XXXIII, 16 : « Oculi Domini super justos : et aures ejus in preces eorum. Multæ tribulationes justorum : et de omnibus his liberabit eos Dominus, » etc. *Nonum* : « Terra » olim « inculta » erit « hortus voluptatis, » uti ait vers. 35.

ET DABO VOBIS COR CARNEUM, — id est, ut S. Hieronymus, Theodoretus et alii, molle, docile, tractabile, persuasibile; et, ut S. Augustinus legit, *obediens*, et, ut Chaldæus, *timens me, quod faciat voluntatem meam.* Nota, metaphorice cor lapideum dici voluntatem liberam, sed vitiis assuetam : unde illam aufert Deus, non aliam potentiam, aut libertatem indendo; sed, ut sequitur, « dando spiritum novum, » scilicet mulcendo et molliendo eam suis minis, promissis, consolationibus aliisque sanctis inspirationibus, quibus, allecta ipsa, corroborata ac elevata libere se flectit ad Dei nutum. Hoc ergo modo Deus etiam rebelles hominum voluntates ad se compellit, non vi cogendo, sed suadendo; non tantum per leges et concionatores exterius, ut volebat Pelagius, sed etiam interius mentem vel terrendo, vel suaviter alliciendo, ac affectiones pias ei indendo : itaque facit ut in præceptis suis ambulent, itaque operatur in nobis velle et perficere, ut ait Apostolus *Philip.* II, 13. Vide ibi dicta.

Nota : Cor in Scriptura significat mentem et voluntatem. « Cor » ergo « novum » est voluntas, gratia et spiritu Dei innovata, quæ veteri vitæ, et conversationi terrenæ moriens, vivit Deo et

cœlo, pro qua orat David, *Psalm.* L, dicens : « Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis. «Cor lapideum» est voluntas in impietate et peccatis obstinata et indurata ut lapis, qualis fuit Judæorum : sic cor hirsutum et pilosum reipsa habuisse Hermogenem, Leonidam, Aristomenem Messenium, Lysandrum, esseque hominum durorum, asperorum et crudelium, tradunt Plinius, lib. XI, XXXVII, Plutarchus in *Parallel.*, et Rhodiginus lib. IV, cap. XVI. « Cor carneum, » læve et tersum, est voluntas facilis, obsequens et flexilis ut caro, quæ Dei instinctus, legem et impressiones statim excipit, sibique imprimit, et opere exsequitur. Ratio hujus phrasis est, *prima,* quia, sicut cor est principium vitæ naturalis : sic voluntas est principium vitæ piæ vel impiæ. Cor, inquit Plinius, lib. XI, XXXVII, «primum nascentibus formari in utero tradunt, deinde cerebrum, sicut tardissime oculos; sed hos primum mori, cor novissime. » Alii tamen dicunt primum in corpore formari hepar, non cor : sed cor primo animari, et ultimo mori, uti docet Franciscus Valesius, lib. II *Controvers. medic.* VI. Unde cor vocatur « primum vivens et ultimum moriens; » sicut ex adverso oculi sunt ultimum vivens, et primum moriens, quia longissime a corde, quod est vitæ principium, distant. Quocirca notarunt historici, quod Julio Cæsari dictatori, eo die quo primum in purpura processit, et in aurea sella sedit, sacrificanti bis in extis victimæ cor defuit. Helvio quoque Pertinaci eo die quo occisus est, cum sacrificaret, cor in hostia non comparuit : quod malum mortis omen interpretati sunt.

Respondeo primo.

Secunda, quia, sicut cor est officina spirituum, quos toti corpori subministrat, per eosque est principium et causa omnis motus et actionis animalis : ita voluntas est officina virtutis et vitii, meriti et demeriti, omnisque actionis bonæ vel malæ. Tradunt physici quatuor partes esse vitales, quibus maxime vita constat et conservatur, cor, cerebrum, hepar, pulmonem. Cor enim calorem et spiritus corpori subministrat; hepar sanguinem, quo corpus nutritur; cerebrum spiritus animales, quibus sensatio, intellectio et motio localis conficitur; pulmo quasi follis cordi dat refrigerium : ita vita spiritalis constat recta voluntate quasi corde; prudentia, quasi cerebro; justitia, quasi hepate, sanguinis decorisque effectore; continentia, quasi pulmone, affectus moderante et refrigerante.

Secundo.

Tertia, quale est cor, talis est spiritus, talis est et habitus corporis : sic qualis est voluntas, talis est et homo. Hinc jubemur diligere Deum ex toto corde, *Matth.* XV, 8. Et cor sibi poscit Deus, *Prov.* XXIII, 26 : « Præbe, fili mi, cor tuum mihi : » qui enim dat cor Deo, dat arborem cum fructibus.

Tertio.

Quarta, sicut corpus animæ, ita cor voluntati subservit : unde passiones corporales in corde, similes passiones spiritales excitant in voluntate : v. g. ira, quæ est ebullitio sanguinis circa cor, iram similem, id est indignationem, et cupidinem vindictæ excitat in voluntate. Quocirca B. Catharina Senensis, ut habet ejus Vita, lib. II, cap. XVI, a Christo sponso suo petiit auferri sibi suum cor, ac dari cor Christi : annuit Christus, ac cor vere illi exemit, et post aliquot dies quibus illa corde caruit, aliud, scilicet suum, id est a se factum, sibique conforme illi indidit : unde illa deinceps orans ad Christum aiebat : « Commendo tibi, Domine, tuum cor, non meum : » cor enim est symbolum et sedes amoris. Quocirca Nyssenus et S. Thomas dicunt Spiritum Sanctum Ecclesiæ quasi cor a Deo fuisse datum in Pentecoste.

Quarto

Quinta, physici nonnulli censuerunt sensum communem esse in corde : licet alii melius censeant esse in cerebro; sed cor ejus esse originem. Unde vulgo dicitur : « Cor sapit, et pulmo loquitur. » Hinc Salomon orat : « Dabis servo tuo cor docile, ut populum tuum judicare possit, » III *Regum,* III, 9. Hinc et veteres cordatum, solertem et sapientem vocabant *corculum;* uti Nasica ob prudentiam vocatus est corculum, teste Plinio, lib. *De Viris illustr.* cap. XLIV. Perinde ac Judas Thaddæus cognominatus est Lebbæus, id est corculum. Hinc et Ecclesiasticus XXI, 29, ait : «In ore fatuorum cor illorum, et in corde sapientium os illorum, » *q. d.* Fatui nil reticere possunt, sed quidquid in buccam venit eloquuntur : sapiens vero nil eloquitur, nisi prius in corde examinatum, ponderatum et præmeditatum.

Quinto.

Sexta, corde sano sanum est corpus, gaudente gaudens, dolente dolens. Hinc intimus summusque dolor a Plauto et aliis vocatur *cordolium* : unde ænigma Pythagoræ : « Cor ne edas, » id est animum curis ne affligas, nec lancines : ita sana voluntate sana est mens, lætante læta, mœrente mœrens. Quocirca Sapiens, *Proverb.* cap. IV, 23 : « Omni, ait, custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit. »

Sexto.

Septima, cor hominis substantia sua est solidum firmumque, ait Galenus, lib. VI *De Usu part.* II, complexione igneum, figura pyramidale; sed situ inverso : nam superne ad cœlestia est amplum et cavosum; inferne ad terrena in cuspidem desinit. Significat ergo voluntatem hominis solido amore ferri debere in cœlestia, eaque pleno sinu haurire et excipere; terrena vero vix, et quasi in puncto tantum attingere. Addit Galenus cor situm esse in medio hominis, ut repræsentet animum et voluntatem rectam in medio vitiorum consistentem, nec ad dexteram, nec ad sinistram declinantem. Hæc nimirum est voluntas amore Dei et virtute imbuta : virtus enim consistit in medio.

Septimo.

Octava, cor inquietum est, et continua agitatione movetur a seipso, quasi solitarium animal. Nam vel per diastolen extenditur, ad recipiendum ea quæ homini sunt utilia : vel per systolen contrahitur, ad expellendum ea quæ noxia : ita

et voluntas nostra. Unde S. Augustinus, I *Confess.* I : « Fecisti, ait, me, Deus, ad te, et inquietum est cor meum donec requiescat in te. » Et S. Bernardus, tract. *De interiori domo*, cap. LV : « Mens, ait, desideriis suis circumagitata nunquam requiescit : idcirco in uno æternitatis desiderio immobiliter figi debet. »

Nono *Nona*, cor est in homine quod sol in universo, scilicet fons lucis et vitæ; imo Stoici solem proprie esse cor mundi censebant : putabant enim mundum esse animal magnum, sensu et ratione præditum. Unde Plutarchus, tract. *De facie in orbe lunæ* : Stellæ, ait, sunt oculi lucentes in facie universi : sol vi præditus cordis : ut hoc sanguinem et spiritum, sic sol diffundit ex se vegetantem calorem et lucem. Terra et mari mundus, ut animal, quasi ventre et vesica utitur. Luna inter solem et terram, ut inter cor et ventrem, velut jecur, aut aliud molle viscus est. Igitur quod in cœlo est sol, hoc in homine est cor, id est in corpore ipsum cor, in anima ipsa voluntas : quæ proinde suum opificem, æque ut sol, jugiter respiciat oportet. Ita S. Paulus jugiter habebat Jesum Christum in ore, jugiter in corde. Ita S. Ignatius assidue Jesum vocabat amorem suum, nec aliud fere sonat tota epistola ad Romanos : unde et Deifer et Christifer est cognominatus : atque inde putant nonnulli manasse id quod vulgo dicitur, Jesu nomen post mortem in corde ejus litteris aureis inscriptum inventum esse, qua phrasi significatur, ipsum assidue hoc nomen in corde et ore habuisse. Nam alioqui veteres, et ex iis Baronius, tom. II, anno Christi 110, tradunt eum a leonibus usque ad ossa, uti exoptaverat, devoratum esse. Etsi id neget Ado in *Martyrologio*, qui vere Jesu nomen in corde ejus repertum scribit, quem S. Thomas, S. Antoninus et alii plures secuti sunt.

Decimo. *Decima*, cor est sedes animæ, voluntatis et amoris, ac consequenter Dei, qui animam sui similem nobis inspirat. Quocirca symbolici *cor*, per singulas sui litteras ita interpretantur, quasi dicas : *camera omnipotentis regis*, puta *acropolis divinitatis*. Unde S. Augustinus, sermone *De Redempt.* : « Corda, inquit, fidelium cœlum sunt, quia in cœlum quotidie eriguntur. » Nam, ut ait Christus : « Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum. » Hinc David dicitur fuisse vir secundum cor Dei, I *Reg.* XIII, 14; ac « cor regis in manu Domini » esse dicitur, *Proverb.* XXI, 1. Rursum S. Augustinus describens, lib. IX *Confess.* cap. II, miram sui suæque voluntatis cœlitus a Deo factam conversionem : « Sagittaveras, inquit, tu, Domine, cor nostrum charitate tua, et gestabamus verba tua transfixa visceribus; et exempla servorum tuorum, quos de nigris lucidos, et de mortuis vivos feceras, congesta in sinu cogitationis nostræ, urebant et absumebant gravem torporem. » Sagitta et nos, o Domine! vulneraque cor nostrum igneo amoris tui jaculo, ut cor nostrum algidum et crystallinum accendas, faciasque carneum, purpureum, flammeum : da quod jubes, et jube quod vis, ut te unum toto corde ardenter amemus, tibi uni placere satagamus, tuam sanctissimam legem et voluntatem per omnia adamussim compleamus. Quotidie ergo oremus, dicamu sque ex intimo cordis affectu : « Veni, Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, tuique amoris ignem in eis accende : lava quod est sordidum, riga quod est aridum, sana quod est saucium, flecte quod est rigidum, fove quod est frigidum, rege quod est devium, infirma nostri corporis virtute firmans perpeti. » Da ut in cordis medullis sentiamus, quod sentiebat cor sponsæ a te accensum in *Cant.*, ac cum ea jubilantes canamus : « Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, et inclinentur umbræ : fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram? defecit caro mea, et cor meum : Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum. » Deus cordis mei, » imo jam non mei, sed tui; posside cor meum, imo tuum. « Deus cordis mei, » imple et satia cor meum, quod a nullo alio impleri aut satiari potest. « Deus cordis mei, » quem unum cor meum amat, sitit et ambit, da ut totum cor meum totis viribus te diligat, totum tui amore ardeat, totum tuo igne ignescat, liquescat, et a se deficiens in te transeat, tuque sis Deus meus, amor meus et omnia.

28. HABITABITIS IN TERRA, QUAM DEDI PATRIBUS VESTRIS, — in Judæa; vel potius in Ecclesia quæ cœpit in Judæa. Hanc patribus « dedi, » id est dare promisi. Τὸ enim *dedi* significat actum non completum, sed inchoatum et destinatum; quomodo Apostolus II *Timoth.* I, 9, dicit quod Deus dedit nobis gratiam per Christum ante tempora sæcularia : « dedi, » i. e. dare decrevit et prædestinavit. Vers. 28.

29. VOCABO FRUMENTUM, — *q. d.* Ad jussum meum, ad unam vocem; imo nutum, veniet abundantia frumenti non tam corporei quam spiritalis, *q. d.* Dabo vobis copiam gratiæ, Sacramentorum, ac præsertim Eucharistiæ, quibus anima pascatur et delicietur. Vers. 29.

ET NON IMPONAM (Hebraice, non dabo, non inducam) FAMEM.

30. MULTIPLICABO FRUCTUM LIGNI, ET GENIMINA AGRI, — id est multiplicabo omnes herbas, fruges et fructus, non tam corporis quam animæ, ut dixi. Vers. 30.

UT NON PORTETIS ULTRA OPPROBRIUM FAMIS IN GENTIBUS, — ut gentes deinceps vobis exprobrare nequeant quod fame affligamini, aut moriamini.

31. DISPLICEBUNT VOBIS INIQUITATES VESTRÆ, — Hebraice וְנִקְעַתֶּם *unecototem*, quod Vatablus vertit : *Pudebit vos in facies vestras iniquitatum vestrarum*; alii : *Nauseabitis*, fastidietis, tabescetis, *intra vos super iniquitates vestras*; alii : *Litigabitis intra vos contra flagitia vestra*; Septuaginta : *Et abominationi habebimini ante facies vestras, in ini-*

quitatibus vestris; Chaldæus : *Ingemiscetis ob peccata vestra.*

32. NON PROPTER VOS, — non vestris meritis, sed mea misericordia, et propter nomen meum, ut dixit vers. 22.

33. INSTAURAVERO RUINOSA, — domos et urbes dirutas Judææ, scilicet per Zorobabel : et potius, cum per Christum « instauravero » animas, quæ in peccata corruerunt, tunc « dicent : Terra illa inculta, facta est ut hortus voluptatis; » hebraice עדן *eden*, *q. d.* Est instar paradisi terrestris, de quo *Genes.* cap. II. 8.

35. MUNITÆ SEDERUNT, — i. e., munitæ sedent, i. e., munitæ sunt et tutæ : qui enim tuti sunt, sedent. Unde Septuaginta vertunt, *munitæ apparuerunt*; Chaldæus, *inhabitantur*. Sic et Hebræus ac Vatablus. Quare perperam aliqui legunt, *munitæ sederunt.*

36. EGO LOCUTUS SIM, ET FECERIM, — id est, scient gentes quod, sicut locutus sum vobisque promisi, sic et reipsa feci et præstiti.

37. UT FACIAM EIS — quæ sequuntur : vel ea quæ optant et petunt, ait Maldonatus.

MULTIPLICABO EOS SICUT GREGEM HOMINUM, — ut solet grex pecorum multiplicari; sic multiplicabo homines in Judæa, et potius in Ecclesia.

38. UT GREGEM JERUSALEM IN SOLEMNITATIBUS EJUS, — *q. d.* Sicut in Jerusalem in festis, præsertim tribus solemnioribus, puta Paschæ, Pentecostes et Tabernaculorum, magnus concurrit grex, tum hominum, tum ovium immolandarum : sic multiplicabo oves Christi pastoris, id est, fideles et christianos. Hi enim sunt grex sanctus Dei, æque ac olim oves immolandæ Deo, erant grex sanctus Dei.

CAPUT TRIGESIMUM SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Caput hoc ejusdem est argumenti, æque ac methodi cum præcedente; sed quod ibi plane, hic eleganter per parabolam describit. Nam sub typo ossium aridorum reviviscentium significat captivorum in Babylone liberationem : sub quo rursum symbolice ad litteram significat peccatorum a morte animæ suscitationem, et reductionem ad Ecclesiam per Christum; primo quidem obscure et tacite, sed deinde clare et expresse. Nam ad Ecclesiam et Christum clare et diserte assurgit vers. 15, *ubi asserit Israel et Juda olim ab invicem divisos, imo contrarios, in unam Ecclesiam conjungendos, ubi ab uno pastore Davide, id est Christo, pascentur et regentur, per quem novum fœdus pacis sempiternum cum eis sanciet, ut sit eis Deus et sanctificator, ac ipsi sint ei populus sanctus. Itaque parabolam hanc ossium reviviscentium ad litteram spectare Christum et Ecclesiam patet, tum ex decursu capitis, præsertim vers.* 15, *usque ad finem; tum ex cap. præced. cui hoc connectitur. Hic enim explicat illud, quod ibi dixit, vers.* 16 : Dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri : et auferam cor (*osseum, imo*) lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum : et faciam ut in præceptis meis ambuletis, et salvabo vos, etc. *Explicat, inquam, per parabolam ossium, quæ accepto spiritu vitali reviviscunt : ita enim peccatores accepto spiritu pœnitentiæ et gratiæ Christi redeunt ad vitam spiritalem. Justificatio ergo est resurrectio. Hinc ait Apostolus, Rom. cap.* VI, 4 : Ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. *Et ad Coloss.* III, 1 : Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, quæ sursum sunt sapite. *Vide ibi dicta* (1).

1. Facta est super me manus Domini, et eduxit me in spiritu Domini : et dimisit me in medio campi, qui erat plenus ossibus : 2. Et circumduxit me per ea in gyro : erant autem multa valde super faciem campi, siccaque vehementer. 3. Et dixit ad me : Fili hominis, putasne vivent ossa ista? Et dixi : Domine Deus, tu nosti. 4. Et dixit ad me : Vaticinare de ossibus istis, et dices eis : Ossa arida, audite verbum Domini. 5. Hæc dicit Dominus Deus ossibus his : Ecce ego intromittam in vos spiritum, et vivetis. 6. Et dabo super vos nervos, et succrescere faciam super vos carnes, et superextendam in vobis cutem : et dabo vobis spiritum,

(1) Prædictioni historicæ succedit prædictio symbolica duplex. In PRIORI quidem, proponitur ærumnosus status captivi populi in aridis ossibus, quæ in campi superficie dispersa visebantur, deinde libertas in eisdem ad speciem priorem et vitam restitutis. Symboli SECUNDI propositio exhibet duorum lignorum, quorum alteri nomen Juda, alteri nomen Joseph inscribebatur, conjunctionem in unum, cujus applicatio asserit utriusque regni in unum compositionem.

Cohæret cum superiore hoc caput : utrumque enim ad populi libertatem et quasi vitam, et ad illius remigrationem spectat.

et vivetis, et scietis quia ego Dominus. 7. Et prophetavi sicut præceperat mihi : factus est autem sonitus, prophetante me, et ecce commotio : et accesserunt ossa ad ossa, unumquodque ad juncturam suam. 8. Et vidi, et ecce super ea nervi et carnes ascenderunt : et extenta est in eis cutis desuper, et spiritum non habebant. 9. Et dixit ad me : Vaticinare ad spiritum, vaticinare, fili hominis, et dices ad spiritum : Hæc dicit Dominus Deus : A quatuor ventis veni spiritus, et insuffla super interfectos istos, et reviviscant. 10. Et prophetavi sicut præceperat mihi : et ingressus est in ea spiritus, et vixerunt : steteruntque super pedes suos exercitus grandis nimis valde. 11. Et dixit ad me : Fili hominis, ossa hæc universa, domus Israel est : ipsi dicunt : Aruerunt ossa nostra, et periit spes nostra, et abscissi sumus. 12. Propterea vaticinare, et dices ad eos : Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego aperiam tumulos vestros, et educam vos de sepulcris vestris, populus meus : et inducam vos in terram Israel. 13. Et scietis quia ego Dominus, cum aperuero sepulcra vestra, et eduxero vos de tumulis vestris, populo meus : 14. Et dedero spiritum meum in vobis, et vixeritis, et requiescere vos faciam super humum vestram : et scietis quia ego Dominus locutus sum, et feci, ait Dominus Deus. 15. Et factus est sermo Domini ad me, dicens : 16. Et tu, fili hominis, sume tibi lignum unum ; et scribe super illud : Judæ, et filiorum Israel sociorum ejus : et tolle lignum alterum, et scribe super illud : Joseph ligno Ephraim, et cunctæ domui Israel, sociorumque ejus. 17. Et adjunge illa, unum ad alterum tibi in lignum unum : et erunt in unionem in manu tua. 18. Cum autem dixerint ad te filii populi tui loquentes : Nonne indicas nobis quid in his tibi velis? 19. loqueris ad eos : Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego assumam lignum Joseph, quod est in manu Ephraim, et tribus Israel, quæ sunt ei adjunctæ : et dabo eas pariter cum ligno Juda, et faciam eas in lignum unum : et erunt unum in manu ejus. 20. Erunt autem ligna, super quæ scripseris in manu tua, in oculis eorum. 21. Et dices ad eos : Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego assumam filios Israel de medio nationum, ad quas abierunt : et congregabo eos undique, et adducam eos ad humum suam. 22. Et faciam eos in gentem unam in terra in montibus Israel, et rex unus erit omnibus imperans : et non erunt ultra duæ gentes, nec dividentur amplius in duo regna. 23. Neque polluentur ultra in idolis suis, et abominationibus suis, et cunctis iniquitatibus suis : et salvos eos faciam de universis sedibus, in quibus peccaverunt, et emundabo eos : et erunt mihi populus, et ego ero eis Deus. 24. Et servus meus David rex super eos, et pastor unus erit omnium eorum : in judiciis meis ambulabunt, et mandata mea custodient, et facient ea. 25. Et habitabunt super terram, quam dedi servo meo Jacob, in qua habitaverunt patres vestri : et habitabunt super eam ipsi, et filii eorum, et filii filiorum eorum, usque in sempiternum : et David servus meus princeps eorum in perpetuum. 26. Et percutiam illis fœdus pacis, pactum sempiternum erit eis : et fundabo eos, et multiplicabo, et dabo sanctificationem meam in medio eorum in perpetuum. 27. Et erit tabernaculum meum in eis : et ero eis Deus, et ipsi erunt mihi populus. 28. Et scient gentes quia ego Dominus sanctificator Israel, cum fuerit sanctificatio mea in medio eorum in perpetuum.

Vers. 1. Manus Dei quintuplex.

1. MANUS DOMINI, — id est, operatio et afflatus prophetiæ. Ita Chaldæus. *Secundo,* proprie visa est Prophetæ ipsa manus Dei, quæ ipsum apprehendit et in campum ossibus plenum deduxit, uti eidem contigit, cap. VIII, 3 : « Et emissa, inquit, similitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei, et elevavit me inter terram et cœlum. Ita Maldonatus. *Tertio,* manus Domini, id est, ipsum Dei Verbum, ait S. Hieronymus, quia per ipsum facta sunt omnia. Unde S. Augustinus in *Psalm.* CIV : Christus, ait, se in Prophetis prædicabat, quoniam ipse est Verbum Dei : annuntiabant ergo Christum pleni Christo. *Quarto,* Theodoretus per manum accipit vim et impulsum Dei, quem præsentiebant Prophetæ antequam prophetarent, quaque quasi ad prophetandum impellebantur : manus enim est impellere. Hinc aliqui notant Prophetas nominare manum Domini, cum illustre quid dicturi sunt, quod manum, id est potentiam, Dei deceat. *Quinto,* Antonius Fernandius, *visione* XVII, sect. I. : Manus, inquit, sumitur pro locutione qua aliquid faciendum

præcipitur; manu enim impellimus subditum eo quo volumus. Hæc omnia eodem redeunt. Proprie manus hæc sustulit Prophetam, et transtulit spiritaliter in campum plenum ossibus : videbatur enim sibi Propheta, se per manum hanc accipi eoque transferri : fuit enim hæc mentalis visio, non realis translatio. Unde sequitur :

ET EDUXIT ME IN SPIRITU DOMINI, — *q. d.* Non corporaliter, sed mente et spiritu raptus a Domino egressus sum in campum. Hoc est, non reipsa, sed per propheticam visionem ivi in campum. *Secundo,* « in spiritu, » id est, virtute et impulsu « Domini. »

ET DIMISIT ME IN MEDIO CAMPI, — in campo Sennaar, sive Babylonis : ibi enim erant ossa arida, id est, Judæi in captivitate pene exsucci et emortui, uti mox fusius dicam. Hinc symbolice D. Soto, et ex eo Noster Joannes Salas, I II, *Quæst.* V, art. 4, tract. II, disp. 14, sect. VII, censent omnes homines resurrecturos in eodem loco et campo, puta in valle Josaphat, ubi fiet judicium : eo ergo singulorum ossa ex toto orbe transferenda esse ab angelis, ut ibi communiter omnes resurgant. Verum non minus probabiliter Richardus in IV, dist. XLVIII, art. 1, *Quæst.* VII, et Franciscus Suarez tom. II, part. III, disp. L, sect. VII, censent quemque resurrecturum esse eo loco ubi fuerit cadaver, et ossa, aut major eorum pars : ibi enim per angelos adducendas alias partes ; indeque singulos jam resuscitatos transferendos in vallem Josaphat, ad tribunal Christi. Illudque innuit hic Ezechiel, vers. 12, dicens : « Ecce ego aperiam tumulos vestros, et educam vos de sepulcris vestris, populus meus, et inducam vos in terram Israel. Campus ergo hic fuit integra Babylonia ad litteram, qui symbolice significabat totum orbem. Hic enim per speciem hujus campi menti Prophetæ, per visionem elevatæ, objectus fuit quasi parvus quidam campus, huic similis : sicut S. Benedictus, mente elevatus, in Deo vidit totum orbem in specie globi. Idem significat Christus, *Joan.* V, 28 : « Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei : et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ ; qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii. »

An in valle Josaphat omnes resurgent?

Vers. 3. Ossa arida reviviscentia symbolum sunt resurrectionis.

3. FILI HOMINIS, PUTASNE VIVENT OSSA ISTA? — Ad litteram ossa arida vocat Judæos in Babylone captivos, squalore confectos, et quasi aridos ac emortuos ; eo quod non haberent spem reditus in patriam, ut patet vers. 11. Consequenter suscitationem et vitam eorum vocat liberationem a captivitate, quæ eis erat instar mortis. Est metaphora, vel potius parabola, aut ænigma sumptum ab ossibus hominum mortuorum, qui resurgent in die judicii. Rursum, per ossa hæc arida, puta per Judæos in Babylone quasi emortuos, intelligit peccatores, qui per peccatum perdiderunt animam et vitam, id est gratiam Dei. Unde his dicit : « Audite verbum Domini ; » quia hi per prædicationem verbi Dei convertuntur, et a peccato resurgunt, uti jam plenius dicam.

Vers. 5.

5. EGO INTROMITTAM IN VOS SPIRITUM — vitalem. « Per resurrectionis parabolam de restitutione Israelis prophetat, » ait S. Hieronymus. Itaque grammatice, quasi in cortice litteræ significat resurrectionem mortuorum, et sub hac quasi parabola significat liberationem Judæorum e captivitate, in qua quasi ossa arida sine spiritu et vita, id est omni carentes consolatione et vigore, sine ulla spe inde evadendi jacebant. Qui enim in captivitate et miseriis vitam degunt, in sepulcris habitare perhibentur, ut *Psalm.* LXVII, 7 : « Qui educit vinctos in fortitudine, similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulcris. » Vere enim ait Poeta : « Non est vivere, sed valere, vita. » In jure quoque civili servitus censetur esse mors civilis, sicuti libertas censetur esse vita civilis.

Tertio, liberatio nis e captivitate Babylonis.

Secundo, sub typo liberationis e captivitate Babylonica, quam perstringit et quasi præsupponit, proprie ad litteram intelligit peccatorum, qui, quasi ossa arida sine spiritu et gratia, quæ est vita animæ, in peccato captivi tenentur, ut ex eo nulla vi naturali exsurgere possint, resuscitationem per afflatum spiritus et gratiæ Christi. Est ergo gemina hic quasi parabola, id est geminus ejus sensus litteralis (illo enim involvit simul typum cum antitypo) ; sed unus alteri subordinatus, et quasi subalternus, uti explicui *Canon.* V. Itaque ex hoc loco et ex hac parabola recte probamus fore resurrectionem corporum, ut docet Tertullianus lib. *De Resurr. carnis,* cap. XXIX : « Non enim, inquit, posset de ossibus figura (parabola) componi, si non idipsum et ossibus eventurum esset. » Sic et S. Ambrosius, lib. *De Fide resurrectionis,* Theodoretus, Justinus, *Apol.* II *pro Christianis;* Cyprianus, lib. III *ad Quirinum,* cap. LXIX; Cyrillus Hierosolymitanus, *Catechesi* 18; S. Augustinus, lib. III *De Doctrina Christiana,* cap. XXXIV, Irenæus, lib. V, cap. XV, et S. Hieronymus qui idipsum ita probat : « Nunquam enim poneretur similitudo resurrectionis ad restitutionem Israelitici populi significandam, nisi staret ipsa resurrectio, et futura crederetur, quia nemo de rebus non exstantibus incerta confirmat (1). » Hinc S. Ambrosius, lib. *De Fide resurr.,* ossa hominum in sepulcris jacentia vocat semina æternitatis, quod

(1) Sic et ipse Rosenmuller hanc antiquam resurrectionis fidem fateri cogitur : « Mortuis reviviscentibus Israelitas libertati restituendos jam comparavit Isaias, XXVI, 14, 19, et eadem imagine utitur Daniel, Ezechieli æqualis, XII 2, 3. Quibus in locis, uti in hoc ipso nostro loco, et Judæorum et Christianorum theologi haud obscura creditæ *resurrectionis,* quam vocant, *carnis* indicia deprehendunt. Etsi enim ipsi non diffitentur, hos vates de resurrectione non loqui, uti de doctrina religionis, sed imagines tantummodo ab ea petere ; id ipsum tamen in sermonibus ad usus populares destinatis ab illis non factum fuisse arbitrantur, nisi doctrina de mortuis futuro aliquo tempore resuscitandis ea ætate vulgo ita nota fuisset, ut facili perspicua, et quodammodo popularis imago inde posset desumi. Cf. J. H. Pareau, *Comment. de Immortalitatis notitiis,* etc., pag. 108 et seq. »

ea post carnem consumptam supersint, sicut post pomum semina, ex quibus Deus hominem suscitabit, quasi novam arborem, qui in æternum vivat: ossa ergo reviviscentia, quasi semina repullulantia, florem Sanctis proferent immortalitatis: flos enim resurrectionis est immortalitas, inquit S. Ambrosius. Hinc S. Hilarius in *Psalm.* LII, 6: « Spes, ait, æternitatis in ossibus significari solet. ex quo dictum est: Hoc nunc os ex ossibus meis, quod B. Apostolus, quia magnum mysterium est, ad Christum et Ecclesiam refert, quæ ex Adæ sui æternitate, æternitatis substantiam mutuatur, quod in Domini vulnerato licet corpore confixoque non frangitur: Os, inquit, ejus non conteretur: quia, cum fuerit vis passionis in carne, in æternam tamen divinitatis et impassibilem naturam nihil licuit passioni. Integram autem et incorruptam spem æternitatis significari in ossibus, etiam illic meminimus, ubi dicitur: Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur; quia secundum demonstratam Ezechieli resurrectionem, sacramentum ejus sub ossium significatione sit revelatum. » In ossibus ergo est quasi vis seminalis resurrectionis, non naturalis et physica, sed moralis et obedientialis: quia a Deo destinata et reservata sunt resurrectioni. Ita Franciscus Suarez, III part. disp. L, sect. IV. Rursum, ossa hæc inter se colligata, et congrue aptata erant quasi organa musica, quibus Deus flatum immisit ad reddendam vitæ harmoniam. Sic corpus Adami fuit quasi lyra, membra quasi fistulæ, in quæ Deus inspiravit spiraculum vitæ, ut convenientem Domino offerrent melodiam, ait S. Chrysostomus. Hinc inter omnia resurrectionis symbola quæ vera sunt (nam phœnix est fabula), nullum similius et significantius est hydrargyro, sive argento vivo. Hoc enim, si manu deducas (uti reipsa expertus sum) in minutissimas arenulas, et quasi atomos, ita ut in pulvisculos evanescere videatur; mox ut eos rursum manu associas et conjungis, in pristinam hydrargyri formam confluendo redeunt, et quasi reviviscunt. Notavit hoc Gabriel Fallopius, medicus Mutinensis in hydrargyro, et multis sæculis ante eum S. Gregorius Nyssenus, lib. *De Creatione hominis*, cap. XXVIII.

Ossa sunt semina resurrectionis, quomodo?

Aliud symbolum resurrectionis est semen, quod in terram jactum moritur, sed in vere repullulat, novumque granum et semen producit, quod affert Apostolus I *Cor.* XV, 37. Verum non resurgit semen idem numero, sed idem specie: in hydrargyro autem idem numero quasi resurgit, sicut in resurrectione idem numero corpus quod vixit, resurget. Porro est hic hysterologia, sive ordo narrationis inversus: nam primo narrat quod factum est ultimo loco. Primum enim ossa juncta sunt, deinde nervis et carnibus tecta, postremo spiritum receperunt, ut patet vers. 8 et 9. Ita Maldonatus.

7. FACTUS EST AUTEM SONITUS, — id est strepitus ossium, quæ movebantur et transferebantur, ac accedendo ad alia collidebantur, et edebant strepitum. Significat hic strepitus, *primo*, sonitum Judæorum, et jubilum exsultantium de sua liberatione et reditu, ad eumdemque se comparantium, et sua convasantium. *Secundo*, sub hoc typo significat peccatores concione commoveri ad scelerum detestationem, eaque plangere. Ingens enim in corde peccatoris fit commotio, et strepitus affectuum inter se colluctantium, dum convertitur.

COMMOTIO significat attritionem, vel contritionem de peccatis in fieri, sive in actu inchoato. Tum enim necdum vivit, id est justificatur homo: sed cum ad eam quasi in facto esse infunditur gratia justificans. Grammatice significat motum, quo ab angelis ossa in resurrectione invicem unientur. Tunc enim ingens fiet tum terræ et sepulcrorum, tum ossium inde exeuntium, et ad se invicem accedentium commotio. Symbolice significat motum Judæorum in Babylone, qua quilibet ad juncturam suam, id est tribum et familiam, movebatur, ut ei adhæreret et cum ea rediret in Judæam. Docet ergo, ait Tertullianus loco citato, quod Judæorum populus « emortuus, exaridus, et dispersus in campo orbis recolligi habeat, et recompingi os ad os, id est tribus ad tribum, et populus ad populum, et recorporari carnibus facultatum, et nervis regni: atque ita de sepulcris, id est habitaculis captivitatis tristissimis atque teterrimis, educi, et refrigerii nomine respirare, et vivere exinde in terra sua Judæa. » Verum sub hoc quasi typo rursum intelligit compunctionem et commotionem peccatoris, dum convertitur, ut dixi.

Commotio triplex: prima, Judæorum; secunda, peccatorum; tertia, resurgentium.

9. A QUATUOR VENTIS, — quia in omnes plagas dispersi sunt mortui et captivi. Hinc exinde veni, o spiritus Dei tum essentialis, tum notionalis, id est o Spiritus Sancte! et affla eis spiritum vitæ, mortuis, ut resurgant; captivis spiritum, id est vires, animum et audaciam tribue redeundi; peccatoribus da spiritum gratiæ, ut justificentur. Apposite animam comparat vento: quia vento, id est spiratione et exspiratione, quam causat anima, vivimus. Porro animæ dicuntur ad corpus venturæ a quatuor ventis, tum quia ibi reliquerunt corpora sua, dum mortui sunt homines: anima enim videtur ibi esse, ubi remansit, dum suum destituit corpus; tum quia aliæ e cœlo venient, aliæ e purgatorio, aliæ e qualibet mundi plaga, puta animæ eorum qui morientur in die judicii in qualibet orbis parte. Hæ enim subito inde ad suum corpus revocabuntur, dum resurgent. Vers. 9.

11. OSSA HÆC UNIVERSA, DOMUS ISRAEL, — *q. d.* Ossa hæc significant domum Israel, quæ fuit in Babylone captiva, quasi in sepulcro fuisset mortua. Hic applicat parabolam Judæis in Babylone captivis, qui de se suoque reditu actum putabant; neque plus esse spei, ut in libertatem et patriam Vers. 11.

restituerentur, quam ut ossa illa reviviscerent. Deus ergo ostendit se et hoc et illud efficere posse.

ARUERUNT OSSA NOSTRA, — *q. d.* Jamdiu mortui sumus, omnem vigorem, spiritum et fortitudinem perdidimus. Mystice S. Clemens, lib. V *Const. Apost.* cap. VI, censet Judæos hæc dixisse, eo quod non crederent futuram resurrectionem, quibus proinde respondet Deus, spondetque resurrectionem, dicens : « Ecce ego aperio sepulcra vestra, et educo vos ex eis, » etc.

PERIIT SPES NOSTRA — in patriam revertendi.

ABSCISSI SUMUS. — Sicut ramus a radice avulsus spem vitæ non habet, ut radici rursum jungatur : ita nos a patria avulsi non speramus reditum, ut ei jungamur. Sic peccator non sperat veniam, imo sæpe desperat, nisi a spiritu Dei spes ei affletur. Ossa ergo hæc arida symbolum sunt extremæ calamitatis, in qua omnia videntur homini naturæ vires metienti esse desperata; sed tunc Deus invocatus maxime adesse et opitulari solet, etiam supra naturam. Ita permisit Deus Judæos in Babylone atteri et consumi quasi usque ad ossa, ut eos doceret sperare in rebus desperatis, Deumque invocare, ac invocatus gloriose eos liberaret, et quasi a morte suscitaret. Hoc est quod ait *Isaiæ* XXVI, 19 : « Vivent mortui mei, interfecti mei resurgent : » « mei, » hoc est meo imperio, nutui et virtuti subditi, ut eos a morte suscitem; hinc subdit Isaias : « Expergiscimini, et laudate qui habitatis in pulvere; quia ros lucis ros tuus, » *q. d.* Quam facile ros herbas aridas irrigando vegetat, et quasi vivificat : tam facile ego Deus, mea gratia et virtute vos aridos et mortuos ad vitam revocabo. Quare tunc beati dicent illud *Psalm.* LIV, 20 : « Omnia ossa mea dicent : Domine, quis similis tibi? »

Vers. 12. 12. APERIAM TUMULOS. — *Tumulos* et sepulcra vocat carceres Chaldææ, et sub his carceres peccati : captivitas enim dicitur mors civilis, *q. d.* Ego vos liberabo a Babylonica servitute, ac pariter mundum eripiam a captivitate peccati (1).

14. HUMUM VESTRAM, — scilicet Judæam, et sub hac intelligit Ecclesiam. Vers. 14.

16. SUME TIBI LIGNUM UNUM. — Chaldæus, *tabulam;* Septuaginta, *virgam unam* : resurrectionem et reditum a Babylone hactenus descripsit per parabolam ossium aridorum reviviscentium : nunc eadem describit per aliam, sed similem parabolam ramorum, sive lignorum aridorum in manu Ezechielis unitorum, et quasi reviviscentium, ut fiant velut una arbor. Illa ab animalibus sumpta est; hæc a plantis, quæ similem habent animam et vitam : habent enim suas venas, fibras, medullam, succum, ramos quasi membra, radices quasi cor et stomachum, folia quasi comam, fructus quasi proles, instar animalium. Unde homo vocatur arbor inversa. Rursum, semen in terra moriens et mox revirescens, ac arbor in hieme quasi moriens, in vere reviviscens, symbolum est resurrectionis, uti ex Apostolo et S. Augustino docui I *Cor.* XV, 36. Porro arbor hæc conflata ex duobus lignis, quasi ramis reviviscentibus, apposite significat Ecclesiam, quæ ex variis hominibus et gentibus, antea sceleratis, et per peccata mortuis, nunc per gratiam reviviscentibus, conflatur, et in Christo coalescit. Vide Origenem homil. 7 in cap. X *Levit.* Jubetur ergo hic Propheta a Deo sumere duo ligna, id est sceptra, scilicet unum Juda, cui adhæret Israel, id est tribus Benjamin et Levi; alterum Joseph, sive Ephraim, id est decem tribuum : hæcque duo in unum conjungere, ut fiat unum sceptrum, unum scilicet regnum, et una respublica. Nota : Sub duobus lignis significat duo regna, scilicet, unum Juda, alterum decem tribuum, quod vocat Samariam, Joseph et Ephraim : quia ex tribu Joseph, sive Ephraim (Ephraim enim fuit filius Joseph, et ab avo Jacob, Manassi fratri seniori prælatus, factus est primogenitus, *Genes.* XLVIII, 20; quocirca tribus Joseph vocata est tribus Ephraim, *Numer.* I, 10, ortus fuit Jeroboam, primus rex Israelis, sive decem tribuum, rebellionis contra Judam et domum Davidis auctor. Duæ virgæ sunt duo regna.

Secundo, hæc duo ligna conjuncta sunt : quia e decem tribubus multi se junxerunt Judæ, cum sub Zorobabel, Esdra et Nehemia omnes e Babylone redierunt in Judæam, et coaluerunt in unam rempublicam.

Tertio, sub his significat unionem Judæorum et gentium in Ecclesia Christi. Christus enim « fecit utraque unum, *Ephes.* II, 14, ut in illo non sit Judæus, et Græcus, sed omnes sint unum, » *Col.* III, 11. Unde subdit : « Et erunt in unionem in manu tua, » id est, ita ea junges, junctaque manu gestabis, ac si unum esset lignum (2).

(1) Exsilium civibus, quibus cara est patria, instar sepulcri est, quia divulsi a natali solo, sicut arbores a terra, unde trahebant alimentum vitale, pro mortuis censentur. Aperiendi ergo dicuntur tumuli, et inde evocandi, quia ab exsilio, quod instar est tumuli, ad patriam, quæ instar obtinet vitæ, revocandi sunt. Quærunt cur, cum ossa ista vehementer arida, quæ Prophetæ oculis objecta erant, quibusque copiosus Hebræorum populus expromebatur, non essent de sepulcris extracta, sed per campi superficiem late dispersa (vers. 2), nunc Deus dicat, exsules illos, qui censebantur pro mortuis, extrahendos fore de sepulcris. Quidam condita fuisse putant illa ossa prius, deinde extracta, et ut oculis objicerentur Prophetæ, fuisse super terræ faciem disseminata. Ego in hac dissimilitudine hærendum non puto. Neque enim arbitror, singulatim omnia esse consideranda, aut cum rerum imagine componenda. Hic tantum significatur ossibus prius dissolutis atque dispersis, captivorum fortuna desperata, in eisdem jam colligatis nervorum nexu, et animatis spiritu, Judæorum libertas, quæ tunc exprimitur, cum extrahendi dicuntur e sepulcris. Cumque hæc omnia ita exprimantur apte, ut nihil sit præterea aliquid aliud necessarium; non puto de reliquo cuiquam laborandum. (Rosenmuller.)

(2) Sive hoc ita intelligendum, cohæsuros duos baculos istos in manu ipsius, ut sint unum lignum continuum,

JOSEPH LIGNO EPHRAIM, — id est, ut Chaldæus, *Joseph qui est tribus* vel *regnum Ephraim*. Inde enim dictæ sunt duodecim שבטים *scebatim*, id est *tribus*, quasi duodecim virgæ ex eodem trunco, scilicet patre Jacob, prodeuntes. Nomen enim שבט *scebet* virgam et sceptrum, indeque tribum significat : quæque enim tribus suam habebat virgam, ut patet *Num.* XVII, 2.

Vers. 19. 19. ASSUMAM LIGNUM JOSEPH (id est tribum et regnum Joseph, sive decem tribuum), QUOD EST IN MANU EPHRAIM, — quia primus rex Israelis Jeroboam, et fere alii sequentes fuere ex tribu Ephraim. Unde Chaldæus vertit, *quæ est tribus Ephraim*.

IN MANU EJUS. — Ita Romana; « ejus, » scilicet Dei; hebraice, *in manu mea*, scilicet Dei : ego enim Deus hic loquor; Septuaginta, *in manu Juda*, *q. d.* Hominum malitia et æmulatione, cum unum esset regnum Judæorum, sub Roboam et Jeroboam scissum est in duo : mea vero potentia cum duo sint, aut potius nullum, rursum unum fient : sicut tu duo ligna in manu tua ita junxisti, ut unum esse videantur.

Hoc autem fecit Deus non tam per Zorobabel, quam per Christum. Hic enim sustulit æmulationem et contentionem inter Judæos et Samaritas, ac utrosque in sua Ecclesia Deo sibique conjunxit, uti ipse ait, *Joan.* IV, 21.

Vers. 22. 22. FACIAM EOS IN GENTEM UNAM, — in unum populum fidelem et christianum.

IN MONTIBUS ISRAEL, — in Ecclesia Catholica : hæc enim est vera Sion, et Israel. Vide dicta *Isaiæ* cap. II, 22.

ET REX UNUS ERIT OMNIBUS IMPERANS, — puta, unus rex Christus (1). « Unum enim imperii corpus, unius animo regendum videtur, » ait Tacitus, lib. I *Annal.*, sicut ab uno gubernatore una navis. Si plures des, turbas afferes, non aliter quam « si duo soles velint esse, periculum est, ne incendio omnia perdantur, » inquit Serinus. Hic legimus, imo ipsi vidimus, « discordantis sæpe patriæ non aliud remedium fuisse, quam si ab uno regeretur, » ait Tacitus lib. I. Nam, ut ait Plato in *Polit.* : ὁ βασιλεὺς ὡς Θεὸς ἐξ ἀνθρώπων : *rex, Deus quispiam humanus est*. Et Callimachus : *Ex Jove sunt reges*. Unde et Homerus, διοτρεφέας βασιλῆας, *a Jove educatos reges* nuncupat. Et Livius, lib. XXVI : « Regnum (monarchia) ait, res inter deos hominesque pulcherrima. » Denique Homerus, *Iliad.* β :

Εἷς κοίρανος ἔστω
Εἷς βασιλεὺς
Herus unicus esto,
Unicus et princeps.

23. DE UNIVERSIS SEDIBUS (id est habitaculis) SUIS, — in quibus vel habitarunt, vel dispersi fuerunt quasi fugitivi, aut captivi, ibique aliarum gentium idola et peccata imbiberunt. Nam, ut ait Psaltes, *Psalm.* CV, 35 : « Commixti sunt inter gentes, et didicerunt opera eorum. »

24. DAVID REX SUPER EOS, — id est Christus filius Davidis erit rex et pastor omnium fidelium. Huc alludit Christus, *Joan.* X, 16, dicens : « Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili : et illas oportet me adducere, et fiet unum ovile et unus pastor. » Unde de iis ait : « In judiciis, » id est præceptis, » meis ambulabunt super terram, quam dedi servo meo, » id est in Sion, id est in Ecclesia christiana.

25. PRINCEPS EORUM IN PERPETUUM, — quia « regni Vers. 25.
ejus, » scilicet Christi, « non erit finis, » *Luc.* I, 33.

26. FOEDUS PACIS, — novum Testamentum quod Vers. 26.
nos Deo reconciliat, et totum spirat pacem, amorem, concordiam. Vide cap. XXXIV, 25. Porro ait, « percutiam fœdus, » id est sanciam, paciscar, condam : quia fœdera et pacta iniri solent stipulatione, id est mutua percussione manus; et quia sanciebantur percussione et mactatione victimarum fœderalium. Unde Poeta :

Stabant, et cæsa firmabant fœdera porca.

Inde phrasis, icere, id est percutere, fœdus.

FUNDABO EOS — in Ecclesia, quasi firma terra et fundamento, imo petra.

DABO SANCTIFICATIONEM (id est sanctitatem) MEAM, — vel S. Eucharistiæ sacramentum, ait H. Pintus. Sed nota : Hebraice est מקדשי *micdaschi*, id est, sanctuarium, sive templum meum, ut vertit Chaldæus, *q. d.* Habitabo cum christianis in Ecclesia, uti cum Judæis olim habitabam in templo. Ita Vatablus. Hinc christiani sunt templum, in quibus habitat Deus, ut ait Apostolus, I *Cor.* III, 16, et II *Cor.* VI, 16. Vide ibi dicta. Septuaginta vertunt, *sancta*, in plurali, eodem sensu : nam ita vocant sanctuarium, quod olim divisum erat in Sanctum, et Sanctum sanctorum; licet H. Pintus per *sancta* accipiat septem sancta Ecclesiæ Sacramenta.

27. ET ERIT TABERNACULUM MEUM IN EIS. — Nota : Vers. 27.
Ecclesiam vocat *tabernaculum*, uti paulo ante sanctuarium, vel templum vocavit. Ecclesia enim militans hic quasi degit in tabernaculo.

28. SANCTIFICATIO. — Hebraice *sanctuarium*, sci- Vers. 28.
licet templum, id est Ecclesia sancta, ut dixi vers. 26.

Huc alludit S. Joannes, *Apoc.* XXI, 3, imo hæc ipsa Ezechielis verba citat, eaque adaptat Jerusalem cœlesti : in ea enim complebuntur, cum in terrestri, puta in Ecclesia militante, inchoentur, illudque innuit vox *in perpetuum*, Noster Turrianus, lib. *De Eucharistia*, hæc accommodat S. Eucharistiæ, in qua Deus, puta Christus, corporaliter

sive ad præceptum hoc pertineat, ut duos baculos ita junctos in manu sua teneat, ut videantur esse unus baculus. (Rosenmuller.)

(1) Messiæ, inquit et ipse Rosenmuller, ad quem pertinere hoc vaticinium, apertum est ex vers. 24, 25. Cf. supra XXXIV, 23. Male Grotius ad Zorobabelem hæc refert, qui neque re, neque nomine rex fuit. In iis veteris Testamenti locis, quibus de eo sermo, vocatur פחה *pheca, præfectus, gubernator*, vide *Malach.* I, 8; *Agg.* I, 1, 14; II, 2, 21; *Esdræ*, VI, 7.

residet, ac per eam in Ecclesia quasi in tabernaculo suo remanet et habitat.

Est hoc capite locus didacticus, æque ac moralis de futura omnium hominum resurrectione. Voluit enim Deus hoc schemate ossium reviviscentium acuere in Judæis, æque ac in Christianis, fidem et spem resurrectionis, quæ acer est stimulus ad omnem virtutem. Nam, ut ait Tertullianus : « Spes Christianorum, est resurrectio mortuorum. » Hac de causa eamdem Deus sæpius claris miraculis hominibus repræsentavit.

Primo, conservando corpora Sanctorum incorrupta. Hoc enim est specimen, et quasi præludium resurrectionis.

Tempore Theodosii Imperatoris, anno Christi 430, cum, ut multi referunt (licet id neget Baronius), magna Constantinopoli esset de resurrectione mortuorum dissertatio, Deus miraculo rem definivit. Nam in lucem produxit septem fratres sanos et vegetos, qui Ephesi sub Decio fugientes persecutionem, in spelunca latuerant et dormierant a Decio usque ad Theodosium, id est annos 181. Unde Theodosius, ut eos videret, Ephesum profectus est : exstat eorum quasi Sanctorum, titulo Septem dormientium, memoria in Martyrologio 27 julii.

Testatur Metaphrastes in *Vita* S. *Antonomi*, Episcopi et martyris, se vidisse ejus reliquias in sepulcro integras et vividas post ducentos a morte annos, adeo ut etiam coma capitis esset illæsa, et formæ character consisteret integer, pelle firma et extensa, ne amissis quidem pilis labri superioris. Figura quoque corporis suam conservabat compagem, sine ulla partium a se invicem disjunctione.

Sumus supra annum 352, inquit Thomas Bozius, lib. XIII *De Signis Ecclesiæ*, cap. III, ex quo Ubaldus Episcopus Eugubinus e vita migravit, et tamen ego bis aspexi vivida immaculataque ejus membra, ac propius intuitus sum sacerdotum manibus attrectari, et in omnes partes versari, perinde ac si caro viva esset, non corruptioni obnoxia.

Ita anno Domini 771, Huberti Episcopi Leodiensis corpus, dum decimo septimo anno a morte ejus elevaretur, integrum illæsumque cum cæsarie, et mirifice fragrans repertum est, ut habet ejus Vita 3 novembris.

Ita S. Claudii Archiepiscopi Bisuntini corpus usque in præsens in S. Eugendi ecclesia, cunctis admirantibus incorruptum et integrum monstratur, innumeris coruscans miraculis, ut habet ejus Vita die 6 junii.

Ita anno Domini 1170, S. Sigeberti regis Francorum corpus integrum inventum est, ac si dormiens illic jaceret, cum jam 572 annos jacuisset in sepulcro, inquit Sigebertus monachus in Vita ejus 1 februarii.

S. Ferreolus martyr, sepultus Viennæ in Gallia, post multos annos inventus est integer et illæsus, ut videretur dormire, neque colore faciei demutatus, neque capillorum decisione turpatus, neque ulla putredine resolutus, inquit Gregorius Turonensis, *De Miraculis S. Juliani*, cap. II.

Ita et S. Xaverii corpus virgineum Deus ad hæc usque tempora integrum illæsumque conservat. Hæc sunt præludia resurrectionis.

Secundum, apparitiones Christi et Sanctorum

Secundo, resurrectionem hanc futuram demonstravit Christus, ostendens se multoties post mortem in corpore glorioso : item Sancti apparentes post mortem. Ita S. Acholius Episcopus Thessalonicensis apparuit S. Ambrosio, dicens se in cœlo requiescere, uti ipse refert, lib. III, *epist.* 22.

Ita S. Eugenia matri mœstæ apparens habitu splendidissimo, cum multis virginibus : « Noli, ait, flere, sed lætare : nam ego, et pater Philippus vivimus in quadam ineffabili martyrum lætitia una cum Christo versantes, et conregnantes, qui te etiam non post multos dies ad hanc vitam evocabit. Meis autem fratribus conserva firmum ac stabile, quod est in Christo, signaculum, et assidue hortare, ut sint etiam mihi fratres animis, ut sic totum genus offeramus pulchrum donum Domino. » Ita habet ejus Vita, cap. XXXVII, apud Surium 25 decembris.

Ita S. Agnes post mortem parentibus apparuit, dicens : « Ne me quasi mortuam lugeatis; nam una cum his virginibus vivo apud illum in cœlis, quem in terris tota mente dilexi, » uti refert S. Ambrosius, *serm.* 90.

Tertium, membrorum abscissorum unio.

Tertio, per unionem membrorum abscissorum ad corpus, vel eorum gestationem.

Scribit S. Gregorius, III *Dialog.* XIII, S. Herculani Episcopi et martyris caput, quo a Totila truncatus erat, quadragesimo post die in sepulcro inventum fuisse ita unitum corpori, ac si nulla ferri incisio illud tetigisset.

S. Wenceslaus Bohemiæ rex, ab iniquissimo fratre suo Boleslao interfectus, inventus est integer, discissaque auricula rursus capiti adhærebat. Ita Dubravius, lib. IV *Histor. Bohem.*

Memorabile, et pene inauditum est, quod legimus in *Vita S. Stanislai*, Episcopi Cracoviensis, celebrantque Poloni in Sanctorum suorum Breviario, nimirum Boleslaum regem trucidasse S. Stanislaum, mox ministros regis ex rabie corpus Sancti in partes 72 dissecuisse, easque canibus et avibus devorandas projecisse : verum cœlitus advolantes aquilæ, Sancti corpori custodes et tutores se præbuere. Post biduum clerus animos resumens, Episcopi sui membra requisivit et composuit. Res mira : Dei virtute factum est, ut illico ita simul concrescerent, ac si nunquam divulsa fuissent. Digitus unus deerat, sed ne istum quidem diu latere passus est Deus. Lucerna cœlestis eum in vicinam piscinam conjectum, et a pisce devoratum demonstravit, quem exenterantes, digitum exemerunt, suoque loco restituerunt. Hoc est quod vidit hic Ezechiel, ossa ossibus, carnem carni, membra membris sociari; utique aperto

symbolo et argumento resurrectionis futuræ. Nimirum Dominus custodit ossa Sanctorum suorum, unum ex his non conteretur. Quocirca S. Ambrosius in *Natali S. Nazarii et Celsi* : « Honoro ergo, inquit, in carne martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices : honoro viventis memoriam in perennitate virtutis : honoro per confessionem Domini sacratos cineres : honoro in cineribus semina æternitatis : honoro corpus quod mihi Dominum meum ostendit diligere, quod me propter Dominum meum docuit mortem non timere. Cur autem non honorent corpus illud fideles, quod reverentur et dæmones? quod et afflixerunt in supplicio, sed glorificant in sepulcro. Honoro itaque corpus, quod Christus honoravit in gladio, quod cum Christo regnabit in cœlo. »

Non minus mirabile, magis etiam evidens resurrectionis argumentum, imo testimonium est, quod subjicio. Idem S. Stanislaus, cum a Boleslao rege urgeretur proferre tabulas vel testes venditionis agri, quem a Petro quodam ante triennium defuncto pro Ecclesia emerat, nec quisquam auderet pro eo testimonium ferre, omnibus regis iram metuentibus; ipse spiritu zeloque Dei correptus : « Quoniam, inquit, diminutæ sunt veritates a filiis hominum, de terra veritas oriatur, et justitia de cœlo prospiciat. In nomine Jesu Christi cui servio; et cujus Ecclesiam tueor, recipio me abhinc tertio die ipsum Petrum vivum, testem veritatis et æquitatis causæ meæ ad hoc tribunal adducturum. » Inde tres dies orationi et jejuniis vacans, adit Petri sepulcrum, eumque nomine Dei omnipotentis compellans : « Exi, inquit, foras, Petre, ac sepultæ a vivis veritati mortuus de sepulcro perhibe testimonium. » Prodit ille triennalis mortuus, quem dextra apprehensum Stanislaus ad tribunal regis adducit. Tum ille : « Ego sum, inquit, Petrus, qui testimonium veritatis redditurus ex quietis sedibus huc venio. Huic ego rus meum justo pretio vendidi, et addixi. » Regem deinde ac hæredes suos increpat, quod sancto viro negotium absque causa facessant. Ita habet ejus Vita et Breviarium Polonicum die 13 maii. Ecce hic in Petro redivivo non tantum caro carni, et ossa ossibus copulata fuerunt; sed et « ingressus est in ea spiritus, et vixerunt, » quod ait Ezech. vers. 10.

S. Dionysius Areopagita, capite plexus, se erexit, et resumptum caput ad duo fere milliaria portavit, uti refert Hilduinus in ejus Vita.

SS. Ursus et Victor martyres, cum sexaginta sociis Thebæis sub Diocletiano et Maximiano capite truncati, et in flumen projecti, flumine egressi sunt, capita in manibus portantes, et ad locum, ubi nunc in honore eorum fabricata est ecclesia, pervenerunt. Mirabilia hæc, sed mirabiliora succedunt. Sancti enim martyres genua ad terram flectentes, quasi unius horæ spatio, priusquam corpora sua ad terram deponerent, cunctis cernentibus, orabant. Oratione facta, corpora sua ad terram dimiserunt, ac si dicerent : « Hæc requies nostra in sæculum sæculi. » Ita habet eorum Vita.

Anno Domini 306, sub Deciano, S. Lambertus ob Christi fidem ab hero capite truncatus est, qui mox, resumpto capite, ultra quatuor passuum millia profectus est ad locum, ubi multi jacebant martyres occisi; tum dixit : « Exsultabunt sancti in gloria, » responderunt illi : « Et lætabuntur in cubilibus suis. » Ita Vasæus.

S. Gregorius Turonensis, *De Gloria Confess.* cap. L, refert S. Severinum, cum equitans a mespilo arbore percuteretur, ei maledixisse, eamque arefecisse. Post aliquot dies rediens, videnque eam aridam, cœpit orare, dicens : « Tu, Domine, qui corpora nostra facies resurgere, præcipe ut revirescat hæc arbor : » moxque reviruit et revixit.

Perillustre est quod legimus in *Vita S. Joannis Chrysost.* Cum enim ipse in exsilio Comanæ esset defunctus, civesque Constantinopolitani ejus corpus ad suam urbem reducere vellent, illud nulla vi aut ratione loco movere potuerunt; donec Theodosius Imperator humillimas ad Chrysostomum quasi adhuc viventem litteras dedit, quibus culpæ in eum a matre Eudoxia admissæ veniam precatus, enixe rogabat ut ad se suosque cives rediret : qua epistola supra corpus Sancti posita, subito moveri et traduci se permisit. Sed audi majora. Theodosius, omnium ordinum cœtu et pompa stipatus, mira gratulatione illum excepit, atque in genua procumbens veniam matri postulans, rogavit ut tumuli ejus motus et strepitus consisteret. Nam per 35 annos jam is quatiebatur, ab eo scilicet tempore quo ipsa Joannem æque ac Ecclesiam concusserat. Exoravit Imperator : confestim namque urna matris constitit et conquievit. Atque ubi Proclus Patriarcha Constantinopolitanus Sanctum secum in eodem throno collocavit, plebs circumfusa uno ore exclamavit : « Accipe thronum, o Pater! » Fertur ipse tum labia dudum clausa aperuisse, ac dixisse : Pax vobis, ut circumstantes et Proclus Patriarcha testati sunt. Ita ex Cosma Vestiario, Nicephoro et aliis Baronius, anno Christi 438. An non ossa Sanctorum coram Deo vivunt? nonne vivit Chrysostomus? Denique ossa S. Januarii, Pantaleonis, Nicolai, Andreæ et aliorum Sanctorum ebullire, et liquorem odoriferum et salutiferum stillare, itaque quasi vivere videntur. Hoc est quod prædixit Isaias cap. LXVI, 14 : « Ossa vestra quasi herba germinabunt. » Vide ibi dicta.

CAPUT TRIGESIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Egit de regno Israelis et Christi, ac de resurrectione, nunc agit de contrario regno Antichristi, scilicet, de ejus ducibus, et exercitu Gog et Magog, eorumque potentiam, deinde cladem prædicit. Cum fine ergo Ecclesiæ et mundi finem prophetiæ pariter imponit Propheta. Hoc ergo capite, primo, Gog arma, copias et gentes auxiliares, vim et impetum qua Ecclesiam, ac nominatim Hierosolymam tunc fidelem et christianam invadet, describit. Inde, vers. 17, ejus stragem persequitur : quod scilicet mutuis cædibus, peste, igne, lapidibus et fulmine de cœlo in ejus copias misso, interibunt omnes (1).

1. Et factus est sermo Domini ad me, dicens : 2. Fili hominis, pone faciem tuam contra Gog, terram Magog, principem capitis Mosoch et Thubal : et vaticinare de eo ; 3. et dices ad eum : Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego ad te Gog principem capitis Mosoch et Thubal ; 4. et circumagam te, et ponam frenum in maxillis tuis : et educam te, et omnem exercitum tuum, equos et equites vestitos loricis universos, multitudinem magnam, hastam et clypeum arripientium et gladium. 5. Persæ, Æthiopes, et Libyes cum eis, omnes scutati et galeati. 6. Gomer, et universa agmina ejus, domus Thogorma, latera Aquilonis, et totum robur ejus, populique multi tecum. 7. Præpara, et instrue te, et omnem multitudinem tuam, quæ coacervata est ad te : et esto eis in præceptum. 8. Post dies multos visitaberis : in novissimo annorum venies ad terram, quæ reversa est a gladio, et congregata est de populis multis ad montes Israel, qui fuerunt deserti jugiter : hæc de populis educta est, et habitabunt in ea confidenter universi. 9. Ascendens autem quasi tempestas venies, et quasi nubes, ut operias terram tu, et omnia agmina tua, et populi multi tecum. 10. Hæc dicit Dominus Deus : In die illa ascendent sermones super cor tuum, et cogitabis cogitationem pessimam : 11. et dices : Ascendam ad terram absque muro : veniam ad quiescentes, habitantesque secure : hi omnes habitant sine muro, vectes et portæ non sunt eis : 12. Ut diripias spolia, et invadas prædam, ut inferas manum tuam super eos, qui deserti fuerant, et postea restituti, et super populum, qui est congregatus ex gentibus, qui possidere cœpit, et esse habitator umbilici terræ. 13. Saba, et Dedan, et negotiatores Tharsis, et omnes leones ejus dicent tibi : Numquid ad sumenda spolia tu venis? ecce ad diripiendam prædam congregasti multitudinem tuam, ut tollas argentum, et aurum, et auferas supellectilem, atque substantiam, et diripias manubias infinitas. 14. Propterea vaticinare, fili hominis, et dices ad Gog : Hæc dicit Dominus Deus : Numquid non in die illo, cum habitaverit populus meus Israel confidenter, scies? 15. Et venies de loco tuo a lateribus Aquilonis tu, et populi multi tecum, ascensores equorum universi, cœtus magnus, et exercitus vehemens. 16. Et ascendes super populum meum Israel quasi nubes, ut operias terram. In novissimis diebus eris, et adducam te super terram meam : ut sciant gentes me, cum sanctificatus fuero in te in oculis eorum, o Gog ! 17. Hæc dicit Dominus Deus : Tu ergo ille es, de quo locutus sum in diebus antiquis, in manu servorum meorum prophetarum Israel, qui prophetaverunt in diebus illorum temporum, ut adducerem te super eos. 18. Et erit in die illa, in die adventus Gog super terram Israel, ait Dominus Deus, ascendet indignatio mea in furore meo. 19. Et in zelo meo, in igne iræ meæ locutus sum.

(1) Duo capita quæ sequuntur ad gloriosas populi Dei victorias de hostibus pertinent.

Variis de Gog et Magog sententiis a Cornelio nostro relatis addi potest, quæ a Calmeto propugnatur in *Dissertatione de Gog et Magog*, et juxta quam hic prædicitur clades Cambysis, Persarum regis, ex Ægypto redeuntis et in montibus Judææ in valle Sison seu in valle viatorum ex Assyria in Ægyptum, morientis. Huic sententiæ multi interpretes accedunt.

Quia in die illa erit commotio magna super terram Israel : 20. et commovebuntur a facie mea pisces maris, et volucres cœli, et bestiæ agri, et omne reptile, quod movetur super humum, cunctique homines, qui sunt super faciem terræ : et subvertentur montes, et cadent sepes, et omnis murus corruet in terram. 21. Et convocabo adversus eum in cunctis montibus meis gladium, ait Dominus Deus : gladius uniuscujusque in fratrem suum dirigetur. 22. Et judicabo eum peste, et sanguine, et imbre vehementi, et lapidibus immensis : ignem et sulphur pluam super eum, et super exercitum ejus, et super populos multos, qui sunt cum eo. 23. Et magnificabor, et sanctificabor : et notus ero in oculis multarum gentium, et scient quia ego Dominus.

Quæstio de Gog et Magog, quinam sint? Prima sententia.

Quæres, qui sint Gog et Magog? Judæi fabulantur esse gentes Scythicas innumerabiles, quæ latent inter montes Caspios, et venient cum Antichristo contra Messiam, sed ab eo cædentur in Palæstina. Unde consequenter inferunt Messiam necdum venisse, quia necdum venit Gog, qui ab eo sit cæsus.

Secunda. *Secundo*, Lactantius, lib. VII, cap. XXIV, putat prælium Gog et Magog futurum mille annis post resurrectionem et mortem Antichristi. Idem censuit Tertullianus, Papias, Justinus et alii Chiliastæ.

Tertia. *Tertio*, Eusebius, lib. IX. *Demonstr.* cap. III, docet Gog esse Romanum Imperatorem, Magog Romanum Imperium.

Quarta. *Quarto*, alii volunt Gog et Magog esse prælia angelorum et diaboli.

Quinta. *Quinto*, Theodoretus asserit Gog et Magog esse Alexandrum magnum, et reges Syriæ ac Ægypti, Alexandri successores, qui Judæos afflixerunt, et tandem a Judæis superati sunt. Sed hoc falsum est : licet enim contra eos illustres victorias habuerint Judæi, tamen nunquam eos plane superarunt, quin semper ab eis vexati sint. Huc pertinet expositio Pererii, lib. XV *in Genes.* num. 12. et Alcazar, *Apoc.* XX, 7, qui per Gog accipiunt Antiochum Epiphanem, qui valde afflixit Judæos (postquam illi e captivitate Babylonica in patriam a Cyro restituti sunt, de quo egit Ezechiel cap. præcedenti), et tandem a Deo morbo putido percussus, misere interiit, ut patet ex libris *Machab.* Addit Alcazar S. Joannem, *Apoc.* XX, 7, de alio Gog loqui, de alio loqui Ezechielem; S. Joannem enim loqui de Gog futuro in fine mundi, ac per Gog significare milites Antichristi : Ezechielem vero Gog vocare Antiochum, qui proxime successit Nabuchodonosori in persecutione Judæorum; sed sub Antiocho potius respicere ad Romanos imperatores qui bellum Christianis et Ecclesiæ intulerunt, ac ab ea tandem superati et conversi sunt. Verum de eodem Gog loqui Joannem et Ezechielem docent communiter interpretes, et conferenti utriusque verba clarum est. Porro Alcazar in *Apoc.* XX, num. 7, not. 7, per Magog accipit urbem Syriæ ita dictam syriace, quæ græce dicta est Hierapolis. Fuit enim Magog, inquit, idololatriæ metropolis in toto Antiochi imperio. Unde a templorum multitudine vocata est Hierapolis, uti Ptolemæus in quarta Asiæ tabula annotavit, ubi septem solum expressit insignes Asiæ civitates, et secunda earum est « Hierapolis, a multitudine templorum sic appellata a Græcis, cum proprium ipsius nomen sit Magog; » et Plinius, lib. V, cap. XXIII : « Cœlesyria, ait, urbes habet, Bambycen, quæ alio nomine Hierapolis vocatur, Syris vero Magog (1). Ibi prodigiosa Atergatis, Græcis Derceto dicta colitur. Constat autem Derceto idolum fuisse humana facie, cætera piscem. Et forte idem erat, quod in lib. *Regum* vocatur Dagon. *Dag* enim hebraice significat piscem : quare et idolum illud inferne habuisse figuram piscis traditur. Compulit ergo Antiochus omnes Judæos ad idololatriam, cujus caput erat urbs Magog; hinc eum vocat Gog principem Magog, quæ est Hierapolis. Hucusque Alcazar. Sane verisimile est, sicut Antiochus typus fuit Antichristi, ut patet *Daniel.* XI, 36, ita alludi hic ad urbem gentemque ejus impiam et idololatram, nuncupatam Magog. Sicut enim illa tempore Antiochi persecuta est fideles, puta Judæos : ita similiter impii et idololatræ tempore Antichristi persequentur christianos, ideoque vocantur Magog, quasi posteri et æmuli impietatis gentis Magog, quæ fuit sub Antiocho. Rursum Togorma, Mosoch et Thubal, quos hic cum Magog sociat Ezechiel, fuerunt gentes Asiaticæ subditæ Antiocho.

Verum huc tantum alludit, eamque obiter quasi perstringit Ezechiel. Nam directe ad litteram loquitur de Magog, qui erit in novissimo tempore et in fine mundi, ut ait ipse æque ac S. Joannes. Adde, de Antiochi exercitu non potest dici, quod ita prostratus sit a Machabæis, ut hastæ et tela cæsorum suffecerint Judæis ad focum et ignem per septem annos. *Tertio*, de eodem dici nequit, quod Deus eum e cœlo perdiderit lapidibus grandinis, igne, sulphure, imbre, etc., quod de Magog asserit Ezechiel hoc cap. XXXVIII, 22. *Quarto*, nec Antiochus vocatus fuit Gog, nec tota ejus regio Magog, sed una tantum urbs. Nec rursum

Refellitur primo.

Secundo

Tertio.

Quarto.

(1) Quod ex Plinio de Hierapoli, Syris *Magog* dicta, adfertur a multis interpretibus, manifesti erroris est, inquit Rosenmuller, sed quem vitare non potuerunt. Postea compertum a Syrorum monumentis, *Magog* vitiose scriptum esse, et nomen urbis esse *Nabug*. Vide Assemani, *Biblioth. Orient.*, tom. II, in Indice Geographico urbium Episcopalium, quem *Dissert. de Monophysitis*, illi tomo præmissæ, inseruit, voce *Nabug*.

ejus exercitum sepultum legimus in valle multitudinis Gog, juxta civitatem Amona; quod tamen de Magog fore affirmat Ezechiel XXXIX, 15.

Quinto. Denique Judæis sub Antiocho non convenit, quod ait ibidem vers. ultimo : « Et non abscondam ultra faciem meam ab eis, eo quod effuderim spiritum meum super omnem domum Israel, ait Dominus Deus. » Constat enim Judæos a successoribus Antiochi, et rursum a Romanis graviter fuisse afflictos, imo excisos.

Sententia sexta, Gog esse Papam. *Sexto*, Theodorus Bibliander, quem sequitur Chytræus in cap. XX *Apocal.*, Gog et Magog volunt esse Gregorium VII, Godefridum Bullonium, et christianos principes, qui terram sanctam recuperaverunt. Sed hoc est impium : Gog enim pugnabit contra castra Sanctorum, et sanctam civitatem, id est veram Dei Ecclesiam; cum ergo Bullonius et socii in bello sacro pugnaverint contra Turcas et Saracenos, sequitur ex sententia Bibliandri, Turcas et Saracenos esse castra Sanctorum, et sanctam civitatem. Huc accedunt Calvinistæ, qui Gog et Magog aiunt esse Papam et Papistas : Gog enim esse Antichristum, quem non alium esse censent quam Papam. Quam virulentam æque ac stolidam calumniam fuse refutavi II *Thessal.* II, 11, Quæst. I.

Septima, esse Turcas. *Septimo*, Magdeburgenses opinantur Gog et Magog esse Turcas et Saracenos, sed errant : Gog enim et Magog tantum erunt in fine mundi cum Antichristo, ut patet *Apoc.* cap. XXVIII, 7 et 11.

Octava, esse Gothos. *Octavo*, S. Ambrosius, lib. II *De Fide*, cap. ultimo, putat Gog esse Gothos, qui Romanorum provincias vastarunt; ideoque Gratianum Imperatorem ibidem hortatur, ut pergat contra Gothos, certamque illi de eis promittit victoriam, utpote prædictam et promissam hic ab Ezechiele. Audi eum : « Gog, ait, iste Gothus est, quem jam videmus exisse, de quo nobis promittitur futura victoria, dicente Domino : Et deprædabuntur eos, qui deprædati eos fuerant, etc. Nec ambiguum, sancte Imperator, quod qui perfidiæ alienæ pugnam excepimus, fidei Catholicæ in te vigentis habituri simus auxilium. Evidens enim ante hæc divinæ indignationis causa præcessit, ut ibi primum fides Romano Imperio frangeretur, ubi fracta est Deo. » S. Ambrosium sequitur Aretas in cap. XX *Apoc.* Qua de re S. Hieronymus Ambrosium in proœmio lib. XI *Comment. in Ezech.*, tacito nomine reprehendit.

Alii Gog et Magog Getas et Massagetas esse volunt, uti refert S. Augustinus, lib. XX *De Civit.* cap. XI.

Nona, esse hæreticos. *Nono*, S. Hieronymus sentit Gog esse hæresiarchas, Magog esse illos, qui eis credunt.

Decima, esse omnes Ecclesiæ persecutores. *Decimo*, S. Augustinus, lib. XX *De Civit.* XI, per Gog et Magog non certas gentes, sed generaliter omnes Ecclesiæ persecutores accipit. Nam Gog, ait, hebraice idem est quod tectum, sive domus : Magog idem est quod de tecto, sive ille qui de domo procedit. Gog ergo sunt gentes, in quibus veluti in domo et abysso diabolus est inclusus; Magog est diabolus, qui de illis gentibus quodammodo se effert et procedit : vel Gog sunt gentes, in quibus nunc includitur et tegitur diabolus; et eædem gentes erunt Magog, id est de tecto, quando in apertum odium, de operto erupturæ sunt. Ita Augustinus. Verum Gog non fore diabolum, patet ex *Apoc.* XX, ubi S. Joannes dicit quod diabolus suscitabit Gog; non ergo Gog est diabolus.

Pro responsione, nota ex S. Augustino, Areta, Primasio, Ruperto, Anselmo et aliis passim, Gog et Magog futuros tempore Antichristi : unde Ezechiel ait eos fore tempore novissimo, et patet *Apoc.* XX, 7 et 11.

Respondeo Gog erit dux exercitus Antichristi. Dic ergo prælium Gog esse prælium Antichristi contra Ecclesiam, esseque novissimam persecutionem. Ita S. Augustinus et alii.

Secundo, Gog videtur esse ipse Antichristus, ut volunt Lyranus, Vatablus et Paulus Burgensis : vel potius primarius ejus rex, et belli dux : Magog erit exercitus ejus, quia Ezechiel semper Gog vocat principem, Magog vero vocat terram, vel gentem. Ita Cardinalis Bellarminus, lib. III *De Pontif.* cap. XVII, Gregorius de Valentia et alii. Gog enim sepelietur in terra Israel ad orientem maris, cum Antichristus vivus sit rapiendus ad inferos, ut ait S. Joannes *Apoc.* XIX, in fine. Rursum Gog hic vocatur princeps Mosoch et Thubal : Antichristus autem multo plurium nationum erit princeps.

Tertio, Gog dicitur a Magog, quia princeps erit gentis Magog. Hoc licet non sit certum, probabile tamen est, videturque id innuere Ezechiel hoc cap. XXXVIII, 2. Huic sententiæ favet, quod etiamnum Tartari suos principes vocent *Gog*, ut *Gog Chan*, *Gog Elp*; pro *Gog* Turcæ dicunt *Kioc*, vel *Gioc*, Mogores *Gio*. Unde modernus Mogorum princeps, Echari filius, qui a Tamberlane directa generationis linea septimus descendit, vocatur *Sciegio*, *q. d. Scieci Gog*. Ita epistolæ Mogoricæ, et Leunclavius in *Turcico Pandecte*, cap. I, ac ex iis noster Nicolaus Serarius in *Tobiæ* cap. XIV, Quæst. IV.

Magog erunt Scythæ, Turcæ, Tartari, etc. *Quarto*, exercitus Antichristi dicitur Magog, quia constabit Scythis, Turcis, Tartaris; vel quia barbarus erit et crudelis instar Scytharum; nam Magog esse Scythas colligitur ex *Genes.* X, ubi filius Japhet vocatur Magog, a quo inhabitatam et nominatam Scythiam docent Josephus, lib. I *Antiq.* XI, et Hieronymus in *Quæstionibus hebraicis in Genes.* Unde et socii Gog, quos hic nominat Ezechiel, scilicet Gomer, Thogorma, Mosoch, Thubal, filii sunt vel nepotes Japhet, a quibus aliæ gentes nomen sunt sortitæ, ut Thubal sint Iberi, Thogorma Phryges, Mosoch Cappadoces. Hujus sententiæ sunt Theodorus Dorotheus in *Synopsi*, Eucherius, lib. II *in Gen.* cap. X, et multi recentiores, qui Josephum, lib. I *Antiq.* cap. VI, ducem sequuntur. Hi enim censent Gog et Magog Scythas

esse, qui trans Caucasum montem et Mœotidem paludem, prope mare Caspium, ad Indiam usque tenduntur. Hos enim dici Magog, a Magog filio Japhet, qui eas terras primitus habitavit. Hinc rursum Ezechiel hoc cap. XXXVIII, 15, dicit Gog et Magog venturos ex Aquilone; in Aquilone autem habitant Scythæ et Tartari : et hi fuerunt milites Tamberlanis, qui quasi alter Antichristus, innumerabili suo exercitu omnia vastavit.

Dices : *Apoc.* XX, 7, dicitur quod Satanas seducet gentes quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog et Magog : ergo Gog et Magog sunt gentes ex quavis mundi plaga. Ita S. Augustinus.

Respondeo : Sensus S. Joannis est, Satanas seducet omnes gentes, qui etiam Gog et Magog, τὸν Γὼγ καὶ τὸν Μαγὼγ, id est ipsum Gog et ipsum Magog. S. Joannes enim Magog non accipit ut terram, uti facit Ezechiel, sed ut populum, vel populi principem. A terra enim Magog incolæ ejus, æque ac princeps vocabuntur pariter Magog. Hæc enim terra proprium habebit principem, minorem tamen, et, ut videtur, subditum ipsi Gog. Gog enim ab Ezechiele hoc cap. XXXVIII, 2, vocatur « princeps capitis Mosoch et Thubal, » ejusque ditio primaria vocatur « terra Magog. » Videntur ergo Gog et Magog fore reges et gentes maxime feræ et fortissimæ ex septem illis regibus, qui erunt in fine mundi, quique videntes stragem trium regum, sponte se subdent Antichristo, de quibus *Apoc.* XVII, 12 et seq. Ita Ribera in *Apoc.* XX, num. 60, aut certe, ut idem ait num. 63 : Sensus est, *q. d.* Seducet gentes multas, quæ sunt in quatuor angulis terræ : Gog, inquam, regem, et Magog. Nam cum eis veniet multitudo magna hominum ex quatuor orbis partibus; ut Persæ ab Oriente, Æthiopes ab Occidente, Libyes a Meridie, Gomer et Togorma ab Aquilone.

Quinto, exercitus Gog et Magog venient ad Antichristum in Jerusalem, ut in ea totaque Judæa fideles et christianos deleant. Confluent enim undequaque christiani et gentiles Hierosolymam, ut audiant Eliam et Enoch in ea concionantes. Et hoc significat S. Joannes, *Apoc.* cap. XX, cum ait vers. 8 : « Et ascenderunt (Gog et Magog) super latitudinem terræ, et circuierunt castra Sanctorum, et civitatem dilectam, » Hierosolymam scilicet. « Castra Sanctorum, » vocat receptacula et latibula Sanctorum; non enim verisimile est oppressos christianos habituros militaria castra sub Antichristo potentissimo, quibus, collatis signis cum Antichristo, totoque ejus exercitu, confligant. Unde subdit S. Joannes, quod juxta Hierosolymam de cœlo pugnabit contra Antichristianos hos Christus, omnesque disperdet in loco, qui inde hebraice dicetur Armageddon, *Apoc.* XVI, 16, *q. d.* Anathema excidii, id est plenum excidium. Addo tamen fore aliqua eorum castra, qualia habuerunt Machabæi sub Antiocho, qui fuit præcursor Gog et Antichristi. Id patebit cap. seqq. vers. 4.

De Gog et Magog plura dicam cap. XXXIX. in fine capitis.

2. PONE FACIEM TUAM (converte te, et libere vaticinare) CONTRA GOG, TERRAM MAGOG. — Syrus vertit : *Pone faciem super* (contra) *Gog, et super terram Magog, gubernatorem* (ducem, principem), *et caput Mosoch et Tubel.* Arabicus Antiochenus : *Festina, et exi super terram, et fac ducem* (gubernatorem), *quia non habet principem, et Thubal.* Textus hic videtur corruptus. Arabicus Alexandrinus : *Pone faciem tuam ad Agog, et terram Magog, judicem Mosoch et Tebal.* Vers.

3. PRINCIPEM CAPITIS MOSOCH ET THUBAL, — *q. d.* Vaticinare contra Gog, qui erit princeps et imperator regis Cappadociæ et Hispaniæ. Caput enim est rex, Mosoch est Cappadocia, Thubal Hispania, uti ex Josepho dixi, cap. XXVII, 13. Unde Hector Pintus opinatur fore, ut rex Hispaniæ subjiciatur Antichristo, ejusque exercitus ex Hispanis, æque ac ex aliis gentibus confletur. Cardinalis vero Bellarminus, lib. III *De Pontif.* cap. XVII, et Pineda, lib. IV *De Rebus Salomon.* cap. VII, putant Hispanos Occidentales, eosque qui in Peru et Americam transmigrarunt, fore in exercitu Antichristi, idque ex eo quod *Apoc.* cap. XX, 7, dicatur, has gentes fore « super quatuor angulos terræ. » Quanquam alii per Thubal melius nec Hispanos, nec Italos, ut vult Vatablus, sed Iberos, quasi Ibelos, qui Scythis vicini sunt, intelligant, de quibus dixi *Genes.* X, 2. Est enim Iberia aquilonaris regio juxta Pontum, inter Colchidem et Armeniam, quæ Caucasiis montibus circumdatur, a quibus profecti dicuntur quidam, qui in Hispaniam venerunt: unde et ipsa paulatim Iberia dicta est. Iberia enim hic vocatur Aquilonaris, qualis non est Hispania. Ita Ribera, *Apocal.* cap. XX, num. 61, et Maldonatus hic. Nota : Gog proprie erit princeps terræ, et gentis Magog : Magog autem, Mosoch et Thubal erunt tria ampla regna, sicut eorum duces et primi incolæ Magog, Mosoch et Thubal fratres erant, *Gen.* X, 2. Hæc ergo regna singula suos habebunt reges; sed omnium princeps et imperator erit Gog, qui proinde vocatur *princeps capitis*, id est princeps summus, uti vertit Chaldæus. Hinc de tribus hisce quasi de uno tantum loquitur, eumque Gog appellat nomine communi. Ita Maldonatus. Sic ergo verba textus connectenda et exponenda sunt, *q. d. Pone faciem tuam contra Gog*, ejusque *terram Magog*, contra *principem*, inquam, *capitis Mosoch et Thubal, q. d.* Pone faciem contra Gog, qui erit proprie princeps terræ Magog; sed princeps capitalis, id est imperator, erit regionum Mosoch et Thubal. Sic enim se explicat Propheta cap. seq. vers. 1, dicens : « Ecce ego super te Gog principem capitis Mosoch et Thubal. » Certum ergo est ipsum Gog, non alium, ut aliqui putant, fore summum principem Mosoch et Thubal. Vers. 3. Thubal an Hispania?

4. CIRCUMAGAM TE, — ita et Septuaginta, idque melius quam Chaldæus, qui vertit, *decipiam te*; et

R. David, qui vertit, *conteram te*. Sensus est, *q. d.* Ego te, o Gog! quasi equum effrenem et indomitum frenabo, ut nil facias, nulli noceas, nisi cui voluero, vel permisero.

EDUCAM TE — de terra tua, tanquam equum de stabulo injecto freno, et extra terram tuam perdam te. Cædetur enim Gog cum Antichristo juxta Jerusalem, ut patet *Apoc.* XX, 8 et 9.

VESTITOS LORICIS. — Vatablus, *indutos panoplia*, id est omni armorum genere a capite ad pedes; gallice, *de pied en cap.*

6. GOMER, — id est Galatæ. Ita Josephus, I *Antiq.* VI; Theodoretus, Vatablus et *alii* (1).

THOGORMA. — Chaldæus et Vatablus, *Germaniæ*. Scholiastes Armenios accipit, aut Cappadocas et Galatas. Melius alii Phryges accipiunt. Ita Joseph et alii. Sic et Sibylla, lib. III *Oracul.*, varias gentes cum Gog venturas et cædendas edicit :

Vers. 6. Væ, væ tibi, Gog, et omnibus deinceps cum Magog, Marsog atque Angon : quanta tibi mala fatum affert! Multa etiam filiis Lyciorum, Mysorumque, Phrygumque, Multæ etiam Pamphyliorum gentes, Lydorumque cadent. Maurorumque, Æthiopumque, et gentium barbaræ vocis, Cappadocumque Arabumque, etc.

7. PRÆPARA TE — ad bellum. Est sarcasmus, sive hostilis irrisio, *q. d.* Compara te ad prælium; sed scito te in illo cædendum et periturum.

ESTO EIS IN PRÆCEPTUM, — præcipe, et impera tuo exercitui, duc illos quasi dux et imperator. Hebræus, Chaldæus et Septuaginta habent : *Esto eis in custodiam, q. d.* Frustra duces, et custodies; Deus enim cædet eos.

Vers. 7. 8. POST DIES MULTOS, — scilicet sub finem mundi, quod S. Joannes, *Apoc.* XX, 7, dixit : « Post mille, » id est multos, « annos. »

VISITABERIS, — punieris a Deo.

IN NOVISSIMO ANNORUM (prope diem judicii) VENIES AD TERRAM (id est adversus Ecclesiam), QUÆ REVERSA EST A GLADIO, — id est liberata a cædibus et persecutione, quas passa fuit a tyrannis. Vatablus et Pagninus vertunt : *Venies ad terram quæ contrita est gladio*, id est ad Ecclesiam sanguine Martyrum cruentam. Alludit ad Jerusalem, id est Judæos e Babylone reversos; Jerusalem enim est typus et symbolum Ecclesiæ. Adde, proprie venturum Antichristum et Gog ad Jerusalem, quia in Jerusalem regiam suam collocabit Antichristus, et juxta eam cum fidelibus confliget, ac cædetur. Hoc enim est quod ait S. Joannes, *Apoc.* cap. XX, 8 : « Et ascenderunt (Gog et Magog) super latitudinem terræ, et circuierunt castra Sanctorum (Christianorum), et civitatem dilectam (Jerusalem). Et descendit ignis de cœlo, et devoravit eos. »

Vers. 8. AD MONTES ISRAEL (id est in terram sanctam, scilicet, in Jerusalem venies. Aliter alii, *q. d.* Venies ad Ecclesiam quæ montibus Israel, id est sanctis Patriarchis et Prophetis, insita est per eamdem fidem) : QUI FUERUNT DESERTI JUGITER, — id est longo tempore, puta 70 annis captivitatis, *Jerem.* XXV, 12. Imo a Christo et Tito usque ad Antichristum, et fidem mundi per tot annorum centurias deserti et derelicti a Deo et hominibus fuerunt Judæi, æque ac Judææ montes.

HÆC (terra, i. e. incolæ terræ) DE POPULIS (multis) EDUCTA EST, — id est vocata est e Gentibus : vel « educta » e potestate Chaldæorum, aliorumque populorum et regnum infidelium, ita ut in ea cives confidenter ac secure habitent.

Vers. 9. 9. QUASI TEMPESTAS. — Pagninus, *velut multitudo aquarum*; alii, *uti inundatio aquarum, quæ veniunt cum impetu*; Pintus, *quasi desolatio*, aut *vastatio*. Duabus metaphoris, scilicet tempestatis et nubis, significat multitudinem et impetum Gog. Simile est *Daniel.* XI, 40, et *Jerem.* IV, 13.

Vers. 11. 11. DICES : ASCENDAM AD TERRAM ABSQUE MURO, — id est Ecclesiam et Judæam, ac Jerusalem invadam, quæ tunc erit muris et omni defensione et auxilio destituta.

Vers. 12. 12. UT INFERAS MANUM SUPER EOS QUI DESERTI FUERANT, ET POSTEA RESTITUTI — ut affligas christianos, qui in gentilitate deserti, postea a Christo gratiæ, Ecclesiæ et bonis omnibus sunt restituti. *Secundo*, et aptius ad præced. et sequent., *q. d.* Ut affligas christianos, qui in Judæa a Turcis oppressi et quasi deserti vixerunt; sed postea excusso Turcarum jugo suæ libertati sunt restituti. Unde videtur quod, sicut sub Godefrido Bullonio factum est, sic ante Antichristum terra sancta a Christianis recuperabitur. Aliter Maldonatus : Hebraice ait, est : *Ut reducas manum tuam*, id est, ut eos qui ante a Chaldæis spoliati fuerant, iterum spolies : aut mystice, ut eos qui sub diaboli captivitate fuerant, iterum in eamdem trahas : aut, ut eos non semel tantum, sed iterum atque iterum spolies.

QUI POSSIDERE COEPIT, — ex Hebræo vertas : *Qui facit pecudem et opes*, id est qui conquirit pecudes et opes. Per hæc duo omne genus divitiarum intelligit : veterum enim opes erant pecudes.

Mystice per opes virtutes et dona Spiritus Sancti accipe, quæ Antichristus, et Gog, ejusque ministri ex christianorum animis rapere conabuntur. Ita Maldonatus.

UMBILICI TERRÆ, — id est Judææ, quæ erat in medio terræ tunc habitatæ; præsertim quia ex Judæa cœpit christianismus, et inde christiani circumquaque propagati sunt toto orbe. Sicut enim infans per umbilicum sugit alimentum a

(1) Vel potius, Cimmerii gentes, maxime Aquilonares, quarum nomen æque late patet, quam Scytharum. Et Michaelis quidem in *Supplem.* pag. 333, Cimmeriam gentem illam denotari existimat, quæ inter Borysthenem olim et Tanaim, in Chersoneso, etiam Taurica habitavit, atque Bosphoro Cimmerio nomen reliquit. Ulterius etiam septentrionem versus sese extendisse Cimmerios, usque ad terras Europæ borealis, mari Baltico adjacentes existimat Haas, ex loco ad vers. 2. Verum sedes et fines illius populi nemo accurate definiverit.

matre : ita cæteræ gentes per Jerusalem suxerunt fidem, sapientiam, gratiam et salutem a Deo. Sic Cicero, Act. VI *in Verrem*, Ennam urbem, Siciliæ umbilicum vocavit, eo quod in medio insulæ sita esset. Sic Livius, lib. V, ait Ætolos incolere umbilicum Græciæ : sic Reate oppidum vocamus umbilicum Italiæ. Sic Cicero, lib. II *De Divinat.*, ait : « O sancte Apollo, qui umbilicum certum terrarum obsides. » Errant ergo Judæi, qui Jerusalem putant umbilicum terræ dici, eo quod altissima totius terræ sit urbs et regio.

Vers. 13. 13. SABA (id est Sabæi), ET DEDAN (id est Idumæi, ut patet ex cap. XXV, 13, et cap. XXVII, 15), ET NEGOTIATORES THARSIS. — Chaldæus, *maris*; Septuaginta, *Carthaginis*; alii, *Tharsi et Ciliciæ*.

LEONES. — Chaldæus, *reges*; Septuaginta et Theodotion vertunt, *villæ ejus*, quos S. Hieronymus taxat erroris : « Si enim כפיר *kephir*, inquit, per *iod* scribas, » uti hic scribitur, « appellatur catulus leonis; si autem sine *iod*, » et aliis punctis scribas legasque כפר *kepher*, « ager appellatur et villa. Unde et Capharnaum ager pulcherrimus dicitur. » *Kepher* enim agrum, נעים *naim* pulchrum significat.

Vers. 14. 14. CUM HABITAVERIT ISRAEL (id est, cum christiani quiete habitabunt in Terra Sancta, tunc) SCIES — et videbis quæ hic de te prædico, o Gog, impleri. Chaldæus : *Scies ultionem potentiæ meæ*; Septuaginta, *consurges*, scilicet contra eum, puta Israelem.

15. A LATERIBUS AQUILONIS, — ex Scythia; alii, ex Babylone.

16. TERRAM MEAM, — Judæam, quam quasi meam dedi patribus, et in qua ego Christus natus sum et vixi.

CUM SANCTIFICATUS FUERO IN TE, — scilicet te puniendo et occidendo, et christianos meos liberando. Tunc enim omnes sanctam Dei justitiam et misericordiam glorificabunt, eumque verum esse Deum agnoscent et colent.

Vers. 17. 17. IN MANU PROPHETARUM, — per Prophetas meos; Daniel enim, cap. VII, VIII et IX, Isaias, Jeremias multique alii quorum scripta non exstant, prophetaverunt de Antichristo ejusque exercitu.

Vers. 18. 18. ASCENDET INDIGNATIO MEA IN FURORE MEO, — id est indignatio mea furibunda, sive furor indignabundus. Asserit Deus se contra Ecclesiam valde indignaturum; quia ob fidelium peccata permittet eam graviter a Gog et Antichristo impeti et divexari. Unde erit :

Vers. 19. 19. COMMOTIO, — id est turbatio magna, vel terræ motus maximus, ut explicat Vatablus. Unde sequitur : « Et subvertentur montes, et cadent sepes, et omnis murus corruet in terra. » Ingens ergo, et a sæculis inauditus erit tunc terræ motus.

Vers. 20. 20. PISCES ET VOLUCRES. — Est hyperbole, *q. d.* Tanta erit calamitas et clades, tamque universalis, ut eam pisces et volucres persentiscere et turbari videantur. Nam, ut ait Plinius, lib. II, cap. LXXXIV : « Fiunt cum terræ motu et inundationes maris, eodem videlicet spiritu infusi, aut residentis sinu recepti. » Hic ergo spiritus commovet et alterat tam pisces in mari et aves in aere, quam homines et ea quæ sunt in terra, cum eam æque ac mare concutit. Hinc terræ motus *primo* vocatus est terripavium, *inde* terripudium, *deinde* tripudium, a pavio, id est ferio.

CADENT SEPES. — Chaldæus : *Cadent turres*; S. Hieronymus : *Cadent munitiones*, *q. d.* Sublatis omnibus præsidiis et munimentis, nihil uspiam erit tutum.

Tropologice, montes et sepes, id est magnates, præsules, concionatores elati et celebres cadent et cedent Antichristo.

21. EUM, — Gog, *q. d.* Concitabo alias gentes, aut potius ipsos ejus milites inter se tumultuantes contra Gog, qui eum cædant. Unde explicans, subdit :

GLADIUS UNIUSCUJUSQUE IN FRATREM SUUM DIRIGETUR, — id est faciam, ut milites Gog mutuis vulneribus se interficiant, sicut feci olim Philistæis, I *Reg.* XIV, 20, ut ita vires et castra Gog et Antichristi enervent.

22. ET JUDICABO (id est puniam Gog) PESTE, ET SANGUINE (id est cæde et strage), ET LAPIDIBUS IMMENSIS (Chaldæus et Septuaginta, *lapidibus grandinis*. Pluet ergo Deus de cœlo lapides et grandinem super Gog, item) IGNEM ET SULPHUR, — quæ damnatorum est pœna, ut gehennam suam hic inchoent. Hoc est quod canit Psaltes *Psalm.* X : « Pluet super peccatores laqueos : ignis, et sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum. » Porro constat aliquando pluisse lapides grandinis tantos, ut iis homines et animalia sternerentur et necarentur. Talis fuit grando in Ægyptum immissa per Mosen, *Exodi*, IX, 24, de qua dicitur : « Percussit cuncta quæ fuerunt in agris, ab homine usque ad jumentum. » De grandine rursum ait Sapiens, cap. V, 23 : « A petrosa ira plenæ mittentur grandines. » Talis fuit grando missa a Deo contra Amorrhæos, *Josue* X, 11 : « Et mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percusserant filii Israel. » Unde de eadem ait *Eccli.* cap. XLVI, 6 : « Audivit illum (Josue orantem) magnus et sanctus Deus in saxis grandinis virtutis valde fortis. » Talis erit grando in fine mundi, uti dicitur *Apocal.* cap. XVI, 21 : « Et grando magna sicut talentum descendit de cœlo in homines. » Plura ingentis grandinis exempla recensui, *Exod.* cap. IX, 24. Porro hæc de Gog et Magog congrue Scythis contra Theodosium pugnantibus, cœlitusque prostratis adaptavit Proclus Constantinopolis Archiepiscopus. Nam « dux illorum, nomine Rugas, fulmine moritur, et pestis subsecuta maximam eorum partem qui sub illo fuerant, perdit. Neque sic plaga quiescit, sed et ignis cœlitus delapsus multos e reliquis absumit, » ait Socrates, lib. VII, cap. XLIII. Gog enim et Magog erunt Scythæ, Tartari, etc.

Grandinis horribilis exempla.

23. SANCTIFICABOR — in sancta impiorum vindicta.

NOTUS ERO. — Chaldæus : *Manifestabo potentiam meam.*

CAPUT TRIGESIMUM NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit atrocitatem cladis Gog describere. Asserit ergo exercitum Gog cædendum in montibus Israel tanta strage, ut Judæi per septem annos ejus hastas et arma comburant, ab eaque vocetur vallis multitudinis Gog, *et civitas vicina* Amona, *id est turba, sive multitudo. Hinc secundo, vers.* 17, *omnes gentes et feras invitat ad epulum tot cadaverum, quasi ad victimam suam sanctam. Denique, vers.* 25, *cæso Gog, et Antichristo, Judæos ad Christum convertendos vaticinatur.*

1. Tu autem, fili hominis, vaticinare adversum Gog, et dices : Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego super te Gog principem capitis Mosoch et Thubal : 2. et circumagam te, et educam te, et ascendere te faciam de lateribus Aquilonis : et adducam te super montes Israel. 3. Et percutiam arcum tuam in manu sinistra tua, et sagittas tuas de manu dextera tua dejiciam. 4. Super montes Israel cades tu, et omnia agmina tua, et populi tui, qui sunt tecum : feris, avibus, omnique volatili, et bestiis terræ dedi te ad devorandum. 5. Super faciem agri cades : quia ego locutus sum, ait Dominus Deus. 6. Et immittam ignem in Magog, et in his qui habitant in insulis confidenter : et scient quia ego Dominus. 7. Et nomen sanctum meum notum faciam in medio populi mei Israel, et non polluam nomen sanctum meum amplius : et scient gentes quia ego Dominus sanctus Israel. 8. Ecce venit, et factum est, ait Dominus Deus : hæc est dies, de qua locutus sum. 9. Et egredientur habitatores de civitatibus Israel, et succendent, et comburent arma, clypeum, et hastas, arcum, et sagittas, et baculos manuum, et contos : et succendent ea igni septem annis. 10. Et non portabunt ligna de regionibus, neque succident de saltibus : quoniam arma succendent igni, et deprædabuntur eos, quibus prædæ fuerant, et diripient vastatores suos, ait Dominus Deus. 11. Et erit in die illa : Dabo Gog locum nominatum sepulcrum in Israel : vallem viatorum ad orientem maris, quæ obstupescere faciet prætereuntes : et sepelient ibi Gog, et omnem multitudinem ejus, et vocabitur vallis multitudinis Gog. 12. Et sepelient eos domus Israel ut mundent terram septem mensibus. 13. Sepeliet autem eum omnis populus terræ, et erit eis nominata dies, in qua glorificatus sum, ait Dominus Deus. 14. Et viros jugiter constituent lustrantes terram, qui sepeliant et requirant eos qui remanserant super faciem terræ, ut emundent eam : post menses autem septem quærere incipient. 15. Et circuibunt peragrantes terram : cumque viderint os hominis, statuent juxta illud titulum, donec sepeliant illud pollinctores in valle multitudinis Gog. 16. Nomen autem civitatis Amona, et mundabunt terram. 17. Tu ergo, fili hominis, hæc dicit Dominus Deus : Dic omni volucri, et universis avibus, cunctisque bestiis agri : Convenite, properate, concurrite undique ad victimam meam, quam ego immolo vobis, victimam grandem super montes Israel : ut comedatis carnem, et bibatis sanguinem. 18. Carnes fortium comedetis, et sanguinem principum terræ bibetis : arietum, et agnorum, et hircorum, taurorumque et altilium, et pinguium omnium. 19. Et comedetis adipem in saturitatem, et bibetis sanguinem in ebrietatem, de victima, quam ego immolabo vobis : 20. et saturabimini super mensam meam de equo, et equite forti, et de universis viris bellatoribus, ait Dominus Deus. 21. Et ponam gloriam meam in gentibus : et videbunt omnes gentes judicium meum, quod fecerim ; et manum meam, quam posuerim super eos. 22. Et scient domus Israel, quia ego Dominus Deus eorum, a die illa, et deinceps. 23. Et scient gentes quoniam in iniquitate sua capta sit domus Israel, eo quod dereliquerint me, et absconderim faciem meam ab eis :

et tradiderim eos in manus hostium, et ceciderint in gladio universi. 24. Juxta immunditiam eorum et scelus feci eis, et abscondi faciem meam ab illis. 25. Propterea hæc dicit Dominus Deus : Nunc reducam captivitatem Jacob, et miserebor omnis domus Israel : et assumam zelum pro nomine sancto meo. 26. Et portabunt confusionem suam, et omnem prævaricationem, qua prævaricati sunt in me, cum habitaverint in terra sua confidenter neminem formidantes : 27. et reduxero eos de populis, et congregavero de terris inimicorum suorum, et sanctificatus fuero in eis, in oculis gentium plurimarum. 28. Et scient quia ego Dominus Deus eorum, eo quod transtulerim eos in nationes, et congregaverim eos super terram suam, et non dereliquerim quemquam ex eis ibi. 29. Et non abscondam ultra faciem meam ab eis, eo quod effuderim spiritum meum super omnem domum Israel, ait Dominus Deus.

Vers. 1. 1. SUPER TE, — contra te scilicet veniam, ut te puniam.

PRINCIPEM CAPITIS, — id est summum principem. Aliter Vatablus, *q. d.* Qui es caput Mosoch, id est Cappadociæ, et Thubal, id est Italiæ. Vide cap. præced., vers. 2.

Vrs. 2. 2. CIRCUMAGAM TE. — Vatablus, *frangam*, vel *conteram te;* Pintus, *in frusta*, vel *scintillas redigam te.*

EDUCAM TE. — Pintus, *succidam te;* Chaldæus, *errare faciam te;* hebraice est ששאתיך *scisseticha*, id est *sextabo te*, quod exponit Pagninus, *q. d. Relinquam sextam partem ex te*, id est ex tuo exercitu, quia scilicet reliquias quinque interficiam (1). Melius R. Joseph, R. David, Vatablus et Maldonatus exponunt : *sextabo te*, id est sex plagis afficiam te, scilicet peste, sanguine, imbre, lapidibus grandinis, igne et sulphure, ut dixi cap. præced., vers. 22. Agit enim de pleno Gog excidio et interitu.

Vers. 3. 3. PERCUTIAM ARCUM IN SINISTRA TUA, — omnem potentiam et vires tibi auferam. Solent enim sagittarii arcum sinistra, sagittas dextra gestare. Unam speciem pro toto armorum genere ponit, *q. d.* Exarmabo te, excutiam arma e manibus tuis.

Vers. 4. 4. SUPER MONTES ISRAEL. — Hinc videtur quod contra Gog rex aliquis, vel plures principes christiani ingentem exercitum educent, et cum Gog in Judæa confligent, eumque cædent, ita ut cæsorum cadavera insepulta fiant præda avium et ferarum. Magis tamen id fiet armis Dei, quam fidelium : hoc est enim quod dicitur *Apoc.* XX, 9 : «Et descendit ignis a Deo de cœlo, et devoravit eos.» Et *Apocal.* XIX, 14 : « Exercitus qui sunt in cœlo sequebantur eum,» Christum scilicet euntem ad bellum contra Gog.

Vers. 6. 6. IMMITTAM IGNEM (fulmina et ignes de cœlo) IN MAGOG, — id est, in regionem et terram, æque ac in exercitum regis Gog : et in insulas, scilicet subjectas, vel confœderatas Magog.

Mystice, significat fore ut totum Antichristi regnum evertatur.

Vers. 7. 7. NON POLLUAM (non permittam pollui, id est profanari et blasphemari) NOMEN SANCTUM MEUM AMPLIUS, — ut per Gog et Antichristi victorias et impietatem hactenus pollui permisi.

Vers. 8. 8. ECCE VENIT, ET FACTUM EST, — *q. d.* Quod dico instat, et tam certo ac cito fiet, ac si jam factum esset. Nimirum mille anni apud Deum sunt, sicut dies una, II *Petr.* III, 8. Unde et S. Joannes, *epist.* I, cap. II, 18, hanc ultimam mundi ætatem vocat horam novissimam.

Vers. 9. 9. ET EGREDIENTUR DE CIVITATIBUS ISRAEL, — *q. d.* Cæso Antichristo, Gog omnique ejus exercitu, tanta erunt cæsorum spolia, hastæ et arma, ut Judæi ex omnibus urbibus confluant, ut ea diripiant, et septem annis sat habeant ad ea comburendum, nec alia lignatione et sylvis egeant. Vide *Apoc.* XIX, 17 et sequent (2).

Post An. Hinc apparet post mortem Antichristi dandos

(1) Vocem hebræam ששאתיך *schicheticha* quam vulgata vertit *educam te*, a שש *schesch sex* venire et per *sextabo te* vertendam esse interpretum haud paucorum opinio est, licet in interpretando non consentiant. Nam alii exponunt, ut supra videre est, relinquam sextam partem ex te; alii, *sextuplici pœna in te animadvertam.* Buxtorfius veriorem hujus vocis interpretationem educere conatur his verbis : « Sextabo te, id est hamo unco vel harpagone sextuplici (hoc est, sex uncis digitis ferreis constante), extraham te extremis aquilonis partibus. Triplici harpagone solent res in puteos aut profundas aquas delapsæ, investigari et extrahi : hic sextuplicem nominat, ut tanto certius hostem comprehendat et firmius retineat. Inde etiam ad damnatos aut reos adhibitos fuisse constat, unde illud Juvenalis (*Satyr.* X, 7) : « Impacto Sejanus ducitur unco. » Et Cicero, I *Philipp.* : « Uncus impactus est fugitivo illi. »

(2) Post partam victoriam hostilia arma priscis temporibus comburi solebant, ad quem morem et *Isaiæ* cap. IX, 4, 5, respicitur. Eumdem memorat Virgilius, *Æneid.* VIII, 561, ubi Evandrum ita loquentem inducit :

> O mihi præteritos referat si Jupiter annos
> Qualis eram, cum primam aciem Præneste sub ista
> Stravi, scutorumque incendi victor acervos.

Hoc traxit, inquit Servius, de historia. Tarquinius enim Priscus, victis Sabinis, in honorem Vulcani, eorum arma succendit, quem postea cæteri sunt secuti. Plura alia veterum scriptorum testimonia de illa consuetudine collegit Jac. Lydius in *Syntagm. de re militari*, lib. VI, cap. IV.

« Et succendent... baculos manuum. » In *Monumentis Ninives* a recentioribus et doctissimis Botta et Flandin descriptis, reipsa videre est viros bellatores longissimos, in manu baculos gestantes.

non tantum 45 dies, ut aliqui male colligunt ex *Daniel.* XII, 12, sed plures annos, ut ii, qui lapsi sunt sub Antichristo pœniteant, tumque post summam persecutionem erit summa Ecclesiæ pax. Ita H. Pintus, Ribera in *Apocal.* XX, num. 72, Lessius lib. XIII *De Attribut. divinis*, cap. XIX, sub finem, et alii. Non enim ait Ezechiel quod Judæi comburere poterunt, sed quod comburent de facto arma exercitus Gog cæsi, per septem annos. Rursum vers. 12 et 13, ait: « Post menses septem quærere incipient » reliquias cadaverum Gog, ut eas sepeliant. Ratio est: nam, ut ait Apostolus *Roman.* XIV, 25, tunc « omnis Israel salvus fiet: » ad hoc autem plus temporis requiritur. Adde, verisimile est tunc in Judæa rursum fundandas esse Ecclesias, et in Jerusalem tunc christiana tam Judæos quam gentiles Christum culturos, uti expresse docent Venerabilis Beda in *Lucæ* XXI, et Dionysius Carthusianus hic. Idque insinuatur *Apoc.* XX, 8. Lege ibi Pannonium. Denique Lyranus in I *Thessal.* V: « Doctores, inquit, et Sancti communiter dicunt quod, mortuo Antichristo, et falsitate ejus manifeste detecta, omnes gentes convertentur ad Christum. » Unde Sebastianus Barradius tom. III, lib. IX, cap. VII, concludit aliquot annos superfuturos esse ab Antichristi nece usque ad judicium. Deus enim Judæis, æque ac Gentibus tempus concedet ad conversionem, et ad fundationem Ecclesiarum, ut religio christiana apud eos stabiliatur. Quot autem præcise futuri sint anni, an septem, an plures, vel pauciores, non constat; præsertim cum per septem hosce annos Maldonatus et aliqui alii, non præcise septem, sed indefinite multos intelligant, ut numerus certus et definitus ponatur pro indefinito. Tantum enim per hæc omnia figurate significari putant, insignem fore stragem hostium et victoriam. Et sic sæpe alibi septenarius numerus tantum significat copiam et multitudinem. Sic ait vers. 12, « septem, » id est multis, « mensibus. » Quocirca Sibylla, lib. III *Oracul.*, docet, post mortem Antichristi, regnaturam feminam viduam, quæ aurum, argentum, æs et ferrum in mare projiciet, tumque secuturum finem mundi et diem judicii.

Fuit error Chiliastarum, sive Millenariorum, qui docebant quod post Antichristi persecutionem justi soli resurgerent, ut cum Christo regnarent mille annis in terra, et post hosce mille annos venturos Gog et Magog, ac bellum Ecclesiæ illaturos, atque tandem fore generalem resurrectionem et extremum judicium. Quin vero nonnulli Catholici, etsi Chiliastarum errori non subscribant, tamen quod attinet ad mille annorum designationem post mortem Antichristi, consentiunt cum Chiliastis. Inter eos est Joachimus Abbas, Ubertinus de Cassalis, Seraphinus de Fermo, Pannonius, atque aliqui alii scribentes in *Apoc.* XX, 6, ubi agitur de hisce mille annis. Verum hæc sententia improbabilis est, et caret fundamento, uti ostendam *Apocal.* XX.

10. NEQUE SUCCIDENT DE SALTIBUS. — Ita legendum cum Romanis, et hoc significat Hebræum חטב *tnatab.* Corrupte ergo hic legunt nonnulli *succendent.*

11. LOCUM NOMINATUM.—Legit Hebræus מקום שם *mecom scem*, id est locum nominis, id est nominatum. Sic et Septuaginta. Jam male aliis punctis legunt שם *scam*, id est *ibi*, *q. d.* Hic locus ex strage et multitudine hominum, quæ cum illo ibidem sepelietur, erit nominatus et celebris: vocabitur enim *polyandrion*, sive *vallis multitudinis Gog.* Syrus vertit: *Et vocabitur vallis* (vel torrens) *interitus* (perditionis) *Gog*; Arabicus: *Et vocabitur vallis perditionis Agog.*

VALLEM VIATORUM AD ORIENTEM MARIS, — *q. d.* Sepelietur superbus Gog veniens ex montibus, in valle Judææ frequenti et celebri, ut a quamplurimis sepulcrum ejus videatur, nimirum in valle, quia viatores venientes ab Oriente eunt ad mare, scilicet Mortuum, vel Tiberiadis potius. Hoc enim proprie dicitur mare Judææ. Ita Chaldæus, qui vertit, *ad mare Genesareth*; quod alio nomine, ab urbe vicina in honorem Tiberii Cæsaris ædificata, vocatur Tiberiadis.

Allegorice, hæc vallis est infernus, qua multi viatores, qui latam ineunt viam, pergunt. Hæc est ad orientem maris, quia ex ea oritur amaritudo, et in ea fons est amarissimus dolorum omnium.

QUÆ OBSTUPESCERE FACIET, — ob copiam sepulcrorum et sepultorum. R. David vertit: *Quæ vallis obturare faciet nares prætereuntium, ob intolerabilem putorem cadaverum.*

12. UT MUNDENT TERRAM, — scilicet a fœtore cadaverum.

Mystice, *q. d.* Laborabunt septem, id est multis mensibus, Catholici in opprimenda Antichristi et hæreticorum hæresi, ut Ecclesiam expurgent. Ita Maldonatus, licet ipse velit hunc sensum esse litteralem.

13. ET ERIT EIS NOMINATA DIES, IN QUA GLORIFICATUS SUM, — cædendo scilicet tantum exercitum Gog et Antichristi. Hic ergo dies celebris erit christianis, quia simul cum eo ejus hæreses et vitia exstirpabunt et sepelient fideles et prælati.

14. POST MENSES SEPTEM, — quibus cadavera sepelient, ut ait vers. 12, incipient quærere num quæ sepelienda restent.

15. CUMQUE VIDERINT OS HOMINIS, STATUENT JUXTA ILLUD TITULUM, — ut ex eo, quasi signo cognoscant esse os hominis, non bestiæ, illudque sepeliant.

POLLINCTORES, — id est qui curant funera, et cadavera sepeliunt: de quibus Martialis lib. X:

Jam scrobe, jam lecto, jam pollinctore parato.

16. NOMEN CIVITATIS (juxta quam sepelietur Gog cum suis, vocabitur) AMONA, — id est multitudo ejus. Septuaginta vertunt, πολύανδριον, id est *cœmeterium*, vel multitudo virorum sepultorum, ait S. Hieronymus. Scilicet ab hac cæsorum multitu-

dine vocabitur urbs vicina « Amona; » sicut vers. 11, dixit : « Vocabitur vallis multitudinis Gog. » Aliqui putant hanc urbem esse Jerusalem. Syrus vertit : *Et vocabitur nomen civitatis, fortis* (munita). Hebræum enim ⟨ם⟩ *aman* (unde *Amona*) significat firmare, munire, confirmare : unde *amen* est nota confirmationis. Arabicus Antiochenus : *Et vocabitur nomen civitatis, fortis* (gloriosa, illustris).

17. VICTIMAM. — *Victimam* vocat Deus magnam hostium stragem, quam justitiæ suæ quasi immolavit (1).

18. TAURORUMQUE ET ALTILIUM. — Hebraice, *taurorum et boum Basan,* id est qui in pingui regione Basan aliti, saginati et impinguati sunt. Ita Vatablus, qui per hos accipit magistratus, et eos qui aliquo publico officio functi erant in exercitu Gog. Sed hoc mysticum videtur, prius litterale (2).

20. SUPER MENSAM MEAM. — Mensam suam vocat Deus vallem illam plenam cadaveribus Gog.

21. ET PONAM (ostentabo) GLORIAM MEAM (inter gentes) ET MANUM ; — id est potentiam et vindictam meam, qua eos cecidi.

23. ET SCIENT QUONIAM IN INIQUITATE (propter iniquitatem suam, qua Christum occidit, capta et eversa sit) DOMUS ISRAEL, — id est Judæa per Titum, manseritque eversa et desolata usque ad Antichristi interitum, post quem videntes Judæi se ab eo jactante se esse Messiam delusos, omnes ad Christum convertentur. Et hoc est quod ait vers. 25 : « Nunc reducam captivitatem Jacob; » licet aliqui putent, quod ibi redeat ad liberationem e captivitate Babylonica. Sed prior expositio est genuina, et communior, quam et sequitur Adrianus Finus, lib. VII *Flagelli Judæorum,* cap. XV. Frustra ergo hoc loco abutuntur Judæi, ut suum judaismum tueantur. Objiciunt enim Catholicis : Promittit hic Deus nobis Judæis reditum e captivitate post cæsum Gog et Magog : ergo tum veniet Messias noster, qui Judæos et judaismum restituet. Respondeo negando consequentiam. Messias enim jampridem venit, et judaismum abolevit, ac novum Testamentum veteri surrogavit, uti ostendi *Daniel.* IX, 23, ex 70 hebdomadibus; et *Jerem.* XXXI, 31, ubi hoc novum Christi Testamentum promittitur; et *Gen.* XLIX, 10, ubi Jacob prædicit Messiam venturum, cum defecerit sceptrum de Juda : hoc autem deficit sub Herode; et alibi. Ad hæc, captivitas hæc romana Judæis accidit, ob spretum et occisum ab eis Christum, uti ostendi in Daniele, loco citato; ergo ut ab ea liberentur et redeant, debent prius per pœnitentiam redire ad Deum, et ad Christum ab eo missum, fierique christiani : quod facient in fine mundi. Deus enim pœnam non aufert, nisi prius auferatur culpa, quæ ejus est causa. Quamdiu ergo Judæi in judaismo, et in odio Christi manent, manent in culpa, ac consequenter manent in sua captivitate, quam non evadent nisi, relicto judaismo, Christum et christianismum amplectantur, quod fiet post cæsum a Christo Antichristum : tunc enim reliquiæ Israel ab eo deceptas se videntes, convertentur ad Christum, itaque salvæ fient. Et hoc est quod ait Daniel : « Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, et non erit ejus populus qui eum negaturus est. Et civitatem, et sanctuarium dissipabit populus (exercitus Titi) cum duce venturo; et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio, etc., et in dimidio hebdomadis (qua occident Christum), deficiet hostia et sacrificium : et erit in templo abominatio desolationis : et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio » templi, ac consequenter et judaismi. Adde hanc libertatem fore « in novissimo annorum, » uti dicitur cap. XXXVIII, 8. Erit ergo, non terrena, ut volunt Judæi, sed spiritalis et cœlestis, scilicet quæ hic inchoetur per gratiam, et mox in cœlo perficiatur per gloriam.

25. ASSUMAM ZELUM, — zelabor populi mei Judaici salutem, non propter eorum merita, sed propter me et nomen meum, ut nominer fidelis et misericors pater. Vers. 25.

26. PORTABUNT CONFUSIONEM SUAM, — quando cogitabunt se Christum occidisse, eum contumeliis et injuriis affecisse in judaismo, jam conversi ad Christum confundentur. Vers. 26.

27. REDUXERO EOS DE POPULIS, — inter quos Judæi fuerunt dispersi tum per Titum, tum per Antichristum, reducam eos ad suas sedes, et ad Judæam, tum corporalem, tum potius spiritalem, id est ad Ecclesiam Christi. Vers. 27.

ET SANCTIFICATUS FUERO IN EIS, — cum sanctam meam misericordiam, uti ante justitiam, in eos ostendero et exercuero, itaque declaravero me esse Deum, cujus proprietas est esse sanctum. Quocirca Deum sanctificari in Scriptura est Deum ostendere se esse Deum : Deus enim est sanctus, et sanctitas ipsa infinita et increata per essentiam.

29. SPIRITUM, — gratiæ, justitiæ, sanctitatis; Chaldæus, *Spiritum Sanctum;* Septuaginta vero, *furorem,* scilicet quem effudi in Judæos, ob eorum scelera. Vers. 29.

Ex his duobus capitibus, et ex cap. XIX *Apoc.,* vers. 11 et seq., et cap. XX, vers. 9, hæc certo colligimus de Gog et Magog :

Primo, eos fore exercitum Satanæ et Antichristi, qui pugnabit contra Christum et christianos. Hoc enim est quod dicitur *Apocal.* XIX, 19 : « Et vidi bestiam (id est Antichristum), et reges terræ, et exercitus eorum (Gog et Magog) ad faciendum

(1) Invitantur volucres rapaces et feræ bestiæ ad epulas, quas e cæsis Gogæis eis parabit Deus; vide supra vers. 4. Ex his liquet, quale futurum sit Gogi, et eorum qui illius se castris adjunxere sepulcrum, apertum nempe et subdiale, ita ut a bestiis et a volucribus lacerari cadavera possint. (Rosenmuller.)

(2) Nominibus animalium, quæ in altero hujus versus hemistichio legantur, varios hominum ordines indicari, docet parallelismus hemistichii prioris. Hinc Chaldæus pro *arietum, agnorum, hircorum, taurorum, etc.* posuit : *principum, ducum fortium,* et *opibus divitum.*

prælium cum illo, qui sedebat in equo (id est cum Christo, ut patet ibid. vers. 13) et cum exercitu ejus. » Et cap. XX, 7 : « Solvetur Satanas, et seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ, et Gog et Magog, etc., et circuierunt castra Sanctorum. »

Secunda. *Secundo,* fore plurimos, et quasi innumerabiles. Hoc est enim quod dicitur *Apoc.* XX, 7 : « Quorum numerus est sicut arena maris. » Rursum fore feros, et venturos ab Aquilone, ut dicitur *Ezech.* VII, 15, idque in fine mundi. Hoc est enim quod ibidem ait Ezechiel, vers. 8 : « In novissimo annorum veniet; » et S. Joannes, *Apoc.* XX, 7 : « Post mille annos solvetur Satanas, et seducet Gog. »

Tertia. *Tertio,* Jerusalem tunc redituram ad pristinum splendorem, et regni, et fidei, ita ut in ea plurimi sint fideles et christiani : quocirca in ea regiam sibi constituet Antichristus, ibique contra eum certabunt et prædicabunt Elias et Henoch, ut patet *Apoc.* XI, 8, ad quorum prædicationem multi confluent Hierosolymam, ac cum eis constanter, instar Machabæorum, opponent se Antichristo, qui suo exercitu Gog et Magog eos cinget, ut disperdat juxta Jerusalem : ibique Antichristus, Gog et Magog divinitus cædentur. Hoc est enim quod dicitur *Apoc.* XX, 8 : « Et ascenderunt (Gog et Magog) super latitudinem terræ, et circuierunt castra Sanctorum (Christianorum) et civitatem dilectam. Et descendit ignis de cœlo, et devoravit eos. »

Jerusalem erit regia Antichristi.

Quarta. *Quarto,* quod Deus e cœlo pluet in exercitum Gog et Magog lapides grandinis, pestem, ignem et sulphur, quibus eum conficiet, uti expresse dicitur *Ezech.* XXXVIII, 22. Rursum mittet in eos terræ motum horribilem, item terrorem et furorem panicum, ut se invicem mutua cæde trucident, ut ibidem dicitur vers. 21.

Quinta. *Quinto,* tantam fore stragem Gog et Magog, ut arma eorum Judæis fidelibus pro lignis ad comburendum per septennium sufficiant, utque omnes aves et feræ eorum cadaveribus se pascant.

Sexta. *Sexto,* quod ipsi cædendi et sepeliendi sunt juxta civitatem Amona, in valle multitudinis Gog, ut patet *Ezech.* XXXIX, 11 et 16.

Septima. *Septimo,* quod in hoc prælio cædetur ipse Antichristus, ejusque præcursor, sive pseudopropheta, ac uterque cœlitus deturbabitur ad tartara. Hoc est enim quod *Apoc.* XIX, 19, de hac pugna dicitur : « Et apprehensa est bestia (id est Antichristus), et cum eo pseudopropheta, etc., vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure. »

va

Octavo, quod post cædem Antichristi, Gog et Magog, Judæi ad Christum convertentur; et christiani lapsi in persecutione Antichristi ad Christum redibunt, tumque florebunt Christi fides et religio. Hoc est enim quod dicitur hoc cap. XXIX, 25. « Nunc reducam captivitatem Jacob, et miserebor omnis domus Israel, et assumam zelum pro nomine sancto meo, » etc.

Ex dictis patet, minus probabile videri, quod docet Pererius, Prologo *in Apoc.* disp. V, scilicet Gog et Magog fore post Antichristum; sextam enim persecutionem Ecclesiæ inferendam fore ab exercitu Antichristi : septimam vero ab Antichristi reliquiis, scilicet Gog et Magog. Scriptura enim significat ultimam fore persecutionem Antichristi, et in ea socios ei adjungit Gog et Magog.

Mystice, Gog et Magog, et Antichristi præcursores fuerunt hæretici, qui Ecclesiam oppugnarunt : ac proinde similiter ac illi a Deo puniti perierunt.

Arii et Arianorum, ac maxime Constantii Imperatoris quantus in Orthodoxos fuerit furor, tum S. Athanasius et alii, tum S. Hilarius scribens ad eum, ita enarrat : « Sacerdotes, ait, carceribus continentur, plebs in custodiam catenati ordinis constricta disponitur, virgines nudantur ad pœnam, sacrata Deo corpora publico exposita conspectui, ad fructum spectaculi et quæstionis aptantur. Cogunt nempe, non ut christiani omnes simus, sed ut ariani. » Quocirca Arius, vindice Deo, viscera sua (quibus filii in matris utero continentur, eo quod ipse in Filium Dei impius fuisset et blasphemus) in latrinis cum anima effudit.

Constantius mœrore pene periit, cum a Juliano Apostata cognato suo, quem Cæsarem constituerat, imperio et vita sensim se excludi videret. Constantius.

Valens Arianus, magnus Homousianorum persecutor, a Gothis rebellantibus victus, et in fuga graviter saucius, tuguriumque forte obvium ingressus, igne ab hostibus injecto vivus est concrematus : dignum profecto accipiens temporarii incendii ab iis exitium, quibus consiliarat æternum. Nam ipse Gothos antea a se debellatos fecerat Arianos. Valens.

Theodoricus, Gothorum rex arianus, Symmachum patricium, et Boetium senatorem, viros catholicos et virtute præstantes gladio trucidavit; quare moriens visus est sancto cuidam eremitæ discinctus et discalceatus, vinctusque manibus inter eos duci, ac projici in vicinam Vulcani ollam, ut ab illis significaretur in æternum missus ignem, quos hic iniquissimis judiciis oppresserat, uti narrat S. Gregorius in *Dialog.* Theodoricus.

Totila, Gothorum rex, invasit Italiam et Siciliam, sævus ubique, et sui in Ecclesiasticos crudelissimi odii passim vestigia relinquens : unde et Cerbonium Populonii Episcopum, quod milites Catholicorum excepisset hospitio, domique a supervenientibus Gothis occultasset et conservasset, ursis immanissimis objici jussit in theatro, in quo rex ipse spectator consedit. Deinde Perusium cepit, moxque tale sævitiæ præfecto suo dedit mandatum : « Episcopo (erat is S. Herculanus) prius a vertice capitis usque ad calcaneum e cute corrigiam tolle, et tum caput amputa : omnem vero populum, qui illic repertus fuerit, gladio perimito. » Quare merito a S. Benedicto audivit : « Multa mala facis, multa mala fecisti, jam ab iniquitate conquiesce. Equidem mare transiturus es, Romam ingressurus, novem annos regnabis,

decimo morieris. » Eo enim anno Narses exarchus ab Imperatore missus Gothos prælio cecidit, et Totilam interfecit. Vide S. Gregorium, III *Dialog.* XII et XIII, et lib. II, cap. XV.

Julianus Apostata Galilæorum (ita Christianos vocabat) hostis, cœlesti telo ictus, interiit, clamans : « Vicisti, Galilæe, vicisti. »

Quantas clades fidelibus intulerint Wandali ariani, eorumque rex Hunericus, videre est apud Victorem Uticensem tribus libris, quos de persecutione Wandalorum scripsit. At quis finis? Hunericus diu Sanctorum sanguine pastus, tandem a dæmone correptus, propriis se morsibus laniavit, ait Gregorius Turonensis, atque, ut auctor est Victor Uticensis, patefacto in secretioribus partibus corpore, scatens vermibus exspiravit.

Constantinus, qui ex fœdato, cum baptizaretur, fonte, Copronymus est dictus, juratus B. Virginis et SS. imaginum hostis, ac monachorum exterminator, cum 35 annos in hac sævitia regnasset, ardentissimis correptus febribus, desperabundus clamabat, vivum sese adhuc igni inexstinguibili traditum esse, postulavitque ut B. Dei genitrici (quam toties blasphemiis impetierat) suus restitueretur honos.

Aistulphus, Longobardorum rex, graviter diuque vexavit Ecclesiam, fideles occidit, destruxit templa, fidem datam rupit, minatus est se omnes Romanos uno gladio jugulaturum : minatus est et Stephano Papæ ac Pipino, tandem Romam obsedit. At quis finis? Audi Anastasium : « Infelix, ait, Aistulphus quodam loco in venationem pergens, divino ictu percussus defunctus est » anno Domini 756.

CAPUT QUADRAGESIMUM.

1. In vigesimo quinto anno transmigrationis nostræ, in exordio anni, decima mensis, quarto decimo anno postquam percussa est civitas : in ipsa hac die facta est super me manus Domini, et adduxit me illuc. 2. In visionibus Dei adduxit me in terram Israel, et dimisit me super montem excelsum nimis : super quem erat quasi ædificium civitatis vergentis ad Austrum. 3. Et introduxit me illuc : et ecce vir, cujus erat species quasi species æris, et funiculus lineus in manu ejus, et calamus mensuræ in manu ejus : stabat autem in porta. 4. Et locutus est ad me idem vir : Fili hominis, vide oculis tuis, et auribus tuis audi, et pone cor tuum in omnia, quæ ego ostendam tibi : quia ut ostendantur tibi adductus es huc : annuntia omnia, quæ tu vides, domui Israel. 5. Et ecce murus forinsecus in circuitu domus undique, et in manu viri calamus mensuræ sex cubitorum, et palmo : et mensus est latitudinem ædificii calamo uno, altitudinem quoque calamo uno. 6. Et venit ad portam, quæ respiciebat viam orientalem, et ascendit per gradus ejus : et mensus est limen portæ calamo uno latitudinem, id est limen unum calamo uno in latitudine : 7. et thalamum uno calamo in longum, et uno calamo in latum : et inter thalamos, quinque cubitos : 8. et limen portæ juxta vestibulum portæ intrinsecus, calamo uno. 9. Et mensus est vestibulum portæ octo cubitorum, et frontem ejus duobus cubitis : vestibulum autem portæ erat intrinsecus. 10. Porro thalami portæ ad viam orientalem, tres hinc et tres inde : mensura una trium, et mensura una frontium ex utraque parte. 11. Et mensus est latitudinem liminis portæ, decem cubitorum : et longitudinem portæ, tredecim cubitorum : 12. et marginem ante thalamos cubiti unius : et cubitus unus finis utrinque : thalami autem, sex cubitorum erant hinc et inde. 13. Et mensus est portam a tecto thalami, usque ad tectum ejus, latitudinem viginti quinque cubitorum : ostium contra ostium. 14. Et fecit frontes per sexaginta cubitos : et ad frontem atrium portæ undique per circuitum. 15. Et ante faciem portæ, quæ pertingebat usque ad faciem vestibuli portæ interioris, quinquaginta cubitos. 16. Et fenestras obliquas in thalamis, et in frontibus eorum, quæ erant intra portam undique per circuitum : similiter autem erant et in vestibulis fenestræ per gyrum intrinsecus, et ante frontes pictura palmarum. 17. Et eduxit me ad atrium exterius, et ecce gazophylacia, et pavimentum stratum lapide in atrio per circuitum : triginta gazophylacia in circuitu pavimenti. 18. Et pavimentum, in fronte portarum, secundum longitudinem portarum erat inferius. 19. Et mensus est latitudinem a facie

portæ inferioris usque ad frontem atrii interioris extrinsecus, centum cubitos ad Orientem, et ad Aquilonem. 20. Portam quoque, quæ respiciebat viam Aquilonis atrii exterioris, mensus est tam in longitudine, quam in latitudine. 21. Et thalamos ejus tres hinc, et tres inde : et frontem ejus, et vestibulum ejus secundum mensuram portæ prioris, quinquaginta cubitorum longitudinem ejus, et latitudinem viginti quinque cubitorum. 22. Fenestræ autem ejus, et vestibulum, et sculpturæ secundum mensuram portæ, quæ respiciebat ad Orientem : et septem graduum erat ascensus ejus, et vestibulum ante eam. 23. Et porta atrii interioris contra portam Aquilonis, et Orientalem : et mensus est a porta usque ad portam centum cubitos. 24. Et eduxit me ad viam australem, et ecce porta, quæ respiciebat ad Austrum : et mensus est frontem ejus, et vestibulum ejus, juxta mensuras superiores. 25. Et fenestras ejus, et vestibula in circuitu, sicut fenestras cæteras : quinquaginta cubitorum longitudine, et latitudine viginti quinque cubitorum. 26. Et in gradibus septem ascendebatur ad eam : et vestibulum ante fores ejus : et cælatæ palmæ erant, una hinc, et altera inde in fronte ejus. 27. Et porta atrii interioris in via australi : et mensus est a porta usque ad portam in via australi, centum cubitos. 28. Et introduxit me in atrium interius ad portam australem : et mensus est portam juxta mensuras superiores. 29. Thalamum ejus, et frontem ejus, et vestibulum ejus eisdem mensuris : et fenestras ejus, et vestibulum ejus in circuitu, quinquaginta cubitos longitudinis, et latitudinis viginti quinque cubitos. 30. Et vestibulum per gyrum longitudine viginti quinque cubitorum, et latitudine quinque cubitorum. 31. Et vestibulum ejus ad atrium exterius, et palmas ejus in fronte : et octo gradus erant, quibus ascendebatur per eam. 32. Et introduxit me in atrium interius per viam orientalem : et mensus est portam secundum mensuras superiores. 33. Thalamum ejus, et frontem ejus, et vestibulum ejus sicut supra : et fenestras ejus, et vestibula ejus in circuitu, longitudine quinquaginta cubitorum, et latitudine viginti quinque cubitorum. 34. Et vestibulum ejus, id est atrii exterioris; et palmæ cælatæ in fronte ejus hinc et inde : et in octo gradibus ascensus ejus. 35. Et introduxit me ad portam, quæ respiciebat ad Aquilonem : et mensus est secundum mensuras superiores. 36. Thalamum ejus, et frontem ejus, et vestibulum ejus, et fenestras ejus per circuitum, longitudine quinquaginta cubitorum, et latitudine viginti quinque cubitorum. 37. Et vestibulum ejus respiciebat ad atrium exterius : et cælatura palmarum in fronte ejus hinc et inde; et in octo gradibus ascensus ejus. 38. Et per singula gazophylacia ostium in frontibus portarum : ibi lavabant holocaustum. 39. Et in vestibulo portæ, duæ mensæ hinc, et duæ mensæ inde : ut immoletur super eas holocaustum, et pro peccato, et pro delicto. 40. Et ad latus exterius, quod ascendit ad ostium portæ, quæ pergit ad Aquilonem, duæ mensæ : et ad latus alterum ante vestibulum portæ, duæ mensæ. 41. Quatuor mensæ hinc, et quatuor mensæ inde : per latera portæ octo mensæ erant, super quas immolabant. 42. Quatuor autem mensæ ad holocaustum, de lapidibus quadris exstructæ : longitudine cubiti unius et dimidii : et latitudine cubiti unius et dimidii : et altitudine cubiti unius : super quas ponant vasa, in quibus immolatur holocaustum, et victima. 43. Et labia earum palmi unius, reflexa intrinsecus per circuitum : super mensas autem carnes oblationis. 44. Et extra portam interiorem gazophylacia cantorum in atrio interiori, quod erat in latere portæ respicientis ad Aquilonem : et facies eorum contra viam australem, una ex latere portæ orientalis, quæ respiciebat ad viam Aquilonis. 45. Et dixit ad me : Hoc est gazophylacium, quod respicit viam meridianam; sacerdotum erit, qui excubant in custodiis templi. 46. Porro gazophylacium, quod respicit ad viam Aquilonis, sacerdotum erit, qui excubant ad ministerium altaris; isti sunt filii Sadoc, qui accedunt de filiis Levi ad Dominum ut ministrent ei. 47. Et mensus est atrium longitudine centum cubitorum, et latitudine centum cubitorum per quadrum; et altare ante faciem templi. 48. Et introduxit me in vestibulum templi : et mensus est vestibulum quinque cubitis hinc,

et quinque cubitis inde : et latitudinem portæ trium cubitorum hinc, et trium cubitorum inde. 49. Longitudinem autem vestibuli viginti cubitorum, et latitudinem undecim cubitorum, et octo gradibus ascendebatur ad eam. Et columnæ erant in frontibus : una hinc, et altera inde.

SYNOPSIS CAPITIS.

Quanta obscuritas templi Ezechielis.

Ab hoc cap. usque ad finem libri tanta est obscuritas, et quasi inexplicabilis urbis et templi labyrinthus, quia inextricabilis, ut S. Hieronymus, de ejus intelligentia et explicatione desperans, manum hic de tabula tulerit, et commentarium suum hic abrupisset, nisi S. Eustochium eum pergere compulisset. Quocirca ipse hic sic orditur: « Trepidationem meam in explanatione templi Ezechielis, imo tacendi perseverantiam, tuæ, filia Eustochium, preces, et Domini promissa superarunt, dicentis : Petite, et accipietis; quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis. Et qua nos excusatione usi sumus, ut in calce anterioris voluminis diceremus: Melius est nihil quam parum dicere: tu eam vertisti in contrarium, ut referre putes saltem parum, quam nihil dicere: quia in altero prompta voluntas, in altero totius operis desperatio est. » Subdit : « Illud lecturo tota libertate denuntio, ut, si veritatem desiderat, eam quærat ab aliis. Nos autem ea quæ in opere difficillimo suspicari possumus, simpliciter confitemur atque dictamus. » Et S. Gregorius, initio lib. II *in Ezechiel.*: « Duo sunt, ait, quæ in hac re perturbant animum meum : unum, quod hæc eadem visio tantæ obscuritatis nebulis tegitur, ut vix in ea aliquid intellectui interlucente videatur. » Et inferius : « Obscurum quidem valde opus est, quod aggredimur; sed ponamus in animo, quia nocturnum iter agimus. Restat ergo ut hoc palpando carpamus. » Oremus igitur: « Revela, Domine, oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua. » *Abyssus* enim ignorantiæ et miseriæ nostræ, *abyssum* sapientiæ et felicitatis tuæ *invocat*. Hoc ergo capite ad finem usque libri, per novem capita, vidit Ezechiel ideam templi et urbis, in eoque ordinem et officia Levitarum, ritus et victimas a Deo præscribi, terramque Israel per tribus dividi.

Quodnam hoc templum? Judæi illud a Messia expectant. Refelluntur primo.

Quæres, quænam est hæc fabrica, quod templum, quæ civitas? Rabbini et Judæi, præsertim Romæ, accipiunt augustissimum templum et urbem ædificandam a Messia, quem ipsi exspectant: unde ipsi inferunt Messiam necdum venisse, quia necdum tertium hoc templum apparuit, necdum nova urbs eis a Messia reædificata est. Verum errare eos toto cœlo, patet *primo*, quia Daniel cap. IX, in fine, diserte docet eversionem et desolationem templi factam a Tito et Romanis, ob occisum a Judæis Christum, duraturam usque ad finem mundi : frustra ergo Messiam exspectant, qui hoc templum eis reædificet. Rursum experientia constat Judæos sub Juliano Apostata, et alias sæpius voluisse reædificare hoc suum templum, ac semper cœlitus a Deo fuisse prohibitos et impeditos. Signum ergo est, eos a Deo esse rejectos, eique exosos, una cum suo templo et sacrificiis.

Secundo.

Secundo, quia Aggæus, cap. II, 8 et 10, prædicit desideratum cunctis gentibus, hoc est Messiam, in templo illo quod tempore Aggæi a Zorobabele restaurabatur, versaturum, nimirum docturum et facturum miracula; ac proinde majorem fore gloriam domus istius posterioris, puta templi Zorobabelis, quam fuerit primæ, puta templi Salomonis. Ergo Messias jampridem venit, versatusque est in templo Zorobabelis, quod eversum est a Tito. Quocirca frustra exspectatur a Judæis Messias, quasi adhuc venturus, qui jam a 1600 annis venit.

Tertio.

Tertio, visionem hanc templi, et urbis novæ habuit Ezechiel anno 14 ab excidio Hierosolymæ et templi facto per Chaldæos, uti patet vers. 1, idque ad consolandum Judæos in Babylone captivos spe restaurationis Hierosolymæ et templi : ergo potius ejus restaurationem per Zorobabel, post paucos annos futuram, hic prophetat, quam futuram post duo et plura annorum millia a Messia, quem ipsi exspectant : illa enim vicina erat, instabatque, quam proinde ipsimet captivi, eorumque filii, erant visuri, eaque fruituri : hanc vero nec ipsi, nec filii, nec nepotes, nec abnepotes usque ad vigesimam generationem erant visuri. Quorsum enim Propheta prætervolaret et omitteret restaurationem templi instantem sub Zorobabele, quæ Judæis afflictis erat futura summæ consolationi, et, ea neglecta, avolaret ad restaurationem templi tam remotam, obscuram et incertam, quam afflicti Judæi non erant conspecturi, ac proinde parvam de ea consolationem et lætitiam accepturi? Accedit quod Isaias, Jeremias, Ezechiel aliique Prophetæ soleant consolari Judæos in Babylone captivos, promittendo eis liberationem vicinam per Cyrum, avolare ad Christum. Ergo idem facit hic Ezechiel.

Quarto.

Quarto, hæc non posse accipi de templo corporali et judaico, nec de Jerusalem terrestri, patet ex multis. *Primo*, quia cap. XLV et XLVIII, docet hoc templum fore extra urbem, et ab ea remotum fore quindecim millibus calamorum, id est viginti septem millibus passuum; ergo non agitur hic de templo Hierosolymitano, cum templum hoc a Jerusalem distet viginti septem milliaribus. *Secundo*, quia novæ hujus urbis accolas fore tam decem tribus quam duas, id est tam Samaritas quam Judæos, fuse docent cap. XLVII et XLVIII;

atqui constat decem tribus ex captivitate Assyriaca nunquam rediisse, nec unquam redituras, sed solum duas, uti Rabbini fatentur, omnesque Judæi, quibus Samaritæ ab olim sunt exosi : ergo hæc de Jerusalem terrestri, et de duodecim tribubus Israelis carnalis intelligi nequeunt. *Tertio*, cap. XLVII, vers. 8, docet Ezechiel aquas e templo egredi, easque ita crescere, ut transvadari nequeant, ac intrare in mare Mortuum, ejusque salsedinem edulcorare : atqui in Jerusalem et templo hæ aquæ nunquam visæ sunt, imo esse nequeunt : quæ enim aquæ edulcorarent totum mare Mortuum, quod de facto totus Jordanis in illud influens, dulcorare non potest? Similia sunt quæ cap. XLIV, 2, de porta orientali semper clausa, de arboribus utrinque ad aquas dispositis, et per singulos menses fructus proferentibus, aliisque plurimis hisce octo capitibus dicuntur, quæ clarum est corporaliter, et, ut sonant, accipi non posse.

Quinto. *Quinto*, hanc novam civitatem fore novi Testamenti, non veteris, docet diserte Jeremias cap. XXXI, conferendo versum 31 cum vers. 37. Unde et Ezechiel eam non vocat Jerusalem, sed « nomen civitatis ex die illa, Dominus ibidem, » ait ipse cap. XLVIII, vers. ult., quod proprie et plene soli Ecclesiæ christianæ competit (1).

Sexto, idipsum tandem rationibus hisce aliisque convicti fatentur ipsimet Rabbini, et nominatim R. Abba; et R. Salomon, teste Galatino lib. V, cap. XII, et Adriano Fino, lib. II *Flagelli Judæorum*, cap. VIII, qui et novam rationem afferunt : quia, inquiunt, alioquin sequeretur Jerusalem majorem fore toto orbe. Talis enim erit hæc Ezechielis urbs. Nam de ea dicitur cap. XLVIII, 35, quod erit octodecim millium, scilicet leucarum, uti ipsi et Judæi subaudiunt, de quo cap. XLVII, 22, et cap. XLVIII, 35.

Denique passim Rabbini dicunt initium prophetiæ Ezechielis, æque ac finem de novo templo et urbe, esse arcana, inexplicabilia, et a nemine intellecta; unde ipsi suis lectionem horum capitum interdicunt. Quomodo ergo ipsi hæc inexplicabilia de templo materiali a Messia ædificando explicare audent? Quomodo ex re obscura, quam se non intelligere fatentur, argumentum pro suo judaismo contra Christum formare præsumunt? Nimirum cæci sunt, et duces cæcorum : cæca ergo eorum argumenta cæcis relinquamus. Judæis itaque confutatis et rejectis :

Respondet S. Hieronymus templum hoc Ezechielis esse Ecclesiam : « Nec hoc, inquit, de illo tempore dicitur, quod quidam imperiti Judæorum volunt, quando sub Zorobabel, et sub Jesu filio Josedec sacerdote magno templum exstructum est. Hoc enim templum, quod nunc describitur, et ordo sacerdotii, terræque divisio, et fertilitas multo augustius est, quam fuit quod Salomon exstruxerat. Illud autem quod ædificatum est sub Zorobabel, in tantum parvum erat, et prioris comparatione nihili, ut qui prius templum viderant, ac postea hoc aspiciebant, ejularent, doloremque suum lacrymis testarentur, et multo major esset clamor ululantium, quam clangor tubarum. » Et inferius : « Mihi legenti descriptionem templi mystici, quod Judæi secundum litteram in adventum Christi sui, quem non esse Antichristum comprobamus, putant ædificandum, et nos ad Christi Ecclesiam referimus, et quotidie in sanctis ejus ædificari cernimus, accidit, » etc. Et S. Gregorius *hom.* 13 et sequent., et Maldonatus, Pintus, Dionysius, Isidorus Viegas *in Apocal.*

(1) Subjicimus quamvis non admittendam judicemus sententiam Dathii, quæ hac extrema libri parte Ezechielem non tam *prædicere*, quid futurum sit, quam *præcipere* existimat quid fieri debeat, si totus populus, omnes tribus in patriam redierint. Nihil in tota descriptione exstat, inquit, quod non potuisset executioni dari, si modo omnes rediissent, et terram a Deo eis concessam occupassent. Recte huic sententiæ objicit Rosenmuller, nunquam tamen illi, si vel maxime moliti essent, potuisse efficere quæ cap. XLVII de *admirando flumine* leguntur, et alia quæ ipse infra refert Cornelius. Sed quam ipse a vero longe aberrat Rosenmuller, qui cum non potest, inquit, non maximam partem vehementer probare quæ de hac Ezechielis visione Hieronymus dicit, scilicet Prophetam non respicere in sua descriptione templum sub Zorobabele extructum, simulque his verbis interpretationem allegoricam *de Ecclesia Christiana* rejicit; « hæc interpretandi ratio quantum habeat arbitris atque ambigui, neminem sanioris artis hermeneuticæ præceptis imbutum latere existimo. » Indeque concludit cum Dathio, mysticas illas et allegoricas explicationes ita arbitrarias esse atque contortas ut mirum esse possit, placere ea potuisse aut vera videri viris doctis, nisi ex aliis exemplis constaret, quantum semper ingenium judicio prævaleat apud eos, qui sensum mysticum ubique versantur. Mirandus sane hic loquendi modus, si non optime sciremus ipsi quantum apud rationalistas exegetas, fidei et traditioni prævaleat sensus proprius, in interpretatione Scripturæ, nihil nisi meram rationem sequens. Sed aliis prætermissis, si sensus mysticus seu allegoricus rejiciendus est, quid ergo significant hæc verba B. Pauli : « Omnia in figura contingebant illis. » Quid fiet de tam multis locis veteri Testamenti eo sensu ab apostolis et ab ipso Christo interpretatis, etc.?

Cæterum qui plura desideraverit de hac ultima et intricata Ezechielis parte, consulere et evolvere poterit libros sequentes, quorum auctores huic postremæ parti singularem operam impenderunt. » Præter Vilalpandum et Prado a Cornelio sæpe in medium productis opera sequentia, licet aliquando acatholicis interpretationibus aspersa : *Templum Ezechielis, sive in* IX *postrema Prophetæ capita commentarius...* in Academia Tubigensi elaboratus per Matthiam Hafenrefferum, SS. Theologiæ doctorem; opus germanica lingua editum de eodem argumento a Campegio Vitringa, cujus librum et Schultens maxime probavit in *Laudatione funebri Vitringæ;* Leonardi Christophori Sturmii *Sciagraphia templi Hierosolymitani ex ipsis Sacrarum Litterarum fontibus præsertim ex Ezechielis visione ultima, etc. cum animadversionibus in Vitalpandum, et figuris in æs incisis;* Joa. Meyeri *Dissert. Theolog. qua propheticas visiones Ezechielis de templo urbes, etc. nondum impletas, sed implendas esse perspicue demonstratur,* 1707; *Refutat. J. Meyeri, impressa disputatio de propheticis visionibus Ezechielis,* etc. a J. Christ. Klemmio, Tubing. 1733.

cap. XII, Comm. III, sect. XXII, Barradius lib. II *Proleg.* cap. VI, et Antonius Fernandius, *visione* XVIII, sect. IV, ubi docet, per templum et urbem Ezechielis significari duplicem in Ecclesia Christi principatum, Ecclesiasticum et sæcularem.

Unde Alcazar, in *Apocal.* III, vers. 12, notat. 2, pag. 308, plane contendit hoc templum Ezechielis aliud esse a Salomonico (licet eo alludat) esseque mysticum et spiritale. Nam hoc Ezechieli cap. XLV et XLVIII, visum fuit extra urbem quindecim millibus calamorum, quæ faciunt viginti septem passuum millia, atque in eo commutatur sors Judæ, Benjamin et aliarum tribuum. Itaque censet ipse Judæam hic esse Ecclesiam : urbem, quam in ea vidit Ezechiel, esse Romam, non Jerusalem; unde ejus nomen est : « Dominus ibidem » est, scilicet in suo vicario Romano Pontifice : templum, esse monasteria, virosque religiosos, qui a Roma separati sunt, non tam loco quam mente, actione et contemplatione, ut se totos Deo consecrent.

Respondeo esse templum Salomonis restaurandum per Zorobabel.

Nihilominus respondeo, et dico *primo*, post captam a Chaldæis Jerusalem, et exustum templum Salomonis, quæ huc usque partim prædixit, partim jam facta enarravit Ezechiel, hoc cap. et seq. illud idem templum describit, ut patet cap. XLI, 1, 4 et sequent. : « Hoc est, ait, Sanctum sanctorum, » etc. Unde et hoc Ezechielis templum eamdem habet figuram et dimensionem (licet id negare videatur S. Hieronymus in cap. XLIII) cum templo Salomonis, scilicet Sanctum sanctorum utrobique longum, latum et altum est cubitis 20; Sanctum, latum 20, longum 40; vestibulum, longum 20, latum 11; atrium populi undique ambiens atrium sacerdotum et Sanctum, ac Sanctum sanctorum, 500 erat cubitorum longitudine, et 500 in latitudine, atrium voco murum extimum atrii. Sic murus atrii Gentium erat 600 cubitorum. Quocirca cap. XL, 1, de veteris urbis eversione mentionem facit, ab eaque hujus prophetiæ exordium sumit, quasi significare volens se de ejus restauratione agere. Unde et eodem loco, id est in monte Sion, templum hocce suum collocat. Denique ita urbem Jerusalem, Sanctum, Sanctum sanctorum, atrium triplex, exedras, gazophylacia, sacerdotes, levitas, oblationes, victimas depingit, et minutatim dimetitur, idque tam fuse, operose et exacte, ut non aliud quam templum Hierosolymitanum hic agnoscere possimus. Nota : Apposite Ezechiel uti cœpit a templo, ita finit in templo. Cœpit enim a visione currus Cherubim : vidit enim, cap. I, Deum prodeuntem e templo suo cœlesti, et vectum curru Cherubico pergere ad excidium urbis Jerusalem et templi : hic vero videt eumdem eadem restaurare, ac novum templum condere, tum materiale per Zorobabel, tum potius spiritale et mysticum (puta Ecclesiam) per Christum. Quocirca currus Cherubim speciem habebat templi : solium enim repræsentabat propitiatorium cum arca : utrique enim insidebat Deus; qui proinde ante se habebat arulam cum igne, uti in templo habebat ante se altare thymiamatis, ejusque ignem et incensum : Cherubini utrobique iidem sunt.

Hoc ergo templum Salomonis ostensum est hic Ezechieli describendum, *primo*, ad hoc, ut moveret populum ad pœnitentiam, ob cujus peccatum templum hoc erat eversum, ut patet cap. XLIII, vers. 10.

Secundo, ut eos in captivitate tot ærumnis afflictos consolaretur, et in spem erigeret templi reædificandi, ac consequenter reipublicæ et Ecclesiæ ac religionis restaurandæ. Hinc Leviticam hierarchiam, ritus sacrificiorum, et Judææ divisionem præscribit et instaurat, cap. XLIV et seq.

Tertio, ut ejus jam prorsus aboliti et eversi septuaginta annis (ita ut nemo superesset, qui ejus formam mente retineret, ut eam architectis plane et plene delineare posset) ideam, et quasi ex prototypo paragogum præscriberet, ut patet cap. XLIII, 13; quam ideam secuti sunt Zorobabel, Aggæus et Zacharias, cum illud reædificarunt. Id ita esse diserte docet ipse Ezechiel, cap. XLIII, ubi, postquam fabricam templi tribus præced. cap. descripsisset, et dimensus esset, subdit vers. 7, se audisse a Deo in templo hoc consistente : « Fili hominis, locus solii mei (supple hic est), et locus vestigiorum pedum meorum, ubi habito in medio filiorum Israel in æternum; et non polluent ultra domus Israel nomen sanctum meum. » Et vers. 9 : « Nunc ergo repellant procul fornicationem suam, et ruinas regum suorum a me; et habitabo in medio eorum semper. Tu autem, fili hominis, ostende domui Israel templum, et confundantur ab iniquitatibus suis, et metiantur fabricam (ut eam reædificando templum sequantur, et fabricando reipsa exprimant) : figuram domus, et fabricæ ejus exitus, et introitus, et omnem descriptionem ejus, etc., ostende eis, et scribes in oculis eorum, ut custodiant (in ejus reædificatione) omnes descriptiones ejus. » Quid clarius? Ita veteres Hebræi, Theodoretus et fuse Vilalpando, et Ribera, lib. I *De Templo*, cap. XXVII, quin et S. Chrysostomus, homil. 17 *in epist. ad Hebræos*, ac Richardus Victorinus, lib. *De Ezechielis templo*, item Lyranus, Hugo Cardinalis et alii, ac Torniellus in *Chronol.* anno mundi 3460.

Dices *primo* : Templum Zorobabel non fuit tam augustum quam Salomonis, ut patet *Aggæi* II, 3 et lib. *Esdræ* III, 11. Ita S. Hieronymus.

Respondeo : Fuit tam augustum quoad figuram, dispositionem, fabricam, quæ sola hic describuntur, non autem quoad materiam auri, lapidum, omnemque ornatum.

Dices *secundo* : Salomonis templum altum fuit cubitis 120, ut patet II *Paralip.* III, 4; Zorobabelis vero tantum cubitis 60, ut patet I *Esdræ* VI, 3.

Respondeo illam fuisse Cyri dispositionem, cui Judæi ejus offensam verentes, non contradixerunt, et hac parte non assecuti sunt ideam Salomonis et Ezechielis; uti nec ornatum, magnifi-

centiam, opulentiam. Verebatur enim Cyrus ne Judæi arcem facerent ex templo, et res novas molirentur ac rebellarent. Herodes tamen, qui Zorobabelis templum restauravit, fecit illud 120 cubitorum in altitudine, teste Josepho, lib. XV *Antiq.* cap. XIV. Aliam causam dat Lyranus in fine libri: ait enim Deum non omnia explesse, quæ in hac idea præscribit: quia hæc promissio templi ut urbis reædificandæ facta fuit sub conditione, hac videlicet, si Judæi servirent Deo ut debebant: hoc autem illi non præstiterunt. Nam multi manserunt in Babylone, nolentes reverti in Judæam: alii duxerunt uxores alienigenas, I *Esdræ* IX; alii deflexerunt ad idololatriam sub Antiocho Epiphane, ut patet ex libris *Machab.* Quocirca Deus quoque non explevit hanc perfectam suæ ideæ fabricam. Sicut primitus sub Josue Hebræis non dedit totam terram promissam, sed tum ob peccata eorum, tum ut eos in armis jugiter exerceret, reliquit in terra eis a se promissa complures Amorrhæos et Chananæos hostes. Voluit ergo Deus hic per Ezechielem dare et describere perfectam ideam templi, urbis et reipublicæ Israeliticæ, uti fecit Plato in libris *De Republ.*, esto sciret quod ipsi eam per omnia assequi et exsequi non possent; quia per eam symbolice nobiliorem Ecclesiæ fabricam, in qua hæc omnia mystice perficienda forent, adumbrare et delineare volebat. Unde:

Una templo hoc symbolice potius describitur Ecclesia Christi.

Dico *secundo*: Licet ad litteram, ut dixi, describatur hic templum Salomonis magnifice restaurandum per Zorobabel; tamen magis allegorice significatur restaurandam Synagogam Judæorum per Ecclesiam Christi. Una enim est Ecclesia, quæ olim fuit Judæorum, jam est Christianorum. Sed hæc illa amplior est, augustior, operosior, gloriosior, perfectior, pulchrior, gratiosior; quia summe perfecta, æterna, cœlestis est et divina. Unde ad hoc symbolice significandum, voluit Deus vetus templum Salomonis per hoc Ezechielis idem plane reædificari, et stare donec conderetur Ecclesia a Christo hoc templo præsignata, ut notant S. Chrysostomus, hom. *in Psalm.* XIV, tomo I, et Athanasius, orat. 5 *Contra Arian.* Ecclesia autem condita, templum vetus fuit dirutum, et fundamenta evulsa; imo ipse mons cui insidebat, teste Josepho, abscissus est, ut Judæi nullam haberent spem ejus reædificandi. Atque hac de causa quædam augustiora de hoc templo hic dicuntur, quam ut templo Salomonis, vel Zorobabelis conveniant; ut quod templum Zorobabelis fuerit in urbe, Ezechielis vero extra eam, imo semotum 27 milliaribus. Simile est de porta templi orientali semper clausa: « Quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, » cap. XLIV, 2. Rursum quod inter templum et civitatem Propheta hic cap. XLVIII, describit partem quamdam portionis sacerdotum, et totam portionem levitarum. Quod ibidem terram Israel distribuit duodecim tribubus, cum constet duas tantum ex captivitate rediisse, decem vero in ea mansisse. Ad hæc quod cap. XLVII, 8, dicit de aquis e templo egredientibus, et in mare Mortuum intrantibus, eiusque aquas salsas edulcorantibus. Item de arboribus fecundissimis, quæ singulis mensibus uberrimos fructus proferebant, aliisque similibus. Solent enim Prophetæ a typo ad antitypum, a littera ad allegoriam avolare, ac subinde ea commiscere: unde licet ad litteram de typo agant, quædam tamen immiscent quæ magis antitypo conveniant, ut significent se magis antitypum, quam typum spectare; uti dixi *Canon.* IV et V. Et hoc videntur voluisse S. Hieronymus, Gregorius et alii, dum negant hic templum Zorobabelis delineari: quia scilicet mystice magis hic delineatur Ecclesia Christi, quam templum hoc. Porro, quia Ezechiel, cap. XLVII et XLVIII, templum hoc a civitate et civibus secernit; hinc præcise et distincte per templum accipiendus est status sacerdotalis apud christianos, ejusque templa: item Roma, ut ait Alcazar, in qua est apex sacerdotii, templorum et sacrorum. Per civitatem vero intelligendus est status fidelium laicorum, et regimen politicum, de quo plura cap. XLVI, 6, et cap. XLVIII, 45. Jam vero quæ sit Ecclesiæ longitudo, id est quot sæculis sit in hoc orbe duratura: quæ sit latitudo, id est quas regiones, nationes, hominesque usque ad orbis finem sit complexura: quæ altitudo charitatis et meritorum: quæ profunditas humilitatis: quæ rectitudo operum: quis ordo lapidum, id est pontificum, regum hominumque cæterorum: quinam superiori, qui inferiori ædificii loco sint collocandi; ille novit, qui ejus est architectus, quique totam fabricam funiculo calamoque suo, id est infinita sapientia, metitur et explorat.

Allegorice, templi restauratio est resurrectio Christi.

Rursum allegorice, hæc templi reædificatio significabat mortui Christi resurrectionem: ejus enim mors fuit mors Synagogæ; ejus resurrectio fuit resurrectio et instauratio Ecclesiæ, *Joan.* II, 19. Et sic illud *Amos* IX, 11: « In die illa suscitabo tabernaculum David, quod cecidit; et reædificabo aperturas murorum ejus, et ea quæ corruerant instaurabo; et reædificabo illud sicut in diebus antiquis; » non tantum de Ecclesia, sed et de Christo interpretantur B. Cyrillus lib. IV *in Joannem* XXXV, Theodoretus et S. Hieronymus in *Amos* IX, imo S. Petrus *Actor.* XV, 16.

Ex hominis fabrica sumpta est architectonica symmetria.

Ubi nota omnem architectandi rationem ex hominis symmetria, tanquam ex perfectissimo naturæ ædificio, desumptam fuisse censet Vitruvius, et ex eo Vilalpando, pag. 471; quocirca assumpta a Verbo humanitas singulis fere templi mensuris indicatur. Nam, si quamlibet porticum 50 cubitis latam, centum vero longam consideres, ejusque latitudinem in tres dividi ambulationes animadvertas, longitudinem præterea in octo intercolumnia sive vestibula partiri invenies partitiones has omnes humanæ staturæ mira proportione conformari, uti in imagine spectandum exhibet Vilalpando, pag. 472. Homo enim, ut docent Vitru-

vius et alii, sex pedibus altus est, tantumdemque brachia ejus extensa protenduntur. Quod si brachia in medio pectore ita complicentur, ut apex longioris digiti dextræ manus apicem etiam medii digiti sinistræ manus attingat, certe a cubito ad cubitum tres pedes latus erit homo : quorum medius pes pectori datur, reliqui utrinque brachiis ab humeris ad summos cubitos assignantur : qua ratione porticus dividitur in tres æquas ambulationes, pectori et brachiis respondentes. Hæc et plura Vilalpando loco citato.

Anagogice describitur hic templum cœleste.

Anagogice, describitur hic Ecclesiæ in cœlis triumphantis gloria, et mira amplitudo, ubi Beati pulcherrimis ornamentis redimiti et communiti, ac cœlestibus et inexplicabilibus gaudiis magnificentissime cumulati, Deum ipsum intuentur, et sempiterna Dei visione fruuntur. Intuetur ergo et describit hic Ezechiel cœlestis Jerusalem, et templi Beatorum mensuras, de quibus ait Apostolus, *Ephes.* III, 18 : « Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis quæ sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum. » Id ita esse patet ex eo, quod ita Ezechielem anagogice explicet ejus assecla, imitator et interpres S. Joannes in *Apocalypsi*. Hanc enim ipse, secutus Ezechielem, post enarratam cap. XVIII, Babylonis, et cap. XIX, Gog, Magog, Antichristi, mundique totius stragem et excidium, concludit, cap. XXI et XXII, descriptione novæ Jerusalem. Ergo, cum ipse explicet eam esse cœlestem, sequitur illam quoque, vel maxime in sensu anagogico spectasse Ezechielem. Hinc et fluvium illum suum cœlestem, utrinque consitum arboribus vitæ, quæ fructus suavissimos per singulos menses proferunt, *Apocal.* XXII, 1, S. Joannes plane mutuatus est ab Ezechielis cap. XLVII, 5. Ad hanc urbem et templum suspirabat Psaltes, dicens *Psalm.* CXXXVI : « Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Si oblitus fuero tui, Jerusalem, oblivioni detur dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui. » Et *Psalm.* XLI : « Memor ero tui de terra Jordanis et Hermoniim a monte modico. Hæc recordatus sum, et effudi in me animam meam. » Utinam mihi in hac lacrymarum valle, tui memoria semper oculis mentis obversetur! Utinam pectus meum sit oratorium, in quo teipsum, o Christe! exsculpas, ut aurea tua imago sit in terreo altari cordis mei, ut te semper intuear, ac tanta sit amoris tui vis et flamma, ut me transformet in te a claritate in claritatem! ut tandem ab hoc exsilio in patriam, ab hospitio in domum me reducas, ubi te laudem, te amem, te fruar in omne ævum : « Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. »

Tropologice anima sancta.

Tropologice, templum hoc est anima fidelis et sancta. « Caste et pie viventes templum sunt Spiritus Sancti, » aiebat S. Lucia ad tyrannum. Porro qua ratione anima fiat templum Dei, ita describit S. Hieronymus, *ad Celantiam* epist. 14 : « In omni actu atque verbo quieta mens et placida servetur, semperque cogitationi tuæ Dei præsentia occurrat; sit humilis animus ac mitis, et adversus sola vitia erectus. Nunquam illam aut superbia extollat, aut avaritia inflectat, aut ira præcipitet. Nihil enim quietius, nihil purius, nihil denique pulchrius ea mente esse debet, quæ in Dei habitaculum præparanda est; quem non auro templa fulgentia, non gemmis altaria distincta delectant, sed anima ornata virtutibus. Ideo et templum Dei Sanctorum corda dicuntur, affirmante Apostolo, qui ait I *Cor.* cap. III : Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. » Plura vide apud S. Bernardum, tract. *De Interiori domo*. Quocirca S. Chrysostomus, orat. 3 *Contra Judæos*, in fine, docet non tam gratum esse Deo excitare templum Salomonico majus et illustrius, quam convertere animas, easque erigere in templum gratiæ viventi Deo. Et S. Gregorius hic, *hom.* 12, asserit nullum sacrificium esse Deo acceptius animarum zelo.

Hoc ergo capite XL, atriorum templi Hierosolymitani mensuras, illuc spiritu raptus, Angelum calamo definientem videt et describit Ezechiel, nimirum mensuras longitudinis, latitudinis et altitudinis portarum, thalamorum, fenestrarum, vestibulorum, cubiculorum, graduum et totius denique ædificii. Itaque Angelus hic, *primo*, portam orientalem, et cæteras exteriores atrii laicorum dimetitur. Inde vers. 17, atrium laicorum ingressus, illud ipsum cum suis porticibus, thalamis, portis et vestibulis, a porta in portam per partes sigillatim mensurat. *Tertio*, ingressus atrium sacerdotum vers. 28, illud pari modo metitur. Denique vers. 39, describit mensas in quibus mactantur victimæ, ac cubicula tam laicorum quam sacerdotum.

Idea generalis trium partium tabernaculi et templi.

Nota : Tabernaculum Mosis; et templum, quod illius adinstar fabricavit Salomon, proprie habebat duas partes, scilicet Sanctum, et Sanctum sanctorum. In Sanctum ingrediebantur soli sacerdotes : in Sanctum sanctorum solus Pontifex, idque semel in anno. Ante Sanctum erat atrium, idque duplex : primum, et proximum Sancto erat atrium sacerdotum : in hoc atrio erat altare holocaustorum : ibi enim sub dio mactabantur et cremabantur victimæ, ut fumus in aerem ascenderet ibique evanesceret. Circumcirca hoc atrium erat porticus (vulgo *galeria*) columnis innixa, in qua erant gazophylacia, sive exedræ, et pastophoria, id est cubicula sacerdotum. Alterum atrium erat Israel, id est laicorum : hoc enim ipsorum erat templum, eratque ingens, utpote pro toto Israele; unde vocatur basilica grandis, II *Paral.* IV, 9. Porro divisum erat ab atrio sacerdotum per septum, sive murum altum tres cubitos, ita ut laici ex suo atrio possent videre sacrificia, quæ fiebant in atrio sacerdotum, non tamen illud ingredi. Ita Ribera, Abulensis, Azor, Barradius,

Atrium sacerdotum.

Atrium laicorum

Cajetanus, Salmeron, quin et Theodoretus ac Procopius. Verum rident hoc Vilalpando et Pineda, lib. V *De Rebus Salomonis*, cap. v, ac demonstrant murum cingentem atrium sacerdotum in altitudine parem et similem fuisse muro qui cingebat atrium laicorum, ac consequenter habuisse tres contignationes ex lapide polito, et quartam summam ex cedro : tot enim habebat murus atrii Israel. Inter atrium sacerdotum et templum interjectum erat spatium, sive platea 20 cubitorum, ut patet cap. XLI, 10, in quo spatio erat locus orationis sacerdotum. Ergo atrium sacerdotum, puta peribolus, sive murus atrii sacerdotum, distabat a templo, sive a vestibulo Sancti et Sancti sanctorum, 20 cubitis, idque ad reverentiam Dei ejusque templi. Utrumque hoc atrium pro solis Judæis erat. Unde non tantum Herodes rex, ut vult Ribera, sed ipse etiam Salomon,

Atrium gentium.

atrium tertium addidit extimum pro Gentilibus, teste Josepho, quem sequuntur Vilalpando, part. II, lib. III, cap. XXVII, Cassiodorus, Beda, Abu-

Atrium feminarum,

lensis, Hugo, Azor et alii, quos citat et sequitur Pineda, lib. V *De Rebus Salomonis*, cap. v. Porro atrium laicorum Judæorum divisum erat in atrium feminarum et atrium virorum : erantque quatuor atria, scilicet *primo*, gentium ; *secundo*, feminarum ; *tertio*, virorum ; *quarto*, sacerdotum. Audi Josephum, lib. VI *Belli*, cap. VI, et lib. III *Antiq.* cap. V : « Templum, ait, quatuor porticus (atrium vocatur porticus, quia porticu fornicata et columnis innixa circumseptum erat : unde vocatur et vestibulum) circum se habuit, et earum unaquæque suam custodiam. In *extimam* porticum ingredi licuit omnibus, etiam extraneis, tantum menstruatæ feminæ intrare vetabantur. In *secundam* porticum intrabant Judæi omnes, eorumque conjuges, si erant ab omni pollutione mundæ. In *tertiam* mares Judæi mundi atque puri. In *quartam* sacerdotes vestitu sacerdotali induti. » Vide dicta *Exodi* XXVII, 9. Ezechiel vero et Scriptura duplex tantum nominat atrium (tertium enim

Atrium exterius erat laicorum, interius sacerdotum.

gentium omittit, exterius scilicet et interius. Aliqui atrium exterius vocari putant id quod erat mulierum, interius vero id quod erat virorum. Ita R. Salomon et Maldonatus. Verum melius Vilalpando part. II, lib. III, cap. XV, per atrium exterius accipit atrium laicorum ; per interius vero sacerdotum. Dicitur interius, quia vicinius erat Sancto et Sancto sanctorum. Unde in eo erat altare holocaustorum, ibique immolabantur victimæ. Ita enim atrium interius explicat Ezechiel, cap. VIII, 1, 7, 14, 17. Favet et locus III *Reg.* VI, 36, ubi, uti et alibi, duplicis tantum atrii, scilicet laicorum et sacerdotum fit mentio. Unde censet Vilalpando, atrium mulierum separatum tum nondum exstitisse, sed illud ab atrio virorum separatum fuisse post captivitatem Babylonicam. Atrium exterius septenis distinctum erat areis subdialibus, quæ senis porticibus erant dictinctæ, ait Vilalpando.

Utrumque atrium septum erat porticibus, ut sub eas Judæi se reciperent tempore pluvio, vel urente sole, earumque fornice se tegerent. Porticus omnes atrii interioris pares erant porticibus exterioris. Rursum, porticus in ternas ambulationes erant divisæ. Adhæc, atrium interius in quavis dimensione 100 habebat cubitos, dimidium ejus 50. Altaris vero quadrata forma 20 cubitorum fuit. Fuit autem altare positum in medio atrii. Quare supersunt ab altari usque ad peribolum, id est murum occidentalem atrii cubiti quadraginta : inter peribolum porro et vestibulum templi platea erat 20 cubitos lata : ex quo fit ut spatium omne inter vestibulum et altare relictum fuerit cubitorum 60, fere triplo majus eo quod assignatur a Rabbinis in secundo templo : huic enim ipsi dant 22 cubitos.

Atrium vero laicorum, utpote totius populi, tam in longitudine quam in latitudine habebat quingentos cubitos. In utroque atrio erant cubicula sacerdotum, janitorum, cantorum et aliorum templi ministrorum, quæ variis nominibus appellantur. Nam *primo*, vocantur thalami ; *secundo*, gazophylacia ; quia gaza, id est opes et supellex templi, in iis custodiebatur ; *tertio*, vocantur exedræ ; non eo quod essent extra ædem, id est templum, uti aliqui volunt ; sed a sessione, quod in iis sacerdotes mactando, et sacra obeundo fessi sederent et requiescerent. Exedra enim græce sessionem vel sedem significat : ita Pollux, lib. I, cap. IV. Unde et Cicero, lib. III *De Orat.*, indicat exedram esse locum, in quo, posito lectulo, meridie requiescant ; *quarto*, vocantur pastophoria ; παστὸς enim Græcis thalamum significat, aut velum. Velo enim prisci gentilium quoque sacerdotes caput obnubebant. Unde Virgilius :

Cubicula atrii vocantur thalami, exedræ, gazophylacia, pastophoria, cur?

Et capite ante aras Phrygio velatus amictu.

Hinc sacerdotes vocabantur pastophori, sicut et πυροφόροι, id est *igniferi*, eo quod ignem ante alios sacrificiis inferrent, teste Giraldo, *syntagm.* 17.

Ridiculum ergo est quod affert Abulensis in lib. III *Reg.* cap. VI, *Quæst.* XXI, scilicet pastophoria fuisse loca separata ad comedendum, ut in eis sacerdotes comederent partes sacrificiorum sibi ex Dei lege obvenientes, et inde dici, *pastophoria* a *pastu* et *foris*. Alio quoque sensu παστόφορος corrupte dicitur a Clemente Alexandrino, lib. V *Strom.* Sacerdos vel ædituus, pro παστόφρουρος, id est *templi custos*, ait Nicolaus Causinus, *Elect. symbol.* pag. 200.

Denique in atrio laicorum facta sunt omnia, quæ in Evangeliis legimus de Christo, scilicet quod in templo docuerit, quod ex eo ejecerit ementes et vendentes, quod dixerit illud esse domum Dei, et locum orationis, etc. Hæc enim omnia in atrio laicorum, quod eorum erat templum, facta sunt. Nec enim Christus ulterius, in atrium scilicet sacerdotum, ingredi poterat, cum non esset sacerdos de tribu Levi.

Porro atrium universum stratum erat pretioso marmore. Censet Ribera, lib. I *De Templo*, cap. XVI, atrium utrumque, scilicet tam sacerdotum quam populi Israel, tantum fuisse ab Oriente templi, cui favet Josephus, lib. VI *De Bello*, cap. VI: verum Cassiodorus, Lyranus, Dionysius, Azor, Vilalpando et Montanus, quos citat et sequitur Pineda, lib. V *De Templo*, cap. V, § 20 et 21, melius censent utrumque atrium cinxisse totam domum. Sic enim castra Israel (quæ repræsentabat hoc atrium) cingebant tabernaculum undique ad quamlibet mundi plagam, ut patet *Num.* II, 2. Et quia vocatur « atrium majus rotundum, » quia in orbem, id est circumcirca, totum templum ambiebat, III *Reg.* VII, 12; alioqui enim atrium hoc figura quadratum erat, non rotundum. Sed ita hæc intellige, ait Pineda, ut, quoniam Sanctum cum Sancto sanctorum et atrio sacerdotum, multo longiora erant quam lata, ex latere occidentali sacerdotum nulla esset area ὑπαιθρά, id est *subdialis;* sed tantum « tres » illi « ordines lapidum politorum per circuitum, » de quibus III *Reg.* VII, 12, id est porticus triplex.

In atrio hoc tres erant portæ, Orientalis, Australis et Aquilonaris; ad Occidentem enim nulla erat porta, eo quod id exigeret dignitas et reverentia Sancti sanctorum, quod illi parti occidentali proximum erat, sola porticu interjecta. Ita Josephus, lib. VI *De Bello*, cap. VI. Plura de templo dixi *Exodi* XXV et seq., ac III *Reg.* VII. Hic enim fere tantum ejus mensuræ describuntur.

Horum atriorum, porticuum et exedrarum dimensionem et ichnographiam in tabulis ad oculum expressam, vide apud Vilalpando, pag. 144 et seq.

Vers. 1. 1. IN VIGESIMO QUINTO ANNO TRANSMIGRATIONIS NOSTRÆ, — qua scilicet Ezechiel cum Joachin rege anno 1, mense 3 regni ejus traductus est a Nabuchodonosore in Babylonem : Joachino successit Sedecias, cujus 11 anno eversa est urbs, et regnum; ergo ab hac eversione anno 14, vidit hæc Ezechiel, scilicet templi, et urbis nuper eversæ, restaurationem. Quocirca hæc visio, a visione capitis primi, qua anno 5 transmigrationis vidit Deum iratum imminere et intentare urbi ac templo vastationem, distat, et posterior est viginti annis. Quapropter Hebræi hos 20 annos addentes 30, de quibus cap. I, 1 (quos illi computant a jubilæo, ut ibi dixi), ita ut fiant 50, censent hunc annum fuisse 50, id est jubilæum : in jubilæo ergo vidisse Prophetam novæ urbis, et novi templi fabricam; estque probabile, licet alii aliunde illos 30 annos cap. I, 1, computent, ut ibi dixi.

IN EXORDIO ANNI, DECIMA DIE MENSIS, — id est 10 die Nisan, quo Hebræi *Exod.* XII, jubentur tollere agnum, eumque servare ad diem 14, ut, eo oblato, liberentur ex Ægypto : itaque hic eodem die videt Ezechiel templi et populi e Babylone restitutionem, quo idem olim ex Ægypto, ejusque servitute liberatus est. Ita Christus eodem die asello vectus, quasi agnus paschalis ingressus est Hierosolymam, Ecclesiam et populum Dei restituturus. Aliter Hebræi : cum enim putent hic notari annum jubilæum, censent pariter primum mensem fuisse septimum. A Tisri enim, id est a mense 7, incipiebat jubilæum.

QUARTO DECIMO ANNO, — ab excidio urbis et templi, uti jam exposui.

Mystice, S. Hieronymus censet hic significari quatuordecim generationes a Davide ad Christum, qui templum, id est Ecclesiam, reædificavit.

IN IPSA HAC DIE, — scilicet, decima jam dicta; non autem « ipsa die, » scilicet, qua eversa est Jerusalem, uti S. Gregorius videtur interpretari. Eversa est enim non decima, sed nona die mensis quarti, *Jerem.* XXXIX, 2.

FACTA EST SUPER ME MANUS DOMINI. — « Manus » dicitur hebraice יד *iad*, quasi projiciendi instrumentum, vel quia emissa, et manans a brachio : radix namque ידה *iada* significat projicere, emittere. Manus ergo hic est virtus, potentia, efficacitas, operatio manans a Deo in Ezechielem, id est spiritus prophetiæ promittens populo libertatem et felicitatem. Vel manus est Spiritus Sanctus, qui a Patre Filioque quasi manus et digitus (uti vocatur *Exodi* VIII, 19), dimanat, *q. d.* Spiritus Dei, sive Spiritus Sanctus rapuit me in spiritu illuc, scilicet in Jerusalem. Manus vocatur prophetia, cur?

2. IN VISIONIBUS DEI. — Rapuit me non corporaliter, sed mentaliter per visionem, eamque sublimem, mirabilem et divinam. Theodoretus τὸ *Dei* explicat, *q. d.* In similitudinem Dei. Sicut enim Deus ut in aliquo loco operetur, non seipsum illo transfert, sed efficacitatem spiritus sui omnia permeantis ibi ostendit et exerit : ita et mens Prophetarum uno loco cum corpore substantialiter existens, alio per visiones vi spiritus rapiebatur. Habet enim spiritus noster quamdam quasi immensitatem participatam a Dei spiritu; ut sicut hic substantialiter ubique præsens est, sic noster intellectualiter ubique præsentem quasi se sistat. Hoc est quod ait Christus *Joan.* III, 8 : « Spiritus ubi vult spirat; et nescis unde veniat, aut quo vadat, » *q. d.* Non intelligis, o Nicodeme! quomodo tua mens et spiritus sua cogitatione discurrat nunc per Europam, nunc per Asiam, nunc per aerem, nunc per cœlos, nunc per infernos, ibique quasi præsentem se sistat, ac mox transvolet : non cognoscis hos discursus et volatus animæ tuæ, quomodo in momento eat et redeat, ac totum oberret mundum : mirum ergo non est quod non capias vim et operationem Spiritus Sancti, qua facit ut vetus homo renascatur, totusque renovetur in baptismo. Ita Fernandius, *visione* XXV, sect. I. Vers. 2.

ET DIMISIT ME SUPER MONTEM. — Moria, ubi ædificatum olim, et jam rursum reædificandum erat templum. Templum ergo erat in monte sublimi,

tum quia ipsum civitatis erat quasi caput, tum quia ipsum erat quasi cœlum terrenum, in quo sacerdotes et Israelitæ erant quasi astra. Ita Pineda, lib. V *De Rebus Salom.* cap. v.

SUPER MONTEM EXCELSUM NIMIS, — super Sion.

SUPER QUEM ERAT QUASI ÆDIFICIUM CIVITATIS, — scilicet ipsa urbs Jerusalem, ait Lyranus vel potius ipsum templum : ad hoc enim inductus est Ezechiel. Ita Fernandius, *visione* XVIII, sect. v.

Nota : Templum erat quasi civitas, quia undique cinctum erat muris et portis : atria habebat, quasi plateas; gazophylacia, quasi domos; unde Angelus ostendit ei quasi ædificium civitatis, id est quasi civitatem ædificatam : aut quia adhuc ædificabatur, juxta viri, qui ædificationi præerat, dimensiones, ut sequitur. Ait ergo « quasi; » quia nondum nova urbs, aut potius templum, de quo agit, erat ædificatum : sed solum prima ejus apparebant lineamenta et ichnographia. Dicit autem : « Vergentis ad Austrum : » quia venienti Ezechieli ab Aquilone, scilicet e Babylone, Judæa et templum erant ad Austrum. Ita Apollinaris. Sic templum et monasterium regium S. Laurentii juxta Madritum, S. Benedicti Cassinense, Fuldense, aliaque plura sunt instar urbium.

Symbolice, significatur hac fabrica in monte Ecclesia super montem, id est altissime, ædificata a Christo *Matth.* v, 14, de qua Isaias, cap. II, 1 : « Erit, etc., mons in vertice montium. » Unde S. Chrysostomus, in *Matth.* v, ait montem esse insigne divinæ potentiæ, quæ vi sua divina Ecclesiam sustinet, ut portæ inferi ei prævalere non possint.

Secundo, S. Gregorius hic : Quem, inquit, significat mons excelsus nimis, nisi Christum, qui de terra quidem, sed ultra terram est? Nam caro ejus de imis habet materiam, sed in summis potestate præeminet. Voce ergo *nimis*, altitudo divinitatis incomprehensibilis exprimitur. Homo enim ultra homines, at ultra angelos etiam Deus inventus est. Unde, *Isai.* II, dicitur esse in vertice montium : quia quantumvis Sancti in Christo profecerint, Christi vestigia vix tangere poterunt ex vertice cogitationum. Christus ergo est quasi divinus Atlas, qui instar montis molem Ecclesiæ sustinet, eamque facit dæmonibus invictam et inaccessam; ac hominibus conspicuam, totique orbi illustrem.

Tropologice Rupertus : Monte, inquit, significatur eminentia conversationis fidelium : quia nostra conversatio in cœlis est. Unde Tertullianus lib. III *Contra Marcion.*, in fine : « Quid, ait, nos Dominus civitati supra montem constitutæ comparavit, si non exstamus inter demersos? » *q. d.* Si non eminemus infidelibus, quos terrena conversatio demergit?

3. ET ECCE VIR, — scilicet Angelus habens formam viri : isque vel Michael, templi et Ecclesiæ præses; vel Gabriel, de quo *Daniel.* IX, 21.

Allegorice S. Gregorius et S. Hieronymus : Vir hic, inquiunt, est Christus, qui novæ Ecclesiæ partes describit, distribuit, ædificat, æque ac veteris fuit quasi custos, quando inde ejecit vendentes et ementes, et non permisit vas per templum transferri. Unde stat in porta : « Quia per ipsum ad Patrem ingredimur, et sine ipso civitatem Dei intrare non possumus. Stat ergo in porta, ut dignos suscipiat, indignos abjiciat. In porta quoque judicium est, » ait S. Hieronymus; significat ergo judiciariam Christi potestatem. Denique « stat in porta, » quia læto hilarique vultu omnes venientes excipit, ducit, in Ecclesiam introducit.

QUASI SPECIES ÆRIS, — scilicet politi et splendentis. Significatur pulchritudo et fortitudo angelorum, de quo cap. I, 7 : « Æs enim, ait S. Hieronymus, cunctis metallis vocalius est, et tinnitu longe resonat. Unde et in *Daniel.* cap. II, in imagine, quæ erat ex auro, argento, ære ferroque compacta, regnum Alexandri atque Græcorum in æris similitudine demonstratur, ut Græcæ linguæ eloquentia signaretur. » Additque æs significare « adhuc eos indigere doctrina, qui spiritualiter ædificandi necdum plene novere mysteria. » Aliter Alcazar in *Apoc.* XI, 1, pag. 560 : « Æs, inquit, significat fortitudinem Christi, qua calamum sive virgam, id est passionem, et crucem sex cubitorum, id est magnam et ingentem, fortissime toleravit; atque per hanc erexit atque dimensus est fabricam templi, id est Ecclesiæ suæ. »

Æs significat robur et pulchritudinem angelorum.

FUNICULUS LINEUS, — Septuaginta, *funiculus cæmentariorum*, quo scilicet, ait Gregorius, exploretur æqualitas, vel rectitudo surgentis parietis, ut si lapis intus est, foris educatur; si nimis exterius prominet, interius revocetur.

Mystice, cæmentarii sunt Angeli, vel Apostoli : hi enim ædificant templum, id est Ecclesiam Dei, ait S. Hieronymus.

CALAMUS, — Hebraice קָנֶה *kane*, id est cana mensoria. Similis visio est *Zachar.* II, 1, et *Apoc.* XXI, 15, in fabrica novæ et cœlestis Jerusalem.

Mystice S. Hieronymus : « Calamus est gratia prophetalis, de qua *Psalm.* XLIV : Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. »

5. ET ECCE MURUS FORINSECUS IN CIRCUITU DOMUS UNDIQUE, — *q. d.* Visus sum mihi videre domum et murum extra illam per circuitum. Domus hæc non erat ipse mons, ut vult R. David, sed templum, quod jam inchoabatur, aut spatium, in quo paulo post templum idem architectus delineat. Porro murus hic, sive peribolus, erat tertius et extimus, qui totum claudebat templi ædificium : scilicet ambiebat atrium Gentium, ac consequenter atrium Judæorum, quod erat medium; atrium sacerdotum, quod erat intimum. S. Hieronymus mystice hunc murum refert ad fabricam Ecclesiæ, et ad cryptas martyrum Romæ : « Dum essem, inquit, Romæ et liberalibus studiis erudirer, solebam cum cæteris ejusdem ætatis et propositi, diebus Dominicis sepulcra Apostolorum et Martyrum circuire, crebroque cryptas ingredi,

quæ in terrarum profunda defossæ ex utraque parte ingredientium per parietes habent corpora sepultorum; et ita obscura sunt omnia, ut prope illud Prophetæ compleatur: Descendant ad infernum viventes; et raro desuper lumen admissum, horrorem temperet tenebrarum, ut non tam fenestram, quam foramen dimissi luminis putes; rursumque pedetentim acceditur, et cæca nocte circumdatis illud Virgilianum proponitur:

Horror ubique animos, simul ipsa silentia terrent.

Hoc mihi dictum sit, ut prudens lector intelligat quam habeam sententiam super explanatione templi Dei in Ezechiele, de quo scriptum est: Tenebræ latibulum ejus. »

Nota: Tribus muris circumdatum erat templum. *Primus* murus erat periboli extimi, hic hoc vers. 5 describitur; *secundus*, atrii exterioris; *tertius*, atrii interioris. *Primus* murus, qui omnia templi ædificia et atria complectebatur, significat Dei custodiam quæ ambit totam Ecclesiam, juxta illud *Psalm.* CXXIV, 2: « Dominus in circuitu populi sui, » ideoque, ut præcessit, « non commovebitur in æternum qui habitat in Jerusalem. » *Secundus* murus significat custodiam angelorum, de quibus ibidem dicitur: « Montes in circuitu ejus. » « Montes, » id est Angeli, ait ibidem S. Augustinus qui montana proceritate sanctitatis, ut ait S. Hieronymus, ambiunt Ecclesiam. *Tertius* murus repræsentat custodiam sacerdotum, ac Prælatorum Ecclesiæ, de quo dicitur *Ezech.* XIII, 5: « Non opposuisti murum pro domo Israel. » Per hos tres muros ad templum ibatur tribus portis, ad tres orbis plagas spectantibus, scilicet Orientem, Septentrionem et Austrum: quo significatur a tribus præcipue partibus homines venturos ad Ecclesiam, nimirum ab Asia quæ est ad Orientem, ab Africa quæ est ad Austrum, ab Europa quæ est ad Septentrionem respectu Asiæ et Africæ. Tres portæ, in singulis muris sibi obversæ, significant tres gradus venientium ad fidem, incipientium, proficientium, perfectorum, quos per tria sponsi oscula significari pulchre docet S. Bernardus serm. 4 *in Cant.* Ita Antonius Fernandius, *visione* XVIII, sect. VIII.

CALAMUS MENSURÆ SEX CUBITORUM. — Hebraice, *sex cubitorum in cubito*, id est certo, justo ac vero cubito, *q. d.* Sex cubitorum justæ mensuræ.

ET PALMO. — Non quasi eo manu teneretur calamus, ut vult Richardus Victorinus. Sed palmus hic est pars mensuræ, ut patet ex verbis, et ex ipsa dimensione quæ sequitur. Palmus, qui græce dicitur παλαιστὴ, ait S. Hieronymus est sexta pars cubiti, puta quaterni manus digiti juncti. Differt ergo palmus a palma, quæ græce dicitur σπιθαμὴ, estque spatium, quod extensa manu, diductisque digitis, interjacet inter ultimum pollicis et extremum minimi digiti. Porro Hebræi, et ex eis Maldonatus sic interpretantur: « Sex cubitorum et palmo, » id est sex cubitorum, et sex insuper palmorum; sex cubitorum, et uno amplius palmo addito ad singulos cubitos, *q. d.* Sex cubitorum sacrorum. Nam cubitus communis continebat quinque palmos, sacer sex, ut tradunt Hebræi. Hebraice enim est, *sex cubitorum in cubito, et palmo*, id est sex cubitorum ex cubitis, quorum unusquisque continet communem cubitum et palmum. Sic et Septuaginta ac Chaldæus. Favet id, quod dicitur cap. XLV, 13: « Istæ autem mensuræ altaris in cubito verissimo, qui habebat cubitum et palmum. » Cubitum enim verissimum vocat cubitum sacrum, qui communes cubitos uno palmo superat. Calamus ergo mensorius, quem Angelus hic manu tenebat quasi architectus, habebat sex cubitos sacros, septem vero communes, et unum insuper palmum. Ita S. Hieronymus, Vatablus, Maldonatus, Hebræi, et Alcazar, tractat. *De Mensuris*, propos. IX: « Sex cubitorum et palmo, id est inquit, sex cubitorum, non quorumcumque, sed eorum, qui vulgarem cubitum superant uno palmo. » Vilalpando tamen hic part. II, lib. III, cap. XII, contendit hunc calamum fuisse sex cubitorum, et unius palmi tantum; sed sic potius dicendum fuisset, *et palmi*, non *et palmo*, uti urget Alcazar.

Porro, ruente hac calami Vilalpandi mensura, ruit pariter magna pars dimensionum ejus in templo, quæ calamo hoc mensuratur.

Tropologice, S. Gregorius: « Sex, ait, cubiti sunt vita activa, quia sexto die perfecit Deus opera sua. Palmus vero, qui super sex cubitos est, jam de septimo est; ipse tamen cubitus non est, significat vitam contemplativam, quæ quasi in sabbato quietem agit in Dei contemplatione. »

Rupertus vero per sex cubitos, et palmum qui septimus est, accipit septem dona Spiritus Sancti: « Palmus, ait, est sapientia, quasi quiescentium merces, reliqua sex operantium sunt instrumenta. »

ET MENSUS EST LATITUDINEM, ALTITUDINEM QUOQUE CALAMO UNO, — id est calamo uno mensus est omnes ædificii partes, non pluribus, ait H. Pintus. *Secundo* et melius, ex Septuaginta, *q. d.* Tam latitudo, quam altitudo hujus extimi muri, de quo vers. 5, erat unius calami: erat enim reliquis muris inferior. Hinc a Septuaginta vocatur, περιτείχισμα, id est *antemurale* et peribolus, id est ambitus, vallum, septum. Itaque latitudo et altitudo muri extimi erat æqualis, sex nimirum cubitorum, id est 36 palmorum, ait Maldonatus.

Tropologice, S. Gregorius: « Tam latitudo, quam altitudo muri sunt calami unius; quia quæque anima quam lata fuerit in amore proximi, tantum et alta erit in cognitione Dei. Dum enim se per amorem juxta dilatat, per cognitionem superius exaltat. » Et S. Hieronymus: « Calamus, ait, habens sex cubita, et palmum unum, significat Deo notam esse conversationem nostram, quæ in sex diebus in quibus mundus factus est, continetur. Et notam esse rationem operum sin- Tropologice latitudinis et altitudinis æqualium.

gulorum, ut aliud ad opera pertineat, aliud ad mentem; unde et latitudo æqua est altitudini, quorum latitudo ad opera, uti diximus, altitudo refertur ad animum, qui ad alta festinat.»

6. ET VENIT AD PORTAM, QUÆ RESPICIEBAT VIAM ORIENTALEM, — id est ad portam atrii Israel: eamque Orientalem, utpote nobilissimam, per quam rex intrabat, et qua sola cernebatur gratissima Sancti et Sancti sanctorum facies. Facies enim domus, ait cap. XLVII, 1, respiciebat ad Orientem.

Petes : Cur non metitur prius ipsum atrium Gentium quod erat omnino extimum?

Respondeo : Quia proprie metitur hic templum et atrium populi Dei, id est Judæorum, non Gentium. Mystica causa est, ut significet ad Ecclesiam Christi gentiles innumerabiles venturos, quasi atrium hoc eos non capiat, sitque quasi immensum. Unde de ea dicitur *Psalm.* XXXV, 7 : « Homines et jumenta salvabis, Domine, » ut ibidem explicat S. Augustinus.

ASCENDIT PER GRADUS EJUS. — Hinc sequitur aream atrii Israel fuisse altiorem atrio Gentium : alioqui enim eo non oportuisset per gradus ascendere. Sic atrium sacerdotum altius erat atrio Israel, id est populi, sive laicorum Judæorum. Septuaginta addunt fuisse septem gradus, idque patet ex vers. 22, et tot erant ad alias portas : ex atrio ergo Gentium ad atrium Israel ascendebatur septem gradibus. Inde ad atrium sacerdotum gradus erant octo, ut patet vers. 41; inde ad Sanctum erant gradus decem. Erant ergo 25 gradus ab atrio Gentium usque ad Sanctum : sed usque ad atrium sacerdotum erant 15, in quibus decantabant quindecim psalmos graduum, sive Graduales, ut tradunt Hebræi, S. Hieronymus et alii.

ET MENSUS EST LIMEN. — Hebraice סף *saph*, tam limen superius et inferius, quam duos postes, qui ex duobus lateribus portam efficiunt, significat : unde Aquila vertit πρόθυρον; Noster, *limen*; R. David, *postes*. Sed eadem videtur fuisse postium et liminum crassities : ex uno ergo alterum intellige.

ID EST LIMEN UNUM CALAMO UNO IN LATITUDINE, — subaudi consequenter, *et limen alterum calamo uno in latitudine*, id est, ut Vatablus, tam unus postis portæ, qui erat ad Austrum, quam alter qui erat ad Aquilonem, crassus erat uno calamo : erat enim æque crassus ac murus, cujus crassitudo erat calami, ut patet vers. 5. Itaque uterque postis latus erat 36 palmos.

7. ET THALAMUM, — id est unumquemque thalamum. Sex enim erant, tres ex una parte portæ, et tres ex altera, ut patet vers. 12. Porro thalami hic vocantur parva cubicula, in quibus templi custodes habitabant, qualia nunc in portis urbium conspicimus. Hæc enim hebraice vocantur תאים *thaim*, a radice תאה *taa*, id est designare, definire, circumscribere, *q. d.* Conclave sua mensura designatum et circumscriptum : quia hi thalami postibus terminabantur et fulciebantur, unde ejusdem cum iis erant mensuræ : quantum enim hi thalami a thalamo, tantum postes unius a postibus alterius distabant. Jam Hebræum *thaim* retinentes Septuaginta vertunt θεείμ, quod librarii corruperunt θεέ. Erant ergo thalami ad portam cubicula janitorum, scilicet levitarum, ut impuros, et alios quibus fas non erat ingredi templo arcerent. Symmachus vertit, παραστάδες, id est postes ex utraque parte.

ET INTER THALAMOS QUINQUE CUBITOS, — id est inter unum cubiculum et alterum intererat murus quinque cubitorum. Ita Chaldæus.

8. LIMEN PORTÆ JUXTA VESTIBULUM PORTÆ INTRINSECUS. — Id est porta interior habebat limen mensuræ calami, æque ut exterior, vers. 6. Erant ergo duæ portæ quadrato epistylio tectæ et conjunctæ, uti portæ urbium fornice junguntur. Itaque vestibulum hoc fuit intra duas portas : duabus enim portis intercipiebatur. Et in hoc vestibulo erant sex thalami, id est cubicula janitorum, puta levitarum qui custodiebant portas, scilicet tria ab uno latere, et tria ex altero, quorum eadem erat mensura, scilicet unius calami in longum, et alterius in latum, ut dicitur vers. 7. Porro vestibulum vocatur pars illa ante domum, quæ pervia relinquitur, de qua Vitruvius, lib. VI, cap. X. Dicitur vestibulum, ait Gellius, lib. XVI, cap. V, quasi venientium statio, aut stabulum; aut, ut Servius, quod vestiat januam, quasi camera duabus sustentata columnis; vel quia Vestæ consecratum est. Unde novæ sponsæ olim limen non tangebant. Hinc Lucanus, lib. II :

Translata vetuit contingere limina planta.

Hebraice vestibulum vocatur אולם *ulam*, a radice אלם *alam*, id est colligavit, *q. d.* Vinculum, colligatio, nexus postium, id videlicet omne quo postes desuper vinciuntur, sive fornix sit, sive rectæ trabes, sive tectum. Hinc non raro significat ipsam postium et fornicum seriem, quin et spatium sub fornice relictum, atque alias ipsos postes sive fornice, sive muro, sive alio modo junctos. Ita Vilalpando. Hinc et Symmachus vertit, *propylæum*, id est locus ante domum, puta ante domus portam. S. Hieronymus vocat *tectum atrium*. Talia vestibula videmus Romæ in omnibus pene basilicis.

Jam in ipso vestibulo, imo in porta, transversim ad latera faciebant veteres cubicula pro janitoribus et famulis, ut teste Vitruvio, lib. VI, cap. X. Unde et talia erant in hoc Ezechielis templo, sive atrio. Hinc Græcis vocantur θυρωρεῖον, id est *janitoris locus*.

Denique vestibulum hoc erat cœli symbolum; hoc enim est quod ait Josephus, lib. VI *Belli*, cap. VI : «Neque fores habebat; cœlum enim undique conspicuum, lateque patens significabat.» Ut horum ideam concipias, scito templum, id est Sanctum et Sanctum sanctorum, situm fuisse ad Occidentem : ante se habebat atrium, primo

sacerdotum, deinde laicorum. Ingressus ergo et portæ utriusque atrii erant externis lateribus, puta versus tres mundi plagas, scilicet ad Orientem, ad Aquilonem et ad Meridiem (Judæi itaque orantes conversi ad templum spectabant Occidentem, non Orientem, uti Christiani); erant ergo tres portæ in atrio sacerdotum juxta tria latera, et tres mundi plagas; et totidem in atrio laicorum prioribus directe obversæ, et respondentes. In singulis erant tres thalami, id est cubicula janitorum a parte dextra, et totidem a sinistra. Hæ portæ habebant sua vestibula : de hisce omnibus sigillatim hic agitur. Vide ichnographiam templi, atriorum, porticuum, portarum, thalamorum, et vestibulorum apud Vilalpandum, figura IX.

Mystice, porticus significant subsidia, et quasi umbracula, quibus Deus fovet et tegit laborantes in opere virtutum. Exedræ, sive gazophylacia, in quibus thesauri domus Dei servantur, et sacerdotes hebdomadarii manent, significant, per hæc Dei præsidia, et per hanc protectionem esse in nobis conservarique thesauros gratiæ atque virtutum et donorum, magis quam per nostram industriam; et per eadem effici, ut nos Deo ministremus, et ei per pœnitentiam et bona opera sacrificium cordis contriti et humiliati offeramus. Ita Ribera, lib. I *De Templo*, cap. XXV.

9. ET MENSUS EST VESTIBULUM PORTÆ OCTO CUBITORUM. — Dices : Quomodo vestibulum potuit esse 8 cubitos longum, cum thalamus in medio ejus positus longus fuerit unum calamum, id est sex cubitos, ut superius dictum est? Respondet Vilalpando postes vestibulum, id est ejus fornicem, sustinentes, a sese invicem distabant cubitis octo; thalami vero inter postes medii tantum habebant calamum, sive sex cubitos longitudinis, quia duos fere cubitos occupabant postes, eorumque ornamenta, puta stylobatæ, et spirarum projecturæ.

ET FRONTEM EJUS. — Per *frontem* multi intelligunt appendicem, quæ ex porta superne exstabat ad arcendam pluviam. Alii, ut Maldonatus, per frontem intelligunt postes, id est turres in quibus cochlea erat, qua gradatim ascendebatur, et fenestellæ, ut dicitur vers. 16; murus ergo turris cochleam circumcingens, spissus erat duos cubitos. Optime Vilalpando per frontem accipit columnas, seu potius semicolumnas vestibuli. Has ait fuisse duorum cubitorum in latitudine, sive crassitie.

Tropologice, frontes sunt viri eminentes et fortes, qui palam intrepide docent ea quæ sunt salutis, uti Apostoli, Martyres et Doctores. Rursum frons seu facies Ecclesiæ, est charitas : ex hac enim illa, ejusque decor agnoscitur, uti docet Cyrillus Alexandrinus, explicans illud Christi : « In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem, » *Joan.* XIII, 35.

11. ET MENSUS EST LATITUDINEM LIMINIS PORTÆ, — Vers. 11.
id est latitudinem vestibuli dicti, quod erat inter duas januas, quod habebat suas trabes quasi limina, quæ vestibulum, id est spatium inter portas, operiebant. Hæc ergo vestibuli latitudo erat 10 cubitorum. Nam, ut recte docet Vilalpandus mensus est Angelus latitudinem ejus spatii quod reliquum est inter semicolumnas, quæ a postibus thalamorum exstabant, ac reperit ibi 10 cubitos : latitudo enim liminis portæ, quam aliqui putarunt hoc loco Angelum metiri, dimensa jam fuerat octo cubitis. Cum enim in limine portæ triplicem liceat observare dimensionem : latitudinem, id est crassitudinem, muri, quæ erat unius calami, ut dixit; et longitudinem quantum nimirum postis distabat a poste, quæ erat 8 cubitorum; et altitudinem, quam paulo post dicet 13 fuisse cubitorum; nihil superest in limine portæ 10 cubitis metiendum. Quapropter ultra parietem exteriorem ingressum fuisse Angelum dicere cogimur, et utroque pariete dimisso, spatium, quod Græci θυρωρεῖον vocant, mensum fuisse juxta latitudinem, a meridie ad aquilonem, ac reperiisse 10 cubitos.

ET LONGITUDINEM (id est altitudinem) PORTÆ, TREDECIM CUBITORUM. — Ita Lyranus et Vilalpandus.

12. ET MARGINEM. — Hebraice גבול *gebul*, id est Vers. 12.
terminum. Alii putant sic vocari sedile, quod ante thalamos erat; alii spatium ad ambulandum : Maldonatus et alii melius per terminum accipiunt spatium, quod erat inter portam et unum ordinem thalamorum, id est cubiculorum, una ex parte adhærentium, et alterum ex altera, quod unius cubiti fuisse dicit.

ET CUBITUS UNUS FINIS UTRINQUE. — « Finis, » id est terminus, *q. d.* Cubitus unus utrinque terminabat thalamos, id est cubicula, eaque ab invicem separabat. Terminum hunc, sive marginem clare in ichnographia spectandum exhibet Vilalpandus.

THALAMI AUTEM SEX CUBITORUM ERANT HINC ET INDE, — scilicet tres hinc, tres inde, id est tres ex una parte et tres ex altera.

Mystice S. Hieronymus : « Hoc, ait, significat quod tam littera quam spiritus, et utraque intelligentia et historiæ et tropologiæ ad Trinitatis sacramenta pertineant. ».

13. ET MENSUS EST PORTAM. — *Portam* vocat non Vers. 13.
solum introitum, ut vers. 11, sed introitum, et totum ædificium, quod porta ornabat, ait Maldonatus, in quo et ipsa porta, et thalamorum latitudo continebatur : quod totum ædificium a tecto unius thalami, id est ab extremitate unius cubiculi usque ad extremitatem ultimam alterius cubiculi e regione respondentis, viginti quinque cubitorum fuisse asserit. Nam quisque thalamus habebat sex cubitos. Itaque uterque thalamus, scilicet unus ex una, et alter ex altera parte, illiusque portæ oppositus, habebat 12 cubitos.

Porta vero habebat decem, et margo ac terminus utrinque duos simul, ut dixit vers. 11 et 12, qui omnes juncti faciunt cubitos 24. Videtur autem tectum thalamorum eminuisse tribus palmis, id est dimidio cubito. Itaque in duobus thalamis est unus cubitus, suntque universim cubiti 25. Sic et Vilalpandus, cap. XXI : « Hæc, ait, mensura thalamos, frontes, et introitum portæ jam ante dimensa complectitur; ejus tamen per partes dimensio alia est a jam dicta, uti eodem capite est videre. » Sensus ergo est, *q. d.* A tecto thalami, quod est ad aquilonem portæ, ad tectum thalami, quod est in meridie, id est ut sequitur, latitudinem, sive transversam distantiam unius lateris tecti ab altero, mensus est 24 cubitorum.

OSTIUM CONTRA OSTIUM, — id est ducendo mensuram per, vel supra ostium unius thalami ad ostium alterius, quod ex adverso per rectam lineam illi opponitur, sicut videmus in monasteriis monachorum cubicula et ostia esse disposita, et sibi invicem ex adverso opposita. Ita Lyranus.

14. ET FECIT FRONTES. — « Fecit, » id est metiendo designavit, ipsaque mensura ostendit frontes fuisse altitudinis 60 cubitorum. Frontes vocat columnas, sive postes et limina. Ita R. Salomon, Vatablus, Isidorus Clarius, et Vilalpandus. Tales columnarum frontes videmus hic Romæ in magnifica S. Petri basilica Vaticani, quæ vere est orbis miraculum, et novum novi Salomonis templum, in quo et ipsissimæ templi Salomonici columnæ visuntur. Alii per frontes cubicula intelligunt, de quibus seq. cap. vers. 1. Erant enim circum templum cubicula ejusdem longitudinis cum templo : templum autem longum erat 60 cubitis. Unde Symmachus vertit, παραστάσεις, id est *circumstantias* ; Aquila vero κρίωμα, id est *frontem*, uti et noster Interpres. Porro S. Hieronymus hæc sic explicat : « Puto autem, inquit, inter murum templi extrinsecus per circuitum, et ipsam ædem in atrio, hoc est in medio, quædam fuisse propter ornatum posita, quæ Symmachus interpretatur circumstantias, id est stantia quædam, et terræ solo erecta in sublime, et hæc sexaginta cubitorum obtinere spatium. Rursumque egredientibus de porta interiori ad faciem vestibuli, quod respiciebat portam exteriorem, quinquaginta cubitos obtinuisse locum; in quibus fenestræ erant obliquæ, quas Septuaginta absconditas, Symmachus τοξικὰς vocat. Et hæ fenestræ erant in thalamis, hoc est, in cubiculis singulis, et porticibus, quæ ante cubicula tendebantur, obtinentes cubitos quinquaginta. Quæ fenestræ obliquæ, sive τοξικαί, idcirco a sagittis vocabulum perceperunt, quod instar sagittarum angustum in ædes lumen immittant, et intrinsecus dilatentur, omniaque per circuitum plena erant hujuscemodi fenestris. Et ante frontes, inquit, porticuum pictura, sive cælatura palmarum; per quæ ostenditur in introitu portæ statimque ingredientibus murum, sexaginta occurrere cubita cum variis ornamentis. » Deinde has parastases, thalamos et fenestras obliquas ita mystice interpretatur : « Hæc, ait, referuntur ad conditionem mundi, ut ex creaturis Creator intelligatur, et omnia ordine et ratione currentia, ostendant mundi varietatem; qui apud Græcos κόσμος ab ornatu nomen accepit, et in sex diebus factus est, ut per singulos dies decades singulæ supputentur, quem perfectum numerum supra diximus. Post hæc ingredientibus nobis atrium interius, occurrunt ante ipsum vestibulum portæ interioris thalami cum obliquis fenestris, quinquaginta cubitorum tenentes spatium, qui et ipse sacratus est numerus. Et post septem hebdomadas plenas festivitatis et gaudii, ogdoadis prima incipit dies, quæ est resurrectionis, et introducit nos ad viciniam templi. Cum enim omnia fecerimus, agentes prioris erroris pœnitentiam, tunc vicini et proximi efficimur Deo; ut in exteriori atrio, notitiam Creatoris creaturarum ordo nos doceat atque constantia; et in interiori, verus jubilæus, in quo omnia nobis debita dimittuntur, instruat θεολογίαν, et introducat ad Sancta sanctorum. Notandum quoque, quod interius atrium plures fenestras habeat non directas et æquales, sed obliquas, et angustas exterius, et se intrinsecus dilatantes; ut per parva quædam foramina possimus ad interiora penetrare, et ad clarissimi luminis, quod versatur in templo, plenitudinem pervenire. Denique post sexaginta et quinquaginta cubitos, et thalamos, et porticus, et frontes porticuum, fenestras plurimas per circuitum, palmarum nobis cælatura vel pictura monstratur, ut de mundo victoriam possidentes, digni efficiamur plagas (puto legendum palmas) videre virtutum. » Allegoria thalamorum ex S. Hieronymo.

ET AD FRONTEM ATRIUM PORTÆ UNDIQUE PER CIRCUITUM, — *q. d.* Æquali fronte, id est altitudine columnarum cinctum erat undique atrium, id est par mensura columnarum ordinibus erat, atrium cingentibus.

15. ANTE FACIEM, — id est ab ante faciem, id est a facie anteriori portæ, usque ad faciem interiorem alterius portæ vestibuli, totum interjectum spatium erat cubitorum 50, quos ita computat Maldonatus. Inter unam et alteram portam erant terni hinc inde thalami, quorum quisque sex cubitorum erat, ut dictum est vers. 7. Ter sex sunt octodecim. Inter thalamum et thalamum erat spatium 5 cubitorum, et erant 4 talia spatia : quater quinque sunt 20, quos si addas prioribus 18, efficies 38. Rursum, utraque porta habebat limen latum sex cubitos, ut dixi vers. 6; hi geminati faciunt duodecim : qui si addantur 38, efficient 50. Aliter eos computat Vilalpandus, cap. XXIII, sed obscurius, et juxta suam calami mensuram, in qua ab aliis passim dissentit, ut dixi vers. 3.

16. ET FENESTRAS OBLIQUAS. — De his nonnulla paulo ante dixi ex S. Hieronymo; plura dicam cap. XLI, 26.

17. ET EDUXIT ME, — id est, et e porta quidem egressum induxit me in atrii exterioris orientalem aream subdialem : quam ingressus animadverti eam porticibus undique cinctam fuisse, tessellatis pavimentis affabre elaboratis: quibus gazophylacia imminebant in singulis intercolumniis singula, erantque omnia circumcirca triginta. Unde patet τὸ *per circuitum*, ad gazophylacia, non ad pavimentum referendum esse. Non enim sensus est, pavimentum fuisse stratum per circuitum; sed gazophylacia fuisse per circuitum atrii, uti statim explicatur.

GAZOPHYLACIUM — est exedra, id est locus ubi considetur, vel ubi residet et quiescit homo. Ita Pollux, lib. I, cap. IV. Scilicet erant hæc cubicula, ubi quiescebant et se recipiebant sacerdotes et levitæ, resque et supellectilem, opesque templi reponebant. Unde vocatur « gazophylacium et pastophorium, » ut dixi initio capitis. Ita S. Hieronymus, Ribera, Vilalpando, Maldonatus et alii. Porro « ante gazophylacia erant porticus, et in frontibus porticuum columnæ per ordinem porticus sustinentes, » ait S. Hieronymus.

Tropologice, gazophylacium Ecclesiæ est traditio Patrum. Rursum gazophylacia sunt memoriæ Sanctorum in quibus thesauri cœlestium asservantur, de quibus dicitur *Psalm.* CXLIV, 7 : « Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt. » Tale passionis Christi gazophylacium erat memoria sponsæ, *Cant.* I, 12, dicentis : « Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. » Hanc imitatus S. Bernardus ibidem fatetur, se a puero fasciculum passionum Christi collegisse, et in mente recondidisse.

PAVIMENTUM STRATUM LAPIDE IN ATRIO. — Hebræum רִצְפָּה *ritspa* significat prunas, et pavimentum stratum lapide prunas referente, id est lapide porphyretico. Hoc ergo durissimo, expolitissimo et pretiosissimo lapide stratum videtur fuisse pavimentum atrii (uti eodem, aliisque æque pretiosis lapidibus stratum videmus Romæ pavimentum templi S. Agnetis, aliaque nonnulla : in templo enim Salomonis nihil videri poterat præter cedrum, aurum, argentum, et marmor, lapidesque pretiosos), de quo S. Hieronymus : « Pavimentum, inquit, quod stratum erat lapidibus, et ante porticus atrii tendebatur, inferius erat in ascensione porticuum, et eamdem habebat longitudinem quam thalamorum ædificatio possidebat. » Quod deinde mystice explicans : « Pavimentum, ait, stratum erat lapide, ne luto, et terra, et pulvere peccatorum habitantium polluerentur vestigia, sed ut super vivos incederent lapides, quibus ædificatur templum Dei. » Eodem modo, sed clarius, Vilalpando hunc versum explicat.

18. IN FRONTE PORTARUM. — Hebraice *ad latus portarum*. Portas intelligit non gazophylaciorum, sed ipsius atrii exterioris, sive laicorum, quæ duæ erant, quibus ex atrio exteriori in atrium interius ingressus erat, ad quas portas per gradus ascendebatur : quia cum templum esset in monte, ad omnes portas et vestibuli et atrii per gradus ascendendum erat. Hoc est quod dicit : « Secundum longitudinem portarum erat inferius, » id est tanta erat pavimenti inferioris porta, quanta erat altitudo graduum, quibus ad portam ascendebatur. Hanc enim altitudinem, longitudinem portarum vocat, ut supra vers. 11, ait Maldonatus. Melius, S. Gregorius, *homil.* 18, et Vilalpando longitudinem hic non pro altitudine, sed proprie sumunt sensumque dant, *q. d.* Altitudo porticuum, quæ utrinque procurrebat a lateribus portarum, erat 50 cubitorum, quanta nimirum erat longitudo portarum. Harum vero porticuum, longe major erat longitudo, scilicet 500 cubitorum. Complebant enim totam latitudinem atrii Israelis. Metitur hic atrium exterius, sive atrium Israelis, puta laicorum, per partes, puta per areas varias, quæ a porta una usque ad aliam interjacebant; quæ areæ erant quasi parva atria, et porticus totius atrii, et porticus Israelis, quod erat ingens et vastum, utpote capax totius populi.

19. ET MENSUS EST LATITUDINEM (*latitudinem* vocat aream, sive spatium : qua enim alia ratione ad Orientem et ad Aquilonem latitudinem posset metiri? aream, inquam, quæ erat, vel intercurrebat) A FACIE PORTÆ INFERIORIS, — id est a principio portæ Orientalis (quam mensus est vers. 6), quod extrinsecus prospiciebat : hanc enim vocat faciem portæ. Inferiorem autem nuncupat respectu portæ atrii secundi, quæ erat superior, uti et ipsum ejus atrium. Nam a primo atrio ad secundum per octo gradus ascendebatur.

USQUE AD FRONTEM ATRII INTERIORIS (id est usque ad frontem, sive initium atrii sacerdotum) EXTRINSECUS, — *q. d.* Mensus est extra atrium interius spatium, quod erat inter illud et primam portam Orientalem, et invenit ejus latitudinem, id est spatium et capacitatem, puta tam ejus « longitudinem, » quæ spectatur ab Occidente « ad Orientem, » quam « latitudinem » proprie dictam, quæ spectatur a Meridie « ad Aquilonem, » esse 100 cubitorum. Erat ergo spatium hoc atrii non quadrangulum, sed quadratum omnibus suis lateribus et costis par et æquale. Ita Lyranus et Maldonatus et Vilalpando, qui hunc vers. 19 paraphrastice ita explicat : « Et mensus est latitudinem orientalis areæ atrii exterioris, a facie portæ exterioris nuper dimensæ, usque ad frontem atrii interioris, centum cubitis ab Oriente ad Occidentem, ac longitudinem totidem a Meridie ad Aquilonem : vel mensus est aream subdialem inter exteriorem et interiorem portam jacentem, exclusis portis, latitudinis et longitudinis centum cubitorum. »

20. PORTAM QUOQUE, — *q. d.* Angelus me ex porta Orientali, quam hactenus mihi ostendit, et dimensus est, deduxit ad portam Aquilonarem ejusdem atrii exterioris, et mensus est singularum ejus partium longitudinem et latitudinem, invenitque illud per omnia Orientali esse simile et æquale, ut tri-

bus versibus seq., eadem quæ de Orientali dixerat, iterando enarret. Transit enim hic ad dimensionem portæ Aquilonaris, sub qua et ejus vestibulum et thalamos adjunctos comprehendit.

23. ET PORTA ATRII INTERIORIS, — id est his duabus portis atrii exterioris, Orientali et Aquilonari, quas delineavi, respondebant ex adverso aliæ duæ portæ in atrio interiori. Idemque de aliis portis intelligendum est. Ita Maldonatus.

24. AD VIAM AUSTRALEM. — Dimetitur hic portam Australem eodem plane modo, quo reliquas jam dictas. Omittit hic dimensionem portæ Occidentalis, quia in atrium exterius tribus tantum portis extrinsecus erat ingressus. Nam quarta porta quæ erat ad Occidentem, communis erat atrii exterioris et interioris, qua ab uno in aliud transibatur.

28. ET INTRODUXIT ME IN ATRIUM INTERIUS. — Transit a dimensione atrii exterioris, sive laicorum, quod dicebatur atrium Israelis, ad dimensionem atrii interioris, sive sacerdotum, illudque dimetitur eadem figura et mensura, qua exterius usque ad vers. 32.

29. THALAMUM EJUS. — Hebraice תאו *taaf*, id est thalamos ejus. Ita Septuaginta; plures enim erant, ut patet ex vers. 10.

30. ET VESTIBULUM. — Hebraice אלמו *elammaf*, id est, *vestibula ejus per gyrum longitudine viginti quinque cubitorum, et latitudine quinque cubitorum.* Ita Romana, Hebræa, S. Hieronymus, Vatablus et alii passim. Male ergo Vilalpando legit: *Quinquaginta cubitos longitudinis, et latitudinis viginti quinque cubitos.* Dices : Vestibula omnia erant æqualia; atqui cætera erant longa 50 cubitos, lata 25; ergo et hoc. Respondet S. Hieronymus : « Hanc ambiguitatem tollit illud quod sequitur : Et vestibulum ejus ad atrium exterius, et palmas ejus in fronte, ut scilicet hoc atrium quod habebat in longitudine viginti quinque cubitos, et in latitudine quinque, non interioris, sed exterioris atrii sit, ut prioris atrii longitudinem, id est viginti quinque cubitos, exterioris atrii possideat longitudo, et in latitudine quinque cubitos teneat. »

Secundo, Maldonatus *elammim* vel *ulamoth*, inquit, id est vestibula, vocantur illa quatuor spatia vacua, quæ inter thalamos magni vestibuli erant, quorum unumquodque 5 habebat cubitos latitudinis, ut dixit vers. 7, longitudinis autem 25; hæc enim erat latitudo magni vestibuli. Vocat autem hic vestibulum spatium, quod constabat ex duobus oppositis collibus, qui inter thalamos erant, alter ex una, alter ex altera parte, et præterea ex spatio vacuo magni vestibuli.

Symbolice, quid significent hæ mensuræ et numeri, puta 25, 50, 60, 100, etc., vide apud Riberam, lib. I *De Templo*, cap. XX, ac apud Petrum Bongum Bergomatem, lib. *De Numer. mysteriis*, quo singulorum numerorum in S. Scriptura celebrium symbola et significationes fuse persequitur.

32. ET INTRODUXIT ME IN ATRIUM INTERIUS, — non in aliud, sed in illud idem atrium sacerdotum, quod interius appellatur, sed per aliam portam, ait Maldonatus.

33. THALAMUM EJUS ET FRONTEM EJUS. — Hebraice, *thalamos et frontes ejus*, uti et vers. 29, et vers. 36. Vers. 33.

35. ET INTRODUXIT ME AD PORTAM — Septentrionalem ejusdem atrii. Nota : Quidquid in una porta mensuratur, id aliis omnibus est commune. Ita Vilalpando.

38. ET PER SINGULA GAZOPHYLACIA OSTIUM IN FRONTIBUS PORTARUM : IBI LAVABANT HOLOCAUSTUM, — id est ad sena (tot enim erant thalamorum ostia), quæ erant inter frontes interiores portarum, lavabantur holocausta. Ita Vilalpando, *q. d.* Singuli thalami, sive gazophylacia habebant sua ostia, per quæ ex atrio victimæ immolandæ in illa inferebantur, ut in ipsis earum intestina et carnes lavarentur ante earum oblationem et concremationem. Ad hoc enim exstructa erant hæc gazophylacia. Vers. 38.

39. ET IN VESTIBULO (interiori) PORTÆ, DUÆ MENSÆ HINC, ET DUÆ MENSÆ INDE. — Vestibulum portæ vocat, quod portæ eminentia tegitur; quod duplex erat, alterum interius, alterum exterius : in utroque quaternæ erant mensæ, id est universim octo, ut ait vers. 41, *q. d.* In ipso vestibulo interiori portæ, erant duæ mensæ hinc ad binos postes, et duæ mensæ illinc ad totidem similes postes : super quibus expansæ pecudes jugulabantur in holocaustum, vel pro peccato, vel pro ignorantiæ delicto. Ita Vilalpando. Vers. 39.

40. ET AD LATUS EXTERIUS (vestibuli), QUOD ASCENDIT AD OSTIUM PORTÆ, QUÆ PERGIT AD AQUILONEM, — *q. d.* Cum primum quis, ascensis gradibus, ostium ingreditur vestibuli exterioris per portam Aquilonarem, duæ erant mensæ ab uno latere, et duæ ab altero, id est universim 4, æque ac in interiori vestibulo, uti dixi vers. præcedenti; unde subdit : Vers. 40.

41. QUATUOR MENSÆ HINC (id est intra portam vestibuli) ET QUATUOR INDE, — scilicet extra portam, ita ut in totum essent octo mensæ, super quibus jugulabantur victimæ. Vers. 41.

42. QUATUOR AUTEM MENSÆ AD HOLOCAUSTUM (non aliæ, sed eædem jam dictæ : nam et priores fuisse ad holocausta dixit vers. 39. Repetit ergo hasce mensas, ut earum materiam et quantitatem describat, scilicet quod fuerint) DE LAPIDIBUS QUADRIS EXSTRUCTÆ, LONGITUDINE CUBITI UNIUS ET DIMIDII : ET LATITUDINE CUBITI UNIUS ET DIMIDII : ET ALTITUDINE CUBITI UNIUS. — Quod mystice explicans S. Hieronymus : Longitudo, ait, habet cubitum et dimidium, itidem et latitudo, « quæ simul juncta tres cubitos faciunt : qui tres cubiti habent in altitudine cubitum unum, ut mysteria Trinitatis unius cubiti, hoc est divinæ Majestatis mensura conservet, dicente Domino : Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Nomen autem Dei, quasi unius altitudinis cubitus est, qui tres complectitur proprietates, et holocausta oblationum nostrarum semper assumit. Vers. 42.

Super mensas autem ponuntur vasa in quibus immolatur holocaustum martyrum, de quibus dicitur : Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus : et eorum victimæ, qui continentia, et corporis sanctitate animas suas immolant Domino ; mensarumque istarum nomina puto in Matthæo, et Luca, et Marco, et Joanne Apostolis contineri. » Quadratæ mensæ significant firma proposita virtutis conceptæ, et mente destinatæ, de quibus ait S. Augustinus in *Psalm.* LXXXVI : « In omni opere bono conquadramini, ad omnes tentationes parati, quidquid impulerit, non vos evertat. » Talis quadratura charitatis Christi erat in Paulo, cum diceret, *Roman.* VIII, 35 : « Quis nos separabit a charitate Christi? etc. Certus sum quia neque mors, neque vita, » etc.

SUPER QUAS PONANT VASA, IN QUIBUS (id est *quibus* : est enim Hebræum *beth*, id est *in*, instrumenti) IMMOLATUR HOLOCAUSTUM. — Talia vasa erant cultri, phialæ, quibus sanguis victimarum excipiebatur ; acetabula et scutellæ, quibus thus, simila et sal, quibus aspergenda erat victima, imponebantur, de quibus dixi *Exodi* XXV, 29.

43. ET LABIA EARUM. — Legit שפתים *sephataim*, per *sin*, id est *labia* : jam legunt *schephataim* per *schin*, vertuntque *tripodes*, quibus imponuntur ollæ : ita R. David, aut *uncinos ferreos*, quibus suspendi solent carnes. Ita Chaldæus, R. Salomon, Pagninus, Pineda, lib. V *De Rebus Salomonis*, cap. X, et Maldonatus. Unde Vatablus vertit : *Et clavi palmares aptati fuerant in ea domo per circuitum.* Verum melius Noster legit per *sin*, vertitque *labia*. Nam ita quoque verterunt Septuaginta : jam *labia earum* vocat cymatia mensarum, sive earum additamenta, et ornamenta superiora, quæ idcirco erant reflexa. Hæc enim erant palmi unius. Ita Vilalpandus. Dicuntur cymatia a Græco κῦμα, id est *unda* : undæ enim speciem hæc ornamenta habebant.

44. EXTRA PORTAM INTERIOREM (id est, atrii interioris, quasi dicat : Atrium interius ingressus, vidi) GAZOPHYLACIA (id est cubicula) CANTORUM. — Erant in atrio quolibet tres portæ, præter Occidentalem, qua ingressus erat in Sacrarium. Ad singulas hasce tres portas erant decem gazophylacia, id est cubicula, puta quinque ad unum latus, quinque ad alterum, ita ut universim essent 30, ut dixit vers. 17. In hisce habitabant levitæ aliique templi ministri, juxta cujusque gradum, ordinem et officium. In iis ergo quæ erant ad Aquilonem, dicit habitasse cantores.

UNA EX LATERE PORTÆ. — Hebraice אחד *echad*, id est unus, scilicet ordo cubiculorum erat versus illud latus portæ Orientalis quod Aquilonem spectat : alter autem ordo cubiculorum erat versus Occidentem. Hic ergo respiciebat Orientalem portam, ille Occidentalem. Ita Maldonatus.

45. HOC EST GAZOPHYLACIUM, — id est, hic est alter cubiculorum ordo qui respicit Aquilonem : hic erit pro habitaculo sacerdotum, qui custodiunt et curant res altaris, puta qui sacrificant.

46. GAZOPHYLACIUM QUOD RESPICIT AD VIAM AQUILONIS, SACERDOTUM ERIT, QUI EXCUBANT AD MINISTERIUM ALTARIS. — Hebraice, *qui custodiunt altare*, puta ignem altaris perpetuum. Ex quo suas custodias Vestalis ignis per virgines Vestales, quasi Vestæ sacerdotes, mutuata est delusa antiquitas ; de quo Virgilius, *Æneid.* IV :

> Vigilemque sacraverat ignem,
> Excubias divum æternas.

ISTI SUNT FILII SADOC, — qui illustris fuit Pontifex tempore Salomonis, primusque in ejus templo sacrificavit, et munia sacra obivit, ac Salomonem in regem unxit et consecravit.

QUI ACCEDUNT DE FILIIS LEVI, — id est qui sunt Levitæ, sive posteri Levi, quos Deus sibi elegit ut accedant ad templi ministeria, in eisque ei serviant et ministrent.

47. ET MENSUS EST ATRIUM (interius, quod interiorem portam egressus paulo ante ingressus fuerat, ait Vilalpando) LONGITUDINE CENTUM CUBITORUM, ET LATITUDINE CENTUM. — Erat ergo atrium hoc sacerdotum non quadrangulum, sed quadratum, omnibus lateribus isopleuron et æquale. Audi S. Gregorium, *hom.* 22, hoc atrium describentem : « In parte autem superiore (inquit) tres portæ descriptæ sunt, id est, Orientis, Austri et Aquilonis : ac deinde porta atrii interioris dicta est, in qua mensæ de quadris lapidibus exstructæ memorantur : et porta, quæ respiciebat ad Aquilonem, in qua mensæ essent ad sacrificium, non ad holocaustum, etc. Sed, his expletis, rursus Propheta incipit interiorem portam, atque tres alias, id est Aquilonis, Austri et Orientis describere, et in earum atrio interiori, quod erat extra portam interiorem, esse gazophylacia, cantores, sacerdotes, templum, altare, sacrificia perhibet. » Hæc S. Gregorius, qui sex duntaxat portas recensens, tres scilicet exteriores et tres interiores, cum Scriptura plures videatur recensere, easdem repetitas esse docet. Atrium ergo, quod situm erat inter portas tres interiores, nunc metitur Angelus, longitudine centum cubitorum, et latitudine centum cubitorum per quadrum.

Audi et S. Hieronymum : « Iste autem vir, inquit, qui introduxit Ezechielem in atrium interius, et, ut ita loquar, ad Sancta sanctorum, mensus est ipsum atrium, in quo erant duæ exedræ, sive gazophylacia custodum templi, sive altaris habitaculis delegata : et reperit longitudinis et latitudinis per quadrum centenos cubitos, ut sacerdotes ministerio Dei servientes, qui per arctam et angustam viam intraverant, habeant deambulacra latissima, et in perfecto consummatoque virtutum numero commorentur. »

ET ALTARE ANTE FACIEM TEMPLI. — Templum hic proprie dictum, scilicet sacerdotum, non laicorum accipe, puta Sanctum et Sanctum sanctorum. Ante Sanctum enim in atrio sacerdotum,

sub dio erat altare holocaustorum. Unde de eodem subdit :

Vers. 48. 48. ET INTRODUXIT ME IN VESTIBULUM TEMPLI. — Transit ab atrio ad domum, puta ad templum; unde hic ejus mensuras inchoat a vestibulo, quod Symmachus *propylæon*, et Vitruvius πρόναον vocat. Erat enim ante fores templi, et superne tectum, ut templo exeuntes ibi degere possent, tutique esse a pluvia, grandine, æstu, etc., qualia vestibula Romæ in plerisque templis videmus. Nota : Inter atrium sacerdotum et templum intererat platea 20 cubitorum, quæ circumquaque templum proxime cingebat, de qua cap. XLI, 10. Post hanc plateam erat vestibulum, sive porticus templi, plane adhærens templo, ejusque portæ, ut ea aperta statim esset ingressus in templum. De eo hic agitur, ut, eo mensurato, incipiat mensurare ipsum templum, uti facit cap. sequent. Vestibulum hic ergo non aream subdialem, nec atrium sacerdotum, uti alibi; sed ipsa templi adyta, puta locum ante templum superne tectum, ita ut templi ipsius pars et initium esse videatur, significat. In hoc vestibulum, uti et in templum nulli laico, sed solis sacerdotibus fas erat ingredi. In hoc ergo vestibulum nunquam Christus ingressus est, nec Apostoli, quia ipsi non erant sacerdotes levitici. De vestibulo plura dixi vers. 8. Ibi enim dimensus est vestibulum atrii, sicut hic dimetitur vestibulum templi.

Mensuræ vestibuli, sive porticus templi.

ET MENSUS EST VESTIBULUM QUINQUE CUBITIS. — « Vestibulum » hic non accipit totum et integrum : hoc enim fuit longum viginti cubitis, latum undecim ; ut sequitur sed murum quo utrinque claudebatur vestibulum, quod Vilalpandus vocat *postem vestibuli;* Chaldæus et R. David, *frontem vestibuli.* Hujus muri utrinque crassitiem hic describit, scilicet quod utrinque fuerit crassus quinque cubitis.

ET LATITUDINEM PORTÆ. — Ita vocat latera post portam, quæ utrinque habebant tres cubitos, id est universim sex : quos si demas a viginti cubitis, quibus longum erat vestibulum, ut sequitur, remanebunt 14 cubiti, quibus lata erat porta. Ita R. David et Vilalpandus.

49. LONGITUDINEM AUTEM VESTIBULI VIGINTI CUBITORUM. — Nota : Latitudo templi erat viginti cubitorum; longitudo autem templi ab Oriente in Occidentem tendebatur : vestibulum autem hoc, sive porticus, situm erat ab Oriente templi, eratque longum cubitos 20 quanta erat latitudo domus : ita ut ex æquo responderet longitudini vestibuli domus, quod justa fabricæ proportio exigebat. Ita Vilalpandus.

Ejusdem mensuræ fuit porticus templi Salomonis, ad cujus ideam facta est hæc fabrica templi Ezechielis. De illa enim sic dicitur III *Reg.* VI, 3 : « Et porticus erat ante templum viginti cubitorum longitudinis. » Sed difficultas est in eo quod ibidem sequitur : « Et habebat decem cubitos latitudinis ante faciem templi. » Nam hoc Ezechielis dicitur hic non 10, sed 11 habuisse cubitos. Respondet Vilalpandus, part. II, lib. III, cap. XLVI, fuisse præcise 10 cubitos cum dimidio ; unde liberum fuit scriptori vel a minori nominare, ut fecit historicus lib. III. *Reg.* decem scribendo ; vel a majori, ut fecit Ezechiel, undecim numerando, quoniam æque distat ab utroque.

Porro latitudo porticus erat centum viginti cubitorum, uti asserit Scriptura, II *Paral.* III, 4, et Josephus, lib. VIII *Antiq.* cap. II. Hæc porticus alia fuit ab illa quæ in Evangelio vocatur porticus Salomonis, in qua docebant Christus et Apostoli, *Actor.* V, 12, de qua vide Vilalpandum et Pinedam, lib. V *De Rebus Salom.* cap. V, § 19. In hanc enim soli ingrediebantur sacerdotes Aaronici.

Mystice, longitudo viginti cubitorum significat longanimitatem et patientiam electorum : erat juxta latitudinem templi, in qua designatur latitudo charitatis : quia quanta est latitudo charitatis, quæ in amicos et in inimicos extenditur, tanta debet esse longanimitas et patientia in operibus pœnitentiæ et aliarum virtutum, ut tam suavia quam insuavia amplectatur, et nullo tempore desit, nulla difficultate vincatur, juxta illud : « Patientia opus perfectum habeat. » Ita Ribera, lib. I, cap. XX.

ET COLUMNÆ ERANT IN FRONTIBUS, — similes illis duabus æreis quas fecit Salomon, ac nominavit Booz et Jachin, id est fortitudinem et firmitatem, vel directionem, *q. d.* Utinam Deus diutissime hoc templum servet, dirigat et confirmet! Porro columnas has singulas in circumferentia fuisse sex cubitorum, in altitudine viginti ; coronamenta vero, id est epistylia, zoophoros, coronices, simul sumpta fuisse alta quinque cubitis, docet Vilalpandus.

Mystice, hæ duæ columnæ, scilicet una ad dexteram, altera ad sinistram, significant fortitudinem et perseverantiam tam in prosperis quam in adversis. Vide de his columnis dicta I *Reg.* VII, 15

EXPOSITIO MYSTICA CAPITIS XL,

EX S. GREGORIO.

SCRIPSIT S. GREGORIUS IN HOC CAPUT TOTUM LIBRUM II IN EZECHIELEM, PUTA AB HOMILIA XIII USQUE AD XXII ET ULTIMAM; HOMILIAS DECEM, IN QUIBUS FUSE ÆQUE AC PULCHRE HÆC IN SENSU MORALI EXPLICAT. CONTRAHAM VERBA EJUS IN PAUCA, SED ITA, UT IPSIS EJUS VERBIS UTAR; SIC ERGO AIT :

SYNOPSIS HOMILIÆ XIII.

1. FACTA EST SUPER ME MANUS DOMINI. — « Manus in visione est virtus in contemplatione. »

2. DIMISIT ME SUPER MONTEM EXCELSUM NIMIS. — « Mons hic est Christus, mediator Dei et hominum : excelsus est, quia Deus est et homo; quia etsi de terra est per substantiam humilitatis, incomprehensibilis tamen est ex altitudine divinitatis. »

SUPER QUEM ERAT QUASI ÆDIFICIUM CIVITATIS VERGENTIS AD AUSTRUM. — « Dicit *quasi*, quia cor audientium ad spiritualem fabricam mittit, de qua *Psalm.* CXXI : Jerusalem quæ ædificatur ut civitas. Quia enim illa internæ pacis visio ex sanctorum civium congregatione construitur, Jerusalem cœlestis ut civitas ædificatur. Quæ tamen in hac peregrinationis terra dum flagellis percutitur, tribulationibus tunditur, ejus lapides quotidie quadrantur. Et ipsa est civitas, scilicet sancta Ecclesia, quæ regnatura in cœlo, adhuc laborat in terra. Cujus civibus Petrus dicit : Et vos tanquam lapides vivi superædificamini. Et Paulus ait : Dei agricultura, Dei ædificatio estis. Quæ videlicet civitas habet hic in Sanctorum moribus magnum jam ædificium suum : in ædificio quippe lapis lapidem portat, quia lapis super lapidem ponitur; et qui portat alterum, portatur ab altero. Sic itaque, sic in sancta Ecclesia unusquisque et portat alterum, et portatur ab altero. Nam vicissim se proximi tolerant, ut per eos ædificium charitatis surgat. Hinc enim Paulus admonet, dicens : Invicem onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi. Cujus legis virtutem denuntians, ait : Plenitudo legis charitas. Si enim ego vos portare negligo in moribus meis, et vos me tolerare contemnitis in moribus vestris, charitatis ædificium inter nos unde surgit, quos vicaria dilectio per patientiam non conjungit? Omne autem pondus fabricæ fundamentum portat, et ipsum ab aliis non portatur; quia Redemptor noster omnia nostra tolerat, sed in ipso malum non fuit, quod tolerari debuisset. »

Ecclesiæ fabrica qualis?

SUPER MONTEM (« ergo, id est super Christum ») ERAT QUASI ÆDIFICIUM CIVITATIS, — « quia mores et culpas nostras solus ille sustinet, qui Ecclesiæ fabricam portat. Et notandum, quod civitatem » ad Austrum « vergentem vidit. Auster enim est symbolum Spiritus Sancti, aquilo diaboli, quia et ille relaxat in calore, et iste constringit in frigore; de illo dicitur *Psalm.* CXXV : Converte, Domine, captivitatem nostram sicut torrens in Austro. Captivitas enim nostra, quæ torporis frigore ad sequendum Deum pigra remanserat, per calorem Spiritus Sancti relaxatur, ut currat in amorem Dei. Unde et valido amore succensus contemplator dicebat : Anima mea exsultavit in Domino, delectabitur super salutari suo; quia inde gaudium in mente conceperat, unde per amorem fortiter ardebat. Prior ergo illa civitas, scilicet Synagoga, in infidelibus suis ad Aquilonem stetit, quæ in frigore perfidiæ duravit. Sancta vero Ecclesia, quia charitatem fidei concepit, per calorem ad Austrum vergit, et quasi calido vento innititur, quia non in sui fiducia, sed in dono spiritualis gratiæ lætatur. »

3. ET INTRODUXIT ME ILLUC. — « Cœlestis civitatis ædificium ille intrat, qui in sancta Ecclesia bonorum vias imitando considerat, v. g. conjugatus, qui suis rebus contentus est, et quidquid prævalet indigentibus largitur, ac peccata sine quibus quotidiana vita conjugalis duci non potest, flere non negligit. Ille vero jam cuncta quæ mundi sunt deseruit, qui solius contemplationis exercitatione pascitur, spe præmiorum cœlestium cum fletibus lætatur, transcendit præsentia, quotidianum cum Domino habere secretum quærit, nulla ejus animum prætereuntis mundi cura perturbat, mentem semper in exspectatione cœlestium gaudiorum dilatat. »

ET ECCE VIR, CUJUS ERAT SPECIES QUASI SPECIES ÆRIS. — « Ipse signatur in viro, qui figuratur in monte (scilicet Christus), quia et ipse omnia intra S. Ecclesiam judicando disponit, et ipse eamdem portat, et portando ad cœlestia sublevat. Habet speciem æris, quod durabile est et sonorum; quia formam servi accipiens, fragilitatem nostram carnis humanæ, per resurrectionis suæ gloriam vertit in æternitatem; quia in ea caro facta est jam sine fine durabilis, ac per eamdem insonuit omnibus gloria majestatis suæ, quia Deus mundo innotuit ex carne. Solus enim torcular, ut ait Isaias

Æs symbolum æternitatis beatæ.

(cap. LXIII) in quo calcatus est, calcavit, qui sua patientia, quam pertulit, passionem vicit. »

Camerarii sunt sancti doctores.

ET FUNICULUS LINEUS IN MANU EJUS. — « Septuaginta habent : *Funiculus camerariorum.* Quid aliud camerarios, quam sanctos doctores accipimus, qui loquendo spiritalia ad cœleste ædificium vivos lapides, id est electorum animas, componunt? Funiculus lineus est prædicatio subtilis, quæ non tantum opera externa, uti lex Judaica, sed etiam mentem audientis ligat, ne se vel in misera cogitatione dissolvat. Funiculus in manu est prædicatio in operatione; ipse enim ostendit omne quod docuit. Cœpit enim Jesus facere et docere. »

Calamus sunt judicia Dei.

ET CALAMUS MENSURÆ IN MANU EJUS. — « Per hunc calamum occultas esse dispositiones ejus agnoscimus. Nam per incomprehensibile ejus judicium, et alter inter mensuram electorum mittitur, et alter foras relinquitur. Redemptor enim noster alios a suis iniquitatibus educit, alios in sua iniquitate derelinquit. Potest etiam calamus mensuræ S. Scriptura pro eo intelligi, quod quisquis hanc legit, in ea semetipsum metitur, quantum in spirituali virtute proficit aut deficit. »

STABAT AUTEM IN PORTA. — « Quia redemptor noster incarnatus per humanitatem visibilis apparuit, et sese invisibilem per divinitatem servavit. Qui enim in porta stat, ex quadam parte foris, ex quadam vero parte intus videtur. Unde de eo dicitur (*Cant.* II) : En ipse stat post parietem nostrum, quia humanitatis naturam quam assumpsit ostendit, et divinitatis naturam humanis oculis occultavit. Respiciens per fenestram, prospiciens per cancellos, ut Deus et appareret ex miraculis, et lateret ex passionibus : et homo cerneretur ex passionibus; sed tamen esse ultra hominem ex miraculis agnosceretur. In porta ergo facie interius, et tergo exterius stetit, cujus oculi ædificium suum semper aspiciunt; quia quantum quisque in virtutibus proficiat indesinenter attendunt. Propheta vero ad portam respicit, quia qui verba Dei audit, semper oculos cordis ponere ad exitum debet, et sine cessatione meditari quomodo a præsente vita exeat, atque ad æterna gaudia pertingat. Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. »

4. ET LOCUTUS EST AD ME IDEM VIR. — « Christus enim in ipso quoque passionis suæ tempore præcepta vitæ discipulis dedit, ut si qui in eum credunt ad portam semper respiciant, et passionem ejus sollicita consideratione pensantes, a suo quoque exitu oculos mentis non avertant; quia dum a sacramentis temporalibus transire ad æterna cupimus, quasi jam præsenti vitæ terga dedimus, et cordis faciem in desiderio nostri exitus habemus. Portæ igitur intendit, qui veræ libertatis suæ gaudia conspicit, jamque exire concupiscit, sed adhuc non valet. Ibi enim stamus, ubi oculos mentis figimus. Unde Elias ait : Vivit Dominus, in cujus conspectu sto. Ibi utique stabat, ubi cor fixerat. »

SYNOPSIS HOMILIÆ XIV.

FILI HOMINIS, VIDE OCULIS TUIS, ET AURIBUS TUIS AUDI. — « Propheta vocatur filius hominis, ut memoretur semper quid sit ex infirmitate, ne extollatur de contemplationis magnitudine. Hinc post contemplationem et compunctionem sæpe sequitur tentatio, quatenus tentatio aggravet, ne contemplatio inflet; et item contemplatio elevat, ne tentatio demergat. Sic mira dispensatione in quodam medio anima libratur, ut neque in bonis superbiat, neque in malis cadat. Unde et per B. Job dicitur : Et aquas appendit in statera. »

ANNUNTIA OMNIA QUÆ TU VIDES. — « Quia quisquis spiritualia videndo proficit, oportet loquendo etiam hæc aliis propinet. »

Vers. 5. Murus est Christus.

5. ET ECCE MURUS FORINSECUS IN CIRCUITU DOMUS UNDIQUE. — « Murus est Christus, qui nos undique custodiendo circumdat, estque forinsecus; murus enim nobis intus est Deus, murus vero foris est Deus homo; idque in circuitu, quia qui sursum est firmitas angelorum, ipse deorsum factus est redemptio hominum, qui ut nos perfecte custodiret, omnia quæ docuit ostendit, nimirum despicere nos bona transitoria docuit, et mala temporalia non timere. Suscepit mortem, ne mori timeremus : ostendit resurrectionem, ut nos resurgere posse crederemus. »

Sex cubiti sunt vita activa; palmus contemplativa.

ET IN MANU VIRI CALAMUS MENSURÆ SEX CUBITORUM, ET PALMO. — « Calamus mensuræ est S. Scriptura, quia in ipsa omnem vitæ nostræ actionem metimur, ut videamus quantum proficimus, vel a profectu distamus. Est in manu viri, id est in potestate Christi, qui quod scribi voluit operando complevit. Per sex cubitos quid aliud quam vita activa exprimitur? quia sexto die perfecit Deus omnia opera sua. Contemplativa significatur per palmum, quia de ea etiam cum cor tendimus, vix parum aliquid attingere valemus. De septimo ergo cubito palmum tangimus, qui in hac vita positi contemplationis intimæ sola initia degustamus; ea ergo hic incipitur, ut in cœlesti patria perficiatur. »

ET MENSUS EST LATITUDINEM ÆDIFICII CALAMO UNO, ALTITUDINEM QUOQUE CALAMO UNO. — « *Primo,* Deus qui nec in magnis tenditur, nec in minimis angustiatur, sic de tota Ecclesia loquitur, ac si de una anima loquatur. Latitudo ergo pertinet ad charitatem proximi. Nil enim latius quam omnes in sinu amoris recipere, et nullas odii angustias sustinere. Altitudo pertinet ad intelligentiam contemplationis. Sed latitudo et altitudo ædificii uno calamo mensuratur : quia unaquæque anima, quantum lata fuerit in amore proximi, tantum et alta erit in cognitione Dei. *Secundo,* altitudo est angelica natura, latitudo humana; quia ista adhuc in imis degit, illa vero in sublimibus permanet. Sed uno calamo mensuratur utraque, quia humilitas hominum quandoque ad æqualitatem perducetur angelorum. »

SYNOPSIS HOMILIÆ XV.

6. ET VENIT AD PORTAM QUÆ RESPICIEBAT VIAM ORIENTALEM. — « Christus est vir, est et porta. Ipse enim in suis membris (fidelibus) est qui intrat, ipse est et caput ad quod intrantia membra perveniunt. Ipse enim nobis est via qui dicit : Ego sum via, veritas et vita. Ipse etiam orientalis via, de qua scriptum est (*Zachar.* VI) : Ecce vir, Oriens nomen ejus. Porta ergo viam orientalem respicit, quia illum signat, qui nobis iter ad ortum fecit luminis. Potest etiam portæ nomine unusquisque prædicator intelligi : quia quisquis nobis januam regni cœlestis ore suo aperit, porta est. »

Gradus sunt incrementa virtutum.

ET ASCENDIT PER GRADUS EJUS. — « Quid sunt gradus portæ, nisi merita et incrementa virtutum? de quibus dicitur *Psalm.* LXXXIII : Ambulabunt de virtute in virtutem. Aliud namque sunt virtutis exordia, aliud profectus, aliud perfectio. Christus ergo in nobis ascendit; quia tanto ipse sublimior nobis ostenditur, quantum noster animus a rebus infimis separatur. »

ET MENSUS EST LIMEN PORTÆ CALAMO UNO LATITUDINEM. — « Si porta est Dominus, quis hujus portæ limen est, nisi illi antiqui patres, ex quorum progenie Dominus incarnari dignatus est? Quia ergo eorum vitam in unitatem fidei, et perfecta operatio, et inchoata contemplatio sublimem reddidit, in uno calamo mensura liminis fuit. »

Limen sunt antiqui patres.

7. ET THALAMUM UNO CALAMO IN LONGUM, ET UNO CALAMO IN LATUM. — « Qui sunt in sancta Ecclesia thalami, nisi eorum corda, in quibus animæ per amorem sponso invisibili junguntur, ut ejus desiderio mens ardeat, nulla jam quæ in mundo sunt concupiscat, præsentis vitæ longitudinem pœnam deputet, exire festinet, et amoris amplexu in cœlestis sponsi visione requiescere? Longitudo ad longanimitatem exspectationis pertinet, et latitudo ad amplitudinem charitatis; quia quantum amorem habuerit ad colligendum proximum, tantum et longanimitatem exhibet ad exspectandum Deum, et patienter portat moras longitudinis : quia se in profectu proximi dilatat amplitudo charitatis; quia quantum lata mens fuerit per amorem, tantum erit et patiens per longanimitatem. »

ET INTER THALAMOS, QUINQUE CUBITOS. — « Quia qui ab exterioribus quinque sensibus adhuc ad intellectum mysticum non assurgunt, dum inter eos sunt, qui spiritu amoris fervent, velut manentes inter thalamos, in fidei constructione proficiunt, et a mensura cœlestis ædificii disjuncti non sunt : quia vapore charitatis animantur. Hoc est quod *Cant.* III, dicitur : Ferculum sibi fecit rex Salomon, etc., ascensum purpureum; quia maxima multitudo fidelium in exordio nascentis Ecclesiæ, per martyrium pervenit ad regnum. Verum quia nos ascensus purpureus non sumus, hinc media charitate constravit. Habe quippe charitatem, et ibi sine dubio pertines, ubi et columna argentea erigitur, et ascensus purpureus tenetur. »

8. ET LIMEN PORTÆ JUXTA VESTIBULUM PORTÆ INTRINSECUS CALAMO UNO. — « Duo limina, scilicet exterius et interius, sunt patres veteris, et patres novi Testamenti : quia qui Christum prædicare, et in eo sperare meruerunt, cunctis ad eum venientibus aperuerunt aditum fidei : sin per portam accipias S. Scripturam, limen exterius est littera, interius allegoria. Limen ergo calamo uno mensuratur : calamus autem in sex cubitis et palmo tenditur : quia videlicet in S. Scriptura doctrina perfectæ operationis, et initium supernæ contemplationis invenitur. Sin vero porta hoc loco unusquisque prædicator accipitur, limen exterius in porta est vita activa, limen vero interius vita contemplativa. Per istam quippe ambulatur in fide, per hanc vero festinatur ad speciem. »

SYNOPSIS HOMILIÆ XVI.

9. ET MENSUS EST VESTIBULUM PORTÆ OCTO CUBITORUM, ET FRONTEM EJUS DUOBUS CUBITIS : VESTIBULUM AUTEM PORTÆ ERAT INTRINSECUS. — « Quid per interius vestibulum, nisi æternæ vitæ latitudo designatur? Ad atrium (id est vestibulum) ergo per portam tenditur, quia ad latitudinem solemnitatis pertingitur ab angustia confessionis. Vestibulum octo cubitis dicitur mensuratum. Ibi enim omnes recipiendi sunt, qui nunc in exercitio operis laborant, et ad æterna gaudia per contemplationis gratiam suspirant : quia septem diebus universum tempus evolvitur. Æterna enim dies, quæ expleta septem dierum vicissitudine sequitur, octava est. Christus enim sexta feria passus est, sabbato quievit in sepulcro, Dominico die resurrexit a morte. Præsens ergo vita nobis adhuc est sexta feria, quia in doloribus ducitur, et in angustiis cruciatur. Sed sabbato quasi in sepulcro quiescimus; quia requiem animæ post corpus invenimus. Dominico vero die, videlicet a passione tertio, a conditione octavo, jam corpore a morte resurgemus, et in gloria animæ etiam cum carne gaudebimus. Quod ergo mire Salvator noster fecit in se, hoc veraciter significavit in nobis, ut nos dolor in sexta, et requies in septima, et gloria excipiat in octava. Octo itaque cubitis vestibulum mensuratur intrinsecus; quia per lucem quæ post septem dies sequitur, latitudo nobis æternitatis aperitur. »

Vers. 9. Vesbutilum est æternæ vitæ latitudo.

ET FRONTEM EJUS DUOBUS CUBITIS. — « Frons portæ est boni meritum vitæ præsentis. Frons ergo portæ duobus cubitis mensuratur : quia quisquis hic dilectionem Dei et proximi servare studuerit, ipse ad æternitatis atrium pertingit. »

10. PORRO THALAMI PORTÆ AD VIAM ORIENTALEM, TRES HINC, ET TRES INDE, ET MENSURA UNA TRIUM. — « *Primo*, thalami juxta viam orientalem sunt corda ferventium in amore Dei, *q. d.* Dum inter veteres et novos patres Dominus incarnari dignatus est,

quasi in medio thalamorum via orientalis apparuit, qui thalami ad veram speciem ex SS. Trinitatis sunt cognitione decorati. *Secundo*, tres thalami sunt tres virtutes, fides, spes et charitas, *q. d.* Eadem fides, spes et charitas in antiquis patribus quæ in novis doctoribus fuit. *Tertio*, tres thalami sunt tres fidelium status, scilicet prædicantium, continentium, conjugatorum (quos repræsentavit Noe, Daniel et Job, uti dixi cap. XIV) tam qui in veteri, quam qui in novo Testamento Deo famulati sunt. Trium una mensura est, quia etsi in eis meritorum magna est diversitas, tamen distantia in fide, in qua tenduntur, non est : vel certe quia in retributione ultima, quamvis eadem dignitas omnibus non sit, una tamen erit omnibus vita beatitudinis. Nam etsi dispar erit meritum singulorum, non erit diversitas gaudiorum : quia etsi alter minus, alter amplius exsultat, omnes tamen unum gaudium de conditoris sua visione lætificat. »

ET MENSURA UNA FRONTIUM. — « Quia patres nostri vel prius a veteri, vel nunc a novo Testamento venientes, in una mediatoris fide conveniunt. Qui, pro eo quod charitate pleni sunt, carnem suam abstinentia edomant, corda audientium prædicationis lumine illustrant, signa faciunt, virtutes operantur. Per hoc quod eorum bona nobis foris innotescunt, non immerito hujus cœlestis ædificii frontes vocantur. »

11. ET MENSUS EST LATITUDINEM LIMINIS PORTÆ DECEM CUBITORUM, ET LONGITUDINEM PORTÆ TREDECIM CUBITORUM. — « Longitudo portæ altitudo dicitur : latitudo fuit lex veteris, longitudo fuit gratia novi Testamenti, *q. d.* Durus ille Judæorum populus decalogum solum tenebat in fide, ei serviens in mandatorum latitudine, et legem SS. Trinitatis nesciens : sed per Testamentum novum in corde fidelis populi super mandata decalogi, quem verius custodit, cognitio SS. Trinitatis crevit. Quia quanto mundus ad extrema ducitur, tanto nobis æternæ scientiæ aditus largius aperitur. »

Vers. 12. Margo est fides.

12. ET MARGINEM ANTE THALAMOS CUBITI UNIUS. — « Margo ante thalamos est fides ante ardorem charitatis : quia nisi ea, quæ audis, credideris, ad amorem eorum quæ audieris nullatenus inflammaris. Margo est cubiti unius : quia tunc fides corda audientium in amore copulat, quando per errores et schismata diversa non est, sed in unitate perdurat. »

ET CUBITUS UNUS FINIS UTRINQUE. — « Quia Christus, quem lex prædixit, in carne apparuit, et ipse quem nunc novum Testamentum loquitur, in gloria majestatis apparebit. Et tunc utrorumque finis erit, cum visus in divinitatis suæ præsentia, omnia quæ sunt prædicta compleverit. Visio enim divinitatis, quæ una est in Patre, Filio et Spiritu Sancto, est quasi visio cubiti unius. Sic et arca *Genes.* VI, id est Ecclesia, quia ad unum hominem (Christum) qui est sine peccato, colligitur, quasi in uno cubito consummatur, ad quem omnes proficiunt qui se esse peccatores noverunt. Cubitus ergo unus finis utrinque est : quia unius Domini et Salvatoris visio in electis suis fidem finit, et charitatem perficit. »

SYNOPSIS HOMILIÆ XVII.

Thalami sunt fideles in amore perfecti.

THALAMI AUTEM SEX CUBITORUM. — « Palmus hic deest, qui superius in mensura calami dicebatur adesse (calamus enim continebat sex cubitos et palmum). Calamo ergo mensurantur thalami, id est fideles ita in amore perfecti, ut sex cubitos operationis, et palmum contemplationis possideant. Alii palmo carent, id est contemplari nesciunt. Hi sex cubitos habent, et palmum non habent; quia Deo per amorem juncti sunt, sed ex contemplatione disjuncti, » hinc et inde, « id est collecti ex Judæis et Gentilibus. »

Vers. 13.

13. ET MENSUS EST PORTAM A TECTO THALAMI USQUE AD TECTUM EJUS, LATITUDINEM VIGINTI QUINQUE CUBITORUM. — « Porta accipi potest, vel fides, vel Christus, vel S. Scriptura. Habet ergo thalamus tectum, quia Scriptura tota quidem propter nos scripta est, sed non tota intelligitur a nobis, ut ad humilitatem magis, quam ad intelligentiam proficiamus. Cœlestia enim quæ in ea dicuntur, solis supernis cœli civibus patent; in his tamen, ad quæ intelligendo pervenimus, dilatari per bonam operationem debemus, ut pertingamus ad latitudinem 25 cubitorum quia in exteriore quinque sensuum multiplici operatione (quinque enim multiplicata per semetipsa, id est per quinque, faciunt 25) probatur et cognoscitur, quæ intrinsecus largitas bonitatis habeatur. Potest et porta aditus regni cœlestis intelligi. Habet nunc thalamus tectum, habet et porta tectum; quia et quanta sit nostra charitas inter Deum et proximum non cognoscitur, et quando de hocce sæculo ad æternæ vitæ requiem introducamur ignoratur. Esse enim nobis Conditor noster diem mortis nostræ incognitum voluit, ut, dum semper ignoratur, semper esse proximus credatur, et tanto quis ferventior sit in operatione, quanto et incertus est de vocatione. »

OSTIUM CONTRA OSTIUM. — « Quia per aditum fidei aperitur aditus visionis Dei. *Secundo*, quia anima a cognitione sui ascendens, ac sensus et sensibilia omnia transcendens, tendit ad cognitionem Dei, de quo ait Psaltes, *Psalm.* CXXXVIII : Mirabilis facta est scientia tua ex me. Anima enim in corpore vita est carnis : Deus vero qui vivificat omnia, vita est animarum. »

14. ET FECIT FRONTES PER SEXAGINTA CUBITOS, ET AD FRONTEM ATRIUM PORTÆ UNDIQUE PER CIRCUITUM. — « Senarius numerus perfectus est, non quia (ut volunt arithmetici) suo ordine numeratus perficitur, ut cum unus, duo, tres dicuntur, senarius impleatur : vel quia in tribus partibus dividitur; id est sexta, tertia et dimidia, videlicet in uno,

duobus et tribus; sed quia sexto die perfecit Deus opera sua, *Gen.* I. Quoniam vero peccatori homini legem dedit, quæ in decem præceptis scripta est, et sex in decem ducta in sexagenarium surgunt, recte per sexaginta cubitos bonorum operum perfectio designatur. Unde in parabola seminantis, *Matth.* cap. XIII, unum afferebat triginta, et unum sexaginta, et unum centum; scilicet triginta, cum mens perfectionem fidei, quæ est in Trinitate, conceperit : sexaginta, cum bonæ vitæ opera perfecte protulerit : centum, cum ad æternæ vitæ contemplationem profecerit. *Fecit* itaque *frontes per sexaginta cubitos.* Quid enim per sexagenarium numerum, nisi perfectio; quid per frontes ædificii, nisi ipsa opera designantur, quæ exterius videntur? Prædicationis enim verbum tribuere, alimenta esurientibus, vestimenta algentibus dare, et pro bono opere patienter adversa tolerare, quid aliud quam frontes sunt ædificii cœlestis? Quia pulchritudo operum exteriorum ornat habitaculum Dei, quod adhuc latet intrinsecus. Sed istæ frontes habent *atrium undique per circuitum;* quia in hoc magna sunt opera, si hæc in mente dilatet amplitudo charitatis, de qua scriptum est *Psalm.* CXVIII : Latum mandatum tuum nimis. Via enim Dei et incipientibus angusta est, ut ait Christus, *Matth.* VII, et proficientibus et amantibus lata fit, ut pro amore ejus etiam persecutio placeat, et omnis pro eo afflictio in mentis dulcedine veniat, dum scit animus se pro temporalibus doloribus gaudia æterna recipere, itaque incipit quod affligitur amare : idque *undique per circuitum,* ut videlicet homo per omne quod agit, semper se in charitatis amplitudine dilatet, ne hanc aut timor, aut gaudia angustent. Si quis ergo de verbo Dei loquitur, et charitatem quam prædicat, in mente non servat, ædificii frontem habet, sed atrium ante frontem non habet. Sic est et qui illatas a proximo contumelias tolerat, sed in mente dolorem tenet, nec amat eum quem sustinet. Patientia enim vera est, quæ et ipsum amat quem portat, ac lucrari ad tranquillitatem mansuetudinis etiam ipsum, qui male excesserat, quærit. Nam tolerare, sed odisse, non est virtus mansuetudinis, sed velamentum furoris. Hoc *atrium portæ* dicitur, quia in quantum quis amat Deum et proximum, in tantum ad ingressum regni cœlestis propinquat; quod licet adhuc contingere non possumus, jam tamen per desiderium intramus. »

Atrium ante frontem est charitatis amplitudo.

Vers. 15. 15. ET ANTE FACIEM PORTÆ, QUÆ PERTINGEBAT USQUE AD FACIEM VESTIBULI PORTÆ INTERIORIS, QUINQUAGINTA CUBITOS. — « Per locum hunc spes nostra signatur, quæ dum æternam requiem (hanc enim significat numerus quinquagesimus : hic enim est anni jubilæi) quærit, mentem ad vestibulum portæ interioris ducit : signetur ergo per portam fides, per atrium charitas, per locum ducentem ad vestibulum spes; quia per desideria atque suspiria introducit animum ad secreta gaudia quietis. »

16. ET FENESTRAS OBLIQUAS IN THALAMIS. — « Quia exiguum valde est, quod de æternitate mentes contemplantium vident, sed ex ipso exiguo laxatur sinus mentium in augmento fervoris et amoris. Et inde apud se amplæ sunt, unde ad se veritatis lumen, quasi per angustias admittunt. »

ET IN FRONTIBUS EORUM, QUÆ ERANT INTRA PORTAM UNDIQUE PER CIRCUITUM, — « scilicet erant fenestræ hæ obliquæ : quia quisquis cor intus habet, ipse quoque lumen contemplationis suscipit : dum enim sola visibilia cogitantur, lumen invisibile ad mentem non admittitur. Rursum *obliquæ* significat contemplationi studentem debere esse humilem. Per obliquas enim fenestras lumen intrat, et fur non intrat : quia qui vere speculatores sunt, semper sensum in humilitate deprimunt, atque ad earum mentes intelligentia contemplationis intrat, sed jactantia elationis non intrat. Et patent itaque fenestræ, et munitæ sunt, idque *per circuitum,* quia gratiam contemplationis sæpe summi, sæpe minimi, sæpius remoti, aliquando etiam conjugati percipiunt, ne quis de ea, quasi privato dono glorietur, dum sæpe alter est ditior, quem habere apud se bonum aliquod non putat. »

SIMILITER AUTEM ERANT ET IN VESTIBULIS FENESTRÆ PER GYRUM INTRINSECUS. — « Fenestræ in vestibulis est donum contemplationis in fidelibus, qui humanis oculis despecti videntur, sed apud se sapientiæ studiis vacant, ad cœlestia anhelant, atque in quantum prævalent, quæ sint gaudia æterna, considerant. Bene autem dicitur *in gyrum,* quia Sanctorum vitam omniaque circumspiciunt, ut in moribus proficiant. »

ET ANTE FRONTES PICTURA PALMARUM. — « Quid per palmas, nisi præmia victoriæ designantur? Unde de iis qui in certamine martyrii hostem antiquum vicerant, scriptum est *Apocal.* VII : Et palmæ in manibus eorum. Palmas quippe in manibus tenere, est victorias in operatione tenuisse. Dicitur autem pictura palmarum, non palmæ, quia sanctos viros aspicimus mira agere, leprosos mundare, dæmones ejicere, futura prædicere. Sed cuncta hæc nondum palmæ sunt, sed pictura palmarum. Nam et hæc aliquando dantur reprobis. Unum vero signum electionis est, soliditas charitatis : mira enim, quæ electi faciunt ex charitate, hæc reprobi student agere per elationem. In hac ergo vita Sanctis non dantur palmæ, sed pictura et ostensio palmarum, quas a Deo accipient in futuro. Ibi enim eis palma erit, ubi jam mortis contentio non erit, cum fiet sermo, qui scriptus est : Absorpta est mors in victoria. Ubi est, mors, victoria tua? Ubi est, mors, stimulus tuus? I *Corinth.* XV. »

SYNOPSIS HOMILIÆ XVIII.

17. ET ECCE GAZOPHYLACIA, ET PAVIMENTUM STRATUM LAPIDE IN ATRIO PER CIRCUITUM. — « Quia græce Vers. 17.

Gazophylacia sunt corda doctorum.

φυλάττειν servare dicitur, et gaza persice divitiæ vocantur, gazophylacium locus appellari solet, in quo divitiæ servantur. Quid itaque per gazophylacia designatur, nisi corda doctorum sapientiæ ac scientiæ divitiis plena? Qui igitur bene vivit, et prudenter prædicat, gazophylacium spiritualis ædificii est: quia ab ejus ore cœlestes divitiæ dispensantur, juxta illud *Proverb.* XXII : Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis. Habent ipsa gazophylacia pavimentum per circuitum, quia eis adhæret ac subjacet humilitas auditorum : quod pavimentum recte stratum lapide in atrio dicitur, quia in latitudinem charitatis vicissim sibi junctæ sunt animæ fideles : quæ et lapides appellantur pro fortitudine fidei, et stratæ in pavimento sunt in compage humilitatis. »

TRIGINTA GAZOPHYLACIA IN CIRCUITU PAVIMENTI. — « Denarius significat perfectionem, quia in decem præceptis legis custodia, ac vita activa et contemplativa continetur. Sunt ergo gazophylacia triginta, ut cum denarius ter ducitur, vita et lingua doctoris in fide SS. Trinitatis solidetur. *In circuitu pavimenti.* Gazophylacia ergo fuerunt inter pavimentum, et vicissim pavimentum inter gazophylacia. Habet enim pavimentum in circuitu gazophylacia; quia vitam audientium erudit quotidie et custodit lingua doctorum. Sed habent ipsa quoque gazophylacia in circuitu pavimentum; quia sæpe etiam doctorum cor vitiorum tentationibus, elationis, iræ, etc., tangitur; sed eis magna custodia est vita venerabilis auditorum : quia erubescunt pulsantibus vitiis non resistere, qui contra vitia alios armaverunt. »

18. ET PAVIMENTUM IN FRONTE PORTARUM SECUNDUM LONGITUDINEM PORTARUM ERAT INFERIUS. — « Quid est, quod pavimentum cum portis longum similiter erat, sed æquale non erat, nisi quod longe distat vita populorum a vita docentium? Quia etsi ad regna cœlestia tendentes eamdem longanimitatem spei habeant, eadem tamen vivendi studia non habent. Pavimentum enim inferius jacet, ut omnes auditores prædicatores suos longe suis meritis antecedere cognoscant. Rursum, tanto pavimentum jacet inferius, quanto unaquæque porta surgit in altitudinem : quia quanto sanctior est vita doctoris, tanto fit humilior sensus audientis. »

19. ET MENSUS EST LATITUDINEM A FACIE PORTÆ INFERIORIS, USQUE AD FRONTEM ATRII INTERIORIS EXTRINSECUS, CENTUM CUBITOS AD ORIENTEM, ET AD AQUILONEM. — « Porta inferior fides est, atrium vero interius contemplatio : per centenarium magna perfectio designatur. Ait ergo : *Mensus est latitudinem*, etc. Quia Redemptor noster quotidie per magistros et doctores, in mensura perfectionis metitur vitam fidelium, vel in specie boni operis per fidem, vel in sanctis desideriis per contemplationem. Centum ergo cubitis mensuratur is, cujus bona operatio recta intentione utitur. Sunt enim qui ab alimentis abstinent, carnem cruciant; sed tamen si palpati fuerint, cognoscuntur quia ad mundi gloriam anhelent. Isti frontem atrii interioris ostendunt, sed per centum cubitos non mensurantur. Porro extrinsecus porta mensuratur, quia per hoc quod videmus, cognoscimus operantis animum et perfectionem, quam non videmus. Cum enim alios conspicimus largiri eleemosynam, afflicto occurrere, oppresso subvenire, nihil in hoc mundo gloriæ quærere, nullis hujus mundi compendiis inhiare : atque alios videmus carnem domare, lacrymis insistere, verbis cœlestibus occupari, nihil transitorii honoris appetere, quid aliud debemus, nisi eos perfectos esse credere, sanctos æstimare? »

Frontes centum cubitorum sunt.

AD ORIENTEM ET AD AQUILONEM. — « Id est ex Judæis (ibi enim ortus est sol justitiæ Christus), et ex Gentibus : hi enim fuerunt Aquilo, qui diu perfidiæ suæ frigore torpuerunt. Aut Oriens sunt justi, Aquilo peccatores, quos Dei misericordia ad pœnitentiam revocat, compunctione et lacrymis lavat, virtutibus ditat, et usque ad perfectionis gloriam sublevat. »

SYNOPSIS HOMILIÆ XIX.

20. PORTAM QUOQUE, QUÆ RESPICIEBAT VIAM AQUILONIS ATRII EXTERIORIS, MENSUS EST TAM IN LONGITUDINE QUAM IN LATITUDINE. — « Porta viam Aquilonis respicit, cum prædicator quisque viam peccatoris (hic enim est ad Aquilonem, quia frigore peccati torpet) agnoscit, eique interiora vitæ per verbum prædicationis aperit. Exterius quippe atrium est vita præsens, in qua omne quod corporaliter agitur, corporaliter etiam videtur, quæ tam in longitudine, quam in latitudine mensuratur : quia cum ad fidem peccator ducitur, necesse est ut ejus doctor consideret, vel quantum in longitudinem spei, vel quantum in latitudinem charitatis ex ejus admonitione proficiat. Cum enim conversus quisque æternæ vitæ gaudia longanimiter sperat, proximorum molestias cum charitate tolerat, et ea quæ non habet, concupiscere contemnit, longitudinem et latitudinem porta habet, quia gloria prædicatoris est profectus auditoris. » Vers. 20.

Exterius atrium est vita sæcularium.

21. ET THALAMOS EJUS TRES HINC, ET TRES INDE. — « Quia omne quod per Testamentum novum de Trinitate conditor loquitur, hoc etiam de Testamento veteri ostendit. Et cor audientium in amore cœlestis patriæ perficit, ut anima inhærens Deo, quasi sponsa cum sponso in quodam jam thalamo sedeat, atque se a terrenis desideriis fundius avertat. Prædicator ergo cum ad supernam patriam auditorem provocat, et novos patres et veteres anhelasse cœlesti desiderio demonstrat. » Vers. 21.

ET FRONTEM ET VESTIBULUM EJUS. — « Porta habet frontem, quia sunt in prædicatoris vita aperta opera, quæ videntur. Hinc et ante frontem vestibulum : quia priusquam bona opera insinuet, prædicat fidem, per quam anima humiliter ve-

niens ad bonorum actuum altitudinem sublevetur.»

QUINQUAGINTA CUBITORUM LONGITUDINEM EJUS. — «Quia ad quinquagenarium jubilæi, id est ad æternam requiem, pervenire non potest, nisi qui ad eam spem suam modo tendere longanimiter potest.»

ET LATITUDINEM VIGINTI QUINQUE CUBITORUM. — «Cuncta bona opera per quinque sensus exhibentur. Quinarius vero per semetipsum ductus ad 25 pervenit, *q. d.* Bona opera cum agi cœperint, per fervorem animum ad augmentum excitant, et per semetipsa multiplicantur : unde et latitudinem menti faciunt, ut non sit angusta per teporem, sed expansa in bonis actibus per charitatem. Omnis enim torpor teporis angustia est; omnis vero benignitas charitatis magna latitudo. Nam etsi res desunt quæ proximo indigenti præbeantur, ampla est substantia voluntatis bonæ.»

Vers. 22. 22. FENESTRÆ AUTEM EJUS, ET VESTIBULUM, ET SCULPTURÆ SECUNDUM MENSURAM PORTÆ, QUÆ RESPICIEBAT AD ORIENTEM. — «Porta ad Aquilonem ea omnia habere perhibetur, quæ porta ad Orientem, fenestras scilicet contemplationis, vestibulum humilitatis, sculpturam bonæ operationis. Innocentes enim habent portam ad Orientem, pœnitentes ad Aquilonem : quia eis etiam post peccati frigus, regni aditus per misericordiam patet.»

SEPTEM GRADUUM ERAT ASCENSUS EJUS, ET VESTIBULUM ANTE EAM. — «Quia per septiformem gratiam aditus nobis regni cœlestis aperitur. In mente enim nostra *primus* ad cœlestia ascensionis gradus est timor Domini, *secundus* pietas, *tertius* scientia, *quartus* fortitudo, *quintus* consilium, *sextus* intellectus, *septimus* sapientia, *Isaiæ* XI, 2. Vestibulum ante gradus est fides : neque enim quis potest bona agere, nisi prius credat. Per fidem enim homo venit ad opera, sed per opera solidatur in fide.»

23. ET PORTA ATRII INTERIORIS CONTRA (id est recte obversa rectaque tendens ad) PORTAM AQUILONIS ET ORIENTALEM. — «Quia non solum his qui in innocentia permanent (qui pertinent ad Orientem), sed etiam peccatoribus (quos denotat Aquilo) peccata sua pœnitendo damnantibus, aperiuntur interioris atrii gaudia, ut ineffabilia mysteria patriæ cœlestis agnoscant, agnoscendo sitiant, sitiendo currant, currendo perveniant. Hæc æterni gaudii secreta cognoverat, qui dicebat : Sitivit anima mea ad Deum vivum : quando veniam, et apparebo ante faciem Dei? Prædicator gentium ad hunc aditum regni cœlestis anhelabat, dum dicebat : Cupio dissolvi, et esse cum Christo. Quid ergo restat, nisi ut se ad perfectioris vitæ cursum dirigant omnes, qui illa gaudia patriæ cœlestis agnoscunt?»

Portam interiorem ingrediuntur qui anhelant ad cœlestia.

ET MENSUS EST A PORTA USQUE AD PORTAM CENTUM CUBITOS. — «Centenarius, quia decies per denarium ducitur, perfectionem denotat. Is itaque qui aditum atrii interioris videt, profecto necesse est ut per viam perfectionis currat, et a porta inchoationis usque ad consummationis ingressum perveniat. Sunt enim multi, qui jam in septem gradibus aditum portæ exterioris intraverunt, per timorem Dei humiles, per pietatis studium misericordes, per scientiam discreti, per mentis fortitudinem liberi, per consilium cauti, per intellectum providi, per sapientiam maturi; sed adhuc quibusdam necessitatibus obligati, hujus mundi curis inserviunt, licet inviti : his vera gaudia quæ cognoverunt, amare non licet tantum, quantum libet : hi plerumque a jugo mundi colla mentis excutiunt, omnia deserunt, terrenæ curæ pondera deponunt, atque ut ad cœleste desiderium latius animi sinum laxent, vitam remotam petunt, et in ea sanctis precibus et sacris meditationibus intenti, quotidiano se fletu afficiunt, et vetustatem cordis igne amoris conflant, atque ad cœleste gaudium accendendo se innovant. Hi plerumque in ipso suo desiderio accensi, exire jam de carne concupiscunt, atque ad vitam præsentem redire post fletum nolunt : sed tamen differuntur, ut dilatus amor ex ipsa sua dilatione proficiat, et ardenti desiderio quasi quod negatur crescat. Quibus sæpe evenit ut, cum se viderint magno cœlestis gratiæ munere compunctos, jam se perfectos existiment, et obedientes putent; sed quia nullus est, qui dura præcipiat, patientes esse se credant; sed quia nemo eos per contumelias et adversitates pulsat. Et plerumque contingit ut spirituale ministerium vel inviti suscipiant, atque ad gubernationem fidelium deducantur. Qui cum magnis tribulationibus fuerint hinc inde pulsati, turbati mente, sese imperfectos inveniunt; qui non pulsati perfectos se esse crediderunt. Qua ex re agitur, ut se ad semetipsos colligant, et apud se opprobrium suæ infirmitatis erubescant, atque ex ipsa sua confusione roborati, contra adversa patientiam opponant; et ex tribulatione proficiant, qui prius in otio ex ipsa sua securitate torpebant. Et veraciter esse tales incipiunt, quales se esse prius inaniter putaverunt. Per quotidiana enim desideria in mente perfici, quasi centum est cubitis interius atrium mensurari.»

24. ET EDUXIT ME AD VIAM AUSTRALEM : ET ECCE PORTA QUÆ RESPICIEBAT AD AUSTRUM, etc. — «Cuncta hæc in Orientis et Aquilonis porta jam dicta sunt. Ad Orientem sunt innocentes; ad Aquilonem pœnitentes; ad Austrum spiritu ferventes. Rursum porta in Oriente est fides, quia per ipsam lux vera nascitur in mente. Porta ad Aquilonem est spes, quia unusquisque in peccatis positus; si de venia desperaverit, funditus perit; sed per spem misericordiæ reviviscit. Porta ad Meridiem est charitas, quia igne amoris ardet. Tribus igitur portis ad atrium interius tenditur : quia per fidem, spem atque charitatem ad gaudia secreta pervenitur.»

Vers. 24. Oriens notat innocentes, Aquilo pœnitentes, Auster ferventes.

26. ET CÆLATÆ PALMÆ ERANT, UNA HINC, ET ALTERA INDE, IN FRONTE EJUS. — «Qui in vita sua impressa

esse sancta opera demonstrant, palmas in fronte cælatas habent : quia quanta illos in posterum victoria sequatur, jam nunc in sanctis suis operibus ostendunt. In Orientis porta est pictura, in Aquilonis vero et Meridiei est cælatura palmarum : quia signum victoriæ, quod inchoantibus ostenditur, hoc in revertentibus atque ferventibus jam solidius et robustius tenetur. »

Pictura palmarum est, ostensio coronæ cœlestis.

UNA HINC, ET ALTERA INDE. — « A dextro palmam habet is, quem prospera non extollunt : a sinistro, quem adversa non dejiciunt. Quasi ex utraque parte Paulus portabat palmam, cum diceret : Per arma justitiæ a dextris, et a sinistris; per gloriam, et ignobilitatem; per infamiam, et bonam famam; ut seductores, et veraces; quia et in adversitate fortis, et in prosperitate humilis permanebat. Ut ergo hinc et inde palma gestetur in fronte, adesse semper nostris mentibus debet et in adversis fiducia, et in prosperis timor. Hinc est quod idem egregius prædicator dicebat : Scio et humiliari, scio et abundare. « Quem ergo nec abundantia in superbiam elevat, nec in necessitate cupiditas irritat, novit abundare, novit penuriam pati. Si enim æternitatem diligimus, cuncta temporalia usu, non in affectu possidemus. Ita S. Job carnis vulneribus jacens, mentis robore stans, contra desperationis impulsum reduxit ad memoriam bona quæ egerat : Oculus, ait, fui cæco, et pes claudo, etc. Et qui in prosperitate humilis fuit, revocatis bonis suis ad memoriam, infractus in adversitate permansit. Sic impletur quod scriptum est *Eccli.* XI : In die bonorum ne immemor sis malorum, et in die malorum ne immemor sis bonorum. »

SYNOPSIS HOMILIÆ XX.

27. ET PORTA ATRII, etc. — « Cuncta hæc superius exposita sunt. Nam versu sequenti metitur atrium interius ad portam Australem, et vers. 23, idem ad portam Orientalem, et vers. 35, idem ad portam Aquilonarem, singula eadem mensura.

Portæ interiores et exteriores sunt prædicatores.

Prædicatores portæ nobis sunt tam exteriores quam interiores : quia nos et in primo aditu fidei, spei atque charitatis instituunt; et cum jam proficientibus cœlestis regni mysteria prædicant, per subtiliorem sensum nos ad interiora perducunt. Unde et per septem gradus prius ascensus earum describitur, et postmodum per octo. Septem enim gradus sunt : quia timorem Domini, pietatem, et scientiam, et fortitudinem, et consilium, et intellectum, et sapientiam suis auditoribus prædicant. Sed cum jam dimitti præcipiunt, cum nihil in hoc mundo diligi admonent, nil per affectum teneri, vim contemplationis cœlestis patriæ intendi, atque in ejus suadent mysteriis delectari; gradum addunt, et ad interiora trajiciunt. Iste gradus a Christo ostenditur juveni præcepta servanti, *Matth.* XIX, cum ei dicitur : Adhuc unum tibi deest. Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo : et veni, sequere me. Rursum per octavum numerum et dies æterni judicii, et carnis resurrectio designatur. Habent autem interiores portæ vestibula, quæ viginti quinque cubitis in longitudinem metiuntur. Si enim octo ter ducimus, ad viginti quatuor perducimus : cui unus additur, ut viginti quinque teneamus. Auditores enim boni, qui quasi quædam vestibula sunt portarum, æternæ spei longanimitatem tenent, octavum diem in Trinitatis fide sustinent. Quæ Trinitas quia unus est Deus, octo quidem per tria ducunt, sed in unius Dei confessione solidantur. Plana sunt vestibula, quia humilia sunt corda bonorum auditorum. Habent longitudinem, quia in spei perseverant longanimitate. Ergo habent viginti quinque cubitos in longitudine, quia resurrectionem carnis in octava per Trinitatem credunt, et eamdem Trinitatem unum Deum esse fatentur. Habent quoque quinque cubitos in latitudine, quia per vitam simplicem, quæ quinque sensibus ducitur, circa amorem proximi dilatantur. Intus ergo sunt in spirituali ædificio per amorem, et quasi foris respiciunt per simplicitatem. »

38. ET PER SINGULA GAZOPHYLACIA OSTIUM IN FRONTIBUS PORTARUM. — « Gazophylacia sunt corda doctorum, quæ scientiæ divitias servant. Frontes autem portarum sunt opera et verba prædicatorum, in quibus eos foris agnoscimus, quales apud se intrinsecus vivant. Est autem ostium per gazophylacia singula in frontibus portarum; quia unusquisque doctor in corde auditoris intellectum aperit in dictis et operibus patrum. »

IBI LAVABANT HOLOCAUSTUM. — « Qui se per fidem in conversione sancta Domino devoverunt, holocaustum Domino facti sunt, v. g. quis pro timore Domini patiens esse devovit, nulli convicium pro convicio reddere, omnia æquanimiter tolerare; et tamen cum hunc contumelia ab ore proximi illata percusserit, turbatur, forte aliquid loquitur quod loqui non debuit. Certe iste jam holocaustum est, sed adhuc inquinatum. Fortasse contra illatas contumelias patientiam exhibuit, tacitus permansit; sed tamen contra easdem contumelias, quas portat, dolore tangitur, ejusque animus in charitate sauciatur. Hic itaque in cogitatione sua se judicat, reprehendit semetipsum, quia dolet, nec tamen apud se prævalet obtinere ne doleat. Jam ergo per bonam voluntatem holocaustum est, sed tamen per dolorem quo tangitur, adhuc inquinatum. Alius decrevit indigentibus cuncta tribuere; forte surrexit cogitatio : Unde vives si cuncta dederis? nec tamen desistit tribuere; sed quod lætus dare cœperat, postmodum tristis præbet. Quid hujus mens, nisi misericordiæ holocaustum est? sed tamen per tristitiam cogitationis inquinatum. Aut enim deliberare summa non debuit, aut post deliberationem nullo modo dubitare. Alius, contempta mundi

Holocaustum inquinatum quod?

superbia, ultimum appetit inter homines locum; sed cum subito a proximo se despici agnoscit, dedignatur cur despicitur. Vult quidem esse in loco humili, sed tamen attendi contemptibilis non vult. Hunc jam devotio elevat, sed adhuc infirmitas gravat; holocaustum est, sed inquinatum. Hi vero cum per verba doctorum dicta Patrum intelligunt, et in quanta culpa jaceant agnoscunt, seque ipsos pœnitentiæ lamentis afficiunt, holocaustum in ostio portarum lavant. Porro sacrificium est, cum quis aliquid Deo vovet, aliquid non vovet; aliquid dat pauperibus, aliquid sibi servat. Holocaustum vero sunt, qui sibi nihil reservant, sed sensum, linguam, vitam atque substantiam, quam perceperunt, omnipotenti Deo immolant. Pinguedo est devotio et compunctio, de quibus Psaltes *Psalm.* LXV: Holocausta medullata offeram tibi. Qui enim bona operatur, et visioni jam Creatoris sui inhiat, atque ad æterna contemplationis gaudia pervenire festinat, seque ipsum ex amore, quo accenditur, in fletibus mactat, holocausta Domino medullata dedit. Cum ergo nostro bono operi admixtum aliquid malitiæ, vel pravæ delectationis agnoscimus, redeamus ad lacrymas, lavemus holocaustum. Sunt autem quidam, qui in magnis actionibus se Domino devoverunt, atque ad tantam perfectionem perveniunt, ut ab eis nulla unquam difficultate flectantur. Nam quando per suggestionem caro pulsat, surgere non permittitur, quia vigore judicii calcatur. In deliberatione quoque patientiæ nec sermo inordinatus ab ore prodit, nec dolor tacitus animum premit; in largitate eleemosynæ nulla inopiæ suspicio tristitiam generat; in deliberatione humilitatis nullus despectus animum mordet. Sed cum jam in his, quæ recte devoverunt, sese fortiter exhibent, priora tamen peccata, quæ ab ipsis ante bonam deliberationem perpetrata sunt, ad memoriam reducunt et plangunt. Hi per vitam quam tenent holocaustum sunt, sed per vitam quam ante tenuerunt, inquinatum. Lavent ergo et ipsi lamentis suum holocaustum. Magnus est enim Creatori nostro ad recipiendos fletus humilium misericordiæ sinus. »

Sacrificium runt qui partem, holocaustum qui totum dant Deo.

Pinguedo est devotio.

SYNOPSIS HOMILIÆ XXI.

39. ET IN VESTIBULO PORTÆ DUÆ MENSÆ HINC, ET DUÆ MENSÆ INDE, UT IMMOLETUR SUPER EAS. — « Binæ mensæ in quibus immolamus bona opera, sunt charitas Dei, et dilectio proximi; quia in dilectione Dei necessario est tenenda fides et vita, in dilectione autem proximi debet summopere patientia et benignitas custodiri. Charitas enim patiens est, benigna est, etc., I *Corinth.* XIII. Patiens scilicet, ut illata a proximis mala æquanimiter portet: benigna, ut sua bona proximis desiderabiliter impendat. Rursum, in veteri lege patribus binæ mensæ erant, doctrina et prophetia; populo vero, circumcisio et sacrificium. Erant ad Aquilonem, quia lex sub timore mortis frigida Judaici populi corda constringit. »

41. QUATUOR MENSÆ HINC, ET QUATUOR MENSÆ INDE, PER LATERA PORTÆ. — « Dum enim vita et fides, doctrina et prophetia in bonorum mentibus custoditur, porta nostra, id est intellectus sacri eloquii, quatuor ex latere mensas habet. Cumque in proficientibus populis sancta prædicatio patientiam et benignitatem servat, quæ prius in carnalibus circumcisionem et sacrificium custodiebat, mensæ quoque quatuor quasi ex alio latere monstrantur. »

42. QUATUOR AUTEM MENSÆ AD HOLOCAUSTUM, DE LAPIDIBUS QUADRIS EXSTRUCTÆ. — « Quia fides et vita, patientia et benignitas de quadris lapidibus exstructæ, id est de vita Sanctorum, in exemplum datæ sunt sequentibus populis, ut jam vestibulum mensas habeat, id est virtutes vitæ populus teneat, in quibus Deo orationis sacrificium in ara sui cordis incendat. Quisquis enim Sanctus in prosperitate non extollitur, in adversitate non frangitur, suasionibus ad malum non trahitur, vituperationibus a bono opere non revocatur, lapis quadrus est. Et quasi ex omni latere statum habet, qui casum in qualibet permutatione non habet. Talis lapis quadrus erat, qui dicebat : Mihi vivere Christus est, et mori lucrum. Vultis vitam cognoscere? Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. Vultis patientiam audire? Usque in hanc horam et esurimus, et sitimus, et colaphis cædimur, etc.; maledicimur, et benedicimus; persecutionem patimur, et sustinemus. Vultis benignitatem cognoscere? Ego libentissime impendar, et superimpendar pro animabus vestris, licet plus vos diligens minus diligar. »

« Rursum, verba sacræ Scripturæ lapides quadri sunt, qui ubique stant, quia ex nullo latere reprehensibilia inveniuntur. Ex his construuntur mensæ ad holocaustum; quia qui Dei verba semper cogitant, semetipsos Domino a carnali vita in cogitatione mactant. »

LONGITUDINE CUBITI UNIUS ET DIMIDII, ET LATITUDINE CUBITI UNIUS ET DIMIDII. — « Longitudo pertinet ad longanimitatem spei, latitudo ad charitatis amplitudinem. Tendantur ergo in longanimitate spei corda Sanctorum, tendantur in perfectione quam habent cubito uno. Sed quia adhuc plene videre non possunt, ubi spei oculum mittunt, hoc quod super unum cubitum habent, in dimidio cubito recidatur, quatenus in hac vita semper se imperfectos aspiciant, et ardentius ad perfectionem currant. Habent quoque latitudinem cubiti unius et dimidii; quia Sanctorum corda in charitatis amplitudine dilatata, proximum quem vident perfecte diligendo, habent cubitum unum; sed Deum, quem medullitus diligunt et sequuntur, tantum diligere non possunt, quantum debent, quia adhuc non valent videre quem diligunt; et mensura amoris minor est, ubi adhuc mensura minor est cognitionis. Super unum

ergo cubitum dilectionis proximi habent dimidium dilectionis Dei. »

Altitudo fides est.

ALTITUDINE CUBITI UNIUS. — « Quæ est enim altitudo Sanctorum, nisi fides invisibilium? Per fidem enim creditur quod non videtur, atque ideo per hanc justorum mensa ad altitudinem ducitur, ut cuncta visibilia despiciat in terra, et ea quæ audit invisibilia sequatur in cœlo. Sed unum cubitum habet altitudo mensæ, quia unitas est fidei in corde omnium Sanctorum. »

SUPER QUAS PONANT VASA IN QUIBUS IMMOLATUR. — « Quid enim sunt animæ fidelium, nisi vasa sancta, quæ verba pietatis capiunt, ut ex eorum mentibus holocaustum vitæ atque orationis immoletur? Sic de Paulo dixit Christus : Vas electionis mihi est. Et pastoribus dicitur : Mundamini, qui fertis vasa Domini. »

HOLOCAUSTUM ET VICTIMA. — « Quia et perfecti (hi enim sunt holocaustum), cum omnia deserunt, totum cor in amore Domini accendunt; et imperfecti (qui sunt victima simplex) sacrificium offerunt quod ex parte devoverunt. »

Vers. 43.

43. ET LABIA EORUM PALMI UNIUS, REFLEXA INTRINSECUS PER CIRCUITUM. — « Quid est quod labia palmo metiuntur, nisi quod in palmo manus tenditur, et sancti patres ac doctores ea prædicant, in quibus auditorum opera tenduntur? Quasi enim manum extendimus, cum opera nostra dilatamus. Doctor ergo dum cor audientis ad bona opera distendit, palmum se habere in labiis ostendit. In palmo digitus major ac minimus tenditur, quibus magna et minima actio designatur. Sic enim auditor magna opera, quæ audivit et didicit, faciat, ut agere et minima non omittat; sic minimis intentus sit, ut piger in agendis majoribus non sit. Unde per Evangelium Veritas dicit : Væ vobis, scribæ et pharisæi! quia decimatis mentam, et anetum, et cyminum, et relinquitis quæ graviora sunt legis, judicium, misericordiam et fidem. Hæc oportuit facere, et illa non omittere. »

PALMI UNIUS. — « Quia ex doctorum prædicatione sicut unitas tenetur in fide, ita quoque unitas mentium servari debet in opere, ne per bonum opus, quod alter agit, alter ad discordiæ malum prorumpat. Ita enim bona opera agere debemus, ut per hæc quoque cum his cum quibus vivimus, unanimitatem recte ut possumus, conservemus, id est non deserendo quod agimus, sed præveniendo bonis persuasionibus malum discordiæ quod timemus. »

Reflexum labium est examen operum.

REFLEXA INTRINSECUS PER CIRCUITUM. — « Tunc enim mensarum labia intrinsecus reflectuntur, quando doctores ad conscientiam revocant tacita cogitatione omne quod dicunt, quando semetipsos subtiliter perscrutantur, si faciunt omne quod loquuntur; ne, si prædicantes bona facere dissimulant, sui vastatores sint, cultores alieni. O doctor! ecce jam mensa es, jam vasa portas, jam in vasis fidelibus pondus holocausti et victimæ sustines; sed intus reflecte labium id est ad cor revoca sermonem; audi quæ dicis, operare quod prædicas. Si enim negligis implere quod doces, aliis messem seminas, et ipse a frumenti participatione jejunas. Doctrina viri per patientiam noscitur; tanto ergo quis doctus ostenditur, quanto patiens fuerit. Nec tamen si quædam sibi deesse videt, a prædicatione conticescat. Sæpe enim quod vivendo nescimus, compulsi loqui doctrinam loquendo discimus; ut, dum de cogitationis nostræ pigritia reatus nascitur in mente, eamdem mentem subito compunctio oborta transverberet, et sua voce excitata evigilet in opere, quæ prius torpebat in otio sine voce. »

SUPER MENSAS AUTEM CARNES OBLATIONIS. — « Doctores enim sancti, cum pro compunctis peccatoribus atque confitentibus Deo preces fundunt, per hoc, quod ad veniam pro carnali eorum vita postulant, mensæ Domini carnes oblationis portant. Quod quoties agunt, et in hoc pro alienis peccatis interveniunt, sua ante Dei oculos amplius detergunt; quia ea ipsa charitate se justificant, qua mira pietate pro alienis iniquitatibus se in lamentis mactant. Nec laboriosum debet esse doctori, pro conversis peccatoribus lacrymas fundere, quando et ipse, qui omnia creavit, homo factus, pro nostris iniquitatibus in cruce sanguinem fudit. »

SYNOPSIS HOMILIÆ XXII.

Vers. 44.

44. ET EXTRA PORTAM INTERIOREM, GAZOPHYLACIA CANTORUM IN ATRIO INTERIORI. — « Atrium hoc interius erat respectu portarum extimarum quibus concludebatur. Idem erat exterius respectu atrii et portarum intimarum. Sancta enim Ecclesia duas vitas habet, unam, qua laborat in terra; aliam, qua remuneratur in cœlo; atque in utraque offert sacrificium : hic videlicet sacrificium compunctionis, et illic sacrificium laudis. In utroque autem carnes offeruntur; quia hic oblatio carnis est maceratio corporis, ibi oblatio carnis est in laude Dei gloria resurrectionis. Tunc quippe illi quasi in holocaustum caro offertur, quando in æterna incorruptione permutata, nil contradictionis, nil mortalitatis habuerit; quia tota simul amoris ejus ignibus accensa, in laude sine fine permanebit. Quid sunt autem gazophylacia cantorum, nisi sancta desideria amantium? Qui præcepta divina, quasi quasdam divitias, custodiunt in mente, quas cantando servant; quia mandata Dei non ex timore, sed ex amore perficiunt. Vultis cor justi, quasi cujusdam cantoris, gazophylacium audire? Cantabiles mihi erant justificationes tuæ in loco incolatus mei, *Psalm.* CXVIII. Audi aliud : Ego enim jam delibor, et tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex, II *ad Timothæum*, cap. IV. Annon hic impletur illud : Miseri-

Gazophylacia cantorum sunt desideria amantium.

cordiam et judicium cantabo tibi, Domine? Eorum ergo corda, qui adventum justi judicis diligunt, gazophylacia cantorum sunt, quia per præsumptionem gratiæ et vitæ, per virtutes sancti desiderii cantant justi judicium, quod omnes injusti pertimescunt. Hæc gazophylacia inter portam Orientis et Aquilonis esse memorantur, atque *ad viam australem* respicere; quia corda Sanctorum inter fidem et spem posita australem viam respiciunt, quoniam sanctæ charitatis ignibus inardescunt. Orientis porta viam Aquilonis respicit, cum vita nostra perceptam fidem, adhuc aliquatenus in frigore culpæ torpescit. In multis enim offendimus omnes. Ergo ad australem viam facies intendamus, exerceamus nos in ardore charitatis, et ibi tendamus oculos cordis, ubi accendamur ignibus amoris. Annon quasi calore meridiani fervoris ardebat, qui æstuabat, dicens: Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum, quando veniam et apparebo ante faciem Dei? Hoc quoque ardore succensus fuerat, qui dicebat : Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum, in pace : quia viderunt oculi mei salutare tuum. Habeant ergo sancta gazophylacia hinc Orientis portam, et inde Aquilonis; quia inter ipsa redemptionis suæ mysteria, quæ sequuntur, et carnales quosdam, quos et intra sanctam Ecclesiam tolerant, multi in Deum forti amore proficiunt, virtutibus excrescunt, æterni judicis adventum quærunt, et inter ea quæ amant, atque ea quæ tolerant, quasi quædam gazophylacia divitias spiritus in mente servant. Nec inter Sacramenta quæ diligunt, et quæ jam contraria portant, deficiunt, quia ad australem viam facies intendunt. Quid enim patimur, quod patres nostri pro amore Domini antea non pertulerunt? Rursum per portam ad Aquilonem accipi potest Gentilitas, per portam ad Austrum Judæa, per Orientalem portam Christus, cujus nomen est Oriens, *q. d.* Una est via et illis qui ab Austro sunt, et his qui ab Aquilonis porta respiciunt; quia electis Judæis et Gentibus Dominus ac Redemptor noster, expulsa pœna formidinis, ad Patrem factus est iter amoris, atque adjutorium perventionis. »

45. HOC EST GAZOPHYLACIUM, QUOD RESPICIT VIAM MERIDIANAM; SACERDOTUM ERIT, QUI EXCUBANT IN CUSTODIIS TEMPLI. — « Qui sunt sacerdotes, qui templum Dei custodiunt, nisi qui orando, prædicando, spiritualibus actibus vigilando, sanctam Ecclesiam a malignorum spirituum immissionibus, a pravorum suasionibus, ab hæreticorum erroribus defendunt? An non custos templi fuerat, qui labores passionis suæ enumerans dicit: In labore et ærumna, in vigiliis multis, in fame et siti, etc. Præter illa quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum? Laborat, luget, esurit, sitit, alget, jejunat, vigilat; et tamen vigilando de Ecclesiarum omnium sollicitudine cogitat. Ne quis in perfidiam, ne quis in superbiam, ne quis in rapinam, vel immunditiam labatur, exquirere atque compescere, hoc est templum Dei, id est Ecclesiam, custodire. Sunt autem minoris ordinis sacerdotes, qui excubant ad ministerium altaris, vers. 46, qui videlicet in adjutorio majorum peccata delinquentium subtiliter investigant, et vitam carnalium corrigunt, atque ad lamenta pœnitentiæ perducunt. Ab his quasi in altari jam caro incenditur, ut in conspectu Dei inde sacrificium redoleat, unde prius culpa displicebat. Porro gazophylacium sacerdotum majoris ordinis, qui excubant in custodiis templi, solum respicit *viam meridianam* : quia hi solis studiis spiritalibus occupati, semper his quæ amoris Dei sunt, sollicite intendunt. Sacerdotes autem minoris ordinis, qui discutiendis peccatis delinquentium præsunt, etiam *ad viam Aquilonis* oculos reflectunt, ut in mentibus peccantium, quæ sint opera frigoris videant, et hæc verbis correptionis usque ad pœnitentiæ gemitus perducentes, quasi carnes in altari Domini incendant. Respiciunt etiam cum magnis sacerdotibus ad meridianam viam : quia quantum ad semetipsos est, fervent igne charitatis, et succensi sunt flammis amoris Dei. »

46. ISTI SUNT FILII SADOC, QUI ACCEDUNT DE FILIIS LEVI AD DOMINUM, UT MINISTRENT EI. — « Sadoc latine dicitur *justus*. Quis autem justus est, nisi Ipse cui dicitur : Justus es, Domine, et rectum judicium tuum? Qui vero sunt filii justi, nisi hi, de quibus scriptum est : Quotquot autem crediderunt in eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri? Levi autem interpretatur assumptus. Quis autem assumptus est, nisi populus fidelis, qui per sacramenta fidei est a perfidis segregatus? Omnes ergo, qui perseverantes spiritalibus actibus intendunt, filii sunt justi. Et de filiis populi assumpti accedunt ad Dominum, ut ministrent ei : quia de ipsis fidelibus eliguntur, qui ad Dei ministerium veniant, et cœlestibus studiis pro eruditione populi intendant. Sed qui sunt, qui Domino ministrant? De quibus Dominus per Psalmistam dicit *Psalm.* c : Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat. Habet enim maculam in via, qui in bono opere, quod agit, terrenæ gloriæ sibi præmium proponit; quia speciem boni operis fœdat per maculam pravæ intentionis. Fortasse quis disciplinæ studio intentus, culpas delinquentium resecat : qui tamen si ad hoc non Dei amore, sed zelo proprio ducitur, sibi in his, et non Domino ministrat. Alius ne asper esse videatur, multa leniter tolerat, quæ prave perpetrantur. Iste itaque quia videri pro Domino districtus non vult, per lenitatis suæ studium sibi, et non Domino ministrat. Restat ergo ut, sive in Dei ministerio fatigemur, sive indigentibus nostra largiamur, sive per abstinentiam carnem domemus, sive zelo moveamur, sive per patientiam

Vers. 46. Filii Sadoc sunt fideles justi.

aliquando leniter prava toleremus; nos summopere debeamus intentionem nostram discutere, quatenus omne quod facimus, non nostro, sed Dei zelo faciamus, ne in his quæ agimus, nobis potius quam Domino ministremus. Nam, ut ait Paulus: Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi. Idem vero Paulus cum coelectis fratribus, non sibi ministrare, sed Domino, et vivendo, et moriendo festinabat, dicens: Nemo nostrum sibi vivit, et nemo sibi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus: sive morimur, Domini sumus. Sibi enim Sancti nec vivunt, nec moriuntur. Sibi non vivunt, quia per omne quod agunt ad lucra spiritalia anhelant; atque orando, prædicando, sanctis operibus insistendo, cœlestis patriæ cives multiplicare desiderant. Sibi minime moriuntur, quia in conspectu hominum Deum sua morte glorificant, ad quem pervenire etiam moriendo festinant. »

Vers. 47. 47. ET MENSUS EST ATRIUM LONGITUDINE CENTUM CUBITORUM, ET LATITUDINE CENTUM CUBITORUM PER QUADRUM. — « Quid est atrium spiritalis ædificii, nisi amplitudo fidelium populorum? Ipsa autem longanimitas spei, et latitudo charitatis vacua in cordibus fidelium non est. Nam per fidem, quidquid valet, operatur. Si ergo in vita fidelium, juxta quemdam modum, per singulos perfecta est longanimitas spei, perfecta latitudo charitatis, perfecta certitudo fidei, perfectum studium operationis, atrium templi per quadrum centum cubitos habet. Centenarius enim symbolum est perfectionis. Metiantur ergo fideles populi virtutes in quadrum; quia quisque tantum credit, quantum sperat et amat; et tantum operatur, quantum credit, amat et sperat. Quia itaque S. Ecclesiæ populi multi sunt, et robusti per fidem, et longanimes per spem, et ampli per charitatem, et efficaces per operationem, atrium templi centum cubitis in quadro mensuratur. Rursum quadrum fidelium sunt prudentia, justitia, fortitudo, et temperantia; quæ ita in quadro esse debent, ut una aliam non excedat. Magna quippe est prudentia: sed si minus est a voluptatibus temperans, si vincitur delectatione, si minus in periculis fortis, si minus in operationibus justa, profecto minus est prudens. Magna est temperantia: sed si minus intelligit unde se temperat, si adversa sustinere per fortitudinem minus valet, atque in timore animum dejicit, si per præceptionem suam aliquando ad injustitiæ opera prorumpit, minus est temperans. Idem est de fortitudine et de justitia. Mensuretur ergo vita perfectorum per quadrum: et tantum habeat spiritalis ædificii latus unum, quantum latera singula, quia quisque tantum prudens est, quantum temperans; et tantum est justus, quantum prudens, temperans et fortis fuerit. »

Centum cubiti atrii significant perfectionem fidelium.

Quadrum virtutum cardinalium quale?

ET ALTARE ANTE FACIEM TEMPLI. — « Quid est templum, nisi fidelis populus? Quid altare Dei, nisi mens bene viventium? ubi ex compunctione ignis ardet, et caro consumitur. Altare ergo ante faciem templi est, cum multi in sanctæ Ecclesiæ conspectu sunt propositi, qui æterni judicii memores, semetipsos quotidie Deo sacrificium in lamento compunctionis mactant, quia corpora castigant, quatenus illud magistri gentium impleant: Ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem. Hostia quippe occiditur, ut offeratur; sed hostia vivens est corpus Domino afflictum; quod et hostia dicitur, et vivens; quia vivit in virtutibus, et est a vitiis occisum: vivit ergo, quia cuncta quæ prævalet bona operatur. Duo erant altaria, unum aureum ante arcam, alterum æneum in atrio. In hoc cremantur carnes, in isto incenduntur aromata, quia duo sunt compunctionis genera. Alii enim per timorem, peccatorum suorum memores, dum supplicia æterna pertimescunt, carnalia opera plangunt, et quotidianis se lacrymis affligunt. Alii vero a carnalibus vitiis liberi, aut longis jam fletibus securi, amoris flamma in compunctionis lacrymis inardescunt, cœlestis patriæ præmia cordis oculis aspiciunt, supernis jam civibus interesse concupiscunt. Dura eis apparet servitus longitudo peregrinationis suæ. Regem in decore suo videre desiderant, et flere quotidie ex ejus amore non cessant. Quid isti, nisi altare sunt aureum? Est hoc altare ante arcam, ejusque velum, quia Sanctorum corda quæ cum magnis virtutibus in Dei amore succensa sunt, per sanctum desiderium in illo ardent, quem adhuc revelata facie videre non possunt. Arca enim intra velum est noster Redemptor in cœlo. Talis erat sponsa de qua dicitur *Cant.* III: Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris, et universi pulveris pigmentarii? Nam S. Ecclesia dum ab hoc mundo in sanctis precibus ardenti amore se erigit, per desertum quod deserit, ascendit. Fumus ex aromatibus est compunctio orationis, concepta ex virtutibus amoris: quæ tamen oratio virgula fumi dicitur, quia dum sola cœlestia postulat, sic recta progreditur, ut ad terrena petenda minime reflectatur; nec virga, sed virgula nuncupatur, quia interdum in compunctionis ardore tantæ subtilitatis est vis amoris, ut hanc nec ipse animus possit comprehendere. Myrrhæ et thuris sacrificium offerunt, qui et carnem affligunt, ne eis corruptionis vitia dominentur, et redolentem in conspectu Domini amoris sui hostiam incendunt, seque ipsos Deo in sanctis virtutibus exhibent. *Pulvis pigmentarii* est virtus bene operantis. Nemo autem me reprehendat, si post hanc locutionem cessavero, quia, sicut cernitis, undique gladiis circumfusi sumus. Alii detruncatis manibus ad nos redeunt, alii captivi, alii interempti nuntiantur. Jam cogor linguam ab expositione retinere, quia tædet animam vitæ meæ. Versa est in luctum cithara mea, et organum meum in vocem flentium. Quid ergo restat, nisi ut inter fla-

Altare holocaustorum est mens vacantium mortificationi.

Altare thymiamatis est mens suspirans ad cœlum.

gella quæ ex nostris iniquitatibus patimur, cum lacrymis gratias agamus? Sit itaque gloria Omnipotenti Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat cum Patre, in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen. »

Hucusque S. Gregorius pene ad verbum.

Hic ergo ipse ob clades Longobardorum, et imminentem ab eis Romæ obsidionem ingemiscens, manum de tabula tulit, ac calamum et linguam stitit.

Aliam magis particularem, magisque distinctam et distributam singularum templi partium explicationem afferam ex Lyrano in fine capitis XLII.

CAPUT QUADRAGESIMUM PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Cap. præced. Angelus dimensus fuit atrium interius et exterius, nunc ingressus templum, illud dimetitur, puta Sanctum, vers. 1, *et Sanctum sanctorum, vers.* 3 *et* 4, *mox vers.* 5 *et seq. thalamos, id est cubicula templo adhærentia, eorumque cochleam, plateam, oratorium, ethecas, limina et fenestras dimetitur. Denique vers.* 18, *docet templo insculptos fuisse Cherubim et palmas; ac, vers.* 22, *altare incensi, et templi ostia describit. Mystice in hisce omnibus templi ornamentis Ecclesiæ ordinem, pulchritudinem, hierarchiam, et Sacramenta delineat et depingit. Templum Græci vocant* ναὸν, *atrium sive vestibulum* πρόναον, *quasi dicas, ante templum. Ita Vitruvius, lib. III, cap.* I.

Porro hic par est caligo, et obscuritas eadem, quæ fuit cap. præcedenti. Unde S. Hieronymus initio cap. XLII: Volueram, *ait,* desperatione, et magnitudine rei præsens testimonium silentio præterire, sed melius arbitratus sum, quodcumque dicere, quam omnino nihil dicere: Socraticum illud assumens: « Scio quod nescio. » Pars enim scientiæ est scire quod nescis. *Idem ibidem in proœmio:* Quamobrem tibi filia Eustochium, quæ nostra, qualiacumque fuerint, libenter accipis, contestatum volo, et illud rhetoris Victorini breviter admoneo, ut obscuritatem voluminum tribus ex rebus fieri scias: vel rei magnitudine, vel doctoris imperitia, vel audientis duritia: quorum primum et secundum liquido in hoc opere confitebor: tertium, acumen ingenii tui, et desiderium Scripturarum facile renuit: quæ privilegio virginali, et victus continentia, non dicam frequentem, sed jugem hospitem possides Deum.

1. Et introduxit me in templum, et mensus est frontes, sex cubitos latitudinis hinc, et sex cubitos inde, latitudinem tabernaculi. 2. Et latitudo portæ, decem cubitorum erat: et latera portæ, quinque cubitis hinc, et quinque cubitis inde: et mensus est longitudinem ejus quadraginta cubitorum, et latitudinem viginti cubitorum. 3. Et introgressus intrinsecus mensus est in fronte portæ duos cubitos: et portam, sex cubitorum: et latitudinem portæ, septem cubitorum. 4. Et mensus est longitudinem ejus viginti cubitorum, et latitudinem ejus viginti cubitorum, ante faciem templi; et dixit ad me: Hoc est Sanctum sanctorum. 5. Et mensus est parietem domus sex cubitorum: et latitudinem lateris quatuor cubitorum undique per circuitum domus. 6. Latera autem, latus ad latus, bis triginta tria: et erant eminentia, quæ ingrederentur per parietem domus, in lateribus per circuitum, ut continerent, et non attingerent parietem templi. 7. Et platea erat in rotundum, ascendens sursum per cochleam, et in cœnaculum templi deferebat per gyrum: idcirco latius erat templum in superioribus: et sic de inferioribus ascendebatur ad superiora in medium. 8. Et vidi in domo altitudinem per circuitum, fundata latera ad mensuram calami sex cubitorum spatio: 9. et latitudinem per parietem lateris forinsecus quinque cubitorum: et erat interior domus in lateribus domus. 10. Et inter gazophylacia latitudinem viginti cubitorum in circuitu domus undique, 11. et ostium lateris ad orationem: ostium unum ad viam Aquilonis, et ostium unum ad viam Australem: et latitudinem loci ad orationem, quinque cubitorum in circuitu. 12. Et ædificium, quod erat separatum, versumque ad viam respicientem ad mare, latitudinis septuaginta cu-

bitorum, paries autem ædificii, quinque cubitorum latitudinis per circuitum : et longitudo ejus nonaginta cubitorum. 13. Et mensus est domus longitudinem, centum cubitorum : et quod separatum erat ædificium, et parietes ejus, longitudinis centum cubitorum. 14. Latitudo autem ante faciem domus, et ejus quod erat separatum contra Orientem, centum cubitorum. 15. Et mensus est longitudinem ædificii contra faciem ejus, quod erat separatum ad dorsum : ethecas ex utraque parte centum cubitorum : et templum interius, et vestibula atrii. 16. Limina et fenestras obliquas, et ethecas in circuitu per tres partes, contra uniuscujusque limen, stratumque ligno per gyrum in circuitu : terra autem usque ad fenestras, et fenestræ clausæ super ostia. 17. Et usque ad domum interiorem, et forinsecus per omnem parietem in circuitu intrinsecus, et forinsecus, ad mensuram. 18. Et fabrefacta cherubim et palmæ : et palma inter cherub et cherub, duasque facies habebat cherub. 19. Faciem hominis juxta palmam ex hac parte, et faciem leonis juxta palmam ex alia parte, expressam per omnem domum in circuitu. 20. De terra usque ad superiora portæ, cherubim et palmæ cælatæ erant in pariete templi. 21. Limen quadrangulum, et facies sanctuarii, aspectus contra aspectum. 22. Altaris lignei trium cubitorum altitudo : et longitudo ejus duorum cubitorum : et anguli ejus, et longitudo ejus et parietes ejus lignei. Et locutus est ad me : Hæc est mensa coram Domino. 23. Et duo ostia erant in templo, et in sanctuario. 24. Et in duobus ostiis ex utraque parte bina erant ostiola, quæ in se invicem plicabantur : bina enim ostia erant ex utraque parte ostiorum. 25. Et cælata erant in ipsis ostiis templi cherubim, et sculpturæ palmarum, sicut in parietibus quoque expressæ erant : quamobrem et grossiora erant ligna in vestibuli fronte forinsecus. 26. Super quæ fenestræ obliquæ, et similitudo palmarum hinc atque inde in humerulis vestibuli, secundum latera domus, latitudinemque parietum.

triplici templo figuratus.

Symbolice veteres triplicem depinxerunt mundum : *primum*, sublunarem, quatuor elementis et mixtis constantem, in quo terra, quasi centrum et basis, imum tenet locum, estque hominum et animalium habitaculum; *secundum*, cœlestem, qui constat septem orbibus planetarum, firmamento, cœlo crystallino, et primo mobili; *tertium*, supramundanum, angelicum et intellectualem, qui est mentium beatarum domicilium, ubi sempiterno ævo et gloria Dei fruuntur.

Hos tres mundos adumbravit tabernaculum Mosis, et templum Salomonis et Ezechielis. Nam sublunarem repræsentavit atrium, in quo degebant homines laici, viri et feminæ cujusvis status et gradus, pii et impii. Cœlestem repræsentavit Sanctum : candelabrum enim septiceps repræsentabat septem planetas. Supramundanum repræsentavit Sanctum sanctorum, in quo erant arca et propitiatorium, quasi thronus Dei, cum Cherubim. Ita enim hæc explicat S. Paulus *Hebr.* IX, 11 et seq.

Triplex mundus

Tres fidelium ordines.

Pari modo templum hoc adumbravit triplices homines, sive triplicem Ecclesiæ statum. Nam atrium repræsentavit plebem christianam; Sanctum, viros perfectos; Sanctum sanctorum, Beatos regnantes cum Deo in cœlis. Vide dicta *Exod.* cap. XXV et XXVI.

Porro hebraice hæ tres templi partes ita vocantur : *prima* ולאם *ulam*, id est vestibulum, porticus, atrium; *secunda* היכל *hechal*, id est templum, sive basilica; *tertia* דביר *debir*, id est oraculum : ex propitiatorio enim Deus dabat oracula.

1. ET INTRODUXIT ME (ex atrio) IN TEMPLUM, — puta in priorem partem templi, quæ basilica, aula et Sanctum dicebatur, quod augusta æque ac firma, quod anterior, quod Dei cultui destinata, quod pulcherrima, quod Dei præsidiis et beneficiis foret illustris.

ET MENSUS EST FRONTES SEX CUBITOS. — Per *frontes* Maldonatus accipit cubicula, quæ extrinsecus templo adhærebant : Hæc, inquit, dicuntur frontes, quia tres erant longitudines; quarum secunda extra primam, tertia extra secundam eminebat. Habebant autem « sex cubitos latitudinis hinc, et sex cubitos latitudinis inde, » id est tam ea quæ erant ex una parte, quam ea quæ erant ex altera parte sacrarii sive templi, quæ eadem erat latitudo tabernaculi. Cum autem dicit sex cubitos latitudinis habuisse, de supremo tecto sive tabulato intelligendum est. Nam inferne 4 cubitos habebant, ut indicat vers. 5. Eminebat autem secunda contignatio extra primam cubito uno, et tertia extra secundam cubito altero.

Melius Vilalpando per *frontes* accipit postes portæ templi : hi enim hebraice vocantur אֵלִים *elim* a robore, et hos vocavit frontes cap. V, 10, 14. Symmachus vertit, *in circuitu*, significans eosdem postes, qui portam in circuitu ex utraque parte muniebant. Quocirca recte R. Salomon postes hosce definit latitudinem crassitiei parietis templi, qui erat inter templum et vestibulum.

Tanta enim fuit muri interioris domus crassitudo, quanta et omnium murorum templi, scilicet calami unius, id est sex cubitorum. Sensus ergo est, *q. d.* Mensus est Angelus utrumque portæ postem; dextrum, et uniuscujusque latitudinem ab Oriente ad Occidentem, sex cubitorum. « Latitudinem tabernaculi, » hebraice אהל *ohel*, id est tabernaculum, sive extensum aut expansum, vocat per catachresin superliminare portæ templi, quod cum planum esset, et extensæ cortinæ persimile, obumbrabat ac protegebat januam desuper, ut sensus sit, postes singulos superliminare sustinentes latitudine fuisse cubiti unius, quanta nimirum erat superliminaris desuper extensi latitudo, et parietis Sanctum a vestibulo dividentis crassitudo, ait Vilalpando.

Porro postes et columnæ, tum decoris, tum roboris causa suas habebant parastades, id est adpactas pilas, sive semicolumnas.

2. LATITUDO PORTÆ, DECEM CUBITORUM ERAT, — *q. d.* Limen portæ templi latum erat cubitos decem, quam latum fuerat olim Mosis tabernaculum. Tacet portæ altitudinem, quam ex epistyliorum atrii libratione fuisse viginti cubitorum, dupla scilicet proportione ad alias portas, conjicit Vilalpando.

ET LATERA PORTÆ QUINQUE CUBITIS HINC, ET QUINQUE CUBITIS INDE. — Pro *latera* hebraice est כתפות *kitphoth*, id est humeri, et, ut Septuaginta, ἐπώμιδες. Ita vocantur partes illæ parietis a lateribus portæ relicti; quod sicut humeri pectus, ita ipsæ portam utrinque muniant; unde latine vocantur *latera portæ*, quod ex utroque portæ latere relinquantur. Latitudo ergo templi erat 20 cubitorum, et latitudo portæ 10; unde remanent latera ejus hinc et inde 5 et 5 cubitorum : aperiebatur enim porta inter hæc latera in medio Sancti.

Porro hæc latera portæ anteriora fuisse constat ex eo, quod ibidem mensus est Sancti longitudinem ac latitudinem, ut mox audiemus, inquit Vilalpando.

ET MENSUS EST LONGITUDINEM EJUS QUADRAGINTA CUBITORUM, ET LATITUDINEM VIGINTI CUBITORUM. — « Ejus, » non portæ, ut vult S. Hieronymus, sed templi, puta Sancti. Ita Maldonatus, Vilalpando et alii, *q. d.* Sancti longitudinem mensus est cubitis 40, latitudinem 20, quanta a Salomone observata fuit : dupla nimirum latitudinis longitudine, quæ maxime a Vitruvio, lib. VI, cap. v, aliisque priscis architectis probatur. Sic enim dicitur III *Reg.* VI, 2 et 3 : « Domus autem, quam ædificabat rex Salomon Domino, habebat sexaginta cubitos in longitudine, et viginti cubitos in latitudine, et triginta cubitos in altitudine : domus, » scilicet tota, « habebat sexaginta cubitos in longitudine; » quia Sanctum sanctorum habebat 20, Sanctum 40, quæ duo juncta faciunt 60.

Templum longum erat 40 cubitis, latum 20 altum 30.

Porro latitudo tam Sancti quam Sancti sanctorum erat eadem, scilicet 20 cubitorum, uti et altitudo 30. Hi 20 cubiti latitudinis Sancti ita colliguntur : porta Sancti erat 10 cubitorum, latus sinistrum 5, dextrum 5; junge hæc omnia, habebis 20 cubitos, quæ erat Sancti, sive Sanctuarii latitudo.

3. ET INTROGRESSUS INTRINSECUS, MENSUS EST IN FRONTE PORTÆ DUOS CUBITOS. — « Intrinsecus, » id est in interiorem partem templi, puta in Sanctum sanctorum. Hujus enim portam hic, ipsummet vero vers. seq. dimetitur. *Frontem* vocat postem portæ, hic enim hebraice vocatur אל *el*, uti dixi vers. 1. Duo ergo erant postes portæ, hinc et inde, quorum quisque latus erat duos cubitos.

Hinc R. Salomon, Lyranus et Maldonatus, per *frontem portæ* accipiunt crassitiem portæ, sive muri et parietis, aiuntque hanc fuisse duorum cubitorum. Certum enim est murum interjectum fuisse, et divisisse Sanctum a Sancto sanctorum : in muro autem erat porta hæc, qua ex Sancto ibat Pontifex in Sanctum sanctorum.

ET PORTAM (Sancti sanctorum), SEX CUBITORUM ET LATITUDINEM PORTÆ, SEPTEM CUBITORUM. — « Latitudinem, » vel, ut hebraice est, *humeros*, vocat latera portæ, sive spatia utrinque a porta ad murum interjacentia, ut dixi vers. 1 et 2. Sensus est ergo, *q. d.* Duo erant latera portæ, puta duo spatia jam dicta, scilicet unum a porta usque ad murum meridianum, alterum usque ad aquilonarem, unumquodque eorum habebat septem cubitos longitudinis. Tota enim latitudo Sanctuarii erat 20 cubitorum, ut dixit vers. 2. Duo latera habebant singula septenos cubitos, id est universim 14, porta sex. Adde sex ad 14, habebis 20 cubitos latitudinis Sanctuarii, et Sancti sanctorum. Ita Theodoretus, Maldonatus et Vilalpando.

Vers. 4.

4. ET MENSUS EST LONGITUDINEM EJUS (Sancti sanctorum, sive oraculi, ut sequitur) VIGINTI CUBITORUM, ET LATITUDINEM EJUS VIGINTI CUBITORUM, ANTE FACIEM TEMPLI. — Erat ergo Sanctum sanctorum quadratum : latitudo enim ejus æqualis erat longitudini, cum Sanctum esset quadrangulum. Dupla enim erat ejus longitudo ad latitudinem; erat enim longum cubitis 40, latum 20. Perperam ergo nonnulli codices Septuaginta, pro *viginti* hic legunt *quadraginta*. Porro in hisce cubitis includitur crassities muri interjecti inter Sanctum et Sanctum sanctorum. Tota enim longitudo Sanctuarii erat 60 cubitorum, ex quibus 40 habebat Sanctum, reliquos 20 Sanctum sanctorum. Ergo crassities muri hisce cubitis includitur; alioqui enim Sanctuarium longum fuisset, non 60, sed 62 cubitis. Ita Vilalpando, qui cap. XI docet oraculum hoc, sive Sanctum sanctorum, in media area atrii interioris, sive atrii sacerdotum, constitutum fuisse.

Sanctum erat quadrangulum, Sanctum sanctorum quadratum.

ANTE FACIEM TEMPLI, — id est, versus Sanctuarium. Declaratur quam vocaverit latitudinem Sancti sanctorum. Cum enim quadratum fuerit, non videtur latitudinem a longitudine distinctam habuisse : dicit ergo se latitudinem appellare eam partem, quæ versus Sanctuarium, sive Sanctum

erat; non quod proprie esset latitudo Sancti sanctorum distincta ab ejus longitudine, sed quod ea esset latitudo templi et Sancti. Ita Maldonatus.

HOC EST SANCTUM SANCTORUM. — Hinc patet Angelum hic ad litteram vetus Salomonis templum, puta Sanctum, et Sanctum sanctorum dimetiri, ut illius adinstar Judæi Babylone redeuntes novum ædificent. Versum hunc paraphrastice ita reddit Vilalpando: *Et mensus est oraculi latitudinem viginti cubitorum, ejusque longitudinem viginti cubitorum: cujus altitudo quoque* (usque ad fornicem; nam cum fornice 30, imo 40, uti dicitur II *Paral.* III, 4, erat cubitorum) *viginti cubitorum fuit. Et dixit mihi: Hoc est Sanctum sanctorum, quod domus interior dicitur, et adytum, quasi absque introitu* (ab α littera privativa, et δύω, id est ingredior, *q. d.* Penetrale sine ingressu, id est inaccessum), *et domus animæ, in qua una Israelis spes firma quiescit.* Dicitur et oraculum, sive responsum, aut locutorium Dei: ac tandem Sanctum sanctorum, hoc est, locus sanctissimus, semotus a communi et vulgari, eo quod supremum cœlum referat, ubi Christi summi sacerdotis oblatio fit.

Sanctum sanctorum dicitur adytum, domus animæ, et oraculum, unde?

Vers. 5. 5. ET MENSUS EST PARIETEM DOMUS SEX CUBITORUM, *q. d.* Mensus est crassitudinem parietis templi sex cubitis. Cum enim vestibuli altitudo esset 120 cubitorum, reliquæ vero domus 90, postulabat certe tanta domus celsitudo parietem in imo crassissimum.

ET LATITUDINEM LATERIS QUATUOR CUBITORUM. — Latera sive costas vocat anterides, sive antas, vel pilas, quæ sunt quasi appendices murorum, et quasi fulcra (vulgo pilastri vocantur) e muro exstant ipsi adhærentes, et ipsum fulcientes, quarum singulæ singulis atriorum postibus latitudine respondebant, ac situ.

Secundo et genuine, Maldonatus per latus, hebraice צלע *tsela*, accipit tabulatum, thalamum, cubiculum. Id ita esse patebit vers. seq. Cujusque ergo cubiculi templi muro adhærentis latitudo erat 4 cubitorum, intellige de cubiculis infimis. Nam suprema sex cubitos habebant, media quinque; quia secunda primis, sive imis; tertia, sive summa secundis, uno cubito latiora erant. Itaque eadem latitudo erat supremi cubiculi, et infimæ partis muri; et infimi cubiculi, et supremi muri; et medii cubiculi, et medii muri. Paulo, scilicet uno cubito, major erat latitudo cubiculorum horum in templo Salomonis. Nam ima erant lata 5, media 6, summa 7 cubitos, uti docet Ribera, lib. I *De Templo*, cap. XIV. Unde tanta quoque fuisse in templo hoc Ezechielis censet Vilalpando. Sed cubito minora fuisse docet hic Ezechiel; nisi quis dicat fuisse quatuor cubitorum cum medio, ita ut et quatuor, et quinque cubitorum dici possint.

6. LATERA AUTEM, LATUS AD LATUS, BIS TRIGINTA TRIA. — Septuaginta habent *triginta trium*, scilicet cubitorum: hi enim præcesserunt, et ita legunt Latina Complutensia. Verum Romana, et alia passim legunt, *triginta tria*. Jam primo, sensum dat Vilalpando, *q. d.* Anterides, sive pilæ jam dictæ, invicem sibi respondentes, et oppositæ (hoc enim vocat *latus ad latus*, id est pila ad pilam, sive pila una alteri respondens et opposita) erant bis triginta tres, id est 66. Pro *bis* hebraice est פעמים *peamim*, quod pedes, gressus, vices aliaque significat. Noster legit in duali פעמים *paamaim*, id est duabus vicibus, hoc est bis.

Allegorice, hæ 33 pilæ significant 33 annos vitæ Christi; hi enim quasi fulcierunt templum, id est Christum, ait Vilalpando.

Secundo et genuine, per *latera* intellige cubicula, vel tabulata, *q. d.* Erant bis 33 cubicula, ita ut unus cubiculorum ordo esset supra alium; ac 33 cubicula essent in una, v. g. inferiori contignatione, vel tabulato, et totidem in superiori. Duo ordines cubiculorum 33.

Hunc esse sensum patet *primo*, ex sequentibus, ubi dicitur, quod in hæc cubicula per cochleam ascendebatur, quodque non in muro, sed in muri prominentiis incumbebant, etc.

Secundo, quia cubicula hebraice vocantur צלעות *tselaoth*, id est latera, quia lateralia erant templo. *Tertio*, quia talia cubicula templo Salomonis annexa fuisse tum ad decorem, tum ad robur et firmitatem, tum ad usum, ut scilicet in iis reponeretur supellex templi, utque essent quasi oratoria annexa templo, patet ex III *Reg.* VI, 5, et diserte ex Josepho, VIII *Antiq.* II, et lib. VI *Belli*, cap. VI. Ita Ribera, lib. I *De Templo*, cap. XIV, ubi ex Josepho ostendit hæc cubicula fuisse pervia, atque inferioris templi altitudinem æquasse, id est in 60 cubitos surrexisse. Porro τὸ *latus ad latus*, partim significat continuationem cubiculorum, ita ut invicem fuerint collateralia, et aliis in adverso latere contraposita, uti explicat Ribera; partim subordinationem, quod scilicet alia aliis fuerint subordinata, et quasi inferiora superioribus, opposita, imo supposita, et ex æquo respondentia. Huc accedunt Chaldæus et R. Salomon; qui sic explicant: Tabulata erant aliud supra aliud 33 undena per ordinem. Cum enim quatuor essent latera Sanctuarii, ad latus orientale non erant cubicula, quia ibi erat porta: singula vero tria alia latera undena habebant cubicula: itaque cuncta erant 33. Nota: hæc cubicula, utpote templo adhærentia, erant diversa ab exedris, sive cubiculis sacerdotum, quæ erant in atrio. Ita Ribera, lib. I *De Templo*, cap. XIV et XVII.

Tertio, R. David et ejus sequaces *peamim* vertunt *pedes*, sensumque dant, *q. d.* Cubicula erant aliud supra aliud 33 pedibus in altum.

Quarto, Vilalpando pariter *peamim*, vertens *pedes*, sic vertit et explicat, *q. d.* Latera, id est anterides binæ sibi invicem respondentes, a pariete domus projiciebantur pedes 33. Verum hoc recte refellit Maldonatus, ex eo quod Ezechiel nusquam pedibus, sed cubitis semper fabricam hanc metitur

Quinto, Maldonatus sic vertit et explicat : *Thalamus supra thalámum tres et triginta vicibus,* id est tres erant thalami (id est cubicula,) alius supra alium, idque 30 vicibus; itaque erant 90 thalami. Verum hæc omnia uti a nostro Interprete, ita et a se invicem discedunt et evariant : quisque enim hic quasi in tenebris cæcus palpat et conjectat. Ergo versioni nostræ, quam probavit Ecclesia standum est, ut firmo et solido pede progrediamur. Secunda ergo interpretatio est germana.

ET ERANT EMINENTIA, QUÆ INGREDERENTUR PER PARIETEM DOMUS, — *q. d.* Cum fabricaretur murus templi, relictæ sunt in eo prominentiæ, quæ canes ab architectis vocantur, super quas transversæ trabes cellarum, sive cubiculorum muro templi adhærentium ponerentur, ut iis incumberent, et sustentarentur; quo fiebat ut cubicula non hærerent muris templi, id est non esset necesse pro iis capere partem muri, aut perforare, ut continere possent trabes, quas non decuit templi parietem contingere, nedum illi insistere. Ita Chaldæus, qui vertit : *Capita trabium requiescebant supra illud quod eminebat, neque trabes penetrabant per parietes domus.* Unde quæ hic vocantur *eminentia,* III *Reg.* VI, 5, vocantur *trabes;* quia eminebant ex pariete ad sustentandas trabes transversas imponendas, ideoque hebraice dicuntur מגרות *migraoth,* id est deficientiæ, quia non erant integræ trabes, sed capita : et a Septuaginta vocantur διάστημα, quia recedebant a pariete foras prominentes : Chaldæus et alii *projecturas* vocant. Ita Ribera, lib. I *De Templo,* cap. XIV, Vilalpando et alii.

Canes in fabricis, qui ?

Vers. 7. 7. ET PLATEA ERAT IN ROTUNDUM ASCENDENS SURSUM PER COCHLEAM. — *Plateam* vocat latitudinem rotundam cochleæ. Unde hebraice est, *dilatabat sese* (thalamus) *ac circuibat, q. d.* In crassitudine parietis facta est cochlea (ita vocatur scala, sive gradus, quales videmus in turribus), per quam ex imo cubiculorum ordine ad medium, et ex medio ad tertium et summum ascenderetur. Similem cochleam in templo fecit Salomon, III *Regum* VI, 8. Noluit enim Salomon extra templum scalas apponi, ne extra omnino ascenderetur ad tabulata, et ut vacua area relinqueretur decoris causa : fecit ergo cochleam. Quia autem cubicula cujusque lateris erant pervia omnia, unum ostium cochleæ satis erat ad singula latera per circuitum. Et ascendentes creberrimas habebant a meridie fenestras, quarum luce clare et certo ubique incederent. Ita Beda, et ex eo Ribera, lib. I *De Templo,* cap. XV.

Cochlea templi.

Porro cochlea tantum latitudinis habebat, quantum superius cubiculum extra inferius eminebat, id est cubitum unum sex palmorum. Paries (ut diximus cap. XL) latitudinem habebat palmi unius : interior cavitas 4 erat palmorum; ita ad secundum cubiculum, sive cubiculorum ordinem, ascendebatur. Ex secundo cubiculo rursus eminebat alia cochlea, qua extrinsecus ascendebatur ad tertium. Similem cochleam videmus Romæ in columna Trajani, qua per 185 gradus intrinsecus (est enim columna hæc crassissima instar turris) ab imo ad summum ascenditur, in qua loco fenestrarum fissuræ quædam parvæ aperiuntur scandentium lumini necessariæ, sed ita exiguæ, ut ab iis qui prope accedunt vix percipiantur, et rimæ esse videantur : sunt eæ numero 54.

Cochlea in columna Trajani.

LATIUS ERAT TEMPLUM IN SUPERIORIBUS. — Hebraice est, *quia latior erat domus superius,* id est quia cubiculorum ordo secundus (quem domum appellat) latior erat uno cubito quam primus, et tertius quam secundus, uti paulo ante dixi.

Reddit rationem, cur potuerit cochlea esse, qua extrinsecus ex uno cubiculorum ordine in aliud ascenderetur, ait Maldonatus; quia nimirum domus erat latior superius, quam inferius : hoc enim exigebat cochlea gyrans extrinsecus, seque magis in superioribus dilatans.

Porro inæqualitatis tabulatorum, sive cubiculorum causa fuit angustia areæ : fuit enim admodum angusta, ait Ribera; hinc ima fuerunt uno cubito angustiora secundis, et secunda tertiis.

ET SIC DE INFERIORIBUS ASCENDEBATUR AD SUPERIORA IN MEDIUM, — id est per medium, scilicet tabulatum, et cubiculorum ordinem. Ita Chaldæus. Hoc est quod III *Reg.* VI, 8, dicitur: « Et per cochleam ascendebant in medium cœnaculum, et a medio in tertium. »

Mystice, cochlea, et tres cellarum ordines sunt tres fidelium status.

Mystice cochleam et cubicula hæc explicat Beda, lib. *De Tabernaculo,* cap. VII, et ex eo Ribera, lib. I *De Templo,* cap. XXIV : Tres, inquiunt, ordines cellarum circum domum ædificati tres vitæ rationes significant, quæ omnes bonæ sunt, et ad Ecclesiam pertinent. *Prima* est conjugatorum, *secunda* continentium, *tertia* virginum. Et quia quælibet harum multos recipit, ac proinde multæ in eis divitiæ domus Dei servantur, recte cellæ dicuntur, sive domunculæ. *Primus* ordo strictior est, quia minorem habuerunt latitudinem animi atque spei conjugati, putantes se aut nullo modo, aut difficillime in castitate posse permanere. Et illud Pauli auscultantes, I *Cor.* VII, 9 : « Quod si non se continent, nubant. » Hæc latitudo major est in continentibus, et major adhuc in virginibus; idcirco *secundus* ordo latior est, *tertius* adhuc latior. *Primus* ordo 5 cubitorum est, quia a quinque sensuum voluptatibus non admodum abstinet : *secundus* sex, quia perfectior est; senarius enim perfectionem significat, ut supra diximus : *tertius* septem, quo numero integra perfectio significatur. In hoc a Beda recedimus; quoniam ipse in ea fuit sententia, ut putaret infimum tabulatum esse septem cubitorum, supremum vero quinque.

Secundo, Rupertus in Comment. lib. III *Reg.* cap. X, in his tabulatis significari affirmat tres vivendi distinctiones, quæ significatæ sunt *Ezech.* XIV, in Job, Noe, Daniele. *Prima* est conjugatorum, qui per fidem et patientiam in conjugio Deo pla-

cent, ut Job. *Secunda* est Prælatorum, qui in Noe, qui gubernavit arcam in fluctibus, significantur. *Tertia* et suprema est contemplationi vacantium, qualis fuit Daniel. *Prima* est quinque cubitorum, in qua mensura intelligitur labor exterior quinque sensus corporis occupans. *Secunda* est sex cubitorum, quia versatur et laborat in opere Dei: Deus autem sex diebus absolvit opera sua. *Tertia* septem habet, quia septimo die, id est sabbato, requies significatur, et sabbatismus: in hac enim vivendi ratione sancta anima sabbatizat sæculo altior, et cum adhuc teneatur in corpore, per contemplationis requiem quodammodo jam fruitur cœlo. Hæ vivendi rationes, sive hoc, sive illo modo interpretemur, adjunctæ sunt templo; quoniam Ecclesiasticam normam sequuntur, et ad Ecclesiam pertinent; sed non hærent muris templi, id est non sunt perforati muri ad eas sustinendas, aut super muros non fulciuntur: nihil enim per earum diversitatem onerata aut gravata est Ecclesia, nihil de sua integritate aut unitate amisit. Trabes tamen positæ sunt in muro, quibus hæc tabulata sustineantur; quoniam hæ vivendi rationes præceptis et consiliis Christi, quæ nobis Ecclesia tradidit, innituntur.

Ostium quo ad has intrabatur, in pariete domus erat, non extra; quia qui ita vivunt, membra Ecclesiæ sunt, et extra Ecclesiam nec conjugium Deo placet, ut conjugium sanctorum; nec continentia, ut virginitas; etiamsi vero hæ duæ virtutes extra eam invenirentur. Sed erat in pariete domus dextro, id est in meridiano, quæ pars cœli in bonam partem sumi solet in Scriptura, quia plus lucis et caloris habet; sicut pars septentrionalis in malam, quia frigida est et obscurior, ut sciamus has distinctiones graduum in Ecclesia bonas esse, et Deo placere.

Ad *primum* ordinem cellarum facile quisque ascendit; quia nemo est, qui sibi continentiam non promittat in conjugio. Ille magis ascendit, qui transit ad *secundum*, id est ad vitam continentium, qui iterum atque iterum secum volvit quam fluxæ sint voluptates carnis, et simul per orationem mente ad Deum ascendit, ac illas contemnit, et vitam ab eis abhorrentem eligit. Similiter a secundo ascenditur ad *tertium*; quoniam qui continentiam ad tempus elegerat, similiter volvendo, et ascendendo transit ad electionem perpetuæ virginitatis, si eam nondum amisit; aut si amisit, transit ad altioris continentiæ genus per votum solemne, et ad tantam puritatem, et tantum castitatis amorem, ut meritum virginitatis possit æquare. Si autem, juxta Rupertum, medius ordo sit doctorum, tertius contemplationi vacantium, ab eo ad hunc tertium ascenditur, quia qui bene et magna cum charitate docent, et in opere Dei laborant, ad altiorem contemplationis gradum provehuntur. Denique Beda, cap. VIII, ostium lateris medii dicit esse vulnus lateris Christi; quia dextrum ejus latus a milite apertum sancta credit Ecclesia, ut idem ait, et addit: Ubi et apto verbo usus est Evangelista, ut non, Percussit, diceret, aut Vulneravit, sed: « Unus militum lancea latus ejus aperuit, » quasi ostium lateris medii, per quod nobis iter ad cœlestia panderetur. Per hoc namque ostium nobis ascensus est in medium cœnaculum, et a medio in tertium; quia per fidem et mysteria nostri Redemptoris de præsenti Ecclesiæ conversatione ad requiem animarum post mortem ascendimus, rursumque de requie animarum adveniente die judicii ad immortalitatem quoque corporum, quasi in tertium cœnaculum sublimiore profectu penetrabimus. Rupertus etiam cap. X, ostium dicit esse latus Christi lancea apertum; quia ex eo exivit sanguis et aqua, id est baptismus, per quem in Ecclesiam ingredimur, et tunc aut manemus in imo, aut ascendimus in medium, sive ad tertium cœnaculum, pro voluntate nostra cum gratia Dei.

Denique platea hæc, per cochleam ascendens in gyrum, significat non nisi per tortuosam laborum et dolorum viam in cœlum ascendi. Eadem iisdem bene verbis docent Eucherius et Angelomus in lib. III *Reg.* cap. VI, ac Vilalpando hic, cap. XXI. Talis scala et cochlea fuit, quam per visionem vidit S. Perpetua, ex eaque se suosque socios per martyrium in cœlum vocari novit. Vidit enim scalam auream ex terra in cœlum porrectam, cultris et gladiis quasi gradibus intextam: simulque vidit Satyrum socium suum in carcere, per eam fortiter et animose ascendere, ac in summo stantem, se suosque hortari ut intrepide eadem via se sequerentur. Cumque visum hoc Satyro et sociis cæteris narraret, acclamarunt omnes cum jubilo se vocari ad martyrium. Unde gratias agentes Deo, ad illud se compararunt, quod primo obivit Satyrus, deinde cæteri 7 martii, anno Domini 205, sub Severo Imperatore. Ita habent eorum Acta.

8. ET VIDI IN DOMO ALTITUDINEM PER CIRCUITUM. — *Altitudinem* vocat non tectum, ut volunt Beda, Eucherius, Angelomus, Lyranus et Richardus, sed suprema cubicula, quia hæc erant omnium altissima. Ita Chaldæus, Theodoretus, Maldonatus et Vilalpando.

FUNDATA LATERA AD MENSURAM CALAMI. — Hebraice מוסדות הצלעות *musedot hatselaot*, id est fundamenta thalamorum, sive cubiculorum, unius cannæ, *q. d.* Vidi fundamenta supremorum cubiculorum sex cubitorum esse. Fundamenta vocat imam partem cubiculorum, non quæ in terra, sed quæ in summo tabulato erat. Significat ergo id quod supra dixi, suprema cubicula sex cubitos habuisse, tam in longitudine, quam in latitudine.

Addit autem τὸ *sex cubitorum*, ut explicet mensuram cannæ, sive calami. Ita Maldonatus.

9. ET LATITUDINEM, — *q. d.* Paries cubiculorum extrinsecus quinque habebat cubitos in latitudine.

ET ERAT INTERIOR DOMUS. — Hebraice : *Et intervallum, quod erat domui cubiculorum, quæ erant in templo,* subaudi, quinque etiam cubitorum erat : hoc est, spatium interjectum inter thalamos et murum qui templum circuibat, quinque etiam cubitorum erat. In Hebræo est vox מנח *munnach,* de qua mox.

10. ET INTER GAZOPHYLACIA LATITUDINEM, — id est plateam, *q. d.* Platea quædam viginti cubitos lata, erat inter gazophylacia atriorum, et prædicta cubicula templo adhærentia, quæ undique totam domum cingebat, ab Oriente, Meridie, Occidente et Aquilone. Ita Vilalpando. Ex hoc loco patet, quod inter templum et atrium sacerdotum, interjectum fuerit spatium, sive platea 20 cubitorum, quæ porrigebatur ex omni parte circa templum, illudque proxime ambiebat. Erat hæc platea sub dio, ibique orabant sacerdotes. Unde de ea dicitur *Joel.* II, 17 : « Inter vestibulum et altare (puta in platea jam dicta) plorabunt sacerdotes, ministri Domini, et dicent : Parce, Domine. » Et hic vers. 11 dicitur ibi fuisse locus ad orationem, id est oratorium sacerdotum. Hunc locum profanarunt impii, de quibus dixit cap. VIII, vers. 16 : « Inter vestibulum et altare quasi viginti quinque viri dorsa habentes contra templum Domini, et facies ad Orientem, et adorabant ad ortum solis. » Itaque inter vestibulum templi et peribolum, sive murum atrii sacerdotum, interjacebat hoc spatium vacuum, puta platea 20 cubitorum. Ita Vilalpandus, Pineda, et passim alii.

11. ET OSTIUM LATERIS (id est ostia cubiculorum erant) AD ORATIONEM, — id est ad locum jam dictum; puta ad cubicula templum ambientia, quæ erant loca ad orationem deputata.

ET LATITUDINEM LOCI AD ORATIONEM QUINQUE CUBITORUM, — *q. d.* Et prædicti loci, sive cubiculorum latitudo erat 5 cubitorum. Tot enim distat ab interiori domus pariete exterior costarum, ait Vilalpandus. Quanquam Pineda, lib. V *De Rebus Salom.* cap. V, § 11, dubitet an hi 5 cubiti spatii fuerint designati et definiti in ipsa platea 20 cubitorum, de qua vers. præced., an vero ulterius circa ipsam domum in interstitio duorum murorum quibus cingebatur.

Oratorium vocatur *munnach,* id est requies, cur?

Nota : Pro *ad orationem* hebraice est מנח *munnach,* id est requies, puta locus quietis. Unde Noster paulo ante vertit, « domus interior. » Ita vocatur oratorium, et alibi *templum : primo,* quia hoc est quasi locus in quo requiescit Deus, ut ait Isaias cap. LXVI, 1. Unde et David ait *Psalm.* CXXXI, 14 : « Hæc requies mea in sæculum sæculi; hic habitabo, quoniam elegi eam. » Et II *Paral.* VI, 41 : « Surge, Domine, in requiem tuam. »

Secundo, quia ibi orantes requiescunt in Deo, juxta illud *Psalm.* XC, 1 : « Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur. » *Orationem* ergo vocat locum orationis, sive oratorium cellarum et cubiculorum. Hinc christiani suas ecclesias olim vocarunt προσευχὰς (uti hic vertunt Septuaginta), id est *orationes,* id est loca orationis : est metonymia. Porro eadem cubicula, sive oratoria, mox vers. 12 vocat « ædificium separatum. »

12. ET ÆDIFICIUM QUOD ERAT SEPARATUM. — Aliqui intelligunt totum spatium templi cum suis thalamis et cæteris appendicibus, dicique « separatum, » quia in eo divisum et separatum erat Sanctum a Sancto sanctorum. Hoc ergo aiunt fuisse latum cubitos 70, quos ita colligit Maldonatus : Sanctum sanctorum habebat 20 cubitos latitudinis, murus 6 cubitos inferne : erat autem duplex : alter meridionalis, alter septentrionalis : sunt 12, qui additi ad 20, efficiunt 32. Cubicula inferiora 4 habebant cubitos : erant autem duo cubiculorum ordines, unus in uno latere, alter in altero : sunt ergo 8 cubiti, quos adde ad 32 habebis 40. Murus cubiculorum forinsecus erat latus 5 cubitos, unus ex uno, alter ex altero latere : sunt 50. Spatium quod relictum erat inter cubicula et murum, qui Sanctum sanctorum circuibat, quinos utrinque habebat cubitos : sunt 60. Murus Sanctum sanctorum ambiens quinos etiam utrinque cubitos habebat : sunt 70 : « Et longitudo ejus nonaginta cubitorum; » scilicet, vestibulum Sanctuarii 11 cubitos habebat latitudinis, cap. XL, 49; murus autem erat latus 5 cubitos, cap. XL, 48 : sunt 16. Habebat autem Sanctuarium 40 cubitos longitudinis, ut patet vers. 2 : sunt 56. Sanctum sanctorum viginti cubitos habebat longitudinis, vers. 4 : sunt 76. Murus Sancti sanctorum versus Occidentem latus erat 5 cubitos : sunt 81. Thalami infimi 4 erant cubitorum : sunt 85; et spatium quod relictum erat inter thalamos, et alterum murum, erat 5 cubitorum : sunt 90. Quibus si addas 5 cubitos, quos habebat murus templum circumdans ex una parte, et totidem ex altera, efficies 100 cubitos, quos dicet vers. 13, 14, 15, totum templi circuitum in quadrum habuisse. Huc usque Maldonatus. Sic et Vatablus. V

Secundo et melius, Vilalpandus : Ædificium, ait, separatum, vel, ut hebraice est גזרה *gizra,* id est præcisum (Chaldæus vertit *conceptum*; Septuaginta, *reliqua*), vocat ædificium cellarum, sive cubiculorum et oratoriorum jam dictorum templo adhærentium. Hoc enim recte vocatur בנין *binian,* id est ædificium constans variis partibus inter se connexis et colligatis. Hebraice ad verbum est, *ædificium quod erat ante faciem separati,* id est templi : Noster vertit, « separatum, » quia tam ædificium hoc cellarum a templo, quam templum ab ipso ædificio erat separatum. Separatum enim est relativum æquiparantiæ : separatum enim est separati separatum. Porro mare vocat Occidentem; Judæis enim mare Mediterraneum est ad Occidentem. Sensus ergo est, « et ædificium, quod erat separatum, » id est ædificium cellarum quod erat locus orationis, quodque a latere meridiano et aquilonari templi exstructum erat, latum erat,

id est extendebatur ab Oriente in Occidentem, cubitos 70.

PARIES AUTEM ÆDIFICII QUINQUE CUBITORUM, etc., — id est hujus autem ædificii paries, qui domum undique cingebat, latus erat, vel crassus, 5 cubitos; longus vero, id est altus, cubitos 90.

Vers. 13. 13. ET MENSUS EST DOMUS LONGITUDINEM CENTUM CUBITORUM, ET QUOD SEPARATUM ERAT ÆDIFICIUM, etc., LONGITUDINIS CENTUM CUBITORUM. — Τὸ *et* significat, *id est*, aiunt Lyranus et Vilalpandus; *domus* enim idem est quod *ædificium separatum*. Sensus est, *q. d.* Mensuras domus, sive ædificii cellarum, quas hactenus per partes dimensus fuerat Angelus, eas nunc in unam summam colligit, ejusque longitudinem ab Oriente in Occidentem centenario, id est perfecto, numero cubiculorum definit. Nam ipsa domus longitudo, et orationis locus, et parietes, omnia simul sumpta longitudinem complent centum cubitorum.

Hosce centum cubitos per partes collegi, vers. 12, ex Maldonato. Eadem enim ædificii hujus, quæ templi, cui adhærebat, erat mensura.

Vers. 14. 14. LATITUDO AUTEM ANTE FACIEM DOMUS, etc., CENTUM CUBITORUM, — id est et platea quædam, quæ jacebat ante eximium hoc ædificium separatum, Orientem respiciens, longa erat cubitos 100; hujus vero plateæ longitudinem, vers. 20, viginti cubitis definivit.

Hæc pauca e multis : aveo enim ex implexis hisce mensuris, et spinosis symmetriis me, æque ac lectorem expedire, ac eas architectis (ad quos proprie pertinent) relinquere : qui plura volet, consulat Vilalpandum.

Platea dicta a latitudine. Nota : Latitudo vocatur platea; græce enim πλάτος, unde platea dicitur, significat latum, vel latitudinem. Rursum « contra Orientem, » id est contra atrium interius, quod erat orientali parte, respectu templi.

Vers. 15. 15. ET MENSUS EST LONGITUDINEM ÆDIFICII (jam dicti) CONTRA FACIEM EJUS (« ejus, » id est quod erat appositum et oppositum ei) : QUOD ERAT SEPARATUM (id est templo : hoc enim significat Hebræum *gizra*, ut dixi) AD DORSUM. — Hebraice אחריה *achārea*, id est *post illud*, id est quod erat pone latus orientale, quod ante mensus fuerat, *q. d.* uno verbo : Mensus est latus orientale, ait Maldonatus. Aliter Vilalpando; putat enim ipse Angelum hic metiri atrium, quod templum circumdabat, vel potius postes et vestibula, quibus atrium triplici ex parte cingebatur.

Etheca quid? ETHECAS EX UTRAQUE PARTE CENTUM CUBITORUM. — Quæres, quæ vocentur ethecæ? *Primo*, Chaldæus vertit *angulos; secundo*, Maldonatus, Vatablus et alii putant thalamos, sive exedras et gazophylacia, id est cubicula, vocari *ethecas*. Hinc aliqui Rabbini putant ethecas fuisse cubicula in quibus sacerdotes, cum in Sanctum sanctorum ingrediebantur, aut inde egrediebantur, mutabant vestes. *Tertio*, R. Salomon, et ex eo Lyranus : Ethecæ, ait, sunt pilarii qui inseruntur in parietibus magnorum ædificiorum, ad ea fortificandum.

Verum dico *etheca* esse vocem Chaldaicam, a radice נתק *natac*, id est avulsit, abrupit. Unde *etheca* vocatur porticus, ut vertit Noster, cap. XLII, vers. 5, quæ postibus sive columnis fulta, a muro separata et quasi avulsa videtur : sicuti *gizra* paulo ante vocavit templum, quia separatum, et quasi ab omni alia fabrica avulsum. Ita Vilalpandus. Aut potius, ut S. Hieronymus : « Ethecas, inquit, Romæ appellant solaria cœnaculorum parietibus eminentia, sive meniana, ab eo qui primum ea invenit, quæ nonnulli Græcorum ἐξώστρας vocant. » Hæc enim proprie hebraice vocantur *ethecæ*, id est avulsio, id est locus exstans, et quasi a muro domoque avulsus. Hæc enim vocari possunt porticus; unde græce ἐξώστραι, id est *exteriores*, vel exstantes porticus vocantur : qua de causa etiam porticus, quia a muro quasi avulsa, vocatur etheca, ut Noster vertit, cap. XLII, 5.

Sensus ergo est, *q. d.* Mensus est longitudinem porticus Occidentalis, aut potius menianum, quæ respiciebant Occidentale posticum domus, centum cubitis. Erant enim quadrata, eamdem habentia latitudinem et longitudinem, scilicet centum cubitorum.

ET TEMPLUM INTERIUS, ET VESTIBULA ATRII, — *q. d.* Atque adeo mensus est templum interius, et atrii vestibula. Ita Vilalpandus.

16. LIMINA, ET FENESTRAS OBLIQUAS, ET ETHECAS IN CIRCUITU PER TRES PARTES. — Repetit quæ dixit cap. superiori, ut indicet Angelum ibi particulatim, hic communiter mensum esse omnia per tres partes, id est per tria latera, scilicet ad Meridiem, Aquilonem et Occidentem. Nam ad Orientem, qua in Sanctum sanctorum introitus erat, non poterant esse thalami, nec ethecæ, id est eorum porticus.

CONTRA UNIUSCUJUSQUE LIMEN, — *q. d.* Postibus domus singulis respondebant singula limina, vel tabulata singulis tabulatis.

STRATUMQUE LIGNO PER GYRUM IN CIRCUITU, — id est, postes vero domus, vel parastades, operiebantur tabulatis (tabulis cedrinis, inquit Chaldæus) cubiculorum, in circuitu trium laterum jam dictorum. Ita Vilalpandus.

TERRA AUTEM USQUE AD FENESTRAS. — Richardus Victorinus, lib. *De Templo, Ezech.* cap. XVII, hinc colligit domum ipsam terra sepultam fuisse usque ad fenestras : sed hoc repugnat ornatui domus, et architecturæ. Sensus ergo est, *q. d.* A terra usque ad fenestras, supple, tabulatis, et tabulis jam dictis opertæ erant ethecæ, scilicet usque ad altitudinem 25 cubitorum. Vel, et solidius, *q. d.* Paries erigebatur usque ad fenestras domus, quæ super altitudine 25 cubitorum aperiebantur in pariete meridiano et aquilonari. Ita Septuaginta, Chaldæus, Hebræi, Vilalpandus et alii.

ET FENESTRÆ CLAUSÆ, — *q. d.* Fenestræ vero templi, quæ super hujusmodi pariete aperiebantur, ab eodem ita abscondebantur, ut ex atriorum pa-

vimento inferiori videri non possent. Rursum, « fenestræ clausæ super ostia, » *q. d.* Et fenestræ clausæ triplici operimento, scilicet cancellis, valvis et aulæis, aperiebantur super altitudine ostii orientalis domus.

17. ET USQUE AD DOMUM INTERIOREM, ET FORINSECUS PER OMNEM PARIETEM IN CIRCUITU, INTRINSECUS ET FORINSECUS AD MENSURAM, — *q. d.* Aperiebantur, inquam, fenestræ loco et modo jam dicto, per parietes exterioris domus usque ad parietem interioris : nam in interiori (puta in Sancto sanctorum, ut mox dicam) nullæ erant, atque in eadem altitudine procurrebant, tum in parte interiori domus meridiana et aquilonari, tum in exteriori costarum et cubiculorum. Vel « intrinsecus, » id est in interiori domo Sancti sanctorum; et « forinsecus, » id est in exteriori Sancti, ad mensuram operiebantur omnia tabulis ejusdem mensuræ, in quibus fabrefacti, id est insculpti, erant Cherubim et palmæ, uti sequitur. Ita Vilalpandus.

Quæres, quales fuerint hæ fenestræ, et cur vocentur obliquæ? Respondent R. David et Isidorus Clarius, fuisse fenestras introrsum angustiores, extrorsum vero latiores.

Secundo, alii passim censent eas extrorsum fuisse angustiores, introrsum latiores : inde dicuntur obliquæ, tum quia declives erant, tum consequenter quia per eas lumen non rectum ingrediebatur, sed obliquum et declive. Ita censent Beda, lib. *De Templo,* cap. VII, Angelomus, Cajetanus et Abulensis, III *Reg.* VI, 4, Richardus Victorinus, Lyranus, Vatablus, Maldonatus hic, Ribera, lib. I *De Templo*, cap. XIII. Verum Angelomus et Abulensis affirmant non dici obliquas, eo quod revera essent obliquæ, sicut exiguæ fenestræ quæ fiunt in quibusdam arcibus, sed quod, cum essent introrsum latiores, lineæ laterum illarum non erant parallelæ, sed a se invicem semper elongabantur, sicut latera trianguli. Ita enim exponit Abulensis, et addit : « Istud autem fit ad hoc, ut lux multa intret per illas; quod non fieret, si essent fenestræ æquales intus et extra. Causa hujus est, quod radii solis venientes ab extra intersecant se in superficie fenestræ, ubi est locus strictior, et deinde dilatantur, et intrat lux in domum per modum pyramidis eversæ. De quo patet libro I *Perspectivæ communis*, *propositione* VI, et sic fiunt fenestræ communiter in Ecclesiis et aliis domibus. »

Probatur hæc sententia, *primo,* quia hoc significat vox *obliquas; secundo,* quia pro *obliquas,* III *Reg.* VI, 4, in Hebræo est שקופים אטומים *scekuphim atumim,* id est *apertas clausas*, quia scilicet interius erant latæ et patulæ, exterius angustæ, ut pene clausæ viderentur. Non enim omnino clausæ erant : sic enim non fuissent fenestræ. *Clausas* ergo idem est quod angustas, ut explicat Pagninus. Unde Chaldæus vertit : *Apertas intrinsecus, et clausas forinsecus;* et Septuaginta vertunt : *Fenestras cancellatas occultas.*

Tertio, quia S. Hieronymus id docet verbis citatis in cap. I, 16, ubi has fenestras ex Symmacho vocat τοξικὰς, quod lumen instar sagittæ transmitterent. Porro hæ fenestræ cancellis quibusdam transversis in modum retis erant obductæ, et quasi clausæ : ideo enim hebraice vocantur *atumim,* id est clausæ. Id clare docent Septuaginta, qui III *Reg.* VI, 4, vertunt : θυρίδας δεδικτυωμένας κρυπτὰς, id est *fenestras reticulatas occultas*, et sic vers. 16, θυρίδες δικτυωταὶ, id est *fenestræ reticulatæ,* sive *cancellatæ.* Ubi S. Hieronymus : « Fenestræ, inquit, factæ erant in modum retis instar cancellorum, ut non speculari lapide, nec vitro, sed lignis interrasilibus et vermiculatis clauderentur (pro quibus in Hebraico obliquas fenestras habet), quæ in tribus tantum erant partibus templi, ad dexteram scilicet et ad sinistram, et post tergum. Orientalis enim pars non habebat fenestras; quia ipse introitus clarum immittebat lumen intrinsecus, et cuncta interiora templi januarum lumine complebantur, ita ut per singulas fenestras et cancellorum foramina intra quis posset aspicere. » Ita Ribera et Vilalpando in cap. XL *Ezech.*, ubi addit « obliquas » dici, eo quod eorum anguli obliqui essent, non recti, uti sunt in reti et in cancellis transversis : rursum dici τοξικὰς, quod in modum cuspidis sagittæ foramina hæc acuminarentur. Harum ichnographiam claram exhibet Vilalpandus in tabula post pag. 144.

Mystice fenestræ templi (ut ait Beda cap. VII) doctores Ecclesiæ sunt, qui, dum fidei mysteria, et facienda docent, per eos lux ad reliquos ingreditur. Ideo dictum est *Matth.* cap. V : « Vos estis lux mundi. » Fenestræ obliquæ sunt eodem auctore : quia nimirum necesse est ut quisquis jubar supernæ contemplationis vel ad momentum perceperit, mox sinum cordis amplius castigando dilatet, atque ad majora capessenda solerti exercitatione præparet. Sunt etiam introrsum latiores, quia, etsi magna latitudo charitatis cerni in eis debet exterius, major intus debet in corde fervere. In corpore Christi fenestras interpretari possumus vulnera, quæ magnam ostendunt charitatem, multo tamen major erat in ejus corde intus. Christus enim immense amabat Deum Patrem, tum quia clare perspiciebat immensam ejus pulchritudinem, dignitatem, amorem aliaque ejus attributa divina; tum quia immensum ejus in se amorem cernebat, quo humanitatem suam ad unionem hypostaticam cum Verbo evexerat, omnibusque sapientiæ, gratiarum et virtutum donis mire decorarat. Et quia immense amabat Patrem, immense amabat et homines, utpote pro quibus Deus Pater ejus humanitatem ita evexerat et decorarat, volebatque ut Christus pro eorum salute hæc omnia expenderet, ac tormenta et mortem crucis subiret. Immensus ergo hic Christi in Deum amor, indeque ad nos reflexus, mortis crucisque terminis limitari non potuit. Sicut enim semel mortuus est, ita millies mori et crucifigi voluisset,

Mystice fenestræ sunt doctores;

et vulnera Christi.

si id Pater jussisset : ac ut omnium hominum causa mortuus est; sic unius hominis causa mori paratus erat, ad idque abundantissimum et promptissimum habebat amorem : atque non tres tantum horas, sed usque ad diem judicii in cruce pendere, ibique laboribus et doloribus confici, si id Pater postulasset, cupivisset, et ad hoc reipsa præstandum vires superabundantes amor hic ipsi subministrasset. Hinc ipse sitiebat crucem et mortem, omnesque dies quibus illa differebatur. Hoc est quod ait, *Lucæ* XII : « Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor usque dum perficiatur? » Pelagus ergo amoris Christus intra viscera occluserat, cujus exiguos tantum rivulos per vulnera nobis commonstravit. Hoc est exemplar amoris, quod nobis imitandum et rependendum proposuit Christus : de quo docte et pie disserit noster Bernardinus Rossignolius, lib. *De Disciplina Christianæ perfectionis*, lib. V, cap. XXVI.

Erant autem fenestræ in tribus lateribus templi, id est in omnibus, præterquam in Orientali, et in omnibus contignationibus, quia omnium conditionum homines lumine solis justitiæ indigent, quod per doctores Ecclesiæ, et per spirituales viros diffunditur. Latus Orientale, quia magnam habet januam, et Orientis solis radiis plenissime perfunditur, fenestris non indiget; quia pars illa Ecclesiæ, quæ plene a Deo illuminatur in beatitudine, non necesse habet ab hominibus doceri. Hinc de ea dicitur *Apocal.* XXXI : « Et civitas non eget sole, neque luna, ut luceant in ea; nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna ejus est agnus. » Denique fenestræ erant tantum in atrio et Sancto, non in Sancto sanctorum; hoc enim undique clausum et opacum erat sine fenestris, idque quia Deus, id est Angelus vice Dei in assumpto ex aere corpore sedens, et respondens in propitiatorio, a Pontifice ingrediente Sancta sanctorum videri nolebat. Est enim caligo et nubes latibulum ejus, unde Pontifex vocem loquentis audiebat, sed speciem aut formam nullam cernebat, ut dicitur *Num.* VII, 89. Ita docent Abulensis, *Exodi* XXV, Quæst. XXII, Vilalpandus hic, cap. XXXIV, et alii.

18. ET FABREFACTA CHERUBIM ET PALMÆ : ET PALMA ERAT INTER CHERUB ET CHERUB, — *q. d.* In parietibus templi insculptæ erant effigies Cherubim et palmarum, ita ut alterne succederent imago Cherub et imago palmæ, atque quisque Cherub esset inter duas palmas, et quæque palmæ inter duos Cherubim. Parietes ergo alternis Cherubinis, et palmarum spatulis, quasi coronis exornabantur.

Causam dat Alcazar, *Apocal.* III, 12, not. 1, quod templum a Salomone erectum sit Deo victori, ob eximias victorias, quas ejus pater David Dei ope et ductu de hostibus reportaverat. Constat hoc I *Paral.* XXVI, 27, et cap. XXIX, 11, ubi David, ejusque duces dicuntur obtulisse spolia bello capta ad fabricam templi, dicente Davide : « Tua est, Domine, magnificentia, et potentia, et gloria, atque victoria, et tibi laus. » Sic Philippus II, Hispaniæ rex, augustum illud S. Laurentii templum ædificavit ob victoriam quam S. Laurentii die festo, et ipsius patrocinio consecutus fuerat. Nam Cherubini (id est juvenes alati), æque ac palmæ victoriarum sunt symbola, uti videre est in antiquis sculpturis et numismatibus; eaque Romani et Græci a Salomone et Hebræis mutuati videntur. Nam, cum constet palmam oriundam esse ex Judæa et Phœnicia (ideoque in antiquis nummis, ubi Judæa effingitur, palma velut ejus nota et insigne additur), dubitandum non videtur quin ex exemplo Salomonis depromptum sit, ut palma pro victoriæ signo ponatur ab ethnicis, atque ut in certaminibus victori daretur palma. Palma victoriæ symbolum Hebræis, indeque Romanis.

Quod autem simulacrum Victoriæ effingeretur altera manu palmæ, altera oleæ ramum præferens, id etiam ex eodem templo derivatum videtur; quia in eo frequentes erant palmarum et oleæ frondium effigies.

18 et 19. DUASQUE FACIES HABEBAT CHERUB : FACIEM HOMINIS JUXTA PALMAM EX HAC PARTE, ET FACIEM LEONIS JUXTA PALMAM EX ALTERA PARTE. — Quaternas facies habebant Cherubim, uti vidimus cap. I, in statua separata; sed in pariete plano insculpti duas tantum facies ostendebant, scilicet hominis et leonis : quia duæ aliæ facies, scilicet aquilæ et vituli, intercipiebantur et abscondebantur ab ipsa planitie parietis. Fuit enim hæc Cherubinorum dimidiata sculptura (quam Galli *demi-taille* vocant), in qua necesse est ut multæ partes occultentur, nec appareant : quia figuræ imperfectæ sunt, et ex parte exstantes, reliqua vero parte in plano parietis absorbentur. Cum ergo aquilæ facies in editiori parte capitis exstaret, facile fuit illam in ejusmodi cælatura abditam remanere : eam enim solum vultus partem ars eminentem sive exstantem reliquit; quæ satis erat ut inspici, et ex ea cognosci posset, superiori capitis parte imperfecta seu abscondita relicta. *Secundo*, ut leonis facies cerneretur, necesse fuit Cherubinum ex latere, sive obliquum figurari. Quare eo ipso quod humanam faciem, et leonis vultum monstraret, necessario erat vituli facies obtegenda, inquit Alcazar, *Apocal.* IV, 7, not. 12. Vers. 18 et 19. Dimidiata sculptura Cherubim qualis?

Mystice S. Hieronymus : « Cum ingressi (ait) sumus Sancta sanctorum, et vitia mortificamus, indigemus facie hominis et leonis, id est prudentia et fortitudine. » Hinc patet Cherubinos habuisse plures facies proprie dictas. Nam unam convertebant ad palmam unam hinc, et alteram ad aliam palmam inde : non ergo facies leonis erant jubæ, nec facies aquilæ erant alæ, nec facies vituli erant ungulæ, ut volunt Prado et Vilalpandus. Leo enim tam habet jubas in pectore quam in tergo.

PER OMNEM DOMUM IN CIRCUITU. — Ita ut in sanctuario octo numerarentur Cherubini in quaternis parietibus, quatuor in Sancto sanctorum ar-

cam circumstantes, duodecimin exteriori domo : ita ut omnes Cherubini templi fuerint 24; ad quos proinde alludit Joannes, *Apoc.* v, 8, dum totidem, id est 24 seniores numerat Deo et Agno astantes, ait Vilalpandus, cap. XLV. Hi enim seniores sic dicti sunt, quod ab exordio temporis, ex quo sub aliqua sensibili forma Dei invisibilis sedes hominibus ostensa fuit, Dei majestati astarent. Verum de 24 senioribus dicendum est *Apocal.* v.

Vers. 20. 20. DE TERRA USQUE AD SUPERIORA, — *q. d.* Quantum erigebatur Orientalis portæ limen, vel ostium, tantumdem a terra parietes templi et oraculi insculptis palmis ac Cherubinis exornabantur, hoc est in altitudine cubitorum viginti : tanti ergo erant Cherubini, æque ac palmæ, scilicet alii cubitos viginti. Ita Vilalpandus.

Vers. 21. 21. LIMEN QUADRANGULUM. — Hebraice : *Et templi postis* (subaudi uterque) *quadratus erat.* Unde R. David ait : Limen portæ templi quadratum erat, ad differentiam eorum qui limina faciunt rotunda. Porta ergo templi quadrata erat, non fornicata. Ita Vilalpandus.

ET FACIES SANCTUARII ASPECTUS CONTRA ASPECTUM. — Hebraice מארה כמארה *mare kemare*, id est *aspectus sicut aspectus*, *q. d.* Facies, id est postes et portæ templi, omnes erant similes, sibique invicem obversæ, ut se invicem paribus oculis, parique aspectu intueri et aspicere viderentur. Ita Maldonatus. Aliter Chaldæus et R. Salomon, *q. d.* Aspectus Sancti sanctorum similis erat aspectui gloriæ Domini, quam videram juxta fluvium Chobar, cap. I.

Tertio et melius, Vilalpandus, *q. d.* Sancti sanctorum, et Sancti facies, utpote quæ eamdem spectabant cœli regionem, et eodem aspectu videri poterant, erant omnino similes dispositione, ornamentis, incrustaturis, sed una symmetria dispares : nam hujus antepagmentum utrumque ex quarta, illius ex quinta latitudinis portæ parte factum fuisse dicitur.

Addit Vilalpandus cap. XLVI, portam templi Judaici similem fuisse portæ templi Romani, quod Pantheon dicitur, a M. Agrippa tempore Augusti Cæsaris, in honorem omnium deorum ædificatum.

Vers. 22. 22. ALTARIS LIGNEI. — Describit et dimetitur hic altare thymiamatis, sive incensi, quod erat ante portam Sancti sanctorum, aitque ipsum, id est tigilla angularia, et parietes, et tabulam, sive mensam (hanc enim vocat longitudinem), facta fuisse ex lignis, sed quæ aureis laminis tegebantur : addita desuper aurea craticula pro foco; additque altare hoc altum fuisse tres cubitos, longum æque ac latum duos cubitos. Hoc altare, utpote quadratum ligneum, formam et typum gerebat crucis Christi, ait Vilalpandus.

HÆC EST MENSA, — *q. d.* Hoc altare est quasi mensa, in qua Domino ignis et thymiama, quasi esca Deo gratissima proponitur, vel, *q. d.* Angelus ab altari conversus se ad mensam panum propositionis dixit : Hæc est mensa in qua jugiter Deo duodecim panes proponuntur et offeruntur a duodecim tribubus Israel, quibus protestantur se a Deo ali, frugesque et panes quotannis percipere. Alioqui dicendum est Prophetam omittere hic mensam, uti et candelabrum in Sancto, æque ac arcam cum propitiatorio, et Cherubim in Sancto sanctorum. Cujus ratio est, quod arca a Jeremia fuit abscondita. Unde in templo Zorobabelis non fuit arca, uti diserte docet Josephus, lib. VI *De Bello*, cap. VI.

23. DUO OSTIA. — Hebraice שתים דלתת *scettaim delatoth*, id est geminæ fores, *q. d.* Tam Sancti quam Sancti sanctorum, sive oraculi, ostium unumquodque binis claudebatur foribus.

Vers. 24. 24. ET IN DUOBUS OSTIIS, etc., BINA ERANT OSTIOLA, — *q. d.* In singulis foribus rursum erant aliæ binæ plicatiles fores. Itaque in quolibet ostio erant quatuor fores, duæ ex una parte plicatiles, et totidem ex altera, quales hodie multis in locis videmus. Ita Vilalpando et Maldonatus.

Vers. 25. 25. ET GROSSIORA ERANT LIGNA. — Id est, ligni ex quibus fores erant factæ, eminebant extrinsecus, ut Cherubim et palmæ sculperentur. Chaldæus et Hebræi aliter hæc vertunt et explicant, scilicet de trabe cedrina, quam a pariete templi ad parietem vestibuli trajectam dicunt, ad continendum utrumque parietem, uti in amplis ædificiis fieri solet.

Porro trabes, æque ac postes et columnæ, ait Vilalpando, exornatæ erant insigni cælatura triglyphorum, metoparum et zoophororum. Triglyphi vocantur capita trabium; sic dicta, quod tribus canalibus exornarentur. Metopæ vocantur quadrata spatia inter triglyphos. Zoophori erant Cherubinorum capita, puta hominis, aquilæ, leonis et vituli metopis insculpta; sicut postea Dores taurorum, aliorum animalium capita metopis insculpserunt. Dicitur ζωοφόρος a ζωὴ, id est *vita*, et φέρω, quasi viventis, id est animalis, caput referens et repræsentans. Qua ratione eodem nomine vocatur Zodiaci circulus, propter signa animantium formis distincta, quæ in se complectitur; scilicet hæc duodecim, totidem mensibus respondentia :

Triglyphi quid? Metopæ. Zoophori.

Sunt aries, taurus, gemini, cancer, leo, virgo,
Libraque, scorpius, arcitenens, caper, amphora, pisces.

26. SUPER QUÆ (erant) FENESTRÆ (de quibus dixi vers. 16 et 17), ET SIMILITUDO PALMARUM HINC ATQUE INDE IN HUMERULIS (hebraice כתפות *kitphoth*, id est *lateribus*) VESTIBULI (*q. d.* In fronte vestibuli ex utraque parte erant capitella sculpta, ad modum palmarum in parastadis angularibus, uti videmus in elegantibus frontispiciis palatiorum et templorum : capitella, inquam) SECUNDUM LATERA DOMUS, LATITUDINEMQUE PARIETUM. — Id est similia capitellis, paria, et æque librata, quæ domum universam cingebant, et omnes ejus undique parietes. Ita Vilalpando, quem fere præ aliis

hic sequor (nisi urgens ratio aliud suadeat, imo cogat), quia ipse et architectus fuit insignis, et viginti duos annos, uti ipsemet profitetur, in hanc templi fabricam insumpsit : cuique enim in sua arte et professione credendum est.

Mystice ostia ex olea sunt opera misericordiæ.

Mystice Ribera, lib. I *De Templo*, cap. XXI, ostia duo templi, id est cœli, sunt opera bona duplicis charitatis, Dei scilicet et proximi. Unde ostia oraculi in templo Salomonis facta erant ex olea, quæ est symbolum misericordiæ. Palmæ significant viriliter esse certandum, ut palma donemur. Postes quadranguli sunt quatuor virtutes cardinales, aut quatuor præcipui affectus animæ, quos Poeta expressit :

Hinc metuunt, cupiuntque; dolent, gaudentque :

quos tam in adversis, quam prosperis moderari et expolire oportet. Cherubim significant electos eo tendere debere, ut Angelorum vitam puritate et amore imitentur, inter quos vident sibi vivendum esse in cœlo. Ostium exterius est charitas proximi, ostium interius est charitas Dei; quia per illam ad hanc accedimus. Quodque ostium binas habet fores, quia in charitate Dei debent adesse duo, scilicet fides veritatis, et puritas bonæ operationis. Itidem in charitate proximi debent adesse duo, scilicet patientia ad tolerandas injurias molestiasque fratrum; et benignitas ad dimittendum ex corde, et benefaciendum iis a quibus injurias sustinet : aut duo hæc sunt fervor operum, et interior animi devotio. Ante hæc ostia erat velum. Velum ante Sanctum sanctorum significabat clausum esse cœlum, et abscondita esse hominibus, quæ intra cœlum sunt. Velum ante Sanctum significabat, abscondita esse hominibus nondum expertis ea bona, quæ Deus præparavit iis, qui per pœnitentiæ et abnegationis (hanc enim significabat altare holocaustorum, et labrum æneum, quod erat in atrio ante Sanctum) sui perseverantiam transeunt ad perfectionem charitatis, et semper cogitant de futuris bonis, eaque tantum expetunt obliti cæterorum.

Palmæ symbolum constantiæ et coronæ; hinc victori data tur.

ET SIMILITUDO PALMARUM HINC ATQUE INDE IN HUMERULIS VESTIBULI. — Palma symbolum est roboris et victoriæ, eo quod ponderibus impositis humeris renitatur. Audi Gellium, lib. III, cap. VI : « Rem mirandam Aristoteles in VII *Problem.*, et Plutarchus in VII *Sympos.* dicunt : Si supra palmæ, inquiunt, arboris lignum magna pondera imponas, ac tam graviter urgeas oneresque, ut magnitudo oneris sustineri non queat, non deorsum palma cedit, nec infra flectitur, sed adversus pondus resurgit, et sursum nititur, recurvaturque : propterea, ait Plutarchus, in certaminibus palmam signum esse placuit victoriæ : quoniam ingenium hujusmodi ligni est, ut urgentibus opprimentibusque non cedat. » Rursum palma in summo coronata est : habet enim frondium et fructuum suorum comam circumcirca instar coronæ. Pari modo victoriæ debetur corona, eaque paratur constantia ac magnanimitate palmata, ac magna animis debetur.

CAPUT QUADRAGESIMUM SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit atria templi dimetiri et describere sigillatim, quæ cap. XL *generaliter tantum dimensus fuerat, ac tandem in fine omnia, id est extimum omnium ambitum quingentis calamis in quolibet latere, id est universim bis mille calamis, hoc est duodecim mille cubitis circumscribit.*

1. Et eduxit me in atrium exterius per viam ducentem ad Aquilonem, et introduxit me in gazophylacium, quod erat contra separatum ædificium, et contra ædem vergentem ad Aquilonem. 2. In facie longitudinis, centum cubitos ostii Aquilonis : et latitudinis quinquaginta cubitos, 3. contra viginti cubitos atrii interioris, et contra pavimentum stratum lapide atrii exterioris, ubi erat porticus juncta porticui triplici. 4. Et ante gazophylacia deambulatio decem cubitorum latitudinis, ad interiora respiciens viæ cubiti unius. Et ostia eorum ad Aquilonem : 5. Ubi erant gazophylacia in superioribus humiliora : quia supportabant porticus, quæ ex illis eminebant de inferioribus, et de mediis ædificii. 6. Tristega enim erant, et non habebant columnas, sicut erant columnæ atriorum : propterea eminebant de inferioribus, et de mediis a terra cubiti quinquaginta. 7. Et peribolus exterior secundum gazophylacia, quæ erant in via atrii exterioris ante gazophylacia : longitudo ejus quinquaginta cubitorum. 8. Quia longitudo erat gazophylaciorum atrii exterioris, quinquaginta cubitorum : et longitudo ante faciem templi, centum cubitorum. 9. Et erat subter gazophylacia hæc introitus ab

Oriente ingredientium in ea de atrio exteriori. 10. In latitudine periboli atrii, quod erat contra viam orientalem in faciem ædificii separati, et erant ante ædificium gazophylacia. 11. Et via ante faciem eorum juxta similitudinem gazophylaciorum, quæ erant in via Aquilonis : secundum longitudinem eorum, sic et latitudo eorum : et omnis introitus eorum, et similitudines, et ostia eorum. 12. Secundum ostia gazophylaciorum, quæ erant in via respiciente ad Notum : ostium in capite viæ : quæ via erat ante vestibulum separatum per viam orientalem ingredientibus. 13. Et dixit ad me : Gazophylacia Aquilonis, et gazophylacia Austri, quæ sunt ante ædificium separatum : hæc sunt gazophylacia sancta : in quibus vescuntur sacerdotes, qui appropinquant ad Dominum in Sancta sanctorum : ibi ponent Sancta sanctorum, et oblationem pro peccato, et pro delicto : locus enim sanctus est. 14. Cum autem ingressi fuerint sacerdotes, non egredientur de Sanctis in atrium exterius : et ibi reponent vestimenta sua, in quibus ministrant, quia sancta sunt : vestienturque vestimentis aliis, et sic procedent ad populum. 15. Cumque complesset mensuras domus interioris, eduxit me per viam portæ, quæ respiciebat ad viam orientalem : et mensus est eam undique per circuitum. 16. Mensus est autem contra ventum orientalem calamo mensuræ, quingentos calamos in calamo mensuræ per circuitum. 17. Et mensus est contra ventum Aquilonis quingentos calamos in calamo mensuræ per gyrum. 18. Et ad ventum australem mensus est quingentos calamos in calamo mensuræ per circuitum. 19. Et ad ventum occidentalem mensus est quingentos calamos in calamo mensuræ. 20. Per quatuor ventos mensus est murum ejus undique per circuitum, longitudinem quingentorum cubitorum, et latitudinem quingentorum cubitorum dividentem inter Sanctuarium et vulgi locum.

1. ET EDUXIT ME IN ATRIUM EXTERIUS. — Propheta ex atrio interiori, ubi ejus dimensionem et ornatum contemplatus fuerat, deductus est ab Angelo in exterius, scilicet, in ejus porticus, et atriola, et ambulacrum ad Occidentem extensum, hinc atque illinc cinctum gazophylaciis, id est, exedris. *Gozophylacium* enim vocat ordinem gazophylaciorum omnium. Ita Vilalpandus. Alii per atrium exterius intelligunt feminarum : hoc enim exterius erat, respectu atrii virorum, quod erat interius. Alii, ut Maldonatus, putant atrium virorum vocari exterius. Verum jam dixi cap. XL, atrium exterius vocari atrium sive templum laicorum ; interius vero esse sacerdotum, quia erat vicinum templo, puta Sancto.

Atrium exterius, quod?

CONTRA SEPARATUM ÆDIFICIUM. — Hebraice contra הַגִּזְרָה *haggizra*, id est, contra separatum : significat templum, de quo cap. præced. vers. 12.

ET CONTRA ÆDEM VERGENTEM AD AQUILONEM, — id est contra gazophylacium, vel potius gazophylacia templo adhærentia ex parte Aquilonis.

2. IN FACIE LONGITUDINIS, CENTUM CUBITOS OSTII AQUILONIS : ET LATITUDINIS QUINQUAGINTA CUBITOS, — *q. d.* Hæc porticus habebat centum cubitos longitudinis, et 50 latitudinis.

3. CONTRA VIGINTI CUBITOS ATRII INTERIORIS, — id est, castellum, vel quadrata porticus, de qua sequitur hoc eodem versu, ex qua aditus patebat et in ambulacrum, et in exedras prædictas, respiciebat ex altero latere plateam viginti cubitorum, quæ erat inter vestibulum et atrium sacerdotum, et quæ totam undique domum cingebat. Aliter hæc explicat Maldonatus et alii. Varii enim varias hic sibi hujus fabricæ ideas formant.

ET CONTRA PAVIMENTUM STRATUM LAPIDE ATRII EXTERIORIS, — id est, respiciebat ex altero latere porticum, quæ in atrio Aquilonari occidentalis erat.

Nota : Pavimentum stratum lapide vocat porticus inferiores ; hæ enim stratæ erant lapide vivo, ut nec æstatis pulvere, nec luto hiemis sacerdotum vestigia polluerentur, ait S. Hieronymus. Quod mystice explicans subdit : « Unde et Dominus ascensurus ad Patrem, Apostolorum lavat pedes, ut, mundatis purgatisque vestigiis, scandant regna cœlorum ; et imperat Apostolis, ut in quamcumque ingressi fuerint civitatem, et non susceperint eos, excutiant pulverem pedum suorum, quo scilicet nihil munerum terrenorum ab eis apud se remanere patiantur. »

UBI ERAT PORTICUS JUNCTA PORTICUI TRIPLICI. — Erat castellum, vel porticus quadrata, quæ erat in medio porticuum, trium scilicet, Occidentalis, Aquilonaris et Meridianæ.

4. VIÆ CUBITI UNIUS, — spatio cubiti unius. Ita Hebræus ; sed Romana et alii legunt, *ad interiora respiciens viæ cubiti unius*. Sensus est, *q. d.* Deambulatio media lata erat decem cubitis ad parietem, sed ultra utrinque adhuc habebat viam et spatium unius cubiti, vel exstabat adhuc uno cubito. Ita Vilalpandus.

5. UBI ERANT GAZOPHYLACIA IN SUPERIORIBUS HUMILIORA. — Exedræ, sive cubicula superiora humiliora erant quam inferiora. Ab his enim sustineri debebant ; sicut arbor, ait Vitruvius lib. V,

cap. I, quo altius crescit, eo fit gracilior semper. Sic tropologice quanto quis fit excelsior, tanto debet fieri humilior, ut cum Paulo dicat : « Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, » I *Cor.* cap. XV, 9. Ita S. Hieronymus.

QUIA SUPPORTABANT PORTICUS, QUÆ EX ILLIS EMINEBANT DE INFERIORIBUS, ET DE MEDIIS ÆDIFICII, — id est, quia columnæ meridianæ, quas supportabant et fulciebant ipsæ porticus infimæ, eminebant ex ipsis, vel præ ipsis porticuum postibus, id est contractiores surgebant, quam postes inferiores, et supremæ columnæ adhuc exiliores attollebantur quam meridianæ : quales videre est in Collegio Romano Societatis Jesu a Gregorio XIII ædificato, in quo mira est peristyliorum superiorum cum inferioribus symmetria. Ita Vilalpandus. Inferiores enim erant quasi fundamenta superiorum : et solent fundamenta latiora esse ; quæ vero iis superædificantur, sursum arctari.

6. TRISTEGA ENIM ERANT, — id est tria quasi tabulata erant per triplicem columnarum ordinem : sive tres erant contignationes, trabeationes et columnationes ex triplici columnarum serie, una alteri supposita, subordinata et substructa.

ET NON HABEBANT COLUMNAS, — scilicet superiora cœnacula.

PROPTEREA EMINEBANT. — Hebræus : *Propterea decisum est supremis,* præ inferioribus et mediis a terra, *q. d.* Necesse fuit cubicula superiora esse humiliora inferioribus, quia columnæ eorum, vel pilæ erant contractiores, quam inferiores columnæ ; et ideo sicut detractum est aliquid superioribus de crassitie columnarum inferiorum, sic necesse fuit detrahi aliquid de altitudine in secundo ordine, et tertio. Ita ergo videntur hi tres ordines columnarum dispositi, ut licet ordo inferior columnarum nulla habuerit gazophylacia, sed fuerit totus in postes et columnas tributus, ac perflabilis undequaque : tamen ordines superiores, nempe medianus et supremus, suas habuerint frontes columnationibus instructas, cum summa symmetria et pulchritudine, et cum ea proportione quam Vitruvius, lib. V, cap. I, exigit, « ut columnæ superiores quarta parte minores, quam inferiores constituantur. » Porro videntur fuisse hi « tres ordines lapidum politorum, » de quibus III *Reg.* VI, 36, sive, ut Chaldæus vertit, « tres ordines lapidis boni, » id est, pretiosi, puta ex marmore Pario candidissimo, serrato, politissimo et tersissimo, inquit Pineda, lib. V *De Rebus Salom.* cap. V.

CUBITIS QUINQUAGINTA. — Hoc non est in Hebræo nec in Septuaginta, sed additum a Nostro paraphrastice.

Vers. 7. 7. ET PERIBOLUS EXTERIOR. — « Peribolus » vocatur murus, vel septum, *q. d.* Murus orientalis hujus ædificii longus erat 50 cubitis, sicut et ipsa gazophylacia longa erant 50 cubitis, licet neget hoc Maldonatus.

8. ET LONGITUDO ANTE FACIEM TEMPLI. — Transit ab exedris aquilonaribus ad meridianas. Metitur ergo latitudinem atrii interioris ab ædificio aquilonari usque ad australe oppositum, centum cubitis.

9. GAZOPHYLACIA HÆC — australia.

10. IN LATITUDINE PERIBOLI ATRII, QUOD ERAT CONTRA VIAM ORIENTALEM IN FACIEM ÆDIFICII SEPARATI, ET ERANT ANTE ÆDIFICIUM GAZOPHYLACIA. — Loquitur de peribolo, seu muro trium cubitorum, uti asserit Josephus, qui atrium sacerdotum cingebat, et distinguebat ab atrio laicorum. Loquitur autem de muro australi, *q. d.* Latitudo hujus porticus, et muri meridiani ambientis atrium sacerdotum, cujus adytum et portam dixi spectare Orientem, procedebat versus Occidentem coram latere ædificii separati, id est templi, dextro ; et ante illud latus ædificii sive templi meridianum, erant gazophylacia, sicut a latere aquilonari.

11. ET VIA ANTE FACIEM EORUM JUXTA SIMILITUDINEM GAZOPHYLACIORUM, QUÆ ERANT IN VIA AQUILONIS, — *q. d.* Media ambulatio, et exedræ laterales meridianæ eadem ratione erant constructæ, eadem mensura, qua aquilonares, quas supra descripsi. Vers. 11.

SECUNDUM LONGITUDINEM EORUM, SIC ET LATITUDO EORUM. — Non quod latitudo par esset longitudini, sed, *q. d.* Longitudo hujus ædificii meridiani par fuit longitudini alterius aquilonaris ; et latitudo hujus par fuit latitudini illius. Est hebraismus.

OMNIS INTROITUS. — Septuaginta vertunt, *exitus.* Nota : Introitus, et exitus hebraice idem est quod forma, ordinatio, dispositio, mensura. Introitus et exitus idem est quod forma et dispositio.

ET SIMILITUDINES EORUM, — scilicet gazophylaciorum, quæ primum mensus fuerat in aquilone. Deinde necte hæc cum versu seq., *q. d.* Sicut similitudines eorum, et sicut ostia eorum, sic erant ostia gazophylaciorum, quæ erant in via respiciente ad notum, id est austrum, hoc est, australia similia erant aquilonaribus.

12. QUÆ VIA ERAT ANTE VESTIBULUM SEPARATUM PER VIAM ORIENTALEM INGREDIENTIBUS. — Pro vestibulo hebraice est גדר *geder,* id est *peribolus,* sive murus separans sacerdotes a laicis, *q. d.* Ædificium hoc australe ascensum habuit a fronte orientali, gradusque ejus duxit in ambulationem mediam superiorem, quæ procurrebat Occidentem versus secundam longitudinem periboli elegantis, et separantis populum a clero. Vers. 12.

13. ANTE ÆDIFICIUM SEPARATUM. — Ita vocat templum, sive Sanctum, et Sanctum sanctorum, quia erat separatum ab atriis : hebraice enim est *gisra;* uti jam sæpius dixi.

14. APPROPINQUANT AD DOMINUM IN SANCTA SANCTORUM, — id est in atrium, et templum sanctissimum ; quia scilicet intrant Sanctum, et sic appropinquant Sanctum sanctorum. Vers. 14.

IBI PONENT SANCTA SANCTORUM, — id est carnes sanctissimas Deo immolatas, scilicet partes illas,

quæ sacerdotibus Deo consecratis et sanctificatis ex lege a Deo deputatæ sunt.

CUM AUTEM INGRESSI FUERINT, — *q. d.* Sacerdotes in Sancto sanctorum, id est suo atrio sanctissimo, scilicet in suis gazophylaciis comedent carnes Deo oblatas, sicque consummabunt sacrificium, tumque eodem loco vestes sacras deponent, assumentque suas communes, quibus ad populum egredientur in atrium Israel exterius.

Nota quam voluit Deus sacerdotes a populo loco et religione secerni et coli!

16. MENSUS EST AUTEM CONTRA VENTUM ORIENTALEM. — Metitur murum extimum atrii Israel quater, per quatuor latera, incipiendo a quolibet latere, asseritque quodlibet latus habuisse in longitudine quingentos calamos. Ita S. Hieronymus, Lyranus, Maldonatus et alii. Contrarium sentit Vilalpandus, scilicet Angelum hic metiri non singula latera seorsim, sed omnia, sive totum circuitum simul, idque quater; quia a quolibet latere vicissim incipit eum dimetiri. Censet ergo ipse totum muri circuitum fuisse tantum quingentorum calamorum. Favet versus ultimus, ubi totus concludi videtur quingentis calamis. Porro calamos hosce ipse per partes subducit pag. 380. Verum aliud exigit ipse planus textus litteræ, quæ singula latera per partes ordine dimetitur. Et quorsum, quæso, idem quater dimetiretur? Ita passim Interpretes.

Porro murus hic dividebat Sanctum a profano, ut dicitur versu ultimo. Faciebat enim peribolum circa templum, qui et ipse sacer erat, sicut nunc cœmeteria, quæ templis adhærent, ait Maldonatus.

CALAMO MENSURÆ, — id est maximo calamo, qui sex cubitos habebat, cum vulgaris non haberet nisi cubitos quinque: erat ergo hic calamus sacer.

QUINGENTOS CALAMOS, — id est ter mille cubitos habebat quodlibet latus quadrati; totus ergo murus, sive totum quadratum habebat in circuitu bis mille calamos, id est duodecim millia cubitorum. Ita Maldonatus.

Quocirca videtur hic alius murus (magis extrinsecus) a muro, qui cingebat atrium Israelis in templo Salomonis, describi. Illud enim atrium erat 500 cubitorum tantum: hic vero peribolus dicitur fuisse 500 calamorum, idque a quolibet latere. Calamus autem sacer (de quo hic agitur) continet sex cubitos. Idipsum liquere videtur ex capite sequenti, vers. 12, ubi totum templi et fabricæ hujus ambitum concludens, ait: « Ista est lex domus in summitate montis: omnis finis ejus in circuitu Sanctum sanctorum est; » pro quo ex Hebræo vertunt Septuaginta: *Ita est descriptio domus in vertice montis, et omnes termini ejus in circuitu Sancta sanctorum.* Clarius vero Vatablus: *Lex domus hujus hæc est, totus terminus ipsius erit in montis vertice, et circumposita quoquoversus sacra Sancta.* Ergo peribolus hic extimus non tantum verticem montis, sed et circumposita per quatuor mundi plagas ambiebat.

Simili modo, cap. XLV, 3, longe majorem dat peribolum et ambitum templo. Habet enim viginti quinque millibus calamorum circumscribi locum sacerdotum; et in eo ædificari templum. Ait enim: « Et a mensura ista mensurabis longitudinem viginti quinque millium, et latitudinem decem millium, et in ipso erit templum, Sanctumque sanctorum. »

20. PER QUATUOR VENTOS, etc., LONGITUDINEM QUINGENTORUM CUBITORUM. — Nota: Hic in Hebræo non est *cubitorum*, sed ex præcedentibus subintelligi et repeti debet *calamorum*. Ita S. Hieronymus, Lyranus, Maldonatus et alii; unde textus Bibliorum in Glossa ordinaria, et in aliis nonnullis codicibus, omittit τὸ *cubitorum*, et legit tantum *quingentorum*, supple, calamorum, qui præcesserunt. Τὸ ergo *cubitorum* omittendum videtur, vel corrigendum *calamorum*. Est enim hoc versu repetitio et quasi generalis complexio quatuor præcedentium dimensionum, quatuor vers. præcedentibus comprehensarum.

Aliter Vilalpandus qui hic se torquet, ut eum non capiam. Vult enim tueri vulgo tritam lectionem *cubitorum*, quam habent et Septuaginta, ac proinde vers. 15, usque ad 19, putat describi murum unum 500 calamorum, hoc vero versu ultimo alium 500 cubitorum, quod intuenti textum parum probabile videtur. Sic et Pineda, lib. V *De Rebus Salom.* cap. V, putat hic mensurari atrium extimum Gentium, non intimum Israel.

Sed audiamus S. Hieronymum, ingenue et candide sic profitentem: « Illud autem, inquit, quod per simplicitatem interpretationis (dum parum attendimus celeritate dictandi) et Septuaginta habet et nostra translatio: Murum ejus undique per circuitum longitudine quingentorum cubitorum, et latitudine quingentorum cubitorum, Hebræus sermo non continet; sed simpliciter, longitudinem quingentorum, et latitudinem quingentorum, ut subaudiatur calamorum: sicuti quarto supra dictum est, ad orientalem ventum, et ad aquilonem, et ad austrum, et ad mare quingentis calamis murum partium singularum ab eo qui tenebat calamum fuisse dimensum. » Quid clarius? Mystice deinde S. Hieronymus, numerum quinquagenarium refert ad remissionem omnium peccatorum, puta ad Pentecosten.

Symbolice ergo, quingentesimus numerus significat quietis perfectionem, quia fit ex quinquagenario decies multiplicato. Quinquagenarius autem requiem, denarius perfectionem significat. Audi S. Gregorium, lib. I *Moralium* cap. XV, ad illud *Job* I, fuerunt Job « quingenta juga boum, et quingentæ asinæ: » In quinquagenario, inquit, numero, qui septem hebdomadibus ac monade addita impletur, requies designatur, denario autem summa perfectio. Quia ergo fidelibus perfectio quietis promittitur, quasi quinquagenario decies ducto, ad quingentesimum pervenitur.

Porro quod quingentesimus remissionis et in-

dulgentiæ teneat sacramentum, non solum vetus Scriptura docet, sed etiam Christus qui, *Luc.* VII, dum remissionis et indulgentiæ parabolam edocet, debitores introducit, unum 50, alterum 500 denariorum.

INTER SANCTUARIUM ET VULGI LOCUM. — Id est inter atrium Israel, quod sanctum erat, utpote populi templum, « et locum vulgi, » id est Gentilium, quod profanum erat, vel, ut Maldonatus, « locum vulgi, » id est urbem, ut scilicet murus hic divideret locum sanctum a gentilibus, et ab urbe. Declarat usum muri, quod scilicet ad hoc circumcirca templum cingebat, ut locum sanctum a profano distingueret et separaret. Nam quidquid intra murum illum erat, sanctum erat : unde et *templum* subinde vocatur, ut cum Christus vendentes et ementes e templo ejecisse dicitur, *Joan.* II, 15 : non enim erat ipse in templo, id est in Sancto, sed in hoc exteriori peribolo, puta atrio, non sacerdotum, sed laicorum. Ita Maldonatus.

EXPOSITIO MYSTICA

TOTIUS FABRICÆ EZECHIELIS EX LYRANO.

Lyranus, in fine Comment. *in Ezechielem*, notat S. Gregorium in expositione mystica hujus templi, quam recensui cap. XL, per varia et diversa accipere idem. Nam et per montem super quem ductus est Propheta, accipit Christum, et per virum mensurantem ædificium, item per portam, et alia plura accipit eumdem Christum. Convenientius enim, inquit Lyranus, exponetur visio, si per diversas partes et similitudines accipiantur diversa. Quare ipse diversa diversis sigillatim applicans, totam hanc fabricam a cap. XL hucusque descriptam ita explicat : « In Ecclesia, ait, quæ est congregatio fidelium, duplex est regnum. Unum quantum ad spiritualia, et hoc designatur per ædificium templi; aliud autem quantum ad temporalia, et hoc designatur per divisionem terræ et ædificium civitatis circa finem libri; utrumque tamen regnum est a Deo. Ideo dico cum B. Gregorio, quantum ad hoc, quod per montem in quo Propheta dicitur dimissus vel positus supra, cap. XL, intelligitur Christus, de quo scribitur *Dan.* II : Lapis, qui percusserat statuam, factus est mons magnus, et implevit universam terram : quod exponitur de Christo a doctoribus hebraicis et latinis. Super istum autem montem fundatur Ecclesia, sicut ipse dicit *Matth.* XVI : Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, id est super me, et hoc quantum ad duplex regimen Ecclesiæ prædictum. Et sicut patet ex præcedentibus, primo agendum est de ædificio spirituali, quia primo describitur in præcedentibus ipsum templum : circa cujus ædificium describitur triplex murus, scilicet exterior, medius et interior. Per exteriorem vero qui circumdat omnia ædificia, intelligitur protectio seu custodia divina omnia complectens; de quo muro dicitur, *Isai.* XXVI : Urbs fortitudinis nostræ Sion, Salvator ponetur in ea murus, etc. Per murum vero medium intelligitur custodia seu protectio angelica, quæ includitur sub divina, unde dicitur, *Psalm.* CXXIV : Montes in circuitu ejus, id est Angeli, ut dicit Glossa Augustiniana, qui sunt in circuitu Ecclesiæ per modum muri. Per murum autem interiorem, qui est minoris ambitus, intelligitur protectio seu custodia humana per prælatos Ecclesiæ et eorum ministros, quæ minoris efficaciæ est quam Angelica. De hoc autem muro contra malos prælatos dicitur supra XIII : Non opposuistis vos murum pro domo Domini. Intra muros istos est ingressus ex tribus partibus, per quas intelliguntur tres partes terræ habitabilis, Asia, Africa et Europa, e quibus ingressi sunt Ecclesiam multi per susceptionem Fidei et Sacramentorum, et ingrediuntur de præsenti, et ingredientur de futuro. De istis vero tribus terræ partibus dicitur *Jerem.* XXII : Terra, terra, terra, audi sermonem Domini. De quibus tribus terræ partibus plures audierunt sermonem Apostolorum aliorumque Christi discipulorum cum effectu credendi. Ex qualibet autem parte trium partium dictarum sunt tres portæ in tribus muris ex opposito se respicientes : per quas significantur tres gradus vel status venientium ad fidem, scilicet incipientium, qui designantur per portam exteriorem sive primam; proficientium, qui significantur per mediam vel secundam; perfectorum, qui designantur per tertiam vel interiorem. De portis istis dicitur *Psalm.* LXXXVI : Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob. Per tabernacula Jacob intelligitur status vel gradus fidelium tempore legis Mosaicæ, per portas Sion status vel gradus fidelium tempore legis Evangelicæ, quæ dicitur lex amoris, lex autem vetus lex timoris : propter quod portæ Sion bene dicuntur prædilectæ. In portis autem exterioribus non sunt ædificia magna, sed quædam domunculæ super eas ædificatæ, ut supra dictum est : per quod designatur quod status incipientium est adhuc notabiliter imperfectus. In portis autem mediis et in interioribus sunt ædificia pulchra, ad designandum quod proficientes et perfecti habent majorem perfectionem; perfecti jam actu, proficientes in potentia actui propinqua, ad quod de-

signandum ad portas medias est ascensus per septem gradus tantum, ad interiores vero seu tertias est ascensus per octo gradus. Habet autem quælibet sex portarum vestibulum, porticum, duas frontes, et sex thalamos. Per vestibulum præcedens porticum intelligitur gratia præveniens, de qua dicitur *Psalm.* LVIII : Misericordia ejus prævenict me. Misericordia namque Dei et ejus gratia sunt idem. Per porticum vero gratia subsequens de qua dicitur *Psalm.* XXII : Misericordia ejus subsequetur me. Vel aliter potest dici, quod per vestibulum et porticum designantur voluntas bona et operatio sancta, de quibus dicit Augustinus super *Joan.*: Præcedet velle, subsequetur perficere. Per duas frontes, quæ sunt ad decorem et fortitudinem portarum (propter quod factæ sunt ad modum duarum turrellarum ex utraque parte cujuslibet portæ), designatur patientia in adversis, quæ stabilit hominem ne per impatientiam frangatur : et modestia in prosperis, quæ tenet hominem ne per superbiam elevetur. De istis duabus turrellis dicitur *Psalm.* CXXI : Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis; nam per patientiam in adversis, et per modestiam in prosperis acquiritur et conservatur abundantia omnium divinorum beneficiorum in nobis. Per thalamos autem, in quibus homines dormiunt et quiescunt, intelligitur pax. Unde *Psalm.* IV : In pace in idipsum, dormiam et requiescam. Est autem duplex pax, scilicet interna et fraterna; ideo dicuntur thalami esse hinc et inde ex utraque parte portæ, et tres ex una parte, quia pacem internam tria faciunt. *Primum* est conscientia munda, *Eccli.* XLIV : Homines divites in virtute, pulchritudinis studium habentes, pacificantes in domibus suis, id est in conscientiis propriis. *Secundum* est amicitia divina. Augustinus, lib. *Conf.*: Inquietum est, Domine, cor meum, donec requiescat in te. Et *Psalm.* CXVIII : Pax multa diligentibus legem tuam, quæ est lex divini amoris. *Tertium* est sufficientia modesta, per quam aliquis est contentus his quæ habet, et sic in se pacificatus; de quo potest exponi quod dicitur *Matth.* V : Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Tales enim filii Dei quodammodo Deo assimilantur, qui non indiget aliquo extra se, sed est sibi sufficientissimus. Similiter ex altera parte portæ sunt tres thalami, quia tria faciunt pacem fraternam. *Primum* est humilitas vera, quæ in tantum pacifica est, quod facit pacifice habitare cum suo contrario : et hoc est speciale in hac virtute; nam castus non habitat pacifice cum luxurioso, nec justus cum iniquo : sed humilis habitat pacifice cum superbo, quia sicut superbus vult dominari, ita vere humilis subjici, et sic uterque habet quod quærit, et per consequens quiescit. Ideo dicitur *Psalm.* CXIX : Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus, id est cum superbis, de quibus dicitur *Prov.* XIII : Inter superbos semper jurgia sunt. *Secundum* est æquitas justa, sine qua nulla societas potest esse pacifica, sicut patet de societate latronum, qui sunt adversarii justitiæ : nisi enim inter se juste dividerent spolia, statim inter eos oriretur discordia; ideo dicitur *Isaiæ* XXXII : Erit opus justitiæ pax. *Tertium* est taciturnitas debita, quæ tenet os clausum, ne prorumpat in verba discordiæ seminativa. Unde per oppositum dicitur *Eccli.* XXVIII : Susurro et bilinguis maledictus, multos enim turbabit pacem habentes. De quolibet autem dictorum thalamorum potest dici quod scribitur *Deut.* XXXIII : Amantissimus Domini habitabit confidenter in eo, quasi in thalamo morabitur tota die : qui enim Deum vere diligit, in dictis thalamis jugiter commoratur. Post expositionem portarum procedendum est ad expositionem gazophylaciorum, quæ supra describuntur esse circa pavimentum orientale, et dicuntur esse 30, per quæ designatur impletio decem præceptorum temporibus tribus necessaria, scilicet tempore legis naturæ, et tempore legis Mosaicæ, et tempore legis Evangelicæ. Denarius autem numerus multiplicatus per ternarium, consurgit in tricesimum. Et bene dicuntur gazophylacia a *gaza* et *phylace*, quod est *servare* : nam per impletionem decem præceptorum conservantur divitiæ virtutum. Post expositionem gazophylaciorum sequitur expositio mensarum, quæ supra dictæ sunt octo : per quas designantur quatuor partes Veteris Testamenti, et quatuor Novi, de quibus tanquam de mensis spiritualibus reficitur totus populus christianus, secundum quod dicitur *Deut.* VIII : Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod egreditur de ore Dei. Quod autem Vetus Testamentum in quatuor partes dividatur, dixi plenius in principio Geneseos. Dividitur enim in libros legales, historiales, prophetales et sapientiales. Et consimiliter dividitur Novum Testamentum. Nam libris legalibus correspondent Evangelia, historialibus Actus Apostolorum, sapientialibus Epistolæ Pauli et Epistolæ canonicæ, prophetalibus autem Apocalypsis. De qualibet autem dictarum mensarum potest dici quod scribitur *Prov.* IX : Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem, immolavit victimas suas, miscuit vinum, et proposuit mensam suam. Scriptura namque sacra est mensa sapientiæ. Post expositionem mensarum sequitur expositio atrii interioris, in quo secundum Hebræos quatuor ponuntur, scilicet altare holocaustorum, gazophylacia sacerdotum hebdomadariorum, et gazophylacia cantorum similiter hebdomadariorum, et transitus aquarum a latere altaris. Et quoniam ædificatio Ecclesiæ spiritualis non solum consistit in moribus et refectione de mensa S. Scripturæ, sed etiam in Sacramentis; ideo per altare holocaustorum intelligitur Eucharistiæ Sacramentum, in quo quotidie immolatur Agnus qui tollit peccata, unde dicit Augustinus in lib. *Sententiarum Prosperi* : Semel immolatus est Christus in semetipso, et tamen quotidie immolatur in Sacramento, in quantum

per hoc Sacramentum efficimur quotidie participes fructus Dominicæ passionis. Unde et in quadam Dominicali oratione secreta dicitur : Quoties hujus hostiæ commemoratio celebratur, opus nostræ redemptionis exercetur. De hoc autem altari dicitur *Hebr.* XIII : Habemus altare, de quo edere non habent potestatem hi qui tabernaculo deserviunt, id est cæremonias legis veteris observantes. Et quoniam Eucharistiæ Sacramentum cum divinis laudibus est conficiendum, ideo prope altare, scilicet in atrio interiori, ponuntur gazophylacia sacerdotum hebdomadariorum, et similiter cantorum : per quæ designantur merita celebrantium, et eis ministrantium. Per aquas vero egredientes de templo et transeuntes ad latus altaris significatur Sacramentum baptismi, de quo dicitur *Joel.* III : Fons egredietur de domo Domini, et irrigabit torrentem spinarum. Dicuntur autem aquæ istæ egredientes de templo : per quod templum significantur duo principales nostræ fidei articuli, scilicet articulus sanctæ Trinitatis, et articulus incarnationis, ut postea plenius dicetur : quia baptismus secundum communem Ecclesiæ formam confertur in nomine SS. Trinitatis, secundum quod dicitur *Matth.* cap. ult. : Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Et quia in primitiva Ecclesia fuit collatus in nomine Christi, ut habetur in Actibus Apostolorum in pluribus locis, quod est nomen suppositi, in quo uniuntur natura divina et humana. De duobus autem istis Sacramentis loquitur specialiter Ezechiel propheta, quia sunt speciali modo Sacramenta novæ legis, in quantum Christus per se ea instituit, et eis usus fuit in seipso, et hoc patet de Sacramento baptismi in quatuor Evangeliis, quantum ad utrumque, scilicet institutionem et usum; et similiter de Sacramento Eucharistiæ, quantum ad ejus institutionem. Quantum autem ad ejus usum non habetur in Evangeliis expresse, sed hoc tenet communitas Ecclesiæ quæ dicitur *Act.* I : Cœpit Jesus facere et docere, et ideo sicut prius baptizari voluit, et postea baptismum aliis imposuit; sic in cœna primo corpus suum et sanguinem sumpsit, et postea discipulis sumendum tradidit. Unum dicit Hieronymus *ad Lesbiam* : Dominus Jesus ipse conviva et convivium, ipse comedens et qui comeditur : unde versus :

Rex sedet in cœna turba cinctus duodena,
Se tenet in manibus, se cibat ipse cibus.

Per hæc autem duo Sacramenta quæ principalia sunt, alia intelliguntur. Post expositionem atrii interioris, procedendum est ad expositionem templi. Et quoniam ædificatio Ecclesiæ spiritualis non solum consistit in moribus et refectione per sacram Scripturam et Sacramenta, sed etiam in fidei articulis : ideo per templum significantur sequentia, quod dividitur in tres partes, scilicet porticum, Sanctum, et Sanctum sanctorum. Per porticum autem est ingressus ad alias partes, et ideo per ipsam intelligitur articulus unitatis divinæ essentiæ, et articulus suæ providentiæ quantum ad præmiationem boni et punitionem mali. Fides enim istorum articulorum semper fuit necessaria ad salutem, et est prima ad aliorum credalitatem; unde dicitur *Hebr.* XI : Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit. Per Sanctum sanctorum intelligitur articulus sanctæ Trinitatis secundum tres mansiones, una super aliam ibidem existentes. Licet enim non sit ibi superioritas nec inferioritas proprie; tamen Filius est a Patre et Spiritus Sanctus ab utroque : et secundum hoc dicit Hilarius, quod *auctoritas* est in Patre, et *subauctoritas* in Filio. Per partem templi quæ dicitur Sanctum, intelligitur articulus incarnationis benedictæ, per quam et naturæ in supposito Filii sunt unitæ, scilicet natura divina, anima rationalis, et caro Christi purissima : quæ significatur per tres mansiones una super aliam existentes. Divina namque natura superior est ad animam, et anima ad carnem. De istis vero duabus templi partibus potest accipi quod dicitur *Apocal.* XXI : Et templum non vidi in ea, scilicet materiale; quia secundum illum ultimum exponendi modum, per visionem Ezechielis non intelligitur aliqua ædificatio materialis, sed tantum spiritualis; ideo sequitur ibidem : Dominus enim Deus omnipotens, trinus in personis, templum ejus est, quantum ad Sanctum sanctorum; et Agnus, id est, Filius incarnatus, quantum ad illam templi partem, quæ dicitur Sanctum.» Ita Lyranus :

Aliter hæc cum Ribera explicui *Exod.* XXVI, initio, scilicet atrium significare pœnitentes; unde in eo erat labrum pœnitentiæ et altare holocaustorum in quo mactantur victimæ, id est mortificantur sensus et cupiditates : Sanctum significare justos : Sanctum sanctorum beatos, etc.; idque videtur aptius. Pergit Lyranus :

«Per pilarios autem templi significantur miracula confirmantia fidem Christi : unde dicitur *Marc.* cap. ult.: Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis. Per cochleas vero quibus ascenditur sursum, possunt intelligi notitiæ creaturarum, quibus ascendimus in cognitionem divinorum, secundum quod dicitur *Rom.* cap. I : Invisibilia ipsius (id est Dei), a creatura mundi, (id est ab homine), per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus ejus et divinitas. Per appendicia vero circa templum existentia, intelliguntur omnia alia ad fidem pertinentia, eo quod ad prædictos articulos annectuntur. Et quoniam fides informis mortua est, nisi fuerit charitate formata; ideo ex una parte templi ponitur ædificium australe, ex qua parte provenit æstus caloris, ideo ædificium australe significat fervorem dilectionis. Ex altera vero parte ædificium aquilonare, ex qua parte venit horror

frigoris, propter quod ædificium aquilonare significat donum timoris filialis : timor enim causativus est infrigidationis et tremoris, ut patet ad sensum. Dictum est autem supra quod in his duobus ædificiis est habitatio sacerdotum, quia sacerdotes esse debent in continuo timore, ne Deum offendant, et in fervore dilectionis, ut ei devote deserviant. De istis ædificiis aquilonari et australi potest accipi id quod scribitur *Cant.* IV : Surge, aquilo, et veni, auster, perfla hortum meum, et fluent aromata illius. Per spiritum enim timoris et dilectionis fluunt aromata charismatum in horto Ecclesiæ militantis. Per quatuor autem atriola possunt intelligi quatuor virtutes cardinales, de quibus atriis dicitur *Psalm.* LXXXIII : Melior est dies una in atriis tuis super millia. Nam commorari in exercitio virtutum cardinalium est optimum. Per culinas vero seu coquinas possunt intelligi doctores sacræ Scripturæ devoti, qui suis meditationibus decoquunt cibum sacræ Scripturæ ut alii possint inde refici, secundum illud *Psal.* XXXVIII : Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis. Istæ vero coquinæ sunt in atriolis situatæ, quia doctores sacri eloquii debent prius in quatuor virtutibus cardinalibus esse exercitati. Dicitur enim I *Ethic.*, quod moralis philosophiæ non est conveniens auditor ille qui est secutor passionum; et multo minus est conveniens auditor theologiæ; et adhuc multo minus conveniens ejus doctor, propter quod in sacræ Scripturæ doctoribus præexigitur exercitium in virtutibus moralibus : unde dicit Philosophus VII *Physic.*, quod sedendo fit anima sciens et prudens; quia sedando turbationes passionum, et quiescendo ab impulsionibus earum, quod fit per virtutum moralium exercitium, acquiritur sanctarum notitia Scripturarum. »

CAPUT QUADRAGESIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Gloria Domini, quæ cap. IX, 3 *et cap.* X, 4 *et* 18, *visa est e templo egredi, cum illud a Chaldæis evertendum erat; nunc cum illud a Zorobabele reædificandum est, illuc revertitur, jubetque Dominus Ezechieli, ut ideam templi, ejusque ritus et præcepta Judæis ostendat, ut ipsi eam custodiant : quod si fecerint, promittit se in eo cum ipsis jugiter habitaturum. Inde, vers.* 13, *describit altare holocaustorum, et vers.* 18, *ritum sacrificandi.*

1. Et duxit me ad portam, quæ respiciebat ad viam Orientalem. 2. Et ecce gloria Dei Israel ingrediebatur per viam Orientalem : et vox erat ei quasi vox aquarum multarum, et terra splendebat a majestate ejus. 3. Et vidi visionem, secundum speciem, quam videram, quando venit ut disperderet civitatem : et species secundum aspectum, quem videram juxta fluvium Chobar : et cecidi super faciem meam. 4. Et majestas Domini ingressa est templum per viam portæ, quæ respiciebat ad Orientem. 5. Et elevavit me spiritus, et introduxit me in atrium interius : et ecce repleta erat gloria Domini domus. 6. Et audivi loquentem ad me de domo, et vir qui stabat juxta me, 7. dixit ad me : Fili hominis, locus solii mei, et locus vestigiorum pedum meorum, ubi habito in medio filiorum Israel in æternum : et non polluent ultra domus Israel nomen sanctum meum, ipsi et reges eorum in fornicationibus suis, et in ruinis regum suorum, et in excelsis. 8. Qui fabricati sunt limen suum juxta limen meum, et postes suos juxta postes meos : et murus erat inter me et eos : et polluerunt nomen sanctum meum in abominationibus quas fecerunt : propter quod consumpsi eos in ira mea. 9. Nunc ergo repellant procul fornicationem suam, et ruinas regum suorum a me : et habito in medio eorum semper. 10. Tu autem, fili hominis, ostende domui Israel templum, et confundantur ab iniquitatibus suis, et metiantur fabricam : 11. et erubescant ex omnibus quæ fecerunt : Figuram domus, et fabricæ ejus exitus, et introitus, et omnem descriptionem ejus, et universa præcepta ejus, cunctumque ordinem ejus, et omnes leges ejus ostende eis, et scribes in oculis eorum : ut custodiant omnes descriptiones ejus, et præcepta illius, et faciant ea. 12. Ista est lex domus in summitate montis : Omnis finis ejus in circuitu, Sanctum sanctorum est : hæc est ergo lex domus. 13. Istæ autem mensuræ altaris in cubito verissimo,

qui habebat cubitum et palmum : in sinu ejus erat cubitus et cubitus in latitudine, et definitio ejus usque ad labium ejus, et in circuitu, palmus unus, hæc quoque erat fossa altaris. 14. Et de sinu terræ usque ad crepidinem novissimam duo cubiti, et latitudo cubiti unius : et a crepidine minore usque ad crepidinem majorem quatuor cubiti, et latitudo cubiti unius. 15. Ipse autem Ariel quatuor cubitorum : et ab Ariel usque ad sursum, cornua quatuor. 16. Et Ariel duodecim cubitorum in longitudine per duodecim cubitos latitudinis : quadrangulatum æquis lateribus. 17. Et crepido quatuordecim cubitorum longitudinis per quatuordecim cubitos latitudinis in quatuor angulis ejus : et corona in circuitu ejus dimidii cubiti, et sinus ejus unius cubiti per circuitum : gradus autem ejus versi ad Orientem. 18. Et dixit ad me : Fili hominis, hæc dicit Dominus Deus : Hi sunt ritus altaris, in quacumque die fuerit fabricatum; ut offeratur super illud holocaustum, et effundatur sanguis. 19. Et dabis sacerdotibus, et Levitis, qui sunt de semine Sadoc, qui accedunt ad me, ait Dominus Deus, ut offerant mihi vitulum de armento pro peccato. 20. Et assumens de sanguine ejus, pones super quatuor cornua ejus, et super quatuor angulos crepidinis, et super coronam in circuitu : et mundabis illud, et expiabis. 21. Et tolles vitulum, qui oblatus fuerit pro peccato : et combures eum in separato loco domus extra sanctuarium. 22. Et in die secunda offeres hircum caprarum immaculatum pro peccato : et expiabunt altare, sicut expiaverunt in vitulo. 23. Cumque compleveris expians illud, offeres vitulum de armento immaculatum, et arietem de grege immaculatum. 24. Et offeres eos in conspectu Domini : et mittent sacerdotes super eos sal, et offerent eos holocaustum Domino. 25. Septem diebus facies hircum pro peccato quotidie : et vitulum de armento, et arietem de pecoribus immaculatos offerent. 26. Septem diebus expiabunt altare, et mundabunt illud : et implebunt manum ejus. 27. Expletis autem diebus, in die octava et ultra, facient sacerdotes super altare holocausta vestra, et quæ pro pace offerunt : et placatus ero vobis, ait Dominus Deus.

1. ET DUXIT ME (ex peribolo exteriori, quod cap. præcedenti coram me dimensus est) AD PORTAM — templi, id est atrii exterioris (nam vers. 5, ex eo ducit Prophetam in atrium interius), quæ prior occurrebat spectans ad Orientem : quia ductor hic est Sol justitiæ, cujus nomen est Oriens, *Zach.* III, 8; et quia per portam Orientalem recta ibatur in Sanctum sanctorum, ubi sedes et thronus ejus erant. Ita Maldonatus.

Vers. 2. 2. GLORIA DEI, — scilicet currus Cherubim gloriam Dei repræsentans, quam describit cap. I, 8 et cap. X, vocavitque gloriam Dei.

ET VOX ERAT EI QUASI VOX AQUARUM MULTARUM. — « Ei, » non Deo, sed gloriæ Dei, puta Cherubinis, *q. d.* Cherubim, cum currum hunc Dei gloriosum, ipsumque Deum in eo residentem deferrent, alarum concussione sonum edebant similem sono aquarum inundantium, quæ, dum inter se et ad littora ac saxa alliduntur, fremere, imo rugire videntur. Simile est *Apoc.* I, 15.

ET TERRA SPLENDEBAT A MAJESTATE EJUS. — Majestatem vocat lucem et splendorem currus Cherubici, sive gloriæ Dei.

Mystice S. Thomas, III part. *Quæst.* XXVII, art. 3 in corpore, docet B. Virginem peculiariter fuisse sanctificatam eo tempore, quo concepit in utero Filium Dei : « Et hoc, inquit, significatur *Ezech.* XLIII, ubi dicitur : Ecce gloria Dei Israel ingrediebatur per viam Orientalem, id est per Beatam Virginem; et terra, id est caro ipsius, splendebat a majestate ejus, scilicet Christi. » Tunc enim censet ipse in B. Virgine plane fuisse exstinctum fomitem concupiscentiæ per Verbum in ea incarnatum, qui antea tantum erat ligatus. Verum hunc fomitem in ea exstinctum fuisse dum primo conciperetur, adeoque tunc eam fuisse præservatam a peccato originali, et consequenter ab ejus fomite, longe verius videtur : estque hic communis fidelium sensus, uti docent Suarez, Barradius, Canisius et alii. Hæc enim omnimoda puritas decebat matrem Dei; quis enim credat matrem Dei aliquando fuisse servam peccati, et filiam diaboli? Ipsa ergo in conceptione integram sanctitatem, in incarnatione vero ingens sanctitatis incrementum, a Christi sui majestate accepit. Et hoc significat vox « splendebat, » pro qua vertunt Septuaginta : ἐξέλαμπεν ὡς φέγγος, id est *resplendebat quasi fulgor* (Complutensia vertunt, *quasi fulgur*,) *q. d.* B. Virgo, concipiens Christum, ab eo illustrem sanctitatis splendorem et fulgorem accepit, quæ in primo sui conceptu ejusdem nitorem acceperat, ut jam miro splendore fulgeret, imo fulguraret, quæ ante plane nitebat et lucebat.

3. ET VIDI VISIONEM SECUNDUM SPECIEM QUAM VIDERAM (cap. I et cap. X) QUANDO VENIT UT DISPERDERET CIVITATEM. — Hinc patet currum Cherubim fuisse quasi currum bellicum et triumphalem Dei, quo Deus iratus et armatus in aciem quasi prodi-

bat, ut impios Judæos cum terra per Chaldæos disperderet, uti dixi cap. I.

ET CECIDI, — præ fulgore et terrore gloriæ Domini pene exanimatus.

Vers. 5. 5. INTRODUXIT ME (ex atrio exteriori, sive laicorum, de quo vers. 1) IN ATRIUM INTERIUS — sacerdotum. Erat enim Ezechiel sacerdos. Ita Vatablus.

6. ET AUDIVI (Deum) LOQUENTEM AD ME DE DOMO, — id est de Sancto, ait Vatablus, vel potius de Sancto sanctorum : hic enim erat sedes Dei, supra arcam et Cherubim. Ita Maldonatus.

Vers. 6 & 7. 6 et 7. ET VIR (Angelus) QUI STABAT JUXTA ME (hebraice est : *Et vir erat stans juxta me*) DIXIT AD ME, — hebraice : *Et dixit ad me*; unde patet verba sequentia : « Locus solii mei, » etc., esse dicta a Deo loquente ex templo. Sed, cum Ezechiel fragore hujus vocis perculsus eam minus perciperet, Angelus ei astans eamdem moderata voce iteravit, ut Ezechiel eam perciperet. Constat enim τὸ *locus solii mei* esse proprie verba Dei, non Angeli, nisi ut legati vel interpretis verba Dei referentis.

Vers. 7. 7. LOCUS SOLII MEI (supple, hic est in templo, puta in propitiatorio), ET LOCUS (scilicet hic est) VESTIGIORUM PEDUM MEORUM. — Hebraice כפות רגלי *cappot raglai*, id est *plantarum pedum meorum*, *q. d.* Hic meos pedes, meas plantas fixi, quasi hic jugiter habitaturus : atque, ut ait Maldonatus, *q. d.* Hic locus mihi erit domus, instar cœli et terræ : « Cœlum enim sedes mea est : terra autem scabellum pedum meorum, » *Isai.* LXVI, 1.

UBI HABITO. — Hebraice אשכן *escan*, id est *habitabo*, ubi jugiter manere et habitare decrevi in medio filiorum Israel.

ET NON POLLUENT ULTRA DOMUS ISRAEL NOMEN SANCTUM MEUM, etc., IN FORNICATIONIBUS SUIS, — quia post reditum e Babylone Judæi amplius non coluerunt idola. Hic enim cultus a prophetis vocatur fornicatio, scilicet spiritualis et mystica. Quare non recte Maldonatus nixus S. Hieronymo, ex hoc loco contendit, hæc non ad templum Hierosolymitanum, sed ad cœleste referendum esse, eo quod templum Hierosolymitanum sæpe postea pollutum fuerit, et a Deo derelictum, tum sub Antiochis, tum sub Pompeio, Tito et Romanis. Fateor tamen hæc magis ad templum spirituale, id est Ecclesiam tum militantem, tum triumphantem pertinere. Hujus enim typus fuit templum Judaicum : unde Propheta subinde a typo ad antitypum de more salit et resilit, ut dixi *Can.* IV et V.

IN RUINIS (hebraice בפגרי *bepigre*, id est *in cadaveribus*) REGUM SUORUM. (1) — Templum enim, et loca sacra contactu cadaverum contaminabantur. Alludit ad Amon et Manassem reges, qui sepulti sunt in hortis suis proxime templum, IV *Reg.* XXI, 18; erat enim regia juxta templum. Ita Hebræi, Vatablus et Maldonatus. Noster cadavera vocare solet *ruinas*; cadavera enim a casu et ruina dicuntur. Sic dicitur *Psalm.* CIX, 6 : « Judicabit in nationibus, implebit ruinas, » *q. d.* Magnam stragem hostium dabit Christus, ut plateas impleat ruinis, id est cadaveribus.

8. QUI FABRICATI SUNT LIMEN SUUM JUXTA LIMEN MEUM. — Dat causam cur reges templum polluerint : quia scilicet cum palatium haberent templo contiguum, ut ab eo solo limine et pariete interjecto distare viderentur, crimina, quæ in aula perpetrabant, in templo perpetrare videbantur. Ita Vatablus, Maldonatus et alii.

Huc accedit S. Hieronymus sic explicans, *q. d.* Cum reges in vicinia templi habitarent, non fuerunt idcirco aliis puriores et sanctiores, sed potius nequiores, polluentes nomen sanctum meum, ideoque « consumpsi eos » per Chaldæos « in ira mea. »

Audiant, ait S. Hieronymus, hæc mulierculæ (moniales, clerici et monachi) oneratæ peccatis, mentem junctam Deo, non vicinitatem ecclesiarum, et habitationem proximam, Dei in se provocare clementiam : quin potius indignationem Domini commoveri, quoniam in consecratis Deo locis indignus habitator est. Non enim gentem propter locum, sed locum propter gentem elegit Deus. Deus amat vicinos mente, non loco.

Vers. 9. 9. A ME, — a templo et solio meo in quo sedeo et habito.

Vers. 10. 10. OSTENDE DOMUI ISRAEL TEMPLUM, — id est ideam templi brevi restaurandi, ejusque figuram et dimensiones, atque fac eos suis manibus illud metiri, ut cum ejus amplitudinem viderint, confundantur, quod ob sua scelera, tam magnifica Dei basilica sit eversa.

Vers. 11. 11. ET (hebraice ואם *veim*, id est *et si*) ERUBESCANT, — *q. d.* Si ostensa tam magnifica templi idea dataque spe illud reædificandi, pœnitere voluerint, explica illis sigillatim singulas partes, earumque mensuras, ut, cum tempus advenerit, ad eam formam illud ædificent, ait Maldonatus, qui hic videtur concedere, quod Ezechiel ad litteram describat templum a Zorobabele restaurandum, licet id alibi neget.

EXITUS ET INTROITUS, — id est totam figuram, rationem et ordinem fabricæ. Est hebraismus, ut dixi cap. XLII, 11.

PRÆCEPTA EJUS, — ritus legesque sacrificiorum : hebræum enim חקות *chukot* significat præcepta cæremonialia sacrificandi ritum spectantia, quæ in Levitico a Deo sancita et præscripta sunt, quæque rursus hic vers. 18 describit, ut, cum in cap-

(1) Hinc probari potest, inquit Bodin, *Livres prophetiques*, etc. sententia eorum qui sepulcra regum Juda in monte Sion collocant. Sed ut bene notat Rosenmuller, e locis Regum Libri laudatis minime apparet illorum regum cadavera prope templum sepulta fuisse, hoc solum dicitur, reges istos in *horto domus suæ*, in horto Ozæ humo mandatos esse. Vulgatus : *Et in ruinis regum suorum*, quibus aliqui sacra illa impia, quæ regibus ipsis et regno ruinas intulerunt, significari existimant. Sed פגרים *phegarim* nusquam ruinas indicare constat. Quare adstipulor Dathio, inquit Rosenmuller, autumanti in pompa regum funebri locum sacrum profanatum fuisse.

ivitate pene obliterata essent, eorum cognitionem et memoriam refricet.

12. ISTA EST LEX DOMUS, — hæc est templi descriptio, hæc idea illi a me designata et præscripta, ut juxta illam ædificetis. Ita Hebræus, Vatablus et alii.

OMNIS FINIS EJUS IN CIRCUITU, — *q. d.* Hi sunt fines, hic terminus et peribolus templi, quem dimensus sum, cap. XLII, 16 et seq., qui summitatem montis Sion ambiebat, imo et spatia monti adjacentia, ut ex Hebræo vertit Vatablus.

SANCTUM SANCTORUM EST, — *q. d.* Hic locus sanctissimus est: est enim Dei templum, ejusque atria et peribuli, quæ omnia Deo sacra sunt. Hinc *Jerem.* XVII, 12 dicitur: « Solium gloriæ altitudinis a principio, locus sanctificationis nostræ, » hoc est in nostro templo, nostræque sanctificationis loco summa inest celsitudo, summa majestas, id est sanctitas templi maxima est et celsissima. Erat enim templum domus Dei, solium Dei, voluptas Dei. *Psalm.* XXVI, 4: « Unam petii a Domino, hanc requiram, » nimirum, « ut videam voluptatem Domini, hoc est, ut visitem templum ejus. » Hinc templum Latinis a *tuendo* dicitur, quia Deus illud quasi domum suam jugiter tuetur, id est inspicit, prospicit, protegit et custodit. Quocirca templum est imago cœli, imo totius mundi: mundus enim est primigenia domus, et templum Dei, ut ait Philo.

Templum est domus sancta, et voluptas Dei, ac imago cœli.

Vers. 13. 13. ISTÆ AUTEM MENSURÆ ALTARIS (holocaustorum; nam altare incensi mensus est cap. XLI, 22) IN CUBITO VERISSIMO, — id est perfectissimo. Sic sæpe « verus » pro perfecto capitur, ut cum Apostolus dicit I *Tim.* VI, 10: « Ut apprehendant veram vitam, » *veram*, id est perfectam. Vide ibi dicta. Hebraice est: « Et hæ mensuræ sunt altaris per cubita; » dicitur enim et cubitus masculine, et cubitum neutre.

QUI HABEBAT CUBITUM ET PALMUM, — *q. d.* Cubitus ille de quo loquor, est cubitus sacer, qui profanum palmo excedit. Hic enim cubitus est cubitus communis, sive profanus, et insuper palmus, uti dixit cap. XL, 5.

IN SINU EJUS ERAT CUBITUS. — Per *sinum* R. David accipit cavitatem, quæ in altari superne erat cubiti unius, ad excipiendam struem lignorum, quibus cremandæ erant victimæ. Melius Vilalpandus pag. 389: Sinus, ait, cavea est in marmoreo pavimento excisa, altare cingens, cubito uno alta, et altero lata, in quam fundebatur victimarum sanguis, perque subterraneos cuniculos ducebatur in torrentem, de quo cap. XLVII, 5. Hujus fossæ locum significant Chaldæus, Maldonatus et alii, dum *sinum* interpretantur *fundamentum*: erat enim hic sinus in imo, non in summo altaris. In imo enim fundebatur sanguis victimarum, uti pulchre in effigie altaris repræsentat Vilalpandus loco citato. Ex base enim et fundamento, altaris hujus descriptionem inchoat Propheta.

ET DEFINITIO. — Hebraice גבולה *gebula*, id est *limes*, vel *terminus ejus*, ut vertunt Aquila, Symmachus et Theodotion; sed Septuaginta vertunt, χείλος, cujus vocis significationem ait S. Hieronymus se ignorare.

USQUE AD LABIUM EJUS, ET IN CIRCUITU, PALMUS UNUS, — id est basis altaris præter latitudinem unius cubiti, habebat labium unius palmi circumcirca elegantiæ causa, ait Maldonatus. Sic et Vatablus; vertit enim *margo*, id est *corona*, sive clausura altaris, « quæ erat in extremitate ipsius per circuitum, erat palmi unius; sive quatuor digitis transversis alta. » Sic et Vilalpandus qui clarius vertit, corona sinus (sive cavitatis et fossæ ad excipiendum sanguinem victimarum jam dictæ) per labium fossæ procurrens circumcirca, erat lata palmum unum. Sic et Chaldæus. Nota: palmus hic non est minor quatuor digitorum transversorum, ut vult Vatablus, sed est major, continens ternos palmos minores; scilicet duodenos digitos, hoc est semicubitum. Hunc enim significat hebræum זרת *zereth*, et græcum σπιθαμὴ. Hujus coronæ faciendæ causa fuit duplex: prior, ne sacerdotes incaute ad altare accedentes in foveam inciderent; posterior, ne fossa victimarum sanguine sacra, communis haberetur ac pervia.

Palmus major et minor, quis?

HÆC QUOQUE ERAT FOSSA ALTARIS, — de qua jam dixi. Est enim recapitulatio dictorum, *q. d.* Itaque talis erat fossa altaris, scilicet semicylindri excavati: neque enim angulos habebat in parte inferiori, sed semicirculo definiebatur, ne sanguis hæreret in angulis, ait Vilalpandus. Hujus fossæ usum et modum describit Aristæas in *Hist.* 70 *Interpr.*: « Sunt, ait, apud aræ basin frequentes aperturæ, omnibus quidem nisi his qui ministrant incognitæ (erant enim in ima fossa), quarum influxu et impetu omnis ex hostiarum multitudine cruor purgetur. »

Aliter Septuaginta *et altitudo altaris*, scilicet erat ea, quæ sequitur, puta duorum cubitorum; et Vatablus, *atque hoc dorsum*, vel *eminentia altaris existit*. Sic et Maldonatus. Legerunt enim גב *gab*, id est *eminentia*, altitudo, dorsum eminens. Noster vero legit גֵּב *geb*, id est *fossa*, cavea, lacuna. Nota: cum ait: « Et definitio ejus usque ad labium ejus, et in circuitu palmus unus, » palmus hic accipi debet major, ut vertit Vatablus, qui tres minores continebat, puta digitos transversos duodecim. Hanc enim mensuram significat hebræum זרת *zereth*, et Græcum σπιθαμὴ, ut vertunt Septuaginta. Quocirca hic error irrepsit in *Comment. S. Hieron.* uti recte advertit Vilalpandus, tom. III, pag. 473. Habet enim: « Quæ definitio, sive gyrus per circuitum, palmi unius, sive παλαιστῆς, latitudine tendebatur. » Ubi pro σπιθαμῆς, irrepsit παλαιστῆς, quod paulo ante præcessit in textu initio hujus versus, ubi dicitur: « Istæ autem mensuræ altaris in cubito verissimo, qui habebat cubitum et palmum. » Ibi enim palmus minor intelligitur, qui Græcis vocatur παλαιστὴ, uti vertunt Septuaginta. Ibi enim in Hebræo non est *zereth*, sed טופח

topach, quæ est mensura quatuor digitorum transversorum, puta palmus minor.

14. ET DE SINU TERRÆ USQUE AD CREPIDINEM NOVISSIMAM DUO CUBITI. — Hebraice est עזרה *azara*, quod alibi *atrium* significat. Verum errant Hebræi et Vatablus, dum docent hic describi atrium sacerdotum in tres partes divisum, scilicet in atrium inferius, superius et medium, in quo erat altare. Agitur enim hic de altari, non de atrio : de atriis enim egit cap. XL et XLII.

Secundo, Maldonatus : Significat, inquit, Propheta in altari supra fundamentum duas fuisse contractiones, quas עזרות *azaroth*, id est *atria*, vocat : quia erant duo spatia, in quibus sacerdotes obambulare poterant, et altare circumire : quas recte S. Hieronymus *crepidines* vocavit.

Tertio et optime Vilalpandus : Crepido, inquit, hebraice dicitur עזרה *azara*, a radice עזר *azar*, id est *juvare*, fulcire, sustentare : inde *azara* significat *podium*, sive fulcrum, cui domus vel altare (ut hic) innititur, et a quo sustentatur. Vulgatus vertit, *crepidinem*, quia crepido a *discrepando* dicta significat fabricæ partem exstantem ubi discrepat regula, gradum scilicet introrsum procurrentem, latioremque quam sit fabricæ latitudo, quale erat hoc fulcrum altaris. Unde notanter dixit : « De sinu terræ : » quia sinus jam dictus, sive fossa, non erat extra pavimentum, sed erat terræ immersus, ut per illam spargeret sanguinem victimarum : ab hujus ergo sinus labio superiore usque ad crepidinem, duos numerat altitudinis cubitos.

Crepido quid, et unde dicta.

Porro crepido altaris erat duplex, altera superior, altera inferior : de inferiori dicitur, quod fuerit alta duos cubitos; illa enim vocatur hic novissima, id est, ut hebraice est, *inferior*. Sic enim novissimum sæpe significat sequens, posterius, inferius.

Crepido altaris duplex.

ET LATITUDO CUBITI UNIUS. — Erat crepido hæc alta duos cubitos a pavimento templi, ubi arctabatur, et gradum faciebat latum cubito uno.

ET A CREPIDINE MINORI USQUE AD CREPIDINEM MAJOREM QUATUOR CUBITI (altitudinis) ET LATITUDO CUBITI UNIUS. — « Majorem crepidinem » vocat superiorem, non quod latior esset (erat enim arctior) inferiore, sed quod ea esset altior; erat enim alta quatuor cubitos, cum inferior alta tantum esset duos, quæ proinde et minor dicitur. Ita Maldonatus et Vilalpandus, qui graphice utramque crepidinem, æque ac fossam, coronam, etc., altaris in imagine depingit.

Vers. 15. 15. IPSE AUTEM ARIEL QUATUOR CUBITORUM. — « Ariel » significat tertiam et summam altaris partem, utrique crepidini jam dictæ, quasi duplici basi insistentem, quæ proprie erat ipsum altare, in quo victimæ cremabantur : hoc ergo asserit super crepidines elatum fuisse in altum, ad quatuor cubitos. Altare vocatur הראל *harel*, id est mons Dei, quia in monte Sion, puta in atrio sacerdotum, instar monticuli, eminebat. Rursum mox vocatur האריאל *haariel*, id est *leo Deo*; quia, ut ait R. David, ignis sanctus, qui de cœlis tempore Aaronis, et tempore Salomonis in illud delapsus erat, jugiter excubabat in eo quasi leo, vel potius quod victimarum sanguine perpetuo maderet, uti leo prædam discerpens. Addit Vilalpandus altare, æque ac alias templi partes, sculpturis Cherubinorum, ac consequenter leonis quoque, per latera quaquaversum fuisse insignitum. Insuper formam leonis (uti communiter tradunt Hebræi) prætulisse, et in se expressisse : leonina enim crura habebat pro pedibus; unde videtur emanasse, ut in priscis aris pedes et ungues leonini effingerentur, idque ad hoc, ut sacrificaturi accedentes ad altare, recordarentur Deum altari colendum, similem esse leoni, qui superbos discerpit, humilibus et deprecantibus parcit. Hoc est quod monet Apostolus *Hebr.* XII, ult.: « Serviamus placentes Deo cum metu et reverentia. Etenim Deus noster ignis consumens est. »

Altare vocatur *Ariel*, id est leo Dei, cur? Primo. Secundo. Tertio.

Alludit ad *Isaiæ* XXIX, 1 : « Væ, Ariel, Ariel, civitas quam expugnavit David. » Ubi licet Chaldæus vertat : *Væ, altare, altare, quod constructum est in civitate, in qua mansit David*; omnes tamen alii passim per *Ariel* intelligunt Jerusalem. Hæc dicitur *Ariel*, id est *leo Dei*, quia fortissima erat, et in ea David rex fortissimus, aliique ejus posteri regnarunt, de quibus prædixerat Jacob, *Genes.* XLIX, 9 : « Catulus leonis Juda; ad prædam, fili mi, ascendisti : requiescens accubuisti ut leo, et quasi leæna, quia suscitabit eum? »

Porro a civitate altare ipsum vocatum est Ariel, quia altare proprie erat Deo dicatum Deumque repræsentabat; erat ergo Ariel, id est leo Dei : Deus enim, in altari quasi habitans, instar leonis excubabat ad tutelam suæ urbis et gentis, et quasi leo ex altari suo in infideles Philistinos, aliosque populi et Ecclesiæ suæ hostes insiliit, quamdiu Jerusalem in fide et religione Dei sui stetit, eumque pie et sancte in hoc altari suo coluit. Hæc videtur vera origo, hoc etymon Arielis. Discant ergo hic et fideles, et hæretici, altaria et templa ipsamque veram religionem et cultum Dei esse reipublicæ firmamenta, eamque instar leonis tueri et propugnare. Hac de causa ait Isaias cap. XXXI, 9 : « Dixit Dominus, cujus ignis est in Sion, et caminus ejus in Jerusalem. » Vide ibi dicta.

Quarto.

Tertio, Ariel idem est quod *maledictionis aries*; quia in altari arietes pro maledictione, id est peccato, offerebantur.

Ariel, id est maledictionis aries.

Quarto, S. Hieronymus putat *Ariel* dici quasi *uriel*, id est lux, vel illuminatio Dei, quæ in altari per flammam repræsentatur.

Ariel, id est uriel.

Allegorice hæc omnia competunt Christo qui est nostrum altare, id est mons, leo, lux, aries Dei, factusque pro nobis maledictum, atque hæc eadem ipse suis fidelibus communicat, quia communicat seipsum, præsertim in Eucharistia. « Quocirca tanquam leones ignem spirantes ab illa mensa recedamus, facti diabolo terribiles, et ca-

Allegorice, Christus nobis est Ariel.

put nostrum mente revolventes, et charitatem quam nobis exhibuit, » ait S. Chrysostomus, hom. 61 *al Pop.* Et S. Augustinus, lib. X *De Civit.* cap. IV : « Cum ad Deum, inquit, est sursum cor nostrum, Dei est altare : ei cruentas victimas cædimus, quando usque ad sanguinem pro veritate certamus. » S. Gregorius Nazianzenus, Orat. *in funere patris,* jugem in adversis patientiam vocat rationale holocaustum, in cujusque corpore insigniter consumptum. Clemens Alexandrinus, lib. VII *Stromat.* corpus vocat altare, in quo, ait, « Dei holocaustum fit, cum quis seipsum interimit, veterem scilicet hominem, quia per cupiditates corrumpitur, de medio tollens; novum autem suscitat a veteri mortis conversatione. »

Tropologice, cor pium est altare

Rursum allegorice altare est crux Christi : in hac enim ipse se immolavit Patri. Unde canit Ecclesia : « Cujus corpus sanctissimum in ara crucis torridum. » Quatuor cornua altaris sunt quatuor cornua crucis.

ET AB ARIEL USQUE AD SURSUM CORNUA QUATUOR. — Habebat altare in summo in quatuor angulis tigilla quatuor exstantia, sive 4 parvas pyramides instar cornuum. Altare ergo pedibus leonem referebat, cornibus taurum, ut effigiem Cherubim ex parte præferret. Erant hæc cornua quasi prædæ trophæa. Nam in festis solemnioribus tauri et juvenci Deo mactabantur, et Arieli, seu sacro leoni, projiciebantur devorandi. Hac de causa videntur veteres frontes sacrarum ædium taurorum zoophoris, id est craniis' exornasse, quasi sacrificiorum trophæis et insignibus, ait Vilalpandus.

Altare habebat cornua, cur?

16. ET ARIEL DUODECIM CUBITORUM IN LONGITUDINE PER DUODECIM CUBITOS LATITUDINIS, — id est altare (quod dixi fuisse altum quatuor cubitis supra crepidines, sive bases duas) longum erat duodecim cubitos, et totidem latum. Erat ergo quadratum et æquale omnibus quatuor suis lateribus.

Vers. 17. 17. ET CREPIDO QUATUORDECIM CUBITORUM, etc., — *q. d.* Crepido vero altaris pariter erat quadrata, sed duobus cubitis superabat ipsum Arielem, id est altare sibi impositum. Habebat enim non 12, ut altare, sed 14 cubitos tam in longitudine, quam in latitudine. Cujus ratio erat, quod crepido, vel basis altaris superior in singulis lateribus exstabat cubitis singulis extra ipsum Arielem. Ergo si Ariel 12 habebat cubitos quaquaversum : necesse erat ut crepido, vel basis superior 14 cubitis quaquaversum extenderetur; ac pari ratione inferior crepido, quæ extra superiorem quaquaversum singulis cubitis exstabat, 16 cubitis tam in longum quam in latum extenderetur. Ita Vilalpandus. Altare enim in imo latius erat, et sursum ascendendo sensim magis arctabatur : habebat ergo duas retractiones duorum cubitorum, unam in superiori crepidine, alteram in ipso Ariel. Aliter Maldonatus hæc dimetitur.

ET CORONA IN CIRCUITU EJUS DIMIDII CUBITI. — *Coronam* vocat coronicem, sive limbum instar coronæ ambientem, non imam crepidinem, ut vult Maldonatus, sive fundamentum altaris, de hoc enim dixit vers. 13; sed summam ejus superficiem, et quatuor ejus cornua. Sic enim videmus etiamnum Romæ altaria multa, in summo tali coronice ornari et coronari, quæ proinde hebraice vocatur גבל *gebul,* id est *limes,* terminus rem definiens et circumscribens; unde Noster, vers. 13, vertit *definitio.* Hanc asserit fuisse medii cubiti.

Altare ergo universum altum erat decem cubitos, quos sic collige : infima crepido alta erat duos cubitos, secunda quatuor, ipsum Ariel quatuor, qui omnes collecti faciunt decem. Infima crepido tam in longitudine, quam in latitudine habebat 16 cubitos; secunda 14, ipsum Ariel 12. Minus ergo erat hoc altare altari quod fecit Salomon, II *Paral.* cap. IV, vers. 1; illud enim longum erat 20 cubitis, latum totidem, altum 10, ut ibi dicitur.

ET SINUS EJUS UNIUS CUBITI PER CIRCUITUM. — *Sinum* vocat caveam, vel foveam sanguinis, de qua dixit vers. 13. Repetit enim quod ibi dixit.

GRADUS AUTEM EJUS VERSI AD ORIENTEM, — *q. d.* Gradibus ab Oriente versus Occidentem, ad altare ascendebatur. Rationem dat Vilalpandus, quod scilicet vellet Deus Judæos avocare ab idololatria gentilium, qui adorabant solem orientem : voluit ergo Judæos dare terga Orienti, et verum Deum ad Occidentem adorare, uti dixi cap. VIII, 16. Vide S. Thomam, I II, *Quæst.* CII, art. 4 ad 5, et Athanasius Nicenus, *Quæst.* XVIII *in S. Script.* et Pinedam in *Job* XXXI, 26.

18. HI SUNT RITUS ALTARIS, — *q. d.* Hosce ritus in sacrificando super altare observabitis, ut illud expietis, consecretis et sanctificetis. Ritus hos in sequentibus præscribit, et ex Levitico iterat. Hic ergo proprie sancit ritum servandum in consecratione altaris. Vers. 18.

19. ET DABIS, — trades hosce ritus a me præscriptos sacerdotibus et Levitis, aut potius dabis vitulum, eumque sacrificabis, ut reipsa eis ostendas quomodo sacrificare debeant : hoc enim in tam longa captivitate Babylonica obliti sunt. Unde subdit vers. 20 : « Et assumens de sanguine ejus, pones super quatuor cornua ejus. » Videtur ergo Ezechiel reipsa sacrificasse, itaque docuisse sacerdotes ignaros ritum sacrificandi. Ita Maldonatus. Vers. 19.

QUI SUNT DE SEMINE SADOC. — In Sadoc enim, amoto Abiathar, et posteros ejus Salomon transtulit sacerdotium et pontificatum, ut dixi cap. XL, 46. Sadoc hebraice idem est quod *justus*, ait S. Hieronymus.

QUI ACCEDUNT AD ME, — qui accedunt ad altare ut mihi ministrent.

20. SUPER QUATUOR CORNUA EJUS, — altaris hujus enim cornua singula sanguine victimæ tingi præceperat Deus, *Exod.* XXIX, 12, et *Levit.* XVI, 18.

21. ET COMBURES. — Hebraice שרפו *serephu,* id est *comburent*, scilicet sacerdotes ad hoc a te des-

tinati. Nec enim unus Ezechiel hæc omnia per se præstare poterat.

IN SEPARATO LOCO.—Nam « quorum animaliu`n infertur sanguis pro peccato in Sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra, » *Hebr.* XIII, 11; *Levit.* IV, 12; et cap. VI, 30, et XVI, 27: vide ibi dicta. Erat enim hæc publica altaris et loci a Chaldæis contaminati et profanati, per victimam vituli expiatio et consecratio, in qua hic ritus præscriptus est, *Levit.* XVI, 27.

EXTRA SANCTUARIUM, — extra atrium sacerdotum, quod dicitur Sanctuarium, quia sanctificatum et consecratum erat sanguine vituli cæsi, ait Vatablus.

22. HIRCUM CAPRARUM, —id est hircum non annosum, sed juvenem, ut matrem capram adhuc sequatur, et subinde sugat. Cum enim Hebræi animali addunt nomen matris, significant illud tenerum esse, et adhuc matrem sequi. Sic Daniel, cap. VIII, 5, Alexandrum vocat *hircum caprarum* quia juvenis erat. Septuaginta vertunt : « Die autem secundo tollent duos hædos immaculatos pro peccato. » Mystice, hi duo hædi proxime post passionem Domini immolati, sunt S. Jacobus frater S. Joannis, et S. Stephanus : « Hi enim sunt primitiæ martyrum, quos Christi confessio coronavit,» ait S. Hieronymus.

Erat hæc secunda victima expiatoria et consecratoria altaris, scilicet hircus : prior enim fuit vitulus. Nam hircus ob fœtorem est symbolum peccati, quod hoc altari, per victimas deinceps jugiter in eo immolandas, expiandum erat. Hircus symbolum peccati.

IMMACULATUM, — carentem macula, non coloris, sed sanitatis et integritatis, hoc est non mancum, non mutilum; sed sanum et integrum, uti dixi *Levit.* XXII, 19, 20 et 21.

25. FACIES (id est sacrificabis) HIRCUM. — Sic dixit Poeta : « Cum faciam vitulam, » id est cum sacrificabo vitulam, « pro frugibus, ipse venito. » Vers. 25.

26. ET IMPLEBUNT MANUM EJUS. — « Manum, » id est latus, hoc est latera, « ejus, » scilicet altaris, *q. d.* Per septem dies replebunt latera altaris victimis, et sanguine victimarum. Unde Chaldæus vertit : *Offerent oblationem ejus.* Agitur enim de consecratione altaris; et *implere manus*, Hebræis idem est quod consecrare, uti ostendi, *Exod.* XXIX, 9 et 35. Ita Maldonatus.

Alii, ut Vatablus, accipiunt *manum* non altaris, sed sacerdotis, *q. d.* Sacerdotes replebunt carnibus victimæ manus sacerdotis sacrificantis per septem dies, hoc est dabunt illi quotidie tot victimas, quot per septem dies immolare poterit.

27. FACIENT (id est immolabunt, ut dixi vers. 25) SACERDOTES SUPER ALTARE HOLOCAUSTA VESTRA, ET QUÆ PRO PACE OFFERUNT, — id est victimas pacificas, quas pro pace, id est incolumitate domus, vel futura et impetranda; vel præterita, et impetrata in gratiarum actionem (unde Vatablus vertit, *eucharisteria*) offerent. Vers. 27.

CAPUT QUADRAGESIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describit portam Orientalem sanctuarii clausam, sancitque ut in ea solus sedeat princeps, eo quod Dominus ingressus sit per eam. Secundo, vers. 5, sancit, ut incircumcisi carne et corde arceantur a sanctuario. Tertio, vers. 10, Levitas, qui ministrarunt idolis, arcet a ministerio templi, eisque surrogat Levitas filios Sadoc, et sacerdotes qui nunquam idolis, sed semper Deo vero serviverunt. Quarto, vers. 17, sancit eorum ritus et vestes, scilicet Primo, ut in templo utantur vestibus lineis, non laneis. Secundo, ut caput non radant, neque comam nutriant, sed tondeant. Tertio, ut sacerdotes ministrantes in templo, vinum non bibant. Quarto, ut uxorem ducant virginem, vel viduam sacerdotis. Quinto, ut populum doceant quid sanctum sit, quid pollutum. Sexto, ut ad mortuum non ingrediantur. Denique, vers. 28, in mercedem et præmium eis promittit, quod ipse eis erit hæreditas, dando eis suas victimas, primitias et oblationes, uti in Levitico sanxerat, cujus præcepta obliterata in captivitate hic iterat, et in memoriam revocat.

1. Et convertit me ad viam portæ sanctuarii exterioris, quæ respiciebat ad Orientem : et erat clausa. 2. Et dixit Dominus ad me : Porta hæc clausa erit : non aperietur, et vir non transibit per eam : quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa principi. 3. Princeps ipse sedebit in ea, ut comedat panem coram Domino : per viam portæ vestibuli ingredietur, et per viam ejus egredietur. 4. Et adduxit me per viam portæ Aquilonis in conspectu domus : et vidi, et ecce implevit gloria Domini domum Domini : et cecidi in faciem meam. 5. Et dixit ad me Dominus : Fili hominis, pone cor tuum, et vide oculis tuis, et auribus tuis audi omnia quæ ego loquor ad te de universis cæremoniis domus Domini, et

de cunctis legibus ejus : et pones cor tuum in viis templi per omnes exitus sanctuarii. 6. Et dices ad exasperantem me domum Israel : Hæc dicit Dominus Deus : Sufficiant vobis omnia scelera vestra, domus Israel : 7. eo quod inducitis filios alienos incircumcisos corde, et incircumcisos carne, ut sint in sanctuario meo, et polluant domum meam : et offertis panes meos, adipem, et sanguinem : et dissolvitis pactum meum in omnibus sceleribus vestris. 8. Et non servastis præcepta sanctuarii mei : et posuistis custodes observationum mearum in sanctuario meo vobismetipsis. 9. Hæc dicit Dominus Deus : Omnis alienigena incircumcisus corde, et incircumcisus carne, non ingredietur sanctuarium meum, omnis filius alienus qui est in medio filiorum Israel. 10. Sed et Levitæ, qui longe recesserunt a me in errore filiorum Israel, et erraverunt a me post idola sua, et portaverunt iniquitatem suam : 11. erunt in sanctuario meo æditui, et janitores portarum domus, et ministri domus : ipsi mactabunt holocausta, et victimas populi, et ipsi stabunt in conspectu eorum, ut ministrent eis. 12. Pro eo quod ministraverunt illis in conspectu idolorum suorum, et facti sunt domui Israel in offendiculum iniquitatis : idcirco levavi manum meam super eos, ait Dominus Deus, et portabunt iniquitatem suam : 13. et non appropinquabunt ad me ut sacerdotio fungantur mihi, neque accedent ad omne sanctuarium meum juxta Sancta sanctorum : sed portabunt confusionem suam, et scelera sua quæ fecerunt. 14. Et dabo eos janitores domus in omni ministerio ejus, et in universis quæ fient in ea. 15. Sacerdotes autem et Levitæ filii Sadoc, qui custodierunt cæremonias sanctuarii mei, cum errarent filii Israel a me, ipsi accedent ad me ut ministrent mihi : et stabunt in conspectu meo, ut offerant mihi adipem et sanguinem, ait Dominus Deus. 16. Ipsi ingredientur sanctuarium meum, et ipsi accedent ad mensam meam ut ministrent mihi, et custodiant cæremonias meas. 17. Cumque ingredientur portas atrii interioris, vestibus lineis induentur : nec ascendet super eos quidquam laneum, quando ministrant in portis atrii interioris et intrinsecus. 18. Vittæ lineæ erunt in capitibus eorum, et feminalia linea erunt in lumbis eorum, et non accingentur in sudore. 19. Cumque egredientur atrium exterius ad populum, exuent se vestimentis suis in quibus ministraverant, et reponent ea in gazophylacio sanctuarii, et vestient se vestimentis aliis : et non sanctificabunt populum in vestibus suis. 20. Caput autem suum non radent, neque comam nutrient : sed tondentes attondent capita sua. 21. Et vinum non bibet omnis sacerdos, quando ingressurus est atrium interius. 22. Et viduam et repudiatam non accipient uxores, sed virgines de semine domus Israel : sed et viduam, quæ fuerit vidua a sacerdote, accipient. 23. Et populum meum docebunt quid sit inter sanctum et pollutum, et inter mundum et immundum ostendent eis. 24. Et cum fuerit controversia, stabunt in judiciis meis, et judicabunt : leges meas, et præcepta mea in omnibus solemnitatibus meis custodient, et sabbata mea sanctificabunt. 25. Et ad mortuum hominem non ingredientur, ne polluantur, nisi ad patrem et matrem, et filium et filiam, et fratrem et sororem, quæ alterum virum non habuerit : in quibus contaminabuntur. 26. Et postquam fuerit emundatus, septem dies numerabuntur ei. 27. Et in die introitus sui in sanctuarium ad atrium interius, ut ministret mihi in sanctuario, offeret pro peccato suo, ait Dominus Deus. 28. Non erit autem eis hæreditas, ego hæreditas eorum : et possessionem non dabitis eis in Israel, ego enim possessio eorum. 29. Victimam et pro peccato et pro delicto ipsi comedent : et omne votum in Israel ipsorum erit. 30. Et primitiva omnium primogenitorum, et omnia libamenta ex omnibus quæ offeruntur, sacerdotum erunt : et primitiva ciborum vestrorum dabitis sacerdoti, ut reponat benedictionem domui tuæ. 31. Omne morticinum, et captum a bestia de avibus et de pecoribus non comedent sacerdotes.

1. ET CONVERTIT ME (mensor et architectus, puta Angelus, de quo cap. XL, 3) AD VIAM PORTÆ SANCTUARII EXTERIORIS, — id est atrii. Nam sanctuarium interius erat ipsum templum, puta Sanctum, et Sanctum sanctorum.

Alii per *sanctuarium exterius* accipiunt Sanctum,

per *interius* Sanctum sanctorum. Ita R. David et Maldonatus. Verum obstat, quod princeps, utpote laicus, non poterat ingredi Sanctum, imo nec atrium sacerdotum.

ET ERAT CLAUSA, — postquam gloria Dei per eam ingressa fuerat. Hæc enim per eam apertam ingredi visa est Prophetæ, cap. XLIII, 2.

2. CLAUSA ERIT (populo, ait Maldonatus; nam sacerdotes, qui Dei personam gerebant, per eam ingrediebantur. Unde causam clausuræ subdit) : QUONIAM DOMINUS DEUS ISRAEL INGRESSUS EST PER EAM. — Arabicus vertit : *Hæc porta erit clausa, et non aperietur, et non ingreditur per illam quisquam; nisi Dominus Deus Israel ingreditur per eam, et egredietur ex illa. Clausa ipsius annulo. Et erit habitatio gubernatoris* (ducis), *et sedet* (sedebit) *in ea ipse omni tempore coram Domino.*

ERITQUE CLAUSA PRINCIPI, — id est in usum principis, scilicet non ut ingrediatur per eam, sed ut sedeat in ea. Hoc enim est quod subdit :

Vers. 3. 3. PRINCEPS IPSE SEDEBIT (id est consistet, stabit: stabant enim Judæi orantes et sacrificantes. Porro scitum est *sedere* Hebræis significare commorari, manere, consistere, esse præsentem, sive quis sedeat, sive stet, sive discumbat) IN EA (*q. d.* Princeps sacrificium oblaturus insistet in limine hujus portæ, ibique comedet de victimis suis pacificis, non tamen ingredietur, nec transibit illam, ut aliqui putant; quia Dominus ingressus est per eam; sed) PER VIAM PORTÆ VESTIBULI (id est per portam communem laicorum, una cum ipsis) INGREDIETUR, ET EGREDIETUR. — Princeps enim, cum esset quasi vicarius Dei in temporalibus, habebat hoc privilegii, ut proxime ad atrium sacerdotum accederet, ac in limine hujus portæ, quæ in gratiam ejus aperiebatur, exterius spectaret sacrificia, ibique de iis comederet : non tamen fas erat ei, utpote laico, ipsam portam transire, et per eam in atrium sacerdotum, multo minus in Sanctum ingredi. Hunc esse sensum, huncque fuisse usum hujus portæ principis, diserte et fuse declaratur cap. XLVI, 1, 2, 3, 12 et seq., ubi de porta hac dicitur : « Erit clausa sex diebus, in quibus opus fit; die autem sabbati aperietur. Et intrabit princeps per viam vestibuli portæ deforis, et stabit in limine portæ, et facient sacerdotes holocaustum ejus, et pacifica ejus, et adorabit super limen portæ, et egredietur : porta autem non claudetur usque ad vesperam. » Et vers. 12 : « Cum autem fecerit princeps spontaneum holocaustum, aut pacifica voluntaria Domino, aperietur ei porta, quæ respicit ad Orientem, et faciet holocaustum suum, et pacifica sua, sicut fieri solet in die sabbati : et egredietur, claudeturque porta postquam exierit. »

Principis porta, quæ ?

Allegorice, et potius, porta hæc clausa est B. Virgo Maria, in qua sedit princeps, id est Christus Dominus, cum in sacro ejus utero quasi thalamo et templo suo, ex purissimis ejus sanguinibus conceptus, per novem menses habitavit, quia « Dominus Deus Israel ingressus est per eam, » scilicet Deus Pater eam sibi desponsans et maritans : Deus Spiritus Sanctus eam obumbrans et fecundans : Deus Filius in ea carnem assumens. Nam « est eadem mater, filia, sponsa Dei; » nempe ipsa est filia Dei Patris, sponsa Spiritus Sancti, et mater Filii, scilicet Christi.

Ita Patres omnes, et interpretes christiani, e quibus plurimi censent hunc esse sensum litteralem. Certe primarius est, et maxime intentus a Spiritu Sancto. Ita Græcus Scholiastes breviter æque ac subtiliter : « Solus, ait, Christus portam hanc nondum apertam supernaturaliter aperuit, et clausam naturaliter servavit. » Vide dicta *Exod.* XIII, 2.

S. Augustinus, serm. 2 *De Nativit.* : « Porta, ait, clausa est signaculum pudoris, immaculatæ carnis integritas : non enim violata est partu, quæ magis est sanctificata conceptu. » Et S. Bernardus, hom. 2 *super Missus est* : « Deum, inquit, hujusmodi decebat nativitas, qua non nisi de virgine nasceretur : talis congruebat et Virgini partus, ut non pareret nisi Deum. » Et S. Cyrillus Hierosolymitanus, *catech.* 12 : « Decebat sane, inquit, ut purissimus puritatis doctor ex thalamis puris prodiret. » Ita quoque explicant S. Hieronymus, S. Ambrosius, lib *De Instit. virg.* cap. VIII : « Porta, ait, clausa virginitas est, et hortus clausus virginitas, et fons signatus virginitas. » Sic et Epiphanius, serm. *De laudibus Virg.*, Cyprianus vel potius Ruffinus in *expositione Symboli*, Chrysostomus, hom. *De Joan. Baptist.* tom. III, et alii passim.

Hinc subditur : « Eritque clausa principi, » cum princeps per eam transibit; erit et manebit clausa. Pagninus vertit : *Eritque clausa principis, q. d.* Plures portas habet princeps, sed hæc per excellentiam vocatur porta perpetuo clausa, ideoque porta principis, qui per eam clausam transivit. Unde Septuaginta vertunt : *Et erit clausa, quia dux iste sedebit in ea.* Ex hisce patet de fide esse B. Virginem fuisse et mansisse semper virginem; quia hic dicitur, quod ipsi quoque principi, puta Christo, futura sit clausa, et nullo pacto in conceptu ejus et partu per virginei claustri sigillique apertionem reseranda, ideoque vocabitur porta principis, ut vertit Pagninus.

Triplex hæresis circa B. Virginem.

Quocirca hic triplex hæresis convellitur. *Primo*, Ebionis et Cerinthi, qui teste Irenæo, lib. I, cap. XXV, impie docebant B. Virginem ex Josepho concepisse. *Secundo*, Joviniani qui asserebat B. Virginem fuisse in partu corruptam : testis est S. Augustinus, lib. *De Hæres. Tertio*, aliorum, qui cum eam ante partum et in partu Christi virginem faterentur, tamen a partu dixerunt plures filios ex Josepho concepisse, qui propterea ab Evangelio vocentur *fratres Domini*. Cujus erroris assertor fuit Helvidius, contra quem integrum librum erudite scripsit S. Hieronymus.

Quin et Zuinglius ex hoc loco probat perpetuam

virginitatem B. Mariæ, teste Canisio lib. II *Marial.* cap. VI. Quocirca ter hic clausa dicitur porta hæc, ut significetur Deiparam virginem fore ante partum, in partu, et post partum, ait Galatinus, lib. VII *De Arcan. fidei*, cap. XIV.

Denique B. Virgo vocatur porta Orientalis, quia, ut exponit, S. Ambrosius, libro *De Instit. virg.* cap. VII, generavit Christum, qui est sol justitiæ, et cujus nomen est Oriens, *Zachar.* III, 8. Hæc omnia paucis nervose et eleganter complexus S. Augustinus, serm. 14 *De Natali Domini*: « Quid, ait, est porta in domo Domini clausa, nisi quod Maria semper erit intacta? Et quid est: Homo non transit per eam, nisi quia Joseph non cognovit eam? Et quid est quod Deus solus intrat et egreditur per eam, nisi quia Spiritus Sanctus imprægnavit eam? Et quid est quod clausa erit in æternum, nisi quia Maria virgo ante partum, virgo in partu, virgo post partum? Dicat ergo Maria: Porta facta sum cœli, janua facta sum Filio Dei. Illi facta sum janua clausa, qui post suam resurrectionem ingressus est per ostia clausa, qui natus de ventre meo, me matrem dimisit intactam. Adimplevit ventrem meum divinitate, et uterum meum non evacuavit castitate: nec in conceptione inventa sum sine pudore, nec in parturitione inventa sum cum dolore. »

Porta clausa est utraque B. Virginis conceptio immaculata.

Symbolum portæ Orientalis semper clausæ denotat utramque Virginis conceptionem fuisse intemeratam et immaculatam, scilicet tam activam, qua concepit et peperit Christum, cujus nomen est Oriens, *Zach.* III, quam passivam, qua ipsa concepta et orta est quasi aurora consurgens, et mater Solis orientis. Quocirca sapienter et solerter D. Joannes d'Avila, nostri ævi in Hispania prædicator Apostolicus, et ex eo Noster P. Ribadeneira in *Vitis Sanct.* tractans de Conceptione B. Virg. die 8 decemb. ex crebra certaque experientia tradunt, singulare et efficax remedium contra tentationes carnis ad conservandam castitatem esse, si tentatus B. Virginem invocet, opemque ab ea poscat per immaculatam ejus conceptionem et angelicam puritatem, qua concepta est, et qua pariter ut virgo concepit Dei Filium; atque in honorem utriusque conceptionis hymnos vel preces aliquas recitet. Sane constat plures Sanctos per B. Virginem, donum virginitatis vel castitatis impetravisse. Ipsa enim est rubus ardens incombustus, *Exod.* cap. III, 2, qui uti a se, ita et a Mose, aliisque sibi fidelibus flammas concupiscentiæ repellit. Ipsa est fons sibi aliisque signatus, ac puteus aquarum viventium, quæ ardorem carnis restinguunt, *Cant.* IV. Ipsa lilium inter spinas, ipsa sanctuarium Dei, ipsa altare thymiamatis, ipsa hortus conclusus, ipsa speculum sine macula, ipsa virga Mosis, ipsa vellus Gedeonis, ipsa turris eburnea, ipsa pulchra ut luna, electa ut sol, ipsa terribilis dæmonibus ut castrorum acies ordinata. Hisce enim titulis B. Virgo a Patribus salutatur et ab Ecclesia in Litaniis invocatur. Vide nostrum P. Canisium in *Mariali.*

Remedium efficax contra tentationes carnis.

B. Virgo est porta gratiarum.

Tropologice, porta hæc templi, id est cœli, significat omnem gratiam, omniaque dona e cœlis a Deo per B. Virginem, utpote portam, ad nos descendere. Hæc enim porta non tantum est porta, sed et solium gloriæ Dei, puta thronus veri Salomonis, a quo omne bonum ad nos derivatur. Ipsa est arca testamenti, ipsa clypeus omnibus in se sperantibus, ipsa stella maris, ipsa domina, advocata, mediatrix nostra, ipsa urbs fortitudinis, ipsa civitas refugii, ipsa propitiatorium Altissimi. « Ipsa Virgo virginum, Sancta sanctorum, lumen cæcorum, justorum gloria, peccatorum venia, gratiæ inventrix, mediatrix salutis, restauratrix sæculorum, reverenda Angelis, desiderata gentibus, Prophetis et Patriarchis præcognita, electa ex omnibus, prælata omnibus, » ait S. Bernardus, *epist.* 74. Ipsa navis institoris de longe portans panem, ipsa mater misericordiæ, ipsa signum magnum in cœlo, ipsa prodigium et miraculum sæculorum. Nam « illius est mater, cujus Deus est pater, » ait S. Bernardus, serm. 3 *super Missus est*: « Deum enim peperit, et de Deo concepit. » Idem serm. 3 in *Salve, Regina*: « Propter hanc, ait, totus mundus factus est, et hæc gratia Dei plena est, et per hanc homo redemptus est, Verbum Dei caro factum est, Deus humilis et homo sublimis. »

Rursum porta hæc significat hominibus e terra in cœlum per B Virginem, quasi portam, intrandum et ascendendum esse. Quocirca ipsa vocatur scala Jacob, janua cœli, porta paradisi, mater salutis, domina Angelorum, regina mundi, Sanctissimæ Trinitatis filia, sponsa, parens; nimirum filia Patris, parens Filii, sponsa Spiritus Sancti. Hinc passim doctores docent medium efficacissimum ad assecurandam sibi æternam felicitatem esse, si quis cultui B. Virginis se addicat, ab eaque poscat dirigi rectis itineribus in viam portumque salutis. Ipsa enim est gloria Jerusalem, ipsa mulier amicta sole, habens in capite coronam stellarum duodecim. Ipsa mater, uti Christi, ita christianorum omnium, puta Ecclesiæ tam militantis, quam triumphantis. Exempla plurima horum omnium per singula sæcula moderni plures, tam qui de B. Virgine, quam qui in catechismum scripsere, collegerunt. Denique S. Bernardus, serm. 4 *De Assumpt.*: « Sileat, ait, misericordiam tuam, Virgo beata, si quis est, qui invocatam te in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse. » Et mox: « Quis ergo misericordiæ tuæ, o benedicta, longitudinem et latitudinem, sublimitatem et profundum queat investigare? Nam longitudo ejus usque in diem novissimum invocantibus eam subvenit universis. Latitudo ejus replet orbem terrarum, ut tua quoque misericordia plena sit omnis terra. Sic et sublimitas ejus civitatis supernæ invenit restaurationem, et profundum ejus sedentibus in tenebris et in umbra mortis obtinuit redemptionem. Per te enim cœlum repletum,

infernus evacuatus est, instauratæ ruinæ cœlestis Jerusalem, etc. Ad hunc misericordiæ cumulum tota sollicitudine miseria nostra recurrat.» Idem, hom. 4 *super Missus est* : « Ex ore tuo (o Virgo,) pendet consolatio miserorum, redemptio captivorum, liberatio damnatorum, salus denique universorum filiorum Adam, totius generis tui.» Idem serm. 2 *in die Pentec.* : « Ad illam (B. Virginem) sicut ad medium, sicut ad arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium sæculorum respiciunt, et qui in cœlo habitant, et qui in inferno, et qui nos præcesserunt, et nos qui sumus, et qui sequentur, et nati natorum, et qui nascentur ab illis. Illi qui sunt in cœlo, ut resarciantur : qui in inferno, ut eripiantur : qui præcesserunt, ut Prophetæ fideles inveniantur : qui sequuntur, ut glorificentur. Et beatam te dicunt omnes generationes, Genitrix Dei, Domina mundi, Regina cœli. In te enim Angeli lætitiam, justi gratiam, peccatores veniam invenerunt in æternum. Merito in te respiciunt oculi totius creaturæ : quia in te, et per te, et de te benigna manus Omnipotentis quidquid creavit, recreavit.» Nam ut ipse ait serm. 3 *super Missus est*. In B. Maria inhabitavit plenitudo divinitatis corporaliter, puta θεάνθρωπος, ut ait S. Dionysius, ex quo *theandricæ*, id est *deiviriles*, actiones, quibus homines Deo reconciliavit, promanarunt. Idem, serm. 3 *inter parvos* : « Ave, Maria, gratia plena. Bene plena, quia Deo, et Angelis, et hominibus grata : hominibus per fecunditatem, Angelis per virginitatem, Deo per humilitatem.» Idem, serm. *De B. Maria* : « Eva spina fuit, quæ et virum suum ad mortem pupugit, et posteritati sui peccati aculeum infixit : rosa Maria. Eva spina, vulnerando; Maria rosa, omnium affectus mulcendo. Eva spina infigens omnibus mortem; Maria rosa reddens salutiferam omnibus sortem.» Idem, serm. 3 in *Salve, regina* : « Fiat, inquit, firmamentum, et dividat aquas ab aquis. Omnibus firmamentis firmius firmamentum tu, Domina, quæ eum quem cœli cœlorum capere non poterant, cepisti, et concepisti : portasti, et non defecisti : genuisti, aluisti, educasti. Tu in medio aquarum divisisti aquas ab aquis; affectus videlicet æternorum ab affectibus temporalium. Posuit in hoc firmamento Deus solem et lunam, et Christum et Ecclesiam; et stellas, prærogativas gratiarum multas.»

Symbolice, Origenes hic *hom.* 14 et ex eo S. Hieronymus, per *portam clausam* intelligunt S. Scripturam, quæ clausa fuit, donec princeps, id est Christus, eas aperuit, de quo dicitur *Apocal.* v, 5 : « Ecce vicit leo de tribu Juda, radix David aperire librum, et solvere septem signacula ejus.» Nam ut ait S. Hieronymus : « Priusquam Salvator humanum corpus assumeret, et humiliaret se formam servi accipiens, clausa erat lex, et Prophetæ, et omnis scientia Scripturarum. Postquam autem ille pependit in cruce, statim velum templi scissum est, et aperta sunt omnia, ablatoque velamine dicimus : Nos autem omnes revelata facie gloriam Domini contemplantes, in eamdem imaginem transformamur a gloria in gloriam.»

Anagogice, porta clausa fuit cœli janua clausa usque ad Christum, quam Christus clave suæ crucis aperuit : quam ob causam S. Stephanus martyrium obiens dixit, *Actor.* VII : « Ecce video cœlos apertos.» Et S. Petrus, *Actor.* X, vidit cœlum apertum, et ex eo descendens vas quoddam velut linteum magnum. Anagogice, est cœlum clausum ante Christum.

4. PER VIAM PORTÆ AQUILONIS. (Quia porta Orientalis clausa erat, ut dixit vers. 2; hinc per portam Aquilonis quæ aperta erat, induxit Angelus Ezechielem) IN CONSPECTU DOMUS. — Id est, ut Hebræus, *in conspectum templi*, ut scilicet videret gloriam Domini, quæ illud implebat : unde eam videns præ fulgore reverberatis luminibus, et præ reverentia et stupore tantæ majestatis in terram corruit. « Cecidit autem in faciem suam Propheta, ait S. Hieronymus, ne dum plus cernere cupit, quam humana potest fragilitas intueri,» etiam ipsum oculorum lumen amitteret.

5. ET PONES COR TUUM IN VIIS TEMPLI PER OMNES EXITUS SANCTUARII. — Hebraice : *Et pones cor tuum ad domus ingressum, et ad omnes ingressus sanctuarii*, id est contemplare omnes ingredientes, et egredientes e templo, considera omnia quæ in templo geruntur, perspice totam templi administrationem. Ita Vatablus. Aliter Maldonatus, *q. d.* Observabis diligenter omnes templi introitus atque exitus, ut doceas Judæos, qua populus, qua princeps, qua sacerdotes ingredi egredique debeant, uti paulo post innuit, et fusius declarabit cap. XLVI.

6. AD EXASPERANTEM, — ad rebellem, suaque rebellione me irritantem. Vide dicta cap. II, 5.

6 et 7. SUFFICIANT VOBIS OMNIA SCELERA VESTRA (*q. d.* Sufficiat vobis hucusque scelerate egisse) EO QUOD INCIRCUMCISOS, — infideles et sceleratos induxistis in templum meum : desistite ab hisce sceleribus : deinceps nolite eos inducere, et profanare templum meum. Ita Hebræa.

Aliter Maldonatus, *q. d.* Sufficiat vobis, quod vos ipsi vestra idololatria et cædibus templum meum polluatis, quamvis alienigenas et profanos homines non introducatis, qui illud contaminent. Verum *eo quod*, non significat hic *quamvis*, sed causam vel modum scelerum. Unde hebraice est, *in introducendo vos alienigenas*. Alienigenæ enim arcebantur templo, id est atrio Israel.

INCIRCUMCISOS CORDE (id est sceleratos) ET INCIRCUMCISOS CARNE, — id est gentiles, infideles et idololatras. Illo enim tempore fere soli circumcisi, id est Judæi et proselyti, erant fideles, Deique veri cultores; incircumcisi, erant gentiles et infideles.

Tropologice S. Hieronymus : « Cor, ait, circumcidimus cultello Dei, et aufertur de corde nostro præputium, quando turpes cogitationes nequaquam exeunt de corde nostro, nec de nobis dici- Tropologice, circumcisione cordis et carnis.

tur : impinguatum est cor populi hujus, et auribus suis graviter audierunt. Ergo et caro similiter circumcidatur, ut nequaquam faciamus terrena opera, quæ pro necessitate corporis facere compellimur, cibum capere, et potum et somnum, et uti vestibus : quæ tunc circumcidimus, si non ad delicias, et ad luxuriam, et ad inertiam, sed ad necessitatem naturæ, et corporis istius sustentaculum cuncta facimus. Qui bibit vinum propter stomachum, et frequentes infirmitates, et odit ebrietatem, circumcidit carnem suam, etc. Et sic circumcisi ingrediamur Sanctuarium Dei. Audiant hoc Episcopi atque presbyteri, et omnis ordo Ecclesiasticus, ut non inducant filios alienos incircumcisos corde et carne, ne polluant domum ejus. »

ET OFFERTIS PANES MEOS, ADIPEM ET SANGUINEM. — « Offertis, » scilicet per alienigenas jam dictos. Ita Vatablus, qui censet hic taxari Judæos, quod cum ipsi deflexissent ad idola, in templum inducerent Gentilium sacerdotes, qui ritu suo idolis sacrificarent.

Simplicius Maldonatus explicat, *q. d.* Offertis mihi panes et victimas, quas ab alienigenis accepistis; hoc enim vetitum erat *Lev.* XXII, 25, ubi dicitur : « De manu alienigenæ non offeretis panes Deo vestro, et quidquid aliud dare voluerit, quia corrupta et maculata sunt omnia.

8. POSUISTIS CUSTODES OBSERVATIONUM MEARUM (hebraice משמרתי *mismarti*, id est custodiæ meæ) IN SANCTUARIO MEO (scilicet in templo) VOBISMETIPSIS, — id est pro vestro arbitratu, non pro mea voluntate. Nam posuistis custodes templi, qui in illud admittunt incircumcisos, quod ego nolui et vetui. Aliter Vatablus, *q. d.* Ordinastis sacerdotes Gentilium, qui templum vestrum custodirent in eoque sanctificationes, id est sanctas hostias, pro vobis offerrent.

10. SED ET LEVITÆ, QUI LONGE RECESSERUNT A ME IN ERRORE FILIORUM ISRAEL (*q. d.* Levitæ illi, qui cum Israelitis coluerunt idola, indeque in alia scelera prolapsi sunt) ET PORTAVERUNT INIQUITATEM SUAM. — *Et* significat *ideo, q. d.* Ideoque pœnam suæ iniquitatis reportarunt, scilicet captivitatem Babylonicam. Aliter Vatablus; vertit enim in futuro : *Luent pœnam iniquitatis suæ*, quam eis intento vers. 11 et 13, ut scilicet rejiciantur in gradum laicorum, sintque æditui et janitores templi.

Distinguit hic Deus duo genera Levitarum, ait S. Hieronymus, scilicet unum eorum qui cum populo secuti sunt idola. Tempore enim Manassis, Achaz, aliorumque regum impiorum et idololatrarum populus pariter fuit idololatra; et ex Levitis plurimi, ne gradu suo exciderent, captantes gratiam regis et populi, idolis serviebant, iisque inter sacrificandum juxta suum gradum ministrabant. Alii vero constantes in fide et suo officio steterunt, malentes suo gradu et gratia regum et populi excidere quam conscientiam lædere. Hi vocantur hic filii Sadoc : fuit enim Sadoc verus et fidelis Dei pontifex; et posteri ejus, qui patris virtutem secuti sunt, merito ejus filii tum progenie, tum imitatione nuncupantur.

Hisce ergo sancit et confirmat Deus ministerium sacerdotale, priores vero punit excludendo illos a sacerdotio, et deturbando eos ad officia vilissima ædituorum et lanionum ad mactandas victimas. Hoc est quod subdit :

11. ERUNT IN SANCTUARIO MEO ÆDITUI, — *q. d.* Pro sacerdotali officio, ait S. Hieronymus, qui holocaustum, et victimas, omneque sacrificium offerre consueverant, redigentur in ultimum gradum, et erunt janitores domus in ignominiam sempiternam, ut ab universo populo intrante et exeunte videantur, de quam sublimi dignitate, ad quem ultimum gradum pervenerint. » Sic Ecclesia olim Episcopos et presbyteros lapsos in Arianismum aliamve hæresin, recipiebat quidem ad pœnitentiam, sed privabat officio sacerdotali, et sæpe redigebat ad communionem laicam : sed postea, invalescente lapsorum numero, multos in pristinum sacerdotii gradum restituit. Quod deplorans ait S. Hieronymus : « Quomodo, ait, sibi sacerdotale et pontificale assumunt fastigium, et audent offerre victimas Deo, cultores quondam idolorum? Sed, ut ardentissimus poeta testatur, quidquid a multis peccatur multum est, multitudo peccantium impetrabiliorem fecit impiis veniam, ut qui redacti in laicos, pristina sacrilegii sui scelera debuerant deplorare, nunc resupini in pontificali solio sedeant, et ructent nobis simulatæ fidei nauseas, imo opertæ fidei aperta compendia. Audiant igitur salutem sero, et observent præcepta omnipotentis Dei : Omnis alienigena incircumcisus corde, et incircumcisus carne, non ingredietur Sanctuarium meum, licet ille sit filius, licet cognatione sociatus. »

12. PRO EO QUOD MINISTRAVERUNT ILLIS, — quia populo in idololatria servierunt, ideo illi, etiam ab idololatria revocato, perpetua servitute obstricti manebunt, ait Maldonatus. Vers. 12.

IDCIRCO LEVAVI MANUM MEAM (id est elata manu juravi) SUPER EOS ET (id est *quia*, vel *quod*) PORTABUNT INIQUITATEM SUAM, — per hanc ignominiæ, puta irregularitatis suæ pœnam jam dictam.

16. ET CUSTODIANT CÆREMONIAS MEAS. — Hebraice est, *et custodiant custodiam meam*, id est fungantur per omnia officio sacerdotis : illi enim competit custodia templi et sacrorum. Ita Vatablus. Vers. 16.

17. CUMQUE INGREDIENTUR PORTAS ATRII INTERIORIS, — id est atrii sacerdotum. Alii intelligunt Sanctum sanctorum, quasi hic præcipiatur, ut pontifex illud expiaturus in die expiationis vestiat se tunica linea, uti præcepit Deus *Levit.* XVI, 2 et sequent. Sed Sanctum sanctorum non vocatur atrium. Vers. 17.

VESTIBUS LINEIS. — Tunica enim linea erat vestis communium sacerdotum, ex lege *Exodi* cap. XXIX, 8.

Hic mystice significatur nos munda conscientia

debere tractare sancta Dei Sacramenta, ait S. Hieronymus.

NEC ASCENDET SUPER EOS QUIDQUAM LANEUM. — Linum differt a lana, quod hæc est propria brutorum animantium vestis; linum vero est nobilis plantæ medulla, quæ hominum industriæ abdita asservatur. Unde Apuleius in *Apologia* : Lana, inquit, segnissimi corporis excrementum, pecori detracta, jam inde Orphei et Pythagoræ scitis profanus vestitus est. Itaque lanea vestis videtur desidiam atque segnitiem indicare : et in lino saltem major multo diligentia significatur.

Secundo, mira est lini tenuitas atque subtilitas; quod valde perpendit Plinius in thorace illo, qui in Rhodiorum insula in templo Minervæ ostendebatur, cujus singula fila 365 filis constabant. Hieronymus etiam in id *Ezechielis* XVI : « Cinxi te bysso, » ait, tenuissima ex bysso fila texuntur in veste pontificis. Hoc aptum imprimis est, ut denotetur hanc mysticam veræ sanctitatis vestem, non crasso (quod aiunt) filo, sed tenui atque subtili esse texendam.

Tertio, linum ingentem utilitatem hominibus affert, orbem terrarum, ait Plinius, ultro citroque portat. Quibus verbis ponderat magna commoda, quæ ex lino ad navigationem sequuntur; vela enim, quibus naves uti solent, ex lino generatim conficiuntur. Unde linum ipsum est præcipuum instrumentum, cujus ope ac subsidio maxima navigia tot ac tantis oneribus stipata, se mari committant, et in remotissima littora navigent. Ex semine parvo nascitur linum quasi gracilis et humilis avena, ut eo ingentes opes ac merces utilissimæ, ex aliis provinciis in alias advehantur. Quod mirifice repræsentat quam utilis sit toti terrarum orbi Christi fidelium sanctitas, quæ secundo divini Spiritus flamine, cœlestes opes ac merces plane divinas ad barbaras etiam gentes, et longissime dissitas nationes comportat. Summa etiam utilitas lini est, quod ex eo tentoria fiant et vela etiam in atriis, aut locis aliis patentibus tendi solita, quæ solis ardorem arceant. Non secus justorum sanctitas reipublicæ umbraculum est ab æstu, et vitæ humanæ forum spiritualiter inumbrat, ut salutarius homines vivant.

Quarto, magnus erat optimi lini, id est byssi, splendor et pretium. Siquidem Achaica byssus auri pondere vendebatur, ita ut uncia byssi centum argenteis nummis appenderetur, aut secundum novum monetæ valorem, centum decem; et libra duodecim unciis constans mille et ducentos argenteos valeret; seu (nova ratione) 1320, quo pretio sericum in trigintas libras vendi solet. Quin addit Pausanias, Judææ byssum Achaica fuisse præstantiorem. Si igitur magnum ipsius splendorem cum ingenti pretio, et magnis ejus deliciis consideremus facile intelligimus, byssum apte deservire ad opes, gloriam atque delicias denotandas : quippe quæ res erat principum valde propria. Vide *Genes.* XLI, 42, de byssina Josephi stola in ipsius triumpho, et *Luc.* XVI, 19, de divite avaro byssinis vestito. In eadem vero veste, prout est sanctitatis et religionis symbolum, hæc omnia optimam habent significationem. Nihil enim honorificentius, nihil præstantius atque gloriosius spiritu principali, quo Deus suos amicos confirmat. Nullæ sunt deliciæ, quæ veræ sanctitatis delicias ulla ex parte æquare possint; nullæ opes quæ cum ipsius opibus valeant comparari. Ita Alcazar in *Apoc.* I, 13, not. 11. Alias linei vestitus sacerdotalis causas recensui *Exod.* XXVIII, 39.

ET INTRINSECUS, — in Sancto, adolendo thymiama, accendendo lucernas, et ponendo panes propositionis.

18. ET NON ACCINGENTUR IN SUDORE, — id est in loco sudoris, *q. d.* Parte media corporis cingent se, non autem ad pectus, ved ad axillas, in quibus facile sudatur. Ita Chaldæus, Hebræi, Maldonatus et alii.

Secundo et potius : « Non accingentur in sudore, » id est ita arcte ut sudent. Ita Vatablus. Nam Septuaginta vertunt : *Non accingentur violenter, q. d.* Non accingant se violenter et constricte instar vinctorum; ne in ministeriis sacerdotalibus et Leviticis inhabiles fiant, et tenere et cædere victimas, attrahere quoque nequeant, et discurrere, ait S. Hieronymus.

19. CUMQUE EGREDIENTUR AD POPULUM, etc., VESTIENT SE VESTIMENTIS ALIIS (profanis et communibus), ET NON SANCTIFICABUNT POPULUM IN VESTIBUS SUIS, — id est ne sanctificent populum, « qui ad sanctificationem se non præparavit, ut sit Domini Nazaræus, » ait S. Hieronymus; profana enim ex contactu sacrorum fiebant sacra, juxta legem *Exod.* XXX, 29. Ita Vatablus et Maldonatus. Vetat Deus sacra profanari, et ad profanos usus adhiberi, ne sacrorum majestas vilescat, fiatque toti vulgo communis.

20. CAPUT SUUM NON RADENT, NEQUE COMAM NUTRIENT, SED TONDENTES ATTONDENT. — Perperam hæc contra tonsuram monachorum torquet Hortensius Landus, lib. *De Persecutione barbarorum*. Pro quo nota : Sacerdotibus Judæorum prohibita fuit rasura, *Levit.* XXI, 5; non quod in se mala esset, sed quia minus decora, et ne viderentur similes sacerdotibus gentilium, in quorum vicinia habitabant, qui toto capite raso idolis sacrificabant, ut patet ex epistola Jeremiæ, *Baruch.* V, 30. Quod idipsum ex se non esset malum patet, quia Ezechiel, qui erat sacerdos, jubetur a Deo radi, cap. V, 1; et, *Numer.* VI, Nazaræus completo tempore voti jubetur radi. Hinc et Paulus rasus est, *Act.* XXI, 24. Ergo tantum ob viciniam idololatrarum prohibebantur sacerdotes Judæorum radi. Quæ forte causa erat cur tempore Optati Milevitani, S. Hieronymi et Ambrosii, christiani sacerdotes non raderentur, sed tonderentur. Nam, adhuc ipsorum tempore, erant sacerdotes Isidis et Serapis, qui caput radebant, ut S. Hieronymus hic et S. Ambrosius, *epist.* 36, testantur. Postquam au-

Sacerdotes olim non radebantur, cur?

tem illa causa cessavit, nil absurdi faciunt, qui ad aliquid sacrum significandum caput radunt. Ita Bellarminus, lib. II *De Monachis*, cap. XI.

Moraliter, S. Gregorius, part. II *Pastor.* cap. VII, in fine : « Quia, inquit, cuncti qui præsunt, habere quidem sollicitudines exteriores debent, nec tamen vehementer iis incumbere, sacerdotes recte et caput prohibentur radere, et comam nutrire, ut cogitationes carnis de vita subditorum, nec a se funditus amputent, nec rursum ad crescendum nimis relaxent. Unde et bene dicitur : Tondentes tondeant capita sua, ut videlicet curæ temporalis sollicitudinis et quantum necesse est provideant, et tamen resecentur citius, ne immoderatius excrescant. »

Vers. 24. 24. STABUNT IN JUDICIIS MEIS, — legibus et præceptis meis insistent, ut ex illorum præscripto judicent, litesque dirimant.

Vers. 25. 25. QUÆ ALTERUM VIRUM NON HABUERIT (quæ secundo non nupserit) (1) IN QUIBUS CONTAMINABUNTUR, — *q. d.* Licebit sacerdoti accedere ad funus patris officii et pietatis causa, ut eum sepeliat, et hoc casu licebit ei se legaliter contaminare, sive inducere sibi irregularitatem legalem, quæ ob funera contrahitur : hæc enim cedere debet pietati paternæ. Pontifici vero nullum, ne patris quidem, funus prosequi licebat, vide dicta *Levit.* XXI, 11. Voluit Deus hac sanctione avocare animos sacerdotum ab affectu humano, quo homines amant sanguine junctos et cognatos, ideoque in eorum morte lugent et plangunt : nimirum voluit sacerdotes ab hoc affectu esse liberos, ut animum totum a cognatis rebusque caducis, ad Deum et divina transferrent, utque resurrectionem et æternitatem jugiter cogitarent, earumque fidem atque spem et verbo et facto alios docerent. Hac ergo de causa pontifex nec patrem, nec matrem lugere poterat : « Postulat enim, ait Philo, lib. II *De Monarchia*, lex in eo viro præstantiorem hominibus indolem ; quippe qui Deo sit familiaris præ cæteris, velut in quodam divinæ humanæque naturæ confinio, ut hoc mediatore Deus propitietur hominibus. »

Hæc sacerdotes veteris Testamenti, conjugiis, filiis et familiæ illigati : quid jam faciant sacerdotes et Episcopi novi Testamenti, quos Deus cælibes et illiberes esse voluit, ut a curis terrenis ad cœlestia mentem transferrent, eamque totam in Deo bonisque æternis defigerent? Quare sapienter monet S. Basilius *in Constit. monast.* cap. XXIII : « Scientes itaque intolerabile detrimentum hujus erga cognatos affectus, fugiamus illorum curam, tanquam diabolicam ad nos impugnandum armaturam. » Sed ecce, inquit doctor sapiens, hisce Satan invidens insidias ex latere ponit, dum cognatos pro filiis substituit, eosque curandos, et ex imo sensim ad summos opum et dignitatum gradus provehendos esse suggerit ; in illis extollendam et perpetuandam esse familiam ; in illis conservandum et celebrandum apud posteros nomen. Ita nimirum :

> Cum factor rerum privaret semine clerum,
> Ad Satanæ votum successit turba nepotum.

Hæc est fraus, hic laqueus diaboli, hæc petra scandali, in quam non pauci alias boni impingunt, ut ab hoc cognatorum affectu se vinci et vinciri sinant, iisque opes et status jugi cura et studio sine fine accumulent, etiam e bonis Ecclesiæ, cum animæ et salutis suæ suorumque gravi periculo. Glisscit enim, serpit et crescit hæc cupiditas instar ignis latentis, quo magis illi indulgetur, tandemque fit insaturabilis, et in immane evadit incendium. Ita sacerdotes, qui cœlestes esse debebant, fiunt terreni, et summi fiunt imi : ita quos animo excelso omnia humana despicere, illisque altiores esse, aliosque idipsum docere oportebat, ad ea conversi prolabuntur, mentemque sublimem ad infima hæc deprimunt.

> O curvæ in terras animæ, et cœlestium inanes!

Quam hi a Christi et priscorum patrum virtute degenerant! Non loquor de illis, qui consanguineis pauperibus subveniunt, vel eos qui digniores aut sibi et Ecclesiæ aptiores promovent : hoc enim si moderate fiat, pietati, charitati et prudentiæ est consentaneum, ut docet D. Thomas, II II part. *Quæst.* CLXXXV, art. VII, ad 2. Loquor de iis qui non nisi affectum sequuntur, ideoque indignos promovent, vel dignos immodice locupletant.

Christus Dominus moriturus matrem unicam et dilectissimam, eamque pauperem non Josepho ab Arimathia, nobili et diviti ; sed Joanni pariter pauperi commendavit. Christus cognatis suis, Jacobo et Joanni, non opes et delicias, sed calicem passionis suæ propinavit. Cum enim mater eorum pro eis interpellaret, diceretque : « Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dextram tuam, et unus ad sinistram in regno tuo ; respondens Jesus dixit : Nescitis quid petatis : potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Dicunt ei : Possumus. Ait illis : Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dexteram vel sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo, » *Matth.* XX.

S. Petrus vocatus a Christo, omnem carnalem erga uxorem et filiam Petronillam affectum exuit et deposuit, easque sanctas esse maluit, quam opulentas : unde cum uxor ad martyrium duceretur, non aliud egit, non aliud dixit, quam : « Heus tu, memento Domini, » uti refert Clemens Alexandrinus, lib. VII *Stromat.*

S. Paulus de Ecclesiasticis ita sancit, II *Tim.* II, 4 : « Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat cui se probavit. » Idem, *epist.* I *ad Timoth.* Episcopum Ephesi, cap. VI, 6,

(1) Cur vero sororis funeri, quæ viro nupsit, sacerdos interesse non possit, ea ratio est, quia nuptiali jure in viri familiam cooptata jam est, neque ad paternam domum pertinere existimatur.

taxat Ecclesiasticos, qui existimant quæstum esse pietatem : « Est enim, inquit, quæstus magnus pietas cum sufficientia, » græce αὐταρκείᾳ, id est animo suis paucisque contento. « Nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium quod nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta et quibus tegamur, his contenti simus. »

S. Cypriani. S. Cyprianus a conjugio assumptus ad Episcopatum Carthaginiensem, adeo uxorem et liberos non ditavit, non evexit, ut bona sua in pauperes erogarit, curamque uxoris et filiorum plane a se abdicaverit, eamque Cæcilio presbytero commiserit, relinquens eis dotem quæ tantum ad necessaria vitæ sufficeret, uti refert Pontius diaconus in ejus *Vita*.

S. Augustini. Audi et sequere exemplum magni Augustini, de quo ita scribit Possidonius in *Vita* ejus, cap. ult. : « Nec suos consanguineos vel in proposito, vel extra constitutos, in sua vita et morte vulgi more tractavit. Quibus dum adhuc superesset, id si opus fuit, quod et cæteris erogavit, non ut divitias haberent, sed ut aut non, aut minus egerent. »

S. Hilarii. S. Hilarius Episcopus Pictavensis unicam filiam Abram nomine, quam ante Episcopatum in conjugio susceperat, aspirantem ad conjugium adeo non promovit, ut ex adverso suavi exhortatione eam ad virginitatem Deo offerendam, vitamque religiosam capessendam inflexerit. Ita habet ejus *Vita*. Plura recensui *Num.* XXVII, in fine.

S. Gregorii. Præclare S. Gregorius, lib. VII *Moral.* cap. XIV, cum dixisset de nonnullis, qui mundum et mundana superant et calcant, de iis subdit : « Sed tamen adhuc vinculo carnalis cognationis obligati, dum amori propinquitatis indiscrete deserviunt, ad ea sæpe per affectum cognationum redeunt, quæ jam et cum proprio despectu subegerant : cumque plus quam necesse est carnis propinquos diligunt, retracti exterius a cordis parente dividuntur. Quo itaque isti nisi in rete ambulant, quos a præsenti sæculo inchoata jam vitæ perfectio solverat, sed inordinatus amor terrenæ cognationis ligat? Hinc enim veritas dicit, *Luc.* XXI : Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus. »

S. Hieronymi. Quocirca recte S. Hieronymus *ad Heliodorum* : « Aries, inquit », iste pietatis, erga parentes et cognatos, « quo fides quatitur, Evangelii retundendus est muro : Mater mea, et fratres mei hi sunt, qui faciunt voluntatem Patris mei qui in cœlis est. Si credunt Christo, faveant mihi pro ejus nomine pugnaturo : si non credunt, mortui sepeliant mortuos suos. »

Climachi Et Climachus, *grad.* 3 : « Melius est, inquit, contristare parentes, quam contristare Dominum Jesum : hic enim nos creavit et salvavit, illi sæpe suos amando perdiderunt. Amor Dei, ipsiusque sanctum desiderium exstinguit in anima carnalem parentum amorem : qui autem utrosque in uno corde claudi posse putat, is seipsum decipit. Ne te moveant tuorum lacrymæ, ne tu tibi ipsi æternas lacrymas parias. »

Quocirca Deus ipse, *Deuter.* XXXIII, 11, per Mosen Levitas veteris Testamenti collaudans, quod parentes et cognatos in devia et idola abeuntes occidissent, ideoque eis benedicens, ait : « Qui dixit patri suo, et matri suæ : Nescio vos; et fratribus suis : Ignoro vos, et nescierunt filios suos; hi custodierunt eloquium tuum, et pactum tuum servaverunt; judicia tua, o Jacob! et legem tuam, o Israel! Ponent thymiama in furore tuo, et holocaustum super altare tuum. Benedic, Domine, fortitudini ejus, et opera manuum illius suscipe. »

Multo magis Levitæ novi Testamenti, sibi dictum putent illud Christi : « Non veni pacem mittere, sed gladium; veni enim separare hominem adversus patrem suum, » etc., *Matth.* X, 34; gladio enim, id est vehementi ictu et conatu, opus est, ut quis affectum hunc erga parentes et cognatos, ita naturæ infixum, divellat et discindat. Rursum sibi dictum putent illud Dei ad Abraham : « Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et veni in terram quam monstravero tibi, » *Gen.* XII, 1. Et illud : « Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. » Hic enim inducitur (esto habuerit) in Scriptura, « quasi sine patre, sine matre, sine genealogia, » ut ait Apostolus, *Hebr.* VII, 3, ut indicet sacerdotes parentum oblivisci debere, ac si cœlestes et de cœlo lapsi essent. Sic enim hoc viscoso cognationis glutino expediti, omnes suas curas in communibus Ecclesiæ commodis, uti obligantur, curandis defigent.

Posteriori ævo eximium et omnibus sæculis celebrandum hac in re exemplum dederunt plures Romani Pontifices, ut alios innumeros inferioris classis et notæ prætream. Benedictus XII Pontifex anno Domini 1334, nullum e suis propinquis ad ullum Ecclesiæ munus promovit, dictitans, « Pontificem non habere propinquos, » eum enim quasi Melchisedech terra et hominibus esse celsiorem. Qua de causa tantæ omnibus fuit veneration, tamque charus, ut eo post annum septimum defuncto, funus ipsius uberrimis universorum lacrymis celebratum sit. Par ei fuit Benedictus XI, anno Domini 1303, qui matrem pauperem ad se accedentem gratulationis causa, ideoque cultiori habitu indutam, agnoscere noluit, dicens : « Hæc non est mater mea; nam mater mea inops est, nec sumptus habet ad tam pretiosas vestes comparandas. » Quibus illa verbis icta, et pudore suffusa abscessit; sed paulo post propriis et tenuibus vestibus induta rediit, ac tum Pontifex surgens e sede : « Hæc, ait, est mater mea, non illa prior, » inter quæ verba amanter eamdem amplexatus est. Suppar his fuit Nicolaus IV, anno Domini 1288, qui in cognatos ita affectus erat, ut iis nil se plus debere diceret quam cuivis bono. Ita Pla-

tina, Baronius, et alii in Vitis eorumdem. Ex adverso probro viris sanctis datum est, quod propinquis plus æquo essent addicti; imo iidem divinam sensere vindictam, seroque errorem suum agnoverunt et damnarunt.

Memorabile exstat exemplum in S. Udalrico Augustano Episcopo, qui anno Domini 971, episcopatum resignans in Adalberonem nepotem suum, licet sapientia et virtutibus conspicuum, moriturus ad Dei judicium raptus, per visum accepit se ea de causa pœnis purgatoriis mancipandum. Audi auctorem *Vitæ* ejus, cap. XXVI : « Quadam die quasi de gravi somno expergefactus, ei assidentibus ait : Heu, heu, quod meum nepotem Adalberonem unquam vidi : quia pro eo quod ei secundum suum desiderium consentiebam, nolunt (cœlites) me impunitum in suum recipere consortium. » Quocirca Udalricus post mortem purgatorium subiit, et nepos ejus Adalbero anno sequenti repentina morte exstinctus est. Hæc recensens Cardinalis Baronius, merito hoc epiphonema subjungit : « Potentissimum diaboli telum est amor affinium, quo etiam Sanctos appetit, quod, secundum Apostolum, nemo carnem suam odio habet, sed fovet et nutrit eam. » Sane crebro nepotes suis patruis Prælatis nimis iis indulgentibus, multarum molestiarum, litium, bellorum, et non raro infamiæ, melancholiæ, morborum ac mortis præsentis, utinam non et æternæ, sunt origo et causa : cujus rei exempla funesta hoc sæculo vidimus multa, eaque illustria. Expergiscimini, Ecclesiastici, evigilate, Prælati : heroum filii, imo nepotes, noxæ. « Filii hominum, ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? Quid prodest homini, si *nepotibus* universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? » inquit æterna Veritas, et Sapientia summa. Facite ergo in vita, quod in hora mortis, in die judicii (in quo frater non redimet, nec redimet nepos?) in horizonte, inquam, æternitatis optabitis fecisse. O Jesu dulcissime! da nobis hanc sapientiam, ordina in corde nostro charitatem, ut parentes et cognatos non nisi secundum te, per te, in te et propter te diligamus; ut dum eos diligimus, eos in te, et te in ipsis, uti lex tua sancta jubet, diligamus.

26. ET POSTQUAM FUERIT EMUNDATUS (ab hac immunditia legali) SEPTEM DIES NUMERABUNTUR EI, — antequam liceat ei ad ministerium sacerdotale accedere. Hæc nova est sanctio in novo templo : nam in Levitico nil tale præscribitur. Ita Vatablus.

Aliter R. Salomon et Maldonatus, *q. d.* « Postquam fuerit emundatus, » id est separatus a mortuo, « septem dies numerabuntur ei, » quibus expietur, nec liceat ei ad altare accedere.

27. IN DIE INTROITUS SUI (quo die primum introibit templum) OFFERET PRO PECCATO SUO — decimam partem ephi similæ, uti tradunt Hebræi, et lex ipsa præscribit, *Levit.* VI, 20.

28. NON ERIT AUTEM EIS HÆREDITAS. — Sic legendum est cum S. Hieronymo *in Comment.* et Romanis, scilicet cum negatione *non*. Male ergo quidam codices eam tollunt, et legunt affirmative. Constat enim sacerdotes non habuisse hæreditatem in Israel : ita enim præcipit lex, *Deut.* XVIII, 1; unde subdit :

EGO ENIM POSSESSIO EORUM, — *q. d.* Possidebunt sacerdotes meas, non hæreditates, sed victimas, oblationes et primitias mihi debitas, et a populo dandas.

Moraliter egregie S. Hieronymus Nepotianum clericum instruit dicens : « Igitur clericus, qui Christi servit Ecclesiæ, interpretetur primo vocabulum suum, et nominis definitione prolata, nitatur esse quod dicitur. Sic enim κλῆρος græce, *sors* latine appellatur : propterea vocantur *clerici*, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, id est pars, clericorum est. Qui autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, ut et ipse possideat Dominum et possideatur a Domino. Qui Dominum possidet, et cum Propheta dicit : Pars mea Dominus, nihil extra Dominum habere potest. Quod si quippiam aliud habuerit præter Dominum, pars ejus non erit Dominus : verbi gratia, si aurum, si argentum, si possessiones, si variam supellectilem, cum istis partibus Dominus pars ejus fieri non dignabitur. Si autem ego pars Domini sum, et funiculus hæreditatis ejus, nec accipio partem inter cæteras tribus; sed quasi Levita et sacerdos vivo de decimis, et altari serviens altaris oblatione sustentor : habens victum et vestitum, his contentus ero, et nudam crucem nudus sequar. Obsecro itaque te, et repetens iterum iterumque monebo; ne officium clericatus genus antiquæ militiæ putes, id est ne lucra sæculi in Christi quæras militia, ne plus habeas, quam quando clericus esse cœpisti, et dicatur tibi : Cleri eorum non proderunt eis. Nonnulli enim sunt ditiores monachi, quam fuerant sæculares, et clerici, qui possideant opes sub Christo paupere, quas sub locuplete et fallace diabolo non habuerant : ut suspiret eos Ecclesia divites, quos mundus tenuit ante mendicos. Mensulam tuam pauperes et peregrini, et cum illis Christus conviva noverit. Negotiatorem clericum, et ex inope divitem, ex ignobili gloriosum, quasi quamdam pestem fuge. Ignominia sacerdotis est, propriis studere divitiis. Natus in paupere domo, et in tugurio rusticano, qui vix milio et cibario pane rugientem saturare ventrem poteram, nunc similam et mella fastidio : novi et genera et nomina piscium, in quo littore concha lecta sit, calleo : saporibus avium discerno provincias : et ciborum me raritas, ac novissime damna ipsa delectant. »

Moraliter, clericus nec aliam sortem habeat quam Deum.

29. VICTIMAM ET PRO PECCATO. — Quærit S. Hieronymus cur Propheta hic repetat ea, quæ sancita sunt in Levitico, ac respondet : « Ut videlicet quæ in mentibus hominum sunt, vel legendi ne-

gligentia, vel audiendi contemptu et oblivione deleta; viva voce innoventur, quæ non sint scripta calamo et atramento, sed spiritu et verbo Dei, » scilicet mystice et spiritualiter.

ET OMNE VOTUM. — Hebraice כל חרם *col cherem*, id est ut Aquila, Symmachus et Theodotion, *omne anathema*. Vide de cherem et anathemate dicta *Levit.* XXVII, 28.

30. ET PRIMITIVA OMNIUM PRIMOGENITORUM. — Est pleonasmus : eadem enim sunt primitiva, quæ primogenita, *q. d.* Primitias omnes, sive animalium quæ pecora gignunt, sive fructuum, quos profert tellus, puta primitias vini, olei, frumenti obtinebunt sacerdotes.

ET PRIMITIVA CIBORUM VESTRORUM. — Hebraice, *pastarum vestrarum*, id est panum confectorum ex primitiis frugum vestrarum. Primitias enim panum offerebant sacerdoti in Pentecoste.

Allegorice, ex hoc loco, et ex *Levitico*, ac *Num.* XVIII, 11 et seq., docet S. Clemens primitias omnium rerum dandas esse sacerdotibus et Episcopis : « Episcopum, inquit, oportet ut patrem diligere, ut regem metuere, ut dominum honorare, offerendo in benedictionem vestram fructus vestros, et opera manuum vestrarum : tribuendo, inquam, ut sacerdoti Dei primitias vestras, et decimas vestras, primitias frumenti, vini, olei, pomorum, lanæ, et quidquid Dominus Deus vobis suppeditat : et erit oblatio tua accepta in odorem suavitatis Domino Deo tuo; et benedicet Dominus operibus manuum tuarum, et multiplicabit bona terræ tuæ; quia benedictio super caput impertientis. » Ita ipse lib. II *Constit. Apostol.* cap. XXXIV.

UT REPONAT BENEDICTIONEM. — Hebraice : *Ut requiescere faciat benedictionem, q. d.* Dabis primitias Deo, id est Dei sacerdoti, ut Deus benedicat domui tuæ dando tibi frugum, quarum primitias ei obtulisti, abundantiam, eamque jugem et stabilem : hoc enim significat vox *requiescere*.

31. OMNE MORTICINUM. — Hæc vetantur omnibus, etiam laicis, *Levit.* V, 2 et seq. Sed maxime sacerdotibus : hos enim decet cæteris esse puriores et sanctiores.

Mystice, Lyranus in fine libri : « Describitur, ait, sacerdotum genus, habitus, modus, victus et actus. » Circa *primum*, etc., dicitur quod sint filii Sadoc, qui interpretatur *justus* : et per hoc designatur, quod Ecclesiæ ministri debent esse per imitationem specialem filii Christi, qui dicitur antonomastice *Justus*, *Isai.* XLV : « Rorate, cœli, desuper, et nubes, » etc. Unde Joannes Apostolus de se, et sibi similibus dixit I *epist.* cap. III : « Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, et simus. » Quantum ad *secundum*, dicitur quod habeant vestes lineas, per quas in ministris Ecclesiæ designatur mentis et corporis puritas. Et subdit : quod femoralia linea operiant turpitudinem carnis suæ : per quod significatur, quod in ministris Ecclesiæ nihil turpitudinis aut dissolutionis in verbo, gestu, vel facto debeat apparere. Unde dicitur *Exodi* XIX : « Sacerdotes qui accedunt ad me, sanctificentur, ne percutiam eos. » Dicitur etiam supra de sacerdotibus, quod in aliis vestibus ministrent in templo, et in aliis habitent cum populo : quod impletum videtur in novæ legis sacerdotio. Quantum ad *tertium*, dicitur quod sacerdotes comam non nutriant, sed attondentes tondeant. Per quod significatur tonsura clericalis in ministris novæ legis. Quantum ad *quartum* vero, dicitur quod sacerdotes non comedant captum a bestia, nec per se mortuum. Per quod designatur, quod ministri Ecclesiæ non debent de rapina, vel alio illicito vivere. Item de sacerdotibus dicitur, quod vinum non bibant quando ingressuri sunt templum. Per quod intelligitur, quod in ministris Ecclesiæ esse debet sobrietas, et potissime quando debent celebrare. Tunc enim in eis requiritur non solum jejunium Ecclesiæ, sed etiam naturæ. Quantum ad *quintum*, dicitur quod celebrent divinum Officium, et quod doceant populum, quid sit mundum et immundum, et quod in dubiis determinent quid sit tenendum. Per quod designatur, quod in ministris Ecclesiæ debet esse devotio, ad debite celebrandum divina; et sacræ Scripturæ cognitio, ad docendum populum, quæ sunt licita, et quæ illicita, et ad determinandum quæ in dubiis sint tenenda. Ista tamen cognitio major requiritur, secundum quod aliquis in Ecclesiæ gradu majori constituitur. Propter quod de ignorantibus dicitur, *Ose.* IV : « Quia repulisti scientiam repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. »

CAPUT QUADRAGESIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Transit ab idea et fabrica templi ad urbis et terræ sanctæ divisionem et dimensionem. Sicut ergo Josue ingrediens terram promissam eam Hebræis divisit, ita jubet hic Deus iisdem post reditum e Babylone, eamdem rursum dividi ea ratione et mensura, quam hic præscribit. Itaque hoc capite secat Jerusalem in quatuor portiones, quarum primam deputat sacerdotibus et templo, vers. 3.; secundam Levitis, vers. 5.; tertiam civitati et civibus, vers. 6.; quartam principi, vers. 7. Porro terræ Israel dimensionem, et per duodecim tribus distributionem prosequitur sequentibus tribus capitibus, usque ad finem libri. Unde, vers. 9, sancit leges justitiæ, præsertim ut justa sint pondera, ac, vers. 13, leges religionis de primitiis et victimis, et nominatim, vers. 18 et sequent. de sacrificiis, primo mense, et in Paschate, et vers. 23, in festo Scenopegiæ offerendis.

1. Cumque cœperitis terram dividere sortito, separate primitias Domino, sanctificatum de terra, longitudine viginti quinque millia, et latitudine decem millia : sanctificatum erit in omni termino ejus per circuitum. 2. Et erit ex omni parte sanctificatum quingentos per quingentos, quadrifariam per circuitum : et quinquaginta cubitis in suburbana ejus per gyrum. 3. Et a mensura ista mensurabis longitudinem viginti quinque millium, et latitudinem decem millium, et in ipso erit templum, Sanctumque sanctorum. 4. Sanctificatum de terra erit sacerdotibus ministris sanctuarii, qui accedunt ad ministerium Domini : et erit eis locus in domos, et in sanctuarium sanctitatis. 5. Viginti quinque autem millia longitudinis, et decem millia latitudinis erunt Levitis, qui ministrant domui : ipsi possidebunt viginti gazophylacia. 6. Et possessionem civitatis dabitis quinque millia latitudinis, et longitudinis viginti quinque millia, secundum separationem sanctuarii, omni domui Israel. 7. Principi quoque hinc et inde in separationem sanctuarii, et in possessionem civitatis, contra faciem separationis sanctuarii, et contra faciem possessionis urbis : a latere maris usque ad mare, et a latere Orientis usque ad Orientem : Longitudinis autem juxta unamquamque partem a termino Occidentali usque ad terminum Orientalem. 8. De terra erit ei possessio in Israel : et non depopulabuntur ultra principes populum meum : sed terram dabunt domui Israel secundum tribus eorum. 9. Hæc dicit Dominus Deus : Sufficiat vobis, principes Israel : iniquitatem et rapinas intermittite, et judicium et justitiam facite, separate confinia vestra a populo meo, ait Dominus Deus. 10. Statera justa, et ephi justum, et batus justus erit vobis. 11. Ephi, et batus æqualia, et unius mensuræ erunt : ut capiat decimam partem cori batus, et decimam partem cori ephi : juxta mensuram cori erit æqua libratio eorum. 12. Siclus autem viginti obolos habet. Porro viginti sicli, et viginti quinque sicli, et quindecim sicli, mnam faciunt. 13. Et hæ sunt primitiæ, quas tolletis : sextam partem ephi de coro frumenti, et sextam partem ephi de coro hordei. 14. Mensura quoque olei, batus olei, decima pars cori est : et decem bati corum faciunt : quia decem bati implent corum. 15. Et arietem unum de grege ducentorum, de his quæ nutriunt Israel in sacrificium, et in holocaustum, et in pacifica, ad expiandum pro eis, ait Dominus Deus. 16. Omnis populus terræ tenebitur primitiis his principi in Israel. 17. Et super principem erunt holocausta, et sacrificium, et libamina in solemnitatibus, et in calendis, et in sabbatis, et in universis solemnitatibus domus Israel : ipse faciet pro peccato sacrificium, et holocaustum, et pacifica ad expiandum pro domo Israel. 18. Hæc dicit Dominus Deus : In primo mense, una mensis, sumes vitulum de armento immaculatum, et expiabis sanctuarium. 19. Et tollet sacerdos de sanguine quod erit pro peccato : et ponet in postibus domus, et in quatuor angulis crepidinis altaris, et in postibus portæ atrii interioris. 20. Et sic facies in septima mensis, pro unoquoque qui ignoravit, et errore deceptus est, et expiabis

pro domo. 21. In primo mense, quartadecima die mensis, erit vobis Paschæ solemnitas : septem diebus azyma comedentur. 22. Et faciet princeps in die illa pro se, et pro universo populo terræ, vitulum pro peccato. 23. Et in septem dierum solemnitate faciet holocaustum Domino septem vitulos, et septem arietes immaculatos quotidie septem diebus : et pro peccato hircum caprarum quotidie. 24. Et sacrificium ephi per vitulum, et ephi per arietem faciet, et olei hin per singula ephi. 25. Septimo mense, quintadecima die mensis, in solemnitate, faciet sicut supra dicta sunt per septem dies, tam pro peccato quam pro holocausto, et in sacrificio, et in oleo.

Notat Vilalpandus lib. I, cap. XIII, hanc urbis et terræ, æque ac templi, ideam et mensuram Ezechieli hic propositam, a Zorobabele et Judæis Babylone redeuntibus non fuisse opere plane completam, ob metum Cyri et Persarum, ne viderentur arcem exstruere, ac velle rebellare; tum impediente Sanaballat aliisque vicinis hostibus, ut patet *Nehem.* IV et seq., tum ob Judæorum paupertatem; tum denique ut ostenderet Deus hæc mystice in Ecclesia Christi perfecte fore complenda : se enim eam magis hic spectare et delineare, quam templum Judæorum.

Porro par hic est difficultas, par obscuritas cum illa, quam in idea templi huc usque vidimus. Unde S. Hieronymus, lib. XIV *in Ezech.*, hoc caput sic orditur : canit Poeta :

> Hic labor ille domus, et inextricabilis error.

Et alio in loco :

> Ut quondam fertur Creta labyrinthus in alta,
> Parietibus textum cæcis iter, ancipitemque
> Mille viis habuisse dolum, quo signa sequenti
> Falleret indeprensus et irremeabilis error :

S. Scriptura oceanus et labyrinthus. « Ita et ego istarum Scripturarum ingressus Oceanum et mysteriorum Dei, ut sic loquar, labyrinthum, de quo scriptum est : Posuit tenebras latibulum suum, et nubes in circuitu ejus; perfectam quidem scientiam veritatis mihi vindicare non audeo, sed nosse cupientibus aliqua doctrinæ indicia præbuisse, non meis viribus, sed Christi misericordia, qui errantibus nobis ipse dolos tecti ambagesque resolvit, cæca regens Spiritu Sancto vestigia, quem sequentes ad portum explanationum prophetæ Ezechielis pervenire poterimus. »

1. CUMQUE COEPERITIS TERRAM DIVIDERE SORTITO — inter Judæos Babylone redeuntes. Dicit « sortito, » non quod sorte divisa sit a Nehemia (uti Josue, cap. XIV, 2, per sortem eam divisit) : nam divisa est ex Dei arbitrio et præscripto, ut sequitur : sed sortem vocat hæreditatem (hanc enim significat hebræum נחלה *nachala*), quæ per sortes solebat dividi; unde hebraice ad verbum est : « Cum feceritis terram cadere in hæreditatem, » id est cum sortito dividetis terram. Ita Vatablus. Rursum, licet ex parte Dei dividentis pro arbitrio, non esset hic sors : erat tamen sors respectu Hebræorum, quibus cuique sua pars, quasi sorte et casu obveniebat, quantum erat ex parte ipsorum. Sic ait Apostolus nos sorte vocatos ad gratiam et salutem. Ex parte enim vocatorum est sors, non meritum, non debitum, licet ex parte Dei vocantis non sit sors, nec casus, sed destinatum consilium et decretum.

Finis hujus libri pendet ex intelligentia hujus capitis. Facta est enim terræ Israel distributio in duodecim partes, præter habitacula sacerdotum, Levitarum, urbis et principis.

SEPARATE PRIMITIAS DOMINO. — Hebraice הרימו *harimu*, id est levate, id est : *Offerte oblationem Domino*, id est separate portionem terræ quæ offeratur Domino, eique sit sacra. Solebant enim primitiæ frugum levari in altum, cum offerebantur Domino, ut patet *Levit.* XXIII, 11. Hinc *levare* per catachresin idem est, quod *offerre*.

SANCTIFICATUM, — ut sanctificetur et consecretur Domino pars illa terræ.

LONGITUDINE VIGINTI QUINQUE MILLIA, — non cubitorum, ut aliqui putant, sed calamorum : calamus enim mensorius in manu viri hæc metientis erat, cap. XL, 3, ac terra non cubitis, sed calamis sive cannis mensurari solet. Ita S. Hieronymus, Maldonatus, Vatablus et alii.

Mysteria numeri 25. Symbolice, numerus 25 hic et alibi sacer est. Est enim primitiarum Domini, et sacerdotum, Levitarum, urbis ac templi. Pari modo, idem sacratus fuit annuntiatione et conceptione B. Virginis, ac incarnatione Filii Dei, qui est primogenitus omnis creaturæ, idque in templo, scilicet sacro Virginis utero. Nam S. Athanasius vel potius Anastasius ad Antiochum principem, *Quæst.* XVII, docet Christum incarnatum in utero Virginis 25 martii, ac eodem die in mundi principio Deum creasse primum hominem. Hinc esse, quod in hoc ipso mense omnes arbores et herbæ, animalia quoque prolificent, tanquam a Deo hoc tempore creata sint.

Nazianzenus quoque, orat. 2 *in Pascha* : « Arcanus, ait, apud Hebræos est sermo, hoc tempus esse quo Deus universam condidit molem. Vernum porro hoc tempus est, quo succrescunt herbæ. » Unde hoc die, vel circiter, celebratur Pascha. Quare Romani hoc 25 die martii celebrabant Hilaria, id est festa lætitiæ et ludos publicos, ac dies hilares; quod eo tempore iterum sol, peragrato Zodiaci spatio per omnes signorum stationes, ad nos redeat. Plura vide apud Petrum

Bongum, libro *De Numer. mysteriis*, pag. 450.

Notant R. David et Vatablus hic longitudinem ab Oriente ad Occidentem, latitudinem a Meridie in Septentrionem spectari, uti spectant et describunt cosmographi. Nam alioqui Judææ longitudo a Meridie in Aquilonem, latitudo ab Oriente in Occidentem spectabatur : illa enim parte longius excurrebat, hac arctabatur.

SANCTIFICATUM ERIT IN OMNI TERMINO EJUS PER CIRCUITUM, — *q. d.* Hoc terræ spatium jam dimensum separate et dicate Deo, non ad solum templum (hoc enim tantum habebat 500 calamos ad quamlibet mundi plagam, uti patet ex cap. XLII, 16 et seq.), sed etiam ad habitationem et usum sacerdotum qui Dei sunt ministri.

Censet S. Hieronymus tantum hic designari locum sacerdotibus circa templum, dum in eo erant ministraturi : nam alias, cum non ministrabant, habitabant sparsi per totam Judæam. Similiter vers. 5, jubet Levitis ædificari viginti gazophylacia circa templum, dum scilicet in eo ministrabant. Nam aliis omnibus non suffecissent centum, nec mille. Sed hoc de loco sacerdotum in dubium revocari potest. Ingens enim eis hic assignatur, scilicet 25 millium calamorum, quæ faciunt quinquaginta milliaria, uti ostendam in fine cap. XLVII.

2. ET ERIT EX OMNI PARTE SANCTIFICATUM. — Clare vertit Vatablus : *Inde* (id est ex hac prima parte oblationis) *spatium quadratum quoquoversus quingentorum calamorum cedet sacratiori loco*, id est erit pro sanctuario. Ex toto sacerdotum loco decerpit et designat hic templum.

QUINGENTOS PER QUINGENTOS, — id est quingentos ad singula latera. Est hebraismus. « Quingentos, » non cubitos, sed calamos intellige, ut patet ex dictis cap. XLII, 16. Ita S. Hieronymus.

Suburbana, quæ? QUINQUAGINTA CUBITIS IN SUBURBANA EJUS. — « Suburbana, » hebraice מגרש *migras*, vocat locum neque arboribus consitum, neque domibus occupatum, sed relictum vacuum, ut vertit Vatablus, reverentiæ et sanctitatis, æque ac decoris causa, ut scilicet templum esset magis conspicuum. Ita S. Hieronymus.

Aliter Vilalpando pag. 23. Per « suburbana » enim accipit atrium Gentium, quod putat hic describi. Sed illud non recte vocatur « suburbana. »

3. ET A MENSURA ISTA. — *A*, id est *in*. Sic enim hebraice *min* sæpe ponitur pro *bet*. Porro *in mensura ista*, id est in calamo, *q. d.* Metieris locum hunc Deo consecratum, puta longitudinem 25 millium, et latitudinem decem millium calamorum eadem mensura, qua mensus es templum, cap. XLII, 16, scilicet calamo, atque in hoc spatio designabis locum pro templo. Male ergo putant nonnulli hic describi stationem Levitarum.

4. SANCTIFICATUM DE TERRA, — *q. d.* Hic locus e terra Juda erit separatus et sanctificatus, ita ut in eo construatur templum, et circa illud post interjectum spatium 50 cubitorum, ut dixi vers. 2, construantur domus sacerdotum.

Nota moraliter hunc locum pro residentia Pastorum et Sacerdotum, utpote quos Deus hic in circuitu templi residere et habitare voluit. Vide H. Pintum hic.

5. VIGINTI QUINQUE AUTEM MILLIA, — alia scilicet præter illa, quæ jam sacerdotibus assignata sunt. Jubet enim hic Levitis tantumdem spatii admetiri, quantum admensus est sacerdotibus : « Eadem, ait S. Hieronymus, assignantur hic spatia in longitudine et latitudine pro multitudine Levitarum, quæ habet paucitas sacerdotum. » Describitur hic ergo portio et sedes Levitarum juxta templum; utpote in quo et ipsi Domino ministrabant, et sacerdotibus subserviebant, ut nostris presbyteris diaconi. Aliter hæc distinguit S. Hieronymus; censet enim hæc ad præcedentia, et ad sacerdotes pertinere. Levitis vero assignat sequentem dimensionem civitatis, scilicet 25 millia longitudinis, et quinque millia latitudinis, ita ut sors eorum minor fuerit sorte sacerdotum quinque millibus in latitudine.

IPSI POSSIDEBUNT VIGINTI GAZOPHYLACIA, — scilicet in templo, id est in atrio sacerdotum. Necesse enim erat ut dum per vices suas ministrabant, ibi æque ut sacerdotes, sua haberent habitacula. Ita R. Salomon et Maldonatus.

Alii censent hic præcipi, ut in eorum sorte viginti construantur cubicula. Sed quid hæc inter tot et tantos? Multa enim eorum millia multo plures mansiones et ædes poscebant : unde et sors eorum æquatur hic sorti sacerdotum. Nam loci spatium spatio sacerdotum par et æquale eis hic assignatur, scilicet quod habeat in longitudine 25 millia calamorum, et 10 millia in latitudine.

6. ET POSSESSIONEM CIVITATIS. — Tertiam hic sortem et partem, scilicet civitatis et civium Jerusalem, dimetitur, eamque in longitudine parem sorti sacerdotum et Levitarum; sed in latitudine inferiorem et imparem, scilicet calamorum quinque millium, cum illorum esset decem millium, assignat. Discant hic principes quam ampla Deus suis sacerdotibus et ministris habitacula concesserit, ut ipsius civitatis spatium superent : quanquam non vetet, sed permittat ut, cum numerus civium, qui jam Babylone redeuntium exiguus erat, creverit, ipsi spatia hæc dilatent. Ita olim in Thebaide et Ægypto urbes integræ plura millia monachorum, quam civium laicorum continebant. Ita etiamnum Romæ potiorem partem Ecclesiarum et Ecclesiasticorum videmus. Rursum in condenda civitate, puta Jerusalem, Deus incipit a templo et loco sacerdotum, eumque ante omnia designat. Idem imitentur principes.

SECUNDUM SEPARATIONEM SANCTUARII. — Hebraice : *E regione oblationis sanctitatis*, id est portionis sacerdotum et Levitarum, *q. d.* E regione sortis, sive post sortem sacerdotum et Levitarum construes civitatem. Describit hic Deus ideam fidelis

et perfectæ civitatis, sicut reipublicæ ideam perfectam descripsit Plato in lib. *De Repub.* et nostro ævo B. Thomas Morus in sua *Utopia*, æque ac Xenophon in *Cyro*, non tam Cyrum, quam ideam boni principis describit. Esto Judæi eam reipsa non expresserint, nec adæquare potuerint ob paupertatem, vicinos hostes, metum Cyri, aliasque causas, quas initio capitis recensui. Verum hæc omnia potius allegorice ad fabricam Ecclesiæ, tum militantis, tum triumphantis pertinent, quam describit S. Joannes *Apocal.* XXI, ubi prorsus alludit ad hanc fabricam Ezechielis, ut patet conferenti utriusque verba et phrases. Quocirca non tantum S. Hieronymus, sed et Hebræi per principem, de quo sequitur, Messiam intelligunt: unde et de hoc principe operose agitur cap. sequenti. Rursum, urbs hæc augustior est, quam fuerit Jerusalem a Nehemia reædificata : unde et habuit templum non intra, sed extra se, uti et habitacula sacerdotum. Quare urbem hanc ad literam significare sæcularem principatum et statum in Ecclesia, æque ac templum Ecclesiasticum, censent S. Hieronymus, Gregorius, Hugo, Carthusianus, Maldonatus, Lyranus, Fernandius *visione* XIX, sect. I. Porro, sicut templum dignius est urbe, ita episcopatus præstat principatui sæculari, eumque dirigere, non vero ab eo regi debet. Sacra enim profanis præstant, eorumque sunt finis et scopus : ac Deo magis obediendum est quam regi.

Urbs potestatem civilem, templum Ecclesiasticam significat.

Ita S. Mauritius Maximiano Imperatori se suosque Thebæos Martyres cogenti ad sacrificium idolis immolandum : « Milites, inquit, tui sumus, o Imperator, sed tamen servi Christi : tibi disciplinam et operam debemus militarem, Deo autem debemus obedientiam et innocentiam. » Hinc et S. Gregorius Nazianzenus, *orat.* 17 ad principes suæ diœcesis : « Vos quoque, ait, lex Christi imperio meo ac throno subjicit. Imperium enim nos quoque gerimus, addo etiam præstantius et perfectius; nisi vero æquum est spiritum carni fasces submittere, et cœlestia terrenis cedere. » Si ergo princeps velit regere Episcopos, perinde facit, ac si caro spiritum, terra cœlum regeret.

OMNI DOMUI ISRAEL. — « Domui, » id est tribui : nam ex omni tribu habitaturi erant in Jerusalem.

7. PRINCIPI QUOQUE, — scilicet dabitis suum locum et spatium uti cæteris, sed particulare, et principe dignum. Quarta hic sors principi designatur.

HINC ET INDE, — ex utroque latere, scilicet, ab Oriente et Occidente; vel ad Meridiem, et ad Aquilonem.

IN SEPARATIONEM SANCTUARII. — « In » id est usque : « separationem » vocat sortem separatam, *q. d.* Post sortem, quam jussi separari *primo* sacerdotibus, *deinde* Levitis, *tertio* civitati et civibus; *quarto* loco separabis et designabis locum principi, ut ipse quasi ultimus, omnes cingat instar valli, quasi reipublicæ tutor et defensor, uti patebit cap. XLVIII, 21. Ex hoc vers. 7, colligit Fernandius, *vis.* XIX, sect. IV, potestatem regiam fluere a Deo, non immediate, sed mediante republica, quæ quasi intermedia est inter Deum et regem. Deus enim instinctu naturæ cuique populo jus dedit creandi sibi regem.

Alii explicant, *q. d.* Inter sortem sanctam templi, sacerdotum et Levitarum, atque inter sortem laicam civitatis et civium, medio loco constitue principem, ut melius utrosque, scilicet tam clericos quam laicos tueri possit; et quia decens videtur, ut primus locus sacerdotibus detur, secundus Levitis, tertius principi, quartus populo. Ita Maldonatus.

Hoc de sorte duodecim tribuum verum est, non de urbe, ut cap. XLVIII, patebit.

Rex sit in medio regni, quasi centrum in circulo.

Ita videmus in regnis bene ordinatis, reges in medio regni residere, esseque quasi centrum in circulo, ut et undequaque facile et æqualiter a subditis adiri, et ipsi eos adire possint, utque uno quasi intuitu omnes regni sui fines circumspiciant, singulisque provideant, utque omnes regiones in medio sibi quasi uniant et connectant. Regnum enim quo magis sibi regique suo unitum est, eo validius est et firmius. Repræsentavit hoc Calanus philosophus Alexandro Magno in corio sicco : illi; enim in limitibus dum insisteret, subsiliebat dum vero in medio illud calcabat, totum quiescebat. Ita Plutarchus *in Alexandro.*

Aliter Hebræi et Vatablus, *q. d.* In portione principis erit portio sacerdotum et Levitarum, item templum cum urbe. Sed hoc parum est probabile; sic enim sors principis omnes aliorum sortes complexa fuisset, cum hic ei æque ut aliis, peculiarem et propriam Deus assignet.

CONTRA FACIEM SEPARATIONIS SANCTUARII, — e regione sortis sacræ, et sortis sive possessionis civitatis. Explicat quod paulo ante dixerat : « In separationem sanctuarii, et in separationem civitatis. » Hæc patebunt cap. XLVIII, in figura divisionis sortium omnium, quam initio capitis exhibebo.

A LATERE MARIS USQUE AD MARE, — id est, ut Vatablus, a plaga Occidentali in Occidentem (Hebræis enim « mare » est Occidentale, hinc per « mare » significant Occidentem), et a plaga Orientali in Orientem. Explicat quod dixit superius : « Hinc et inde, » *q. d.* Metieris terminos principis utrinque tam versus Occidentem, quam Orientem.

LONGITUDINIS AUTEM JUXTA UNAMQUAMQUE PARTEM. — Hebraice : *Et longitudo* (ejus erit) *e regione unius ex partibus*, id est longitudo sumetur ab Occidente in Orientem e regione unius ex partibus, scilicet pars principis meridionalis erit e regione partis meridionalis civium, et pars septentrionalis principis e regione partis septentrionalis civium a termino Occidentali (ipsius partis principis, æque ac civium) usque ad Orientem, ait Maldonatus.

Quanta fuerit hæc sors principis, Scriptura non exprimit, et variant Interpretes. Maldonatus et alii

censent tantam fuisse, quanta erat sors sacerdotum et Levitarum : Hebræi vero, quibus favet S. Hieronymus, censent tertiam laicorum sortem fuisse partitam in tredecim partes æquales; ex quibus una principi, cæteræ duodecim in totidem tribus Israel fuerint distributæ.

Nota : Aliqui per principem accipiunt pontificem; ei enim dari jubet primitias, vers. 16 et 17 et sequent. Jubet hunc principem facere, id est sacrificare victimas : erat ergo sacerdos, non laicus. Ratio est, quia post captivitatem Judæi caruerunt rege et principe sæculari, ac Pontifices præfuerunt populo tam in politicis, quam in sacris, uti patet de Machabæis : unde et mox jubet hunc principem, id est Pontificem, populum non gravare tributis, ac curare ut justa sint pondera. Respicit enim præcipue Messiam, sive Christum, qui fuit princeps tam sæcularis, quam sacer, uti docent Hebræi et S. Hieronymus. Verum cap. XLVI, 2. patebit principem hic sæcularem intelligi, non pontificem.

8. DE TERRA ERIT EI POSSESSIO, — *q. d.* Princeps vivet ex parte terræ, quam seorsim ei assignari jubeo, ne invadat agros populi, aut eum tributis oneret et opprimat.

SED TERRAM DABUNT. — *q. d.* Terram reliquam populi distribuent.

Vers. 9. 9. SUFFICIAT VOBIS, — o principes! quod hucusque populum gravaveritis et expilaveritis, videte ne deinceps eos expiletis aut gravetis. Quocirca :

SEPARATE CONFINIA VESTRA, — ut vestris limitibus contenti, alienos populi vestri non invadatis. Hebræus et Vatablus vertunt : *Removete angarias vestras*, id est tributa et exactiones vestras. Hebræum *migras* proprie significat confinia, et loca suburbana.

Vers. 10. 10. STATERA JUSTA. — Principis enim est definire ponderum et mensurarum quantitatem, ac curare ut ea ab hominibus æqua servetur. Hoc enim exigit justitia publica in emendo et vendendo, quæ si violetur, tota respublica turbatur et confunditur. Hinc Salomon ait *Prov.* XX, 10 : « Pondus et pondus, mensura et mensura, utrumque abominabile est apud Deum, » *q. d.* Qui diversa et inæqualia habet pondera et mensuras, v. g. majorem adhibet dum emit, minorem dum vendit; hunc abominatur Deus justus, et justitiæ vindex. Josephus narrat urbem primam quam condidit Cain, et ex nomine filii sui vocavit Enochiam, eo maxime ab eodem corruptam fuisse, quod injusta pondera et mensuras adinvenerit. Quam enim necessaria sit hæc ponderum et mensurarum justitia docet Deus, qui eamdem tam verbo hic, ac *Levit.* XIX, 35, et *Amos* VIII, 5, quam exemplo sanxit. Ipse enim, ut ait Sapiens, cap. XI, 21, hanc universi rempublicam condens, omnia in mensura, et numero, et pondere disposuit. Eamdem in republica in primis necessariam esse docet Aristoteles, lib. IX *Metaphys.*

11. EPHI ET BATUS ÆQUALIA. — Pares mensuræ erant *ephi* et *batus*; sed ephi erat aridorum, batus liquidorum, scilicet erant hæ mensuræ decima pars cori. Corus enim continebat tria sea, sive sata, hoc est 30 modios; ephi et batus, tres modios. Septuaginta pro bato vertunt *chœnicem*, pro coro vertunt *gomor*, sed corrupte legitur *gomor* pro *homer*, uti est in Hebræo. *Gomor* enim exigua erat mensura victus diurni, uti dixi *Exod.* XVI, 16; *homer* vero, sive corus ingens et vastus, continens 30 modios. Vers. 11.

JUXTA MENSURAM CORI ERIT ÆQUA LIBRATIO, — id est æqua ad pondus divisio et ad corum accommodatio, *q. d.* Utrumque ad rationem cori exigetur, scilicet ut ephi et batus sint decima pars cori. Ita Vatablus.

12. SICLUS VIGINTI OBOLOS HABET. — Siclus, sive stater, erat tetradragmus, æqualis in pondere et pretio quatuor juliis Italicis, et quatuor regalibus Hispanicis, sive uni floreno Belgico, hic enim continet 20 obolos, id est stuferos. Vide dicta *Exod.* XXX, 13. Vers. 12.

PORRO VIGINTI SICLI, etc., — *q. d.* Mna, sive mina continet 60 siclos. Nota : Minam hic distribuit in tres partes, quia erant tres species numismatum separatæ, quas omnes complectebatur mina, scilicet erat numisma, *primo*, 15 siclorum, sive quarta minæ pars; *secundo*, 20 siclorum, id est tertia minæ pars; *tertio*, 25 siclorum, id est tertia cum duodecima minæ pars. Ita R. David, Vatablus, Maldonatus et Vilalpando, tom. II, pag. 527, ubi docet singulas hasce species mnas quoque sive minas vocari, ideoque quadruplicem fuisse minam, scilicet *primam*, 15; *secundam*, 20; *tertiam*, 25; *quartam*, 60 siclorum, illudque hic innuit Ezechiel. Unde et Salomon, III *Reg.* X, 17, dicitur suis stipatoribus peltas fecisse, quarum singulæ vestiebantur 300 minis auri; ubi mina non 60 siclorum (sic enim peltæ hæ fuissent gravissimæ, et a viris fortissimis importabiles), sed 20, accipienda est. Sic enim in ducentas hasce peltas insumpta fuisse 666 talenta, de quibus III *Reg.* X, 16, recte calculando ostendit Vilalpandus. Notant Hebræi et Maldonatus de profana mina hic agi, nam sacram fuisse duplo majorem, ac continuisse centum 20 siclos. Verum hoc alii negant, censentque unam eamdemque fuisse minam sacram et profanam, sive templi et fori, vulgi et sacerdotum, uti dixi *Exod.* XXX. Mna sive mina quæ, et quotuplex?

Porro dicitur *mina*, vel *mna* quasi מנה *mana*, id est portio, vel pars numerata et detracta, a radice מנה *mana*, id est numeravit. Unde *Mane*, *Tekel*, *Phares*, *Daniel.* V, 25.

13. HÆ SUNT PRIMITIÆ, QUAS TOLLETIS. — Hebraice אשר תרימו *ascer tarimu*, id est quas offeretis elevando illas coram Domino. Hoc enim ritu offerendæ erant primitiæ, juxta legem *Levit.* XXIII, 11, ut ita protestarentur se fruges hasce a Deo accepisse, ideoque ei primitias earum offerre. Quæres : De quibus primitiis hic agatur? R. David censet Vers. 13.

hic taxari eas, quæ in communi templi dedicatione offerendæ erant. Maldonatus putat hic taxari sacrificia principum : sed sacrificia non sunt primitiæ, et illa taxantur cap. seq. Melius ergo S. Hieronymus cum Hebræis proprie primitias frugum, v. g. tritici, hordei, etc., Deo et sacerdotibus offerendas hic taxari autumant, ne aut sacerdotum avaritia plus exigeret, aut laicorum minus daret, quam par erat. Jubet ergo ut sexagesima pars frugum pro primitiis Deo detur : jubet enim dari sextam partem ephi, quæ est sexagesima pars cori.

Notant Hebræi hic taxari primitias juxta imam taxam. Tradunt enim ipsi, pro primitiis nec minus quam sexagesimam, nec plus quam quadragesimam partem dari licuisse. Unde S. Hieronymus : « Inter quadragesimam, ait, et sexagesimam licebat offerri quodcumque voluissent. »

Vers. 14. 14. MENSURA QUOQUE OLEI. — Jubet hic in sexagesimam partem farinæ, quæ pro primitiis offertur, misceri centesimam partem olei. Nam decima pars bati, sive ephi, est centesima pars cori. Corus enim continebat decem batos, sive ephi.

Vers. 15. 15. ET ARIETEM UNUM. — Hebraice ושה אחד *vesce echad*, id est pecudem unam, non agnam aut feminam, ut volunt Hebræi, sed masculum. Unde Noster docte vertit, « arietem. » Mascula enim Deo in sacrificio offerenda erant.

DE GREGE DUCENTORUM, — *q. d.* Qui ducentas habuerint oves, unam, puta ducentesimam, dabit Deo in sacrificium.

Vers. 16. 16. OMNIS POPULUS TERRÆ TENEBITUR PRIMITIIS HIS PRINCIPI, — scilicet sacerdotum, hoc est Pontifici. Minus recte alii regem intelligunt (1) : nam Pontifici, non regi, ex jure divino dandæ sunt primitiæ. Aliter ergo hic sumitur princeps, quam cap. seq. et cap. XLIV, 3. Sensus est, *q. d.* Populus dabit Pontifici hasce primitias, ut iis ipse sustineat onus offerendi holocausta et victimas in sabbatis, Calendis, aliisque festis pro toto populo. Ita S. Hieronymus, Vatablus et passim Hebræi. Hoc est enim quod subdit :

17. ET SUPER PRINCIPEM ERUNT HOLOCAUSTA, etc. — *q. d.* Principi, et principis quasi humeris incumbet onus holocaustorum, etc.

18. PRIMO MENSE. — Nisan, qui partim martio, partim aprili nostro respondet, estque primus ab æquinoctio verno, ideoque Paschalis, *Exod.* cap. XII, vers. 2.

UNA (id est prima die) MENSIS. — Sic sæpe alibi per enallagen cardinalis numerus ponitur pro ordinali, unus pro primo.

19. ET TOLLET SACERDOS DE SANGUINE (sacrificii, vel piaculi) QUOD ERIT PRO PECCATO, ET PONET IN POSTIBUS DOMUS, — scilicet templi. Ita Hebræi.

ET IN QUATUOR ANGULIS CREPIDINIS (non atrii, ut volunt Rabbini, sed) ALTARIS. — Hoc enim duplicem habebat crepidinem, eaque hebraice vocatur עזרה *azara*, cap. XLIII, 14, æque ac hic.

ET IN POSTIBUS PORTÆ ATRII INTERIORIS. — Atrium interius erat atrium sacerdotum, ut dixi, cap. XLII, 3. Minus recte R. David per atrium exterius accipit atrium feminarum, per interius virorum.

22. ET FACIET (id est sacrificabit) PRINCEPS, — non per se, sed sacerdotes, ut explicatur cap. seq. vers. 2. Vers. 22.

23. QUOTIDIE SEPTEM DIEBUS, — id est quotidie septem vitulos, et septem arietes, idque per septem dies. Ita Hebræus, Vatablus et Maldonatus. Hæ victimæ videntur hic præscribi soli principi. Nam festi et populi aliæ et plures erant victimæ, quæ præscribuntur *Num.* XXIX, 13 et seq. Vers. 23.

24. SACRIFICIUM EPHI PER VITULUM. — Pro *sacrificium* hebraice est מנחה *mincha*, id est sacrificium farreum, sive similæ, *q. d.* Offeret ephi similæ cum singulis vitulis, et cum singulis ephi miscebit unum hin olei. De hin, ephi, aliisque mensuris Hebræorum vide dicta in calce Pentateuchi.

25. IN SOLEMNITATE, — scilicet festi Tabernaculorum : hoc enim die 15 mensis septimi celebrabatur, *Levit.* XXIII, 39.

TAM PRO PECCATO, — *q. d.* Dixi de victimis, simila, et oleo offerendis in festo Paschæ, eadem intelligenda, et eodem prorsus modo ac mensura servanda sunt in festo Tabernaculorum. Ita Vatablus, Maldonatus et alii. Ex hisce victimis, libaminibus, cæterisque omnibus patet hæc ad litteram spectare templum et rempublicam Judaicam.

(1) Observat tamen Meyerus in *Dissert.*, pag. 56, hanc primam oblationem principi dandam, non esse eam, quam lege tenebantur dare sacerdotibus. Nam oblatio lege Mosaica mandata, non erat de grege, sed de area et reditu torcularis, vid. *Num.* XV, 19, 20; XVIII, 12 et seqq. et supra XLIV, 30. Hæc autem erat principi donanda, partim, ut ex maxima ejus parte pro dignitate sustentaretur; partim, ut inde daret, quod ad sacrificium pro peccato, ad munus, seu sacrificium farreum, holocaustum, et eucharistica, non particularia, sed generalia, totius cœtus, requirebatur, ideo vers. seq. additur : « ad expiandum pro domo Israel. »

CAPUT QUADRAGESIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Præscribit sacrificia principi, et vers. 16, legem fert de donis et legatis principis, denique, vers. 19, præscribit locum et culinas victimarum.

1. Hæc dicit Dominus Deus : Porta atrii interioris, quæ respicit ad Orientem, erit clausa sex diebus, in quibus opus fit : die autem sabbati aperietur sed et in die Calendarum aperietur. 2. Et intrabit princeps per viam vestibuli portæ deforis, et stabit in limine portæ : et facient sacerdotes holocaustum ejus, et pacifica ejus : et adorabit super limen portæ, et egredietur : porta autem non claudetur usque ad vesperam. 3. Et adorabit populus terræ ad ostium portæ illius in sabbatis, et in Calendis, coram Domino. 4. Holocaustum autem hoc offeret princeps Domino ; in die sabbati sex agnos immaculatos, et arietem immaculatum. 5. Et sacrificium ephi per arietem : in agnis autem sacrificium quod dederit manus ejus : et olei hin per singula ephi. 6. In die autem Calendarum vitulum de armento immaculatum : et sex agni et arietes immaculati erunt. 7. Et ephi per vitulum, ephi quoque per arietem faciet sacrificium : de agnis autem, sicut invenerit manus ejus : et olei hin per singula ephi. 8. Cumque ingressurus est princeps, per viam vestibuli portæ ingrediatur, et per eamdem viam exeat. 9. Et cum intrabit populus terræ in conspectu Domini in solemnitatibus : qui ingreditur per portam Aquilonis, ut adoret, egrediatur per viam portæ Meridianæ : porro qui ingreditur per viam portæ Meridianæ, egrediatur per viam portæ Aquilonis : non revertetur per viam portæ, per quam ingressus est, sed e regione illius egredietur. 10. Princeps autem in medio eorum cum ingredientibus ingredietur, et cum egredientibus egredietur. 11. Et in nundinis, et in solemnitatibus erit sacrificium ephi per vitulum, et ephi per arietem : agnis autem erit sacrificium sicut invenerit manus ejus : et olei hin per singula ephi. 12. Cum autem fecerit princeps spontaneum holocaustum, aut pacifica voluntaria Domino : aperietur ei porta, quæ respicit ad Orientem, et faciet holocaustum suum, et pacifica sua, sicut fieri solet in die sabbati : et egredietur, claudeturque porta postquam exierit. 13. Et agnum ejusdem anni immaculatum faciet holocaustum quotidie Domino : semper mane faciet illud. 14. Et faciet sacrificium super eo cata mane mane sextam partem ephi, et de oleo tertiam partem hin, ut misceatur similæ : sacrificium Domino legitimum, juge atque perpetuum. 15. Faciet agnum, et sacrificium, et oleum cata mane mane : holocaustum sempiternum. 16. Hæc dicit Dominus Deus : Si dederit princeps donum alicui de filiis suis : hæreditas ejus, filiorum suorum erit, possidebunt eam hæreditarie. 17. Si autem dederit legatum de hæreditate sua uni servorum suorum, erit illius usque ad annum remissionis, et revertetur ad principem : hæreditas autem ejus, filiis ejus erit. 13. Et non accipiet princeps de hereditate populi per violentiam, et de possessione eorum : sed de possessione sua hæreditatem dabit filiis suis : ut non dispergatur populus meus unusquisque a possessione sua. 19. Et introduxit me per ingressum, qui erat ex latere portæ, in gazophylacia sanctuarii ad sacerdotes, quæ respiciebant ad Aquilonem : et erat ibi locus vergens ad Occidentem. 20. Et dixit ad me : Iste est locus ubi coquent sacerdotes pro peccato, et pro delicto : ubi coquent sacrificium, ut non efferant in atrium exterius, et sanctificetur populus. 21. Et eduxit me in atrium exterius, et circumduxit me per quatuor angulos atrii, et ecce atriolum erat in angulo atrii, atriola singula per angulos atrii. 22. In quatuor angulis atrii atriola disposita, quadraginta cubitorum per longum, et triginta par latum : mensuræ unius quatuor erant. 23. Et paries

per circuitum ambiens quatuor atriola : et culinæ fabricatæ erant subter porticus per gyrum. 24. Et dixit ad me : Hæc est domus culinarum, in qua coquent ministri domus Domini victimas populi.

Vers. 1. 1. PORTA ATRII INTERIORIS, — id est atrii sacerdotum. Hæc est porta clausa, de qua dixit cap. XLIV, vers. 2 et 3. Hanc jubet hic aperiri principi in Sabbatis et Calendis.

Mystice S. Hieronymus : « Sex diebus, ait, quibus operamur in mundo, porta Orientalis atrii interioris clausa nobis est. Postquam autem venerimus ad diem septimum, id est ad diem sabbati, in quo æterna requies est : sive ad diem Calendarum, quando post cæcam noctem, et horribiles tenebras lucis exordium est, aperitur nobis porta Orientalis : si quis nostrum per merita virtutum ducis nomen et dignitatem fuerit consecutus, per viam vestibuli portæ deforis, hoc est mundi hujus labores et portam Ecclesiæ, quæ adhuc in terrenis finibus posita est, ingredietur, non interius atrium (hoc enim in præsenti loco scribitur), sed ad limen portæ interioris, et stabit in ea. »

2. INTRABIT PRINCEPS PER VIAM VESTIBULI PORTÆ DEFORIS (id est exterioris, ut vertunt Chaldæus et Tigurina quæ scilicet erat in atrio laicorum): ET STABIT IN LIMINE PORTÆ, — interioris, inquit S. Hieronymus, quæ scilicet erat in atrio sacerdotum, *q. d.* Princeps intrabit per portam atrii laicorum, pergetque usque ad portam atrii sacerdotum, ut inde spectet sacrificia, quæ per sacerdotes offert in ipsorum atrio. Sicut enim nemo laicus, sic nec princeps poterat ingredi atrium sacerdotum, sed soli sacerdotes : princeps tamen proxime ad illud accedebat, adeoque consistebat in porta atrii sacerdotum, ibique sedem regalem habebat, in qua sederet si vellet, aut juxta eam staret, si mallet : τὸ enim *stabit* præsentiam et consistentiam significat, non situs qualitatem : *stabit* ergo, id est eo loco consistet et deget, sive stando, sive sedendo, sive genuflectendo. Sedem hanc regis juxta atrium sacerdotum graphice repræsentat Adrichomius in effigie Hierosolymæ et templi, num. 93. Simili modo olim reges christiani prohibebantur ingredi chorum sacerdotum, et cogebantur ante chorum in templo cum populo consistere, uti Theodosium consistere coegit S. Ambrosius. Idem etiamnum servant Græci, qui chorum in quo Missas celebrant, undique clausum, nec ulli, nisi sacerdoti ejusque ministris, pervium habent. Discant hic principes ex sanctione Dei, quantam modestiam exhibere in templo, quamque sacerdotes, quasi Dei ministros, venerari debeant.

PORTA AUTEM NON CLAUDETUR USQUE AD VESPERAM. — Causam dat S. Hieronymus : « Ut post principem, inquit, omnis populus terræ adoret contra ostium portæ illius; adoret autem in Sabbatis et in Calendis, quando aperitur porta. »

ET FACIENT, — id est offerent, sacrificabunt.

3. ET ADORABIT POPULUS TERRÆ AD OSTIUM PORTÆ, — scilicet foris post principem : princeps enim in ipso limine portæ consistebat et adorabat. Vers. 3.

5. ET SACRIFICIUM. — Hebraice, *mincha*, id est sacrificium, sive libamen similæ erit mensura *ephi*. Vers. 5.

IN AGNIS AUTEM SACRIFICIUM QUOD DEDERIT MANUS EJUS, — *q. d.* Libamen et mensuram similæ ad agnos, quos immolabit princeps, non præscribo : det ipse tantum, quantum volet; ita tamen ut *olei hin per singula ephi* similæ, quæ dare voluerit, addat et misceat. In omnibus enim victimis animalium addenda erant simila, oleum, sal et thus, quasi libamina et condimenta sacrificii, uti dixi sæpius in Levitico.

6. VITULUM DE ARMENTO. — Hebraice בֶּן בָּקָר *ben bacar*, id est filium bovis, sive vaccæ, id est vitulum juvenem et tenerum, qui adhuc matrem, puta vaccam, sequitur. Vers. 6.

7. EPHI QUOQUE (similæ) PER ARIETEM FACIET SACRIFICIUM. — Hebraice, *mincha, q. d.* Ad quemlibet arietem offeret ephi similæ pro mincha, id est sacrificio, sive libamine farreo. Passim enim hic, uti et *Levitic.* II, sacrificium; hebræum *mincha*, vocatur similæ oblatio et libatio. Vers. 7.

SICUT INVENERIT MANUS EJUS, — sicut dare potuerit et voluerit. Vide dicta vers. 5.

8. CUMQUE INGRESSURUS EST PRINCEPS, PER VIAM VESTIBULI PORTÆ — Orientalis, ut dixit vers. 2. Duo hic sanciuntur, duplexque statuitur discrimen inter principem et populum. *Primum*, ut princeps solus per portam Orientalem ingrediatur, eaque alias clausa, illi ingredienti aperiatur, et eo egresso claudatur ad vesperam : populus vero per portam Meridionalem et Aquilonarem ingrediatur et egrediatur, ut dicitur versu seq. *Secundum*, ut princeps per eamdem portam ingrediatur : populus vero per unam ingressus, per alteram et adversam egrediatur, uti statuitur vers. 10. Ita S. Hieronymus, Vilalpando, Maldonatus et alii.

Hinc recte infert Vilalpando, pag. 396, in fine, id multo potiori jure sacerdotibus in altari et templo ministraturis licuisse, quod principi licebat. Nam a sacerdotibus sanctitas, sapientia, divini cultus observantia, atque religio major exigebatur, quam a sæculari principe, cui maximi privilegii loco dabatur, ut usque ad limen (vel postem) interius adoraturus ingrederetur, ulterius progredi omnino prohibebatur : cujus quidem contemptæ legis severissimas pœnas luit Ozias rex, percussus lepra a Deo, II *Paral.* XXVI, vers. 16 et 19.

Moralis causa erat, ut significaretur principem, æque ac sacerdotes, aliam decere viam, id est vi-

tam et mores, quam populum, puta peculiares et sanctiores. Aliter R. Salomon, R. David, et Hebræi : censent enim hic statui legem tantum de Sabbatis et Calendis, ut scilicet hisce festis tam princeps quam populus una porta ingredi, altera vero egredi debeat : idque putant sanciri vers. 9 et 10. Verum prior sententia verior est.

9. CUM INTRABIT POPULUS. — Statuitur hic ut populus per portam, non Orientalem, sed Meridionalem ingressus, Aquilonari egrediatur ; ingressus vero Aquilonari porta, per adversam, scilicet Meridionalem, egrediatur.

Causam dant Hebræi, ne finita oratione quæ fiebat in medio atrii Orientali coram Domino, converteretur adorans contra templum, ad eamdem portam reversurus, itaque dorsum obverteret templo : quod rusticum fuisset et incivile. Verum æqua erat conversio, scilicet lateralis, sive per eamdem, sive per diversam portam quis egrederetur; tamque tergum, aut potius latus obvertebat ingrediens per unam portam, et egrediens per alteram, quam ingrediens et egrediens per unam eamdemque. Verior ergo causa fuisse videtur, ut in tanta populi turba facilior esset transitus. Si enim eadem porta, qua ingressi erant, egressi fuissent, occurrissent venientibus et intrantibus, itaque invicem sese in transitu impedivissent, dum hi volunt ingredi, illi egredi, quod vitatur, si hi, qui una porta ingrediuntur, alia egrediantur. Id experimur hic Romæ in Basilicis Apostolorum et Martyrum, dum sunt stationes solemnes.

Tropologice, significatur in via et cultu Dei non esse egrediendum, sed progrediendum, ut cum Apostolo, quæ retro sunt obliviscentes, in priora nos extendamus, ait S. Hieronymus.

Vers. 10. 10. PRINCEPS AUTEM IN MEDIO EORUM, — id est princeps per portam ingredietur, quæ media est inter Meridionalem et Aquilonarem, quibus populus ingreditur : sic enim quasi in medio populi, utroque ex latere intrantis, ingrediebatur princeps.

CUM INGREDIENTIBUS INGREDIETUR, — id est eodem tempore, quo alii ingrediuntur, in medio eorum, uti jam dixi, ipse ingredietur; et eodem tempore, quo alii egrediuntur, egredietur ipse.

Vers. 11. 11. IN NUNDINIS. — Hebraice בחגים *bechaggim*, id est in festis.

Vers. 12. 12. CUM AUTEM FECERIT PRINCEPS, — cum obtulerit per sacerdotes, uti dixit vers. 2.

SPONTANEUM HOLOCAUSTUM, — aut spontaneas victimas pacificas, vel Eucharisticas, *q. d.* Princeps, cum præter sacrificia, quæ hic in festis ei præscribuntur, voluerit aliis diebus sponte sua sacrificium offerre, aperietur illi porta Orientalis, sicut in festis. Ita Hebræa, Maldonatus et alii.

14. CATA MANE MANE, — id est singulis diebus mane. Est græcismus : κατὰ enim Græcis idem est, quod *secundum, per* : geminatio vero significat distributionem universalem, *q. d.* Per singula mane.

16. HÆREDITAS EJUS (filii principis) FILIORUM SUORUM ERIT, — *q. d.* Transmittet filius ad posteros suos hanc hæreditatis partem, a patre principe dono acceptam. Loquitur de parte bonorum regalium, ut patet ex vers. seq.

17. LEGATUM (hebraice מתנה *mattana*, id est donum, uti præcessit) USQUE AD ANNUM REMISSIONIS, — scilicet jubilæi, de quo dixi, *Levit.* XXV, 13; illo enim possessiones venditæ ad primos venditores, sive dominos, revertebantur. Statuitur hic discrimen inter dona, quæ princeps dat filiis, et ea quæ dat servis, scilicet, ut servis, id est subditis, data revertantur ad principem in Jubilæo, filiis vero data non revertantur. Hoc enim est, quod ait : « Hæreditas autem ejus, filiis ejus erit, » quod clarius dicunt Hebræa : « Verumtamen hæreditas ejus filiorum ejus (id est filiis ejus ab eo dono data) ipsorum erit. » Vers. 17.

Hinc docet S. Hieronymus (qui per principem intelligit pontificem) sacerdotes filiis non debere relinquere bona Ecclesiastica, sed tantum hæreditaria : « Suggillat, inquit, non solum illius temporis sacerdotes et principes, sed nostri quoque, qui ditiores fiunt sacerdotes dignitate, et præter ea, quæ sibi Domini dispositione debentur, tollunt a pauperibus per violentiam; vel sub honoris nomine divites spoliant, ut ipsis quoque filiis suis, quibus paterna debetur hæreditas, nil debeant derelinquere nisi quod sibi a parentibus derelictum est. Ergo qui ditior est sacerdos, quam venit ad sacerdotium, quidquid plus habuerit, non filiis debet dare, sed pauperibus, et sanctis fratribus, et domesticis fidei, qui vincunt merita liberorum : ut reddat ea, quæ Domini sunt, Domino suo, qui loquitur in Evangelio : Quidquid uni istorum fecistis, mihi fecistis. Ipse enim in pauperibus suscipitur hospitio, visitatur in carcere, nudus tegitur, sitiens bibit, saturatur esuriens. Ut non dispergatur populus meus : dispergit ergo populum Dei, et aufert ab eo possessionem fidei sempiternam qui aliena dona, vel bona, vel rapina, vel adulatione, vel blanditiis, vel prætextu religionis filiis fratribusque et consanguineis derelinquit. » Hæc S. Hieronymus. Vide dicta cap. XLIV, 23. Sacerdos non potest filiis dare bona Ecclesiastica.

18. PER VIOLENTIAM. — Vatablus vertit : *Ut per vim et oppressionem de ipsorum possessione eos dejiciat.* Vers. 18.

19. ET INTRODUXIT ME PER INGRESSUM, etc. — Vatablus vertit : *Porro introduxit me per ingressum, qui erat in latere portæ* (Orientalis atrii sacerdotum) *ad exedras sanctas, quæ versæ erant ad Aquilonem.* Vers. 19.

20. ET SANCTIFICETUR POPULUS, — contactu aut præsentia carnium sanctificatarum : quidquid enim sanctum tangebat, sanctum putabatur. Simile dixit de vestibus sacris cap. XLIV, 19. Sancit Deus res sanctas, uti victimas, loco congruo et sancto asservari, ne in profano inter laicos vilescerent, aut minus reverenter haberentur. Unde S. Hie-

ronymus: «Significat, inquit, ne facile non sanctificatis sancta tribuamus, nec mittamus juxta Evangelium margaritas ante porcos, nec demus sanctum canibus.»

21. EDUXIT ME IN ATRIUM EXTERIUS, — scilicet in atrium populi, uti paulo ante dixit: interius enim atrium erat sacerdotum. Hinc ergo videtur, quod in atrio laicorum per quatuor ejus angulos fuerint atriola separata, et pariete sive muro circumsepta, ut dicitur vers. 23, in quibus erant culinæ ad coquendas partes victimarum pacificarum, laicis offerentibus ex lege debitas, quas deinde in eodem atrio comedebant epulantes, et gaudentes coram Domino: atrium enim sacerdotum non suffecisset omnibus hisce coquendis, cum partes sacerdotum et Dei ibi coquendæ essent. Deinde molestum fuisset, præsertim in hieme et frigore, singulas laicorum carnes coctas ex uno atrio in aliud transferre, et singulis suas reddere et distribuere in tanta populi turba. Aliter Maldonatus; putat enim atrium hoc exterius fuisse in eodem atrio sacerdotum, dicique exterius, quia erat extra gazophylacia.

22. MENSURÆ UNIUS QUATUOR ERANT, — *q. d.* Quatuor hæc atriola culinarum, in quatuor angulis atrii magni laicorum posita, erant unius et ejusdem mensuræ, scilicet singula erant longa quadraginta cubitos, lata triginta, ut præcessit. Ita Vatablus.

23. ET CULINÆ FABRICATÆ ERANT SUBTER PORTICUS. Vers. 23. — Porticus hæ innitebantur parietibus, sive muris atrium ambientibus, de quibus jam dixi. In hisce porticibus dicit ædificatas fuisse culinas ad coquendas victimas. Aliter vertit Vatablus, scilicet *sub muris*, vel *foraminibus foci erant circumcirca*; sicque explicat: *In parte*, ait, *muri superiore erant foramina, quibus ollas imponebant, inferne autem alia foramina ad subjiciendum ignem.*

24. IN QUA COQUENT MINISTRI DOMUS DOMINI VICTIMAS POPULI. Vers. 24. — Sicut victimæ, utpote sanctæ, a solo sacerdote mactabantur, ita et earum carnes a solis templi ministris, puta a Levitis, coquebantur etiam in atrio laicorum.

CAPUT QUADRAGESIMUM SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Videt Propheta aquas ex templo manantes. ***Deinde, vers. 13,*** *dividitur terra inter duodecim tribus.*

1. Et convertit me ad portam domus, et ecce aquæ egrediebantur subter limen domus ad Orientem: facies enim domus respiciebat ad Orientem: aquæ autem descendebant in latus templi dextrum ad Meridiem altaris. 2. Et eduxit me per viam portæ Aquilonis, et convertit me ad viam foras portam exteriorem, viam quæ respiciebat ad Orientem: et ecce aquæ redundantes a latere dextro. 3. Cum egrederetur vir ad Orientem, qui habebat funiculum in manu sua, et mensus est mille cubitos: et traduxit me per aquam usque ad talos. 4. Rursumque mensus est mille, et traduxit me per aquam usque ad genua: 5. et mensus est mille, et traduxit me per aquam usque ad renes. Et mensus est mille, torrentem, quem non potui pertransire: quoniam intumuerant aquæ profundi torrentis, qui non potest transvadari. 6. Et dixit ad me: Certe vidisti, fili hominis. Et eduxit me, et convertit ad ripam torrentis. 7. Cumque me convertissem, ecce in ripa torrentis ligna multa nimis ex utraque parte. 8. Et ait ad me: Aquæ istæ, quæ egrediuntur ad tumulos sabuli Orientalis, et descendunt ad plana deserti, intrabunt mare, et exibunt, et sanabuntur aquæ. 9. Et omnis anima vivens, quæ serpit, quocumque venerit torrens, vivet: et erunt pisces multi satis postquam venerint illuc aquæ istæ, et sanabuntur et vivent omnia, ad quæ venerit torrens. 10. Et stabunt super illas piscatores, ab Engaddi usque ad Engallim siccatio sagenarum erit: plurimæ species erunt piscium ejus, sicut pisces maris magni, multitudinis nimiæ: 11. in littoribus autem ejus, et in palustribus non sanabuntur, quia in salinas dabuntur. 12. Et super torrentem orietur in ripis ejus ex utraque parte omne lignum pomiferum: non defluet folium ex eo, et non deficiet fructus ejus: per singulos menses afferet primitiva, quia aquæ ejus de sanctuario egredientur: et erunt fructus ejus in cibum, et folia ejus ad medicinam. 13. Hæc dicit Dominus Deus: Hic est terminus in quo possidebitis terram in duodecim tribubus Israel: quia Joseph duplicem funiculum habet. 14. Possidebitis autem eam singuli æque ut frater suus: super

quam levavi manum meam ut darem patribus vestris : et cadet terra hæc vobis in possessionem. 15. Hic est autem terminus terræ : ad plagam septentrionalem, a mari magno via Hethalon, venientibus Sedada, 16. Emath, Berotha, Sabarim, quæ est inter terminum Damasci et confinium Emath, domus Tichon, quæ est juxta terminum Auran. 17. Et erit terminus a mari usque ad atrium Enon terminus Damasci, et ab Aquilone ad Aquilonem : terminus Emath plaga septentrionalis. 18. Porro plaga orientalis de medio Auran, et de medio Damasci, et de medio Galaad, et de medio terræ Israel, Jordanis disterminans ad mare Orientale, metietini etiam plagam Orientalem. 19. Plaga autem australis meridiana, a Thamar usque ad aquas contradictionis Cades : et torrens usque ad mare magnum : et hæc est plaga ad meridiem australis. 20. Et plaga maris, mare magnum a confinio per directum, donec venias Emath : hæc est plaga maris. 21. Et dividetis terram istam vobis per tribus Israel : 22. et mittetis eam in hæreditatem vobis, et advenis, qui accesserint ad vos, qui genuerint filios in medio vestrum : et erunt vobis sicut indigenæ inter filios Israel : vobiscum divident possessionem in medio tribuum Israel. 23. In tribu autem quacumque fuerit advena, ibi dabitis possessionem illi, ait Dominus Deus.

Vers. 1. 1. AD PORTAM DOMUS, — id est templi. Maldonatus per *domum* accipit Sanctum sanctorum. Porta hæc erat Orientalis, ut patet ex sequentibus.

ET ECCE AQUÆ EGREDIEBANTUR. — Quæritur, quænam hæ aquæ? Respondet Vilalpando fuisse aquas subterraneas templi, quæ per canales ductæ in atrium sacerdotum effluebant, quia tum victimæ, tum ipsum lanienæ solum assidue lavabatur. De quibus S. Hieronymus in cap. XL *Ezech.* 41 : « Ad latus exterius, inquit, juxta Septuaginta, erat rivus fabrefactus, qui holocaustum, cineres, et carnium virulentias efferebat exterius. » Sanguis enim, aliique humores et excrementa tot victimarum quotidie, fœtorem intolerabilem creavissent, nisi his aquis abluta per canales et aquæductus foras propulsa fuissent. De hisce aquis et aquæductibus ita scribit Aristæas, oculatus testis, lib. *De* LXX *Interpret.*, sub initium. Erant in templo occulta receptacula aquarum, quæ ad diluendum sanguinem jugulatarum hostiarum funduntur, quarum fluxus tam assiduus est, ut perennis fons videatur. Et ad hoc sunt juxta aræ basin frequentes aperturæ, solis ministris cognitæ. Sed mirabilis est, et fere inenarrabilis subterraneorum conceptaculorum magnitudo, quæ ad quinque usque stadia per circuitum templi cuncta penetrat. Plumbeæ ad ea fistulæ quacumque per muros, et templi solum, quibus omnia abluantur mundenturque, descendunt.

Aquæductus in atrio.

Tales aquæductus et subterraneos et suprateraneos videmus Romæ, ac imprimis S. D. N. Sixti V in Quirinali, et Pauli V in Janiculo, sive Montorio. Plinius hosce aquæductus vocat orbis miracula. Unus eorum ab eo sic describitur, lib. XXXVI, cap. XV : « Vicit antecedentes aquarum ductus novissimum impendium operis inchoati a Caio Cæsare, et peracti a Claudio : quippe a quadragesimo lapide ad eam excelsitatem, ut in omnes urbis montes levarentur : influxere Curtius, atque Cæruleus fontes. Erogata in id opus sestertium ter millies. Quod si quis diligentius æstimaverit aquarum abundantiam in publico, balneis, piscinis, domibus, euripis, hortis, suburbanis villis, spatioque advenientis exstructos arcus, montes perfossos, convalles æquatas, fatebitur nihil magis mirandum fuisse in orbe terrarum. » Porro aquæductus Salomonis hisce Romanis fuisse mirabiliores docet Vilalpando, pag. 565. Hisce adhuc Roma plena est, ideoque in singulis pene plateis exstant foricæ et ostiola, quibus sordes in hosce aquæductus et cloacas subterraneas, tandemque in Tiberim devolvantur, adeo ut Roma in imo videatur concava, et stare in fornicibus, mirumque sit eam hiatibus et terræ motibus sæpius non concuti, imo conquassari.

Aquæductus Romani orbis miracula.

Allegorice et potius, hæ aquæ significant tum aquas baptismi, quæ e limine templi, id est a Christo, qui est via et veritas; et ab altari crucis, puta e latere Christi, profluxerunt, omniaque gratiarum genera, quæ ex illis emanarunt; tum Evangelicam doctrinam, ait S. Hieronymus, de qua dixit Propheta, cap. XXXVI, 25 : « Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. » Et Zacharias, cap. XIV, 8 : « Et erit in illa die : Exibunt aquæ vivæ de Jerusalem : medium earum ad mare novissimum : in æstate, et in hieme erunt. » Nam, ut ait Isaias, cap. II, 3 : « De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem. » Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Vatablus, Maldonatus, Pintus et alii, *q. d.* Per totum orbem dispergentur doctrina, baptismus, lex et gratia Christi. Nominat duo maria, Orientale, scilicet Mortuum; et Occidentale, scilicet Mediterraneum, quia hæc erant limites Palæstinæ, et populi Dei; ac per illa quævis alia intelligit. Ita S. Cyrillus *ibid.* De his aquis ait Christus, *Joan.* VII : « Si quis sitit, veniat ad me, et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. »

Et Psaltes, *Psalm.* XXII : « Super aquam refectionis educavit me. » Et Isaias, cap. XII : « Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. » Et cap. XXXV, 6 : « Scissæ sunt in deserto aquæ, et torrentes in solitudine. Et quæ erat arida, erit in stagnum, et sitiens in fontes aquarum. » E contrario Jeremias, cap. II, juxta Septuaginta, increpat Judæos, quod eant ad aquas Ægypti : « Quid vobis, ait, et viæ Ægypti, ut bibatis de aquis Geon? » qui hebraice dicitur שיחור *sichor*, id est turbidus atque cœnosus; hic est Nilus. Tales aquæ sunt dogmata hæreticorum, inquit S. Hieronymus.

2. EDUXIT ME PER VIAM PORTÆ AQUILONIS. — « Per viam portæ, » id est per portam : Hebræi enim nomen *viæ* addunt per pleonasmum, *q. d.* Angelus me circumduxit per portam atrii utriusque, ut totum templum circumambularem.

ET CONVERTIT ME AD VIAM FORAS. — Clare vertit Vatablus : *Circuire me fecit in viam foras ducentem ad portam exteriorem* (scilicet Aquilonarem) *in viam quæ tendit in Orientem.* Reductus est ergo hic Propheta ad portam Orientalem templi, ad quam primo ductus fuerat, cap. XL, 6.

ECCE AQUÆ REDUNDANTES. — Illæ ipsæ quas viderat vers. 1, per dextrum templi latus defluentes, templum circumambientes, ad portam Orientalem redibant. Non enim quatuor erant rivi, ut nonnulli putarunt, sed unus tantum ad dextrum latus fluens, ait Maldonatus; sed hic rivus variis locis per canales et epistomia erumpebat. Unde Hebræi et Vatablus putant Prophetam vidisse primo aquam exorientem e limine, postea ex loco, qui suberat lateri domus. Alii dicunt Prophetam vidisse aquam scaturientem e limine, quod erat prope latus parietis domus.

3. ET MENSUS EST. — Τὸ *et* redundat per hebraismum : alioqui enim pendet sententia.

5. AQUÆ PROFUNDI TORRENTIS. — Hebraice : *Aquæ natationis torrentis, qui non poterat transvadari,* id est quæ ita intumuerant, ut non nisi natando transvadari possent. Ductus est Propheta ad aquas sensim profundiores, scilicet *primo*, profundas usque ad talos; unde Chaldæus vertit, *usque ad aquas talorum*; *deinde*, usque ad genua; *tertio*, usque ad femora et renes; *quarto*, excedentes staturam hominis, ut natando transeundæ forent. Symbolice, hæ aquæ sensim crescentes significabant res Judæorum Babylone redeuntium, post templi reædificationem, ex parvis initiis ingens incrementum accepturas. Aquæ enim bonorum affluentiam significant, ut patet vers. 8 et 9. *Isaiæ* LXVI, 12 : « Ecce, inquit, ego declinabo super eam quasi fluvium pacis, et quasi torrentem inundantem gloriam gentium, quam sugetis. »

Allegorice et potius, significabant, ait Maldonatus, Ecclesiam, et Evangelicam doctrinam parvo sumpto initio, ab Jerusalem per totum terrarum orbem longe lateque propagandam, donec dominetur Christus « a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum, » *Psal.* LXXI, 8; omnesque gentes, ad quas ea doctrina pervenerit, a corruptione morum, errorumque pravitate curandas. Aut, primi mille cubiti infimum Christianorum ordinem denotant, qui incipientium appellatur, qui minore gratiarum copia perfunditur (nempe usque ad talos), id est donec in mandatis Dei ambulent, ut Scriptura loqui solet, consilia vero non servent. Alii mille cubiti, proficientes significant, qui ad præcepta consilia etiam Evangelica adjungere conantur; sed nondum ad perfectionem pervenerunt. Alii mille, perfectos, quibus usque ad lumbos aqua circumfluit, id est tantum gratiæ accipiunt a Deo, ut perfectam castitatem servare possint ac velint, qua homines angelorum vitam imitantur. Postremi, Beatorum statum, qui transvadari non potest; quia oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum, *Isaiæ* LXIV, 4, et I *Corinth.* II, 9. Sic fere et Theodoretus. Hinc *Eccli.* XXIV, 40, sapientia, quæ primo erat exigua, quasi dioryx, id est aquæductus, dicitur crevisse in fluvium immensum : « Ego, inquit Sapientia, quasi trames aquæ immensæ de fluvio. » Et rursum : « Et ecce factus est mihi trames abundans, et fluvius meus appropinquavit ad mare. »

Sic quoque has dimensiones explicat Antonius Fernandius, *visione* XX, sect. II, ubi et addit, quod aqua *primo*, genua superans, significabat Christi doctrinam, quæ paulatim pervasit et persuasit ut omnes curvarent sibi genu; *secundo*, pertingens ad renes, significabat quod illa carnem et concupiscentias (harum enim sedes sunt renes) latius restringeret, ac ad virginitatem et cælibatum multos impelleret; *tertio*, quod jam transvadari non potuerit, sed nando fuerit transmittenda, significabat christianos, præsertim perfectos, in Ecclesia Deique gratia quasi pisces natare. Porro hæ aquæ egrediuntur e sanctuario, hoc est e Spiritu Sancto, qui totius sanctitatis est auctor, item e Christo : erat enim corpus Christi templum Dei, juxta illud *Joan.* II, 29 : « Solvite templum hoc. » Ergo pectus sive cor Christi erat velut sanctuarium, ex quo hæc aqua divina scaturivit. Simili modo explicat S. Gregorius, lib. XXII *Moral.* cap. XIV : « Aquam, ait, usque ad talos venire, est jam nos per acceptam sapientiam desideratæ rectitudinis vestigia tenere. Qui rursum mille metitur, et Propheta usque ad genua per aquam ducitur : quia, cum boni operis plenitudo tribuitur, ad hoc usque nostra sapientia augetur, ut in pravis jam actibus minime flectatur. Qui iterum metitur mille, et Propheta per aquam usque ad renes ducitur : quia videlicet tunc in nobis plenitudo operis excrescit, quando in nobis percepta sapientia omnem quoque, in quantum est possibile, delectationem carnis exstinxerit. Qui adhuc mensus est mille, torrentem videlicet quem Propheta pertransire non potuit. Percepta namque perfectione operis, ad contemplationem ducitur, in qua mens suble-

vata in Deo non potest penetrare quod videt. »

Audi et S. Ambrosium in *Apocal.* XXI, 1 : « Per torrentem, inquit, Scripturam divinam intelligere debemus, quæ de templo, id est de Ecclesia, egreditur, ab ore scilicet prædicatorum; Angelus vero Dominum significat. Angelus itaque Prophetam mille cubitos ducit, cum Dominus alicui fideli suo desiderium largitur intelligendi Scripturas. Propheta namque typum tenet eorum, qui divinas Scripturas ad hoc discere volunt, ut ipsi in eis proficiant, et alios per earum scientiam instruant. Millenarius vero numerus perfectionem alicujus rei sæpe demonstrat. Et prima transductio ad historiæ intelligentiam, secunda ad moralem, tertia pertinet ad spiritualem. Angelus igitur transducit Prophetam usque ad talos, cum ei historiæ intellectum tribuit. Quisquis enim moralem et spiritualem intelligentiam in divinis Scripturis investigare desiderat, necesse est ut historiæ intelligentiam prius possideat. *Secundo,* Angelus Prophetam mille cubitos ducit, cum Dominus fidelem suum ad moralem intelligentiam percipiendam accendit; per quam usque ad genua eum transducit, cum moralis scientiæ sensus ei manifestat. Torrentemque non potuit transvadare, quia profunditatem divinorum cœlestiumque mysteriorum nullus, sicut est, perscrutari potest. Ex parte enim cognoscimus, et ex parte prophetamus, sicut dicit Apostolus : Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. Et iterum : Videmus nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem. Hunc torrentem idem Paulus transmeare se non posse considerans, dicebat : O altitudo divitiarum sapientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! »

Mira visio Alberti Magni.

Mirabilem visionem de hisce aquis oblatam Alberto Magno, nimirum quod ipse torquens se in explicandis quibusdam locis difficilibus S. Dionysii, a S. Paulo ad eas ductus sit, et ad domum Aaronis, cumque Apostolo eas sicco pede transeunte, ipse ab eo invitatus, sequi, easque tranare non posset; tum acceperit ab eo resolutionem dubiorum occurrentium in *Ecclesiastica Hierarchia* S. Dionysii; ipsiusmet Alberti verbis recenset gravis auctor Ferdinandius Castiglius in *Historia Ordinis S. Dominici,* part. I, lib. III, cap. XLVII.

6. CERTE VIDISTI. — Hebraice הֲרָאִיתָה *haraita,* an vidisti? *q. d.* Si non bene vidisti, plenius vide et observa; si satis vidisti, audi mysterium pariter et usum, fructumque harum aquarum, scilicet « ligna multa, » id est arbores multas, quas aquæ hæ irrigando producunt et nutriunt. Mystice, ligna

Arbores sunt fideles.

sunt christiani aquis baptismi loti et rigati, ut proferant poma, id est virtutum fructus, de quibus dicitur *Psalm.* XCV : « Tunc exsultabunt omnia ligna sylvarum a facie Domini, quia venit. » Et *Matth.* III : « Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur. » Rursum magis apposite (quod tamen eodem redit) ligna sive arbores, sunt fides, spes, charitas aliæque virtutes habituales. Hæ enim ex terra cordis nostri aquis Evangelii irrigata nascuntur, ac proferunt fructus bonorum actuum (sicut enim fructus ex arbore, sic actus ex habitu proficiscuntur) sibi similium; et folia modestiæ, pietatis, decoris et omnis honestatis externæ. Quocirca anagogice ex hisce rursum enascuntur dotes habituales et actuales beatitudinis, uti mox dicam. Nam gratiæ et virtutibus respondet et datur gloria beatifica, ejusque dotes, sicut semini respondet messis, merito merces, victoriæ præmium.

8. AD TUMULOS SABULI ORIENTALIS. — Ex Hebræo גְּלִילָה *gelila,* verti quoque potest, *ad Galilæam Orientalem.* Ita Septuaginta, Hebræus et Vatablus. Tradunt Hebræi amnem hunc in duos rivos fuisse divisum, unum Orientalem, alterum Occidentalem; per quæ Latini Orientalem et Occidentalem Ecclesiam intelligunt, aiunt Vatablus, Pintus et alii. Prior ergo, inquiunt, fluebat in mare Galilææ, puta Tiberiadis, aut in mare Mortuum sive Sodomorum, quod orientale erat; alter in mare Mediterraneum, quod erat occidentale. Licet Maldonatus per mare Orientale accipiat sinum Persicum; sed hic nimis remotus est a Jerusalem et templo.

Idem quod Ezechiel hic ait, dixit Zacharias, cap. XIV, 8, verbis paulo ante citatis.

Noster melius vertit, « ad tumulos sabuli. » Hujus enim convolutiones et tumulos significat Hebræum *gelila,* ut recte docet S. Hieronymus in *Comment.* Jam sensus est, *q. d.* Hæ aquæ quæ ex limine sanctuarii egredientes fluunt versus Orientem, suoque cursu vehementi trahunt arenas, eriguntque tumulos earum in alveo suo, et descendunt ad planitiem solitudinis, ingredientur mare Mortuum, et exibunt ab eo, ita ut maris aquæ hujus fluminis ingressu sanentur, et quæ prius amaræ erant, dulcescant, quæque prius in eo mortua erant, reviviscant. Alludit ad Jordanem : hic enim ingreditur una parte, et alia egreditur mare Mortuum, ejusque aquas ex parte dulcorat; convolvit quoque efficitque tumulos arenarum, *q. d.* Aquæ hæ, quæ fluunt in Jordanem, postea in mare Mortuum introibunt.

Porro ad litteram aquæ hæ parum sanabant, id est corrigebant, salsedinem maris Mortui, aut torrentium in illud influentium : magis ergo mysticas et antitypas hic aquas intelligere debemus, scilicet aquas baptismi; et per torrentes tendentes in mare Mortuum, perque ipsum mare Mortuum accipere infideles et peccatores mortiferis peccatis obsitos, qui hisce aquis recipiunt salutem et vitam, ac virtutum fructus ferunt uberrimos et lætissimos, ut qui antea erant vitiorum vorago, lacus libidinum fœtidus, et mare sceleribus amarum ac mortuum, ubi nihil erat vitæ, nihil gratiæ, nihil veræ dulcedinis, in fluvium amœnum, suavem, et salutarem, ac piscibus abundantem, convertantur, de quibus sequitur.

Mali ergo, utpote mortui, Christo virisque piis debent quod sint et vivant.

9. ET OMNIS ANIMA VIVENS, QUÆ SERPIT (hebraice אשר ישרץ *ascer iasrits*, id est quæ reptat vel natat, puta pisces) VIVET. — Rursum *iasrits*, id est quæ ebullit, multiplicatur, scaturit instar ranarum et piscium. Nam, ut ait Plinius lib. II, cap. II, in mari plura et majora animantia nascuntur, quam in terra ob humoris luxuriem. Hac de causa Propheta Ecclesiam comparat mari, fideles piscibus; quia multi sunt, et virtutibus meritisque magni. Unde explicans, subdit :

ET ERUNT PISCES MULTI. — Pisces sunt christiani, qui renati aquis baptismi vitam gratiæ consequuntur. « Baptismus enim corpus tangit, et cor abluit, » ait S. Augustinus tract. 80 *in Joannem*. Hinc Christus dictus est ἰχθύς, id est *piscis*. Si enim vocis ἰχθύς initiales litteras exponas, idem erit quod Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ υἱὸς σωτήρ, id est Jesus Christus Dei Filius servator. Ita S. Augustinus, lib. XVIII *De Civit.* XIII. Hæc enim admirabilis mutatio, puta maris Mortui, id est peccatoris vivificatio, provenit ex aquis manantibus a limine et ostio Sancti sanctorum, id est a Christo qui est porta cœli, fluuntque in latus dextrum, id est per Christi crucifixi latus dextrum lancea apertum et vulneratum : ex eo enim sanguis et aqua, atque Ecclesiæ Sacramenta fluxerunt, ait S. Augustinus.

Ubi nota : Communis veterum sententia est, latus Christi in cruce a milite perfossum, fuisse dextrum, idque putant aliqui hic prædici ab Ezechiele, cum ait vers. 2 : « Et ecce aquæ redundantes a latere dextro. » Ex hoc ergo latere Christi exivit sanguis et aqua, *primo*, ut quasi duplicem ex se Christus emanaret baptismum, scilicet aquæ in Sacramento, et sanguinis in martyrio : illum enim fidelibus omnibus, hunc martyribus collaturus erat. Ita Cyrillus Hierosolymitanus, *catech.* 13; Tertullianus, lib. *De Baptismo*. S. Hieronymus, epist. 83 *ad Oceanum* : « Latus, inquit, Christi percutitur lancea, et baptismi atque martyrii pariter Sacramenta funduntur. » *Secundo*, ut hac re significaretur quod baptismus aquæ ex sanguine Christi haberet vim et efficaciam abluendi peccata. Unde S. Ambrosius, *De Benedict.* cap. IV : « Aqua, inquit, ad lavacrum, sanguis ad pretium. » *Tertio*, ut significaretur quod ex latere Christi fluerent quasi Sacramenta, quibus formanda et nutrienda erat Ecclesia. Unde Patres latus Christi vocant januam baptismi et cæterorum Sacramentorum : adduntque ex latere Christi dormientis in cruce formatam esse Ecclesiam, sicut ex latere Adæ dormientis formata est Eva. Ita S. Cyprianus et Tertullianus, lib. *De Baptismo*. Hinc et S. Chrysostomus, in cap. XIX *Joan.* 34, et ibid., S. Cyrillus per aquam intelligunt baptismum, per sanguinem calicem Eucharistiæ : illo enim generamur, hoc nutrimur. Denique S. Cyprianus, serm. *De Resurrect. Christi* : « Ex hoc, ait, fonte non solum ablutionis primæ undas haurimus, sed et compunctionis et lacrymarum perennes effluunt rivi, misericordiarum suavitas, et totius pietatis affectus. »

ET SANABUNTUR. — In baptismo Christi sanatæ sunt aquæ : quia per contactum vivificæ carnis Christi, vim vivificandi acceperunt, ait S. Augustinus, serm. 36 *De Tempore*.

Anagogice, fluunt hæ aquæ ad latus dextrum, id est ad beatitudinem, et sortem locumque electorum. Hos enim Christus in judicio statuet a dextris; reprobos vero a sinistris. Unde sequitur :

10. STABUNT SUPER ILLAS PISCATORES. — Apostoli scilicet qui audierunt a Christo : « Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum. » Vers. 10

Nota : Apostoli vocantur piscatores, potius quam venatores : quia ipsi non violentis cædibus, sed dulcibus sermonibus et moribus suaviter traxerunt homines ad se, et ad Christum; ac sensim sine sensu eos in retia Ecclesiæ compulerunt, ut vivos caperent et ad meliorem vitam transferrent. Esca eorum fuit promissio vitæ cœlestis. Denique obedientia vocatorum et captorum ostendit quam dulcis fuerit eorum piscatio. Apostoli sunt piscatores, non venatores, cur?

AB ENGADDI USQUE AD ENGALLIM, — ab uno termino usque ad alium. *Engaddi* civitas est juxta mare Mortuum, alio nomine dicta Asasonthamar, id est urbs palmarum; eo quod floreret palmis et balsamis. Unde ibi erat hortus, sive vinea balsami, quod pene ibi tantum, non alibi in toto orbe, reperiebatur. Hunc hortum seu vineas balsami, tempore Herodis Magni, Cleopatra Ægypti regina, concedente Antonio amasio, invidens tantam felicitatem Herodi, transtulit in Ægyptum, teste Josepho, lib. I *Belli*, cap. XIII, Buchardo, Saligniaco et aliis in descriptione Terræ Sanctæ.

Engallim vicus vel urbs erat in principio maris Mortui, ubi scilicet Jordanis influit in mare. Atque ex hoc loco tendebant retia sua piscatores ad siccandum, usque ad Engaddi, uti ait hic Ezechiel. « Engallim, ait S. Hieronymus, est in principio maris Mortui, ubi Jordanis ingreditur; Engaddi vero, ubi finitur atque consumitur. Engaddi fontem hædi, Engallim fontem vitulorum sonat. »

SICCATIO SAGENARUM ERIT. — Piscatores sordes retium abluunt aqua marina, deinde ea ad solem exponunt et exsiccant : ita qui piscatur animas, humorem et sordes mundanæ vanitatis, quas conversando cum hominibus contraxit, abluat amaritudine pœnitentiæ, mentemque ad se, et ad Deum revocet per meditationes, examina et similia exercitia spiritalia; ut ita a sole illo divino calore gratiæ ipsius exsiccentur; ipseque aptior fiat ad novam animarum piscationem. Hoc significat Engaddi, id est fons hædi; et Engallim, id est fons vitulorum. Hædus enim et vitulus, utpote victimæ pro peccato, sunt symbolum pœnitentiæ et mortificationis.

11. IN LITTORIBUS AUTEM, ET IN PALUSTRIBUS NON

SANABUNTUR (1). — Ad litteram, ait S. Hieronymus, hoc verum est in mari Mortuo ; nam in eo, ejusque paludibus nullus piscis, aliudve animal nasci, aut aliunde illatum vivere potest ; unde et vocatur mare Mortuum. Audi S. Hieronymum : « Nihil quod spiret et possit incedere, præ amaritudine nimia, in hoc mari reperiri potest. Nec cochleolæ quidem, parvique vermiculi, et anguillæ, et cætera animantium sive serpentium genera, quorum magis corpuscula possumus nosse, quam nomina. »

Symbolice, palustria sunt homines in segnitiem prolapsi : lacunæ sunt ii qui in superficie versantur, ac sola prædicatione induti, v. g. prædicatores lingua, non vita, quales nostrum sunt plurimi, ait Theodoretus. Hi difficile sanantur.

Allegorice, extra has aquas baptismi, id est extra Ecclesiam, in qua est baptismus, non est salus, omnisque gentilium et hæreticorum doctrina salsa est et amara, utpote cœnosa et palustris : « quia in salinas dabuntur, » quia dum Deus deteget eorum falsitatem, eosque puniet, erunt aliis sal, ut scilicet alii eorum exemplo sapiant et caveant, juxta illud quod scriptum est *Proverb.* XIX : « Pestilente flagellato, stultus sapientior erit, » ait S. Hieronymus.

Audi et P. Barradium, tom. I, lib. II, cap. VI, ubi templum hoc Ezechielis mystice explicat, sed salinas aliter, imo contrarie interpretatur : « Mundi typus, ait, est mare Mortuum ; hoc sanant Evangelii aquæ, in illud influentes ; Jordanis aquæ in mare Mortuum influebant, sed sanare illud non poterant ; eumdem in modum Mosis doctrina in mundum illabebatur, at sanare illum nequibat : influxit Evangelii unda salutifera, et sanavit. Sanari autem dicuntur aquæ, cum a salsedine, amarore et sterilitate ad dulcedinem fecunditatemque transferuntur. Unde Elisæus IV *Reg.* II : Sanavi (inquit) aquas has, et non erit ultra in eis mors, neque sterilitas. Sanavit ergo Deus aquas maris Mortui, id est mundi, quia salsedinem, amarorem, infecunditatem et mortem ejus cum dulcedine, et fecunditate, et vita, influentibus Evangelii aquis commutavit. Unde mare illud quod ne piscem quidem unum gignebat, jam nunc tot gignit, ut adjungat vates : Plurimæ species erunt piscium ejus, sicut pisces maris magni, multitudinis nimiæ. »

« Ait præterea Ezechiel, relinquendas salinas aliquot ; has ego Religiosorum familias academiasque esse existimo ; quemadmodum enim in salinis, ita in cœnobiis et academiis sal efficitur, de quo Christus, *Matth.* V : Vos, inquit, estis sal terræ. Jam vero piscatores, quorum eodem loco Propheta meminit, quid nisi concionatores adumbrant, quos Dominus hominum vocavit piscatores ? Siccatio vero sagenarum illud indicat, debere concionatores sagenas suas, id est conciones, prius quam in mare jaciant, solis, id est Christi, radiis exponere, ejusdem solis calore incendere, atque ab omni humanæ cupiditatis humore desiccare. »

12. ET SUPER TORRENTEM, — *q. d.* Fideles (eorum fides et virtutes) qui irrigantur aquis doctrinæ christianæ et S. Scripturæ, erunt sicut arbores frondentes semper, et fructificantes, ut singulis mensibus, id est perpetim, congruis scilicet temporibus novos bonorum operum fructus afferant. Vers. 12.

PER SINGULOS MENSES AFFERET PRIMITIVA. — Primitiva reddere, est primitivum fervorem initio mensis cujusque resumere : quod viri pii et sui profectus studiosi faciunt. Estque valde utile, imo sæpe necessarium. Mens enim humana, ut ait S. Gregorius, lib. XXII *Moral.* cap. II, « dum igne amoris excoquitur, semper in se servat claritatem pulchritudinis quotidiana innovatione fervoris ; nescit enim mens per torporem veterascere, quæ studet per desiderium semper inchoare. »

ET ERUNT FRUCTUS EJUS IN CIBUM. — Fructus virorum justorum sunt virtutes, quæ sunt cibi, quibus animus alitur ad æternitatem : « Unicuique sua cultura fructus donat, » ait S. Ambrosius in cap. VII *Luc.* Quantum enim quisque se mentemque excolit, in tantum fructus fert : cæremoniæ sunt folia conferentia salutarem instructionem et medicinam. Ita Alcazar in *Apocal.* XXII, in fine. Adhæc fructus sunt opera, folia sunt verba salutaria, quibus alios instruimus, docemus, consolamur, excitamus, etc. Nam, ut ait S. Basilius : « Verba perfectorum sunt verba vitæ, et incolumitas animæ. » Rursum S. Hieronymus : S. Scriptura, ait, est hæc sacra arbor, sive lignum vitæ, cujus historicus sensus nobis est cibus, quia eo fidem nostram pascit : allegoricus et moralis est « in medicinam, » quia eo mores corriguntur. Fructus sunt virtutes. Folia sunt cæremoniæ

Huc alludit, imo hunc locum anagogice (nam ad litteram loquitur Ezechiel de Ecclesia crescente et militante) citat S. Joannes, *Apoc.* XXII, 1, dum ait : « Ostendit mihi fluvium aquæ vitæ, splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei, et Agni (sicut hic vers. 1, videtur procedere a limine domus Dei). In medio plateæ ejus, et ex utraque parte fluminis lignum vitæ

(1) « Quia in salinas dabuntur : » verno enim tempore (inquit Michaelis in *Historia maris Mortui*, pag. 68), resolutis nivibus, vehementior majorque solito Jordanes plus aquæ ad mare Mortuum defert, unde jam littus egressum, latiusque stagnans vicinis vallibus innatat, a quibus recedens æstate non tenui solum strato salis vastas valles relinquit, sed et liberaliore dono accolas afficit. Hi enim fossas in littore excavant, in quibus residua aqua sole æstivo coquitur, magnos salis thesauros relictura, quo Palæstina in cibis condiendis utitur. Sunt hæ salis fossæ *Sophoniæ* II, 9 commemoratæ. Ne igitur toto mari Mortuo sanato, ingenti beneficio, sale, Palæstina privaretur, addit Rosenmuller, plusque in isto flumine, de quo inde ab hujus capitis initio, damni quam utilitatis esset, palustria et fossæ mari Mortuo propinqua non dulcia reddentur, sed soli comparando destinata manebunt.

afferens fructus duodecim; per menses singulos reddens fructum suum, et folia ligni ad sanitatem Gentium; » ubi « fluvius aquæ vitæ » vel vivæ est visio beatifica, de qua ait Psaltes : « Fluminis impetus lætificat civitatem Dei; lignum vitæ » est Christus, sive Christi humanitas, qui beatis sua visione et fruitione dat vitam immortalem, estque eis quasi in cibum et voluptatem recentem « per duodecim menses, » id est perpetuo in omnia sæcula, in omnem æternitatem; « folia ligni » sunt verba Christi, quibus beatos omnium gentium mulcebit et consolabitur.

Audi et S. Ambrosium, in *Apoc.* XXII, 1 : « Duæ ripæ, ait, duo testamenta significant. Inter has duas ripas magnus torrens Scripturarum, qui a sanctis Patribus editus est, decurrit; per ligna vero Doctores Ecclesiæ designantur, qui in utrisque ripis, id est in doctrina veteris et novi Testamenti, plantati esse dicuntur; unde aquas veræ scientiæ trahentes, et fructus gignunt et folia. Per fructus namque opera bona; per folia autem, verba prædicationis designantur : fructus in cibum, et folia ad medicinam proficiunt; quia unusquisque doctor languenti animæ medicinam verborum salutiferam tunc ministrat, cum eam prius exemplis bonorum operum paverit. Ecce Ezechiel torrentem de templo exiisse se vidisse dixit; Joannes autem non torrentem, sed fluvium a sede Dei et Agni procedentem sibi ostensum fuisse dicit. Torrens ex nimio ardore solis solet siccari, fluvius vero nullo ardore siccatur. Non inconvenienter ergo per torrentem divina Scriptura exprimitur, quæ veniente sole, id est Domino ad judicium, siccabitur; quia post resurrectionem divina Scriptura necessaria non erit. Porro per fluvium, qui nullo ardore solis exsiccatur, gloria Sanctorum perpetua intelligitur : qui a sede Dei et Agni procedere dicitur; quia ab illo fluvius gloriæ Sanctorum procedet, a quo illis in carne positis processit rivus omnium bonorum; qui fluvius splendidus tanquam crystallus esse dicitur. »

13. HIC EST TERMINUS, IN QUO POSSIDEBITIS TERRAM. — Cap. XLV, cœperat Propheta dividere terram Israel; sed interpositis quibusdam incidentibus divisionem istam intermiserat; nunc ad eam perficiendam redit. Antequam vero terram dividat per sortes, distinguit ejus terminos ex omni parte, scilicet ad quamlibet mundi plagam.

QUIA JOSEPH DUPLICEM FUNICULUM HABET. — « Funiculum, » id est sortem, sive portionem hæreditariam. Olim enim funiculis agros et hæreditates dimetiebantur; hinc *funiculus* per metonymiam idem est, quod sors vel pars hæreditaria, ut *Psal.* XV, 6 : « Funes ceciderunt mihi in præclaris; » quod explicans subdit : « Etenim hæreditas mea præclara est mihi. » Dat causam, cur jusserit terram dividi per duodecim tribus, cum seclusa tribu Levi, quæ partem terræ non accepit (eo quod ejus pars esset Dominus, id est Domini oblationes), tantum restarent undecim tribus. Causa hæc est, quod Joseph a patre Jacob duplicem acceperit sortem in terra Chanaan. Jacob enim, *Gen.* XLVIII, 13, adoptavit sibi in filios immediatos et proximos, filios Joseph, Ephraim et Manasse, nepotes suos, ad hoc, ut uterque tribum unam constitueret, ac in Chanaan pari sorte et jure cum aliis tribubus, puta cum immediatis filiis Jacob, qui fratres erant Josephi (hi enim singuli singulas tribus constituebant) succederent, terramque dividerent. Tribus ergo Joseph, cum esset una, in duas fuit divisa; ita ut, secluso Levi, remanerent adhuc duodecim tribus, quia posteri Joseph successerunt in locum Levi, ut dicitur *Josue* cap. XIV, vers. 4. Tribus Joseph erat duplex.

14. POSSIDEBITIS AUTEM. — Jubet hic terram æqualiter dividi inter duodecim tribus, cum secus factum esset sub Josue : tunc enim major tribus majorem, minor minorem terræ partem accepit.

SUPER QUAM LEVAVI MANUM MEAM, — quam elata quasi manu, uti homines faciunt dum jurant, juravi me patribus vestris vobisque daturum.

ET CADET, — sortitione, non cujusquam electione, ut dixi cap. XLV, 1.

15. HIC EST AUTEM TERMINUS, — *q. d.* Hi sunt termini, hi fines Chananææ inter duodecim tribus dividendæ.

A MARI MAGNO, — scilicet ab ea parte maris Mediterranei, quæ ad Aquilonem vergebat; eam enim hic disterminat.

VIA HETHALON, — id est veniendo ab Hethalon in Sedada : utraque enim urbs erat in limitibus tribus Juda. Nota : Divisio Chananææ ter in Scriptura describitur : *primo*, a Mose, *Numer.* XXXIV, *secundo*, a Josue, cap. XV; *tertio*, hoc loco.

16. EMATH, BEROTHA. — Repete veniendo ab Hethalon in Emath, Berotha, etc. Alii exponunt, *q. d.* In hac parte et plaga erunt hæc oppida, Emath, Berotha, etc. Porro *Emath* est urbs, quæ ab Antiocho Ephiphane dicta est Epiphania, ait S. Hieronymus, eratque terminus Terræ Sanctæ septentrionalis et orientalis, *Josue* XIII, 1.

QUÆ EST INTER TERMINUM DAMASCI, — id est, *quæ sita est inter fines Damasci*, ut vertit Vatablus. Chananæa enim Hebræis a Deo destinata et data, pertingebat usque ad fines Damasci.

DOMUS TICHON. — Hisce duabus vocibus quasi proprio nomine vocabatur hic locus, vel urbs, scilicet hebraice חצר התיכון *chatser hatticon*, quod Septuaginta vertunt, *atrium Tichon*.

17. ET ERIT TERMINUS A MARI, — *q. d.* Atque ita terminus, id est mensura, plagæ aquilonaris erit a mari Mediterraneo usque ad Chatser Enon, id est atrium Enon, uti vertunt Septuaginta, qui est *terminus Damasci*, id est locus vel urbs prope Damascum, eratque alter terminus Terræ Sanctæ ex altera parte, ad radices Antilibani.

AB AQUILONE AD AQUILONEM TERMINUS EMATH, — Ad Aquilonem una parte terminus Chananææ

erit Chatser Enon, uti præcessit; altera ex parte terminus erit Emath, id est Epiphania. Hi sunt ergo limites totius plagæ septentrionalis.

18. DE MEDIO AURAN, — quasi dicat : Limes Orientalis Chananææ erit linea, quæ deducetur inter Auran, Damascum, Galaad, et terram Israel. Ita Vatablus.

AD MARE ORIENTALE, — id est ad mare Mortuum; alii, ad mare Galilææ, sive Tiberiadis; Jordanis enim ab uno mari in alterum fluens, terminabat Chananæam ad Orientem : utrumque mare ponitur terminus Chananææ Orientalis, *Num.* XXXIV, 3 et 11.

19. PLAGA AUTEM AUSTRALIS MERIDIANA, — *q. d.* Limes Chananææ Australis versus meridiem, erit ab urbe quæ vocatur Thamar, id est palma, quia palmis abundat.

USQUE AD AQUAS CONTRADICTIONIS CADES, — id est usque ad Cades, qui locus ob Judæorum murmur dictus est aquæ contradictionis, uti dixi *Numer.* XX, 1 et seq.

Nota : *Thamar* a palmetis dicta est *Palmyra*, urbs quam ædificavit Salomon, quæ postea ab Adriano Imperatore instaurata, dicta est Adrianopolis. Ager, in quo sita est, dives est et ferax, qui vasto undique ambitu arenis includitur. Sola Palmyra ex vicina solitudine, quæ inde Palmyrena vocatur, fontibus et puteis abundat. Ita Adrichomius. Quocirca Thamar, sive Palmyra, non est Jericho, uti aliqui putant, quod Jericho quoque vocetur civitas Palmarum. Nam Jericho in tribu Benjamin, Palmyra in tribu Manasse sita erat.

ET TORRENS, — scilicet terminus erit. Hic est torrens Ægypti, qui juxta Rhinocoruram in mare influit, de quo *Numer.* XXXIV, 5; ibi enim iidem termini Chananææ nominantur, qui hic, scilicet torrens Ægypti, Enan, Sephama, Emath, Sedada, mare, etc.

8. ET PLAGA MARIS, — id est hic est limes plagæ occidentalis (mare enim magnum erat ad Occidentem Terræ Sanctæ), nempe mare magnum, id est Mediterraneum.

A CONFINIO PER DIRECTUM, DONEC VENIAS EMATH, id est, qua parte mare hoc per sua confinia directe respicit et tendit in Emath. Unde Vatablus vertit : *Qui*, scilicet limes, *est e regione introitus Emath.*

22. MITTETIS EAM IN HÆREDITATEM, — id est missis sortibus, eam dividetis, et hæreditabitis.

ET ADVENIS, — proselytis. Jubet hic Deus terram dividi tam proselytis e gentilismo ad judaismum conversis, quam ipsis originariis Judæis, ut una ex utrisque coalesceret Ecclesia et respublica. Quod cum ab Esdra et Nehemia factum non legamus, imo Esdras a sacerdotio ejecerit alienigenas Judæis admixtos, I *Esdræ* II, 62, potius hæc ad Ecclesiam Christi referenda sunt, in qua æqualem sortem habent Gentiles et Judæi; ut merito Ephesiis gentilibus scribat Paulus, cap. II, 19 : « Jam non estis hospites et advenæ, sed estis cives Sanctorum, et domestici Dei. »

Pari modo templum hic describitur, quasi situm extra civitatem, ubi licet alludatur ad arcem et montem Sion, in quo erat templum (hic enim mons erat extra urbem Jerusalem, id est extra civitatem populi, quæ erat in valle monti Sion subjecta : unde Sion vocabatur civitas David, Jerusalem vero civitas populi); tamen nec distantiam utriusque tantam, nec habitacula sacerdotum et levitarum circa templum tanta, nec magnificentiam tantam, quanta hic describitur, in templo et urbe Hierosolymitana, post reditum e Babylone exstitisse legimus. Esto sensim creverit post Esdram numerus et opes, tum civium, tum urbis; adeoque Herodes, ut haberetur Messias, permagnificum exstruxerit templum, priori Zorobabelis diruto, quod cum Salomonico certaret. Hæc ergo omnia Ezechielis programmata, potius idea sunt perfectæ Ecclesiæ et reipublicæ, qualis fuit apud Christianos, non apud Judæos, ac præsertim qualis erit in Jerusalem cœlesti, ut dicam in fine cap. XLVIII. Nam, ut alia taceam, nusquam legimus portionem sacerdotum habuisse 25 millia calamorum in longitudine, et totidem sortem Levitarum.

Pro quo nota : Quinque pedes faciunt passum, passus 125 faciunt stadium, octo stadia faciunt milliare : milliare enim sunt mille passus. Porro calamus sacer, uti dixi cap. XL, 5, continet sex cubitos, id est sexies pedem cum dimidio (cubitus enim est pes cum dimidio). Calamus ergo sacer continet 9 pedes. Igitur calamus continet duos passus, excepto uno pede : quare cum mille passus faciant milliare, sequitur quod mille calami faciant duo milliaria, exceptis mille pedibus, qui faciunt ducentos passus : et 500 calami faciant unum milliare, exceptis 500 pedibus, qui faciunt centum passus. Ergo 25 millia calamorum faciunt 50 milliaria, exceptis 25 millibus pedum, qui faciunt 5 millia passuum, puta 5 milliaria. Ergo 25 millia calamorum faciunt præcise 45 milliaria. Ubi, et quando sacerdotes possederunt spatium 45 milliarium? Rursum murus urbis, cap. XLVIII, in fine, dicitur habuisse 18 millia calamorum, id est 32 milliaria et 400 passus. Quis unquam vidit tantos muros, tantam urbem?

CAPUT QUADRAGESIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Post descriptionem et divisionem Terræ Sanctæ ad quatuor mundi plagas, nunc eamdem inter duodecim tribus distribuit, dans cuique suam partem et sortem, uti olim eis eam distribuit Moses et Josue. Primo, ergo septem tribubus versus Septentrionem, assignat suam cuique sortem. Deinde, vers. 8, *sacerdotibus, levitis, civitati, et principi suam, in medio duodecim tribuum, partem attribuit, eamque repetit ex cap.* XLV, *vers.* 1. *Tertio, vers.* 23, *redit ad tribus, et quinque reliquis portiones singulas versus Meridiem admetitur.*

1. Et hæc nomina tribuum a finibus Aquilonis juxta viam Hethalon pergentibus Emath, atrium Enan terminus Damasci ad Aquilonem juxta viam Emath. Et erit ei plaga orientalis mare, Dan una. 2. Et super terminum Dan, a plaga orientali usque ad plagam maris, Aser una. 3. Et super terminum Aser, a plaga orientali usque ad plagam maris, Nephthali una. 4. Et super terminum Nephthali, a plaga orientali usque ad plagam maris, Manasse una. 5. Et super terminum Manasse, a plaga orientali usque ad plagam maris, Ephraim una. 6. Et super terminum Ephraim, a plaga orientali usque ad plagam maris, Ruben una. 7. Et super terminum Ruben, a plaga orientali usque ad plagam maris, Juda una. 8. Et super terminum Juda, a plaga orientali usque ad plagam maris, erunt primitiæ, quas separabitis, viginti quinque millibus latitudinis et longitudinis, sicuti singulæ partes a plaga orientali usque ad plagam maris : et erit sanctuarium in medio ejus. 9. Primitiæ, quas separabitis Domino : longitudo viginti quinque millibus, et latitudo decem millibus. 10. Hæ autem erunt primitiæ sanctuarii sacerdotum : ad Aquilonem longitudinis viginti quinque millia, et ad mare latitudinis decem millia, sed et ad Orientem latitudinis decem millia, et ad Meridiem longitudinis viginti quinque millia : et erit sanctuarium Domini in medio ejus. 11. Sacerdotibus sanctuarium erit de filiis Sadoc, qui custodierunt cæremonias meas, et non erraverunt cum errarent filii Israel, sicut erraverunt et Levitæ. 12. Et erunt eis primitiæ de primitiis terræ Sanctum sanctorum, juxta terminum Levitarum. 13. Sed et Levitis similiter juxta fines sacerdotum viginti quinque millia longitudinis, et latitudinis decem millia. Omnis longitudo viginti et quinque millium, et latitudo decem millium. 14. Et non venumdabunt ex eo, neque mutabunt, neque transferentur primitiæ terræ, quia sanctificatæ sunt Domino. 15. Quinque millia autem quæ supersunt in latitudine per viginti quinque millia, profana erunt urbis in habitaculum, et in suburbana : et erit civitas in medio ejus. 16. Et hæ mensuræ ejus : ad plagam septentrionalem, quingenta et quatuor millia : et ad plagam meridianam, quingenta et quatuor millia : et ad plagam orientalem, quingenta et quatuor millia : et ad plagam occidentalem, quingenta et quatuor millia. 17. Erunt autem suburbana civitatis ad Aquilonem ducenta quinquaginta, et ad Meridiem ducenta quinquaginta, et ad orientem ducenta quinquaginta, et ad mare ducenta quinquaginta. 18. Quod autem reliquum fuerit in longitudine secundum primitias sanctuarii, decem millia in Orientem, et decem millia in Occidentem, erunt sicut primitiæ sanctuarii : et erunt fruges ejus in panes his qui serviunt civitati. 19. Servientes autem civitati, operabuntur ex omnibus tribubus Israel. 20. Omnes primitiæ viginti quinque millium, per viginti quinque millia in quadrum, separabuntur in primitias sanctuarii, et in possessionem civitatis. 21. Quod autem reliquum fuerit, principis erit ex omni parte primitiarum sanctuarii, et possessionis civitatis e regione viginti quinque millium primitiarum usque ad terminum Orientalem : sed et ad mare e regione viginti quinque millium usque ad terminum maris, similiter in partibus principis erit : et erunt primitiæ sanctuarii, et

sanctuarium templi in medio ejus. 22. De possessione autem Levitarum, et de possessione civitatis in medio partium principis : erit inter terminum Juda, et inter terminum Benjamin, et ad principem pertinebit. 23. Et reliquis tribubus : A plaga orientali usque ad plagam occidentalem, Benjamin una. 24. Et contra terminum Benjamin, a plaga orientali usque ad plagam occidentalem, Simeon una. 25. Et super terminum Simeonis, a plaga orientali usque ad plagam occidentalem, Issachar una. 26. Et super terminum Issachar, a plaga orientali usque ad plagam occidentalem, Zabulon una. 27. Et super terminum Zabulon, a plaga orientali usque ad plagam maris, Gad una. 28. Et super terminum Gad, ad plagam Austri in meridie : et erit finis de Thamar usque ad aquas contradictionis Cades, hæreditas contra mare magnum. 29. Hæc est terra, quam mittetis in sortem tribubus Israel : et hæ partitiones earum, ait Dominus Deus. 30. Et hi egressus civitatis : A plaga septentrionali quingentos et quatuor millia mensurabis. 31. Et portæ civitatis : ex nominibus tribuum Israel, portæ tres a Septentrione, porta Ruben una, porta Juda una, porta Levi una. 32. Et ad plagam orientalem, quingentos et quatuor millia : et portæ tres, porta Joseph una, porta Benjamin una, porta Dan una. 33. Et ad plagam meridianam, quingentos et quatuor millia metieris : et portæ tres, porta Simeonis una, porta Issachar una, porta Zabulon una. 34. Et ad plagam occidentalem, quingentos et quatuor millia : et portæ eorum tres, porta Gad una, porta Aser una, porta Nephthali una. 35. Per circuitum, decem et octo millia : et nomen civitatis ex illa die, Dominus ibidem.

Nota : Dat hic Deus ideam perfectæ reipublicæ Israeliticæ, non quæ fuit post captivitatem Babylonicam, sed quæ esse debuit, sicut Plato dat ideam perfectæ reipublicæ quæ esse debet, etiamsi illa in rerum natura non exstet. Nam duæ tantum tribus e captivitate redierunt, reliquæ decem in ea remanserunt, exceptis paucis qui cum duabus tribubus mixti redierunt. Quocirca hæc magis Apostolos et Christianos, quam Judæos spectant, uti dicam in fine capitis.

Accipe hic ideam omnium terræ portionum, ejusque per tribus, sacerdotes, templum, urbem, et principem ordinatam divisionem.

AD AQUILONEM

1 Sors Dan

2 Sors Aser

3 Sors Nephtali

4 Sors Manasse

5 Sors Ephraim

6 Sors Ruben

7 Sors Juda

Portio Principis

Portio Sacerdotum

Templum

Portio Levitarum

Civitas

Portio servientium civitati

Portio Principis

1 Sors Benjamin

2 Sors Simeon

3 Sors Issachar

4 Sors Zabulon

5 Sors Gad

AD MERIDIEM

Ecce hæc est idea perfecta reipublicæ Israelis, prout a Deo instituta est sub Mose et Josue, sed suo vitio collapsa, hic plenius, perfectius et pulchrius a Deo restituitur, quam fuerit primitus instituta; restituitur, inquam, non reipsa, sed in idea, quæ fuit typus Ecclesiæ et reipublicæ christianæ, in qua militante hæc idea compleri incipit, sed plene complebitur in triumphante. Hac ergo de causa nominat duodecim tribus prout primitus fuerunt, eisque suam sortem assignat. Duodenarius enim symbolum est perfectæ reipublicæ et universitatis. Nam duodenarius, ut notat Petrus Bongus, lib. *De Numer. mysteriis*, pag. 386 et sequent., perfectus est numerus: hinc naturalis est mensium anni. Unde et plenæ civitatis ac reipublicæ tam apud Ezechielem, quam apud Platonem est numerus.

Rursum in duodenario continentur omnes toni, et harmonia musices, scilicet, prima sesquialtera nascitur inter tria et duo; unde quinarius dicitur prima radix hujus proportionis. *Prima* quoque sesquitertia provenit inter quatuor et tria : quare septenarius est radix sesquitertiæ. Sesquialtera consonantia generat diapente, sesquitertia generat diatessaron. Ex his duabus, quinta et septima, conflatur consonantia in dupla proportione consistens, diapason, cujus radix est duodenarius. *Secundo*, duodenarius est primus numerus impariter par. Surgit enim ex ductu primi imparis, scilicet ternarii in quaternarium, qui primus est pariter par : ter enim quatuor faciunt duodecim. Rursum duodenarius componitur ex senario geminato. Senarius autem est primus perfectus; quia primus est, qui ex omnibus suis Primo.

primis partibus componitur : nam unum, duo, tria, quæ sunt primæ partes senarii, faciunt sex. *Tertio*, Plato in *Phædone*, duodenario formarum numero describit orbem. In *Phædro*, deorum dæmonumque exercituum sub duce Jove, in ordines duodecim disponit. In *Legibus* custodias, magistratus, agros, vicos civitatemque secat in duodecim partes. Suam quoque civitatem diis duodecim commendat : unde et in duodecim sideribus Zodiaci, totidem a Pythagoræis positi fuerunt particulares dii. Quin et Plato, lib. VIII *De Republ.*, duodenarium celebrat ut divinum. Quocirca Platonici duodenarium aiunt esse universalis formæ mundanæ et humanæ, atque civilium gubernatorem, plurimumque rerum propagationi mutationique congruere. Quin et mundus a Platone in *Timæo* formatur duodecim facierum numero, suntque duodecim primariæ orbis partes, scilicet quatuor elementa, et octo cœli usque ad siderum, sive firmamentum. Denique dies, et nox, duodecim horis describuntur. *Quarto*, duodenarius in inferioribus ostendit suam fecunditatem. Pavo, teste Aristotele lib. VI *De Animal.* cap. IX, duodecim ova ponit; acanthis avis minima duodecim parit pullos, teste Plinio; lepus et cuniculus fecundissimi, duodecies in anno generant pariuntque; singulis etiam mensibus pariunt columbæ; camela duodecim mensibus fœtum gerit, et licet tantæ sit magnitudinis, usque ad duodecimum diem sine potu perdurat; cynocephalus in utroque æquinoctio duodecies, puta singulis horis, potus excrementa profundit, tumque argutiore ululatu vociferatur, quasi singulas horas voce indicans : unde ab Ægyptiis in hydrologiis insculpitur, quasi symbolum divisionis diei in duodecim horas. *Quinto*, in Scriptura frequens et sacer est hic numerus. Nam duodecima mansione Hebræorum in deserto descendit Deus in Sina, ibique legem dedit; duodecim Patriarchas, tribus et principes elegit, totidemque dona offerre jussit, *Numer.* I, 2 et seq. Duodecim fontes fuerunt in Elim, quibus sitibundi Israelitæ satiati sunt, *Exodi* XV, 27. Duodecim erant lapides in rationali pontificis. Duodecim exploratores misit Josue in Chanaan, *Numer.* XIII. Duodecim lapides e Jordane electi et fixi sunt in monumentum transitus Hebræorum, *Josue* IV. Duodecim fuerunt leunculi in solio Salomonis, II *Paralip.* IX. Duodecim cubiti Ariel, *Ezechiel.* XLIII, 15. Duodecim fundamenta cœlestis Jerusalem, et duodecim fructus ligni vitæ, *Apoc.* XXII. Ex singulis tribubus signantur duodecim millia, *Apocal.* VII. Duodecim a Christo electi sunt Apostoli; quia ternarius SS. Trinitatis, quam prædicarunt, ductus in quatuor mundi plagas, ad quas mittebantur, facit duodenarium. Mulier illa cœlestis amicitur stellis duodecim, *Apocal.* XII, 1. Duodecim panes propositionis Deo in mensa jugiter proponebantur, *Levit.* XXIV. Apostoli et viri Apostolici sedebunt super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. Duodenarius enim symbolum est universitatis, tum hominum, tum electorum.

Denique, IV *Esdræ* XIV, duodenis partibus divisum esse dicitur sæculum, quoniam justi ibunt in vitam æternam, mali in ignem æternum.

1. ET HÆC NOMINA TRIBUUM, — *q. d.* Hæc sunt nomina portionum, sive possessionum singularum tribuum. Metonymice enim nomina possessorum vocat ipsos possessores, et per possessores ipsas possessiones intelligendas relinquit. Sic *Apocal.* III, 4, dicitur : « Habes nomina pauca in Sardis : » « nomina, » i. e. homines. Sic apud Senecam, lib. V *De Benefic.*, ὀνόματα vocantur ἄνθρωποι.

A FINIBUS AQUILONIS, — id est ab extremo fine et limite Chananææ versus Aquilonem.

ET ERIT EI PLAGA ORIENTALIS MARE, — *q. d.* Hæc sors et divisio terræ danda Dan, et aliis tribubus, fiet a plaga orientali versus mare, id est versus Occidentem. Hoc est, fiet per lineam ductam ab Oriente in Occidentem : per illam enim accipiebatur longitudo terræ, et sortis cujusque tribus. Ita Vatablus et Hebræi.

DAN UNA, — *q. d.* Tribui Dan assignabitur prima sors ad Aquilonem. Dan ergo primam tribuit partem, secundam Aser, tertiam Nephthalim, quartam Manasse, quintam Ephraim, sextam Ruben, septimam Juda. Cæteris quinque tribubus, inferius vers. 23, portiones ad Meridiem assignat. Hæc, uti ostendi cap. XL, initio, mystice accipienda sunt, non ad litteram, ut sonant : nam decem tribus e captivitate non redierunt, sed disperierunt et evanuerunt. Per eas ergo accipi debent tribus, familiæ et Ecclesiæ christianorum. Porro quinam christiani in particulari mystice intelligantur per Dan, quinam per Aser, Nephthalim, Juda, etc., dixi *Gen.* XXX, 42; *Num.* II, sub fine, *Apocal.* VII, 5. Ibi enim S. Joannes recitans duodecim tribus, signatosque ex singulis ad 12 millia, alludit plane ad has Ezechielis 12 tribuum partitiones et sortes. Quomodo autem hæc sortium Ezechielis divisio ad litteram intelligenda sit factaque, nemo explicat, nec ego divinare ausim.

2. ET SUPER TERMINUM DAN, — *q. d.* Proxime post terminum et sortem Dan, secundam partem accipiet Aser.

3. ET SUPER TERMINUM ASER. — « Super, » id est juxta. Sic dicitur de Christo, *Lucæ* IV, 39 : « Stans super (id est juxta) illam, imperavit febri; » hoc enim significat Hebræum עַל *al.*

8. PRIMITIÆ, — id est prima oblatio, sive prima sors et pars terræ danda Deo et sacerdotibus. Repetit partem possessionis sacerdotum, quam descripsit cap. XLV, 1.

Asserit ergo portionem sacerdotum in longitudine, ab Oriente in Occidentem latere 25 mille calamos, et in latitudine decem mille. *Deinde* similiter levitarum partem ait occupare alios 25 mille calamos in longitudine, et alios decem mille in latitudine. *Tertio*, civitati assignat pariter 25 mille calamos in longitudine, et quinque

mille in latitudine. Quocirca hæ tres portiones junctæ efficiebant quadratum perfectum, quod habebat 25 mille calamos in longitudine, et totidem in latitudine. Nam decem mille latitudinis sortis sacerdotum, et decem mille sortis levitarum, addita quinque millibus civitatis, faciunt 25 millia.

Huc anagogice alludens S. Joannes, *Apoc.* XXI, 16 : « Civitas, ait, in quadro posita est, » ut significet Jerusalem cœlestis firmitatem, æque ac pulchritudinem : nam quadratæ urbes, æque ac domus, firmissimæ sunt, teste Vitruvio. Porro hæ tres sortes et portiones habent ex utraque parte portionem principis, ab Oriente scilicet et ab Occidente. Quo fit ut hæ quatuor portiones, simul junctæ, efficiant unam portionem, quæ a Meridie ad Aquilonem occupet 25 mille calamos, sed ab Oriente ad Occidentem, adjunctis sortibus 12 tribuum, multo plures, nempe tot, quot habet quælibet portio cujusque tribus.

Quadratæ urbes et domus firmissimæ.

Mystice S. Hieronymus docet « vigesimum quintum numerum referri ad sensus (hi enim quinque sunt, et quinquies in vigesimo quinto continentur) de quibus dictum est. Sensum divinum possidebitis; et decem millium ad perfectam consummatamque virtutem, quæ decalogo veteris instrumenti ad Evangelicum perveniat sacramentum. »

ET LONGITUDINIS, SICUT SINGULÆ PARTES, — id est longitudo harum trium partium simul junctarum, erit 25 millium calamorum, sicut longitudo singularum per se sumptarum, scilicet ab Oriente in Occidentem, æque 25 millium est.

Vers. 9. 9. PRIMITIÆ QUAS SEPARABITIS DOMINO. — Prima pars, quam assignabitis sacerdotibus : hisce enim proprie hic sortem assignat. Sortem enim quam vers. præced. generatim sacerdotibus, levitis, et civitati attribuit, hic sigillatim cuique suam assignat.

Vers. 10. 10. AD AQUILONEM LONGITUDINIS VIGINTI QUINQUE MILLIA. — Dimetitur quatuor latera portionis sacerdotum, juxta quatuor plagas, scilicet duo latera longitudinis ab Oriente in Occidentem, quorum unum erat ad Septentrionem, alterum ad Austrum; utrumque autem habebat 25 millia calamorum, ut dixit cap. XLV, 3. Alia deinde duo latera latitudinis metitur, quorum unum erat ad Orientem, alterum ad Occidentem; utrumque autem habebat decem millia calamorum. Ita Maldonatus.

Vers. 11. 11. SACERDOTIBUS SANCTUARIUM ERIT DE FILIIS SADOC. — Pro *sanctuarium* hebraice est מקדש *mecuddas*, id est sanctificatum, *q. d.* Totum hoc spatium a me divisum, separatum et sanctificatum est, ut detur sacerdotibus filiis Sadoc, de quibus dixi cap. XLIV, 15.

Nota : Quod Ezechiel viderit templum ab urbe semotum per 15 millia calamorum, cum templum Salomonis fuerit in ipsa urbe, allegorice significat Ecclesiam Christi longe esse sublimiorem Synagoga Mosis. Nam ad hanc ejusque carneas hostias et ritus non erat opus, ut quis longius recederet aut exiret : at ut Deo spirituale Evangelicæ legis sacrificium offeratur, opus est ut christianus semetipsum abneget, a se exeat, sese relinquat, et ad Deum quærendum procedat : quod maxime faciunt, qui se a suorum, et totius sæculi commercio abducunt, et in Religionis asylum confugiunt : hoc enim significat novum hoc Ezechielis templum. Porro 15 millia calamorum faciunt circiter 27 (et si calami sint sacri, triginta) milliaria Italica, quod est iter unius diei : quo significatur opus esse viam hanc mane, id est tempestive inchoare, ut ante vitæ vesperam, solisque et lucis occasum, possimus eo pervenire, ubi plenum et perfectum spirituale hoc sacrificium Deo offeramus. Ita Alcazar in *Apocal.* XXI, 22, notat. 38.

12. ET ERUNT EIS PRIMITIÆ. — « Primitiæ » hic non frugum, sed terræ accipiendæ sunt, uti dixi vers. 9. Unde hebraice est : *Erit itaque eis oblata* (portio terræ) *de oblatione terræ sanctitas sanctitatum*, id est sanctissima; quia in ea erigetur Deo templum. Vers. 12.

JUXTA (scilicet ante) TERMINUM LEVITARUM. — Nam portio terræ sacerdotum prima erat, eam deinde sequebatur portio levitarum, ut patet cap. XLV, 5.

13. OMNIS LONGITUDO. — Vox *omnis* distribuit quatuor latera sortis Levitarum, *q. d.* Utraque longitudo et lateris septentrionalis, et lateris australis, erit 25 millium calamorum; et utraque latitudo lateris, tam orientalis, quam occidui, erit decem millium calamorum. Vers. 13.

15. QUINQUE MILLIA AUTEM QUÆ SUPERSUNT IN LATITUDINE PER VIGINTI QUINQUE MILLIA, PROFANA ERUNT URBIS. — Nota : Sors sacerdotum in latitudine habebat decem millia, sors levitarum totidem, sors civitatis quinque, ita ut universa latitudo trium harum sortium esset 25 millium. Porro ex his 20 millia cedebant sorti sacerdotum et levitarum. Supererant ergo 5 millia pro civitate, quæ proinde profana vocat, quia destinata erant civibus laicis « in habitaculum, et in suburbana; » unde Symmachus et Theodotion pro *profana*, vertunt λαικὸν. Hinc et subdit : « Et civitas in medio ejus. » *q. d.* In medio hujus spatii tertii, quod 25 millia calamorum habet in longitudine, decem in latitudine, erigetur civitas Jerusalem. Porro *suburbana*, vocat locum ante urbem vacuum et domibus et arboribus, quod Vatablus et Livius *pomœrium*, alii *circum*, alii *aream* vocant. Vers. 15.

Mystice, quinque millia, quæ erant profana extra templum, designant, juxta S. Hieronymum, deditos quinque sensibus. Unde et turris illa carnea, puta Goliath, habebat loricam ponderantem quinque millia siclorum æris, I *Reg.* XVII. Hinc Pythagorici quinarium Minervæ sacrum habuerunt, quia sterile producit. Unde Servius Minervam natam dicit quinta luna, sicut omnes qui steriles fuere. Hinc Titanis filios steriles quinta luna Mysteria quinarii.

natos dicunt : antiquis enim creditum est, quidquid quinta luna nasceretur, sterile et damnosum fore. Hinc et natum adagium, ut nullius numeri hominem quinta luna natum dicant, uti testatur Cicero in *Academ.* lib. II. Accedit Hesiodus, lib. *De Diebus*, qui reprobat quintas, in quibus Erinnyes Rixæ filias natos dicit, quas jussu Plutonis vagari, et plus habendi desideria castigare, perjuriosque deposcere ad supplicium significat. Eum secutus Virgilius, I *Georg.*, sic canit :

Quintam fuge, pallidus Orcus
Eumenidesque satæ.

Quinque ergo carni et quinque sensibus addictos denotant. Itaque quinque filiæ Salphaad, qui mortuus est in peccato, *Num.* XXVII, designant opera quinque sensuum, ait S. Augustinus, in *Psalm.* XL, aut ipsos sensus, qui sunt filiæ, quæ nascuntur ex oblivione, non ex memoria. Quinque ani aurei, I *Reg.* VI, teste S. Gregorio, designant memoriam peccatorum per quinque sensus commissorum. Quinque in domo una, *Luc.* XII, (teste S. Ambrosio) hoc est, in homine sunt, anima, caro, appetitus carnalis, concupiscibilis, irascibilis ; et dividuntur, quæ prius in malum consentiebant. Quinque civitates in terra Ægypti loquentes lingua Chanaan, sunt figura quinque sensuum, cum ad carnis et Ægyptias delicias deficiendo declinant, uti *Isaiæ* XIX, ex S. Hieronymo dixi. Verum, quia civitas hæc sancta erat, hinc alii quinque hæc millia spatii ejusdem in bonum accipiunt, scilicet pro bono usu quinque sensuum. Sic enim et carmina Salomonis quinquies mille, III *Reg.* IV, pro quinque sensibus intelliguntur : quos qui in diversis virtutibus bene regit, beatus est : rectus enim usus horum et moderatio, est quasi ratio canendi Domino laudes. Quocirca etiam per eos, quasi quinque millia carmina Domino Salomon canit. Sic et quinque millibus virorum satiatis a Christo, *Matth.* XIV, designantur, qui sunt perfecti quinque sensibus, qui scilicet viriliter agere et confortari satagunt, sobrie, juste et pie vivendo, ut cœlestis sapientiæ dulcedine mereantur recreari. Sic apud Romanos de jure triumphandi exstabat lex, ne quis triumpharet, nisi qui hostium quinque millia una acie cecidisset. Erat ergo hic numerus quinque millium augustus, sacer, triumphalis.

Porro Plato, lib. V *De Legib.*, numerum quinquies mille et quadraginta summopere commendat in magistratuum, domiciliorum agrorumque partitione, utpote omnium utilissimum, eo quod in se multas distributiones partium integras contineat. Unde eum legislatori, quasi civitati commodissimum commendat. Nam si hunc numerum in binas seces partes, pars dimidia 2520 continebit. Si in partes tres, pars tertia erit 1680. Si in quatuor, quarta pars erit 1260. Si in quinque, quinta pars 1008 continebit. Si in sex, quælibet 840. Si in septem, septima pars 720. Si in octo, octava 630. Si in novem, nona 560. Si in decem, decima 504. Huc usque partes omnes sunt integræ. Sed si in undecim secemus, undecima erit 458, atque insuper duæ undecimæ portiunculæ. Si in duodecim, duodecima erit 420.

16. AD PLAGAM SEPTENTRIONALEM, — hoc est, limes aquilonaris hujus urbis habebit calamos 4500 ; totidem habebit limes australis, et totidem orientalis, æque ac occidentalis. Itaque tota urbs occupabit in ambitu 18 millia calamorum, id est 108 millia cubitorum, et insuper 18 millia palmorum. Calamus enim sacer (de quo hic agitur) continebat sex cubitos, et palmum, uti dixi cap. XL, 5. Erat civitas hæc quadrata habens singula quatuor latera æqualia. Quodque enim latus continebat 4500 calamos. Porro cum tota illa portio, in qua sita erat civitas, contineret 5000 calamos, liquet urbem ipsam non implere totam hanc portionem. Supersunt enim quingenti calami, nempe 250 ex una parte civitatis, quæ erat ad Aquilonem, et totidem ex altera parte ad Austrum. Et hæc duo spatia vocantur hic suburbana, de quibus mox subdit : « Erant autem suburbana, » etc. Post hæc suburbana sequebantur agri ministrorum, qui serviebant civitati. Hinc patet quantum superarit suburbanum urbis suburbanum templi : urbis enim continebat 250 calamos, templi 50 cubitos tantum, ut dixit cap. XL. Vers. 16.

18. QUOD AUTEM RELIQUUM FUERIT. — Occupabat spatium illud profanum, in quo urbs collocanda erat, 25 millia calamorum longitudinis, uti dixit cap. XLV, 6 ; urbs autem non habebat nisi quinque millia calamorum, uti jam dixi : ergo superarant 20 millia calamorum, 10 ex una parte ad Orientem, 10 ex altera ad Occidentem. Nam, ut dixit cap. XLV, 7, longitudo sumebatur ab Oriente in Occidentem. Vers. 18.

SECUNDUM PRIMITIAS SANCTUARII. — Hebræus, *juxta oblationem sanctam*, id est juxta levitarum portionem, quæ ad partem urbis sancta erat. Idem significat id quod sequitur : « Sicut primitiæ sanctuarii. » Hebraice enim idem est, scilicet, *juxta oblationem sanctam.*

ERUNT FRUGES EJUS IN PANES, — *q. d.* Alentur inde ministri urbis, quos hic vocat *servientes*, quales sunt famuli Consulum, Prætorum, Senatus ; item ii qui curant plateas, sarta tecta murorum, qui præsunt annonæ et foro, tabelliones, procuratores aliique qui in aliis officiis publicis civitati necessariis, eidem deserviunt. Non ergo servientes, vel ministros urbis vocat vinitores et agricolas, ut vult R. David.

20. OMNES PRIMITIÆ. — Est anacephalæosis : recapitulat enim generatim mensuras sortium omnium, quas prius particulatim dimensus est ; scilicet tres hæ sortes sacerdotum, levitarum et civitatis simul junctæ, habebant 25 millia calamorum in longitudine, et totidem in latitudine. Efficiebant ergo quadratum geometricum. Porro totum hoc spatium vocat *primitias*, vel, ut hebraice est Vers. 20.

תרומה *teruma*, id est oblationem sanctam; quia, licet spatium civitatis esset profanum, uti paulo ante dixit, respectu spatii sacerdotum et levitarum, erat tamen sanctum respectu cæterarum urbium. Urbs enim Jerusalem erat urbs sancta, in qua Deus habitabat, scilicet in ejus templo.

21. QUOD AUTEM RELIQUUM FUERIT. — Longitudo triplicis sortis, scilicet sacerdotum, levitarum et urbis, non pertingebat usque ad Jordanem, qui erat orientalis terminus Terræ Sanctæ ex una parte; nec ad mare Mediterraneum, quod erat limes ejusdem occidentalis ex altera parte. Itaque spatium, quod supererat, datur hic principi, ut ipse sua sorte ambiat sortem sacerdotum, levitarum et populi : quia princeps Ecclesiam, æque ac rempublicam instar valli sepire, munire et defendere debet; unde sequitur :

22. DE POSSESSIONE AUTEM LEVITARUM. — Hebraice מאחוזת *meachusat*, id est *a possessione levitarum, et a possesione urbis (quæ est in medio ejus); quod erit reliquum, principis erit; quod erit inter terminum Juda et Benjamin, principis erit, q. d.* Possessio illa principis, in cujus medio erit possessio levitarum, et consequenter sacerdotum ac urbis, erit inter tribum Juda et Benjamin; unde clare vertit Vatablus : *Possessio quoque levitarum, et possessio urbis erit intra illud spatium, quod principis est; denique princeps inter Juda et Benjamin terminos, habebit possessionem.* Est quasi iteratio et confirmatio præced. vers. cum una clausula sive additione de situ sortis principis inter sortem Juda et Benjamin. Nam sors Benjamin erat ad Austrum, Juda ad Aquilonem. Jam quidquid medium erat inter utramque sortem, hoc principis erat. Aliter paulo hæc explicat Maldonatus ex R. Salomone.

Sors Judæ et Benjamin commutantur, cur?

Notant S. Hieronymus et Alcazar, *Apocal.* III, in fine, pag. 309, hic permutari sortes Judæ et Benjamin. Nam Josue, cap. XVIII, 5, tribui Judæ dedit sortem ad Austrum, Benjamin vero ad Aquilonem, vers. 12; hic vero ex adverso Juda collocatur ad Aquilonem; Benjamin vero ad Meridiem. Benjamin, inquit Alcazar, ponitur ad Austrum, id est ad dextram templi (templum enim orientem solem respiciebat, ita ut Auster esset ei dexter, Aquilo sinister); Juda vero ad Aquilonem, id est ad sinistrum, ut significetur illud Christi : « Qui se humiliat, exaltabitur; » ille enim vere est Benjamin, id est filius dexteræ, qui per hoc dexteram meretur, quod in oculis suis minimus sit, et meliorem ac digniorem locum fratri, puta Judæ, concedat.

23. ET RELIQUIS TRIBUBUS. — Est tertia pars capitis. Nam post sortes septem tribuum, et post sortes sacerdotum, levitarum, civitatis et principis, hic reliquis quinque tribubus sortem cuique assignat.

A PLAGA ORIENTALI. — Supple, erit longitudo : idem intellige in cæteris usque ad vers. 28. Latitudinem vero non describit; per quod Judæi significari censent, quod ipsorum regnum sub Messia nullis limitibus terminabitur. Hoc verum est de regno Messiæ, quem ipsi frustra venturum exspectant, nos venisse credimus : Christus enim Ecclesiam suam per Apostolos toto orbe propagavit. Unde de eo præcinuit Psaltes, *Psal.* LXXI : « Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum. »

24. ET CONTRA TERMINUM. — « Contra, » id est juxta : hoc enim hebraice est אל *al*. Sic *supra*, id est juxta, *terminum*, ut dixi vers. 3, 4, 5 et seq.

28. ET ERIT FINIS DE THAMAR, — *q. d.* Limes australis plagæ erit ab urbe Thamar, id est, non a Jericho, sed a Palmyra usque ad aquas contradictionis, scilicet usque ad Cades, uti dictum est cap. præced. vers. 19. In qua plaga ultimum locum ad Austrum occupabat tribus Gad. Vers. 28.

29. HÆC EST TERRA, — hæ mensuræ et partes Terræ Sanctæ inter duodecim tribus distribuendæ. Est anacephalæosis præcedentium. Vers. 29.

30. ET HI EGRESSUS CIVITATIS. — Rabbini per *egressus* accipiunt portas; melius S. Hieronymus accipit latera, sive ambitus civitatis, a quatuor ejus lateribus. Hi enim singuli, non autem portæ, habebant « quingentos quatuor millia » calamos, uti dixi vers. 16. Quibus si adjicias bis 250 calamos suburbani, qui erant utrinque, habebis mensuram quinque millium, de qua superius dixi. Vers. 30.

31. PORTA LEVI UNA. — Levi non habebat sortem in terra, habebat tamen portam in civitate. Ita Vatablus. Describit hic 12 portas, scilicet ternas a quolibet latere, inscriptas nominibus duodecim tribuum. Itaque ad Septentrionem porta prima erat Ruben, secunda Juda, tertia Levi. Ad Orientem porta prima erat Joseph, secunda Benjamin, tertia Dan. Ad Meridiem porta prima erat Simeon, secunda Issachar, tertia Zabulon. Ad Occidentem porta prima erat Gad, secunda Aser, tertia Nephtali. Portæ ibutrum quæ

Notat Alcazar in *Apoc.* XXI, 13, pag. 934, portas hasce Ezechielis non per omnia respondere portis priscæ Hierosolymæ. Nam porta Ephraim, quæ eadem est cum porta Joseph, hic ab Ezechiele ponitur ad Orientem, cum in Hierosolyma veteri eadem fuerit ad Septentrionem, uti docet Adrichomius, Vilalpandus et alii. Rursum non vocantur hæ portæ Ephraim, Dan, Manasse, etc., eo quod per illas iretur ad sortem et terram tribus Ephraim, Dan, Manasse, etc., sed quod eorum nominibus inscriptæ essent, aut ab iis exstructæ, juxta ea quæ scribit Nehemias cap. III. Unde et Ezechiel hic vers. 19 videtur eos vocare « servientes civitati. » Nam alioqui Ezechiel sortem tribuum duodecim ita distribuit, ut septem ponat ad Septentrionem, quinque reliquas ad Meridiem, uti dixi initio capitis.

35. PER CIRCUITUM (scilicet per quatuor urbis latera) DECEM ET OCTO MILLIA. — Quater enim quatuor millia quingenti faciunt octodecim millia, non leucarum, ut vult Lyranus et Rabbini, sed calamorum, uti ostendi vers. 30. Porro octodecim millia calamorum faciunt 32 milliaria et 400 passus uti patet ex dictis cap. XLVI, in fine.

ET NOMEN CIVITATIS EX ILLA DIE, — qua restaurata vel exstructa fuerit.

DOMINUS IBIDEM. — Hoc imperfecte competit Hierosolymæ, in qua Deus in templo habitavit modico tempore, scilicet ab Esdra usque ad Titum et Vespasianum; perfecte vero competit Ecclesiæ Christi, imo de ea sola intelligunt S. Hieronymus, Lyranus, Vatablus, Hugo, Dionysius, Maldonatus, Pintus et alii. Unde Jonathas Chaldæus paraphrastes vertit : *Et nomen civitatis exponent a die quo posuit Deus divinitatem suam ibi*; Syrus vertit : *Et nomen civitatis a diebus ejus* (ex quo condita est) *Dominus appellavit eam;* Arabicus Antiochenus : *Nomen civitatis, ex quo ædificarunt eam, Domino*, id est appropriata et dicata Domino; Arabicus Alexandrinus : *Et nomen civitatis jam nominavit eam Dominus prima die illius*, ex quo cœpit esse. Hoc nomen valde congruit cum illo, quod Christo imponitur *Isaiæ* VII, 14 : « Vocabitur nomen ejus Emmanuel, id est nobiscum Deus. » In Ecclesia enim Deus cum suis filiis et fidelibus est, juxta illud *Matth.* XXVIII, 20 : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi. »

Ubi nota : Apposite Lyranus censet duplex hic Ecclesiæ regnum describi, scilicet spirituale in templo, de quo cap. XL, in fine; temporale in civitate hac, hoc est templum significare clericos, civitatem laicos fideles, in qua proinde præscribuntur justa pondera aliæque leges justitiæ : hæc enim columen est et basis reipublicæ ac regni. Civitas enim est civium unitas, quæ maxime justitia et charitate coalescit. In quolibet latere civitatis sunt tres portæ, et a duodecim tribubus nominatæ, et ad quatuor orbis partes æqualiter respicientes : ut significetur ad principem christianum pertinere præesse communitati civium; ita ut omnes christiani et subditi tam minores, quam majores ex qualibet parte regni liberum ad eum habeant accessum, tanquam ad conservatorem et defensorem omnium. Et quia in hoc sunt ministri Dei, ut docet Apostolus *Rom.* XIII, dicens : « Ministri enim Dei sunt in hoc ipsum servientes; » ideo hic dicitur : « Et nomen civitatis ex illa die, Dominus ibidem; » quia civitas non nominatur a vicario, sed a principali domino : et sic communitas populi Christiani nominatur a Christo. Porro per numeros calamorum et cubitorum in genere dici potest, quod per ipsos intelligatur certa quantitas meritorum secundum conditiones et opera personarum, quæ soli Deo nota est quantum ad omnia. Huc usque Lyranus in fine libri. S. Hieronymus vero per urbem potius accipit Ecclesiam christianam, quam rempublicam fidelium temporalem. Hinc Alcazar in *Apoc.* IV, pag. 326, litt. C, per civitatem hanc accipit Romam, cujus nomen, ait, est « Dominus ibidem. » Sed audi S. Hieronymum :

Tribus, ait S. Hieronymus, duodecim circa tabernaculum (ut patet *Num.* II, 3) ita castrametabantur, « ut ad Orientem fuerit Judas, Issachar et Zabulon, filii Liæ; et ad Meridiem, Ruben, Simeon, Gad, duo filii Liæ, et tertius filius Zelphæ ancillæ Liæ; ad Occidentem vero Ephraim, et Manasses, et Benjamin, duo videlicet filii Rachelis : quia Joseph pro tribu Levi, quæ sacrificiis deputata est, in duas tribus, Ephraim et Manasse, divisa est. Ad Aquilonem autem Dan, et Aser, et Nephtali : quorum primus et tertius filii sunt Balæ ancillæ Rachelis; secundus, filius Zelphæ, ancillæ Liæ, ignobiles, et ad Aquilonem positi : quippe qui ex ancillarum inter se dissidentium stirpe generati sint. » Deinde eis opponens hasce tribus et urbem Ezechielis, puta 12 Apostolos, eorumque prosapiam et Ecclesiam, subdit : « Nostra vero urbs, quæ est civitas magni regis, cujus artifex et conditor est Deus, de qua et Psalmista canit : Numquid Sion dicet : Homo, et homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus? aliam habet tribuum in terra sancta descriptionem, et mensuram civitatis, possessionis ordinem, et plagas tribuum singularum. Primum enim plagæ Aquilonis opponuntur tres portæ, sive exitus civitatis : quorum est primogenitus Ruben, et Judas regiæ stirpis auctor, et Levi : super cujus nomine in tabernaculo, et sacrorum descriptione nil dictum est; ut primogenita possidentes quasi genus regale et sacerdotale, Aquilonis frigora contemnamus. Secundo vero ad Orientem est Joseph, Benjamin et Dan; ambo filii Rachel, et unus Balæ ancillæ ejus. Ad Meridiem vero Simeon, Issachar et Zabulon, qui tres Liæ filii sunt. Porro ad Occidentem Gad, Aser et Nephtali : quorum priores duo filii Zelphæ sunt, ancillæ Liæ : tertius filius Balæ, ancillæ Rachelis. Quis sapiens, et intelliget hæc? intelligens, et cognoscet ea? Quia rectæ viæ Domini, et justi ambulabunt in eis : prævaricatores vero corruent in illis. Has duodecim portas, sive exitus, pro qualitate meritorum atque virtutum, singulis tribubus, sub apostolicis et patriarcharum nominibus arbitror delegatas, de quibus et in Apocalypsi Joannis apertius scribitur, et multarum divinarum Scripturarum sacramenta testantur. Et necesse est ut talis civitas decem et octo millium per circuitum teneat calamorum : sub quo numero, et in duodevigesimo psalmo lex naturalis est scripta, gratiaque Evangelii describitur, quibus Ecclesia, id est urbs Salvatoris, exstructa est. Nomen quoque ipsius civitatis nequaquam erit, ut prius Hierosolyma (quæ interpretatur, *visio pacis*), sed Adonai samma, quod in Latinum sermonem vertitur, *Dominus ibidem*, qui recedat nunquam ab ea, ut a priori populo ante discessit, dicens ad discipulos : Surgite, abeamus hinc; et ad Judæos : Relinquetur vobis domus vestra deserta, sed æternam habeat possessionem, et sit ei ipse possessio, iisdem discipulis repromittens : Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi » Quin et ipsi Rabbini post Christum, licet aliquando christianis objiciant Christum nostrum

non esse Messiam, eo quod ipsis templum et civitatem hic ab Ezechiele descriptam non ædificarit; tandem tamen fatentur urbem hanc cum templo spiritalem fore et mysticam, non corporalem. Ita R. Salomon hic fatetur, aitque : Omnia quæ in Ezechiele de Jerusalem scribuntur, de sancta civitate superna Jerusalem absque dubio intelligenda sunt. Idem docent Thalmudistæ, quos citat Finus lib. II *Flagelli Judæor.* cap. VIII, ubi per Jerusalem congregationem gentium ad Christum, sive universitatem christianorum; per templum, congregationem sacerdotum; per portam clausam, B. Virginem accipiendam esse docet : Alioqui, inquit, civitas hæc mundi magnitudinem adæquaret, si non superaret. Quæ ratio non est solida : nam hæc 18 millia civitatis, quæ hic numerat Ezechiel, non sunt leucarum, ut ipse cum Rabbinis censet, sed calamorum. Itaque civitas hæc cum 12 tribubus, sacerdotibus et Levitis symbolice significabat Ecclesiam cum 12 Apostolis, populo fideli, sacerdotibus et diaconis. Est in quadro posita, quia firmissima, ut portæ inferi ei prævalere nequeant. A singulis lateribus habet tres portas : quia undique a quatuor mundi plagis ad illam concurrerunt et ingressæ sunt gentes, idque per fidem SS. Trinitatis. Duodecim tribus sunt omnes fideles et christiani; hi enim sunt veri Israelitæ, filii Apostolorum, cives sanctorum, et domestici Dei. Nomen civitatis est *Dominus* (hebr. *Jehova*) *ibidem*, quia in Ecclesia est Deus, qui est suum et omnium rerum esse. Ibi est SS. Trinitas, Pater, Filius, et Spiritus Sanctus. Ibi realiter et corporaliter in sacramento et sacrificio Eucharistiæ est Jesus Christus, Deus et homo. Quanta hæc dignitas! quanta consolatio! quantum præsidium! quid enim deesse potest ei qui Deum habet!

Explicatio urbis, id est Ecclesiæ per singulas ejus partes.

Anagogice, hæc civitas cum 12 tribubus et portis significat Ecclesiam electorum triumphantium. Ita enim huc alludens, imo verba Ezechielis citans eam explicat S. Joannes, *Apocal.* XII, 10 : « Ostendit; inquit, mihi civitatem sanctam, Jerusalem descendentem de cœlo a Deo, habentem claritatem Dei, etc. Et habebat murum magnum et altum, habentem portas duodecim, et nomina inscripta, quæ sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israel. Ab Oriente portæ tres, et ab Aquilone portæ tres, et ab Austro portæ tres, et ab Occasu portæ tres. Civitas in quadro posita est, et longitudo ejus tanta, quanta et latitudo. Et mensus est murum ejus centum quadraginta quatuor cubitorum, mensura hominis, quæ est Angeli, » etc. Vide ibi dicta, vide et ea quæ dixi *Numer.* II, sub finem. Castra enim 12 tribuum circa tabernaculum erant quasi urbs mobilis et castrensis, significans Ecclesiam militantem, quæ tendit ad triumphantem; idque armata manu decertans, et perrumpens per medios hostes carnis, mundi et diaboli. Civitas Dei paradisus est, ubi vita, et gaudia æterna; civitas diaboli tartarus est, ubi mors, et tormenta æterna. Alterutra te manet. Deus, qui spiritus est incorporeus et immortalis, dedit tibi animam ad imaginem et similitudinem suam : animam incorpoream, immaterialem, spiritualem, itaque immortalem, ut eum colendo, amando, obediendo, pie, caste et sancte serviendo, paradisum et regnum ejus beatum, gloriosum et æternum assequare; sin autem minatur tibi tartarum, et flammantia ac æternantia gehennæ incendia. In medio positus elige bonum, vel malum; vitam, vel mortem; cœlum, vel tartarum; felicitatem, vel miseriam æternam. In mundo degis medius inter cœlum et tartarum, quasi in hospitio, quasi in palæstra, quasi in theatro, quasi in civitate vanitatis : vides opes, delicias, honores statim evanescere; cur vanis, cur fluxis, cur momentaneis inhias? O vanas hominum spes, et res! o vana et miserabilis hominum conditio! Vana omnia sunt sub sole. Vides juvenem, vides juvenculam, ætate, forma, opibus, gratia, nobilitate florentem, hominem vides pulverem cras futurum. Mortalia omnia morte damnata sunt, ut vivas ÆTERNIS. In cœlis veritas est, sanctitas est, gaudium est, deliciæ sunt, omne bonum est; quia *Dominus ibidem*. Gloria et divitiæ in domo ejus. Civitas illa non eget sole, neque luna : nam claritas Dei illuminat eam, et lucerna ejus est Agnus, et ambulabunt gentes in lumine ejus, et reges terræ afferent gloriam suam et honorem in illam. Non intrabit in illam aliquid coinquinatum, nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni. Ibi est vita sempiterna sempiterne beata, ibi est certa securitas, secura tranquillitas, tranquilla jucunditas, felix æternitas, æterna felicitas; ubi amor est perfectus, timor nullus, dies æternus, jugis vigor, alacer motus, et unus omnium spiritus; quia *Dominus ibidem*.

Anagogice, urbs hæc est Jerusalem cœlestis.

VIVE DEO, VIVE FELICITATI, VIVE ÆTERNITATI (nullus labor durus, nullum tempus longum videri debet, quo gloria) ÆTERNITATIS — acquiritur. Breves virtutis labores æterna voluptas sequitur.

> Ite nunc fortes ubi celsa magni
> Ducit exempli via, cur inertes
> Terga nudatis? superata tellus
> Sidera donat.

Beatus ero, si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndam claritatem Jerusalem. Portæ Jerusalem ex sapphiro et smaragdo ædificabuntur. Ex lapide candido et mundo omnes plateæ ejus sternentur, et per vicos ejus alleluia cantabitur. Benedictus Dominus, qui exaltavit illam, et sit regnum ejus in sæculum sæculorum super eam, Amen. Quoniam apud te, Domine, est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen. O quando hoc lumen illucescet? o quando inclinabuntur umbræ mortalitatis, et aspirabit dies divinæ immortalitatis? Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram, Deus cordis mei, et pars mea Deus in ÆTERNUM?

EPINICION

DEI OPTIMI MAXIMI

CURRU CHERUBICO IMPIOS DEBELLANTIS,

DE HISQUE TRIUMPHANTIS, EX ORACULIS EZECHIELIS.

I. Aperti sunt cœli, et vidi visiones Dei.

Et vidi, et ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone : et nubes magna, et ignis involvens, et splendor in circuitu ejus : et de medio ejus quasi species electri, id est de medio ignis.

Et in medio ejus similitudo quatuor animalium : et hic aspectus eorum, similitudo hominis in eis.

Quatuor facies uni, et quatuor pennæ uni.

II. Et vidi, et ecce manus missa ad me, in qua erat involutus liber : et expandit illum coram me, qui erat scriptus intus et foris : et scriptæ erant in eo lamentationes, et carmen, et væ.

III. Et comedi illud : et factum est in ore meo sicut mel dulce.

Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, et frontem tuam duriorem frontibus eorum.

Ut adamantem, et ut silicem dedi faciem tuam; ne timeas eos, neque metuas a facie eorum : quia domus exasperans est.

IV. Pone sartaginem ferream in murum ferreum inter te, et inter civitatem. Et dormies super latus sinistrum trecentis nonaginta diebus pro iniquitatibus domus Israel.

Deinde dormies super latus dextrum quadraginta diebus pro iniquitatibus domus Juda.

Et aquam in mensura bibes, sextam partem hin.

Panem subcinericium comedes, et stercore hominis operies illum.

Et dixi : A, a, a, Domine Deus, ecce anima mea non est polluta; et morticinum, et laceratum a bestiis non comedi ab infantia mea usque nunc, et non est ingressa in os meum omnis caro immunda.

Et dixit ad me : Ecce dedi tibi fimum boum pro stercoribus humanis : et facies panem tuum in eo.

V. Rades caput et barbam, ac pilos divides, tertiam partem igni combures, tertiam concides gladio, tertiam disperges in ventum.

Vivo ego, dicit Dominus, quia violasti sanctum meum, tertia pars tui peste morietur, tertia gladio cadet, tertiam in omnem ventum dispergam.

Et eris opprobrium et blasphemia, exemplum et stupor in Gentibus.

VI. Montes Israel, audite verbum Domini : Ecce ego inducam super vos gladium, et disperdam excelsa vestra.

Et dabo cadavera filiorum Israel ante faciem simulacrorum vestrorum : et dispergam ossa vestra circum aras vestras.

Hæc dicit Dominus Deus : Percute manum tuam, et allide pedem tuum, et dic : Heu, ad omnes abominationes malorum domus Israel : quia gladio, fame, et peste ruituri sunt.

VII. Hæc dicit Dominus : Finis venit, venit finis super quatuor plagas terræ.

Ornamentum monilium suorum in superbiam posuerunt, et imagines simulacrorum fecerunt ex eo.

Propterea dabo illud in manus alienorum ad diripiendum, et impiis terræ in prædam, et contaminabunt illud.

VIII. Emissa manus, et spiritus elevavit me inter cœlum et terram, et adduxit me in Jerusalem.

Et vidi ab Aquilone portæ altaris idolum zeli in ipso introitu.

Et dixit : Videbis abominationes majores.

IX. Dixit Dominus scriptori vestito lineis : Transi per mediam civitatem in medio Jerusalem : et signa thau super frontes virorum gementium, et dolentium super cunctis abominationibus quæ fiunt in medio ejus.

Deinde dixit sex viris, quorum quisque habebat vas interfectionis in manu : Transite per civitatem sequentes eum, et percutite : non parcat oculus vester, neque misereamini.

X. Vidit Cherubim, et super ea firmamentum, et solium ex sapphiro.

Et extendit Cherub manum de medio Cherubim ad ignem qui erat inter Cherubim : et sumpsit, et dedit in manus ejus, qui indutus erat lineis : qui accipiens egressus est.

XI. Cogitant filii Israel, dicentes : Nonne dudum

ædificatæ sunt domus? hæc est lebes, nos autem carnes.

Propterea hæc dicit Dominus Deus : Interfecti vestri, quos posuistis in medio ejus, hi sunt carnes, et hæc est lebes : et educam vos de medio ejus.

XII. Tu ergo, fili hominis, fac tibi vasa transmigrationis, et transmigrabis per diem coram eis : transmigrabis autem de loco tuo ad locum alterum, in conspectu eorum, si forte aspiciant: quia domus exasperans est.

XIII. Hæc dicit Dominus Deus : Væ prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, et nihil vident!

Quasi vulpes in desertis, prophetæ tui, Israel, erant.

Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini.

Ecce ego ad pulvillos vestros, quibus vos capitis animas volantes : et dirumpam eos de brachiis vestris : et dimittam animas quas vos capitis, animas ad volandum.

Et dirumpam cervicalia vestra, et liberabo populum meum de manu vestra, neque erunt ultra in manibus vestris ad prædandum: et scietis quia ego Dominus.

XIV. Si fuerint tres viri isti in medio ejus, Noe, Daniel et Job : ipsi justitia sua liberabunt animas suas, sed nec filios, nec filias liberabunt : sed ipsi soli liberabuntur, terra autem desolabitur.

XV. Fili hominis, quid fiet de ligno vitis, ex omnibus lignis nemorum, quæ sunt inter ligna sylvarum?

Ecce igni datum est in escam : utramque partem ejus consumpsit ignis, et medietas ejus redacta est in favillam : numquid utile erit ad opus?

XVI. Projecta es super faciem terræ in abjectione animæ tuæ, in die qua nata es.

Et vestivi te discoloribus, et calceavi te ianthino : et cinxi te bysso, et indui te subtilibus.

Et ornavi te ornamento, et dedi armillas in manibus tuis, et torquem circa collum tuum.

Propterea, meretrix, audi verbum Domini.

Et judicabo te judiciis adulterarum, et effundentium sanguinem : et dabo te in sanguinem furoris et zeli.

Et dabo te in manus eorum, et destruent lupanar tuum; et demolientur prostibulum tuum : et denudabunt te vestimentis tuis, et auferent vasa decoris tui : et derelinquent te nudam, plenamque ignominia.

Et adducent super te multitudinem, et lapidabunt te lapidibus, et trucidabunt te gladiis suis.

Et comburent domos tuas igni.

XVII. Hæc dicit Dominus Deus : Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis et varietate, venit ad Libanum, et tulit medullam cedri.

Summitatem frondium ejus avulsit : et transportavit eam in terram Chanaan, in urbe negotiatorum posuit illam.

XVIII. Quid est quod inter vos parabolam vertitis in proverbium istud in terra Israel, dicentes : Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupescunt?

Vivo ego, dicit Dominus Deus, si erit ultra vobis parabola hæc in proverbium in Israel.

Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur : filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii : justitia justi super eum erit, et impietas impii erit super eum.

Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, et custodierit omnia præcepta mea, et fecerit judicium et justitiam : vita vivet, et non morietur.

Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor : in justitia sua, quam operatus est, vivet.

Si autem averterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes, quas operari solet impius, numquid vivet? omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur : in prævaricatione, qua prævaricatus est, morietur.

XIX. Leæna tulit unum de leunculis suis, leonem constituit eum : didicit prædam capere, et homines devorare.

Didicit viduas facere : hinc Gentes miserunt eum in caveam, in catenis adduxerunt eum ad regem Babylonis.

Et factæ sunt ei virgæ solidæ in sceptra dominantium.

Et evulsa est in ira, ignis fructum ejus comedit : planctus est, et erit in planctum.

XX. Vivo ego, dicit Dominus Deus, quoniam in manu forti, et in brachio extento, et in furore effuso regnabo super vos.

Et dixi : A, a, a, Domine Deus : ipsi dicunt de me : Numquid non per parabolas loquitur iste?

XXI. Et dices terræ Israel : Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego ad te, et ejiciam gladium meum de vagina sua, et occidam in te justum et impium.

Ut cædat victimas exacutus est : ut splendeat, limatus est : qui moves sceptrum filii mei, succidisti omne lignum.

Exacuere, vade ad dexteram, sive ad sinistram, quocumque faciei tuæ est appetitus.

Stetit enim rex Babylonis in bivio, in capite duarum viarum, divinationem quærens, commiscens sagittas : interrogavit idola, exta consuluit.

Ad dexteram ejus facta est divinatio super Jerusalem, ut ponat arietes, ut aperiat os in cæde, ut elevet vocem in ululatu, ut ponat arietes contra portas, ut comportet aggerem, ut ædificet munitiones.

Tu autem, profane, impie dux Israel, cujus venit dies in tempore iniquitatis præfinita.

Hæc dicit Dominus Deus : Aufer cidarim, tolle coronam : nonne hæc est, quæ humilem sublevavit, et sublimem humiliavit?

Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem ponam eam : et hoc non factum est, donec veniret cujus est judicium, et tradam ei.

Et tu, fili hominis, propheta, et dic : Hæc dicit Dominus Deus ad filios Ammon, et ad opprobrium eorum, et dices : Mucro, mucro, evagina te ad occidendum, lima te ut interficias, et fulgeas.

XXII. Et tu, fili hominis, nonne judicas, nonne judicas civitatem sanguinum?

Sanctuaria mea sprevisti, et sabbata mea polluisti.

Et quæsivi de eis virum, qui interponeret sepem, et staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam : et non inveni.

XXIII. Fili hominis, duæ mulieres filiæ matris unius fuerunt.

Et fornicatæ sunt in Ægypto, in adolescentia sua fornicatæ.

Nomina earum Oolla major, et Ooliba soror ejus minor : earum nomina, Samaria Oolla, et Jerusalem Ooliba.

Fornicata est Oolla, et insanivit in amatores suos, in Assyrios propinquantes, vestitos hyacintho, juvenes cupidinis, ascensores equorum.

Propterea tradidi eam in manus amatorum suorum, in manus filiorum Assur, super quorum insanivit libidine.

Quod cum vidisset soror ejus Ooliba, plusquam illa insanivit libidine : et fornicationem suam super fornicationem sororis suæ ad filios Assyriorum præbuit impudenter, ducibus ad se venientibus, indutis veste varia, equitibus qui vectabantur equis, et adolescentibus forma cunctis egregia.

XXIV. Hæc dicit Dominus Deus : Pone ollam, et mitte in eam aquam.

Congere frusta ejus in eam, omnem partem bonam, femur et armum, electa et ossibus plena.

Pinguissimum pecus assume, compone quoque strues ossium sub ea : efferbuit coctio ejus, et discocta sunt ossa illius in medio ejus.

Congere ossa, quæ igne succendam : consumentur carnes, et coquetur universa compositio, et ossa tabescent.

Fili hominis, ecce ego tollo a te desiderabile oculorum tuorum in plaga : et non planges, neque plorabis, neque fluent lacrymæ tuæ.

Ingemisce tacens, mortuorum luctum non facies : corona tua circumligata sit tibi, et calceamenta tua erunt in pedibus tuis, nec amictu ora velabis, nec cibos lugentium comedes.

Locutus sum ergo ad populum mane, et mortua est uxor mea vespere : fecique mane sicut præceperat mihi.

Erit Ezechiel vobis in portentum : juxta quæ feci, facietis cum venerit istud : et scietis quia ego Dominus Deus.

XXV. Et dices filiis Ammon : Pro eo quod plausisti manu, et percussisti pede, et gavisa es ex toto affectu super terram Israel :

Idcirco ecce ego extendam manum meam super te, et tradam te in direptionem Gentium, et interficiam te de populis, et perdam de terris, et conteram : et scies quia ego Dominus.

Hæc dicit Dominus Deus : Pro eo quod fecit Idumæa ultionem ut se vindicaret de filiis Juda, peccavitque delinquens, et vindictam expetivit de eis :

idcirco hæc dicit Dominus Deus : Extendam manum meam super Idumæam, et auferam de ea hominem et jumentum, et faciam eam desertam ab Austro : et qui sunt in Dedan, gladio cadent.

XXVI. Fili hominis, pro eo quod dixit Tyrus de Jerusalem : Euge, confractæ sunt portæ populorum, conversa est ad me : implebor, deserta est.

Propterea hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego super te, Tyre, et ascendere faciam ad te Gentes multas, sicut ascendit mare fluctuans.

Et dissipabunt muros Tyri et destruent turres ejus et rædam pulverem ejus de ea, et dabo eam in limpidissimam petram.

Et descendent de sedibus suis omnes principes maris : et auferent exuvias suas, et vestimenta sua varia abjicient, et induentur stupore : in terra sedebunt, et attoniti super repentino casu tuo admirabuntur.

Et assumentes super te lamentum, dicent tibi : Quomodo periisti, quæ habitas in mari, urbs inclyta, quæ fuisti fortis in mari cum habitatoribus tuis quos formidabant universi?

XXVII. O Tyre, tu dixisti : Perfecti decoris ego sum, et in corde maris sita.

Omnes naves maris, et nautæ earum, fuerunt in populo negotiationis tuæ.

Hæc omnia tecum cadent in corde maris in die ruinæ tuæ.

XXVIII. Fili hominis, dic principi Tyri : Hæc dicit Dominus Deus : Eo quod elevatum est cor tuum, et dixisti : Deus, ego sum, et in cathedra Dei sedi in corde maris, cum sis homo, et non Deus, et dedisti cor tuum quasi cor Dei.

Ecce sapientior es tu Daniele : omne secretum non est absconditum a te.

Morte incircumcisorum morieris in manu alienorum : quia ego locutus sum, ait Dominus Deus.

Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, et perfectus decore.

In deliciis paradisi Dei fuisti : omnis lapis pretiosus operimentum tuum : sardius, topazius, et jaspis, chrysolithus, et onyx, et beryllus, sapphirus et carbunculus, et smaragdus : aurum opus decoris tui : et foramina tua in die, qua conditus es, præparata sunt.

Tu Cherub extentus, et protegens, et posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti, perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te.

Et elevatum est cor tuum in decore tuo : perdidisti sapientiam tuam in decore tuo, in terram projeci te; ante faciem regum dedi te ut cernerent te.

XXIX. Fili hominis, pone faciem tuam contra Pharaonem regem Ægypti, et prophetabis de eo, lex de Ægypto universa.

Loquere, et dices : Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego ad te, Pharao, rex Ægypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, et dicis : Meus est fluvius, et ego feci memetipsum.

Et ponam frenum in maxillis tuis : et agglutinabo pisces fluminum tuorum squamis tuis : et extraham te de medio fluminum tuorum, et universi pisces tui squamis tuis adhærebunt.

Fili hominis, Nabuchodonosor rex Babylonis servire fecit exercitum suum servitute magna adversus Tyrum : omne caput decalvatum, et omnis humerus depilatus est : et merces non est reddita ei, neque exercitui ejus, de Tyro, pro servitute qua servivit mihi adversus eam.

Propterea hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego dabo Nabuchodonosor regem Babylonis in terra Ægypti : et accipiet multitudinem ejus, et deprædabitur manubias ejus, et diripiet spolia ejus : et erit merces exercitui illius.

XXX. Fili hominis, propheta, et dic : Hæc dicit Dominus Deus : Ululate, væ, væ diei!

Quia juxta est dies, et appropinquat dies Domini : dies nubis, tempus Gentium erit.

Et veniet gladius in Ægyptum : et erit pavor in Æthiopia, cum ceciderint vulnerati in Ægypto, et ablata fuerit multitudo illius, et destructa fundamenta ejus.

XXXI. Fili hominis, dic Pharaoni regi Ægypti, et populo ejus : Cui similis factus es in magnitudine tua?

Ecce Assur quasi cedrus in Libano, pulcher ramis, et frondibus nemorosus, excelsusque altitudine, et inter condensas frondes elevatum est cacumen ejus.

Propterea hæc dicit Dominus Deus : Pro eo quod sublimatus est in altitudine, et dedit summitatem suam virentem atque condensam, et elevatum est cor ejus in altitudine sua : tradidi eum in manu fortissimi Gentium, taciens faciet ei : juxta impietatem ejus ejeci eum.

Et succident eum alieni, et crudelissimi nationum.

Cui assimilatus es, o inclyte, atque sublimis inter ligna voluptatis? Ecce deductus es cum lignis voluptatis ad terram ultimam : in medio incircumcisorum dormies, cum eis qui interfecti sunt gladio : ipse est Pharao, et omnis multitudo ejus, dicit Dominus Deus.

XXXII. Fili hominis, assume lamentum super Pharaonem regem Ægypti, et dices ad eum : Leoni Gentium assimilatus es, et draconi qui est in mari : et ventilabas cornu in fluminibus tuis, et conturbabas aquas pedibus tuis, et conculcabas flumina earum.

Propterea hæc dicit Dominus Deus : Expandam super te rete meum in multitudine populorum multorum, et extraham te in sagena mea.

Ibi Assur, et omnis multitudo ejus : in circuitu illius sepulcra ejus : omnes interfecti, et qui ceciderunt gladio.

Tu ergo in medio incircumcisorum contereris, et dormies cum interfectis gladio.

XXXIII. Dic ad eos : Vivo ego, dicit Dominus Deus; nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat. Convertimini, convertimini a viis vestris pessimis; et quare moriemini, domus Israel?

Et veniunt ad te, quasi si ingrediatur populus, et sedent coram te populus meus : et audiunt sermones tuos, et non faciunt eos; quia in canticum oris sui vertunt illos, et avaritiam suam sequitur cor eorum.

Et es eis quasi carmen musicum, quod suavi dulcique sono canitur : et audiunt verba tua, et non faciunt ea.

Et cum venerit quod prædictum est (ecce enim venit), tunc scient quod prophetes fuerit inter eos.

XXXIV. Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos! nonne greges a pastoribus pascuntur?

Lac comedebatis, et lanis operiebamini, et quod crassum erat occidebatis : gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit non consolidastis, et quod ægrotum non sanastis, quod confractum est non alligastis, et quod abjectum est non reduxistis, et quod perierat non quæsistis; sed cum austeritate imperabatis eis, et cum potentia.

Et dispersæ sunt oves meæ, eo quod non esset pastor : et factæ sunt in devorationem omnium bestiarum agri, et dispersæ sunt.

Propterea, pastores, audite verbum Domini :

Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, et cessare faciam eos ut ultra non pascant gregem, nec pascant amplius pastores semetipsos : et liberabo gregem meum de ore eorum, et non erit ultra eis in escam.

Ego pascam oves meas, et ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus.

Quod perierat requiram, et quod abjectum erat reducam, et quod confractum fuerat alligabo, et quod infirmum fuerat consolidabo, et quod pingue et forte custodiam; et pascam illas in judicio.

Et suscitabo super eas pastorem unum qui pascat eas, servum meum David : ipse pascet eas, et ipse erit eis in pastorem.

Ego autem Dominus ero eis in Deum : et servus meus David princeps in medio eorum : ego Dominus locutus sum.

XXXV. Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego ad te, mons Seir, et extendam manum meam super te, et dabo te desolatum atque desertum.

Urbes tuas demoliar, et tu desertus eris : et scies quia ego Dominus.

Eo quod fueris inimicus sempiternus, et conCluseris filios Israel in manu gládii in tempore afflictionis eorum, in tempore iniquitatis extremæ.

XXXVI. Idcirco vaticinare super humum Israel, et dices montibus et collibus, jugis et vallibus : Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego in zelo meo, et in furore meo locutus sum, eo quod confusionem gentium sustinueritis.

Idcirco hæc dicit Dominus Deus : Ego levavi manum meam, ut gentes quæ in circuitu vestro sunt, ipsæ confusionem suam portent.

Vos autem montes Israel ramos vestros germinetis, et fructum vestrum afferatis populo meo Israel : prope enim est ut veniat.

Et replebo vos hominibus et jumentis : et multiplicabuntur, et crescent; et habitare vos faciam sicut a principio, bonisque donabo majoribus, quam habuistis ab initio : et scietis quia ego Dominus.

Et effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, et ab universis idolis vestris mundabo vos.

Et dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri : et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum.

XXXVII. Facta est super me manus Domini, et eduxit me in spiritu Domini : et dimisit me in medio campi, qui erat plenus ossibus.

Et dixit ad me : Fili hominis, putasne vivent ossa ista? Et dixi : Domine Deus, tu nosti.

Et dixit ad me : Vaticinare de ossibus istis : et dices eis : Ossa arida, audite verbum Domini.

Et accesserunt ossa ad ossa, unumquodque ad junctúram suam.

Et vidi, et ecce super ea nervi et carnes ascenderunt : et extenta est in eis cutis desuper, et spiritum non habebant.

Et ingressus est in ea spiritus, et vixerunt : steteruntque super pedes suos exercitus grandis nimis valde.

Et dixit ad me : Fili hominis, ossa hæc universa, domus Israel est : ipsi dicunt : Aruerunt ossa nostra, et periit spes nostra, et abscissi sumus.

Propterea vaticinare, et dices ad eos : Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego aperiam tumulos vestros, et educam vos de sepulcris vestris, populus meus : et inducam vos in terram Israel.

Et percutiam illis fœdus pacis, pactum sempiternum erit eis : et fundabo eos, et multiplicabo, et dabo sanctificationem meam in medio eorum in perpetuum.

XXXVIII. Fili hominis, pone faciem tuam contra Gog, terram Magog, principem capitis Mosoch et Thubal, et vaticinare de eo.

Et dices ad eum : Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego ad te Gog principem capitis Mosoch et Thubal.

Et circumagam te, et ponam frenum in maxillis tuis : et educam te, et omnem exercitum tuum, equos et equites vestitos loricis universos, multitudinem magnam hastam et clypeum arripientium et gladium.

Et convocabo adversus eum in cunctis montibus meis gladium, ait Dominus Deus : et gladius uniuscujusque in fratrem suum dirigetur.

Et judicabo eum peste, et sanguine, et imbre vehementi, et lapidibus immensis : ignem et sulphur pluam super eum, et super exercitum ejus, et super populos multos, qui sunt cum eo.

XXXIX. Super montes Israel cades tu, et omnia agmina tua, et populi tui, qui sunt tecum : feris, avibus, omnique volatili, et bestiis terræ dedi te ad devorandum.

Et immittam ignem in Magog, et in his qui habitant in insulis confidenter : et scient quia ego Dominus.

Et succendent arma igni septem annis; et sepelient ibi Gog, et vocabitur vallis multitudinis Gog.

Nomen autem civitatis Amona, et mundabunt terram.

XL. In visionibus Dei adduxit me in terram Israel, et dimisit me super montem excelsum nimis : super quem erat quasi ædificium civitatis vergentis ad Austrum.

Et ecce vir, cujus erat species quasi species æris, et funiculus lineus in manu ejus, et calamus mensuræ in manu ejus : stabat autem in porta, et mensus est calamo portas, vestibula, fenestras, thalamos, atria et gazophylacia templi.

XLIII. Et audivi loquentem ad me de domo, et vir qui stabat juxta me, dixit ad me : Fili hominis, locus solii mei, et locus vestigiorum pedum meorum, ubi habito in medio filiorum Israel in æternum : et non polluent ultra domus Israel nomen sanctum meum, ipsi et reges eorum in fornicationibus suis, et in ruinis regum suorum, et in excelsis.

Nunc ergo repellant procul fornicationem suam, et ruinas regum suorum a me : et habitabo in medio eorum semper.

XLIV. Et convertit me ad viam portæ sanctuarii exterioris, quæ respiciebat ad Orientem : et erat clausa.

XLV. Cumque cœperitis terram dividere sortito, separate primitias Domino, sanctificatum de terra, longitudine viginti quinque millia, et latitudine decem millia : sanctificatum erit in omni termino ejus per circuitum.

XLVI. Hæc dicit Dominus Deus : Si dederit princeps donum alicui de filiis suis : hæreditas ejus, filiorum suorum erit, possidebunt eam hæreditarie.

XLVII. Et convertit me ad portam domus, et ecce aquæ egrediebantur subter limen domus ad Orientem : facies enim domus respiciebat ad Orientem : aquæ autem descendebant in latus templi dextrum ad Meridiem altaris.

Et traduxit me per aquam usque ad talos.

Rursumque mensus est mille, et traduxit me per aquam usque ad genua.

Et mensus est mille, et traduxit me per aquam usque ad renes. Et mensus est mille, torrentem, quem non potui pertransire : quoniam intumuerunt aquæ profundi torrentis, qui non potest transvadari.

Cumque me convertissem, ecce in ripa torrentis ligna multa nimis ex utraque parte.

XLVIII. Et hi egressus civitatis : A plaga Septentrionali quingentos et quatuor millia mensurabis.

Et portæ civitatis ex nominibus tribuum Israel, portæ tres a Septentrione, porta Ruben una, porta Juda una, porta Levi una.

Per circuitum, decem et octo millia; et nomen civitatis ex illa die, Dominus ibidem.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto : sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

INDEX

LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ

QUÆ HIS IN JEREMIAM ET EZECHIELEM COMMENTARIIS ILLUSTRANTUR, VEL OBITER EXPLICANTUR.

Prior numerus paginam, secundus columnam, ubi unicus tantum occurrit numerus, ad præcedentem referri signum est.

EX VETERI TESTAMENTO.

EX GENESI.

Cap. XIII, *vers.* 9. Si tu ad dexteram iveris, ego ad sinistram pergam, *pag.* 486, *col.* 2.

EX EXODO.

Cap. XXXI, *vers.* 12. Novi te ex nomine, 45[illegible]

EX LIBRIS REGUM.

Lib. I *Reg.* cap. II, *vers.* 5. Quæ multos habebat filios infirmata est, 641, 1.
Ibid. Donec sterilis peperit plurimos, 126, 2.
— XXVI, 8. Perfodiam eum lancea semel et secundo, opus non erit, 550, 2.
Lib. II, *cap.* VIII, *vers.* 2. Mensus est eos funiculo, coæquans terræ; mensus est autem duos funiculos: unum ad occidendum, et unum ad vivificandum, 373, 1.
Lib. IV, *cap.* XXI, *vers.* 13. Extendam super Jerusalem funiculum Samariæ, et pondus domus Achab, 373, 1.

EX LIBRIS PARALIPOMENON.

Lib. I, *cap.* XXVIII, *vers.* 18. Similitudo quadrigæ Cherubim extendentium alas, 495, 2.

EX LIBRO JUDITH.

Cap. XVI, *vers.* 28. Mansit autem in domo viri sui annos centum quinque, 193, 2.

EX LIBRO JOB.

Cap. III, *vers.* 3. Pereat dies in qua natus sum, 162, 2.
XX, 29. Hæc est pars hominis impii a Deo, 391, 2.

EX PSALMIS.

Psalm. XVII, *vers.* 26. Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris, et cum perverso perverteris, 598, 2.
XXXIX, 8. In capite libri scriptum est de me, 517, 1.
XLI, 8. Abyssus abyssum invocat, in voce cataractarum tuarum, 550, 2; 690, 1.
LXXII, 9. Posuerunt in cœlum os suum, et lingua eorum transivit in terra, 748, 2.
CIX, 6. Judicabit in nationibus, implebit ruinas. 655, 1.
CXIII, 1. In exitu Israel de Ægypto, etc. Facta est Judæa sanctificatio ejus, 454, 1.
CXVIII, 83. Factus sum sicut uter in pruina, 384, 1.
CXXXII, 1. Ecce quam bonum et quam jucundum, 648, 1.

EX PROVERBIIS SALOMONIS.

Cap. I, *vers.* 9. Ut addatur gratia capiti tuo, et torques collo tuo, 611, 1.
V, 15. Bibe aquam de cisterna tua, et fluenta putei tui, etc., 34, 1.
VIII, 30. Ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, 441, 1.
X, 4. Qui nititur mendaciis, hic pascit ventos, 177, 1.
XX, 21. Oculum videntem, et aurem audientem Dominus fecit utrumque, 587, 1.
XXVI, 16. Sapientior sibi piger videtur septem viris loquentibus sententias, 126, 2.
XXXI. 24. Cingulum tradidit Chananæo, 615, 2.

EX CANTICO CANTICORUM.

Cap. VIII, *vers.* 6. Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, 138, 1.

EX ECCLESIASTICO.

Cap. XX, *vers.* 9. Est inventio in detrimentum, 441, 2.
XXI, 29. In ore fatuorum cor illorum, et in corde sapientium os illorum, 753, 2.
XXIX, 4. Multi quasi inventionem æstimaverunt fœdus, 441, 2.
XLIX, 9. Qui a ventre matris consecratus est propheta, 15, 2.
Loca quæ ex Prophetis majoribus extra ordinem exponuntur.

EX ISAIA.

Cap. II, *vers.* 9. Agnitio vultus eorum respondit eis, 121, 1.
XXVI, 19. Vivent mortui mei, interfecti mei resurgent, expergiscimini et laudate qui habitatis in pulvere, quia ros lucis, ros tuus, 759, 1.
XXXVIII, 1. Morieris, et non vives, 383, 2.

EX JEREMIA.

Cap. XVII, *vers.* 12. Solium gloriæ altitudinis a principio, locus sanctificationis nostræ, 825, 1.

EX THRENIS.

Cap. II, *vers.* 17. Destruxit et non pepercit, 883, 2.

EX OSEE.

Cap. XI, *vers.* 4. In funiculis Adam traham eos, 223, 1.

EX MICHÆA.

Cap. IX, *vers.* 19. Projiciet in profundum omnia peccata nostra, 333, 1.

EX NOVO TESTAMENTO.

EX MATTHÆO

Cap. I, *vers.* 1. Liber generationis Jesu Christi, 210, 1.
VI, 34. Sufficit diei malitia sua, 648, 1.
XIII, 9. Qui habet aures audiendi audiat, 587, 1.
XV, 26. Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel, 621, 1.

EX LUCA.

Cap. I, *vers.* 35. Virtus Altissimi obumbrabit tibi, 494, 1.
IV, 39. Stans super illam, imperavit febri, 859, 2.

EX JOANNE.

Cap. I, *vers.* 9. Erat lux vera, 31, 1.
— 20. Confessus est, et non negavit, 383, 2.
— 47. Ecce vere Israelita, 31, 1.
VI, 32. Panem de cœlo verum, 31, 1.

EX EPISTOLA AD ROMANOS.

Cap. I, *vers.* 4. Ex resurrectione mortuorum, 649, 1.
XV, 8. Minister circumcisionis 621, 1.

EX EPISTOLA AD GALATAS.

Cap. IV, *vers.* 19. Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis, 418, 2.

EX EPISTOLA I AD TIMOTHEUM.

Cap. VI, *vers.* 19. Ut apprehendant veram vitam, 31, 1.

EX EPISTOLA I S. PETRI.

Cap. II, *vers.* 8. Hanc esse veram gratiam Dei, 31, 1.

EX EPISTOLA II S. PETRI.

Cap. I, *vers.* 9. Oblivionem accipiens purgationis, 613, 2.

EX APOCALYPSI S. JOANNIS.

Cap. III, *vers.* 4. Habes pauca nomina in Sardis, 859, 2.
IV, 7. Primum animal simile leoni, secundum vitulo, 481, 1; 497, 1.
XI, 4. Hi sunt duæ olivæ, et duo candelabra, in conspectu Domini terræ stantes, 98, 2.
XX, 8. Ascenderunt super latitudinem terræ, et circuierunt castra Sanctorum, 766, 1.

INDEX

RERUM MEMORABILIUM

QUÆ HIS IN JEREMIAM PROPHETAM, THRENOS, BARUCH ET EZECHIELEM COMMENTARIIS CONTINENTUR

A.

A a a, interjectio dolentis et aversantis est, *pag.* 534, *col.* 2.
A a Jeremiæ quid sonet, 16, 1.
Abaris sagitta adagium quid significet, 656, 2.
Abdemelech an nomen proprium, an appellativum, 264, 1. Jeremiam e lacu eduxit, *ibid.* solus ideo evasit cladem urbis, *ibid.*
Abdiæ pars magna in Jeremia continetur, 3, 1.
Abercius Episcopus balnea calidarum aquarum impetravit a Deo, 213, 1, 2.
Abies vulgo dicitur sapinus, ejus solia sunt instar pectinum, et nunquam decidunt, estque altissima, pondus sustinens, antennis utilissima, enodis, amans montes, 725, 1. est symbolum ambitiosi et jactabundi : ex ea fiunt hastæ et naves : ejus epithetum cur sit audax, *ibid.* est in deliciis principibus, *ibid.* hinc etiam est symbolum magnatum et principum, 693, 1; 725, 1.
Abjectum quomodo Ecclesiæ pastor reducat, 742, 1.
Ablui solent corpora recens natorum, 606, 1.
Abram cur addatur littera *h*, 177, 2.
Abstinentia Rechabitarum, 250, 2.
Abulensis Episcopi sententia exploditur de templi pastophoriis, 781, 2.
Abuti capitur sæpe pro consumere, 153, 2.
Abyssini christiani cruces e collo pendulas gestant, monachi vero eas manu, 569, 2.
Acacius Episcopus vasa Ecclesiæ distraxit, ut septem Persarum millia, hostium licet, redimeret et aleret, 265, 2.
Acerbitatem doloris solet Scriptura exprimere per obscurationem solis, lunæ et stellarum, 729, 2.
Acervus novarum frugum an sit nomen proprium loci, 526, 2.
Achab et Sedecias an sint senes, qui tentarunt castitatem Susannæ, 213, 2; 214, 1. negatur, *ibid.*
Achaicæ byssi pretium quantum, 834, 1, 2.
Acholius (S.) Episcopus Thessalonicensis apparens S. Ambrosio dixit se in cœlesti gloria requiescere, 761, 2.
Acrochiristæ athletæ qui dicuntur, 696, 2.
Acrostichis quale genus carminis, 346, 1, 2.
Actus peccati transiens post se relinquit maculam habitualem in anima, quæ formaliter eam peccatricem Deo. que exosam constituat, 31, 2.
Adæ corpus fuit quasi lyra, membra quasi fistulæ, in quæ Deus creator inspiravit spiraculum vitæ, 758, 1. in eo quomodo omnes peccaverint. 631, 1.
Adamanti an quid ferro possit inscribi, 136, 2; 137, 1 cur dicatur unguis, 137, 1. est ferro durior, *ibid.* adamantis natura : ei assimilatur concionator, 523, 1, 2. ejus an Scriptura tantum meminerit in malum, *ibid.* 2. meminit aliquando etiam in bonum. *ibid.* ipse symbolum est duritiei, *ibid.* acuminatus nascitur, et a magnete abstrahit ferrum, hircino sanguine mollescit, pretiosissimus est ; an post Christum naturam mutarit, *ibid.* et 524, 1, 2; 525, 1. ejus durities non est tanta quin malleo cedat, *ibid.* sunt ejus quatuor species, et dotes septem, *ibid*
Adonai oni quid sit, idem est qui Adonis, 561, 2; 562, 1.
Adonis, amasius Veneris, quomodo et quare a mulieribus et viris libidinosis plangeretur, *ibid.* inter lactucæ folia cur fingatur a Venere sepultus. *ibid.* unde Adonis dicatur, *ibid.*
Adrianus Imperator vix mori potuit sæpius invocata morte, 143, 2. quomodo Jerusalem reædificarit, 234, 1.
Adulatores quam sint perniciosi, præsertim sacerdotes aut consiliarii, 159, 2. ficte amicum subinde carpunt, 377, 1. adulatores regum et principum vulpes sunt, 590, 1. similes sunt pulvinaribus mollibus et cervicalibus, 593, 1, 2, et 595, 1, 2.
Adulteras Ægyptii naso truncabant, 670, 2. apud Judæos vero lapidabantur et comburebantur, 616, 2.
Adventus primi Christi signum est *tau*, ignis secundi, 573, 2.
Adversis (ex) colligi nequit, aliquem non bonam causam habere, 105, 1, 2; 106, 1, 2.
Adversitati et humiliationi a teneris assuescere utilissimum, 393, 1, 2.
Adverto pro *commoneo*, 306, 1.
Adytum quid sit et unde dicatur, 807, 1.
Ædificandi cupiditas effrenata lege lata a Constantino imperatore coercita, 173, 1.
Ædificium separatum quod vocetur in templo Salomonis, 810, 2.
Ægyptii quantum tribuerint Jeremiæ prophetiis, 286, 1. olim circumcidebantur, 86, 2. primi omnium solem et stellas ut deos venerati sunt, 282, 1, 2. quomodo solem pingerent, *ibid.* pingebant Deum quasi oculum baculo innixum, 18, 1. Ægyptii quantopere terræ suæ fertilitate superbirent, 714, 1. eorum luxus, fastus et nequitia, *ibid.* apte comparantur arundini, 716, 1. nomen Adonis ab Hebræo *Adonai* hauserunt, 562, 2. adorarunt et coluerunt solem, 563, 1. eorum quam fuerint portentosa numina, 173, 2. ipsi cur vocentur Assur, 724, 1. erant idololatriæ dediti usque ad insaniam, 614, 1. recens natos cur in frigidam immergant, 606, 1.
Ægyptus abundat lateribus, quia lutosa est, 281, 1. quomodo post cladem Nabuchodonosor restituta, 294, 2. ejus academiæ quæ essent, 442, 1. Ægyptus aquis tota irrigatur, 627, 2. quomodo, et a quo restituta sit post captivitatem Babylonicam, est incertum, 716, 2. videtur id factum a Cyro anno primo regni ejus, *ibid.* sub Ptolemæis regibus ad pristinam suam gloriam rediit, *ibid.* dicta est terra Cham et Mesraim, 547, 1. ejus reges Nilo ita superbiebant, quasi nec cœlo, nec Jove in-

digerent, 714, 1. quomodo data sit in mercedem Chaldæis pro expugnatione Tyri, 718, 1. ejus jam christianæ urbes multæ, plures habebant monachos quam cives, 841, 2. Ægyptus et Tyrus hebraice nomen habent affine, ab eadem radice descendens, 713, 1.
Ælam pars Persiæ, unde ita dicta, 314, 1.
Ælamitæ omne suum robur ponebant in arcubus, 314, 1.
Æmilius Paulus Romanus quam æqua mente filiorum suorum mortem tulerit, 680, 1.
Æneæ Sylvii mater quo præsagio eum fore magnum virum didicerit, 13, 2.
Ænigma de littera, 256, 1. ænigma, proverbium, parabola in Scriptura quoad significationem sæpe confunduntur, 623, 1. quid ænigma proprie sit *ibid.* ænigma de die et nocte, 172, 2.
Æquitas ponderum et mensurarum esse debet cordi principibus et magistratibus, 843, 1. æquitas divina justitiæ suæ nullam præter seipsam, rationem habet, 637, 2.
Æram Babylonicam quis Babyloniorum rex primo constituerit, 475, 2; 476, 1. ea utitur Ezechiel in suis prophetiis consignandis, *ibid.*
Æs est symbolum æternitatis beatæ, 792, 2. repræsentat robur et fortitudinem, 616, 1. item pulchritudinem et vires, 783, 2. æs ex ære et auro simul commixtis fit præstantissimum, 479, 1. *ære dirutus miles* Romanis quis diceretur, 615, 2.
Æsculapius deus cur pingeretur barbatus, 503, 1.
Ætas in Scriptura varia significatione capitur, 459, 2.
Æternitas repræsentatur per rotas curules Dei triumphantis, 510, 2. æternitas cedri, 724, 1, 2.
Æternus nomen Dei, 450, 2.
Æthiops pro improbo aliquando capitur, 264, 1.
Ætoli incolunt Græciæ totius umbilicum, 768, 1.
Affectum erga cognatos suos et consanguineos moderentur sacerdotes, 835, 1, 2.
Afflictio est malleus conterens cor lapideum, 547, 2.
Agathocles rex Siciliæ semper in figulinis vasis cœnabat, 612, 1.
Ager quidam Romæ venalis propositus, Annibale urbem obsidente, indicabat Romanorum de eo profligando fiduciam, 238, 1. ager a Jeremia emptus an indicetur a S. Matthæo loquente de agro figuli empto pretio redacto e vendito Christo, 239, 1, 2. negat auctor, *ibid.*
Agesilaus Lacedæmonius dux quam religioni addictus fuerit, 372, 1. ejus de aliorum laudatoribus aut detractoribus dictum, 82, 2.
Aggeres erigunt ante se, urbes obsessuri, 532, 1.
Agnes (S.) virgo post mortem suis apparens parentibus, quid dixerit, 761, 2. ejus spiritualis ornatus, 612, 1.
Agni cerei antiquus usus, 100, 2.
Agnus Dei cur dicatur Christus, 100, 1.
Agoni regi regnum Argivorum portendit volitans aquila, 624, 2.
Agrippa rex Judæorum in theatro per comœdum ejus personam sustinentem, eo modo illusus et coronatus est, quo Judæi Christo alias illuserant, 557, 1, 2.
Aha est Hebræis interjectio dolentis et admirantis, 16, 1.
Ahicam liberavit Jeremiam a nece, 202, 2.
Ain et *ghimel* litteræ Hebrææ sunt affines, 697, 2.
Aistulphus Longobardorum rex, graviter vexata Ecclesia, et fidelibus multis interfectis, tandem divino ictu percussus defunctus est, 774, 2.
Ajax Telamonius cognomen habuit aquila, cur, 624, 1. cur mortuus in florem hyacinthum mutatus dicatur, 609, 1, 2.
Alæ et manus inter se comparantur, 35, 2. alas quatuor unumquodque animal Ezechielis habebat, 484, 1, 2. ab his illorum manus tegebantur, *ibid.* hæ signabant eorum agilitatem et angelorum, 487, 1. alæ tegentes femora notant castitatem, *ibid.*
Alarves priscis in Africa christianis oriundi, et a Mauris separati degentes, crucem brachio impressam gerunt, 569, 1.
Alberti Magni visio mirabilis de aquis transitu difficilibus, 851, 1. ejus epitaphium, 704, 2.
Albino Imperatori imperium portendit aquila, 624, 1.
Alcon Cretensis sagittandi peritissimus fuit, 385, 2.
Aldephonsi regis Hispaniæ in Cluniacense monasterium magnificentia, 265, 2.
Alexander Magnus fuit prædo magnus, 153, 1. Cyri sepulcrum aperiri jussit, 73, 1, 2. an ossa Jeremiæ Alexandriam transtulerit, 1, 2. an ei monumentum illustre excitarit, *ibid.* victoriam suam contra Persas ex prophetia Danielis præscire potuit, 59, 2. an per pardum repræsentetur, 52, 2. turbo orbis, et miseriarum gurges fuit, 688, 2. Alexandriæ fuit non conditor, sed nomenclator, 721, 2. ejus imagini additum fulmen, 655, 2. illius ambitio, 559, 2. ei imperium portendit aquila, 624, 1.
Alexander III Pontifex an calcarit Frederici Imperatoris cervicem, 451, 1.
Alexandriæ potentia, unde dicatur *Amon*, 293, 2; 294, 1. dicitur quoque *No*, 294, 1; 721, 2. ejus tempore Ezechielis magnitudo, 721, 2. vastata est a Nabuchodonosore, sed restituta ab Alexandro Magno, *ibid.* Alexandria dicta postea, etsi per anticipationem sic eam vocet Interpres Latinus, *ibid.*
Alexandri Carbonarii Episcopi mira humilitas, 539, 1, 2.
Alexandri V Pontificis in pauperes effusio, 741, 2.
Alfonsus Aragonum rex, in omnes doctos liberalis, solos astrologos præteriit, 89, 2. quanti sapientiam faceret, 440, 2.
Alienus et alienatio vocatur in Scriptura peregrina religio et cultus, 155, 2.
Alpini quia patientes durorum, hinc longævi, 393, 2.
Altare an fuerit post eversam Jerusalem, 428, 1, 2.
Altare holocaustorum mystice est mens vacantium mortificationi, 803, 2. vocatur Ariel, id est mons et leo Dei, quare, 826, 1; 827, 1. altare vocari posset cor pium, 827, 1. item crux Christi, *ibid.* cur haberet cornua, *ibid.* id erat quadratum, *ibid.* ejus altitudinis dimensio, *ibid.* 2.
Altare thymiamatis mystico sensu est mens suspirans ad cœlum, 803, 2. ipsum describitur, 814, 1. cur vocetur mensa, *ibid.* 2.
Alvarus a Pelagio scripsit planctum Ecclesiæ, 349, 1.
Amandus (S.) Episcopus libere Dagobertum regem Francorum peccantem corripuit, 736, 1.
Amasii versi in hostes pœna meretricum, 854, 2.
Amatores Judæorum qui dicantur, 218, 1.
Ambitio regnandi quantum sit malum, 276, 1.
Ambitus totius templi quis esset, 818, 1.
Ambra an sit electrum, 478, 2. et ubi potissimum ea inveniatur, *ibid.*
Ambrosius (S.) quam fortiter Valentiniano imperatori ejusque matri Justinæ restiterit templum dari arianis petentibus, 21, 2. quantopere crucem desiderarit, 568, 2.
Amici nos deserent in hora mortis, id probatur exemplo, 365, 2; 366, 1. amici amicos in pala annuli insculptos gestant, 178, 1.
Amicitia vera tantum est in Deo, 36, 2.
Ammon fuit frater uterinus Moab, 684, 1.
Ammonii Jovis templum a Libero patre sub Josue ædificatum, 294, 1.
Ammonitæ quando a Judæis deleti, 110, 2. circumcidebantur quidem, sed non passim, 87, 1, 2. eorum excidii causa, 309, 1. eorum origo, *ibid.* eos laxavit Cyrus, *ibid.* cognati sunt Israelitarum, 750, 2.
Amona quæ urbs, et unde nomen sit habitura, 771, 1.
Amor Christi erga homines quantus sit, 812, 2. ex amore de dolore ferri judicium potest, et vice versa, 361, 1. amor gregis, lex pastoris est, 182, 1 amor quomodo

amantes conglutinet, 84, 1. amor impotens dum in querelas prorumpit, est amoris redintegratio, 161, 2.
Amorrhæi inter omnes Chananæos proceritate et viribus excellebant. 605, 1.
Amuleta an bene vocentur pulvilli, 593, 1.
Amurathes Turcarum Imperator quas pœnas sit Christianis fœdifragis imprecatus, 271, 2.
Amygdalus inter arbores cur primo evigilare dicatur, 17, 2.
Anagrammata varia, eaque elegantia in exemplum afferuntur, 197, 2.
Anagrammatismum ab Hebræis sunt Græci et Latini mutuati, 197, 2.
Anastasius Imperator hæreticus fulmine ictus interiit, 176, 2.
Anathoth urbs patria Jeremiæ ubi sita, 2, 1.
Anaxagoræ philosophi in filii morte constantia, 165, 1.
Ancona Italiæ urbs unde dicatur, 696, 2.
Ancones in parietibus et promontoriis qui dicantur, *ibid.*
Anconitæ pugiles qui dicantur, *ibid.*
Ancilia quid sint, *ibid.*
Ancus Martius rex Romanorum unde dictus, *ibid.*
Ancylotoxi qui dicantur, et ancylistæ, *ibid.*
Andreas (S.) Apostolus crucis fuit avidus, 571, 1.
Angeli deserunt animam impiam, quæ eorum inspirationes neglexit, 327, 1. naturaliter nequeunt hominum cogitationes vel intentiones nosse, nisi voce aut signo prodantur, 141, 1. dici possunt piscatores et venatores, dum in fine mundi Sanctorum ossa e sepulcris colligent, 134, 2.
Angeli Deo astantes cur modo dicantur quatuor, modo septem, 503, 2.
Angeli sex notarunt signatos tau, et non signatos, et cur sint sex, 565, 1.
Angelorum quatuor exercitus an in curru Cherubim exprimantur, 498, 2. ii habent pedes rectos, tres ob causas, 483, 2. Deo jubente tam puniunt malos, quam præmiant bonos, 573, 2. symbolice sunt nubes, 574, 2. creati sunt in gratia, 708, 2; 709, 2. sunt cæmentarii templi, 783, 2. tempore Antichristi constantes fideles et electos signabunt signo crucis, 569, 1. per ipsos pugnat et vincit Deus, 502, 1. in statu viæ exercuerunt plures operationes bonas et meritorias, 709, 2. eorum celer obedientia ad nutum Dei, 493, 2.
Angelorum tria tantum nomina agnoscit Scriptura, 478, 2.
Angelus et homo imago sunt Dei, 706, 1.
Angelus tetigit os Jeremiæ ob quatuor causas, 17, 1.
Anianus (S.) Episcopus Aurelianensis captivos omnes ab Agrippino urbis præfecto impetrat liberos dimittendos, 265, 2.
Anima fidelis quam Deo sit chara et pretiosa, 109, 1. est thronus Dei, 41, 1. anima sancta est regina pulcherrima, 356, 2. anima sancta est cœlum, luna est fides, sol est zelus, 368, 1.
Anima peccatrix per ollam succensam designatur tropologice, 19, 2. peccando regnum suum dat concupiscentiæ, 353, 2. peccando quam se dedecoret, 29, 1. ei voluptates præteritæ vertuntur in amaritudines, 353, 1, 2. quomodo ei dæmones dominentur, 356, 2. ejus jactura per peccatum, 357, 2. ejus miser status, 349, 1; 353, 1, 2.
Anima peccans morte morietur tum temporali, tum spirituali, 636, 1.
Anima sancta et fidelis tropologice templum est Dei, 780, 1, 2. qua ratione tale templum fiat, *ibid.* anima sancta est vinea, non silva, 601, 1, 2.
Animæ non maledicunt suæ incorporationi juxta hæresin Origenis, 161, 2. animæ timidæ viles sunt, 130, 1. animæ omnes quomodo sint Dei, 632, 1. animæ quomodo dicuntur ad corpus venturæ a quatuor ventis, 758, 2. animæ fidelium sunt velut vasa sancta, 801, 1. animas convertere Deo est gratissimum, 780, 2. animæ volantes quænam sint, 594, 1. animæ pretium, 130, 2. eam qui ad Deum a mundo avellit, quasi pretium separat a vili, *ibid.* cur per peccatum fiat instabilis, 358, 1. sæpe non recordatur novissimorum, 359, 2. peccando e cœlo gratiæ descendens fit pecuina 359, 1. anima sancta est scabellum Dei, peccans diaboli, *ibid.* ejus muri sunt gratiæ, 872, 1. anima in corpore versetur quasi angelus, 387, 1. illam convertens majus Deo donum offert, quam si templum ei construeret, 431, 1. ipsa immortalis est, 438, 2. etsi inquinatissima potest redire in gratiam cum sponso, 439, 1. anima videtur esse ibi, ubi remansit dum suum destituit corpus, 758, 2. anima sumitur interdum pro corpore, 607, 1. vento assimilatur, 758, 2. anima quæ per negligentiam pastoris perit, requiretur ab eo, 735, 1, 2. animæ ornamenta aurea et argentea quæ sint, 611, 2. quomodo oppugnetur et propugnetur, 531, 1. ejus sancta et prudens stultitia, 538, 2; 539, 1.
Animalia vidit Ezechiel quatuor, non unum, 479, 2. significant hæc quatuor primarios angelos, mundi et Ecclesiæ protectores, ac belli et victoriæ Dei præsides et ductores, *ibid.* non erant ea vera animalia, sed animalium tantum speciem præ se ferebant, *ibid.* quodque eorum habebat quatuor facies, 480, 2 et seqq. si quid loquerentur, ore humano loquebantur, 482, 1. quodque animal quatuor habebat alas, 484, 1. pedes eorum quomodo dicantur recti, *ibid.* et 2. erantque bini, *ibid.* et iidem scintillabant, cur, 484, 1. quot manus haberent, *ibid.* et 2. et cur tot haberent manus, *ibid.* 2. facies et alæ eorum quot essent, et quo situ sitæ, 485, 1. quomodo junctæ pennæ alterius eorum ad alterum, *ibid.* et 2. quid hæc alarum conjunctio denotaret, *ibid.* quomodo non reverterentur cum incederent, *ibid.* quid hic motus designet, *ibid.* et 486, 1. quomodo coram facie sua ambularent, 487, 1. in medio eorum erat fornax ignis, *ibid.* 2. ibant et revertebantur, Deo aurigante et jubente, instar fulguris, *ibid.* erant juxta currum, non in ipso curru, 488, 1. fuere similia Seraphim Isaiæ, et ex parte dissimilia, 496, 2. at similiora animalibus quæ vidit Joannes in Apocalypsi, 497, 1. eorum facies quatuor denotant allegorice quatuor Dei stemmata, 504, 1, 2. item significant universam rerum naturam, 505, 2. item quatuor dotes Dei redemptoris et bellatoris et vindicis, *ibid.* item quatuor stemmata Christi Dei et hominis, 506, 1. sunt item in sensu accommodatitio quatuor Evangelistæ, 507, 1. et quatuor stemmata Ecclesiæ, *ibid.* 2, et 508, 1. item Prælati, sacerdotes, doctores et viri Apostolici, *ibid.* item quatuor sedes Patriarchales, cur, 508, 1, 2.
Animalium robur in cornibus situm, 802, 2.
Animus æger et afflictus non loquitur consequenter, 161, 2; 162, 1, 2.
Annihilari quomodo dicantur res, 699, 2.
Anni, quibus Jerusalem Nabuchodonosor evertit, et captivos abduxit, 335, 2. anni septuaginta captivitatis unde inchoandi, 210, 1, 2. aliqui eos inchoant a decimo tertio Josiæ, *ibid.* 2. refelluntur, *ibid.* alii ab undecimo Sedeciæ, 211, 1. Hebræi ab anno quarto Joakim, *ibid.* sed optime alii ab anno undecimo Joakim, *ibid.* quæ sententia probatur, *ibid.* hi 70 anni tropologice est pœnitentia hujus vitæ, 211, 2. anni CCCXC iniquitatis Israel et XL Juda quinam sint, et unde numerandi, 535, 1, 2 et seqq. incipiunt a primo, anno Roboam et Jeroboam, et finiuntur ultimo Sedeciæ, 537, 1. anni plures dabuntur post Antichristum lapsis ad pœnitendum, 770, 2; 771, 1. annis Nabopolassar regis utitur Ezechiel in prophetiis suis consignandis, 475 2 et seqq.
Anno decimo tertio regni Josiæ eversa est Ninive, 12, 2.
Annos sabbaticos Sedecias rex instauravit, 247, 1.
Annuli præferebant sæpe deorum imagines, 138, 1. eos quare veteres gestarent, 177, 2. gestabantur in digito quarto manus sinistræ, *ibid.*
Annus primus Sedeciæ fuit quartus hebdomadis sabbaticæ, 207, 1. annus regni Sedeciæ idem est qui transmigrationis regis Joachin, 477, 2. annus obsessæ Hierosolymæ

a Nabuchodonosore consignatur, 675, 1. annus quo Ezechiel vidit fabricam novi templi et urbis, an sit jubileus, 782, 1, 2. annus sabbaticus incipiebat a septembri, 208, 2.
Antemurale urbis quod sit, 373, 2.
Anterides in ædificiis quid sint et antæ, 807, 2.
Antichristus putatur e tribu Dan nasciturus, 78, 1. Antichristus suo suos charactere insigniet, 568, 2. ejus tempore futuri sunt Gog et Magog, 765, 2. suam regiam collocabit in Jerusalem, et juxta eam cum fidelibus confliget, ac cædetur, 767, 1. de eo multi prophetaverunt, 768; 1. ejus potentiæ multi celebres concionatores cedent, *ibid.* ejus regnum evertetur totum, 770, 2. eo cæso multi anni dabuntur lapsis ad pœnitendum, 771, 1. ejus persecutio erit ultima, 773, 2.
Antiochus an designetur per pardum, 52, 2.
Antiochus Epiphanes an sit Gog, 764, 2. ostenditur quod non, *ibid.* et 765, 1.
Antiochus Magnus rex Syriæ quam moderate regni amissionem tulerit, 679, 2.
Antiquum pro pretioso et charo capitur subinde, 413, 1, 2.
Antitheses idolorum et veri Dei, 93, 1.
Antoninus (S.) adhuc vivens a Pontifice Nicolao V ut sanctus est declaratus, 599, 2.
Antonius (S.) quomodo Ammonem ad patientiam et mansuetudinem efformarit, 101, 2.
Antonius (S.) de Padua quam fervens concionator, 342, 2. ejus lingua integra reperta post mortem, *ibid.*
Antonomi (S.) Episcopi et martyris corporis post aliquot sæcula integritas, 761, 1.
Apathia Stoicorum, 165, 1, 2.
Aperire humerum et latus quid sit 684, 1.
Apollinaris hæresis quid traderet, 108, 2.
Apollinaris junior Laodiceæ Episcopus scripsit in Ezechielem, 472, 2.
Apollo Abbas quam liberalis in pauperes tempore famis, 140, 2.
Apollo cur pingeretur imberbis, 503, 1. est sapientiæ præses : quomodo a Spartanis effingeretur, et quæ mystica ejus picturæ ratio, 484, 1, 2.
Apollonii Tyanæi silentium, 392, 1, 2.
Apologus de luscinia capta ab aucupe eique illudente, 77, 1. apologus de vulpe et pardo, 590, 2. de tibicine piscibus tibiis canente, 737, 2. de leone et vulpe in præda capta dividenda, 640, 1.
Apostatis a fide et religione adaptari possunt omnia quæ de rege Tyri dicuntur, 711, 1.
Apostoli sunt ossa Ecclesiæ, 362, 2. erant ad agones et labores vocati, 288, 1, 2. sunt venatores, cur, 134, 1, 2. dominati sunt cunctis gentibus, 451, 1. sunt pastores, cur, 182, 1, 2. sunt principes seminis Abraham, 245, 2. Apostoli tropologice nubibus conferuntur, 574, 2. sunt cæmentarii Ecclesiæ, 783, 2. sunt germina Christi, 745, 1. sunt piscatores, non venatores, cur, 852, 2. quare sint rotæ, 503, 1.
Apostolici viri sunt venatores, cur, 134, 2.
Apostolorum Petri et Pauli elogia, 709, 2.
Apparitiones Christi et Sanctorum futuram resurrectionem demonstrant, 761, 2.
Appellantes ad tribunal Dei sæpe exauditi, 143, 2.
Appetitus duplex per Moab et Ammon significatur, 309, 1. in appetitu concupiscibili homo maxime læsus est per pectum, 370, 2. appetitus quatuor hominis an in quadriga Cherubica exprimantur, 498, 1. appetitus sunt quasi retia appetenti, 597, 2.
Aqua et sanguis cur effluxerit e latere dextro Christi perfosso, 852, 1. aquæ comparatur gratia et bonorum spiritualium abundantia, quæ a Christo per Sacramenta dimanat, 752, 1. juxta aquas cur suas visiones videant Ezechiel et Daniel, 477, 1. quæ ejus rei causa mystica, *ibid.* aquæ quomodo dicantur sanari, 851, 2. ei assimilantur milites, 627, 2.
Aquæductus in templo ad quid essent, 849, 1. eorum operositas, *ibid.* aquæductus romani sunt orbis miraculum, *ibid.*
Aquæ templi Salomonici mystice significant baptismum, gratiam et doctrinam Christi, 849, 2. aquas redundantes quas viderit Ezechiel, 850, 1, 2.
Aquæ torrentis sensim crescentes Ezechieli visæ quid significent, 850, 1, 2. aquæ sunt in baptismo Christi donatæ vi vivificandi, 852, 2. aquæ baptismi peccatores dulcorant et fructiferos reddunt, 851, 2.
Aquilam in vexillis præferebant Persæ et Romani, 199, 1; 319, 1. aquilæ velocitas, 417, 1. ipsa est symbolum victoriæ violentæ et magnificæ, 305, 2. aquilæ facies quomodo esset desuper quatuor animalia Ezechielis, 486, 2. aquila symbolum est altissimæ sapientiæ, 504, 1, 2. item agilitatis, æternitatis et sublimis spiritus, 501, 1. item perspicacitatis, 502, 1. et sapientiæ, 506, 1. aquila colubrum vel draconem ungue gestans cur a Danitis in vexillo pro serpente pingeretur, 499, 1. aquilæ facies in rotis currus Cherubici quid symbolice significet, 509, 2. Vide *Animalia, Cherubim.*—Aquila est avium princeps, et regiam majestatem præ se fert : fuit ea insigne Persarum et Romanorum, 623, 1, 2. est symbolum regni et regis, *ibid.* ipsa in multis imperium portendit, id probatur exemplis, 624, 1. repræsentat ea regem Nabuchodonosor, 625, 2. ejus symbola aptata Chaldæis, *ibid.* aquilæ pugnantes symbolum sunt victoriæ, 626, 2; 627, 1. aquila cœlum capite respiciens, et pedibus terram tangens, cum fulmine a sinistra, lauri ramo a dextra, est emblema pii principis, 625, 1.
Aquilinus (S.) a Deo cæcitatem petiit, 403, 2.
Aquilo frigidus significat mystice regnum diaboli, 41, 2. cur tristia et Dei vindictam significet, 20, 1, 2. ejus frigus, *ibid.* Judæis erat infaustus et infestus, 317, 2. Aquilo est diabolus, 792, 1. aquilone mystice denotantur gentes vel peccatores, 797, 2.
Aquilonares qui ad exscindendam et vastandam Babylonem a Persis sint evocati, 317, 2.
Arabes semper latrociniis dediti fuere, 38, 1; 53, 1. Deum appellant Sabim, 62, 1. attondentur in rotundum, 86, 2. genarum pilos evellere solebant, 87, 1. ipsi et Galaaditæ cur medica arte excelluerint, 79, 2. Arabes Nomades describuntur, 313, 1, 2. Arabes dicuntur filii Orientis, 683, 1.
Aradii erant incolæ insulæ Arados juxta Tyrum, dicti ab Aradio filio Chanaan, 694, 1.
Aram olim vocabatur omnis Syria, eique vicinæ regiones, 699, 1.
Ararat regio Armeniæ est, 329, 2.
Aratores in Ægypto ad cœlum quare non respiciant, 714, 1.
Arbor in hieme moriens, in vere revirescens et reviviscens est symbolum resurrectionis, 759, 2.
Arbores diis sacræ erant olim, 30, 2. arbores crescentes mystice sunt fideles aquis baptismi loti et rigati, ut proferant poma, id est virtutum fructus, 851, 1, 2.
Arca ante ædificatum a Salomone templum, erat in Silo urbe tribus Ephraim, 68, 1. arca est dicta gloria Israel, 511, 1. non fuit in templo Zorobabelis, quia fuit a Jeremia in urbis excidio abscondita, 814, 2.
Arcanum consiliorum et decretorum Dei est liber involutus, estque scriptus intus et foris, cur is sit involutus, 518, 1.
Archimedes quam suæ mathesi intentus esset, 33, 1.
Argenteus fuit dimidium sicli, 238, 1, 2.
Argentum quomodo a scoria per plumbum expurgetur, 63, 1.
Argi fabula moralisatur, 492, 1, 2.
Argumentum prophetiæ Jeremiæ, 3, 1.
Ariel est altare, id est mons et leo Dei, 826, 1, 2. item Jerusalem, *ibid.* 2. Ariel idem est quod maledictionis

aries, *ibid.* idem est quod Uriel, *ibid.* Christus nobis est Ariel allegorice, *ibid.*
Aries machina bellica describitur, 532, 1; 689, 1. ejus auctor Epeus, 532, 1.
Arietes sunt symbolum bonorum, 743, 2.
Aris olim inscribebatur nomen idoli, 137, 2.
Aristogitonis oratoris impudentia, 39, 1.
Armenia unde dicta, ipsa est omnium terrarum altissima, 699, 1.
Armillæ in manibus, aut potius juxta manus in brachiis significant mutuam stipulationem, contractum et fidem, 611, 1. quales eæ essent, *ibid.* quid tropologice notent, *ibid.*
Armogastis martyris frontem cur ariani hæretici dire torquerent, 571, 1.
Arnolphus rex pediculari morbo percussus interiit, quod templa diripuisset, 176, 2.
Arnulphus filius Caroli Magni imperatoris unde sit cognominatus, 623, 2.
Arianismum venturum præsignificavit cometes, 653, 2.
Arianorum quis fuerit in orthodoxos furor, 773, 2.
Arii hæresis quid doceret, 108, 1, 2.
Arius omnia viscera sua in latrinis cum anima effudit, *ibid.*
Aromata cremabantur in funere, 247, 1. aromata etiam dicuntur fructus odorati et medicati, 700, 1.
Arula erat in curru Dei triumphantis inter medios Cherubim, 487, 2. quid ea denotet symbolice, 511, 1, 2.
Arundini apte comparantur Ægyptii, 716, 1.
Ascalon urbs quæ et qualis esset, 296, 2. ex ea natus Herodes Infanticida: hodie etiamnum Saracenorum propugnaculum est, *ibid.*
Aschenez Asiani, unde orti et dicti sunt Tuiscones, 329, 2.
Asinorum genitalia sunt maxima, 669, 2.
Asor et regna Asor quæ dicantur, 313, 2.
Aspectus contra aspectum quid sit, 814, 1. aspectus significat apud Ezechielem colorem vel apparentiam, quæ aspicienti videtur inesse rei a se visæ, 494, 1.
Aspera quam prosint, 165, 1, 2.
Assur quosvis tyrannos significat, 724, 1.
Astra an animata, an habeant oculos et aures, 88, 2. ea esse signa futurarum actionum censuit Origenes et alii, 89, 1. quomodo facta sint in signa, *ibid.*
Astrologiam judiciariam damnat Scriptura, 89, 1.
Astrologorum sciolorum ineptia ridetur, 89, 2.
Astyanax a Græcis immolatus pro felici reditu, 71, 1.
Athanasius (S.) pene solus totum orbem arianum ad duellum provocavit, 127, 1. vere vir fuit, 52, 1. est imago et idea boni et christiani pastoris, 745, 2.
Athanasii (S.) eremitæ ex pectore cupressus arbor enata miraculose, 140, 1.
Athei negant se a Deo videri, 561, 2.
Athenæ fuere academia Græciæ, 442, 1.
Atria singula erant unum altero altius, et ex uno in aliud per gradus ascendebatur, 785, 1.
Atriola separata varia erant per quatuor angulos in atrio laicorum, in quibus erant culinæ ad coquendas partes victimarum pacificarum laicis offerentibus debitas, 848, 1.
Atrium ante frontem mystice significat charitatis amplitudinem, 796, 1. atrium utrumque cingebat totum templum, 782, 1. in atrio erant tres portæ, Orientalis, Australis, et Borealis, *ibid.* atrium templi designabat mundum sublunarem, 805. 1. item plebem christianam, *ibid.* atrium carceris in quo fuit Jeremias, quod sit, 237, 1. atrium exterius quod sit, 816, 1. id mystice denotat vitam sæcularium, 797, 2. est scilicet templum laicorum, uti interius erat templum sacerdotum, 781, 2. atrium Gentium cur prius non metiatur angelus in templo Ezechielis, cum tamen id esset extimum, 785, 1. atrium interius erat atrium sacerdotum, cur id dicatur interius, 559, 2. atrium sacerdotum paucis describitur, ut et atrium laicorum, gentium, feminarum, 781, 1. erat utrumque atrium cinctum porticibus, *ibid.* 2. atrium sacerdotum non erat quadrangulum, sed quadratum omnibus lateribus isopleuron, et æquale: ejus descriptio, 790, 1.
Attilius Regulus fide servata Carthaginensibus notus, 271, 2.
Auditus pro voluntate capitur nonnunquam, 586, 2.
Audomarus (S.) cæcitatem visui prætulit, 403, 1.
Augusta nomen commune variarum urbium, 294, 1.
Augustalis laurus et gallinæ ominosæ, unde apud Suetonium ortæ, 564, 2.
Augusti Cæsaris in fabricando modestia, 172, 2.
Augustinus (S.) cum malis erat malus, et eorum consortio fiebat pejor, 279, 2. censuit dæmones pasci nidore victimarum, 69, 2. ejus pœnitentia et compunctio, 348, 1, 2. ejus in obsidione Hipponensi votum, 382, 1, 2. ejus de pœnitentia sententia, *ibid.* dubitat an sol et astra nobiscum sint beanda, 88, 1. quomodo sit per baptismum a vita mala immutatus, 752, 1. in cruce Domini est gloriatus, 570, 2. sollicitus fuit speculator, in gregis commodum excubans, 528, 1. ejus in episcopatu sedula sollicitudo, 742, 2. et supellex vilis, 664, 1. ejus paupertas, 741, 1. ejus elogium, 709, 1. *Si Deus esset Augustinus, dicerem: Esto tu Deus, ego sim Augustinus*, quo sensu id debeat intelligi, 560, 1, 2.
Augusto Cæsari aquilæ pugnantes cum corvis fuere symbolum victoriæ contra Lepidum et Antonium, 627, 1. eidem imperium promisit aquila, 624, 1.
Aurea Chersonesus est Ophir, 91, 1.
Aurei capilli commendantur, 413, 2.
Aureliano Imperatori imperium portendit aquila, *ibid.*
Aurichalcum quid sit, unde dicatur, unde eruatur: ex eo facta erant vasa templi, 479, 1. ejus pretium, *ibid.* id unde fieret, *ibid.* 2.
Auricomi finguntur dii et heroes, *ibid.*
Aurugo vel rubigo vitium segetum est, 217, 1. idem dicitur de ictericis, *ibid.*
Aurum Jerusalem quod obscuratum dicatur, 407, 1, 2. aurum est symbolum sapientiæ et divinæ cognitionis, *ibid.* aurum optimum est quod in tenuissimas bracteas duci et extendi potest, 91, 1. ejus ramenta capillis inspergebant nobiles Hebræi, 413, 2.
Auster cur læta et Dei opem significet, 20, 1.
Auster unde dictus, 702, 2. illi confertur Nabuchodonosor, *ibid.* Auster tropologice notat ferventes spiritu, 797, 2. ac Spiritum Sanctum, 702, 2.
Avari et iniqui principes, prælati et judices sunt velut lupi vespertini, 53, 2. avari inexplebili opum laborant cupidine, et in gehenna siti, 555, 1, 2,
Avaritia multa mala concipit, 662, 1, 2. ipsa est ruina reipublicæ et Ecclesiæ, *ibid.* avaritia clericorum reprehenditur, 664, 1, 2. Ecclesiasticorum in nimiis pensionibus taxatur, 740, 1, 2 et seqq.
Avarus dicitur cisterna vetus et rimosa, quæ nunquam impleri potest, 28, 1. avarus tropologice est vespera, cur, 694, 2.
Aversio significat prævaricationem in iis quæ pertinent ad cultum Dei, 572, 2.
Aves docuerunt homines medicinam et pœnitentiam, 76, 2. earum sagacitas per exempla ostenditur, 75, 1, 2.
Azarias sacerdos libere increpavit Oziam regem, 179, 1.

B.

Baal comedit labores peccatorum, 42, 2. Baal commune deorum erat numen, 71, 1. Baal hebraice idem est quod dominus, herus, possidens, 559, 1. Baal idolum positum in templo a Manasse, ablatum a Josia, repositum sub Joakim et Sedecia regibus, *ibid.* 2. positum fuit in parte aquilonari templi, *ibid.*

Babylas Numerianum Imperatorem venientem ad ecclesiam, et volentem inspicere arcana ejus mysteria repressit, 175, 2.
Babylon quomodo a Cyro illaqueata sit, 321, 1. quomodo et quamobrem capta, quia scilicet Deus aperuit armarium suum, *ibid.* capta derivatione Euphratis in alveos, 321, 1. et quidem tertio, *ibid.* fuit calix aureus propter opes et luxum, 326, 2. dicitur esse in manu Domini, *ibid.* ipsa quasi calix propinavit aliis gentibus iram et supplicia Dei, *ibid.* idem calix notat opes, luxum ac idololatriam, quam ipsa aliis gentibus invexit, *ibid.* cur dicatur mons pestifer, cum esset sita in loco humili: ejus magnitudo, 329, 1; 332, 2. quare vocetur area trituræ Persarum, 330, 2. ad septentrionem erat Hierosolymæ, 452, 2. ejus varia excidia, 322, 2. in ejus excidio Romæ impiæ excidium notatum, *ibid.* cur vocetur mons caliginosus, 184, 2.
Babyloniæ virgines stupro et ejus pretio Venerem colebant, 462, 1.
Babylonici excidii causa, 321, 1.
Babylonii in vexillis et labaris columbam præferebant, et inde exercitus eorum dicitur columba, 199, 2. Babylonii ad aquilonem erant respectu Jerusalem, 478, 1.
Bacchus et Venus consumunt opes multorum, 42, 2. Bacchus bacchantes suos ideo hedera coronavit, ut minus a vino læderentur, hedera suo frigore ebrietatem restinguente, 673, 1, 2.
Bætis fluvius unde dicatur, 694, 1.
Baleares sagittandi periti, 385, 2.
Balsamum sola Judæa fert, quomodo et a quo id in Ægyptum translatum, 852, 2.
Balsasar rex repente a Deo castigatus, 18, 2. fuit ultimus Babyloniorum rex, 430, 1. fuit idem qui Merodach et Evilmerodach, 317, 1; 430, 1.
Baptismi effectus novem, 752, 1. ejus vis et efficacia, 752, 1. unde ea manarit, 852, 1. est mors criminum, et vita virtutum, 752, 1, 2.
Baptismum infidelium esse mendacem et vanum docebant donatistæ, 129, 2.
Baptizati olim cum vestem candidam in baptismo acceptam deponerent, cur ejus loco agnum cereum acciperent, 101, 1.
Barba symbolum virilitatis, 540, 1. barba tenus philosophus et cordatus vir sunt Deo exosi, et ludibrio hominibus, *ibid.* 2. barbam alicui præscindere apud veteres ingens erat probrum, 540, 1. barbam cur non raderent sacerdotes Judæi, 834, 2.
Barcochebæ Judæi impostura sub Adriano imperatore, 541, 2.
Baruch prophetias Jeremiæ diverso tempore editas collegit, neglecto ordine et tempore, 3, 1, 2; 333, 2. iis clausulam addidit, 333, 2. nec non quædam ex se, et præsertim caput ultimum, 335, 1. scriba Jeremiæ fuit, 255, 2. cur doluerit, 287, 1, 2. quomodo quæsierit sibi grandia, *ibid.* et 288, 1. a Judæis creditus favere Chaldæis, 281, 1. ipse fuit nobilis, ejus frater fuit Saraias princeps, 426, 2. per omnia Jeremiæ assecla est, *ibid.* ejus nomen quid sonet, *ibid.* ejus majores qui fuerint, et an fuerint prophetæ, *ibid.* scripsit post eversam Jerusalem, 428, 1. vasa templi quæ ditiores Judæi a Chaldæis pretio redemerant, in Jerusalem remisit, 429, 1.
Baruch liber an sit canonicus, 426, 1. de fide est esse canonicum, *ibid.* ejus libri argumentum, *ibid.* 2. ejus auctor Jeremias, Baruch nonnisi ejus scriba, *ibid.*
Basan locus erat compascuus, 772, 1.
Basilii (S.) exhortatio ad pastores, 134, 1. quam heroice restiterit Valentis Imperatoris præsidi, 21, 2. erat adamas et magnes, 524, 1.
Basilio Macedoni imperatori aquila supervolans imperium promisit, 624, 2
Basilisci serpentis forma, virulentia et incessus, 78, 2. ei comparantur Chaldæi Judæos invadentes, *ibid.*
Basiliscus imperator impius cum uxore et liberis fame interiit, 176, 2.
Batus et ephi erant pares mensuræ: sed hæc erat aridorum, illa liquidorum, 843, 1, 2. utraque tres modios continebat, *ibid.*
Beati in cœlo malorum superiorum obliviscuntur, 388, 1. fruuntur lætitia æterna, 455, 1. eorum splendor, *ibid.* 2. eorum nomen novum, *ibid.* quanta eorum sit multitudo, *ibid.* curru triumphali ibunt ad cœlum, 456, 1. omnia ipsis Deus complanabit, *ibid.* et 2. omnes creaturæ ipsos delectant, *ibid.* 2. Deus erit eis loco solis, *ibid.* Beati in cœlo an in frontibus cruce velut tessera insigniendi sint, 571, 2.
Beelphegor quomodo pingeretur, 299, 2.
Bel numen Babyloniorum, 331, 2. Bel sive Belus fuit Nemrod primus rex et tyrannus in orbe et conditor imperii Babylonici, 317, 1. idola cur vocentur Baal, Bel et Belim, *ibid.* Belus et ejus posteri obtinuerunt regnum Assyriorum simul et Chaldæorum, 55, 1. Bel quomodo confusus sit, 317, 1, 2.
Belgium hortus deliciarum fuit olim, nunc vallis lacrymarum, 168, 2.
Bella inter Guilielmum ducem Aquitaniæ et Gaufredum comitem Andegavensem sanguinea pluvia præsignificata sunt, 545, 2.
Bellandum diu non est cum iisdem hostibus, ne discant bellare, 116, 2.
Bellum Chaldæorum contra Jerusalem sanctum erat tripliciter, 59, 1, 2.
Benedictus (S.) Abbas pueros passim ad suum Ordinem admittebat, 393, 2. monachos licentioris vitæ reformare cupiens magnum odium incurrit, 127, 1. quænam Totilæ Gothorum regi prædixerit, 773, 2. in mente elevatus in Deo vidit totum orbem in specie globi, 757, 1.
Benedictus IX Papa, et deinde Antipapa, post mortem apparuit cuidam in forma asini et ursi, 669, 2.
Benedictus XI matrem pauperem non erubuit, 836, 2.
Benedictus XII Pontifex nullum e suis propinquis ad ullum Ecclesiæ munus promovit, 836, 2.
Beneficia plurima possidentes Ecclesiastici injurii sunt in Deum et Christum, in Ecclesiam particularem, in populum et fideles, in ipsos eorum fundatores, in canones omnes antiquos, in Ecclesiam universalem, in Episcopos et Patres omnes priscos et sanctos, 740, 1, 2 et seqq.
Benjamin et Judæ sors cur commutentur in descriptione et dimensione tribuum apud Ezechielem, 862, 1.
Bernardi (S.) gravida mater visa sibi est videre gestare se utero catulum latrantem, 14, 1. singularitatem et admirationem fugiebat, seque humiliabat, 16, 2. quomodo invehatur in clericos opibus ecclesiasticis incrassatos et lascivientes, 741, 2.
Bessus parricida quomodo proditus parricidii pœnas dederit, 19, 1.
Bestiæ nos superant in externis omnibus, 86, 1.
Bestias feras immittit Deus in castigationem malorum, 544, 1. bestiis tradimur, cum vitiis tradimur, *ibid.*
Bethacarem vicus est medius inter Jerusalem et Thecuam, 59, 1.
Bethel loci sanctitas, 302, 1.
Biblia non restituit Esdras post captivitatem Babylonicam, 374, 1.
Biblus urbs est Phœniciæ, 694, 2.
Bicordes sunt dolosi, 584, 1.
Blandina martyr in tormentis aliud non dicebat quam *Christiana sum*, 51, 2; 447, 1.
Blasphemia quid sit proprie, 543, 2.
Boanerges quomodo sint apostoli Joannes et Jacobus, 488, 1.

Bœotica cantilena dicitur de lugubri carmine, 737, 2.
Boleslaus Poloniæ rex quam fuerit in S. Stanislaum Episcopum sævus et iniquus, 761, 2.
Bombycinum quid sit, 619, 2.
Bona malis in hac vita sunt permixta, 711, 2; 712, 1.
Bona spiritualia quæ per Christum Israel acceperit, 752, 2.
Bonifacius (S.) Germaniæ apostolus et martyr quomodo questus de sacerdotibus ligneis, 741, 2.
Bonitas Dei aurea electro repræsentatur, 492, 2.
Boreas sedes esse diaboli cur dicatur, 29, 1, 2.
Borith est herba fullonum, eamdem habet vim cum nitro, 31, 1.
Bos sacerdotii, sacrificii, utilitatis et beneficentiæ est symbolum, 484, 1; 509, 2. item laboris, 578, 1. *Vide* Vitulus, Cherub, Animalia.—Bos vocatur Cherub, quasi rocheb, id est trahens currum, 577, 2.
Bosra duplex erat, 610, 2.
Brachiis nudatis incedebant veteres, 533, 1.
Brachium pro fortitudine, 239, 2.
Brachmanes philosophi pueros quomodo ad labores efformarent, 579, 1.
Branas Alexius astrologum consulens victoriam se relaturum de Conrado marchione Montisferrati audiit; sed tam ipse quam astrologus occisus est, 90, 1.
Bubasti urbs est prope Pelusium ad ostium orientale Nili: erat in ea celebre Dianæ templum, inde dicta sancta, 722, 1.
Bullam, in qua idoli nomen sculptum erat, de collo gestabant veteres, 137, 2.
Burgundio salitus adagium unde habeat originem, 606, 2. Burgundiones primi e Gallis fidem Christi suscepere. *ibid.*
Byssi pretium et splendor, 834, 1, 2. est symbolum opum, gloriæ ac deliciarum, *ibid.* byssus veterum quæ qualisque fuerit, 610, 1, 2. non fuit sericum, sed linum candidissimum, *ibid.* byssus bombycum flava est, *ibid.*

C.

Cadas Hebræum quid significet, 543, 1.
Cadavera veteres comburebant, 247, 1, 2. additis aromatibus, et injectis armis, vestibus rebusque carissimis, *ibid.* sunt coinquinata tum naturaliter, tum legaliter, 439, 1. cadaveris tactus tangentem inquinabat olim, 546, 2. cadaverum contactu contaminabantur tum templum, tum omnia loca sacra, 824, 1, 2. cadavera cur vocentur ruinæ, *ibid.*
Cadiloum Antipapam libere coarguit Petrus Damianus, 179, 2.
Cadmæa victoria quæ dicatur, 291, 1.
Cadunt pii in faciem, impii in dorsum, 514, 1.
Cæcitatis bona et amatores, 403, 1.
Cænei superbientis insolentia quomodo repressa, 715, 1.
Cæremoniæ exteriores sunt velut folia conferentia salutarem instructionem et medicinam, 853, 2.
Cæsar undenam Africa se potiturum sit ominatus, 657, 1. illius erga Catonis liberos humanitas, 689, 1.
Cæsarius Episcopus Arelatensis sacra vasa ad captivos redimendos distraxit, 265, 2.
Cæsores arborum in exercitu præmitti soliti, qui viam exercitui venturo complanarent, 321, 2.
Calamus capitur pro canna mensoria, 784, 1, 2. calamus quem habebat angelus in manu, quot contineret cubitos sacros, quot vero communes, *ibid.* 2. calamus mensorius mystice sunt Dei judicia, calamus sacer continet sex cubitos, novem pedes, duos passus excepto pede, 784, 2; 855, 2; 861, 2. calamus mensuræ dicitur calamus maximus, qui sex cubitos haberet, 818, 1.
Calamus aromaticus quid sit, 62, 1. non est cinnamomum, 760, 1.
Calathos duos ficuum cur vidit Jeremias ante templum, 189, 1, 2.
Calceus signum est libertatis, possessionis, lætitiæ, constantiæ, 609, 1.
Calculis olim in urnam jactis suas judices ferebant sententias, 387, 2.
Caligo repræsentat gloriam Domini, 575, 1.
Caligulæ Imperatoris impudentia, 39, 1. ejus insania in fabricando, 172, 2. adulatori Vitellio quam stolide auscultarit, 595, 2.
Calippus eodem pugione quo Dionem necarat, a sociis necatus est, 18, 2.
Calix est justa mensura vindictæ Dei, et unde sic dicatur, 195, 1. calix vocatur mensura pœnæ a Deo commensa sonti, 671, 1, 2.
Calliopius (S.) per crucem est mortuus, 571, 1.
Calvariæ mons hodie urbi Jerusalem inclusus, 243, 2. in eo olim templum ab Helena exstructum, *ibid.*
Calvinistarum fraus et technæ, 590, 2.
Calvinus Judæorum passim patronum agit, 231, 1. abstinentiam Rechabitarum carpit, 251, 2. ejus inepta expositio de ea maledictione qua Jeremias maledicit diei nativitatis suæ, 161, 2. Calvini funestus interitus, 591, 2.
Calvitium urbis quod dicatur, 296, 1. calvitium priscis erat luctus signum, 554, 1, 1.
Cambyses rex Persarum quando vastarit Ægyptum, 716 2; 718, 1, 2.
Camelæ æstu libidinis actæ velocitas, 32, 1.
Camerarii fabriles mystice sunt doctores sancti, 793, 1.
Caminus ignis in curru cherubico quid symbolice designet, 511, 2.
Candor mirus alabastro exprimitur, 414, 1. candor pro splendore, 411, 2.
Canes in fabricis qui vocentur, 808, 1.
Canis silvestris fera Syriæ particularis, 409, 1.
Canthi sunt dorsa rotarum, 491, 2.
Canticum canticorum est canticum maximum, pulcherrimum, 694, 2.
Cantorum gazophylacia mystico sensu sunt desideria animæ, 801, 2.
Capanei arrogantia, 714, 2. quomodo ea retusa, 715, 1.
Capharnaum vox unde derivetur, 768, 1.
Caphtor an Cappadocia, an Cyprus, 295, 2. an nova Tyrus, *ibid.*
Capitum in Jeremia alia distinctio in Latino vulgari, et Septuaginta Græcis, 3, 1, 2. caput ultimum prophetiæ an sit ejus proprium, 335, 1.
Cappadocia quomodo vocetur insula, 295, 2.
Capræ vel hirci specie coluerunt Gentiles suos Faunos et Silvanos, 547, 1.
Captivitatis Babylonicæ anni septuaginta unde inchoandi sunt, 210, 1, 2; 211, 1, 2. cur ea tam diu durarit, 212, 2. eam se soluturum promisit Deus, et multo magis spiritualem, 241, 2; 243, 1; 245, 2.
Captivos liberare Deo gratum, 265, 1.
Caput et humeri Chaldæorum quomodo decalvati in obsidione Tyri, 717, 2.
Carcer pœnitentium, in quo Sancti olim sponte peccata acta expiabant, 115, 2. carcer vocatur tumulus et sepulcrum, 757, 2.
Carceres horridi longam mortem præferunt, 261, 2.
Cardinales quibus coloribus utantur, 609, 2. cujus rei colores illi eos moneant, *ibid.* debent stare pro Christo et Ecclesia, ejusque honorem ad sanguinem usque defendere, *ibid.* Cardinalium nomen cœpit tribui sub Sylvestro I primariis presbyteris et diaconis, *ibid.* ex iis creatur Pontifex, *ibid.* primi Cardinales fuere pene omnes martyres, *ibid.* quomodo et cur primum data eis purpura, *ibid.*
Cardinalis numerus sæpe in Scriptura ponitur pro ordinali, 844, 2.
Cariath Arbe urbs unde dicta, 298, 2.
Cariathaim quæ urbs, videtur duplex fuisse civitas, *ibid.*

Cariath Sepher fuit academia Palæstinæ, 298, 2; 442, 1.
Carmelus mari imminet, 293, 2. est duplex, unus sterilis in sorte Ephraim, alter in tribu Aser, 26, 2. Carmelus in Scriptura aliquando nomen proprium, aliquando pro quovis loco amœno et fertili accipitur, *ibid.*
Carmen Hebraicum quale sit, 346, 1. carmen quodnam dicat Ezechiel scriptum in libro involuto quem vidit, 517, 1, 2.
Carnales homines ollis assimilantur, 675, 2. in ollis habitant, 582, 2.
Carnes sanctæ quomodo non auferant malitias, 98, 1, 2.
Carneum cor quod dicatur, 752, 2
Caro quid spiritualiter significet, 614, 2. carnes quas captant pastores iniqui, sunt hæreditates, quas per fraudes et iniqua judicia captant, 740, 1. carnes asinorum quæ dicantur, 669, 2.
Caroli comitis Flandriæ mira liberalitas in fame communi, ejus pœnitentia, martyrium, 633, 2.
Carolus (S.) Borromæus quam in vestitu et supellectile fuerit simplex, 664, 1. fuit in diœcesi sua obeunda admodum sedulus et indefessus, 743, 1.
Carolus Magnus labore assiduo valetudinem suam tutatus est, 579, 1.
Carpus indignans contra gentiles a Domino correptus est, et lenitatem edoctus, 726, 2.
Carthago fuit filia et colonia Tyri, 697, 2. ejus descriptio, *ibid.* unde nomen ejus derivetur, *ibid.* cur dicatur urbs nova, *ibid.*
Castigatio nuci cur assimiletur, 17, 2.
Castra sanctorum vocantur latibula et receptacula christianorum tempore Antichristi, circa Jerusalem : vel aliqua castra militaria, 766, 1.
Castra Israel et ejus insignia quatuor, an in Cherubim quadriga repræsententur, 499, 1.
Castrametationis duodecim tribuum descriptio, 863, 1, 2. eadem mystice et anagogice deducitur, *ibid.* et 864, 1.
Cata mane mane quid sit, 847, 1, 2.
Catabulum et captabulum quod sit, 253, 2.
Catalogus et liber viventium qui dicatur, 591, 2.
Catenas ligneas gestavit Jeremias : quales essent illæ catenæ, 204, 2.
Catharina (S.) Senensis in Dei providentia fidendum aiebat, 95, 1, 2. ejus cor abstulit Christus, atque ejus loco ei suum dedit, 753, 2. illius in pauperem Christi specie apparentem liberalitas, 634, 1.
Catholici pati non debent, ut suam apud se hæresin hæretici exerceant, 597, 2.
Cedar quis fuerit, quam regionem denominarit, 313, 1. est Arabiæ Petreæ pars, *ibid.* regio Arabiæ unde dicta, 700, 1.
Cedareni unde dicantur, 313, 1. eorum mores et domus describuntur, *ibid.* eorum depeculationes, *ibid.*
Cedri æternitas et duratio, 175, 1.
Cedrus cur vocetur Pharao, 724, 1, 2. cedrus est ampla; ardua, odorata, cariem nescit, ejus usus est in sacris, montes amat, semper frondet, picem fundit, fructum fert suavem, ejus pix dolores dentium sedat, *ibid.* 2. aliæ ejus proprietates, *ibid.* ei comparatur familia David, 628, 2. et Christus, 627, 1. cedrus describitur, *ibid.* tres ejus dotes totidem Christi dotes denotant, *ibid.* cedro alligabantur libri veterum et membranæ, ut diu conservarentur illæsæ, 517, 1.
Celerini martyris constantia in tormentis, 158, 2.
Celeusma est proprie lætus clamor et jubilus nautarum et militum se invicem ad remigandum et præliandum adhortantium, 198, 1.
Centenarius numerus, quia decies per denarium ducitur, perfectionem denotat, 798, 1, 2.
Centum cubiti atrii significant perfectionem fidelium mystice, 803, 1.
Centum frontes cubitorum atrii mystice sunt qui rectam intentionem in operibus bonis habent, 798, 2.
Cerbonius Episcopus Populonii a Totila Gothorum rege ursis immanissimis est objectus, 773, 2.
Cerebro (in) cujusque est aliquid bestiæ, 486, 1. cerebrum & spiritus animales suppeditat homini, 753, 1.
Ceretim quæ gens, 684, 2. cur essent hi asciti a Davide ad custodiam regii corporis, *ibid.* coloniam duxerunt in Cretam, *ibid.* et unde iidem sunt Cretenses qui Ceretim, *ibid.*
Cerinthus hæreticus impie docebat B. Virginem e Josepho concepisse, 839, 2.
Certandum et laborandum semper christiano, 579, 1, 2.
Cerva præ aliis bestiis amat fœtus, 120, 2.
Cervicalia peccatorum quæ sint, 592, 2; 593, 1, 2.
Cervix obdurata pro aure usurpata, 157, 1, 2.
Cestus signum virginitatis, 462, 1.
Cethim filius Japhet primus occupavit Cyprum, 26, 2.
Cethim urbs est in Cypro; Cyprus inde et aliæ insulæ vocatæ Cethim, *ibid.* Cethim Judæis varia denotat loca in mari Mediterraneo sita, 693, 2.
Chaldæa vocatur Chanaan, quia mercaturæ erat dedita, 625, 1. Israeli est ad Orientem septentrionalem : unde nunc Orientalis, nunc Aquilonaris dicitur, 628, 1.
Chaldæi vastatores Jerusalem, vastabuntur a Persis, 366, 2. per quam portam in Jerusalem irruperint, 269, 1, 2. quomodo sanctificati sint a Deo contra Jerusalem, 171, 1, 2. Dei voluntatem de punienda per Chaldæos Jerusalem intelligere potuerunt ex prophetia Jeremiæ et aliorum Prophetarum, 59, 2. quomodo suæ ambitioni et Dei voluntati in occupanda Jerusalem satisfecerint, *ibid.* quomodo vastando Moabitas non peccassent, 301, 1. de nocte oppressi a Persis ebrii et dormientes, eorum insolentia, dum obsiderentur, 331, 1, 2. comparantur aquilis ob celeritatem, 47, 1. ignem castris præferebant, *ibid.* Judæorum ritus et sabbata irrisere in excidio, 357, 1, 2. eorum imperium ex quo tempore cœperit, 55, 1. Chaldæorum reges tres quibus serviere Judæi, qui sint, 204, 2. Chaldæi dicti Orientales, vastarunt provinciam Ammonitidem, 683, 1. unde acceperint ritum præferendi ignem suis regibus, 487, 1. cur vocentur hamus Ægyptiorum, 715, 1. cur vocentur piscatores et venatores, 588, 1. per aquilam repræsentantur, 625, 2. cur vocentur Chananæi, *ibid.* et 626, 1.
Cham filius Noe an sit Hammon, 547, 1. primus Ægyptum incoluit, ejusque fuit rex, unde Saturnus Ægyptius est appellatus, *ibid.*
Chamaam sita juxta Bethlehem, 277, 2.
Chamos fuit deus comessationum, 299, 1. fuit Bacchus, *ibid.* an idem cum Beelphegor, id est Priapo, 299, 2. ejus sacra per meretrices exercebantur, *ibid.*
Chananæa a Deo Hebræis data pertingebat usque ad fines Damasci, 854, 2. ejus divisio describitur, *ibid.* et seqq.
Chananæi nauticæ rei et mercaturæ fuere peritissimi, 442, 1. erant mercaturæ addicti, 625, 2.
Charcami urbs juxta Euphratem, 290, 1.
Charitas desponsationis dupliciter accipi potest, 1. 25. charitas Dei et proximi mystice sunt mensæ binæ, 800, 1, 2. charitas viam sternit ad eminentiora, 794, 1, 2. charitas ideo figuratur per portam ad meridiem positam, quia igne amoris ardet, 792, 2. charitatis latitudo quanta est, tanta esse debet longanimitas et patientia in operibus patientiæ et aliarum virtutum, 791, 2. charitas mystice denotatur latitudine, 800, 2.
Chartas plicandi mos varius fuit apud veteres, 517, 1.
Chene quis sit locus, 700, 1.
Cherub vox hebraice unde derivetur, 503, 3. quid ea signet, 708, 1. Cherub unusquisque in curru Ezechielis non unam, sed quatuor habebat facies, 480, 2 et seqq. erant hi Mosaicis non per omnia similes, 482, 2. erant armati et vestiti, *ibid.* eorum schema varium fuit, non tamen monstrosum, *ibid.* cur exuvias potius leonis,

bovis, aquilæ et hominis assumant, quam aliarum ferarum, *ibid.* ex iis didicerunt Gentiles efformare suas sphinges, 483, 1. habebant pedes rectos, cur, *ibid.* et 2. eorum pedes erant pennati et vitulini, *ibid.* eorum pedes quales scintillas emitterent, 484, 1. quot singuli haberent manus, *ibid.* et 2. et cur tot haberent, *ibid.* facies et alæ eorum quot essent, et quomodo sitæ, 485, 1. pennæ eorum alterius quomodo junctæ essent ad alterum, *ibid.* et 2. quid hæc alarum junctura designaret, *ibid.* illorum motus erat naturalis, *ibid.* 2. hunc motum quomodo nos imitemur, *ibid.* et 486, 1. quomodo coram facie sua quodque ambularet, 487, 1. ab igne intermedio ignire videbantur, *ibid.* 2. ibant et revertebantur, Deo jubente, instar fulguris, *ibid.* erant ad currum Dei, non in curru, 488, 1. oculi eorum an veri fuerint, an symbolici, 492, 1, 2. duplex eorum erat motus, 493, 2. hi Cherubim similes erant Mosaicis et Salomonis, 495, 2 et seq. item Seraphinis Isaiæ, at in quibusdam dissimiles, 496, 2. similes quoque fuere animalibus Joannis in Apocalypsi, 497, 1. item angelis Danielis, *ibid.* sunt hi quatuor principes angeli, 503, 1. unde dicantur Cherubim, *ibid.* cur pingantur imberbes, *ibid.* an fuerint ex ordine Thronorum; verisimilius est fuisse ex ordine Cherubim, 503, 2; 504, 1. non tantum Deo assistunt, sed et foras mittuntur, *ibid.*

herubim sunt symbola victoriæ, 813, 2. eorum sculptura dimidiata erat in parietibus templi, *ibid.* plures ii habebant facies, *ibid.* universim templi Cherubini erant viginti quatuor, 814, 1. Cherubim arcæ quomodo differant a Cherubinis Ezechielis, 496, 1, 2. *Cherubim* vox cur usurpetur genere neutro, 580, 1.

Chet quia durum est, liquescit in *e*, 286, 1.

Chiliastarum parens Papias: quis eorum error de aurea et gemmea Jerusalem restauranda, 156, 2. Chiliastarum error de mille annis regni justorum futuris post cædem Antichristi, 771, 1.

Chilpericus Francorum rex populum gravans, graviter a Deo punitus est, 174, 1.

Chobar est rivus Euphratis, unde is dictus sit, 476, 2.

Chodchod quid sit Hebræis, 699, 2.

Chori monialium prædicuntur futuri in Ecclesia, 225, 1.

Christi Domini sunt reges, 417, 1, 2.

Christiani cur orent versi ad Orientem, 563, 1. sunt templum Dei, 563, 1. laboribus insistant, 579, 1, 2. imitentur Cherubinos Ezechielis, 508, 1. Christiani taxantur qui ideo eleemosyna et donis proximum juvant, ut eo abutantur, 619, 2. Christiani ab olim formant crucis signum in fronte, 570, 1, 2. et ejus rei dantur rationes, *ibid.* Christiani regnante Antichristo confluent ex tote orbe Hierosolymam, ut Eliam et Henoch in ea concionantes audiant, 766, 1. Christiani lapsi sub Antichristo, eo cæso ad Christum redibunt, 773, 1.

Christiani primi ritum coronandi mortuos repudiarunt, quod nihil cum gentibus ipsum facientibus habere vellent commune, 300, 2. eorum preces antelucanæ, 379, 1. taxantur, quod deficiente luna acclamarent, ut ex hoc suo quasi animæ deliquio ad se et lucis suæ plenitudinem rediret, 68, 2; 69, 1.

Christiani sacerdotes in primitiva Ecclesia non radebantur, sed tondebantur, cur: at jam nihil absurdi faciunt qui ad aliquid sacrum significandum caput radunt, 834, 2.

Christiani sunt in hoc mundo peregrini, 122, 1. eorum quanta sit dignitas, 447, 1, 2. eis semper in ore et corde esse debet Christus, *ibid.* Christiani boni in funere propinquorum dant epulum pauperibus, 133, 2. Christiani qui in odium Christi necantur a Judæis vel hæreticis, sunt martyres ex ipso opere martyrii, 226, 2.

Christiani vita tota crux est, 386, 2. eam quotidie petat, *ibid.* Christiani veri ejusque morum vera descriptio, 145, 2; 146, 1

Christianismus adhuc florebit post cæsum Antichristum, 771, 1.

Chronologia expugnationis Ægypti, Tyri, Ammon, Moab, etc., 716, 1. chronologia Ezechielis, 468, 1, 2. item quatuor Prophetarum majorum, *ibid.*

Chronotaxis oraculorum, sive ordo capitum et gestorum Jeremiæ, 6 et 7.

Chrysippus quantam e studio voluptatem caperet, 33, 1.

Chrysogonus (S.) idola adorare noluit, 465, 2.

Chrysolithus qualis sit gemma, 575, 2.

Chub an populi sint in Arabia, 720, 1, 2.

Ciconia symbolum hospitis vagi est, 74, 2.

Cidaris regum quid sit, 658, 1, 2.

Cilicium habitus pœnitentium, 387, 2. et vestis obsecrationis, 450, 2.

Cimbri olim formidabiles erant galeis suis quas ferarum exuviæ efferabant, 482, 2.

Cingulum Dei cur sit Israel, 112, 1. cingulum est symbolum virginitatis, fortitudinis, gloriæ, prompti obsequii, 112, 2; 113, 1. cingulum byssinum quid denotet symbolice, 610, 1.

Cinis erat olim signum luctus, 387, 2.

Cinnamomum unde dicatur, 62, 1.

Circumcisio etiam olim in usu fuit apud alias gentes præterquam Judæos, 86, 2. quæ circumcisio Deo placeat, *ibid.* 2. circumcisio cordis suadetur, 45, 2. quid ad eam requiratur, *ibid.* circumcisio cordis et carnis quæ sit, 832, 2.

Circumdederit quomodo Deipara Christum, 230, 2.

Circumspectione semper nobis in hac vita opus est, 510, 1, 2.

Cisternæ dissipatæ sunt idola, 28, 1. cisternæ erant crebræ in Judæa, et eæ cœnosæ et profundæ, erantque loco carceris aliquando, 263, 2.

Civitates limitaneæ semper solent esse munitissimæ, 684, 1.

Civitatis florentis decus consistit in senum gravitate et prudentia, et juvenum vigore, 423, 2.

Claudiani presbyteri Viennensis epitaphium, 704, 2.

Claudii (S.) Archiepiscopi Bisontini corpus usque in hodiernam diem integrum superest, 761, 1.

Claudio Imperatori aquila portendit imperium, 625, 1.

Claudius Cæsar in quantum mentis stuporem per voluptates venerit, 32, 2.

Clausa porta Orientalis mystice est B. Virgo, 830, 1, 2. dicitur illa ter clausa, ut denotetur hæc, ante partum, in partu, et post partum virgo futura, *ibid.* et 831, 1.

Cleanthes philosophus ob laborum tolerantiam dictus est Hercules, 579, 1.

Clemens (S.) Pontifex a S. Petro conversus, 398, 2.

Clemens V Pontifex quomodo exspirarit, 144, 1.

Cleopatra balsamum Judææ invidens, id in Ægyptum transtulit, concedente id Antonio amasio, 852, 2.

Clerici multa beneficia possidentes quam graviter peccent, 740, 1, 2 et seqq. aliam sortem in terra non habent quam Deum, 837, 2. eorum officium est verbo, magis vita docere, 741, 1, 2. unde dicantur clerici, *ibid.* eorum munus est prædicare regnum cœlorum, *ibid.* sunt satores æternitatis, *ibid.* eorum avaritia taxatur, 662, 1. 2. 831, 1.

Clericus relicto sacræ Scripturæ studio vanis scientiis dans operam, est cisterna rimosa, 28, 1.

Clotharius nimis credulus malis consiliariis, uxorem a bono opere revocare conatur, 286, 2.

Clotharius alius Chilperici filius sanum S. Columbani secutus consilium, duobus regnis est auctus, 287, 1, 2.

Coccus vestis regum est et Cardinalium, 609, 2.

Cochlea templi describitur, 808, 1. nec non cochlea in columna Trajani, *ibid.* et 2. cochleæ templi mysticæ significationes, 808, 2; 809, 1.

Cœlestia (ad) anhelantes mystice portam interioris atrii ingrediuntur, 798, 1. cœleste templum anagogice des-

cribitur in templo quod delineat Ezechiel, 780, 1.
Cœlestis Jerusalem describitur, 864, 1, 2.
Cœlesyriam et Palæstinos quando vastarit Nabuchodonosor, 296, 2.
Cœli et cœlum idem sunt, 27, 1. quomodo desolari dicantur, *ibid.* cœli magnitudo probatur variis, 443, 1, 2. cœli filii qui dicerentur priscis, 144, 2. cœlum clausum erat ante Christi adventum, 832, 2. ipsum revera apertum fuit in Christi baptismo, 477, 1. in cœlo quomodo habitet vir sanctus, 515, 1. cœli et res creatæ omnes a Deo moventur, ejusque præceptis parent, 492, 2.
Cœnacula æstiva ventis pervia ad auram captandam, 173, 1.
Cogitationes hominum naturaliter sciri ab angelis nequeunt, 141, 1. cogitationes et inspirationes Dei sunt velut ejus nuntii, 281, 2.
Cognoscere pro *prædestinare*, 13, 1.
Collectio mentis est quasi cincinnus, 558, 2.
Collyridiani hæretici B. Mariæ placentam per mulieres offerebant, 68, 2.
Color hyacinthinus regius est et Cardinalitius, 609, 2.
Columba vocatur exercitus Chaldæorum, quia columbam gestabant in vexillis, 199, 1. columbas albas Persæ ob lepræ odium detestabantur, at Syri, Palæstini ac Babylonii eas pro numine colebant, *ibid.* in columbæ specie Spiritus Sanctus in Christum descendit, cur, *ibid.* 2. columba quia salax, est Veneri sacra, *ibid.*
Columnæ templi cujus altitudinis fuerint, 335, 1, 2. quot eæ habuerint malogranata, *ibid.* columnæ æreæ Booz et Jachin quid mystice designent, 791, 2. columnarum templi quæ fuerit mensura, *ibid.*
Coma symbolum est libertatis et nobilitatis, 540, 1.
Comestio est consummatio idololatriæ, 632, 2. comestio libri apud Ezechielem quid denotet, 521, 1.
Cometæ sunt quasi gladii mini tantes terræ, 653, 2. variarum cometarum diverso tempore apparentium exempla, *ibid.* et seq.
Commiseratio Romanorum quæ esset in hostes victos, 685, 2.
Commodi Imperatoris statua erat in coma auri scobe respersa, 413, 2.
Commotio ossium mortuorum denotat primo commotionem Judæorum, secundo peccatorum conversorum, tertio resurgentium ad vitam, 758, 2.
Communia a natura data jure naturæ sunt omnium et singulorum, 422, 1.
Comœdia et comessari inventa in Icaria urbe Atticæ, 299, 1.
Compatiendum afflictis, 420, 1, 2.
Compunctionis descriptor est Jeremias, 347, 1. ejus elogium, *ibid.* quæ ejus filiæ, *ibid.* et 2. qui Sancti ea excelluerint, *ibid.* et 348, 1. ejus stimulus triplex, *ibid.* 2.
Conceptio B. Virginis activa qua concepit Christum; et passiva, qua ipsa fuit concepta, fuit immaculata, idque denotatur per portam principis semper clausam, 830, 1, 2.
Concilium Tridentinum quid sanciat de clericorum pensionibus, 742, 1.
Concio bona quæ sit, 342, 1. concio viva est, quæ novissima vive repræsentat, 155, 1.
Concionator non debet tacere, etsi audire nolint auditores, 160, 2. est velut sagittator, 318, 2. sine spiritu et gratia prædicandi prædicare nequit, 15, 2. se humiliare debet, 16, 2. mordeat, non aduletur, 377, 1. planctum moveat, non plausum, 342, 1. ex homine evellat regnum peccati, ut plantet regnum sanctitatis et virtutis, 17, 2. vocatur rectæ fidei sator, et debellator errorum, *ibid.*
Concionatores sunt velut nubes tonantes, 93, 1.
Concupiscentiæ sunt laquei desideranti, 597, 2.
Confessarius regibus Aragoniæ olim a regni statibus assignabatur, 664, 2.
Confessorum Christi in Africa ad exsilium properantium animositas et constantia in pœnis et sordibus, 164, 2. quam indignis modis a Wandalis arianis habiti, 410, 1.
Confidendum in Deo et Sanctis, non in mundo vel amicis, 86, 2; 139, 1, 2.
Conflationis et prædicationis pulchra allegoria, 63, 2.
Conjugati inferiores dignitate sunt continentibus, 808, 2.
Conjuratio Ismaelis adversus Godoliam unde ortum habuerit, 274, 2.
Conscientia hominis est velut mare et abyssus, 141, 1. ejus quanta sit vis, 121, 1. est frenum post peccatum et flagrum, in damnatis est tortor, *ibid.* illius potentia et testimonium in die judicii, 138, 1, conscientiæ quotidianum examen quam sit utile, 399, 2. gnomæ de eodem, *ibid.* conscientia mala est olla, 676, 1. conscientias subditorum scrutentur Prælati, 561, 1.
Consecrationis altaris holocaustorum ritus, 828, 1, 2.
Conservatio corporum incorruptorum indicat futuram resurrectionem, 761, 1.
Consiliarius quidam Elisabethæ reginæ Angliæ moriens vidit suam in gehenna sedem profundam, igneam, et alias juxta eam collegis suis paratas, 732, 2.
Consiliis sanis non acquiescere noxium est, 286, 2.
Consolatio afflicti tristitiæ onus sublevat, 354, 1. consolatio non datur nisi prævia cruce, 365, 1.
Consortia improborum fugienda, 279, 1.
Constans Imperator quas pœnas dederit, 176, 2.
Constantiæ Sanctorum exempla, 21, 2.
Constantini Magni de sapientia christiana judicium, 440, 2. Crispum filium falso accusatum interfici jussit, 260, 2. in labaro signum crucis castris prætulit, 199, 2. per crucem Domini obtinuit de Maxentio et de Byzantinis victoriam, 571, 1. frontis inustionem lege vetuit, 568, 2.
Constantinus Copronymus Imperatori stercore et sordibus, earumque odore mire delectabatur, 534, 2. unde dictus Copronymus et Caballinus, *ibid.* iconoclasticam hæresin propugnans regnavit ut leo, mortuus, est ut canis, 641, 2. moriens clamabat vivum sese adhuc igni inexstinguibili traditum esse, 774, 1, 2.
Constantius Imperator arianus sacro igne percussus interiit, 176, 1. præ mœrore contabuit, quod a Juliano, Apostata cognato suo imperio et vita sensim se excludi videret, 773, 2.
Consuere pulvillos sub omni cubito manus quid sit, 592, 2; 593, 1, 2.
Consuetudinis inveteratæ quanta vis sit et efficacia, 60, 1; 117, 1, 2; 582, 2. evinci quomodo illa queat, 117, 2. instar lapidei operculi est, 404, 1. consuetudo peccandi inducit difficultatem resistendi, non impossibilitatem, 117, 1. consuetudo per consuetudinem vincitur, *ibid.* 2.
Contemnere laudes et verba hominum, perfectorum est, 146, 1.
Contemplatio Dei quam voluptatem afferat Sanctis, 33, 1.
Contemptum a mundo Deus corroborat, 477, 2.
Contemptus divitiarum est instrumentum omnis philosophiæ, 664, 1, 2.
Contritio pro afflictione, dolore et tristitia, 375, 2. contritio Judæorum velut mare quintuplex est, *ibid.* et 376, 1. contritio justificat quasi ultima dispositio ad justitiam, 636, 2.
Convalle (in) Ennom filios suos Moloch concremabant Judæi, 31, 2.
Conversationis fidelium eminentia monte, in quo templum exstructum erat, denotatur, 783, 1.
Conversio nostra incipit a Deo, Deique gratia præveniente liberum arbitrium, 227, 2. conversio, aversio, captivitas apud Prophetas, idem significant, 216, 1. ad conversionem peccatoris necessaria Dei est gratia, et liberum arbitrium gratiæ cooperans, 424, 1, 2.
Conversio, reversio, captivitas idem significant, 620, 1.
Convicia metuens timidior est hostem fugiente, 146, 2.
Convivæ olim cur coronarentur, primo fascia lanea vel

linea, deinde sertis floreis, tum calidis, tum frigidis, 673, 1, 2.
Copiæ Chaldæorum dicuntur fluctus, cur, 689, 1.
Cor hominis pravum est et inscrutabile, 141, 1. instabile est, 358, 1. cor fons lacrymarum est, 81, 1. est symbolum sapientiæ, 56, 1. cor superborum est ventus pestilens, 325, 1. cor in Scriptura significat mentem et voluntatem, cur, 752, 2. et seqq. cor voluntati subservit, 753, 1, 2. cordis et voluntatis analogiæ, 753, 1. id quomodo circumcidendum sit, 832, 2. cor sive mens capitur nonnunquam pro consilio, sapientia, prudentia cum animi magnitudine conjuncta, 704, 1. cor hirsutum et pilosum quinam habuerint, 753, 1. est id signum hominum durorum, asperorum et crudelium, *ibid.* cor primo animatur, et ultimo moritur, *ibid.* est officina spirituum, *ibid.* corde sano, sanum est corpus, *ibid.* 2. ipsum est substantia sua solidum firmumque, complexione igneum, figura pyramidale, *ibid.* cur situm in medio homine, *ibid.* ipsum semper agitatur, *ibid.* est fons lucis et vitæ, 754, 1.
Cor pium tropologice est altare Dei, 827, 1. cor cedri et medulla mystice est unigenitus Jesus, qui est in sinu Patris, 628, 2. cor carneum et lapideum quid sit tropologice, 584, 1, 2. quid cor novum sit, *ibid.* cor carneum quomodo Deus det, et auferat cor lapideum, *ibid.* et 752, 2. cor lapideum quid sit, 752, 2. corda doctorum sapientiæ et scientiæ divitiis plena sunt ceu gazophylacia, 797, 1.
Corax rhetor sophisticus, 635, 2.
Corculum dicuntur sapientes et cordati viri, 753, 2,
Cordolium est intimus summusque animi dolor, *ibid.*
Cornicum volatus a gentilibus observatus, 463, 2. cur puellæ nubiles cornici opimas dapes offerrent, *ibid.* cornix est amoris symbolum, cur, 464, 1.
Cornu quatuor res denotantur, 369, 2. decem cornua Patrum Judæi e Scriptura eruunt, *ibid.* cornu symbolum est roboris, gloriæ, potentiæ, et regni, 718, 2. cornua altaris erant quatuor, 827, 1.
Corona circum altare quare efformata esset, 825, 2. ipsa describitur, 827, 1, 2. corona sacerdotum Judaicorum qualis esset, 678, 1. coronæ vocantur etiam pilei rotundi, *ibid.* et 680, 1, 2. corona Israelis quæ sit, 607, 1. quid ea tropologice sibi velit, *ibid.* coronæ impositæ mortuis, quas vivi gestarant, 301, 1, 2. coronæ olim cur imponebantur victimis et donis Deo offerendis, 673, 1, 2. eas habebant et convivæ, *ibid.* corona est perfectionis et plenitudinis symbolum, *ibid.* coronas in funere deponebant Græci et Romani, 678, 1.
Coronari soliti Judæi in festis et conviviis solemnioribus, 423, 2.
Corporis Christi in venerabili Eucharistia veritas asseritur, 102, 2.
Correptio sit lenis et ex charitate manans, 736, 1.
Corticibus in arborum scribebant veteres, 517, 1.
Corus mensura continebat triginta modios, 843, 2.
Cosmus Magnus Hetruriæ dux usus est pro emblemate, adamantis figura, 523, 1.
Crasso contra Parthos pugnante prima aquila conversa est, 306, 1.
Creaturæ omnes beatos in cœlo recreant, 456, 2.
Crepido altaris novissima quæ esset, 326, 1. crepido quid sit, et unde dicatur, *ibid.* crepido altaris erat duplex, *ibid.* ea erat quadrata, sed superabat duobus cubitis altare sibi impositum, 327, 1.
Creta insula an dicatur ab Hebræo Carat, 684, 2; 685, 1.
Cretensium origo fuit e Palæstina, *ibid.*
Croceus color species rubri, 410, 1.
Crocodili symbolum sunt impudentiæ, 30, 1. crocodilos habet Nilus, 714, 1. eorum descriptio, *ibid.* et 2. magnitudo, hostes, *ibid.*
Crux est scabellum Christi, 369, 1. crucem Christi ita Judæi collocarunt, ut facies ejus Occidentem, tergum Orientem respiceret, 152, 2. crucis confessio et professio, 570, 1, 2. crux est signaculum fortitudinis, *ibid.* crux Christi quomodo vocari posset altare, 827, 1. crux symbolum est vitæ et salutis, 567, 1. crucis figuram multa naturalia repræsentant, *ibid.* crucem ferentes salvantur, *ibid.* 2. erit ea in fine mundi signum servorum et amicorum Dei, *ibid.* et seqq. ejus elogia varia, 569, 2. crucem unam fugiens plerumque incidit in aliam, 355, 1. cruce acri immissa corriguntur peccatores et urbes nequam, 361, 2.
Cryptas martyrum olim Romæ visitabat S. Hieronymus, 783, 2.
Cubare in latus sinistrum est molestum et anxium, cur, 536, 2. sed cubare in dextrum somnum facit suavem et jucundum, *ibid.*
Cubicula in atrio sacerdotum plurima erant, eaque dicebantur tum exedræ, tum thalami, tum gazophylacia, tum pastophoria 681, 2. eorum erant ordines duo, et in singulis ordinibus triginta tria erant, 807, 2.
Cubicularius Nicephori Phocæ Imperatoris monasterium S. Niconis exactionibus gravans, noctu a S. Nicone graviter vapulavit, 174, 1.
Cubitales homines qui dicantur, 696, 1.
Cubitantes qui dicantur et sint, *ibid.*
Cubitis, pugnis, calcibus, morsibus, corporumque luctatione certabatur ante usum ferri et armorum, *ibid.* 2. humano cubito magna inest vis, *ibid.*
Cubitus communis est pes cum dimidio, 855, 2. vel continebat quinque palmos, 784, 1, 2. cubitus sacer profanum palmo excedebat, 825, 1; 784, 1, 2.
Cucurbitæ ænigma, 495, 1.
Culinæ in atrio laicorum erant ad coquendas e victimis pacificis partes carnium laicis cedentes, 848, 1.
Culpa et pœna sunt fratres et comites, 363, 1, 2.
Currus triumphalis Beatorum qualis sit, 456, 1. currus Dei quadrijugus et quadriga apud Ezechielem cur tempestate involvatur, 498, 1. quid hic designet, an Nabuchodonosorem, *ibid.* an quatuor orbis plagas, *ibid.* an quatuor hominis appetitus, *ibid.* an quatuor ordines angelorum, *ibid.* 2. an quatuor monarchias et castra Israelitarum, 499, 1. an quatuor in quibus confidebant Judæi, *ibid.* et 2. an quatuor Dei fœdera, *ibid.* an creaturas omnes, *ibid.* optime vero Dei essentiam, beatitudinem, providentiam, potestatem et regnum, *ibid.* et 500, 1. currus Dei est orbis, et per omnes currus partes id ostenditur, 500, 1, 2. notat item bellum et victoriam Dei, cur, 501, 1. currus hic fuit Dei bellantis et exscindentis Judæos per Chaldæos, 501, 1, 2. hic currus sunt angeli et quatuor monarchiæ, *ibid.* allegorice est currus Evangelii et Ecclesiæ, 502, 1. anagogice est Ecclesia triumphans, *ibid.* 2. et 503, 1. quomodo hic ferretur agente spiritu, 491, 1. — *Vide* Animalia et Cherub.
Custodes templi mystice sunt zelosi, 802, 1, 2.
Custodia angelorum et hominum est murus et antemurale, 373, 2. custodia sensuum nobis esse debet exactissima, 85, 1. custodia Dei, angelorum, ac sacerdotum, qua Ecclesiam custodiunt, triplici muro templi denotatur, 784, 1.
Cuthæi qui sint, 224, 2.
Cyaxares rex Medorum Niniven evertit, 12, 2.
Cymatia mensarum eadem erant quæ labia : cymatia unde dicantur, 790, 1.
Cypriæ virgines stupro ejusque pretio Venerem colebant, 462, 1.
Cyprianus (S.) martyr quomodo sit per baptismum immutatus, 752, 1. ad Episcopatum assumptus omnem affectum erga uxorem et filias deposuit, 836, 1.
Cyrola Episcopus arianus immanitate in Catholicos dirus fuit, 544, 2.
Cyrus ex Isaia præscire potuit suas de Babylone victorias,

59, 2. quomodo Judæos extulerit, 451, 1; 453, 2. Babylonem evertens dicitur beatus. 300, 2. regnum ejus ad Persas translulit, 314, 2. in ejus sepulcro quid fuerit inclusum, 73, 1, 2. ejus titulus, *ibid.* per prima sua castra brevi et facile Babylonem expugnavit, 318, 2. Babylone eversa tam aliis gentibus quam Judæis videtur redeundi ad sua libertatem dedisse, 205, 2. Cyrus expugnata Babylone solvit captivitatem tam Judæorum quam Ægyptiorum, 716, 2.

D.

Dæmon nullam suis dat requiem, 422, 2. gaudet spurcitie, Deus castitate, 463, 1. quomodo homines excæcet, 270, 1. Herodici assimilatur, 142, 2. confertur cum Naas rege Ammonitarum, 48, 1. est vindemiator et racemator, 60, 2. crudeliter peccatores tractat, 133, 2; 330, 2. ejus imperium est quidquid peccamus, 133, 2. ejus astutia et simulatio, 276, 2. est primus et summus tyrannus 42, 2. quomodo ambularit in medio lapidum ignitorum' 709, 2. rebellavit præ superbia contra creatorem, 710, 1' eo modo tractat peccatores quo adulter adulteram, 668, 1. quomodo piscetur, 715, 2. est gladius iræ Dei vindex et executor, 653, 2. quoad tria fuit signaculum similitudinis SS. Trinitatis, 706, 2. est in cœlo creatus, 707, 1. maxime iis insidiatur animabus quæ se convertere nituntur, 594, 1, 2. cur dici queat Assur, 730, 2. ejus lapsus in terram et infernum, 710, 2; 711, 1.

Dæmones sunt lupi vespertini, cur, 53, 2. item pardi, 54, 1. an pascerentur nidore victimarum, 69, 2. sunt damnatis basilisci, 78, 2. ante lapsum fuerunt Cherubim et pleni scientia, 708, 2. creati sunt in gratia, *ibid.* et 709, 2.

Daleth in *resc* apud Hebræos sæpe commutatur, 548, 2.

Damascus urbs Syriæ fuit nobilis civitas, 312, 2. dicta urbs Jovis, et Orientis oculus, *ibid.* ejus origo et etymon, *ibid.* ejus texturæ et mercatores, *ibid.* ejus subactio, reges, fastus, restitutio, et alia de eadem, *ibid.*

Damna voluptatis, 32, 2.

Damnati bonorum priorum obliviscuntur, 388, 1. eorum pœnæ inde augentur, quod neminem habeant consolantem, 354, 1.

Damnatorum de opibus acquisitis, et voluptatibus habitis querimonia, 552, 2.

Damnatus nemo est ad damnationem creatus, 637, 1.

Dan terminus Judææ Aquilonaris versus Babylonem, 47, 1. ejus nomina, *ibid.* Dan urbs est in finibus Israel, dicta postea Paneas, et Cæsarea Philippi, 700, 1.

Daniel cur dictus vir desideriorum, 514, 2. libere increpavit regem Balsasarem, 735, 2. quando prophetare cœperit et desierit, 468, 2. erat 34 annorum, et adhuc vivebat, cum de eo loquitur Ezechiel, 599, 1, 2. fuit in ætate typus Christi, *ibid.* adhuc vivens quasi a Deo canonizatur, *ibid.* est typus hominum continentium, 600, 1, 2. ejus sapientia celebratur, 704, 1, 2. Daniel, Noe et Job cur apud Ezechielem præ aliis sanctis populi tutoribus nominentur, 599, 1, 2. quid hi significent, *ibid.* et 600, 1, 2.

Dare coram aliquo Hebræis quid sit, 670, 1.

Darius Hystaspis in Semiramidis sepulcro aurum inventurum se sperans quam illusus fuerit, 73, 2.

David propheta quomodo maledicat montibus Gelboe, 163, 2. ejus post peccatum compunctio, 348, 1. regnum ejus fuit sub Zorobabele exstinctum, 244, 2. David nomen unde derivetur, 697, 2. David pastor bonus et rex fuit imago Christi pastoris, 744, 1.

De sæpe capitur pro *propter*, 78, 2.

Deblatha eadem videtur quæ Reblatha, 548, 2.

Decem tribus ex Assyriaca captivitate nunquam universim rediere, 216, 2; 221, 2. sed aliqui tantum, qui deinde coalescentes in unam rempublicam omnes dicti sunt Judæi, 317, 2. e decem tribubus multi sub Zorobabel et Esdra se junxerunt Judæ, cum e Babylone redierunt in Judæam, et coaluerunt in unam rempublicam, 759, 2.

Decima dies mensis Nisan Hebræis celebris et notabilis est, 782, 1, 2.

Decipula proprie quid sit, 56, 2.

Decor cur dicatur Jerusalem, 198, 1. decor Jerusalem quis sit, 356, 1, 2.

Decumanum pro magno et valido capitur, 148, 1.

Dedan quæ sit regio et unde dicta, 196, 1. Dedan est Rhodus insula, alia est Dedan urbs Idumææ, 698, 2.

Deicola Abbas facie semper erat læta et ridenti, 358, 1, 2.

Deitatis essentia (de) est, ut sit una, 559, 2; 560, 1.

Deliciæ effeminant, 293, 1, 2.

Demaratus quam æquanimiter tulerit increpantem se, 159, 2.

Denarii numeri perfectio, 459, 2; 797, 1; 818, 2.

Dentes obstupescunt comedentibus uvas acerbas et immaturas, 631, 1, 2.

Dentibus assimilantur prædicatores, 387, 2.

Deo gratias Episcopus Carthaginensis sacra vasa vendidit ut christianos captivos redimeret, 265, 2.

Derceto fuit idolum humana facie, cætera piscis, 764, 2. an idem sit qui Dagon, *ibid.*

Derogare sumitur nonnunquam pro *detrahere*, 748, 2.

Descendo sumitur pro *eo*, 149, 1; 170, 1.

Desertum, in quo Judæi quadraginta annis ambularunt, quare dicatur imago et umbra mortis, 26, 1. desertum signum est libertatis, 649, 1, 2.

Desertum populorum quod vocetur, *ibid.*

Desideria animæ mystice sunt gazophylacia cantorum, 801, 2.

Desolari idem quod solum relinqui, ad solitudinem redigi, destrui, vastari, 27, 1. undenam ea vox derivetur, *ibid.*

Desolatio Jerusalem in quo fuerit sita, 352, 1, 2. desolatio templi a Tito et Romanis facta durabit usque ad finem mundi, 776, 1.

Despectio omnigena monacho et christiano optanda, 145, 2; 146, 1.

Detractionis quantum sit malum, 83, 1, 2. quantum inde mali sequatur, præsertim in religionibus et congregationibus, in quibus non raro peccatur, non tantum venialiter, sed et mortaliter in hac materia, eoque periculosius quod detrahentes idipsum non advertant, vel prætextu zeli excusent, *ibid.*

Detractor est velut latro, 662, 1.

Detractores in congregatione sunt viperæ et proditores, 82, 2. vulnerant tres uno vulnere, *ibid.*

Deus ministros Ecclesiæ ante omnia imbuit sua gratia, eosque sibi amicos reddit, 15, 2. cur pueros elegerit ad prophetandum, 16, 2. ejus providentia tota oculata est, 18, 1. significatur ejus potentia, vigilantia et providentia per virgam vigilantem, *ibid.* pingitur quasi oculus baculo innixus, cur, *ibid.* item quasi virga sole exornata, *ibid.* item ut baculus stans, cur, *ibid.* quare dicatur totus oculus, *ibid.* ultio ejus celer est, *ibid.* ea vigilat ad peccata, *ibid.* et 2. duo habet tribunalia, unum clementiæ in Austro, alterum severitatis in Aquilone. 20, 2. sedecim argumentis ad conversionem Israelem exstimulat per Jeremiam, 24, 1. ipse est gloria Israelis et totius orbis, 27, 1. est fons perennis gratiæ et bonorum omnium, 27, 2. fuit maritus Synagogæ, 30, 1. avidior ipse est reconciliationis quam sint ipsi peccatores, 392, 2. est Ecclesiæ maritus in Christo, 40, 2. est pater noster quadrupliciter, 42, 1. ejus ad miserendum propensio, 51, 1. viros et heroes quærit, non imbelles et molles, *ibid.* 2. quomodo Chaldæis potestatem dederit invadendi Judæos, 59, 2. non propter locum gentem, sed e contra propter gentem locum eligit, 66, 1. habitat in nobis quadrupliciter, *ibid.* 2. ligatur piorum precibus velut vinculis, 68, 1. anthropopathōs datur ei et ira et furor, 69, 1. quando primum, et qua occasione Judæis

præceperit ut sibi soli sacrificarent, *ibid.* 2. an in deserto quidem Judæis sacrificia indixerit, sed eo vim obligandi habere noluerit antequam in Chanaan ingrederentur, 70, 1. prospicit fidentibus in Deum, 95, 1, 2. cognoscit occulta cordium, 102, 2. singularis ejus providentia astruitur, 104, 1, 2. curat humana quam perfectissime, 105, 1, 2. et omnia ita ut singula, *ibid.* si magnam det in hac vita gloriam suis hostibus, quantam dabit amicis in die triumphi et nuptiarum, 107, 1. nos ut linum carminat, indeque sibi quasi cingulum adstringit, 113, 1. duas ob causas separat impios ab invicem, 114, 1. quasi mensor cuique ex delicti gravitate pœnam admetitur, 118, 1. quomodo fuit quasi viator et colonus apud Judæos, 121, 1. ad ejus tribunal appellantes sæpe exauditi sunt, 143, 2. ipse vena est aquarum viventium, 145, 1. ipse esse debet laus nostra, 145, 1. est similis figulo, 150, 1, 2. maxime ob resurrectionem et refigulationem corporum, 150, 1, 2. quomodo mala creet, *ibid.* quomodo dicatur abuti impiis, 153, 2. quomodo sanctificarit Chaldæos venientes contra Jerusalem, 171, 1. est ubique præsens, 183, 2. moderatur linguas verorum Prophetarum, 187, 1. malos æque ac bonos intuetur, 189, 1. duo habet dolia, unum fellis, alterum mellis, *ibid.* 2. est in mundo velut modimperator in cuique suo calice admetiendo, 195, 1. mystice columba est, 199, 2. quomodo gentes varias Nubuchodonosori tradiderit, 204, 2. suorum famulorum vota exaudit etiam per miracula, 212, 1, 2. tria sunt quæ non potest facere meliora, 228, 2. regit flectitque voluntates, omnesque causas secundas, et eas inter se ita componit, ut una alteri ex æquo respondeat, 238, 1. ejus adinventiones et viæ variæ, 240, 1. incomprehensibilitas operum, consiliorum et substantiæ ejus, *ibid.* Dei oculus mentem fertilem reddit, tunc maxime adest, cum res videntur plane desperatæ, 263, 2. cognoscit futura libera etiam conditionalia tantum, et nunquam eventura, eo quod hypothesis vel conditio non ponatur, nec eveniat, 266, 2; 267, 1. id probatur tribus exemplis, *ibid.* quænam rei hujus sit ratio, *ibid.* quantus sit perfidiæ ultor, 271, 1. cum vult urbes punire, sapientes ei vel aufert vel excæcat, 310, 1. est decor justitiæ tripliciter, 318, 1. est exspectatio Israel, *ibid.* ejus plena descriptio, 328, 2; 391, 2. animas perversas cruce immissa corrigit, 361, 2. Judæis fuit quasi ursus et leo, cur, 384, 2. ejus jacula et sagittæ sunt morbi, 386, 2. ex amore sagittat nos, ob sex causas, *ibid.* ejus memoria quantum boni afferat, 389, 1, 2. nunquam ejus ira ita sævit, quin aliqua temperetur misericordia, 390, 1; 398, 1. est sors et pars Sanctorum, 391, 1. invitus iram et furorem induit, 396, 1, 2. nihil nobis evenit cujus auctor non sit Deus, 398, 1, 2. ejus providentia et numine omnia in particulari reguntur, *ibid.* in quolibet rerum eventu ei fidere, et ad eum recurrere debemus, *ibid.* et 399, 1, 2. ejus firma et irrevocabilis sententia de puniendis Judæis, 401, 1. ejus intuitus et recordatio est operativa et efficax, 421, 1, 2. ejus flectendi rationes, 433, 1. in templo exhibet nobis suam aurem, *ibid.* 2. quo sensu eum mortui non laudent, *ibid.* et 434, 1. adest orantibus in tribulatione, 437, 1. habet ævum vitæ, nos vero mortis, 438, 1. est sapientia increata, omnia sciens, 442, 2. locus possessionis ejus quam sit vastus, 443, 1. ejus nomen est æternus et sanctus, 451, 1. ipse plenum parit cordis gaudium, 455, 1. erit Beatis sol, et omnia ipsis complanabit, 456, 1, 2. gaudet castitate, 463, 1.
Deus ubique præsens est, 492, 1. quomodo ab Ægyptiis exprimeretur, *ibid.* est totus oculatus, *ibid.* et 508, 2; 509, 1. quomodo vocetur horribilis et terribilis, 493, 1. an steterit, an vero sederit in solio quod vidit Ezechiel, 494, 1, 2. verisimilius est eum sedisse, *ibid.* ejus tranquillitas, *ibid.* in omnibus quas assumit passionibus quam in se servat eminentiam, *ibid.* ejus corpus in curru cherubico sursum erat ex electro, deorsum ex igne, *ibid.* visus est ignæreus, 495, 1. passim in Scriptura inducitur quasi eques et auriga, vectus carruca cœlorum vel Cherubinorum, 497, 1. ejus essentia, beatitudo, providentia, potestas, et regnum per quadrigam Cherubinorum exprimitur, et pluribus id ostenditur, 500, 1, 2. modus quidam ascendendi ad Deum, facilis datur, 500, 2. ejus victoriam et bellum repræsentat eadem quadriga Cherub, item ejus triumphum, 501, 1, 2. ejus stemmata sunt quatuor, 504, 1, 2. ejus emblema antiquum, 505, 1. ipse est circulus, et qualis, 508, 2. cur eum ut rotam et figura orbiculari pingerent Ægyptii, *ibid.* cum iride confertur, 512, 1. Ezechieli spectandum se dedit forma humana, blanda, ac benevola, 514, 2. dat obduratis gratiam sufficientem ad salutem, 516, 1. in eo triplex est liber: primus creationis et creaturarum, secundus legum et obligationum, tertius providentiæ particularis erga quamlibet creaturam, maxime hominem et angelum, 518, 1, 2. punit citra condignum, 533, 1. non patitur suos diu in oratione affligi, 535, 1. eos exercet et mortificat, 538, 2. eos vult mundo stultescere, *ibid.* aliquando non parcit, et punit ex misericordia, 543, 2; 617, 1, 2. præmonet de instanti clade, cur, 544, 2. in eo non est proprie ira, 553, 2; 554, 1. cur dicatur zelotes, 559, 1, 2. de ejus essentia est ut sit unus, 559, 2; 560, 1. misereri ei proprium, punire alienum est, 566, 2. quare passim appareat in nube, 574, 1. quoties in veteri testamento in nube se ostenderit, *ibid.* quomodo det homini cor carneum, et auferat lapideum, 584, 1, 2; 752, 2. solus omni potentia sua continet voluntates singulas tum hominum, tum angelorum, 585, 1. ejus permissio vocatur actio et deceptio, 598, 1. talem se hominibus ostendit, quales ipsi sunt, *ibid.* 2. quando nuptias inierit cum Synagoga, 607, 2; 608, 1. dum peccatores non punit, grande id malum est, 617, 1. peccata patrum in filiis quomodo puniat, 635, 1, 2; quomodo homines ad pœnitentiam invitet, 637, 2. dives est in omnes, 688, 1. aliter, punit electos, aliter reprobos, 711, 2. etiam infidelium opera remuneratur, 718, 1. cur vocet gladios Chaldæorum, suos, 722, 2. quomodo nolit mortem peccatoris, 736, 2. per Christum veteres Scribas et sacerdotes officio pascendi privavit, 743, 1. tunc adest maxime cum res videntur desperatissimæ, 759, 1. eum sanctificari in Scriptura quid sit, 772, 2. ut in aliquo loco operetur, eo se non transfert, 782, 2. amat vicinos mente, non loco, 824, 2. ejus motus et decretum immutabile est, nec retractari potest, 485, 2. Dei esse dicuntur, quæ magna et mirabilia sunt, 477, 1.

Devotio est pinguedo mentis mystice, 800, 1.
Dexter locus decet Deum et angelos, 573, 2.
Dextram (ad) Christus statuet in judicio electos, 852, 2.
Diadema olim quale esset, et unde sic dictum, 658, 2.
Diana, cur dicatur regina cœli, 68, 2.
Dido unde dicatur, 697, 2.
Didymus quare in sua cæcitate dictus sit beatus, 85, 2.
Dies cœli qui dicantur, 431, 1, 2.
Dies hominis quis, et quomodo is non desideretur, 146, 1. is est quo homo prosperatur et potens est, et honoratur, et deliciatur, *ibid.* 2. quam dies is vanus, *ibid.* dies 390 decubitus Ezechielis in latere sinistro, 532, 2. portendunt totidem dies obsidionis Jerusalem, 536, 2. dies nubis est dies vindictæ, 574, 2. dies pœnæ datur pro ano culpæ præteritæ, 536, 2. dies mortis et dies judicii erit dies Domini, 720, 1. diem mortis cur nos latere Deus voluerit, 795, 2.
Dies maledicta dicitur mala et misera admodum, 162, 1, 2.
Diffidentiæ hominum de Deo tres sunt effectus, 139, 2.
Digitus annularis quis sit, 177, 2.
Dii gentium fuere homines, quos ars vel beneficium deos fecit, 461, 1, 2. Dii haberi, et ut tales coli voluerunt varii reges et principes, 703, 2

Diogenes quomodo media die homines quæreret, 48, 2; 51, 2.
Dionysiæ (S.) matronæ in tormentis generositas, 147, 1. pro fide patiens quam generose tortores sit allocuta, filium quoque ad martyrium animarit, quem in tormentis exstinctum ipsa domi cum gaudio sepelivit, 164, 2.
Dionysius (S.) capite plexus, caput ad duo milliaria portavit, 762, 1.
Diplois justitiæ quæ dicatur, 452, 2. est vestis mulieris, 453, 1.
Discalceatio signum est servitutis, captivitatis, cessionis juris sibi debiti et luctus, 609, 1.
Disciplinam ligneam renuens, habebit ferream in judicio, 208, 1.
Discordia et ambitio principum sacerdotum apud Judæos quanta postea fuerit, 541, 2.
Disypatus Georgius impetravit a Deo mortem Andronici Comneni imperatoris, 213, 2.
Divinandi ratio per baculos in sublime jactos in usu fuit apud veteres, 656, 1, 2.
Divites qui pauperes opprimunt, vocantur sepulcra pauperum, 55, 2. divitum nonnullorum immisericordia, 744, 1.
Divitiæ nostræ quomodo dentur tropologice in manus dæmonum, et impiis terræ, 556, 1. hominem non liberant a Dei ira, morte, gehenna, 554, 2; 555, 1.
Doctor bene docens, sed male vivens, sepultura asini sepelitur, 175, 2. doctor dum cor audientis ad bona opera distendit, palmum se habere in labiis ostendit, 801, 1. doctores christiani sunt nubes tonantes, 93, 1. cur dicantur prophetæ, 15, 2. doctores dum creantur, porrigitur eis liber in ea facultate, quam profiteri volunt, 517, 2. cur sint rotæ, 503, 1. doctores quatuor Ecclesiæ designantur in quatuor faciebus Cherubinorum, 508, 2.
Doctrina Evangelica pluviæ confertur, 744, 2. doctrina hæreticorum et gentilium falsa est et amara, 853, 1.
Doloris origo est inexspectatio, 165, 1. dolor de peccatis magnus esse debet, 376, 1, 2. dolor quidvis accusat et detestatur quod ad rem de qua dolet quoquo modo attinet, 163, 2.
Dolosi sunt bicordes ut perdices, 584, 1.
Dominicanorum primorum fervor et devotio, 411, 2,
Dominicum diem recusans celebrare, videtur negare Christi resurrectionem, 148, 1, 2.
Dominicus (S.) salutis aliorum quam esset avidus, 420, 2. adhuc juvenis suos in communi fame Hispaniæ, distraxit libros, 632, 1.
Domitianus Imperator quam esset sagittandi peritus, 385, 2.
Domninæ (S.) lacrymæ, 402, 1.
Domum (ad) figuli ire est considerare sui originem e luto, 149, 1, 2. domus primæ Patriarcharum erant tabernacula pellicea, 48, 1. domus vulgi quæ dicatur, 270, 1. domus exasperans quid significet proprie, 516, 2.
Dona olim coronabantur, 673, 1. dona novem in anima operatur Christi baptismus et gratia, 752, 2.
Donato hæresiarchæ adaptatur casus et superbia regis Tyrii, 703, 2.
Dormientes non sentiunt nec percipiunt tempus quo dormiunt, 538, 2. dormientium plures annos exempla referuntur, *ibid.*
Dorotheus (S.) quale dederit præceptum suo discipulo Dositheo, 453, 2.
Dotes octo Beatorum, 455, 1, 2 et seqq.
Dotes sacerdotum recensentur, 838, 1, 2.
Draco magnus, id est crocodilus, cur vocetur Pharao rex Ægypti, 714, 1.
Dulce quomodo fiat verbum Dei concionatori, 523, 2.
Duo ligna, id est sceptra, sumere, et in unum conjungere cur Ezechiel jubeatur, 759, 2. quid duo hæc ligna significent, *ibid.*
Duodenarius numerus symbolum est perfectæ reipublicæ et universitatis, 858, 1. alia ejus mysteria referuntur, 859, 2, 2. is numerus sacer est in Scriptura, *ibid.*
Duplex pro gravi et multiplici capitur, 148, 1. duplices et pseudoprophetæ vocari possunt scorpiones, 516, 2.
Duri dure tractandi, 208, 1.
Duricordes quinam sint, et dure hi sunt increpandi, 515, 2, et 516, 1.
Dux virginitatis vocátur sponsus, 89, 1.

E.

Ebeni pretium: ubi id nascatur, ejus natura, descriptio, 699, 1.
Ebion impie docebat B. Virginem filium ex Josepho concepisse, 830, 2.
Ebrietas suppliciorum quæ sit, 197, 2.
Ebriorum mores, 303, 1. ebrius est lagena mentis inops, vino gravis et saburrata, 408, 1.
Ebur vetustate rubescit, 413, 1, 2. cur antonomastice dicatur os, *ibid.* olim minio tingebatur, 413, 1; 414, 1.
Ecclesia Christi quaquaversum propaganda est, 235, 1, 2. ejus quod fuerit diluculum et aurora, 390, 2. Ecclesia vera cur olim in tribu Juda fuerit, 40, 1. Ecclesia comparatur oleæ et olivæ, 98, 2. quando dicatur laborare siti, 129, 2. est thronus gloriæ Dei, 143, 2. quasi vinea est, 304, 1. per Christum incarnatum facta est habitaculum justitiæ, mons sanctus, et concordia omnium hominum, 231, 2. quomodo deciderit, 353, 1. vocatur rus Judæorum ob tres causas, 182, 1, 2. dicitur pax justitiæ, et honor pietatis, 453, 1. ejus afflictæ lamentationes, 349, 1, 2.
Ecclesia christiana cur dicatur cœlum et regnum cœlorum, 503, 1. ejus nomen vere est *Dominus ibidem*, 863, 1. est formata ex latere Christi dormientis in cruce, 852, 1. significatur allegorice per aquas torrentis sensim crescentes Ezechieli visas, 850, 1, 2. est vinea, non silva, 601, 1, 2. est vera Sion et Israel, 760, 1. est sanctuarium et tabernaculum Dei, *ibid.* 2. in æternum durabit, et semper suos habebit cives, 751, 2. ejus ruina est sacerdotum avaritia, 662, 1, 2. per navim significatur, 701, 2. ejus persecutores an sint Gog et Magog, 765, 2. eam Deus ob fidelium peccata graviter sinit affligi, 653, 1. ejus fabrica describitur juxta descriptionem templi Salomonici, 792, 1. ex variis hominibus per peccata mortuis, sed per gratiam reviviscentibus conflatur, et in Christo coalescit, 759, 2. symbolice delineatur in templo quod Ezechieli demonstratum est, 779, 1, 2. ea condita templum vetus fuit dirutum, et fundamenta evulsa, imo mons cui id insidebat, abscissus, *ibid.* quam augusta de ea apud Ezechielem dicantur, *ibid.* olim Episcopos et presbyteros in hæresin lapsos recipiebat quidem ad pœnitentiam, sed privabat officio sacerdotali, et sæpe redigebat ad communionem laicam: sed postea invalescente lapsorum numero multos in pristinum sacerdotii gradum restituit, 833, 2. mystice intelligitur in descriptione terræ et civitatis Jerusalem, 855, 2; 858, 1, 2; 860, 1, 2. duas habet vitas, unam qua laborat in terra, aliam qua remuneratur in cœlo, 801, 2. est super montem ædificata, 783, 1. in ea duplex est regnum, unum quantum ad spiritualia, alterum quantum ad temporalia, 819, 1. extra eam non est salus, 853, 1.
Ecclesiæ triumphantis stemmata quatuor anagogice notantur in quadriformibus Cherubinis, 508, 2.
Ecclesiastica bona non potest sacerdos alienare et dare filiis, 847, 2.
Ecclesiastici principes quomodo fundant sanguinem animarum, 664, 1, 2. ecclesiasticorum pensionariorum avaritia reprehenditur, 740, 1, 2. et seqq. Ecclesiastici affectus erga cognatos moderari debent, 835, 1, 2.
Ecdicius senator Burgundiæ in fame multa pauperum millia aluit, 632, 2.

Ἐκπεδικίσαι quid sit Aristophani, 142, 2.
Eden regio Syriæ amœnissima erat juxta Damascum, 700, 1, 2.
Edmundus (S.) Cantuariensis Archiepiscopus cum Christo puero puer familiariter conversabatur, 448, 1. quomodo a matre puer ad virtutem efformatus, 394, 1.
Eduardus III rex Anglorum pecuniam ex populi exactione redactam abominatus est quasi diabolicam, 174, 1.
Educatio in utramque partem quam sit tenax, 392, 2. educatio dura fortes facit et longævos, 328, 2.
Effronti esse debes fronto, 592, 1.
Effundere cor coram Deo quinque significat, 379, 2. effundi turpitudo quomodo dicatur, 616, 2.
Effusione sanguinis omnis in proximum injuria denotatur, 661, 1.
Egressus civitatis Jerusalem qui vocentur, 862, 2.
Ejectiones quas pseudoprophetæ prophetarent, 377, 1, 2.
Ejulatus funebris legibus XII tabularum Romanis erat vetitus, 681, 1.
Electrum quid sit, 478, 2. an sit ambra, *ibid.* est aurichalcum, 479, 1, 2. est ergo æs, *ibid.* id repræsentat majestatem Dei, cur, 512, 1, electrum ignitum repræsentat humanitatem Christi deitati unitam, *ibid.* item sanctos viros, *ibid.* 2.
Elementa quatuor in quadriga Cherubica repræsentantur, 500, 2. item per byssum retortam, hyacinthum, purpuram, coccum bis trinctum, 693, 2.
Elias persecutionem patiens petit vitæ finem, 163, 1.
Eligii (S.) mater quo præsagio eum magnum fore virum didicerit, 13, 2.
Eliphaz Themanites amicus Job quam fuerit sapiens, 442, 1.
Elisa a quo dicitur Græcia, filius fuit Javan : an inde dicantur Æoles, 694, 1.
Elisabetha (S.) Hungarica pauperi suum donans pallium, illud marito suo in pertica restitutum ostendit, 634, 1.
Elysii Campi ubi siti, 694, 1.
Emath urbs Syriæ, dicta ab Antiocho Epiphane Epiphania, 854, 2.
Emptionis finis est possessio rei emptæ, 111, 1.
Empusæ quæ dicantur, 409, 2.
Endymionis pueri somnus perpetuus, 538, 2.
Engaddi civitas est juxta mare Mortuum, 852, 2. apud eam crescebat balsamum et palmæ, *ibid.*
Engallim vicus vel urbs erat in principio maris Mortui, ubi scilicet Jordanes influit in mare, 852, 2.
Enna urbs, Siciliæ est umbilicus, 768, 1.
Enos homo quomodo dicatur, 146, 1.
Ephi et batus pares erant mensuræ, sed ephi erat aridorum, batus liquidorum, 843, 2. tres modios continebant, *ibid.*
Ephraim regnum vocantur decem tribus, 759, 2. — *Vide* Israel, Samaria.
Ephrem (S.) compunctionis habuit spiritum, 348, 1. crucem gestabat in fronte, 569, 2. ea quæ loquebatur, Spiritu Sancto suggerente loquebatur, 517, 2.
Epimenides quamdiu in specu dormierit, 538, 1.
Episcopi cur gestent crucem ex auro, 523, 1. esse debent speculatores, 735, 1, 2. et libere arguere peccantes, *ibid.* et 736, 1. eorum munia et partes quæ sint, 742, 1, 2. episcoporum est facere judicium et justitiam in terra, 183, 2.
Episcopus idem est quod speculator, 743, 1. debet prædicare Evangelium, 735, 1, 2. ejus in domo omnia esse debent simplicia, contemptumque vanitatis præferentia, 664, 1, 2. Episcopi cujusdam indiscreta acerbitas in sacerdote quodam irregulari excommunicando : quænam inde sint mala secuta, 736, 1, 2.
Epistola Jeremiæ ad captivos in Babylonem abductos, 459, 1, 2. an ea missa ad abductos, an ad abducendos, *ibid.*
Epitaphium coci, 675, 2. epitaphium quoddam patheticum regis cujusdam Francorum, 690, 2.
Epiikia est juris remissio, 435, 1.
Eques interdum accipitur pro equo, 698, 2.
Equi emissarii et trahentes qui sint, 54, 1. equi fortes et proni in feminas ex Arabia prodibant, *ibid.* eorum in equas ardor, *ibid.* equi Persici feroces sunt et quasi stimulos habent a natura, 330, 1.
Equinum stercus medicum est, 534, 1.
Equus impotenter in venerem ruit, 669, 1. est symbolum libidinosi, *ibid.*
Eremitæ veteres multi recensentur, dono lacrymarum insignes, 402, 1, 2.
Ergastulum pro carcere, 261, 1.
Ἔρως unde derivent Græci, 85, 1.
Esau unde dictus Edom et Seir, 748, 1.
Esdræ liber quartus cujus sit auctoritatis, 10, 1, 2. Esdras an altare Hierosolymis sub Artaxerxe erexerit, 430, 1. non reparavit Scripturam sacram in excidio urbis combustam, 257, 1.
Essenorum mirum silentium, 392, 2.
Et, hebraice *vau*, sæpe est inchoativum, 428, 1.
Et Hebræis sæpe est narrationis exordium, 475, 1.
Etheca, est vox Chaldaica, significat porticum, 811, 1.
Eucharistia (in) Christus charitatis igne succensus quasi immolatur et consumitur, 244, 2. ejus sacrificium durabit usque ad tempora Antichristi, *ibid.*
Eucherii (S.) Aurelianensis mater eum utero ferens quam cœlitus benedictionem acceperit, 13, 1.
Eudoxiæ imperatricis tumulus quando agitari desierit et qualiter, 762, 2.
Eugenia (S.) virgo apparens matri dixit se cum patre cœlesti gloria donatam, 761, 2.
Eunuchus significat omnem aulicum et palatinum, cur, 210, 1.
Euphrates, juxta Babylonem, in varios se dividit rivos, 476, 2.
Eusebius anachoreta catena ferrea collum inclusit, 363, 2.
Eusebii Emisseni an sint homiliæ quæ ejus nomine circumferuntur, 412, 1.
Eusthatius (S.) quam parvi idola faceret, 92, 1. quomodo martyrii sui omen ceperit, 657, 2.
Eutychetis hæresis circa quid potissimum versaretur, 108, 2.
Eva est mariti sui filia, 39, 2.
Evangelica doctrina allegorice significatur per aquas torrentis sensim crescentes, 850, 1, 2.
Evangelium non consistit in syllabis et litteris, 233, 1.
Evangelistis quatuor adaptantur quatuor animalium et Cherubinorum proprietates, 507, 1.
Examen conscientiæ, quam sit utile, 399, 2. gnomæ de eodem, *ibid.* et 490, 1. examen operum est labium mensarum reflexum mystice, 801, 1.
Excelsa cur dicantur altaria, 70, 2. excelsa animi, quæ sint, 546, 2. excelsa quænam Judæis essent, 546, 1.
Excelsior quo homo sit, fieri debet humilior, 817, 1.
Excisio Hebræis significat generationem et originem, 604, 1.
Excitator in aula regis Persarum mane, quis esset, 68, 1.
Exedræ erant cubicula ædificata in appendicibus templi, in quibus quiescere poterant et sedere sacerdotes, et supellex templi recondebatur, 251, 1. exedræ vocantur cubicula atrii, unde; et exedra quid significet, 781, 2.
Exempla veterum fulciunt infirmos, 265, 1. exempla temere suspicantium, 260, 2.
Exempla de labore, 578, 2. eorum qui clades et malam fortunam æquo animo tulere 680, 1, 2 et seqq. eorum quibus aquila victoriam et imperium portendit, 624, 1, 2; 626, 2. eorum qui mortem fortiter tulere, gentilium et fidelium, 680, 1, 2 et seqq.
Exhalationum in homine tres sunt fontes, stomachus, hepar, cor, 81, 1.
Expositio mystica totius templi, omniumque ejus partium

ex S. Gregorio, 792 1, 2 et multis seqq., et alia ex Lyrano, 819, 1, 2 et seqq.
Exta quæ, et unde dicantur, 657, 2. per ea Gentiles divinabant, *ibid.*
Exterius atrium quod dicatur, 781, 1.
Extispicia quæ dicantur, *ibid.*
Exuperii (S.) in egenos liberalitas, 632, 2.
Ezechiæ regis æquanimitas, audito thesauros suos a Chaldæis diripiendos, 680, 1.
Ezechiel propheta non fuit Pythagoras, 466, 1, 2. ejus cum Pythagora similitudines, *ibid.* rationes e quibus convincatur non esse Pythagoras, *ibid.* 2. fuit eo prior, 467, 1. est S. Scripturæ oceanus et labyrinthus, *ibid.* fuit sacerdos de tribu Levi, *ibid.* et 824, 1. ejus patria, pater, 467, 1. an filius et servus Jeremiæ, *ibid.* ejus nomen hebraice quid sonet, *ibid.* fuit propheta, doctor et martyr; ac proinde typus Christi, *ibid.* fuit sæculi sui portentum, *ibid.* occisus est Babylone a duce populi sui, et quare, *ibid.* an raptatus, excerebratus, et equis distractus, *ibid.* ejus miracula, *ibid.* quando cœperit prophetare, *ibid.* et 468, 1. et quoto ætatis anno, 468, 1. quamdiu prophetarit, *ibid.* 2. quoto anno mundi incœperit prophetare, *ibid.* eo anno quo prophetare desiit, incœpit Daniel, *ibid.* ejus idem argumentum quod Jeremiæ, 470, 1. tres partes sunt prophetiæ ejus, *ibid.* missus est ut in Babylone prophetaret suis, *ibid.* omnes omnino homines ad Dei cultum et Christi obsequium allicit et invitat, 471, 1. ejus oraculum de partu Virginis an authenticum, *ibid.* 2. ejus sublimitas et obscuritas quanta sit, *ibid.* an in eo tradita secreta lex Dei, *ibid.* cur ejus principium et finis ab Hebræis ante XXX ætatis annum non legeretur, 471, 2; 777, 2. cur tanta ejus sit obscuritas, 472, 1. ejus interpretes varii, *ibid.* 2. consignat oracula sua per initium regni Chaldæorum, 475, 1, 2. an viderit revera primam visionem, an vero solum symbolice ea ejus phantasiæ objecta sit, 476, 2; 477, 1, cur juxta aquas prophetet, 477, 1. visa visione gloriæ Dei, cur cadat in faciem, 514, 1. vocatur filius hominis tribus de causis, *ibid.* et 2. an præviderit Deum incarnandum, *ibid.* quomodo comederit librum, 521, 1. et quomodo is in ore ejus factus sit dulcis, *ibid.* 2. raptus est ab angelo a flumine Chobar in corpore ad pagum vicinum, 525, 2. quomodo dicatur esse speculator, 527, 1 2. factus est Dei jussu portentum suis, 528, 2. cur a Deo tacere jubeatur, *ibid.* et 529, 1. creditus est a suis ut amens et emotæ mentis, *ibid.* et 2. quare siluerit, *ibid.* an realem acceperit sartaginem, 532, 1. quomodo dormiverit et decubuerit multis diebus in latere sinistro, et multis in dextro, 532, 2. vinctusne a suis ut amens, an vero a Deo, 533, 1, 2. panem vilem et secundarium cur comederit, *ibid.* 2. ejus potus etiam fuit exiguus, *ibid.* stercus non comedit, sed eo coxit panes, 534, 1. sua portenta fecit non imaginarie, sed reipsa aliis videntibus, 534, 1. loco stercoris humani usus est bovino, 535, 1. revera decubuit per 390 dies, 537, 2. id factum speciali Dei ope, *ibid.* cur ita dormierit, 538, 1. cur barbam raserit, 540, 1. rapitur in spiritu in Jerusalem, et quid ibi videat, 558, 2. cur exportetur humeris bajulorum oculis velatis, 587, 2. mors uxoris ejus, 677, 2. annos suos consignat a transmigratione Jechoniæ, 717, 1, 2. ejus prophetiæ non sunt ordine temporum editæ, *ibid.* 2. uti cœpit a templo, ita finit in templo, 778, 1. quo anno viderit visionem de templo, 782, 1. Ezechiel quando prophetarit, 1, 1.
Ezidus rex nimis credidit impostori Hebræo, 286, 2.

F.

Fabricæ totius templi expositio mystica ex Nicolao de Lyra, 819, 1, 2 et seqq., et alia ex Gregorio Pontifice, 792, 1, 2 et seqq.
Fabulæ de planctu Adonidis moralizatio, 561, 2.
Facere Hebræi sumunt pro *perficere*, 585, 1. item pro *sacrificare*, 828, 2.
Facies Hebræis idem est per synecdochen quod persona, 19, 2. facies velatur damnatis et captivis, 400, 2. id probatur exemplis, *ibid.* facies leonis quomodo dicatur fuisse a dextris, et facies bovis a sinistris quatuor animalium, 486, 1, 2. facies eadem in omnibus et singulis quid significet, *ibid.* et 487, 1. facies pueri an fuerit in curru Cherubico, 577, 2; 578, 1. facies quatuor Cherubim significant quatuor stemmata Dei, 504, 1, 2. item quatuor primarias ejus virtutes et dotes, *ibid.* facie ad faciem quomodo nobiscum judicetur Deus, 649, 2. faciem (in) cadere est ritus adorantium, 514, 1.
Fæces sunt otium et deliciæ, 301, 2
Fama hominum parvi est facienda, 146, 1, 2.
Famem Anglicanam prævius ostendit cometa, 653, 2. fames Romæ obsessæ a Wandalis sub Imperatore Honorio, 543, 1.
Fascia candida erat olim regum corona et diadema, 658, 1, 2.
Fasciæ quibus mamillæ stringuntur, symbolum sunt illibati pudoris, 35, 1. fasciis stringuntur et confirmantur corpuscula infantium, 606, 2.
Fatum ex siderum cursu et dispositione constitui, finxere veteres, 285, 1. fatum quid sit, 500, 1. fatum Calvinisticum rejicitur, 637, 1.
Fauni ficarii qui sint, 322, 1. unde illi dicantur, *ibid.*
Favor humanus quam vanus, 146, 1.
Felicitas (S.) septem filios ad martyrium educavit, 393, 2. est a leopardis discerpta, quia idola Gentium colere noluit, 92, 1, 2; 465, 2.
Femina quomodo circumdabit virum, 229, 2. feminæ in cœnis sedebant, viris discumbentibus, 672, 1, 2.
Femur percutere, tropologice est voluptatem carnis exstinguere, 227, 1.
Fenestræ in vestibulis sunt mystice donum contemplationis in fidelibus, 796, 1. fenestræ templi quales essent, et cur vocentur obliquæ, 812, 1. erant hæ cancellis quibusdam transversis obductæ et quasi clausæ, *ibid.* 2. cur dicantur fuisse τοξικαὶ, 787, 1. earum situs mystice exponitur, 812, 2, mystice sunt doctores Ecclesiæ, *ibid.* et 813, 1. item Christi vulnera, *ibid.* fenestræ obliquæ thalamorum sunt mystice mentes contemplantium, 796, 2.
Ferdinandus Aragonum rex æquanimiter suorum militum cladem tulit, 680, 1.
Ferreolus martyr post multos annos a morte inventus est integer et illæsus, 761, 1.
Fervidi spiritu per austrum notantur, 798, 2.
Fessa urbs Africæ dicta a Fes, id est auro ibi invento, 91, 1, 2.
Festa judaica quare et quomodo Deus oblivioni tradiderit, 371, 2. festa Catholicorum merito rident infideles et hæretici, cum illis isti lasciviendo abutuntur, 357, 2.
Ficus (per) cur intelligantur homines, 189, 1. ficus bonæ erat Joachin cum suis obediens Deo, malæ erat Sedecias cum suis inobediens Deo in captivitate suscipienda, *ibid.* 2. ficuum dulcedo, *ibid.* ficus bonæ tropologice sunt justi et electi, malæ sunt improbi et impii, *ibid.* item aliter tropologice capiuntur, *ibid.* et 190, 1. ficus primi temporis quæ sint, 190, 1. ficuum aliæ dant fructus semel, aliæ bis in anno, *ibid.* ficus junii mensis meliores sunt autumnalibus, *ibid.* sex dantur analogiæ justi et ficus, *ibid.* et 2.
Fides quam ab hominibus exsulet, 52, 1. fides hosti servanda, 271, 1; 628, 1.
Fides cur comparetur portæ Orientali, 798, 2. fides invisibilium est altitudo sanctorum mystice, 801, 1.

Figulinæ officinæ in Jerusalem erant in valle juxta Topheth, 149, 1.
Filia Sion dicitur Jerusalem, 356, 1. *filiæ pharetræ* dicuntur sagittæ, 386, 1.
Filiæ vocantur urbes metropoli subjectæ, 618, 1; 688, 2.
Filii comederunt patres suos in obsidione Jerusalem, 543, 1. filii adulti pii impiorum parentum peccata non luunt, 635, 1, 2.
Filii Sadoc sunt fideles justi mystice, 802, 2.
Filii Agar negotiatores erant, ac fallendi peritissimi, 442, 1. filii Orientis qui dicantur, 313, 2. filii Sion inclyti qui dicantur, 408, 1. filii viri qui dicantur, 51, 2; 726, 2.
Filius hominis cur vocetur Ezechiel, 514, 1, 2.
Fimbriæ (C.) impudentia insignis, 39, 1.
Fimeta sunt calida, 410, 1.
Finis quomodo pereat, 388, 2. finis pedalis præcisionis, quid sit, 327, 2.
Firmamentum octo milliarium millionibus distat a terra, 443, 2. ejus spissitudo 80 millionum est, *ibid.*
Firmamentum super capita quatuor animalium instar crystalli, quod sit, 493, 1. id quid significet, 511, 1.
Flacitheus Rugorum rex secutus sanum consilium S. Severini, insidias hostium evasit, 287, 2.
Flagella Dei sunt tyranni, 320, 2. flagella cur vocentur scorpiones, 516, 2.
Flagellanti Deo homo se subdat oportet, 268, 1.
Flaminii consulis arrogantia, quomodo repressa, 715, 1.
Flamma capitur pro vastatio, 370, 1.
Flavedo signum naturæ docilis et mitis, 413, 2. item florentis juventæ symbolum, *ibid.*
Flavicomi fuere David, Salomon, at Christus crine subflavo, 413, 2.
Flavii dicti a flava coma, 413, 2.
Flectendi Deum ad misericordiam septem rationes, 433, 1, 2.
Floralia quæ festa sint Romanis, 552, 2.
Florentius (S.) precibus serpentes in sua vicinia interemit, interemptos aves devorarunt, 213, 1.
Florenus Brabanticus ejusdem est pretii cum statere sive siclo, 843, 2.
Flumen exundans dicuntur copiæ hostiles, 107, 1.
Fluvius aquæ vitæ est visio beatifica, 853, 2.
Foculus erat in medio quatuor animalium, 487, 2. — *Vide* Arula.
Fœdera cur dicantur percuti, 760, 2.
Fœdus quod Messias cum gentibus initurus prædicitur, spirituale erit, et ad ejus redemptionem gentes spectant, 221, 1.
Fœnus est funus, ejusque sors mors, 634, 2.
Folia arborum prisci diis adurebant, cur, 564, 1, 2.
Fomes peccati et concupiscentiæ in Deipara fuit exstinctus, dum primo a matre conciperetur, 823, 1, 2.
Fons bonorum omnium Deus, 27, 2. fontes olim et flumina pro numinibus habebantur, 30, 2. ii terræ velut ubera sunt, 151, 1.
Foramina varia erant in nervo et equuleo, quare, 58, 2. foramina auri quæ dicuntur, 707, 2.
Forma librorum quæ esset apud veteres, 517, 1.
Formido pro *terriculamento* capitur, 464, 2.
Fornacibus (in) laborant servi et pauperes, 97, 1.
Fornicarium quemdam quomodo S. Bernardus ad bonam frugem perduxerit, 118, 1.
Fortitudine (in) non est homini gloriandum, 85, 2. fortitudo cingulo denotatur, 112, 1.
Fossa erat circum altare ad excipiendum defluentem sanguinem victimarum, 825, 1, 2. ejus descriptio et modus, *ibid.*
Foveam Jeremiæ Constantinus Imperator mirifica fabrica exornavit, 261, 1.
Fractum quomodo alligent pastores Ecclesiæ, 742, 1, 2.
Franciscanorum Ordo Deo curæ est, 253, 1.
Francisci (S.) de Paula in Ludovico XI Franciæ rege alloquendo libertas: eum ut ad bene moriendum se disponeret est adhortatus, 665, 1, 2.
Francisci Xaverii (B.) corpus ad hæc usque tempora illæsum et integrum est, 761, 2.
Franciscus (S.) quomodo sensualitatem vinceret, 387, 2. propter suam humilitatem meruit fulgentissimam in cœlo sedem, 710, 1. ejus humilitas quanta fuerit, *ibid.* vestiens militem pauperem a Christo, palatii ampli hæredem se fore inaudiit, 634, 1.
Franciscus Xaverius (B.) in conscientia examinanda diligens erat, 400, 1.
Fremere dentibus, gestus est insultantium et subsannantium, 377, 2.
Frigus inimicum naturæ, 20, 1.
Frons animi est janua, erat sacra genio et pudori apud veteres, 522, 1, 2.
Frontes vestibuli templi quæ dicuntur, 786, 1. quid illæ tropologice significent, 797, 1, 2.
Fructus virorum justorum sunt virtutes, 853, 1. item opera, cum verba sunt folia, *ibid.*
Frugum primitiæ levabantur in altum cum offerebantur Deo, 840, 2.
Fugiendum nobis e Babylone tropologice, quomodo, 326, 1.
Fuit, et non est, est elogium cujusvis defuncti; *fuit, est, et erit in perpetuum,* Dei et Beatorum, 690, 2.
Fulmen est quasi filius tonitrui, 488, 1. eo aperitur cœlum, 476, 2.
Fumus symbolum est gloriæ Domini, 575, 1, 2. item excæcationis, *ibid.* in eo sæpe apparuit Deus, *ibid.*
Funebris orationis origo et antiquitas, 728, 1.
Funera floribus et pompa ornabant olim divites, 300, 1. funere (in) Judæi deponebant coronas, vestesque lugubres induebant, 678, 1, 2. incedebant nudis pedibus, velabant os, *ibid.*
Funes meretricum Babyloniarum quinam essent, 462, 1, 2.
Funiculus significat sortem cuique debitam, 372, 2. item regulam ad construendum et destruendum, *ibid.* et 373, 1. item alia, *ibid.*
Funiculus lineus est cæmentariorum, 783, 2. funiculus capitur pro portione hæreditatis, quia funiculis olim metiebantur agros et hæreditates, 854, 1.
Furor capitur pro zelo justitiæ, 61, 1.
Futura cognoscuntur, quia præsentia sunt non in se, sed in suis causis et signis, 267, 1. futura contingentia, etiam conditionalia, sunt determinatæ voluntatis, et habent suum esse, sed conditionatum, *ibid.*

G.

Galaad mons principium et nobilissima pars Libani: ejus feracitas, unde dicatur; is significat stirpem regum Juda, 170, 2. abundabat opobalsamo, 291, 1. galaad pars Arabiæ, resinæ proventu nobilis, 79, 1. ibi quoque viguit medicina, *ibid.* 2.
Galbæ Imperatori imperium portenderunt aquilæ, 624, 2.
Galeæ veterum Romanorum monstris insignitæ erant, cur, 482, 1, 2.
Gammadenses non sunt certa aliqua gens, 696, 1, 2.
Gammadim, id est gigantes cubitantes et pugnaces, unde dicantur, *ibid.* et 697, 1. eorum robur, *ibid.*
Gamphasantes populi Æthiopiæ non sunt Gammadim, 696, 1.
Garciæ regi Navarræ successit filius ex vulneratæ matris utero excisus, 14, 1.
Gareb collis situs juxta Jerusalem, 234, 1, 2.
Garruli comparantur cisternis dissipatis, 28, 1.
Gaudium impiorum vertitur in tristitiam, 452, 1.
Gaza quomodo a Pharaone Ephree vastata, 295, 1. quando contra eam prophetarit Jeremias, *ibid.* unde dicta, ejus

potentia, eam vastarunt Nabuchodonosor et Alexander Magnus : postea refloruit, et hodie floret, *ibid.*
Gazophylacia templi quæ dicantur, 788, 1. ea quid mystice denotent, 788, 1; 797, 1.
Gementes in Jerusalem a Chaldæorum cæde immunes erant, 567, 2.
Geminatio distributionem significat, 847, 1.
Gemmæ rationalis recte vocantur lapides igniti, cur, 709, 1. an iis splendentibus Deus suum erga populum favorem et opem significaret, *ibid.*
Genealogia peccati quæ sit, 163, 2.
Generatio in Scriptura varie capitur, 459, 2; 460, 1.
Gentes cur adorarint solem et stellas, 74, 1. in luctu incidebant se, 133, 2. colebant astra quasi animata, 88, 1, 2. in idolis ligneis non adorarunt Deum quasi in imagine, uti faciunt christiani, contra Calvinum, 465, 1. tripliciter errarunt ex proborum infortunio, et improborum felicitate, 105, 1, 2. putabant lunam in defectu a dracone ore apprehendi, 69, 2. valedicebant defunctis, offerentes eis cibos, 461, 1. sepeliebant suos principes cum armis, sceptro, vestibus et auro, 73, 1. gentes plurimæ sunt ad judaismum conversæ, 135, 2. gentes Judæis vicinas cur a Chaldæis excidi voluerit Deus, 196, 1, 2. gentibus, apud quas circumcisio viguit, non fuit ea communis, sed privata aliquorum et paucorum, 86, 2.
Gentiles adorabant solem orientem, 562, 2. Gentes et Samaritæ prius ad Ecclesiam venere, quam Judæi, 621, 1, 2; 622, 2. Gentium atrium additum templo a Salomone et Herode, 781, 1.
Geon hebraice cur Nilus dicatur, 29, 2.
Germani orti ab Ascaniis Asianis ; 329, 2. mortuos extra urbes sepeliunt, 156, 1.
Germanico duci castrorum octo aquilæ victoriæ auspicium attulere, 306, 1.
Germen quadruplex est Christus Jesus, 744, 2. cur ipse germen nominatum vocetur, *ibid.*
Gertrudis (S.) resignatio indifferens in manus Dei, 399, 1.
Gestamina majorum diffundebantur ad posteros, 611, 1.
Getæ et Massagetæ non sunt Gog et Magog, 765, 1.
Giblus quis sit locus, 694, 1.
Gigantem Deum vocant Syri, 383, 1.
Gigantes varii nominantur, 696, 1, 2.
Gladium a sanguine prohibere mystice quid sit, 301, 1.
Gladius Dei involutus quomodo sit, 655, 2.
Gloria fidelium triplex est, 449, 2. gloria dicitur veri Dei cultus, 27, 1. gloria est laus et claritas publica, honor et laus privata et secreta, 434, 1. gloriæ symbolum est cingulum, 112, 1. gloriam Deo dare quid sit, 114, 1.
Gloria capitur interdum pro templo et pro Jerusalem, 555, 2. gloria vel echo montium quæ sit, 551, 1, 2. gloria Domini quomodo dicatur benedicta de loco suo, 526, 1. gloria Domini, id est solium Domini, vel imago Domini electrina, 566, 1, 2. gloriam ex scelere quærere scelestum est, 677, 1.
Gloriandum non est in sapientia, viribus, opibus, 85, 2; 86, 1.
Gloriatio vana cavenda, 145, 1.
Gloriosus Deus et gloria Domini comparatur in Scriptura luci, tenebris, fumo, 575, 1, 2.
Glyceriæ (S.) martyris fronti nervis arcte crux fuit impressa, 571, 1.
Gnomæ de impudentia, 39, 1. de Dei præsentia ubique, 185, 1. de sapientia, 440, 2. de memoria Dei, 452, 2. de voluptatum turpitudine, 32, 2. de populo et subditis exactione non gravandis, 173, 2. de cœli magnitudine ex terræ parvitate, 444, 2. de laude et fama hominum contemnenda, 146, 2; 147, 1. de religione primum stabilienda, 372, 1. gnomæ de affectu terreno erga parentes et filios moderando, 835, 1, 2. de hominis miseria et vanitate, 514, 2. de labore, 578, 1, 2. de morte æquanimiter ferenda, 680, 1, 2 et seqq. de dolore moderando, *ibid.* de pulchritudinis periculo, 612, 2. de vitæ probitate quæ in pastoribus requiritur, 746, 2.
Goata est Golgotha, ubi crucifixus est Christus, 234, 1, 2.
Gobel quis sit locus, 694, 2.
Godefridus Bullonius et christiani principes qui terram sanctam recuperarunt, an sint Gog et Magog, 765, 1.
Godolias erat vir primarius Judæus, qui ad Chaldæos ante captam urbem transfugerat, unde ab eis Judææ præpositus fuit, 273, 1. habitavit in Masphath, 274, 1. detegitur ei conjuratio, *ibid.* 2. occisus est mero gravis, 276, 1. cum suis est occisus ab Ismaele, 737, 2.
Gog et Magog quinam sint, 764, 1. non sunt Scythicæ gentes, juxta Judæos, *ibid.* non sunt Romanorum Imperator et Romanum Imperium, *ibid.* non prælia angelorum et diaboli, non Alexander Magnus, et reges Syriæ ac Ægypti, Alexandri successores, *ibid.* an sint Pontifex Gregorius VII et Godefridus Bullonius, 765, 1. an Papa, an Turcæ, *ibid.* non sunt Gothi, nec Getæ et Massagetæ, non hæresiarchæ et hæretici, *ibid.* non omnes Ecclesiæ persecutores, *ibid.* et 2. non est diabolus, *ibid.* futuri sunt tempore Antichristi, *ibid.* Gog prælium est Antichristi contra Ecclesiam, et novissima persecutio, 766, 1. Gog est primarius dux exercitus ejus, *ibid.* 2. Gog dicitur a Magog : erit enim princeps gentis Magog, *ibid.* videntur Gog et Magog fore reges, et gentes fortissimæ ex septem illis regibus qui in fine mundi se sponte subdent Antichristo, *ibid.* eorum exercitus venient ad Antichristum in Jerusalem, ut in ea totaque Judæa fideles et christianos deleant, *ibid.* Gog cædetur cum Antichristo juxta Jerusalem, 767, 1, 2. contra eum plures principes christiani exercitum ducent, et cum eo confligent, 770, 1. ubi sepeliendus sit, 771, 2. Gog et Magog erunt exercitus Satanæ et Antichristi, 772, 2. erunt innumerabiles, 773, 1. in eorum exercitus pluet Deus lapides grandinis, pestem, ignem et sulphur, et mittet in eos terræ motum horribilem et terrorem panicum, *ibid.* et 768, 2. quanta eorum sit strages futura, 773, 1. cædendi et sepeliendi sunt juxta civitatem Amona in valle multitudinis Gog, *ibid.* in hoc prælio cædetur Antichristus, ejusque præcursor, atque uterque deturbabitur in tartara, *ibid.* erunt ante Antichristum, non vero post eum, *ibid.* 2. mystice Gog et Magog et Antichristi præcursores, sunt et fuerunt hæretici, *ibid.*
Gomer sunt Galatæ, 767, 1.
Gomor exigua erat mensura victus diurni, 843, 2.
Gondisalvus Ferdinandus a Corduba quid responderit citanti se militi ad tribunal Dei, 144, 1.
Gonsalvus Sylveiriæ quam esset laborum et martyrii cupidus, 288, 1, 2.
Gordiana Gregorii Magni amita, malarum in monasterio consuetudine seducta est, 280, 1.
Gothi an sint Gog, juxta S. Ambrosium, 765, 1.
Gradibus ab Oriente versus Occidentem ad altare holocaustorum ascendebatur, 827, 2. gradus septem atrii mystico sensu sunt septem dona Spiritus Sancti, 798, 1. iidem designant mystice virtutum incrementa, 794, 1.
Grandinis horribilis exempla, 768, 2.
Gratia major novi quam veteris Testamenti, 164, 1. gratia Dei ante omnia imbuuntur ministri Ecclesiæ, 15, 2. ea prævenit peccatoris conversionem, 424, 1. gratia Dei pravam peccandi consuetudinem expugnat, 117, 1, 2. gratiam sufficientem dat Deus in malo obduratis, ut convertantur, per quam si convertantur, paulatim dat majorem, 516, 1. gratiæ efficacia in quo sita sit, 585, 1.
Gregis spiritualis quod sit officium, 743, 2.
Gregorii (S.) Nazianzeni studium pœnitentiæ, 412, 2.
Gregorius (S.) Magnus quomodo in omnibus divina providentia niteretur, 95, 1. scripsit commentarium et homilias in Ezechielem Roma obsessa a Longobardis, 472, 2. eas ipse homilias pro concione ad populum dixit, *ibid.* ob clades Longobardorum et imminen-

tem Romæ obsidionem ingemiscens commentarium hunc abrupit, 804, 1. ejus expositio mystica de templo Ezechielis in nonnullis reprehenditur, 819, 1. unde accepit omen de Angliæ conversione, 657, 1. illius in pauperes et templa liberalitas et eleemosynæ, 741, 1.
Gregorius (S.) Thaumaturgus a S. Joanne in somnis symbolum accepit quod Origenistis opponeret, 517, 2.
Gregorius VII Pontifex an sit Gog, 756, 1.
Gregorius XIII Pontifex opes Ecclesiæ in utilitatem Ecclesiæ et salutem animarum erogavit, 741, 2.
Grex dat pastori lac, lanam, carnes, 749, 1.
Gryphi emblema, quid moraliter designet, 505, 1.
Gualtherus Franciscus Episcopus Pictavensis quomodo contra iniquum suum judicem ad Dei tribunal appellarit, 144, 1.
Gubernator reipublicæ est velut navis nauclerus, 701, 2.
Gulæ vincendi modus, 387, 2.
Guilielmus junior Angliæ rex, quod templorum vectigalia inique usurparet, pœnas post mortem dare visus, 174, 1,
Guilielmus Normannus unde omen acceperit Angliæ invadendæ, 657, 1.
Gulosi in ollis habitant, 582, 2.
Guthlacus (S.) cœlesti prognostico ante ortum est designatus, 14, 1. ejus nomen quid anglice sonet, *ibid.*
Gutta capitur pro gemma pretiosa, 699, 1, 2.
Gymnasiorum quanta sit antiquitas, 442, 1.

H.

Hadrianus I Pontifex omnium diutissime Sedi Romano præfuit, 642, 2.
Hædus et vitulus, utpote victimæ pro peccato, sunt symbolum pœnitentiæ et mortificationis, 852, 2.
Hæreditas per sortes solebat dividi olim, 840, 1, 2. hæreditates apud Judæos ex una tribu in aliam non derivabantur, 238, 1.
Hæresiarchæ subito et misere ut plurimum pereunt : id probatur exemplis, 591, 1, 2.
Hæresis triplex fuit circa virginitatem B. Virginis, 830, 2.
Hæresum hodiernarum quæ sit multiplicatio, 98, 1. hæreses sunt stercora, 546, 2.
Hæretici quomodo furentur verba Salvatoris, 186, 2. relicto doctrinæ puræ fonte in Ecclesia, fodiunt sibi cisternas cœnosas falsorum dogmatum, 28, 1. cur perdicibus comparentur, 142, 2. negant B. Virginem in conceptu et partu Christi mansisse virginem, 231, 1. lamiæ sunt, 409, 2. sunt lupi vespertini et nocturni, 53, 2. ovium speciem induunt, *ibid.* cur dicantur pastores multi, 108, 2. id probatur variis exemplis, *ibid.* hæretici et hæresiarchæ mystice sunt Gog et Magog, et Antichristi præcursores, 765, 1; 773, 2. hæretici frontes martyrum cur olim signarent cruce, 271, 1. hæreticorum cæcitas, 552, 1. eorum schismata et divisiones, 559, 2. vulpes sunt, cur, 590, 1, 2. tropologice accipiuntur per Ammonitas, 685, 1, 2.
Hammonius Jupiter unde sit dictus, 547, 1. colebatur specie capri, *ibid.*
Hamula hebraice quid proprie sonet, 99, 1, 2.
Hanameel patruelis Jeremiæ vendidit ei agrum, 238, 1.
Hananias pseudopropheta Jeremiæ catenas abstulit, 207, 2. quo anno sit mortuus, 208, 2.
Hannibal ob immanitatem suis fuit exosus, 688, 2. defuncta Romanorum ducum cadavera humanda curavit honorifice, 689, 1.
Haran urbs est Parthiæ, 700, 1.
Hasmael, angelus Rabbinorum fictitius, 478, 2.
Hebræi verba realia per mentalia aut verbalia exponunt, 17, 2. ipsis incogniti erant populi Aquilonares, 20, 1. omnes populos mari Mediterraneo a se discretos vocarunt insulanos, 26, 2. noctem vocant vesperam, 53, 1. nomina animalium apud eos multis sunt communia, 74, 2. septenarius et denarius numerus ipsis familiaris est, 126, 2. *in* ponunt pro regimine genitivi, 128, 1. femininum genus usurpant pro neutro quo carent, *ibid.*; 129, 2. simplex verbum capiunt pro composito quo carent, 157, 2. per maledictionem intelligunt tantum interjectionem optantis, q. d. *Utinam hoc non fuisset*, 162, 2. enallage personæ ipsis frequens est, 208, 2. pacis nomine omne bonum significant, 243, 1. urbes vocant vineas et cives vites, 304, 1. lugentes comam tondebant, 70, 1. geminatio ipsis copiam notat, præsertim si masculino jungatur genus femininum, 370, 2. valde ærumnosos comparant mortuis, 438, 2. Hebræi cum addunt animali nomen matris, significant illud tenerum esse, et adhuc matrem sequi, 828, 1. tertio quoque anno intercalabant mensem, ut suos annos lunares solaribus æquarent, 538, 2. duplicem in Scriptura legem comminiscuntur, unam scriptam in Genesi, alteram traditam Mosi et secretam, de divinitatis specie, 471, 2. eorum verba sæpe non actum perfectum, sed inchoatum, puta propositum, destinationem, conatum significant, 636, 2. sæpe infinitivum pro futuro usurpant, 629, 1.
Hedera cur coronentur potantes, 673, 1, 2.
Helcias pater Jeremiæ an fuerit pontifex, 2, 1. negatur verius, quam asseritur, *ibid.* fuit sacerdos vulgaris, *ibid.*
Heimerammus (S.) sibi in tormentis constituto aquam neganti quam pœnam inflixerit, 623, 1.
Hellenius Abbas quam fideret Deo, 140, 2.
Heliopolis urbs Ægypti erat cultu Solis nota, 722, 1.
Helvidius hæreticus docebat B. Virginem post partum Christi alios ex Josepho filios concepisse, et proinde post partum Domini non mansisse virginem, 830, 2.
Helvio Pertinaci Imperatori mortem portendit victima corde carens, 753, 1.
Henricus Archiepiscopus Moguntinus pontificatu injuste dejectus ad Christum judicem dum appellat, ejus judices iniqui omnes misere periere, 144, 1.
Henrici IV Imperatoris Ecclesiam affligentis mater, dum eum utero ferret, visa sibi est gestare draconem virulentum, 14, 2. bellum quod Ecclesiæ intulit, prænonstravit cometes, 636, 1.
Henrici VI Angliæ regis regno exuti constantia, 680, 1.
Henricus VIII Angliæ rex quomodo Cardinalem Polum exagitarit, 609, 2; 610, 1.
Hepar an primum in homine formetur, 753, 1, 2. sanguinem subministrat, quo corpus nutritur, *ibid.*
Heracleo Imperator et uxor Martina quas pœnas dederint, 176, 2.
Heraclion quam ob hæresin et libidinem a Deo graviter punitus sit, *ibid.*
Herculanus (S.) Perusinus Episcopus tormenta gravia præscribente Totila rege Gothorum, passus est, 773, 2. ejus caput recisum post mortem corpori est unitum, 761, 1.
Hercules oraculo victimas hominum postulante, persuasit Italis, ut pro hominibus vivis cereos offerrent, 71, 2. Hercules fingitur habuisse cor adamantinum, 525, 1.
Hereditas cœlestis est præclara septupliciter, 42, 1. hereditas per sortes solebat dividi olim, 840, 1, 2. hereditates apud Judæos ex una tribu in aliam non derivabantur, 238, 1.
Herluca (S.) cæcitate percussa, alterum oculum recuperat, eumque acutissime videntem, 403, 2.
Hermon mons unde dicatur, 693, 1.
Heroes et viri illustres cur in maximas Deo permittente inciderint ærumnas, 711, 2.
Hesebon regia regis Amorrhæorum, 806, 2.
Hesiodus in solitudine poeticam didicit, 394, 1.
Hethæarum lascivia et impudentia, 605, 1.
Hethalon urbs est in limitibus Judææ, 854, 2.
Hierapolis urbs Syriæ unde dicta, 764, 2.

Hierarchia Ecclesiastica est velut rota in medio rotæ, 509, 1, 2.
Hieronem Siculum aquila indicavit aliquando futurum regem, 625, 1.
Hieronymus (S.) an in Jeremiam scripserit, 5, 1. de eo commentario censura, *ibid.* insimulatus, quod virgines ad nimium rigorem et inediam suis scriptis induceret, 163, 1. ab æmulis vexatus quomodo gavisus sit, 164, 1. Christum sibi semper ob oculos ponebat, 447, 2. compunctionis habuit spiritum, et passim in epistolis pœnitentiam et austeritatem inculcat, 348, 1. fuit solitudinis amans, 394, 2. ejus an sit commentarius in Threnos, 349, 2.
Hieronymus (S.) in Ezechielem scripsit, et quidem Roma a Wandalis et Gothis obsessa, 472, 2. templi Ezechielici obscuritate deterritus commentarium, in capite XL abrupisset, nisi Eustochium virgo eum pergere compulisset, 776, 1. clericorum vitia reprehendens eorum odium incurrit, 522, 2. visitabat cryptas martyrum Romæ, 783, 2. ejus elogia, 709, 1.
Hieronymus Prado Societatis Jesu quot annos expositioni Ezechielis impenderit, 472, 2.
Hilaria festa 25 die martii apud Romanos celebrabantur, 840, 2.
Hilarius (S.) Episcopus Pictavensis filiam suam Abram ad vitam religiosam capessendam induxit, 836, 1.
Hin sexta pars continet duos sextarios Italicos, 534, 1.
Hiram rex Tyri, quomodo in monte sancto Dei positus fuisse dicatur, 708, 2.
Hircus caprarum Hebræis est hædus : cur ita dicatur Alexander Magnus, 828, 1. hircus ob fœtorem symbolum est peccati, *ibid.* hirci repræsentant malos, 743, 2.
Hirundinum reditus et nidificatio, vita per hiemem, 75, 2. earum præscientia *ibid.* quomodo in Ægypto Nili exundationem impediant, *ibid.* sunt veris prænuntiæ, *ibid.* vix cicurantur, *ibid.* pietatis parentum (maxime Dei) in filios symbolum sunt, 76, 1. eis comparantur Sancti ob duodecim analogias, *ibid.* et 2. item fideles 36, 2.
Hispania an sit Thubal, an Antichristo subjicienda, 766, 2.
Holocaustum inquinatum mystice quid sit, 799, 2. holocaustum mystice sunt, qui totum Deo dant, *ibid.* et 800, 1.
Homer continebat triginta modios : idem erat corus, 843, 2.
Homerus cæcus mente fuit oculatissimus, 340, 1.
Homicidas ita persequitur Dei ultio, ac si sanguis occisorum, ipsique occisi, aut occisorum larvæ vel furiæ eos persequerentur, 748, 1.
Homiliæ nomine Eusebii Emisseni tritæ cujus sint auctoris, 412, 1, 2.
Homines omnes non sunt peccatores, 51, 2. homines alii ex auro, alii ex argento, alii ex ære, et quinam singuli sint, 63, 1. homines Saturno quæ gentes immolarent, 71, 1.
Homo a materia dicitur *adam*, sed post peccatum et ærumnas dicitur *enos*, id est obliviosus, et oblivioni cito tradendus, item miser et ærumnosus, 146, 1, 2. est opus et fabrica siderum, 88, 1, 2. similis est luto, 150, 1. coram Deo se gerat ut lutum, *ibid.* quomodo stultus fiat a scientia, 93, 1, 2. quomodo dicatur pravus et fallax, contra hæreticos, 141, 1. homo vitiosus non est homo sed quasi bestia, 48, 2. homo verus quis sit, *ibid.* sperans in homine est quasi arbor diris et maledictionibus devota, 139, 1, 2. hominis via, quomodo non sit ejus. 94, 2.
Homo quasi navis est, 605, 2. est deus mortalis, 494, 1. vocatur arbor inversa, 759, 2. est velut pilus coram Deo, 540, 1. illius miseria quanta sit, 514, 2. si se Deo moventi impellentique accommodet, salutem suam in tuto collocabit, 510, 1. ex hominis fabrica sumpta est universa architectonica symmetria, 2. homo infirmitatem suam respiciens, non potest de contemplatione excidere, 793, 2. hominis facies in rotis quid ad litteram et allegorice significet, 509, 2.
Honor fugit sequentes, et sequitur fugientes, 658, 2.
Horatius Pulvillus filii mortem æquo animo excepit, 680, 2.
Horæ Canonicæ et orationes prima, tertia, sexta, nona, unde ortæ sint, 379, 1.
Horrendum capitur nonnumquam pro re stupenda et mira, 493, 1. item pro eo quod venerandum est, *ibid.*
Huberti (S.) Leodiensis Episcopi corpus diu mansit post mortem integrum, 761, 1.
Humanitas Christi plumbo assimilatur, 64, 1. ipsa est scabellum Christi, 369, 1.
Humili (ex) statu ad sublimem evecti semper meminerint prioris sortis, 612, 1.
Humilient se fiantque pueri, qui a Deo ad magna evehuntur, 16, 2.
Humilitas via est ad celsa et ardua, 714, 1. per eam recte ascenditur ad Deum, 629, 2. ipsa omnes diaboli laqueos evadit, 594, 2.
Hunericus orthodoxorum in Africa persecutor, a vermibus scatentibus e toto corpore corrosus exspiravit, 176, 2. Christianos Afros jubebat rebaptizari ab Arianis, rebaptizatisque suum dabat chirographum, 570, 1. illius Africanam Ecclesiam devastantis adventus multis portentis præsignificatus est, 544, 2. a dæmone correptus propriis se morsibus laniavit, 774, 1.
Hunni fœdifragi quas pœnas dederint, 271, 1.
Hunnorum irruptiones in Romanum Imperium præsignavit cometes, 653, 2.
Husterra est regio Arabiæ et Idumeæ, aut certe ei confinis, 195, 2; 419, 1.
Hyacinthus flos duas habet in se litteras A, I : an in eum sit conversus Ajax, 609, 1.
Hyacinthinus color est regum color et gestamen, *ibid.* 2.
Hyænæ serpenti assimilatur Jerusalem, 108, 2.
Hydrargyrus aptissimum est resurrectionis symbolum, 758, 1.
Hypanis fluminis natura, 594, 1.
Hyperborei quidam an sint, 20, 1.
Hypocritæ lamiæ sunt, 409, 2. mores bonos simulant, 608, 1. sunt bicordes, 584, 1. vulpes sunt, cur, 590, 1, 2.
Hyrcanus extraxit e Davidis sepulcro tria talentorum millia, 73, 1.
Hysterologia crebra in Jeremia est, 259, 1.

I.

Ianthinus color quid symbolice designet, 609, 1, 2.
Iberi Aquilonares juxta Pontum sunt Thubal, 766, 2. eorum fines et situs describitur, *ibid.*
Idea Cherubim, currus et solii Dei quater in Scriptura iteratur, 496, 1, 2 et seqq. idea perfectæ reipublicæ Judaicæ describitur ab Ezechiele, non quæ fuerit, sed quæ esse debuit, 858, 1, 2. idea urbis et terræ, æque ac templi Ezechieli proposita, quare a Zorobabele et Judæis Babylone redeuntibus, non fuerit opere plane completa, 840, 1; 842, 1. ideæ in mente divina quid sint, 518, 1.
Idola vani sunt dii, et vanos faciunt suos cultores, 26, 1. sunt cisternæ dissipatæ, 28, 1. quam frequentia essent in Judæa, 97, 2. dupliciter vana sunt, 90, 1, 2; 91, 1, 2. 92, 1, 2; 93, 1. eorum vanitas et nihilum ostenditur, 460, 2 et seqq. eorum adoratores apud Gentiles triplices erant, 465, 1. idoli nomen inscribebatur aræ in qua ei sacrificabatur, 137, 2. item ejus imago ex collo gestabatur in gemma vel tabula, *ibid.* idolum superbi est honor, avari pecunia, gulosi venter, obscœni amasia, hæretici hæresis, 559, 2. idolum zeli quid sit, 559, 1, 2. idola scelerum relinquere signum est veræ pœnitentiæ, 547, 2. idola vocantur hostes et tyranni, quando eorum ritibus obsecundant idololatræ, 648, 1. idola dicuntur Hammonim a Jove Hammonio, 543, 1, 2. sunt

abominationes, 543, 1, 2. dicuntur stercora et sordes, 534, 2; 546, 2; 632, 2. ipsis immolantes solebant de victimis immolatis comedere, 622, 2.
Idololatræ in collibus et silvis sub arboribus idolis suis immolabant, 41, 2.
Idololatria unde instituta, 462, 1, 2. idololatria est quoddam spirituale stuprum et fornicatio, 28, 2; 30, 2; 358, 1; 359, 2. idololatria Israelis, 614, 1, 2; 667, 2; 673, 1. idololatria mundi eversa pullulavit fortitudo credentium, 718, 2. idololatria spiritualis quadruplex est, 563, 2.
Idumæa tota montosa est, 311, 1. ejus metropolis erat Bosra, 310, 2. quomodo eam conciderit Deus, 311, 1. Idumææ excidium factum est per Chaldæos et Nabuchodonosorem, 748, 2.
Idumæi quomodo veram sapientiam ignorarint, 442, 1. quando a Judæis sint deleti, 110, 2. Judæos in vitia pertraxere, et afflictos deseruere, 354, 1, 2. cur habitabant in scissuris petrarum et cavernis, 310, 1. a Chaldæis excisi, quia cladem Judæorum irriserant, 419, 2. eos verisimile est non solitos circumcidi, 87, 1, 2. Judæorum erant adversarii et antagonistæ, 748, 1. Chaldæis se jungentes Judæos afflixerunt et exciderunt, *ibid.* sunt tamen eorum affines, 750, 2.
Ignatius (S) quam mitis fuerit agnus, 101, 2. Jesum vocabat amorem suum, unde et Deifer et Christifer est appellatus, 754, 1. an nomen Jesu ejus cordi aureis litteris inscriptum a morte sit repertum, *ibid.*
Ignatius (B. P.) aiebat tamdiu Societatis rem bene processuram, cum adversis exagitaretur, 127, 1, 2. per singulas horas se examinare solebat, 400, 1.
Ignatius Martines Societatis Jesu concionator, occasione linguæ S. Antonii de Padua quam vidit, aliam concionandi methodum usurpavit, 342, 2.
Ignavia in rebus divinis nefaria est, 300, 2, 301, 1.
Ignis præferebatur regibus Chaldæorum et Persarum in olla vel concha, 19, 2.
Ignis altaris erat perpetuus, 790, 2. ignis in visione prima Ezechielis quid significet, 497, 2. designat Dei punitionem, et urbis ac templi inflammationem, 478, 1. ignis in forma hominis insidentis currui Cherubim, quid designet, 511, 2. ignis in omnem domum Israel egrediens quis sit, 541, 2. ignis super civitatem Jerusalem effusus quid denotet, 573, 1. ignis nomine vocatur extrema et acerrima pernicies, 601, 2. ignis nomine peccata indicantur, 552, 1, 2.
Ignorantia crassa mandatorum Dei est velut scutum cordis, 405, 2.
Imber serotinus et matutinus in Scriptura quis dicatur, 38, 2.
Immensitas Dei quæ sit, 443, 1.
Immisericordiæ mala, ea viam sternit et parat ad libidinem, 619, 2. immisericordia quantopere Deo displiceat, 688, 2.
Immortalitas est flos resurrectionis, 758, 1.
Immundi de sacrificiis Judaicis non gustabant, 461, 1.
Imperatorum impiorum et hæreticorum male pereuntium exempla, 176, 1, 2.
Impii quomodo in terra scribantur, 144, 2. et in inferno, *ibid.* eorum vita et luxus brevis, 328, 1. impiis in die judicii grave erit videre flammantem faciem irati judicis Christi, 237, 2. impio opera aliqua bona non prosunt ad salutem æternam, 634, 2. impii justos et sanctos a se abdicant, 618, 1. quomodo habeant in inferno sua sepulcra, 730, 2. impios per impios punire solet Deus, 673, 2. impiorum a statu gratiæ in statum peccati prolapsorum deploratio, 708, 2. dum in vita Deo et Prophetis obsequi nolunt, obsequuntur moriendo, 738, 1. impii et tyranni in inferno positi alios terrent adhuc viventes, 731, 2. impiorum patrum peccata in impiis filiis adultis punit Deus 144, 1, 2.
Impudentiæ exempla, 38, 2; 39, 1.
Inanima tribus modis se movent, 462, 1.
Inauribus insculpi solitæ deorum effigies, 137, 2.
Inauris super os erat monile e fronte in nasum dependens, 611, 1, 2. cur dicatur inauris, et quid ea denotet tropologice, *ibid.* inaures aurium quid tropologice repræsentent, *ibid.* 2.
Incarnatio Christi quo die Martii sit peracta, 840, 2.
Incarnationis Christi opus, fuit opus Spiritus Sancti, quia factum est sine opera viri, 228, 1. quænam mira in illa facta sint, *ibid.* ejus miracula septem, 228, 2. incarnatio hæc est majus opus potentiæ Dei quam creatio, *ibid.* invitat omnes ad sanctitatem, 231, 2. ipsa poscit a nobis novam disciplinam, puritatem, et novam vitam, 231, 1. ejus mysterium quantum sit, 446, 2.
Incircumcisis (ab) occidi probrosum erat apud Judæos, 705, 1.
Inclusores qui dicantur, 189, 1.
Inconstantia mundi et mundanorum, 727, 1, 2.
Indi reguli ob exercitia sunt longævi, 579, 1.
Indorum per baptismatis gratiam immutatio, 752, 1.
Induere decorem duo significat, 452, 1.
Inediæ bona et commoda, 618, 2.
Infantes justificantur per sacramentum baptismi ex opere operato, 226, 2. infantes plures martyres, *ibid.* et 393, 2. infantes quare Deus interdum in communi clade et strage interfici sinat, 571, 2. infantes recens nati cur abjiciantur in terram, 607, 1. per umbilicum nutriuntur et augentur in matris utero, 605, 1, 2.
Infanticidium Herodis describitur a Jeremia ad litteram, 225, 2.
Infernale tormentum inde adaugetur, quod nunquam inde liceat egredi, 178, 1.
Infernales ignes multi in vita sibi et aliis paratos viderunt, 732, 1, 2.
Infernus quintupliciter dicitur, 433, 2. ollæ assimilatur, 675, 2. dicitur allegorice vallis ad Orientem maris, 771, 2.
Infideles per aquas baptismi sanitatem et salutem mentis recipiunt, quam non habebant, 852, 1.
Infidelium errores de Dei providentia, 101, 1. infidelium pœna ut obsessi edant filios, 380, 1.
Iniquitas pro effectu et pœna iniquitatis interdum ponitur, 536, 2; 748, 1.
Injuriosus (B.) quam graviter Clotharium regem sit allocutus, quod Ecclesiis regni vectigal indixisset, 174, 2.
Innocentes Martyres non habuere voluntatem martyrii, sed ex opere martyrii mercedem consecuti sunt, 226, 2.
Innocentes Oriente designantur, 797, 2. innocentium cædes fuit causa obsidii Jerusalem, 675, 1, 2.
Innocentia vera quæ sit, 36, 1.
Innocentius IV, Pontifex cur primus galerum purpureum creatis a se Cardinalibus dederit, 609, 2.
Innovatio mentis quomodo sit facienda, 302, 1.
Inobedientes sibi ipsis periculum creant, 280, 2.
Inoperatio Christi in anima, 418, 1, 2.
Insanabilis quomodo sit fractura Judæorum, 217, 2.
Insipientes prophetæ qui sint, 590, 1, 2.
Insulæ et insulani in Scriptura vocantur græcis remotæ gentes, 196, 1.
Insulsum quid dicatur, 606, 2.
Intentio bona ubique in bonis operibus habenda, 797, 1, 2. intentionem secretam proximi dijudicantes usurpant judicium Dei, et peccant judicio temerario, 102, 2.
Interius atrium quod diceretur, 781, 1.
Interpretes et commentatores varii Jeremiæ, 4 et 5. interpretes Threnorum Jeremiæ qui sint, 349, 2. 350, 1. interpretes varii Ezechielis recensentur, 472, 2.
Intret (quis) in cœlestis civitatis ædificium, 792, 2.
Introitus et exitus in Scriptura idem est quod forma et dispositio, 817, 2.

Invenire et videre quomodo differant, 377, 2.
Inventio pro lucro interdum sumitur, 441, 2.
Invidia quam Deo displiceat, 688, 2. ea sæpe magnos viros premit, 711, 2.
Invitatio Dei ad pœnitentiam et vitæ emendationem, 639, 2; 640, 1, 2.
Invocatio Sanctorum contra hæreticos adstruitur, 599, 1.
Ira Dei qualis sit, 361, 1. ira Dei gravis est, cum bonum petere vetat, 133, 1. ira proprie non est in Deo, 553, 2. ira in corpore et animo quid sit, *ibid.*
Irene Imperatrix pia, uxor Leonis junioris iconoclastæ ablatam a marito Ecclesiæ coronam reddidit, et pacem reipublicæ et Ecclesiæ, 641, 2.
Irenes Imperatricis imperio suo exutæ constantia, 680, 1.
Iris erat circa Deum sedentem in curru Cherubico, 495, 1. sed iris sub pedibus ejus mystice quid designet : ejus colores varii Deo adaptantur, 512, 1.
Isaacius monachus Valentem Imperatorem ab bellum proficiscentem redarguit libere, eique interitum prædixit, 736, 1. absens ejus necis diem et horam prædixit, *ibid.*
Isæi oratoris mutatio in melius, 42, 2.
Isaia (an ex) quædam oracula deprompserit Jeremias, 299, 1. Isaias quando prophetare cœperit et desierit, 468, 2.
Isaiæ Abbatis lamentationes de anima peccatis subdita, 349, 1.
Ismaelis adversus Godoliam conjuratio unde ortum habuerit, 274, 2. ejus feritas, 276, 1, 2. Ismael de semine regio invidens Godoliæ principatum, eum cum plurimis ei adhærentibus occidit, 644, 1.
Israel fuit sanctus Domino, 24, 2. fuit item primitiæ frugum ejus, *ibid.* ejus hostes quomodo ipse castigarit, *ibid.* cur dicatur aversatrix, 39, 2. quomodo sit hæreditas Dei, 93, 2.
Israel quando primum sit ortus, 605, 1. ejus devirginatio, 667, 1. Israel abjectus, quomodo a Deo curatus sit, 607, 1, 2. quando fuerit nubilis et a Deo ornatus, *ibid.* 2. quomodo ab eo in sponsam electus, *ibid.* et 608, 1. quomodo aqua lotus, *ibid.* quando unctus, *ibid.* quomodo calceatus, *ibid.* 2. ejus tabernaculum et supellex sacra, *ibid.* ejus ornamenta, 610, 1, 2. cibus, 611, 2. ejus fornicatio, 613, 1, 2 et seqq. quomodo Deo factus abominabilis, 751, 1. Israel capitur interdum pro Juda, 536, 2.
Israelitæ in Assyriam reducti inde non rediere, sed eorum loco in Samariam remissi sunt Cuthæi, quomodo tamen illi Israelitæ vocentur et Ephraimitæ, 224, 2.
Israelitæ multi cum Judæis sub Cyro in Jerusalem redierunt, 621, 1.
Italiæ feracitas, 699, 2.
Iter cœleste Deus justis expeditum facit, 454, 1.
Ixionii amici Heliogabalo Imperatori quinam essent, 150, 1.

J.

Jacob Patriarcha an in utero matris sanctificatus, 15, 2. Jacob filio suo Josepho duplicem inter fratres hæreditatem dedit, 854, 1, 2.
Jacobi Carrariensis Patavini principis generosum responsum, 301, 2.
Jacobitæ christiani signum crucis candenti ferro frontibus impressum gestant, 569, 1.
Jacobus Aragoniæ rex, concubinatu infamis, B. Raymundo monenti pie noluit auscultare, 664, 2.
Jacoponus (B.) quomodo gulam vinceret, 387, 1.
Jaddo pontifex Alexandro Magno apparens eum ad bellum Persicum hortatus est, et Asiæ ei imperium addixit, 59, 2.
Janus navi appulit in Italiam, 701, 2. Janus bifrons circumspectionem denotat, 510, 2.
Japonia plurimos pueros Martyres habet, 893, 2.
Japoni martyres in fronte crucem ferro inustam a tyrannis gestarunt, 568, 2.
Javan Græcia, unde dicta, 698, 1. quidnam ea vox significet, *ibid.*
Jechonias vocatur aliquando *Conias* per aphæresin, ut significetur ejus dejectio, 177, 2. prænuntiatur in Babylonem abducendus, *ibid.* non habuit e stirpe sua regem, inde dicitur sterilis, 178, 2. in Babylone fuit in libera custodia, 428, 2.
Jecur effundi in terra quid sit, 374, 1. jecur si desit extis, habebatur male ominosum, *ibid.* 2. jecur sedes est amoris et commiserationis, *ibid.*
Jejunium indictum quotannis ob combustum Jeremiæ librum, 256, 1. 257, 2. jejunium anno quinto Joakim cur indictum, 257, 2. jejunium indixere Judæi ob cæsum Godoliam, 276, 1.
Jeremias prophetat populo ante captivitatem Babylonicam, ut eum ad pœnitentiam excitet, et captivitatem ipse evadat 1, 1, 2. quoto anno ætatis prophetarit, *ibid.* sub quibus regibus, et quoto anno ante Christum, *ibid.* prophetavit sub quinque regibus, *ibid.* benigne in captivitate a Nabuchodonosore habitus, *ibid.* abductus est in Ægyptum ab Judæis eo fugientibus, fecitque in Taphnis miracula, et prædixit ejus regem a Nabuchodonosore vincendum, *ibid.* prophetavit annis 45 ad annum ætatis 60, *ibid.* lapidatur a suis in Taphnis, et martyr occubuit, *ibid.* cur ab Ægyptiis ejus sepulcrum in honore habitum, *ibid.* ejus ossa an Alexander honorifice Alexandriam transtulerit, eisque monumentum ædificarit, *ibid.* prædixit omnia Ægypti simulacra collapsura, cum Virgo mater in Ægyptum cum suo infante ascenderet, *ibid.* filius fuit Helciæ oriundus ex Anathoth, 2, 1. in utero matris fuit sanctificatus, et mansit tota vita virgo, *ibid.* omnis criminis per totam vitam fuit expers, *ibid.* fuit sacerdos, doctor, Propheta, Apostolus, *ibid.* et 2. fratrum salutis fuit amator ardens in vita, et post mortem, *ibid.* varia ejus scripta, *ibid.* alia item ei ascripta, *ibid.* fuit constantissimus, typusque Christi crucifixi, *ibid.* ejus nomen explicatur, *ibid.* fuit Martyr, 3, 1. aliqui censent eum vivere in paradiso, *ibid.* libri ejus quod sit argumentum, prædicit futura, vitia carpit, suos consolatur, scribit gesta sui ævi, *ibid.* dictavit hæc ipse, scripsit vero Baruch, *ibid.* et 2. ejus stylus, *ibid.* pura lingua Hebræa scripsit, *ibid.* quando et ubi prophetarit juxta Rabbinos, *ibid.* et 4, 1. ejus discipulus an fuerit Plato, 4, 1. philosophiæ incunabula posuit in Ægypto, *ibid.* ejus discipulus non potuit Plato esse, *ibid.* ejus oracula ordine temporum digesta, 6, 1, 2; 7, 1, 2. ejus et Christi similitudo et analogia, 8, 9, 10. ejus pater an summus fuerit pontifex, 12, 1. videtur fuisse vulgaris tantum sacerdos, *ibid.* quo anno viderit virgam vigilantem, *ibid.* 2. prophetavit ante et post transmigrationem et excidium urbis, *ibid.* et 13, 1. qua notitia a Deo notus sit, 13. 1, quomodo in utero matris sit sanctificatus, 14, 1. remissum ei peccatum originale, *ibid.* et 15, 1. cur id ita factum, *ibid.* negatur id tamen ab aliquibus, *ibid.* factus propheta in utero matris, 13, 2. an cum Elia sit contra Antichristum venturus, *ibid.* mors ejus in Scriptura tacetur, *ibid.* Propheta fuit tam Judæis quam Gentibus, 16, 1. circiter anno ætatis 15 cœpit prophetare, *ibid.* 2. ejus os cur tetigerit angelus, 17, 1. quomodo redditus a Deo ut civitas munita, et columna ferrea, et murus æneus, 21, 1. ejus fortitudo et libertas contra principes et reges ex Dei promissione dicentis, *Ego tecum sum*, ortum habuit, *ibid.* 2. ejus concionandi methodus, 24, 1. est probator et conflator populi, 63, 1, 2. cur capillum tondere jubeatur, 70, 1. an fuerit Nazaræus, *ibid.* fuit agnus typusque Christi, 100, 1. benigne habitus a Nabuchodonosore et Nabuzardan, 127, 2. mansit cœlebs et virgo, 133, 1. compingitur in nervum, 158, 1, 2. inde educitur in crastinum, 159, 1. quomodo se a Deo seductum queratur, 159, 2; 160, 1. peccavit aliqua veniali timiditate,

dum statuit desistere a prophetia excidii Hierosolymæ, cum per eam apud incredulos nihil proficeret, 160, 2. sannis Judæorum auditis animum resumpsit ad verba Dei enuntianda, *ibid.* est typus Christi sæpius a Judæis tentati, 161, 1. in eo lucta naturæ et gratiæ, *ibid.* quo sensu maledicat diei nativitatis suæ, variæ ejus rei afferuntur expositiones, 161, 2; 163, 1. satius erat ei mori quam vivere, abstrahendo a statu gratiæ, 163, 1. quomodo maledicat nuntio nuntianti se natum esse, *ibid.* 2. an calicem vini furoris Domini reipsa urbibus Juda propinarit, 195, 1, 2. est typus Christi a Judæis accusati quod esset destructor templi, 201, 1. ejus quinque virtutes martyri imitandæ, *ibid.* et 2. ab Ahicam neci eripitur, 202, 2. quando et quomodo gestarit catenas per quindecim annos, ut iis portenderet captivitatem Judæorum 204, 1, 2. an sciverit initio Hananiam esse pseudodrophetam, 207, 2. Hananiæ confringenti jugum ligneum minatur ferreum, id est captivitatem LXX annorum, et vastitatem Hierosolymorum, 207, 2. gestavit catenas ferreas, 208, 2. quando miserit epistolam ad reliquias Judæorum in Babylonem abductas, 2. fuit in carcere, sed libera custodia, 237, 1. emit agrum a patruele XVII siclis, 238, 1. unde tam parvi emerit, *ibid.* 2. fecit duo instrumenta emptionis, 239, 1. an aliqua ejus scripta interciderint, *ibid.* 2. videtur aliqua oracula sua non scripsisse, aut potius in schedis variis scripta in librum et volumen non digessisse, 255, 1, 2. cur vocarit ad se Baruch ut prophetiam conscriberet, *ibid.* cur incarceratus sit, *ibid.* 261, 1. dictavit oracula sua sine libro, 257, 1. quomodo cum Baruch a Deo absconditus, *ibid.* quare urbe sit egressus ad possessionis suæ divisionem faciendam, 260, 1. videtur flagellis cæsus, *ibid.* 2. libere Sedeciam alloquitur, 261, 1. cur fuerit in atrio carceris, *ibid.* 2. in cœnosum puteum per funem dimissus est, ut ibi præfocatus moreretur : ille vero usque ad collum mersus ibi manebat, 263, 1, 2. illi quomodo ibi affuerit Deus, *ibid.* ejus patientia, 264, 1. ejus fames in lacu, *ibid.* et 2. magna militum manu inde educitur, *ibid.* 2. videtur nudus aut seminudus in lacum missus, 265, 1. ejus descriptiones quibus descripsit, quæ statim post eversam urbem contigerunt, 279, 2. quomodo vinctus ductus sit in Rama, 273, 1, 2. permissu Nabuzardan in Jerusalem rediit, *ibid.* cur decem dies perstitit in oratione, ut Dei voluntatem intelligeret circa fugam Judæorum in Ægyptum, 278, 2. ejus prophetia de idolis Ægypti per Christum dejiciendis, 286, 1. an ob hanc prophetiam postea a Judæis in Taphnis lapidatus, *ibid.* et 2. paulo ante urbis expugnationem secreto ex ea extulit arcam et altare thymiamatis, et ea aliquo in loco subterraneo occultavit, 336, 1, 2. est omnium Prophetarum calamitosissimus, 341, 2. in Threnis omnia lamenta conglobat, et omnes habenas lacrymis laxat, *ibid.* quo loco eos ipse dictarit, *ibid.* est pictor crucis et compunctionis, 347, 1. quomodo sit male hostibus precatus, 367, 1, 2. putabat urbe eversa se amplius non prophetaturum, 374, 1. præsens spectavit cladem urbis, 382, 2. ejus dentes quomodo in carcere lapide confracti, 387, 1, 2. scripsit Threnos post excidium Jerusalem, 404, 2; 420, 1. ejus causam quomodo judicarit Deus, 404, 2.

Jeremias quando prophetare desierit, quando incœperit, 468, 2. ejus et Ezechielis analogiæ, 471, 1. Jeremias Ezechieli quasi chorus choro succinit, 653, 2.

Jerias quare Jeremiæ infensus eum comprehendat et cædat, 260, 2.

Jeroboam fuit ex tribu Ephraim, 759, 2. fuit auctor rebellionis contra domum David, *ibid.*

Jerusalem an excisa a Chaldæis ob male habitum Jeremiam 2, 2. cur dicatur solium Domini, 41, 1. ejus impietas quanta esset ante excidium per Chaldæos, 51, 1. quomodo in ea Jeremias unum virum justum quærat, *ibid.* 2. naturaliter laborat aquæ penuria, 120, 1. quomodo dicatur mater adolescentis, 126, 1. cur dicatur Tyrus vel rupes, 168, 1. cur dicatur vallis a Propheta, cum esset in monte sita, *ibid.* et 2. cur dicatur saltus, *ibid.* quomodo a Chaldæis oppressa et vexata, 330, 2. quando ab iis capta sit, quando incensa, 269, 1. quia cæteris urbibus magis peccavit, ideo ab ea incepit plaga, 195, 1. quomodo reædificanda promittatur, 234, 1. sed sub hac promissione spiritualis intelligitur, *ibid.* 2. ipsa est in excidio suo, triplici decore spoliata, quomodo sedeat sola *ibid* vidua est tripliciter 352, 1. non est proprie vidua, sed quasi. *ibid.* facta est sub tributo, *ibid.* 2. quomodo ploret in nocte, 353, 2. quando capta, *ibid.* quomodo hæreant lacrymæ in maxillis ejus 354, 1. ejus chari qui dicantur, *ibid.* quomodo filiarum suarum squalorem lugeat 355, 2. quomodo dicatur filia Sion, 356, 1. ejus principes quomodo facti sicut arietes, *ibid.* 2. ejus desiderabilia quæ dicantur, 357, 1. ejus sabbata quomodo cessarint, *ibid.* et 2. quomodo facta instabilis, 358, 1. ejus ignominia et confusio, 359, 1. quomodo conversa sit retrorsum, *ibid.* ejus sordes quæ dicantur in pedibus, *ibid.* ejus oblivio Dei, *ibid.* 2. suas ipsamet deplorat ærumnas, sibique ponit epitaphium, 360, 2. quando vindemiata et racemata fuerit, 361, 1. ignis in ossibus ejus quomodo sit missus, *ibid.* quomodo facta sit abominabilis, 365, 2. quomodo ab amicis sit decepta, *ibid.* ejus regnum et reges quomodo a Deo polluti sint, 369, 1, 2. ejus fames in obsidione per Chaldæos, 375, 1, 2. erat gaudium orbis, 377, 2. ejus iniquitas et pœna confertur cum Sodomitica pœna et iniquitate, 410, 1. ejus munimenta, 415, 1. excisa ob necatos Prophetas Dei, *ibid.* an post captivitatem Babylonicam non amplius transmigrarit, 420, 1. servi quomodo ei dominati sint, 423, 1.

Jerusalem quomodo sit caput, cum sit in medio gentium, 542, 2. ejus cladem per Titum imminentem multis prodigiis præsignificavit Deus, 544, 2. ipsa erat cor, umbilicus, caput et centrum terræ, 542, 1; 767, 2. et quare *ibid.* quomodo erit abradenda, 540, 1. quo anno et die sit expugnata, unde ejus vastatæ nuntius serius ad Ezechielem pervenerit, 737, 1. vocatur leæna, 639, 1. quomodo dicatur stirps Amorrhæa, 604, 2. fuit divisa in viginti quatuor vicos, 582, 1. cur vocetur Libanus, 625, 2. ejus idololatriæ punitio, 614, 2 et seqq.; 616, 2. ejus iniquitas, 618, 1, 2; 619, 1, 2. ejus superbia, 621, 2. in Jerusalem cœpit Ecclesia, ejusque Ecclesia est mater omnium fidelium, 622, 1. partim australis, partim Occidentalis est respectu Babylonis, 650, 2. quo anno regni Sedeciæ, et transmigrationis Joachin excisa sit, vocatur terra viventium ob tres causas, 690, 1. per eam cæteræ gentes suxerunt fidem, sapientiam, gratiam et salutem a Deo, 768, 1. in fine sæculi redibit ad pristinum splendorem et regni et fidei, 773, 1, 2. ibi Elias et Henoch contra Antichristum prædicabunt, et Antichristus, Gog et Magog cædetur, *ibid.* est typus et symbolum Ecclesiæ, 767, 1, in ea Antichristus suam regiam collocabit, *ibid.* 773, 1. capitur interdum pro Judæis, 621, 1.

Jerusalem cœlestis describitur sub ea quam delineat Ezechiel in fine libri sui, 864, 1, 2.

Jesus Christus putatus esse Jeremias, 15, 2. Judæis futurus erat ut novale pulchrum et pingue, 45, 2. est agnus occisus ab origine mundi, et quomodo in priscis sacrificiis præsignatus, 100, 1, 2. est agnus Dei, cur, *ibid.* non recte dicitur infans Patris, *ibid.* 2. quoties eum Joannes in Apocalypsi agnum appellet, *ibid.* pingitur etiam ut agnus, *ibid.* quomodo dixerit se non cognovisse insidias Judæorum, 101, 1. cingulo unionis hypostaticæ nos sibi adstrinxit, 113, 1. fuit viator et hospes in terra, 121, 2. item in Eucharistia est quasi peregrinus, quia peregrina veste est tectus, 122, 1. fuit Judæis vir rixæ,

127, 1. cur peccatum adulteræ pulveri inscripserit, 144, 2. in prædicando regno Dei et salute nulla est perturbatus injuria vel calumnia Scribarum, nec ulli cessit, 145, 2. ejus ubera in Eucharistia, 151, 2. ita ejus cruecm Judæi collocarunt, ut dorso urbem Jerusalem et Orientem, facie Occidentem respiceret, idque alio sensu factum est, 152, 2. quomodo dicatur pro nobis factus maledictum, 160, 1. est optimus pastor 182, 1. ejus munia regis, doctoris, judicis, *ibid.* et 2. est germen Patris in cœlo transplantatum in terram per incarnationem, 183, 1. ejus nomen est Oriens, *ibid.* vocatur justus ob tres causas, *ibid.* ejus regnum spirituale, *ibid.* quomodo faciat judicium et justitiam, *ibid.* 2. eo regnante erit in orbe pax, *ibid.* ejus divinitas asseritur, *ibid.* est Dominus justus noster, *ibid.* et 184, 1. ejus incarnatio multa mira continet, 228, 1. septem ejus miracula, *ibid.* 2. fuit ipse infans vir et heros perfectus sapientia et fortitudine, 230, 1. Ecclesiæ suum nomen et titulos communicat, 244, 1. in eum pii fuere Gentiles, impii Judæi, 265, 1, 270; 2. missus a Patre legatus ad Gentes, 311, 1. interdum a Patribus piscis nomine græce dicitur, 346, 2. ipse est finis legis, 359, 2. quam se viriliter gesserit, 383, 2. in passione felle potatus fuit, 384, 1. est signum ad sagittam, dum in cruce fixus fuit, 386, 1. fuit patientiæ perfectissimus typus, 395, 2. Nazaræus est, 411, 1. est spiritus oris nostri, 417, 1, 2. ejus mors deploratur, *ibid.* 2. fuit illa causa excidii Jerusalem, *ibid.* est ipse spiritus narium nostrarum, 418, 1. est spiritus et anima nostra *ibid.* et 2. id probatur inductione, *ibid.* quomodo sit captus in peccatis, 418, 2; 419; 1. ejus humanitas est umbra deitatis, 419, 1. in eo fuit idiomatum unio et communicatio ex unitate hypostasis, 445, 2. in apparitionibus veteris testamenti angelus apparens gerebat ejus personam, *ibid.* et 446, 1. ejus in nos amor, 446, 2. est doctor sapientiæ, 447, 1. fideli semper esse debet in ore et in corde, *ibid.*

Jesus Christus quomodo sit tonitru, 488, 1, 2. quomodo in quatuor animalibus adumbretur, 506, 1, 2. ejus facies quatuor, *ibid.* ejus erga Patrem et homines amor, *ibid.* ad mortem anhelabat, *ibid.* ad singulas suas actiones agebatur motu Spiritus Sancti et Verbi in se inhabitantis, *ibid.* manus quaternæ et eæ sub alis, quid in eo repræsentarent, *ibid.* splendor et celeritas miraculorum ejus, 507, 1. electro et igni comparatur, 509, 1. est noster adamas, 525, 1, 2. confertur cum verme, *ibid.* noster est Adonis, ejusque mors plangenda, 562, 1. Occidentem respexit facie, in cruce fixus, 563, 1. ad Orientem super cœlos ascendit, *ibid.* 2. illi assimilatur, vir vestitus lineis, 565, 2. ut Deus nullum a Patre præceptum accepit, 566, 1. designatur in littera *tau*, 567, 2. ipse est finis Mosis et Prophetarum, *ibid.* eum quomodo sancti in frontibus et cordibus signatum gerant, 568, 1. cur in transfiguratione et ascensione nube tectus fuerit, 574, 2. allegorice est bos, 578, 1. cur, dum viveret in terra, est operatus manibus, 618, 2. missus fuit in salutem omnium gentium et totius mundi, 621, 1, 2. quomodo sit minister circumcisionis, *ibid.* qualis Judæis futurus dicatur, ubi in orbem veniet, 622, 2. natus est ex stirpe David, 628, 2. est rex Sionis, 629, 1. est cedrus, cur, *ibid.* 2. ejus satisfactio, merita, voluntas, Deo volente, nostra est satisfactio, merita et voluntas, 631, 1, 2. quomodo sicut miles cataphractus inducatur hostes suos trucidans, 649, 2. est pastor bonus, cujus imago fuit David, 744, 1. vocatur David, *ibid.* dicitur servus Dei Patris, ratione humanitatis assumptæ, *ibid.* 2. quomodo fecerit nobiscum pactum pacis, *ibid.* vocatur germen nominatum, *ibid.* quomodo vocetur planta, *ibid.* ipse dici potest germen quadrupliciter, *ibid.* est rex et pastor omnium fidelium, 760, 2. ejus resurrectio repræsentata in templi Salomonici restauratione, 779, 2. nullam aliam templi partem aut atrium ingressus est quam atrium laicorum, 781, 2. cur monti assimiletur, 783, 1; 792, 1; 819, 1. quomodo in porta templi stare allegorice intelligatur, 783, 1, 2; 793, 1. variæ templi partes ei adaptantur a S. Gregorio, 792, 1, 2; 793, 1, 2. ejus vulnera sunt velut fenestræ, per quas transparet amor, 812, 2, ejus amor erga Patrem et homines expenditur, *ibid.* allegorice nobis est Ariel, id est mons, leo, lux, aries Dei, factusque pro nobis maledictum, 826, 2. affectum erga parentes et affines moderandum exemplo suo docuit, 835, 1, 2. piscis est, 852, 1. ejus latus dextrum fuit hasta perfossum, non sinistrum, *ibid.*

Jesu nomen an fuerit cordi S. Ignatii Martyris inscriptum, 754, 1.

Jezonias filius Saphan sacerdos, idololatra fuit, 561, 1.

Joachaz cognomento Sellum, Josiæ filius quartogenitus, ad regnum evectus sævire cœpit, 640, 2. captus est in prælio ab Ægyptiis, *ibid.*

Joakim princeps sacerdotum in Jerusalem in captivitate relictus: ad eum missa pecunia e Babylone, 429, 1.

Joanna regina fundatrix Ordinis Annuntiationis B. Virginis, cum Christo a puero versata fuit, 448, 1, 2.

Joannes Fridericus Saxoniæ Dux male credulus Luthero Ducatu excidit, 287, 1. victus Carolo V factus est supplex, 319, 1.

Joannes (S.) Apostolus quomodo tonitru et fulgur sit, 488, 1. in Apocalypsi sæpe alludit ad visiones Ezechielis, 519, 2.

Joannes Baptista Vilalpandus Societatis Jesu, insignis fuit architectus, et viginti duos annos in templi Judaici fabricam insumpsit: ei auctor libenter accedit, 814, 2. quot annos commentario suo in Ezechielem impenderit, 472, 2.

Joannes Placentinus Antipapa de solio dejectus, quas pœnas dederit populo Romano invadente, 670, 2.

Joannis Eleemosynarii fiducia et spes in Deum, 140, 1. quomodo cives Hierosolymæ vastatos re et consilio juverit, 140, 1.

Joannis (S.) Chrysostomi corpus immobile per supplicem Theodosii Imperatoris epistolam factum est mobile, dum ea corpori Sancti imponeretur, 762, 2. quomodo ipsum a morte locutum, *ibid.*

Jobi sanctitas, 599, 2. est typus conjugatorum, 600, 1, 2. ejus quanta patientia in adversis, 681, 1.

Jonadab cum Jehu Baal et Baalitas evertit, 250, 2.

Jordanes ingreditur una parte, et alia egreditur mare Mortuum, ejusque aquas ex parte dulcorat, convolvit quoque, efficitque tumulos arenarum, 851, 2. ab uno mari in alterum fluens terminabat Chananæam ad Orientem, 855, 1.

Josaphat regi quam nocuerit improborum societas, 279, 1. fuit erga divina bene animatus, 372, 2.

Joseph a patre suo Jacob duplicem hæreditatem accepit, 854, 1, 2.

Josephus Scaliger reprehenditur, 197, 1.

Josiæ pii regis mors diu post a Judæis deplorabatur, 171, 2. ejus memoria erat Judæis gratissima, 417, 1.

Jovinianus hæreticus docebat B. Virginem in partu fuisse corruptam, 830, 2.

Jubileo (in) data a principe servis, ad eum revertebantur, data vero filiis non revertebantur, 847, 2.

Juda tribus cur dicatur domus Israel, 532, 2.

Judas quomodo migrarit propter afflictionem, 534, 1. cur in Juda Deus regnum et sacerdotium et templum collocare voluerit, 40, 1. cur dicatur prævaricatrix, *ibid.* magis peccavit quam Israel ob tres causas, *ibid.*

Judæa fertilis erat, 354, 2. est Australis respectu Chaldææ, 115, 2. ficuum ferax est, ejusque felicitas erat sedere sub vite et ficu sua, 190, 2. qui primi ejus sint fructus, *ibid.* crebros habebat puteos ad colligendam aquam, 263, 2. ejus insigne palma, 352, 2. Judæa est umbilicus terræ, 767, 2. ejus longitudo a Meridie in

Aquilonem, latitudo ab Oriente in Occidentem spectabatur, 841, 1.
Joachin rex quando et cur ab Evilmerodach exaltatus, 335, 1, 2. Joachin traductio in Babylonem non vocatur captivitas, sed transmigratio, 477, 2. ipse est in Babylone evectus in solium regni per regem Evilmerodach, 629, 2.
Joakim a Pharaone Nechao constitutus rex Judææ loco fratris Joachas, quem ille in Ægyptum duxerat, 170, 1. illius injustitia et ambitio quadruplex, 172, 1. tot domus parans juste caruit sepulcro, 173, 2. planctu privato et publico caruit post mortem, 175, 1, 2. sepultura asini sepultus, *ibid.* mortuus est Hierosolymæ occisus a latrunculis ex parte exercitus Chaldæorum, 176, 1. et insepultus in sterquilinium abjectus, ut a feris lanіaretur, *ibid.* idque quia male tractavit Jeremiam, et ejuravit Dei cultum, *ibid.* rebellavit contra Chaldæos, 256 2. oderat Jeremiam, 257, 1. ejus librum cultro conscidit, 258, 1, 2. ejus stirps non habuit postea reges, *ibid.* 2. infamis ejus sepultura, *ibid.* 2. quot annis regnarit: cum tyrannis fœdus iniit, factus tyrannus, 641, 1.
Joannes Baptista (S.) a Deo electus ob præclaras virtutes, 51, 2. quam fervens fuerit concionator, 343, 1, 2. libere corripuit Pharisæorum vitia et hypocrisin, 735, 2.
Judæi in Chaldæa captivi corruperunt linguam, et chaldaizarunt, 3, 2. indigne ab Assyriis et Ægyptiis habiti, 28, 2. ab Assyriis oppressi confugiebant ad Ægyptios, ab Ægyptiis ad Assyrios, 29, 1, 2; 36, 2. eorum idololatria, 38, 1. Messiæ tempore paucissimi recipient fidem, 40, 2; 41, 1. ob Christicidium cum omnibus bonis suis perierunt, 42, 2. immundum iis erat præputium, 45, 2. eorum olim perversitas, 52, 1. eorum stupor mentis, *ibid.* 2. per Dei in templo cultum putabant se placare Deum, et omnia peccata sua expiare, 66, 1. sacrificarunt olim lunæ, 68, 2. in luctu tondebant capillum, 70, 2. sepeliebant principes cum auro, vestibus et armis, 73, 1. quem ad finem circumciderentur, 86, 2. nefas eos erat in comam attonderi, *ibid.* in castris Xerxis militantes coma fuere attonsi, 87, 2. comparantur leoni rugienti, 107, 2. quomodo et quo sensu dicantur avis discolor et tincta, *ibid.* et 108, 1. fuerunt gloria Dei, quomodo, 113, 2. quomodo Chaldæos provocarint in suum excidium, 116, 1, in luctu caput operire solebant, 120, 2. iis sol in meridie occidit in passione Christi, 126, 2. Gentiles imitati in funere in scalpellis incidebant lacertos, 133, 1. cum jurabant, honoris et gratitudinis causa solebant addere Dei nomini epithetum liberatoris ex Ægypto, 134, 1. legem Dei in phylacteriis descriptam gestabant, 137, 1, 2. eorum peccatum quomodo sit indelebile, *ibid.* eorum in Jeremiam malitia, 152, 2. eorum commune sepulcrum erat in valle Cedron juxta Topheth, 156, 1. cur extra urbem cadavera efferrent, 156, 1. eorum fames in obsidione tam Chaldæorum quam Romanorum, 156, 1; 184, 2. ita contriti sunt ut restaurari nequeant, 156, 2. habebant in domibus tecta plana, 156, 2. 240; 2. quomodo templum Domini profanarint, 184, 2. omnem suam gloriam et felicitatem templo adscribebant, 189, 1. quomodo habitasse dicantur in Ægypto 430 annis, 193, 2. putabant insulanos esse remotas gentes, quia erant navium et rei nauticæ inexperti, 196, 1. eorum reductio e captivitate peccati per Christum ad Ecclesiam maxime in fine mundi, 216, 1, 2. eorum captivitas temporalis et Romana erit perennis, et Messiam suum frustra exspectant, 220, 1, 2 et seqq. ob infidelitatem a fœdere Christi ejusque bonis ab eo repellendi sunt et excæcandi, 221, 2. an post diem paschæ egressi sint Babylone, 224, 1. in captivitate putabant se puniri ob parentum peccata, sed inaniter, 232, 1. suorum regum cadavera an comburerent additis aromatibus, 247, 1, 2. videntur potius sepelivisse, *ibid.* quia servos anno remissionis dimissos revocarant, hinc commeruere, ut vicissim Deus Chaldæos revocaret ad eorum vastationem, 248, 2. in blasphemia Deique injuria vestes scindebant, 257, 2. latitantes in sepulcris a Romanis extracti sunt, 269, 1. annuum indixerunt jejunium ob excæcatum Sedeciam, 270. 2. post excidium Titi quotannis Hierosolymam venire solebant ut lugerent urbis et templi excidium ipso ejus excidii die anniversario, 276, 2. cur comparentur domui et horto, 278, 2. cur eos in Ægyptum abire ita Deus vetaret, 279, 1. eorum consortia quam noxia sint, *ibid.* post reditum e Babylone nunquam exinde coluerunt idola, 320, 1; 361, 2. aliqui Judæi mox ut cœpit obsideri Babylon, ex ea fugerunt Hierosolymam, eam obsideri nuntiantes, 321, 2. eorum aliqui occisi de nocte, dum ea a Persis caperetur, 326, 1. Threnos Jeremiæ in suis synagogis quotannis legunt, 349, 2. eorum angustiæ in urbis eversione, 354, 2. eos Gentiles irridebant ob sabbati cultum, 357, 1, 2. cur puniti a Deo excæcatione et obduratione, 405, 1, 2. omnes pene in Babylone mortui, qui eo abducti erant, 406, 2. eorum vilia ministeria, quæ Babylone heris præstabant, 410, 1; 422. 1. eorum injuria in Jeremiam et Christum, 416, 1, 2. frustra Jerusalem instaurandam sperant, 420, 1. quomodo facti pupilli, 422, 1. quomodo Ægypto dederint manus, *ibid.* 2. ab excidio Hierosolymitano annos postea numerare cœperunt, 428, 1. modo suam æram in excidio per Titum consignant, *ibid.* eorum in captivitate pietas pro Nabuchodonosore sacrificare jubentium, 430, 1. cur id fieri jubeant, *ibid.* et 2. eos Cyrus benigne habuit, 451, 1. eorum lætitia ex captivitate redeuntium, 453, 2. eis montes complanati in reditu e Babylone, et hostes eorum repressi agente Deo, 454, 1. eorum iter a Deo redditum odoratissimum, *ibid.* 2. eorum e Babylone redeuntium octo felicitates, 455, 1. barbam non radebant, 461, 1.
Judæi res a Gentibus profanatas contemnebant et abominabantur, 554, 2. Judæi idola colentes per contemptum vocantur Gentes, 515, 2. eorum fames et sitis in obsidione urbis quanta fuerit, 533, 2. eorum in excidio, alii peste et fame, alii gladio absumpti, alii vel in Babylonem sunt abducti, vel in Ægyptum fugerunt, 541, 1. qui in Ægyptum fugerunt, ibi a Chaldæis interfecti, pauci vivi relicti et servati a vastatione in seminarium gentis, *ibid.* Judæi pro gratiarum actione sacrificantes manibus gestabant ramos myrti et palmæ, ex quibus mala Persica dependebant, 564, 2. comam nutriebant, 554, 1, 2. orabant ad Occidentem, cur, 563, 1. orabant et sacrificabant stantes, 830, 1. post reditum e captivitate Babylonica non amplius publice coluerunt idola, 584, 1; 824, 2. annum inchoabant a paschate et mense paschali Nisan, 713, 1. Judæi multi habitabant in Creta, 713, 1. Judæi solem orientem adorantes cur laureos ramos gestarent, et ori admoverent, eos quasi osculantes, 564, 2. Deo auscultare nolentes a Chaldæis capti et necati sunt, 737, 2. Ægyptiis nitentes quam vana spe nisi sint, 716, 1.
Judæi e Babylone reduces a quibus postea profligati sint et interempti, 541, 2. eorum strages quæ fuerit sub Adriano Imperatore, *ibid.* quomodo deserti sint a Christo, Deo et hominibus, 767, 2. quia Christum in paschate occiderunt hinc in paschate a Tito mactati et occisi sunt, 557, 2. quomodi facti sint æs, stannum, ferrum, et plumbum, 663, 1. illis relictis Gentes a Deo excultæ et electæ sunt, 601, 2. eorum calamitates, *ibid.* quoties suum templum reædificare voluere, toties a Deo prohibiti sunt et impediti, 776, 1, 2. invidierunt Gentibus salutem, ideoque a Christo aversi et rejecti sunt, 621, 1. ad eos tamen primario missus est Christus, *ibid.* sperant regnum sub Messia nullis limitibus circumscribendum, 862, 1, 2. sed hunc frustra exspectant, *ibid.* videntes

se in fine sæculi ab Antichristo delusos, ab eo ad Christum omnes convertentur, 772, 1, 2 et seq. frustra Messiam suum exspectant, 772, 1. quamdiu in judaismo et in odio Christi manent, manent in culpa, ac consequenter manent in sua captivitate, *ibid.*
Judaicæ byssi quanta fuerit præstantia, 834, 1.
Judex quomodo faciat judicium et justitiam, 632, 1. judices reos puniant citra indignationem propriam, 705, 1.
Judicia Dei mystice vocatur calamus mensorius, 793, 1.
Judicio (in) oves pascere quid sit, 743, 2.
Judicium sanguinis quid sit, 556, 1, 2.
Judicium Babylonis quomodo pervenerit usque ad cœlos, 327, 1. judicium præcipitatum quam noxium sit, 260, 2,
Judith quomodo in domo viri mansisse dicatur annos CV, 193, 2.
Judoci (S.) in pauperes effusio, 633, 1.
Jugum dicitur lex, 30, 1. item conjugium, *ibid.* jugum iniquitatis quomodo vigilare dicatur, 362, 1. jugum adversitatum solet Deus oleo suæ consolationis lenire, 393, 1. jugum foraminibus distinctum erat, 363, 1.
Julianus Apostata diu simulare non potuit probitatem et clementiam quam fingebat, 117, 1. cœlesti telo ictus interiit, 774, 1. illius omen de Babylone sibi subjicienda, 657, 1.
Juliæ (S.) ancillæ et martyris morientis in cruce ex ore evolare visa columba, 571, 1.
Julius Cæsar cum quid secreti scribere vellet, litteras verborum commutabat, 197, 2. ei contra Pompeium dimicanti victoriam nuntiarunt aquilæ, 306, 1.
Junius mensis dicitur chaldaice Tammus, unde, 552, 1.
Jupiter unde dictus sit Hammon, 546, 2.
Juramentum capitur pro omni publico Dei cultu, 45, 1; 110, 1; 184, 1. ipsum ut sit licitum, habere debet veritatem, judicium, justitiam, 45, 1.
Justi sumus formaliter per justitiam propriam et inhærentem, quam Deus ob Christi merita nobis infundit, 636, 1. justorum viventium adhuc preces possunt exposci, 599, 1, 2. justi et ficus quæ sit similitudo, 190, 1, 2. justis in Ecclesia omnia serviunt, viamque ad Deum suavem faciunt, 454, 2.
Justificatio impii majus est opus Dei, quam creare mundum, 130, 2. justificatio sextuplex ab Israele ablata est, 614, 2.
Justinianus Imperator ab adulatore deceptus fuit, 595, 1.
Justitiæ dicuntur præcepta, 433, 2.
Juvenes in pariete depicti quos describit Ezechiel, erant nobiles Chaldæi egregia forma et habitu Babylonico insignes, quo Judæi ad deos ipsorum adamandos illecti fuere, 668, 2.
Juvenibus quomodo sol occidat in meridie, 126, 2.
Juvenis quidam perditus a S. Joanne Apostolo ad meliorem frugem conversus, totus sanctus effectus est, 43, 2.

K.

Kir cheres quæ sit urbs, 303, 2.

L.

Labium reflexum mensarum est examen operum, 801, 1.
Laboret Deus rogans quomodo, 125, 2.
Laboris symbolum est bos, 578, 1. ejus gloria et fructus, *ibid.* facit nos Cherubinos et angelos, *ibid.* gnomæ de labore, *ibid.* 2. laborem perpetuum quomodo pingerent Ægyptii, *ibid.*; 801, 1.
Lac denotat stipendium pastorum, 740, 1. lac caprinum quam sit salubre stomacho, 547, 1.
Lacænæ mulieres cur in regum suorum justis pulsitarent alias per urbem discurrentes, 675, 1. Lacænæ cujusdam in filii morte ferenda æquanimitas, 680, 1, 2.
Lacedæmon stetit tamdiu quamdiu aurum contempsit, 662, 1.
Lacedæmonii cur Argivos hostes suos non delerent, 619, 2. eorum quod esset stemma, 499, 1.
Lacinia proprie quid sit, 416, 1.
Lacopenus Imperator et Simeon Bulgarorum princeps inter se colloquentes aquilarum supervolantium judicio didicere pacem inter ipsos initam minime diuturnam fore, 627, 1.
Lacrymæ et fletus quomodo peccata exstinguant, 547, 2. lacrymarum ob peccata vis et efficacia apud Deum, 81, 1. earum fructus describitur, 402, 1.
Lactuca frigiditate sua libidinem corporis enervat, 562, 1.
Lacunæ mystice sunt prædicatores lingua, non vita, 853, 1.
Lacus in quem Jeremias conjectus, fuit lapide objectus, 404, 1. lacus novissimus quis dicatur, 404, 1. lacus pro carcere, 261, 1. lacum quomodo Deus effecerit in commodum Religiosorum, 213, 1.
Læna amictus est auguralis, 464, 2.
Lætitia Beatorum æterna, 455, 1, 2.
Laguncula denotatur Judæorum ebrietas, mensura supplicii capita, et dispersio, 113, 2.
Laicorum atrium erat duplex, virorum unum, alterum feminarum, 781, 1. laicorum atrium describitur, vocaturque basilica grandis, *ibid.*
Lambertus (S.) martyr ab hero capite truncatus, ipsum resumens ultra quatuor passuum millia profectus est, 762, 2.
Lamentationes, carmen et væ, quid sit apud Ezechielem, quæ scripta erant in libro, quem vidit, 519, 1.
Lamentatrices in funere ad lacrymas provocandas adhibebantur, 84, 1.
Lamia piscis voracissimus unde dicatur, 409, 1. item est terrestris draco, *ibid.* 2. ea describitur, *ibid.* lamiæ veneficæ quæ sint, *ibid.* lamia symbolum hyprocritæ et hæretici, *ibid.*
Lana non est pastorum, sed heri et domini ovium, quid ea denotet tropologice, 740, 1. lana in quo differat a lino, 834, 1.
Lanea vestis est profanorum, et indicat segnitiem et desidiam, *ibid.*
Lapidabantur adulteræ olim, 673, 2.
Lapideum cor quomodo auferat Deus, et mutet id in carneum, 752, 2.
Lapis molaris 92 annis egeret, ut e firmamento in terram caderet, 443, 2. lapis Tharsis quæ gemma sit, 489, 1.
Laqueos (per) mortis peccata sumuntur interdum, 552, 1.
Latere (in) quare Ezechiel delineet obsidionem Jerusalem, 531, 2. later quid symbolice notet, *ibid.*
Latitudo et longitudo muri templi eadem erat et æqualis, quid hoc tropologice denotet, 784, 2. latitudo cordis quæ sit, 793, 2.
Latera portæ quæ dicantur, 806, 1, 2; 807, 1, 2. e latere Christi fluxernnt Ecclesiæ sacramenta, 852, 1. cur ex eo exierit sanguis et aqua, *ibid.*
Latrones olim dicebantur milites conducti, quasi laterones, iidem erant qui modo satellites principum, 153, 2.
Latrunculus quod genus ludi sit, 153, 2.
Laus in Scriptura vocatur ea quæ est publica et fit in templo, 434, 1. laus humana contemnenda, 146, 2. laus Dei vincit omnes tentationes, 378, 2.
Laurus Soli et Apollini sacra erat, eaque redimiti veteres ei sacrificabant, 564, 1, 2. erat omen regni, *ibid.* venena et fulmen pellit, *ibid.*
Lavari cur soleant corpora puerorum recens natorum, 606, 1.
Leæna plus quam semel parit, 639, 1, 2. refellitur contraria opinio, *ibid.*
Lecho Polonorum duci inventus aquilæ nidus regnum promisit, 624, 2.
Legatus dicitur propheta, 332, 2.

Legio fulminatrix sub Antonino Pio imperatore unde cognominata, 488, 1.
Leo abbas in captivis redimendis fuit fervens, 265, 2.
Leo Ægyptiis symbolum hominis terribilis, 46, 1. leo cur dicatur altare, 826, 1, 2. leo symbolum est fortitudinis summæ, 504, 2. item vigilantiæ, ac terroris, *ibid.* leonis facies in rotis currus Cherubim quid ad litteram et allegorice significet, 508, 1, 2. leones sunt magnanimi et vigiles, 639, 2. incedunt solitarii, 640, 1. parcunt prostratis, *ibid.* timent rotarum orbes circumactos et currus inanes, ac cristas cantusque gallinaceorum, *ibid.* a teneris natura sua feruntur ad prædam, *ibid.* et 2. *Leonis catulum ne alas* proverbium docet non esse fovendam potentiam, quæ rempublicam opprimat, *ibid.*
Leo I Imperator in pauperes fuit mire munificus, 633, 1.
Leo Isaurus iconoclasmi auctor et propugnator, sævas Deo pœnas dedit, 641, 2.
Leo junior Copronymi filius in sanctas imagines grassatus ferali morte exstinctus est, *ibid.*
Lethargus morbus oblivionem inducit, 35, 1, 2.
Lethe fluvius unde dicatur, et ejus aquarum vis, 35, 1. lethe carcer apud Persas, 384, 1.
Leunculi mystico sensu sunt filii, id est reges, Jerusalem, quasi leænæ, 639, 1.
Levana dea Romanis quæ sit, 607, 1.
Levare animam est suspirare, 178, 1. *levare manum* accipitur aliquando pro jurare, 646, 2; 647, 2; 751, 1. item pro ostendere potentiam et auxilium, 646, 2. levare per catachresin idem est quod offerre, 840, 2.
Levi tribus non habebat sortem in terra, sed tamen portam in civitate, 862, 2.
Levitæ quos haberent agros et prædia, 238, 1. eorum suburbana poterant vendi in eadem familia ac tribu, *ibid.* Levitæ multi sub Manasse et Achaz adorarunt idola, ne gradu suo exciderent, 833, 1.
Lex vetus æterna est quadrupliciter, 449, 1. lex lux est, *ibid.* non semper duratura dicitur contra Judæos, 232, 1, 2. lex Dei in annulis, bullis et laminis est describenda, 137, 2. lex quomodo in Jerusalem esse desierit, 364, 1. lex nova est fœdus novum quod Messias sanciturus dicitur, 232, 1. eam Deus inscribit tam christianorum intellectui, memoriæ et cordi, id est voluntati, 233, 1, 2. ejus facilitas et gratia, *ibid.*
Lex quomodo apud Judæos conscriberetur et convolveretur in cylindros, 517, 1. lex dicta est gloria Israel, 511, 1. lex æterna in Deo quid sit, 518, 1.
Libani nomine vocatur Jerusalem et Judæa, cur, 625, 2. libanus aliquando capitur pro Jerusalem, 171, 1. in Libano sedere est opulenter vivere, 177, 1, 2.
Liber in Job an sit proprie Origenis, 523, 2. liber triplex est in Deo, 518, 1. libri veterum pellicei erant et convolviles, 517, 1. liber vitæ et mortis est in Deo, quomodo, 518, 2. libro cœlitus accepto consecrabantur quasi prophetæ et doctores, 517, 2. libri cur cedri succo illinerentur olim, 724, 1. quomodo ergo paginas habere dicantur, *ibid.* etiam in usu erant libri quales nostri, per paginas distincti, *ibid.*
Liberatus abbas cum sex monachis, in Africa quam fuerit constans in fide catholica contra Arianos, et Hunericum regem tuenda, eorum horrenda supplicia, 570, 1, 2.
Libere debent Prælati arguere peccantes, 735, 2.
Libertas insignis increpandi in Prophetis, 179, 1. libertas confessario principis in coarguendo necessaria est, 664, 2. libertas promissa Judæis in fine sæculi, erit non terrena, sed spiritalis et cœlestis, 772, 2.
Libertas arbitrii adstruitur, 637, 2.
Liberum arbitrium astruitur, 95, 1.
Libra duodecim continet uncias, 533, 2.
Libido insatiabilis est, 358, 1, 2. libido sequitur plerumque idololatriam et hæresin, 669, 2. libido minuit vires et vitam, ejusque rei dantur causæ, 616, 1
Libros Regum an scripserit Jeremias, 2, 2
Licet potiori jure sacerdotibus quod principi licet, 846, 2
Lignum in panem mitti quadrupliciter intelligitur, 101, 2. lignum pomiferum crescens in utraque ripa torrenti quid sit juxta S. Ambrosium, idque per omnes suas partes exponitur, 853, 2. lignum vitæ anagogice est Christus, sive Christi humanitas, cur, 854, 1.
Limina duo portarum templi exterius et interius, mystico sensu sunt patres veteris et novi Testamenti, ex quibus Christus est incarnatus, 794, 1.
Linea vestis notat sanctitatem sacerdotum, 834, 1.
Lingua detractrix est gladius trisulcus, 83, 1.
Linire parietem absque temperamento palearum, dici possunt adulatores et deceptores, 664, 2.
Linum symbolum est puritatis, pœnitentiæ, providentiæ Dei, 113, 1. linum nascitur e terra, et diligentia et industria hominum paratur: mira ejus tenuitas atque subtilitas, 834, 1. designat sanctitatem, *ibid.* ingentem hominibus utilitatem adfert, *ibid.* magnus olim optimi lini, id est byssi, erat splendor et pretium, *ibid.* et 2.
Litteras (ad) alphabetarias cur sint compositi Threni Jeremiæ, 346, 1, 2. litterarum Hebraicarum non est certus ordo, 378, 1.
Litterati quare dicantur servi, 568, 2.
Livia Augusti conjux unde omen regni marito acceperit, 564, 1.
Livones quomodo mortuos suos sepeliant, et quæ iis apprecentur, 73, 1.
Loca sacra principibus esse debent curæ, 841, 2. locus vulgi in templo quis dicatur, 819, 1, 2.
Locrensibus aquila portendit victoriam, 305, 2.
Locus ubi planxit Jeremias ubi sit, est templo exornatus, 341, 1. locus non beat, nec sanctificat, 66, 1, 2. locus Dei est quasi ubique, 44, 2.
Longobardicæ cladis Romanis imminentis præsagia, 550, 1.
Loqui judicia significat tria, 20, 2.
Lotus quomodo sit Israel a Deo, 608, 1.
Lucernarum usus in conviviis et emporiis magnis, 193, 2.
Lucia (S.) virgo quam intrepide Paschasio præfecto restiterit, 22, 1, 2. oculos sibi eruit, 403, 1. viva quodammodo cauonizata a S. Agatha, 599, 2.
Lucida (in) nube se Deus ostendit in novo Testamento, 574, 1. quid nubes illa significet, *ibid.* 2.
Lucifer angelus creatus est charitate præditus, 707, 2. cur dicatur Cherub, *ibid.* ambulavit in medio lapidum ignitorum ipse lapis igneus, id est inter Seraphim fuit Seraph, 709, 1. ei adaptantur quæ de rege Tyri dicuntur, 703, 1 et seqq. ejus quanta fuerit gloria in paradiso, 726, 1.
Lucii Cornelii Scipionis magna in Hannonis Carthaginensis ducis cadaver commiseratio, 685, 2.
Luctus mortuorum cur sit inutilis, 171, 2.
Lucullus consul Romanus Ponticos et Armenios luculento prælio profligavit, 639, 2.
Ludere idem est quod ludendo facere per catachresin, 441, 1. ludere in avibus cœli quid sit, *ibid.*
Ludovici Imperatoris mortem cometa præmonstravit, 653, 2. ejus epitaphium, 655, 2.
Ludovici XI Galliæ regis in condonando homicidio facilitas, 301, 1. quam honorifice S. Franciscum de Paula habuerit, 663, 1.
Ludovicus Sfortia quam infeliciter perierit, 286, 2.
Ludovicus (S.) Gallorum rex cuidam e suis regni gravamen suadenti graviter succensuit, 174, 1. illius amor erga justitiam, 301, 2
Lugeat quomodo terra, 129, 1. lugentes Deus consolatur, 420, 1, 2.
Luith oppidum est et mons, 299, 1.

Lumbare Dei cur sit et dicatur Israel, 111, 2; 112, 1.
Lumbi concupiscentiæ et seminis sedes, 112, 1. lumbi sedes seminis tam in feminis quam in viris sunt, 605, 2.
Lumen majestatis Dei quod dicatur, 454, 2.
Luna dicta a *lucendo*, 68, 2. ei sacrificarunt Judæi, *ibid.* ei gentes offerebant placentam, quam bovem dicebant, *ibid.* luna in cœlo est velut jecur in homine, 754, 1.
Lupanar Israel mystice sunt templa idolorum, 615, 2.
Lupi vespertini qui dicantur, 53, 1. eorum voracitas et technæ, *ibid.* et 2. qui sint lupi matutini, *ibid.* cur media nocte maxime prædentur, *ibid.* oculorum acie tenebras noctis evincunt, *ibid.* unde græce dicatur λύκος.
Lupus (S.) Trecensis Episcopus venienti Attilæ obviam procedens eum placavit, 383, 1, 2.
Lustrationes judaicæ corpus, non animam purificabant, 31, 2.
Lutheri feralis mors, 591, 2. lutherus conscientiam expugnare non potuit, 359, 1.
Lux symbolum est et causa prosperitatis et lætitiæ, 430, 2; 440, 1. lux vocatur gloria Domini in Scriptura, 575, 1. lux inaccessa Dei an vocetur caligo et nubes, *ibid.*
Luxuria dicitur Babylonis malleus, 320, 2. luxuria est ut plurimum filia hæreseos et idololatriæ, 669, 2.
Luxuriosi post mortem sæpe apparuere in specie asini, 669, 2.
Luxus et abundantiæ mala, 619, 1, 2.
Lycophron poeta vetus hebraice peritus, et ob anagrammatismos Ptolemæo Philadelpho carus fuit, 197, 2.
Lydi erant in Palæstina, incolæ oppidi Lydæ, apud eos S. Petrus paralyticum Æneam sanavit, et S. Georgius martyrium obiit : erant bellicosi : urbs hæc postea dicta Diospolis, eratque una ex undecim toparchiis Judææ, 720, 1, 2.
Lydii in Africa unde dicti : alii sunt Lydi in Asia, 291, 1.
Lynces respiciendo et comedendo objectorum perdunt memoriam, 640, 1, 2.
Lysander quam esset ad laudes et convicia fortis, 147, 2.
Lysimachi regis sera pœnitentia, 857, 1.

M.

Macarii (S.) Romani eremitæ historia fabulosa est, 695, 2.
Macedonius anachoreta quam libere Imperatorem reprehenderet, 736, 1.
Machabæi an habuerint matres ex stirpe Juda, 244, 2. Machabæorum posterorum de regno inter se litigium, 541, 2.
Machates suspicacis nimis judicii quomodo a Deo punitus et correctus fuerit, 260, 2.
Macula (quali) carere deberet victima immolatitia, 828, 2.
Madianitæ habitabant in plaustris vagantes, 250, 2.
Magistratus fit reus criminum, quæ non punit, 301, 1.
Magnæ carnes quid significent, 614, 2.
Magni quia magnos gerunt spiritus, ideo a Deo hi premuntur, 711, 2.
Magog an sit urbs Syriæ, græce dicta Hierapolis, 764, 2. Magog erit exercitus Antichristi, 765, 2. quia constabit Scythis, Turcis, Tartaris, *ibid.* accipitur a S. Joanne ut populus, vel populi princeps, *ibid.* — *Vide* Gog.
Mahometis quam feralis fuerit mors, 591, 2.
Mahometus Arabs est ex stirpe Cedarenorum, 343, 2. ejus impostura et sepultura, *ibid.* in Alcorano sanxit cultum Lunæ, 68, 2.
Mahometani jam circumciduntur, 86, 2.
Majestas vocatur splendor gloriæ Dei, 823, 1.
Majorum et avorum exempla et viæ considerandæ, 61, 2.
Mala prius dedocenda sunt, ut inserantur bona, 17, 2.
Malaba urbs juxta Damascum, 700, 1.
Malachias (S.) Episcopus Hiberniæ verum pastorum fuit exemplar, 746, 1, 2. ejus mortem quare noluerit S. Bernardus plangi, 681, 1.
Maledicat diei nativitatis Jeremias quo sensu, 161, 2; 162, 1, 2; 163, 1.
Maledictus quomodo sit, qui facit opus Domini fraudulenter, 300, 2.
Maledictio pro omni malorum congerie sumitur, 371, 2. maledictio creaturæ in ejus creatorem refunditur et redundat, 162, 1.
Mali corvi malum ovum proverbium unde primo natum sit, 635, 2.
Malitia peccati quintuplex, 24, 1, 2.
Malleatores Dionantenses quam certo ictu ferrum feriant, 385, 2.
Malleus est verbum Dei, 186, 2. malleus Babylonis quis, 320, 2.
Malorum omnium in mundo origo sunt superbia, deliciæ, divitiæ, 619, 1, 2.
Malogranatum symbolum est urbis et reipublicæ, cur, 643, 2. Junoni id sacrum est, *ibid.*
Mamaluchorum imperium a Selymo Turcarum imperatore quando deletum sit, 721, 2.
Mammæ in homine cur sint additæ pectori, 669, 1. subligantur puellis infantulis ne intumescant, 605, 1.
Manasses rex quotidie prophetam aliquem perimebat, 34, 2. publicum quasi vexillum pariter et exemplum idololatriæ erexit, 125, 2. ejus peccata cur puniverit Deus in toto ejus populo, *ibid.* in templo Dei posuit idola, 97, 2. Manassis regis Juda scelera durarunt 40 annis, 537, 1.
Mane quantum homo promereri queat, 390, 2. mane aptissimum meditationi, *ibid.*
Manichæi solem et lunam adorabant, 68, 2.
Manichæus vivus a rege Persarum est excoriatus, 591, 2.
Manna idem quod mincha, id est oblatio proprie dicta, 429, 2.
Mansuetudo, candor, sinceritas, patientia quantopere Christo placeat, 101, 1, 2.
Mantichora quæ bellua, 409, 2.
Manuel Comnenus Imperator fuit mare misericordiæ, 716, 2.
Manus Cherubinorum sub alis absconditæ quid denotent, 484, 2. earum situs, *ibid.* — *Vide* Cherub, Animal. Manus in visione est virtus in contemplatione, 792, 1. manus Domini est operatio et afflatus prophetiæ, 477, 2; 756, 1; 782, 2. ea est quintuplex, 756, 1, 2. manus levant orantes, 379, 2. manus apud Prophetas symbolum est prophetiæ, 129, 1.
Marci Antonii triumviri in Bruti cæsi corpus humanitas, 686, 2. ei aquilæ pugnantes fuere symbolum victoriæ, 626, 1.
Marci Marcelli Romani clementia erga Syracusas vastatas, 688, 2.
Marciano Imperatori imperium aquila promisit, 624, 2.
Marcianus (S.) unica veste interiore qua erat indutus, vestivit pauperem, 634, 1.
Marco (S.) adaptantur stemmata leonis, 507, 1. Ipse leo est, cur : Venetorum est protector, *ibid.*
Mare Judæis vocatur Occidens, quia Mediterraneum mare eis erat ad Occidentem, 810, 2; 842, 2. id est terminus Judææ ad Occidentem, 855, 1. mare plura producit animantia quam terra, cur, 851, 2.
Margo ante thalamos in templo mystice est fides, et quid sibi velit quod margo sit cubiti unius, 795, 1.
Mari (in) Mortuo nullus piscis, nullumve aliud animal nasci, aut aliunde illatum vivere potest, 853, 1.
Maria (B.) Virgo comparatur solio gloriæ Dei, item sapphiro, 511, 1. leænæ comparatur, 639, 2. fuit sanctificata eo tempore quo concepit in utero Filium Dei, 823, 1, 2. et a fomite concupiscentiæ liberata, dum a matre est primo concepta, *ibid.* est porta principis, id

est Christi, eo quod nullus per eam transierit, 830, 1, 2. cur dicatur porta Orientalis, 831, 1. ejus per immaculatam suam conceptionem invocatio est efficax remedium contra tentationes carnis, *ibid.* ejus elogium, *ibid.* 2 et *seqq.* est porta gratiarum, 831, 2. item porta cœli. *ibid.*
Maria Virgo est solium gloriæ Dei, 143, 2. conceptura dicitur a Jeremia virum novum, id est Deum hominem, 230, 1, 2. ejus virginitas in conceptu demonstratur, *ibid.* illius in filii passione dolor, 361, 1; 376, 1.
Maria Magdalena lacrymis delictorum veniam consequi meruit, 81, 2. ejus pœnitentia, 347, 2.
Mario dictaturam promisit aquila, 624, 1.
Maris fluctus et contritio quanta sint, 375, 2.
Maritus dominus uxoris suæ est, 30, 1. expandens oram vestimenti in feminam apud Hebræos, hoc ritu eam accipiebat in conjugem, 607, 2.
Marnæ fanum Gazæ dirui jussit Theodosius Imperator, 295, 1.
Martini (S.) coram latrone securitas et libertas, 201, 2. Martinus signo crucis ægro cuidam impresso in fronte eum sanitati restituit, 571, 1. nudum Ambiani chlamyde sua vestivit, 633, 1.
Martyr est quasi signum ad sagittam, 386, 1. martyris cujusdam constantia admirabilis, 51, 2. mira martyris fortitudo et sapientia, 393, 2.
Martyres tormentorum suorum non amplius recordantur, 388, 1. martyres in Perside plurimi fuere, 314, 2. martyres fuere adamanti fortitudine invicta similes, 524, 1.
Martyrium purgat infantes a peccato originali, 226, 2. justificat ex opere operato, 226, 2.
Martyrius (S.) pallio suo leprosum tegens comperit se Christum texisse, 634, 1.
Mascula Deo in sacrificio offerenda erant, 844, 1.
Masinissa rex Numidarum labore assiduo valetudinem tutatus est, 579, 1.
Mater Jechoniæ cum filio ducta est in captivitatem Babylonicam, 210, 1.
Mathathias quam generose Judæos sit ad Antiocho resistendum adhortatus, 21, 2.
Matres quædam præ fame comederunt filios, 380, 1.
Matris filium in obsidione Hierosolymitana comedentis querimoniæ, 543, 1. matrum robur situm est in filiis, 641, 1.
Maturianus et Saturianus et eorumdem fratres in tormentis quam essent læti, 164, 2.
Matutini crepusculi commendatio, 67, 2.
Mauritius (S.) quam intrepide Maximiano ad idolis immolandum cogenti responderit, 842, 1.
Maximi (S.) elogium, 412, 1, 2.
Maximi pueri Africani in fide catholica profitenda constantia, 570, 1, 2.
Maximilianus I Imperator labore assiduo valetudinem protraxit, 579, 1.
Maximo Imperatori imperium portendit aquila supervolans, 624, 1.
Medi sunt sagittandi peritissimi, 697, 1.
Media vergit aliquantulum ad aquilonem Babylonis, 317, 2.
Medici sunt sacerdotes, animæ morbis medentes, 79, 2.
Medio (in) *esse* Hebræis idem est, quod esse ex illis, vel inter illos, 575, 1.
Mel sacrificabant Gentiles : vetitum id erat Judæis, 613, 2. dabatur id sponsæ olim et convivis in epulo nuptiali, *ibid.*
Melancholici sunt suspicaces, 260, 2.
Melech et Melcha dicti sol et luna, 68, 2.
Membranis (in) scribebant veteres, 517, 1.
Membrorum abscissorum in Sanctis ad corpus unio, vel eorum gestatio futuram corporum docet resurrectionem, 761, 2.
Memoria Dei sui que jugis quantum boni involvat, 389, 1, 2. memoria Dei ubique habenda, 190, 1. solidum parit gaudium, 453, 2.
Memoriæ Sanctorum sunt velut gazophylacium, 788, 1.
Memoriale Dei fuit Israel, 450, 1.
Memphis urbs Ægypti formam habet perspicilli, ejus situs et auctor : fuit olim sedes regum Ægypti : erant in ea columnæ et pyramides, item sapientes et philosophi : fuit metropolis superstitionis ; cultus in ea est Apis, et æneum bovis simulacrum : ad eam fugerunt Judæi præ metu Chaldæorum : nunc dicitur Cayrus, fuit sedes Sultani Ægypti : ejus magnitudo, 721, 1, 2.
Meniana quæ sint, 811, 2.
Mensa panum propositionis describitur, 814, 1, 2. mensæ binæ sanctuarii quid mystice sint, 800, 1, 2. mensæ quadratæ templi significant firma proposita virtutis conceptæ et mente destinatæ, 800, 2.
Mensis quartus quis fuerit quo Ezechiel primam suam vidit visionem, 476, 2.
Menstrua symbolice significant opera carnalia et sanguinaria, 365, 2.
Menstruata cur non sit cognoscenda, 632, 2.
Mensura peccatorum impleta gentes quaslibet punit Deus, 196, 2.
Mensuræ vestibuli sive porticus templi describuntur, 791, 1, 2,
Mercatoris cujusdam Lugdunensis opes injuste partæ quomodo avolarint, 142, 1.
Mercenarii pastores describuntur, 746, 1, 2.
Merces mortis innocentium est palma martyrii, 226, 1. merces quomodo a Deo data Nabuchodonosori pro expugnata Tyro, 718, 1.
Meretrices nomen suum non tantum cellis suis, sed et fronti inscribebant, 39, 1. earum probrum et infamia, 29, 1.
Meretrix voragini maris assimilatur, 667, 1.
Merita rectorum et plebium sibi invicem connectuntur, 743, 2.
Merodach commune regum Babyloniorum nomen, 319, 1.
Messalla Corvinus etiam proprii oblitus est nominis, 35, 1.
Messias legem novam inducet antiquata priore, 232, 2. Messiam jam pridem venisse ostenditur contra Judæos eum exspectantes, 772, 1, 2. is prædicitur versaturus in templo a Zorobabele ædificando : atque in hoc Christus Messias promissus docuit : ergo Messias frustra a Judæis exspectatur, 779, 1, 2.
Messis collocanda in congrua terræ cultura, 109, 2.
Metopa vocantur quadrata spatia inter capita trabium, 814, 2.
Metropoles Hebræis vocantur matres, et urbes reliquæ filiæ, 618, 1.
Metuenti partes extimæ debilitantur et flaccescunt, 554, 1.
Mexicanorum feralia sacrificia, 71, 1. Mexicani recens natos pueros in frigidam cur immergebant, 606, 1.
Mezentii insolentia quomodo compressa, 715, 1.
Michael angelus quomodo Seraphinus simul sit et Cherubinus, 503, 2.
Michael martyr in Japone quam lætus in carcere fuerit, 261, 2.
Milesiæ virgines quomodo a spontanea nece quam sibi inferebant, deterritæ, 116, 2; 638, 2.
Milites non peccant dum urbem hostilem a duce in prædam datam capiunt et expilant, 318, 1. milites in bello justo regi servientes Deo serviunt, etiamsi id expresse non cogitent, 718, 1. milites cum auctorabantur apud Romanos, in cute compungebantur, 569, 1. nudatis pugnabant brachiis, 533, 1.
Militia hominis super terram, 531, 2.
Mille calami faciunt duo milliaria exceptis mille pedibus, 855, 2.
Millenariorum error de mille annis regni justorum futuris post mortem Antichristi, 771, 1.

Milliare Romanum sunt mille passus, 855, 2.
Milvus dicitur hebraice pius per antiphrasin, 74, 2.
Minæ concionatorum sunt quasi pharmaca, quibus exciti peccatorum humores expelluntur, 256, 2.
Minare et minari qui differant, 422, 1.
Minio ebur olim tingebatur, 413, 2; 414, 1. minium deorum est color, eo illitum Jovis simulacrum diebus festis, et triumphantes Romæ: ejus color, 173, 1, 2. minio tingebantur olim proceres et deorum simulacra, 668, 2. refert id sanguinem, et cum cerussa mixtum ad vivum refert roseum colorem carnis humanæ, *ibid.*
Ministrantes sibi, non Domino, qui sint, 802, 2.
Minora ferenda et superanda, ut majora ferri et superari queant, 106, 1.
Minotauri emblema quid denotet, 505, 1.
Miracula incarnationis Christi excutiuntur, 288, 2.
Miseria hominis varia est, 514, 2.
Misericordia per oleam significatur, 99, 1. misericordiæ opera, 632, 2; 633, 1.
Misericors misero velut Deus est. 139, 2.
Missionis Christi finis primus, adæquatus et universalis fuit conversio omnium gentium, 621, 1, 2.
Mitii Argivi interfector a statua ænea in foro labente est interemptus, 18, 2.
Mithræ nomine coluerunt Persæ solem, 563, 1.
Mitra vestis est reginarum, 453, 1.
Mna erat quadruplex: prima quindecim siclorum, secunda viginti, tertia viginti quinque, quarta sexaginta, an una mna sacra, altera profana; an eadem. *ibid.* unde dicatur mna vel mina, *ibid.*
Moabitæ sunt agnati Israelis, 750, 2; 751, 1. Moabitæ et Ammonitæ vicini Sodomæ vocantur et Sodomitæ, 620, 1, 2. eos abduxit Nabuchodonosor, sed redituri promittuntur, 621, 1. Moabitis libertatem ad sua redeundi dedit Cyrus, 306, 2. eorum vitia fuere causa excidii, *ibid.*
Mœchiani hæretici unde dicti, et a Theodoro Studita perstringuntur, 82, 1.
Mœsti amant tenebras, 424, 1.
Modimperator apud veteres Romanos singulis convivis suum calicem vini dabat et temperabat, pro cujusque ætate, appetitu et gustu, 671, 1, 2.
Mogores vocant suos principes *Gio*, 765, 2. eorum princeps modernus filius Echbari a Tamberlane recta generatione descendit, *ibid.*
Molæ domesticæ erant in Africa et iis regionibus, quibus deest ventus aut aqua, quas puellæ binæ manibus versabant, et ad tædium et laborem levandum cantillabant, 193, 2.
Molere in obscena significatione accipitur interdum, 423, 2.
Moles sumptuosæ et ingentes reprehenduntur, 172, 1, 2.
Moloch, Melech, Melchom idem est, 71, 1. an fuerit Mercurius, *ibid.* est Saturnus, *ibid.* sive Saturno immolabant filios suos Judæi, 648, 1.
Momus optabat fenestratum pectus hominis, 141, 1,
Monachi apostatantes quam sint mali, 189, 2. monachi perfecti idea, 412, 2. monachi cujusdam vota quam prompte Deus exaudierit, item alterius, 212, 1, 2. monachorum vita qualis esse debeat describitur, 251, 1.
Monarchiæ quatuor an in curru Cherubico denotentur, 499, 1; 502, 1, 2. monarchia est optimum regimen, 760, 1.
Monasteria sunt velut vivaria, in quæ conjicit Christus pisces, quos traxit ex mari hujus mundi, 715, 2. monasteria multa sunt instar urbium, 783, 1.
Monialis quædam oculos sibi eruit, qui aliis erant causa offendiculi, 403, 1. moniales quomodo squaleant, 355, 2.
Monicæ (S.) visio de S. Augustino filio, 131, 1, 2. ob filii Augustini perditionem lugens quam consolationem acceperit, 420, 2.
Mons est Christus Jesus, 792, 1. mons sanctus tropologice et symbolice est cognitionis Dei celsitudo et cœlum, 709, 1.
Montes et colles erant veteribus pro diis, 80, 2. montes tenebrarum significant gravissimas calamitates, 114, 2. montium echo unde oriatur, 551, 1, 2. montes Judææ cur puniendos dicat Ezechiel, 546, 1.
Monstra in galeis olim addebantur, et quam ob causam, 482, 1. monstris utitur Scriptura quasi hieroglyphicis, 481, 2. cur, *ibid.*
Morbus animæ nitrum est, 31, 2. est vermis adolescentiam corrodens, 291, 2.
Mors est quasi latro et fur nocturnus, 153, 2. mors incerta instat, 437, 2. ad eam homo se parare debet, *ibid.* mortem sequitur horror et tenebræ, 115, 1. de morte cogitans cinere se cibat, 387, 2. mortis symbolum Aquilo, 20, 1. mors repentina minus doloris habet, 410, 2. mors in animam intrat per fenestras, id est sensus, 84, 2; 85, 1. mors improvisa magis affligit, 677, 2. mortis memoria inscribitur fidelium frontibus in die cinerum, 566, 1.
Morticina quæ dicantur proprie, 135, 2; 534, 2. morticinum comedere Judæis vetitum erat, 838, 1.
Mortificationis gladio truncandæ sunt cupiditates, 301, 1. mortificationi vacantium mens est altare holocaustorum, 803, 2.
Mortui silent, 77, 2. 701, 1. mortui non lugendi ob quinque causas, 171, 2. quo sensu Deum non laudent, 433, 2. mortui Israel qui dicantur, 438, 2.
Mosaici Cherubini efficti sunt etiam quadriformi facie, 480, 2.
Moses an in utero matris sanctificatus, 15, 2. hominum laudes non est moratus, 146, 2. mediator populi fuit apud Deum zelosissimus et efficacissimus, 124, 2.
Mosoch sunt Cappadoces, 698, 1; 766, 2; 770, 1.
Motu carentia carent et sensu, cur, 461, 2. de motu naturali tria axiomata physicorum, 485, 2. motum Cherubinorum qui imitentur, *ibid.*
Muleasses quomodo cladem quam ex astris sibi impendere didicerat, fugiens in eam inciderit, 90, 1.
Mulier cur metaphorice dicatur terra, 38, 1. omnium malorum pessimum est, 667, 1. mulieres omnium fere calamitatum causa fuerunt viris: id probatur exemplis, 592, 2. mulieres nimis se ornantes corrumpunt nativum suum decorem et sapientiam, 710, 2. cur tantopere sunt ornatus et fuci studiosæ, duæ dantur causæ, 672, 1, 2.
Mulus cur sit longævus, 616, 2.
Multitudo Sanctorum quanta sit, 455, 2.
Mundani in terrenis sunt lyncei, in divinis talpæ, 48, 1.
Mundus hic est primigenia domus et templum Dei, 825, 1. assimilatur currui Cherubico, 511, 2. mundus est magnus homo, atque ejus membra describuntur, 542, 2. mundus triplex triplici templo figuratur, 805, 1. mundus est mare, homines pisces, piscatores sunt Christus et diabolus, unum spoliat, ut alium ditet, 688, 1. ejus typus est mare Mortuum, 853, 1. malis et peccatis redundat, 561, 2. illius spes et promissa sunt baculus arundineus, 716, 1. ejus angustiæ sunt Tyrus, 692, 2. mundi et mundanorum quanta inconstantia, 727, 1, 2. mundus quomodo dici possit immensus, cum sit creatus et finitus, 443, 1. mundus totus est domus Dei, 442, 2. est fanum Dei sanctissimum, *ibid.* mundi hujus gloriæ est calix aureus, 326, 2.
Munitiones Hierosolymorum quomododo dejecerint Chaldæi, 242, 2.
Muphas dicitur quasi *meophas*, id est ex ophas, 91, 2.
Muri urbium aliquando eversi in vehementis cladis et luctus testimonium, 373, 2. muri tres templi quid anagogice significent in Ecclesia Christiana, 784, 1. murus extimus templi totius erat tertius, 783, 2. murus quomodo mystice dicatur Christus Dominus, 793, 2.
Musice vivere, quod sit proverbium, 737, 2.

Mutila non sunt Deo offerenda, 673, 1.
Myrica duplex est, hostensis et silvestris, hæc dicitur maledicta quia sterilis est, 139, 1. ipsa symbolum hominis vilis, humilis et abjecti, item peccatoris sperantis non in Deo, sed in homine, *ibid.* et 2.
Myrrhæ amarities quanta sit, 387, 1.
Mysteria quænam in fide nostra sint difficillima, 631, 2.

N.

Nabo civitas Moab in tribu Ruben : est etiam nomen montis et idoli Chaldæorum, quid significet, 298, 1.
Nabonassar quando in Babylone regnare cœperit, 476, 1. idem est qui Baladan, *ibid.* constituit æram Babylonicam, *ibid.* et 2.
Nabopolassar (ab anno) 1, publica auctoritate constituta est æra Babyloniorum, 475, 2. quot annis regnarit, *ibid.* fuit is pater Nabuchodonosoris, *ibid.* vocatus est et Nabulassar, 476, 1. ipse evertit Ninivem et transtulit in Babylonem monarchiam Assyriorum, *ibid.* et 2.
Nabuchodonosor senior evertit Niniven, 12, 2.
Nabuchodonosor junior sive Magnus, cum suo exercitu comparatur ollæ succensæ, 19, 1. primo Niniven, deinde Syriam et Judæam occupavit, *ibid.* est dictus leo ob ferociam, lupus ob avaritiam et voracitatem, et pardus ob dexteritatem et celeritatem, 53, 1, 2; 312, 1. recte vocatur lupus vespertinus et nocturnus, 53, 2. benigne Jeremiam habuit, 127, 2. fuit latro, id est prædo, 153, 1. fuit Dei miles quasi mercede conductus ad ejus vindictam peragendam, *ibid.* ejus cum Pharaone rege Ægypti bellum describitur, 176, 2. cur vocetur columba, 199, 1. ei serviere omnes gentes septem annis inchoate tantum et respective, 205, 1. vasa templi quænam Babylonem translulerit cum Sedecia, *ibid.* 2. quando primo, quando secundo obsederit Jerusalem, 247, 1. ad eum Epiphaniæ agentem ductus est Sedecias rex, 270, 1. quomodo eum infidelitatis arguerit et castigarit, *ibid.* Ægyptum occupaturus prædicitur, 281, 2; 292, 2. quando Cœlesyriam vastarit, 296, 2. Idumæam quomodo subegerit, 311, 2. quo anno Persas subegerit, non constat, 314, 1, 2. dictus sator et messor, cur, 319, 2. relicta a Salmanasar Assyrio ipse vastavit, *ibid.*
Nabuchodonosor an designetur per currum Dei, 498, 1. per aquilam repræsentatur, 625, 1, 2. regni ejus amplitudo et diuturnitas, *ibid.* ejus exercitus mystice sunt pennæ aquilæ, *ibid.* Ægyptiis profligatis Jerusalem cepit et succendit, 627, 2. ejus omen per sagittas quale sit, 657, 2. dictus est rex regum : ejus fortitudo et rerum gestarum magnitudo, 688, 2. Austro comparatur, 700, 2. gestorum ejus brevis chronologia, 717, 1, 2. anno regni sui non XXV, sed XXXV, expugnasse Ægyptum probatur, *ibid.* Dei instinctu videtur Tyrum invasisse bello justo, 718, 1.
Nabuchodonosores fuere duo, pater et filius, sive senior, et junior aut Magnus, 205, 1.
Nabuzardan an dicatur lupus, 52, 2. Jeremiæ munera dedit et libertatem, 127, 2. qua dignitate apud Nabuchodonosorem fungeretur, 270, 2.
Napeæ florum deæ unde dictæ sint, 546, 1.
Nati recens infantes abluuntur, 606, 1. et saliuntur, *ibid.* et 2.
Nauta quidam patronum Genuensium triremium, a quo ad laqueum rapiebatur, ad Dei tribunal citavit post semestre, quo tempore elapso patronus morte sublatus est, 143, 2.
Navigantium pericula, 375, 2; 376, 1. navigantium audacia, 725, 2.
Navis Ecclesiam mystico sensu significat, 701, 2. navis symbolica quæ sit, *ibid.*
Nazaræi candidi unde dicantur, 411, 1. quinam essent, *ibid.* iis assimilantur sacerdotes et levitæ, *ibid.* vultum habebant splendidum, sed purpureo rubore inspersum, 414, 1. dicuntur stare coram Deo, 252, 2.
Nebridius, ne in aula mutaretur, ea se subduxit, 279, 2.
Negatio adjecta affirmationi significat auxesin, 383, 2.
Nehemias libere reprehendit magnates oppressores populi, 735, 2.
Nemora inter montes sita unde amœna sint, 546, 1.
Nemrim oppidulum ubi situm, 304, 2. ejus aquæ amaræ erant, cur, 305, 1. aquæ hæ quomodo dulces conservarentur, *ibid.*
Nemrod magnus fuit venator, id est tyrannus, 731, 2.
Neronis luxus in fabricis, et illius egestas inde secuta, 172, 2. Neronis somnium de gubernaculo navis sibi extorto, quid portenderet, 701, 2.
Nervus dicitur vinculum quo cervices et pedes impediuntur, 158, 1, 2, unde dicatur id vinculum nervus, *ibid.* id instrumentum describitur, *ibid.* erat potius pedum quam colli, *ibid.* erat id ingens tormentum, *ibid.*
Nestorii hæresis quid doceret, 108, 1.
Nicolaus abbas pro adolescente captivo redimendo se ipsum obtulit, 265, 2.
Nicolaus IV Pontifex erga cognatos suos carnaliter affectus non erat, 836, 2.
Nilus cur dicatur niger, et Geon, 29, 2. Nilus Ægyptum oblimat et impinguat, 714, 1. ejus rivi, *ibid.*
Ninive quando et a quibus eversa, 12, 1, 2.
Niobes ob fœcunditatem superbia, 714, 2.
Nisan mensis partim martio, partim aprili nostro respondet, 844, 2.
Nisi est Hebræis formula juramenti exsecratorii, 543, 1.
Nitrum non multum a sale distat, ejus vis, unde oriatur, 31, 2. valet ad decorem conciliandum, maculas eluendas, pustulas ac nævos tollendos, *ibid.*
Nix Libani de petra deficiens quid sit, 150, 2.
Noctuis comparantur peccatores et mundani, 48, 1, 2.
Nocturnorum Ecclesiasticorum origo, 379, 1.
Noe, unde ita dictus, 663, 2. illius sanctitas, 599, 2. typus est rectorum, *ibid.* et 600, 1, 2.
Nomen novum Beatorum quod sit, 455, 1. nomen Dei super aliquem invocari quid sit, 122, 2. Deus quomodo aliquem ex nomine norit, 451, 2. nomen aliquando capitur pro homine, 859, 2.
Norimbergensis ager abietum ferax, 725, 2.
Notserim dicuntur milites Nabuchodonosoriani per crasin, 47, 2.
Novacula Ezechielis quid denotet, 540, 1, 2.
Novitii in Religionem admittendi cum delectu, 189, 2; 190, 1. quomodo et a quibus in captivitatem ducantur, 356, 1.
Nox apta est compunctioni, 353, 2.
Nubes tonantes sunt quasi leones rugientes, 92, 2. nubes et caligo latibulum est Dei, 813, 1. nubes repræsentat gloriam Domini, et quidem proprie dicta, 575, 1, 2. nubes in visione prima Ezechielis designat exercitum Nabuchodonosoris, 497, 2. nubes magna significat Dei iram, 478, 1. in nube cur Deus apparere soleat, 574, 2. nubes sunt currus regalis Dei triumphantis, *ibid.* in nube cur soleat Deus præsentiam suam exhibere, et simul eodem se occultare, *ibid.* nubium significatio propria est divinitatis et providentiæ Christi quasi per velum ostensio, *ibid.* 2. nubes deitatis est humanitas Christi, *ibid.* nubes symbolice sunt angeli, *ibid.* tropologice concionatores, *ibid.*
Nudari, feminis ignominiosissimum, 116, 2.
Numæ libri chartacei, quia cedro erant illiti, sub terra D. XXXV annis durarunt, 629, 2.
Numerorum minutias non curant scriptores, solidos integrosque tantum numeros consignant, 716, 2.
Numeri vigesimi quinti mysteria varia, 840, 2.

Nuptiæ typus et exemplar sunt ingentis gaudii, 193, 2.
Nycticorax symbolum est mortis, 153, 2.

O.

Obediendum magis Deo quam regi, 842, 1.
Obedientia Rechabitarum, 252, 2. obedientiæ sex effectus, 440, 1. obedientiæ perfectæ schema quod sit, 577, 1.
Obliquæ quomodo dicantur fuisse templi fenestræ, 812, 2. obliquæ fenestræ thalamorum mystice designant mentes contemplativas, 796, 2.
Oblivio Dei et sui grande malum est, 613, 1.
Oblivionis mira exempla, sed longe major est peccatoris, 35, 1.
Obmutescere pro mori capitur interdum, 701, 1.
Obrisum aurum quod sit, 91, 1.
Obscuritas in explicando templo Ezechielico, 770, 1, 2.
Obsequii prompti symbolum est cingulum, 112, 1.
Obsidio Jerusalem prædicitur futura per Nabuchodonosor, 536, 1, 2.
Occidentem (ad) templi porta nulla erat, 782, 1.
Occulta cordium Deus cognocit, 102, 2.
Octavum (per) numerum dies æterni judicii et carnis resurrectio designatur, 799, 1, 2.
Oculi in rotis ad litteram quid significet, 576, 1. oculi rotarum et Cherub an veri fuerint, an vero symbolici, 492, 1, 2. oculi primum sunt moriens, et ultimum vivens, cur, 753, 1. dici possunt stellæ, 491, 1. sunt symbolum circumspectionis et vigilantiæ, *ibid.* sunt duces in amore et misericordia, 543, 2. oculus domini ovem et equum saginat, 743, 1. oculos levare symbolum spei est et invocationis, 771, 1. oculos ad idola levare symbolum erat adorationis eorum, 737, 2.
Oculus domini saginat equum et agrum, 240, 1. oculus curiosus deprædatur animam, 402, 1. oculi sunt ostia mortis, et animæ hostes, *ibid.* oculi sapphirini Nazaræorum, 414, 1. oculorum damna quæ, 85, 1, 2.
Odium perenne fuit inter Judæos et Palæstinos, 615, 2.
Odor suavitatis quid sit, 650, 2.
Offendere ad montes caliginosos quid sit, 114, 2.
Offendiculum accipitur interdum pro eo qui offendit, lædit, pungit, 528, 2.
Olai Magni liber multa continet fabulosa, 695, 2.
Olea, quia incorrupta, symbolum est æternitatis, 98, 2. ejus ubertas, *ibid.* olea symbolum est misericordiæ, 815, 1, 2.
Olei effectus varii et unctionis, 708, 2.
Oleo significatur Spiritus Sancti gratia, 225, 1.
Olivæ sunt Sancti ob septem analogias, 98, 2. olivarum nucleos cur comburerent puellæ amantes, 462, 2. oliva hieroglyphicum fuit misericordiæ, pacis, amoris, concordiæ, imo supplicationis et spei, *ibid.* et 463, 1.
Olera olla legit adagium, de quibus dicatur, 675, 2.
Olla succensa quam vidit Jeremias, quid fuerit, 19, 1. est Nabuchodonosor, *ibid.* eamdem vindictam significat quam virga vigilans, sed graviorem, *ibid.* 2. significat tropologice ollam gehennæ, *ibid.* item animam peccatricem, *ibid.* olla (ceu) ardens erit orbis in fine mundi, 676, 2. ollæ imagine repræsentatur Jerusalem, sicut carnium in ea coctarum cives coquorum Chaldæi, 675, 1. carnes hæ per partes explicantur, *ibid.* et 2. olla rubigine plena significat Jerusalem sceleribus et cædibus repletam solo igne purgandam, *ibid.* olla quoque capitur pro sobole vel progenie, *ibid.* symbolice olla est sceleris ac carnalis vitæ symbolum, *ibid.* olla hæc item repræsentat tartarum et ollam Vulcaniam, *ibid.*
Olympiadis (S.) perpetuus fletus, 402, 1.
Omen Nabuchodonosoris per sagittas quale fuerit, 656, 1, 2.
Omina apud veteres fuerunt in usu, 657, 1.
Omnia videt Deus, 214, 1.
Onagri libidine inardescentis velocitas, 32, 1, 2. onagri æstuantes sunt et sitibundi, 120, 2. onager an uno per annum mense dum dormit, capiatur, 33, 2.
Ooliba ad litteram quid significet : Jerusalem et duas tribus designat, 667, 2. allegorice et tropologice sunt Ecclesia orthodoxorum, fideles, clericus et religiosus, qui si peccent, gravius puniuntur quam alii, *ibid.*
Oolla quid significet, ipsa designat Samariam, 667, 2. cur sit soror major, *ibid.* ipsa est synagoga hæreticorum, fidelis, laicus allegorice et tropologice, *ibid.*
Opera exteriora frontibus ædificiorum templi mystice denotantur, 796, 1. cuncta bona opera per quinque sensus exhibentur, 798, 1. opus bonum quomodo interdum sinistra cogitatione inquinetur, 799, 2; 800, 1.
Opes male partæ ad alios dominos avolant, 141, 2. in opibus non est homini gloriandum, 85, 2,
Opes apud Lacedæmonios viles erant et nullo in pretio, 588, 2. opes veterum erant pecudes, 767, 2. opes homini in morte et judicio non proderunt, 554, 1, 2; 555, 1.
Ophannim, id est rotæ, qui sint angeli, 509, 1. non sunt certi angeli, 576, 2.
Ophas, pas, uphas, muphas idem sunt : unde ophas deducatur et formetur, 91, 2.
Ophir an sit Peru negatur, 90, 2; 91, 1. probabile est Pegu Malacam et Sumatram, 91, 1.
Opistocomæ dicti Euboici unde, 517, 2.
Opistographi libri, qui, 517, 2.
Opus cœli quod dicatur, 68, 2.
Opus incarnationis Christi fuit opus creationis Spiritus Sancti, quia factum est sine opera viri, 228, 2; 229, 1.
Opera gratiæ quæ sunt ad vitam æternam, non sunt in hominis potestate sine Dei inspiratione et auxilio, 94, 2.
Oratio et charitas decent Prælatum, Deumque stringunt, 124, 2. oratio cadit in conspectu Domini, cum ea est Deo accepta, et per eam Dominus exoratur, 256, 1, 2. orationis prima pars est Dei laus et gratiarum actio, 68, 1. in oratione cor Deo effundendum est, 378, 2. ejus vis consistit in affectu, non in verbis, 379, 2. vocatur laus, cur, 378, 2.
Oratorium cur vocetur requies, 810, 1.
Orbis partes primariæ sunt duodecim, 859, 1. orbis universus cur descriptus Christo nascente, 650, 1.
Orbitæ rotarum curruum Pharaonicorum dicuntur adhuc exstare in maris Rubri fundo, 240, 1.
Ordo S. Benedicti duraturus est promittente Deo, usque ad finem sæculi, et plurimos in fide confortaturus, 253, 1.
Oriente denotantur Judæi aut justi, mystice, 797, 1, 2; 798, 1. ad Orientem versi cur orent christiani, 563, 1.
Orientalis porta cur dicatur B. Virgo, 831, 1.
Origenes aiebat animas excussisse jugum ligneum, ideoque accepisse ferreum, id est corpora crassa, 208, 1, 2.
Originale peccatum quam habeat originem, 631, 1, 2.
Oron duplex civitas erat, 304, 2.
Os apertum capitur pro libertate, 718, 2.
Os est quasi lyra animata, 130, 1. os Domini qui dicantur, 365, 2.
Oschophoria festa erant instituta in honorem Bacchi, 564, 1.
Osculum erat ritus salutandi et adorandi, 562, 2.
Osiris an idem qui sol, 563, 1.
Ossa Jeremiæ an Alexandriam translata ab Alexandro Magno, 1, 2. ossa olivarum cur meretrices Babyloniæ comburerent, 462, 2. ossa loco ligni, sub olla congesta in obsidio Hierosolymæ quid denotent, 675, 1, 2. alia erant ossa quæ in olla erant, *ibid.* ossa arida reviviscentia symbolum sunt resurrectionis, item justificationis impii et liberationis e captivitate Babylonica, 757, 1, 2. ossa Sanctorum Deo sunt cara, 762, 1. ossa hominum in sepulcris jacentia sunt semina æternitatis et resurrectionis, 758. 1. 2.

Ostia duo templi mystice sunt opera bona duplicis charitatis Dei scilicet et proximi, 815, 1.
Otium omnium malorum est seminarium, 619, 2.
Ov signum et nota erat suspendii, 567, 1.
Otho IV Imperator quantum circa vitæ finem pœnituerit, 43, 2.
Ozias rex quare lepra percussus, 846, 2.

P.

Pachomius ab angelis a terra levatur, promittitur ei posteritatis duratio, 253, 1, 2.
Pactum Dei cum christianis de gratia et gloria eis danda dicitur novum ob nova promissa et præcepta, 232, 2.
Palæstini quomodo dicantur reliquiæ Cappadocum, 296, 1.
Palæstini cur dicantur communi voce Ceretim, 685, 2.
Pallas cur olivam sibi et in tutelam suam delegerit, 99, 1.
Palma insigne Judææ est, 352, 2.
Palma arbor describitur, 815, 1. est symbolum roboris, constantiæ et coronæ : hinc datur victori, 796, 2; 813, 2. palmæ victoriæ symbolum sunt Hebræis, atque inde Romanis, 813, 2. palma oriunda ex Judæa, ejus insigne et nota est, *ibid.* palmas qui in fronte cælatas habere mystice intelligantur, 799, 1. palmam a sinistro et dextro habere quid differant sensu mystico, *ibid.* palma est spatium extensæ manus, diductis digitis, 784, 1, 2.
Palmira urbs dicta a palmetis est Thamar : non est eadem quæ Jericho, 855, 1.
Palmus minor est quatuor digitorum transversorum, major continet ternos palmos minores, hoc est semicubitum, 825, 2. palmus est sexta pars cubiti : quomodo differat a palma, 784, 1, 2.
Paludes Babylonicæ quomodo incensæ sint, 330, 1.
Palustria symbolice sunt homines in segnitiem prolapsi, 853, 1.
Pancratium quod ludi et luctæ genus, 696, 2.
Pancratiastæ qui dicantur athletæ, *ibid.*
Panis ex vario semine confectus in lege veteri an esset immundus, 534, 2. panis pollutus quis dicatur Ezechieli, *ibid.*
Pantaleon (S.) martyr Nicomediensis quadriformem Cherub formam in martyrio et morte ostendit, 508, 1. miraculum in sanguine ejus post mortem servato, *ibid.*
Papa Romanus et Papistæ non sunt Gog et Magog, 765, 1.
Parabola quid proprie significet, 623, 1.
Paradisi amœnitas et opulentia in proverbium abiit, 706, 1.
Parastades in ædificio sunt adpactæ pilæ, sive semi columnæ, 806, 1.
Pardus est ferus ut leo, pellem habet maculosam, odorem gratum emittit, 52, 2. an Alexandrum Magnum repræsentet, *ibid.* an Antiochum Epiphanem, *ibid.* pardus maculosus quid mystice designet, 117, 1.
Parentalia tempore Jeremiæ in usu erant, 133, 1.
Parentes nimis indulgenter filios amantes, eos perdunt, 641, 1.
Parietibus templi insculptæ erant Cherubinorum et palmarum effigies alternis, 812, 1.
Parisiensis quidam regius adulator, quomodo de adulatione pœnituerit, 595, 1.
Pars impii est venter, pii Deus, 93, 2. pars Sanctorum quomodo sit Deus, 391, 1, 2.
Pars templi prior dicebatur basilica, aula et Sanctum, 805, 1, 2.
Partes vitales quatuor sunt in homine, quibus maxime vita constat et conservatur : scilicet cor, cerebrum, hepar, pulmo, 753, 1.
Parthi olim quomodo pueros ad laborem efformarent, 579, 1.
Partus virgineus deprædicatur, 229, 1.
Parvuli gregis qui dicantur, 312, 1. parvuli quare ob parentum peccata subinde puniantur, 635, 2.
Paschasius Ratbertus optime in Threnos scripsit, 350, 1.
Pasci vento est vana moliri, 177, 1.
Passeres mares annuam vitam explere non existimantur, 516, 2.
Passio effervescens et turbida nulla in Deo est, 553, 2. passiones quatuor hominis an per Cherubicum currum designentur, 498, 1. passiones corporales in corde, similes passiones spiritales excitant in voluntate, 753, 1, 2.
Passiones mari adaptantur, 376, 1.
Passus 125 faciunt stadium, 855, 2.
Pastophoria dicuntur cubicula atrii, quid ea vox significet, 781, 2.
Παστόφορος dicitur corrupte sacerdos vel ædituus, pro παστόφορους. *ibid.*
Pastor populi in obsessa urbe quomodo se pro populo geret, 382, 1, 2. pastor bonus sit columna sustentans infirmos et murus æneus, 21, 1, 2. pastor primo pungat, secundo ungat, 243, 1. pastoris est visitare gregem suum, 182, 2. ejus lex est amor gregis, *ibid.* præest ut prosit, *ibid.* pastoris vestigia et oculus, id est cognitio et præsentia, plurimum valent ad saginandas oves rationales, et fecundandum agrum Ecclesiæ, 743, 1. pastoris officia sunt decem, 743, 2. ei tria sunt necessaria, bonitas, disciplina, scientia, 746, 2. ejus munera et virtutes describuntur pluribus, 745, 1, 2 et seqq. illius sex canones, *ibid.*
Pastores Evangelici vigilare debent, 244, 1. debent ad se peccatores convertere, non vero converti ad illos, 131, 1. pastores quomodo demoliti sint Judæam, 108, 2. pastores multi, quare dicantur hæretici, *ibid.* pastores cur rotis comparentur, 503, 1. resideant apud oves suas, 84, 1. debent vita fulgurare, verbis tonare, 488, 1. eorum est vigilare super gregem, 725, 2. eorum vigilia triplex est, *ibid.* pastores semetipsos pascentes reprehenduntur, 739, 2; 740, 1, 2. quomodo lac et lanam et carnes pecorum suorum depascant, *ibid.*
Pater filium non liberabit ex inferno, 599, 2.
Patiens quasi apis ex thymo adversitatis mel colligit, 165, 1.
Patientia martyrum eos perpolit et adaptat, 524, 1.
Patriarchæ orabant pro suis in limbo existentes, 438, 2.
Patriarchales sedes quatuor an notentur in quatuor faciebus Cherubim, 508, 1, 2.
Paulæ (S.) Romanæ constantia in rei familiaris dispendio, 681, 1.
Pauli Simplicis exercitia humilitatis, 539, 1.
Paulini (S.) charitas in liberandis captivis, 265, 1.
Paulus (S.) Apostolus humana judicia parum est moratus, 146, 2. temere est a Melitensibus judicatus, 18, 2. vere viri dignus est nomine, 52, 1. fuit Romæ in libera custodia, 429, 1. quare capacem domum conduxerit, *ibid.* ejus compunctio, 347, 2. libere corripuit Elymam magum Paulum proconsulem a fide avertere nitentem, 725, 2. quomodo stultus factus sit propter Christum, 538, 2.
Paulus II Pontifex Cardinalibus primus purpuream dedit vestem, 609, 2.
Pauperes cur in Judæa Chaldæi reliquerint; 270, 2.
Paupertas aliquando capitur pro afflictione et miseria, 383, 1.
Pavimentum atrii erat stratum lapide durissimo, politissimo et pretiosissimo, 788, 1. ejus stratio mystice exponitur, *ibid.* id significat auditorum doctrinæ humilitatem, 797, 1.
Pavo avis discolor pulchritudinem Israelis significat, ejusque ostentationem ejus natura exponitur : repræsentat mulieres comptulas, fucatas et hypocritas, 107, 2; 108, 1.
Pax Hebræis omnem prosperitatem significat, 439, 2. pax et felicitas plena esse nequit, nisi semper duret, *ibid.* pacis symbolum est oliva, 98, 2.
Peccat (in quo quis) in eo et punitur, 61, 1.

Peccata sunt gravia Deo onera, 187, 2. quomodo scripta in memoria Dei, 363, 1. sunt nubes, multas ob causas, 400, 2. in morte nos accusabunt, 121, 1. ea Deus cum punit, dicitur revelare turpitudinem tam peccati quam peccantis, 118, 2. peccata venialia non impediunt justum ab æterna vita, 634, 2. peccata patrum in filiis an et quando Deus puniat, 635, 1, 2. peccatorum occasiones delere et ablegare signum pœnitentiæ est, 547, 2. peccata sunt funes, vincula, onus, laquei mortis, lapis, spinæ, vermis, semen, et messis, et ignis, 552, 1, 2. sententiam dant contra se et sui auctores, 557, 1, 2. peccata quinque Sodomæ, 619, 1, 2.
Peccatum quot mala contineat, 28, 1. cur dicatur frigus, 60, 1, est animæ spiritualis summa spurcitia, 36, 1. est gutta mellis, et mare fellis, 78, 1. illud aliter homini ostendit diabolus, aliter Deus, 227, 1. est umbra mortis ob sex causas, 115, 1. est fons omnium malorum quæ sub sole sunt fuerunt, et erunt, 24, 2. peccatum unum etiam veniale, est majus malum, quam omnia mala pœnæ in unum collata; et cætera mala ei collata, mala non sunt, sed bona, *ibid.* est deicidium, *ibid.* magis consentaneum fuit Dei Filium hominem fieri, et tam indigna pati, quam peccatum inultum relinqui, *ibid.* est christicidium, *ibid.* quantum sibi peccator noceat, dum aliquod peccatum etiam veniale committit, *ibid.* ejus malitia nullo bono creato compensari potest, *ibid.* ejus et Dei antitheses, *ibid.* est vanitas quadrupliciter, 26, 1. ejus novem effectus, 370, 1. ejus malitia quintuplex, 24, 1, 2. peccatum publicum dum non punitur, totam terram et rempublicam contaminat, 38, 2. peccatum Judæorum indelebiliter est scriptum in corde, 137, 2. peccatum obstinatorum et damnatorum quomodo scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino, 136, 1, 2; 137, 1. peccatum suum per pœnitentiam detestans quomodo maledicat diei qua id natum est, 163, 2. peccatum uva acerba est, 631, 1, 2. ipsum solum causa mortis est, 637, 2. turbat totum universum, et omnia inficit, 546, 1.
Peccator pro exiguis deliciis omnia sua desiderabilia impendit, et dæmoni vendit, 360, 2. est quasi scopus furoris Dei, 70, 2. fodit sibi cisternas dissipatas, 28, 1. e statu suo resurgere nequit, sed violenter extrahendus est, 265, 1. ut convertatur, gratiæ Dei datæ cooperetur oportet, 424, 1. ejus remorsus, 358, 2; 359, 1. ejus varia desideria, *ibid.* ejus oblivio, 35, 1. insensibilitas, 36, 1. ejus instabilitas unde ortum habeat, 358, 1, 2. ejus in morte angustiæ, 366, 2. est incornis, inglorius, atheus, 369, 2. ejus vesania et cæcitas, 24, 1, 2. ei peccanti mortaliter occidit sol justitiæ, 127, 1. peccator peccando sibi plectit virgas, catenas et laqueos, 552, 1. ejus cæcitas, 588, 1. nec suam cæcitatem advertit, *ibid.* quasi meretrix se prostituit, et omnes spiritus et potentias suas exhaurit et offert dæmoni, 615, 2. mortis et vindictæ sibi tempus accelerat, 661, 1, 2. peccato sibi injuriam facit, 550, 1. in peccatoris corde ingens fit commotio et strepitus affectuum inter se colluctantium, dum convertitur, 758, 2.
Peccatores pœnitentes sunt Deo in deliciis, 227, 2. eorum risus sardonicus, 78, 2. peccatores obstinati difficillime relinquunt mores inolitos, 117, 1, 2. peccatores lascivientes a morte opprimuntur subito, 552, 1, 2. eorum furor, 638, 2. eos a Deo non puniri ingens malum est, 617, 2. per peccatores stat, non per Deum, quod ipsi in peccatis maneant, pereant, damnentur, 736, 2. eorum in viros alios mutatio, 851, 2.
Pecudibus (in) sitæ veterum erant opes, 767, 2.
Pecunia olim ponderabatur, 238, 2.
Pedale est mensura, 327, 2.
Pedes peccatorum sunt instabiles, 123, 1.
Pedes quinque faciunt passum, 855, 2. pedes recti Cherubinorum quid designent, 483, 1, 2. erant item pennati et vitulini, *ibid.* 2. quid hoc designet, 484, 1.
Pegusii originem referunt ad Judæos exsules damnatos a Salomone ad aurifodinas Ophirinas, 91, 1.
Pelagiæ (S.) pœnitentia, 376, 2.
Pelagii hæresis quid potissimum doceret, 109, 1.
Pellibus (in) hædinis scribebant veteres, 517, 1.
Pelusii etymon, 281, 1. Pelusium urbs Ægypti navibus et mercibus erat florentisima, 721, 2.
Pensionarii clerici reprehenduntur, 740, 1, 2.
Pentapoleos olim fertilitas, 309, 2.
Pentecosten qualem servarent Judæi, 56, 1, 2.
Peradim sunt equi veloces ad cursum, et apti ad bellum, 698 2. vocantur sic tam equi quam muli, *ibid.* sunt muli Syriæ, *ibid.*
Perdicis pulli ab alia matre exclusi ad veram avolant, 141, 2. cicur ipsa alias voce sua in laqueos allicit, 142, 1. quomodo aucupem eludat, *ibid.* 2. ei dæmon assimilatur, *ibid.* et hæretici, *ibid.* perdices Paphlagoniæ sunt bicordes, 584, 1.
Peregrinari se in terra cogitet religiosus et fidelis omnis, 252, 1.
Perfectos qui se putant, tentationibus pulsantur, ut videant se imperfectos esse, 797, 1.
Perfodere parietem quare jubeatur Ezechiel, 587, 1.
Perfricare frontem quid sit, 522, 1, 2.
Pergamenæ pelles unde habeant nomen, 517, 1.
Peribolus vocatur murus vel septum, 817, 1.
Pericles Atheniensis filiorum duorum mortem æqua mente accepit, 680, 2.
Periclitatur homo et sperando et desperando, 736, 2; 737, 1.
Perillus faber primus suo periit tormento, 660, 2.
Permissio Dei vocatur actio et deceptio contra Calvinum, 598, 1.
Perpetua (S.) idola explodens leonibus objecta est, 92, 2; 465, 2. vidit se suosque socios per scalam quamdam auream in cœlum ascendere, 809, 2.
Persæ vivos homines sub terra diis defodiebant in gratiarum actionem velut piaculares victimas, 71, 1. erant sagittandi peritisimi, 318, 2. aquilam in vexillis præferebant, 199, 2. an dici merito queant lupi, 152, 2. eorum reges ignem sibi præferri curabant, 19, 1. Persarum christianismus, 314, 2. eorum martyres illustres, *ibid.* Persæ coluerunt solem nomine Mithræ, 563, 1. unde hauserint ritum præferendi ignem suis regibus, 487, 1.
Persecutio Antichristi erit ultima, 773, 1.
Persecutores omnes Ecclesiæ an sint Gog et Magog, 765, 1, 2.
Perturbari (nulla re) certum signum est contemptus mundi, 146, 2. quomodo huc homo pertingere queat, *ibid.* et 147, 1.
Peru an sit Ophir, 90, 2; 91, 1.
Peruani multi montes speciosiores et sublimiores Deum æstimant, 30, 2.
Pervicaces inter se non convenient, 128, 1.
Pervicacia quomodo mentem excæcet, 268, 1.
Peste (in) vulgari homines omnem mortis, funeris et sepulcri sensum amittunt, 133, 1. pestem repræsentat ignis, 541, 1.
Petri (S.) pœnitentia, 347, 2. affectum carnalem erga uxorem et filiam penitus exuit, 835, 2.
Petri Abailardi elogium 704, 2.
Petrus Serranus Cordubensis in Ezechielem luculenter scripsit, 473, 2.
Petrus Damiani falso accusatus suam innocentiam rectæ conscientiæ testimonio tuebatur, 147, 2. ejus patheticum epitaphium, 438, 1. ei quæ pœnitentia injuncta ob relictum Cardinalatum et Episcopatum, 288, 1.
Phaeton Solis currum moderans imperite, imago est pastorum pravorum, 745, 2.
Pharao Ephree vel Vafres quis fuerit: ejus avus fuit Ne-

chao, 285, 2. fortuna ejus et superbia, *ibid.* fuit Pharaonum postremus, *ibid.* vocatur tumultus, id est perturbator regni, 292, 1. ejus cum Nabuchodonosore bellum describitur, et series ejus, 176, 2. Pharao Vafres, vel Apries, vel Ephree confertur aquilæ, 626, 2. cum Sedecia rebellans Nabuchodonosori, fœdus iniit, et ab eo subactus est, *ibid.* quam fuerit superbus, 713, 2. quomodo a Deo depressus, 714, 1, 2. vocatur draco, id est crocodilus, cur, *ibid.* quomodo fuerit baculus arundineus Israeli, 724, 1. vocatur Assur, cur, 716, 1. comparatur cedro, cur, *ibid.* et 2.

Pharao Nechao a Nabuchodonosore profligatus est, 290, 1.

Pharao non proprium, sed commune regum Ægypti erat nomen ; id enim ægyptie regem significat, 713, 2. quid hebraice id sonet, *ibid.*

Pharasim sunt equi militares, acres et bellicosi, 698, 2.

Pharetra Chaldæorum cur dicatur sepulcrum, 55, 1, 2.

Pharetra Dei est occultum Dei judicium, 386, 1.

Phassur quid nomine suo significet, 159, 1, 2.

Phassur filius Emmer, non fuit pontifex, sed tantum e præfectis templi, 159, 1.

Phassur filius Melchiæ, alius a Phassur filio Emmer, æque ut hic in Jeremiam iniquus fuit, 167, 1.

Phavorinus astrologos judiciarios egregio dilemmate perstringit, 90, 1.

Pheltias, filius Banaiæ princeps et dux erat populi, 383, 1.

Philippicus Imperator impius, imperio et luminibus privatus est, 176, 2.

Philippus Macedonum rex qua ratione insolentiam animi sui represserit, 175, 2.

Philippus II Hispaniarum rex D. Laurentio templum ædificavit ob victoriam, quam S. Laurentii die festo et patrocinio fuerat consecutus, 813, 2.

Philosophi superbi tropologice accipiuntur per Moabitas, 685, 1, 2.

Philtrum ex nucleis olivarum quale, 463, 1. et ejus carmen, *ibid.*

Phœnices nauticæ et mercaturæ erant peritissimi : invenere litteras, 442, 1. primi omnium solem et stellas adorarunt, 282, 1, 2. Phœnices inventores artis nauticæ, bellicæ siderum, litterarum, 699, 2 et seq.

Phœnix hieroglyphicum ac symbolum est solis, 282, 2. cur hæc avis conficta, *ibid.* phœnix est sol, non avis 722, 1.

Phœnix portus fuit in Creta, 684, 2.

Phryges primum bigas junxerunt, 698, 2. aurigæ periti erant, *ibid.*

Phrygionicæ vestis species variæ et inventores, 608, 1.

Piastus rusticus qua via et arte ad regnum Poloniæ evectus sit, 633, 2.

Pictura palmarum quid mystice designet, 799, 1.

Pignus reddendum debitori pauperi, 632, 2.

Pii II mater in somniis didicit filium Summum Pontificem fore, 13, 2.

Pilæ templi XXXIII significant mystice totidem annos Christi, 807, 2.

Pili symbolum sunt curiositatum, superfluarum cogitationum, appetitionum, et illecebrarum mundi hujus, 540, 1, 2.

Pingue pecus et macilentum mystico sensu quinam sint, 744, 1.

Pinguedo mystico sensu est devotio, 800, 1.

Piscatores dicuntur Chaldæi, 134, 1. et Apostoli, *ibid.* et 2.

Piscatores spirituales sunt Apostoli, non venatores, 852, 2. quomodo sua hi retia exsiccent, *ibid.* piscatores item sunt Christus et diabolus, qua esca et quomodo uterque piscetur, 715, 2.

Pisces nonnulli aliquem sequuntur quasi ducem, 715, 1. piscis mystice est Christus et Christiani, 852, 1.

Pitheci sunt simiæ, non homines, 695, 2.

Πίτυρα quid sint, 462, 2.

Pius II Pontifex quam æqua mente suorum cladem inaudierit, 680, 1.

Placenta mellita cur daretur olim in epulo nuptiali sponsæ et convivis, 613, 2.

Placentæ stellatæ offerebantur reginæ cœli, id est Lunæ sive Dianæ, 68, 2.

Placidus (S.) adhuc puer instituto monastico se tradidit, 393, 1.

Placilla Imperatrix semper virum suum Theodosium humilitatis commonebat, 613, 1.

Plaga Dei patienter ferenda est ob quatuor causas, 94, 1.

Planctu (in) lacerabant Judæi suas vestes, 276, 1.

Plangere Adonim quid sit, 561, 2. et quinam eum plangant, *ibid.* et 562, 1.

Plantæ similem habent animam et vitam ac animalia, 759, 2.

Platanis conferuntur principes et reges, 725, 1. platanus unde dicatur, sub ea convivari solebant veteres, atque inde vocatur *genialis*, *ibid.* quanto in pretio olim fuerit : quam nonnullæ late ramos extendant ; earum umbra jucunda est : ex earum baccis aqua et sale maceratis fit oleum, *ibid.* in Lydia platanum proceram quomodo stulte coluerit Xerxes rex Persarum, *ibid.*

Platea inter templum et atrium sacerdotum interjecta, quæ porrigebatur ex omni parte circa templum, illudque proxime ambiebat, describitur, 811, 1. cur dicatur latitudo, *ibid.*

Plato solitudinem sectatus est, 394, 1. an Jeremiæ fuerit discipulus, 4, 1.

Plausu Romani in comœdiis favorem et gratulationem indicabant, 548, 1.

Ploratus Rachel in Rama auditus quid sit, 225, 1, 2; 226, 1, 2.

Plumarium opus quod sit, 608, 2.

Plumbi usus olim fuit in conflando, et ad scoriam alienamque materiam secernendam, quia vim habet liquandi, 63, 1, 2.

Pluvia quando frugibus maxime necessaria sit, 38, 2. pluviam Deus uni urbi subtrahit, quam dat vicinis, 663, 2.

Plutus quomodo cæcus sit, et suos cultores excæcet, 588, 2.

Poderis vestis quæ dicatur, 565, 2.

Pœnam Deus irrogat culpæ congruentem, 302, 2; 417, 1.

Pœnitens dum vitam emendat, sarcit injuriam Deo irrogatam, eique gloriam ablatam per peccatum, restituit, 114, 1.

Pœnitentes per Aquilonem notantur, 797, 2.

Pœnitentia non est in mortis tempus differenda, 40, 2; 114, 2. est Deo gratior quam torpida innocentia, 451, 2. pœnitentia lino repræsentatur, 113, 1. est Christianorum nitrum et herba borith, 31, 2. est quasi quædam justitia, licet non rigida, 434, 2. ea indigent omnes, 217, 2. pœnitentia et vitæ conversio facit alium hominem, 42, 2. ejus schema et exempla, 376, 2. ejus forma ex S. Ambrosio, *ibid.* pœnitentiæ seræ descriptio, 75, 1. pœnitentia est detestatio et dolor de præteritis, displicentia vitæ, et odium præteritæ lasciviæ, 548, 1. pœnitentia cum iride confertur, 512, 1. delet peccatum e memoria Dei, 636, 2.

Poetæ adamant fontes Heliconis, 477, 1.

Polemon adolescens perditus quomodo in virum alium mutatus sit, 43, 1.

Pollinctores qui sint, 771, 2.

Poloni equites cur animalium exuvias in tergo in castris gestent, 482, 2.

Polyandria quæ dicantur, et talia Romæ hodie multa visuntur, 155, 1.

Polychronius commentarium in Ezechielem scripsit, 472, 2.

Polyxena Trojana viva diis immolata a Græcis, 71, 1.

Pompeii Magni generositas animi, 147, 1. Tigranem regem supplicem sibi diu esse noluit, 689, 1.

Pondera æqua curare est principis, 843, 1.
Ponere in pulvere os suum et in cœlum, quid sit, 395, 1, 2.
Ponere faciem quid significet in prædicatoribus 711, 1.
Pontificatus honor et vita brevis est, 642, 2.
Pontifices Judaici post reditum e captivitate præfuerunt populo tam in politicis quam in sacris, 843, 1. Pontifex Judæus an templum ingrediens in festis solemnioribus adamantem gestaret, interdum splendentem, interdum obscuratum, 523, 2.
Pontifices Romani vicario jure Christo in munere pascendi succedunt, 744, 1. eorum nullus ad annum XXV pontificatus pervenit, 643, 1. cur id fiat, *ibid.* multi non nisi mensibus aliquot Ecclesiæ præfuere, *ibid.* cur gestent crucem adamantinam etiam dum celebrant, 523, 1. sunt gubernatores navis Ecclesiæ, 701, 2.
Pontifex summus apud Hebræos quibus coloribus indueretur, 411, 1.
Populi vicini invicem cognati sunt, 193, 1.
Popielus princeps Polonorum a muribus comestus, 633, 2.
Porta anguli erat porta Benjamin, unde sit ita dicta, 234, 1. porta Benjamin superior quæ esset Hierosolymis, 159, 1. erat et alia porta Benjamin inferior, *ibid.* erat juxta hanc carcer qui erat jurisdictionis præfectorum templi, *ibid.* porta equorum Hierosolymis erat porta eadem quæ fontis et aquarum : unde triplici hoc dicta nomine, 234, 2. porta fictilis quæ diceretur, 155, 2.
Porta atrii interioris aperiebatur principi in sabbatis et Calendis, 846, 1. quid hæc apertio mystice denotet, *ibid.*
Porta clausa principis quænam esset, 830, 1. ea erat semper clausa, sed principi ingredienti aperiebatur, eo egresso ad vesperam claudebatur, et per eam ipse quoque egrediebatur : populus vero per portam Meridionalem et Aquilonarem ingrediebatur et egrediebatur, et per unam ingressus per alteram ei adversam egrediebatur, 846, 1. quæ moralis ejus rei causa, *ibid.* 2. hæc allegorice est B. Virgo, 830, 1, 2. cur ter dicatur, quod fuerit clausa, *ibid.* est eadem Orientalis, 831, 1. hæc item porta est utraque B. Virginis conceptio immaculata, *ibid.* mystice et anagogice intelligitur vel fides, vel Christus, vel sacra Scriptura, vel aditus regni cœlestis ante Christi adventum, 795, 2; 832, 1.
Porta eadem qua Deum eliminamus intrant ejus lictores ad vindictam, 565, 1, 2. portæ intendere, mystice quid sit, 799, 1, 2. portæ duodecim tribuum quæ, 862, 2. sed eæ quas describit Ezechiel, non per omnia respondent portis priscæ Jerusalem, *ibid.* porta altaris in templo quænam esset, 560, 2.
Porta gratiarum et cœli est B. Virgo, 831, 2.
Porta Orientalis templi erat nobilissima, 582, 1; 785, 1.
Portæ templi erant tres, 790, 1. eæque erant totidem in quolibet atrio, *ibid.* eæ ad tres orbis plagas spectantes, ac sibi in tribus muris obversæ, quid significent mystice in Ecclesia Christi, 784, 1.
Portæ nefastæ quæ dicerentur, *ibid.* portæ Jerusalem quomodo dicantur corruere, 120, 1. portæ Sion in anima quæ sint, 355, 2. portæ terræ quæ sint, 126, 1. portæ quas ad res serviant urbi, 355, 1. 2.
Portio congrua fructuum Beneficii, ex qua honeste juxta statum vivere possunt, clericis assignanda est, 740, 2.
Porticuum templi et atriorum descriptio, 780, 2 et seqq. porticus templi mystice significant subsidia et quasi umbracula, quibus Deus fovet et tegit laborantes in opere virtutum, 786, 1. porticus inferiores templi vocantur pavimentum stratum lapide, 816, 2. eæ mystice exponuntur, *ibid.* porticus templi Salomonici quot cubitos lata et longa fuerit, 791, 1. 2. quæ ejus altitudo, *ibid.* alia erat ab illa in qua docuerunt Christus et Apostoli, *ibid.* porticus symbolum erat longanimitatis et patientiæ Sanctorum, *ibid.*
Possessiones venditæ in jubileo ad primos dominos redibant, 847, 2.
Potestas sæcularis et ecclesiastica tropologice denotatur per urbem et templum, quæ describit Ezechiel, 842, 1.
Præcepta quomodo Deus det non bona, 647, 2.
Præcipere est ordinare etiam permittendo tantum 249, 1.
Prædicator sit velut columna sustinens infirmos et murus æneus, 21, 1. prædicatores sacram Scripturam prædicantes ad suam gloriam, et qui impie vivendo populum scandalizant, furantur verbum Dei, 187, 1. prædicator verbum Dei ruminet assidua meditatione ut illud eructet, 521, 1, 2. stet supra mundana omnia erectus, 515, 1. animum non despondeat, nec serium concionandi modum mutet, etsi ab aliis non audiatur, at explodatur, non ideo suo fructu concio, nec ipse mercede carebit, 738, 2. sit audax, fortis, constans, liber, qui nec pudore vincatur, nec metu taceat, aut pallescat, 523, 1. sit simul prudens et discretus, *ibid.* adamanti similis sit, *ibid.* et 2. sit speculator, 527, 2.
Prædicatores sunt Cherubim, 507, 2. sunt piscatores, 852, 2. eorum opera et verba mystice sunt frontes portarum, 799, 2. tropologice sunt nubes, 574, 2. sunt portæ atrii interiores et exteriores mystice, 794, 1; 799, 1.
Prædicatorum sive Dominicanorum tria sunt munia, 182, 2. Prædicatorum Fratrum trinum officium est, 746, 2.
Præficæ mulieres quæ Gentilibus dicerentur, 84, 1, 2.
Prælati magis studeant animabus lucrifaciendis, quam pretiosis molibus templorum ædificandis, 173, 1. velut arietes gregem præire et pascere debent, 356, 2. prælati officium est sollicitudo, non celsitudo, 734, 1, 2. esse debent Cherubim, 507, 2. quomodo se quasi murum irascenti Deo opponere debeant, 591, 1. suis præire debent, 579, 2. eorum vitia pestis sunt subditorum, 593, 2. nepotes suos promoventes ad ecclesiasticas dignitates, sæpe sibi mortis tum præsentis, tum futuræ sunt causa, 836, 1, 2. esse debent fulgura vita, ore tonitrua, 488, 1.
Prælium Gog et Magog an futurum mille annis post resurrectionem et mortem Antichristi, 764, 1.
Præsentia Dei ubique est, 492, 1.
Præsidium in solo Deo collocandum, 697, 2.
Prætorium vocatur magnificum conclave vel domus suburbana, 693, 2. unde dicatur, *ibid.*
Prævenienda et præcogitanda mors est, 437, 2.
Preces antelucanæ primorum Christianorum, 379, 1.
Primitiæ omnium rerum dandæ sacerdotibus et Episcopis 838, 1. earum offerendarum ritus, 843, 2. sexagesima pars danda pro primitiis, 844, 1. eæ dandæ Pontifici, *ibid.* primitiæ Martyrum sunt S. Stephanus et Jacobus frater S. Joannis, 828, 1.
Primitiva reddere mystice quid sit, 853, 2.
Princeps Tyri quis sit, 703, 1.
Princeps pro pontifice accipitur interdum, 842, 2; 844, 1.
Princeps et rex Judæorum non poterat ingredi Sanctum, imo nec atrium sacerdotum, 830, 1. poterat sedere in porta Orientali sanctuarii, quæ inde dicta principis porta, *ibid.* ex ea spectabat exterius sacrificia, et in ea de iis comedebat, *ibid.* ejus locus in terra Israel describitur, 842, 2. quanta ejus sors fuerit, *ibid.* solus per portam Orientalem atrii ingrediebatur, et per eamdem quoque egrediebatur, 846, 1. principes sacerdotum varii apud Judæos erant, 158, 1.
Principatus Judæorum post reditum e captivitate fuit penes pontifices, 178, 2. principatus omnis brevis, 642, 2. id probatur exemplis, referente S. Hieronymo, *ibid.* et 643, 1.
Principes Argus sint oportet, et sibi caveant a proditoribus, 274, 1. 2. sunt vectes populi, 373, 2. nisi regnum fundent in timore Dei, non erit id stabile, 178, 1, 2. a suis consiliariis nimis pendentes miseri sunt, 267, 2. libere increpandi etiam, dum peccant, 179, 1. 2. exem-

pla afferuntur eorum qui id libere fecerunt, *ibid.* et seqq. e pauperum laboribus et vectigalibus palatia ædificantes male peribunt, 173, 2; 174, 1. principes insipientes sunt subditis ludibrio, 464, 2. principes impii plerumque miseros habent exitus, 176, 1, 2.
Principum est definire ponderum et mensurarum quantitatem, 843, 1. esse debent Cherubim, 707, 2. cedro conferuntur, 724, 2. vocantur et abietes et platani, *ibid.* principes et magistratus sunt nancleri reipublicæ, 701, 1. — *Vide* Rex. Principes Ecclesiastici vel sæculares cum a justitia et sanctitate deficiunt ad improbitatem, tantumdem est ac si sol, luna et stellæ obscurarentur, 730, 1.
Privatus quisque quomodo faciat judicium et justitiam, 632, 1, 2.
Prodicus hæresiarcha docuit Lunam esse deam, 68, 2.
Prodigia excidii Jerusalem per Titum quæ fuerunt, 544, 2.
Proditores dicuntur detractores et susurrones, 82, 2.
Profana ex contactu sacrorum fiebant sacra, 847, 2.
Profunda quæ sunt, ut plurimum obscura sunt, 522, 1.
Progrediendum semper in via spirituali, 847, 1.
Promethei quæ sit fax, 445, 1.
Propheta in Gentibus quomodo sit Jeremias, 16, 1.
Prophetæ quomodo apud Judæos sepelirentur, 73, 1. solent loqui de Gentium et impiorum conversione, quasi de captione, venatione, piscatione, 134, 1, 2. aliquas prophetias pro foribus templi omni populo legendas proponebant, 178, 1. aliquando scripto, aliquando verbo, aliquando utroque modo prophetabant, 178, 1; 256, 1. an omnes illi sint Prophetæ, quos Propheta aliquis initio libri sui quasi progenitores suos nominat, 426, 2. Prophetæ non solent in publicis scriptis annos consignare a numero vitæ suæ vel alterius privati, 475, 1. eorum mens uno loco cum corpore substantialiter existens, alio et alio vi spiritus rapiebatur, 782, 2.
Prophetæ quatuor designant quatuor dotes divinæ providentiæ, 505, 1.
Prophetatur tam factis quam verbis, 533, 1.
Prophetiæ symbolum manus est, 477, 2.
Prophetia Jeremiæ de idolis Ægypti per Christum puerum dejiciendis, 286, 1. ea quæ de eversione Babylonis, quo anno dicta sit, 332, 2.
Propositum formale emendationis ad veram contritionem requiritur, 636, 2.
Proselyti qui sint, et quomodo vocentur timentes Deum, 597, 2. proselytis quoque terram dividi jussit Deus, 855, 1, 2.
Proventus variarum regionum describitur, 699, 2.
Proverbium quid proprie in Scriptura significet, 623, 1. proverbia denotantia alium luere, quod alius peccavit, 631, 1, 2. proverbia quadrantia in eos qui cum parva præstare nequeant, ambiunt magna, 106, 1, 2.
Providentia Dei adstruitur, 105, 1, 2; 106, 1. lino designatur, 112, 2. providentia et numine Dei omnia nobis eveniunt, 397, 2. ab ea quomodo omnes pendere debeamus, 95, 1. providentia Dei quatuor habet facies, 499, 2. quomodo ei adaptetur rota in medio rotæ, *ibid.*
Proximum convertentes, sunt veluti os Dei, 130, 2.
Prudentia in rectore maxime necessaria est, 504, 1.
Prunarium in curru Cherubim quid symbolice designet, 511, 2.
Psalmi XV Graduales unde dicti sint, 785, 1.
Pseudoprophetarum adulationes, 377, 1. pseudoprophetæ alii furantur verbum Dei, alii adulantur, alii jactant visiones et falsa miracula, 186, 2. explodebant hi Jeremiam, 187, 1, 2. eorum mores describuntur, 746, 2. pseudoprophetæ parietem liniunt luto soluto et friabili sine paleis, 592, 1.
Psittaci Brasiliæ symbolum sunt vigilantiæ pastorum, 527, 2.
Pubasti urbs Ægypti prope Pelusium est, 722, 1.
Publicas clades tantum ob peccata publica immittit Deus, 658, 1.
Publia S. Joannis Chrysostomi mater, facta deinde Abbatissa, quam intrepide Juliano Apostatæ restiterit, et quam ab eo contumeliose habita, 92, 2.
Publici peccati quantum malum sit, 38, 2.
Pudibundi cur frontem perfricent manu, 522, 1, 2. hinc frons pudoris sedes est, *ibid.*
Puellæ cujusdam Alexandrinæ baptismum petentis angeli fuere sponsores, 633, 1, 2.
Pueri dicuntur agni, inde Christus dicitur agnus, quia factus est puer, 100, 1, 2.
Pueri Martyris in Arabia mira fortitudo et sapientia, 393, 2.
Pugiles sunt qui pugnis dimicabant, 696, 1.
Πυγμὴ quæ mensura sit, *ibid.*
Pugna pugilum et palæstritarum unde orta, *ibid.*
Pulchritudo corporis quam sit periculosa, et gnomæ de ea, 612, 2.
Pulmo quasi follis cordi necessarium dat refrigerium, 753, 1.
Pultes veteribus in usu erant loco panis, 261, 2.
Pulvilli peccatorum qui sint, 592, 2. pulvilli reticulati, 594, 1, 2.
Puniri peccata a Deo signum est amoris et curæ Dei, 617, 2. non puniri, ingens est malum, *ibid.* 1, 2.
Purgatorii animas non invocamus velut sanctas, 125, 1. purgatorium adstruitur et propugnatur, 637, 2.
Puritas lino denotatur, 112, 2.
Purpura vestis regum et Cardinalium, 609, 2. et quando ea data Cardinalibus, *ibid.*
Putei crebri erant in Judæa ad colligendam aquam, 263, 2. erant aliquando loco carcerum, *ibid.* erant ii cœnosi, quia patentes supèrne, et profundi : inde funibus in eos rei demittebantur, *ibid.*
Pygmæi an existant, et gens aliqua sit brevis, pugnans assidue cum gruibus, 695, 1, 2. fabulosos esse probatur, *ibid.* ubinam habitare fingantur, *ibid.* illorum pugna cum gruibus et perdicibus, item fabulosa, *ibid.* an Pygmæi ad simias vergant, *ibid.* pygmæus idem est quod cubitalis, 696, 1. erant viri bellicosissimi et proceri supra modum, *ibid.* 2, et 697, 1 et 2.
Pyrrhus rex Epirotarum cur gestaret in galea cornua hircina, 482, 1. dici voluit aquila, cur, 623, 2.
Pythagoras cur vetuerit Deum in annulo sculpi, 138, 1. non fuit Ezechiel, 466, 1. eum S. Ambrosius a Judæis censet ortum fuisse, *ibid.* an fuerit circumcisus, *ibid.* cur putatus esse Ezechiel, *ibid.* unde dictus Pythagoras, 2. suis erat instar oraculi, *ibid.* 2. fuit e Samo oriundus, ergo non Judæus fuit, sed Græcus, *ibid.* docuit metempsychosin, *ibid.* quare mortem simularit, *ibid.* ejus transanimationes variæ, *ibid.* et 467, 1. fuit Ezechiele posterior, *ibid.*

Q.

Quadranguli postes sanctuarii quid mystice designent, 815, 1, 2.
Quadratæ urbes et domus sunt firmissimæ, 860, 1.
Quadratum erat altare holocaustorum, 826, 1, 2.
Quadriga Cherubim qualis esset, 495, 2. — *Vide* Animal, Cherub, Currus, Quatuor.
Quadrum virtutum cardinalium quale sit, 803, 1.
Quaternarii numeri mysteria, 346, 2.
Quatuor angeli principes quomodo esse dicantur et intelligantur, 503, 1, 2.
Quatuor facies Cherubim erant, 480, 1, 2. videtur eas Deus opposuisse statuæ Manassis, qui similem sibi statuam effecerat, 482, 2. quid hæ facies denotent, *ibid.* 503, 1, 2. imprimis quatuor Dei stemmata, 504, 1, 2. item quatuor dotes Dei redemptoris, et Dei bellatoris

vindicisque, 505, 2. item Synagogæ et regni Judaici stemmata, *ibid.* allegorice designant quatuor stemmata Christi, 506, 1. hæ tropologice sunt quatuor stemmata Ecclesiæ : id per omnia accommodatur, 507, 2. item quatuor sedes Patriarchales, quatuor doctores Ecclesiæ, nec non quatuor stemmata Ecclesiæ triumphantis, 508, 1, 2. — *Vide* Cherub, Currus.
Querelæ Jobi et Jeremiæ an ex impotenti et irato amore in Deum sint profectæ, 161, 2.
Querulum est natura omne infirmum, 164, 1.
Quia, quoniam, eo quod sæpe ponuntur pro quamvis, 67, 1.
Quinarii numeri mysteria, 860, 2; 861, 1, 2.
Quingentesimus numerus significat quietis perfectionem, quia fit ex quinquagenario decies multiplicato, 818, 2. idem remissionis et indulgentiæ sacramentum est, 819, 1.
Quinquagenarius numerus signat requiem, 818, 2.
Quintus Fabius Maximus a clementia dictus est ovicula, 686, 2.
Quintus Martius rex filii mortem patienter tulit, 680, 2.

R.

Rabani commentarius in Jeremiam ex S. Hieronymo est potissimum depromptus, 5, 1. ejus an sint commentarii in Threnos adscripti Hieronymo, 350, 1.
Rabbath hebraice quid sonet, 294, 1. erat urbs Arabiæ, et Ammonitarum metropolis, 309, 1.
Rabbinorum commentum et fabellæ, 3, 2; 71, 2; 176, 1; 214, 1; 257, 2; 257, 1; 269, 1; 336, 1; 348, 2; 353, 2; 373, 2; 467, 1; 470, 2, 1; 477, 1; 478, 2; 562, 2; 708, 2; 851, 2. eorum inanis spes et exspectatio, 420, 1. interdicunt suis lectionem initii ac finis Ezechiel, 777, 2. fatentur urbem quam delineat Ezechiel, non esse corporalem, sed mysticam, 864, 1.
Rachel cur dicantur matres Bethlehemiticæ, 225, 2. Rachel mater fuit Benjamin, et liberorum maxime avida et amans, 226, 1. ejus luctus in eorum interitu, *ibid.*
Radere barbam non est ex se malum, sed ideo sacerdotes Judaici non radebantur, ne Gentilium sacerdotes imitari viderentur, qui toto capite raso idolis sacrificabant, 834, 2.
Radius jubilationis ex fervida contemplatione promicans comparatur scintillis quas ejiciebat species electrina solio in curru Cherubim infidelis, 513, 2.
Raimundus (S.) cur se aula regis Aragoniæ Jacobi subduxerit, 664, 2. mare sine navi pertransiit, cappæ suæ insistens, scapulari pro velo, baculo pro gubernaculo usus, *ibid.* et 665, 1.
Rama urbs ubi sit sita, et unde dicta, 225, 1.
Ranæ an dicantur ab Hebræo *ranan*, id est clamare, 68, 1.
Reate urbs est umbilicus Italiæ, 768, 1.
Reblatha est urbs Syriæ in qua Nabuchodonosor belli Judaici finem exspectans substitit, 548, 2. Reblatha est provincia Syriæ, 270, 1, 2.
Receptacula occulta aquarum ad quem usum in templo essent, 849, 1.
Rechab natus ex Jethro; non est idem qui Jethro, 250, 1, 2.
Rechabitæ metu Nabuchodonosoris confugerunt e suis agris in Jerusalem, ibique diu pacifice habitarunt, 250, 1, 2. sunt Cinæi, posteri Jethro, *ibid.* fuere Madianitæ, *ibid.* a quo tempore eorum institutum cœperit, *ibid.* fuere typus Religiosorum, *ibid.* et 251, 1. eorum obedientia et abstinentia, 250, 1. 2.
Rectores sint Argus et toti oculati, 492, 1.
Redemptio Christi fuit strages peccati, et vita virtutis in eodem homine : hinc duplici nomine significatur, 649, 2.
Reema urbs est Arabiæ Felicis, 700, 1.
Reformatores morum sunt viri rixæ, id probatur per exempla, 127, 1.
Regia stirps cur vitis vocetur, 643, 1, 2.
Regia Hierosolymis erat juxta templum, 824, 1, 2.
Regina cœli cur dicatur luna, 68, 2.
Reginaldi Poli Cardinalis elogium, constantia et longum martyrium, 609, 2; 610, 1.
Regio mortis juxta Jerusalem quæ dicatur, 234, 2.
Regiones Romanæ urbis modo sunt quatuordecim, et olim totidem fuere, 284, 2.
Regna multa Gentilium fuere mera latrocinia, 153, 1. regna omnia gubernantur a Deo, 509, 2. regnum quo magis sibi regique suo unitum est, eo est validius, 842, 2. id par et salutare est ab uno regi, 760, 1.
Religio est optimus murus urbium, 372, 1.
Religio dissoluta est aurum obscuratum, 408, 1, 2. Religiones Deo sunt curæ ne deficiant, 253, 1. Religionum reformandarum optima ratio quæ sit, 212, 1.
Religiosi in quo imitari debeant quatuor animalia Ezechielis, 508, 1.
Religiosi Nazaræi sunt, 411, 1. Religiosi voluptatem consectantes sunt velut porci in sordibus agentes, 410, 1, 2. Religiosi a priscis majorum institutis deviantes, denigrati dicuntur, 189, 2. Religiosi ficubus comparantur, 414, 2. eos designarunt Rechabitæ, 250, 1, 2; 251, 1, 2. eorum vita et mores graphice describuntur, *ibid.* et 274, 1. quomodo cum sæcularibus agere debeant, 131, 2. Religiosus in tentatione quærens humana solatia est cisterna dissipata, 2, 81.
Reliquiæ Azoti quæ dicantur, 196, 1.
Rembertus (S.) Bremensis Archiepiscopus vasa sacra vendidit, ut redacto inde pretio captivos redimeret, 265, 2.
Remedium efficax contra tentationes carnis est orare B. Virginem per immaculatam conceptionem ejus, 831, 1.
Rempham interpretatur lucifer, stella et hesperus, 69, 1.
Renes sedes sunt concupiscentiæ et affectuum, 102, 2. renum dolor maximus. 386, 1.
Renovatio mentis homini necessaria est, 853, 2.
Repentini casus acerbi sunt, 689, 1.
Requies cur vocetur oratorium et templum, 810, 1.
Resina est lacryma vel gutta stillans ex arboribus : celebris est resina Galaad in Scriptura, 79, 1. ejus vires et potentia, *ibid.* resina animæ est pœnitentia, *ibid.* 2.
Resolutio fortis multum potest ad difficultates omnes evincendas, 417, 2.
Respublica est quasi navis, 701, 2.
Resurgent singuli in loco ubi fuerit cadaver et ossa, aut major eorum pars, 757, 1.
Resurrectio mortuorum est spes christianorum, 761, 1. ejus symbola sunt hydrargyrum et semen quodlibet, 758, 1. ea per octavum diem designatur, 799, 2. ea futura resurrectio comprobatur, 757, 2.
Resurrectio Christi allegorice significata in reædificatione templi Salomonici quam delineat Ezechiel, 779, 2.
Rete Dei est tribulatio, 262, 2. rete quodammodo est facilitas providentiæ Dei, 727, 2.
Rex regno amicitur, 282, 1. ejus insigne est sceptrum sive virga, 18, 1. ejus thronus justitia firmatur, injustitia et rapina evertitur, 175, 1. rex sit in medio regni quasi centrum in circulo, 842, 2. est speculum coram populo, quem hic in omnibus operibus suis aspicit et sequitur, 703, 1. naso assimilatur, 670, 2. esse debet Cherub, 502, 1, 2; 707, 2. — *Vide* Princeps.
Rex Babylonis ejusque antitypus diabolus cur ab Isaia comparetur Seraphino, rex Tyri vero ejusque antitypus Lucifer Cherubino ab Ezechiele, 708, 1, 2.
Reges multos in aula vinctos habuit rex Evilmerodach, 336, 1. pro regibus etiam ethnicis christiano orandum, 430, 1. reges sunt lapides angulares, 329, 2. reges varii contra Babylonem ducti in exercitu a Cyro, 322, 2. reges

multi caruere sepultura, 176, 1, 2. reges suos quo ritu Judæi sepelierint, 73, 1. reges Persarum et Chaldæorum ignem sibi præferri jubebant in olla vel concha, 19, 1. reges leonibus comparantur. 639, 1, 2. item cedro, 724, 1. vocantur et abietes et platani, 725, 1, 2. reges Juda quomodo peccando, templum Domini profanasse dicantur, 824, 2.
Ritus priscus sanciendi fœdera, 248, 2.
Romæ deploratio eversæ a Barbaris, 349, 2. Romæ religio a Romulo stabilita, 372, 1. Romæ captæ a Gothis epitaphium, 690, 2. Romæ monumenta priscæ gentilitatis multa hodie adhuc supersunt, 698, 1. Romæ nomen an sit *Dominus ibidem*, 778, 1; 863, 1. an per templum quod Ezechiel describit, possit intelligi, 778, 1. Romæ potissima pars jam sunt Ecclesiæ et Ecclesiastici, 841, 2.
Romani non sunt Idumæi, 419, 2. Romani noctem in quatuor distribuebant vigilias, 379, 1. fidem semper integram præstabant, 271, 2. Romano Imperio et Roma deficiente veniet Antichristus, 40, 1. Romani ignem prætulere suis Imperatoribus, 487, 1. Romani prisci barbam non tondebant nec radebant, 549, 2. sed posteriores contra, hinc hi in prosperis capillum et barbam radebant, in luctu dimittebant, 554, 1, 2. insignia magistratus in funere ponebant, 678, 1. annulos mutabant, *ibid.* in funere principum erat justitium, consules sedebant in curia sede vulgari, eis fasces præferebantur inversi, etc., *ibid.* 2. comam resecabant, eamque ponebant super pectus mortui, *ibid.* abstinebant conviviis, *ibid.* defunctos publice pro rostris oratione funebri laudabant, 729, 1. Romanorum commiseratio in hostes victos, 688, 2. in Syphacem regem Numidiæ, et Persem Asiæ, *ibid.*
Romanorum regum series et anni regni comparantur cum regibus Juda, 469, 1, 2 et seqq.
Romulo regni auspicium allatum ab aquilis, 624, 1.
Rosæ elogia, 709, 1.
Rotæ magnæ volubiliores sunt parvis, 577, 1. cur id fiat, *ibid.* et 2.
Rota quadrifacialis in curru Cherubico quomodo intelligatur, 488, 1. rotæ mari similes quid significent, 489, 1. erant quatuor coluri, *ibid.* 2. rota in medio rotæ quid sit, *ibid.* item quid mystice, 509, 1, 2. quid hæc denotet symbolice, 489, 2. rota super terram quid mystice et symbolice significet, 489, 1. rotæ an fuerint solæ, an cum axe et curru junctæ, *ibid.* 2 et seqq. quomodo hæ moverentur, 491, 1. quomodo non reverterentur, *ibid.* earum dorsa sunt canthi, *ibid.* 2. et ea erant ocellata, *ibid.* eæ erant altæ, 492, 2. erant hi oculi vivi et vivaces, *ibid.* quamdam dabant arcæ speciem, 496, 1, 2. quod eæ haberent quatuor facies, quid significet, 509, 2 et seq. primo Dei æternitatem, celeritatem et efficacitatem in operando, item jugem actionem Dei, angelorum et hominum divinorum, *ibid.* item celeritatem et efficacitatem victoriæ divinæ de Pharaone, 509, 1. omnes auctores Hebrææ Synagogæ, et allegorice Apostolos, *ibid.* mystice et tropologice significant regna et creaturas omnes gubernari a Deo, *ibid.* 2. deinde nos quasi rotas esse in manu Dei, tum debere nos in omnibus ejus impulsum et spiritus impetum sequi, 510, 1. earum oculi denotant circumspectionem Sanctorum, 492, 1. anagogice sunt æternitas, 510, 2. eæ rotæ an habuerint corpus et circulos, non autem colla, manus et pennas, 576, 1, 2. — *Vide* Animal, Cherub, Quatuor.
Rubeus color non tantum dicitur purpureus, sed et aureus, 413, 2.
Rubi et abietis apologus, 725, 2.
Rubigo pro adustione capitur interdum, 676, 1, 2.
Rubigo symbolum est impietatis et obstinationis. *ibid.*
Ructus pio sensu vocatur doctrina et oracula Prophetarum, 521, 1, 2.
Rudolphus I Imperator Austriacus ex cultu divino quam gloriosus evaserit, 372, 2.
Ruffini fastus et ruina, 104, 1, 2.
Rus Judæorum est Ecclesia, 182, 1, 2.

S.

Saba thus mittens alludit ad Græcum σέβεσθαι, id est revereri, quia thure veneramur Deum, 62, 1.
Sabbatum colens profitebatur Deum esse creatorem rerum omnium, 148, 1. sabbatum aliud est dierum, aliud mensium, aliud annorum, 647, 1.
Sabellii hæresis quid doceret, 108, 2.
Sabini dicti sint prisci Italiæ indigenæ a religione et cultu deorum, 62, 1.
Sacerdos auribus cur comparetur, 670, 2. non potest filiis dare bona et hæreditates Ecclesiasticas, 847, 2. vita esse debet velut sal, 734, 1, 2.
Sacerdotes Jerusalem cur gemere dicantur, 355, 2.
Sacerdotes Judæi non habebant hæreditatem in Israel, 837, 2. non radebantur, quare, 834, 2. at Gentiles contra radebantur, *ibid.*
Sacerdotes novi Testamenti pinguioribus victimis pascuntur quam veteris, 225, 1. sunt caput Ecclesiæ, 171, 1. sunt annuli Dei, 178, 1. dissoluti sunt aurum obscuratum, 407, 2. cur sint Cherubim, 507, 2. quomodo fiant lupi et vulpes, 590, 1, 2. eorum dotes recensentur, 838, 1, 2. sacerdotes nimis erga suos amicos et consanguineos et terrena affecti reprehenduntur, 835, 1, 2; 836, 1, 2; 837, 1. sacerdotes quam animabus convertendis debeant insistere, 734, 1, 2. a populo loco et religione secerni debent, 817, 2. eorum peccata graviora sunt quam aliorum, Deumque irritant, 560, 2.
Sacra profanis præstant, 842, 1. non sunt ad profanos usus convertenda, 835, 1; 847, 1.
Sacramenta sunt resina, 79, 2. sacramenta omnia ex latere Christi aperto in cruce fluxerunt, 852, 1. sacramentum Confirmationis asseritur, 608, 1.
Sacrificia multa veteris Testamenti Christum præsignificarunt, 100, 1. sacrificium mystice sunt qui partem tantum Deo offerunt, 800, 1.
Sacrilegi vocantur a sanctis Patribus clerici Beneficia multa possidentes, 741, 1, 2.
Sadoc (in) et posteros ejus, amoto Abiathar, transtulit Salomon sacerdotium et pontificatum, 827, 2; 833, 1, 2. Sadoc illustris fuit pontifex tempore Salomonis, 790, 2.
Sæculi viæ vel semitæ dicuntur viæ peccati et peccatoris, 152, 1. cur a Propheta dicantur non tritæ, *ibid.*
Sagittæ Dei sunt morbi, 386, 2. sagittæ famis quæ sint, 544, 1.
Sagittarii certo configentes scopum aliqui recensentur, 385, 2.
Sal naturæ balsamum est, 606, 2. omnibus pene rebus mixtis inest sal, *ibid.* sal dictus divinus, et rebus divinis est amicissimus, *ibid.* est necessarium ciborum condimentum, *ibid.* sal baptismi quid sit, *ibid.* sal terræ sunt prædicatores et apostoli, 734, 1, 2.
Saliri solent corpora infantium recens natorum, cur 606, 1, 2.
Salomon initio quam fuerit religioni et cultui divino addictus, 372, 1, 2. Salomon duplices fecit Cherubinos, unos ad arcam, alteros ad altare thymiamatis, utrinque dispositos, 495, 2. hi quales essent, et quomodo dispositi, *ibid.* — *Vide* Cherub, Animal.
Saltus agri meridiani Jerusalem est, 650, 2.
Salutabant mane deos suos Gentiles, quasi eos dormientes prima luce excitarent, 562, 2.
Samaria (in) primo floruit Ecclesia, 222, 1, 2. Samaria erat caput regni Israel, 618, 1. per eam denotantur Israelitæ, 621, 1. ea coluit idola Assyriorum, Ægyptiorum, 668, 1. vastata est ab Assyriis, *ibid.*
Samiorum flores, quis diceretur locus in Samo, 552, 2.
Samuel zelator populi Israelitici zelosissimus, 125, 1.

Sancta quomodo vocentur bona a Deo nobis collata, 615, 2. sancta sancto et congruo loco sunt asservanda, 847, 2.
Sancta sanctorum dicuntur carnes sanctissimæ Domino immolatæ, 817, 2.
Sancti comparantur hirundinibus, 76, 1, 2. quam exhorruerint idola, 465, 1. quam multi ea adorare nolentes a tyrannis interfecti, *ibid.* eorum post delictum pœnitentia, 347, 2 et seqq. mundo cæci sunt, Deo videntes, 48, 1, 2. fugerunt in desertum interdum ob persecutiones, 299, 1. publicas clades suis peccatis attribuunt 383, 1, 2. eorum est pasci opprobriis; id probatur exemplis, 395, 2; 396, 1. semper Dei memores fuere, 389, 1, 2. eorum pars et sors Deus est, 390, 2. gloriantur in virtute tripliciter; item in Deo tripliciter, 131, 2. comparantur oleæ et olivæ, 98, 2. fructificant quintupliciter, 140, 2. dura amant et aspera, 164, 1, 2. ascribuntur cœlo et cœlitibus, 144, 1, 2. Sancti illustres a puero designantur et destinantur ad magna, 13, 1, 2. eorum merita non sunt æqualia, 124, 2. vivunt in perfecta charitate tum Dei, tum proximi, 125, 1. eorum preces prosunt, cum iis connitenti, *ibid.* Sancti fuerunt tolerantes ut agni, id probatur exemplis, 101, 1, 2. Sancti quam vigilanter et circumspecte in omnibus vivant, 510, 1, 2. Sancti omnes crucem honorarunt et adamarunt, 571, 1, 2. Sancti tribulati repræsentantur electro ignito, 512, 2. Sancti stant erecti supra terrena, 515, 1. sua opera justitiæ occultant, 601, 1. sunt aliis carbones, aliis lampades, 487, 2. habent pedes rectos, 483, 2. sunt germina Christi, 745, 1. eorum invocatio asseritur, 599, 2. Sanctorum multorum etiam hodie ossa ebulliunt, alia liquorem odoriferum et salutiferum stillant, 761, 1, 2.
Sancti veteris Testamenti in cruce dolebant, novi gaudebant, 164, 1. in limbo pro suis orabant in genere, 125, 1. unde novissent in limbo quid in terra ageretur, *ibid.*
Sanctificare quid significet, 14, 2.
Sanctificari Deum in Scriptura quid sit, 772, 2.
Sanctificatine multi in utero matris, 15, 1.
Sanctificatio Judæorum varia erat, 371, 2. sanctificatio modica cur Juda futura dicatur, 583, 2.
Sanctitas fidelium quam sit toti orbi utilis, 834, 1. sanctitas prævia optima est dispositio ad prædicandum infidelibus, 15, 2.
Sanctitatis symbolum est linum, 834, 1. ejus subtilitas, utilitas, gloria, deliciæ, *ibid.*
Sanctius Hispaniæ rex monitus a D. Petro Aldephonsum fratrem, quem vinctum habebat, liberum dimisit, 266, 2.
Sanctuarium Judæorum tres habebat partes, 556, 2. Sanctuarii et Sancti descriptio mystica, 815, 1, 2. sanctuarium Hierosolymorum quando ingressæ sint gentes alienigenæ, illudque profanarint, 360, 1.
Sanctum capitur interdum pro re magna et eximia, 14, 2.
Sanctum denotabat cœlestem mundum, 805, 1, viros perfectos, *ibid.* id erat quadrangulum, 806, 2,
Sanctum sanctorum repræsentat mundum supramundanum, 805, 1. Beatos regnantes cum Deo in cœlis. *ibid.* erat id quadratum, 806, 2. dicitur adytum, domus animæ et oraculum, unde, 807, 1. — *Vide* Templum.
Sanctus Diaconus christianum se esse quanti faceret, 447, 1.
Sanctulus (S.) pro captivo diacono se vadem et captivum Longobardis obtulit, 265, 1, 2.
Sanguis pluens in Aquitania tempore Roberti regis, quid portenderet, 545, 2. sanguis quomodo et quare omnia scelera significet, 556, 2. ejus esus vetitus fuit priscis Judæis, 737, 2. sanguinem super limpidam petram effundi mystice quid sit, 677, 1. sanguine Prophetarum interfectorum plena fuit Jerusalem usque ad os, 676, 2. sanguine Christi in calice nutrimur, 852, 1.
Sanguis et aqua cur effluxerit e latere dextro Christi aperto, 852, 1.
Sanir mons unde dictus, 693, 1.
Sanitatem tuentur exercitium, sobrietas, castitas, eam destruunt desidia, saturitas, libido, 618, 2.
Sapiens vano hominum timore non movetur, nec terretur, 524, 1, 2.
Sapientia nonnisi apud Deum invenitur, 441, 1. sapientiæ locus, fons et iter est a creaturis ad creatorem ascendere, 442, 2. sapientia practica et prudentia et intellectus cur ita dicantur, 439, 2. item alia ejus nomina, *ibid.* ejus effectus sex, 440, 1, ii exemplis probantur variis, *ibid.* et 2. consistit in timore Dei et legum ejus custodia. *ibid.* sapientia practica est Dei timor et cultus, 441, 2. in sapientia non est gloriandum, cur, 85, 2. sapientia Christi, 447, 1, 2.
Sapphirus gemma aerii est coloris, aeriis punctis micans significat nobilitatem et spendorem divinæ majestatis nobis invisibilem, 494, 1.
Sapores rex Persarum usus Aureliano imperatore ut scabello pedum, 451, 1.
Saraceni unde dicti sint, iidem sunt qui Agareni et Cedareni, 313, 1. juxta aures comam suam attondebant, 314, 1. saracenorum irruptiones in imperium Romanum sub Heraclio imperatore portendit cometes, 653, 2.
Saraias quomodo dicatur princeps prophetiæ et quietis, 332, 2. missus a Jeremia in Babylonem cum prophetia, 333, 1. cur eam in Euphratem projecerit, *ibid.* et 2.
Sarion idem est qui mons Hermon, 693, 1.
Sartago ferrea quam sumit Ezechiel, mystice est ferrea Dei sententia in duros Judæos, et significat igne frigendos eos, 532, 1. symbolice zelum denotat, *ibid.* 2.
Saturnus est Moloch, ei pueri et amicissimi, præsertim in gravi aliqua necessitate, immolabantur, 71, 1.
Saturitate (e) ventris quæ mala sequantur. 610, 1.
Satyrus (S.) Martyr quo viso ad martyrium sit animatus, 809, 2.
Saul familia exstincta ob Gabaonitas præter fœdus violatos, 271, 1.
Saxones fœdifragi quas Carolo Magno pœnas dederint, 271, 1.
Scabellum Dei est arca et templum, 369, 1.
Scabellum solii Dei crystallinum quid mystice designet, 511, 1.
Sceba quid proprie significet, 658, 1.
Scelera dilecti in domo Dei quæ sint, 98, 1.
Scientia hominum stulta est quadrupliciter, 93, 1, 2.
Scipio Nasica ob prudentiam dictus est corculum, 753, 2.
Scire pro prædestinare aliquando capitur, 13, 1.
Scorpio quod genus sit animalculi, 516, 1.
Scotorum sponsæ cur regi nummum offerant, 462, 2.
Scribendi calamo et atramento apud Hebræos usus quam sit antiquus, 256, 1.
Scripta Jeremiæ varia, 2, 2.
Scriptura solet alienis nominibus vocare urbes et gentes, maxime si alienatæ sint a Deo, 171, 1. olim per capita distincta non fuit, 204, 1. solet in numeris minorem præferre majori, 238, 2. dicit subinde factum aliquid eo consilio et affectu, quo plerumque ab hominibus fieri solet, licet reipsa longe aliter se habeat, 160, 1. Scripturæ non implentur in simili vel in sensu accomodatitio, 225, 2. scriptura sacra est velut arbor sacra et lignum vitæ, 853, 1. ejus sensus historicus fidem nostram pascit, allegoricus et moralis mores corrigit, et medicinalis est, *ibid.* est porta clausa, cur, 832, 1, 2. ea allegorice intelligitur per torrentem sensim crescentem, 851, 1. quomodo scripta intus et foris, 517, 2. in ea scriptæ sunt lamentationes, carmen et væ, 518, 2; 519, 1. oceanus est

et labyrinthus, 840, 1. tota quidem propter nos scripta est, sed non tota intelligitur, 795, 2. ipsa quomodo dicatur calamus mensuræ, 793, 2. item porta, 794, 2. graviter arguit sacerdotes et clericos opibus accumulandis studentes, 741, 1, 2.
Sculptura Cherubinorum dimidiata qualis esset in templo, 813, 2.
Scutum cordis est angor et mœror 405, 1. scuta vetera totum tegebant militem, *ibid.*
Scythæ sunt Magog, 765, 2.
Scythicæ gentes cum Antichristo venturæ contra Messiam, juxta Judæos an sint Gog et Magog, 764, 1.
Securitas præpostera in periculum impellit, 61, 1, 2.
Sedeciæ regis plaga abiit in proverbium, 190, 2. initio Jeremiæ credere detrectavit, sed postea legatos in Babylonem ad regem misit tributum ei deferentes ut pacem renovarent, 210, 1. perfidus et violati fœderis reus, Nabuchodonoris minaces oculos et verba sustinere debuit captus et vinctus, 237, 1. sepultus est pompa regia, 238, 1. annos sabbaticos reparavit, 247, 1. prædicitur comburendus ritu majorum, *ibid.* quomodo comploratus et planctus a suis, *ibid.* 2, et 248, 1. percussit fœdus inter se ac populum et Deum, 248, 1. fuit liberalis in Jeremia alendo in publica fame, 266, 2. ejus obstinatio in non tradendo sese Chaldæis, 268, 1. ad Nabuchodonosorem abductus excæcatus est, 270, 1. ejus fuga, 269, 2. cur non credidit oraculis Jeremiæ, nec Ezechielis, 471, 1. capta urbe rupto muro horti regis, fugit per desertum, non pedes, sed portatus in sella humeris bajulorum et facie velata, 588, 1. excæcatur in Reblatha, *ibid.* eum quomodo humiliarit Nabuchodonosor, 626, 2. fuit semper ei subjectus, *ibid.* cur comparetur viti, *ibid.* vires conjunxit cum Ægyptiis, 627, 1, 2.
Sedere in Scriptura idem est quod adesse et esse præsentem sive quis sedeat, sive jaceat, sive stet, 352, 1, 2. sedere Hebræis significat commorari, consistere, manere, 830, 1. sedere est mœsti animi signum, 527, 1.
Sedere in Libano est opulenter vivere, 177, 2.
Sedes Dei triplex est, 143, 2.
Segor quibus nominibus dicatur, 304, 2. cur dicatur vitula conternans, *ibid.*
Seir regio dicta ab Esau piloso, 583, 2.
Seleucus Syriæ rex unde sit dictus Ceraunius, 488, 1.
Sellum filius Josiæ regis quis fuerit, idem est qui Joachas, tertio genitus ejus, 171, 2. cur dicatur quarto genitus, cum sit tertius, 172, 1.
Semeias Jeremiam ut pseudoprophetam arguit, 214, 1, 2. mortuus est Babylone, 215, 1, 2.
Semel capitur interdum pro perfecte, 550, 2.
Semen renascens, elegans est symbolum resurrectionis, 758, 1.
Seminis origo in feminis an sit in umbilico, 605, 2. in semine triplex est spiritus, 616, 1.
Semiramidem coluere Chaldæi in specie columbæ, cur, 199, 2. ejus libido, *ibid.*
Senarius numerus perfectus est, quia sexto die Deus perfecit opera sua, 795, 2.
Seneca quam parvi prosperam fortunam fecerit, 165, 2.
Senes puniri ante alios merentur, quia junioribus sunt causa offendiculi, 571, 2.
Seniores XXIV Joannis in Apocalypsi alludunt ad XXIV Cherubinos templi, 814, 1.
Sensus communis an sit in corde, an vero in cerebro, 753, 2.
Sensus interni sunt animæ cibi, 387, 2. per sensuum portas intrat mors in animam nostram, 85, 1. exempla eorum qui sic periere, *ibid.*
Separare pretiosum a vili, quid sit, et varie exponitur, 130, 1.
Sepem se pro populo interponunt viri sancti, 665, 2.
Septem capitur pro multi, 26. *
Septem fratres dormientes ad vitam redeuntes Ephesi signum fuere resurrectionis mortuorum, 558, 1; 761, 1.
Septem generationes quibus Judæi in Babylone fuere, quomodo sapiantur, 459, 2.
Septentrio ob frigus viros proceros producit et vastos, 695, 2.
Septenarius numerus significat copiam et multitudinem, 771, 1. item significat universitatem et perfectionem, 503, 2. per septenarium jurabant veteres, 658, 1. hujus numeri perfectio, 527, 1.
Septuaginta anni captivitatis tropologice est pœnitentia hujus vitæ, 211, 2. cur tamdiu captivitas durarit, 212, 1. est ea meta vivendi hominibus, *ibid.*
Sepulcrum commune Judæorum erat in valle Cedron juxta Topheth, 155, 2. sepulcro assimilatur pharetra, 55, 1, 2. sepulcra violare inhumanum est ac barbarum, 73, 1, 2. sepulcra nobilium Judæis erant propria, vulgi communia, 202, 2.
Sepultura asini est sterquilinium, 175, 2. sepultura hodie ignoratur magnatum, qui olim magnificas construxere moles, *ibid.*
Seraphia virgo quam sit idolorum cultum detestata, 465, 2.
Seraphim Isaiæ cur vultum tegant, Cherubim Ezechielis non tegant, 504, 2.
Sergius Martyr a servo olim suo Antiocho dire tortus est et vexatus, 423, 1.
Sericum quid sit, et unde formetur, 610, 2. quomodo id conficiatur, *ibid.*
Sermo Domini quomodo in ore Jeremiæ sit factus quasi ignis, 160, 2. sermo lenocinans est calix aureus Babylonis, 327, 2.
Sermo similis stillæ est, 550, 2. sermonis quod esset Ægyptiis hieroglyphicum, 484, 2; 485, 1.
Serta cur dentur virginibus et doctoribus mortuis, 247, 1.
Servi olim tondebantur, 70, 1. servis de domino acerbo conqueri non licebat, 353, 2. servos Hebræos dimittebant Judæi anno sabbatico et remissionis 248, 1. sed non alienigenas, *ibid.* servos plerumque patiuntur immorigeros, qui inobedientes sunt Deo, 249, 2. a servo torqueri, hero dolorosum et grave est, 423, 1. servi erant olim nudipedes, 609, 1. servi domini sui nomen olim in corpore vel fronte ferro inustum gerebant, 568, 2.
Servientes qui vocentur in urbe, 861, 2.
Servitus Dei quies et regnum est, 422, 2. servitus et oppressio dicitur stuprum, 28, 2.
Sesach non est rex Ægypti, nec Æthiopiæ, sed Babylonis, qui ultimus bibit calicem iræ Dei, unde sic dictum, 196, 2. idque per alphabetariam commutationem, *ibid.* et 197, 1. cur sic litteras Jeremias commutarit, 197, 1, 2.
Sesamon est placenta mellita nuptialis, ea convivis dabatur, 613, 1.
Sessio est judicum et otiantium, 404, 2. sessio Deo magis propria est quam statio, 494, 1.
Severinus (S.) arbori maledicens eam arefecit, ei benedicens, eam virori restituit, 762, 2.
Sex cubiti et palmus quid tropologice significent, 784, 1. 2. sex cubiti sunt vita activa et contemplativa, 793, 2.
Sexaginta cubitis bonorum operum perfectio denotatur, 796, 1.
Si Hebræis est particula jurantis, idemque valet quod *non*, 171, 1. *Si* exsecratorium boni ominis causa subticent Hebræi, 632, 1.
Sibilus apud Hebræos signum irrisionis vel admirationis, 311, 1, 2. sibilus est stupentium vel irridentium, 701, 2.
Siccitate ea quando laborarit Jerusalem, de qua loquitur Jeremias, 120, 1.
Siclus tanti pretii est, quanti florenus Brabanticus, id est quatuor regalium, 238, 2. aureus siclus quis esset, *ibid.* siclus erat tetradrachmus, æqualis in pondere et pretio quatuor regalibus Hispanicis, sive floreno Brabantico, 843, 2.

Sidon a quo condita, dicta a multitudine piscium : Phenices enim pisces vocant Sidon, 711, 1.
Sidonii industrii et navi mercatores erant, 442, 1, 2.
Sidonii Judæos suo exemplo, familiaritate, suasionibus ad sua scelera, maxime idololatriam, pertrahebant, 711, 2.
Sidus hieroglyphicum est fati, 285, 2.
Sigeberti (S.) Francorum regis corpus diu post mortem inventum est integrum, 761, 1.
Signa solet Deus dare quæ certa sunt 566, 2. signum quale sit, *ibid.* et 567, 1, 2. — *Vide* Tau.
Signaculum, 2. similitudinis quod, 705, 2.
Signum bonæ vel malæ concionis quod sit, 342, 1, 2.
Silentium capitur pro morte, 77, 2. est quadruplex, stuporis, securitatis, longanimitatis, quietis cordis, 78, 1. silentium est mater devotionis, compunctionis et tolerantiæ : gnomæ de eo, 392, 1, 2. decem ejus recensentur fructus, *ibid.*
Silicernii senes unde dicti, 461, 2. silicernium quæ esset cœna, *ibid.*
Silva et prata quomodo ridere et plaudere, et redolere videantur, 454, 1, 2.
Simeonis Sali eremitæ sancta stultitia, 539, 2.
Similis Romanus quam fuerit solitudinis amans, 394, 2.
Similitudo conciliatrix amicitiæ, dissimilitudo inimicitiæ, 108, 1.
Simon infans Tridentinus, a Judæis crucifixus, martyr est, 226, 2.
Simulata amicitia est duplex inimicitia, 83, 1.
Sinæ in funere suorum, magistratu ad aliquot annos se abdicant, 678, 1. annos consignant per annos regis eo tempore regnantis, 475, 2.
Sinensium conversionem maxime impediunt Christianorum quorumdam vitia, 279, 2.
Sinister locus est dæmonum, dexter beatorum, 573, 2.
Sinopis est minium, 173, 1.
Sinus circum altare erat in imo ad excipiendum victimarum sanguinem, 825, 1; 827, 2.
Sion quomodo plorans expandat manum, 365, 1.
Sisois Abbatis fiducia in Deum, 140, 2.
Siticinum instrumentum proprium erat eorum qui ad sitos, id est mortuos, canebant, 305, 1, 2. ejus forma, *ibid.*
Sivan mensis respondet nostro maio, 429, 2.
Societas Jesu quamdiu exagitabitur, florebit, 127, 1, 2. tribus rebus maxime est promovenda, 288, 2.
Socii Gog sunt filii vel nepotes Japhet, 765, 2.
Socium habere in pœna est solamen aliquod miseris, 731, 2.
Socrates quam e studiis voluptatem caperet, 33, 1. ejus patientia incredibilis, 264, 1. quam esset in adversis constans, 165, 1. salutare solitus fuit solem orientem, 562, 2.
Sodoma quomodo dicatur soror minor Jerusalem, 618, 1. sepulta jacet, *ibid.* ejus peccata quinque, *ibid.* 2. Sodoma vocantur omnes Gentiles, 621, 1.
Sodomitarum et Hierosolymitanorum excidia inter se comparantur, 410, 2.
Sodomitas quomodo et quando reducet Deus, cum omnes igne cœlesti consumpti sint, 620, 2; 621, 1.
Sol beatorum erit Deus, 456, 2. Solis hierogiyphicum apud Ægyptios quod esset, 282, 2. sol quatuor millionibus milliarium distat a terra, 443, 2. sol meridie occidit Judæis in passione Christi, 126, 2.
Sol pingebatur ad Heliopolitanis quasi avis oriens et occidens, inde nata fabula de phœnice, 722, 1. an cultus in Hammone, 546, 2. quomodo sit mundi cor, 754, 1. solem orientem adorabant Gentes, 562, 2. eum fingebant nonnulli vesperi emori, in exortu novum fieri, *ibid.* eum coluere Ægyptii et Persæ, 563, 1. solem orientem plerosque adorare, non occidentem, de qua re dicatur, *ibid.*
Sola quomodo sedeat Jerusalem, 352, 1, 2.
Solitudo quæ pariat bona, 394, 1, 2. ejus deliciæ, 82, 1.
Solium altitudinis locus sanctificationis quid sit, varie exponitur, 143, 1. solium est regis et Dei hieroglyphicum, *ibid.* 2. Solium Dei in curru Cherubico quid symbolice designet, 511, 1.
Sollicitudo onus est animæ, 382, 2.
Sophia (S.) tres filias suas adhuc impuberes ad martyrium efformavit et accendit, 581, 6.
Sophonias non fuit sacerdos summus, sed ejus vicarius, 214, 2.
Sors clericorum Deus est, non opes et hæreditates terrenæ, 741, 1. sors Judæ et Benjamin in dimensione tribuum cur commutentur, 862, 1. sorte divisa est terra Judæis Babylone redeuntibus, 840, 1, 2.
Sortes et omina apud veteres fuere in usu : id probatur exemplis, 656, 2 et seqq.
Spartani quomodo pueros ad laborem assuefacerent, 394, 1.
Spatiorum Levitarum et sacerdotum dimensio describitur, 841, 1, 2.
Species hominis ex electro et igne in quadriga Cherubim quid repræsentet, 512, 1, 2. — *Vide* Facies, Cherub. Homo.
Specula conscendenda ei qui se cupit a peccato convertere, 227, 2.
Speculator quomodo sit Ezechiel, 527, 1, 2. speculator spiritualis est Propheta et prædicator, is si impiis mortem non denuntiet, eorum mors illi imputabitur, 527, 2; 734, 1, 2. talis fuit S. Augustinus, 528, 1.
Sperando periclitatur homo et desperando, 736, 2; 737, 1.
Sperans in Deo maxime eum honorat, cur, 139, 2.
Spes in homine futilis est, velut id quod in aqua scribitur vel pulvere, 144, 2. spei in creaturis tres effectus, 139, 2. spei in Deum effectus boni, *ibid.* ejus quinque fructus, 140, 2. spei Sanctorum exempla, 140, 1. lauro comparatur, 140, 2. ejus novem fructus, 361, 2. spes in pœnitentia est velut thesaurus defossus in agro, 277, 1. spes est janua veniæ, 798, 2. mystice est longitudo 800, 2.
Sphinges Gentilium efformatæ secundum formam Cherubinorum Ezechielis, 483, 1.
Spinæ pro peccatis sumuntur, 552, 1.
Spiritus iræ Dei duplex, 46, 2.
Spiritus Sanctus in specie columbæ descendit in Christum, cur, 199, 2. quomodo in lege nova fidelium mentes illustret, 233, 2. dicitur Auster ob quinque analogias, 116, 1. Spiritus Sanctus Ecclesiæ quasi cor a Deo datus in pentecoste, 753, 2. an recte vocetur manus, 782, 2.
Spiritus oris nostri non est Josias rex, nec Sedecias, sed Christus, 417, 1.
Spiritus privatus hæreticorum doctor non est Dei, sed diaboli, 233, 1.
Spiritus vitæ in rotis currus Cherubici quid esset, 492, 2. — *Vide* Currus, Rota. Spiritus erat motor currus Cherubici, 487, 1.
Spiritus triplex est in semine, isque in usu veneris emittitur, unde necesse est vires et vitam amitti, 606, 1.
Spiritus noster habet quamdam quasi immensitatem participatam a Dei spiritu, 782, 2.
Splendor omnis terræ flos et fœnum est, 299, 2. tunc periturus cum in summo est, 300, 1.
Splendor Beatorum in cœlo quantus sit futurus, 455, 2.
Splendor Dei apud Ezechielem significat terribilem ejus præsentis majestatem, 478, 2.
Sponsæ novæ olim quare limen domus non tangebant, 785, 2. sponsæ olim et sponsi coronabantur, 611, 2.
Sponsus sponsæ virgini est instar patris, 39, 1, 2.
Stacte est myrrha stillatitia, 700, 1.
Stadia octo faciunt milliare, 855, 2.
Stagni cujusdam mirabilis natura, 493, 1.

Stanislai (S.) Episcopi Cracoviensis et martyris reliquiæ quomodo ab aquilis protectæ, et unita rursus ad suas quæque compages, 761, 2. idem Stanislaus mortuum Petrum quemdam ad vitam revocat, 761, 2.
Stater constabat quatuor regalibus Hispanicis, par erat floreno Brabantico, 843, 2. idem est quod siclus, 533, 2.
Statuere pro stabilire, 432, 1, 2.
Status tres fidelium mystice designat cochlea et tres cellarum ordines in templo, 808, 2.
Stellæ colebantur a Gentilibus quasi numina animata, 88, 1, 2. hinc eas putarunt esse animatas primi Philosophi, 74, 1, stella quævis continet terram decies et octies, 443, 1. stella quævis una hora conficit 42 milliones milliarium, si sit sub æquinoctiali, *ibid.*
Stellæ sunt ocelli cœli, 491, 2.
Stemmata quatuor Dei quæ sint, 504, 2. quæ stemmata Christi, 506, 1. quæ stemmata Ecclesiæ, 507, 2. quæ stemmata Ecclesiæ triumphantis, 508, 2.
Stephani eremitæ in morte lucta et angustia, 121, 1, 2.
Stephanus (S.) primus Hungariæ rex cœlitus nasciturus præmonetur, 13, 2.
Stephanus (S.) Protomartyr libere Judæos coarguit, 735, 2.
Stercus humanum erat Judæis lege abominabile, 534, 2. in stercore humano adusto coxit panes suos Ezechiel, *ibid.*
Stilponis Philosophi in adversis constantia, 165, 1.
Stirps Rechab quomodo non defectura credatur, 252, 2.
Stoici per patientiam ad apathiam et animi tranquillitatem tetenderunt, 165, 1.
Stola vestis muliebris et exsultationis, 450, 2.
Stratores qui sint, 301, 2.
Struthionis erga pullos inhumanitas, 400, 2. est symbolum stoliditatis, *ibid.*
Stultitia est facinus insigniter inhonestum et dedecens, 214, 1.
Stylus Jeremiæ simplex et facilis, 8, 2.
Stylo ferreo scribebant Judæi veteres, Romani osseo, 136, 1, 2.
Subditi vitiosi merentur Prælatos fallaces et mendaces, 593, 2.
Subtilia quæ vocet Propheta : erant ea pepla extima a capite ad talos demissa, 610, 2.
Suburbana proprie quæ vocentur, 841, 1. suburbana quæ sacerdotibus habere liceret, *ibid.*
Subversores qui dicantur, 516, 2.
Succinum an sit electrum, 478, 2. — *Vide* Electrum.
Succus cedri qua vi polleat, 629, 1, 2.
Sues quia parvam habent frontem indociles sunt et stupidæ, 522, 2.
Sui ipsius cognitio quanti referat. 39, 2.
Sultanus captivus e rotæ volutione spem meliorum concepit, 510, 1.
Superbia est idolum fallax, 311, 1. superbiam suam homo metiatur ex adversitate, qua ei medetur Deus, 435, 2. superbia Jordanis quæ dicatur, 311, 2. ea quid significet proverbialiter, 106, 1, 2.
Superbi diabolum imitantur, 629, 2.
Superbiæ mala, 619, 1. superbia Judæorum erat templum, 556, 2.
Superbientes ob continentiam quomodo Deo permittente sæpe excidant, 414, 2.
Sursum flumina, parœmia ubi et quando habeat locum, 151, 2.
Susinæ sunt equi communes et currules, 698, 2.
Susurro est latro, 662, 1.
Susurrones in communitate sunt viperæ et proditores 82, 2.
Sutor Gallus Caligulæ Imperatori deitatem ambienti quam libere respondent 595, 2.
Swiberti (S.) ortus prodigiosus, 13, 2; 14, 1.
Syene initium erat Ægypti inter mare Rubrum et Nilum, 716, 2.
Symbola resurrectionis mortuorum, 761, 1, 2.
Synagoga Judæorum quomodo initio se Deo sponso suo ornarit et ejus oculis grata fuerit, 25, 1. quomodo Dei et conjux et serva esset, 30, 1. synagoga tenella quomodo a Deo protecta et assumpta sit, 605, 1, 2. et seqq. — *Vide* **Israel. ejus bona erant typus bonorum Ecclesiæ, 519, 1.**
Syri habent in domibus solaria et pavimenta, in quibus ambulant, et in æstate dormiunt, 156, 2.

T.

Tabernaculum tectum erat pellibus ianthinis, eratque quadrangulum, 608, 2.
Tabulatis templi mystice significantur tres vivendi distinctiones, conjugatorum, Prælatorum, contemplantium, eæque singulæ adaptantur, 808, 2.
Taciturnitas est sepulcrum patientiæ, 395, 2.
Talionis lex æquissima est, 557, 1, 2.
Tamberlanes Damasci tres turres e mortuorum craniis construxit, 312, 2. usus est Bajazete quasi scabello, 369, 1.
Tammus cur dicatur Adonis, 561, 2.
Tanis urbs unde dicta, 721, 2. a Tani dicti sunt gigantes Titanes, *ibid.*
Tapetum usus quis esset apud veteres, 700, 1. tapetes Belgici commendantur, 608, 2.
Taphnis erat metropolis Ægypti, et regia Pharaonis, 281, 1.
Tarquinii Prisci regis Romanorum in ædificando insania, 172, 2.
Tarquinio Prisco regi Romano regnum portendit aquila, 624, 2.
Tartaria nanorum est ferax, 695, 1.
Tartari vocant suos principes Gog, 765, 2.
Tartarus ollæ assimilatur, 675, 2.
Tartessus est colonia Tyriorum, 694, 2.
Tau signum quale sit, 566, 2. est figura crucis, 567, 1. tau inscribebatur pectori Serapidis apud Ægyptios, *ibid.* **tau Græcis et Latinis erat symbolum vitæ,** *ibid.* **eo cur signentur salvandi,** *ibid* **et 2. quomodo Christum repræsentet,** *ibid.* **quid hebraice significet,** *ibid.*
Taxus arbor venenata est, 101, 2. an ab taxo formetur et dicatur toxicum, 102, 1. unde ea sit venenata, *ibid.*
Tecta Judæi habebant plana, leviter tamen declivia, 156, 1.
Tecua fuit academia Chananææ, 442, 1. fuit in tribu Juda et Benjamin, sita in monte, 58, 2. cur in ea clangi buccina jubeat Jeremias, *ibid.* **ejus situs et munitio,** *ibid.*
Temeraria suspicio quam perniciosa sit, 260, 2.
Temperantia optima est mater venustatis, 411, 1.
Tempestas in visione prima Ezechielis cur Deo tribuatur, 497, 2.
Templum Salomonis dicitur aurum, cur, 407, 1. id dicitur tabernaculum, cur, 371, 1. vocatur et auxilium, cur, *ibid.* **id quando combustum, 276, 1, 2.**
Templi Salomonici elogia sex, 682, 1. illud a Salomone erectum est Deo victori ob eximias victorias, quas ejus pater David Dei ope de hostibus reportaverat, 813, 1, 2. erectum erat versus Occidentem, 563, 1. erat domus sancta, voluptas Dei, imago cœli, 825, 1. templum adeuntes cur per aliam egredi deberent portam quam erat ingressi, 847, 1. aquæductus subterraneos cur templum haberet, 849, 1, 2.
Templum sepulcri Dominici celebre ob peregrinationes fidelium toto orbe ad illud : sepulti in eo Godefridus

Bullonius, ejusque frator Balduinus, primi reges Hierosolymorum e Christianis, 235, 1, 2.
Templum Latinis unde dicatur, 825, 1.
Templum in navi quid sit, 693, 1.
Templum quod describit Ezechiel, idem esse videtur cum eo quod restauravit Zorobabel, idque apposite ad consolationem eorum qui in captivitate Babylonica agebant, 778, 1, 2. hoc non potest intelligi de templo corporali et Judaico, cur, 778, 1. id est symbolice Ecclesia Christiana, 779, 1, 2. cur id templum ei ostensum describendum, *ibid.* et solvuntur quæ contra hoc objici possunt, 778, 2. an fuerit tam augustum quam Salomonis, *ibid.* quam fuerit id altum, *ibid.* cur id Judæi altius non exstruxerint, *ibid.* cur non tam perfecte id structum ac Dei idea præ se fert, 779, 1. quod templum hoc a civitate et civibus removeatur, per hoc accipiendus est status sacerdotalis, ejusque templa, *ibid.* 2. hæc templi restauratio allegorice est resurrectio Christi, *ibid.* anagogice vero in eo describitur templum cœleste, 780, 1. et tropologice anima sancta, *ibid.* et 2. generalis idea trium templi partium, *ibid.* et 781, 1. erat id stratum pretioso marmore, 782, 1. erat in monte sublimi, cur, *ibid.* 2. cur vocetur civitas, 783, 1. erat tribus muris circumdatum, 784, 1. ejus tres muri et tres portæ, eæque in singulis muris sibi obversæ, quid significent mystice, *ibid.* ejus latitudo et longitudo, 791, 1, 2; 806, 1; 2, 811, 1. ejus porta quadrata erat, 814, 1. erat ea similis portæ templi Pantheon Romæ, *ibid.* templi fabricæ totius expositio mystica ex S. Gregorio, 792 et seqq. et alia ex Lyrano, 819, 1, 2 et seqq. id ab Ezechiele describitur quasi situm extra Jerusalem, quare, 855, 2.
Templum quoddam augustissimum et urbem a Messia suo exspectant Judæi moderni: quod templum et urbs quia nondum apparuit, hinc inferunt Messiam nondum venisse; sed refelluntur, 776, 1, 2.
Templum D. Petri Romanum vere est orbis miraculum, in quo ipsissimæ templi Salomonici columnæ visuntur, 787, 1.
Templum Domini triplex est, 66, 1. templum triplex adumbravit triplices homines sive triplicem hominis statum, 805, 1. templa et urbes ab hæreticis et infidelibus cur sinat spoliari Deus, 360, 1.
Templorum et sacrorum eversio fideli homini pavenda est, 682, 1.
Tempus quomodo adversus Jerusalem vocatum, 363, 2. ipsum nos accusabit in judicio, 364, 1. ipsum fugax et irrevocabile est, *ibid.* tempus ambulat licet homine dormiente, 122, 1. tempore omnia suo sunt facienda, 74, 2. temporis, id est occasionis, descriptio, 75, 1.
Tenebræ symbolum adversitatis, 383, 2. tenebræ repræsentant gloriam Dei, 575, 1.
Teneris (a) assuescere magni interest, 117, 2.
Tentatione (in) constans est velut lapis quadratus, 800, 2. contra tentationes carnales remedium efficax est, si tentatus B. Virginis opem imploret per immaculatam conceptionem ejus, 831, 1.
Tentoria fuere primæ veterum Patriarcharum domus, 94, 2.
Termini dii an dici queant *signum*, 317, 1.
Terminus sive margo in templo quis qualisve esset, 786, 2.
Ternarius numerus symbolum est multitudinis et universitatis, 658, 2.
Terra instar nihili et vacua est, 48, 2. symbolice, quando caret hominibus virtute præditis, *ibid.* terræ ambitus quis sit, 443, 1. ipsa punctum est respectu cœli, *ibid.* 2. quot anni insumendi ut ex ea perveniat quis ad convexum firmamenti, *ibid.* est punctum puncti, 444, 2. terra soli non exposita, nihil profert aut sero profert, 34, 2. terra accipitur pro terræ habitatoribus, 178, 2. in terra scribi quid sit, 144, 1. terræ portæ quæ dicantur, 126, 1. terræ filios quos vocarent veteres Gentiles, 144, 2.
Terra sancta videtur ante Antichristum a Christianis recuperanda, 767, 2.
Terra viventium vocatur Jerusalem ob tres causas, 690, 1.
Terra Israel cur dicatur excellentia et superbia, 647, 1.
Terræ motus quos causetur effectus, 768, 1, 2. primo vocatus est terripavium, inde terripudium, deinde tripudium, *ibid.*
Terrenas curas relinquere debent sacerdotes et prædicatores, 734, 1, 2.
Terrores homicidarum quales sint, 748, 1.
Tertius annus in pecoribus robustissimus est, 304, 2.
Tertulliani locus quidam ab hæreticorum depravatione vindicatur, 102, 1, 2.
Testamenti veteris et novi differentiæ, 232, 1. ejus cur tot sint libri quot alphabeti Hebraici litteræ, 346, 1. Testamenti et pacti veteris modus et ratio, item novi, 232, 2. vetus in Sina, novum in Sion in Pentecoste promulgatum, 232, 2. vetus scriptum in tabulis, novum in cordibus, 233, 1. Testamenti novi fœcialis fuit Christus Jesus, maxime in cruce et Eucharistia, *ibid.* res eo promissa est Spiritus Sanctus, 233, 1. quomodo in eo non docebit vir proximum suum, varie exponitur, *ibid.* et 2. quatuor ejus bona recensentur, *ibid.* testamentum novum est testamentum pacis, 760, 2. est totum charitatis et pacis, 741, 2. adumbratum et inclusum est in veteri, 509, 1, 2.
Testudo militaris quomodo formaretur, 688, 2.
Thalami in atrio primo templi erant sex: sic vocantur parva cubicula, in quibus templi custodes habitabant, 785, 1, 2. thalamorum templi allegoria ex S. Hieronymo, 787, 2. thalami in Ecclesia quinam mystice dicantur, 795, 1. tres thalami sunt tres status fidelium, *ibid.*
Thamar urbs a palmetis dicta Palmira, ab Hadriano dicta Hadrianopolis: non est Jericho, etsi hæc vocetur quoque civitas palmarum, 855, 1.
Tharsis Indiam et Africam sonat, 90, 2.
Tharsus urbs Ciliciæ, a quo omnia maria et ipsa Africa et Carthago a Judæis vocata Tharsis, 90, 2.
Thebæi martyres fuere decimati, 676, 2. capita sua post mortem portantes manibus, locum sepulcri sibimet delegerunt, 762, 1, 2.
Theman Idumææ metropolis unde dicta, 442, 2. fuit ejus Academia, *ibid.* sapientibus abundabat, a quo dicta sit, 309, 2; 310, 1. Theman urbs erat australis Idumææ, 684, 1, 2.
Themel presbyter sacris indutus vestibus, Saracenos invasit et multos vulneravit: sed cum propterea ab Episcopo sacris ei esset interdictum, ad Saracenos profugit, et ejurata fide multa mala christianis intulit, 736, 1, 2.
Themistocles cur se platano compararet, 725, 1, 2.
Theodori martyris in fide christiana confitenda constantia, 22, 2.
Theodori monachi fiducia in Deum, 140, 1.
Theodoricus Gothorum rex arianus visus est eremitæ cuidam discinctus et discalceatus, et manibus vinctus, ad ollam Vulcaneam abripi inter Symmachum patricium et Joannem Papam, quos injuste occiderat, 732, 1; 773, 2.
Theodosius Imperator Antiochenis cur sit incendium minitatus, 174, 2.
Theodosius Junior Paulinum nobilem temere suspicatus cum uxore sua adulteratum interfici jussit, 260, 1.
Theologia fabulosa quæ sit, 442, 1, 2.
Θεὸς græce triplex habet etymon, 139, 2.
Theophilus Imperator vultus martyrum Theophanis et Theodori stigmate inussit, 568, 2; 567, 1.
Theresa (B.) quid de tribulationibus a Deo didicerit, 288, 2.
Theristrum quid sit, 610, 1.

Thespesius deploratæ vitæ homo quomodo in virum alium sit mutatus, 362, 1.
Theta symbolum mortis est, 567, 1.
Thogorma sunt Phryges, 698, 1; 765, 2; 767, 1. an Germani et Armeni aut Cappadoces, 767, 1.
Thorax lineus in Rhodo insula mire subtilis ostendebatur, 834, 1.
Thrasius hospitum cruore docens deos placandos, primus a Busiride immolatur, 660, 2.
Threni Jeremiæ pathetici sunt, 342, 1. in iis Jeremias planctui omnes habenas laxat, et quid in iis plangat, *ibid.* vocari possunt Threni Threnorum, *ibid.* conveniunt animæ pœnitenti, *ibid.* et Christo patienti, 342, 1. sunt alphabetum pœnitentium, *ibid.* sunt concio ad planctum, *ibid.* quomodo Threnorum liber hebraice dicatur, 343, 1. eorum auctor Jeremias, *ibid.* eorum argumentum non est mors Josiæ, nec captivitas Jechoniæ, sed excidium Jerusalem per Chaldæos, 345, 1, 2. scripti sunt anno undecimo Sedeciæ, *ibid.* 2. pleni sunt affectuum, unde sententiæ eorum sæpe non cohærent, 346, 1, 2. cur sint scripti carmine alphabetario, *ibid.* ordines litterarum et versuum qui in singulis versibus observati sint, *ibid.* et 2, quis eorum finis, *ibid.* 2, et 347, 1. an sint liber quem Jeremias combussit et restauravit, 348, 2. possunt et aliis materiis aptari, 349, 1, 2. cur eos legant Judæi in suis synagogis die nona mensis Ab, *ibid.* 2. in eos qui commentati sint, 349, 2, et 350, 1, 2.
Threni Jeremiæ sunt velut carnem funebre, quibus plangit Jerusalem interitum, 728, 1, 2.
Thus olim victimis cur imponeretur, 20, 2. id gignitur in Arabia Sabæa: omnium gentium ritu adoletur Deo, unde dicatur, 62, 1.
Tiaras candidas soli habebant reges, 668, 2.
Tiberis inundationes olim Romani avertere cogitarunt, 330, 1.
Tiberius Imperator annos natus novem pro rostris patrem defunctum laudavit, 729, 1. tonante cœlo lauream coronam capite gestabat, 564, 2.
Tibiæ olim adhibitæ in luctu ob sonum lugubrem, 305, 1, 2.
Tibicines olim ad luctum adhibebantur, 84, 1, 2.
Timotheus Atheniensis dictus capere reti urbes, 729, 2.
Tisiæ rhetoris sophisticum dilemma, 635, 2.
Titulus Threnis præfixus an sit Scriptura canonica, 343, 1, 2 et seqq.
Tobaal Tyrii regis arrogantia et fastus, 703, 2. Dei excellentiam sibi arrogat, *ibid.* quomodo sibi arrogaret sapientiam, 704, 1. ejus punitio, *ibid.* 2. ejus eminentia et pulchritudo, 705, 2; 706, 1. ejus opes, 707, 1. quomodo et cur vocetur Cherub, *ibid.* 2. gemmis radiabat, 709, 1. ipse typus est peccatorum, maxime superborum, et apostatarum qui a Religione vel ab Ecclesia ad hæreticos aliosve transfugiunt, 711, 1.
Tobias junior quando sit mortuum, 12, 2.
Tolerantiæ novem fructus recensentur, 391, 2.
Tonsio capillorum Judæis erat signum luctus et servitutis, 70, 1.
Tonsores quando primo in Italiam inducti, 540, 2.
Topheth erat lucus sive silva, in qua erat delubrum Moloch, situs ubi esset, 70, 2. unde derivetur, *ibid.* dictus est a *toph*, id est tympano quod pulsabatur dum feralia sacrificia peragerentur, *ibid.* eum evertit Josias rex, 71, 2. vocatur gehenna, *ibid.*
Torcular significat acres pœnas, 364, 2.
Tormentorum inventores iisdem plerumque pereunt, 660, 2.
Torques quid sit, et quid symbolice designet, 611, 1.
Torrens Ægypti est unus ex limitibus Chananææ, 855, 1.
Torrentes aquarum dicuntur doctrinæ Apostolorum, sacramenta, et obstacula, 224, 1.
Torta est panis orbicularis, 261, 2.
Tortuosam viam in cœlum designat tortuosa cochlea templi, 809, 2.
Totilæ in Orthodoxos grassantis infelix et feralis interitus, 773, 2.
Toxicum an a taxo dicatur, 101, 2; 102, 1,
Traditio Patrum symbolice est velut gazophylacium templi, 788, 1.
Transmigratio Joachin quæ dicatur, 477, 2.
Transtra quæ dicantur, 693, 1.
Tribonianus jurisconsultus quomodo sit Justiniano Imperatori adulatus, 595, 1.
Tribulatio animam purgat, 31, 2. est rete Dei, 362, 2. est fornax piis aurea, impiis ferrea, 97, 1. tribulatione multi fiunt pejores, 663, 1. ejus tamen fornace purgamur, 487, 2.
Tribunal Dei ut reos innocentes vel dubios exandit, ita tuetur judices recte judicantes, 143, 2. tribunalia duo Dei, unum severitatis in Aquilone, alterum clementiæ in Austro, 20, 2.
Tribus Joseph a patre in duas fuit divisa, 854, 1, 2. tribus per virgam et sceptrum designatur, nam quæque tribus suam habebat virgam, 760, 1.
Tributum cur dicatur liquefactio, 353, 1. tributis nimis populum gravantes principes, a Deo puniti, 173, 2; 174, 1.
Trigesimus annus a quo cœpit prophetare Ezechiel, quomodo et unde numerandus, 475, 1, 2.
Triglyphi quid sint, 814, 2.
Trinitatis (SS.) mysterium innuitur, 151, 2. id non invenitur in triplici A a a, quod dixit Jeremias, 16, 1.
Tristatarum quæ esset dignitas, 670, 1.
Tristitia sola de peccato utilis est, 360, 2. ejus onus sublevat consolator, 354, 1. tristitia moderanda in cladibus publicis et privatis, 679, 1, 2. tristitia ea sola bona quæ pro peccatis assumitur, *ibid.*
Tritura urbis vocatur ejus attritio et afflictio, 330, 2.
Tubal an sint Hispani, 698, 1. melius sunt Iberi Aquilonares, 766, 2.
Tunica linea erat communium sacerdotum vestis, 834, 1. tunicæ veterum vix media tegebant brachia, 533, 1.
Turcæ cur colant Lunam, 285, 1. sunt lustratores orbis et milites Dei et sacerdotes, 196, 2. Bacchanalia christianorum rident, 357, 2. Turca capta aliqua provincia quiescit, ut vicinæ gentes otio interim torpescant, et postea eas invadat, 116, 2.
Turcæ abutuntur mancipiis christianis, 619, 2.
Turcæ et Saraceni non sunt Gog et Magog, 765, 1.
Turres castrenses et munitiones quales essent, 531, 1.
Turtures iridis fructum seligunt sibi in amuletum, 512, 1.
Turturi quæ a natura indita prudentia ad pullos a lupo protegendos, 75, 1, 2.
Tyranni vocantur leones, cur, 639, 1, 2. item vocantur venatores, 731, 2. tyrannis tradimur ob peccata, 193, 1, idque duobus exemplis probatur, *ibid.*
Tyrannis quam sit brevis et parvi regni, 642, 1. tyrannis quo tandem evadat, 730, 2.
Tyrii jactant se primos navigationis auctores, 701, 2. idola sua vinculis in obsidione constringebant, ne ab hoste carmine aliquo evocarentur, 689, 1. prævidentes excidium suum per Chaldæos, merces suas et pretiosa quæque furtim ex urbe evexerunt, et tandem ipsi urbe relicta abiere Carthaginem et alio, 717, 2.
Tyriis quamdiu Chaldæi dominati sint, 196, 1.
Tyrus usque ad fundamentum fuit eversa, 688, 1, 2. tredecim annis obsessa fuit a Nabuchodonosore, *ibid.* quomodo deleta et postea reædificata, 689, 2. ejus negotiatio, 692, 1. ejus superbia ex situ et munitione, nam undique cingebatur mari, medio milliari a mari distans, 692, 1, 2. ejus pulchritudo, *ibid.* unde dicta, et a quo condita, *ibid.* fuit colonia Sidoniorum, *ibid.* et ejus gloria erat in navibus, unde de ea loquitur Pro-

pheta quasi de navi, 693, 1. ejus luxus, 694, 1. ejus potentia, 700, 2. ejus ruina deploratur, 700, 2; 701, 1, 2. regis Tyri lapsus describitur sub typo lapsus diaboli, 706, 1. Tyrus comparatur aliti, cur, 708, 1. erat in tribu Aser, sed a Judæis possessa non fuit, *ibid.* 2.

U.

Ubaldi (S.) Eugubini Episcopi corpus adhuc hodie integrum et vividum conspicitur, 761, 1.
Ubera Christus nobis exhibet in Eucharistia, 151, 2.
Ubera erecta et solida signa sunt virginitatis, laxa corruptionis, 667, 1. ubera sunt symbolum amoris et libidinis, 669, 1. respondent utero, et proinde in illis voluptatis est sedes, *ibid.*
Ubiquitas Dei quæ, 442, 2.
Udalricus (S.) ideo pœnis Purgatorii est adjudicatus, quod nepotem suum Adalberonem sibi in Episcopatu successorem designasset, 837, 1.
Ultra sæpe capitur pro præsenti sæculo, 543, 1.
Umbilicus terræ est Judæa, 767, 2. per umbilicum vivit et alitur embryo in utero matris, 605, 1, 2. is recens natis præscinditur et ligatur, *ibid.* quid hæc præcisio symbolice denotet, *ibid.* umbilicus est quasi anchora, *ibid.* ejus usus quis sit, *ibid.*
Umbra deitatis Christi est humanitas, 419, 1, 2. umbra mortis quid proprie significet, 115, 1.
Una mensis. pro prima die mensis, 717, 2.
Uncia constat drachmis octo, 533, 2.
Ungi solebant novæ nuptæ et convivæ, 608, 1.
Unguibus avium quasi calamis veteres uti solebant ad scribendum, 137, 2.
Unio et communicatio idiomatum est in Christo, idque ex unione hypostasis, 445, 1, 2.
Unio Gentium et Judæorum futura in Ecclesia Christi prædicitur, 739, 2.
Unitas Ecclesiæ ex multis gentibus malo punico comparatur, 643, 2. unitas Dei adstruitur, 560, 1, 2.
Unus sæpe capitur pro primo, 844, 2.
Urbes quomodo conticescant, 296, 1. in urbibus funditus eversis aratrum olim ducebatur, 201, 2. urbes olim dividebantur in partes vel vicos majores, quæ regiones dicebantur, 284, 2. urbes minores solent ex majoribus portas, quibus ad eas itur, appellare, 688, 1. urbes ab Hebræis ob pulchritudinem vocantur filiæ, 730, 1. urbes variæ Ægypti mystice exponuntur, ad significationem vocis, 722, 1.
Urbis captæ ab hoste miserabilis facies, 689, 1. urbis perfectæ idea quæ sit, 842, 1.
Urbs, quam describit Ezechiel, non est Jerusalem terrestris, nec de ea intelligi possunt quæ ipse prædicit, cur, 776, 2. eritque ea civitas novi Testamenti, 777, 1. quam magna ea urbs futura esse dicatur, 863, 1; 777, 2. an sit Roma, 778, 1. ejus mystica expositio ex Lyrano, *ibid.* sub ea S. Hieronymus intelligit Ecclesiam, *ibid.* etiam Rabbini fatentur eam non esse corporalem, sed mysticam, 864, 1. sub ea Ecclesia christiana intelligitur, singulæ ejus partes huic adaptantur, 863, 2; 864, 1. anagogice urbs hæc est Jerusalem cœlestis, 864, 1. illius dimensiones describuntur, 860 et seqq.
Uriam prophetam occidit Joakim rex Juda, 202, 1.
Uriel quis sit, et an sit angelus ex primis, 503, 2. ab Uriel derivari posset Ariel, 826, 2.
Usura echidna est, 634, 2.
Ut pro utinam aliquando capitur, 164, 1.

V.

Væ quid proprie significet, 518, 2.
Vafres. — *Vide* Pharao.
Vagina est Dei longanimitas; gladius, ejus vindicta et supplicium, 652, 2.
Valens Imperator arianus infelicem exitum habuit, 176, 1, 2. vivus in tugurio a Gothis est combustus, 773, 2.
Valentinus hæreticus quid maxime doceret, 109, 1.
Vallis cadaverum juxta Jerusalem quæ sit, unde dicta, 234, 2. quæ sit vallis cinerum, *ibid.* vallis, in qua Judæi sepeliebantur, dicta est cadavverum, cineris, calvaria et regio mortis, 155, 2.
Vallis viatorum ad orientem maris quæ sit in Judæa, 771, 2.
Valle (in) Josaphat an omnes resurrecturi sint, 757, 1.
Vanitas omnia, 336, 2.
Variegatæ vestis species et inventores, 608, 2.
Vas vocatur urbs, 330, 2. vasa transmigrationis quænam facere jubeatur Jeremias, 393, 1.
Vasa transmigrationis quæ sint, 587, 1. vasa templi varia erant, 790, 1.
Vastatione (de) Tyri prophetia cur præponatur a Propheta ante Ægypti vastationem, cum tamen posterius facta sit illa prophetia, 713, 1.
Vatinius assiduo convicio depudere didicerat, 39, 2.
Vectigali conchis imposito, eæ Deo permittente evanuere, eo revocato rediere, 174, 1.
Vectis longus majus pondus attollit quam brevis, cur, 577, 2.
Vela ante Sanctum et Sanctum sanctorum quid mystice designent, 815, 2. velo sacerdotes prisci Gentilium caput obnubebant, 781, 2. velum muliebre signum est subjectionis et protectionis, 610, 2.
Velorum nauticorum utilitas, 834, 1.
Vena Babylonis quomodo dicatur siccanda, 331, 1.
Venatores dicuntur Chaldæi, 134, 1. item viri Apostolici, *ibid.* venatores cur dicantur tyranni, 731, 2.
Vento pasci est vana moliri, 177, 1. ventus urens est Vulturnus et Euro-aquilo, 152, 1, 2. ventorum generatio, circulatio, motus torsit omnium philosophorum ingenia, 93, 1. ventorum quisque suis vicibus spirat, 464, 1.
Ventus Ezechielem afflans significat indignationem Dei, et vindictam validam, celerem et impetuosam, 478, 1. ventus significat calamitatem grandem, 497, 2.
Venus Armeniorum quomodo coleretur, 462, 1.
Verba Jeremiæ efficacia erant ut ignis, 55, 1. verba neutra subinde capiuntur pro activis cum epitasi, 362, 2. verbum bonum pro prospero et fausto, 249, 1. verbum Dei est triticum, hominum palea; deinde ignis et malleus conterens petras, 186, 1, 2.
Verba sacræ Scripturæ lapides quadri sunt, qui ubique stant, 800, 2. verbum Dei est quasi pilulæ medicæ, 521, 2.
Verecundi verecunde monendi, 516, 1.
Veritas sæpe capitur pro omni debito vel officio virtutis, 74, 1. et pro pietate vitæ, 243, 1.
Veritas divina seipsa nititur, 637, 2. veritas capitur pro officio vel debito virtutis, 634, 2.
Versus totus anagrammaticus, 197, 2.
Verum sæpe capitur pro perfecto in Scriptura, 31, 1; 285, 1.
Vesica solvitur in metu, 554, 1; 653, 2.
Vespasianus Imperator turpis quæstus avidus suis exosus fuit, 174, 2. Ægyptum lustrans quid Ægyptiis dixerit, 716, 1. ei aquilæ pugnantes fuere symbolum victoriæ, 627, 1. labore assiduo valetudinem tutatus est, 579, 1.
Vestalis ignis custodiam ab igne templi Judaici mutuata est delusa antiquitas, 790, 2.
Vestes discolores sunt acu pictæ et variegatæ opere phrygio, 608, 2. vestis exterior animæ est modestia, interior justitia, discolor variegatura omnium virtutum, *ibid.*
Vestibulum vocatur pars illa ante domum quæ pervia relinquitur, 785, 2. idem est quod propylæum, *ibid.* in vestibulo olim, imo in porta, faciebant veteres cubicula

pro janitoribus et famulis, *ibid.* erat templi vestibulum cœli symbolum, *ibid.* quomodo id fuerit octo cubitos longum, 786, 1. frontes vestibuli quænam sunt, *ibid.* ipsum describitur, 791, 1. vestibulum interius mystice est æternæ vitæ latitudo, 794, 2.
Via lactea in cœlo unde formetur, 575, 1.
Via vitæ est custodia legis, et subdere se crucl a Deo immissæ, 167, 2. via mortis est peccatum, et cruci a Deo immissæ obluctari, *ibid.* viæ ad vitam et cœlum sunt virtutes, 355, 2. viæ Sion quomodo lugeant, 355, 1.
Viatori et colono comparatur Christus et Christiani, 121, 2; 122, 1.
Vicinia quæ placeat Deo, 824, 2.
Vicissitudines nullæ fiunt in Ecclesia sine Dei et angelorum providentia, 579, 2. vicissitudo rerum humanarum, 322, 2.
Victimæ in se non placent, nec placant Deum, 69, 2. victimarum nidore an dæmones pascerentur, *ibid.* victimæ utpote sanctæ, a solis Levitis coquebantur, etiam in atrio laicorum, 848, 1. victima vocatur magna hostium strages, quam Deus justitiæ suæ immolat, 772, 1. victimæ olim coronabantur, 673, 1. in omnibus victimis animalium addenda erant simila, oleum, sal et thus, quasi libamina et condimenta sacrificii, 846, 2.
Victores proculcant victos, 364, 2.
Victoriæ simulacrum quomodo effingeretur • videtur id desumptum ex templo Judaico, 813, 2.
Victus victori manum dans, dat simul omnia sua, 319, 1.
Vidua nocte maxime dolet et plangit, 353, 2. quomodo dicatur silens ac ligata, 352, 2.
Vigesimi quinti numeri mysteria, 840, 2.
Vigiliæ noctis erant quatuor, et unde ortum habuerint, 379, 1.
Vincentius (S.) Ferrerius quam fervens fuerit concionator, 342, 2.
Vincentii (S.) martyris in tormentis fortis animus, 21, 2.
Vincula peccatorum quæ sint, 552, 1.
Vindemiatores collecta vindemia solent tripudiare, et suam canticis lætitiam testari, 198, 1.
Vindicta Dei vigilat ad peccata, 18, 1, 2.
Vindicta scelerum quam Deo sit grata, 718, 1. vindicta est solamen acceptæ injuriæ, 543, 2.
Vineæ in castris quid essent, 688, 2.
Vir apparens Ezechieli ignitus et splendens ut aurum quid significet, 558, 1, 2. vir vestitus lineis quis esset apparens Ezechieli, 565, 2. fuit is typus Christi, *ibid.* ad litteram fuit angelus tutelaris piorum Judæorum, *ibid.*
Virga significat portionem hæreditariam, item sceptrum, 93, 2. virga vigilans quam vidit Jeremias, fuit amygdalina, et cur, 17, 2. significat providam Dei vigilantiam, 18, 1; 502, 2. celerem quoque Dei ultionem, *ibid.* fuit similis cometæ virgato, *ibid.* 2.
Virga impietatis quid significet, 552, 2. virga insigne regni et regis est, 644, 1, 2.
Virginitas B. Virginis pluribus e sanctis Patribus adstruitur, 830, 2; 831, 1, 2.
Virginitas cingulo denotatur, 112, 2. virginitas Deiparæ in concipiendo Christo ostenditur, 230, 1, 2. eadem pluribus e sanctis Patribus astruitur, 830, 2; 831, 1, 2.
Virgo fuit Jeremias, 2, 1. virginum funera floribus ornari solent, 300, 1, 2. virgines Cypriæ stupro ejusque pretio Venerem colebant, 462, 1. virgo semper virens symbolum est immortalitatis, 601, 1.
Viri nomen vere qui mereantur, 51, 1, 2. viri fortes nunquam queruntur de malis, 164, 1, 2. viri Apostolici per quatuor animalia Ezechielis optime intelliguntur, 507, 2. viri illustres cur plerumque ærumnosi, 711, 2. viri magni semper in opere et motu sunt, 508, 2. viri effeminati dicuntur feminæ, 592, 1, 2. viri mensuræ dicuntur qui sunt vastæ molis, 696, 1.
Virtuale propositum emendationis ad veram contritionem quomodo sufficiat, 336, 2.
Virtus consistit in medio, 753, 2. virtutes Sanctorum veluti alæ sunt, 526, 1, 2. eæ fructus sunt, 853, 2. virtutes habituales mystice dici possunt arbores, e quibus nascuntur dotes habituales et actuales beatitudinis, 851, 1, 2.
Virtutis studio voluptas refrenanda, 32, 2; 33, 1.
Virtutum cardinalium quadrum quale sit, 803, 1. eæ designantur in quatuor animalibus Ezechielis, 508, 1.
Viscerum rugitus similis est tibiæ funereæ, 305, 1, 2.
Visio S. Mechtildis, 390, 2.
Visio maris quid sit in rotis, 489, 1. visio quomodo non dicatur regredi, 553, 2.
Visionis totius, quam Ezechiel cap. I recenset, idea et synopsis, 495, 1, 2.
Visitare sæpe Prophetæ usurpant pro *punire*, 61, 2.
Visus pro intellectu sumitur interdum, 586, 2.
Vita in calore consistit, 20, 1. vitæ brevitas et incertitudo, 437, 1, 2. vitæ symbolum Auster, cur, 20, 1. vitæ austeræ a pueris est assuescendum, 393, 1. id probatur exemplis variis, *ibid.* et 2.
Vita Sanctorum est progredi, non regredi, 580, 2. vita spiritualis constat voluntate, prudentia, justitia, continentia, 753, 1. vita carnalis per ollam denotatur, 675, 2. vita vivere Hebræis est jucunde, feliciter, et ad voluptatem vivere, 635, 1. vitæ probitas ante omnia in pastore requiritur, 747, 2; 748, 1.
Vitæ æternæ latitudo per vestibulum atrii denotatur mystice, 794, 2.
Vitellii Cæsaris immanitas sanguinaria, 685, 2. ei regni auspicium allatum ab aquila, 625, 1.
Vites et palmites seruntur et plantantur, 30, 2.
Vitia invicem concatenata sunt, 358, 2. vitiis se totos et sua dedentes, immolant filios suos Moloch, 71, 2.
Vitis est quasi virgo, 601, 1. ejus feracitas, *ibid.* quibus rebus lædatur et emoriatur, *ibid.* et 2.
Vitiza rex Hispaniæ mala consiliariorum consilia sequens deceptus est, 286, 2.
Vitra fracta glutientes præ petulantia quantopere sibi noceant, 671, 2.
Vitula cur dicatur Ægyptus, 293, 1.
Vituli facies in rotis quid litteraliter et symbolice significet, 508, 2. vitulus et bos sacerdotii et beneficentiæ est symbolum, 484, 1. — *Vide* Animal, Cherub. vitulus de armento quis dicatur, 846, 2.
Vladislaus Hungarorum rex fœdifragus quas pœnas dederit, 271, 2.
Volubilitas regnorum et rerum omnium humanarum, 509, 2.
Volumen proprie quid sit, 517, 1.
Voluntas moveri nequit, nisi ratio aliqua boni eam moveat, ejus pondus est objectum amatum, 267, 1. voluntas fons est affectuum rationalium, 102, 2. voluntates omnes malæ serviunt Deo, 193, 1.
Voluntas nostra semper inquieta est, 753, 2. voluntas solido amore ferri debet in cœlestia, terrena vero vix attingere, 753, 2. voluntas est principium vitæ piæ vel impiæ, 753, 1. est officina virtutis et vitii, *ibid.* qualis est voluntas, talis est homo, *ibid.* voluntatis displicentia requiritur et sufficit ad contritionem, 547, 2.
Voluptas omnis creata fluxa est et evanida, 358, 1, 2. voluptate modica ad modicum tempus se privare nolentes, carere debent ea in æternum, 138, 2. voluptates spernendæ sunt, 32, 2; 33, 1. eas superandi modi proponuntur, *ibid.* sunt amaræ, 305, 1. hominem cæcum, brutum et vesanum faciunt, 32, 2.
Voluptas Prælatorum est rete diaboli, 593, 1. voluptas venerea quam brevis et infirma, 616, 1, 2. voluptatibus inest fastidium, 593, 1.
Vota suorum Deus exaudit etiam per miracula, 212, 1, 2. id per exempla ostenditur, *ibid.* et seqq.

Vox dicitur audienda in Rama, et non in Bethlehem et vicinia, quia Rama erat loco alto in confinio Judæ et Benjamin, 226, 1.
Voces causales subinde non causam, sed effectum significant, 67, 1.
Vulgata editio corrigitur, 818, 2.
Vulnera Christi dici quodammodo possunt fenestræ, 812, 2.
Vulnus lateris Christi denotatur mystice per ostium lateris medii in templo, 809, 2.
Vulpis natura exprimitur, 590, 1, 2.
Vultu (in) apparet hominis majestas, ira et indignatio, 17, 1.

W.

Wandalicæ cladis per Africam imminentis portenta, 544, 2.
Wenceslai (S.) martyris auricula rescissa post mortem inventa est capiti rursus adhærere, 761, 2.
Wenceslai Imperatoris immanitas, et ob eam ab Electoribus imperio deturbatus est, 685, 2.
Willebrordus (S.) divitem pabulum et potum negantem ardenti siti petiit a Deo percuti, a qua eum ipse tandem post annum rediens liberavit, 633, 1.

X.

Xenophon Socraticus filii sui Grylli ad Mantineam interfecti mortem æquanimiter tulit, 680, 2.
Xerxes rex platanum opacam in Lydia stolide coluit et veneratus est, 725, 1.

Z.

Zachariæ prophetæ sanguis quamdiu ebullit, 380, 1.
Zambri, regio est Persidis, 196, 1.
Zelosi sunt mystice custodes templi, 802, 1.
Zelus tantum crescit quantum amor, 543, 2.
Zemora quid sit Hebræis, 563, 2.
Zeno Citicus philosophus erat oriundus e Cypro, 26, 2. ejus in adversis animi hilaritas, 165, 1, 2.
Zeno Imperator impius infelicem exitum habuit, 176, 2.
Zodiaci circulus unde dicatur, 814, 2.
Zona olim signum virginitatis erat, 462, 2.
Zophori quid sint, et unde dicantur, 814, 2. zophoris cur exornarentur frontes sacrarum ædium, 827, 1.
Zorobabel in Babylonem rediens, postquam populum reduxisset, ibidem mortuus est, 178, 2.
Zorobabel princeps nepos fuit Joachin, 628, 2. ex eo natus est Christus, *ibid.* an is intelligatur per pastorem unum, quem suscitaturum super oves suas se promittit Deus, 744, 1, 2. Zorobabelis templum describitur ab Ezechiele in sua idea templi, et quare, 778, 1, 2. an fuerit tam augustum ac Salomonicum, et quam fuerit altum, *ibid.* 2. cur tam perfecte id non exstructum ac Ezechieli delineatum, *ibid.* et 779, 1. — *Vide* Templum.
Zuinglius etiam assertor est perpetuæ virginitatis Deiparæ, 830, 2.

INDEX

MATERIARUM MORALIUM

LATIUS DIDUCTARUM,

☞ VERBA EVANGELII IN DOMINICIS, FESTIS ET FERIIS ALIQUOT, PER ANNUM OCCURRENTIS ACCOMMODATARUM, IN GRATIAM CONCIONANTIUM.

DOMINICA I ADVENTUS.

ERUNT SIGNA IN SOLE, LUNA ET STELLIS. — Cometæ sunt quasi gladii cœlestes terræ minitantes, 653, 2.

SCITOTE QUONIAM PROPE EST. — Deus suos præmonere solet de instanti clade, 544, 2.

DOMINICA II ADVENTUS.

HOMINEM MOLLIBUS VESTITUM. — Ut Joannes a pueritia in desertum concessit, sic et nobis a puero austeræ vitæ assuescendum est, 393, 1, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Puer.

DOMINICA III ADVENTUS.

AN ALIUM EXSPECTAMUS? — Messiam promissum venisse, contra Judæos ostenditur, 772, 1; 776, 1, 2. *Vide Indicem Rerum, verbo* Messias.

FERIA IV QUATUOR TEMP. ADVENTUS.

Christus est in cœlo Patris germen, per incarnationem in terram transplantatum, 183, 1.

DOMINICA IV ADVENTUS.

PRÆDICANS BAPTISMUM. — Prædicator se Deo irato velut murum opponat, 591, 1. Joannes fuit primus pœnitentiæ præco, 343, 1. *Vide notata in Communi Confessorum.*

BAPTISMUM POENITENTIÆ. — Pœnitentia homines plane in alios commutat, 42, 2. ejus symbolum est linum, uti et puritatis, 113, 1. quod ejus sit schema et forma, 376, 2. exhortatio ad eamdem, 637, 2.

IN FESTO NATIVITATIS DOMINI.

ET DEUS ERAT VERBUM. — Christi divinitas asseritur, 183, 2; 184, 1. quæ sit in Christo idiomatum communicatio, 445, 2.

MUNDUS PER IPSUM FACTUS EST. — Orbis terrarum est currus Dei, 499, 2. item ejus domus et fanum sanctissimum, 442, 1.

IN FESTO SS. INNOCENTIUM.

ET FUGE IN ÆGYPTUM. — Ægypti idola fuere prostrata, Christo illuc ingrediente, 286, 1.

OCCIDIT OMNES PUEROS. — Horum cædes et matrum planctus excutitur, 225. 1, 2. plurimi alii infantes fuere martyres, 226, 1, 2, et 393, 2.

IN FESTO CIRCUMCISIONIS.

CIRCUMCIDERETUR PUER. — Circumcisio cordis quomodo fiat, 45, 2. circumcisio etiam apud alias gentes in usu fuit, 86, 2.

IN FESTO EPIPHANIÆ.

VIDIMUS STELLAM. — Stellas colebant Gentiles quasi animatas, 88, 1, 2. non sunt signa futurarum actionum liberarum, *ibid.* astrologia judiciaria exploditur, *ibid.* — *Vide Indicem Rerum, verbo* Stella, Thus.

TURBATUS EST REX. — Nulla re perturbari, certum signum contemptus mundi est, 145, 2.

OBTULERUNT EI THUS. — Thus, usu omnium gentium, Deo adoletur, 62, 1,

MYRRHAM. — Myrrha symbolum mortificationis, cujus gladio cupiditates truncandæ, 387, 1.

DOMINICA I POST EPIPHANIAM.

INTER DOCTORES. — Christus solus est doctor sapientiæ, 447, 1, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Concionator, Doctor, Doctrina, Sapientia.

PUER CRESCEBAT ÆTATE ET SAPIENTIA. — Educatio quam sit tenax, 392, 2. qui sapientiæ sint effectus, 440, 1.

Christus fuit viator et hospes, 121, 2.

DOMINICA II POST EPIPHANIAM.

NUPTIÆ FACTÆ SUNT. — Sponsus est dux virginitatis suæ sponsæ, 39, 1, 2.

DOMINICA III POST EPIPHANIAM.

IN TENEBRAS EXTERIORES. — Infernus quintupliciter accipitur, 433, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Infernus, *et notata Feria II post Dominicam I in Quadragesima.*

DOMINICA IV POST EPIPHANIAM.

MOTUS MAGNUS FACTUS EST. — Passiones, uti et appetitus, designantur in curru Cherubim, 498, 1.

IN MARI. — Maris pericula, 375, 2.

IPSE VERO DORMIEBAT. — Cur permissio Dei vocetur actio et deceptio, 598, 1.

MODICÆ FIDEI, QUARE DUBITASTIS. — Diffidentiæ de Deo, et spei in creaturis tres effectus, 139, 2.

DOMINICA IN SEPTUAGESIMA.

CONDUCERE OPERARIOS. — Labor omnis quam sit utilis et salubris, 578, 1, 2.

IN VINEAM SUAM. — Ecclesiæ adaptatur vineæ natura et proprietas, 601, 1, 2.

QUID STATIS HIC TOTA DIE OTIOSI. — Otii mala, 619, 2.

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

CECIDIT SUPRA PETRAM. — Consuetudinis quanta sit vis, et quomodo evincenda sit, 117, 1, 2.

VOBIS DATUM EST NOSSE MYSTERIUM. — Arcana Dei consilia sunt velut liber involutus, 518, 1.

SEMEN EST VERBUM DEI. — Concionatores feriant, non blandiantur, 342, 1, 2. cur dicantur nubes et columbæ, 574, 1. eorum munus difficillimum, 16, 2. conflatoribus assimilantur, 63, 2. non taceant, esto alii tacere nolint, 160, 2. Deo irato se ut murum opponant, 591, 1. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Prædicator, Concionator, Verbum.

Concionis bonæ vel malæ signum, 342, 1.

VERBUM DEI. — Dei verbum est triticum, ignis, malleus conterens petras, 186, 1.

UT VIDENTES NON VIDEANT. — Consuetudo peccandi inducit difficultatem resurgendi, non tamen impossibilitatem, 117, 1, 2.

DOMINICA IN QUINQUAGESIMA.

CÆCUS QUIDAM SEDEBAT. — Animæ cæcitas et surditas quid sit, 24, 1, 2; 558, 1. Sancti multi cæcitatem dilexerunt, 403, 1.

IPSE VERO MULTO MAGIS CLAMABAT. — Aliorum obloquia concionatori spernenda, 160, 2; 522, 2.

Occasione bacchanalium instantium, agi hic poterit de iis et de aliis vitiis carnis. Voluptas bruta est, 32, 2. ejus damna, 593, 2. gula dat fomenta libidini, 619, 1. peccator fodit sibi cisternas dissipatas, 28, 1. ejus obliviositas, 35, 1. est incornis, inglorius, atheus, 369, 2. plectit sibi virgas et catenas peccando, 552, 1. ejus cæcitas, 24, 1, 2; 558, 1. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Peccator, Peccatum, Epulæ, Luxus, Libido, *et notata Dominica IV post Pascha.*

FERIA QUARTA CINERUM.

MEMENTO, HOMO, QUIA PULVIS ES. — Hominis miseriæ et ærumnæ, 146, 1, 2; 514, 2. est similis luto, Deus figulo, 150, 1, 2. est coram Deo pilus, 540, 1, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Homo.

FERIA SEXTA POST CINERES.

EGO AUTEM DICO VOBIS. — Testamenti utriusque differentiæ, 232, 1, 2.

ESTOTE PERFECTI. — Religiosorum vita qualis esse debeat, 274, 1. Religiones curæ sunt Deo ne deficiant, 253, 1. Religiones dissolutæ quantopere noceant, 408, 1, 2. in via spiritus semper oportet progredi, non regredi, 847, 1. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Perfectio, Sancti, Sanctitas, *et notata in Communi Confessorum.*

DOMINICA I IN QUADRAGESIMA.

DUCTUS EST JESUS IN DESERTUM. — Silentii, quietis et solitudinis fructus, 392, 1, 2. viri sancti semper desertum ambierunt, 82, 1. silentium quadruplex, 77, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Silentium, Solitudo.

ACCEDENS TENTATOR. — Dæmon cur sit perdix dolosus, 142, 2. quibus insidiis animam illaqueet, 594, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Dæmon, Diabolus, Tentatio.

OSTENDIT EI OMNIA REGNA MUNDI. Regna et imperia quasi rotæ a Deo rotantur, 509, 2. quam ea imbecilla sint, et parvo tempore durent, 642, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Mundana, Mundus, Regnum.

FERIA II.

ESURIVI, ET DEDISTIS MIHI. — Pauperes pascere Deo gratissimum est, 632, 2.

NUDUS, ET VESTISTIS ME. — Vestire nudos Deo valde placet, 633, 2.

IN CARCERE, ET VENISTIS AD ME. — Captivos liberare quam sit Deo gratum, 265, 1.

ITE, MALEDICTI, IN IGNEM ÆTERNUM. — Peccata damnatorum scripta sunt stylo ferreo in ungue adamantino, 363, 1. — *Vide notata Dominica II post Epiphaniam.*

DOMINICA II IN QUADRAGESIMA.

APPARUERUNT MOSES ET ELIAS. — Elias et Jeremias an venturi in fine sæculi, 15, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Elias, Moses.

NUBES LUCIDA OBUMBRAVIT. — Cur in nube apparere Deus soleat, 574, 1. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Nubes.

FERIA V.

ALLIGANT ENIM ONERA GRAVIA. — Principes nimiis tributis populum gravantes a Deo puniri, per exempla ostenditur, 173, 2; 174, 1.

FERIA IV DOMINIC. III IN QUADRAGESIMA.

MENDACIA. — Detrahentis lingua est velut gladius trisulcus, 83, 1.

DOMINICA IV IN QUADRAGESIMA.

QUINQUE PANES HORDEACEOS. — Quinarii mysteria plurima, 860, 2; 861, 1.

FERIA II.

SOLVITE TEMPLUM HOC. — Templi Salomonis explicatio mystica ad longum, 778, 1, 2 et seq. tres fidelium status per ipsum repræsentantur, *ibid.* — *Vide Indicem Rerum, verbo* Templum.

DOMINICA PASSIONIS.

QUIS ARGUET ME DE PECCATO? — *Vide notata Dominica IV post Pascha.*

DOMINICA PALMARUM.

RAMOS PALMARUM DE ARBORIBUS. — Palma victoriæ et constantiæ est symbolum, 813, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Palma.

HOSANNA FILIO DAVID. — Favor humanus quam sit vanus, 146, 2. exempla eorum qui laudes et verba hominum contempsere, *ibid.*

Christus cur triginta argenteis fuit venditus, 239, 1.

IN FESTO PASCHATIS.

Sepulturæ veterum ritus expenditur, 247, 1; 461, 2.

SURREXIT. — Resurrectionis quæ sint symbola, 258, 1. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Resurrectio.

FERIA II POST PASCHA.

FACTUM EST UT AMBULARENT. — Deus ubique præsens est, 492, 1.

TU PEREGRINUS ES? — Christiani hac in vita sunt peregrini, 252, 1.

NOS SPERABAMUS. — Sperans in Deo maxime Deum honorat, 139, 2. hujus spei illustria exempla, 140, 1. spei fructus quinque, 140, 2.

DOMINICA IN ALBIS.

OSTENDIT ILLIS LATUS ET MANUS. — Vulnera Christi sunt velut fenestræ, 809, 2.

LATUS. — Latus Christi dextrum lancea fuit perfossum, et omnia sacramenta ex eo fluxerunt, 852, 1.

DOMINICA II POST PASCHA.

EGO SUM PASTOR BONUS. — Boni pastoris lex est amor, 182, 2. ejus vigilia triplex est, 743, 1; 752, 2. quomodo oves curare debeat, 742, 1, 2. ejus officia decem, 743, 2. Christus verus pastor est, 743, 2.

BONUS PASTOR PONIT ANIMAM. — Pastores debent peccatores ad se convertere, non vero ad illos converti, 131, 1. sint speculatores, 527, 2; 734, 1, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Pastor, Prælatus, Princeps.

DOMINICA III POST PASCHA.

VOS VERO CONTRISTABIMINI. — Apostoli pascuntur opprobriis, 395, 2.

TRISTITIA VESTRA VERTETUR IN GAUDIUM. — Tristitia moderanda in publicis cladibus et privatis, 679, 1, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Tribulatio, *et notata in Communi Martyrum.*

DOMINICA IV POST PASCHA.

DE PECCATO. — Peccati quintuplex malitia, 24, 1, 2. vocatur vanitas, 26, 1. est mortis umbra ob sex causas, 115, 1. ipsum in morte nos accusabit, 121, 1. quomodo per ipsum anima desoletur, 353, 1, 2. per ipsum fit instabilis, 358, 1. ejus novem effectus, 370, 1. cur peccata sint nubes, 400, 2. turbant totum universum, 546, 1. cuique suum peccatum velut idolum est, 559, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Peccatum, Peccata.

DE JUSTITIA. — Magistratus est reus criminum quæ non punit, 301, 1. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Justitia.

IN LITANIIS MAJORIBUS.

PETITE, ET ACCIPIETIS. — Oratio vocatur laus Dei, 378, 2. ejus vis in affectu est, non in verbis, 379, 2. Christiani cur orent ad Orientem conversi, 563, 1. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Oratio.

IN DIE ASCENSIONIS DOMINI.

Facilis ad Deum ascendendi modus traditur, 500, 2.

IN DIE PENTECOSTES.

Spiritus Sanctus austro ob varias causas assimilatur, 116, 1. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Spiritus, Dona, Timor, Consilium, Sapientia.

Qui spiritum consilii et sana respuunt consilia, plerumque dant pœnas, 286, 2.

FERIA II.

SIC DEUS DILEXIT MUNDUM, UT FILIUM SUUM. — Deus nos sibi quasi cingulum ex amore astringit, 113, 1, 2. redemptio Christi fuit strages peccati, et vita virtutis in eodem homine, 649, 2. — *Vide notata in Dominica Palmarum, et in Indice Rerum, verbo* Amor, Charitas.

DOMINICA SS. TRINITATIS.

Deus fuit apud Judæos quasi viator, 121, 2; 122, 1. Deus ubique est præsens, 492, 1. ejus quatuor stemmata significantur per quadrifaciales Cherubim, 504, 2. Deus est circulus, 508, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Deus.

DOCETE OMNES GENTES. — Christianorum quanta sit dignitas, 447, 1, 2.

Religio christiana est optimus urbium murus, 372, 1.

BAPTIZANTES EOS. — Baptismi vis et gratia, 750, 1, 2; 852, 1. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Baptismus.

DOMINICA I POST PENTECOST.

NOLITE JUDICARE. — Temerarium judicium quam sit perniciosum, 260, 2.

IN FESTO CORPORIS CHRISTI.

Christi ubera in Eucharistia laxantur, 151, 2. Eucharistiæ veritas astruitur, 102, 1, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Eucharistia, Sacramenta.

DOMINICA II POST PENTECOST.

UXOREM DUXI. — Voluptates superandi quis sit modus, 33, 1. carnalis voluptas reddit hominem brutum, 32, 2. libido minuit vires et vitam, 616, 1. pulchritudinis pericula, 612, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Libido, Luxuria, Voluptas, Castitas, Virgo, Meretrix.

Divitiarum amor avertit a regno Dei, 588, 2. cupiditas opum est ruina reipublicæ et Ecclesiæ, 662, 1, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Avaritia, Aurum, Opes.

DOMINICA III POST PENTECOST.

SUPER UNO PECCATORE POENITENTIA. — Quia justificatio peccatoris majus Dei est opus, quam mundi creatio, 130, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Peccator, Pœnitentia, *et notata in Festo S. Mariæ Magdalenæ.*

DOMINICA IV POST PENTECOST.

IN NAVIM QUÆ ERAT SIMONIS. — Ecclesia quocumque terrarum diffundenda prædicitur, 235, 1. vocatur pax justitiæ 453, 1. curru Cherubice denotatur, 502, 1. — 130, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Ecclesia, S. Petrus.

LAXATE RETIA VESTRA. — Diabolus et Christus quam diversimode piscentur, 715, 2.

DOMINICA V POST PENTECOST.

AMEN DICO VOBIS. — Juramentum ut licitum sit, quas habere debeat conditiones, 45, 1.

QUI VIDERIT MULIEREM. — Sensuum custodia commendatur, 85, 1.

DOMINICA VII POST PENTECOST.

ATTENDITE A FALSIS PROPHETIS. — Hæretici sunt pastores multi, 108, 2. cur perdicibus assimilentur, 142, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Hæresis, Hæretici,

INTUS SUNT LUPI RAPACES. — Hæretici vere lupi sunt, 53, 2. item vulpes, 590, 1, 2.

DOMINICA VIII POST PENTECOST

SCIO QUID FACIAM. — Conscientiæ quanta sit vis, 121, 1; 138, 1.

DE MAMMONA INIQUITATIS. — Opes male partæ cito ad alios dominos avolant, 141, 2. hæ avarum ab inferno non liberant, 554, 1, 2. — *Vide notata Dominica II post Pentecost.*

FILII HUJUS SÆCULI PRUDENTIORES. — Mundani in terrenis sunt lyncei, in divinis talpæ, 48, 1.

DOMINICA IX POST PENTECOST.

CIRCUMDABUNT TE. — Peccantem rempublicam non puniri grande malum, bonum vero puniri, 617, 1, 2.

NON RELINQUENT IN TE LAPIDEM. — Septuaginta anni captivitatis Babylonicæ unde sint inchoandi, 210, 1, 2 et seq.

EO QUOD NON COGNOVERIS. — Oblivio Dei et sui quantum sit malum, 613, 1. Jerusalem in excidio suo, triplici decore spoliata est, 352, 1. et reddita vidua, *ibid.* 2 — *Vide Indicem Rerum, verbo* Jerusalem, Judæa, Titus.

EJECIT VENDENTES ET EMENTES. — Zelus in Deo an proprie sit ira, 553, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Passio, Ira, Zelus.

DOMINICA X POST PENTECOST.

NON SUM SICUT CÆTERI. — Gloriandum non est in sapientia, opibus, viribus, 85, 2.

DEUS PROPITIUS ESTO MIHI PECCATORI. — Contritio quomodo deleat peccata, 136, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Pœnitentia.

OMNIS QUI SE EXALTAT. — Superbiæ mala, 619, 1.

QUI SE HUMILIAT, EXALTABITUR. — Qui evehi et exaltari a Deo vult, is se humiliet 16, 2; 710, 1. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Humilis, Humilitas, Superbi, Superbia.

DOMINICA XII POST PENTECOST.

DILIGES DOMINUM EX TOTO CORDE TUO. — Jugis Dei memoria habenda est, 190, 1. quam Sancti exhorruerint idola, 462, 1, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Amor, Charitas.

VISO ILLO PRÆTERIT. — Immisericordiæ mala, 619, 2; 688, 2.

ALLIGAVIT VULNERA EJUS. — Cingulum quarum rerum sit symbolum, 112, 2; 113, 1. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Cingulum, Zona.

DOMINICA XIII POST PENTECOST.

OSTENDITE VOS SACERDOTIBUS. — Examen conscientiæ ante confessionem præmittendum, et id quotidianum sit oportet, 399, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Confessio, Pœnitentia, Peccatum.

SACERDOTIBUS. — Sacerdotes cur modo radantur, non olim, 834, 2. affectum erga parentes et affines moderentur, 835, 1, 2 et seqq. non aliam sortem habeant quam Deum, 741, 1. eorum dotes, 838, 1, 2. eorum avaritia sugillatur, 664, 1, 2. imprimis eorum qui nimias pensiones admittunt, 740, 1, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Pontifex, Sacerdos.

MAGNIFICANS DEUM. — Memoria jugis Dei quantum bonum sit, 389, 1, 2. parit ea cœlestem delectationem, 453, 2. fideli Christus semper in ore et corde sit, 447, 1. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Laus, Memoria.

DOMINICA XIV POST PENTECOST.

RESPICITE VOLATILIA. — Aves docuere homines pœnitentiam et medicinam, 76, 2. in externis omnibus bestiæ nos superant, 86, 1.

SI FOENUM DEUS SIC VESTIT. — Providentia Dei per virgam vigilantem repræsentatur, 18, 1; 502,2. quomodo ab ea pendere debeamus, 95, 1. errores infidelium de eadem circa res humanas, 104, 2; 105, 1, 2. hæc singula in particulari regit et ordinat, 397, 2. curru Cherubico repræsentatur, 499, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Providentia, Deus.

QUIS VESTRUM POTEST ADJICERE AD STATURAM? — Hominis proportio quam sit geometrica et symmetrica, 510, 1. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Homo.

QUÆRITE PRIMUM REGNUM DEI. — Salutis assecurandæ praxis expediens, 510, 1, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Cœlum, Regnum.

DOMINICA XV POST PENTECOST.

DEFUNCTUS EFFEREBATUR. — Mortis incertitudo, 437, 2. ritus defunctos plangendi apud veteres, 678, 1. mors filiorum et aliorum æquanimiter ferenda, 680, 1, 2 et seqq. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Mors, Mortui, Luctus.

DOMINICA XVII POST PENTECOST.

QUID VOBIS VIDETUR DE CHRISTO? CUJUS FILIUS EST? — Christus ipse spiritus oris nostri est, 417, 1. item spiritus narium nostrarum, *ibid.* ejus stemmata quatuor repræsentantur in curru Cherubico, 506, 1. est germen quadruplex, 744, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Jesus, *et notata Domin. in Pentecost. et in Festo Nativitatis.*

DOMINICA XVIII POST PENTECOST.

CUM VIDISSET COGITATIONES EORUM. — Futura libera, etiam conditionalia, prænovit Deus, 26, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Cogitatio, Deus.

DOMINICA XIX POST PENTECOST.

AMICE, QUOMODO HUC INTRASTI? — Amicitia vera tantum est in Deo, 36, 2.

NON HABENS VESTEM NUPTIALEM. — Vestis hæc virtutum typus est, quæ sunt animæ portæ, 355, 2. anima sancta est regina pulcherrima, 356, 2. item cœlum, cujus luna est fides, sol zelus, 368, 2. virtutem qualem habet homo, talem se ei exhibet Deus, 598, 1, 2. *Vide Indicem Rerum, verbo* Virtus, Sanctitas.

DOMINICA XXI POST PENTECOST.

NONNE ET TE OPORTUIT MISERERI? — Ad Dei tribunal appellantes, sæpe exauditi, 143, 2. quam perfidiæ vindex sit Deus, 271, 1. ex sorte humili in altum evecti meminerint status prioris, 612, 1. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Misericordia.

TRADIDIT ILLUM TORTORIBUS. — Scelera Deus celeriter ulciscitur, 18, 1, 2. ejus vindicta vigilat ad peccata, *ibid.* ob peccata tradimur tyrannis, 193, 1. tormenta qui aliis parant, iisdem pereunt, 660, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Pœna, Castigatio.

DOMINICA XXII POST PENTECOST.

SCIMUS QUIA VERAX ES. — Adulatio quam sit noxia, 159, 2; 377, 1; 593, 1, 2; 595, 1.

LICETNE CENSUM DARE CÆSARI? — Principes nimiis tributis suos gravantes a Deo puniuntur, 173, 2.

DATE CÆSARI QUÆ SUNT CÆSARIS. — Princeps est nauclerus reipublicæ, 701, 1. principes impii infelices habent exitus, 176, 1, 2. princeps stolidus suis ludibrio est, 464, 2. tyranni comparantur leonibus, 639, 1, 2. omnes brevis vitæ sunt, 642, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Princeps, Rex, Tyrannus.

DOMINICA XXIII POST PENTECOST.

SI TETIGERO TANTUM. — Suorum vota etiam per miracula exaudit Deus, 212, 1, 2.

RECEDITE. — Amici in morte nos deserunt, 365, 2; 366, 1.

NON EST MORTUA PUELLA, SED DORMIT. — Dormientium diu exempla varia, 538, 2. — *Vide notata Domin. XV post Pentecost., et in Commemorat. fidel. Animar.*

DOMINICA XXIV POST PENTECOST.

SURGENT PSEUDOPROPHETÆ. — An Elias et Jeremias venturi sint in fine sæculi, 13, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Pseudoprophetæ, Prophetæ, *et notata Domin. I Adventus.*

PSEUDOCHRISTI. — Exercitus Antichristi quomodo sit Gog et Magog, 765, 2. eo cæso multi anni dabuntur lapsis ad pœnitendum, 771, 1. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Antichristus, Judicium.

CONGREGABUNTUR ET AQUILÆ. — Aquila symbolum victoriæ violentæ et magnificæ, 305, 2; 626, 2. item regis et regni, 623, 1, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Aquila.

An in valle Josaphat omnes resurgent, 757, 1. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Jesus, Judicium.

IN FESTO PURIFICAT. B. VIRGINIS.

DARENT HOSTIAM AUT DUOS PULLOS. — Masculas victimas poscit Christus, id est robustos, 844, 1. Christus ipse ut agnus oblatus est, 101, 1 et seqq. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Primitiæ.

POSITUS EST HIC IN SIGNUM. — Christus est quasi signum ad sagittam, 386, 1. — *Vide Indicem Rerum, verbo* B. Maria Virgo.

IN FESTO CATHEDRÆ S. PETRI.

TU ES PETRUS, ET SUPER HANC PETRAM. — Pontifices sunt Cherubim, quomodo, 507, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Apostoli, Petrus, Pontifex, Sacerdos.

Purpura Cardinalibus cur et quomodo data, 609, 2.

IN FESTO S. MATTHIÆ APOSTOLI.

SORS CECIDIT SUPER MATTHIAM. — Sortes et omina veterum, 656, 2 et seqq. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Sors, *et notata in Communi Apostolorum.*

IN FESTO ANNUNT. B. VIRGINIS.

QUONIAM VIRUM NON COGNOSCO. — B. Mariæ virginitas ante partum, et in partu, et post partum probatur, 230, 1, 2. B. Maria est porta principis Christi, 830, 1, 2. triplex hæresis circa ejus virginitatem fuit, *ibid.* 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* B. Maria Virgo.

SPIRITUS SANCTUS. — Incarnationis Filii Dei opus fuit quasi opus creationis Spiritus Sancti, quia factum sine opera viri, 228, 1. quæ ipsa miracula et mira contineat, *ibid.* et 2. quid a nobis poscat, 231, 1. ejus mysterium quantum sit, 446, 2. Maria quomodo Christum virum circumdederit, 230, 1, 2. incarnatione hac nihil Deus facere melius potest, 228, 2. Humanitas est deitatis umbra, 419, 1, 2. ipsa est velut electrum ignitum, 512, 1. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Incarnatio.

QUOD NASCETUR EX TE SANCTUM. — B. Virgo est solium gloriæ Dei, 143, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Jesus, Christus, Incarnatio.

IN FESTO INVENTIONIS S. CRUCIS.

SICUT MOYSES EXALTAVIT, etc. — Crux symbolum est vitæ et salutis, 567, 1. ejus amor et desiderium, *ibid.* et seq. ejus confessio et professio, 568, 1. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Crux.

IN FESTO NATIVIT. S. JOAN. BAPTISTÆ.

QUIS PUTAS PUER ISTE ERIT? — Magni Sancti a puero ad magna sunt prædestinati, 13, 1, 2. Joannes in utero est sanctificatus, uti et Jeremias et alii, 14, 2. ministros suos ante omnia sua gratia imbuit Deus, 15, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Joannes Baptista.

IN FESTO SS. APOST. PETRI ET PAULI.

QUEM DICUNT HOMINES ESSE FILIUM HOMINIS? — Cur vocetur Ezechiel filius hominis, 514, 1, 2.

AUT UNUM E PROPHETIS. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Propheta.

TU ES CHRISTUS FILIUS DEI VIVI. — Christi deitas astruitur, 183, 1, 2; 445, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Jesus.

IN FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ.

Meretricum sordes, 29, 1. cupiditas carnalis quam brutæ et pecuina sit, 32, 2.

LACRYMIS RIGAVIT PEDES MEOS. — Cor est lacrymarum fons, 81, 1. earum efficacia apud Deum, *ibid.* earum fructus, 402, 1. compunctio est mater devotionis et virtutum, 347, 1, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Compunctio, Pœnitentia.

IN FESTO S. JACOBI APOST.

DIC UT SEDEANT. — Ut hi duo apostoli regnum ambierunt, sic e contra primi christiani coronis abstinebant, 300, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Aureola, Corona.

IN FESTO S. DOMINICI.

S. Dominici primorum discipulorum fervor, 411, 2.

IN FESTO DECOLLAT. S. JOANNIS.

NON LICET TIBI HABERE UXOREM. — *Vide notata Dominica II post Pentecost.* Principum vitia libere carpere debent Prælati, confessarii et concionatores, 179, 1, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Adulter.

IN FESTO ASSUMPTIONIS B. MARIÆ.

B. Maria Virgo est porta gratiarum, 831, 2. item porta cœli, *ibid.* — *Vide Indicem Rerum, verbo* B. Maria Virgo.

IN FESTO DEDICAT. S. MICHAELIS.

Quatuor angeli principes repræsentantur in curru Cherubim, 498, 2.

ANGELI EORUM VIDENT. — Luciferi et sociorum angelorum lapsus describitur, eorumque gratia et pulchritudo, 796, 1, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Angeli, *et notata in Festo SS. Innocentium.*

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM

Sancti publicas clades suis peccatis adscribunt, 383, 1, 2. olivæ sunt ob octo analogias, 98, 2. in cœlo scribuntur, impii in terra, 144, 2. multorum sanctorum corpora adhuc hodie exstant integra, 761, 1, 2 et seqq. hirundinibus comparantur, 76, 1, 2. malorum quæ in mundo passi sunt, non recordantur, 388, 1. eorum lætitia, splendor, nomen novum, multitudo, currus triumphalis; Deus eis omnia complanat, creaturæ omnes eos recreant, Deus ipsis est sol, 455, 1, 2 et seqq. quam eos invocare sit utile, 599, 1. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Sancti, Pii, Justi.

Cœlestis gloriæ hæreditas quomodo præclara sit, 42, 1. cœli et mundi totius magnitudo, altitudo, immensitas, 443, 1, 2 et seqq. cœlestis templi et urbis descriptio, 860, 1 et seqq.; 864, 1 et seqq.; 780, 1. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Cœlum, Gloria.

BEATI QUI LUGENT. — Lugentes ipse Deus consolatur, 420, 1, 2. — *Vide notata Dominic. III post Pascha.*

BEATI MISERICORDES. — Misericordia Deo et hominibus placet, 685, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Misericordia.

BEATI QUI PERSECUTIONEM PATIUNTUR. — Sancti in cruce immissa gaudent, 164, 1. vita crux est, 386, 1, 2. Deus ex amore nos affligit ob sex causas, *ibid.* 2. tribulatione et cruce acri immissa urbes et animas perversas corrigit Deus, 301, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Tribulatio, Persecutores, *et notata Domin. III post Pascha.*

CUM DIXERINT OMNE MALUM. — Maledicere diei nativitatis suæ quomodo liceat, 161, 2 et seqq.

IN COMMEMORAT. FIDEL. ANIMARUM.

Purgatorium contra hæreticos asseritur, 637, 2. funebris orationis et epitaphiorum origo, 728, 1. patres in limbo pro suis orabant in genere, 438, 2. mortui quo sensu Deum non laudent, 433, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Limbus, Mors, Purgatorium.

IN FESTO CONCEPT. B. VIRGINIS.

B. Virginis conceptio immaculata prorsus fuit, 830, 1, 2. per hanc eam rogare est remedium efficax contra tentationes carnis, 831, 1. — *Vide Indicem Rerum, verbo* B. Maria Virgo.

IN FESTO DEDICAT. ECCLESIÆ.

ASCENDIT IN SYCOMORUM. — Ficus bonæ sunt justi et electi, malæ impii et reprobi 189, 1, 2. sex analogiæ justi et ficus, 190, 1, 2.

Anima sancta mysticum Dei templum est, 780, 1, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Templum, Sacerdos, Porta, Porticus.

In templis quomodo laudetur Deus, 434, 1. vigiliarum ecclesiasticarum origo, 379, 1.

IN COMMUNI APOSTOLORUM.

VOS ESTIS SAL TERRÆ. — Sal cur sit signum sapientiæ, 606, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Sal.

Duodenarii numeri mysteria, 858, 1; 859, 2.

IN COMMUNI EVANGELISTARUM.

Evangelistæ quatuor repræsentantur in curru Cherubim, 507, 1. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Evangelium.

IN COMMUNI PONTIFICUM.

Episcoporum et Prælatorum officium est sollicitudo, non celsitudo, 734, 1, 2. libere peccantes corripiant, 735, 2. quomodo vigilare super oves debeant, 735, 2. in iis requiritur maxime vitæ probitas, 746, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Prælatus, Episcopi, Pontifex.

IN COMMUNI MARTYRUM.

Martyres velut adamantes fuerunt, 524, 1 et seqq.

constantiæ et spei eorum exempla, 21, 2. tolerantes fuerunt ut agni, 101, 1, 2. — *Vide Indicem Reeum, verbo* Martyr, Martyrium.

Martyrium justificat ex opere operato, 226, 2.

IN COMMUNI CONFESSORUM.

Religionum fundatores et restauratores sunt viri rixæ, 127, 1. in via religiosa semper progrediendum, nunquam regrediendum, 580, 2. — *Vide notata Feria VI post Cineres, et Indicem Rerum, verbo* Religio, Religiosi.

IN COMMUNI VIRGINUM.

Virginitatis symbolum est linum, 113, 1; 834, 1. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Virginitas, Virgo.

Les 20 premières pages de ce PDF donnent un aperçu de la qualité, *bonne ou mauvaise,* de l'édition papier. La qualité dépend du livre original dont nous nous sommes servi pour produire le fac-similé (*texte numérisé*).

Il est possible de commander l'édition papier à prix abordable en visitant le site :

canadienfrancais.org

Plusieurs autres livres sont également disponibles sur le même site, toujours à prix abordable.

Ô Marie conçue sans péché,
priez pour nous qui avons recours à vous!

Cet ouvrage est dans le domaine public.

Année 2020
canadienfrancais.org